duplicate
but please bind
is not bind
by glue back
with paper

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISC. CARD.

OPERA OMNIA

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISCOPI CARDINALIS

OPERA OMNIA

IUSSU ET AUCTORITATE

R.mi P. BERNARDINI A PORTU ROMATINO

TOTIUS ORDINIS MINORUM S. P. FRANCISCI

MINISTRI GENERALIS

EDITA

STUDIO ET CURA PP. COLLEGII A S. BONAVENTURA

AD PLURIMOS CODICES MSS. EMENDATA

ANECDOTIS AUCTA PROLEGOMENIS SCHOLIIS NOTISQUE ILLUSTRATA

TOMUS III.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MDCCCLXXXVII



DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISC. CARD.

COMMENTARIA

IN QUATUOR LIBROS SENTENTIARUM

MAGISTRI PETRI LOMBARDI

TOMUS III.

IN TERTIUM LIBRUM SENTENTIARUM

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MDCCCLXXXVII

Proprietas Litteraria.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

EPISTOLA

AD REVERENDISSIMUM PATREM BERNARDINUM A PORTU ROMATINO
ORDINIS MINORUM MINISTRUM GENERALEM

P. BERNARDINO A PORTU ROMATINO ORDINIS MINORUM MINISTRO GENERALI

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod universa Seraphici Doctoris opera de integro edenda decreveras, non mediocrem animi laetitiam percepimus; nunc vero eidem exsequendo consilio manum esse feliciter admotam magna cum voluptate intelligimus. Qui enim vix fere Pontificatu inito, nil ad oppugnandos nostrorum temporum errores fore aptius, nil ad confirmandam veritatem efficacius duximus, quam ut excellens summi Scholasticorum Magistri sapientia longe lateque fluat, atque ad id praecipuam operum illius editionem numeris omnibus absolutam publicari iussimus, haud satis laudare propositum tuum poteramus, quo vulgatis sancti Bonaventurae scriptis catholica iuventus ad scholasticas disciplinas etiam studiosius colendas inflammaretur. — Quanta inter S. Thomam ac Seraphicum Doctorem necessitudo, quanta sanctitatis ac doctrinae similitudo intercesserit, omnibus in comperto est. Ac s. m. Sixtus V Decessor Noster verissime affirmavit eos esse « *duas oliras et duo candelabra in domo Dei lucentia, qui et caritatis pinguedine et scientiae suae luce totam Ecclesiam Dei* » collustrarent, atque eos « *singulari Dei providentia eodem tempore tamquam duas stellas exorientes ex duabus clarissimis regularium Ordinum familiis* » prodiisse « *quae ad catholicam religionem propugnandam maxime utiles, et ad omnes labores ac pericula pro orthodoxa fide subeunda paratae semper existerent* ». — Itaque oblata Nobis a te eorumdem operum volumina veluti totius editionis primitias libentissime Nos

accepisse testatum volumus, magnique apud Nos haberi labores, quos vel ab anno MDCCCLXX religiosi tui Ordinis viri, in Collegium Sancti Bonaventurae coacti, pertulerunt, ut tanti ponderis opus, auctoritate tua illis commissum, accurate perficerent. Nec plane Fidelis a Fanna sodalis tui Ordinis, hominis scientia ac pietate spectati laus praetermittenda est; qui conquisitis undique per totam Europam codicibus et ad criticae artis regulas diligentissime exactis longo decem annorum spatio certissima editioni curandae monumenta comparavit: quo e vivis sublato, consodalem Ignatium Jeiler eidem suffectum pari studio iisdemque consiliis in re eiusmodi gerenda modo versari agnovimus. — Nec vero tantum prudens in rerum singularum delectu iudicium, sed et accuratae textus emendationes, atque optima literarum forma in primis commendanda est. Maxime autem placuit propositum, opportunas animadversiones seu scholia singulis libris adiiciendi, ut ea doctrinarum harmonia manifeste appareat, qua praecellentes illas duorum Doctorum mentes instructas fuisse ante diximus. Ex quo exploratum etiam est clarissimos hosce scholasticarum disciplinarum adsertores peracri ingenio, assiduo studio, magnis laboribus atque vigiliis pretiosum doctrinae thesaurum a sapientibus superiorum saeculorum, potissimum vero a SS. Ecclesiae Patribus congregatum, multisque modis cumulate auctum, posteris tradidisse. — Quapropter nullo modo dubitandum, quin catholici praesertim iuvenes in spem Ecclesiae succrescentes, qui ad philosophica ac theologica studia secundum Aquinatis doctrinam sectanda se conferunt, perlegendis S. Bonaventurae operibus plurimam utilitatem sint hausturi, atque ex amborum scriptis, quasi ex praecipuis armamentariis, gladios ac tela sumant quibus in teterrimo bello adversus Ecclesiam ipsamque humanam societatem commoto hostes superare strenue queant. — Haec itaque, quae scripsimus, et tibi, dilecte fili, et sodalibus tui Ordinis Collegio S. Bonaventurae addictis solatio atque incitamento sint ut incoeptum opus alacriter absolvere pergant. Praecipuae vero dilectionis Nostrae testem ac caelestium munerum auspicem, Apostolicam benedictionem tibi atque ipsis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIII Decembris anno MDCCCLXXXV. Pontificatus Nostri Octavo.

LEO PP. XIII.

PROLEGOMENA

AD TERTIUM LIBRUM SENTENTIARUM.

Summi Pontificis Leonis XIII. feliciter regnantis gratia fauste nobis evenit, ut in fronte huius tertii nostrae editionis voluminis promulgare potuerimus documentum, quod tum sententiarum gravitate eminet, tum inceptos a nobis labores benigno et paterno favore prosequitur. In Litteris enim Apostolicis, a Sanctitate Sua R.mo nostro Ministro Generali Bernardino a Portu Romatino inscriptis et superius impressis, non tantum merita sanctorum duorum Doctorum, Angelici et Seraphici, amplissimis verbis celebrantur, eorumque opera studiose legenda commendantur, sed etiam labores in adornanda hac nova omnium operum S. Bonaventurae editione a nobis suscepti publico testimonio comprobantur. Huius tam insignis beneficii gratissimo animo memores, susceptum opus arduum confirmatis prosequimur animis, cum tale tanti Pontificis et Vicarii Christi testimonium quasi quoddam pignus teneamus, nos neque in vacuum currere aut cucurrisse neque in vacuum laborasse (Phil. 2, 16.).

§ 1. *Commentarius hic in tertium Sententiarum librum magni semper aestimatus est.*

Hoc idem iam observavimus in Prolegomenis ad I. tomum (c. 1. § 4.). In eo enim S. Bonav. de rebus summi momenti agit pro dignitate vere Seraphici Doctoris. Obiectum in prima huius Commentarii parte est ineffabile incarnationis mysterium, quo nihil est nobilius, et in quo fundatae sunt excellentissimae illae tres virtutes theologicae, scilicet fides, spes et caritas, de quibus aliisque magni momenti quaestionibus in altera parte a distinctione 23. usque ad finem copiose et sapientissime disputatur. In eligendis scholarum theologicarum opinionibus seraphicus Doctor pro more suo etiam hic praefert sententias tunc communiores, vel quae magis fovent pietatem. Iterum de hac sua agendi ratione in fine huius libri gravissimis et modestissimis verbis loquitur. Communi opinioni, inquit, « pro viribus meis in omnibus praecedentibus libris adhaesi tanquam viae securiori; et sicut scio et possum, mihi et aliis consimilibus parum intelligentibus persuadeo adhaerendum ». Porro addit, se diligentius in hoc libro observasse, « ut in his quaestionibus dubiis et difficilibus, in quibus non potui deprehendere, quae esset via *communis*, quia sapientes opinantur contrarie sapientibus, sic unam partem tanquam magis probabilem sustinerem, ut tamen *aliam minime improbarem* ». Haec annotatio respicienda est, ut de differentiis inter doctrinam Angelici et Seraphici Doctoris in seq. § relatis iuste iudicetur.

Ex praedictis apparet, commentarium hunc optime testari, qualis fuerit communior scholarum opinio in rebus theologicis et philosophicis, quando de his paulo posterius scribere incepit S. Thomas. — Insuper, si quis est in quadam doctrina nostri auctoris defectus; cum hic communis sit praecipuis illius aetatis magistris, certe non imputandus est singulari cuicumque doctori, sed temporis conditioni. Hoc praecipue attendendum est in quaestionibus ad dogma de Immaculata B. V. Mariae conceptione spectantibus, de quibus cfr. scholia ad quaestiones d. 3. p. I. a. 1. 2.

Licet autem S. Bonav. in opinionibus eligendis sequatur communiorem viam et abhorreat a novarum rerum studiis; hoc tamen minime derogat huius libri praestantiae, neque ob hanc rationem doctrina in eo contenta minoris pretii aestimanda est. Communem enim veritatem ipse non communi modo docet. Nam argumentorum copia, sententiarum gravitate, iudicii sublimitate, praestanti in iudicandis et inter se componendis opinionibus ingenii vi, singulari devotionis unctione atque nervoso simul et perspicuo dicendi genere gradum obtinet inter Scholasticos non communem, sed eminentem. — Accedit, quod hi commentarii compositi sunt ea aetate, qua ecclesiastica de incarnationis mysterio doctrina, postquam scholarum occidentalium subtilibus inquisitionibus et acerrimis disputationibus multum ac diu discussa fuit, iam stabilem quandam, ut ita dicam, formam *scientificam* induerat, resectis non paucis erroribus et enucleatis plurimis gravissimisque difficultatibus, quas humana ratio, tanto mysterio impar, accummulare per saecula consueverat. Notissimum est, usum dialecticae Aristotelicae non paucas scholas theologicas luxuriando invasisse, quarum captionibus et argutiis non raro in discrimen vocata est sinceritas fidei; quam ex opposito alii doctores fortiter defendebant, fidei dogmatibus traditam formam ac mysterii notam vindicantes. Sufficiat hic nominasse celeberrimos duos adversarios, S. Bernardum et Petrum Abaelardum, ut agnoscatur ratio indolesque utriusque partis, quae per duo ferme saecula in scholis sub diversis formis et de variis obiectis, sed praecipue de incarnatione Domini luctata est. Nec ea aetate, qua Petrus Lombardus suas Sententias scripsit, hae controversiae omnes bene compositae erant; quod iam patet ex loquendi modo fluctuanti et parum tuto, quo idem (d. VI. et VII.) refert atque tractat famosas tres opiniones de Christo-homine. Disputationes autem S. Bonaventurae aliorumque Scholasticorum passim supponunt

praedictas controversias interdum spinosas, quarum notitia requiritur, ut recte de doctrina S. Doctoris iudicetur; unde in scholiis et notis passim praecedentes de Christologia opiniones tetigimus. Qui plura desiderat adeat recentiores de rebus ecclesiasticis medii aevi auctores, inter quos prae ceteris copiose de eisdem tanquam argumento proposito tractat opus eruditione plenum cl. Profess. in Universitate Monacensi Dr. I. Bach: Die Dogmengeschichte des Mittelalters vom Christologischen Standpuncte, Wien 1873-75, Braumüller, tom. 1. 2.

Inter Ss. Doctores Thomam et Bonaventuram vix est dissidium alicuius momenti respectu praedictarum controversiarum, ut iam patet ex elencho antiquo, qui immediate sequitur, praesertim cum plura in eo notata vel reduci possint ad merum modum loquendi, magis disparatum quam contrarium, vel respiciant tantum *gradum* maioris vel minoris probabilitatis, ut in scholiis eisdem quaestionibus adiectis tactum est.

§ 2. *Antiquus index locorum, in quibus dissentiunt Ss. Thomas et Bonaventura in suis Commentariis super librum tertium Sententiarum.*

Hic index depromptus est ex codicibus bibliothecae Burghesianae de Urbe et civitatis Luneburgi in Germania, quos iam descripsimus tom. I. pag. LXX. sub n. 35. Sicut in praecedentibus tomis, ita etiam hic exhibemus lectionem codicis bibliothecae Burghesianae et intra uncinos ponimus lectiones variantes alterius codicis, quae alicuius sunt momenti, numeris citationum interdum falsis a nobis correctis et completis.

Hi sunt articuli, in quibus dissentiunt in tertio Bonaventura et Thomas [De tertio libro].

1. Utrum tres personae possint unam et eandem naturam humanam in numero assumere; distinctione 1. (a. 1. q. 3.).

2. Utrum beata Virgo aliquid fuerit cooperata in conceptione Filii Dei; d. 4. (a. 3. q. 1.).

3. Utrum illa conceptio [cooperatio] fuerit miraculosa, vel naturalis; d. 3. (a. 3. q. 2.).

4. Utrum Christus secundum quod homo possit dici filius Spiritus sancti; d. 4. (a. 1. q. 2.).

5. Utrum, cum dicitur: Deus est homo, sit praedicatio essentialis; d. 7. (a. 1. q. 1.).

6. Utrum haec demonstratio (sic!) sit vera [Utrum Christo demonstrato, haec sit vera]: iste homo incipit esse; d. 11. (a. 2. q. 2.).

7. Utrum Beati videant Verbum mediante aliqua similitudine; d. 14. (a. 1. q. 3.).

8. Utrum ad visionem Verbi oporteat uniri intellectui ut forma; d. 14. (a. 2. q. 1. in solut. oppos.) [alter cod. omittit].

9. Utrum Christus actu cognoscat, quidquid cognoscit [addit: habitu]; d. 14. (a. 2. q. 2.).

10. Utrum Christus ab instanti suae conceptionis [instanti creationis] meruerit per actum vel per usum virtutum; d. 18. (a. 1. q. 1.).

11. Utrum fides sit in ratione, vel in voluntate; d. 23. (a. 1. q. 2.).

12. Utrum fides informis sit virtus; d. 23. (a. 2. q. 1.).

13. Utrum fides sit de visis visu corporeo; d. 24. (a. 2. q. 1.).

14. Utrum fides sit de visis vel de scitis; d. 24. (a. 2. q. 3.).

15. Utrum spes sit in parte intellectiva [omittit sequentia], quod nominat compositionem; d. 26. (a. 2. q. 5.).

16. Utrum appetitus dividatur in irascibilem et concupiscibilem; d. 26. (a. 2. q. 5.).

17. Quod [utrum] bonum sub ratione boni est [sit] obiectum spei; d. 26. (a. 2. q. 4.).

18. Utrum irrationabilia sint diligenda ex caritate imperante, vel eliciente; d. 28. (a. 1. q. 1.).

19. Utrum pater summe diligendus sit ex caritate; d. 29. (a. 1. q. 4.) (rectius pro *summe* diceretur: *magis quam filius).*

20. Utrum ordo caritatis, qui nunc est [in terra], maneat in patria; d. 31. (a. 3. q. 3.).

21. Utrum (lege: *Quomodo)* dona et beatitudines differant; d. 34. (p. I. a. 1. q. 1.).

22. Utrum virtutes cardinales sint in parte intellectiva [omittit sequentia], vel in sensitiva; d. 33. (a. 1. q. 3.).

23. [Utrum sapientia sit in intellectu; d. 35.] (a. 1. q. 1.).

24. Utrum omne mendacium (supple: *perfectis*) sit peccatum mortale; d. 38. (a. 1. q. 4.).

§ 3. *Quoad tractatum de virtutibus theologicis quaedam notanda sunt de relatione huius Commentarii ad Supplementum quoddam Summae Alexandri Halensis.*

De memorato libro, sub titulo *Summa de virtutibus Alexandri Halensis* famoso, diffuse iam egimus in Prolegomenis ad I. tomum pag. LVIII seqq., ad quem locum benevolum lectorem remittimus, pauca tantum hic opportune adiicientes. Instituto enim diligentiore eiusdem libri examine, novis argumentis confirmare nunc possumus quae ibi asseruimus, praesertim primo, quod fragmentum istud eo fine scriptum sit, ut expleretur manifesta et maxima lacuna, quae in parte III. praedictae Summae post q. 63. hiascit; item secundo, quod Alexander non sit huius Supplementi auctor (licet probabiliter saltem *dispositio* materiarum ad ipsum spectare videatur), sed potius Gulielmus de Melitona, vel saltem ignotus frater ex sociis ad perficiendam illam Summam ipsi assignatis; denique tertio, quod auctor Supplementi in transcribendo usus sit Commentario S. Bonaventurae (d. 23-33.), non autem S. Bonaventura illo Supplemento.

Quod autem Alexander IV. (an. 1256) manifestas praedictae Summae lacunas Gulielmo de Melitona explendas commiserit, non tantum Litteris illis Apostolicis, quas Echardus Ord. Praed. primus vulgavit nosque iterum (ibid.) transcripsimus, compertum est, sed etiam in Chronicis nostris, quae XXIV Generalium vocantur et adhuc sunt ineditae, disertis verbis comprobatur. Ibi etiam additur, quod Alexander IV. « scripsit Ministro Franciae, ut de tota Provincia aliquos studentes ad hoc idòneos eligeret, qui eidem magistro assisterent, ut eum ad dictum opus consummandum fideliter adiuvarent ». Idem repetit Fr. Ludovicus de Heilsberg sive Prutenus in suo egregio libro *Trilogium animae* p. III. c. 4. sub lit. N, qui Norimbergae per Antonium Koburger 1498 typis impressus est.

Tertia vero nostra propositio novo argumento evidenter confirmatur, quod ex singulari quadam plurium illius Supplementi quaestionum proprietate desumitur. — Nam in fine tertiae partis praedictae Summae impressae inveniuntur quaedam quaestiones ad tractatum de virtutibus spectantes, quae etiam tum a S. Bonaventura in hoc Commentario tum in illo Supplemento tractantur. Hae sunt quaestiones de fide informi (in Sum. p. III. q. 64.), de spe informi (q. 65.), de timore servili (q. 66.), de

fide formata (q. 68.), de articulis fidei et Symbolis (q. 69.). Nunc autem vidimus, quod auctor Supplementi has quaestiones ex *utroque* auctore congessit, plerumque ad verbum transcribendo ea quae sibi opportuna videbantur, modo ex scripto *Alexandri*, modo ex alio *S. Bonaventurae*, immo interdum de eadem re *simul ex utroque*, quod sane mirum est. Postquam enim integram fere quaestionem, quae in Summa illa legitur, exscripsit, immediate subiungit: « Ad maiorem autem declarationem (evidentiam) obiicitur adhuc » etc., et iterum duplicem seriem argumentorum, responsionem et solutiones oppositorum fere integras refert ex Commentario S. Bonaventurae. Hoc invenitur in quaestione, in qua vi animae sit fides tanquam in subiecto (coll. 34. a. 2.) et in quaestione de certitudine fidei (coll. 33. a. 1.), quod in nostris scholiis (d. 23. a. 1. q. 2. et 4.) accuratius indicavimus. Alibi partem *responsionis* accipit ex Alexandro, aliam partem subiicit ex Bonaventura, vel e converso. Saepissime autem in solutionibus oppositorum accidit, ut duplicem solutionem ex utroque sumtam transcribat. Quid luculentius esse potest ad probandum, auctorem Supplementi in quaestionibus sic consutis ad manus habuisse scripta utriusque doctoris? — In ceteris autem de illis virtutibus quaestionibus, de quibus nihil invenitur in Summa Alexandri, solum Commentarium S. Bonaventurae fere integrum transcribsit, excepta una alterave quaestione, quam unde sumserit, ignoramus. — Ea autem, quae S. Bonav. in dubiis circa litteram Magistri breviter tractat, in illo Supplemento pluries diffusius et in forma consueta quaestionum exhibentur; quam ob rem in nostris notis ad ista *dubia* saepius locum respondentem in Supplemento indicavimus; in *quaestionibus* vero ex Alexandro et Bonaventura congestis superfluum iudicavimus locos Supplementi istius citare; quod in editione Vaticana passim fit.

Alia tamen ratione, nempe pro emendando textu illarum quaestionum, quas sumsit ex Bonaventura, utilis interdum nobis fuit editio Parisiensis illius Supplementi, quia magnopere confirmat correctiones, quae interdum auctoritate tantum paucorum codd. melioris notae nobis opportune faciendae videbantur. Editio enim illa, licet scateat gravibus erroribus, exhibet tamen exemplar antiquissimi codicis, qui ipsum originale S. Bonaventurae propinqua cognatione contingere videtur. Hoc iam inde argui posset, quod editores Supplementi codicem in ipso Conventu Parisiensi, ubi S. Bonav. suos Commentarios composuit, invenerunt. Porro illud Supplementum (vel potius *fragmentum* supplementi) probabilissime scriptum est vivente adhuc S. Bonav., cum an. 1256 Alexander IV. praedicto Guilelmo Summam Alexandri continuandi officium commiserit. Quia autem illud imperfectum remansit, nunquam insertum est Summae Alexandri nec unquam illa aetate librariis ad describendum traditum sive eorundem corruptioni expositum est. Denique quis dubitare potest, quin compilatori praesto fuerit ad transcribendum exemplar fidele operis tunc recentissimi et Parisiis a suo Ministro Generali conscripti? Haec praesumtio satis confirmatur proprietatibus, quas textus illarum quaestionum in dicto libro exhibet, non obstantibus plurimis locis male lectis et negligentissime impressis. — Nihilominus sola auctoritate Supplementi nihil in nostrum textum recepimus, cum compilator *proprio marte* aliquid corrigere vel mutare potuerit, sicut etiam, licet raro, pauca omisit vel addidit.

§ 4. *In scripto huius tertii libri emendando et illustrando non recessimus a methodo in praecedentibus libris observata.*

In scholiis et notis nostris constanter tenuimus scribendi rationem referendi tantum antiquorum auctorum sententias communiter non reprobatas, non autem aliena iudicandi vel censurandi nec propriam nostram opinionem venditandi. — Observamus autem, quod Aegidius R., usque ad dist. 11. a. 2. q. 2. constanter in scholiis a nobis citatus non nisi usque ad illum locum tertium Petri Lombardi librum commentatus est; a supplemento quodam, quod editor ex aliis locis eiusdem auctoris collegit et adiecit, citando supersedimus, cum sit minoris momenti et paucas tantum quaestiones tractet. — Petrus a Tar. in tractatu de Incarnatione fere constanter in ponendis solvendisque quaestionibus Commentarium S. Thomae quasi excerpendo sequitur, dum saepissime in I. et II. libro et interdum etiam in secunda parte III. libri sequitur potius S. Bonaventuram.

In textu ad primitivam puritatem, quantum licuit, revocando et fontibus doctrinae Bonaventurianae accurate indicandis iterum multam operam consumsimus. Quoad eligendas tot lectiones variantes non raro difficile negotium obiiciunt locutiones quaedam phrasesque exoticae et prima specie reprobandae, quae quidem in antiquioribus codd. occurrunt, a posterioribus vero Scholasticis et in editionibus eliminatae nec in aliquo Lexico sive a Ducange sive ab aliis notatae sunt. Tamen, si hoc accidit, toties iam experti sumus, antiquiores codd. praebere genuinam lectionem et recipiendam, cum post longiorem inquisitionem deprehenderimus, easdem locutiones vel in versionibus Graecorum auctorum antiquis, vel a coaevis auctoribus adhibitas esse. — Exempli loco sit phrasis: *in paucioribus via magis* (pag. 821 col. 1. arg. 1.), quam habent codd., dum in Vat. legitur: *in paucioribus satis contineantur*. Suspicati illico sumus, sicut ibi (nota 2.) notavimus, codices locutionem exhibere tunc usitatam; tamen haesitavimus, tam obscuram phrasim in textum recipere, cum ab aliis auctoribus eam adhibitam esse, invenire nullibi potuerimus. Sed vix isto folio typis expresso, incidimus in locum Aristotelis et B. Alberti, quo probatur, phrasim illam in textum fuisse recipiendam. En verba utriusque! Aristot., II. Topic. c. 2: « Ὁδῷ γὰρ μᾶλλον καὶ ἐν ἐλάττοσιν ἡ σκέψις i. e. (secundum versionem Boethii) nam transitu magis et in paucioribus consideratio ». Ex quo haec formula: in paucioribus, i. e. universalibus, est via magis facilis. Cfr. B. Albert., in hunc loc. (tr. 1. c. 3), ubi dicit: « A genere non statim descendendum est ad *singularia*, quia infinita sunt; quia hoc difficile esset vel impossibile considerare singillatim in universis singularibus. Unde statim ad *species* considerandum est, an inveniatur instantia, vel non. In his enim est via magis et facilior; et ideo est *via magis in talibus*, quia in *paucioribus* consideratio est facilior ad propositum concludendum ».

Sequitur Syllabus codicum tertii huius libri, quos P. Fidelis a Fanna in bibliothecis invenit et in suis commentariis descripsit.

SYLLABUS MANUSCRIPTORUM

QUAE CONTINENT

COMMENTARIUM SANCTI BONAVENTURAE

SUPER LIBRUM III. SENTENTIARUM.

I.

Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Francisci, codex membranaceus in folio, saeculi XIII. exeuntis, signatus modo n. 57. Incipit fol. 2 r. sine ullo titulo: *Deus autem, qui dives est* etc. Desinit: *sit omnis honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen. Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis.* Sequitur index quaestionum, sed incompletus. — Hic cod. satis bonus plerumque convenit cum codd. A K U Z bb, qui specialem familiam constituunt, immo aliquoties fere solus exhibuit lectionem in textum recipiendam. — In nostra editione signatur littera N.

2. *Ibidem*, cod. olim bibliothecae Portiunculae, membr. in fol. saec. XIV. ineunt., sign. B. IX. 5. Incip. *Deus autem, qui dives est* etc. Desin.: *sit honor et gloria perfecta in secula seculorum. Amen.* Additur inde tabula distinctionum et quaestionum. — Optimus et ad praedictam specialem familiam pertinens; tamen non rare proprias et bonas lectiones nobis exhibuit. — Sign. U.

3. *Bruxellis* in Belgio, biblioth. regia, cod. 3951. membr. in 4. saec. XIII. Incip. fol. 3 r. In superiore margine scriptor notavit: *Tertius liber.* Hinc col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. ut in editis, inde repetuntur verba: *Explicit liber tertius.* Commentario praemittitur tabula quaestionum sub titulo: *Problemata tertii libri Bonaventure,* cui a manu posteriore additum fuit: *Orate pro ea quae me fecit ligari.* — Convenit plerumque cum antiquioribus codd. — Sign. E.

4. *Claris Aquis*, nunc in Collegio nostro sancti Bonaventurae, cod. memb. in fol. saec. XIII. exeunt. Incip. sine ullo titulo: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin.: *sit omnis honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.* In folio asseri anteriori adhaerente scriba posterioris aevi annotavit: *Tertius fratris Bonaventure.* — Antiquitate et praestantia lectionum prae ceteris egregius, licet non sit sine vitiis, praesertim omissionibus, quae vocantur homoteleuta. Saepe, deficientibus aliis codd., nobis sinceras lectiones praestavit. — Sign. A.

5. *Cusae* apud Castellum tabernarum (Berncastel) in Borussiae provincia Rhenana, biblioth. Hospitalis fundati a Cardinali Nicolao de Cusa ordinis sancti Augustini, cod. D. 20. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incip. et desin. ut in editis. Ad calcem additur: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententias.* — Optimae est notae; in pluribus convenit cum cod. W (n. 21.). — Sign. X.

6. *Florentiae,* in biblioth. Mediceo-Laurentiana, Plut. XXVI. Dext. cod. 1. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incip. fol. 2 r. col. 1. et desinit fol. 187 ut in editis. Sequitur inde tabula quaestionum. — Recensendus est inter codd. melioris notae et pertinet ad specialem familiam sub n. 1. memoratam. — Sign. bb.

7. *Ibidem*, in bibliotheca Nationali, cod. B. I. 213. membr in fol. saec. XIII. Incip. fol. 2. r. et desin. fol. ultim. codicis ut in editis. Scriptor saec. XV. addidit: *Isti sunt articuli prohibiti, reprobati, excommunicati et anathematizati Parisius tempore episcopi Guilielmi, Oddonis cancellarii et magistri Alexandri de Ales.* — Communiter convenit cum antiquioribus codd., sed magis inclinat ad alteram a praenotata distinctam familiam, praesertim ad cod. Z (n. 11.). — Sign. H.

8. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. B. IV. 219. membr. in fol. saec. XIII, mutilus in principio et fine; incipit enim a distinctione V. a. 1. q. 5. *Verbum dicit ipsam hypostasim, cui innititur ipsa humana natura* etc. Desin. distinct. XXXVIII. q. 6. his verbis: *unde ad hoc, quod aliquod genus excedat alterum, non est necesse, quod singula illius generis excecedant.* — Hic et seqq. codd. L aa et etiam G (n. 9. 12. 13.) multum inter se conveniunt. — Sign. I.

9. *Ibidem*, cod. C. VI. 215. membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Incip. fol. 2 r. et desin. fol. ultimo ut in editis. Deinde a prima manu additur: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis.* — Satis bonus; vide quod de eo in n. praecedenti notavimus. — Sign. L.

10. *Ibidem*, cod. D. IV. 215. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Manus posterior commentario praemisit haec verba: *Adsit principio sancta Maria meo. Incipiunt notule fratris Bonaventure super tertium librum sententiarum. Prologus hic incipit.* Col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. penult. ut in editis. Hinc additur a prima manu: *Explicit summa fratris Bonaventure super tertium librum sententiarum sententiarum* (sic). — Est optimus; praesertim in secunda parte huius libri multas lectiones habet speciales, tamen saepe non approbandas, quia videntur potius esse correctiones a quodam docto excogitatae quam in manuscriptis traditae. Ipse pertinet ad familiam sub n. 1. memoratam, ita tamen, ut inclinet ad codd. M O (n. 17. et 16.). — Sign. K.

11. *Ibidem*, cod. D. V. 216. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incip. fol. 3 r. et desin. fol. penult. v. ut in editis. Scriptor saec. XVI. notavit in principio voluminis: *Tertius Bonaventure super sententiis.* — Cod. bonus et ad praedictam familiam pertinens; hoc tamen habet speciale, quod non raro additamenta minora seu glossas interserit. — Sign. Z.

12. *Ibidem*, cod. D. V. 217. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incip. fol. 2 r. col. 1. ut in editis. Desin. fol. penult. r. col. 1, quae tota exarata fuit a manu saec. XIV. exeunt., quae addidit: *Explicit liber tertius;* alia adhuc manus eiusdem aevi prosequitur in eodem fol. r.: *Principium questionum super tertium Bonaventure.* Ad calcem huius indicis: *Explicit tabula questionum tertii libri Bonaventure super sententias.* — Secunda manus multa in hoc codice correxit et saepe ad normam codd. A Z bb. — Sign. aa.

13. *Ibidem*, cod. I. VI. 14. membr. in fol. saec. XIII. ante finem. De hoc cod. iam locuti sumus tom. II. pag. X. col. 1.

n. 46. Liber tertius incipit fol. 167 r. col. 1. et desin. fol. 308 v. col. 1. ut in editis. Idem scriptor addidit: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis.* De hoc cod. P. Fidelis a Fanna b. m. sic censuit: « Uterque commentarius, nempe in secundum et tertium, Bonaventura vivente, exaratus fuit ». Praemittitur in principio tabula quaestionum utriusque libri, confecta a manu saec. XIV exeuntis. — In multis convenit cum codd. I L V aa; tamen proprias exhibet lectiones, sed oō rationes intrinsecas saepe non recipiendas. — Sign. G.

14. *Monachii* in Bavaria, biblioth. regia, C. M. L. 15723. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incip. fol. 96 v. Manus posterioris aevi praemisit: *Liber tertius Bonaventure super sententias; pertinet ad provinciam Austrie, deputatus ad usum fratris Ottonis lectoris: qui subtraxerit eum, anathema sit.* Fol. seq. r. col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. ultim. ut in edit. Inde: *Explicit tertius liber Bone venture.* — Cod. bonae notae, qui quandoque sinceram lectionem a nobis receptam exhibet. — Sign. F.

15. *Montis Cassini*, in bibliotheca Monasterii, cod. 43. 0. 0. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. In initio praemittitur index distinctionum et quaestionum. Fol. 1, in superiore parte habet: *Incipit liber tertius sententiarum.* Col. 1.: *Deus autem, qui dives est* etc. Unaquaeque quaestio praefert titulum rubris characteribus exaratum. Desin. ut in edit.; inde subiicitur: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententias.* — In exhibendis titulis quaestionum recedit ab aliis codd., in ceteris vero rebus fere semper cum antiquioribus codd. convenit. — Sign. Y.

16. *Oxonii* in Anglia, bibliotheca Collegii Balliolensis, cod. 134. O. membr. in fol. saec. XIII. Fol. 2 v. legitur: *Bonaventura super tertium et quartum sententiarum.* Fol. 3: *Deus autem, qui dives est* etc. Ad calcem additur: *Explicit tertius fratris Bonaventure, quem scripsit Ivo de Bamberga.* Cod. bonae notae; in specialibus suis lectionibus saepe convenit cum codd. K et M (n. 10. et 17.). — Sign. O.

17. *Ibidem*, bibliotheca Collegii Mertonensis, cod. O. 1. 10. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. fol. 3 a prima manu praemittitur: *Bonaventura super tertium et quartum sententiarum.* Deinde col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. distinct. 40. dub. 3: *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis.* — De hoc cod. Idem est iudicium ac de praecedenti. — Sign. M.

18. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 15824. membr. in fol. saec. XIII. Fol. 1 r. antiqua manus notavit haec verba: Iste liber est pauperum magistrorum in theologia Parisius studentium, ex legato magistri Gerardi de Remis: precium LX sol. Incip. fol. 2 r. col. 1. et desin. fol. 160 v. col. 2. ut in editis; cui prima manus addidit: *Explicit tertius liber.* — Hic et duo seqq. codd. inter insigniores recensendi sunt et plerumque lectiones a nobis electas confirmant. — Sign. B.

19. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 15822. membr., quem iam recensuimus tom. II. pag. VIII. col. 2. n. 19. Liber tertius incipit fol. 216 r. col. 1; excurrit usque ad distinct. 39. a. 3, q. 3: *Augustinus dicit, quod meretrix iurans, se servaturam...;* cetera fuerunt avulsa. — Vide praedicta. In rebus minoris momenti non raro divergit a praecedenti et sequenti codice eiusdem Parisiensis bibliothecae. — Sign. C.

20. *Ibidem*, cod. 14553. membr. in fol., a diversis manibus exaratus, saec. XIV exeunt. et ineunt. XV. Incip. fol. 1 r. in superiore parte legitur: *Super tertium librum sententiarum de Bonaventura.* Incipit col. 1. et desin. fol. 241 v. ut in editis. Hinc adiungitur: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis.* Sequitur tabula quaestionum, quae desin. fol. 146 v. col. 2; cui additur: *Explicit liber tertius. Deo gratias.* — Vide dicta n. 19. et 20. — Sign. D.

21. *Ibidem*, cod. 15823. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incip. fol. 1 r. col. 1, desin. 189 r. col. 2. ut in editis; additur a prima manu: *Explicit tertius liber fratris Bone aventure super sententias.* Alia manus posterioris temporis subiecit ibidem: *Pauperum Magistrorum de Sorbona. VIII. lib.* — Cod. bonus, qui, ut iam notavimus, valde convenit cum cod. X (n. 5.). Collatus est a Domino Messager, quod gratissimo animo hic commemoramus, sicut prius tom. I. Prolegom. LXXVII col. 2. n. 26. — Sign. W.

22. *Patavii*, bibliotheca Conventus sancti Antonii, cod. 119. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Fol. 1 r. manus saec. XIV. commentario praemisit: *Tertius Bonaventure.* Ibidem col. 1. incip. ut in editis. Desin. fol. ultim. in distinct. 39. a. 2. q. 3: *qui petit ab alio iuramentum, quem scit iuraturum falsum, animam illius occidit, secundum quod habetur in fine istius distinctionis; cum ergo homo sciat...* Cetera desiderantur. — Cod. bonus et cum antiquioribus in rebus maioris momenti conveniens, qui tamen a seq. cod. praestantia lectionum superatur. — Sign. P.

23. *Ibidem*, cod. 129. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incip. fol. 1 r. col. 1, et desin. fol. 192 r. ut in editis. Additur: *Explicit liber tercius fratris Bonaventure de ordine minorum.* Hinc subiicitur tabula quaestionum, sed incompleta remansit. — Cod. bonus et correctus. Recole dicta de praecedenti. — Sign. Q.

24. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 911. membr. in fol. saec. XIII. Sub fine fol. 1 r. in superiore margine legitur exaratum a manu posteriori: *Liber tertius Bonaventure.* Sequitur tabula quadraginta distinctionum et quaestionum, post quam incipit commentarius et desin. fol. 185 v. ut in editis. Inde a prima manu additur: *Explicit tertius liber Bonaventure.* — Hic et duo seqq. codd. aetate et praestantia melioribus codd. assignandi sunt. — Sign. R.

25. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 912. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Praemittitur a secunda manu: *Tertius Bonaventure.* Incip. et desin. ut in editis. In fine: *Explicit liber tertius.* — Notandum, quod antiquus hic cod. in d. 34. p. II. a. 1. q. 1. genuino textui adiungit seriem argumentorum et solutionum; haec additamenta pag. 754 et 756 ad calcem in notis transcripsimus. — Sign. S.

26. *Ibidem*, cod. 913. membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Incip. fol. 1 r. et desin. fol. 163 ut in editis. Additur a prima manu: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis.* Sequitur index rerum alphabetica methodo dispositus, et in fine subiicitur: *Explicit tabula libri tertii. Deo gratias.* — Vide n. 24. et quod de eodem cod. notavimus in fine huius §. — Sign. cc.

27. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Fortunati ordin. minorum. cod. 151. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Commentario praemittuntur tabulae quaestionum et distinctionum primi, secundi et tertii libri sententiarum sub titulo: *Incipiunt problemata primi libri;* deinde: *secundi ac tertii.* Porro: *Incipit tertius secundum fratrem Bonaventuram* fol. 7

r., deinde col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Distinctioni vigesimae tertiae praemittitur: *Incipit secunda pars tertii libri. Cum vero supra habitum est* etc. Desin. fol. 198 ut in editis; ad calcem subiungitur: *Explicit tertius liber.* — Cod. optimae notae et a nobis in eligendis lectionibus variantibus continuo consultus. — Sign. T.

28. *Venetiis,* in bibliotheca Seminarii, cod. M. III. 29. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 1 r. col. 1. ut in editis. Desinit: *sit omnis honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen. Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis.* Deinde scriptor XIV. saec. subiecit tabulam quaestionum, quam explevit per verba: *Expliciunt tituli quaestionum tertii libri sententiarum secundum fratrem Bonaventuram de Balneo regis ordinis fratrum minorum, et sunt in...* — Cod. antiquus et bonus, tamen multis in locis non caret vitiis, praesertim saltibus ob homoteleuta. In secunda huius libri parte valde convenit cum codd. I L aa (n. 8. 9. 12.). — Sign. V.

II.

Codices a nobis non collati.

29. *Ambianorum* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 223. membr. in fol. saec. XIII. In principio praemittuntur index quaestionum et alia nonnulla ad hunc tertium librum spectantia. Commentarius incipit fol. 5 v. sic: *Incipiunt questiones fratris Bonaventure super librum tertium sententiarum. Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. 272 v. col. 2: *sit omnis honor et gloria per infinita secula secularum. Amen.*

30. *Barcinonae* in Hispania, in Archivo coronae regum Aragonensium, cod. 33, quem iam recensuimus tom. II. pag. IX. n. 34.

31. *Bruxellis,* in biblioteca regia, cod. 3431. membr. in fol. In initio est tabula quaestionum; commentarius incipit fol. 3 r., cui scriptor posterioris temporis praemisit: *D. Bonaventura in III. sententiarum. Deus autem, qui dives est* etc. Desin. ut in edit. Deinde prima manus subiungit: *Explicit tertius sententiarum fratris Bonaventure Doctoris seraphici sacre Theologie, scriptus et finitus anno Domini 1486, novembris die tertia.*

32. *Burdigalae* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 136. membr. in fol. saec. XIV. Incip. fol. 5 r. post tabulam quaestionum et desin. fol. 207 r. ut in editis; inde subiicitur index rerum alphabetico modo dispositus, sed mutilus.

33. *Cracoviae,* in bibliotheca Universitatis, M. S. 1247. A. A. VI. 3. chartac. in fol. saec. XV. post medietatem. Pag. 1 praemittitur titulus his verbis: *Scriptum venerabilis magistri sacre pagine fratris Bonaventure ordinis fratrum minorum. Deus autem, qui dives est* etc. Desin. pag. 725: *secula seculorum. Amen. Sit laus Deo. Explicit tertius liber fratris Bonaventure super sententias.* Sequitur index quaestionum.

34. *Ibidem,* M. S. 1251. A. A. V. 33. chartac. in fol. Incipit pag. 1 sub titulo: *Bonaventure super tertio,* et desin. pag. 939 ut in editis. Additur: *Explicit tertius fratris Bonaventure ordinis fratrum minorum super sententias.* 1442.

35. *Dunelmii* in Anglia, cod. B. I. 24. membr. in fol. saec. XIV. Incipit et desin. ut in editis. Inscriptus est: *Tertia pars Bonaventure.*

36. *Erfordiae* in Borussia, bibliotheca regia, collectio Amploniana, cod. 122, quem iam descripsimus tom. I. pag. LXXVIII, n. 40. Commentarius in tertium librum incipit circa medietatem voluminis, praemissis his verbis a manu saec. XIV. exaratis: *Hunc primum et tertium Bonaventure emit frater Wilhelmus in Oxonia pro conventu Duysburgensi ordinis...* (cetera verba sunt abrasa). Inde col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. ut in editis. Fini additur: *Bonaventura super primum et tertium sententiarum fratris Wilhelmi Krone de Duysburgh ordinis fratrum minorum.* Post haec sequitur tabula quaestionum, ad cuius calcem subiungitur: *Bonaventura super primum et tertium sententiarum, et pertinet fratri Wilhelmo Krone de Duysburgh Provinciae Coloniae.*

37. *Erlangen* in Bavaria, cod. 348. membr. in fol. saec. XIV. ineunt., mutilus in principio et in fine, incipit enim distinct. 1. a. 1. q. 3. ad argum.; desin. distinct. 40. dub. 2. his verbis: *quia manifestior erat et sensibilior, et etiam iudaei...*

38. *Florentiae,* bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. Fesul. LXXII. membr. in fol. saec. XV, splendide conscriptus. Praemittitur: *Incipit tertius liber Bonaventure super sententiis, ordinis fratrum minorum. Feliciter incipit. Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. 241 r. col. 2. Hinc subiicitur: *Explicit liber Bonaventure* (alia manus addidit) *super tertium sententiarum.*

39. *Ibidem,* bibliotheca Nationalis, cod. B. IX. 1780. membr. in 4. parv. saec. XIV. ineunt. Fol. 179 r. col. 1. sub titulo: *Incipiunt articuli fidei distincti secundum humanitatem.* Continet fragmenta extracta a Commentario sancti Bonaventurae super librum tertium sententiarum.

40. *Graecii* in Stiria, bibliotheca Universitatis, cod. 277. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit et desinit ut in editis. Fini additur: *Explicit liber tertius.* Prosequitur tabula quaestionum, quae sic desinit: *Expliciunt terminationes tertii libri questionum magistri Bonaventure.*

41. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, Est. y. 129. n. 50, cod. membr. in 4. saec. XIV. ineunt., sine nomine auctoris. Incipit fol. 1 r. et desin. in fine ut in editis.

42. *Lipsiae,* bibliotheca Universitatis, cod. 494. chartac. in fol. Incip. fol. 2 r., desin. ut in editis. Legitur in fine: *Explicit tertius fratris Bonaventure super sententiis; anno Domini LXX* (1470). Sequitur duplex tabula, scil. quaestionum et rerum; haec alphabetica methodo est disposita.

43. *Londini,* in bibliotheca Musaei Britannici, collect. regia cod. X. C. 12, membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incipit commentarius fol. 22 r. absque ullo titulo: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. 200 v. col. 2, cui prima manus subiecit haec verba: *Explicit liber tertius fratris Bone aventure super sententiis.*

44. *Massiliae* in Gallia, bibliotheca Civitatis, Reg. E. a. 23. cod. membr. in fol. saec. XV. Commentario praemittitur tabula quaestionum, quae excurrit usque ad distinctionem 36. q. 3: cetera sunt avulsa una cum prologo et initio divisionis textus primae distinctionis. Incipit enim a verbis: *vivificavit Christo, et Christus nos vivificavit assumendo vitam...* Tabulae praeponuntur haec verba: *Tabula Bonaventure sive tituli quaestionum super tertium sententiarum incipit feliciter sive incipiunt.* Ad calcem commentarii subiiciuntur haec verba: *Liber tertius fratris Bonaventure super sententiis exit feliciter. Finis.*

45. *Moguntiae,* bibliotheca Civitatis, cod. n. 11. chartac. in fol. saec. XV. Fol. 2 r. est tabula quaestionum mutila; commentarius incipit fol. 6 r., in quo etiam nonnulla desunt. Desinit enim, seu potius deficit distinct. 40. dub. 3. his verbis:

Et pro tanto dicuntur nove legis habere virtutem et differre, et hoc a sacramentis veteris legis precipue quantum ad ipsam efficacem ordinationem, quia non interveniebat...

46. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca regia, C. L. M. 5174. chartac. in fol. saec. XV. Usque ad fol. 12. complectitur tabulam quaestionum et dubitationum circa litteram. Commentarius incipit fol. 13 r. et desin. fol. 320 v. ut in editis.

47. *Ibidem*, C. L. M. 5951. chartac. in fol. Incip. fol. 2 r. cum titulo: *Bonaventura super tertium sententiarum;* col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. 457 v. col. 2. Deinde: *Explicit scriptum Domini Bonaventure super tertium librum sententiarum. Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo, sub reverendo in Christo patre et domino ludoco abbate.* Sequitur index quaestionum.

48. *Ibidem*, C. L. M. 8079, quem iam descripsimus tom. I. pag. LXXV. col. 1. n. 15; et tom. II. pag. VIII. col. 1. n. 13. Complectitur dubia circa litteram.

49. *Mutinae* in Italia, bibliotheca Atestina, cod. 974. VII. I. 16. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 1 r. verbis: *Prologus tertii libri;* deinde *Deus autem, qui dives est* etc. In initio 1. distinct. iterum habetur: *Incipit tertius liber fratris Bonaventure.* Divisio textus exorditur: *Quoniam igitur in hoc tertio libro*, superioribus omissis. Desin. fol. 253 r. col. 1. Dein a prima manu additum est: *Explicit tertius fratris Bonaventure super sententias.* Postea: *Incipiunt capitula tertii libri fratris Bonaventure:* et in fine: *Expliciunt capitula tertii libri fratris Bonaventure.*

50. *Ibidem*, cod. 976. VI. C. 2. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Ante commentarium exhibetur index tum quaestionum tum dubitationum litteralium. Fol. 4 r. in parte superiore a prima manu praemittitur: *Tertius liber Bonaventure* col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc. Desinit. fol. ultimo ut in editis; inde additur: *Explicit liber fratris Bonaventure super sententiis.*

51. *Oxonii* in Anglia, bibliotheca Collegii Mertonensis, cod. O. 1. 8. Praeter commentarium sancti Bonaventurae in librum primum sententiarum, de quo egimus tom. I. pag. LXXIX. col. 1. n. 50, continet etiam fol. 108 et seq. copiosum indicem super hunc tertium incipiens: *Prologus Bonaventure super tertium librum sententiarum.* In fine: *Expliciunt problemata super tertium librum sententiarum.*

52. *Parisiis*, bibliotheca Mazzarinea, cod. 930. membr. in 4. saec. XIV. ineunt. Incipit fol. 1 r. col. 1, desin. fol. 236 r. ut in editis. Hinc prima manus addidit: *Codice prescripto, sit laus et gloria Christo. — Qui transcripsit eum possit habere Deum. — Explicit liber tertius fratris Bonaventure.* Alia manus eiusdem saeculi subiecit tabulam quaestionum, cui praemisit: *Incipiunt tituli questionum huius tertii libri sententiarum Domini Bonaventure ordinis fratrum minorum.*

53. *Ibidem*, collectio Sorbonica, cod. th. II. 42. membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Incipit cum titulo: *Tertia pars sententiarum de Incarnatione verbi. Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. 244, distinct. 40. dub. 3. his verbis: *et causa existat, habeat aliquam virtutem, per quam...* Cetera desiderantur. Scriptor recens in principio codicis notavit haec verba: *Bonaventura super sententias.*

54. *Pistorii* in Italia, bibliotheca Fortiguerri, cod. D. 309. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incipit fol. 1 r. et desin. fol. 147 v. col. 2. ut in editis. Additur: *Explicit liber tertius.*

55. *Pragae*, bibliotheca Capituli metropolitani, cod. C. 25. chartac. saec. XIV. exeunt. Incipit et desin. ut in edit. In fine subiicitur tabula quaestionum.

56. *Regimontii*, bibliotheca Universitatis, cod. 1191. membr. in 4. saec. XIV. ineunt. Fol. 2 r. stilo lapideo, sed antiquitus scriptum est: *In hoc libro continentur Bonaventure distinctiones super tertium sententiarum.* Commentarius aliquando est contractus, aliquando interpolatus et in fine mutilus.

57. *Romae*, in bibliotheca Vaticana, cod. Urbin. 143. membr. in fol. saec. XV. Incipit fol. 3 r. cum hoc titulo: *Incipit tertius Bonaventure ordinis fratrum minorum. Deus autem, qui dives est* etc. Desin. ut in editis. Deinde additur: *Liber tertius Bonaventure ordinis fratrum minorum super tertio sententiarum explicit feliciter.* Sequitur index quaestionum.

58. *Rothomagi* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. A. 186. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incip. fol. 1 r. col. 1. et in fine desin. ut in editis. A prima manu subiicitur: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententias.*

59. *Taurini*, bibliotheca regia, cod. F. IV. 31. membr. in fol. saec. XIII. Incip. fol. 1 r. et desin. fol. 165 r. ut in editis. Ad calcem commentarii subiicitur tabula distinctionum et quaestionum.

60. *Ibidem*, cod. K. III. 12. membr. in fol. saec. XIV. Incipit fol. 1 r. et desin. fol. 228 v. ut ceteri. Hic cod. et etiam praecedens olim pertinebant ad conventum de Cherio, ordinis Minorum provinciae Taurinensis, ut in eisdem notatur.

61. *Trecis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 820. membr. in 4. saec. XIII. exeunt., ut iam diximus tom. II. pag. XI. col. 1. n. 68.

62. *Turonis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 374. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Praemittitur index quaestionum, qui protrahitur usque ad fol. 3. col. 1. Incipit fol. 4 r. *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. penultim. Inde eadem prima manus addidit: *Explicit tertius fratris Bonaventure super sententias. Deo gratias.*

63. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, class. III, cod. 92. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 1 r. et desin. fol. 214 v. Ad calcem additur: *Explicit liber tertius Bonaventure super sententiis.* Sequitur index quaestionum.

64. *Ibidem*, Class. III. cod., cod. 95. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 2 r. col. 1. *Deus autem, qui dives est* etc. Desin. fol. 157 v. col. 2. Scriptor saec. XV addidit: *Explicit tertius Bonaventure.* Inde exhibetur tabula distinctionum et quaestionum.

65. *Vindobonae* in Austria, bibliotheca Palatina, M. S. 1510. membr. in fol. saec. XIII. Incipit fol. 1 r., desin. fol. 117 r. In fine legitur: *Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis. Omnis laus in fine canitur.*

66. *Ibidem*, M. S. 1531. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incipit fol. 1 r., desin. fol. ultim. v. et additur: *Explicit liber tertius.* Scriba saec. XIV. sub fine in folio particulari commentario praemisso notavit haec verba: *Tertius Bonaventure. Hae sunt quaestiones super tertium librum sententiarum Bonaventure, empte a domino Venerabili de Hesptali ad libreriam Collegii ducalis Wyenne pro duodecim solidis et viginti denariis solutis de pecunia Erhardi bidelli, cuius anima requiescat in pace Xpi.*

67. *Ibidem*, M. S. 4846. chartac. in fol. saec. XV. Incipit fol. 1 r. col. 1: *Deus autem, qui dives est* etc.; desin. fol. 386 v. col. 2: *sit omnis honor et gloria per infinita secula se-*

culorum. Amen. Explicit liber tertius fratris Bonaventure super sententiis. Omnis laus in fine probatur. Infra sequuntur tituli quaestionum.

Praeter codd. (n. 1-28) duas tantum edd. antiquas continuo inspeximus, scilicet unam sine loco et anno, quae est 1. editio huius Commentarii, a *Koburger* Norimbergae 1491, ut videtur, impressa, quam describit Hain (Repertor. bibliogr. I. n. 3540.). De hac et de altera iam locuti sumus tom. I. Prolegom. LXXIII. col. 2. n. 10. et LXXIV. col. 2. n. 14. Altera editio, numero 2 distincta et iterum sine indicatione anni, describitur ab Hain loc. cit. n. 3541. Haec est impressa a Kiliano Piscatore Friburgi an. 1493, ut videtur, quae vix nisi in paucis minutissimis rebus a Koburgeriana differt; sed exemplar, quo usi sumus, ad marginem habebat plurimas correctiones ex aliquo codice bono sumtas et diligenter notatas.

Licet autem codd. saeculi XIII. emendationes nostras plerumque communi suffragio confirment, tamen quoad non paucos locos ab antiquo corruptos et quoad plurimas res minutas etiam in his veteribus codicibus satis apparuit, duas praecipue familias esse distinguendas, illamque, quae exprimitur in codd. A K N U Z bb, sinceram lectionem pluries praebere quam alteram. Quod iudicium nostrum deinde confirmabatur, quando in Supplemento Summae Alexandri textum impressum multarum quaestionum cum nostris codicibus conferentes experti sumus, editionem hanc communius convenire cum praedicta familia; de quo argumento supra (§ 3. in fine) tractavimus.

Superest, ut lectorem moneamus de quodam errato in citando cod. cc commisso, sed tantum in primis distinctionibus. Cum primitus eum distinxerimus signo dd, ipse pag. 73 nota 8. ita citatus est, et similiter pag. 49 nota 1. alius cod. Insuper cum farrago lectionum variantium sub uno aspectu opere laborioso poneretur, ab initio cod. cc aliis non est annumeratus, unde usque ad pag. 308 pluries (13 vicibus) erronee allegatur tanquam concordans cum edd., praesertim Vaticana, dum e contra passim cum aliis codicibus ab eisdem recedat lectionesque a nobis electas magis confirmet. Hinc patet, involuntarium hunc errorem quoad emendationem ipsius textus nullius esse momenti.

TABULA

COLLATORUM CODICUM ET EDITIONUM

III. LIBRI COMMENTARIORUM [1].

A . . Cod. In Collegio S. Bonaventurae. (n. 4.).
B . . . » Parisiensis I, biblioth. Nationalis 15824. (n. 18.).
C . . . » Parisiensis II, biblioth. National. 15822. (n. 19.).
D . . . » Parisiensis III, biblioth. National. 14553. (n. 20.).
E . . . » Bruxellensis, biblioth. National. 3951. (n. 3.).
F . . . » Monacensis, biblioth. Reg. C. L. M. 15723. (n. 14.).
G . . . » Florentinus I, biblioth. National. I. VI. 14. (n. 13.).
H . . . » Florentinus II, biblioth. National. B. I. 213. (n. 7.).
I . . . » Florentinus III, biblioth. National. B. IV. 219. (n. 8.).
K . . . » Florentinus IV, biblioth. National. D. IV. 214. (n. 10).
L . . . » Florentinus V, biblioth. National. C. VI. 215. (n. 9.).
M . . . » Oxoniensis, biblioth. Colleg. Merton. O. 1. 10. (n. 17.).
N . . . » Assisiensis I, biblioth. sacri Conventus, 57. (n. 1.).
O . . . » Oxoniensis, biblioth. Colleg. Balliol. 134. O. (n. 16.).
P . . . » Patavinus I, biblioth. sancti Anton. 119. (n. 22.).
Q . . . » Patavinus II, biblioth. sancti Anton. 129. (n. 23.).
R . . . » Vaticanus I. 911. (n. 24.).
S . . . » Vaticanus II. 912. (n. 25.).
T . . . » Tudertinus, 151. (n. 27.).
U . . . » Assisiensis II. (olim S. Mariae Angelor.), 5. B. IX. (n. 2.).
V . . . » Venetus, biblioth. Seminarii Patriarch. 29. M. III. (n. 28.).
W . . . » Parisiensis IV, biblioth. National. 15823. (n. 21.).
X . . . » Cusanus, D. 20. (n. 5.).
Y . . . » Montiscassinensis, 4300 (alias 103). (n. 15.).
Z . . . » Florentinus VI, biblioth. National. D. V. 216. (n. 11.).
aa. . . » Florentinus VII, biblioth. National. D. V. 217. (n. 12.).
bb. . . » Florentinus VIII, biblioth. Mediceo-Laurent. Plut. XXVI. Dext. 1. (n. 6.).
cc. . . » Vaticanus III. 913. (n. 26.).

EDITIONES.

1. Norimbergae, sine anno (Koburger 1491).
2. Friburgi, s. a. 1493 (Kilian. Piscator).

In reformando textu Petri Lombardi eisdem codicibus et editionibus usi sumus, qui in tomo secundo (Prolegomena XII) annotati sunt.

---

[1] Numeri intra parenthesim positi indicant locum (supra pag. VI-VIII), ubi hi codices descripti sunt.

PROOEMIUM.

IN TERTIUM LIBRUM SENTENTIARUM.

Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cuius gratia estis salvati.

Verbum istud scribitur secundo[1] ad Ephesios, in quo insinuatur nobis nostrae redemptionis mysterium, ac per hoc manifestatur nobis subiectum libri Sententiarum et specialiter quantum ad tertiam partem ipsius, in qua explicatur nostrae redemptionis sacramentum factae per Christum. Possunt autem in hoc verbo quatuor notari pertinentia ad reparationem[2] generis humani, quorum primum est *auctor reparationis;* secundum est *lapsus reparabilis;* tertium *persona Reparatoris;* quartum autem et ultimum *salus hominis reparati.*

Quatuor notanda in redemptione.

Auctor autem *reparationis* notatur, cum dicitur: *Deus autem, qui dives est in misericordia* etc. Ipse enim sua largiflua misericordia, non aliunde motus disposuit reparare genus humanum, sicut scribitur in Ioannis tertio[3]: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat.*

Primum.

Lapsus vero *reparabilis*[4], cum dicitur: *Cum essemus mortui peccatis.* Peccatum enim primi parentis erat causa nostrae mortis, per quem a statu innocentiae prolapsum fuit totum genus humanum, secundum quod scribitur ad Romanos quinto[5]: *Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit et per peccatum mors, ita et in omnes mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et quia in alio et per alium peccaverunt, ideo reparabiliter ceciderunt[6].

Secundum.

Persona vero *Reparatoris* notatur per hoc quod dicitur: *Convivificavit nos Christo.* Nam Christus fuit, in quo facta fuit ista reconciliatio, sicut scribitur ad Colossenses primo[7]: *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in caelis, sive quae in terris sunt.*

Tertium.

Salus vero *hominis reparati* tangitur in hoc quod dicitur: *Cuius gratia estis salvati* etc. Merito enim passionis Christi collata est efficacia Sacramentis, ut per ea infirmis detur gratia sanativa, secundum illud ad Titum tertio[8]: *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nobis abunde per Iesum Christum salvatorem nostrum.*

Quartum.

De his quatuor simul habetur quinto[9] ad Romanos in quodam verbo, ubi sic ait: *Commendat autem Deus caritatem suam in nobis* — ecce auctor reparationis — sed *cum adhuc peccatores essemus* — ecce lapsus reparabilis — *Christus pro nobis mortuus est* — in quo persona notatur Reparatoris — *multo magis iustificati nunc per sanguinem ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum* — ecce salus hominis reparati.

De his quatuor simul.

Secundum haec quatuor, quae in praedicta auctoritate describuntur, quatuor sunt libri Sententiarum. Nam in primo libro agitur de *reparationis auctore,* utpote de beata Trinitate. In secundo vero agitur de *ipso*[10] *reparabili,* utpote de homine cadente a statu conditionis et innocentiae. In tertio agitur de *persona Reparatoris,* utpote de Christo, Deo et homine. In quarto vero agitur de *hominis reparati salute,* quae quidem consistit in expiatione culpae et amotione omnis miseriae.

His quatuor respondent 4 libri Sententiarum.

Et sic patet, quomodo iste totalis liber[11] versatur circa nostrae reparationis mysterium explican-

---

[1] Vers. 4. seq. Voci *Christo* Vulgata et cod. K praefigunt *in.*

[2] Codd. A G H Z *redemptionem.*

[3] Vers. 16. — Paulo superius ante *largiflua misericordia* cod. P interlicit *caritate et;* Vat. et edd. 1, 2 voculae *sua* praemittunt *in.*

[4] Codd. A H K P bb addunt *notatur.*

[5] Vers. 12, ubi Vulgata ante *mundum* exhibet *hunc,* et post *omnes* cum cod. K adiicit *homines.* — Paulo superius pro *per quem* codd. A aa *per quam,* cod. Z *per quod;* edd. subinde omittunt *totum.*

[6] Ut ostensum est II. Sent. d. 21. a. 3. q. 2.

[7] Vers. 19. seq.

[8] Vers. 5. seq.; pro *effudit in nobis* in Vat. et Vulgata legitur *effudit in nos.*

[9] Vers. 8. seq., quo in loco pro *sed cum* Vat. cum codd. P bb habet *quoniam cum,* et deinde sola *in sanguine* pro *per sanguinem.*

[10] Pro *ipso* edd. substituunt *persona,* et paulo superius pro *describuntur* codd. P Q Z bb *scribuntur.*

[11] Cod. K supplet *Sententiarum.* Paulo inferius pro *qualiter vivificati* codd. H W exhibent *iustificati,* edd. *convivificati,* quae edd. post pauca etiam omittunt *quod ideo* [plures edd. *Et ideo*] *dicit Apostolus.*

Tamen specialius tertius liber.

dum; specialiori tamen modo hoc spectat ad tertium librum, in quo manifestatur, qualiter vivificati sumus per Christum. Et hoc notavit Apostolus in verbo praedicto, cum dixit: *Convivificavit nos Christo.* Quod ideo dicit Apostolus, quia Deus vivificavit nos *in* Christo, et *cum* Christo, et *per* Christum, et *secundum* Christum.

Quadrupliciter convivificati sumus Christo.

In Christo.

Primo igitur Deus convivificavit nos *in* Christo, quia in persona eius mortalitatem nostram vitae sociavit, secundum illud Ioannis quinto[1]: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita et Filio dedit habere vitam in semetipso.* Si vitam igitur habet Filius in semetipso, dum sibi mortalitatem nostram assumsit, nos verae et immortali vitae sociavit, ac per hoc *in* semetipso convivificavit.

Cum Christo.

Convivificavit etiam *cum* Christo, dum ipse Christus, qui vita erat, inter mortales homines vixit, secundum illud quod dicitur in principio primae Canonicae Ioannis[2]: *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae; et vita manifestata est, et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam aeternam;* et sic, dum *in terris visus est et cum hominibus conversatus est,* Deus nos convivificavit *cum* Christo, dum vivere nos fecit cum ipso.

Per Christum.

Convivificavit etiam nos *per* Christum, dum nos a morte eripuit per mortem ipsius, secundum illud primae Petri tertio[3]: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.* Dum ergo Christus vitam suam pro nobis posuit, Deus *per* ipsum genus humanum mortuum vivificavit.

Secundum Christum.

Postremo *secundum* Christum nos vivificavit, dum ad eius exemplum nos per viam vitae direxit, iuxta illud Psalmi[4]: *Notas mihi fecisti vias vitae.* Notas nobis fecit vias vitae, dum nobis fidem et spem et caritatem et dona gratiarum distribuit, et mandata adiunxit, in quibus ipse Christus ambulavit, et in quibus consistit via vitae, per quam Christus nos docuit ambulare. Deus igitur nos vivificavit *secundum* Christum, quia ad vitam dirigit imitatores ipsius.

De his quatuor simul.

De his quatuor simul habetur ad Philippenses secundo[5]: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens* — ecce primum, scilicet quod mortalitatem nostram vitae suae univit — *in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo* — ecce secundum, videlicet quod cum hominibus ut[6] homo vixit — *humiliavit semetipsum usque ad mortem* — ecce tertium, videlicet quod per mortem suam nos a morte liberavit — *propter quod et Deus exaltavit illum* — ecce quartum, videlicet quod post mortem multos habuit sequaces et imitatores credentes in eum.

Quoniam igitur in hoc libro, qui sic incipit Cum igitur venit plenitudo temporis etc., intendit Magister determinare[7] etc.

[1] Vers. 26. — Paulo inferius edd. omittunt *verae et.*

[2] Cap. 1, 1. seq. Vulgata nec non edd. in hoc testimonio Apostoli verbis *quod vidimus* etc. praemittunt *quod audivimus.* — Seq. loc. Script. est Baruch 3, 38.

[3] Vers. 18.

[4] Psalm. 15, 10.

[5] Vers. 7. seqq., ubi Vulgata post *Humiliavit semetipsum* addit *factus obediens.*

[6] Cod. A *et ut.*

[7] Codd., cum textum Magistri non afferant, hic immediate adiungunt divisionem textus primae distinctionis.

LIBER TERTIUS SENTENTIARUM.

DE INCARNATIONE VERBI ET HUMANI GENERIS REPARATIONE.

Iam nunc his intelligendis atque pertractandis, quae ad Verbi incarnationem pertinent, integra mentis consideratione intendamus, ut de ineffabilibus vel modicum aliquid fari, Deo revelante, valeamus[1]. Sic enim rationis ordo postulat, ut, qui in primo libro de inexplicabili mysterio summae Trinitatis irrefragabili Sanctorum attestatione aliquid diximus, ac deinde in secundo libro conditionis rerum ordinem hominisque lapsum sub certis[2] auctoritatis regulis insinuavimus, de eius reparatione, per gratiam Mediatoris Dei et hominum praestita, atque humanae redemptionis Sacramentis, quibus contritiones hominis alligantur ac vulnera peccatorum curantur, consequenter in tertio et quarto libro disseramus, ut Samaritanus ad vulneratum, medicus ad infirmum, gratia ad miserum accedat.

INCIPIUNT CAPITULA TERTII LIBRI.

Distinctio I.

Cap. I. Quare Filius carnem assumsit, non Pater vel Spiritus sanctus.

II. Utrum Pater vel Spiritus sanctus potuerit[3] incarnari.

III. Utrum Filius, qui tantum carnem accepit, aliquid fecerit, quod non Pater vel Spiritus sanctus.

Distinctio II.

Cap. I. Quare totam humanam naturam accepit, et quid nomine humanitatis vel humanae naturae intelligendum sit[4].

II. De unione Verbi et carnis mediante anima.

III. Quod simul assumsit animam et carnem Verbum, nec caro prius est concepta quam assumta.

Distinctio III.

Cap. I. De carne assumta, qualis ante[5] fuerit.

II. Quod nullus est sine peccato hic, excepta Virgine.

III. Quare Christus non fuit decimatus in Abraham, sicut Levi.

IV. Quare caro Christi non dicta est peccatrix, sed similis.

Distinctio IV.

Cap. I. Quare Spiritui sancto tribuatur incarnatio, cum sit opus Trinitatis.

II. Quare dicatur Christus conceptus et natus de Spiritu sancto.

III. Quare Apostolus dicit[6] Christum factum, quem nos fatemur natum.

Distinctio V.

Cap. I. Si persona vel natura personam vel naturam assumserit, et si natura Dei incarnata sit.

II. An divina natura debeat dici caro facta.

III. Quare non accepit personam hominis, cum assumserit[7] hominem, quod quidam probare nituntur.

Distinctio VI.

Cap. I. De intelligentia harum locutionum: Deus est homo, Deus factus est homo, tres sententias ponit.

II. Prima est eorum qui dicunt, in incarnatione hominem quendam ex anima et carne constitutum, et illum hominem factum esse Deum, et Deum illum hominem; et auctoritates, quibus ita esse asserunt, ponit.

III. Secunda est eorum qui dicunt, hominem illum ex tribus substantiis, vel ex duabus naturis constare; et hunc fatentur unam esse personam, ante incarnationem simplicem tantum, sed in incarnatione compositam; et auctoritates, quibus se muniunt, proponit[8].

IV. Tertia est eorum qui non solum personam ex naturis compositam negant, sed etiam aliquem hominem vel aliquam substantiam ibi ex anima et carne compositam diffitentur; et sic illa duo, scilicet animam et carnem, Verbo unita dicunt, ut non ex illis ali-

---

[1] Repetimus hanc propositionem iam in fine ultimae distinctionis II. libri Sententiarum positam.

[2] Ed. 1 *subiectis*, deinde pro *auctoritatis* cod. A *auctoritatum*.

[3] Nonnulli codd. *potuit*; deinde codd. H I K L N Q post *incarnari* addunt *vel possit*.

[4] Edd. 1, 9 cum paucis codd. brevius *quid nomine naturae intelligitur*.

[5] Codd. B D G L *prius*; pro *fuerit* cod. P *fuerat*.

[6] Codd. L Q *dicat*. Generatim pluries occurrit, quod unus alterve codex ponat coniunctivum, quando in aliis invenitur indicativus, vel e converso. Ipse autem Petrus Lombardus certam regulam in hoc non observasse videtur.

[7] Ed. 1 cum codd. A B L N O P *assumsit*.

[8] Ed. 1 et codd. H L O *ponit*.

qua substantia vel persona componeretur, sed illis duobus velut indumento Deus vestiretur, ut mortalibus oculis appareret; qui rationem incarnationis secundum habitum accipiunt.

V. Deinde auctoritates inducit, quibus haec sententia roboratur.

VI. Quatuor species habitus distinguuntur.

Distinctio VII.

Cap. I. Deinde quae singulis sententiis adversari videntur, ponit.

II. Ex quo sensu dicitur Christus praedestinatus.

III. Quod non debet dici homo dominicus.

Distinctio VIII.

Cap. I. An divina natura debeat dici nata de Virgine.

II. De gemina nativitate Christi, qui bis[1] natus est.

Distinctio IX.

Cap. unicum. De adoratione exhibenda humanitati Christi.

Distinctio X.

Cap. I. An Christus, secundum quod homo, sit persona, vel aliquid[2].

II. An Christus, secundum quod homo, sit adoptivus filius.

III. An persona, vel natura praedestinata sit.

Distinctio XI.

Cap. I. Utrum Christus sit creatura[3], vel factus.

II. De perfidia et poena Arii.

III. An homo ille semper fuerit[4].

Distinctio XII.

Cap. I. An Deus alium sumere[5] potuerit, vel aliunde quam de genere Adae.

II. Si homo ille potuerit peccare, vel non esse Deus.

III. Si Deus potuerit assumere hominem in sexu muliebri.

Distinctio XIII.

Cap. unicum. De sapientia et gratia Christi hominis, an in eis proficere potuerit.

Distinctio XIV.

Cap. I. Si anima Christi habuit sapientiam parem cum Deo, et si omnia scit, quae Deus.

II. Quare Deus non dedit illi animae potentiam omnium, ut scientiam.

Distinctio XV.

Cap. I. De hominis defectibus, quos assumsit Christus.

II. De propassione et passione timoris vel tristitiae.

Distinctio XVI.

Cap. I. De quibusdam capitulis Hilarii obscuris, quibus a carne Christi dolores submoveri videntur[6].

II. De tristitia Christi et eius causa secundum eundem.

III. An in Christo fuerit necessitas patiendi et moriendi, quae est defectus generalis.

IV. De statibus hominis, et quid Christus de singulis acceperit.

Distinctio XVII.

Cap. I. Si omnis Christi oratio, vel voluntas impleta sit.

II. De voluntatibus Christi secundum duas naturas.

III. De capitulis quibusdam Ambrosii et Hilarii, ubi de dubitatione et timore Christi agitur.

Distinctio XVIII.

Cap. I. Si Christus meruit sibi et nobis, et quid sibi et quid nobis.

II. Quod a conceptu meruit Christus sibi idem, quod per passionem.

III. De eo quod scriptum est: Donavit illi nomen, quod est supra omne nomen.

IV. Si Christus sine omni merito habere valuit quod merito obtinuit.

V. De causa passionis et mortis Christi.

Distinctio XIX.

Cap. I. Qualiter a diabolo et a peccato redemit nos Christus per mortem.

II. Cur Deus homo et mortuus.

III. Quomodo a poena nos Christus redemit.

IV. Quomodo poenam nostram portavit.

V. Si Christus solus redemptor, ut mediator, debet dici.

VI. De mediatore.

VII. Secundum quam naturam sit[7] mediator.

Distinctio XX.

Cap. I. Quod alio modo potuit liberare.

II. Quare isto modo potius.

III. Qua iustitia sit victus diabolus.

IV. De causa inter Deum et hominem et diabolum.

V. De traditione Christi facta a Iuda, a Deo, a Iudaeis[8].

VI. Utrum Christi passio sit opus Dei, vel Iudaeorum.

Distinctio XXI.

Cap. I. Si in Christi morte separata fuit anima vel caro a Verbo.

II. Qua ratione dicitur Christus mortuus vel passus.

Distinctio XXII.

Cap. I. Si Christus in morte fuit homo.

II. Si Christus, ubicumque est, sit homo.

III. Quod Christus ubique totus est, sed non totum; ut totus est homo vel Deus, sed non totum[9].

IV. Si ea quae dicuntur de Deo vel de Filio Dei, possint dici de homine illo vel de filio hominis.

Distinctio XXIII.

Cap. I. Si Christus habuerit fidem, spem, ut[10] caritatem.

II. Quid sit fides.

III. Quot modis dicitur fides.

IV. Quid sit credere Deo, vel Deum, vel in Deum.

V. De informi qualitate mentis, quae in malo christiano est.

VI. Quomodo dicatur una fides.

VII. Quod fides est de his quae non videntur proprie, ipsa tamen videtur ab eo, in quo est.

VIII. Descriptio fidei.

IX. Quare sola fides dicitur fundamentum.

---

[1] Ita recte ed. 4 cum codd. D E H I Q, in aliis *quibus* pro *qui bis*.

[2] Verba *vel aliquid* a paucis codd. omittuntur.

[3] Codd. K O *creatus*.

[4] Hoc capitulo codd. incipiunt dist. XII.

[5] Codd. I K L N Q *assumere*.

[6] Codd. E I L *submovere videtur*.

[7] Codd. D K Q *dicitur*, cod. L *debet dici*.

[8] Cod. I *a Deo et Iuda et diabolo et Iudaeis* pro *a Iuda, a Deo, a Iudaeis*.

[9] Cod. E omittit *sed non totum*, cod. I *ut totum divina et humana natura*.

[10] Plerique codd. et ed. 9 non bene *et* sive *vel*.

Distinctio XXIV.

Cap. I. Quomodo intelligitur quod scriptum est: Ut, cum factum fuerit, credatis [1].

II. Si Petrus habuit fidem passionis, quando vidit, hominem illum pati.

III. Si aliqua sciuntur, quae creduntur.

Distinctio XXV.

Cap. I. De fide antiquorum.

II. De fide simplicium.

III. Quae ante adventum credere sufficiebat [2].

IV. De fide Cornelii.

V. De aequalitate fidei, spei, caritatis et operis.

Distinctio XXVI.

Cap. I. De spe, quid sit.

II. De quibus sit spes.

III. Quo differant fides et spes.

IV. Si iusti in inferno fidem et spem habuerunt.

Distinctio XXVII.

Cap. I. De caritate Dei et proximi, quae in Christo et in nobis est.

II. Quid sit caritas.

III. Si eadem caritate diligitur Deus et proximus.

IV. Quare dicuntur duo mandata caritatis.

V. De modo diligendi.

VI. De impletione illius mandati: Diliges Deum ex toto corde.

VII. Quod alterum mandatum in altero est.

VIII. Quae caritate diligenda sint.

Distinctio XXVIII.

Cap. I. Si iubemur totum proximum diligere et nos totos.

II. Quod [3] in dilectione proximi includitur dilectio Angelorum.

III. Quis sit proximus.

IV. Quibus modis dicitur proximus.

Distinctio XXIX.

Cap. I. De ordine diligendi, quid prius, quid post [4].

II. An omnes homines pariter diligendi sunt [5].

III. De gradibus caritatis.

Distinctio XXX.

Cap. unicum. Si melius est diligere inimicos quam amicos.

Distinctio XXXI.

Cap. I. Si caritas semel habita amittatur.

II. Quare fides, spes, scientia dicuntur evacuari, et non caritas, cum et ipsa sit ex parte.

III. Si Christus ordinem diligendi servavit, quem nos [6].

Distinctio XXXII.

Cap. I. De caritate Dei.

II. Quomodo Deus dicitur magis diligere, vel minus hunc, vel illum.

III. Quod dupliciter inspicienda est dilectio Dei.

IV. Si quis magis vel minus diligitur a Deo uno tempore quam alio.

V. Si Deus ab aeterno dilexit reprobos [7].

Distinctio XXXIII.

Cap. I. De quatuor virtutibus principalibus.

II. Utrum [8] et in Christo fuerint et in Angelis sint.

III. De usibus eorum.

Distinctio XXXIV.

Cap. I. De septem donis Spiritus sancti.

II. Utrum sint virtutes, et sint in Angelis.

III. Utrum in Christo fuerint.

IV. De timorum distinctione [9].

V. De casto et servili et initiali.

VI. Quo [10] differant castus et servilis.

VII. Quod timor servilis et initialis dicuntur initium [11] sapientiae, sed differenter.

VIII. Quomodo castus timor permanet in aeternum.

IX. Si timor poenae, qui fuit in Christo, fuit servilis vel initialis.

Distinctio XXXV.

Cap. I. De sapientia et scientia, quo [12] differant.

II. In quo differat sapientia ab intellectu.

III. Utrum intellectus et scientia, quae inter dona numerantur, sint illa quae naturaliter habet homo.

Distinctio XXXVI.

Cap. I. De connexione virtutum, quae non separantur.

II. An cunctae virtutes pares sint, in quocumque sunt.

III. Quomodo in caritate tota lex pendet.

Distinctio XXXVII.

Cap. I. De decem mandatis, quomodo contineantur in duobus.

II. Quare idolum nihil esse in mundo dicitur.

III. Quare in Spiritu sancto proprie dicitur fieri remissio peccatorum.

IV. De sensu spirituali et carnali Legis.

V. De furto.

VI. De mendacio.

Distinctio XXXVIII.

Cap. I. De triplici genere mendacii.

II. De octo [13] speciebus mendacii.

III. Quid sit mentiri.

IV. Quod omne mendacium peccatum sit, sive prosit, sive non [14], et quare.

V. In quibus rebus cum periculo erratur, vel non.

Distinctio XXXIX.

Cap. I. De periurio.

II. An sit periurium quod non est mendacium.

III. De triplici modo periurii.

IV. An iuratio sit malum.

---

[1] Hoc capitulum in codd., excepto D, omittitur.

[2] Codd. C M O P *sufficiebant.*

[3] Ed. 1 et codd. H I K Q *Si.*

[4] Ed. 9 et codd. D F G K P Q *posterius.*

[5] Ed. 9 cum nonnullis codd. *sint.* Deinde solus cod. D addit hoc capitulum: *De parentibus bonis et malis.*

[6] Cod. Q *et nos.*

[7] Hoc capitulum omittitur in pluribus codd.

[8] Edd. 1, 9 bene addunt *hae virtutes,* et omittunt *et* ante *in Christo.*

[9] Cod. D *De timoris distinctione,* ed. 1 *De timore,* quae et in seq. cap. ante *casto* addit *timore.*

[10] Codd. H I L M Q *Quomodo.*

[11] Plures codd. *principium.*

[12] Codd. H K Q *quomodo,* codd. B D *in quo.*

[13] Codd., exceptis H M P, perperam *septem.*

[14] Nonnulli codd. repetunt *prosit.*

V. De iuramento, quod fit per creaturas.
VI. Quae iuratio sit gravior, an quae fit per Deum, an quae fit per creaturas, vel per Evangelium [1].
VII. Quid est dicere per Deum.
VIII. De illis qui iurant per falsos Deos.
IX. Quod iuramentum vel promissio contra Deum facta non est tenenda.
X. Si est periurus qui non facit quod incaute iurat.
XI. De illis qui verborum calliditate iurant.
XII. De illo qui cogit aliquem iurare.

Distinctio XL.

Cap. I. Quare Lex dicitur comprimere manum, non animum.
II. Quae sit littera occidens.
III. De Legis et Evangelii distantia.

EXPLICIUNT CAPITULA TERTII LIBRI.

DISTINCTIO I.

Dubium 1. 2. et 3.

Cum venit igitur plenitudo temporis, ut ait Apostolus [2], *misit Deus Filium suum, factum de muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus.* Tempus autem *plenitudinis* dicitur tempus gratiae, quod ab adventu Salvatoris exordium sumsit. Hoc est *tempus miserendi* et *annus benignitatis*, in quo *gratia et veritas per Iesum Christum facta est: gratia*, quia per caritatem impletur quod in Lege praecipiebatur; *veritas*, quia per Christi adventum exhibetur atque perficitur humanae redemptionis sponsio facta ab antiquo. « Filii ergo missio est ipsa incarnatio [3] ». Eo enim missus est, quod in forma hominis mundo visibilis apparuit, de quo supra [4] sufficienter dictum est.

Cap. I.

Quare Filius carnem assumsit, non Pater vel Spiritus sanctus.

Diligenter vero est annotandum, quare Filius, non Pater vel Spiritus sanctus, est incarnatus. Solus namque Filius hominem assumsit. Quod utique ordine congruo atque alto Dei sapientia fecit consilio, ut Deus, qui in sapientia sua mundum condiderat, secundum illud [5]: *Omnia in sapientia fecisti, Domine*, in eadem *quae in caelis sunt et quae in terris restauraret.* Haec est mulier evangelica, quae *accendit lucernam* et *drachmam decimam*, quae perdita fuerat, reperit [6], Sapientia scilicet Patris, quae testam humanae infirmitatis lumine suae divinitatis accendit perditumque hominem reparavit, nomine regis et imagine insignitum. — Ideo etiam Filius missus est, et non Pater, quia congruentius mitti debebat qui est ab alio, quam qui est a nullo; Filius autem a Patre est, Pater vero a nullo est. Ut enim ait Augustinus in libro de Trinitate [7]: « Non enim habet de quo sit ». « Sicut ergo Pater genuit, Filius genitus est, ita congrue Pater misit, Filius missus est ». « Ab illo enim convenienter mittitur Dei Verbum, cuius est verbum. Ab illo mittitur, de quo natum est. Mittitur quod genitum est. Pater vero, qui misit, a nullo est ». Ideoque Pater missus non est, ne, si mitteretur, ab alio esse putaretur. — Missus est ergo primo Filius, quia a solo Patre est; deinde etiam Spiritus sanctus, qui est a Patre et Filio. Sed Filius solus in carne missus est, non Spiritus sanctus, sicut nec Pater. Quod ideo factum est, ut qui erat in divinitate Dei Filius in humanitate fieret hominis filius. Non Pater vel Spiritus sanctus carnem induit, ne alius in divinitate esset Filius, alius in humanitate, et ne idem esset Pater et Filius, si Deus Pater de homine nasceretur. Unde in Ecclesiasticis dogmatibus [8]: « Non Pater carnem assumsit neque Spiritus sanctus, sed Filius tantum, ut qui erat in divinitate Dei Filius, ipse fieret in homine hominis filius, ne *filii* nomen ad alterum transiret, qui non esset aeterna nativitate filius. Dei ergo Filius hominis factus est filius, natus secundum veritatem naturae ex Deo Dei Filius, et secundum veritatem naturae ex homine hominis filius, ut veritas geniti non adoptione, non appellatione, sed in utraque nativitate *filii* nomen nascendo haberet, et esset verus Deus et verus homo *unus filius*. Non ergo duos Christos neque duos filios, sed Deum et hominem unum filium, quem propterea et *unigenitum* dicimus, manentem in duabus substantiis, sicut ei naturae veritas contulit, non confusis naturis neque immixtis, sicut Timotheani volunt, sed societate unitis ». — Ecce habes, quare Filius, non Pater vel Spiritus sanctus, carnem assumserit.

Ratio congruentiae.

Duplex missio.

Gennadius.

Cap. II.

Utrum Pater vel Spiritus sanctus potuerit incarnari.

Si vero quaeritur, utrum Pater vel Spiritus sanctus incarnari *potuerit*, vel etiam modo possit, sane responderi potest [9], et potuisse olim et posse nunc carnem sumere et hominem fieri tam Patrem quam Spiritum sanctum. Sicut enim Filius homo factus est, ita Pater vel Spiritus sanctus potuit et potest.

---

[1] Plures codd. *Evangelia.*

[2] Gal. 4, 4. Vulgata *At ubi venit.* Cod. D *Quando venit,* In fine textus cod. E et Erf. et edd., excepta 9, *ut in adoptionem... reciperemur.* Deinde respicitur Ps. 101, 14; Ps. 64, 12, et Ioan. 1, 17.

[3] August., in Ioan. Tract. 40. n. 6.

[4] Libr. I. d. XV. c. 2. — Supra pro *mundo* cod. E *in mundo.*

[5] Psalm. 103, 24, deinde respicitur Eph. 1. 10. — Verba *in eadem* edd., excepta 1, transponunt in finem propositionis.

[6] Luc. 15, 8. seqq. Tota haec expositio sumta est ex Gregor., Hom. 34. in Evang. n. 6, qui inter alia dicit: Lucerna quippe lumen in testa est; lumen vero in testa est divinitas in carne, de qua videlicet *testa* sui corporis dicit ipsa Sapientia (Ps. 21, 16.): *Exaruit velut testa virtus mea.* Quia enim testa in igne solidatur, eius virtus sicut testa exaruit.

[7] Libr. IV. c. 20. n. 28. 29. et iterum 28. — Paulo superius pro *a nullo est* codd. et ed. 6 *a nullo alio est.* — Quod sequitur sumtum est ex Hugone II. de Sacram. p. I. c. 2.

[8] Cap. 2. *Timotheani* vocantur sic a Timotheo, Eutychiano.

[9] Vat. *posset*, cod. B et edd. 3, 4, 5, 7, 9 *possit.*

Cap. III.

An Filius, qui tantum carnem accepit, aliquid fecerit, quod non Pater vel Spiritus sanctus.

Sed forte aliqui dicent: cum indivisa sint opera Trinitatis, si Filius carnem assumsit, tunc Pater et Spiritus sanctus; quia, si Filius carnem assumsit, nec hoc fecit Pater vel Spiritus sanctus, non omne quod facit Filius, facit Pater et Spiritus sanctus: at omnia simul Pater et Filius et amborum Spiritus pariter et concorditer operantur. — Ad quod dicimus, quia nihil operatur Filius sine Patre et Spiritu sancto, sed una est horum trium operatio indivisa et indissimilis [1]; et tamen Filius, non Pater vel Spiritus sanctus, carnem assumsit. Ipsam tamen carnis assumtionem Trinitas operata est, sicut Augustinus dicit in libro de Fide ad Petrum [2]: « Reconciliati sumus per solum Filium secundum carnem, sed non soli Filio secundum deitatem. Trinitas enim nos sibi reconciliavit, per hoc quod solum Verbum-carnem ipsa Trinitas fecit ». Trinitas igitur carnis assumtionem fecit, sed Verbo, non Patri vel Spiritui sancto. Si enim Pater sibi, et Filius sibi, vel Pater Filio, et Filius Patri carnis assumtionem operatus esset, iam non eadem operatio esset utriusque, sed divisa. Sed sicut inseparabilis et indivisa est unitas substantiae trium, ut ait Augustinus in libro de Trinitate [3], ita et operatio: « non tamen eandem Trinitatem natam de Virgine, crucifixam et sepultam catholici tractatores docuerunt, sed tantummodo Filium; nec eandem Trinitatem in specie columbae descendisse super Iesum, sed tantum Spiritum sanctum; nec eandem dixisse de caelo: *Tu es Filius meus*, sed tantum Patris vocem fuisse ad Filium factam, quamvis Pater et Filius et Spiritus sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita et inseparabiliter operentur. Haec et mea fides est, quoniam haec est catholica fides ». — Licet igitur solus Filius carnem assumserit, ipsam tamen incarnationem cum Patre et Spiritu sancto operatus est.

Dubitatio. Augustinus. Solutio. Fulgentius. Dubium 4.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM I.

De unione naturarum in Christo ex parte personae assumentis.

Cum venit igitur plenitudo temporis etc.

DIVISIO TEXTUS.

Quoniam igitur in hoc libro, qui sic incipit: Cum igitur venit plenitudo temporis etc., intendit Magister determinare, qualiter Deus nos Christo convivificavit; liber iste dividi habet in quatuor partes secundum quatuor, quae praedicta sunt [1]. In quarum prima Magister determinat de unione naturarum in Christo, per quam dicimur *convivificari in Christo*. — In secunda vero determinat, qualiter se nostris infirmitatibus conformavit, ex quo dicimur *convivificari cum Christo*. Et incipit haec secunda pars infra distinctione duodecima: *Solet etiam quaeri, utrum alium hominem, vel aliunde* etc. — In tertia vero determinat, qualiter per mortem suam nos a morte liberavit, ex quo nos dicimur *vivificari per Christum*, infra distinctione decima nona: *Nunc quaeramus, quomodo per mortem ipsius* etc. — In quarta vero et ultima determinat, qualiter habitus virtutum in Christo fuerint, et qualiter esse debeant in eius imitatoribus, ex quo dicitur, quod Deus nos *secundum Christum vivificavit*, infra distinctione vigesima tertia: *Cum vero supra habitum sit, Christum* etc.

Divisio prima.

Vel aliter: quoniam in hoc libro agitur, qualiter Deus nos convivificavit Christo, et Christus nos vivificavit assumendo vitam nostrae naturae et impartiendo [2] nobis vitam gratiae; ideo liber iste habet partes duas. In prima agitur de vita, quam pro nobis Christus assumsit: in secunda vero de vita, quam nobis contulit, infra distinctione vigesima tertia: *Cum vero supra habitum sit* etc., ubi agitur de virtutibus, donis et praeceptis.

Divisio altera.

Prima pars habet duas, in quarum prima determinat Magister de incarnatione Verbi sive de vitae nostrae assumtione [3] facta a Verbo in se sive absolute; in secunda vero, prout ordinatur ad nostram redemptionem, infra distinctione duodecima: *Solet etiam quaeri, utrum alium hominem* etc.

Prima pars, ubi Magister determinat de unione naturarum in Christo, dividitur in tres partes. In prima ostendit Magister, quod in Christo fuit unio naturarum diversarum. In secunda vero inserit [4] uniendi et assumendi modum, infra distinctione quinta: *Praeterea inquiri oportet.* In tertia vero, qualiter per illam unionem fiat communicatio idio-

---

[1] Ed. 1 bene *indivisibilis*, cod. C *non dissimilis*. Quoad doctrinam Vide Augustini librum contra Sermonem Arianorum c. 4. n. 4.

[2] Cap. 2. n. 23.

[3] Libr. I. c. 5. n. 8, et IV. c. 21. n. 30. Respicitur Matth. 3, 12; 17, 5; Marc. 1, 11. Post *Filius meus* codd. A C D adiiciunt *dilectus*. In fine post *quoniam* edd., excepta 1, addunt *quidem*, et codd. B C D pro *quoniam* habent *quando*, ed. 5 *quando quidem*.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] In Prooemio pag. 2.

[2] Edd. *participando*.

[3] Cod. K addit *sive de unione naturarum*.

[4] Codd. H M Q S *quaerit*, edd. *ostendit*.

matum et proprietatum, infra distinctione octava: *Post praedicta inquiri oportet* etc. — Prima pars dividitur in duas. In prima agitur de unione naturarum; in secunda de Christi conceptione, infra distinctione tertia: *Quaeritur etiam de carne Verbi.* Prima pars dividitur in duas partes. In prima determinat de unione naturarum in Christo ex parte personae assumentis; in secunda ex parte naturae assumtae, infra distinctione secunda: *Et quia in homine tota humana natura.*

Prima pars, quae continet praesentem distinctionem, dividitur in tres partes. In prima ostendit Magister, incarnationem factam esse in persona Filii, auctoritate Apostoli. Secundo vero inquirit huius rationem in secundo capitulo[1], ibi: *Diligenter vero annotandum est* etc. In tertia vero removet dubitationem, ibi: *Si vero quaeritur, utrum Pater et Filius et Spiritus sanctus* etc. Subdivisiones autem partium manifestae sunt in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam vero huius partis incidit hic quaestio circa incarnationem quantum[2] ad duos articulos.

Primo quaeritur de ipsa incarnatione quantum ad unionis possibilitatem.

Secundo quaeritur de incarnatione quantum ad unionis congruitatem.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, utrum divina natura potuerit uniri cum humana natura.

Secundo quaeritur, utrum una persona potuerit uniri sine alia.

Tertio vero quaeritur, utrum una persona potuerit uniri simul cum alia.

Quarto quaeritur, utrum quaelibet trium personarum potuerit incarnari per se ipsam.

ARTICULUS I.

De incarnatione quantum ad unionis possibilitatem.

QUAESTIO I.

Utrum divina natura potuerit uniri cum humana natura.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum divina natura potuerit uniri cum humana natura. Et quod non, videtur.

1. Uniri est pati, sicut unire est agere[3], ergo quod impossibile est pati impossibile est uniri; sed divinam naturam impossibile est pati: ergo impossibile est cum alia natura uniri.

Ad oppositum.

2. Item, quaecumque ad invicem uniuntur, aliquo modo componuntur, ergo quod impossibile est alteri componi impossibile est alteri uniri; sed divinam naturam impossibile est alteri componi, cum sit simplicissima et perfectissima[4]: ergo etc.

3. Item, omne unibile et non unitum est ad actum et complementum unionis possibile, omne autem possibile ad actum et complementum est mutabile et imperfectum; sed in Deo nulla potest esse mutatio, nulla imperfectio[5]: ergo nulla temporalis unio.

4. Item, quaecumque sunt unibilia, sunt ad invicem proportionabilia, quoniam inter illa nulla est

---

[1] In nostra ed. c. 1.

[2] Cod. P *et hoc quantum.*

[3] A Damasceno (ed. Migne, Patrol. Graec. tom. 95. col. 231, inter Fragmenta) unio generaliter definitur διεστώτων πραγμάτων κοινωνικὴ συνδρομή i. e. rerum distantium communicativus concursus (sive concursus, quo res distantes sese communicant) vel, ut in ed. Migne legitur, rerum distantium in sui invicem communionem venientium concursus. Ab eodem Damasc. deinde 12 modi unionis enumerantur (iam prius a Maximo Confess. recensiti, de quo vide Migne, Patrol. Graec. tom. 91. col. 214), quos, cum complures eorum a S. Bonav. adducantur, hic afferre iuvat. Est etenim: unio secundum *mixtionem* seu temperationem (κρᾶσιν), ut in fluidis; secundum *coacervationem* (σωρείαν), ut in siccis; secundum *conspersionem* (φύσιν), qualis est inter humidum et siccum; secundum *admixtionem* sive permixtionem (ἀνάμιξιν), ut in variis farinis; secundum *confusionem* (σύγχυσιν), ut in his quae liquantur, v. g. auro et argento; secundum *compaginationem* (ἁρμονίαν), ut in lapidibus; secundum appositionem (παράθεσιν), ut in asseribus et tabulis; secundum *contractionem* sive coalitionem (συναλοιφήν), ut in lampade ex igne prodeunte ac rursus cum igne unita; secundum *essentiam* (οὐσίαν), ut in individuis Petro et Paulo; secundum *affectum* (σχέσιν), ut in amicis ac sententiis; secundum *compositionem* (σύνθεσιν), ut in anima et corpore; secundum *hypostasim* (ὑπόστασιν), ut in Christo, ubi duae naturae unam personam habent; alio etiam modo unio secundum hypostasim et concursus rerum diversae essentiae in unam personam, servata unicuique post unionem sua naturali proprietate, ut in anima et corpore humano. Praeter hos 12 unionis modos etiam notatu digna est unio secundum *consertionem* (συνάφειαν), ut in texturis; sicut et unio secundum *insertionem* (insitionem), de qua Rom. 11, 24: *Insertus es in bonam olivam;* nec non unio secundum *commeationem* sive circumincessionem (περιχώρησιν). — De maiori cfr. I. Sent. d. 19. p. II. q. 3. — In Vat. desiderantur verba *ergo quod impossibile est pati.* Post secundum *ergo* cod. S repetit *divinam naturam.*

[4] Cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 1. seq. — In hoc arg. supponitur, quod componentia teneant rationem *partis*, quae per se includit imperfectionem. « Pars enim, ut ait Aristot., I. Polit. c. 3. (c. 2.), non solum alterius est pars, sed omnino alterius » (scil. totius). — Pro *ergo quod* codd. A F U *sed quod.*

[5] Cfr. I. Sent. d. 8. p. I. a. 2. q. 1. seq.

unio, inter quae nulla cadit proportio; sed Dei, qui infinitus est, ad creaturam, quae finita est, nulla cadit proportio [1]: ergo nulla potest esse illarum naturarum coniunctio.

5. Item, plus distat Creator a creatura, quam distent duo opposita, pro eo quod omnia opposita communicant in aliquo genere proximo, vel remoto [2], Deus autem et creatura nullum genus commune participant: ergo facilius est unire aliqua opposita, quam sit unire divinam naturam cum humana. Sed Deus non potest facere, quod idem sit homo et asinus, vel quod idem sit album et nigrum, aut certe, quod idem sit et non sit: ergo non potest facere, quod idem sit homo et Deus.

Fundamenta.

SED CONTRA: 1. Plus potest Deus facere, quam homo potest dicere, iuxta illud Lucae primo [3]: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum:* si igitur homo potest illud credere et dicere, quod Deus sit humanitati nostrae unitus; videtur, quod hoc non sit apud Deum impossibile.

2. Item, plus potest Deus facere, quam nos petere, iuxta illud ad Ephesios tertio [4]: *Deus, qui potest facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus;* sed homo potuit petere, Filium Dei incarnari: ergo Verbum Dei fieri carnem vel incarnari non fuit Deo impossibile.

3. Item, quando duo sic se habent, quod unum est materiale respectu alterius et illi conforme, possibile est, uniri unum alteri; sed anima plus habet de possibilitate [5] respectu Dei, quam habeat corpus respectu animae; plus etiam habet de ratione conformitatis, cum anima sit substantia spiritualis et imago Dei: ergo si Deus animam potuit unire corpori, videtur, quod similiter possit substantiam humanam unire sibi.

4. Item, omne quod est alteri maxime intimum et amabile, est ei unibile unione maxima; sed Deus est animae intimus et amabilissimus [6]: ergo videtur, quod substantiae rationali perfecte uniri possit Spiritus increatus.

5. Item, si divina natura non potest sibi unire humanam, aut hoc est propter impedimentum ex parte *naturae suae*, aut propter impedimentum ex parte *creaturae*. Si propter impedimentum ex parte *naturae suae*: ergo cum illud sit opus perfectissimum et nobilissimum, videtur, quod divina natura non sit consona omnimodae perfectioni et nobilitati. Si propter impedimentum [7] *creaturae:* ergo videtur, quod creatura non sit in perfecta obedientia respectu Creatoris; hoc autem derogat divinae omnipotentiae: ergo impossibile est, quod respectu talis unionis interveniat impedimentum ex parte aliqua. Et si hoc, restat quod Deus potuit creaturam rationalem sibi unire.

CONCLUSIO.

Possibile fuit, humanam naturam uniri divinae in persona Filii.

Conclusio.

RESPONDEO: Dicendum, quod absque dubio possibile fuit, naturam humanam uniri divinae in persona Filii.

Ratio.

Ratio autem huius est ista: quia omnia illa attribuenda sunt divinae potentiae, quae sibi non derogant; et talia sunt, quae posse est potentiae [8]. Divinam autem naturam uniri humanae in unitatem personae non est aliud, quam divinam personam, quae ab aeterno fuit hypostasis respectu divinae naturae, esse hypostasim respectu humanae naturae

[1] Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 52. et 64. (c. 6. seq.), infiniti ad finitum proportionem esse negat.

[2] Vide locc. ex Aristot. citt. tom. II. pag. 814, nota 8. — Quod Deus duo opposita coniungere nequeat, monstratum est I. Sent. d. 42. q. 3. — Paulo inferius post *aliqua opposita* cod. S addit *quae communicant in aliquo genere proximo, vel remoto.*

[3] Vers. 37. — Post pauca cod. T omittit *illud.*

[4] Vers. 20. Pro *qui potest facere* Vulgata exhibet *qui potens est omnia facere.*

[5] *De possibilitate* hic dictum est per analogiam ad materiale principium sive materiam, quae respectu formae, quacum coniungitur, *potentia* (possibilitas) esse dicitur. — August., Epist. 137. (alias 3.) ad Volusian. c. 3. n. 11. ait: «Si autem utrumque [scil. unio animae nostrae cum corpore et unio Verbi cum anima] nobis pariter inexpertum credendum praeciperetur, quid horum citius crederemus? Quomodo non fateremur, duo incorporea quam unum corporeum alterumque incorporeum facilius potuisse misceri»? Cfr. etiam X. de Civ. Dei, c. 29. n. 2. — Leo M., Epist. 35. (alias 25.) ad Iulian. episc. Coënsem. c. 2. scribit: Cur autem inconveniens aut impossibile videatur, ut Verbum et caro atque anima unus Iesus Christus et unus Dei hominisque sit filius, si caro et anima, quae *dissimilium naturarum* sunt, unam faciunt etiam sine Verbi incarnatione personam; cum multo sit facilius, ut hanc unitatem sui atque hominis Deitatis praestet *potestas*, quam ut eam in substantiis suis obtineat solius humanitatis *infirmitas?* — Quod anima sit imago Dei, ostensum est II. Sent. d. 16. a. 1. q. 1. seqq. — Mox post *respectu Dei* cod. G subiicit *civi.* Paulo inferius pro *potuit* codd. A G T U V Y substituunt *potuerit*, et deinde pro *substantiam humanam* cod. S exhibet *substantiam animae.*

[6] Cfr. I. Sent. d. 1. a. 3. q. 2, et II. Sent. d. 8. p. II. q. 2. in corp. — Paschasius diac., II. de Spiritu S. c. 1. ait: Anima vero animae, aut Angelus Angelo *coniungi* potest, *infundi* non potest, quia huiusmodi creaturarum genera tantum Spiritus S. i. e. solius Dei capacia sunt; quia figuli sui vasa sunt, ab illo solo impleri possunt, a quo de nihilo facta sunt, et sine quo vacua esse sentiuntur... Sola ergo se divina potentia, quae et in Spiritu sancto est, rationabilibus creaturis infusa et circumfusa permiscet, sicut peculiariter in illo dominici hominis corpore, ex Maria matre suscepto, gratia exuberante requievit, sicut de se ipso Filius dicit: *Spiritus Domini super me* (Luc. 4, 18.). — Ex hoc principio, quod Deus intimus sit animae, deduci potest, nullam creaturam rationalem cum alia tam intime posse coniungi, sicut Verbum incarnatum hypostatice coniunctum est cum natura humana.

[7] Vat. addit *ex parte.* Paulo ante cod. S verbo *nobilitati* adiungit *quod est inconveniens.* — De potentia obedientiali cfr. II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. in corp.

[8] Pro *posse est potentiae*, quam lectionem ex cod. F restauravimus, quaeque lectio prorsus convenit cum iis quae I. Sent. d. 42. q. 2. in corp. habentur, cod. M substituit *posse est posse*, Vat. cum ceteris edd. nec non cum aliis codd. *possibile est posse.*

in tempore; hoc autem non dicit aliquam imperfectionem, sed potius dignitatem et nobilitatem. — Si- Confirmatio 1. cut enim, cum Deus sit bonus ab aeterno, in nullo fit derogatio bonitati suae, dum est causa bonitatis creatae [1] in tempore, quamvis bonitas creata longe sit inferior bonitate increata; sic, cum persona Filii Dei sit hypostasis intellectualis et spiritualis et increata ab aeterno, in nullo derogat ei, si sit hypostasis rationalis naturae creatae in tempore. — Et Confirmatio 2. quemadmodum Deus de non creante fit creans in actu absque aliqua sui mutatione vel innovatione, sed solum facta immutatione ex parte naturae creatae [2]; sic persona Filii Dei, quae non erat hypostasis humanae naturae in actu, habet esse eius hypostasis absque aliqua sui mutatione vel innovatione, sola facta mutatione ex parte naturae assumtae. — Confirmatio 3. Et quemadmodum Deus, cum est in creatura per essentiam, praesentiam et potentiam, in nullo dependet ab ipsa, sed potius dependet creatura ab ipso, tanquam a causa conservante et sustentante [3]; sic et Deus, cum est in creatura rationali per unionem, non dependet ex ipsa, sed potius e converso rationalis natura dependet ex hypostasi divina et habet substantificari [4] in illa, sicut natura substantificatur in persona.

Et sic patet, quod unio divinae naturae cum Epilogus. humana in nullo derogat nobilitati divinae [5]; et ideo, cum omnia attribuenda sint Deo, quae non derogant omnipotentiae eius, indubitanter ponendum est, eius incarnationis mysterium esse Deo possibile. Propter quod dixit Angelus ad Mariam, in eius primordio aperiens incarnationis mysterium: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* — Unde et concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, Solutio opquod uniri est pati; dicendum, quod sicut dicit Pri- positorum. scianus [6], quaedam sunt verba, quae in voce *activa* significant passionem; et quaedam sunt verba, quae in voce *passiva* significant actionem; et hoc modo intelligendum est, cum dicitur, divinam naturam humanae uniri, non quia divina natura aliquid patiatur, sed quia ipsa divina natura humanam naturam unit [7] sibi in propriam personam sive hypostasim.

Posset etiam aliter dici, quod sicut *generare* et Additur alia solutio. *generari* non significant in divinis actionem vel passionem, sed relationem [8]; sic etiam *uniri,* dictum de divina natura vel persona, non dicit actionem aliquam, sed relationem potius, quae quidem relatio dicit dependentiam solum in natura creata; sicut haberi potest ex his, quae in primo Libro determinata sunt, cum agebatur de divinis nominibus, quae dicunt respectum ad creaturam, distinctione trigesima [9].

2. Ad illud quod obiicitur, quod quae uniuntur componuntur; dicendum, quod si proprie accipiatur Quid unio et compositio. verbum *componendi,* in plus est *unio* quam *compositio. Unio* enim dicit coniunctionem duorum in tertio, sive uniantur ad constitutionem tertii, sive non [10]. *Compositio* vero dicit coniunctionem aliquorum, ita quod veniunt ad constitutionem tertii; et omne tale aliquo modo est materiale respectu alterius. Et ideo *compositio* semper importat imperfectionem in componentibus, *unio* vero non. Et propterea non sequitur, quodsi divina natura non potest alteri *componi,* quod non possit alteri *uniri.*

3. Ad illud quod obiicitur, quod omne unibile non [11] unitum est ad complementum unionis possi- Notandum. bile; dicendum, quod illud verum est de illo unibili, quod habet perduci ad actum unionis per aliquid acquisitum in ipso; de illo autem, quod est unibile solum per aliquid acquisitum in altero, non habet veritatem; et hoc modo est unibilis divina natura humanae naturae per mutationem factam in creatura. Et ideo ex hoc non sequitur, quod aliqua sit possibilitas imperfectionis vel mutationis [12] ex parte divinae naturae, sed solum ex parte naturae creatae.

Et ratio huius est, quia *unio* dicit relationem, Probatur. *relatio* introduci habet in *esse* per mutationem factam in uno extremo, altero omnino immobili remanente; sicut patet: si ego sim albus, et generetur

---

[1] Codd. A E N *creaturae.*

[2] Cfr. I. Sent. d. 30. q. 1. seqq., et II. Sent. d. 1. p. I. a. 1. q. 2. — Paulo inferius pro *sola facta mutatione* codd. K S *sed solum facta mutatione.*

[3] De quo vide I. Sent. d. 37. p. I. per totam, praecipue a. 3. q. 2, et II. Sent. d. 37. a. 1. q. 2. — Aliquanto superius pro *cum est in* edd. *qui est in.*

[4] De hoc verbo cfr. II. Sent. pag. 812, nota 6.

[5] In cod. S legitur: *Et sic patet, quod potest esse quaedam unio divinae naturae cum humana, quae in nullo derogat divinae naturae.* Paulo inferius ante *incarnationis* in codd. H K Z bb deest *eius.*

[6] Libr. VIII. Grammat. c. 2: Haec enim [metuo, metuor; timeo, timeor] contrarias vocibus videntur habere significationes, quamvis etiam ad sensus pertinentia verba, si quis altius consideret, in activis vocibus passionem, et in passivis actionem fieri inveniret, ut audio te, video te, tango te. Ostendo enim, pati me aliquid in ipso actu etc. — Subinde cod. F omittit verba *quaedam sunt... passionem,* et non pauci alii codd. cum edd. 1, 2 omittunt illa alia verba *et quaedam sunt verba... actionem,* quorum loco cod. bb substituit *e converso.*

[7] Codd. K Z *univit.*

[8] Cfr. I. Sent. d. 9. q. 2. — Paulo ante pro *vel passionem* codd. K Z bb exhibent *et passionem;* paulo inferius pro *dicit actionem aliquam* cod. Z *dicit actionem et passionem.*

[9] Praesertim q. 3.

[10] Ut duo rami in uno trunco, individua in specie, species in genere; econtra corpus et anima in sua unione constituunt tertium (vide hic in scholio locum S. Thomae). — Paulo superius pro *quod si,* quae lectio est codd. K Z, plurimi codd. cum edd. incongrue substituunt *quod etsi,* cod. A *quod etiamsi.* Post pauca pro *in plus* [i. e. latius] edd. exhibent *etiam plus.* Paulo inferius pro *veniunt* in codd. H K Q S U legitur *conveniunt,* et deinde in codd. H (K a secunda manu) Q *componibilibus* pro *componentibus.*

[11] Ante *non unitum* codd. F S (T a secunda manu) U inserunt *et;* codd. G L V cum edd. 1, 2 *non unitum* commutarunt in *intimum.* Subinde codd. aa bb inter *ad* et *complementum* interiiciunt *actum et.*

[12] Edd. addunt *in hac unione.*

alius, qui sit albus, statim incipit mihi esse similis, nulla in me facta mutatione, sed solum in ipso.

Duo alia exempla.

Similiter exemplum ponit Boethius[1] de dextro et sinistro. Sic intelligendum est in proposito. Et potest etiam huius simile inveniri in unione radii et crystalli. Si enim crystallus superinducatur radio iam domum illuminanti, crystallus illuminari dicitur et a radio pertransiri et ei copulari absque mutatione facta ex parte radii, sed solum ex parte crystalli. Sic suo modo, sed longe spiritualius, intelligendum est in natura assumta et persona Verbi.

4. Ad illud quod obiicitur, quod omne unibile est proportionabile; dicendum, quod verum est, si

Duplex proportio.

intelligatur de proportione, quae attenditur in *convenientia ordinis*. Si autem intelligatur de proportione, quae est in *commensuratione quantitatis*[2], veritatem non habet, pro eo quod, si aqua maris infinita esset, adhuc posset spongia immergi, sicut nunc immergeretur, et uniri; et ideo sufficit ad unionem proportio, quae surgit ex *convenientia ordinis*. Et talis est convenientia, quae est inter creaturam rationalem et Deum, pro eo quod natura rationalis, eo ipso quod est imago Dei, nata est ordinari ad ipsum immediate, sicut in primo[3] et secundo libro fuit ostensum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod maior est convenientia oppositorum, quam sit Dei ad creaturam, et ita quod magis sunt unibilia; dicendum, quod etsi maior sit convenientia propter alicuius *communis*[4] *participationem*, nunquam tamen ita est convenientia secundum *possibilitatem et ordinem unius ad alterum*, quia unum oppositum non habet ordinari ad suum oppositum sicut ad causam et complementum, sicut creatura rationalis habet ordinari ad Deum. Convenientia autem in participatione alicuius communis non facit, aliqua esse unibilia, nisi sit aliqua convenientia secundum rationem inclinationis et ordinis, sicut patet. Magis enim est anima unibilis corpori, quam sit una anima unibilis alteri; et sicut non tenet illud argumentum: anima non potest alteri animae uniri: ergo non potest corpori uniri; sic nec illud argumentum concludit: oppositum non potest uniri opposito: ergo creatura non potest uniri Deo.

Distinctio.

SCHOLION.

I. Cum, fide testante, Verbum caro factum sit, etiam fide constat, *possibile* fuisse Deo carnem assumere, non solum secundum potentiam ipsius *absolutam*, sed etiam *ordinatam*, quae attenditur in congruitate ad omnia divina attributa. Sola autem naturali ratione non potest evidenter probari, sive a priori sive a posteriori, *possibile* esse hoc mysterium; nec ipse *modus* hypostaticae unionis potest indagari, cum sit prorsus singularis et valde diversus ab omnibus unionis speciebus, quae in creaturis inveniuntur. Solvi autem possunt omnia argumenta ab infidelibus contra possibilitatem ac congruentiam incarnationis obiecta. — Praedicta communiter a theologis docentur; secundum quam doctrinam etiam argumenta proposita a seraphico Doctore intelligenda sunt. Obiectiones autem infidelium fere omnes iam satis solvuntur determinando veram ineffabilis huius unionis intelligentiam, quod fit in seqq. distinctionibus.

De variis unionis speciebus vide infra d. 6. a. 2. q. 1, d. 2. a. 3. q. 2. in corp. et ad 4, d. 5. a. 1. q. 1, d. 21. a. 1. q. 3, d. 22. a. 1. q. 1; I. Sent. d. 10. a. 2. q. 2, d. 16. q. 3. ad 3, d. 37. p. I. a. 1. q. 1. ad 1. Cfr. etiam doctrina Damasceni relata supra pag. 8, nota 3, et praecipue S. Thom., hic q. 1. a. 1, ubi multos naturalis unionis modos ad tria capita reducit, scilicet vel quando aliqua non uniuntur nisi per coniunctionem eorum in aliquo uno (ita uniuntur duo rami in uno trunco, duo homines in una specie, homo et equus in uno genere, et analoga in quodam uno); vel quando uniuntur tum per coniunctionem ad invicem, tum aliquo uno, quod ex eorum coniunctione constituitur (sicut materia et forma); vel quando ita coniunguntur ad invicem, ut non in aliquo uno, quia ex eorum unione nihil resultat, sicut ex accidente et subiecto non efficitur unum per se, cuius subiectum et accidens *partes* dici possint.

II. Observandum est, quod in solut. ad 1. duae responsiones afferuntur, quia prima sola non sufficeret. Manifestum quidem est, quod unibilitas ex parte Dei, qui est actus purus, nullo modo dicit *potentiam passivam*, sed *potentiam activam* assumendi naturam humanam; sed haec *potentia* activa (sicut et ipse *actus* sive operatio uniendi) est tribus personis communis. In Filio autem haec unio insuper importat *relationem*, quae quidem ex parte naturae assumtae est *realis*, non autem ex parte personae assumentis. Hoc egregie explicatur in solut. ad 3, et simul per distinctionem *duplicis unibilis* solvitur difficultas satis intricata et a theologis non eodem modo enodata, scilicet quod substantialis unio Verbi cum humana natura eidem quandam mutationem vel novitatem attribuere videatur.

III. Alex. Hal., S. p. III. q. 2. m. 1. 2. — Scot., in utroque Scripto, hic q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. c. Gent. IV. c. 39. 40. — B. Albert., hic a. 1. (simul agit de congruitate). — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic q. 1. a. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, hic q. 1.

IV. De sequenti (2.) quaestione inter catholicos nulla potest esse controversia, nec etiam differentia opinionum in assignanda ratione *principali*, licet in explicatione eiusdem diversae de constitutione personae divinae sententiae se prodant.

Alex. Hal., loc. cit. m. 4. — Scot., loc. cit. n. 4; Report. q. 2. — S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. III. q. 3. a. 4. — B. Albert., hic a. 11. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., a. 1. q. 2. — Ægid. R., hic q. 1. a. 3. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 4.

---

[1] Libr. de Trin. c. 5: Age enim, stet quisquam; ei igitur si accedam dexter, erit ille sinister ad me comparatus, non quod ille ipse sinister sit, sed quod ego dexter accesserim etc. — Pro *Similiter* edd. cum aliquot codd. *Simile*.

[2] Cod. F *quantitatum*. Paulo inferius pro *immergeretur* cod. H K *immergitur*, et immediate post pro *uniri* cod. Z *uniretur*.

[3] Dist. 1. a. 3. q. 1. seq.; d. 3. p. II. per totam; II. Sent. d. 16. a. 1. q. 1. seq., quo ultimo loco etiam exponitur, in quo consistat convenientia ordinis et convenientia in natura, ad quam spectat etiam convenientia *in commensuratione quantitatis*.

[4] Ita Vat. et usus auctori familiaris; in aliis edd. et codd. *communem*. Paulo ante pro *magis sunt* codd. F L T U Z aa *magis sint*.

QUAESTIO II.

Utrum una persona possit uniri humanae naturae sine altera.

Secundo quaeritur, utrum una persona possit uniri sine altera. Et quod non, videtur:

Ad oppositum.

1. Primo per Damascenum [1], qui dicit, quod in divinis «omnia sunt unum praeter generationem, ingenerationem et processionem»; sed incarnatio non est aliquid horum: ergo si incarnari convenit uni personae, necesse est, quod conveniat alteri.

2. Item, opera Trinitatis sunt indivisa [2]: ergo opus, quod convenit uni personae, necesse est, quod conveniat alteri: ergo si incarnatio est opus Dei, impossibile est, quod conveniat uni personae sine alia.

3. Item, incarnatio est opus recreationis, sicut hominis formatio fuit opus creationis; sed impossibile est, hominem formari ab una persona, quod non ab alia: ergo impossibile est, hominem reformari ab una persona, quod non ab alia [3]: ergo una persona non potest incarnari sine alia.

4. Item, perfectiori modo est Deus in aliquo, quando est per unionem, quam cum est per gratiam inhabitantem; sed impossibile est, unam personam inhabitare in aliquo sine alia [4]: ergo impossibile est, unam personam uniri carni, quod non uniatur et alia.

5. Item, impossibile est, Filium venire in mentem, quin simul cum eo veniat et Pater et Spiritus sanctus, sicut dicitur Ioannis decimo quarto [5]: *Ad eum veniemus* etc.: ergo impossibile est, Filium venire in carnem, quin simul veniat Pater et Spiritus sanctus. Si ergo *mitti in carnem* est incarnari, videtur etc.

6. Item, impossibile est, aliquid absolutum convenire uni, quod non conveniat alteri, pro eo quod [6] solum relationibus distinguuntur: ergo si *esse incarnatum*, vel *esse hominem* est praedicatum absolutum; ergo impossibile est, quod conveniat uni, quod non conveniat alteri: ergo una persona non potest sine altera incarnari.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Ioannis primo [7]: *Verbum caro factum est;* sed Verbum, sicut in primo habitum est, nominat proprietatem personae: ergo si attribuitur ipsi Verbo incarnatio, videtur, quod alicui personae poterit convenire per se.

2. Item, *incarnari* non est aliud quam in carnem mitti [8]; sed mitti potest convenire uni personae sine alia, quia Filius mittitur, et «nunquam Pater legitur esse missus»: ergo et incarnari.

3. Item, incarnatio est unio in persona: ergo si «alia est persona Patris, alia Filii [9]»; videtur, quod si unio sit in persona una, non sit necesse fieri in alia; et si unio potest fieri, similiter et incarnatio.

4. Item, quamvis una sit veritas Patris et Filii et Spiritus sancti, tamen persona Patris significari potest per aliud signum quam persona Filii vel Spiritus sancti, sive loquamur de signo vocali, sive reali; sed qua ratione signum potest copulari uni personae sine aliis secundum significationem, eodem modo potest aliquod creatum copulari secundum unionem personalem: ergo si una persona potest sine altera significari, similiter potest una sine altera incarnari [10].

CONCLUSIO.

Una divina persona incarnari potest, ita quod non alia incarnetur.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod sine dubio una persona [11] incarnari potest, ita quod non alia incarnetur, sicut operis evidentia manifestat.

Ratio cum distinctione 1.

Et ratio huius est ista, quia, cum contingat dupliciter comparari *creaturam* ad Creatorem, videlicet secundum *susceptionem alicuius completionis* et

---

[1] Libr. I. de Fide orthod. c. 8. Cfr. tom. I. pag. 460, nota 3, ubi integer textus (secundum ed. Migne) habetur.

[2] Cfr. Ambros., Apologia prophetae David altera, c. 12. n. 62; V. de Fide, c. 11. n. 134; III. de Spiritu sancto, c. 4. n. 49. seqq.; nec non Hieronym., Comment. in Epist. ad Ephes. c. 5, 1; atque August., Epist. 11. (alias 218.) n. 2; in Ioan. Evang. tr. 20. n. 3. seqq.; Enchirid. c. 38. n. 12; I. de Trin. c. 4. n. 7, c. 6. n. 12; II. c. 10. n. 18.

[3] August., II. de Trin. c. 5. n. 9: Ille Mariae conceptus et partus operatio Trinitatis est, qua creante omnia creantur. — In edd. deest prima conclusio.

[4] Cfr. I. Sent. d. 15. p. I. q. 3, ubi simile arg. contra *missionem* Filii et Spiritus S. proponitur. Ibid. missio Spiritus S. explicatur his verbis ex August. IV. de Trin. c. 20. n. 28. allatis: «Mittitur Filius, cum ex tempore cuiusquam *mente* percipitur», quae verba in arg. seq. respicienda sunt. — In cod. F *minor* sic sonat: *sed una persona non potest esse in aliquo sine alia per gratiam.* In conclusione codd. G H bb pro *quod non* substituunt *quin.*

[5] Vers. 23.

[6] Vat. hic addit *tres personae,* et paulo inferius cum edd. 1, 2 post *uni* bene subiungit *ita.* — De *maiori* cfr. I. Sent. d. 34. q. 1.

[7] Vers. 14. — De *Verbo* cfr. I. Sent. d. 27. p. II. q. 1.

[8] Gal. 4, 4: At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere. — De *minori* cfr. hic lit. Magistri, c. 1, et I. Sent. d. 15. p. I. q. 3. Verba: *nunquam Pater legitur esse missus,* sumta sunt ex August., II. de Trin. c. 5. n. 8, ubi proprie sic legitur: Pater enim solus nusquam legitur missus.

[9] Symbol. Athanas. — De *maiori* vide infra lit. Magistri, d. V. c. 1, et Comment. a. 1. q. 1. seqq. — Mox pro *si unio sit* cod. Z *si unio fit.*

[10] Cfr. hic lit. Magistri, c. 3. in fine. — Paulo superius edd. verbo *copulari* adiiciunt *increato,* et post pauca codd. A E N T U V omittunt *una* ante *sine altera.*

[11] Cod. Z subiungit *sine altera.* Cod. P: *sicut est operis evidentia manifestum.*

secundum *habitudinem relationis, una*[1] comparatio necessario respicit tres personas indistincte et indivisim, pro eo quod in eis est una perfectio essentialis. Comparatio vero secundum *habitudinem relationis* potest esse respectu alicuius personae determinate et distincte, pro eo quod istae personae relationibus distinguuntur. — Similiter *Deus* dupliciter habet[2] comparari ad creaturam, videlicet in ratione *principii causantis* et in ratione *suppositi substantificantis*. In *prima* comparatione necessario communicant tres personae, pro eo quod in Deo unica est natura et unica est virtus operativa, per quam Deus creaturarum est causa. *Secunda* vero comparatio potest respicere aliquam personam distincte, pro eo quod, etsi una persona conveniat cum altera in natura et eius virtute, distinguitur tamen ab alia in supposito et personali proprietate[3].

Distinctio 2, ex parte Dei.

Quoniam igitur in unione naturarum sive incarnatione persona divina fit suppositum sive hypostasis humanae naturae, ita quod unio sive incarnatio non tantum dicit habitudinem Dei ad creaturam per modum *causae*, immo etiam per modum *suppositi;* similiter ex parte creaturae non dicit comparationem solum quantum ad *susceptionem completionis*, sed etiam quantum ad *habitudinem relationis:* hinc est, quod incarnatio potest convenire uni personae, ita quod non conveniat alteri[4]. — Unde rationes hoc ostendentes concedendae sunt.

Applicatio.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur, quod in divinis omnia sunt unum praeter ingenerationem etc.; dicendum, quod verum est. Sed cum dicitur, quod incarnatio non est aliquid horum; dicendum, quod etsi non sit aliquid horum, tamen aliquid horum includit. Includit enim intellectum personalis distinctionis; incarnatio enim est unio carnis ad naturam divinam in personam distinctam[5].

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod indivisa sunt Trinitatis opera; dicendum, quod verum est. Sed cum dicitur, quod incarnatio est operatio[6] Trinitatis; dicendum, quod incarnatio, secundum quod dicit *operationem*, est communis tribus personis; sed quia praeter hoc importat *relationem*, ideo uni personae sine alia potest attribui. Et est exemplum: si tres puellae vestiant unam, vestis induitio est a tribus, non tamen tres induuntur, sed una sola. Similiter tres personae operatae sunt incarnationem, et tamen una sola dicitur incarnari[7].

Distinctio. Exemplum.

3. Ad illud quod obiicitur de opere creationis, dicendum, quod non est simile; quia *hominis formatio*[8] dicit actionem et operationem tantum, non relationem ad personam, et ideo communis est tribus; non sic est de incarnatione.

4. Ad illud quod obiicitur, quod Filius non potest esse in aliquo per inhabitantem gratiam, quod non sit tota Trinitas; dicendum, quod non est simile, quia *Deum inhabitare*[9] *in aliquo* dicit effectum in creatura, quem necesse est esse a tota Trinitate; sed *uniri* dicit respectum ad personam, et hoc potest esse ad unam personam sine alia, sicut prius ostensum est.

Differunt inhabitare et uniri.

5. Ad illud quod obiicitur de missione in carnem et mentem, dicendum, quod non est simile; quia missio Filii in mentem solum est secundum *operationem essentialem*, non secundum *unionem personalem;* non sic est de missione Filii in carnem.

6. Ad illud quod obiicitur, quod esse incarnatum est praedicatum absolutum; dicendum, quod quamvis sit praedicatum absolutum[10] *exterius*, est tamen relatio *interius*, et ratione relationis implicitae potest alicui personae convenire distincte. Et hoc patet, quia nihil aliud est *Filium incarnari* quam *Filium sibi carnem unire;* nihil aliud est *Deum esse hominem* quam *unam et eandem personam esse hypostasim divinae et humanae naturae*[11].

Notandum.

---

[1] Edd. *prima.*

[2] Cod. T *potest.*

[3] Cfr. I. Sent. d. 26. q. 1. seqq. et d. 33. q. 1. seqq. — Paulo superius pro *conveniat* codd. K Z *communicat.*

[4] Vide Anselm., de Fide Trinitatis et de incarnatione Verbi (ad Urbanum Papam, contra blasphemias Ruzelini sive Roscelini), c. 4.

[5] Cfr. infra d. V. et VI. lit. Magistri, et Comment., ubi plura de hac re. — Paulo superius post *Includit enim* cod. F verbo *intellectum* praemittit *habitudinem sive.*

[6] Edd. *opus.* Cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

[7] Petr. Pictaviensis († 1205), IV. Sent. c. 8, eandem obiectionem solvens ait: In praedicta argumentatione fallacia est *secundum accidens,* vel potius *secundum quid et simpliciter,* quia prius proponitur *quid*, postea assumitur *quid* et *cui.* Fallacia. Quidquid facit unus istorum trium, facit uterque reliquorum; unus induit se: ergo et reliqui duo, scil. posito, quod unus in medio se indunt, et alii duo eundem adiuvent; et est hic eadem fallacia et similitudo. — Paulo superius post *vestiant unam* plurimi codd. cum edd. perperam supplent *vestem* (fortasse in originali legebatur *veste?),* nec pauci codd., ut F G H L T U V aa cum edd. 1, 2 deinde omittunt *vestis.* Melius codd. P Z bb post *vestiant unam* supplent *ex se;* nos nihil supplevimus, secuti codd. M O.

[8] Cod. U ante *dicit* interserit *formationis*, et deinde codd. L aa voculae *non* praefigunt *sed.*

[9] Edd. et nonnulli codd. *habitare*, et mox edd. eaedem *quam* pro *quem.*

[10] Codd. A T V falso *relatum* pro *absolutum;* edd. *quamvis non sit praedicatum relatum.* Subinde pro *est tamen relatio interius*, quae lectio habetur etiam in codd. C N P U bb, Vat. *est tamen relatum interius,* alii codd. cum edd. 1, 2 *est tamen interius.*

[11] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

Utrum persona una possit simul uniri cum alia, assumendo unam et eandem numero naturam.

Tertio quaeritur, utrum persona una possit simul uniri cum alia, assumendo unam et eandem naturam numero. Et quod non, videtur.

Fundamenta. 1. Anselmus in libro: Cur Deus homo, capitulo nono [1]: « Plures personae nequeunt unum et eundem hominem assumere; quare tantum in una persona fieri necesse est ».

2. Item, si personae plures unirentur uni et eidem naturae, aut ergo in unitate *essentiae*, aut in unitate *suppositi*. In unitate *essentiae* non, quia impossibile est, Creatorem et creaturam convenire in una essentia. In unitate *personae* non, quia tres personae in persona non conveniunt, sed personaliter distinguuntur: ergo videtur, quod nullo modo plures personae possint unum hominem accipere [2].

3. Item, unio divinae naturae ad humanam facit sibi mutuo communicare propria idiomata [3]: ergo si tres personae assumerent unum hominem, ille homo esset Pater et Filius et Spiritus sanctus; et ex hoc sequeretur propter communicationem idiomatum, quod Pater esset Filius et Spiritus sanctus, et e converso; et si hoc, tunc periret personalis distinctio.

4. Item, si tres personae assumerent unum et eundem hominem, aut ergo *unica* unione, aut *pluribus*. Si *unica:* ergo cum Pater et Filius et Spiritus sanctus non communicant nisi in essentia, unio illa esset in aliquo essentiali, quod est impossibile. Si *pluribus:* ergo plures essent incarnationes [4]. *Sed contra:* impossibile est, esse plures incarnationes respectu unius carnis, quia incarnatio non habet inceptionem nisi ratione carnis, ergo pari ratione nec numerari habet nisi ratione carnis: ergo nec *pluribus* incarnationibus nec *unica* plures personae possent assumere unam et eandem naturam [5].

Ad oppositum. Sed contra: 1. Humana natura idoneitatem habet ad hoc, ut assumatur a persona, in quantum est imago [6]; sed una et eadem anima est imago trium personarum simul et semel: ergo videtur, quod a tribus personis possit simul et semel assumi.

2. Item, una persona potest assumere plures naturas, et nihil impedit, quod Dei Filius non possit assumere unum [7] alium hominem, cum arctatus non sit ad illam singularem naturam, quam assumsit: ergo pari ratione videtur, quod plures personae possint assumere unam et eandem naturam, cum ita possint plures personae super unam naturam, sicut persona una in plures naturas.

3. Item, gratia habet conformari naturae; sed plures personae divinae communicant per naturam in una substantia et essentia simpliciter una: ergo pari ratione communicare possunt in una natura per unionem gratuitam: ergo plures personae possunt unam et eandem naturam assumere.

4. Item, aut una natura, quae assumitur ab una persona, *potest assumi* ab alia, aut *non*. Si *sic*, habeo propositum. Si *non*, quaero, quid impedit? Cum non sit ibi nisi natura creata et persona divina, aut ergo erit impedimentum ex parte *naturae creatae*, aut ex parte *personae divinae*. Sed ex parte *naturae creatae* non potest, cum illa subiaceat omnino potentiae divinae personae. Ex parte *divinae personae* non, quia inter divinas personas nulla est resistentia, nulla est repugnantia, cum una aliam circumincedat, et una sit cum alia [8]: ergo si nullum est impedimentum, videtur simpliciter, quod plures personae possint hominem unum assumere.

---

[1] Libr. II. In Anselmi sententia textus originalis verbo *assumere* addit *in unitatem personae* et verbo *fieri* praemittit *hoc*.

[2] Anselm., de Fide Trinit. et de incarn. Verbi, c. 4: Deus non sic assumsit hominem, ut natura Dei et hominis sit una et eadem; sed ut persona Dei et hominis una eademque sit, quod non nisi in una persona Dei esse potest. Diversas enim personas unam et eandem personam esse cum uno eodemque homine nequit intelligi. Nam si unus homo cum singulis pluribus personis una persona est, necesse est, plures personas, quae aliae sunt a se invicem, esse unam eandemque personam, quod non est possibile. Quapropter impossibile est, Deo incarnato secundum unamquamlibet personam, illum secundum aliam quoque personam incarnari. — Paulo superius pro *in unitate suppositi* cod. F *in unitate personae*.

[3] Communicatio idiomatum (κοινωνία τῶν ἰδιωμάτων i. e. communicatio proprietatum) a Damasc., III. de Fide orthod. c. 3, sic explicatur: Verbum porro, quia ipsius sunt quae sanctae eius carnis sunt, ea quae humanitati conveniunt sibi vindicat, et vicissim carni quae sua sunt impertit; illo nimirum alternae communicationis modo (κατὰ τὸν ἀντιδόσεως τρόπον), ob mutuam inter se partium commeationem (περιχώρησιν) unionemve hypostaticam... Eo porro nomine Dominus ipse gloriae crucifixus dicitur, quamvis alioqui divina ipsius natura minime passa sit etc. (ed. Migne). Cfr. infra a. 2. q. 1. ad 3; d. 2. dub. 2; d. 6. a. 1. q. 1. ad 6; d. 7. a. 1. q. 2. in fine. — Cod. P post *humanam* supplet *naturam*.

[4] Vat. addit *respectu unius carnis*. Paulo superius pro *communicant*, quod habent complures codd. et primae edd., Vat. *communicent*, cod. Z, et, ut videtur, pauci alii *conveniant*.

[5] Quod quomodo intelligendum sit, exponitur in fine huius quaest. — Paulo superius pro *possent* Vat. *possunt*.

[6] Cfr. supra q. 1. fundam. 3. et infra d. 2. a. 1. q. 1. — Post *a persona* cod. K subiicit *divina*.

[7] Post *unum* codd. X Z interserunt *et*. Circa finem arg. pro *super* (codd. Q Z bb *in*) *unam naturam* Vat. substituit *assumere unam naturam*, et dein omittit *in* ante *plures naturas*.

[8] Ut monstratum est l. Sent. d. 19. p. I. q. 4. — Proxime post pro *ergo si* plurimi codd. exhibent *ergo sicut*, codd. G H *ergo cum*. Paulo superius edd. 1, 2 verba *omnino potentiae* contraxerunt in *omnipotentiae*. In fine arg. codd. L Z bb voci *unum* adiungunt *et eundem*.

CONCLUSIO.

Plures personae non possunt unam et eandem numero naturam assumere.

Respondeo: Dicendum, quod sicut dicit Anselmus, « plures personae non possunt unum et eundem hominem assumere », non propter defectum potentiae, sed propter repugnantiam contradictionis implicitae. — Si enim plures personae assumerent unum hominem ad unitatem talem [1], quae faceret communicationem idiomatum: ergo aut assumerent in unitatem, quae quidem esset unitas, quae se teneret ex parte *assumentis*, aut *assumti*. Si in unitatem, quae quidem se teneret ex parte *assumentis*, cum ex parte assumentis non sit reperire nisi unitatem personalem et unitatem essentialem: tunc plures personae assumerent unam naturam in unitatem *essentiae*, vel unitatem *personae;* sed utrumque horum simpliciter est impossibile. Nam plures personae divinae non possunt convenire in una persona, nec natura creata et increata possunt transire in unam naturam. — Si autem assumerent in unitatem, quae quidem se tenet ex parte *assumti*, cum illa sit unitas individualis, assumerent ergo in unitatem *individui;* sed illud adhuc est impossibile, quia assumens non trahitur ad unitatem assumti, sed potius trahit assumtum ad unitatem propriam. Nam *assumere* est ad se sumere.

Conclusio.

Ratio.

Et sic patet, quod si dicatur, tres personas assumere unum et eundem hominem, omnibus modis impleatur [2] contradictio, sive intelligatur, quod assumtio fiat in unitatem *naturae*, sive in unitatem *personae*. Nam si fit talis assumtio in unitatem *naturae*, ergo ex divina natura et humana constituitur una natura: ergo non est distinctio assumentis ad assumtum: ergo nec assumtio vera. Si autem fit assumtio in unitatem *personae*, ergo plures personae communicant in unam personam: ergo plures personae non sunt plures personae. Si autem fit assumtio in unitatem *individui;* cum illa unitas non se teneat ex parte assumentis, sed assumti, assumens non assumit naturam aliam ad propriam unitatem: ergo non assumit ad se, sed ad aliud: et si non assumit ad se, non assumit: assumtio igitur in unitatem *individui* non est assumere vere et proprie, sicut nunc loquimur de assumtione. — Propter igitur contradictionem implicitam, plures personas assumere unam et eandem naturam, nec est possibile nec est intelligibile. — Rationes igitur hoc ostendentes sunt concedendae.

Confirmatur.

1. Ad primum quod obiicitur in contrarium, quod una [3] anima est imago trium; dicendum, quod *imago* de ratione sui dicit expressam repraesentationem, non secundum totum illud, in quo imago est, sed secundum aliquid sui. Unio autem, quae quidem est in incarnatione, totam humanam naturam *in atomo* et secundum totum facit uniri divinae personae, ita quod tota substantificatur in una tantum in una propria hypostasi [4]. Non est autem inconveniens, quod aliquid repraesentet plures personas secundum differentes proprietates et potentias: inconveniens autem est, quod unum et idem uniatur pluribus personis in personae unitatem; et ideo non sequitur, quodsi una anima potest esse imago trium, quod simul et semel possit uniri tribus personis.

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod una persona potest assumere plures naturas, ergo similiter plures personae unam naturam: dicendum, quod non est simile, quia, cum unio illa incarnationis fiat in unitatem personae, non in unitatem naturae, pluralitas naturarum non sic repugnat unioni incarnationis, sicut pluralitas personarum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod plures personae possunt communicare in eadem essentia per naturam etc.: dicendum, quod non est simile, quoniam unitas personarum in una substantia dicit convenientiam in natura; convenientia autem in natura non repugnat distinctioni in persona, sicut nec econtra diversitas in natura repugnat unitati in persona. Sed unio gratuita non dicit convenientiam in natura, sed in persona; et ideo pluralitas personarum repugnat unitati unionis. Et propterea ratio praedicta non tenet, quia non est simile hinc inde [5].

Notandum.

4. Ad illud quod quaeritur, quid impediat: dicendum, quod nec persona impedit *per se*, nec natura humana *per se*, sed *modus unionis*. Quia enim divina natura unitur humanae in unione [6] personae, incompossibile est, quod in illa unione sit unitas ex parte extremorum et pluralitas ex parte medii, in quo attenditur illa unio. Unde sicut est incompossi-

Notandum.

---

[1] Cod. aa *unitate tali.*

[2] Cod. X *implicabitur.*

[3] Cod. E *una et eadem.* Mox cod. K verbo *trium* addit *personarum.* Paulo inferius pro *secundum totum illud* Vat. *secundum totum id, vel illius.* Subinde pro *in quo* codd. F G H M W X *quod,* codd. B D T V *in* quo *quod.* Cfr. II. Sent. d. 16. a. 1. q. 1. seq. et a. 2. q. 3.

[4] Secundum Damasc., III. de Fide orthod. c. 11, natura tripliciter considerari potest: *abstracte* sive ut existens in sola mentis consideratione, ut omnibus personis eiusdem speciei *communis* easque coniungens, et ut *singularis* sive cum accidentibus individuantibus. Hoc tertio modo natura dicitur « in atomo [i. e. in individuo] considerata », et hanc naturam Verbum assumsit. Cfr. infra d. 5. a. 2. q. 1. in fine argg. ad opposit. et d. 10. a. 1. q. 3. — Paulo superius post *in atomo* codd. A V omittunt *et.* Circa finem solut. pro *una anima* codd. T V exhibent *una imago anima*, codd. B D U *una Christi anima;* deinde pro *possit* cod. Z *posset.*

[5] Codd. E H L aa *hinc et inde.*

[6] Edd. cum nonnullis codd. *unionem*, cod. H *unitate,* cod. bb *unitatem.* Paulo ante pro *modus unionis* cod. F *huius unionis modus.* Mox post *incompossibile est* multi codd. adiiciunt *illud,* et post pauca pro *sicut est incompossibile* codd. F L aa substituunt *sicut est impossibile.*

bile, quod plures personae sint una persona, non propter repugnantiam personarum, sed propter inclusionem duorum oppositorum; sic in proposito est intelligendum.

Determinatur et restringitur conclusio. Haec autem dicta sunt de incarnatione ipsa [1] secundum eum modum, secundum quem facit idiomatum communicationem, per quem modum Filius Dei factus est homo. Et isto modo impossibile est intelligere, plures personas assumere unum et eundem hominem, sicut ostendit Anselmus, et ostendunt Notandum. rationes praemissae. In hoc tamen non excluditur omnis alius modus assumtionis, quia, cum multa possit Deus facere, quae intellectus noster non potest [2] capere, quis audebit asserere, quod tres personae non possint unum et eundem hominem assumere? Nihil enim videtur impedire, quin tres personae possint per gratiam illud efficere, ut sint personae unius singularis naturae in tempore, cum illa natura sit possibilis, et omnino obediens respectu cuiuslibet personae in Trinitate. — Et pro tanto voluerunt aliqui dicere non irrationabiliter, quod poterant tres personae assumere unum hominem in unitate *individui;* quod si rationabiliter intelligatur, satis rationabiliter potest sustineri. Nec repugnat verbum Anselmi, nec ea [3] quae praedeterminata sunt. Non enim volunt dicere, quod illa assumtio terminaretur ad unitatem individualem ex parte *assumentis,* sed quod tres personae, si unum hominem assumerent, essent unus homo, ita quod in illis tribus personis esset communis unitas *singularis naturae assumtae,* non unitas *personae.* — Quidquid autem sit de hoc, illud pro indubitanti habendum est, quod modo assumendi praedeterminato impossibile est, plures personas [4] unum et eundem hominem assumere propter implicationem contradictionis implicitae; quia sequeretur, quod Filius esset Pater.

Explicatur et defenditur opinio aliorum.

Epilogus.

SCHOLION.

I. Quod tres personae divinae possint numero unam et eandem naturam assumere in unitatem *unius personae,* manifestam implicat contradictionem. Sed restat quaestio, an tres personae possint assumere unam naturam humanam tantum *unitate singularis naturae,* ita ut tres personae conveniant in una natura assumta, sicut conveniunt in ipsa divina natura; et de quaestione sic intellecta duplex est sententia theologorum. *Affirmative* respondent Alex. Hal., S. Thom., Petr. a Tar. Henr. Gand., Durand., Dionys. Carth., multique recentiores; sed S. Thom. in Comment. (hic q. 2. a. 4.) hoc affirmat, « loquendo de *potentia absoluta,* quamvis non sit congruum secundum ordinem divinae sapientiae »; quae restrictio etiam ad mentem aliorum huius sententiae patronorum dicta est. At Scotus defendit responsum *negativum,* cui favent B. Albert. nec non Richard. a Med., quamvis hic, distinctione utens, hoc tunc tantum esse possibile doceat, si supponatur, quod natura humana sustentetur *immediate* non per tres *personas,* sed per *substantiam* (aliqui substituunt *subsistentiam*) communem. Haec autem *suppositio,* intellecta de natura, non approbatur a S. Bonav. (hic et d. 5. a. 1. q. 4.) nec ab Alexandro Hal. (loc. cit. m. 3.). — S. Bonav. autem media quadam via incedit, ut in fine quaestionis explicatur. Consentit quippe omnino Scoto, si unio haec intelligitur secundum eum modum, quo facit idiomatum communionem; si autem sumitur secundum alium quendam modum Deo possibilem, tunc ipse non contradicit primae opinioni, ac sententiam sui magistri Alexandri, quod tres personae assumere possint unum hominem *in unitate individui,* censet esse non improbabilem.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 2. m. 4. — Scot., hic q. 2; Report. hic q. 3. — S. Thom., hic q. 2. a. 4; S. III. q. 3. a. 6. — B. Albert., hic d. 10. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. — Ægid. R., hic q. 1. a. 5. — Henr. Gand., Quodl. 6. q. 7. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 6. — Biel, hic q. 1.

III. Sequens (4.) quaestio intelligenda est de potentia Dei *absoluta.* Quid sibi velit potentia absoluta et ordinata, bene explicatur a S. Thoma (hic q. 2. a. 3.), cum quadrupliciter distinguat ea quae ordini divinae potentiae attribui possunt. — In responsione ad quaestionem doctores communiter conveniunt.

Alex. Hal., loc. cit. m. 5. a. 2. — Scot., hic q. 5. n. 7; Quodl. q. 19. n. 3. — S. Thom., hic q. 2. a. 3; S. III. q. 3. a. 5. — B. Albert., hic a. 10. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. — Ægid. R., loc. cit. a. 4. — Dionys. Carth., hic q. 5.

QUAESTIO IV.

Utrum quaelibet trium personarum possit incarnari per se ipsam.

Quarto quaeritur, utrum quaelibet trium personarum possit incarnari per se ipsam. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Tantundem distat creatura a persona Filii, quantum a persona Patris et Spiritus sancti: igitur qua ratione persona Filii incarnari potest, distantia non impediente, eadem ratione videtur, quod et [5] persona Patris et Spiritus sancti.

2. Item, *posse incarnari* spectat ad dignitatem, alioquin non conveniret Filio; sed quidquid potest Filius ad dignitatem spectans, potest et Pater, cum totum *posse* habeat Filius a Patre [6]: ergo si persona

---

[1] Cod. W *de incarnatione Christi.*

[2] Edd. *videtur posse.* Mox pro *non possint* codd. F H L T U Z *non possunt.* Deinde pro *ut sint personae* codd. A E F G L N T U V *ut sicut personae,* perperam.

[3] Plurimi codd. *nec in his;* sed codd. A K prius pro *verbum Anselmi* substituunt *verbis Anselmi,* quae lectio congrua esset, si pro *nec ea* vel *nec in his* poneretur *nec his.* Paulo superius pro *voluerunt aliqui* codd. K Z *volunt aliqui*, et mox pro *quod si* codd. A N T V X nec non edd. 1, 2, *quia si.*

[4] Supplevimus ex cod. F *plures personas.* Mox Vat. vocem *implicationem* mutavit in *multiplicationem.*

[5] Pro *et* (Vat. *etiam*) codd. A E G L N T V aa perperam *in.*

[6] Cfr. Ioan. 5, 19. seqq.

Filii potest incarnari et carnem sibi assumere, videtur, quod hoc possit et Pater consimili ratione.

3. Item, ad incarnationem faciendam [1] non plura exiguntur quam extrema unibilia et unitas in persona et immensitas in potentia, quae extrema illa coniungat; sed natura Patris ita est unibilis, sicut natura Filii, cum sit una et eadem, et persona Patris ita est una, sicut persona Filii, et potentia immensa: ergo etc.

4. Item, si persona Filii potest incarnari, aut eo ipso quo est *Filius*, aut eo ipso quo [2] est *persona*. Non eo ipso quo est *Filius*, quia Filius solum dicit respectum ad Patrem, non ad creaturam: ergo si potest incarnari eo ipso quo est persona divina, ergo cum Pater et Spiritus sanctus sit persona divina, sequitur necessario, quod persona Patris et Spiritus sancti ita possit incarnari, sicut persona Filii.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. « Si persona Patris vel Spiritus sancti incarnaretur, tunc duo essent Filii in Trinitate »; sed hoc est inconveniens, « quodlibet autem inconveniens, sicut dicit Anselmus in libro: Cur Deus homo [3], apud Deum est impossibile »: ergo videtur similiter esse impossibile, personam Patris incarnari vel Spiritus sancti.

2. Item, *incarnari* non est aliud quam in carnem mitti, sicut vult Augustinus [4]; sed impossibile est, Patrem mitti, cum non habeat alium, a quo sit: ergo impossibile est Patrem incarnari.

3. Item, quod est proprium unius personae impossibile est alteri convenire [5]; sed *incarnari* est proprium Filii et sibi soli convenit: ergo impossibile est, quod alteri personae conveniat.

4. Item, maiorem convenientiam habet natura assumta a Verbo cum aliis personis, quam alia natura, quae non est assumta: ergo si aliae personae non possunt illam naturam assumere, quae assumta est a Verbo; videtur, quod nec aliquam aliam. Sed illam non possunt assumere, sicut in praecedentibus [6] monstratum est: ergo videtur, quod nullam aliam assumere valeant.

CONCLUSIO.

Quaelibet divinarum personarum potuit et potest incarnari.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod aliqui dicere voluerunt, quod nulla persona incarnari potuit nisi persona Verbi. Et rationem huius assignant: quia, si alia persona incarnaretur, nasceretur quaedam *Trinitatis confusio*, dum plures in Trinitate Filii dicerentur [7]. Nasceretur etiam quaedam *aequalitatis diminutio*, dum duo Filii essent in Trinitate, quorum unus haberet excellentiorem nativitatem [8] quam alter. Nasceretur etiam quaedam *oppositorum indistinctio*, quia tunc unus et idem Filius genitus et ingenitus diceretur, si Pater incarnaretur [9]. Et haec omnia sunt inconvenientia; et quia nihil inconveniens potest poni in Deo et circa Deum: ideo dixerunt, quod nulla alia persona a persona Filii poterat incarnari, non propter defectum potentiae, sed propter dignitatem potentiae, quae non admittit aliquod indecens circa opus suum. — Sed licet videantur in hac positione sequi beatum Anselmum, ipsum tamen veraciter non sequuntur, pro eo quod nec Anselmus vult hoc dicere, esse impossibile apud Deum, aliam personam a Filio incarnari; sed vult hoc ostendere, quod non est ita decens de alia persona, sicut de persona Filii; et hoc verum est, sicut melius videbitur infra [10].

Opinio 1.

Improbatur.

Quod autem Pater aut Spiritus sanctus incarnari possit absque aliqua repugnantia, planum est. Posset enim formare corpus, quod sibi uniret de genere humano, non per viam generationis, sicut formavit corpus Evae, quae non dicitur esse filia Adae. — Praeterea, esto quod alia persona assumsisset

Conclusio.

Alia ratio.

---

[1] Cod. A *in incarnatione facienda*.

[2] Codd. N X hic et in seqq. *eo ipso quod*.

[3] Libr. I. c. 20: Sed hoc est praestitum, quia quamlibet parvum inconveniens in Deo impossibile est. — Ibid. II. c. 9. etiam quod in *maiori* dicitur his verbis exprimitur: « Si quaelibet alia persona [quam Filius] incarnetur, erunt duo Filii in Trinitate, Filius scilicet Dei, qui et ante incarnationem filius est, et ille qui per incarnationem filius erit Virginis; et erit in personis, quae semper aequales esse debent, inaequalitas secundum dignitatem nativitatum. Digniorem namque nativitatem habebit natus ex Deo quam natus ex Virgine ». Anselm. idem docet in libro de Fide Trinitatis et de Incarnatione Verbi etc., c. 5. Cfr. etiam hic lit. Magistri, c. 1.

[4] In Ioan. Evang. tr. 36. n. 7. seq.; II. de Trin. c. 5. n. 7. seqq. et IV. c. 19. n. 26. seqq. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — De *minori* vide locc. ex libro de Trin. modo citt. nec non I. Sent. d. 15. p. I. q. 3.

[5] Aristot., I. Topic. c. 4: Nemo enim proprium dicit quod contingit alii inesse.

[6] Quaest. 3. — Edd. 1, 2 in fine arg. ineptam in se glossam (de quo cfr. I. Sent. d. 16. q. 3. ad 2. et 3.) et contra finem arg. addunt: *sed altera persona alteram naturam assumsit, scilicet persona Spiritus sancti naturam columbae: ergo et Spiritus sanctus potuit humanam, quam Filius assumsit, assumere. A destructione consequentis ad destructionem antecedentis.*

[7] Anselm., de Fide Trin. etc. c. 5: Unde quaedam nasceretur dubietatis confusio, cum de Deo Filio loqueremur: uterque enim esset Deus et Filius, quamvis alter Dei, alter hominis. — Idem dicit Bernard., Serm. 2. in Annuntiat. B. Virg. n. 2.

[8] Ita codd. K aa bb, quo verbo etiam Anselm. utitur loc. supra nota 3. cit.; codd. C D G M N O *voluntatem*, cod. F *notionem* alii cum edd. *notabilitatem*.

[9] Anselm., de Fide Trin. etc. c. 5, et II. Cur Deus homo, c. 9. adhuc hanc profert inconvenientiam: Si Pater fuerit incarnatus, erunt duo nepotes in Trinitate, quia Pater erit nepos parentum Virginis per hominem assumtum; et Verbum, cum nihil habeat de homine, nepos tamen erit Virginis, quia filii eius erit filius. — Mox pro *poni in Deo*, quod ex codd. F N restituimus, alii codd. cum edd. *in Deum*. Deinde pro *alia persona a persona Filii* codd. F N *alia persona quam persona Filii*. Denique pro *propter dignitatem potentiae* Vat. et aliquot codd. *propter dignitatem personae*.

[10] Art. 2. q. 3. — Mox pro *aut* codd. A N T U V *et*. Paulo inferius pro *de genere humano* cod. F *de genere humanae naturae*.

carnem de Virgine, sicut assumsit Verbum, adhuc non esset ibi confusio nec aequalitatis diminutio secundum rem, quia ex hoc nulla fieret transmutatio circa personas divinas. Nulla enim est confusio, quando nos credimus, quod unus et idem est temporalis et aeternus, immortalis et mortuus, immensus et circumscriptus. Nullum etiam est inconveniens, cum dicimus, Filium esse aequalem Patri et minorem Patre secundum naturarum dualitatem. — Et ideo concedendum est, sicut Magister dicit in littera [1], quod quaelibet trium personarum potest et potuit incarnari.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quodsi Pater incarnaretur, quod tunc duo essent Filii; dicendum, quod ista ratio procedit hoc supposito, quod Deus non possit aliter assumere carnem, quin eam [2] assumeret de muliere tanquam ex matre. Hoc autem est falsum, quia aliter posset Deus carnem sibi assumere, si sibi placeret. — Praeterea, esto quod alia persona assumsisset carnem de Virgine et esset filius Virginis, hoc in nullo derogaret Deo, quia nihil perderet ibi divina persona; et ideo, si est inconveniens, hoc est solum propter nostram reputationem et ratiocinationem. — Cum autem dicit Anselmus, quod «quantumcumque parvum inconveniens in Deo est impossibile»; dicendum, quod hoc intelligitur de eo quod est inconveniens in Deo *secundum se;* et tale est inconveniens, quod nullo modo potest esse conveniens, et ideo est impossibile. De eo autem non habet veritatem, quod est inconveniens *secundum nostram aestimationem*, quia Deus posset illud facere conveniens. Unde sicut concedimus de aliquo malo, quod potest Deus facere illud, pro eo quod illud potest bene fieri, sicut est malum *in se;* de aliquo vero non, quod est *secundum se* malum, quod nullo modo potest bene fieri [3]; sic etiam in proposito est intelligendum, cum dicitur, quod quodlibet inconveniens in Deo est impossibile.

Alia solutio.

Distinctio.

Duplex malum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod incarnatio [4] non est aliud quam in carnem mitti; dicendum, quod verum est, prout incarnatio dicitur de Filio. Sed *incarnari* secundum suum intellectum generalem non dicit plus quam uniri carni in unitate personae. Et quamvis persona Patris non possit *mitti*, potest tamen *uniri;* et ideo ratio illa non tenet, pro eo quod procedit ab inferiori ad superius destruendo [5].

3. Ad illud quod obiicitur, quod incarnari est proprium Filii; dicendum, quod sicut, si Petrus sit unicus filius Pauli, esse filium Pauli est proprium Petri, non quia non possit convenire alii, sed quia nunc non convenit alii; sic etiam in proposito intelligendum est, quod *incarnari* dicitur esse proprium personae Filii, non quia alia persona non possit carni uniri, sed quia nulla alia persona actualiter unitur carni a persona Filii.

4. Ad illud quod obiicitur, quod natura assumta a Verbo plus convenit cum aliis personis quam non assumta; dicendum, quod, sicut in praecedentibus [6] dictum est, etsi plus conveniat natura talis cum aliis personis ratione eminentiae et dignitatis, tamen minus convenit convenientia ordinis, quia, cum sit actualiter a persona Verbi assumta, non habet possibilitatem ad ulteriorem assumtionem. Non sic autem est de natura, quae assumta non est; et propterea illa ratio non concludit [7].

ARTICULUS II.

De incarnatione Verbi quantum ad congruitatem.

Consequenter quaeritur de secundo principali, videlicet de incarnatione Verbi quantum ad congruitatem [8]. Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, utrum in opere incarnationis servetur debita congruentia.

Secundo, quae sit incarnationis ratio praecipua.

Tertio, quae sit personarum trium ad incarnationem magis idonea.

Quarto quaeritur, quae hora temporis magis fuerit congrua.

---

[1] Hic c. 2. — Superius pro *cum dicimus* cod. P *credere.*

[2] Voculam *eam*, quae in edd. nec non in aliis codd. deest, supplevimus ex cod. Y. In codd. G H T V pro *eam* habetur *non*, in cod. A *vero*. Codd. B C D pro *quin eam* exhibent *quam non.*

[3] S. Doctor similiter loquitur I. Sen. d. 47. q. 4: Est enim aliquid malum *in se*, aliquid malum *secundum se*. Malum *in se* potest fieri bene [v. g. furari i. e. clam auferre rem alienam, si Deus dominium transfert]; malum *secundum se* nullo modo potest fieri bene, immo hoc intelligere, quod fiat bene, est intelligere, quod idem sit malum et bonum [v. g. furari ex libidine]. — Pro *malum in se* Vat. *malum poenae.*

[4] Codd. K bb *incarnari.*

[5] Petr. Hispan., Summul. tr. de Loc. topic., ubi de loco *a toto* agit, dicit: «*Totum universale*, ut hic sumitur, est quodlibet superius et substantiale sumtum ad suum inferius, ut animal ad hominem... Pars subiectiva dicitur quodlibet inferius sub toto universali sumtum. Locus a toto universali sive a genere... est semper *destructivus* praedicando totum... Maxima: a quocumque removetur genus sive totum universale, ab eodem removetur species sive pars subiectiva. Locus a specie sive a parte subiectiva est habitudo ipsius ad suum genus sive ad suum totum universale; et est semper *constructivus* et continet duo argumenta et duas maximas... Maxima (1): Quidquid praedicatur de specie vel de parte subiectiva, hoc etiam praedicatur de genere sive de toto universali... Maxima (2): De quocumque praedicatur species sive pars subiectiva, de eodem praedicatur genus sive totum universale». Quae regulae nituntur in eo quod Aristot., IV. Topic. c. 1. seqq., de relatione generis ad speciem docet, v. g. quod species quidem participent genera, genera autem non participent species; quod nullum superiorum participet aliquod inferiorum etc.

[6] Quaest. 1. et 3. — Paulo inferius pro *tamen minus* codd. A E G H N T U aa *quod minus* (plures codd. *unus* pro *minus*), edd. *tamen non plus.*

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[8] Plurimi codd. et edd. 1, 2 *dignitatem*, sed supra in principio dist. recte habent *congruitatem.*

QUAESTIO I.

Utrum in opere incarnationis servetur debita congruentia ex parte Dei.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum in opere incarnationis servetur debita congruentia ex parte Dei. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Infinita potentia, sapientia et bonitas debet se perfecte manifestare; sed non potest se perfecte manifestare nisi per effectum aliquo modo infinitum; nihil autem est infinitum actu nisi solus Deus: ergo ad hoc, quod divinae potentiae, sapientiae et bonitatis infinitas manifestetur, congruum fuit, aliquem effectum fieri, cui attribueretur esse Deum [1], quod est bonum infinitum. Sed hoc fuit, cum Deus unitus est carni: ergo etc.

2. Item, perfectissimum agens debet perducere actionem suam ad statum et complementum; sed status et complementum rerum est coniunctio primi cum ultimo; principium autem, *per quod facta sunt omnia*, est Verbum sive Deus [2]; ultimum autem in operibus est homo: ergo ad hoc, quod perfecta esset operatio procedens a perfecta potentia, congruebat, quod divina natura uniretur cum humana.

3. Item, contingit pluralitatem naturarum reperire in una persona [3]; sed quod una natura reperiatur in pluribus personis nullo modo multiplicata, hoc spectat ad dignitatem divinae naturae: ergo pari ratione, quod una persona in tribus naturis vel substantiis nullo modo subsistat composita, hoc spectat ad dignitatem personae. Sed omnis proprietas dignitatis praecipue congruit divinae personae: ergo valde congruum est, quod persona divina in se habeat tres naturas. Hoc autem fit per sacramentum incarnationis: ergo videtur, quod in incarnatione servetur debita congruentia [4].

4. Item, decet largissimum remuneratorem diligentes se remunerare perfecte; sed homo, qui est amator Dei, non beatificatur perfecte nisi in ipso Deo, qui est tota merces, nec beatificatur perfecte, nisi totaliter beatificetur et ex parte corporis et ex parte animae, et ex parte sensus exterioris et ex parte sensus interioris; sensus autem exterior non potest beatificari nisi in re corporali: ergo cum deceret Deum perfecte hominem beatificare, et Deus beatificat hominem in se ipso, dando se in praemium; decebat eum habere naturam non solum spiritualem, sed etiam corporalem. Et hoc est ex incarnatione [5]: ergo etc.

5. Item, decebat Deum hominem, qui infirmitate peccavit, sibi reconciliare; sed ubi est conveniens reconciliatio, ibi convenit esse reconciliatorem et mediatorem; mediator autem debet cum utroque extremorum communicare; hoc autem non est nisi per unionem divinae naturae et humanae in unitate personae: ergo videtur, quod opus incarnationis maxime congruum fuit pietati divinae [6].

Sed contra: 1. Nihil, quod spectat ad contem- Ad oppositum.

---

[1] Cod. U *divinum*, edd. 1, 2 *idem*. Mox post *quod est* Vat. repetit *esse*.

[2] Ioan. 1, 3. Cfr. Coloss. 1, 16. seqq. Iren., IV. contra Haereses, c. 20. (alias 37.) n. 4. ait: Est autem hic Verbum eius, Dominus noster Iesus Christus, qui novissimis temporibus homo in hominibus factus est, *ut finem coniungeret principio* i. e. hominem Deo. — In *maiori* multi codd. nec non edd. 1, 2 pro *perducere* exhibent *producere;* in *minori* cod. A pro *principium* substituit *primum*.

[3] Scil. in homine. In cod. K a secunda manu adiectum est *et contingit reperire unam naturam in pluribus personis*. Simile additamentum habetur in Alex. Hal., S. p. III. q. 2. m. 13, ubi idem arg. proponitur.

[4] Bernard., V. de Consid. c. 9. n. 20. ait: Dico, in Christo Verbum, animam et carnem sine confusione essentiarum unam esse personam... Nec negaverim, hanc ad illud quoque genus unitatis pertinere, qua anima et caro unus est homo. Decuit quippe familiarius similiusque cum hominis conveniret constitutione, quod pro homine constitutum est sacramentum. Decuit et cum summa, quae in Deo est et Deus est, unitate congruere, ut quomodo ibi tres personae una essentia, ita hic convenientissima quadam contrarietate tres essentiae sint una persona. Videsne, pulcre inter utramque unitatem [Trinitatis et puri hominis] hanc collocari etc.? Et in Serm. 3. in Vigilia Nativ. Domini, n. 8. ait: Et attende, quia sicut in illa singulari Divinitate trinitas est in personis, unitas in substantia; sic in ista speciali commixtione trinitas est in substantiis, in persona unitas etc. — Pro *in tribus naturis* et *tres naturas* Vat. substituit *in duabus naturis* et *duas naturas*. Post *ad dignitatem personae* cod. K subiicit *divinae*.

[5] Cfr. Itiner. mentis in Deum, Prolog. et c. 1. Item, de hoc in libro de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 9. haec leguntur: «Duo siquidem in homine sensus sunt, unus interior et unus exterior, et uterque bonum suum habet, in quo reficitur. Sensus interior reficitur in contemplatione divinitatis, sensus exterior in contemplatione humanitatis. Propterea enim Deus homo factus est, ut totum hominem in se beatificaret, et tota conversio hominis esset ad ipsum, et tota dilectio hominis esset in ipso, cum a sensu carnis videretur per carnem et a sensu mentis videretur per divinitatis contemplationem. Hoc autem erat totum bonum hominis, ut *sive ingrederetur, sive egrederetur, pascua* in Factore suo *inveniret* (Ioan. 10, 9.), pascua foris in carne Salvatoris et pascua intus in divinitate Creatoris». Similis sententia habetur in Manuali (inter opera August.), c. 26. nec non in Hugone a S. Vict., I. Miscell. tit. 87. Cfr. etiam August., III. de Lib. Arb. c. 10. n. 30; I. de Doctr. christ. c. 11. n. 11. seqq., Enarrat. in Ps. 90. serm. 2. n. 13. et I. de Trin. c. 13. n. 28. seqq. — Circa finem arg. codd. H P Q U pro *dando se* exhibent *dando se ipsum*.

[6] Epist. I. Tim. 2, 5: Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus. — Cfr. de hoc arg. August., X. Confess. c. 43. n. 68; I. de Consensu Evang. c. 35. n. 53; IX. de Civ. Dei, c. 15. et 17; XIII. de Trin. c. 17. n. 22; Leo M., Serm. 1. de Nativ. Domini, c. 2. et Epist. 28. (alias 24.) c. 3. — De *medio* dicit Aristot.; IV. Polit. c. 9. (c. 7.): In eo enim utrumque extremorum apparet. — De *maiori*, in qua pro *infirmitate* codd. H L T W Y aa cc substituunt *infirmitatibus*, edd. *seductus*, cfr. II. Sent. d. 21. a. 3. q. 2.

ptibilitatem[1] et abiectionem, decet summam Maiestatem; sed carnem assumere, quae est de limo formata, dicit contemptibilitatem: ergo videtur, quod hoc nullo modo deceat Dei maiestatem.

2. Item, sicut vituperabilis est nimia elatio, ita vituperabilis est nimia deiectio; sed tanta est deiectio, cum Deus fit homo, quanta est elatio, cum homo appetit esse Deus: ergo ita vituperabilis est una, sicut et altera. Si ergo nihil, quod est vituperabile, decet Deum, patet etc.

3. Item, nullo modo decet sapientissimum Conditorem facere, aliquam rem excedere terminos, quos sibi statuerat per naturam: ergo cum omnis creatura, quantum est de natura creationis, semper sit infra Deum et intra terminos creaturae; videtur, quod nullo modo congruat, quod Deus faciat, creaturam Deum esse: ergo non videtur opus incarnationis sibi congruere, per quod dicitur, hominem Deum esse.

4. Item, *nomen, quod est super omne nomen*[2], debet uni soli naturae convenire: ergo non videtur, quod congruat Deo tale nomen creaturae communicare: ergo non videtur, quod congruat sibi hominem in unitatem personae assumere.

5. Item, quicumque adorat Deum in sculpta imagine, facit Deo iniuriam: ergo pari ratione, qui credit, Deum habere humanam effigiem, iniuriatur divinae naturae: videtur ergo, quod non congruat divinae naturae incarnari sive humanari. — Per hunc modum consuevit argui ab infidelibus[3].

CONCLUSIO.

Congruum fuit Deumque decuit incarnari.

Conclusio et ratio 1.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio congruum fuit et Deum decuit incarnari; et hoc propter suae potentiae, sapientiae et bonitatis *eminentem manifestationem*, quae quidem facta est in humani generis assumtione. — Congruum etiam fuit propter divinorum operum *excellentem consummationem*, quae quidem facta est, cum ultimum coniunctum est primo. Ibi enim est perfectionis consummatio, sicut apparet in circulo, qui est perfectissima figurarum, qui etiam ad idem punctum terminatur, a quo incepit[4]. — Decebat etiam propter *superabundantem pretii solutionem* ad liberationem hominis captivi, quia sola persona divina erat, quae praeponderabat toti humano generi[5]. — Postremo decebat propter *supereffluentem hominis glorificationem*, ut non tantummodo *inveniret* homo in Deo *pascua interius*, immo etiam *pascua exterius*[6]. Ratio 2. Ratio 3. Ratio 4.

Et sic patet, quod opus incarnationis multum quidem per omnem modum Deum congruebat et quantum ad eius *infinitatem* et quantum ad eius *perfectionem* et quantum ad *pietatem* et quantum ad *liberalitatem*: ad *infinitatem* in se ipso, ad *perfectionem* in operando, ad *pietatem* in liberando et quantum ad *liberalitatem* in remunerando. — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, sacramentum incarnationis Deo congruere. Epilogus.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod non decet divinam maiestatem humiliari; dicendum, quod *Deum humiliari* potest intelligi[7] dupliciter: aut *in se*, aut *ratione sibi uniti*. *In se* quidem, cum sit omnino invariabilis, nec potest humiliari nec potest exaltari. *Ratione* autem *sibi uniti* potest *humiliari* ad maiorem manifestationem suae altitudinis, sicut potest *infirmari* ad maiorem manifestationem suae fortitudinis. In hoc enim, quod Deus carnem *humilem* et *infirmam* assumsit, superbissimum diabolum deiecit et hominem humilem exaltavit; fortissimum adversarium confregit, hominem infirmum stabilivit. Et in hoc eminenter facta est manifestatio potentiae et sapientiae. Si enim *quod infirmum est Dei potentius est omnibus hominibus, et quod stultum est Dei sapientius est omnibus hominibus*[8] et etiam daemonibus; planum est, quod eius potentia et sapientia superexcellunt omnia in infinitum. Et ideo, etsi incarnationis opus in se Solutio oppositorum. Distinctio. Notandum. Duplex manifestatio.

---

[1] Edd. hic et paulo post *contemptionem*. Pro *summam Maiestatem* cod. G *supremam Maiestatem*. — Cfr. I. Cor. 1, 23, ubi Apostolus de Christo dicit, quod sit « Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitia ».

[2] Phil. 2, 9. Cfr. Eph. 1, 21. — Aristot., V. Topic. c. 3. (c. 5.): Nam quod est secundum superabundantiam uni soli inest. Vide tom. I. pag. 542, nota 2. — Paulo inferius pro *sibi* in cod. F legitur *Deo*.

[3] De his obiectionibus earumque solutionibus vide Iustin., Apolog. I. pro Christian. n. 13; Dialog. cum Tryph. n. 65; Tertull., de Carne Christi, c. 4. seqq.; Lactant., IV. Div. Institut. c. 22. seqq.; Anselm., I. Cur Deus homo, c. 3. seqq. — Pro *Per hunc modum* cod. O substituit *ergo videtur concedendum, quod*.

[4] Circulum perfectissimam figurarum esse, etiam August. docet in libro de Quantit. animae, c. 11. n. 17. seqq. — Cfr. etiam quae I. Sent. d. 37. p. I. a. 3. q. 2. in corp. de triplici modo dicuntur, quo effectus ad Deum comparantur. Comparantur enim, ut ibi docetur, per modum *exeuntis*, *redeuntis* et *pervenientis* (unionis), et primus modus assimilatur lineae *rectae*, secundus lineae *reflexae*, tertius *circulo* etc.

[5] Anselm., Meditation. medit. 11: Subvenit bonitas Dei et eam [humanam naturam] in suam personam assumsit Filius Dei, ut in ea persona esset homo Deus, qui haberet quod superaret non solum omnem essentiam, quae Deus non est, sed etiam omne debitum, quod peccatores solvere debent etc. — Paulo ante pro *captivi* plurimi codd. cum edd. 1, 2 *capti*.

[6] Ioan. 10, 9: Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur et pascua inveniet.

[7] Cod. W *esse*.

[8] Epist. I. Cor. 1, 25: Quod stultum est Dei sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei fortius est hominibus. — Codd. N S bis omittunt *omnibus* ante *hominibus*. — Cfr. Anselm., Meditation. medit. 11. — Paulo inferius post *eius potentia* Vat. addit *et excellentia*.

non videatur facere ad divinae manifestationis [1] honorem, si tamen consideratur ad id ad quod est, facit elegantissime. Et ideo haereticis et infidelibus caecis velatum est *sacramentum incarnationis*, dicentibus, opus incarnationis facere ad divinae maiestatis ignominiam, cum ex opposito faciat ad excellentissimam gloriam.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nimia fuit ibi humiliatio; responderi potest, ut dictum est, quod divina natura non fuit humiliata aliqua deiectione; sed cum creatura appetiit esse Deum, inflata fuit aliqua elatione; et ideo nimietas ex parte ista non sonat in vitium, sicut ex parte illa. — Praeterea, in alio [2] deficit similitudo, quia *exinanitio*, quae facta est in assumtione humanae naturae, fuit ex excessu caritatis et amoris; sed *elevatio*, qua homo voluit Deo assimilari, fuit ex excessu praesumtionis [3]. Et quia nimietas praesumtionis et elationis vituperabilis est, et nimietas dilectionis in summo Deo laudabilis est; hinc est, quod exinanitio Christi non fuit vituperabilis, sed laudabilis, sicut vituperabilis fuit elatio primi parentis; procedebat enim ex nimia caritate, de qua supra habitum est in auctoritate [4]: *Deus propter nimiam caritatem, qua dilexit nos* etc.

Alia ratio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non debet creaturam trahere extra terminos suos; dicendum, quod creatura in Christo remanet intra terminos creaturae, ratione tamen personae, in qua substantificatur, habet communicationem idiomatum et participat nomen divinum, pro eo quod illa unio facit communicationem idiomatum, salvis proprietatibus assumentis et assumti.

4. Et per hoc patet responsio ad sequens, quod obiicitur de communicatione nominis excellentissimi; quia Deus nec nomen nec gloriam suam communicat alii. Unus enim et idem, qui est Christus, est homo et Deus; unde cum nomen divinitatis attribuitur homini, hoc est ratione divinae hypostasis. Similiter intelligendum est de honore latriae, sicut inferius [5] apparebit.

5. Ad illud quod obiicitur, quod Deo facit iniuriam qui credit, ipsum habere effigiem [6]; dicendum, quod verum est, quando credit, ipsum habere effigiem in propria natura; quia talis credit, ipsum esse quid corporeum, cum ipse sit spiritus nobilissimus. Incarnatio autem non facit, eum habere in se effigiem, sed uniri ei qui [7] habet effigiem, salva nihilominus Dei spiritualitate et nobilitate. Qui igitur sic ponit Deum incarnari, cum nihil detrahatur eius nobilitati et perfectioni, et multum addatur exaltationis [8] et dignitatis generi humano, non tantum Deo non derogat, sed etiam Dei bonitatem multum commendat; et econtra Dei bonitatem, quantum in se est, diminuit qui hoc negat.

SCHOLION.

1. Variae rationes a theologis pro congruentia incarnationis afferuntur, quae ad quatuor rationes a Seraphico tactas reduci possunt, v. g. illae tres, quas S. Thomas in Comment. eruit ex « plenitudine divinae misericordiae et ex immobilitate iustitiae ipsius et ex decenti ordine sapientiae eius ». — De hac quaestione tractant: Alex. Hal., S. p. III. in tota q. 2. passim. — Scot. tangit rem in utroque Scripto, d. 20. q. unica. — S. Thom., hic q. 1. a. 2; S. III. q. 1. a. 1; S. c. Gent. IV. c. 53-55. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Egid. R., hic q. 2. a. 2. — Dionys. Carth., hic q. 1.

QUAESTIO II.

Quae fuerit incarnationis ratio praecipua.

Secundo quaeritur, quae fuerit incarnationis ratio praecipua. Et quod humani generis redemptio, ostenditur:

1. Ad Galatas quarto [9], cum dicitur: *Cum venit igitur plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos, qui sub Lege erant, redimeret.* Si igitur Apostolus principalem assignat rationem missionis Filii Dei in carnem, videtur, quod nostra redemptio sit eius ratio praecipua. *Si tu dicas*, quod hoc non dicit Apostolus tanquam causam principalem; *obiicitur* contra hoc illud quod idem dicit Apostolus ad Hebraeos secundo [10], ubi loquens de Christo: *Ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret*

Fundamenta.

---

[1] Cod. F bene *maiestatis*. Paulo superius pro *Et ideo etsi* multi codd. et edd. 1, 2 *Et ideo, si*. Paulo inferius pro *consideratur ad id* Vat. *consideratur illud*. Post pauca pro *dicentibus* bene multi codd., ut A E F G H L N T U V, cum edd. 1, 2 *dicentes*. In fine solut. cod. Z voci *gloriam* praefigit *eius*.

[2] Pro *in alio* edd. *in illa ratione*.

[3] Codd. F M adiiciunt *et elationis*. Pro *ex excessu* cod. E habet *in excessu*.

[4] Ephes. 2, 4; cfr. supra Prooemium.

[5] Dist. 9. per totam. — Immediate ante codd. L V vocula*e sicut* praemittunt *hic*. Paulo superius pro *Unus enim et idem, qui est Christus, est homo* cod. A *Unus enim quidem Christus est, qui est homo*, codd. F H K P Q bb *Unus enim idemque* [cod. F *et idem*] *est Christus* etc.; codd. G L N T U V aa *Unus enim idem, qui est Christus*.

[6] Edd. *humanam effigiem*. Mox pro *quando credit* cod. A *quando dicit*.

[7] Cod. A *quod*.

[8] Cod. F *eius exaltationis*.

[9] Vers. 4. 5: At ubi venit plenitudo etc.

[10] Vers. 14. Cod. K etiam verba dat, cum quibus hic versus incipit: Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter etc. Seq. locus Script. est ibid. v. 16. — Glossa, quae est ordinaria, habetur apud Strabum et Lyranum.

eum etc.; et post: *Nusquam enim Angelos apprehendit;* Glossa: « *Participavit,* ut homines sanctificaret et liberaret; et recte haec causa ponitur, quia, si non esset eos liberaturus, non eis participaret, quod in Angelis apparet, quia nusquam Angelos apprehendit ». Sed illud, quo posito ponitur [1] et quo remoto removetur, assignatur tanquam causa principalis et praecipua: ergo videtur, quod principaliter incarnatio facta fuit propter reparationem generis humani.

2. Item, in Psalmo [2]: *Infixus sum in limo profundi;* Glossa Augustini: « Utinam maneret homo in eo quod Deus fecit; si enim maneret in eo quod Deus fecit, non in limo infixus esset quem Deus genuit »: igitur si homo stetisset, incarnatio facta non fuisset: igitur incarnationis ratio praecipua videtur esse hominis reparatio.

3. Item, Augustinus super Ioannem, tractans illud Ioannis undecimo [3]: *Ecce, quem amas infirmatur:* « Si peccatores Dominus non amaret, ad terram de caelo non descenderet »: ergo videtur, quod praecipua ratio incarnationis fuerit liberatio peccatoris.

4. Item, si Deus assumsit humanam naturam, aut hoc fuit propter humanam *dignitatem,* aut *necessitatem.* Si propter *dignitatem,* cum dignior sit natura angelica quam humana [4], magis debuit assumsisse angelicam. Si propter *necessitatem,* et necessitas indigentiae non sit nisi propter peccatum; videtur, quod praecipua ratio fuit, quod hominem assumsit, redemptio generis humani.

5. Item, opus incarnationis fuit maximae gratiae, de qua homo maxime tenetur ad gratiarum actionem; sed magis tenetur homo esse gratus Deo, et maior fit ei gratia, quando aliquod beneficium praestatur sibi, quo indignus est, in statu, in quo indignus est, et pro eius liberatione, quam si alias esset ei praestandum [5]: ergo si homo lapsus pro beneficio incarnationis est maxime Deo obnoxius, videtur, quod si ipse non esset lapsus, ipse non esset incarnatus, et nec huiusmodi beneficium esset sibi praestitum.

Praecipua ergo ratio incarnationis videtur esse redemptio generis humani.

Sed contra: 1. Augustinus de Spiritu et anima [6]: « Totum hominem assumsit, ut totum beatificaret »; sed homo debebat totus beatificari, et ita plene beatificari, si non esset lapsus, sicut si esset lapsus: ergo si homo non esset lapsus, Deus esset incarnatus: ergo non videtur, quod praecipua ratio incarnationis sit liberatio generis humani. Ad oppositum.

2. Item, super illud ad Hebraeos secundo [7]: *Nusquam Angelos apprehendit;* Glossa: « Non angelicae naturae data est haec dignitas, ut ei persona divina uniretur ». Si igitur haec dignitas data fuit naturae humanae, et humanae naturae nihil datum est frustra: ergo si non peccasset, talis dignitas non remaneret vacua: ergo adhuc uniretur cum divina natura: ergo liberatio generis humani non est ratio praecipua.

3. Item, ita decebat Deum manifestare suam infinitatem [8] et perfectionem et liberalitatem, si homo stetisset, sicut si lapsus esset: ergo si omnia ista facit in opere incarnationis, videtur, quod incarnatio fuisset, etiam si homo lapsus non fuisset; et ita idem quod prius.

4. Item, tantae nobilitatis et difficultatis [9] est vindicare sive acquirere sibi infinitum bonum, sicut satisfacere pro offensa, quae est contra bonum infinitum: si ergo homo non poterat satisfacere pro se de offensa, qua offenderat Deum, sic nec per se potest mereri habere Deum. Ergo sicut opportunum fuit, Filium Dei incarnari, homine cadente, ut pro homine satisfaceret, sic videtur, quod opportunum fuit, Filium Dei incarnari, homine stante, ut homo per eum mereri posset.

5. Item, quae solummodo propter occasionem peccati introducta sunt exierunt a Deo, non principaliter, sed occasionaliter [10]: ergo si incarnatio facta est principaliter propter peccati expiationem, anima

---

[1] Supple cum Vat. *aliud.* — De definitione *causae* hic proposita agit Avicenna, IV. Metaph. c. 1. — Vat., pro *Sed illud* substituto *Si ergo,* mox post *removetur* addit *est causa,* et dein cum edd. 1, 2 prosequitur *et redemptio assignatur... et praecipua incarnationis, videtur quod* etc. Codd. A E in conclusione omittunt *facta.*

[2] Psalm. 68. 3. — Verba Augustini inveniuntur in eius Enarrat. in hunc Ps., serm. 1. n. 5, ubi tamen ed. Maurina pro *in limo* exhibet *in illo,* quae lectio in eodem sensu videtur intelligenda. Sequitur enim: Porro autem, quia per iniquitatem homo lapsus est a substantia, in qua factus est... venit Filius Dei *ad limum profundi* et infixus est. — Post *in Psalmo* cod. K addit *loquitur Christus.* Paulo inferius pro *facta non fuisset* codd. H K bb *facta non esset.*

[3] Vers. 3. — Dictum Augustini habetur loc. cit. tr. 49. n. 5.

[4] Quod probatum est II. Sent. d. 1. p. II. a. 2. q. 2. — Vocem *natura* ante *angelica* restituimus ex codd. P Q bb. Mox post *angelicam* codd. K bb supplent *quam humanam.* Circa initium arg. cod. X post secundum *aut* repetit *hoc fuit propter humanam.*

[5] Cfr. August., VII. de Civ. Dei, c. 31. — Paulo ante pro *eius liberatione* cod. T substituit *casus liberatione,* et circa initium arg. post *maximae gratiae* codd. P Q V subiiciunt *et.*

[6] Cap. 9. Verba ipsa August. vide supra pag. 19, nota 5. Paulo inferius post *Deus esset* cod. F inserit *nihilominus.*

[7] Vers. 16. Glossa, quae est ordinaria et secundum Alcuinum in hunc loc., apud Strabum et Lyranum sic sonat: Non angelicae, sed humanae naturae data est haec dignitas, ut Deus ei in unam personam iungeretur.

[8] Codd. M O *bonitatem.*

[9] Cod. N *dignitatis.* Subinde pro *vindicare* codd. M O *unire,* et post pauca pro *si ergo* iidem codd. *sicut ergo.* Mox pro *pro se* Vat. *per se,* et paulo inferius pro *potest mereri* eadem Vat. *poterat mereri.* Deinde pro *homine cadente, ut pro homine satisfaceret, sic videtur, quod* codd. M O *homine lapso, ut homo posset satisfacere pro offensa, sic opportunum* etc.

[10] Cfr. I. Sent. d. 46. q. 3. in corp. Pro confirmatione etiam allegari solet illud Iren., III. contra Haereses, c. 22 (alias c. 32.) n. 3: Quoniam futuram circa Filium Dei humani generis dispositionem in semetipsum Fabricator omnium Verbum praeformave-

Christi facta est non principali intentione, sed quasi quadam occasione. Si ergo inconveniens est, nobilissimam creaturam occasionaliter esse introductam, cum agens principaliter intendat opera nobiliora, videtur, quod inconveniens sit dicere, incarnationem factam esse propter hominis reparationem.

6. Item, in incarnatione Filii Dei humana natura plurimum est exaltata [1]: si ergo Deus incarnatur ex hoc, quod humana natura peccavit: videtur, quod homo reportet commodum de malitia. Ergo si hoc non decet divinum retributorem, patet etc.

7. Item, Christus est caput Ecclesiae non solum secundum divinam naturam, sed etiam humanam, sicut ostendit Augustinus super Ioannem [2]; sed si homo non peccasset, adhuc esset corpus Ecclesiae: igitur vel Dei Filius incarnaretur, aut corpus Ecclesiae remaneret acephalum. Igitur si illud est impossibile, restat, quod Deus incarnaretur, si homo non peccasset: ergo idem quod prius.

8. Item, si homo lapsus non esset, nihilominus fuisset Sacramentum matrimonii: si igitur Sacramentum matrimonii in coniunctione sexuum dicit sive significat coniunctionem Christi et Ecclesiae quantum ad naturarum unionem, propter inseparabilitatem, ut dicitur ad Ephesios quinto [3]: *Hoc Sacramentum magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia:* ergo si homo stetisset, aut Sacramentum matrimonii esset falsum, aut Dei Filius esset incarnatus. Sed primum est impossibile: ergo restat etc.

9. Item, quadruplex est modus educendi hominem in *esse*. « Contingit enim, hominem educi de viro et muliere; contingit educi sine viro et muliere; contingit educi de viro sine muliere; et de muliere sine viro [4] »; sed tres istorum modorum fuissent, si homo stetisset, sicut planum est: ergo videtur, quod et quartus fuisset, quo eductus est de sola muliere. Sed hic quartus est in incarnatione: ergo si homo stetisset, incarnatio fuisset; aut si non, tunc unus modus productionis hominum deficeret, et sic universum perfectum non esset; et hoc est maximum inconveniens. Dicit enim Augustinus, quod universum habet tantam perfectionem, quod nemo potest in eo imperfectum rationabiliter aliquid invenire nec rationabiliter aliquid addere, sicut et ipse dicit in libro de Libero Arbitrio [5], quod nihil potest intellectus noster intelligere, quod subterfugeret illam supernam artem.

CONCLUSIO.

Praecipua ratio incarnationis videtur fuisse redemptio humani generis, quamvis multae rationes aliae congruentiae huic rationi sint annexae.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc duplex est magistrorum opinio.

Opinio 1. Quidam enim dicere voluerunt, quod de incarnatione est loqui dupliciter. Est enim incarnatio carnis assumtio; de carne autem assumta est loqui dupliciter: aut quantum ad *substantiam*, aut quantum ad *defectum passibilitatis* [6]. Si fiat sermo de ipsa quantum ad *defectum passibilitatis et mortalitatis*, dicunt, quod incarnationis praecipua ratio fuit humani generis redemptio. Nisi enim homo peccasset et lapsus et redimendus esset [7], Christus carnem mortalem non assumsisset. — Si autem loquamur de incarnatione, secundum quod dicit *assumtionem humanae naturae*, loquendo simpliciter; sic dixerunt, quod *praecipua* ratio incarnationis non est liberatio generis humani, quia, etiam si homo non peccasset, Christus incarnatus esset; sed huius ratio est perfectio multiplex surgens ex dignitate illius operis. Incarnatio enim facit ad perfectionem hominis — et per consequens ad perfectionem totius universi — in hoc quod complet et completionem dat humano generi, secundum illud quod respicit *naturam*, et secundum illud quod respicit *gratiam*, et secundum illud quod respicit *gloriam*. Secundum illud quod respicit *naturam*, quia in incarnatione est [8] consummatio modorum educendi hominem in *esse*. Est etiam consummatio in comparatione ad perfectionem agentis in hoc, quod in incarnatione homo, qui est ultimus, coniungitur cum suo principio unione, qua sub Deo nulla est maior. — Facit etiam ad perfectionem hominis, quantum ad illud quod re-

Distinctio.

Ratio.

Incarnatio perficit tripliciter.

Primo quoad naturam.

Secundo quoad gratiam.

---

rat, praeformante Deo primum animalem hominem, videlicet ut a spirituali salvaretur. Cum enim praeexisteret salvans, oportebat et quod salvaretur fieri, ut non vacuum sit salvans. — Simili arg. usus est Cyrill. Alex., Thesaur. assert. 15. (alias lib. V. c. 3.) contra Arianos, divinitatem Filii Dei negantes.

[1] Vide August., XIII. de Trin. c. 17. n. 22; Anselm., I. Cur Deus homo, c. 8.

[2] Tract. 66. n. 2: « Per quid autem caput est Ecclesiae nisi per hominem, quod *Verbum caro factum est?* id est, Dei Patris Unigenitus Deus homo factus est ». In Epist. I. Ioan. tr. 1. n. 2. dicit: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.* Illi carni adiungitur Ecclesia, et fit Christus totus, caput et corpus. Cfr. de Catech. rudib. c. 3. n. 6. et c. 19. n. 33, nec non infra d. 13. a. 2. q. 1. — Christus caput Ecclesiae vocatur Eph. 1, 22; 5, 23; Coloss. 1, 18.

[3] Vers. 32. — Infra post *esset falsum* Vat. adiicit *signum;* deinde pro *Sed* cod. E substituit *Si ergo*, cod. P *Sed si.*

[4] Quadruplex modus educendi hominem in *esse*, de quo in hoc arg. sermo est, memoratur in opusculo, cui titulus: Sermones ad fratres in eremo (inter opera August.), serm. 28, nec non in Anselmi libro Cur Deus homo, II. c. 8, ubi etiam pro secundo modo in exemplum subiicitur creatio Adae, pro tertio productio Evae.

[5] Libr. III. c. 5. n. 13: Potest ergo esse aliquid in rerum natura, quod tua ratione non cogitas. Non esse autem quod vera ratione cogitas, non potest. Neque enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare, quod creaturae artificem fugerit.

[6] Nonnulli codd. et Vat. addunt *et mortalitatis.*

[7] Cod. N *homo peccasset et non redimendus esset.*

[8] Pro *quia in incarnatione est* cod. F *incarnatio enim est.*

spicit *gratiam*, quia in incarnatione assumit Christus humanam naturam, ratione cuius plene habet esse caput totius Ecclesiae, cuius corporis membra uniri habent ratione caritatis et gratiae. Et simul cum hoc facit ad perfectionem meriti, quia omnia merita pendent et meliorantur merito Christi. — Facit etiam
Tertio quoad gloriam. ad perfectionem *gloriae* in eo, quod homo in Deo suo invenit pascua quantum ad partem corporalem et quantum ad partem spiritualem, sive *ingrediatur*, sive *egrediatur*, quod [1] non faceret, si Deus
Additur 4. ratio. non esset incarnatus. — Completus etiam est totius humanae naturae *appetitus*, dum per opus incarnationis nobilissima idoneitas, quae erat in humana natura, secundum quam unibilis erat divinae, ad actum perfectum reducitur. — Et ratione huius multiplicis perfectionis, quae surgit ex opere incarnationis, congruum fuit Deum incarnari. Et quia haec multiplex perfectio non tantum respicit statum naturae lapsae, immo etiam respicit statum naturae bene [2] institutae; ideo, si homo lapsus non fuisset, nihilominus Deus incarnatus esset, quia ita competebat, hominem perfectum esse et secundum naturam et secundum gratiam et secundum gloriam, sicut si esset in statu lapso, et quodam modo amplius, et [3] secundum istam opinionem. — Et qui hanc opinionem sequuntur concedunt rationes, quae ad hanc partem adducuntur. Rationes vero ad oppositum et auctoritates per hoc effugiunt, quia dicunt, eas intelligi, secundum quod incarnatio dicitur carnis mortalis et passibilis assumtio. Loquitur enim Scriptura, et Sancti [4] de incarnatione secundum eum modum, qui fuit post lapsum, non per eum modum, qui fuisset, homine persistente in statu innocentiae.

Aliorum vero opinio fuit, quod *praecipua* ratio
Opinio 2. incarnationis est reparatio humani generis, quamvis aliae multae sint rationes congruentiae huic annexae [5]. Ista enim est praecipua respectu omnium, quia, nisi genus humanum fuisset lapsum, Verbum Dei non fuisset incarnatum. — Et ratio huius est, quia in- Ratio. carnatio Dei est superexcedentis dignationis; et ideo, cum sit ibi quidam excessus, non fuisset introductum incarnationis mysterium, nisi praecessisset excessus oppositus per ipsum corrigendus et restaurandus. Unde nisi Deus *ovem suam perdidisset*, non de caelo ad terram descendisset [6].

Quis autem horum modorum dicendi verior sit, Iudicium auctoris. novit ille qui pro nobis incarnari dignatus est. Quis etiam horum alteri praeponendus sit, difficile est videre, pro eo quod uterque modus catholicus est et a viris catholicis sustinetur. Uterque etiam modus excitat animam ad devotionem secundum diversas considerationes.

Videtur autem primus modus magis consonare iudicio rationis; secundus tamen, ut apparet, plus Pro 2. opinione ratio 1. consonat pietati fidei: primo, quia auctoritatibus Sanctorum et sacrae Scripturae magis concordat. Nam tam novum quam vetus Testamentum [7], ubi de Filii Dei descensu loquuntur, humani generis liberationem rationem reddunt, quod patet per singula discurrendo. Sancti etiam hoc dicunt, sicut patet in auctoritatibus supra positis. Et ideo, si divina eloquia nobilissimam et praecipuam incarnationis rationem assignant, et nihil etiam a nobis dicendum est praeter ea quae nobis ex sacris Eloquiis claruerunt [8]; magis videtur pietati fidei consonum, quod praecipua incarnationis ratio sit liberatio humani generis, quam aliter sentire. Et hoc aperte dicit Augustinus in libro de Verbis Apostoli, sermone septuagesimo [9], tractans illud Matthaei decimo octavo: *Venit enim Filius hominis salvum facere quod perierat:* « Si homo non periisset, Filius hominis non venisset ». Et expressius ibidem, tractans illud primae ad Timotheum primo [10]: *Venit in hunc mundum peccatores salvos facere:* « Nullam aliam ob causam nisi *peccatores salvos*

---

[1] Cod. bb annectit *quidem*.

[2] In edd. deest *bene*, cuius loco cod. bb exhibet *conditae et*.

[3] In cod. Q deest *et;* Vat. voculae *et*, pro qua a cod. S ponitur *etiam*, adiungit *haec*. Paulo superius post *secundum gloriam* cod. Z supplet *in statu ante lapsum*. Paulo inferius pro *Et qui* codd. P bb habent *Illi qui*.

[4] Pro *Sancti* in edd. legitur *littera*. Cod. A *Loquuntur enim Scripturae et Sancti*.

[5] Ut exaltatio naturae humanae, exemplum pro nobis recte vivendi, quoddam complementum universi etc. — Paulo inferius pro *superexcedentis* cod. A *superexcellentis*.

[6] Respicitur Matth. 15, 24; 18. 12, seqq.; Luc. 15, 4. seqq. — Mox pro *verior* edd. *melior*.

[7] Cfr. praeter locc. in nota praeced. et in 1. fundam. citt. Ps. 39, 7. seqq. (respective Hebr. 10, 5.); Matth. 1, 21; 9, 13; Luc. 19, 10; Ioan. 10, 10; I. Tim. 1, 15. — Paulo superius cod. X verbo *concordat* praemittit *consonat seu*.

[8] Dionys., de Div. Nom. c. 1. § 1: Non est autem audendum aliquid dicere vel cogitare de supersubstantiali et occulta Divinitate praeter ea quae nobis per sacras Scripturas de Deo divinitus sunt expressa (versio abbatis Vercellensis). — Paulo superius post *assignant* edd. 1, 2 supplent *generis humani liberationem*.

[9] Nunc Serm. 174. (alias 18. de Verbis Apostoli) c. 2. n. 2. — Locus Script. est loc. cit. v. 11, ubi Vulg. pro *salvum facere* exhibet *salvare*. Cfr. Luc. 19, 10.

[10] Vers. 15. — Verba August. haec sunt (loc. cit. c. 7. n. 8.): « Quare venit in mundum? *Peccatores salvos facere*. Alia causa non fuit, quare veniret in mundum. Non eum de caelo ad terram merita nostra bona, sed peccata duxerunt. Haec est causa, cur veniret, *peccatores salvos facere* ». Idem elicit ibid. ex significatione nominis Iesu (ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum, Matth. 1, 21.). Similiter in Serm. 175. (alias 9. de Verbis Apostoli) c. 1. n. 1. ait: « Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere »; quae verba edd. hic afferunt loco eorum quae nos cum codd. exhibemus. Libr. I. de Peccat. meritis et remiss. etc., c. 26. n. 39. dicit, Christum non aliam ob causam in carne venisse... nisi ut... omnes... vivificaret, salvos faceret, liberaret, redimeret etc. — Pro *ibidem*, *tractans* et paulo inferius pro *ibidem plura* edd. substituunt *idem tractans* et *idem plura*.

facere ». Et ibidem plura dicit ad hoc pertinentia. Et in illa oratione, quae incipit: O cella [1] aromatica, quae dicitur esse Augustini, hoc ipsum habetur expressissime. Ad hoc etiam concordant verba Bernardi [2] et Glossa super dictum locum Epistolae ad Timotheum.

Secundo vero praedictus modus magis concordat pietati fidei, quia Deum magis honorificat quam praecedens. Nam praecedens dicit, quod Deum conveniebat incarnari ad perfectionem universitatis; et ideo quodam modo Deum intra perfectionem universi concludit et quandam necessitatem incarnationis ponit ei, cum dicit, opera eius aliter [3] ad perfectionem non perduci. Hic autem modus dicendi, cum dicit, quod incarnationis mysterium est supra omnem perfectionem, ponit, Christum esse supra omnem perfectionem universitatis, sive quantum ad naturam, sive quantum ad gratiam, sive quantum ad gloriam. Et in hoc recte facit; quia, sicut dicit Philosophus in undecimo [4] Primae Philosophiae, Deus supra omnem universi ordinem ponendus est, sicut non dicitur esse dux de exercitu, sed supra exercitum.

Tertio, modus iste dicendi incarnationis mysterium magis commendat, dum dicit, hoc mysterium tantum esse, quod non debuit fieri nisi ex maxima causa, utpote propter placandam divinam iram et restauranda *omnia, sive quae in caelis sunt, sive quae in terra* [5]. Et ideo dicunt, quod tantum mysterium non fuisset introductum, nisi praecessisset lapsus nobilissimae creaturae et offensio maiestatis divinae.

Quarto, etiam fidelem affectum magis inflammat. Plus enim excitat devotionem animae fidelis, quod Deus sit incarnatus ad delenda scelera sua [6] quam propter consummanda opera inchoata.

Ratio 2. Notandum. Ratio 3. Ratio 4.

Quoniam igitur hic modus dicendi, etsi non videatur esse ita subtilis, sicut praecedens, plus consonat pietati fidei, in hoc quod auctoritatibus Sanctorum magis concordat, et Deum magis honorificat, etiam incarnationis mysterium magis commendat, et affectum nostrum ardentius inflammat: ideo concedendum est, ut praedictae auctoritates et rationes ostendunt, quod praecipua ratio incarnationis fuit redemptio humani generis, quamvis multae rationes aliae congruentiae huic rationi sint annexae. Epilogus. Conclusio.

1. Ad illud quod primo obiicitur in contrarium, quod hominem totum assumsit, ut totum beatificaret; dicendum, quod ista non est ratio praecipua, sed annexa principali, pro eo quod, etsi nunquam Deus incarnatus esset, homo glorificatione corporis sui et visione Dei perfecte et totaliter beatus esset. Visio enim Christi corporalis spectat non ad *essentialem completionem* beatitudinis, sed ad quoddam *accidentale gaudium*. Et hoc patet, quia alii sensus beatificantur ut visus, et tamen obiecta sibi correspondentia non habebunt, ut tactus, gustus [7]. — Praeterea, aspectus Christi non minus erit beatus conversus ad alia corpora videnda, quam aspectus aliorum conversi ad videndum corpus ipsius. Gloria enim sensuum exteriorum erit per redundantiam delectationis venientis a parte superiori ex visione Dei, cuius visio adeo reficit, cum perfecte apparet, ut nihil ultra necessarium sit animae ad eius beatitudinem; quoniam omne aliud bonum et pulcrum, ad illud comparatum, quasi nihil est nec intendere potest essentiale gaudium. — Unde multum derogare videtur summo Bono qui dicit, ipsum non sufficere absque bono creato sibi adiuncto ad hominem perfecte beatificandum, nisi hoc dicat venire propter

Solutio oppositorum. Notandum. Ratio 1. Ratio 2.

---

[1] Edd. *A cella*, contradicentibus plurimis codd. — Haec oratio non invenitur in editione Augustini. Videtur autem denotari quaedam longior oratio ad sanctissimam Virginem Mariam, quae Monachii in bibl. regia exstat in Cod. Lat. Man. 5974 f. 99, B. Augustino inscripta, quae quidem incipit, non ut dicit auctor noster, sed verbis: « Tibi, o pissima Virgo virginum ». Tamen in decursu ipsius quaedam pars incipit: « Tu enim, Domina, *cella es aromatica*, ex qua vulnerum nostrorum medicina ad vulnera nostra defluxit ». Reapse praedicta doctrina in eadem « habetur expressissime », cum ibi legatur: « Si enim non praecessisset mea transgressio, non fuisset subsecuta nostra redemptio; et si necessarium non fuisset redimi, non fuisset necessarium parere redemptorem. Ut quid enim nescium peccati pareres pro peccatoribus, si deesset qui peccasset? Ut quid mater fleres Salvatoris, si nulla indigentia esset salutis?... Per te, inquam, Domina, per te caelestis medici medicina affluxa... fluxa nostra defluxit; et si non inveniret in homine idem medicus quod curaret, matrem te habere non curaret. Causa igitur necessitatis nostrae necessitas exstitit profectionis tuae ».

[2] In Tract. de erroribus Abaelardi, c. 5. n. 11. seqq. et c. 9. n. 23 seqq., ubi Abaelardum refutat ponentem, quod « nec Filius Dei, ut hominem liberaret, carnem assumsit ». Et in Serm. 4. de Adventu Domini, n. 7. dicit: Nec sane laborandum est in hac parte [ad quid scil. venerit], cum manifeste adventus eius causam et verba ipsius et opera clament. Ad quaerendam quippe ovem centesimam, quae erraverat, de montibus properavit etc. Cfr. Liber ad milites templi, c. 11. n. 27. — Glossa hic memorata (super I. Tim. 1, 15.), quae est ordinaria et habetur apud Strabum et Lyranum, exhibet verba Augustini allata supra pag. 24, nota 10.

[3] In codd. A E F G H (K L Z a prima manu) N T U V et aliis desideratur *aliter*.

[4] Alias XII. Metaph. text. 52. Ab Averroe, qui, sicut et Albert. Magnus, librum praecedentem (sibi fortasse ignotum?) non est commentatus, hic liber ut XI. numeratus est. Pariter in recentioribus edd., Berolinensi (Bekker) scilicet et Parisiensi (Firmin-Didot), numerum XI. habet, sed alia ex causa, quia nempe in his edd. libri I. et II. Metaph. (iuxta antiquiorem divisionem) in unum contracti sunt. Dictum Philosophi, quod hic memoratur, habetur ibi XI. c. 10, quo loco Philosophus agens de bono universi ostendit, duplicem esse bonum universi: unum separatum, scil. primum movens sive Deum; alterum intrinsecum, scil. ordinem partium universi, sicut duplex sit bonum in exercitu; « etenim *bene esse* eius in ordine et dux ipse est, ac magis ipse; non enim ipse propter ordinem, verum ordo propter ipsum est ».

[5] Eph. 1, 10.

[6] Vat. *nostra*, quae et mox cum edd. 1, 2 pro *opera inchoata* exhibet *inchoata opera sua*. Paulo superius pro *Plus enim* codd. A B C D E N T U X perperam substituunt *Plus etiam*.

[7] Cfr. IV. Sent. d. 49. p. II. art. princip. 1. a. 3. q. 4, ubi et de seq. ratione videsis. — Paulo inferius pro *corpus ipsius* cod. T *corpus Christi*. Post pauca pro *delectationis* cod. A *dulcedinis*, codd. E G H L N U Z *dilectionis*.

mperfectionem sensus, qui ad ipsum non potest pertingere [1]. Sed tunc plura obviabunt, sive ratione sensuum aliorum, qui non habent obiecta sua, sicut visus, et tamen perfecte beatificati sunt; sive ratione aspectus Christi, qui ad alios Sanctos aspicit; sive etiam ratione perfectionis beatitudinis, quae non facit hominem aliquid extrinsecus mendicare; sive etiam, quia oppositum non posset intelligi, quod gloriosus homo posset a Christi praesentia absentari absque gloriae suae detrimento.

2. Ad illud quod obiicitur, quod in humana natura [2] data est congruitas vel idoneitas ad incarnationem; dicendum, quod illa idoneitas attenditur ex parte reparabilitatis hominis principaliter, quamvis ratione dignitatis et aliarum conditionum aliquo modo attenditur; et ideo, sicut homo non fuisset reparatus, si non cecidisset, quamvis esset reparabilis; sic Divinitati non esset unitus, quamvis esset unibilis. Notandum. Non tamen frustra fuisset illa potentia [3], quia multae sunt potentiae et idoneitates, quae ad actum non perducuntur; nec tamen frustra sunt, quia nobilitati et dignitati naturae attestantur. Nec dicitur potentia *frustra,* si non reducitur ad actum; sed tunc *frustra* est, cum ad actum non reducitur, et tamen ad actum exigit eam reduci tempus et locus.

3. Ad illud quod obiicitur, quod decet Dei potentiam et sapientiam in statu innocentiae manifestari; dicendum, quod satis sufficienter se manifestabat per opus creationis et distinctionis et ornatus; et ideo si illa perstitissent, cum valde bona essent [4], non oportuisset novum modum agendi superaddere Notandum. ad manifestationem; quemadmodum opera miraculosa facta sunt post hominis lapsum, quae non oportuit fieri ante, quia Dei potentia, sapientia et bonitas nota esset et satis in suis effectibus reluceret. Nunc autem congruum est et decens, Deum multa opera facere miraculose ad manifestationem suae potentiae et confirmationem [5] fidei nostrae. Sic etiam in proposito intelligendum est, sicut dicunt Sancti, quod quia homo per peccatum interius lumen obfuscatum habebat et conversus fuerat ad sensibilia et illa amabat; ideo Deus invisibilis factus est visibilis secundum carnem, ut per visibilia reduceret ad invisibilia cognoscenda et amanda. Et hoc est quod dicit Gregorius in quadam Praefatione [6]: « Ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc invisibilium amore rapiamur ». Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod ita difficile est promereri vitam aeternam, sicut satisfacere pro offensa; dicendum, quod falsum est, quia ad meritum vitae aeternae sufficit complacentia ex parte merentis, ad hanc autem complacentiam sufficit divina gratia. Et quia gratiam divinam poterat homo habere per missionem Spiritus sancti et Filii in *mentem* absque Filii missione in *carnem* [7]; hinc est, quod ad perfectionem meriti vitae aeternae non oportuit incarnationem intervenire. — Ad satisfaciendum autem non solum requiritur, quod satisfaciens placeat, sed quod damnum recompensare valeat et honorem Deo sublatum restituat, sicut melius videbitur infra [8]; et ideo non tanta fuit necessitas incarnationis propter necessitatem merendi, sicut propter necessitatem satisfaciendi. Et quod illud sit verum, planum est in Angelis, quorum natura non est unita Verbo, et tamen meruerunt vitam aeternam [9]. — Praeterea, esto quod tantae difficultatis sit, Alia solutio. tamen non oportet, quod propter hoc necessaria sit incarnatio, pro eo quod Spiritus sanctus ipse, qui per caritatem movet animam, dignam eam facit gloria sempiterna. Unde neutrum fit sine missione alicuius personae; sed ad satisfaciendum necessaria est missio in carnem, quia, sicut infra [10] patebit, congruentissimus modus fuit satisfaciendi per mortem et passionem, sicut congruentissimus modus est ad merendum per caritatem et dilectionem. Conditiones meriti et satisfactionis.

5. Ad illud quod obiicitur, quod anima Christi

---

[1] Vide August., XXII. de Civ. Dei, c. 29. n. 2. seqq. et IV. Sent. d. 49. p. I. q. 3.

[2] Cod. K *quod humanae naturae.* Paulo inferius pro *aliquo modo attenditur* codd. H K bb *aliquo modo attendatur.*

[3] Cfr. tom. I. pag. 771, nota 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. ad 4, eandem solvens obiectionem, communem adhibet distinctionem potentiae sive capacitatis in creatura, scil. *secundum potentiam naturalem* (quam Deus vacuam non dimittit in genere, quamvis respectu alicuius particularis creaturae non impleatur propter aliquod impedimentum) et *secundum potentiam obedientiae,* cuiusmodi est capacitas humanae naturae ad dignitatem incarnationis; nec oportet, quod Deus omnem talem impleat, sicut non oportet, quod Deus faciat quodcumque potest, sed quod congruit ordini sapientiae eius. — Mox pro *non perducuntur* cod. K *nunquam ducuntur.*

[4] Gen. 1, 31: Viditque Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona. — In principio solut. post *sapientiam* codd. Q Z addunt *et bonitatem;* edd., ordine verborum inverso et addito *prudentiam,* sic legunt: *decet Dei sapientiam, prudentiam et potentiam.* Post pauca cod. Q pro *superaddere* exhibet *superinducere et addere,* et dein pro *opera miraculosa* cod. F *opera mirabilia.*

[5] Pro *et confirmationem,* quam lectionem codd. F P Q R S bb confirmant, cod. K *propter confirmationem,* multi alii codd. *per confirmationem,* edd. *pro confirmatione.* Mox pro *quod quia* codd. P bb *et quia,* codd. A E H L U V X Z aa et edd. 1, 2 *quia quod,* Vat. *quia ergo.* Deinde post *ad sensibilia* codd. M O subiungunt *cognoscenda.*

[6] Missa in Nativ. Domini (apud Gregor. in 3. Missa). Nostra lectio convenit cum originali huius Praefationis (in libro Sacramentorum), dum in Vat. et aliquibus codd. nec non in edd. 1, 2 legitur, sicut et nunc in Missali Romano, *in invisibilium amorem rapiamur.* Cfr. August., I. de Doctr. christ. c. 11. n. 11. seqq. nec non Epist. 140. (alias 120.) c. 3. n. 7. et c. 6. n. 18.

[7] Cfr. I. Sent. d. 15. p. II. q. 1. seqq.; II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3; d. 29. a. 1. q. 1. seq. et a. 2. q. 1.

[8] Dist. 20. q. 2. seqq.

[9] Cfr. II. Sent. d. 4. a. 1. q. 1. seq. et d. 5. a. 3. q. 1. seq. — Subinde pro *Praeterea* Vat. *Propterea.*

[10] Dist. 20. q. 2. — Paulo superius post *sine missione* codd. G H L N V aa interserunt *Spiritus sancti,* cod. E subiicit *scilicet.* In fine solut. pro *ad merendum* cod. V (K a secunda manu) substituit *merendi.*

educi debuit principali intentione; dicendum, quod Deus — quia ab aeterno praescivit lapsum humani generis — ideo fecit, quia se recuperaturum cognovit; et ideo principalius in intentione fuit reparatio lapsi quam conditio eius ad lapsum possibilis [1]. Et propter hoc non sequitur, quod Deus non praedestinaverit Christum principaliter, sicut et alios, immo multo principalius. Hoc enim teneret, si Deus in conditione generis humani non praecognovisset eorum lapsum; tunc enim quasi praeter intentionem subsecutum fuisset.

6. Ad illud quod obiicitur, quod humana natura est exaltata propter incarnationem; dicendum, quod absque dubio verum est; sed ex hoc non sequitur, quod reportaverit ex malitia commodum, quia hoc non fuit ex sua malitia, sed ex summa *benignitate* divina et *sapientia*. Quia enim *sapientia* Notandum. Dei vincit malitiam [2], hinc est, quod non patitur esse malum aliquod, de quo non eliciat bonum, et etiam maius bonum; alioquin non perfecte malitiam vinceret. Et propterea contra praevaricationem Adae, qui totum genus humanum interfecit, statuit rectitudinem secundi Adae, qui pro toto genere humano posset satisfacere, et cuius obedientia multo plus sibi placeret, quam inobedientia primi Adae potuit displicere [3]. — Similiter hoc fuit ex *bonitate* divina, ex qua Deus plenus est dilectione et misericordia. Et ideo diligentibus se, quos Sanctos vocavit secundum propositum suum, omnia facit eis operari in bonum [4]; unde Filium Dei incarnari non fecit nostra malitia, sed Dei caritas nimia et misericordia, secundum quod dictum est in auctoritate prius posita: *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem* etc.

7. Ad illud quod obiicitur, quod Christus est caput Ecclesiae secundum humanam naturam; dicen- Duplex capitis proprietas. dum, quod duplex est capitis proprietas: una, quae attenditur secundum *conformitatem* ad membra; alia, quae attenditur secundum donorum gratuitorum *influentiam*. Ratione primae proprietatis Christus caput est in quantum *homo;* ratione secundae Christus caput est in quantum *Deus*, et ratione huius principaliter tenet rationem capitis [5]. Et ideo, esto quod incarnatus non esset, adhuc Ecclesia capite non careret; quia *caput viri esset Deus*, et ita Ecclesia hominum caput haberet Deum, sicut habet Ecclesia Angelorum. Et ideo non sequitur, quod corpus Ecclesiae esset acephalum, quamvis non haberet caput secundum omnem proprietatem, quam habet modo; haberet enim tunc caput Deum, sicut nunc habet Ecclesia Angelorum.

8. Ad illud quod obiicitur, quod matrimonium significat coniunctionem naturarum; dicendum, quod matrimonium duplicem habet significationem. Signi- Duplex significatio matrimonii. ficat enim coniunctionem Dei ad Ecclesiam secundum *caritatem*, et significat etiam coniunctionem secundum *unionem in personae unitate* [6]; et utramque harum significationum habet secundum statum lapsus, alteram autem habuisset, si stetisset; et ideo non esset falsum signum. Sicut enim matrimonium nunc est in *officium* et *remedium*, tunc autem solum in *officium;* sic matrimonium nunc duplex habet significatum, tunc autem unum.

9. Ad illud quod obiicitur, quod quadruplex est modus productionis hominum; dicendum, quod ille quartus modus producendi hominem non est *de* perfectione universi, sed *supra* perfectionem universi. Notandum. Et ideo Ieremias [7] vocat illud *novum*, cum ait: *Novum faciet Dominus super terram;* hoc autem *novum* Dominus non fecisset, nisi aliqua veteratio praecessisset. Et ideo non sequitur, quod, si homo stetisset, et [8] talis modus producendi hominem esset. Nec ex hoc sequitur, quod universum sua perfectione careret; sicut etiam non potest argui imperfectio universi quantum ad suscitationem mortui, quam Deus non fecisset, si homo perstitisset. — Posset Aliter. etiam dici, quod de illo modo productionis non potest argui veritas incarnationis, quia Deus posset producere hominem de muliere absque viro, qui tamen non esset Deus.

---

[1] Vel aliis verbis: quia Deus, praeviso peccato, quod primi parentes vitare poterant, libere et positive voluit incarnationem Filii sui, ideo *ex parte Dei* incarnatio non fuit per accidens nec minus principaliter intenta, immo multo principalius. — Pro *quia se* codd. F H (K a secunda manu) M O V habent *quia per se*, edd. 1, 2 *qui se;* cod. bb: *ideo fecit per se recuperaturum, quia cognovit.* In cod. K secunda manus *recuperaturum* commutavit in *reparaturum;* et deinde pro *principalius* cod. E substituit *principaliter*. Paulo inferius codd. T U V omittunt *non* ante *praedestinaverit.*

[2] Sap. 7, 30: Sapientiam autem non vincit malitia. Cfr. I. Sent. d. 46. q. 3. 6. et d. 47. q. 3. — Pro *vincit* codd. E G H K L T U V X et edd. 1, 2 *vicit*. Paulo superius pro *ex summa* (cod. R *potius ex*, cod. P *etiam ex*) codd. A G H L (N a prima manu) T U *ex sua.*

[3] Respicitur Rom. 5, 14. seqq. et I. Cor. 15, 22. — Pro *potuit displicere* codd. E H K N *potuerit displicere*. Paulo superius pro *interfecit* edd. exhibent *infecit.*

[4] Rom. 8, 28: Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. — Seq. locus Script. est Eph. 2, 4. — Ex dictis apparet, quid verba illa sibi velint: « O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere redemptorem ». Sententia eorum est, quod culpa, per quam homo mortem aeternam commeruerat, *ex summa Dei in homines dilectione* ei feliciter cesserit.

[5] Cfr. infra d. 13. a. 2. q. 1. in corp. — In subnexis respicitur illud I. Cor. 11, 3: Omnis viri caput Christus est.

[6] Eph. 5, 32: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. — Pro *secundum unionem* (quibus verbis in cod. L a secunda manu additum est *naturarum)* cod. G *et unionem*. Paulo inferius post *si stetisset* secunda manus in cod. V supplevit *homo*, et in fine solut. codd. H (K a secunda manu) M O Q Z post *sic matrimonium* bene subiiciunt *nunc*, a nobis receptum.

[7] Cap. 31, 22.

[8] Particula *et*, quam codd. F H K bb omittunt, hic idem valet ac *etiam*, quod codd. E Z re vera hic exhibent. Pro *et* edd. substituunt *quod.*

Haec autem omnia absque praeiudicio dicta sunt; non enim volo bonitatem Dei coarctare, sed nimietatem caritatis suae erga *hominem lapsum* commendare[1], ut affectus nostri excitentur ad amandum ipsum, dum attendimus nimiae dilectionis eius excessum.

Notandum.

SCHOLION.

1. Sicut omnium divinorum operum, sic et incarnationis finis principalis et ultimus ex parte *Dei operantis* est gloria ipsius manifestanda (cfr. II. Sent. d. 1. p. II. a. 2. q. 1.). Intelligenda est igitur quaestio haec de ratione praecipua ex parte *rerum*, sive de fine *operis*, scilicet utrum adaequata ratio fuerit remedium peccati (quin tamen alia bona intenta excludantur), an ipsa huius mysterii excellentia cum plurimis bonis pro humano genere totoque universo inde resultantibus. Idem problema in scholis vulgo sic proponitur: utrum, si homo non peccasset, Verbum incarnatum fuisset. Nam responsio ad hanc alteram formulam sequitur ut corollarium ex solutione prioris quaestionis. — Incidimus hic in celeberrimam controversiam, praecipue inter scholam Thomistarum et Scotistarum a saeculis agitatam et nondum determinatam, in qua multa subtilia de praedestinatione Christi et de ordine decretorum divinorum afferri solebant. De ipsa consulantur recentiores auctores, quorum alii cum Scoto, S. Bernardino, S. Francisco Salesio et eximio theologo Suarez negant, praecipuam et adaequatam rationem incarnationis esse *redemptionem* generis humani; alii vero cum Thomistis hoc affirmant. Attamen in explicatione et confirmatione utriusque sententiae auctores varias ingrediuntur vias.

Observamus hic tantum *primo*, controversiam non esse, utrum, homine non peccante, incarnatio esset *possibilis*, vel etiam remaneret satis *congrua* divinis *attributis* (quod nemo negat), sed quaeritur de *facto*, vel potius *faciendo*, et quidem stante praesenté providentia et vi decreti divini iam conditi, non autem vi alterius decreti, quod Deus potuisset facere, Adam non peccante. Quis enim determinare velit, quid in alia providentia Deus facturus sit?

Secundo observamus, antiquos Scholasticos omnesque graviores auctores S. Bonaventurae in hoc consentire, quod etiam ad quaestionem sic intellectam non potest responderi nisi secundum *maiorem probabilitatem*. Hinc S. Thom. (hic d. 1. q. 1. a. 3.) eisdem fere verbis ac S. Bonav. monet, « quod huius quaestionis veritatem solus ille scire potest, qui natus et oblatus est, quia voluit »; unde ibidem etiam alteram opinionem probabiliter sustineri posse affirmat; idemque in sua Summa theol. (III. q. 1. a. 3.) de sententia, quam ipse praefert, tantum dicit: « Huic assertioni magis assentiendum videtur », et paulo inferius, « convenientius dici » etc. Similiter loquuntur qui sententiae Scoti favent, ut B. Albertus et vel ipse Scotus, qui (Comment. Oxon. III. Sent. d. 7. q. 3. n. 3.) suam sententiam explanandam incipit sic: Sine praeiudicio dici potest etc. Richard. a Med. autem utramque opinionem cum suis argumentis affert et in neutram inclinat. Pro eadem sententia vulgo citatur etiam Alex. Hal., sed, ut iam observavit. cl. Dr. Scheeben (Handb. der Kathol. Dogmatik, t. III. pag. 884), sine satis firmo fundamento, cum ipse ad alium *statum quaestionis* respondeat. Quaerit enim tantum de *convenientia* incarnationis, homine non peccante, et resolvit sic: « Sine praeiudicio concedendum est, quod etsi non fuisset natura lapsa, adhuc esset *convenientia* ad incarnationem ». Nec aliud in illa responsione determinat, nec in ipsis argumentis aliquid aliud nisi *convenientiam* concludit, excepto primo, ubi revera ex *congruentia* arguit, quod « posito, quod ipsa non esset lapsa, adhuc uniretur summum bonum ». Constat autem etiam secundum Alexandrum, quod ex *sola congruentia* alicuius boni et etiam optimi non potest recte argui, a Deo hoc esse faciendum. Ex altera parte nemo negavit, Adam non peccante, adhuc fuisse incarnationem et possibilem et etiam convenientem et congruam, si Deo placuisset eam velle. — Quam sapienter pieque totam hanc quaestionem tractet S. Bonav. et ad mentem Angelici resolvat, patet ex littera.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 2. m. 13. — Scot., loc. cit. et d. 19. q. unic. n. 6; Report. III. Sent. d. 7. q. 4. n. 4. — S. Thom., locc. citt. — B. Albert., III. Sent. d. 20. a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 2. — Biel, III. Sent. d. 2. q. unica in fine.

QUAESTIO III.

Quae trium personarum fuerit ad incarnationem magis idonea.

Tertio quaeritur, quae trium personarum fuerit ad incarnationem magis idonea. Et ostenditur primo, quod persona *Patris*.

Quoad Patrem.

1. Illius enim est *recreare*, cuius est *creare*[2]; sed creatio maxime attribuitur et convenit potentiae Patris, ergo et recreatio: ergo pari ratione videtur, quod et incarnatio.

Ad oppositum.

2. Item, illius est *filios adoptare*, cuius est *generare*; sed incarnatio ordinatur ad adoptionem, sicut dicitur ad Galatas quarto[3]: ergo videtur, quod maxime competit ei, cui convenit generare: ergo maxime convenit Patri incarnari.

3. Item, Filius totum, quod habet, habet a Patre[4]: ergo magis decet Patrem habere aliquid, quod non habeat Filius, quam Filium, quod non habeat Pater: si igitur incarnatio facit, humanam naturam haberi a persona, quae incarnatur, videtur, quod hoc magis competat personae Patris quam personae Filii.

Quod autem magis competat personae *Spiritus sancti*, ostenditur: ... Quoad Spiritum S.

---

[1] Rom. 5, 8: Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est etc.

[2] August., de Verbis Apostoli, serm. 176. (alias 20.) c. 5. n. 5: Nemo recreat, nisi qui creat; nemo reficit, nisi qui fecit. Cfr. tom. II. pag. 633, nota 3. — Quod in *minori* proponitur, Symbol. Apost. exprimit verbis: Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem etc. — Proxime post pro *sed creatio* cod. Z *sed creare*.

[3] Vers. 5: Ut eos... redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

[4] Cfr. Ioan. 5, 19. seqq. — Paulo inferius post *quam Filium* edd. suppleni *habere*.

4. Quia quod maxime habet rationem gratiae maxime competit missioni Spiritus sancti; sed quod Deus factus est homo, hoc est summa gratia, sicut vult Augustinus decimo tertio de Trinitate [1]: ergo videtur, quod hoc magis debuerit esse in persona Spiritus sancti quam in persona Filii.

5. Item, Spiritus amoris facit nos filios Dei adoptivos, secundum illud ad Romanos octavo [2]: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum* etc.: ergo si incarnatio est, ut fiamus filii Dei adoptivi; videtur, quod incarnatio maxime debuerit esse in persona Spiritus sancti.

6. Item, *mitti* dicit subauctoritatem in misso [3], ergo ei magis convenit mitti, in quo magis reperitur ratio subauctoritatis; sed ratio subauctoritatis magis reperitur in persona Spiritus sancti quam Filii: ergo si incarnatio est in carnem missio, videtur, quod magis conveniat Spiritui sancto quam Filio.

Quoad Filium. Quod autem magis competat Filio, videtur.

Fundamenta. 1. Magis decet personam mediam tenere rationem mediatoris quam aliam; sed incarnatio est ordinata ad effectum mediatoris [4], persona autem media in Trinitate est persona Verbi: ergo etc.

2. Item, magis decet Filium Dei esse hominis [5] filium quam aliam personam; sed per incarnationem ille qui incarnatur, efficitur Virginis filius: ergo videtur, quod personam Filii incarnari sit magis decens et congruum.

3. Item, convenientius est, Filium supplicare Patri [6] quam aliam personam; sed incarnatio ad hoc ordinatur, ut sit aliquis mediator, qui pro hominibus intercedat ad Deum: ergo etc.

CONCLUSIO.

Convenientius fuit, Filium incarnari quam aliam personam divinam.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod persona Verbi ad incarnationem inter ceteras personas fuit magis idonea, sive loquamur de ipsa incarnatione *in se*, sive prout *ordinata est ad humani generis redemptionem*.

Ratio 1. triplex. Si enim loquamur de ipsa incarnatione *in se*, magis congruum fuit, personam Filii incarnari, et in quantum est *Imago*, et in quantum est *Verbum*, et in quantum est *Filius*. In quantum est *Imago*, quia homo assumtibilis erat ratione dignitatis imaginis; et quia Filius est Imago Patris, ideo magis conveniens erat, Filii personam assumere creaturam [7]. — *Rursus*, quia Filius Dei *Verbum* est Patris, sic procedit ab ipso, ut Pater se manifestet per ipsum; et ideo, sicut ad intentionis manifestationem verbum intelligibile copulatur voci sensibili, sic ad divinitatis revelationem Verbum Patris congruum fuit uniri carni [8]. — *Postremo*, quia *Filius* est semel genitus ab aeterno, et sic congruebat, Deum carnem assumere, ut esset de genere hominum, et ita hominis filium; et ideo decebat ipsum magis incarnari quam Patrem vel Spiritum sanctum. Et hoc est quod dicit Augustinus in libro de Trinitate, et Magister in littera [9], quod Dei Filius « non quaesivit nisi matrem in terris, quia iam habebat Patrem in caelis ». — Magis igitur decens fuit, Filium incarnari quam aliam personam, si loquamur de ipsa incarnatione in se.

Ratio 2. triplex. Fuit etiam magis congruum, si loquamur de ipsa incarnatione *per comparationem ad generis humani redemptionem*; et hoc apparet, si consideremus *hominis lapsum*, et *reparandi modum*, et *reparationis fructum*. Si consideremus *hominis lapsum*, videbimus, quod lapsus fuit appetendo falsam Dei similitudinem et aequalitatem; et quia Filio primo attribuitur aequalitas, hinc est, quod quasi ex ipso sumsit homo lapsus occasionem; et ideo inde sumere debuit reparationem. Et hoc dicit Bernardus [10] explanans illud quod dicitur Ionae primo: *Propter me orta est haec tempestas; tollite me et mittite in mare*. Aut certe in hoc, quod homo praesumserat Dei similitudinem, directe contra Filium peccavit; et ideo Filio magis competebat vindicta et

---

[1] Cap. 19. n. 24: In rebus enim per tempus ortis illa summa gratia est, quod homo in unitate personae coniunctus est Deo. — In *maiori* cod. Z inter *missioni* et *Spiritus sancti* interserit *personae*.

[2] Vers. 15. — Ante *filios Dei* codd. A N supplent *esse*, pro quo non pauci alii codd. cum edd. 1, 2 substituunt *et*.

[3] Cfr. I. Sent. d. 15. p. I. q. 1. 3. et dub. 5, ubi etiam de *minori subsumta* videsis, in qua codd. Z bb pro *quam Filii* substituunt *quam in persona Filii*. — Quod incarnatio sit missio in carnem, August. exponit, ut videre est supra pag. 17, nota 4.

[4] Vide supra pag. 19, nota 6.

[5] Multi codd. et edd. 1, 2 omittunt *hominis*, Vat. addit *vel Virginis*. — De hoc et seq. arg. cfr. hic corp. quaest.

[6] Respicitur Hebr. 5, 7. Cfr. ibid. 7, 25. et Rom. 8, 34.

[7] Tertull., de Resurrect. carnis, c. 6. ait: « Quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quod et limus et caro Sermo [Verbum], quod et terra tunc. Sic enim praefatio Patris ad Filium: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et fecit hominem Deus.* Id utique quod finxit, ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi... Ita limus ille, iam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed et pignus ». Iren. V. contra Haeres. c. 16. n. 2. ait: In praeteritis enim temporibus dicebatur quidem secundum imaginem Dei factum esse hominem, non autem ostendebatur. Adhuc enim invisibile erat Verbum, cuius secundum imaginem homo factus fuerat. Propter hoc autem et similitudinem facile amisit. Quando autem caro Verbum Dei factum est, utraque confirmavit: et imaginem enim ostendit veram, ipse hoc fiens, quod erat imago eius; et similitudinem firmans restituit, consimilem faciens hominem invisibili Patri per visibile Verbum. Cfr. Rom. 5, 14; 8, 29; II. Cor. 4, 4; Coloss. 1, 18. et supra a. 1. q. 1. fundam. 3. nec non infra d. 2. a. 1. q. 1. seq. — Pro *creaturam* in edd. habetur *carnem*.

[8] Cfr. August., XV. de Trin. c. 11. n. 20. Cfr. etiam I. Sent. d. 27. p. II. q. 4. — Paulo superius pro *intelligibile* edd. atque aliqui codd. *intellectuale*. Paulo inferius pro *congruebat, Deum* edd. *congruebat, eum*.

[9] Non ad verbum quidem, sed sententialiter August., II. de Trin. c. 5. n. 8; IV. c. 20. n. 27. seq., et hic in lit. Magistri c. 1; ad verbum autem illa sententia expressa habetur in August., tr. 2. in Ioan. Evang. n. 15.

[10] Serm. 1. de Adventu Domini, n. 4: Revera enim principes nostri Adam et Eva... inobedientes et socii furum; qui

indulgentia. Et hoc est quod dicit Anselmus in libro *Cur Deus homo*[1]: « Homo, pro quo erat oraturus, et diabolus, quem erat expugnaturus, ambo falsam Dei similitudinem praesumserant. Unde specialius adversus Filium peccaverunt. Illi itaque, cui specialiter fit iniuria, convenientius attribuitur culpae vindicta et indulgentia ». — *Rursus*, si consideremus *modum reparationis*, magis competit Filio. Reparati enim sumus per mediatoris obedientiam et supplicationem; et quia magis competit, filium supplicare patri et obedire: hinc est, quod magis competit personae Filii incarnari quam alii. Unde Anselmus in libro *Cur Deus homo*[2]: « Convenientius sonat, Filium supplicare Patri quam aliam personam ». — *Postremo*, si consideremus *reparationis fructum* vel effectum, magis competebat Filio incarnari: quia incarnatio ad hoc ordinatur, ut simus filii Dei: si ergo posterius per illud habet reduci, quod est prius in eodem genere[3], congruum fuit, ut filii Dei efficeremur per eum qui est Filius naturalis. Unde Augustinus in quarto de Trinitate[4]: « Ut homo ex Deo nasceretur, primo ex ipsis natus est Deus. Oportuit enim, ut per eum efficeremur filii adoptivi, qui est Filius naturalis ».

Et sic patet per omnem modum, quod convenientius fuit, Filium incarnari quam alium. — Unde concedendae sunt rationes, quae ad hoc inducebantur.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur, quod Patri magis convenit opus recreationis, sicut creationis; dicendum, quod Pater sic est auctor recreationis, sicut et creationis; et sicut per Verbum omnia fecit, sic et per Verbum omnia refecit[5]. Sed ex hoc non sequitur, quod Pater magis debuerit incarnari, quia incarnatio non respicit personam auctoris, sed mediatoris. Et quia ratio mediationis non convenit Patri, sed potius Filio; hinc est, quod non sequitur, quod incarnatio magis conveniat Patri quam Filio; immo potius e converso.

2. Ad illud quod obiicitur de adoptione, dicendum, quod verum est, quod adoptio convenit Patri tanquam principali auctori; sed hoc non debet facere nisi per Filium, cuius tota est hereditas, et per quem alii ad hereditatem debent admitti[6].

3. Ad illud vero quod obiicitur, quod Filius habet a Patre quidquid habet; dicendum, quod Filius dicitur aliquid habere per *naturalem originem*[7], aliquid per *gratuitam unionem*. Et si *primo modo* intelligatur, quidquid habet, habet a Patre, ita quod idem, quod est in Filio a Patre, est in Patre a se ipso, in essentialibus loquendo. Si autem loquamur de eo quod habet *per gratuitam unionem*, sic habet a Patre tanquam a principio effectivo, non tanquam a generante; quia secundum illud Filius est minor Patre, et quia magis decet, Filium secundum humanam naturam esse minorem Patre; hinc est, quod isto modo magis competit, Filium habere aliquid, quod non habeat Pater, quam e converso[8]. Distinctio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod magis convenit Spiritui sancto, quia haec est summa gratia; dicendum, quod per illam rationem non concluditur, quod incarnatio debeat fieri in persona Spiritus sancti, sed quod opus incarnationis debeat attribui Spiritui sancto; et hoc melius videbitur infra[9]. Et similiter respondendum est ad hoc quod sequitur de adoptione.

5. Ad illud quod obiicitur de missione, dicendum, quod missio in carnem fuit ad redimendum a servitute; et quia oportet, prius hominem liberari a servitute quam adoptari in filium; hinc est, quod missio in carnem ei personae competebat, cui primo

---

quod Filii Dei est... surripere tentant. Nec dissimulat iniuriam Filii Pater... Quid agat Filius, videns pro se zelare Patrem et nulli penitus parcere creaturae? Ecce, inquit, occasione mei creaturas suas Pater amittit. Altitudinem meam primus angelus affectavit... Scientiam quoque, quae nihilominus mea est, surripere voluit homo... ecce, propter me angelos perdidit multos, homines universos. Ergo ut sciant, quia et ego diligo Patrem, per me recipiat quos quodam modo propter me amisisse videtur. Si propter me tempestas haec orta est, ait Ionas (1, 12.), tollite me et mittite in mare.

[1] Libr. II. c. 9, quem locum textus originalis sic exhibet: Homo... similitudinem Dei *per propriam voluntatem* praesumserant. Unde *quasi* specialius adversus *personam Filii* peccaverunt, *qui vera Patris similitudo creditur*. Illi itaque, cui *specialius* fit... vindicta *aut* indulgentia. — In initio testimonii edd. verbum *oraturus* commutarunt in *moriturus*.

[2] Libr. II. c. 9. Cfr. de Fide Trinit. c. 5.

[3] Cfr. Aristot., II. Metaph. text. 4. (I. brevior c. 1.) et tom. II. pag. 94, nota 4.

[4] Cap. 20. n. 27. seq., sed sententialiter tantum (de quo vide hic lit. Magistri, c. 1.). Cfr. etiam II. de Trin. c. 5. n. 7. seqq. et XIII. c. 19. n. 24. Codd. et edd. hic et in fine quaest. lectorem delegant ad libr. III. de Trin., ubi neque haec neque similis sententia occurit; at in S. August., tr. 2. in Ioan. Evang. n. 15. habetur fere ad verbum. Legitur enim ibi: Ut autem homines nascerentur ex Deo, primo ex ipsis natus est Deus. Christus enim Deus et Christus natus ex hominibus... natus ex Deo, per quem efficeremur, et natus ex femina, per quem reficeremur. Noli ergo mirari, o homo, quia efficeris filius per gratiam, quia nasceris ex Deo secundum Verbum eius. Prius ipsum Verbum voluit nasci ex homine, ut tu securus nascereris ex Deo etc.

[5] August., Enarrat. in Ps. 142. n. 17: *Tu es Deus meus*, qui Creator meus, qui creasti me per Verbum tuum, et recreasti me per Verbum. Sed creasti me per Verbum Deum manentem apud te; recreasti per Verbum carnem factum propter nos. Cfr. Enarrat. in Ps. 45. n. 14. — Paulo inferius pro *mediationis* edd. et nonnulli codd. *mediatoris*, ubi prosequitur cod. cc *non convenit magis Patri quam Filio; hinc est*. Circa finem solut. non pauci codd. *convenit* pro *conveniat*.

[6] Rom. 8, 17: Si autem filii, et heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. — Pro *debent admitti* codd. M O *admittuntur*, et paulo ante pro *alii* cod. bb *filii*.

[7] Plurimi codd. et edd. 1, 2 *ordinem*, quae lectio explicari poterit textu I. Sent. d. 20. a. 2. q. 2, ubi *ordo naturae* in divinis admitti posse docetur, quatenus non dicat nisi ordinem naturalis originis.

[8] Cfr. August., IV. de Trin. c. 19. n. 26. seqq.

[9] Dist. 4. a. 1. q. 1. — Paulo inferius pro *quod sequitur* cod. K *quod non sequitur*.

competebat mitti; et quia persona Filii habet mitti solum a Patre, persona Spiritus sancti habet mitti ab utroque: hinc est, quod primo decebat Filium mitti in carnem, ut, redemptione facta, idem ipse cum Patre mitteret Spiritum sanctum in mentem. Et hoc est quod dicit Apostolus ad Galatas quarto [1]: *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* etc.; et post: *Ut adoptionem filiorum Dei* etc.; et post: *Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Propterea non sequitur, quod si maior ratio subauctoritatis est in Spiritu sancto quam in Filio, quod propterea debuerit in carnem mitti; immo potest inferri contrarium. Pater enim, quia a nullo est, non debuit mitti. Et hoc est quod dicit Augustinus quarto de Trinitate [2]: Conveniens non erat, ut Pater ab alio mitteretur, quia ab alio non erat. Conveniens autem fuit, ut primo Filius mitteretur, quia a solo Patre est, deinde Spiritus sanctus, qui est a Patre et a Filio. Primo Filius venit, ut homines liberarentur; deinde Spiritus sanctus, ut homines beatificarentur.

SCHOLION.

I. In hac et seq. (4.) quaestione afferuntur *rationes congruentiae*, pro modulo nostrae cognitionis satis aptae, ut divina sapientia in *modo* incarnationis peragendae agnoscatur et laudetur. Ad rationes, quas auctor noster affert, reduci possunt quaedam ab aliis Scholasticis notatae, v. g. ea quae respectu 3. quaestionis profert Alex. Hal. de duplici convenientia secundum *appropriata* et *propria* divinarum personarum, quae divisio etiam a S. Thom. in Coment. repetitur.

De hac 3. quaestione tractant: Alex. Hal., S. p. III. q. 2. m. 5. a. 1. — Scoti loci collecti in Sum. Hier. de Montefortino, t. IV. q. 3. a. 8. — S. Thom., hic q. 2. a. 2; S. III. q. 3. a. 8; S. c. Gen. IV. c. 42. — B. Albert., hic a. 7. 8. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. — Ægid. R., hic q. 2. a. 1. — Dionys. Carth., hic q. 3. — Biel, hic q. 2.

II. De 4. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. 8. m. 1. — Scoti loci collecti ibid. q. 1. a. 5. 6. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. III. q. 1. a. 5. 6. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 5. — Ægid. R., hic q. 2. a. 5. — Dionys. Carth., hic q. 8.

QUAESTIO IV.

Quo tempore fuerit magis congruum, Filium Dei incarnari.

Quarto et ultimo quaeritur, quo tempore fuerit magis congruum, Filium Dei incarnari. Et videtur, quod in primordio temporum:

1. Primo per illud quod dicitur Genesis secundo [3]: *Consummavit Deus sexto die opus suum;* sed consummatio operum maxime competit in opere incarnationis, sicut superius tactum est: ergo videtur, quod incarnari debuerit in aliquo illorum sex dierum. Ad oppositum.

2. Item, magnitudo amoris non tantum facit dona multiplicari, sed accelerari; sed *Deus propter nimiam caritatem suam misit Filium suum in similitudinem carnis peccati* [4]: ergo videtur, quod congruum fuerit, Filium Dei incarnari statim, cum homo indiguit. Sed homo statim indiguit, cum lapsus fuit: ergo etc.

3. Item, si Christus ab initio temporis venisset, multi ad viam veritatis venissent, sicut dicitur Matthaei undecimo [5]: *Olim si in Tyro et Sidone* etc.; sed ad divinae benignitatis magnitudinem spectat, quod velit *omnes homines salvos fieri*: ergo multo magis videtur, quod congruum fuerit, Filium Dei incarnari in primordio temporum.

4. Item, aegro in periculo mortis succurri debet sine mora; sed homo cum peccavit, periculosissime aegrotavit: si ergo homini aegrotanti succurritur per Filii incarnationem [6], videtur, quod statim debuit incarnari.

Sed contra: 1. Ecclesiastis tertio [7]: *Omnia tempus habent;* et hoc ipsum dicitur Ecclesiastici trigesimo nono: *Omnia tempore suo comprobabuntur:* ergo si nullum tempus est adeo congruum beneficio plenissimo sicut tempus plenitudinis; videtur, quod Filius Dei debuerit tunc incarnari, *cum venit plenitudo temporis:* non ergo in primordio temporis. Fundamenta.

2. Item, Deus in omnibus operibus suis maxime servat ordinem; et sicut est ordo et gradus in profectu aetatis, sic est gradus et ordo in profectu mundi [8]: ergo sicut homo magis dispositus est ad sapientiam in aetate provecta quam in aetate iuvenili,

[1] Vers. 4. — Seq. Scripturae loc. est ibid. v. 5; tertius ibid. v. 6. — Paulo superius pro *primo decebat Filium mitti* cod. N *Filius debebat primo mitti.* Paulo inferius pro *Propterea* Vat. *Praeterea.*

[2] Cap. 20. n. 27. seqq. Vide hic lit. Magistri, c. 1. — Paulo inferius pro *quia a solo* codd. A N P Q T U V et edd. 1, 2 *qui a solo;* dein codd. A V bis *demum* pro *deinde;* denique in fine solut. cod. V post *Spiritus sanctus* addit *qui est a Patre et a Filio.*

[3] Vers. 2. — De *minori* cfr. supra a. 2. q. 1. seq.

[4] Eph. 2, 4. et Rom. 8, 3. — In fine arg. pro *fuit* codd. E G H L P Q T V *fuerit,* cod. A *fuerat.*

[5] Vers. 21. — Alia verba Script., quae dein afferuntur, sunt ex I. Tim. 2, 4. — Cfr. August., Epist. 102. (alias 49.) quaest. 2. n. 8. — Pro *divinae benignitatis* Codd. M N O *divinae bonitatis,* Vat. *divinae dignitatis.*

[6] Cfr. Marc. 2, 17; Luc. 5. 31. seq. — In *maiori* cod. A *aegrotanti* pro *aegro.*

[7] Vers. 1. — Testimonium ex Ecclesiastico allatum est ibi cap. cit. v. 40: Omnia enim in tempore etc. Tertius Script. loc. respicit Gal. 4, 4.

[8] De mundi et temporum decursu vide plura IV. Sent. d. 40. dub. 3; Breviloq. prooem. § 3; Itiner. mentis in Deum, c. 1. post medium; Hexaëm. Serm. 14-16.

quia *in antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia*[1], videtur, quod maior sit congruitas, quod divina sapientia incarnetur et de caelis mittatur missione perfecta in plenitudine temporum quam in principio.

3. Item, opus incarnationis et redemptionis magis se tenent cum opere glorificationis quam cum opere primae conditionis; sed opus glorificationis habet esse in fine temporis, opus conditionis habet esse in principio: ergo videtur, quod opus incarnationis magis debuerit perfici in approximatione ad finem temporum quam in initio[2].

4. Item, beneficium incarnationis nulli est utile, nisi ei qui illud recognoscit et pro illo est gratus; sed dilatio beneficii facit ad eius cognitionem et acceptionem[3]: ergo videtur, quod Dei Filius non debuerit statim a primordio temporum incarnari, sed post longa tempora, in quibus posset exspectari et desiderari.

CONCLUSIO.

Magis congruum fuit, Filium Dei incarnari quasi in fine temporum quam in principio.

Respondeo: Dicendum, quod sicut rationes ostendunt, et ipsa divina operatio comprobat, magis congruum fuit, Filium Dei incarnari quasi in fine saeculorum quam in principio. Potest autem huius quadruplex ratio assignari, quare tantum[4] incarnari distulerit. Conclusio.

Prima est propter *peccatum hominis puniendum*. In hoc enim manifestatur divinae ultionis severitas, quae tantos clamores et luctus hominum tanto tempore sustinuit, antequam vellet descendere; et ipse Adam cum posteritate sua tanto tempore exspectavit in limbo exulans a paradiso; et hoc propter manifestationem divinae iustitiae, quae nihil inultum dimittit. Ratio 1.

Secunda ratio fuit propter *morbum melius curandum*. Morbus enim spiritualis non curatur debite, nisi infirmus prius eum cognoscat et pro curatione eius gratus existat. Plus enim homo aegrotat per ingratitudinem pro curatione quam per culpae commissionem; et ideo debuit Deus beneficium incarnationis differre, ut homo convinceretur de impotentia et ignorantia — antequam incarnaretur[5] — et in Lege indita et in Lege scripta; et sic convictus confugeret ad divinam gratiam, et confugiens curaretur efficaciter. Ratio 2.

Tertia ratio est propter *ordinem universi servandum*. Quia enim hoc erat plenum et maximum beneficium, differri debuit usque ad plenitudinem dierum. Et propter hoc dicit Apostolus ad Galatas quarto[6]: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium* etc. Ratio 3.

Quarta ratio fuit propter *incarnationis beneficium amplius commendandum*. Quod enim amplius differtur et diutius desideratur, pretiosius reputatur; et ideo beneficium incarnationis, quod est inter Dei beneficia pretiosissimum, prius debuit esse desideratum et exspectatum quam exhibitum. Ratio 4.

Et propterea magis congruum fuit, Filium Dei incarnari in fine temporum. — Et concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

1. Ad illud vero quod obiicitur primo in contrarium de consummatione divinorum operum, dicendum, quod in opere incarnationis non attenditur consummatio, quae quidem sit[7] de opere primo universi, sed consummatio omnem consummationem superexcedens; et ideo non spectat ad opera sex dierum, in quibus universum conditum est et fabricatum, quantum ad ea quae spectant ad complementum primarium. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod magnitudo amoris facit beneficia accelerari; dicendum, quod verum est, quando acceleratio doni prodest ei quem amat; sed quando dilatio magis prodest quam acceleratio, tunc amor potius facit differre quam accelerare. — Praeterea, amor divinus non operatur secundum impetum, sed secundum dispositionem et regulam sapientiae; et ideo dona non accelerat, nisi servato debito et congruo ordine. Et propter hoc, quia ordinis congruitas exigebat dilationem, ideo amoris immensitas non faciebat accelerationem. Alia ratio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod multi salvati essent, si Deus venisset citius; dicendum, quod Deus bonum commune praeponit bono privato, et bonum totius universitatis praeponit bono personae singularis; et ideo, cum ordinis exigentia hoc requireret, ut Deus in fine temporum incarnaretur, usque ad sextam aetatem fuit dilatum[8]. Nec propter utilitatem aliquarum personarum existentium in prioribus aetatibus accelerari debuit divinum beneficium. Pla-

---

[1] Iob 12, 12. — In subnexis respicitur Sap. 9, 10: Mitte illam [sapientiam] de caelis sanctis tuis etc. — Cfr. de hoc arg. August., 83 Qq. q. 44, et I. Retract. c. 26, nec non I. de Gen. contra Manich. c. 23. n. 35. seqq. — Paulo superius pro *in profectu aetatis* et *in profectu mundi* edd. *in provectu aetatis* et *in provectu mundi*. Circa finem arg. cod. K post *missione perfecta* subiicit *et*.

[2] Cod. K *in initio temporum*.

[3] Cfr. Gregor., V. Moral. c. 4. n. 6. et XXVI. c. 19. n. 34. Cfr. etiam Quaest. ex novo Testam. (inter opera August.) q. 83, ubi latius et fusius de hoc arg. disseritur. — Pro *acceptionem* Vat. *acceptationem*, et paulo inferius ex cod. K substituimus *post longa* pro *per longa* quod est in edd. et aliis codd.

[4] Edd. *tamdiu*. Aliquanto inferius cod. T. voci *posteritate* praefigit *omni*.

[5] Vat. *curaretur*, et deinde cum edd. 1, 2 *ut sic* pro *et sic*. Paulo superius pro *ut homo* codd. G T V *unde homo*.

[6] Vers. 4. Cfr. Tertull., III. adversus Marcion. c. 2. seqq. et August., tr. 31. in Ioan. Evang. n. 5.

[7] Cod. bb *est*, codd. A D M N O T V etc. et ed. 1. *fit*. Mox pro *superexcedens* cod. A *superexcellens*.

[8] Cfr. infra dub. 1.

cuit enim universitatis Conditori in aliis servare severitatem iustitiae, in aliis manifestare benignitatem misericordiae.

4. Ad illud quod obiicitur de aegro, quod statim debet[1] succurri; dicendum, quod nunquam defuit divinus succursus. Nam ipsa exspectatio et fides futuri adventus erat eis in remedium salutare et sustentationem, quousque veniret ille qui consummaret; unde omni tempore fuerunt aliqua Sacramenta, quae attulerunt aegris remedium salutare, licet alia et alia in diversis fuerint temporibus instituta, sicut in quarto libro[2] expressius habetur manifestatum[3].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de verbo Apostoli[4], quod dicitur: *At ubi venit plenitudo temporis* etc. *Contra:* Videtur, quod non fuerit plenitudo temporis in adventu Filii Dei, primae ad Corinthios decimo tertio[5]: *Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus;* sed *plenitudo* evacuat *quod ex parte est:* ergo videtur, quod plenitudo temporis nondum pervenerit. — Item, Matthaei decimo tertio[6]: *Sagena, quam cum impleta;* Glossa: « In fine mundi »: ergo non videtur, quod ante finem mundi sit temporis plenitudo.

Respondeo: Dicendum, quod tempus incarnationis dicitur *tempus plenitudinis* multiplici de causa:

Ratio 1. primo, quia Deus implevit quod praefinierat. Unde super illud ad Galatas quarto[7]: *At ubi venit plenitudo temporis;* Glossa: « Completum est tempus, quod praefinierat Pater, quando mitteret Filium suum ».

Alia ratio est propter impletionem promissionis,

Ratio 2. quia ille nobis datus est, qui fuerat repromissus. Unde super illud Ioannis primo[8]: *Plenum gratiae et veritatis;* Glossa: « Quantum ad impletionem promissorum ».

Tertia ratio est quantum ad completionem figu-

Ratio 3. rarum, quia in Christi adventu figurae illae, quae erant in veteri Testamento, impletae sunt veritate, Matthaei quinto[9]: *Non veni Legem solvere, sed adimplere.*

Quarta ratio est propter plenitudinem gratiae,

Ratio 4. quae fuit in Christo, quae fuit principium omnium plenitudinum. Unde ad Colossenses secundo[10]: *In Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

Quinta ratio est propter plenitudinem genera- Ratio 5.
tionis, quia, cum sit quadruplex modus generationis[11]: prima quidem nec de viro nec de muliere, Modi 4 generationis.
sed de terra; secunda mulieris de solo viro; tertia vero prolis de viro et muliere; quarta vero viri de sola muliere; ista quarta est consummata in Christi incarnatione.

Sexta vero ratio est, quia tempus incarnationis Ratio 6.
est tempus sextae aetatis, in qua quidem est plenitudo et perfectio, ut, sicut mundus in sexta die est consummatus, sic in sexta aetate sit reparatus; ita quod prima aetas fuit ab Adam usque ad Noe, secunda a Noe usque ad Abraham, tertia ab Abraham usque ad Moysen, quarta a Moyse usque ad David, quinta a David usque ad Christum, sexta a Christo usque ad finem[12].

His igitur sex rationibus dicitur tempus incarnationis tempus plenitudinis.

Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod non est plenitudo usque ad gloriam; dicendum, quod est plenitudo *naturae*[13] et plenitudo *gratiae* et plenitudo *gloriae*. Et illae duae rationes procedunt de plenitudine *gloriae;* auctoritas autem Apostoli intelligitur de plenitudine *gratiae*. Triplex plenitudo.

Propter quod notanda est quaedam distinctio de plenitudine, quod quaedam est plenitudo *naturae*, quaedam *gratiae*, quaedam *gloriae*. Plenitudo *naturae* est in duplici differentia: prima quantum ad rerum *conditionem*, de qua Genesis secundo[14]: *Complevit Deus die septimo opus suum;* secunda quantum ad rerum *multiplicationem*, de qua Psalmus[15]: *Domini est terra et plenitudo eius.* — Similiter ple- Subdistinctiones triplicis plenitudinis.

---

[1] Edd. adiungunt *ei*, cod. K *debuit*. Mox pro *erat* cod. Z *erant*. Post pauca cod. T omittit *aliqua* ante *Sacramenta*.

[2] Dist. 2. a. 1. q. 2. — Subinde post *expressius* cod. T inserit *hoc*.

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Gal. 4, 4.

[5] Vers. 9. — In *minori* respicitur eiusdem cap. v. 10: Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. — Subinde pro *pervenerit* edd. *supervenerit*.

[6] Vers. 47. seq. — Glossa *interlinearis* secundum Lyranum: In fine saeculi.

[7] Vers. 4. — Glossa allegata sumta est ex Commentario, Ambrosio tributo, in hunc loc., et sic sonat ibi: *Plenitudo temporis* est completum tempus, quod praefinitum fuerat a Deo Patre, quando mitteret Filium suum, ut ex Virgine factus, quasi homo nasceretur etc.

[8] Vers. 14. — Glossae, quae *ordinaria* est, verba apud Strabum haec sunt: Haec autem gratia dicitur et veritas, quia sic olim promissum est et modo exhibitum. — Paulo ante pro *repromissus* codd. F bb substituunt *promissus*.

[9] Vers. 17.

[10] Vers. 9. — Pro *habitat* Vulgata *inhabitat*.

[11] Cfr. supra pag. 23, nota 4.

[12] Vide August., Enarrat. in Ps. 92. n. 1; I. de Gen. contra Manich. c. 23. n. 35. seqq., et supra pag. 31, nota 8.

[13] In edd. desiderantur verba *plenitudo naturae*. Paulo ante pro *usque ad gloriam* codd. A G K V Z bb *usque in gloriam*.

[14] Vers. 2. — Pro *die septimo* edd. exhibent *die sexto*, et paulo ante pro *ad rerum conditionem* substituunt *ad rem in conditione;* cod. N *ad rerum distinctionem vel conditionem*. Paulo etiam superius cod. O verbis *in duplici differentia* adiicit *vel in duplici causa*.

[15] Psalm. 23, 1.

nitudo *gratiae* duplex est: quaedam in *capite*, et de hac Ioannis primo [1]: *Plenum gratiae et veritatis;* quaedam in *membris*, et de hac Actuum secundo: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto;* et ad Ephesios primo: *Proposuit* etc. — Similiter plenitudo *gloriae* duplex est: vel quantum ad *numerum electorum*, de hac Apocalypsis sexto [2]: *Sustinete modicum tempus, donec impleatur* etc.; aut quantum ad *perceptionem aeternorum bonorum*, Ecclesiastici vigesimo quarto [3]: *In plenitudine Sanctorum detentio mea.*

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Factum de muliere;* quia in Symbolo [4] negatur: « Genitum, non factum » etc. — Item, si de muliere factus est, non videtur, quod mulier sit eius mater, sed solum materia. Propter quid ergo dicit magis *factum* quam *genitum?*

Respondeo: Dicendum, quod Christus secundum divinam naturam ita est *genitus*, quod non *factus*, quia non est creatura. Secundum humanam vero ita est *genitus*, quod *factus*, quia conceptus fuit a Virgine, faciente divina virtute. Qualis autem fuerit Virginis virtus, adhuc melius manifestabitur suo loco [5]; per hoc autem quod dictum est, patet responsio ad obiecta.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Factum sub Lege*, quia dicitur primae ad Timotheum primo [6]: *Iusto non est lex posita:* si ergo Christus iustissimus erat, videtur etc. — Item, Christus non tenebatur implere mandata Legis: ergo non videtur, quod sub Lege esset factus.

Respondeo: Dicendum, quod *esse sub Lege* dicitur tribus modis: vel quantum ad *causam*, vel quantum ad *observationem*, vel quantum ad *motivum*. Quantum ad *causam* sunt illi qui nati sunt sub peccato. Quantum ad *observationem* sunt iusti [7], qui legem observant. Quantum ad *motivum* sunt illi qui timore serviunt. — Christus igitur non fuit sub Lege quantum ad *causam*, vel quantum ad *motivum*, sed solum quantum ad *observationem;* aliter tamen quam alii homines, quia *esse sub Lege* quantum ad *observationem* potest esse dupliciter: vel quantum ad obedientiam *obligatoriam*, vel quantum ad obedientiam *spontaneam*. Et primo modo sunt homines, secundo modo fuit Christus, qui se mera liberalitate legali observantiae, ut exemplum daret verae obedientiae [8], subdidit. — Et sic patet responsio ad obiecta.

Distinctio triplex.

Subdistinctio.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *In specie columbae descendisse Spiritum sanctum.* Sed *contra:* Tota columba illa, et quidquid in ea erat, erat simul a Patre et Filio: ergo videtur, quod tota Trinitas in illa columba descenderet, sicut descendebat Spiritus sanctus. — Item, nunquam descendit Spiritus sanctus in hominem [9], quin descendat simul Pater et Filius: ergo videtur, quod nec in columba.

Respondeo: Dicendum breviter, quod in columba illa non *erat* aliter Spiritus sanctus quam Pater et Filius, nec aliter *operabatur;* sed tamen [10] solus in ea *significabatur*, quia significatio relationem dicit, sicut incarnatio; ideo solus poterat in ea significari, quamvis non solus in ea possit operari. Et sic patet, quod exemplum Magistri est rectum et idoneum; sed hoc magis declaratum est in primo libro, de missione Spiritus sancti, distinctione decima sexta [11].

---

[1] Vers. 14. — Seq. Script. locus est Act. 2, 4; tertius deinde Eph. 1, 9. 10: Proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo etc.

[2] Vers. 11, ubi Vulgata sic: Et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum etc. In hoc loco allegando S. Doctor alia versione usus est, qualiter exhibetur in Breviario Romano in officio festi Ss. Innocentium, I. Noct. Resp. 2. — Pro *de hac* codd. A L T V Z aa bb etc. *de hoc*, cod. G *et de hoc.*

[3] Vers. 16. — Hoc dubium solvunt etiam Alex. Hal., S. p. III. q. 8. m. 1; B. Albert., hic a. 3; S. Thom., hic circa lit.; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. lit. 1.

[4] Nicaeno. — Pro *negatur* edd. et cod. bb *legitur.*

[5] Infra d. 4. a. 3. q. 1. seqq. — Pro *adhuc* edd. *hoc.* — Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 8. m. 1; B. Albert., hic a. 4; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. lit. 2. 3.

[6] Vers. 9.

[7] Edd. *isti.*

[8] Edd. *veri obedientis.* — August., Enarrat. in Ps. 1. n. 2. ait: *Iusto non est lex posita*, ut dicit Apostolus. Sed aliud est esse *in lege*, aliud *sub lege*. Qui est *in lege*, secundum legem agit; qui est *sub lege*, secundum legem agitur. Ille ergo liber est, iste servus. — Huius dubii solutionem exhibent etiam Alex. Hal., S. p. III. q. 8. m. 1; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.; Ægid. R, hic dub. lit. 4.

[9] Multi codd. *in homine.*

[10] Codd. G K *tantum.*

[11] Quaest. 1. seqq. — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 12; S. Thom. et Petr. a Tar. hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. lit. 7.

DISTINCTIO II.

Cap. I.

Quare totam humanam naturam accepit, et quid nomine humanitatis vel humanae naturae intelligendum sit.

Et quia in homine tota humana natura vitio corrupta erat, totam assumsit, id est animam et carnem, ut totam curaret et sanctificaret. — Quod autem *humanae naturae* sive *humanitatis* vocabulo anima et caro intelligi debeant, aperte docet Hieronymus [1] in Expositione catholicae fidei dicens: « Sic confitemur in Christo unam Filii esse personam, ut dicamus, duas perfectas et integras esse substantias, id est deitatis et humanitatis, quae ex anima continetur et corpore ». — Ecce aperte ostendit, *humanitatis* nomine animam et corpus intelligi, quae duo assumsisse Dei Filius intelligitur, ubi hominem sive humanitatem vel humanam naturam accepisse [2] legitur. — Errant igitur qui nomine *humanitatis* non substantiam, sed proprietatem quandam, a qua homo nominatur, significari contendunt, ubicumque Christi humanitas memoratur. Ait enim Ioannes Damascenus [3]: « Sciendum quidem est, quod *deitatis* et *humanitatis* nomen substantiarum, scilicet naturarum, est repraesentativum ». Natura enim non sic accipitur in Christo, ut cum dicitur una natura esse omnium hominum; quod evidenter idem Ioannes ostendit, differentem rationem dicti assignans, cum natura humana in Christo nominatur, et cum dicitur una natura omnium hominum. Ait enim [4]: « Cum unam hominum naturam dicimus, sciendum est, quod non considerantes ad animae et corporis rationem hoc dicimus [5]. Impossibile enim est unius naturae dicere Domini corpus et animam, ad invicem comparata. Sed quia plurimae personae hominum sunt, omnes autem eandem suscipiunt rationem naturae — omnes enim ex anima et corpore compositi sunt, et omnes naturam animae participant et substantiam corporis possident — communem speciem plurimarum et differentium personarum unam naturam dicimus, uniuscuiusque scilicet personae duas naturas habentis et in duabus perfecte naturis existentis, animae scilicet et corporis. In Domino autem Iesu Christo non est communem speciem accipere. Neque enim *factus* est, nec est nec aliquando fiet *alius*. Sed Christus, ex deitate et humanitate, in deitate et humanitate Deus perfectus, idem et homo perfectus ». — Totam igitur hominis naturam, id est animam et carnem, et horum proprietates sive accidentia assumsit Deus, non carnem sine anima, nec animam sine ratione [6], ut haeretici voluerunt, sed et carnem et animam cum sensibus suis. Unde Ioannes Damascenus ait [7]: « Omnia quae in nostra natura plantavit Deus, Verbum assumsit, scilicet corpus et animam intellectualem, et horum idiomata ». « Totus enim totum assumsit me, ut toti mihi salutem gratificaret. Quod enim inassumtibile est incurabile est ».

Quid sit humanitas. — Hieronymus. — Confutatur error. — Damascenus. — Idem. — Dubium 1.

Cap. II.

De unione Verbi et carnis mediante anima.

Assumsit igitur Dei Filius carnem et animam, sed carnem mediante anima [8]: « Unitum est carni per medium intellectum, Verbum Dei ». Tantae enim subtilitatis atque simplicitatis est divina essentia, ut corpori de limo terrae formato uniri non congruerit, nisi mediante rationali essentia. Illa autem unio inexplicabilis est adeo, ut etiam Ioannes [9], ab utero sanctificatus, se non esse dignum fateatur solvere corrigiam calceamenti Iesu, quia illius unionis modum investigare aliisque explicare non erat sufficiens. « Non sunt igitur audiendi qui non verum hominem Filium Dei suscepisse dicunt, neque natum de femina, sed falsam carnem et imaginem corporis simulatam ostendisse videntibus [10] ». In quem errorem prorumpunt, quia timent, quod fieri non potest, scilicet, ne humana carne veritas et substantia Dei inquinetur; « et tamen praedicant, istum visibilem solem radios suos per omnes faeces et sordes corporum spargere et eos mundos et sinceros servare. Si ergo visibilia munda a visibilibus immundis contingi possunt et non coinquinari, quanto magis incommutabilis et invisibilis Veritas, per spiritum animam et per animam corpus suscipiens, totum hominem sine sui contaminatione assumsit et ab omnibus infirmitatibus liberavit ». — Ecce hic dicit, Dei Sapientiam per spiritum assumsisse animam, et per animam corpus. Spiritus enim, scilicet pars animae superior, maiori similitudine Deo propinquat quam anima, scilicet ipsa eadem secundum inferiorem partem, et anima magis quam corpus; et ideo non incongrue anima dicitur assumta per spiritum, et corpus per animam [11].

Damascenus. — Augustinus. — Dubium 2.

---

[1] Explanatio Symboli ad Damasum. — Edd. 1, 6, 8 cum cod. D *id est divinitatis* pro *id est deitatis*, refragante etiam originali.

[2] Cod. D *assumsisse*. — De propositione sequenti cfr. de Ecclesiast. Dogm. c. 2. 5.

[3] Libr. III. de Fide orthod. c. 4.

[4] Ibid. c. 3.

[5] Edd. 4, 8 addunt: *ut dicamus, in singulis hominibus eandem esse naturam corporis et animae, quia alia est natura animae, alia corporis*, refragantibus aliis edd. cum codd. et originali. Deinde post *speciem accipere* ed. 8 addit *si quid prius fuit*, at ed. 1 *si quid sit res alicuius speciei, ipsum fit aliud ab omni re, quae prius fuit; non sic factus est homo, quia homo scilicet non confert ei esse, sicut aliis hominibus.* Etiam hoc deest in originali.

[6] Vat. et edd. 5, 6 cum cod. E et Erf. non ita bene *sine carne*. Sed cod. Erf. in marg. dicit *alii: sine ratione.*

[7] Ibid. c. 6.; seq. locus parum inferius, ubi codd. A B C D cum edd. 1, 8 et originali Graeco transpositis verbis, legunt *Totum enim totus assumsit me*, et in fine cum plerisque edd. *gratificet* pro *gratificaret.*

[8] Edd. 1, 8 addunt *Unde Ioannes Damascenus.* Locus cit. est ibid. Sanam huius sententiae explanationem exhibet Comment. infra a. 3. q. 1.

[9] Baptista, ut narratur Ioan. 1, 27. — Edd. 1, 8 post *sanctificatus* addunt hanc glossam *id est ab originali mundatus.*

[10] August. de Agone christiano c. 18. n. 20, ubi est etiam seq. locus.

[11] De his cfr. auctor libri de Spiritu et anima c. 14.

Cap. III.

Quod simul assumsit animam et carnem Verbum, nec caro prius est concepta quam assumta.

Si autem quaeritur, utrum Verbum carnem simul et animam assumserit, an prius animam quam carnem, vel carnem quam animam; et utrum caro illa prius fuerit in utero Virginis concepta et postea assumta; verissime et absque ulla ambiguitate dicitur, quia, ex quo hominem Deus assumsit, totum assumDubium 3. sit simulque sibi univit animam et carnem; nec caro prius fuit concepta, et postmodum assumta, sed in conceptione assumta et in assumtione concepta. Unde Fulgentius. Augustinus in libro de Fide ad Petrum [1]: « Firmissime tene, et nullatenus dubites, non carnem Christi sine divinitate conceptam in utero Virginis, priusquam susciperetur a Verbo, sed ipsum Deum suae carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam ». Idem in libro de Trinitate [2]: Non Augustin esset Dei hominumque mediator, nisi esset idem Deus, idem homo, in utroque unus et verus, quam servilem formam, a solo Filio susceptam, tota Trinitas, cuius una est voluntas et operatio, fecit. Non autem in utero Virginis prius caro suscepta est, et postmodum divinitas venit in carnem, sed mox ut Verbum venit in uterum, servata veritate propriae naturae, factum est caro et perfectus homo, id est, in veritate carnis et animae natus est. — De hoc etiam Gregorius in Mo- Gregorius ralibus [3] ait: « Angelo nuntiante et Spiritu adveniente, Dubium mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro ».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM II.

De incarnatione ex parte naturae assumtae.

Et quia in homine tota humana natura vitio corrupta erat etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de incarnatione ex parte personae assumentis; in hac parte agit de eadem [1] ex parte naturae assumtae. Dividitur autem pars ista in tres partes. In quarum prima determinat veritatem. In secunda confutat errores, ibi: *Non sunt ergo audiendi* etc. In tertia vero removet quandam dubitationem, ibi: *Si autem quaeritur, utrum Verbum carnem* etc.

Prima pars dividitur in duas partes. In quarum prima parte determinat Magister de natura assumta quantum ad partium suarum integritatem [2]. Secundo quantum ad ordinem, ibi: *Assumsit igitur Dei Filius carnem et animam.* Subdivisiones autem partium manifestae sunt in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis incidunt quaestiones circa tria. Et quaeritur primo de natura assumta quantum ad unionis congruitatem.

Secundo vero quaeritur quantum ad partium integritatem.

Tertio vero quaeritur quantum ad dispositionis sive medii necessitatem.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum maior sit congruitas ad unionem in rationali natura quam in toto universo.

Secundo quaeritur, utrum maior sit congruitas in homine [3] quam in Angelo.

Tertio, utrum maior sit congruitas ad unionem in tota specie quam in uno individuo.

---

[1] Cap. 18. n. 61. — Pro *ipsum Deum* cod. D et ed. 1 *ipsum Verbum Domini*, sed originale *Verbum Deum.*

[2] Scilicet variis in locis in unum collectis. Prop. prima: *Non esset* etc. collecta esse videtur ex II. de Trin. c. 5. n. 9, et IV. c. 7. 8, c. 20. n. 30. Secunda prop.: *Non autem* etc. (quae etiam a S. Bonav., infra d. 3. p. II. a. 3. q. 2. fund. 3. Augustino tribuitur) quoad sensum occurrit XIII. c. 17. n. 22. his verbis: Ex quo homo esse coepit, ex illo est et Deus, unde dictum est: Verbum caro factum est. Cfr. etiam Enchirid. c. 36. n. 11. et libr. contra Sermonem Arianorum c. 8. n. 6: « Ipse namque unus Christus et Dei Filius semper natura et hominis filius, qui ex tempore assumtus est gratia, nec sic assumtus est, ut prius creatus post assumeretur, sed ut ipsa assumtione crearetur ». Convenit in sententia et nonnullis verbis etiam Gregor. loco mox citato.

[3] Libr. XVII. c. 52. n. 85.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Cum edd. supplevimus *de eadem*, quae verba in codd. desunt.

[2] In cod. bb legitur sic: Prima pars dividitur in *tres* partes. In quarum prima... natura assumta quantum ad *congruitatem.* Secundo quantum ad suarum partium integritatem, ibi: *Totam igitur naturam hominis.* Tertio quantum ad ordinem etc. Quae lectio respondet rubricae infra art. 1. praemissae.

[3] Edd. *congruitas ad unionem in humana natura.*

ARTICULUS I.

De natura assumta quantum ad unionis congruitatem.

QUAESTIO I.

Utrum maior sit congruitas ad unionem in rationali creatura quam in toto universo.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum maior sit congruitas in rationali natura quam in toto universo, an e contrario. Et quod maior sit congruitas in rationali natura, videtur:

Fundamenta. 1. Primo, quia Deus assumsit solam rationalem naturam: si ergo Deus semper facit quod melius est et magis congruum, videtur, quod maior sit congruitas in rationali natura quam in tota machina mundana.

2. Item, natura creata assumta est in unitatem personae; et quod magis idoneum est ad unitatem personalem, magis idoneum est ad assumtionem: si ergo dignitas personalis non est nisi in creatura rationali [1], videtur, quod illam solam maxime congruum sit uniri.

3. Item, unionis gratia maior est, quam sit gratia fruitionis vel beatificationis [2]; sed sola natura rationalis est disposita ad fruitionem: ergo sola videtur quod habeat congruentiam ad unionem.

4. Item, totum universum factum est propter creaturam rationalem [3]: ergo rationalis creatura excellentior est omnibus aliis, quae sunt de constitutione universi: ergo ad Deum magis accedit; et quod magis ad Deum accedit magis est congruum Deo uniri: ergo etc.

5. Item, universum totum non dicitur factum ad Dei imaginem et similitudinem, sed sola rationalis creatura; sed *imago* dicit similitudinem expressam: ergo inter omnes creaturas sola rationalis creatura expressius assimilatur Deo [4]. Sed illud solum est congruum ad unionem cum Deo, quod habet expressam similitudinem cum eo: ergo idem quod prius.

Sed contra: 1. Augustinus ad Volusianum [5]: « In rebus mirabilibus tota ratio facti est potentia facientis »: ergo cum incarnatio sit assumtio creaturae et sit opus mirabile; videtur, quod tota ratio assumtionis sit ex parte facientis: ergo non est maior congruitas in rationali natura quam in alia natura creata. Ad oppositum.

2. Item, infinite distantium non magis approximat unum quam alterum; sed omnis creatura distat a divina natura in infinitum: ergo non est congruitas in rationali creatura magis quam in aliis [6].

3. Item, incarnatio facit aliquo modo ad complementum totius universi [7]; sed magis perficeretur universum, si Deus uniretur ipsi toti quam ipsi parti: ergo videtur, quod magis sit habilis ad unionem universitas tota quam rationalis creatura.

4. Item, effectus universalis magis assimilatur causae universali quam effectus particularis [8]; sed universum claudit in se universaliter omnem effectum Dei: ergo magis assimilatur Deo quam rationalis natura. Sed quod magis assimilatur Deo maiorem habet congruentiam ad unionem: ergo etc.

5. Item, illud est magis unibile, in cuius assumtione magis manifestatur divina potentia, sapientia et bonitas; sed universum est huiusmodi. *Probatio minoris:* magis enim manifestatur divina potentia, sapientia et bonitas in conditione totius universitatis quam alicuius eius partis, quia, cum quaelibet pars eius sit bona, eius universum est non solum *bonum*, sed etiam *valde bonum* [9]: ergo si magis manifestatur in universitatis conditione, multo magis videtur, quod manifestetur in universitatis assumtione.

---

[1] Persona enim est, ut Boeth., de Una Persona et duabus naturis, c. 3. ait, naturae rationalis individua substantia. Cfr. infra d. 5. a. 2. q. 3; d. 10. a. 1. q. 2, et I. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. — Cod. Q *in natura rationali.*

[2] Vide infra d. 6. a. 2. q. 2. seq. — De *minori* cfr. I. Sent. d. 1. a. 2. et 3.

[3] Cfr. II. Sent. d. 15. a. 2. q. 1.

[4] Cfr. II. Sent. d. 16. a. 1. q. 1.

[5] Epist. 137. (alias 3.) c. 2. n. 8.

[6] Gregor. Nyssen., Orat. catechet. c. 27, contra eos qui turpitudini et dedecori ducunt, Deum carnem et corpus terrestre assumsisse, ait: Nihilo tolerabilior videtur esse turpitudo et dedecus, quod Deus caelestis corporis figuram susceperit quam terrestris. Ab eius enim, qui est altissimus et ad cuius altitudinem non patet aditus, natura ex aequo distat omnis creatura, et sunt omnia ei aequaliter subiecta... Neque ergo terra est remotior a suprema illa dignitate, neque caelum propinquius etc. Cfr. Tertull., de Carne Christi, c. 4.

[7] De quo vide supra d. 1. a. 2. q. 1. seq. — In fine arg. pro *universitas* codd. A G H L N T U V perperam *universitatis.*

[8] Cfr. Liber de Causis, prop. 1. et 4.

[9] Gen. 1, 31: Viditque Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona. — De hac re August., Enchirid. c. 10. n. 3. dicit, quod « a bona Trinitate creata sunt omnia, et nec summe nec aequaliter nec immutabiliter bona, sed tamen bona etiam singula, simul vero universa valde bona, quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulcritudo ».

CONCLUSIO.

Non est tanta congruitas ad unionem in tota universitate, sicut est in eius parte aliqua, scilicet rationali creatura.

Conclusio.

RESPONDEO: Dicendum, quod non est tanta nobilitas [1] ad unionem in tota universitate, sicut est in eius parte aliqua, utpote in rationali natura.

Ratio triplex ob 3 defectus totius universi.

Et ratio huius est defectus *unitatis*, et *personalis dignitatis*, et *similitudinis* sive conformitatis, qui quidem reperitur [2] in tota universitate; et propterea non est idonea ad unionem cum persona divina, sicut rationalis creatura. — Universum enim habet *partium multitudinem* differentium numero, genere et specie; et ideo non competit ad unionem cum Deo in *hypostasis unitate* [3]. — Habet etiam partes *carentes vita et ratione et sensu*, et ideo deficientes ab excellentia proprietatis personalis, et propter hoc non habet idoneitatem ad unionem in unitate *personae*. — Habet etiam partes, in quibus reperitur solum ratio vestigii, et ideo *deficientes a conformitate expressae similitudinis*, et propterea ineptas ad tantam *excellentiam unionis*. — In rationali autem creatura reperiri potest *unitas*, et *personalis dignitas*, et *expressa conformitas;* et ideo maior est in ea ad assumtionem idoneitas sive congruitas. — Et propterea rationes, quae hoc ostendunt, concedendae sunt.

Praerogativae 3 in rationali creatura.

Solutio oppositorum.

Distinctio.

1. Ad illud quod obiicitur de verbo Augustini, quod tota ratio facti est potentia facientis; dicendum, quod est ratio *causalitatis* et ratio *congruitatis: causalitatis* in efficiendo, *congruitatis* in suscipiendo. Cum ergo dicit Augustinus, quod ratio facti tota est potentia facientis, intelligit de ratione *causalitatis*, non de ratione *congruitatis*.

2. Ad illud quod obiicitur de infinitate distantium, dicendum, quod sicut habitum est in primo et secundo [4], cum dicitur, quod omnis creatura distat a Deo in infinitum, intelligitur de distantia *per recessum ab aequalitate et participatione tertiae naturae*, quia nihil univocum est creaturae ad Creatorem, in nullo etiam creatura Creatori potest aequari; sed non habet veritatem de distantia, quae attenditur *per oppositionem* [5] *ad convenientiam secundum rationem ordinis et imitationis*. Nam rationalis creatura *immediate in Deum ordinatur* et *expressissime* inter creaturas *Deum imitatur;* et ratione huius *assimilationis* et *convenientiae* habet rationem imaginis et congruitatem respectu divinae unionis.

Distinctio notanda.

3. Ad illud quod obiicitur, quod incarnatio [6] facit ad completionem universi; dicendum, quod hoc *accidit;* nihilominus tamen congruentius facit ad complementum universi in assumtione nobilissimae creaturae quam omnium; quoniam *multitudo* habet reduci ad aliquod *unum* sicut ad complementum, quia status est in unitate magis quam in multitudine [7].

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod magis assimilatur universum totum [8] quam rationalis creatura; dicendum, quod assimilari dicitur dupliciter: *intensive* vel *extensive*. Et *extensive* verum est, quod magis assimilatur mundo archetypo sive Deo maior mundus quam minor, sive universitas tota quam rationalis creatura. *Qualitative* sive *intensive* est e converso propter magnam distantiam aliquarum partium eius, in quibus relucet divina bonitas de longinquo sicut in vestigio.

Distinctio.

5. Ad illud quod obiicitur, quod magis manifestatur divina potentia, sapientia et bonitas, si assumeret universum; dicendum, quod falsum est; quia facere per unionem, quod asinus fieret Deus vel aliquod aliud [9] brutum, potius dedeceret divinam potentiam et sapientiam, quam commendaret. Facere autem, quod homo sit Deus, in nullo praeiudicat nec potentiae nec sapientiae, cum homo natus sit effici deiformis. — Nec valet illud quod obiicit, quod magis manifestatur divina potentia et sapientia in conditione universitatis quam in condi-

Notandum.

---

[1] Cod. F *habilitas*, codd. M O *nobilitas vel habilitas*, cod. N a secunda manu *congruitas*, Vat. *nobilitas vel congruitas*. Subinde cod. T omittit *ad unionem;* pro *in tota universitate* Vat. substituit *in totius universitatis assumtione*.

[2] Edd. *quae quidem non reperitur;* plurimi codd., textum obscurantes, *quae quidem reperitur*, quam lectionem fide codd. P R U emendavimus substituentes *qui* (defectus) pro *quae*.

[3] Cfr. infra d. 6. a. 1. q. 2. et a. 2. q. 3.

[4] Libr. I. Sent. d. 1. a. 3. q. 1. ad 1, d. 3. p. I. q. 2. ad 3, d. 7. q. 4, d. 8. p. II. q. 4, d. 25. a. 2. q. 2, d. 35. q. 1; II. Sent. d. 16. a. 1. q. 1. in corp. — Codd. H Z addunt *libro*, Vat. *libris*. Mox post *de distantia* codd. L aa subiungunt *quae attenditur;* subinde pro *tertiae* edd. substituunt *aeternae*, et post pauca Vat. sola *in nullo enim* pro *in nullo etiam*.

[5] Cod. E (K a secunda manu) *comparationem*. Circa finem solut. post *convenientiae* codd. M O inserunt *magis*, et subinde pro *et congruitatem* cod. K exhibet *et per hoc congruitatem*.

[6] Vox *incarnatio* deest in multis codd.

[7] Aristot., II. de Caelo et mundo, text. 22. (c. 4.): Prius natura in unoquoque genere est unum multis. Cfr. Dionys., de Div. Nom. c. 5. § 6. seq., et Boeth., de Unitate et uno, atque I. de Arithmet. c. 2. 3. et 7.

[8] Codd. M O adiunguunt *suae causae*. Mox pro *dicitur* codd. F K Z habent *est*. Subinde post *Et extensive* cod. F adiicit *sive quantitate*, et paulo inferius post *Qualitative* idem cod. F inserit *autem*. — De *mundo archetypo* vide tom. II. pag. 16, nota 1, ubi et verba Platonis de eo. Non possumus non afferre ex Boeth., III. de Consol. metr. 9, pulcros hos versus:

> Tu cuncta superno
> Ducis ab exemplo, pulcrum pulcherrimus ipse,
> Mundum mente gerens, similique in imagine formans,
> Perfectasque iubens perfectum absolvere partes.

[9] Codd. G H K L N P V Z *aliquod animal*.

tione alicuius suae partis; pro eo quod decet divinam potentiam et sapientiam non solum producere ad *esse* creaturas magis nobiles, sed etiam minus nobiles; et ideo tam in his quam in illis commendatur, et[1] magis manifestatur in omnibus simul quam in aliqua earum per se; non sic autem est de assumtione, sicut visum est.

SCHOLION.

I. Conveniunt auctores in hoc, quod nulla creatura dicitur assumtibilis secundum unionem hypostaticam nec a potentia aliqua *activa*, nec a potentia *passiva*, sed a potentia *obedientiali* et susceptiva solummodo respectu Creatoris; item in hoc, quod haec susceptibilitas potest considerari secundum potentiam Dei vel *absolutam* vel *ordinatam*. Communius etiam cum S. Thoma (hic q. 1. a. 1.) affirmatur, quod « loquendo de potentia Dei *absoluta*, Deus potest assumere quamcumque creaturam vult... Loquendo autem de potentia *ordinata*, illam creaturam assumere potest, quam congruit eum assumere ex ordine suae *sapientiae* ». Scot., contra Henr. Gand. disputans, insuper putat, non repugnare, creaturam rationalem hypostatice assumi, quin habeat fruitionem Dei. — Non desunt tamen auctores antiqui et recentiores, qui cum Henrico Gand. et Dionys. Carth. sustinent, omnino implicare, creaturam irrationalem, quae non sit capax *personalitatis propriae* nec unionis per *gratiam* et *gloriam*, per se uniri Deo in *personalitate divina*, cum haec unio maior sit, quam ea quae fit per gratiam et gloriam. Huius sententiae patroni pro se afferunt etiam S. Bonaventuram hic in corp. et ad 1. 5; d. 21. a. 1. q. 2. ad 3, qui in hoc ultimo loco illud vulgare argumentum pro prima opinione, quod divinitas in triduo post mortem Christi remansit unita corpori eius, ita solvit, ut non tantum *paritatem* quoad utrumque casum neget, sed etiam, ut videtur, ipsam *possibilitatem* unionis hypostaticae respectu irrationabilium entium. Item provocant ad Alexandrum Hal. (S. p. III. q. 2. m. 7, q. 12. m. 1. a. 1, cfr. q. 7. m. 2. a. 1.). Insuper Richard. a Med. utramque opinionem reputat probabilem. — Attamen S. Bonav. in istis locis loquitur tantum de *congruitate*, non explicite de *potentia Dei absoluta;* tamen insistit, quod ex parte irrationalium non sit congruitas in suscipiendo, nec idoneitas ad unionem in unitate *personae*. Nam animalia secundum *naturam* suam non habent capacitatem formaliter suscipiendi personalitatem, quae implicat rationalem naturam; unde etiam supposita illa unione cum Deo solummodo in ratione *subsistentiae*, talis unio deficeret in multis effectibus, quos perfecta unio hypostatica in Christo habet; v. g. manifeste deesset ille « effectus, secundum quem comparatur creatura ad Deum ut *perveniens;* et hic est effectus unionis, in qua uniuntur in unitate personae creatura et Creator, ut homo-Deus » (ita I. Sent. d. 37. p. I. a. 3. q. 2.). — Quidquid autem sit de potentia absoluta abstracte considerata, quam corrigere non debemus; certe ex parte *creaturae irrationalis* manifeste et summopere deficit *ratio congruitatis* ad unionem hypostaticam, ita ut, si quis animalia *per se* ad hanc dignitatem esse *incapacia* dixerit, de vocabulo eo minus litigandum videatur, quia piae fidelium aures perhorrescunt verba parum religiosa, quibus a nonnullis Nominalibus opposita sententia proponitur et defenditur.

II. Praeter auctores citatos: Scot., hic q. 1; Report. hic q. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. III. q. 4. a. 1; S. c. Gent. IV. c. 54. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. — Ægid. R., hic p. II. q. 1. a. 1. — Henr. Gand., Quodl. 13. q. 5, et (de creatura rationali assumta, utrum possit esse sine fruitione Dei) Quodl. 6. q. 6. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 2. et 4. — Biel, hic q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum maior sit congruitas ad unionem in humana natura quam in Angelo, an e converso.

Secundo quaeritur, utrum maior sit congruitas ad unionem in humana natura quam in Angelo, an e converso. Et quod maior sit in Angelo, videtur.

1. *Deus spiritus est,* sicut dicitur Ioannis quarto[2]: ergo creatura, quae plus habet de ratione spiritualitatis, plus convenit cum Deo; et quae plus convenit cum Deo, plus est ei unibilis in unitate personae: cum ergo natura angelica sit spiritualior quam humana, videtur etc.

Ad oppositum.

2. Item, natura assumta, eo ipso quo assumta est, exaltata est super ceteras creaturas; sed quanto creatura est excellentior, tanto est idoneior exaltari: ergo cum natura angelica iure ceteris anteponatur — iuxta quod dicit Richardus de sancto Victore[3]: Ipsa est totius universitatis caput — videtur, quod magis decens fuerit, ipsam uniri quam humanam naturam.

3. Item, natura angelica passa est ruinam et in malum culpae et in malum poenae: ergo si divina misericordia condescendit miseriae, cum[4] maiorem abundantiam miseriae contingat reperire in angelica natura quam in humana; videtur, quod maior sit in ea congruitas ad unionem quam in humana.

4. Item, natura assumta principium est nostrae reparationis: si ergo conveniens est, ut reparatio fiat

---

[1] Cod. K *et ideo.* Proxime post codd. A G H K L T V Z aa et edd. 1, 2 omittunt *in* ante *omnibus.* Deinde pro *per se* cod. Y substituit *parte.*

[2] Vers. 24. — Gregor., XXXII. Moral. c. 23. n. 47: Et licet homo *ad similitudinem* Dei creatus sit (Gen. 1, 27.), Angelo tamen quasi maius aliquid tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum *signaculum Dei similitudinis* dicit (Ezech. 28, 12.), ut quo sublilior est in natura, eo in illo similitudo Dei plenius credatur expressa. Cfr. Isidor., I. Sent. c. 10. n. 6.

[3] Libr. IV. de Trin. c. 23: Quod ergo est in operatione humana humani corporis effigies sine capite, hoc esse videtur in operatione divina universalitatis fabrica sine optimo genere creaturae [scil. Angelo]. Cfr. II. Sent. d. 1. p. II. a. 2. q. 2. — Paulo superius cod. R. post *ceteris* addit *aliis.*

[4] Edd. *et... convenit reperiri.* Codd. A E G L T V omittunt *et,* pro quo codd. F U bene substituunt *cum*, a nobis in textum receptum; qui etiam deinde cum aliis codd. pro *convenit* exhibent *contingat.*

per ea, per quae fuit destructio; cum angelus fuerit principium totius praevaricationis, videtur, quod Angelus debuerit assumi ad complendum mysterium [1] redemptionis: et ita maior fuit congruitas in natura angelica quam humana.

Sed contra: 1. Assumtio est actus personae habentis distinctionem secundum originem, cuiusmodi distinctio est in divinis personis: ergo illa natura, in qua habet esse distinctio personalis secundum originem, maiorem habet congruitatem ad unionem personalem, quam illa quae caret huiusmodi distinctione; sed in hominibus est huiusmodi distinctio, in Angelis vero non [2]: ergo etc. Fundamenta.

2. Item, assumtio creaturae ad Creatorem in unitate personae fuit ad humilitatis commendationem [3]; sed maior apparet humilitatis dignatio in assumtione hominis mortalis quam spiritus immortalis: ergo videtur, quod magis congruum fuerit ad unionem humana natura quam angelica.

3. Item, assumtio est principaliter propter generis assumti reparationem; sed angeli, qui lapsi sunt, peccaverunt peccato irremediabili, sicut superius in secundo [4] fuit ostensum, homines vero peccato remediabili: ergo magis congruum fuit assumere humanam naturam quam angelicam.

4. Item, Deus, quidquid facit, congruentissime facit; sed Deus *nusquam Angelos apprehendit,* ad Hebraeos secundo [5]: ergo maior fuit congruentia ad unionem in humana natura quam in angelica.

CONCLUSIO.

Maior fuit congruentia ad unionem in creatura humana quam in angelica.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio maior fuit congruentia ad unionem in creatura humana quam in angelica. Et hoc quidem satis manifestat ipsa operatio divina. Deus *enim nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.* Conclusio.

Ratio autem maioris congruentiae dupliciter accipitur, videlicet secundum humanae naturae *institutionem*, et secundum eiusdem *reparationem.* Duplex ratio principalis.

Secundum namque humanae naturae *institutionem* maior est congruitas in humana natura quam in angelica; et hoc triplici de causa. — Prima est propter *personalem discretionem*, quae quidem in humana [6] reperitur secundum *originem,* et non in angelica; et ideo magis congruebat, quod persona Filii, quae *distinguitur* a persona Patris secundum *originem,* eam naturam acciperet, in qua proprietatem filiationis retineret; et hoc quidem factum est in humanae naturae assumtione. Nam idem ipse, qui ab aeterno erat Patris Filius, ex tempore factus est filius Virginis matris. Ratio 1. plex. Ratio 1.

Secunda ratio est propter maiorem *divini exemplaris repraesentationem,* ratione cuius homo dicitur *minor mundus.* Anima enim rationalis non tantum repraesentat Deum, prout consideratur *in se,* sed in quantum *unitur corpori,* quod regit et in quo toto inhabitat, sicut Deus in maiori mundo; et hoc pluries dicit Augustinus [7]. Ratione huius maioris conformitatis maior erat ratio unibilitatis. Ratio 2

Tertia ratio est propter *multiplicem hominis compositionem.* Quia enim homo compositus est ex natura corporali et spirituali, et quodam modo communicat cum omni creatura, sicut dicit Gregorius [8]; hinc est, quod cum humana natura assumitur et deificatur, quodam modo omnis natura in ea exaltatur, dum in suo simili Deitati unitur. Et hinc est, quod assumtio humanae naturae plus facit ad totius universi perfectionem quam angelicae. — Et ideo maior est in ea congruitas ad unionem etiam secundum suam *institutionem.* Ratio 3

Similiter et secundum *reparationem* maior congruitas in ea reperitur ad unionem triplici ex causa, scilicet quia homo *magis indigebat,* et *minus indignus erat,* et *amplius ei proderat,* ut Filius Dei assumeret naturam suam. — Magis *indigebat,* quia totus lapsus fuerat [9]; *minus indignus* erat, quia per alium corruerat; *amplius ei proderat,* quia adhuc in malo obstinatus non erat. — Quoniam igitur divina misericordia ista tria pensat in beneficiis, quae impendit; hinc est, quod *Deus, qui est dives in misericordia, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos* [10], magis assumsit humanam naturam quam Ratio principi triplex.

---

[1] Vat. *ministerium.*

[2] Vide verba, quae tom. II. pag. 103, nota 6. et pag. 104, nota 5. e Richardo a S. Vict., IV. de Trin. c. 13. seqq. attulimus. Cfr. etiam Anselm., II. Cur Deus homo, c. 21. — Circa initium arg. codd. M O pro *cuiusmodi* habent *qualis.*

[3] Cfr. Phil. 2, 6. seqq. Cfr. etiam August., de Praedest. Sanctor. c. 15. n. 31. — Pro *ad Creatorem* codd. M O *a Creatore.* Circa finem arg. pro *congruum* cod. Q melius *congrua.*

[4] Dist. 7. p. I. a. 1. q. 1. et d. 21. a. 3. q. 2.

[5] Vers. 16.

[6] Codd. A F K N addunt *natura.* Pro *discretionem* edd. et nonnulli codd. *distinctionem.* Cfr. II. Sent. d. 3. p. I. a. 2. q. 1. seqq.

[7] In libro de Spiritu et anima (inter opera August.) c. 18. et 35. Cfr. II. Sent. d. 16. a. 2. q. 1. — Vat. post *Augustinus* interiiciens *quod,* sequentia falso ut Augustini verba exhibet.

[8] Libr. VI. Moral. c. 16. n. 20. et II. in Evang. homil. 29. n. 2. Idem docet August., Serm. 43. (alias 27. de Verbis Apostoli) c. 3. n. 4.

[9] De hac prima ratione (quia totus lapsus fuerat) cfr. August., Enchirid. c. 28. n. 9; de secunda (quia minus indignus erat) cfr. August., Exposit. Epist. ad Gal. 3, 19. n. 24. nec non Anselm., II. Cur Deus homo, c. 21. et etiam tom. II. pag. 506, nota 6; de tertia ratione cfr. Bernard., Serm. 1. de Adventu Domini, n. 4. seq. et II. Sent. d. 7. p. I. a. 1. q. 1. — Pro *in malo obstinatus* codd. minus bene *in malum obstinatus.*

[10] Eph. 2, 4. — Paulo inferius pro *suscipiendum* codd. B C D E G H L (N a prima manu) T U V aa *suscitandum.* Subinde pro *ut* codd. A T *ut et*, edd. *et ut.* Post pauca pro *ad humani generis reparationem* Vat. *ab humani generis reparatione.*

angelicam, quia maior reperiebatur in ea congruentia ad suscipiendum tantum beneficium divinae misericordiae, ut per illud relevaretur a miseria. — Haec autem ratio, quae sumta est ad humani generis *reparationem*, efficacior et principalior est quam praecedens, quia, sicut supra [1] ostensum fuit, praecipua incarnationis ratio fuit humani generis reparatio.

Notandum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod Angelus ratione spiritualitatis plus convenit cum Deo quam homo; dicendum, quod etsi plus convenit *intensive*, non tamen plus convenit *extensive*. Homo enim convenit in spiritualitate ratione animae, et corpus superadditum facit ad conformitatis maioritatem; et sic utroque, videlicet spiritu et corpore, maior fit repraesentatio exemplaritatis divinae [2]. *Praeterea*, praecipua ratio congruentiae respectu unionis non attenditur respectu maioris convenientiae in spiritualitate, sed potius ratione maioris idoneitatis ad suscipiendum beneficium divinae misericordiae.

Soluțio oppositorum. Distinctio. Alia ratio.

2. Ad illud quod obiicitur de exaltatione naturae assumtae, dicendum, quod etsi Angelus altior sit natura quam homo, per gratiam tamen unionis decuit magis hominem quam Angelum exaltari, et ad *confutandam superbiam* luciferi, qui Deo voluit aequari, et ad *commendandam gratiam* Dei, ut appareat, quod sublimatio in gloria non sit ex natura, sed potius ex gratia divina [3]. — Et haec est etiam ratio, quare Dominus noster Iesus Christus magis elegit pauperes et ignobiles quam potentes, ut *confunderet alta et fortia*, et *non gloriaretur in conspectu eius omnis creatura*, quia *Regi saeculorum immortali et invisibili, soli Deo*, debet esse *honor et gloria* [4].

Alia ratio. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Angelus magis indigebat quam homo; dicendum, quod falsum est. Homo enim totaliter indigebat, quia totaliter lapsus fuerat; Angelus vero non. Et *si tu obiicis*, quod angelus lapsus magis indigebat quam homo lapsus; dicendum, quod etsi magis indigebat, minus tamen dignus erat, quoniam ex maiori superbia peccaverat. Unde Bernardus in Canticum [5]: « Quis tam indiget misericordia, sicut miser? et quis tam indignus est misericordia, sicut miser superbus »? *Praeterea*, ipsa assumtio angelicae naturae angelo lapso non prodesset, quia, cum obstinati sint universaliter in malitia, non inflammarentur ad humilitatem nec ad caritatem per exhibitionem tanti beneficii et exempli. Et illud videmus hodie in multis peccatoribus, quibus propter suam perversitatem valde parum prodest incarnatio Christi.

Alia ratio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod praevaricatio sumsit exordium ab Angelo, ergo et reparatio similiter debet ab illo inchoare; dicendum, quod praevaricatio humani generis sumsit exordium a daemone et ab homine; sed ab homine tanquam a principali auctore, a daemone sicut a suggestore; et quoniam Christus auctor est nostrae redemptionis, ideo magis debet homo assumi [6] quam angelus, ut sic reparatio directe respondeat lapsui. Et quemadmodum in lapsu diabolus decepit Evam, sic in reparatione Gabriel instruxit Mariam [7]. Et quemadmodum in primo Adam facta est nostrae praevaricationis consummatio, sic per secundum Adam facta est nostrae redemptionis perfectio. — Et sic patet responsio ad ea quae obiiciebantur.

Notandum.

SCHOLION.

I. Egregie et coplose S. Doctor conclusionem satis communem probat. Quidam autem, ut B. Albert. (hic a. 2.), ulterius progressi, penitus negabant, naturam angelicam esse assumtibilem, praesertim quia ab ea inseparabilis sit discretio personalis. Etiam Petrus a Tar. (hic q. 1. a. 1.) vult, quod praescindendo a potentia Dei absoluta, « nec creatura pure corporalis nec pure spiritualis unibilis est in personalitate aliena, cum non debeat per unionem *dari* personalitas habere non valenti, nec *auferri* sine transmutatione eiusdem numero naturae possit habenti ». Sed alii doctores communiter cum S. Thoma (S. III. q. 4. a. 1. ad 3.) nolunt « excludere totaliter *congruitatem* assumtionis angelicae naturae », licet desit congruitas ex parte *necessitatis*.

II. Praeter laudatos auctores: Alex. Hal., S. p. III. q. 2. m. 6. — Scot., hic q. 1. n. 5; Report. hic q. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2; S. art. cit. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. — Ægid. R., hic p. I. q. 1. a. 3. — Dionys. Carth., hic q. 1.

III. De sequenti (3.) quaestione: S. Thom., hic q. 1. a. 2; S. III. q. 4. a. 5. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 2. — Ægid. R., loc. cit. a. 2. — Dionys. Carth., hic q. 3.

---

[1] Dist. 1. a. 2. q. 2.

[2] Cfr. II. Sent. d. 16. a. 2. q. 1. — Prò *maior fit* cod. H *maior fuit*.

[3] Cfr. August., XIII. de Trin. c. 17. n. 22.

[4] Epist. I. Tim. 1, 17. In praecedentibus respicitur I. Cor. 1, 26. seqq. — Paulo superius post *pauperes* cod. G adiicit *quam divites* et dein pro *et non* substituit *ut non*.

[5] Serm. 54. n. 5, sed tantum sententialiter. Verba ipsa sumta sunt ex August., III. de Lib. Arb. c. 10. n. 29, ubi sic legitur; Quid enim tam opus habens misericordia quam miser? Et quid tam indignum misericordia quam superbus miser? — Paulo inferius pro *universaliter* edd. 1, 2 *naturaliter*.

[6] Pro *magis debet homo assumi quam angelus*, quam lectionem ex codd. R U bb restauravimus, edd. *magis debet reparatio inchoari ab homine quam ab angelo*. Pro *assumi* codd. K M O *esse*, cod. C *reparari*; in aliis codd. omnino deest *assumi*, quin aliquod aliud verbum substitutum sit pro eo.

[7] Cfr. Gen. 3, 1. seqq.; Luc. 1, 28. seqq. Vide etiam tom. II. pag. 516, nota 10, et Serm. 2. de Symbolo ad catechum. (inter opera August.) c. 4. n. 4. Quoad subnexa cfr. Rom. 5, 14. seqq. et I. Cor. 15, 22. seqq. — Pro *nostrae praevaricationis consummatio* cod. H *omnium praevaricatio*; pro *praevaricationis* cod. U *damnationis*, codd. A G L N T V aa et edd. 1, 2 falso *redemptionis*; cod. H subinde pro *sic per secundum* exhibet *sic in secundo*.

QUAESTIO III.

Utrum maior sit congruitas ad unionem in tota specie quam in uno individuo.

Tertio quaeritur, utrum maior sit congruitas in tota specie [1] quam in uno individuo. Et quod maior sit in tota humana specie, videtur:

1. Quia tota indigebat curatione. Et Damascenus [2] dicit, « quod erat inassumtibile erat incurabile »: ergo si propter curationem generis humani Deus naturam assumsit, videtur, quod magis congruum fuerit totam speciem assumere quam unam naturam singularem. Ad oppositum.

2. Item, maioris potestatis debuit esse reparator quam primus praevaricator; sed in primo praevaricatore Deus posuit totam humanam speciem, ita quod nihil erat extra ipsum Adam [3], sed omnes in ipso erant: ergo videtur, quod magis congruerit, Dei Filium totam massam, quam Adam corruperat, assumere, quam aliquam eius partem.

3. Item, « bonum est diffusivum sui [4] », ergo magis bonum magis diffusivum, ergo in maximo effectu bonitatis maxime se debet Deus diffundere; sed maximus effectus bonitatis divinae fuit redemptio generis humani: ergo congruebat, quod maxime se diffunderet: igitur magis congruum fuit, ut assumeret speciem quam aliquam naturam particularem.

4. Item, Filius missus est in *mentem,* et missus est in *carnem;* sed missio Filii Dei in *mentem* non tantum respicit unam animam singularem, sed omnem animam filiorum Dei per adoptionem: ergo pari ratione missio in *carnem* non debet esse in unum corpus singulare, sed in omnia corpora humana, vel saltem in aliqua, quae coniuncta sunt animabus, ad quas mittitur divina sapientia [5].

Contra: 1. « Natura non facit per plura quae potest facere per pauciora [6] » — et hoc facit ad eius commendationem — similiter ergo Deus, qui est institutor naturae; sed genus humanum potuit sufficienter reparari per unum hominem: ergo magis congruebat, quod unum assumeret quam plures. Fundamenta.

2. Item, decet humanam naturam assumtam haberi in praecipuo honore; sed si omnes [7] assumsisset, non esset magis honorabilis unus quam alter; hoc quidem derogaret honori et dignitati mediatoris, et nihil tale congruit fieri: ergo etc.

3. Item, si omnes assumsisset, ergo assumsisset peccatores; sed si nullo modo convenit, mediatorem esse peccatorem [8], ergo non convenit, Filium Dei assumere omnem hominem.

4. Item, si omnes homines aut multos assumsisset, aut *esset* inter eos aliqua germanitatis *affinitas,* aut *nulla.* Si *nulla,* non videtur, quod hoc conveniret, cum inter personas divinas summa attendatur germanitas, ut dicit Richardus [9]. Si autem *esset affinitas,* ita quod unus pater et alter filius, iam esset proprietatum confusio. Et ideo, si hoc non decet nec congruit, videlicet proprietates confundi in Trinitate; videtur, quod multitudo hominum non haberet congruitatem ad unionem, quemadmodum natura singularis.

CONCLUSIO.

Non ita congruit, totam speciem, sive individuorum multitudinem assumi a Filio Dei, sicut congruit, ipsam assumi in natura singulari.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio non ita congruit, totam speciem, sive individuorum multitudinem assumi a Filio Dei, sicut competit ipsum assumere in natura singulari [10]; et hoc tum ratione ipsius *unionis in se,* tum ratione *reparationis nostrae,* tum ratione *exaltationis naturae assumtae.* — Ratione *unionis in se* magis congruebat, quod assumeret unam naturam quam plures, sicut decens erat, unum uniri uni, et Unigenitum Patris fieri Unigenitum matris, ut sic per unionem naturae nec fieret recessus ab unitate, nec fieret confusio in personali proprietate. Conclusio. Triplex ratio. Ratio 1.

Ratione vero *reparationis nostrae* magis congruebat, quia unio fiebat propter mediatorem. Mediator autem unus est [11], ut reducat ad unitatem et Ratio 2.

---

[1] Vat. *congruitas ad unionem in tota specie humana.*

[2] Libr. III. de Fide orthod. c. 6. et 18. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. in fine. — Paulo inferius post *Deus naturam* cod. K adiicit *humanam.*

[3] Anselm., de Conceptu virg. et orig. pecc. c. 2: Tota natura humana in illis [Adam et Eva] erat, et extra illos de illa nihil erat. Cfr. II. Sent. d. 30. a. 1. q. 2.

[4] Secundum Dionys., de Caelest. Hierarch. c. 4. § 1, et de Div. Nom. c. 4. § 1. seq.

[5] Respicitur illud Sap. 9, 10: Mitte illam [sapientiam] de caelis sanctis tuis etc. — Pro *in aliqua* codd. G H K M O Z bb *in illa.*

[6] Axioma hoc fundatur in locis Aristotelis, tom. II. pag. 44, nota 5, pag. 741, nota 4. et pag. 778, nota 2. allatis.

[7] Codd. G H (K a secunda manu) Y (Z a prima manu) bb *omnes Sanctos.*

[8] August., X. Confess. c. 43. n. 68: Mediator ille Dei et hominum, homo Christus Iesus, inter mortales peccatores et immortalem iustum apparuit; mortalis cum hominibus, iustus cum Deo: ut, quoniam stipendium iustitiae vita et pax est, per iustitiam coniunctam Deo evacuaret mortem iustificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem.

[9] Libr. VI. de Trin. c. 2. et 4. seqq. — De seq. propos. cfr. supra pag. 17, notae 3. 7. 9. — Paulo inferius post *videtur* codd. N W subiiciunt *etiam.*

[10] Edd. *naturam in singulari.* Post *assumere* in cod. K a secunda manu adiectum est *hominem.*

[11] Epist. I. Tim. 2, 5: Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus. — Codd. K P Q R bb hic adiiciunt *ut dicit Apostolus.* Paulo superius pro *in personali proprietate* cod. Q *in personarum proprietate.* Dein post *fiebat* cod. F addit *haec.* Paulo inferius pro *Si enim* edd. *Si ergo.*

concordiam Deum et hominem. Si enim plures essent, aut unus *sufficeret*, aut *non*. Si *sufficeret*, tunc alii superfluerent. Si *non sufficeret*, iam imperfectus mediator esset. Unde sicut Christus semel pro peccatis mortuus est, quia *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* [1]; ita semel et in unica natura debuit incarnari.

Ratione vero *exaltationis naturae assumtae* magis congruebat, quia decebat illum hominem, qui Deus erat, sic exaltari, ut daretur ei *nomen, quod est super omne nomen* [2]. Et quoniam illud « quod per superabundantiam dicitur, uni soli convenit »; sicut Deus est unus, qui non habet aliam naturam aequalem, sed summus est inter omnia, sic natura assumta unica est, cui non aequatur aliqua creatura, sed ipsa excellit inter omnia creata, tanquam cui *data est omnis potestas in caelo et in terra* [3]. — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod magis decens fuerit assumere unam naturam singularem quam totam speciem. Ratio 3.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium, quod tota indigebat curatione; dicendum, quod tota indigebat curatione, et tota curari poterat per unum hominem, sicut totum corpus curari potest per cauterium, quod fit circa unum membrum; ideo non oportuit, assumi totum genus humanum. — Nec valet illud quod obiicit de Damasceno: « Quod erat inassumtibile erat incurabile »; loquitur enim de assumtibili in se, vel in suo simili; sic tota humana natura assumta fuit in Christo, sicut patebit infra [4]. Et nihil in homine indigebat curatione, quod non sit assumtum a Deo in unitate personae. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod opponitur, quod tota humana species fuit in praevaricatore; dicendum, quod non est simile, quia praevaricator corrupit et corruptionem transfudit mediante generatione carnali [5]; Christus autem sanat per gratiam et mediante regeneratione spirituali; et ideo non oportet, quod illi qui curandi sunt, sint in carne Christi, sicut fuerunt in natura hominis primi. Sufficit enim renasci in Ecclesia per eius Sacramenta, in qua Christus regenerat filios virginitate integra.

3. Ad illud quod obiicitur, quod bonum est diffusivum sui in praecipuo effectu bonitatis; dicendum, quod magnitudo diffusionis potest intelligi *intensive*, vel *extensive*; sed in effectu bonitatis praecipuo non oportet esse diffusionem bonitatis per *extensionem*, sed per *intensionem*. Unde quanto maiora sunt dona, tanto paucioribus communicantur. Et quia gratia unionis est maxima in termino [6], ita quod non potest esse maior nec cogitari; hinc est, quod uni singulari naturae debuit communicari. Distinctio. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod missio in mentem non respicit unam personam tantum; dicendum, quod non est simile, quia missio *in mentem* attenditur secundum effectum gratiae inhabitantem, quae [7] communis est omnibus iustis; sed missio Filii *in carnem* est secundum gratiam unionis, quae facit, hominem esse Deum. Quamvis autem congruum sit, quod multis communicet iustitiae bonitatem, non tamen convenit, quod multis communicet divinitatis nomen et dignitatem. Decet enim Deum habere multos servos et filios adoptivos, sed non decet, multos homines esse naturales Dei filios sive deos, vel, ut proprius loquar, esse Deum vel Dei Filium unigenitum [8].

ARTICULUS II.

De natura assumta quoad suarum partium integritatem.

Consequenter quaeritur de natura assumta quantum ad suarum partium integritatem. Et quantum ad hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum Christus [9] assumserit veram carnem.

Secundo quaeritur, utrum Christus habuerit veram animam rationalem.

Tertio quaeritur, utrum Christus assumendo carnem humanam habuerit speciem communem.

---

[1] Hebr. 10, 14. Ibid. 9, 28: Sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.

[2] Phil. 2, 9. — Seq. testimonium est Aristotelis et habetur V. Topic. c. 3. (c. 5.), de quo vide ibid. VII. c. 1. et tom. I. pag. 542, nota 2.

[3] Matth. 28, 18.

[4] Art. seq. per totum et d. 5. a. 2. q. 1. et 5. — Codd. et edd. 1, 2 verba Damasceni gratuito dant ordine inverso: *quod erat incurabile erat inassumtibile.* Deinde pro *in Christo* codd. G H K O Z aa bb exhibent *a Christo*, et mox pro *Et nihil* codd. M O *ita quod nihil.* In fine solut. non pauci codd. *in unitate* mutaverunt *in unitatem.*

[5] Cfr. II. Sent. d. 31. a. 2. q. 1. seqq. — Quomodo generatio et regeneratio inter se differant sintque contrariae inter se, exponit August., I. de Peccat. merit. et remiss. etc. c. 31. n. 60. et III. c. 2. n. 2. — In fine solut. Vat. et ed. 1 voci *virginitate* praefigunt *in.*

[6] De hac *dictione*, quae est secundum Gilb. Porret., cfr. tom. II. pag. 787, nota 6. De *re ipsa* vide infra d. 6. n. 2. q. 1. seqq. et d. 13. a. 1. q. 2. seq. — Cod. A *magis in termino.* Aliquantulum ante deest in compluribus codd. *tanto.*

[7] Vat. *qui.*

[8] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[9] In multis codd. desideratur vox *Christus*, cuius loco codd. A F substituunt *Verbum*, qui et proxime post omittunt *verum.*

QUAESTIO I.

Utrum Christus assumserit veram carnem.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum Christus assumserit veram carnem. Et quod sic, probatur:

Fundamenta. 1. Per illud quod dicitur Lucae ultimo [1]: *Palpate et videte; quoniam spiritus carnem et ossa non habet:* si ergo Christus post resurrectionem veram carnem habuit, necessario sequitur, quod ante.

2. Item, Damascenus [2]: « Quod erat inassumtibile erat incurabile »: ergo quod fuit curabile fuit assumtibile, et quod fuit curatum fuit assumtum; sed non tantum anima, sed etiam caro receperunt per Christum curationem: ergo etc.

3. Item, non nascitur homo ex homine nisi ex carne; sed Christus natus et conceptus fuit ex Maria Virgine [3]: ergo veram ex ea traxit carnem.

4. Item, caro vera est necessario de vera constitutione hominis: ergo si Christus caruit vera carne, caruit vera humanitate; et si vera humanitate caruit, caruit vero sanguine et vero pretio redemptionis [4]: ergo tota fides nostra est inanis. Quod si hoc dicere est haereticae impietatis, haereticum est et verae fidei adversarium ponere, Christum non habuisse veram carnem humanam.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Ad Galatas quinto [5]: *Caro concupiscit adversus spiritum;* sed in Christo non fuit aliqua concupiscentia vel inordinatio: ergo nec vera caro.

2. Item, Ioannis tertio [6]: *Qui de terra est de terra loquitur; qui de caelo venit super omnes est.* In hoc autem assignatur differentia Christi ad alios homines; sed alii homines de terra sunt, quia corpus eorum est de terra: ergo corpus Christi non fuit de terra nec de aliis elementis, sicut alia corpora: ergo non videtur, quod habuerit veram carnem humanam.

3. Item, unio praesupponit in unibili rationem imaginis — unde creatura irrationalis non habet in se congruitatem ad unionem [7] — sed humana caro non habet in se imaginem Dei, quia illa est in superiori portione rationis: ergo non videtur, quod a Verbo Dei habeat assumi.

4. Item, excellentior est gratia unionis quam fruitionis; sed fruitio non convenit ipsi [8] carni: ergo multo minus nec unio ad deitatem: ergo Christus non assumsit veram carnem.

5. Item, unio facit communicationem idiomatum [9]; sed caro Christi non recipit communicationem idiomatum quantum ad proprietates divinas, caro enim non est Deus: ergo non videtur, quod sit unita vel assumta a Verbo Dei.

CONCLUSIO.

Christus veram humanam carnem verumque corpus humanum habuit.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc fuit triplex modus dicendi; et duo sunt haeretici [10], tertius est catholicus. Triplex assertio.

Opinio 1. haeretica. Quidam dicere voluerunt, quod Christi caro non erat caro vera, sed caro phantastica; et hoc quidem dicebant, quia indecens eis videbatur, Deum uniri naturae corporeae. — Sed hi, dum voluerunt vitare apparens inconveniens, inciderunt in verum inconveniens; et dum voluerunt Deo reddere laudem apparenter, in blasphemiam inciderunt veraci-

Reprobatur dupliciter.

---

[1] Vers. 39. Cfr. August., Serm. 237. (alias 145. de Tempore).

[2] Libr. III. de Fide orthod. c. 6. Vide hic lit. Magistri, c. 1. in fine. — Iren., V. contra Haeres. c. 12. n. 6. Cfr. supra pag. 29, nota. 7.

[3] Ut profitemur in Symbolo Apostol. Cfr. Luc. 1, 31. seqq.

[4] Respicitur illud I. Petr. 1, 18. 19: Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis... sed pretioso sanguine etc.; et subinde illud I. Cor. 15, 14: Si autem Christus non resurrexit... inanis est et fides vestra. Cfr. ibid. v. 17. Hoc argumento utitur Tertull., III. adversus Marcion. c. 8. dicens: Vere autem pati phantasma non potuit. Eversum est igitur totum Dei opus. Totum christiani nominis et pondus et fructus, mors Christi negatur... Negata vero morte, dum caro negatur, nec de resurrectione constabit... Proinde resurrectione Christi infirmata, etiam nostra subversa est... atque ita inanis est fides nostra etc. — Pro *impietatis* edd. *pravitatis.*

[5] Vers. 17. — De *minori* cfr. infra d. 12. a. 2. q. 1. seq. et d. 15. a. 1. q. 2.

[6] Vers. 31. — Paulo inferius ante *nec de aliis* codd. F G H Z interserunt *item.*

[7] Cfr. supra a. 1. q. 1, ubi et seq. arg. insinuatur. — De *minori* cfr. I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 2. — Vat. *ad unionem istam personalem.*

[8] Edd. *Christi.* Mox pro *deitatem* codd. G H L N T U V Z *divinitatem.*

[9] De communitatione idiomatum cfr. supra pag. 14, nota 3. locum Damasceni.

[10] Has duas opiniones haereticas earumque auctores Tertull., de Carne Christi, c. 1. impugnat dicens: *Marcion,* ut carnem Christi negaret, negavit etiam nativitatem; aut ut nativitatem negaret, negavit et carnem, scilicet ne invicem sibi testimonium redderent et responderent nativitas et caro, quia nec nativitas sine carne, nec caro sine nativitate. Quasi non eadem licentia haeretica et ipse potuisset aut, admissa carne, nativitatem negare, ut *Apelles,* discipulus et postea desertor ipsius [qui volebat, ut ibid. c. 6. habetur, Christum carnem habuisse, non ex Virgine natam, sed de substantiis superioris mundi mutuatam]; aut et carnem et nativitatem confessus, aliter illas interpretari, ut condiscipulus et condesertor eius *Valentinus* [qui, ut ibid. c. 15. memoratur, Christum contendebat carnem habuisse spiritualem]. Cfr. etiam Tertull., III. adversus Marcion. c. 8. seqq., et adversus Valentinianos, c. 1. seqq.; Iren., contra Haeres., III-V. passim; August., de Haeresib. c. 11; Athanas., Epist. ad Epict., n. 7; Fulgent., I. ad Trasim. c. 5. — Paulo inferius pro *quidem* Vat. cum paucis codd. *quidam.*

ter. Ponere enim, quod Christus carnem habuit[1] phantasticam, est perfecto attribuere *imperfectionem*, et veritati *deceptionem*. Si enim verum corpus non habuit, perfectus homo non fuit. — *Item*, si verum corpus non habuit, vere passus non fuit: ergo cunctos credentes in eum decepit. Si igitur hoc dicere est Deum impie blasphemare, patet, quod manifestus error est ponere, quod verum corpus non assumsisset[2].

Alia ratio

Et ideo alii dixerunt, quod Christus verum corpus habuit et veram carnem; sed caro illa non fuit terrestris, sed caelestis. De caelo enim carnem illam attulisse Christum dixerunt, quia non decebat ipsum habere carnem peccatricem, tum quia concupiscit adversus spiritum, tum etiam quia auctorem habet diabolum. Et hunc suum errorem munire volunt per illud primae ad Corinthios decimo quinto[3]: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis;* et per illud quod dicitur Ioannis tertio: *Qui de caelo venit super omnes est.* — Sed hic error pessimus repugnat *veritati incarnationis* et *reparationis: veritati incarnationis*, quia Christus, secundum quod sacra Eloquia[4] testantur, fuit *ex semine David secundum carnem*, qui natus fuit de Maria Virgine, quae fuit de stirpe David. — Repugnat autem *veritati reparationis*, quia, si non habuit carnem terrestrem, sed caelestem, non habuit passibilem; si etiam non habuit carnem terrestrem[5], non habuit carnem de nostro genere; et si haec vera sunt, nec vere patiebatur, nec homo per ipsum vere redimebatur. Si ergo haec duo impietatis sunt et blasphemiae, planum est, quod iste modus dicendi falsus est et haereticus[6].

Opinio 3. haeretica.

Reprobatur duplíciter.

Et ideo est tertius modus dicendi verus et catholicus, quod Christus veram humanam carnem habuit, ita quod caro illa et verum corpus fuit et vere carni nostrae in natura consimilis. — Non enim decebat in ipsa veritate invenire *deceptionem* et oculorum ludificationem, quia veritas non novit fallere. Nec decebat in perfectissimo Dei Filio invenire *imperfectionem*, quia perfectissimus non novit deficere; et ideo, sicut apparebat, sic verum corpus et perfectum[7] de nostro genere et de utero beatae Virginis assumsit verissime. — Et concedendae sunt rationes hoc ostendentes.

Sententia catholica et conclusio.

Duplex ratio.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium[8], dicendum, quod illud verum est de carne, in qua viget fomes concupiscentiae, et talis caro est peccatrix; talis autem caro fuit in Adam post peccatum et in posteris concupiscentialiter genitis. Sed talis caro non fuit in Adam ante peccatum, nec in Christo, qui non fuit conceptus in libidine, sed Spiritus sancti virtute; et pro tanto dicitur eius caro esse caelestis et venire desursum, quia assimilatur altitudini humanae naturae, quae fuit in Adam quantum ad privationem omnis immunditiae[9].

Solutio oppositorum.

2. Et per hoc patet responsio ad sequens obiectum. Non enim dicitur Christus venire de caelo, quia caro eius descenderit de caelo, sed quia missus est a Patre; caro enim formata est secundum divinam operationem carens originali peccato et omni rebellione. Et in hoc erraverunt impii Manichaei, sicut superius ostensum est in secundo libro[10]; quia crediderunt, quod caro terrestris de sui natura repugnaret spiritui, tanquam haberet ortum a Deo malo; et in hunc errorem inciderunt, quia nescierunt distinguere inter *vitium* et *naturam*.

De Manichaeis.

3. Ad illud quod obiicitur, quod unio praesupponit rationem imaginis in suo unibili; dicendum, quod hoc verum est vel *in se*, vel *in ratione annexi;* et quamvis caro humana *in se* non habeat rationem imaginis, tamen *unita* est animae factae ad imaginem Dei.

Distinctio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod excellentior est gratia unionis quam fruitionis; dicendum, quod verum est per comparationem ad idem, utpote ad animam, quae Deo fruitur et Deo unitur, quia excellentior est gratia unionis quam fruitionis et eam praesupponit; tamen respectu corporis secus est, quia gratia fruitionis non est nata esse in corpore sive circa corpus, cum ponat solum habitum creatum, qui habet habilitare potentiam cognoscitivam. Sed gratia unionis in corpore non ponit alicuius *habitus collationem*, sed solum *substantificationem* ipsius corporis assumti in persona[11] divina, sicut in hypostasi, quae quidem est ex mera et gratuita bo-

Notandum.

---

[1] Cod. U *habuerit*. Mox pro *perfecto* codd. F H O U *perfectum*.

[2] Edd. bene *assumserit*, cod. bb *assumsit*. — De his duabus rationibus, quibus Marcionis doctrina haeretica refellitur, cfr. Iren., III. contra Haeres. c. 22. (alias 32.) n. 1. et V. c. 1. n. 2. nec non Tertull., locc. citt.

[3] Vers. 47. — Seq. Script. loc. est Ioan. 3, 31. — Mox post *error pessimus* codd. A K U W subiiciunt *est et*.

[4] Rom. 1, 3; Ioan. 7, 42; Matth. 1, 16. seqq.; Luc. 1, 27. seqq. — Paulo inferius pro *Repugnat autem* codd. G H K Z bb *Repugnat etiam*.

[5] Cod. K addit *sed caelestem*.

[6] Cfr. Iren., III. contra Haeres. c. 16. (alias 17.) seqq. et Tertull. locc. citt.

[7] Post *perfectum* codd. G H K Z inserunt *et*.

[8] Cod. bb supplet *quod caro concupiscit etc.*

[9] Cfr. infra d. 3. p. II. a. 2. q. 1, et August., Enarrat. in Ps. 50. n. 10; V. contra Iulian. Pelagian. c. 15. n. 54. seqq., ubi etiam videsis de responsione ad seq. obiectum.

[10] Dist. 1. p. I. a. 2. q. 1, d. 31. a. 1. q. 1. in corp. et d. 34. a. 1. q. 1. — Mox pro *de sui natura* codd. F G H K L P Q Z *de natura sua*.

[11] Vat. *natura*. Paulo superius eadem Vat. pro *cognoscitivam* substituit *intellectivam* et dein *sustentificationem* pro *substantificationem*. Paulo inferius pro *sicut in hypostasi* codd. M O *sive in hypostasi*. — De habitu creato, potentiam cognoscitivam habilitante, vide infra d. 14. a. 1. q. 1. seqq.

nitate Dei; et propterea non sic repugnat nec sic est extranea, sicut gratia fruitionis.

5. Ad illud quod obiicitur de communicatione idiomatum, dicendum, quod, sicut infra [1] patebit, idiomata non communicantur *ipsi naturae assumtae*, vel partibus eius, sed communicantur ipsi *rei naturae*. Nam haec est falsa: Filius Dei est caro, vel anima rationalis, quamvis haec sit vera: Filius Dei est homo.

SCHOLION.

I. Conclusiones huius et seq. quaestionis sunt de fide, ut patet pluribus antiquis decretis Ecclesiae contra Doketas, manichaeismo vel gnosticismo addictos, et contra Apollinaristas docentes, ipsum Verbum Christo vice animae rationalis fungi. Uterque error etiam definitionibus Concilii Viennensis (an. 1311. 1312.) reprobatur his verbis: « Confitemur, unigenitum Dei Filium in iis omnibus, in quibus Deus Pater existit, una cum Patre aeternaliter subsistentem, partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus in se verus Deus existens fieret verus homo, *humanum* videlicet *corpus passibile* et *animam intellectivam* seu rationalem, ipsum corpus vere per se et essentialiter informantem, assumsisse ex tempore in virginali thalamo ad unitatem suae hypostasis et personae ».

II. Utramque quaestionem multi antiqui doctores unica quaestione absolvunt, vel etiam non explicite tractant. De utraque igitur tractant: Alex. Hal., S. p. III. q. 4. m. 4. — Scot., hic q. 2. 3, d. 16. q. 2. n. 7; Report., hic q. 1. 2, d. 16. q. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 1-3; S. III. q. 5. a. 1-4; S. c. Gent. IV. c. 30-33. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic q. 1. a. 1. et dub. lat. 1. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 5. — Biel, hic q. unica.

QUAESTIO II.

Utrum Christus assumserit animam rationalem.

Secundo quaeritur, utrum Christus assumserit animam rationalem. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Matthaei vigesimo sexto [2]: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* sed si non haberet animam rationalem, non tristaretur: ergo etc.

2. Item, in symbolo Athanasii: « Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens »: ergo etc.

3. Item, Christus mortuus fuit; sed mors illa non fuit per separationem divinitatis a carne: ergo fuit per separationem animae a carne: ergo habuit animam [3].

4. Item, Christus descendit ad inferos et tertia die resurrexit a mortuis: aut ergo ratione *animae*, aut ratione *corporis*, aut ratione *divinitatis*. Ratione *carnis* non, quia illa remansit in sepulcro; ratione *divinitatis* non, quia illa non potest mutare locum: ergo ratione *animae*: ergo etc.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Ioannis primo [4]: *Verbum caro factum est;* ibi Ioannes sufficienter exprimit mysterium incarnationis: ergo nihil addendum est: ergo videtur, quod solam carnem assumsit.

2. Item, unio divinae naturae ad humanam dicitur *incarnatio;* sed denominatio semper debet fieri a digniori [5]; et cum anima dignior sit carne, et incarnatio non dicatur *animatio*, sed potius *incarnatio:* ergo videtur, quod anima non sit assumta a Verbo.

3. Item, unio respicit peccati originem; sed originale habet ortum a carne [6]: ergo videtur, quod Filio Dei carnem suffecerit assumere ad humani generis reparationem.

4. Item, « natura non facit per plura quod potest facere per pauciora [7] »; sed in Christo divina persona potens erat in actum intelligendi et amandi et vivificandi, cum ipse Filius Dei non careat voluntate nec intelligentia nec vita: ergo videtur, quod Christus non habuerit rationalem animam.

CONCLUSIO.

Christus assumsit veram animam cum suis potentiis vegetabili, sensibili et rationali.

Triplex assertio. Respondeo: Dicendum, quod circa hoc fuit triplex modus dicendi, et duplex fuit haereticus, et tertius catholicus.

Opinio 1. haeretica. Quidam namque dixerunt, sicut Eunomius [8],

---

[1] Dist. 6. a. 1. q. 1. ad 6. et d. 8-11. — Mox post *naturae assumtae* Vat. addit. *id est in abstracto captae*, et post *rei naturae* subiungit *id est naturae in concreto acceptae.* — *Res naturae* idem est ac *suppositum*, et sumta est haec locutio ex Hilario (cfr. 1. Sent. d. 23. a. 1 q. 2, d. 34. q. 1. et ibi scholia et loc. cit. II. Sent. d. 6. a. 1. q. 1. ad 6.).

[2] Vers. 38. — De *minori* cfr. infra d. 15. a. 2. q. 2. et Fulgent., III. ad Trasim. c. 21.

[3] De hoc et seq. arg. cfr. Athanas., II. contra Apollinar. n. 15. seqq. — Cod. W voci *animam* praefigit *rationalem.*

[4] Vers. 14. — Cfr. Fulgent., I. ad Trasim. c. 17.

[5] Sive, ut Aristot., II. de Anima, text. 49. (c. 4.), ait; « a fine appellare omnia iustum est ». — Pro *denominatio* codd. A G K L N T V X aa bb *determinatio*, codd. P Q *determinatio vel nominatio.*

[6] Cfr. II. Sent. d. 31. a. 2. q. 1. seqq. — Post *originem* Vat. adiicit *vel peccatum originale.*

[7] Cfr. supra pag. 42, nota 6. — Mox pro *persona* cod. G *natura*, codd. A aa et edd. 1, 2 *potentia.*

[8] Basil., contra Eunomium libri V, et Gregor. Nyss., II. contra Eunom. (ed. Migne, Patrol. Graec. tom. 45. col. 543) ipsum refutant. August., de Haeres. c. 49. de Arianis ait: In eo autem, quod Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt, nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuisse certatum. Sed hoc verum esse, et Epiphanius [Haeres. c. 69. n. 19.] non tacuit, et ego ex eorum quibusdam scriptis et collocutionibus certissime comperi. Cfr. Enarrat. in Ps. 29. serm. 2. n. 2. seq., ubi et de seq. opinione agitur; de Ecclesiast. Dogmat. (inter opera August.) c. 2; Athanas., II. contra Apollinar. n. 3; Damasc., de Haeres. n. 69.

quod Filius Dei assumsit carnem sine anima, quia divinitas erat ei in loco animae; et cum Verbum Dei vivificaret ipsam carnem, non indigebat alio spiritu vivificante. — Sed cum divina natura nullo
Reprobatur. modo possit esse forma perfectiva corporis, quia Deus nullius est forma perfectiva sive constitutiva; nullo etiam modo possit habere passiones tristitiae et doloris: impossibile est hoc dicere, quod Christus vixerit vita creata et dolores et mortem senserit, et non habuerit animam [1].

Et ideo fuit alius modus dicendi, quod Christus
Opinio 2. haeretica. animam habuit, sed animam non quamcumque, sed solum animam vivificantem et sensificantem, cuiusmodi est anima sensibilis; anima autem rationali non indiguit, quia ad ceteros actus partis intellectivae sufficiebat virtus personae increatae [2]. — Sed
Reprobatur. iste error adhuc pessimus est, quia si Christus animam rationalem non habuit, animam rationalem a peccato non redemit. — Et iterum, si animam rationalem non habuit, verus homo non fuit, quia non habuit hominis complementum. Et hoc dicere absque dubio est erroneum [3].

Et ideo est tertius modus dicendi verus et ca-
Sententia catholica et conclusio. tholicus, quod Christus assumsit verum corpus et veram animam cum suis potentiis vegetabili, sensi-
Ratio. bili et rationali. — Et ratio huius est, quia Christus assumsit humanam naturam, ut esset *mediator* Dei et hominum. Et quia *perfectus mediator*, ideo perfectus Deus et perfectus homo; et quia *perfectus homo* non est, nisi habeat corpus cum omnibus membris et animam cum omnibus potentiis: ideo omnia haec assumsit. *Rursus*, quia [1]perfectus *mediator* fuit, ideo perfectus *comprehensor* fuit et perfectus *viator*, perfectus in *contemplatione* et perfectus in *actione*, perfectus in *operatione* et perfectus in *passione*. Et ad omnia haec sequitur, quod habuit veram substantiam animae. — Unde concedendae sunt rationes hoc ostendentes.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur de
Solutio oppositorum. verbo Ioannis, dicendum, quod illud dictum est per *synecdochen* [4], et *caro* accipitur ibi pro tota natura humana. — Et *si tu quaeras*, quare ipse usus est illa synecdochica locutione? dicendum, quod hoc
Notandum. ideo fecit, quia natura assumta nobis est notior ex parte substantiae corporalis quam spiritualis. Et ideo, quia cognitio nostra incipit ab his quae sunt nobis magis nota [5], mysterium unionis humanae naturae cum divina magis descripsit ex parte *carnis*. —
Alia ratio. Alia etiam ratio potest reddi: quia in assumtione carnis clauditur assumtio animae rationalis. Si enim [6] assumsit quod minus ad assumtionem erat idoneum et magis ab assumente distabat, multo magis assumsit illud quod magis erat idoneum et magis conveniebat.

2. Et per hoc patet responsio ad sequens, quare incarnatio potius dicitur quam animatio; fit enim denominatio a parte notiori et ab ea parte, in qua magis implicatur ratio totius. — Et quod dicitur, quod denominatio debet fieri a digniori; dicendum, quod hoc verum est, nisi alia ratio interveniat.

3. Ad illud quod obiicitur, quod unio ordinatur contra peccati originem; dicendum, quod si [7] origo peccati sit a carne tanquam a deferente et sua infectione animam inficiente; nunquam tamen est in carne nisi ab anima, nec traductio carnis ex carne est nisi per virtutem animae; et ideo curatio non tantum debebat respicere carnem, sed et animam, immo principalius animam quam carnem. Et propterea non suffecit assumere solam carnem.

4. Ad illud quod obiicitur, quod persona Verbi sufficit ad vivificandum et regenerandum carnem per intellectum et voluntatem; dicendum, quod etsi per-
Notandum. sonae Verbi conveniat vivificare per modum *efficientis*, non tamen convenit vivificare per modum *formae perficientis*, et hoc ratione summae perfectionis, quae est in Deo, propter quam non potest esse alicuius pars constitutiva [8]; et ideo secundum humanam naturam Christus formam creatam habuit completivam; et sic certissime credendum est, Christum assumsisse et veram carnem et veram animam rationalem [9].

---

[1] Gregor. Nysss., loc. cit. (col. 550) idem arg. habet. — Paulo ante pro *vita creata* cod. F *vita increata*, et subinde pro *et mortem* codd. E L P Q T V X *etiam mortem*, codd. F G H K Z bb *et mortem etiam*.

[2] August., de Haeres. c. 55: Apollinaristas Apollinaris instituit, qui de anima Christi a Catholica dissenserunt, dicentes sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse. In qua quaestione testimoniis evangelicis victi, mentem, qua rationalis est anima hominis, defuisse animae Christi, sed pro hac ipsum Verbum in eo fuisse dixerunt.

[3] Cfr. Athanas., l. et ll. contra Apollinar.; Gregor. Nyss., adversus Apollinar.; Ambros., de Incarnat. dominic. sacram. c. 7. n. 64. seqq. et Epist. 46. (alias 47. vel 8.); August., Epist. 187. (alias 57.) c. 2. n. 4; de Fide et symb. c. 4. n. 8; de Agone christian. c. 19. n. 21. Serm. 237. (alias 145. de Tempore) c. 4. n. 4. et contra Felician. Arian. (inter opera August., sed est Vigilii) c. 13. seqq.; Fulgent., l. ad Trasim. c. 10. seqq., ubi (c. 15. et 18.) et de tertio modo dicendi vero et catholico agitur. — Pro *erroneum* cod. K *haereticum*.

[4] Vide tom. II. pag. 519, nota 5.

[5] Secundum Aristot., l. Phys. text. 2. seqq., de quo cfr. tom. II. pag. 441, nota 1, et d. 39. a. 1. q. 2. — Hanc rationem exhibet August., de Agone christian. c. 21. n. 23, nec non Fulgent., l. ad Trasim. c. 17.

[6] Codd. F G H (K a secunda manu) Z *igitur*. — Cfr. Damasc., III. de Fide orthod. c. 18.

[7] Edd. *etsi*. Aliquantulum inferius pro *curatio* Vat. *reparatio*, edd. 1. 2 cum paucis codd. *creatio*. Mox pro *sed et animam* codd. *sed animam*, ac deinde pro *suffecit* codd. G H P Q bb *sufficit*. — De modo, quo peccatum originale per generationem carnalem propagatur, cfr. II. Sent. d. 31. a. 2. q. 1.

[8] Cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 2; d. 17. p. I. q. 1; II. Sent. d. 26. q. 2. — Circa initium solut. pro *regenerandum* Vat. et nonnulli codd. non bene *regendum*; circa finem solut. pro *completivam* [i. e. animam, quae dat *esse* specificum] cod. A minus bene *completam*.

[9] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

Utrum Christus habuerit cum aliis hominibus communem speciem.

Tertio quaeritur, utrum Christus habuerit cum aliis communem speciem. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Ad Philippenses secundo[1]: *In similitudinem hominum factus:* si ergo communitas speciei attenditur secundum assimilationem in forma humanitatis, videtur, quod Christus in forma specifica conveniat cum aliis hominibus.

2. Item, genitus est eiusdem speciei cum generante in generatione univoca[2]; sed Christus genitus fuit ex beata Virgine: ergo est eiusdem speciei cum ea.

3. Item, anima rationalis, unita carni, constituit hominem eiusdem speciei communis; sed in Christo fuit anima rationalis unita carni[3]: ergo Christus habuit speciem communem cum aliis.

4. Item, in Christi incarnatione natura humana exaltata est et reparata[4]; sed hoc non esset, si Christus non haberet cum aliis hominibus speciem communem: ergo etc.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Ioannes Damascenus, et habetur in littera[5]: «In Domino Iesu Christo non est communem speciem accipere».

2. Item, Magister in littera[6]: «*Natura* non sic accipitur in Christo, sicut cum dicitur: una est natura omnium hominum»; sed cum dicitur: una est natura omnium hominum, dicitur esse una unitate speciei: ergo non videtur, quod in Christo sit accipere unam naturam, cum qua cum aliis communicat tanquam in specie specifica.

3. Item, «species, ut dicit Boethius[7], dicit totum *esse* individuorum»; sed humanitas non dicit totum *esse* Christi: ergo Christus non continetur sub homine tanquam individuum sub propria specie.

4. Item, forma specifica accipitur ab eo quod nobilissimum et perfectissimum est in re[8]; sed nobilissimum et perfectissimum in Christo non est natura creata, sed increata; sed penes naturam increatam non est accipere speciem communem cum aliis hominibus: ergo nullo modo.

CONCLUSIO.

Christus ratione humanae naturae habuit communem speciem cum aliis hominibus, non autem ratione utriusque naturae, scilicet divinae et humanae.

Quid species. Respondeo: Dicendum, quod *species* dicit formam, et non quamcumque, sed formam *totius,* hoc est formam complectentem totum *esse.* Iuxta quod dicit Boethius, quod «species est totum *esse* individuorum»; et Avicenna[9] et alii etiam philosophi in hoc concordant. Forma ergo specifica communis dupliciter potest intelligi: aut secundum *praedicationem,* aut secundum *constitutionem.* Secundum *praedicationem* homo dicit formam communem Petro et Paulo; secundum *constitutionem* homo dicit formam, quae simul respicit animam et corpus, et quae resultat ex coniunctione animae cum corpore. Anima enim et corpus concurrunt ad unam essentiam constituendam. Et hinc est, quod constitutus ex anima et corpore habet unam[10] formam specificam, communem sibi et aliis sic constitutis per *praedicationem;* communem nihilominus partibus constituentibus per *quandam informationem* et completionem. Duplex sensus.

Applicatio et distinctio. Cum ergo quaeritur, utrum in Domino Iesu Christo sit communem speciem accipere; hoc dupliciter potest intelligi: aut ratione *naturae assumtae,* aut ratione *utriusque,* humanae scilicet et divinae. Si ratione *humanae naturae,* sic est communem speciem accipere Christi ad alios homines; quia, sicut in aliis hominibus ex coniunctione animae ad carnem per modum perficientis et informantis resultat forma humanitatis, sic et in Christo[11]. Et ideo isto modo est accipere in eo communem speciem, tam per praedicationem quam etiam per constitutionem. Conclusio 1. — Si autem loquamur de Christo ratione *divinae naturae* et *humanae,* sic in Domino Conclusio 2.

---

[1] Vers. 7. Supra edd. *aliis hominibus* contra codd.

[2] Cfr. tom. II. pag. 479, nota 1. — Mox post *ex beata Virgine* codd. M O subiiciunt *generatione univoca.*

[3] Ut ostensum est quaest. praeced.

[4] Cfr. Eph. 2, 5. seq.; II. Petr. 1, 4.

[5] Hic c. 1.

[6] Hic c. 1. In auctoritate adducta codd. E G (K a prima manu) pro *una est natura* substituunt *una esse natura,* quae lectio etiam in textu origin. Magistri habetur. Mox in *minori* codd. A K L T V aa bb eandem lectionem exhibent pro *una est natura.*

[7] Libr. III. Comment. in Porphyr. c. *de Specie* et in libro de Divisione. Ipsa Boethii verba vide tom. II. pag. 108, nota 6. et pag. 441, nota 8.

[8] Sub hoc respectu differentia specifica etiam *ultima* vocari potest, quippe cum secundum Aristot., VII. Metaph. text. 43. (VI. c. 12.), sumatur a forma et in sua unitate totam substantiam comprehendat et speciem definiti. Cfr. X. Ethic. c. 5. et 7.

[9] Libr. I. Logic. c. *de Specie,* et V. Metaph. c. 3. seqq. Cfr. Porphyr., de Praedicab. c. *de Specie,* ubi Aristotelica de hac re doctrina proponitur exponiturque. — In subnexis respicitur nota divisio universalis in universale *logicum* (in praedicando) et universale *metaphysicum* (in essendo). Cfr. tom. II. pag. 441, nota 3.

[10] Pro *unam* edd. *humanam.*

[11] Cfr. infra d. 5. a. 2. q. 1.

Iesu Christo non est accipere communem speciem, quia divina natura non unitur humanae ad unius essentiae constitutionem; ideo ex coniunctione divinitatis ad humanitatem in Christo nulla resultat forma communis vel universalis, in qua possit aliis assimilari. Et ideo Damascenus dicit, subiungens in eadem auctoritate [1], quod «in Christo non est communem speciem accipere, quia nec factus est nec aliquando fiet alius»; subaudiendum est: qui communicet cum eo in forma una ex *hoc*, quod dicitur Christus. Aliter enim sua ratio non valeret, quia, esto quod esset unus solus homo, sicut est unus solus sol, adhuc esset in eo communem speciem accipere [2]. — Epilogus. Uno igitur modo est in Christo speciem communem accipere, et alio modo non; quia, cum sit in eo triplex substantia, ex coniunctione duarum, videlicet animae et carnis, resultat una forma specifica, in qua cum aliis hominibus communicat. — Et sic procedunt rationes, quae inducuntur ad primam partem.

1. 2. Ex coniunctione vero divinitatis ad naturam creatam nulla omnino forma [3] resultat; et quantum ad hoc intelligitur verbum Damasceni et Magistri, qui dicunt, quod non est una natura Christi, sicut omnium hominum. Solutio oppositorum.

3. Ad illud vero quod obiicitur, quod species dicit totum *esse* individuorum; dicendum, quod verum est eatenus, qua est individuum contentum sub illa specie. Christus autem est individuum contentum sub specie humana ratione naturae creatae, non ratione naturae increatae.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod species specifica accipitur penes illud quod nobilissimum est et perfectissimum in re; dicendum, quod verum est, loquendo de illis, secundum quae res habet esse in genere; Christus autem secundum divinam naturam non ponitur in aliquo genere, sed solum ratione naturae creatae [4]. Sic igitur concedendum est, quod Christus assumsit veram carnem et veram animam, et haec unita, prout concurrunt in unius speciei specialissimae veritatem.

SCHOLION.

1. Haec quaestio militat contra errorem paucorum, qui sustinebant, Verbum assumsisse quidem animam et corpus, sed non ita, quod ex eorum coniunctione aliquod totum sive species communis (humanitas) resultaret, cum animam assumserit per se et carnem per se, non animam coniunctam carni. Hoc errore et veritati humanae naturae in Christo et dignitati corporis ipsius omnino derogatur. Plura vide hic in lit. Magistri c. 1 (ubi Damasceni verba afferuntur, quae huic quaestioni occasionem dedisse videntur) et infra d. 5. a. 2. q. 5.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 4. m. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 3; S. III. q. 5. a. 3. ad 3, q. 6. a. 5. — B. Albert., hic a. 5. — Ægid. R., hic q. 1. a. 1. quaest. lat. 2. — Alii auctores rem breviter tangunt locis citt. in praecedenti scholio.

ARTICULUS III.

De natura assumta quoad medii necessitatem.

Consequenter quaeritur de natura assumta quantum ad medii necessitatem. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum caro assumta fuerit a Verbo mediante spiritu humano.

Secundo quaeritur, utrum [5] assumta fuerit a Verbo mediante habitu gratuito.

Tertio quaeritur, utrum tota humana natura assumta fuerit mediante Spiritu sancto.

QUAESTIO I.

Utrum corpus unitum fuerit Verbo mediante spiritu humano sive anima.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum corpus unitum fuerit Verbo mediante spiritu humano sive anima. Et quod sic, videtur:

1. Primo auctoritate Damasceni, quam Magister inducit in littera [6]: «Unitum est carni Verbum Dei per medium intellectum». Fundamenta.

2. Item, Gregorius [7]: «Carnem deitas mediante anima suscepit».

---

[1] Vide hic lit. Magistri, c. 1. — Paulo inferius pro *ex hoc, quod* codd. L aa cc *et hoc est quod*, cod. dd *et ex hoc est quod*, codd. A N T U X *et ex hoc quod*, cod. F *id est in hoc ex hoc quod.*

[2] Aristot., VII. Metaph. text. 55. (VI. c. 15.): Quaecumque in alio contingunt, velut si alter fiat talis, patet, quod erit sol; communis ergo ratio. Cfr. tom. II. pag. 357, nota 2.

[3] Cod. K *forma communis.*

[4] Cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 4. — Circa initium solut. Vat. pro *species* (i. e. forma) *specifica* substituit *species specialissima.* — Secundum Porphyr., de Praedicab. c. *de Specie*, *homo* respectu generis generalissimi, quod est *substantia*, species vocatur specialissima; membra intermedia, scil. corpus (substantia corporea) et animal (corpus animatum), respectu habito ad superiora, dicuntur species, respectu habito ad inferiora, genera. — In fine solut. pro *veritatem* codd. A K L T U aa bb exhibent *unitatem*; Vat. voci *veritatem* adiicit *et unitatem.*

[5] Supple cum codd. P Q *anima.*

[6] Hic c. 2.

[7] Libr. XXXI. Moral. c. 23. n. 42.

3. Item, Augustinus hoc ipsum ad Volusianum [1]: «Animam rationalem et per ipsam corpus humanum aptavit sibi».

4. Item, hoc ipsum videtur *ratione*. Extrema multum distantia non uniuntur nisi per medium aliquod; sed corporeum creatum et corruptibile, et increatum incorporeum et incorruptibile sunt maxime distantia: ergo uniuntur per aliquod medium, quod quidem sit creatum et incorporeum. Sed talis est spiritus rationalis [2]: ergo etc.

5. Item, maioris dignitatis est esse unitum divinitati quam esse glorificatum; sed corpus non est habile ad glorificationem nisi mediante anima [3]: ergo nec ad unionem.

6. Item, circumscripta anima, corpus humanum minus est nobile, quam sit brutalis spiritus, quia substantia spiritualis dignior est corporali; sed animal brutum non habet congruentiam ad unionem [4] ergo nec corpus humanum per se ipsum. Si ergo congruentiam habet, hoc est mediante spiritu vel intellectu.

Ad oppositum. SED CONTRA: 1. Deus est intimus omni creaturae, tam corporali quam spirituali [5]: ergo nihil cadit medium inter ipsum et creaturam: si ergo unit sibi corpus humanum, videtur, quod non uniat sibi mediante spiritu.

2. Item, magis unitur medium cuilibet extremorum quam extrema ad invicem: ergo si divinitas unitur carni mediante anima, ergo magis unitur divinitas animae quam carni, et caro magis unitur animae quam Deo. Sed hoc est falsum, quia anima uniebatur carni separabiliter, divinitas inseparabiliter [6], et ita illa caro erat Dei, sicut anima Dei: ergo relinquitur idem quod prius.

3. Item, soluto medio solvuntur extrema: ergo si Deus unitur carni mediante anima, facta separatione a carne, fit separatio a divinitate. Sed hoc est falsum, quia in morte anima a carne recessit; Deus autem carnem, quam assumsit, nunquam dimisit [7]: ergo videtur, quod anima mediante carnem non assumserit.

4. Item, Deus non organizavit nec formavit carnem illam mediante anima [8]: ergo si eadem virtute assumsit, qua formavit, et ita immediate assumsit, sicut immediate fecit; non videtur, quod assumserit mediante spiritu rationali.

CONCLUSIO.

Verbum fuit unitum carni mediante creato spiritu, non quasi anima sit medium colligantiae, sed tantum ut est medium congruentiae.

RESPONDEO: Dicendum, quod cum quaeritur, utrum caro assumta fuerit a Verbo mediante spiritu humano; hoc dupliciter potest intelligi, secundum quod ad coniunctionem aliquorum potest concurrere medium secundum duplicem rationem. Est enim medium *colligantiae*, et est medium *congruentiae*. Medium *colligantiae* est per quod extrema ligantur ad invicem, sicut duo corpora ad invicem coniunguntur, interveniente glutino. Medium vero *congruentiae* dicitur ratione cuius congruum est, aliqua duo extrema perduci ad aliquam unionem, sicut mulier nobilis mediante nobilitate congruentiam habet, ut sit sponsa regis; cum tamen rex sibi unitur, magis unitur sicut *coniugi* quam sicut *nobili*. Duplex sensus sec. duplicem rationem medii.

Si ergo intelligitur de medio *colligantiae*, tunc quaeritur: utrum Verbum unitur carni mediante spiritu creato? Respondendum est, quod non [9], pro eo quod immediate et inseparabiliter Verbum unitur tam carni quam animae; et ideo non cadit ibi anima medium quasi glutinum vel vinculum inter corpus et Deum. — Si autem intelligatur de medio *congruentiae*, sic absque dubio concedendum est, quod caro unitur ipsi [10] Verbo mediante spiritu creato. Non enim erat congruum, quod Dei Verbum, quod est vita, acciperet corpus nisi vivificatum; nec conveniebat, eum qui est Spiritus immortalis, uniri corpori, nisi vivificato spiritu immortali, unde illud corpus esset idoneum ad incorruptionem. Et hoc est quod dicitur in littera [11], quod «incommutabilis et invisibilis Veritas per *spiritum* animam, et per *animam* corpus, totum hominem, sine sui contagione susciperet». Et accipitur *spiritus* pro superiori portione animae, sicut dicit Magister, quae maiorem convenientiam habet cum Deo; *anima* vero pro inferiori parte animae, secundum quam vivificat corpus. Et per haec duo nihil aliud datur intelligi, quam illud corpus congruum esse ad unionem, quod quidem habet per *animam* vivificari et per *spiritum* ad perpetuitatem et incorruptionem ordinari. — Et quia rationes, quae ad primam partem inducuntur, pro- Conclusio 1. Conclusio 2. Ratio.

---

[1] Epist. 137. (alias 3.) c. 2. n. 8: Ipsa [magnitudo virtutis divinae] sibi animam rationalem et per eandem etiam corpus humanum totumque omnino hominem in melius mutandum, nullo modo in deterius mutata, coaptavit. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2, ubi alia Augustini verba afferuntur. — Post *animam rationalem* cod. Z inserit *Deitas*.

[2] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. in fine, nec non liber de Unione corporis et animae (inter opera Hug. a S. Vict.).

[3] Cfr. IV. Sent. d. 49. p. II. a. 1. princip. a. 1. q. 2.

[4] Cfr. supra a. 1. q. 1. — De ratione addita *maiori* cfr. tom. II. pag. 214, nota 3. — Pro *animal brutum* codd. G H Z bb *animal brutale*.

[5] Ut probatum est I. Sent. d. 37. p. I. a. 1. q. 1, et II. Sent. d. 37. a. 1. q. 2. — In fine arg. pro *spiritu* cod. aa *anima*.

[6] Vide infra d. 6. a. 2. q. 3.

[7] Ut ostendetur infra d. 21. a. 1. q. 2.

[8] Cfr. infra d. 3. p. II. a. 3. q. 2. — Subinde post *ergo si* cod. K subiicit *Deus*.

[9] In edd. deest *non*. Paulo ante pro *unitur carni* codd. K P Q *uniatur carni*.

[10] Pro *ipsi* Vat. *Christi*. Paulo inferius pro *quod est vita* (Ioan. 1, 4.) plurimi codd. et edd. 1, 2 *qui est vita*. Post pauca pro *esset idoneum* cod. P *erat idoneum*, codd. M O *est idoneum*.

[11] Hic c. 2. In fine testimonii pro *susciperet* cod. H *assumsit*, quod verbum et in textu originali habetur; cod. N *suscepit*, cod. K *susceperit*, edd. *susceperat*.

cedunt secundum medium congruentiae, ideo sunt concedendae.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod Deus est intimus creaturae corporali, ergo non unitur spiritu mediante; dicendum, quod ratio illa procedit de medio *distantiae* vel *colligantiae*, quod quidem non est ibi reperire; non autem obviat medio *congruentiae*. Quamvis enim sit intimus per modum essendi potentialiter, essentialiter, praesentialiter in omni creatura; non tamen congruum est, ut quamlibet assumat in unitatem personae, sicut supra [1] visum est, sed eam solam, quae est ad eius imaginem, vel quae cum sua imagine habet compositionem.

Duplex immediatio.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non magis unitur Deus animae quam carni, immo aeque immediate utrique unitur; dicendum, quod verum est de immediatione, secundum quam privat medium faciens *distare*; sed non est verum de immediatione, quae [2] privat medium faciens *congruere*; quia plus congruit unioni substantia rationalis, quae est ad eius imaginem, quam substantia corporalis.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod soluto medio solvuntur extrema; dicendum, quod illud non habet veritatem de medio *congruentiae*; sicut patet, cum aliquis accipit in [3] uxorem aliquam ratione pulcritudinis, non tamen ab ea separatur, pulcritudine recedente; sic et in proposito intelligendum est. — Praeterea, anima non recedebat a corpore simpliciter, sed solum ad tempus; et corpus illud ex prima coniunctione sui ad animam dispositionem ad incorruptionem habebat; et ideo propter separationem ipsius animae congruitatem ad unionem non amittebat; et ideo, quamvis anima separaretur a carne, non [4] oportebat, divinitatem a carne separari.

Alia solutio.

Distinctio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod Deus non formavit carnem illam mediante anima; dicendum, quod etsi teneat hoc de medio per modum *causae* [5], non tenet tamen de medio per modum *congruentiae*. Quamvis enim anima non fuerit causa corporis *effectiva*, tamen ex communicatione corporis cum anima potuit esse aliqua *congruentia* ad unionem cum divina natura.

SCHOLION.

I. Doctrina Ss. Patrum a Magistro (hic c. 2.) relata, quod Filius Dei assumsit carnem et animam, sed *carnem* mediante anima et *animam* mediante spiritu, explicatione indiget, in qua Scholastici principales satis concordant, licet non eisdem verbis et distinctionibus omnes utantur. Cum hac quaestione intime connectitur et fere coincidit quaestio de *ordine* assumtionis respectu totius assumti ad partes, et partium inter se. — Duo autem omnino constant, scilicet Verbo *immediate* unita esse et corpus et animam, nec non *simul* secundum ordinem *temporis* fuisse formationem et assumtionem tam corporis quam animae. — Disputant autem posteriores Scholastici de hac speciali quaestione, utrum *totum* compositum humanum sit assumtum mediantibus partibus, vel vice versa *partes* mediante toto, et quid secundum ordinem *naturae*, non temporis, sit prius. S. Thom. (S. III. q. 6. a. 5.) utitur hic distinctione inter ordinem *intentionis* (ex parte agentis) et *operationis* (executionis, ex parte materiae), et simpliciter dicendum esse resolvit, « quod Verbum Dei assumsit partes humanae naturae mediante toto. Sicut enim assumsit corpus propter ordinem, quem habet ad animam rationalem; ita assumsit corpus et animam propter ordinem, quem habent ad humanam naturam ». Sed praecise quoad ordinem *executionis* idem docet: « Ex parte vero materiae est primum illud, quod primum existit in transmutatione materiae ». Contra hanc ultimam propositionem arguitur a Scoto eiusque schola. Scotus (hic q. 2. n. 5. seqq.) etiam utitur hic alia distinctione, scilicet inter medium *quod* et medium *quo*, et concedit, quod anima est medium *quo*, sed non *quod*, assumtionis totius naturae, atque diffuse disputat de quaestione, quomodo *totum* ut ens aliud sit distinctum a partibus simul sumtis; in qua quaestione determinanda ipsi Scotistae non penitus consentiunt.

II. S. Bonav. agit tantum de duplici quaestione, utrum assumta sit *caro* mediante anima, et (in fine corp.), utrum *anima* mediante spiritu, quae ulterior quaestio a S. Thoma aliisque pluribus alia distincta quaestione resolvitur. — Distinctio illa, quam facit S. Bonav. inter medium *colligantiae* (quod in solut. ad 6. et quaest. seq. vocatur « per modum *causae* », scilicet *effectivae*) et medium *congruentiae*, a S. Thoma in Comment. (hic q. 2. a. 1.) exprimitur verbis *medium necessitatis* et *medium congruentiae*. Ab eodem hic tres aliae non inutiles distinctiones adiiciuntur. In Summa autem theol. (III. q. 6. a. 1.) distinguitur ordo *naturae* secundum gradum *dignitatis* et rationem *causalitatis* (scilicet congruentiae), et conceditur, utroque modo sane dici posse, carnem assumtam esse mediante anima.

III. Praeter laudatos: Alex. Hal., S. p. III. q. 4. m. 5. — B. Albert., hic a. 9. 10. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. 2. — Ægid. R., hic q. 2. a. 1, dub. lat. 1. et a. 2. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 5. — Biel, hic q. unica.

---

[1] Art. 1. q. 1. — De praedicto triplici modo existendi in creatura cfr. I. Sent. d. 37. p. I. a. 3. q. 2. — Paulo superius pro *obviat medio* codd. M O *obviat ratione medii*, Vat. *obviat de medio*; et mox pro *per modum essendi* codd. G L Z aa et edd. 1, 2 *per medium essendi*, perperam.

[2] Cod. aa *secundum quam*.

[3] In codd. H K Z bb deest *in*.

[4] Edd. *non tamen*.

[5] Edd. 1, 2 *quodsi dicat hoc de medio per modum causae, non tenet; tenet tamen* etc., cui lectioni favet cod. H, in quo legitur *quod non tenet... per modum causae, tenet tamen* etc. Cfr. infra d. 3. p. II. a. 3. q. 2. Pro *quod etsi* plurimi codd. *quod si*.

QUAESTIO II.

Utrum anima Christi assumta fuerit a Verbo mediante aliquo habitu gratuito.

Secundo quaeritur, utrum anima fuerit assumta a Verbo mediante aliquo habitu gratuito. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Augustinus in decimo tertio libro de Trinitate [1]: « In rebus per tempus ortis summa gratia est, quod Deus in unitatem personae, nullis praecedentibus meritis, homini copulatur »: ergo videtur, quod Dei Filius uniatur animae mediante aliqua gratia sive dono gratuito.

2. Item, Augustinus [2]: « Quidquid convenit Filio Dei per naturam, convenit filio hominis per gratiam »: ergo videtur, quod unio Verbi et animae fiat mediante aliquo dono gratiae.

3. Item, perfectius est Deus, cum est cum aliquo, per unionem quam per inhabitationem; sed si Deus in nullo habitat nisi mediante aliquo dono gratuito [3], ergo non videtur, quod animam assumat, nisi mediante aliquo habitu vel gratia disponente.

4. Item, plus est, animam uniri Verbo quam frui Deo; sed anima Christi non fruitur Deo, nisi mediante aliquo habitu gloriae, per quam fit deiformis [4]: ergo videtur, quod nec uniatur ipsi Verbo, nisi mediante aliquo habitu gratiae, cuius deiformitas superexcellat deiformitatem gloriae.

5. Item, unio est relatio; sed nulla *relatio* introducitur in *esse* nisi per introductionem alicuius *absoluti*, quia « in *ad aliquid* non est motus per se [5] »: si ergo Deus assumit aliquam animam, quam prius non assumsit, cum hoc non sit secundum mutationem *sui*, quia est immutabilis, nec secundum mutatationem *animae* de *non-esse* in *esse*, quia haec mutatio est creatio; restat ergo, quod hoc erit mediante infusione alicuius gratiae nobilissimae.

6. Item, uniri divinae naturae in unitatem personae, hoc excedit omnem naturam creatam; sed cum creatura aliqua ordinatur ad aliquod, quod est supra naturam suam, indiget habitu adiuvante et elevante: ergo videtur, quod anima uniatur divinae naturae aliquo habitu gratiae mediante.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Omnis gratia, quantum est de se, aequaliter respicit tres personas, cum sit totius Trinitatis effectus: ergo si habitus gratuitus faceret uniri personae Filii Dei, eadem ratione et personae Patris et Spiritus sancti; sed constat, quod persona Patris et Spiritus sancti non sunt unitae illi animae in unitatem personae [6]: ergo illa unio non fuit alicuius gratiae.

2. Item, omnis habitus gratuitus dicit quid creatum; sed omne creatum est in infinitum Deo inferius: ergo per nihil creatum efficitur homo Deus. Sed per unionem factum est, ut homo esset Deus [7]: ergo non videtur, quod illa unio fieret aliquo habitu gratuito.

3. Item, si illa unio fieret aliquo habitu gratuito, cum corpus non sit illius gratiae susceptibile, ergo corpus non esset unibile; sed corpus est unibile et unitum: ergo non videtur, quod unio fiat animae ad Deum per habitum medium.

4. Item, intelligamus, quod Deus assumeret unam animam gloriosam et ipsam deponeret; planum est, quod anima illa et ante unionem et in unione et post unionem non haberet nisi habitum gloriae: si ergo habitus ille communis est creaturae unitae et non unitae, videtur ergo, quod unio divinitatis ad animam non fiat aliquo habitu gloriae mediante. Nec alium habitum supra hunc est dare: ergo non videtur, quod anima uniatur Verbo mediante aliquo habitu gratuito.

CONCLUSIO.

Anima Christi non fuit assumta a Verbo mediante aliquo habitu gratuito, cooperante per modum causae.

Respondeo: Dicendum, quod cum quaeritur, utrum anima uniatur ipsi Verbo mediante aliquo habitu gratuito, hoc dupliciter potest intelligi: aut quod ille habitus in illa unione teneat rationem *congruentiae*, vel rationem *causae*. Si ita, quod teneat rationem *congruentiae*, sic concedi potest, quod anima unitur ipsi Verbo mediante habitu creato [8], quia non decet ipsam Verbo uniri, nisi assimiletur habitu perfectae deiformitatis. Unde anima Christi

Duplex sensus.

Conclusio 1.

---

[1] Cap. 19. n. 24. In testimonio allato textus originalis pro *in unitatem* exhibet *in unitate* et omittit verba *nullis praecedentibus meritis*, quae tamen sunt in Enchirid. c. 40. n. 12, ubi simile testimonium affertur.

[2] Enchirid. c. 35-41. n. 10-13, sententialiter. Hugo a S. Vict. hoc dictum tribuit Ambrosio, sed nec ibi verbotenus invenitur. — Post verba Augustini codd. M O *minorem* supplent sic: *sed esse Deum vel Dei Filium convenit Verbo per naturam.*

[3] Cfr. I. Sent. d. 17. p. I. q. 1, et II. Sent. d. 26. q. 2.

[4] De quo vide infra d. 14. a. 1. q. 1. — Pro *per quam* codd. A G H K T bb *per quem.*

[5] Aristot., V. Phys. text. 10. (c. 2.). Cuius verbi explicationem vide tom. II. pag. 831, nota 7. — Post *introductionem* edd. 1, 2 addunt *vel mediationem*, Vat. *vel mutationem.* Paulo inferius pro *secundum mutationem sui, quia* [cod. U *Deus*] *est immutabilis* codd. T V W X et edd. 1, 2 *secundum unionem sui, quia est inunibilis.*

[6] Cfr. supra d. 1. a. 1. q. 2. et a. 2. q. 3. — Paulo superius post *faceret* cod. U (T a secunda manu) subiicit *animam*, cod. K *humanam naturam.*

[7] Cfr. infra d. 7. a. 1. q. 1.

[8] Pro *creato* Vat. *gratuito.*

non tantum fuit grata in instanti unionis, sed etiam glorificata super omnes animas beatas, quia non decet animam Dei [1] carere deiformitate.

Si autem intelligatur unio illa fieri mediante habitu gratuito, ita quod ille habitus respectu unionis teneat rationem *causae*, sic veritatem non habet; quoniam illa unio, quae est per habitum infusum, sicut est unio *amoris* et *cognitionis*, communiter [2] respicit tres personas; unio autem illa respicit unam solam. — *Rursus*, unio illa facit, hominem esse *conformem Deo et ad Deum*, quia gratia est influentia a Deo exiens et ad Deum reducens [3]; sed haec unio facit, hominem esse *Deum*; et ideo nullus habitus creatus potest hoc efficere, nec per collationem alicuius boni creati fit, ut homo sit Deus, sed per hoc, quod ipsa persona Verbi se ipsam facit humanae naturae hypostasim et suppositum. Hoc autem non facit secundum mutationem factam *in se*, sed secundum mutationem factam *in natura assumta*. Illa autem mutatio in natura assumta fuit in ipsius naturae formatione, ita quod careret personali distinctione [4] in genere proprio et inniteretur personae divinae. — Sed quia hoc totum Deus gratuita bonitate facit, ideo maxima gratia dicitur esse in unione divinae naturae ad humanam; non quia illa unio perficiatur vel compleatur per aliquam influentiam creatam, sed quia fit per gratuitam Dei bonitatem, *simul coexistente* influentia doni gratuiti ad *congruitatem*, non ad *causalitatem*.

Conclusio 2. Ratio 1. Ratio 2. Notandum. Quare vocatur gratia. Nota.

Unde rationes, quae ostendunt, quod non fiat unio illa mediante aliquo habitu gratuito, sunt concedendae; quoniam ea via procedunt [5], secundum quod dicitur aliquid fieri per habitum gratuitum cooperantem per modum *causae;* sicut homo iustificatur mediante gratia informante et meretur mediante caritate movente et regulante.

1. 2. Ad duas igitur auctoritates Augustini adductas de gratia unionis dicendum, quod large accipitur ibi *gratia*, non pro *habitu animam informante*, sed pro eo quod *gratis accipitur* et superexcellit terminum [6] naturae; et sic potest dici, factam magnam gratiam corpori, dum assumtum fuit a persona Verbi. Et ita ex hoc non sequitur, quod unio illa Verbi ad animam fiat mediante aliquo habitu gratuito.

Solutio oppositorum.

3. 4. Ad illas duas rationes de inhabitatione et fruitione dicendum, quod non est simile, quoniam *inhabitatio* Dei in anima et *fruitio* ipsa ponit aliquem *actum*, qui fit ab [7] anima, respectu cuius gratia infusa est *causa*, et ad quem *habilitatur* anima mediante gratia, et in quem *exit*, cum a gratia est adiuta et regulata. Non sic autem est de *unione;* quoniam natura humana unitur divinae absque actu suo et solum se habet ibi per modum *passivi*, et non *activi;* et ideo non sic indiget per habitum adiuvantem et regulantem dispositione, quae quidem sit *principium* illius unionis.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod relatio non introducitur nisi per aliquam mutationem, factam in aliquo absoluto; dicendum, quod verum est; sed quemadmodum duae lineae possunt intelligi uniri in puncto et continuari, ita tamen, quod non sit mutatio in altera linearum nisi per hoc, quod amittit discretionem unitatis; sic intelligendum est, quod si Deus assumeret aliquod individuum hominis in *esse* constitutum et *gratia* informatum, solum amitteret personalem discretionem per unionem cum ipso Verbo in unitate personae. In assumtione autem illius naturae, quam Filius Dei assumsit de Virgine, *simul* fuit formatio et unio; et ideo nunquam fuit in illo homine quantum ad humanam naturam personalis discretio; hoc enim faciebat unio ipsius cum Verbo [8]. Et propterea non sequitur ex hoc, quod unio in unitate personae fieri habeat mediante aliquo habitu gratuito. Assumtio enim proprie respicit illam naturam, quamvis *congrue* non habeat fieri absque gratia.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod uniri divinae naturae superexcellit [9] gradum creaturae; dicendum, quod verum est; et ideo concedendum est, quod talis unio ex gratia fit; sed tamen non sequitur ex hoc, quod fiat per donum gratiae creatae, quia omne donum creatum est hac unione inferius.

Unde si quaeratur, utrum gratia unionis dicat quid creatum, aut increatum; dicendum, quod gratia unionis tripliciter potest accipi. Potest enim *gratia unionis* dici illud, per quod efficitur anima *gratis congrua* ad unionem; et sic dicit donum gratiae creatae, per quod anima habuit excellenter deiformitatem. Alio modo dicitur *gratia unionis* gratia *effectiva* unionis; et sic dicit donum gratiae increatae. Tertio modo potest dici *gratia unionis* ipsa *unio gratuita*, sive gratis facta; et sic ex parte *divinae* naturae dicit quid *increatum*, ex parte *humanae* naturae dicit quid *creatum*, non absolutum, sed relatum; et sic patet totum.

Gratia unionis dicitur tripliciter.

---

[1] Cod. K *quia non decebat animam Christi.*

[2] Pro *communiter*, quod ex codd. F K P Q Z bb in textum recepimus, alii codd. nec non edd. *convenienter.*

[3] Cfr. supra pag. 20, nota 4. — Paulo inferius pro *collationem* cod. A *collectionem.*

[4] Codd. G H K L (Z a prima manu) aa bb *discretione.* Paulo inferius pro *ad humanam* codd. V X *ad humanitatem.*

[5] Id est, iure *negant*, assumtionem fuisse mediante habitu gratuito.

[6] Cod. Y *donum.*

[7] Vat. *in.* Paulo inferius pro *quoniam* codd. A M O *qua.* In fine solut. pro *quae quidem* edd. 1, 2 cum codd. K Q U V X bb *qui quidem*, et immediate ante pro *dispositione* cod. Q (U a secunda manu) *disponi.*

[8] Cfr. infra d. 3. p. II. a. 3. q. 2. et d. 5. a. 2. q. 2. seq. — Circa finem solut. pro *illam naturam* Vat. *ipsam naturam.*

[9] Codd. G K Z *superexcedit.*

SCHOLION.

I. Si nomine *gratiae* intelligitur *grata Dei voluntas*, manifestum est, incarnationem factam esse « per gratuitam Dei voluntatem » (hic in corp.), non tanquam per *medium*, sed tanquam per *causam efficientem*. Sed proposita quaestio solummodo procedit de « habitu gratuito », id est de gratia habituali. — Quod gratia habitualis sit *dispositio necessaria* ad unionem hypostaticam, et quod per consequens sit medium necessarium assumtionis, cum aliis docuit Alex. Hal. (S. p. III. q. 7. m. 2. a. 1.); unde idem hanc gratiam appellat *gratiam unionis*. Dicit enim: « Non est possibile creaturae humanae, quod ipsa per donum conditionis naturae elevetur et disponatur ad divinam unionem; et ideo *necessaria est ei gratia*, quae elevet ad hoc et disponat ipsam; quam nos appellamus gratiam unionis ». Haec sententia, secundum proprietatem verborum et ordinem *exsecutionis* intellecta, a posterioribus doctoribus communiter reprobatur, et ab ipso S. Bonav. (hic in corp. et ad 3. 4.) solide refutatur, scilicet si intelligitur, quod ille habitus teneat rationem *causae*, sive *necessariae dispositionis* (cfr. ultima verba in solut. ad 3. 4.). — Attamen auctor noster addit, quod si intelligitur secundum rationem *congruentiae*, « concedi potest, quod anima unitur ipsi Verbo mediante habitu creato ». — Scot. (hic q. 2. n. 12. seqq.) cum Durando (hic q. 3.) ne hoc quidem concedendum esse vult, quod gratia in illa unione fuerit *medium congruitatis*. Argumenta autem ipsius supponunt, ut etiam Lychetus ibi in Comment. (n. 1.) explicat, praedicta verba S. Bonaventurae ita intelligenda esse, ut secundum *ordinem naturae* prius fuerit natura humana non unita, secundo gratia ipsi infusa, tertio assumtio naturae gratia ornatae. Eodem fere modo etiam plurimi posteriores theologi hunc locum S. Doctoris intelligunt et variis argumentis improbant.

Opinamur autem cum Barth. de Barberiis (Cursus theolog. p. III. disp. 2. q. 5.), hanc interpretationem esse omnino alienam a mente et a verbis Scraphici, qui nullatenus dicit, gratiam secundum *ordinem naturae praecessisse* unioni tanquam dispositionem congruam. Etiamsi supponamus, eum locutum esse de ordine *exsecutionis*, non *intentionis*, tamen tacet de *ordine prioritatis*, quem haec dispositio congrua ad unionem habeat secundum ordinem *naturae*, dum tantum dicit (circa finem corp.): « *Simul coexistente* influentia doni gratuiti ad *congruitatem*, non ad *causalitatem* »; quibus verbis generatim *praecedentem causalitatem*, etiam ratione congruae dispositionis, excludit. Item, in solut. ad 3. 4. docet, quod « natura humana unitur divinae *absque actu suo* et solum se habet ibi per modum passivi, et non activi »; sed constat, quod gratia habitualis datur in ordine ad actum. — Hinc ipsa verba huius quaestionis insinuant, mentem Scraphici bene interpretatum esse Richardum a Med. (hic a. 2. q. 3.), qui cum Petro a Tar. (hic q. 2. a. 2.) et Dionys. Carth. (hic q. 5.) approbat propositionem: animam Christi fuisse assumtam mediante gratia tanquam *medio congruitatis*, sed eam explicans de ordine *intentionis* addit: « Non ut (gratia) actualiter existens in ea in re, sed ut existens in ea secundum propositum Dei, seu in eius praeordinatione ». Sic intellecta, verba Seraphici (hic et infra d. 4. a. 2. q. 3.) nullam habent difficultatem. In ordine autem *exsecutionis* gratia *habitualis communiter* potius concipitur ut *effectus* unionis hypostaticae quam ut dispositio.

II. Praeter citatos auctores: S. Thom., hic q. 2. a. 2; S. III. q. 6. a. 6. — Ægid. R., hic q. 2. a. 3.

III. Sequens (3.) quaestio sic solvitur, ut Spiritus S. non dicatur medium unionis nisi ut *causa effectiva*, quae licet communis sit tribus Trinitatis personis, tamen Spiritui S. *appropriatur*. De eadem speciatim hic tractantes non invenimus nisi S. Thomam, hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 2.

QUAESTIO III.

Utrum Verbum unitum sit humanae naturae mediante Spiritu sancto.

Tertio quaeritur, utrum Verbum sit unitum humanae naturae mediante Spiritu sancto. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia unio Verbi increati ad carnem est similis unioni verbi intelligibilis ad vocem; sed verbum intelligibile non unitur voci nisi mediante spiritu vel flatu spirato, qui est vehiculum verbi, sicut dicit Damascenus[1]: ergo nec Verbum unitur carni, nisi mediante Spiritu sancto.

2. Item, omnis unio voluntaria est mediante amore, sicut dicit Dionysius[2], quia « amor nihil aliud est quam vis unitiva »; sed unio Verbi ad humanam naturam est voluntaria: ergo est mediante amore; aut ergo mediante amore *creato*, vel *increato*. Non mediante amore *creato*, quia amor creatus non potuit facere illam unionem; ergo mediante amore *increato*; sed amor iste est Spiritus sanctus: ergo unio in humana natura facta est mediante Spiritu sancto.

3. Item, maior est unio divinarum personarum ad invicem, quam naturae assumentis et assumtae; sed persona Patris et Filii nectuntur Spiritu sancto[3]: ergo multo fortius natura humana unitur divinae mediante Spiritu sancto.

4. Item, remotiora coniunguntur per propinquiora; sed inter personas tres propinquior est nobis persona Spiritus sancti, sicut vult Hilarius et Augustinus[4] — nam omne donum et omnis usus

---

[1] Libr. I. de Fide orthod. c. 7. Cfr. ibid. c. 13. et II. c. 21; nec non August., XV. de Trin. c. 11. n. 20, et Serm. 187. (alias 27. de Tempore) c. 3. n. 3. — Pro *similis unioni*, quam lectionem invenimus in codd. K bb, alii codd. et edd. 1, 2 exhibent *similis modi*, Vat. *similis modi unioni*. Vat. etiam bis pro *intelligibilis* substituit *intellectualis*.

[2] De Div. Nom. c. 4. § 15. — Aliquantulum inferius pro *non potuit* codd. G K Z *non potest*.

[3] Cfr. I. Sent. d. 10. a. 2. q. 2. — In *maiori* cod. Q post *quam* repetit *unio*.

[4] Hilar., II. de Trin. n. 1. et 35; August., VI. de Trin. c. 10. n. 11, Enchirid. c. 40. n. 12. August. ait: « Quae gratia [ut in incarnatione filius hominis esset Filius Dei] propterea per Spiritum sanctum fuerat significanda, quia ipse proprie sic est Deus, ut dicatur etiam Dei donum ». Et in libro de Spiritu et anima (inter opera August.) c. 6. haec habentur: Quodam modo namque quasi proprior [aliqui codd. propior] videtur nobis esse Spiritus sanctus, utpote Patris et Filii munus. Ex ipso nimirum est omnis usus gratiae cum Patre et Filio.

doni est ex *Munere* — ergo videtur, quod persona Filii non uniatur humanae naturae nisi mediante persona Spiritus sancti.

Fundamenta. Sed contra: 1. Si persona Verbi unita est humanae naturae mediante Spiritu sancto, ergo Spiritus sanctus est unitus humanae naturae: ergo sicut Filius est incarnatus, ita et Spiritus sanctus.

2. Item, magis unitur medium extremo quam extremum extremo: ergo si unio Verbi ad humanam naturam est mediante Spiritu sancto, magis est facta unio in persona Spiritus sancti quam in persona Verbi; sed hoc est falsum: ergo etc.

3. Item, in unione divinae naturae cum humana [1] non potest esse unitas essentiae, sed personae: ergo necesse est, quod illa unio fiat mediante una persona; sed Filius et Spiritus sanctus non conveniunt in persona: ergo impossibile est, Filium uniri humanae naturae mediante Spiritu sancto in unitate personae.

4. Item, infinita est distantia in persona Spiritus sancti, sicut in persona Filii; sed quandocumque aliqua sunt in aequali distantia respectu eiusdem, unum non est medium uniendi alterum, pro eo quod medium plus appropinquat extremis, quam extrema sibi invicem: ergo videtur, quod persona Verbi non habeat uniri mediante persona Spiritus sancti.

CONCLUSIO.

Verbum non est unitum animae humanae mediante Spiritu sancto ut vinculo interveniente, sed ut principio efficiente et per modum appropriationis.

Respondeo: Dicendum, quod cum quaeritur, utrum persona Verbi habeat uniri humanae naturae mediante Spiritu sancto, hoc dupliciter potest intelligi: aut ita, quod illa unio fiat mediante Spiritu sancto, sicut *vinculo interveniente;* aut ita, quod fiat sicut *principio efficiente.* Si *primo modo* intelligatur, sic non habet veritatem, pro eo quod persona Verbi per se unitur humanae naturae, non persona aliqua mediante. Nequaquam enim persona Spiritus sancti intercidit media inter personam Verbi et naturam assumtam. — Si autem unio illa intelligatur fieri mediante Spiritu sancto [2] sicut *principio efficiente*, per modum cuiusdam subauctoritatis et appropriationis; sic veritatem habet; incarnatio enim Verbi fuit a Patre et a Filio mediante Spiritu sancto. — Sed hoc modo non est hic quaestio, sed infra [3] erit suo loco, cum quaeretur, utrum incarnationis opus appropriari debeat Spiritui sancto. Nunc autem est quaestio, utrum unio Verbi fiat mediante Spiritu sancto sicut *vinculo interveniente.* Ad hanc quaestionem respondendum est, quod hoc falsum est et non intelligibile, sicut ostendunt rationes ad hoc inductae.

Duplex sensus. Conclusio 1. Conclusio 2. De hoc non quaeritur. Conclusio 3.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium, quod verbum intelligibile unitur voci mediante spiritu; dicendum, quod similitudo est inter creaturam et Creatorem, ita tamen, quod maior reperitur dissimilitudo; unde quodam modo est *simile* et quodam modo *non.* In hoc inquam est *simile*, quod sicut mens format vocem exteriorem mediante spiritu [4]; sic Deus Pater formavit carnem assumtam mediante Spiritu sancto. In hoc est *dissimile*, quia spiritus est vehiculum verbi; non sic Spiritus sanctus personae Filii. Nusquam enim est persona Spiritus sancti, ubi non sit persona Verbi; et ideo quantum ad hoc similitudo non potest nec debet attendi.

Solutio oppositorum. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod unio voluntaria est mediante amore; dicendum, quod unio voluntaria dicitur dupliciter: aut quia est *a voluntate*, aut quia est *secundum voluntatem.* Illa unio, quae est voluntaria [5] *a voluntate*, est mediante amore sicut efficiente; illa vero, quae est voluntaria *secundum voluntatem*, illa habet fieri mediante amore sicut glutino coniungente. Dico igitur, quod unio Verbi ad humanam naturam est voluntaria, quia est *a voluntate;* sed non est voluntaria, quia fit *secundum conformitatem voluntatum*, sed potius secundum coniunctionem naturarum in una persona. Et ideo non sequitur, quod talis unio fiat mediante Spiritu sancto sicut *vinculo interveniente*, sed potius sicut *principio efficiente.*

Duplex unio voluntaria.

3. Ad illud quod obiicitur, quod divinae personae nectuntur mediante Spiritu sancto; dicendum, quod non est simile: quia nexus duarum personarum attenditur secundum productionem personae unius per voluntatis fecunditatem, ita quod inter illas personas et earum nexum est distinctio personarum [6]. Non sic autem est in proposito, quia duae naturae concurrunt in unitatem personae.

---

[1] Post *humana* codd. G K inserunt *terminus.* Cfr. infra d. 6. a. 2. q. 1. — Subinde pro *unitas essentiae* cod. Q *unitas naturae.* Mox pro *una persona* edd. cum codd. H L U aa *una sola persona.*

[2] Cod. F *mediante persona Spiritus sancti.* Post pauca pro *subauctoritatis* codd. H M O T V X *auctoritatis.*

[3] Dist. 4. a. 1. q. 1.

[4] Cod. K addit *spirato*, Vat. *id est, flatu spirato a creatura.* Paulo inferius iterum cod. K cum cod. H post *quia spiritus* adiicit *spiratus*, et Vat. *spiratus a creatura.* Cod. T hoc secundo loco voci *spiritus* primitus cum codd. A G U V et edd. 1, 2 adiunxerat *sanctus*, pro quo nunc exhibet *noster.* Subinde pro *Nusquam* codd. A G H L N T U V Z et edd. 1, 2 substituunt *Nunquam.*

[5] Hic et in seq. propositione post *voluntaria* codd. A F G K N T U V Z bb et edd. 1, 2 repetunt *quae est (quia est?)*, et paulo inferius pro *quia est a voluntate* codd. F G U Z substituunt *quae est a voluntate.*

[6] Cfr. 1. Sent. d. 10. a. 1. et 2. — Pro *earum nexum*, quod cod. K et Vat. exhibent, in ceteris edd. et codd. legitur non apte *earum nexus*, et in fine solut. pro *in unitatem* cod. A *in unitate.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod propinquior est nobis persona Spiritus sancti; dicendum, quod[1] Notandum. dictum est *per appropriationem*, non quia persona Spiritus sancti magis accedat ad naturam creatam quam persona Verbi, sed quia tantum procedit, ita quod non producit aliam personam; et procedit per modum fecunditatis voluntatis. Et quoniam omnes creaturae productae sunt voluntarie et ex divina liberalitate; hinc est, quod persona Spiritus sancti dicitur nobis magis appropinquare. Et ideo secundum quandam appropriationem, concedi potest, quod unio illa fiat mediante Spiritu sancto, cum sit gratuita[2], Spiritu sancto, inquam, efficiente secundum appropriationem, non interveniente tamen secundum personalem discretionem[3].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et quaeritur primo de hoc quod dicit: *Omnia quae in nostra natura plantavit, Dei Verbum assumsit.* Sed *contra:* Deus plantavit in primo homine immortalitatem: ergo assumsit immortalitatem; quod falsum est, quia mortalis fuit. — Item, in natura nostra plantavit utrumque sexum, scilicet femininum et masculinum: ergo utrumque assumsit; quod similiter falsum est.

Respondeo: Dicendum est, quod quaedam plan- Distinctio. tavit Deus in natura nostra, quae respiciunt ipsius *constitutionem;* quaedam, quae respiciunt *statum* et accidentalem dispositionem. Cum ergo dicitur, quod[4] omnia assumsit quae plantavit, *omnia* dicit ibi quae sunt de ipsius constitutione. — Cum ergo ipse arguit contra hoc de immortalitate et sexus distinctione, non instat secundum veritatem, sed propter praedicati commutationem paralogizat vel sophistice instat[5]; et per hoc patent illa duo obiecta.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit contra haereticos: *Si visibilia munda visibilibus immundis inquinari non possunt, quanto magis immutabilis veritas.* Videtur enim ratio illa non valere. Quamvis enim radii solis non inquinentur ex foeditate illuminabilis, anima tamen, quae spiritualior est, inficitur ex coniunctione carnis[6]. — Praeterea, Filius Dei est passibilis propter assumtionem carnis passibilis, ergo similiter factus est *carnalis;* sed spiritus foedatur et inficitur, quando carnalis efficitur: ergo videtur, quod haereticus verum dixit in hoc, quod dicebat, divinitatem ex sui societate cum carne maculari.

Respondeo: Dicendum, quod exemplum illud[7] contra haereticos et ratio est bona et efficax. Radius Notandum. enim a rebus foedis non inquinatur propter hoc, quia non communicat in materia transmutabili nec etiam ab eis dependet. Si ergo Veritas multo magis a rebus foedis distat et est independens, necessario sequitur, quod multo minus est contaminabilis. — Nec valet illud de anima, propter hoc quod anima, etsi sit spiritualis, habet tamen a corpore dependentiam et inclinationem.

Ad illud vero quod obiicitur, quod Filius Dei passibilis factus est; dicendum, quod illud verum est propter communicationem idiomatum[8], non quia patiatur secundum divinam naturam, sed secundum naturam assumtam. — Et similiter potest concedi, quod sit *carnalis*, secundum quod *carnalis* nominat *naturam*, sed non secundum quod nominat *vitium*, quia suscepit carnis passibilitatem, non vitiositatem[9]. Cum ergo obiicit, quod spiritus inficitur, cum carnalis efficitur; dicendum, quod non valet, quia obiicit de *carnali*, prout sonat in vitium.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *caro non fuit prius concepta et postmodum assumta.* Videtur enim falsum, quia quod non est non potest assumi; sed caro, quae nondum concepta est, nondum est: ergo non est assumtibilis: ergo necesse est, quod caro prius concipiatur, quam assumatur. — Item, non est assumtio nisi [carnis iam organiza-

---

[1] Cod. bb et Vat. subiiciunt *hoc.*

[2] Edd. 1, 2 *cum sit facta a Spiritu sancto tanquam efficiente* etc. In fine solut. pro *discretionem* codd. G W Z et edd. 1, 2 habent *distinctionem*, in Vat. legitur *distinctionem vel discretionem.*

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Cod. N supplet *Deus.* Pro *dicitur* in codd. A U habetur *dicit.*

[5] Cfr. Aristot., I. et II. Elench., praecipue I. c. 5. (c. 6.), ubi omnes syllogismi sophistici ad ignorantiam reducuntur redargutionis (elenchi) i. e. ad ignorantiam syllogismi contradictionis, qua scil. ignorantur quae ad veram contradictionem et instantiam requiruntur. — Pro *praedicati commutationem* edd. *praedicti commutationem.* — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 7; S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. lit. 7.

[6] Cfr. II. Sent. d. 31. a. 2. q. 1. — Pro *spiritualior* Vat. *spiritualis*, edd. 1, 2 *spiritualiter.* Mox Vat., post *Filius Dei* addito verbo *factus*, cum edd. 1, 2 omittit *passibilis* post *assumtionem carnis.* Post pauca pro *verum dixit* cod. E *verum dixerit*, codd. A U *verum dicat.*

[7] Edd. hic subiiciunt *bonum est*, et paulo inferius pro *ab eis dependet* substituunt *ab ea dependet.*

[8] Cfr. supra pag. 14, nota 3.

[9] Vide infra d. 15. a. 1. q. 2. — Paulo inferius pro *non valet* cod. A *non est verum.* — Cfr. de hoc dubio S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

tae; sed ante[1] organizationem praecedit formatio, formationem praecedit consolidatio, consolidationem conceptio: ergo *a primo*, ante assumtionem est conceptio.

Respondeo: Dicendum, quod est loqui de conceptione quantum ad ordinem *temporis* et quantum ad ordinem *naturae*[2]. Si loquamur quantum ad ordinem *naturae*, sic prior est conceptio quam assumtio, sicut illae rationes ostendunt. Si autem quantum ad ordinem *temporis*, sic non *decet* nec *oportet*, ipsum esse; non, inquam, *oportet*[3], quia utrumque fuit per virtutem infinitam, quae subito potuit facere; non *decuit*, quia mulier non carnis frustum, sed virum debuit circumdare[4] in angelica annuntiatione. Illud autem melius patebit in sequenti distinctione, ubi Magister inquirit istam quaestionem.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit circa finem: *Angelo annuntiante et Spiritu adveniente, mox in utero Verbum caro.* Incarnatio enim excellentius opus est quam gratiae infusio: sed gratiae infusio non fit per angelicam annuntiationem: ergo nec incarnatio. — Item, Deus vicinior erat beatae Virginis cordi per gratiam quam angelicae menti — unde Bernardus[5]: «Virgo creditur exaltata super omnes ordines Angelorum» — ergo potius debuit transire illuminatio per beatam Virginem ad Angelum quam e converso.

Est igitur quaestio: quare conceptionem Filii Dei praecessit angelica annuntiatio? — Quaeritur etiam, de quo ordine Angelus ille fuerit. Non enim videtur fuisse de *superioribus* Angelis, quia dicit Dionysius[6], quod «qui praeeminent usum exterioris officii nunquam habent». Nec de *inferioribus*, quoniam illi mysterium incarnationis ignoraverunt et per Ecclesiam didicerunt. Unde quaerit Isaias sexagesimo tertio[7]: *Quis est iste, qui venit de Edom?* sicut exponit Gregorius.

Duplex quaestio.

Respondeo: Dicendum, quod incarnationem debuit praecedere angelica annuntiatio, sicut hominis praevaricationem praecessit diabolica tentatio, ut sic ordo reparationis correspondeat ordini praevaricationis. Unde sicut diabolus tentavit mulierem, ut eam pertraheret ad dubitationem, et per dubitationem pertraheret ad consensum, et per consensum ad lapsum: sic Angelus nuntiavit Virgini, ut nuntiando excitaret ad fidem, et per fidem ad consensum, et per consensum ad concipiendum Dei Filium per Spiritum sanctum[8]. Ad I. quaest. Ratio 1.

Alia etiam ratio ordinis fuit ibi: quia beata Virgo erat in statu viatricis, sed Angelus in statu comprehensoris; et ideo voluntatem Domini clarius pro illo tempore agnoscebat, quia Deum videbat Angelus *facie ad faciem*, beata Virgo *per speculum in aenigmate*[9]. — Rursus, Angelus erat Dei servus et minister: et beata Virgo electa est et praeelecta fuerat, ut esset Dei mater. Quia ergo congruum est nescientem erudire per nuntium intelligentem et cognoscentem voluntatem Dei: congruum est etiam, ministrum famulari dominae suae: hinc est, quod decens et congruum fuit mysterium incarnationis per Angelum Virgini nuntiare[10]. Ratio 2. bimembris.

Tertia etiam ratio congruentiae potest assignari: quia incarnatio et humani generis redemptio non tantum faciebat ad reparationem lapsus humani, verum etiam ad reparationem ruinae angelicae[11]; et ideo Angeli beati non debuerunt excludi. Unde sicut sexus muliebris non excluditur a cognitione mysterii incarnationis et etiam resurrectionis, sic etiam nec angelicus nuntius: immo utrumque Deus Angelo me- Ratio 3.

---

[1] Cod. N omittit *ante*.

[2] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Priori* et c. *de Simul*.

[3] Edd. 1, 2 *ipsam esse, antequam oportet*, Vat. *ipsum esse, antequam assumatur*. Mox pro *non decuit* edd. *ut decuit*.

[4] Respicitur illud Ierem. 31, 22: Quia creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum. Cfr. infra d. III. lit. Magistri, c. 4, et Comment. p. II. a. 3. q. 2. — Huius dubii solutio invenitur etiam apud Alex. Hal., S. p. III. q. 8. m. 2; B. Albert., hic a. 14; S. Thom., hic q. 2. a. 3; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3; Richard. a Med., hic a. 2. q. 4; Ægid. R., hic q. 2. a. 4.

[5] Serm. in Dominica infra Octav. Assumt. B. M. V. n. 8: Iam in eo, quod tam reverenter atque officiosissime ab Archangelo salutata est, ut iam tunc in regali solio supra omnes caelestium ordines legionum exaltatam cernere videretur... excellentissimum nobis Virginis nostrae meritum et singularis gratia commendatur. Cfr. Serm. 4. in Assumt. B. M. V. n. 1, et Serm. in Nativ. B. M. V. n. 9. In epistola ad Paulam et Eustochium directa (olim Hieronymo tributa) de die Assumt. B. M. V. legitur c. 7: Haec est dies praeclara, in qua meruit [Maria] exaltari super choros Angelorum. — Pro *Bernardus* codd. A U substituunt *Gregorius*, qui reapse in libro Respons., sive Antiphonar. pro festo Assumtionis B. V. dicit: Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum.

[6] De Caelest. Hierarch. c. 5, sententialiter; at verba hic allata inveniuntur in Gregor., II. in Evang. Homil. 34. n. 12. Cfr. tom. II. pag. 264, nota 3.

[7] Vers. 1. — Glossa *ordinaria* in hunc loc. (apud Strabum) Augustino docenti, «quod omnes Angeli ab ipsa creatione sua statim cognoverunt in contemplatione sui Creatoris quidquid ipse erat futurus», opponit Hieronymi de hac re sententiam: «Hieronymus autem aperte declarat [super hunc loc.], quia quidam Angeli, donec perficeretur, mysterium incarnationis ad plenum non cognoverunt». Exponens Eph. 3, 10, idem Hieronymus affirmat, Principatus et Potestates sacramentum incarnationis didicisse per Ecclesiam. Cfr. tom. II. pag. 118, nota 8. Gregor., II. in Evang. homil. 34. n. 8: Hi autem, qui minima nuntiant, Angeli... vocantur. — Pro *ignoraverunt* Vat. et plures codd. *ignorant*.

[8] Vide supra pag. 41, nota 7.

[9] Epist. I. Cor. 13, 12, in quo testimonio edd. cum non paucis codd. pro *in aenigmate* exhibent *et aenigma*. — Cfr. Dionys., de Caelest. Hierarch. c. 4. § 4. — Paulo ante pro *agnoscebat* codd. M O S *cognoscebat*, et immediate post pro *quia Deum* edd. *et Deum*.

[10] Vat. *nuntiari*.

[11] Cfr. II. Sent. d. 9. q. 3. et 7. — Paulo ante cod. G post *lapsus humani* supplet *generis*. Aliquanto inferius pro *immo utrumque* edd. *immo ut patet*. Subinde pro *nuntiat* cod. N *nuntiavit*.

diante nuntiat mulieri, incarnationem scilicet beatae Virgini, et resurrectionem Magdalenae.

Et sic patet, quod decens fuit, ante incarnationem praecedere angelicam nuntiationem propter triplicem ordinem [1], videlicet reparationis generis humani, ministerii angelici et lapsus angelici restaurandi.

Quod ergo dicitur de gratia, quod non fit per angelicum ministerium; dicendum, quod gratia infunditur per ministerium humanum et per verbum humanum; sed incarnatio, quae est principium totius glorificationis, non per hominem debuit nuntiari, sed potius per Angelum [2]. — Ad illud quod obiicitur, quod proximior erat Virgo Maria Deo quam Angelus; dicendum, quod verum est quantum ad gratiam *electionis* [3], sed non quantum ad gratiam *comprehensionis*.

Solvuntur duo obiecta.

Ad illud quod obiicitur, de quo ordine fuit; dicendum, quod probabiliter creditur, quod fuerit de ordine Archangelorum, sicut canit Ecclesia [4]. Unde si dicatur Gabriel fuisse summus inter Angelos, hoc non intelligitur de Angelo, secundum quod est nomen *naturae*, sed secundum quod est nomen *nuntii*, et nuntii, secundum quod ad nuntianda *exteriora* progreditur [5]; et hoc nihil impedit, quin Gabriel scire potuerit mysterium incarnationis, et alii Angeli potuerint ignorare. — Vel posset dici, quod inferiores Angeli scierunt mysterium incarnationis, sed quaerebant profunda divini consilii; et hoc melius cognoverunt post Filii exaltationem et veritatis praedicationem, quibus explicita et manifestata est *multiformis Dei sapientia* [6].

Ad 2. quaest.

Aliter.

DISTINCTIO III.

Pars I.

Cap. I.

De carne assumta, qualis ante fuerit.

Quaeritur etiam de carne Verbi, an, priusquam conciperetur, obligata fuerit peccato, et an talis assumta fuerit a Verbo. — Sane dici potest et credi oportet, iuxta Sanctorum attestationis convenientiam, ipsam prius peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro, sed Spiritus sancti operatione ita mundatam, ut ab omni peccati contagione immunis uniretur Verbo, poena tantum non necessitate, sed voluntate assumentis remanente. — Mariam quoque totam Spiritus sanctus, in eam praeveniens, a peccato prorsus purgavit et a fomite peccati etiam liberavit, vel fomitem ipsum penitus evacuando, ut quibusdam placet, vel sic debilitando et extenuando, ut ei postmodum peccandi occasio nullatenus exstiterit; potentiam quoque generandi absque viri semine Virgini praeparavit. Ita enim verba Evangelii docent, ubi Angelus Virginem alloquens ait [1]: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi... et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Cui sacra Virgo respondit: *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.* Quod exponens Ioannes Damascenus [2] ait: «Post consensum autem sanctae Virginis Spiritus sanctus pervenit in ipsam secundum verbum Domini, quod dixit Angelus, purgans ipsam et potentiam deitatis Verbi receptivam praeparans, simul autem et generativam. Et tunc obumbravit ipsam Dei altissimi per se Sapientia et Virtus existens, id est Filius Dei Patri homousios, id est consubstantialis, sicut divinum semen; et copulavit sibi ipsi ex sanctissimis et purissimis ipsius Virginis sanguinibus nostrae antiquae conspersionis carnem, animatam anima rationali et intellectiva, non seminans, sed per Spiritum sanctum creans. Quare simul caro, simul Dei caro, simul Dei Verbi caro, animata anima rationali et intellectiva». — Ex his perspicuum fit quod ante diximus [3], carnem scilicet Verbi simul conceptam et assumtam, eandemque, immo totam Virginem, Spiritu sancto praeveniente, ab omni labe peccati castificatam. Cui collata est potentia «novo more generandi, ut sine coitu viri, sine libidine concipientis in utero Virginis celebraretur conceptus

Dubium 1.

Dubium 2.

Dubium 3. 4.

---

[1] Cod. N *ordinationem*.

[2] Codd. M O adiciunt *comprehensionis*. Cod. W ante *potius per Angelum* interserit *sine dubio*.

[3] Codd. M O *reparationis*, omittentes dein *sed... comprehensionis*. Mox pro *obiicitur* cod. W aptius *quaeritur*, et post pauca pro *dicendum* cod. N *dici potest*.

[4] B. Albert., II. Sent. d. 3. a. 15: Sicut canit Ecclesia dicens: Gabrielem Archangelum scimus divinitus te esse affatum. Cfr. antiph. ad Magnificat in II. Vesp. S. Gabrielis Archangeli (die 24. Martii). — Cod. N voci *Ecclesia* praefigit *sancta mater*.

[5] Cfr. II. Sent. d. X. lit. Magistri, c. 4. seq. et Comment. a. 1. q. 1. seq.

[6] Eph. 3, 10. Cfr. August., V. de Gen. ad lit. c. 19. n. 38. seq. — Aliquanto superius pro *Vel posset* cod. N exhibet *Vel etiam posset*, et post pauca pro *sed quaerebant* substituit *sed tamen non adverterant*. Circa finem solut. cod. A *explicita* commutavit in *explicata*. — Cfr. de hoc dubio B. Albert., III. Sent. d. 3. a. 14; S. Thom., III. Sent. d. 3. q. 3. a. 1; Richard. a Med., d. 3. a. 2. q. 4; Ægid. R., d. 3. q. 3.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Luc. 1, 35. 38.

[2] Libr. III. de Fide orthod. c. 2., sed brevius a Magistro; in quo textu pro *pervenit* Vat. et edd. 4, 6-8 *supervenit*. In originali secundum versionem recentiorem post *divinum semen* sic legitur: Exque castis purissimisque illius sanguinibus carnem anima rationali et intelligente animatam, conspersionis scilicet nostrae *primitias*, ipse sibi compegit; non id quidem seminali procreatione, sed conditoris more per Spiritum S... Quam ob rem simul atque caro exstitit, simul quoque Dei Verbi exstitit caro, simul caro animata, rationis particeps et intelligentiae (ὥστε ἅμα σὰρξ, ἅμα Θεοῦ Δόγου σὰρξ, ἅμα σὰρξ ἔμψυχος, λογική τε καὶ νοερά). Codd. nostri ita inter se differunt et falsis lectionibus abundant, ut superfluum sit lectiones variantes afferre.

[3] Dist. II. c. ult.

Dei et hominis[1]». «Illa enim caro, quam Deus ex Virgine sibi unire dignatus est, sine vitio concepta, sine peccato nata est». «Hanc tamen carnem non caelestis, non aëreae, non alterius cuiusquam putes esse naturae, sed eius, cuius est omnium hominum caro».

Cap. II.

Quod nullus est sine peccato hic, excepta Virgine.

Quod autem sacra Virgo ex tunc ab omni peccato immunis exstiterit, Augustinus evidenter ostendit, in libro de Natura et gratia[2] inquiens: «Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiae sit collatum ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes Dubium 5. Sancti et Sanctae congregari possent, et quaereretur ab eis, an peccatum haberent, quid responderetur, nisi quod Ioannes ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*»? «Illa autem Virgo Fulgentius. singulari gratia praeventa est atque repleta, ut ipsum haberet ventris sui fructum, quem ex initio habuit universitas Dominum[3]»; «ut illud quod nascebatur Augustinus. ex propagine primi hominis, tantummodo generis et non criminis originem duceret».

Pars II.

Cap. III.

Quare Christus non fuit decimatus in Abraham, sicut Levi.

Cum autem illa caro, cuius excellentia singularis Dubium 1. verbis explicari non valet, antequam esset Verbo unita, obnoxia fuerit peccato *in Maria et in aliis*, a quibus propagatione traducta est; non immerito videri potest in Abraham peccato subiacuisse, cuius universa caro peccato subiacebat. Unde quaeri solet, quare Levi *decimatus* dicatur[4] in Abraham, et non Christus, cum in lumbis Abrahae uterque fuerit secundum materialem rationem, quando Abraham decimatus est et decimas dedit Melchisedech. Tunc enim Apostolus Levi decimatum dicit in Abraham tanquam in materiali causa, quia ea decimatione sicut Abraham minor Melchisedech ostenditur, cui personaliter decimas solvit, ita et Leviticus ordo, qui in Abraham secundum rationem seminalem erat et ex eo per concupiscentiam carnis descendit. Christus autem non est decimatus, quia licet ibi fuerit secundum carnem, non tamen inde descendit secundum legem communem, scilicet per carnis libidinem; sicut etiam in Adam omnes peccaverunt, sed Augustinus. non Christus. Unde Augustinus super Genesim[5]: Sicut, Adam peccante, qui in lumbis eius erant peccaverunt, sic, Abraham dante decimas, qui in lumbis eius erant decimati sunt. Sed hoc non sequitur in Christo, licet in lumbis Adae et Abrahae fuerit, quia non secundum concupiscentiam carnis inde descendit. Cum ergo Levi et Christus secundum carnem essent in lumbis Abrahae, quando decimatus est; ideo pariter decimati non sunt, quia secundum aliquem modum non erat ibi Christus, quo erat ibi Levi. «Secundum rationem quippe illam seminalem ibi fuit Levi, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem, secundum quam rationem non ibi erat Christi caro, quamvis secundum ipsam ibi fuerit Mariae caro». «Ille ergo decimatus est in Abraham, qui sic fuit in lumbis Abrahae, sicut ille fuit in lumbis patris sui, id est, qui sic est natus de patre Abraham, sicut ille de suo patre natus est, scilicet per legem carnis et invisibilem concupiscentiam».

Cap. IV.

Quare caro Christi non dicta est peccatrix, sed similis.

Quocirca primitiam[6] nostrae massae recte assum- Dubium 2. sisse dicitur Christus, quia non *carnem* peccati, sed *similitudinem* carnis peccati accepit. *Misit enim Deus Filium suum*, ut ait Apostolus[7], *in similitudinem carnis peccati*. Assumsit enim Verbum carnem peccatrici similem in poena, et non in culpa, et ideo non peccatricem, cetera vero hominum caro omnis peccati[8] caro est. Sola illius non est *caro* peccati, quia non Dubium 3. cum mater concupiscentia, sed gratia concepit. Habet tamen *similitudinem* carnis peccati per passibilitatem et mortalitatem, quia esuriit, sitiit[9] et huiusmodi. Licet ergo eadem caro sit eius quae et nostra, non tamen ita facta est in utero, sicut nostra. Est enim sanctificata in utero et nata sine peccato, et nec ipse in illa unquam peccavit. In poena ergo similis est nostrae, non in qualitate peccati, quia pollutionem, quae ex concupiscentiae motu concepta est, omnino non habuit nec ex carnali delectatione nata est. *Venit ergo ad corpus immaculatum*[10], quod praeter libidinis concupiscentiam fuit conceptum; nec illud in se habuit vitium, quod in aliis est causa peccati, nec in eo peccavit. Ideoque vere dicitur Verbi caro non fuisse *in Christo* obligata peccato.

---

[1] Fulgent., de Fide ad Petrum, c. 2. n. 16; seq. locus ibid. n. 15; et tertius ibid. immediate superius.

[2] Cap. 36. n. 42. In textu originali pro *Inde... peccatum, quod* nunc legitur *Unde... peccatum, quae*. Pro *responderetur* edd. 1, 2, 3, 7, 8 *responderent*. — Locus Scripturae est I. Ioan. 1, 8.

[3] De Fide ad Petrum, c. 2. n. 17; seq. locus est August., XIII. de Trin. c. 18. n. 23.

[4] Hebr. 7, 9. De decimatione Abrahae cfr. Gen. 14, 18.

[5] Lib. X. super Gen. ad lit. c. 19, n. 34, ex variis propositionibus excerptum; seq. locus ibid. c. 20. n. 35; tertius ibid. n. 36. (secundum sensum).

[6] Ita codd. et edd. 1, 3, 4, 7, 8, 9 et ipse Comment. S. Bonav. In aliis edd. melius *primitias*. Cfr. locus Damasceni, c. 1. pag. 58, nota 2. citatus.

[7] Rom. 8, 3.

[8] Ita edd. 1, 8; in reliquis tantum *omnis caro peccati est*.

[9] Cfr. Matth. 4, 2; Ioan. 19, 28.

[10] Sap. 8, 20, ubi Vulgata *incoinquinatum* pro *immaculatum*.

Illi autem sententiae, qua supra diximus, carnem Verbi non ante fuisse conceptam quam assumtam, videtur obviare quod Augustinus ait super Ioannem [1], ubi legitur: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Dixerunt ergo Iudaei: *Quadraginta et sex annis aedificatum est hoc templum, et tu tribus diebus excitabis illud?* « Hic, inquit, numerus perfectioni dominici corporis convenit, quia, ut dicunt physici, tot diebus forma humani corporis perficitur ». Horum occasione verborum quidam dicere praesumserunt, dominici corporis formam tot diebus ad modum aliorum corporum perfectam et membrorum lineamentis distinctam, et mox Verbum Dei dicitur sibi uniisse carnem et animam; et hoc modo dicunt illum numerum perfectioni dominici corporis convenire. — Sed alia ratio illius dicti exstitit, ex qua sana verbi intelligentia oritur. Non enim ideo illud dixit Augustinus, quin [2] mox, ut caro illa opere Spiritus sancti sanctificata et a reliqua separata fuit, Verbo Dei cum anima uniretur, ut perfectus et verus Deus esset perfectus et verus homo, sed quia membrorum illius dominici corporis distinctio in ipso momento conceptionis et unionis Dei et hominis adeo tenuis erat et parva, ut humano visui vix posset subiici; diebus autem illis, quos memorat Augustinus, perfecta est et notabilis facta. « Incarnatum est igitur Verbum, ut ait Ioannes Damascenus [3], et a propria incorporalitate non excessit, et totum incarnatum est et totum est incircumscriptum. Minoratur corporaliter et contrahitur et divine est incircumscriptum, non coextensa carne eius cum incircumscripta divinitate ». « In omnibus igitur et super omnia erat et in utero sanctae Genitricis existebat, sed in ipso actu incarnationis ».

Dubitatio de verbis Augustini.

Expositio sana.

Damascenus.

Dubium 4.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM III.

Pars I.

De sanctificatione beatae Virginis.

Quaeritur etiam de carne Verbi, an, priusquam conciperetur.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de incarnatione; hic vero agit de conceptione. Et quia ante conceptionem Filii Dei praecessit sanctificatio Virginis, ideo ista pars habet duas partes. In prima determinat, qualiter Virgo Maria fuerit per Spiritum sanctum sanctificata et ab omni labe purgata. Secundo vero determinat, qualiter caro Christi fuerit per Spiritum sanctum concepta, infra distinctione quarta: *Cum vero incarnatio Verbi* etc.

Prima pars dividitur in duas partes, in quarum prima determinat de sanctificatione, quae praecessit Christi conceptionem. In secunda vero inquirit, utrum caro Christi ita potuerit in Abraham decimari, sicut in Virgine potuit sanctificari. Ideo primo agit de sanctificatione; secundo vero de decimatione, ibi: *Cum autem illa caro* etc.

Prima pars dividitur in tres partes. In prima parte determinat, quae fuerit sanctificationis exigentia. In secunda, quae fuerit sanctificationis causa, ibi: *Mariam quoque totam Spiritus sanctus* etc. In tertia vero, quae fuerit sanctificationis efficacia, ibi: *Quod autem sacra Virgo ex tunc ab omni peccato* etc. — Haec autem pars, in qua agitur de Virginis sanctificatione, spectat ad praesentem considerationem [1].

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis incidit hic quaestio circa sanctificationem Virginis quantum ad duo.

Primo quaeritur de sanctificatione Virginis quantum ad congruentiam temporis.

Secundo vero, quantum ad efficaciam virtutis.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum caro Virginis sanctificata fuerit ante animationem.

Secundo quaeritur, utrum anima eius sanctificata fuerit ante originalis contractionem.

Tertio quaeritur, utrum sanctificata fuerit [2] ante nativitatis originem.

---

[1] Tract. 10 n. 12; IV. de Trin. c. 5. n. 9; et praecipue 83 Qq. 56. Locus Scripturae Ioan. 2, 19; cfr. ibi Glossa Lyrani. Verba *supra diximus* referuntur ad d. II. c. 3.

[2] Vat. perperam *quia*.

[3] Libr. III. de Fide orthod. c. 7. Seq. locus est parum superius, qui est in pluribus codd. corruptus. Recentior versio sic habet: Et quidem in omnibus et supra omnia erat etiam tum, cum in sanctae Deiparae utero esset (καὶ ἐν τῇ γαστρὶ ὑπάρχων τῆς ἁγίας Θεοτόκου); at in eo per incarnationis operationem.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Haec ultima propositio, quae in omnibus codd. exhibetur, desideratur in edd.

[2] Codd. A R T V W Y Z dd adiiciunt *tota*, pro quo in cod. N legitur *beata Virgo*, in cod. S *anima eius*. Verbum *tota* non respondet ipsi quaestioni; apte autem poneretur *cito*. Paulo superius voci *originalis* Vat. praefigit *peccati*.

ARTICULUS I.

De sanctificatione Virginis quoad congruentiam temporis.

QUAESTIO I.

Utrum caro Virginis sanctificata fuerit ante animationem.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum caro Virginis sanctificata fuerit ante animationem. Et probatur primo, quod sic:

Ad oppositum. 1. Ieremiae primo[1]: *Antequam formarem te in utero, novi te;* constat, quod beata Virgo excellentior fuit quam Ieremias: ergo prius fuit approbata et purificata eius caro, quam esset formata. Sed ante fuit formata quam animata: ergo ante fuit carnis sanctificatio quam animatio.

2. Item, super illud Lucae primo[2]: *Exsultavit in gaudio infans in utero meo;* Glossa: « Nondum erat in eo spiritus vitae, et iam erat spiritus gratiae »: ergo multo fortius hoc fuit in Domini matre, quae dignior fuit quam Ioannes: ergo sanctificata fuit ante spiritum vitae, et ita ante animationem.

3. Item, non est minus potens virtus sanctificans, quam sit virtus inficiens et foedans; sed caro infici potest et foedari ante animationem: ergo pari ratione ante animae infusionem, immo fortiori potest sanctificari, cum « opposita nata sint fieri circa idem[3] ». Si ergo beatae Virgini hoc concessum est, quantumcumque congruum est concedi purae creaturae; videtur, quod caro eius ante animationem sanctificata fuerit.

4. Item, conceptio gloriosae Virginis fuit de legitimo matrimonio et de parentibus sanctis et de matre sterili, secundum quod narrat quaedam historia[4]: videtur ergo, quod ipsa concepta fuerit virtute Spiritus sancti: si ergo illa conceptio, quae est secundum legitimum matrimonium et secundum Spiritus sancti adiutorium, est sancta et immaculata; videtur, quod caro Virginis Mariae in ipsa sua conceptione fuerit sanctificata. Sed ante fuit conceptio quam animatio: ergo fuit ante sanctificata quam animata.

Sed contra: 1. Bernardus ad Lugdunenses[5]: Fundamenta. « Ante conceptionem sanctificari minime poterat, quia non erat; sed nec in ipso conceptu propter peccatum, quod inerat »; sed constat, quod illud non est dictum propter *peccatum,* quod esset in parentibus, quia potuissent eam concipere sine peccato: ergo dicit propter *causam* peccati, quae erat in carne: ergo non videtur, quod sanctificatio fuerit ante infusionem animae.

2. Item, sanctificatio est per aliquod munus gratiae Spiritus sancti; sed gratia non habet esse in carne, sed in anima: ergo non videtur, quod ante fuerit carni gratia infusa quam animae.

3. Item, *esse* gratiae praesupponit *esse* naturae, et perfectio gratiae perfectionem naturae: si ergo sanctificatio dicit effectum gratiae vivificantis, impossibile videtur, quod caro sanctificetur, antequam ab anima vivificetur[6].

4. Item, nihil pertinet ad sanctificationem, quod non pertinet ad glorificationem; sed caro ante animationem non pertinet ad glorificationem nec resurrectionem — unde foetus abortivi ante animationem non resurgunt, ut dicit Augustinus[7] — igitur caro ante animationem non erat idonea ad sanctificationem: ergo non fuit caro Virginis ante sanctificata quam animata.

CONCLUSIO.

Beatae Virginis caro ante animationem non fuit sanctificata.

Respondeo: Dicendum, quod caro beatae Virginis ante animationem non fuit *sanctificata;* non quia Deus non potuerit carnem Virginis *purificare* ante quam animare, sed quia *sanctificatio* habet esse per aliquod donum gratuitum superadditum, quod quidem non habet esse in carne, sed in anima. Ideo si caro beatae Virginis dicitur *sanctificari,* aut hoc intelligitur mediante gratia existente in *eius anima,* vel mediante gratia existente in *animabus parentum.* Constat, quod non mediante gratia existente in *eius anima,* quia tunc esset oppositio in adiecto,

Conclusio.

Distinctio.

---

[1] Vers. 5. — Cfr. August., VI. de Gen. ad lit. c. 8. n. 13. seq.

[2] Vers. 44. — Glossa, quae *ordinaria* est et sumta ex Ambros. Exposit. Evang. Luc. 1, 15. (libr. I. n. 33.), habetur apud Strabum et Lyranum in dictum locum.

[3] Secundum Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis,* et II. Topic. c. 3. (c. 7.). — De infectione carnis ante animationem vide II. Sent. d. 31. dub. 1. — Pro *fortiori* edd. *a fortiori,* cod. Y *multo fortiori.*

[4] Cfr. Epist. 50. inter opera Hieronymi, quae agit de nativitate sanctae Mariae, c. 2, et Damasc., IV. de Fide orthod. c. 14.

[5] Epist. 174. n. 7. in fine, quae epistola directa fuit ad Canonicos Lugdunenses, quorum aliqui festum Conceptionis B. M. V. celebrabant, licentia a Romano Pontifice non petita. — Paulo inferius pro *quod esset* cod. V *quod erat,* et deinde pro *ergo dicit* cod. N *ergo dicitur.*

[6] Cod. T *antequam animetur.*

[7] Enchirid. c. 85. n. 23; XXII. de Civ. Dei, c. 13. — Edd. perperam supplent *in libro de Baptismo parvulorum.* — In *maiori* post *glorificationem* codd. M O subiungunt *vel resurrectionem.*

videlicet quod caro sanctificetur ante animae creationem, et tamen sanctificetur per virtutem gratiae illius animae[1]; sequitur enim [1], quod idem sit prius et posterius in uno et eodem. — Si autem intelligatur hoc fieri per gratiam, quae collata fuerit *animabus parentum*, hoc non potest esse, triplici ratione. Ratio triplex.

Prima: quia gratia [2] sanctificationis non habet transfundi a parente in prolem, pro eo quod proles non est in parente secundum animam; ideo nec in parente habet sanctificationis gratiam. Et hoc est quod dicit Bernardus ad Lugdunenses: « Ante conceptionem minime sanctificari potuit, quia non erat »; exponendum est secundum *animam;* erat enim in eis secundum *carnem* causaliter, sed illud *esse* non sufficiebat ad sanctificationis gratiam, quae respicit animam. Ratio 1.

Secunda ratio est: quia, etsi hoc esset possibile, quod sanctificatio derivaretur a parente in prolem [3], sicut originalis iustitia; nunquam tamen derivatur mediante coitu libidinoso, quia tunc duo opposita essent simul et semel in eodem. Et ideo dicit Bernardus [4]: « Forte inter amplexus maritales sanctitas ipsi conceptioni se immiscuit, ut simul sanctificata fuerit et concepta. Sed hoc ratio non admittit. Quomodo namque sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut Spiritui sancto societas cum peccato fuit? Aut quomodo peccatum non fuit, ubi libido non defuit »? Ratio 2.

Tertia ratio est: quia esto quod sanctificatio adesset, et libido defuerit virtute divina; non tamen decuit, ut deesset, propter hoc quod haec est solius beatae Virginis praerogativa; sola enim ipsa, ut Sancti dicunt, sine peccato concepit et sine dolore peperit; et ideo hoc parentibus concedi non debuit beatae Virginis, sed soli Virgini reservari. Unde Bernardus [5]: « Dico, Virginem gloriosam de Spiritu sancto concepisse, non autem conceptam fuisse; dico, peperisse virginem, non tamen partam a virgine. Alioquin ubi erit praerogativa Matris, de qua singulariter creditur exsultare et munere prolis et carnis integritate, si eam dederis matri? Non est hoc Virginem honorare, sed eius honori detrahere ». — Et ideo simpliciter concedendum, quod caro eius ante animationem non fuit sanctificata. Et concedendae sunt rationes, quae hoc probant. Ratio 3.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium de Ieremia: Ante cognovit, quam formavit; dicendum, quod notitia illa non ponit aliquid circa ipsum, sed circa propositum Dei praedestinantis, sicut electio et dilectio et praedestinatio aeterna non ponit aliquid circa praedestinatum [6]; et ideo non sequitur ex hoc, quod caro Ieremiae vel Virginis ante fuerit sanctificata quam formata. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de Ioanne, quod nondum erat in ipso spiritus vitae; dicendum, quod in Scriptura aliquid dicitur *fieri*, quando *innotescit;* et *non esse*, quando *non apparet.* Et ideo dicitur spiritus *non fuisse* in Ioanne, quia non apparebat; adhuc enim in utero erat [7]; spiritus gratiae in eo dicitur *fuisse,* quando in occursum Domini exsultavit in ventre. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod caro potest infici ante animationem, ergo et sanctificari; dicendum, quod non est simile, quia generatio carnis ex carne est carnalis, non spiritualis; ideo magis habet transfundi caro vitiosa ex carne vitiosa, quam sancta ex parentibus sanctificatis per gratiam [8].

4. Ad illud quod obiicitur, quod conceptio Virginis fuit ex legitimo matrimonio, ergo etc.; dicendum, quod totum illud est probabile, videlicet quod concepta fuerit ex sterili et ex coitu coniugali absque omni *culpa actuali;* non tamen sequitur, quod concepta fuerit absque *causa peccati*, quia ita transfunditur originale ex illis qui generant ex coitu legitimo, sicut qui generant ex coitu adulterino, sicut ostensum fuit in secundo libro [9]. — Et *si obiiciat,* quod non debuit ibi esse *causa* originalis, quia facta est mediante virtute Spiritus sancti fecundante, et propter fecundationem sterilitatis maternae, quae non fuit ab homine, sed a Deo; dicendum, quod illud non valet, quia hoc similiter posset obiici de Ioanne et Isaac [10], qui de sterilibus sunt concepti. Notandum.

---

[1] Cod. N. *etiam.* — Cfr. Bernard., Epist. 174. n. 6.

[2] Non pauci codd., inter quos A T V, cum edd. *ratio.*

[3] Codd. A T V *prole.*

[4] Epist. 174. n. 7. — Pro *Aut quomodo peccatum* textus originalis habet *aut certe peccatum quomodo,* et pro *Spiritui sancto*, quae lectio concordat cum textu originali, codd. A T et alii exhibent *Spiritum Sanctum,* dum in aliis codd. exstant tantum litterae S. S. — Cfr. August., V. contra Iulian. Pelagian. c. 15. n. 52, et VI. Op. imperf. contra Iulian. c. 28.

[5] Loc. cit., ubi textus originalis sic: Alioquin ubi erit praerogativa Matris *Domini, qua* singulariter... si tantundem dederis et matri *eius?* Non est etc. — Pro *partam* codd. A T U V *partum.* Subinde pro *Alioquin ubi* codd. O V *Alioquin non*, pro *Matris* cod. O *Mariae* et pro *exsultare* idem cod. O *exaltata*, codd. A T V X *exsultari.* — Aliquantulum superius pro *concedi non debuit* cod. M *concedi non decuit,* edd. *concedi non potuit.*

[6] Cfr. I. Sent. d. 40. per totam. — Eodem modo haec Ieremiae verba exponunt Hieronym., Comment. super Ierem. 1, 5; August., Epist. 187. (alias 57.) c. 12. n. 37; Bernard., Epist. 174. n. 3. seq. — Post *de Ieremia* edd. proprio marte adiiciunt *de notitia approbationis, quod,* et ante *praedestinatum* cod. Y interiicit *ipsum.* In fine solut. cod Q verbo *formata* praemittit *animata vel.*

[7] S. Bonav. in suo Comment. super Luc. 1, 16. ait: Unde Ambrosius: « Nondum erat in eo spiritus vitae, et iam erat spiritus gratiae », non, inquam, erat secundum apparentiam, erat tamen spiritus vitalis secundum existentiam. Cfr. Glossa in Phil. 2, 8. apud Lyranum. — Paulo superius post *dicitur spiritus* edd. 1, 2 perperam adiungunt *sanctus,* Vat. addit *vitae.*

[8] Cfr. II. Sent. d. 32. a. 1. q. 2.

[9] Dist. 31. a. 2. q. 3. — Paulo superius pro *absque omni culpa* edd. cum codd. A V substituunt *absque tamen culpa,* cod. T habet simpliciter *absque culpa.*

[10] De Isaac vide Gen. 18, 11; de Ioanne Luc. 1, 7. — Subinde pro *qui* codd. A F O V *quod,* cod. M *quia.* Paulo inferius pro *aliquando ut sanctus* Vat. *aliquando ut Spiritus sanctus.*

Notanda distinctio

Propter quod nota, quod Spiritus sanctus aliquando operatur ut *Spiritus*, aliquando ut *sanctus*. Tunc quidem operatur ut *Spiritus*, quando opus facit supra naturam; tunc ut Spiritus *sanctus* operatur, cum non facit solum opus supra naturam, sed etiam sanctificat illud, supra quod operatur. — Dico igitur, quod in conceptione solius Filii Dei, qui est Sanctus Sanctorum, non solum operatus est ut *Spiritus*, sed ut Spiritus *sanctus*. In conceptione vero, qua Ioannes est conceptus, sive beata Virgo, operatus est ut *Spiritus* tantum[1]; ideo sola Virgo Maria dicitur concepisse de Spiritu sancto. Propterea nullius conceptionis solemnitatem celebrat Ecclesia nisi solius Filii Dei in Annuntiatione beatae Virginis Mariae.

De festo conceptionis B. M. V.

Sunt tamen aliqui, qui ex speciali devotione celebrant conceptionem beatae Virginis, quos nec omnino[2] *laudare* nec *simpliciter* audeo *reprehendere*.

Non omnino approbat.

Non omnino *approbare* audeo, pro eo quod sancti Patres, qui alias solemnitates Virginis, Spiritu sancto dictante, statuerunt, qui etiam magni amatores et veneratores beatae Virginis fuerunt, conceptionem Virginis solemnizare non decreverunt. Beatus etiam Bernardus[3], praecipuus Virginis amator et honoris eius zelator, illos reprehendit, qui conceptionem Virginis celebrant. Statuta etiam universalis Ecclesiae de Sanctorum celebritatibus omnia fundata sunt super sanctitatem, ut nullo die pro aliquo Sancto solemnizet, in quo vel pro quo persona sancta non fuerit, cui honor ille defertur. Si ergo sanctitas non fuit in Virgine ante animae infusionem, non videtur usquequaque securum conceptionis illius etiam solemnitatem celebrare. — Non etiam audeo omnino *reprehendere*, quia, ut quidam dicunt, haec solemnitas celebrari non coepit humana inventione, sed divina revelatione[4]; quod si verum est, sine dubio bonum est solemnizare in eius conceptione. Sed quia hoc authenticum non est, non compellimur credere; quia etiam contra fidem rectam non est, non compellimur negare.

Nec reprehendit.

Potest etiam esse, quod illa solemnitas potius refertur ad diem sanctificationis quam conceptionis. Et quoniam dies conceptionis fuit certa, et dies sanctificationis incerta, ut patebit infra[6], ideo non irrationabiliter solemnitas diei sanctificationis statui potuit in die conceptionis; nec immerito, quia quamvis conceptionis diem non oporteat celebrari, pro eo quod non fuit *sanctitas in concepto*, possunt tamen irreprehensibiliter gaudere sanctae animae, pro eo scilicet quod tunc *inchoatum est*. Quis enim audiens Virginem, de qua salus totius mundi processit, conceptam, gratias Deo exsolvere negligat et omittat *exsultare in Deo salutari suo*[6], nisi qui erga gloriosam Virginem minus devote afficitur et magis considerat *praesentia* quam *futura*, magis etiam considerat *boni defectum* quam *fundamentum*? Etenim si filius regis claudus nascatur, qui sit a claudicatione processu temporis liberandus; non est de claudicatione dolendum, sed potius de nativitate gaudendum. Per hunc modum si quis in die conceptionis eius solemnizet, attendens magis *sanctificationem futuram* quam *conceptionem praesentem*, non videtur dignus redargui; et ideo dixi, quod tales nec *vituperare* audeo nec *laudare*.

Alio modo defenditur hoc festum.

Distinctio.

Notandum.

Epilogus notabilis.

Credo tamen et confido de Virgine gloriosa, quod si quis hanc solemnitatem celebrat non ex amore novitatis[7], sed potius ex devotione Virginis, non credens etiam contra illud quod elici potest ex sacra Scriptura; quod benedicta Virgo devotionem eius acceptat; et si aliquid est reprehensibile, spero, quod apud iustum Iudicem dignabitur excusare. Nec huic obviant dicta Bernardi. Potius enim intendit excludere errorem, ne quis credat Virginem sanctificatam in conceptione, quam erga Virgi-

---

[1] Pro *tantum* codd. A T V perperam *sanctus*, quod sphalma cod. F corrigere nititur ponendo *non ut Spiritus sanctus*. Subinde pro *Propterea* edd. *Praeterea*.

[2] Cod. G *simpliciter*. Aliquantulo inferius pro *dictante* edd. *docente* et mox *docuerunt* pro *decreverunt*.

[3] Epist. 174. n. 1: Unde miramur satis, quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiae nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Numquid Patribus doctiores aut devotiores sumus? Periculose praesumimus quidquid ipsorum in talibus prudentia praeterit etc. — Paulo inferius pro *celebrant* codd. E F V W X Y *celebrabant*.

[4] Inter opera Anselmi tria inveniuntur opuscula de festo immaculatae Conceptionis tractantia, quae inscribuntur: de Conceptione B. Mariae Virg.; Miraculum de Conceptione B. Mariae Virg.; Tractatus de Conceptione B. Mariae Virg. Duo priora agunt de historia introductionis huius festi; tertii auctor celebrationem huius festi, quae tunc temporis in non paucis locis diminui vel cessare inceperat, fovere et augere intendit. Ista opuscula, iam diu ut spuria agnita, nostris temporibus cognato Anselmi, eiusdem nominis, addicuntur; qui alter Anselmus (1115 abbas in conventu Romano S. Sabae, 1121-1149 abbas in S. Edmundsbury, interim 1136-1138 episcopus Londinensis), ut ex epistola ab abbate Osbert de Clare a. 1128 ad ipsum data apparet, strenuus propugnator et fautor fuit memorati festi (cfr. Epistolae Norberti de Losinga etc. edit. a Rob. Anstrutter, Lond. 1846.). In duobus prioribus istorum opusculorum narratur, cuidam abbati, Elsino (Helsuino) nomine, in mari periclitanti, quendam pontificalibus vestibus ornatum apparuisse eumque salvasse ea conditione, ut celebraret Matris Christi Conceptionis festum sexto Idus Decembris. — Bernard., Epist. 174. n. 6, hanc relationem respiciens ait: Sed profertur scriptum supernae, ut aiunt, revelationis; quasi et quivis non queat scriptum aeque producere, in quo Virgo videatur id ipsum mandare et de parentibus suis, iuxta Domini mandatum dicens: *Honora patrem tuum et matrem tuam* (Exod. 20, 12.). Ipse mihi facile persuadeo scriptis talibus non moveri, quibus nec ratio suppeditare, nec certa invenitur favere auctoritas etc. — Paulo superius pro *securum* codd. A T U V X *securam*, et subinde pro *conceptionis illius etiam solemnitatem* codd. E U W *conceptionem illius solemnitate*. Paulo inferius pro *negare* codd. M O *negligere*.

[5] Hic q. 3. — Aliquantulo inferius prò *in concepto* codd. M O *in conceptione*.

[6] Respicitur Luc. 1, 47.

[7] Ita cod. K, alii codd. *nativitatis*, edd. *vanitatis*. Mox pro *non credens etiam* Vat. *non credens esse*.

nem devotionem nostram minuere, cui nullus nimis potest esse devotus; ita tamen, quod nihil credat de ea, quod sit contra veritatem et sacrae Scripturae et fidei christianae, quae omnem devotionem nostram, tam erga Deum quam erga Matrem eius, debet praecedere.

Quod si aliquis obiiciat, aliorum Sanctorum conceptiones non esse celebres propter subsequentes sanctificationes; poterit ei [1] dici, quod alii Sancti pro malo non habebunt, si aliquis specialis honor Matri Domini tribuatur, quoniam sanctificationis ipsius *magnitudo* et *acceleratio* ceteras antecellit. Et ideo mirandum non est, si Spiritus sanctus inhabitans in cordibus fidelium, devotionem ipsorum magis erga Virginem inflammat quam erga alios Sanctos et Sanctas. Hac etiam de causa quotidie de Virgine gloriosa facimus officium speciale iuxta ordinem Romanae Ecclesiae, licet pro beato Petro, Apostolorum principe, solummodo ter [2] in anno faciamus officium. — Quacumque igitur hora, quacumque die aliquis fidelium cum totis praecordiis et visceribus honoret Virginem, increpandus non est pertinaciter, ne ipsius Virginis animadversio incurratur, quae auxiliatrix et amatrix est omnium fidelium suorum laudatorum, sicut illi qui tales sunt, experimento multiplici cognoverunt [3].

Obiectio solvitur.

Notandum.

SCHOLION.

I. Celeberrima est dogmatica definitio, an. 1854 a Papa Pio IX. promulgata, quae quoad controversiam de conceptione immaculata Dei Genitricis Mariae sancivit: « Doctrinam, quae tenet, beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu, Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam ». De distincta huius decreti explicatione nec non de historia controversiae, circa hanc rem a tempore S. Bernardi agitatae, consulantur recentiorum theologorum opera. Sufficiat hic breviter notare, vocabulum *conceptio* intelligi non de conceptione *activa* sive *generativa*, (quae est ex parte parentum), sed de *passiva* (ex parte fructus geniti); et iterum non de conceptione *seminali* sive *carnis non animatae*, sed de conceptione *passiva adaequata*, sive quae consummatur infusione animae rationalis, et qua constituitur *persona humana*. Haec vocatur etiam *conceptio personalis* et a nostro Doctore aliisque antiquis *nativitas in utero*, quae distinguitur a *nativitate ex utero* (cfr. infra q. 2. arg. 5. ad opposit. et q. 3. ad 1. 2.). Hinc verba: « in primo instanti suae conceptionis » intelligenda sunt de momento creationis et infusionis animae; ipsaque sanctificatio refertur ad *personam* sive terminum adaequatum generationis, non ad principia naturalia generationis, vel ad *modum* eiusdem. *Causa* autem *efficiens* huius sanctificationis indicatur verbis: « singulari omnipotentis Dei *gratia* et *privilegio* », quo simul notatur *exemtio singularis a lege communi*, qua generaliter illi qui secundum ordinem *naturalem* a primis parentibus descendunt, originali culpae obnoxii sunt; unde aliquod *debitum*, *saltem remotum*, incurrendi hanc labem etiam in B. V. Maria supponitur. *Causa* autem *meritoria* huius eminentissimae redemptionis notatur verbis: « intuitu meritorum Christi Iesu, Salvatoris humani generis ».

II. Secundum tenorem huius decreti corrigenda vel determinanda est doctrina, quae in 3 quaestionibus huius articuli a S. Bonav. secundum sententiam tunc in scholis fere communem proponitur. Ne autem sinistre iudicetur de nostro auctore aliisque coaevis, haec observamus.

1. Concedendum est, ea aetate ipsos Ss. Doctores Bernardum, Thomam, Bonaventuram aliosque ignorasse, praedictum privilegium, nunc definitum, esse revelatum, scilicet implicite in deposito fidei traditum; immo eosdem usque ad Scotum ne *statum quidem quaestionis* praecise cognovisse, ut ex sequentibus patebit. Unde S. Bonaventurae (q. 2.) opinio opposita visa est « communior, rationabilior et securior ». Nec defuerunt qui cum B. Alberto (hic a. 4.) assererent, eandem esse tenendam tanquam fide certam. Quidam insuper generaliter docuerunt, hanc praeservationem in ipsa conceptione esse omnino *impossibilem*; sed haec assertio a S. Bonav. (infra q. 2. ad 6.) aliisque multis magistris reprobatur; nec ab his discrepat Alex. Hal., licet dicat, B. Virginem in sua conceptione sanctificari *non potuisse*, cum tantum loquatur de conceptione *seminali* et *sanctificatione proprie dicta*. Attamen B. V. Mariam contraxisse *actualiter* peccatum originale, sed sanctificatam esse in utero *post* infusionem animae (sive in secundo instanti temporis, ut vult Ægid. R. et Henr. Gand., sive saltem post breve tempus), hoc quasi uno ore cum Ss. Bernardo, Thoma, Bonav. docent Alex. Hal., B. Albert., Petr. a Tar., Richard. a Med., Ægid. R., Henr. Gand., Durand. aliique multi, et ante Scotum communiter. — Quod autem etiam S. Thom., saltem in locis, ubi ex professo hanc quaestionem tractat (hic q. 1. a. 1; S. III. q. 27. a. 1. 2; Quodl. 6. q. 5. a. 7; Compend. theol. c. 224.), a sententia tunc communi non recesserit, ipsa eius verba, praesertim si conferuntur cum verbis coaevorum, satis manifestant. Hoc etiam confirmatur certissimo hoc facto, quod discipuli eius, eidem Ordini adscripti, usque ad saeculum XVI. ita magistrum intelligebant, immo illa aetate plerumque eandem sententiam cum praestantibus theologis S. Antonino, Ioan. a Turre-cremata, Caietano tanquam in se veram defendebant. In subsequentibus saeculis, cum mens Ecclesiae paulatim in favorem verae sententiae se manifestaret, numerus defensorum huius privilegii in schola S. Thomae crevit. Tunc autem inceptum est de vera sententia S. Doctoris disputari. Nonnulli enim, innixi quibusdam aliis locis, duce Seraphino Caponi de Porrecta (in Elucidat. ad S. III. q. 27. a. 2.), S. Thomam potius illi privilegio favere, vel saltem non contradicere volunt contrariosque locos ita interpretantur, ut *peccatum originale* etiam pro *debito* incurrendi eam intelligant. Hinc ipsum locum in Comment. (loc. cit. quaestiunc. 2.), ubi dicitur, quod sanctificatio Virginis non potuerit esse decenter nec *ante* infusionem animae, nec etiam *in ipso instanti* infusionis etc., non secundum materialem verborum sensum intelligi debere, iidem affirmant. Attamen praedictus Seraphinus ibidem confitetur, S. Thomam etiam in Summa docuisse, magis tenendam esse opinionem, quod B. V. actualiter peccatum originale contraxerit. — De sententia S. Bonaventurae et Scoti in seq. scholio mentio fiet.

---

[1] Codd. T Z omittunt *ei*, pro quo codd. A H N U V X aa *enim*. — Auctor opusc. de Conceptione B. Mariae Virg. (inter opera Anselmi) iure ait: Erubescant iterum insani, qui hunc diem colere non volunt idcirco, quia aliorum Sanctorum conceptiones minime colere sancta consuevit Ecclesia. Maxima quippe rusticitas est eam aliis Sanctis in hoc comparare, quam etiam super omnes Angelos et Archangelos in caelis sublimavit etc.

[2] Scilicet, 18 Ian., 23 Febr., 29 Iunii.

[3] Cod. T *sicut qui experti sunt cognoverunt.*

2. Absit tamen, ut quis praedictos saeculi 12. et 13. doctores reputet aliqua reprehensione dignos, vel ut minus bene de eorum pietate, doctrina et devotione erga B. Virginem existimet. Exploratum enim est, et ex ipsis verbis in hac disputatione ab eis adhibitis constat, illos non defectu aliquo pietatis, vel devotionis, vel sanorum principiorum a veritate penitus perspicienda impeditos esse, sed plurimis difficultatibus, illa aetate hanc quaestionem adhuc obscurantibus. Concorditer quidem omnes proclamabant principium S. Anselmi, quod Matri Dei tribuenda sit « puritas, qua maior sub Deo (Christo) nequit intelligi » (q. 2. arg. 1.); sed haesitabant in applicatione huius principii ad specialem casum, scilicet respectu peccati originalis. Et revera, habita ratione omnium circumstantiarum, haec haesitatio tunc erat laude digna et quasi necessaria. Assertio enim huius privilegii in occidentalibus terris videbatur nova; Ecclesia nondum aliquid determinaverat de hac *quaestione;* eadem *festum* conceptionis B. Virginis potius videbatur tolerare in aliquibus locis quam approbare; praxis Ecclesiae Graecae et plures Patrum Graecorum sententiae in Occidente tunc non innotuerant; nondum cliquatae erant graves difficultates, quae ex universalitate tum peccati originalis tum redemptionis petitae obiiciebantur; denique (et hoc summopere dignum est observatione) primi fautores festi conceptionis et defensores huius privilegii *ita male hoc mysterium explicabant,* veris falsa immiscebant et invalidis vel falsis rationibus confirmabant, ut eorum positionibus et piae sententiae *sic intellectae* iure contradicendum esset. Plerumque enim voluerunt, *carnem* Virginis fuisse sanctificatam *ante animationem*, et hac ratione B. Virginem a culpa originali omnino exemptam. — Contra hanc positionem haec 1. quaestio militat et communis responsio negativa magistrorum, etiam Scoti (hic q. 1. n. 14.), recte sustinetur, iam ob hanc rationem, quia illa positione ne *remotum* quidem debitum contrahendi peccatum originale admitti videtur. Alii autem defensores eiusdem sententiae alteram, itidem non plene satisfacientem explicationem afferebant, contra quam S. Bonav. arguit in 2. quaestione.

III. Quod primi defensores praedicti privilegii et festi sanctificationem *carnis* in ipsa conceptione seminis et ante infusionem animae docuerint, ex eorum scriptis et communi doctorum huius positionis reprobatione satis constat. Ut autem eorum opinio facilius intelligatur, servire possunt verba Alexandri Hal. (S. p. III. q. 9. m. 1. a. 1.): « *Sanctificatio* nihil aliud est quam motus ad sanctitatem. Sed *sanctitas* dicitur quatuor modis: est enim sanctitas per *dedicationem* ad cultum Dei [quae potest etiam convenire rei pure materiali]; et est sanctitas per *emundationem* a peccato; tertio modo dicitur sanctitas in Scriptura ipsa *abstractio a carnali actu* [cfr. Exod. 19, 10.]; quarto dicitur sanctitas per *confirmationem in bono* ». Idem in seqq. hanc quadruplicem sanctificationem pluribus Scripturae locis explicat.

III. Praeter iam citatos: Alex. Hal., loc. cit. m. 2. a. 1. — B. Albert., hic a. 3. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic q. 1. a. 1. dub. lat. 1-3. — Henr. Gand., de hac et seqq. qq. Quodl. 15. q. 13. — Durand., de hac et seqq. qq. hic q. 1. 2. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. 1. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum anima beatae Virginis sanctificata fuerit ante originalis peccati contractionem.

Secundo quaeritur, utrum anima beatae Virginis sanctificata fuerit ante originalis peccati contractionem. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Anselmus de Conceptu virginali [1]: « Decebat, ut illius conceptus fieret de matre purissima ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi »; sed maior est puritas, ubi nec actualis nec originalis culpa invenitur, quam ubi est aliqua earum: si igitur beata Virgo fuit purissima, non videtur, quod contraxerit originalem culpam: ergo videtur, quod ante originalem culpam sanctificata fuerit.

2. Item, Augustinus de Natura et gratia [2]: « De Matre Domini, cum de peccatis agitur, nullam volo prorsus habere quaestionem »: ergo non videtur in ea fuisse peccatum, nec actum nec contractum.

3. Item, *ratione* videtur: « Honor Matris refertur ad Filium », ut dicit Damascenus [3]; sed omnis honor debetur Filio gloriosae Virginis, maxime quantum ad immunitatem peccati: si igitur ad honorem Filii spectat habere matrem puram et sanctam, videtur, quod Mater Christi immunis fuerit ab omni culpa, tam originali quam actuali.

4. Item, si est ponere extrema, contingit ponere medium [4]; sed contingit ponere habentes originale peccatum in anima et in carne, sicut filii Adam habent communiter; contingit invenire carentem in anima et carne, sicut in Christo: ergo contingit reperire medium, scilicet habentem in carne et non in anima, vel in anima et non in carne. Sed habere in anima et non in carne est impossibile, quia originale ortum habet a carne; anima enim non traducitur, sed caro [5]: restat igitur, quod aliqua persona fuit, quae haberet originale solum in carne et non in anima; haec autem fuit illa, quae maxime accedit ad Christum puritate, et haec est Virgo Maria: ergo etc.

5. Item, sanctificatio beatae Virginis excellit sanctificationem aliorum Sanctorum: ergo cum beatus Ioannes sanctificatus fuerit quantum ad nativitatem *ex utero*, quam Ecclesia celebrat; videtur, quod Virgo Maria non tantum sanctificata sic fuerit, sed etiam in quantum ad nativitatem *in utero*. Sed nativitas *in utero* est in animae infusione: igitur beata Virgo in instanti infusionis animae sanctitatem ha-

---

[1] Cap. 18.

[2] Cap. 36. n. 42: De qua [Virgine Maria] propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem.

[3] Libr. IV. de Fide orthod. c. 16: Etenim is honor, quem ei [Matri Dei] adhibemus, ad illum refertur, qui ex ipsa carnem sumsit. — In *minori* post *sed omnis honor* edd. adiiciunt *matris*.

[4] Aristot., III. Moral. Eudem. c. 6. (c. 4.): Ubi extrema sunt, istic et medium. — Paulo inferius pro *ergo contingit* cod. A *ergo constat*.

[5] Cfr. II. Sent. d. 18. a. 2. q. 3. et d. 31. a. 1. et 2.

buit divinae gratiae: ergo nunquam habuit infectionem originalis culpae [1].

6. Item, possibile fuit, gratiam dari animae beatae Virginis in primo instanti creationis; sed congruum est ponere, quod animae illi id Deus dederit, quod congruebat ei suscipere: ergo videtur, quod in primo instanti originalem dederit ei gratiam: ergo cum gratia non possit simul stare cum culpa, aut gratiam perdidit, aut originalem culpam non contraxit. Sed non est dicere, quod gratiam perdidit: ergo videtur esse dicendum, quod non habuit culpam originalem [2].

Sed contra: 1. Ad Romanos quinto [3]: *Omnes* Fundamenta. *in Adam peccaverunt;* hoc autem non est, nisi quia fuimus in Adam secundum seminalem rationem: ergo si Virgo fuit secundum seminalem rationem, videtur, quod contraxerit originale, sicut et alii.

2. Item, Augustinus [4]: « Nemo liberatur a massa peccati nisi in fide Redemptoris »: ergo omnes quotquot eripiuntur, per Christum eripiuntur; sed non liberatur quis a peccato, quod non habet: ergo videtur, quod omnes alii a Christo contraxerint originale peccatum.

3. Item, Bernardus [5]: «Salvator noster, sicut pro omnibus liberandis venit, ita nullum liberum a reatu reperit», ergo nec beatam Virginem invenit liberam: ergo originale peccatum contraxit.

4. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quia, si beata Virgo caruit originali peccato, caruit merito mortis: ergo vel iniustitia facta est ei, cum mortua est, vel dispensative pro salute generis humani mortua est. Sed. primum facit ad *contumeliam Dei*, quia, si illud verum est, Deus non est iustus retributor; secundum ad *contumeliam Christi*, quia, si illud verum est, Christus non est sufficiens redemptor; ergo utrumque falsum est et impossibile. Restat igitur, quod habuit peccatum originale.

5. Item, nullus pertinet ad redemptionem Christi, nisi qui habet culpam [6]: si ergo beata Virgo caruit originali, videtur, quod ad redemptionem Christi non pertineat. Sed magna est gloria Christo de Sanctis, quos redemit: ergo si non redemit beatam Virginem, nobilissima gloria privatur. Si ergo hoc est profanum et impium dicere, videtur etc.

6. Item, si beata Virgo peccatum originale non habuit, et nulli est clausa ianua nisi merito originalis peccati; videtur ergo, quod si mortua fuisset ante Christum, statim evolasset ad caelum: ergo non videtur, quod ianua omnibus aperta fuerit per Christum; et ita falsum dicit Apostolus, cum dicit ad Colossenses primo [7]: *Placuit ei per ipsum reconciliare omnia, quae in caelis, sive quae in terris sunt.*

CONCLUSIO.

Cum opinione tunc communi auctor putat esse probabilius, beatae Virginis sanctificationem fuisse post originalis peccati contractionem.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod quidam dicere voluerunt, in anima Opinio 1. gloriosae Virginis gratiam sanctificationis praevenisse maculam peccati originalis. — Rationem autem hu- Ratio. ius assignant: quia decebat animam gloriosae Virginis sanctificari excellentissime super animas aliorum Sanctorum, non solum quantum ad *abundantiam* sanctitatis, sed etiam quantum ad *accelerationem* temporis; ideo in instanti suae creationis fuit sibi gratia infusa, et in eodem instanti anima infusa est carni. Sed quia *omnium mobilium mobilior est sapientia* [8], et « nescit tarda molimina Spiritus san-

---

[1] Hoc arg. insinuatur in tractatu de Conceptione B. Mariae Virg. (inter opera Anselmi), nec non in Serm. 4. in antiph. *Salve Regina* (inter opera Bernardi; attribuitur Bernardo, archiep. Toletano) n. 3. Cfr. Bernard., Epist. 174. n. 3. seq., ubi etiam vulgarem distinctionem adhibet inter nativitatem *in utero* et *ex utero*, iam usurpatam ab August., Epist. 187. (alias 57.) c. 10. n. 33.

[2] Idem dicit auctor cit. tract. de Conceptione B. Mariae Virg.: Potuit plane et voluit, si igitur voluit, fecit. — Paulo superius in prima conclusione post *instanti* cod. aa subiungit *creationis*, Vat. *suae conceptionis.*

[3] Vers. 12. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3; Anselm., de Concept. virgin. etc. c. 23, et II. Sent. d. 30. a. 1. q. 2. Ibid. d. 18. a. 1. q. 2. seq. fusius agitur de *ratione seminali.* — In conclusione post *fuit* codd. K Z bb repetunt *in Adam.*

[4] De Corrept. et gratia, c. 7. n. 11, et in Ioan. Evang. tr. 109. n. 2.

[5] Verba hic allata non sunt Bernardi, sed inveniuntur, paucis mutatis, in *Leonis* Papae Serm. 1. in solemnitate Nativ. Domini, c. 1, quae verba Vat., nomine etiam Leonis substituto pro nomine Bernardi, sic reddit: *Item, Leo Papa in sermone nativitatis Domini: Dominus noster, peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Sententialiter tamen habetur haec Leonis sententia etiam apud Bernardum, qui in Epist. 174. n. 8. de conceptu Christi disserens ait, quod Christus « omnes sanctificaret solusque absque peccato veniens purgationem faceret peccatorum... Quo excepto, de cetero universos respicit ex Adam natos quod unus humiliter de semetipso ac veraciter confitetur: *In iniquitatibus*, inquiens, *conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (Ps. 50, 7.). Cfr. Serm. in feria IV. Hebdom. sanctae, n. 6. — Plurimi codd. omittunt primum *ergo.*

[6] Hoc exprimunt etiam illa Zosimi Papae verba, quae ab August. afferuntur in Epist. 190. (alias 157.) c. 6. n. 23: Nullus enim, nisi qui peccati servus est, liber efficitur; nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus, sicut scriptum est: *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (Ioan. 8, 36.). Cfr. etiam Anselm., II. Cur Deus homo, c. 16. Ex eodem principio Origenes, Homil. 17. in Lucam (etiam inter opera Hieronymi, qui homilias istas in Latinum convertit), falso colligit, Mariam (etsi non peccatum originale) saltem peccatum *actuale* habuisse et scandalum in morte Christi passam esse. De simili sententia Basilii, Epist. 260. (alias 317.) n. 9, cfr. infra a. 2. q. 3. arg. 1. ad opposit.

[7] Vers. 19. seqq. Anselm., II. Cur Deus homo, c. 16: Nulla tamen anima ante mortem Christi paradisum caelestem ingredi potuit.

[8] Sap. 7, 24. — Dictum seq. est Ambros., h. in Luc. n. 15. — Paulo superius pro *ideo in instanti* cod. A *ideo ab instanti*, codd. K P Q Z bb *ideo in primo instanti.* Mox pro *carni* cod. T *corpori.* Paulo inferius pro *gratiae sanctitatis* codd. M O U (Z a prima manu) bb *gratiae sanctificantis.*

cti gratia », et multo potentior est gratia quam natura ; hinc est, quod effectus gratiae sanctitatis magis praevaluit in carnem quam effectus foeditatis in animam ; et ideo culpam non contraxit.

Congruentiae tres. Haec autem positio videtur posse fulciri multiplici congruentia, tum propter *Christi praecipuum honorem*, quem decebat de matre purissima fieri ; tum propter *Virginis praerogativam singularem*, quae debuit in dignitate sanctificationis ceteros Sanctos et Sanctas praeire ; tum etiam propter *ordinis decorem*, ut, sicut fuit persona [1] immunis ab originali et in carne et in anima, sive in causa et in effectu, et persona utroque modo habens originale, sic esset persona media, quae quodam modo haberet et quodam modo non haberet ; et ista est beata Virgo, quae mediatrix est inter nos et Christum, sicut Christus inter nos et Deum.

Auctoritas Anselmi. Et hoc dicunt [2] sonare verbum Anselmi, cum dicit, quod beata Virgo purissima fuit « ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi ». In hoc enim notat, gradum suae puritatis inferiorem esse respectu Filii, et superiorem respectu aliorum Sanctorum. — Et Confirmatio. ideo quasi mediam rationem huius multiplicis congruentiae voluerunt quidam apponere, addentes insuper illud, quod non repugnat *veritati sacrae Scri*Concordat Scripturae. *pturae* et *fidei christianae. Veritati* [3], inquam, non repugnat, immo potius consonat, si quis eius mysteria attendat. Beata enim Virgo Maria significata fuit per *arcam ;* anima vero beatae Virginis significata fuit per *urnam*, in qua positum fuit manna. Cum ergo *urna* illa prius fuerit impleta manna quam posita in *arca*, prius, saltem per naturam, sanctificata fuit anima beatae Virginis quam carni Non repugnat fidei, arg. 1. unita [4]. — *Fidei* etiam *christianae*, ut dicit positio praedicta, non repugnat, pro eo quod dicunt, ipsam Virginem ab originali peccato liberatam per gratiam quae quidem pendebat et ortum habebat a fide et capite Christo, sicut gratiae aliorum Sanctorum. *Et* Arg. 2. *iterum*, licet illa gratia praeveniret *animae infectionem*, non tamen praevenit *carnis foeditatem*. Et ideo ratione illius *foeditatis* iuste remanserunt in Virgine poenalitates ; gratia enim sanctificationis non obviat *poenae*, sed *culpae*. Et hinc est, quod beata Virgo poenalitatibus fuit obnoxia et per Christum liberata a peccato originali, sed aliter quam alii. Nam alii post casum erecti sunt, Virgo Maria Nota. quasi in ipso casu [5] sustentata est, ne rueret, sicut exemplum ponitur de duobus cadentibus in luto. — Et per istam viam effugiunt auctoritates et rationes, quae contra eos adducuntur, dicentes, non concludere, quod beata Virgo habuit infectionem originalis peccati quantum ad *effectum*, sed quantum ad *causam solum*.

Aliorum vero positio est, quod sanctificatio Vir- Opinio 2. ginis subsecuta est originalis peccati contractionem ; et hoc, quia nullus immunis fuit a culpa originalis peccati nisi solum Filius Virginis. Sicut enim dicit Auctoritates. Apostolus ad Romanos tertio [6] : *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei ;* ibi Glossa : « *Omnes* peccatores invenit gratia Christi, qui solus sine peccato venit, et *omnes egent gloria Dei*, id est, ut ipse liberet, qui potest ; non tu, qui liberatione indiges ». Et hoc ipsum dicit Augustinus super Ioannem [7], tractans illud verbum : *Ecce Agnus Dei ;* ubi dicit, quod « solus peccata mundi potuit auferre, qui solus sine peccato venit, quia omni peccato caret ».

Ilic autem modus dicendi *communior* est et Conclusio 1. *rationabilior* et *securior*. *Communior*, inquam, quia fere omnes illud tenent, quod beata Virgo habuit originale, cum illud appareat ex multiplici ipsius poenalitate, quam non est dicere ipsam passam esse propter aliorum redemptionem ; quam [8] etiam non est dicere per assumtionem habuisse, sed per contractionem. — *Rationabilior* etiam est, quia *esse*

---

[1] Codd. M O addunt *quaedam, ut Christi*. Hanc tertiam congruentiam commemorat etiam Gillebertus abbas († 1172), Serm. 40. in Cantic. n. 6. (inter opera Bernardi).

[2] Codd. N X verbo *dicunt* praefigunt *etiam*. Pro *dicunt* cod. T substituit *videtur*. Paulo inferius idem cod. T pro *enim* substituit *autem* et voci *Filii* adiicit *Dei*.

[3] Scil. sacrae Scripturae. De *arca* et de *urna* cfr. Exod. 25, 10. seqq. ; 35, 12 ; Hebr. 9, 4.

[4] Auctor Sermonis de Conceptione B. Mariae Virg. (inter opera Anselmi) scribit : Duae sunt conceptiones hominis (hoc omnibus peritis notum est) : una, qua carnalis copula viri ac mulieris agitur ; alia, qua spiritualis anima nova et pura, Deo operante, corpori divinitus adiungitur. Si non placet illi celebrare dominicae Matris carnalem conceptionem, saltem placeat celebrare eius animae spiritualem creationem corporisque cum anima copulationem. O quanta est dies illa, qua nostrae reparatricis anima digna creatur et sanctificatur et sanctissimo corpori unitur !

[5] Sive in periculo cadendi. — Paulo ante cod. T omittit *Nam*, pro quo in cod. K habetur *quoniam*, in codd. N U bb *quia*, in codd. A G H L V X Z *sed*.

[6] Vers. 23. — Glossa, quae habetur apud Petrum Lombardum in hunc locum, sumta est ex August. Enarrat. in Ps. 30, enarrat. 2. n. 6, ubi s. Doctor dicit : Omnes peccatores invenit ; solus sine peccato venit, qui nos peccatores invenit. Hoc ait Apostolus : *Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei*. Quid est : *egent gloria Dei ?* Ut ipse liberet, non tu. Quia tu te liberare non potes, indiges liberatore ». Et in Enarrat. in Ps. 118. serm. 25. n. 5. idem s. Doctor dicit : Omnes igitur praevaricantes gratia Salvatoris invenit. Cfr. II. Hypognost. (inter opera August.) c. 4. in fine. — Pro *Omnes peccatores invenit gratia* multi codd. cum edd. *Omnes peccatores inveniunt* [codd. A U *invenerunt*] *gratiam*, et dein pro *Christi* non pauci codd. *Dei*.

[7] Verba ex August. allata habentur in eius tr. 41. in Ioan. Evang. n. 5, ubi s. Doctor explicans illa verba Domini : *Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (Ioan. 8, 34.), ait : « Liberat ergo ab hac servitute solus Dominus, qui illam non habuit, ipse de illa liberat ; solus enim in hac carne venit sine peccato... quia de peccato solus liberare potest, qui venit sine peccato et factus est sacrificium pro peccato ». Eandem sententiam, sed aliis verbis, s. Doctor etiam profert in tr. 4. n. 10. et in tr. 7. n. 5, ubi agit de illo verbo Ioannis : *Ecce Agnus Dei* (Ioan. 1, 29. et 1, 36.). — Pro *ubi dicit, quod solus* cod. T *Nisi Deus, qui solus*.

[8] Plurimi codd. *quas ;* perperam, nisi legatur cum cod. K *ex multis ipsius poenalitatibus, quas* etc.

naturae praecedit *esse* gratiae, vel tempore vel natura; et propterea dicit Augustinus [1], quod « prius est nasci quam renasci »; sicut prius est *esse* quam *bene esse;* prius est igitur animam uniri carni, quam gratiam Dei sibi infundi. Si igitur caro illa infecta fuit, ex sua infectione nata erat animam culpa originali inficere. Necessarium est igitur ponere, quod ante fuerit originalis culpae infectio quam sanctificatio. — *Securior* etiam est, quia magis consonat *fidei pietati* et *Sanctorum auctoritati.* Magis
Ratio 1. concordat *Sanctorum auctoritati,* pro eo quod communiter Sancti, cum de materia ista loquuntur, solum Christum excipiunt ab illa generalitate, qua dicitur: *Omnes peccaverunt in Adam* [2]. Nullus autem invenitur dixisse de his quos audivimus auribus nostris, Virginem Mariam a peccato originali fuisse
Ratio 2. immunem. *Pietati* etiam *fidei* magis concordat, pro eo quod, etsi Mater habenda sit in reverentia, et magna erga ipsam habenda sit devotio, multo maior tamen est habenda erga Filium, ex quo est ei omnis honor et gloria. Et ideo, quia hoc spectat ad excellentem dignitatem Christi, quod ipse est omnium *Redemptor* et Salvator, et quod ipse omnibus *aperuit ianuam,* et quod ipse *unus pro omnibus mortuus est* [3]; nullatenus ab hac generalitate beata Virgo Maria excludenda est, ne, dum Matris excellentia ampliatur, Filii gloria minuatur; et sic Mater provocetur, quae magis vult Filium extolli et honorari quam se ipsam, utpote Creatorem quam creaturam [4].

Huic igitur positioni adhaerentes, propter honorem Iesu Christi, qui in nullo praeiudicat honori Matris, dum Filius Matrem incomparabiliter ante-
Conclusio 2. cellit, teneamus, secundum quod communis opinio tenet, Virginis sanctificationem fuisse post originalis peccati contractionem. — Unde rationes hoc probantes concedendae sunt.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium,
Ad oppositum. quod Virgo purissima fuit; dicendum, quod tria
Observatio 1. attendenda sunt in illa auctoritate: primo, quia dicit *sub Deo;* et in hoc innuit, quod defuit a puritate Christi, et ideo aliquam maculam habuit, vel *originalem* vel *actualem.* Non *actualem,* ut patebit [5]: ergo *originalem.* Ideo vult dicere, quod caruit omni macula actuali, non originali. — Aliud
Observatio 2. attendendum est, quod dicitur, quod *maior nequit intelligi,* scilicet *rationabiliter.* Illud enim dicitur *intelligi* [6], quod *rationabiliter* cogitatur vel cognoscitur; illud *non rationabiliter* cogitatur, quod nata de voluptate viri careat originali peccato. — Po-
Observatio 3. stremo attendendum est quod dicit, quod *de matre purissima* facta est illa conceptio; in quo innuit, quod haec summa puritas est ponenda in ea pro tempore, in quo concepit Filium Dei; et tunc omnino purificata et mundissima fuit, sicut patebit infra [7]; et ideo non sequitur, caruisse originali culpa.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nulla habenda est quaestio, cum agitur de peccatis secundum verbum Augustini; dicendum, quod Augustinus intelligit de peccato *actuali,* non de *originali,* sicut patet ex serie litterae [8].

3. Ad illud quod obiicitur, quod honor Matris refertur ad Filium; dicendum, quod verum est; non tamen sequitur, quod omnis honor, qui attribuitur Filio, attribuendus sit Matri, quia sic non esset Filium honorare, sed potius Filio contumeliam facere, dum honorem sibi soli debitum quis alii attribueret. Et quia hic honor, scilicet immunem esse ab omni peccato, tam originali quam actuali, solius Filii Dei est, quia solus conceptus de Spiritu sancto et natus de Virgine; ideo Virgini attribuendum non est. Sufficiunt enim Virgini aliae dignitates, quas sibi Filius communicavit et dedit, in quibus superexcel-
Notandum. lit omnes humanas laudes et devotiones; et ideo non oportet novos honores confingere ad honorem Virginis, quae non indiget nostro mendacio, quae tantum plena est veritate [9].

4. Ad illud quod obiicitur, quod si est ponere extrema, et medium; dicendum, quod verum est, si medium illud natum sit confici ex extremis secundum debitum ordinem et congruentiam. Non sic autem est in proposito; nam ponere causam sine effectu, vel effectum sine causa non convenit neque decet [10].

---

[1] Epist. 187. (alias 57.) c. 10. n. 32. seq. Cfr. quaest. seq. arg. 2. ad opposit. August., II. de Peccat. merit. et remiss. etc. c. 27. n. 43. ait: Quocirca sicut homo, qui non vixerit, mori non potest, et qui mortuus non fuerit resurgere non potest, ita qui natus non fuerit renasci non potest. Ex quo conficitur, neminem in suo parente renasci potuisse non natum. — Mox pro *prius est igitur* cod. bb *prius est enim.* Paulo inferius ante *ex sua* cod. H inserit *et.*

[2] Rom. 5, 12. — Sufficiat afferre illud testimonium August., II. de Peccat. merit. et remiss. etc. c. 24. n. 38: « Solus ergo ille etiam homo factus manens Deus peccatum nullum habuit unquam, nec sumsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati ». Cui testimonio similia dicit ibid. c. 35. n. 57.

[3] Epist. II. Cor. 5, 14. — Cfr. Bernardi Epist. 174. n. 2, nec non Petri Cellensis Epist. 171-173, scriptae contra Nicolaum a S. Albano, qui acer defensor immaculatae conceptionis B. M. V. dixerat: Sicut in caelo qualis Pater, talis Filius; sic et in terra qualis Filius, talis Mater, non quidem de Spiritu S. concepta, ut Filius, sed sanctificata ex utero matris, ut Filius.

[4] Cod. F ante *quam creaturam* interiicit *magis.* Multi codd. et edd. 1, 2 male omittunt *quam,* quod ex codd. M O S U restituimus; Vat. pro *quam creatura* substituit *creatura.* Paulo superius post *et sic* Vat. interiicit *in illo.*

[5] Hic a. 2. q. 1.

[6] Vat. inepte adiicit *rationabiliter.* Post pauca codd. A K L M N O T U V X et alii omittunt *vel cognoscitur,* et subinde pro *illud non* codd. M O substituunt *non autem.*

[7] Art. 2. quaest. 2. seq. — Mox post *sequitur* Vat. supplet *ipsam.*

[8] Vide hic in lit. Magistri, c. 2, et infra a. 2. q. 1.

[9] Respicitur illud Ioan. 1, 14: Plenum gratiae et veritatis. — Paulo superius pro *novos* cod. A *nos.* Deinde pro *tantum* cod. M *tam.*

[10] Vide hic corp. quaest.

5. Ad illud quod obiicitur, quod sanctificatio beatae Virginis excellit sanctificationem aliorum Sanctorum quantum ad magnitudinem [1] et celeritatem; dicendum, quod verum est; verumtamen non sequitur ex hoc, quod sanctificata fuerit in primo instanti creationis animae, quia non excellit, nisi in quantum decet.

6. Ad illud quod obiicitur, quod possibile fuit, in primo instanti gratiam infundi; dicendum, quod absque dubio *non erat impossibile apud Deum omne verbum* [2], nec illud, videlicet quod posset facere Virginem ab omni peccato immunem; non tamen hoc decuit alicui concedere nisi ei soli, per quem omnium facta est salus, videlicet Domino Iesu Christo, *ut non glorietur in conspectu eius omnis caro; sed ipsi soli sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

SCHOLION.

I. Haec quaestio magis prope attingit statum quaestionis, ut ipsa nunc intelligitur; attamen ab omnibus aliis antiquis magistris (quod sane mirum est) omittitur. Nam hi, exceptis Alexandro et B. Alberto alia quaedam tractantibus, duplicem tantum quaestionem instituunt, scilicet, utrum B. Virgo sanctificata fuerit *ante* animationem — vel *post* animationem, et quidem ita, ut *ante* et *post* intelligant de ordine *temporis*. Unde negligendo quaestionem hanc, quae est « de primo instanti suae conceptionis » (Decret. Pii IX), viam sibi quasi praecludebant problema hoc recte solvendi. — In hac igitur quaestione S. Bonav. agit de *altera* explicatione huius mysterii, quam illa aetate quidam defensores piae sententiae in medium proferebant, et quae hic in corp. accurate explicatur et simul illustratur exemplo arcae cum urna manna impleta. Docebant igitur isti, quod « prius, saltem per *naturam*, sanctificata fuit anima B. Virginis quam carni unita ». Quodsi hoc *prius* intelligatur de ordine *temporis*, propositio est manifeste falsa et contra decretum Pianum. Nec etiam, si *prius* accipitur secundum ordinem *naturae*, conveniens est, ut bene observavit cl. Scheeben (Handb. der Kathol. Dogmatik, t. III. n. 1706.), et quidem iam ob hanc rationem, quia liberatio B. Virginis a peccato originali, explicata similiter, ac, si quis *sustentatur*, ne ruat in peccatum *actuale*, non *satis* exprimit debitum saltem *remotum* incurrendi peccatum originale, quo debito B. Virgo obstricta erat. — Scotus autem (hic q. 1. n. 15-18.) primus in hac re bene distinguit ordinem *naturae* et *temporis;* porro docet, quod anima B. Virginis in eodem quidem instanti *temporis* creata et corpori infusa et sanctificata fuit, tamen secundum ordinem *naturae* ipsa creatio animae praecedit infusionem eius in corpus, et haec gratiam vel culpam; unde ipsa B. Virgo *prius natura* fuit filia Adae quam iustificata. Ita Scot., cui consentit Suarez (in III. p. Summae t. II. disp. 3. sect. 4.). Quoad aliqua principia cfr. Bonav., II. Sent. d. 31. a. 2. q. 1. in corp. ad opin. 2.

II. Patet igitur, S. Bonaventuram affirmativam sententiam *sic explicatam* recte potuisse improbare, quin protinus debuisset adhaerere secundae sententiae, quae statuit, quod B. Virgo *post* infusionem animae (scilicet secundum ordinem *temporis*), *cito* tamen, sanctificata fuerit. Nihilominus ipse sententiam tunc communem in hac et seq. quaestione (cfr. etiam infra d. 13. a. 1. q. 3. ad 4.) manifeste praefert; nec in Breviloquio (p. III. c. 7.) diversimode loquitur, nec hucusque *constat*, quod hanc opinionem postea revera retractaverit, quidquid in contrarium a nonnullis scriptum sit. Verum quidem est, quod respectu festi conceptionis B. M. Virginis postea, melius informatus, dubitationem suam anteriorem (cfr. supra q. 1. ad 4.) deposuit, cum in Capitulo generali Pisis 1263 congregato illud in toto Ordine celebrandum esse statuerit. Sed illa aetate *obiectum* huius festi (omissa etiam voce *immaculata*) a doctoribus et ab ipso S. Bonav. potius trahebatur ad *sanctificationem posteriorem* quam ad *conceptionem* (vide supra q. 1. ad 4, et Henricum Gand., Quodl. 15. q. 13, diffuse de hoc disputantem). Hinc etiam S. Thom. (S. III. q. 27. a. 2. ad 3.) dicit: « Nec tamen per hoc quod festum conceptionis celebratur, datur intelligi, quod in sua conceptione fuerit sancta » etc. — Verum est etiam, S. Bonaventuram (IV. Sent. d. 30. q. 2. ad 1.) dicere, quod « Virgo sanctissima non erat sub Lege; nam quomodo sub Lege erat, quae Legis auctorem genuit »? Sed remanet valde dubium, utrum auctor principium hoc praeclarum, quod ad Legem Mosaicam applicat, etiam ad propositum casum, valde differentem applicaverit. — Alii loci in favorem piae sententiae ipsi attributi sumti sunt ex libris vel spuriis, v. g. ex *Speculo B. M. Virginis*, vel saltem dubiis. Nec ipse Sermo 2. de B. M. Virgine, cuius insigne testimonium vulgo citatur, est certo genuinus, immo iam curatores Vaticanae editionis ad marginem inter alia scripserunt: « Sermonem hunc B. Bonaventurae non esse, omnino fatendum est ». Sed de his scriptis suo loco, Deo dante, disquisitio instituetur.

III. Nihilominus S. Bonav. in hac et seq. quaestione ita de praerogativis et puritate B. Virginis loquitur, ut omnia principia, quibus hoc mysterium innititur, mire exaltet; immo dicendum, quod Scoto quasi viam aperuit luculenta sua expositione argumentorum, quae sunt in favorem verae sententiae. Haec argumenta Scotus recepit et in aliquibus corroboravit, adhibita etiam necessaria distinctione inter ordinem *temporis* et *naturae*, quem usum notae distinctionis procul dubio etiam S. Bonaventura approbasset, si in hac materia tunc adhibita fuisset. — In hoc etiam accedit proxime ad Scotum, quod veram sententiam, licet male explicatam, non dixerit esse *improbabilem*, sed potius contrariam insinuat. Ipse autem Scot., saltem in suis Commentariis ad Magistrum, veram sententiam tantum *conditionate* proclamat esse probabilem, cum (loc. cit. n. 10.) sic concludat: « Quid autem horum trium, quae ostensa sunt esse possibilia, factum sit, Deus novit. Si auctoritati Ecclesiae, vel auctoritati Scripturae non repugnet, *videtur probabile* quod excellentius est attribuere Mariae ». Ex hoc loco licet arguere, quod tempore, quo Scotus haec scripsit, vera sententia etiam in Ordine Minorum nondum publice praedicabatur. Sed postea Aureolum aliosque plurimos auctores Ordinis Minorum fortiter defendisse privilegium B. Mariae Virginis, est notissimum. — Quoad praecedentes vero auctores dicendum, quod sublato inani timore, in quo versabantur, scilicet « ne auctoritas Ecclesiae, vel auctoritas Scripturae repugnaret », atque explicato vero sensu huius mysterii, piam sententiam egregii hi doctores libentissime accepissent. Nam ipsa *principia*, quae quoad plenitudinem gratiae atque singularissimam puritatem B. Virginis profitebantur, intellectum quasi sponte ad piam sententiam attrahebant; insuper ferventissima eorum *devotio* erga Dei Genitricem quasi vim patiebatur, dum macula quaedam actualiter eidem

---

[1] Ita codd. F K M N O P Q U Z. Cod. S voci *magnitudinem* praemittit *abundantiam et*. Pro *magnitudinem* codd. A E G L R W X aa bb cc et edd. 1, 2 perperam exhibent *imaginem*, Vat. autem *nativitatem ex utero*.

[2] Luc. 1, 37. — Seq. testimonium sumtum et contractum est ex I. Cor. 1, 29. et I. Tim. 1, 17. — Pro *decuit* cod. Q *decrevit*.

imponebatur, atque horrebat fateri, diaboli servam aliquo momento fuisse Domini Matrem.

IV. Inter auctores, quos citare solemus, soli Dionys. Carth. et Biel (uterque est auctor saec. 15.) firmiter tenent veram sententiam. Dionys. autem monet (hic q. 1. in fine): « Quidquid in hac re sentiendum, non disputationibus contentiosis, sed determinatione Ecclesiae catholicae, cui obedire tenemur, est inquirendum. Quae in novissimo Concilio universali [scilicet Basileensi, a. 1439, cuius tamen decreto deest auctoritas Concilii generalis] finem, ut dixi, his dissensionibus imposuit, et dignissimam Dei Matrem in sua conceptione ab omni originali labe per praevenientem gratiam, a summo capite Christo ortum habentem, praeservatam, atque ideo festum de ea sub nomine *conceptionis*, et non sanctificationis esse celebrandum determinavit, sicut et hodie celebrat. Ita etiam Ordo noster Carthusianus observare videtur » etc.

Mirabili igitur et adoranda Dei omnia suaviter disponentis providentia factum est, ut almum hoc mysterium quasi quadam germinis evolutione sensim gradatimque in Ecclesia efflorescceret; ut prius per saecula quasi per ignem gravissimarum oppositionum probaretur et illustraretur; ut denique non tam disputationibus scholarum quam pio devotorum fidelium cultu usuque nec non magisterii ecclesiastici favore, semper evidentius manifestato, perfecta filiorum Ecclesiae concordia in celebranda hac B. Virginis praerogativa tempore praeordinato suaviter perficeretur. Quo divino consilio supposito, non est mirandum, quod anteactis saeculis, nondum discussa quadam caligine, etiam illuminatissimi et devotissimi cultores B. Virginis Mariae de hoc mysterio insufficienter locuti sint.

V. Sequens (3.) quaestio secundum praedicta intelligenda est. De ea tractant praeter laudatos in scholio ad 1. q.: Alex. Hal., S. III. q. 9. m. 2. a. 4. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3.; S. III. q. 27. a. 1. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Ægid. R., hic q. 1. a. 2.

QUAESTIO III.

Utrum beata Virgo sanctificata fuerit ante nativitatem.

Tertio quaeritur, utrum beata Virgo sanctificata fuerit ante nativitatem. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Bernardus ad Lugdunenses[1]: « Fuit procul dubio Mater Dei ante sancta quam nata ».

2. Item, Bernardus[2]: « Quod paucis mortalium constat esse collatum, fas certe non est credere tantae Virgini fuisse negatum »; sed Ioannes et Ieremias sanctificati fuerunt in utero, secundum quod habetur Ieremiae primo: *Antequam exires* etc.; et Lucae primo: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae:* ergo videtur multo fortius, quod Virgo Maria fuerit in utero sanctificata.

3. Item, Ecclesia celebrat et solemnizat Virginis nativitatem; sed statui in peccato solemnitas non debetur: ergo videtur, quod in hora nativitatis fuerit sanctificata[3].

4. Item, si aliqua persona de plenitudine gratiae Filii beatae Virginis[4] debuit participare, Mater eius maxime particeps debuit fieri: ergo sicut tunc maxime erat idonea, ut cum ipsa et in ipsa gratia augmentaretur, cum eam gestabat inter viscera; videtur, quod in ipso utero Spiritus sancti gratia fuisset repleta.

Sed contra: 1. Ad Romanos octavo[5]: *Ut sit ipse primogenitus;* Glossa: « Quia primus sine peccato natus et primus impassibilis resurgens »: ergo videtur, quod beata Virgo non fuerit nata sine peccato, cum nata fuerit ante quam Christus: ergo non fuit sanctificata ante quam nata. Ad oppositum.

2. Item, Augustinus ad Dardanum[6]: « Illa gratia, qua efficimur templum Dei singuli, non nisi renatorum est, quod non nisi nati homines esse possunt »: ergo cum per sanctificationem beata Virgo sit facta templum Dei, non fuit ante sancta quam nata.

3. Item, nulla proprietas perimitur, quamdiu habet continuitatem cum sua causa; sed anima contrahit originale a parentibus[7]: ergo quamdiu proles iuncta est matri, non videtur, quod ab originali peccato possit mundari: ergo nec sanctificari.

4. Item, *esse ordinatum* praesupponit *esse distinctum*[8]; sed gratia sanctificationis praesupponit

---

[1] Epist. 174. n. 5. — Complures codd. omittunt paulo ante *videtur*.

[2] Loc. cit., ubi textus originalis sic sonat: « Quod *itaque vel* paucis mortalium constat *fuisse* collatum, fas certe non est *suspicari* tantae Virgini *esse* negatum ». Pro *constat* edd. *in ortu congruit*, nonnulli codd. *conveniat*. — Seq. locus Scripturae est Ierem. 1, 5; alter Luc. 1, 15.

[3] Bernard., loc. cit. n. 3: Accepi sane ab Ecclesia, illum diem cum summa veneratione recolendum, quo assumta de saeculo nequam... sed et ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia et ab Ecclesia indubitanter habere festivum atque sanctum, firmissime cum Ecclesia sentiens, in utero eam accepisse, ut sancta prodiret.

[4] Ioan. 1, 16: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia. — Pro *gratiae Filii beatae Virginis* codd. K aa cum edd. 1, 2 *gratiae Christi*, cod, H *gratiae Dei*, codd. A F G L N T U V Z perperam *gratiae beatae Virginis*. Mox pro *ergo sicut* codd. K L Z bb *ergo si;* deinde pro *eam gestabat* [scil. plenitudinem gratiae] edd. *eum gestabat*.

[5] Vers. 29. — Glossa est *ordinaria* et habetur apud Strabum et Lyranum. — Pro *primus impassibilis* edd. cum pluribus codd. *primo impassibilis*.

[6] Epist. 187. (alias 57.) c. 10. n. 32: Illa sanctificatio, qua efficimur et singuli templa Dei et in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum, quod nisi nati homines esse non possunt. — Pro *singuli* Vat. *singulare* et subinde pro *quod* cum edd. 1, 2 *quia*. In fine arg. pro *sancta* Vat. *sanctificata*.

[7] Cfr. II. Sent. d. 31. a. 2. q. 1. seqq. et d. 33. a. 1. q. 1. — Paulo superius pro *continuitatem* codd. F G K N Z bb *continuationem*. Mox pro *iuncta* codd. A Z *unita*.

[8] Nam secundum August., XIX. de Civ. Dei, c. 13. n. 1, ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. — Pro *esse distinctum* in *minori* cod. aa et Vat. exhibent *esse ordinatum*. Satis manifestum est, quod concinnior lectio sit ex istis duabus in unam contracta: sed gratia sanctificationis praesupponit *esse* ordinatum et per consequens *esse* distinctum.

esse distinctum: ergo nulli potest conferri nisi habenti *esse* discretum: ergo quamdiu proles coniuncta est matri, non videtur posse sanctificari.

5. Item, *sanctificari in utero* est effectus cognitus soli Deo, ergo de nullo Sancto asserendum est esse sanctificatum in utero, nisi de eo, de quo expresse legitur in Scriptura tradita a Spiritu sancto; sed hoc non legitur de Virgine: ergo etc.

Quaestio incidens et obiectio.

6. Iuxta hoc quaeritur: quare potius exprimitur in Scriptura sanctificatio Ieremiae et Ioannis Baptistae quam alterius Sancti? — Et *si tu dicas,* quod illi fuerunt soli sanctificati; tunc est quaestio, unde hoc sit, cum multi fuerint Sancti tam in novo quam in veteri Testamento, et sanctitatis valde eminentis.

CONCLUSIO.

Beata Virgo fuit in utero et ante nativitatem sanctificata.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod pro indubitanti habet hoc Ecclesia, videlicet quod beata Virgo fuerit in utero sanctificata. Et illud patet ex hoc, quod eius nativitatem tota Ecclesia celebrat, quod non faceret, nisi sanctificata esset.

Corollarium.

Si autem quaeratur, qua die vel hora sanctificata fuerit, hoc ignoratur; probabiliter tamen creditur, quod cito post infusionem animae fuerit facta infusio gratiae. — Quidquid tamen sit de hora, pro certo [1] habendum est, quod ante nativitatem sanctificata fuerit. Licet enim hoc expresse non habeatur in Scriptura, haberi tamen potest ex his quae in Scriptura leguntur. In Scriptura namque non legitur, quia, cum Evangelia inchoentur [2] a Ioanne, qui fuit consummatio Prophetarum et initium Legis novae; et beata Virgo nata et concepta fuit ante Ioannem; ideo nihil habetur de eius nativitate, vel sanctificatione in Evangeliis. — Habetur tamen [3] in *novo,* sive in *veteri* Testamento, unde sanctificatio eius potest elici. In *novo* habetur de sanctificatione Ioannis, in *veteri* de sanctificatione Ieremiae; quorum uterque legitur in utero fuisse sanctificatus. Et ex hoc quasi *a minori* colligitur, hoc beatae Virgini fuisse concessum; quia, sicut dicit Bernardus, « quod aliis legitur fuisse collatum, non est credendum Virgini fuisse negatum », maxime cum sanctitas Virginis excedat Ieremiae et Ioannis puritatem et virginitatem [4]. In aliis fuit virginitas, in hac cum virginitate fecunditas. Et si illi sanctificati fuerunt in utero, quia ad Sanctum Sanctorum secundum expressionem prophetiae accesserunt magis, quanto magis illa in utero sanctificari debuit, quae Deum in utero portavit? Ioannes namque inter ceteros de Domino prophetavit, quia in matris utero ad adventum Domini exsultavit, et postmodum suo digito ostendit [5]. Ieremias etiam prius Ioanne expressius prophetavit, cum dixit: *Novum faciet Dominus super terram, mulier circumdabit virum,* trigesimo primo. In hoc namque quod dicit: *Novum faciet Dominus super terram,* datur intelligi, quod non ex virili semine; et quod ille quem circumdabit, non erat purus homo, quia neutrum esset *novum.* Et in hoc totum comprehendit, quod dicit Isaias [6]: *Ecce Virgo concipiet* etc. In hoc autem quod subiungit: *Et circumdabit virum,* dat intelligere, Christum ab instanti conceptionis fuisse perfectum gratia et sapientia. — Prophetavit nihilominus *facto;* quasi enim [7] omnia gesta sua signa fuerunt dominicae passionis. — Et propterea de his duobus legitur specialiter, quod fuerunt sanctificati; et per hos duos datur manifeste intelligi sanctificatio beatae Virginis.

Ad quaestionem incid.

Si quis autem velit dicere, quod *aliis* Sanctis convenit sanctificatio ex utero, ut Iob, qui dicit [8]: *Ab infantia crevit mecum miseratio et ex utero egressa est mecum,* et sicut volunt quidam dicere de Iacob et David; hoc nec certitudinem habet nec auctoritatem apertam, nisi quis velit Scripturae facere violentiam. Et ideo eadem facilitate contemnitur, qua probatur; et nec aliis videtur fuisse nisi virginibus haec gratia sanctificationis concessa. — Concedendum est igitur, Reginam Virginum ex utero fuisse sanctificatam. Et rationes, quae hoc ostendunt, concedendae sunt.

De aliis Sanctis.

Probatur sanctificatio.

De Ieremia et Ioanne.

---

[1] Codd. K P Q Z bb adnectunt *tamen.*

[2] Cod. A *Evangelista inchoetur.* Proxime post pro *qui fuit* codd. A G H L T V Z aa *quia fuit,* cod. U *pro eo quod fuerit.* Dein pro *initium* cod. X *inchoatio* et paulo inferius pro *concepta fuit* codd. F G L N U V aa bb *concepta fuerit.*

[3] Codd. K P Q bb subiiciunt *aliquid.* In cod. A legitur: *Habetur tam in novo quam in veteri* etc. Aliquantulum inferius ante *beatae Virgini* cod. G interserit *vere.*

[4] Cod. T *maxime cum Virgo Ieremiam et Ioannem in sanctitate excellat.* Paulo inferius post *accesserunt* edd. omittunt *magis,* et subinde pro *quanto magis* cod. A substituit *tanto magis.*

[5] Luc. 1, 41; Ioan. 1, 29. et 36. — Seq. Script. locus est Ierem. 31, 22, cuius expositio a Bonav. proposita convenit cum explanatione Hieronymi et cum verbis Bernardi in eius Homil. 2. super *Missus est,* n. 9. — Paulo superius ante *de Domino prophetavit* edd. interiiciunt *expressius* et mox pro *ad adventum* substituunt *de adventu.*

[6] Cap. 7, 14. — Paulo superius codd. A H et edd. 1, 2 *prius* pro *purus.*

[7] Pro *quasi enim* cod. K *quia.* Paulo inferius pro *et per hos duos* cod. T *ex quibus.*

[8] Cap. 31, 18. — De Iacob vide Gen. 25, 23; Malach. 1, 2, et Rom. 9, 13. De David loquitur Bernard., Epist. 174. n. 3: Videris, inquit, etiam tu, an de sancto David id ipsum liceat opinari, pro eo quod dicebat Deo: *In te,* ait, *confirmatus sum ex utero, de ventre matris meae tu es protector meus* (Ps. 70, 6.); item: *De ventre matris meae Deus meus es tu, ne discesseris a me* (Ps. 21, 11.). — Loco vocum *et David,* quae in codd. A E H L N W X aperte habetur, edd. exhibent *dicendum quod,* quae corruptio ex abbreviata voce *David* videtur esse orta; alii codd. praemittunt *et* ante *dicendum.* Paulo superius pro *sanctificatio ex utero* Vat. cum uno alteroque cod. *sanctificatio in utero,* quod et recurrit in fine corp. Cod. T omittit *nisi quis velit Scripturae facere violentiam* et etiam verba *et nec aliis... concessa.*

Solutio oppositorum. Duplex nativitas.

1. 2. Ad illud quod obiicitur in contrarium de Glossa et Augustino, dicendum, quod est nativitas duplex, scilicet nativitas *in utero*, et nativitas *ex utero*. Nativitas *in utero* est ex coniunctione animae cum carne; nativitas *ex utero* est ex egressu prolis de ventre [1]. Verbum igitur de Glossa et auctoritate Augustini intelligitur de nativitate *in utero*, non de nativitate *ex utero*. In illa enim nativitate in utero fit originalis contractio, et post illam potest esse sanctificatio. — Aliter. Posset tamen dici, quod illud verbum Augustini intelligitur de gratia regenerante secundum legem communem. Et hoc melius patet in libro quarto, distinctione sexta [2].

3. Ad illud quod obiicitur, quod non perimitur proprietas, quamdiu coniuncta est cum sua origine; dicendum, quod verum est de illa proprietate, quae habet conservari cum continua influentia cum sua causa [3]. Talis autem non habet esse in proposito; et ideo non habet hic locum.

4. Ad illud, quod *esse* ordinatum praesupponit *esse* distinctum; dicendum, quod verum est; sed ex hoc non sequitur, gratiam sanctificantem sequi nativitatem carnalem, pro eo quod ante nativitatem carnalem proles distinguitur et quantum ad animam et quantum ad corpus; licet illa distinctio ante nativitatem ex utero oculis corporeis [4] non propaletur.

5. 6. Ad illa duo ultima, quae obiiciebantur, iam patet responsio per ea quae dicta sunt [5].

ARTICULUS II.

De efficacia virtutis in hac sanctificatione.

Consequenter quaeritur quantum ad secundum [6] de virtutis efficacia. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, si per sanctificationis gratiam immunis fuerit ab omni culpa actuali.

Secundo quaeritur, utrum per primam sanctificationem exstincta fuerit fomitis concupiscentia.

Tertio quaeritur, utrum per secundam sanctificationem ablata fuerit peccandi potentia.

QUAESTIO I.

Utrum beata Virgo per sanctificationis gratiam immunis fuerit ab omni actuali peccato.

Circa primum sic proceditur et ostenditur, quod per sanctificationis gratiam munda fuerit ab omni actuali culpa. Et quod sic, probatur:

1. Primo per Augustinum de Natura et gratia [7]: Fundamenta. « De sancta Maria Virgine nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiae sit collatum ad vincendum ex omni parte peccatum, quod meruit parere quem constat nullum habuisse peccatum ». Si ergo vicit ex omni parte peccatum, videtur, quod immunis fuerit ab omni culpa.

2. Item, Bernardus ad Lugdunenses [8]: « Puto, quod copiosius munus gratiae in eam descenderit, quae eius non solum sanctificaret ortum, sed eam deinceps ab omni peccato custodiret immunem »: ergo videtur, quod nunquam peccavit actualiter.

3. Item, sanctificatio Virginis merito eminentior fuit quam sanctificatio beati Ioannis; sed de beato Ioanne Baptista legitur [9]:

> Ne levi saltem maculare vitam
> Famine posset.

Si igitur beatus Ioannes vitavit venialia, videtur, quod beata virgo Maria omnia vitaverit peccata per gratiam sibi datam.

4. Item, de nulla anima potest dici: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te* [10], congruentius quam de Virgine Maria; ubi autem est macula vel culpa actualis, vel venialis vel mortalis, de eo non potest recte dici: ergo videtur, quod in Virgine Maria nulla fuerit culpa per gratiam sibi datam.

---

[1] Cfr. August., Epist. 187. (alias 57.) c. 10. n. 33. — Edd. *est egressus prolis de ventre.*

[2] Part. II. a. 1. q. 1.

[3] Exemplum affert August., VIII. de Gen. ad lit. c. 12. n. 26: Sicut aër praesente lumine non factus est lucidus, sed fit; quia, si factus esset, non autem fieret, etiam absente lumine lucidus maneret. — Cod. K *in sua causa.* Paulo superius pro *cum sua origine* cod. Z *cum sua causa.* Paulo inferius pro *habet esse* Vat. *potest esse.*

[4] Cod. T omittit *corporeis*, pro quo cod. K *corporis*, codd. W X *carnis.*

[5] Cod. T *Ad duo ultima patet responsio ex iam dictis.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Cod. H adiicit *articulum.* Paulo inferius pro *immunis* codd. L aa *munda.*

[7] Cap. 36. n. 42. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. In verbis ex August. citt. pro *Inde enim* editio origin. exhibet *Unde hoc* (interrogando), cod. A *In hoc.* Deinde pro *quod meruit parere* cod. K *quae parere meruit*, textus origin. *quae concipere ac parere meruit*, cod. F *quod prolem meruit parere.*

[8] Epist. 174. n. 5: Ego puto, quod et *copiosior sanctificationis benedictio* in eam descenderit, quae *ipsius* non solum... sed *et vitam* ab omni deinceps peccato custodiret immunem.

[9] In hymno ad Matutinum festi S. Ioan., in quo hymno recentiora Breviaria pro *Famine posset* [Vat. *posses*] habent *Crimine linguae.* Hymnus iste attribuitur Paulo Diacono. In originali legitur *posses* pro *posset.* — Cfr. de hoc arg. Bernard., Serm. 2. in assumt. B. M. V. n. 8.

[10] Cant. 4, 7.

Sed contra: 1. Super illud Lucae primo [1]: *Spiritus sanctus superveniet in te;* Glossa: « Superveniens Spiritus sanctus in Virginem, eam ab omni sorde vitiorum castificavit »; sed hoc fuit in conceptione Filii: ergo non erat immunis ab omni culpa. Ad oppositum.

2. Item, Augustinus in libro de Perfectione iustitiae hominis [2]: « Esse sine peccato in hac vita de solo Unigenito dictum est »: ergo non videtur, quod hoc conveniat beatae Virgini.

3. Item, Magister in littera [3]: « Mariam totam Spiritus sanctus praeveniens a peccato prorsus purgavit », et hoc intelligitur pro tempore conceptionis Filii Dei; sed nullus purgatur a peccato, nisi qui habet peccatum: ergo etc.

4. Item, beata Virgo bona conscientia dicere poterat: *Dimitte nobis debita nostra* [4] etc., cum sit communis forma orandi, omnibus Sanctis collata: ergo non fuit sine culpa, ergo etc.

CONCLUSIO.

Beata Virgo per sanctificationis gratiam copiosam immunis fuit ab omni culpa actuali, tam mortali quam veniali.

Respondeo: Dicendum, quod beata Virgo Maria per sanctificationis gratiam copiosam immunis fuit ab omni culpa actuali, tam mortali quam veniali, sicut aperte dicit auctoritas Augustini. — Et hoc congruebat *advocatam* [5] generis humani, ut nullum haberet peccatum, quod eius conscientiam remorderet. Unde audivi narrari, quod ipsa cuidam personae revelavit, quod non reprehendebat eam cor suum in omni vita sua. — Congruum etiam erat, ut beata Virgo Maria, per quam *aufertur nobis opprobrium*, vinceret diabolum, ut nec ei succumberet ad modicum. Unde de ipsa exponit tam Bernardus quam Augustinus illud Genesis tertio [6]: *Ipsa conteret caput tuum.* Si igitur *suggestio* est caput diaboli, nulla suggestio ingressum habuit in mentem Virginis, et ita tam a mortali immunis fuit quam a veniali. — Congruum etiam fuit, ut illa, quae *placuit Altissimo* adeo, ut fieret eius sponsa et mater Filii Dei unigeniti, sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne. Conclusio. Ratio 1. Ratio 2. Ratio 3.

Quoniam igitur beata virgo Maria advocata est peccatorum, gloria et corona iustorum, sponsa Dei et totius Trinitatis triclinium et specialissimum Filii reclinatorium [7]; hinc est, quod speciali gratia Dei nullum in ea peccatum habuit locum. — Unde concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt. Epilogus.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod Virgo Maria castificata fuit ab omni sorde vitiorum; dicendum, quod differt dicere *peccatum* et *vitium*. Nam *peccatum* dicit culpam, *vitium* dicit culpae sequelam. Glossa igitur illa non vult dicere, quod in secunda sanctificatione indiguerit gratia ad *culpam* delendam, sed ad *culpae sequelam* ex originali relictam [8]. Solutio oppositorum. Differt peccatum et vitium.

2. Ad illud quod obiicitur de Augustino, quod esse sine peccato in hac vita pertinet ad solum Unigenitum; dicendum, quod dupliciter est loqui de hac vita: aut secundum *omne tempus* et statum, aut *post usum liberi arbitrii*. Si secundum *tempus omne;* hoc convenit soli Filio Dei, quia iste solus caruit originali peccato. Si *post usum liberi arbitrii;* sic convenit gloriosae Virgini gratia speciali, per quam immunis fuit non solum a mortali, verum etiam a veniali [9]. Distinctio.

3. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Magistri, quod Spiritus sanctus Virginem purgavit; dicendum, quod *peccatum* dicitur tripliciter: aliquando dicitur *culpa*, sicut communiter consuevit accipi; aliquando *poena* peccati, sicut ad Romanos octavo [10]: *De peccato damnavit peccatum;* aliquando dicitur *causa* peccati, sicut ad Romanos septimo: *Si autem, quod* Peccatum dicitor tripliciter.

---

[1] Vers. 35. — Glossa est *ordinaria* et habetur apud Lyranum. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[2] Cap. 11. n. 24. — Edd. perperam: *de Perfectione iustitiae: Hominem esse sine* etc.

[3] Hic c. 1. — Loco *pro tempore conceptionis* cod. T *post conceptionem*.

[4] Matth. 6, 12. — In fine arg. pro *sine culpa* Vat. *immunis ab omni culpa*.

[5] Corrige *advocatae*, quod autem in codd. et edd. non reperitur. Aliquanto inferius pro *reprehendebat* codd. K Z *reprehenderat*.

[6] Vers. 15, et antea respicitur Ps. 118, 22. — Quoad Bernardum cfr. Homil. 2. super *Missus est*, n. 4. August. haec Scripturae verba proprie refert ad *Ecclesiam*, cuius typus secundum Ss. Patres et ipsum Augustinum est Maria, unde ab eisdem saepe idem locus Scripturae ad utramque applicatur. De Ecclesia et fidelibus dicit August., Enarrat. in Ps. 103. serm. 4. n. 6: Quid ergo dictum est Ecclesiae? Iam modo audite, intelligite, cavete! Ipsa tuum observabit caput, et tu eius calcaneum. O Ecclesia, caput serpentis observa! Quod est caput serpentis? Prima peccati suggestio... Hoc quod venit in mentem, caput serpentis est; caput calca et evades ceteros motus etc. Cfr. etiam Enarrat. in Ps. 35. n. 18; in Ps. 48. serm. 1. n. 6; II. de Gen. contra Manich. c. 18. n. 28. Idem s. Doctor in Enarrat. in Ps. 142. n. 3. et Serm. ult. (alias 4.) de Symb., ad Cathec. c. 1. n. 1, et ad Mariam et ad Ecclesiam refert illud Apoc. 12, 1. seqq.: Signum magnum apparuit in caelo, Mulier amicta sole etc., quem locum cod. Y respicere videtur, cum pro *Ipsa conteret caput tuum* exhibeat *Ipsa conteret capita draconis*. Etiam Isidor., Quaestiones super Gen. c. 5. memorata verba Genesis applicat tum ad Ecclesiam, tum ad B. Mariam Virg.

[7] Cfr. Tract. de concept. B. M. V. (inter opera Anselmi).

[8] Cfr. quaest. seq. — Alex. Hal., S. p. III. q. 9. m. 3. a. 2. § 1. praeter hanc solutionem aliam quoque proponit; docet enim, verbum Glossae *castificavit* idem significare ac *castam ostendit*. Et S. Thom., qui hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2. ad 2. de iisdem verbis Glossae agit, tertiam adhuc solutionem adiungit dicens: Vel dicendum, quod castificatio a sordibus vitiorum non intelligitur remotio existentium, sed impedimentum futurarum sordium. — Codd. K Z bb *ex originali peccato relictam*.

[9] Edd. 1, 2 cum codd. G L S V aa bb cc dd *actuali;* perperam. In cod. T desunt verba *per quam... veniali*.

[10] Vers. 3. — Seq. testimonium ibid. 7, 20. — Paulo superius post *aliquando dicitur culpa* cod. K addit *ut Iacobi ultimo* (5, 16.): *Confitemini alterutrum peccata vestra et orate pro invicem*.

nolo, malum facio, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Dico ergo, quod Virgo Maria post secundam sanctificationem non dicitur *munda* a *peccato* ratione alicuius *maculae*, sed solum ratione alicuius *poenae*, sicut melius infra [1] manifestabitur.

4. Ad illud quod obiicitur de petitione illa: Dimitte nobis etc.; dicendum, quod in petitione ista Virgo Maria poterat petere remissionem debiti, quod debebat, non ratione sui, sed ratione aliorum membrorum Christi, quibus poterat petere, ut debita dimitterentur, et bona conscientia illam orationem formare; unde non pro se, quia, sicut dicit Augustinus [2], illa non continetur sub illa generalitate, qua dicitur: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Unde Augustinus vult, quod ad alios Sanctos pertineat illa oratio pro se, ad beatam Virginem non pro se; et ideo non comprehenditur sub generalitate praedicta.

SCHOLION.

I. Conclusio communis Scholasticorum a Concilio Trident. (Sess. VI. can. 23.) irrefragabiliter confirmata est his verbis: « Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse... aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex *speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia*, a. s. ». — In solut. ad 3. ambigua quaedam verba Magistri (hic c. 2.) explicantur, adhibita notabili distinctione triplicis sensus vocabuli *peccatum*. — Maiorem confirmationem et extensionem conclusionis exhibet infra q. 3. — De quibusdam verbis nonnullorum antiquorum Patrum, praesertim Graecorum, quae conclusioni non favent, vide hic q. 3. ad 2, et S. Thom., S. III. q. 27. a. 4. nec non recentiores theologos.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 9. m. 2. a. 5, m. 3. a. 1. 2. — Scot., in utroque Scripto hic q. 1. tangit quaestionem. — S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2; S. loc. cit. — B. Albert., hic a. 6. seqq. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. — Ægid. R., hic q. 1. a. 3. et dub. lat. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, hic q. 1. in fine.

QUAESTIO II.

Utrum in prima sanctificatione in Virgine fuerit exstincta fomitis concupiscentia.

Secundo quaeritur, utrum in prima sanctificatione in Virgine fuerit fomitis concupiscentia exstincta. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Lucae primo [3] dicitur ab Angelo ei: *Ave Maria, gratia plena;* igitur ante adventum Filii Dei fuit repleta gratia et plena amore divino; sed ubi est aliquo modo concupiscentia, ibi non potest esse gratia Dei plena: videtur igitur, quod in prima Virginis sanctificatione fomitis concupiscentia omnino fuerit exstincta.

2. Item, ubicumque est fomes, est necessitas ad aliquod peccatum veniale [4]: ergo cum in ea nulla fuerit peccandi necessitas, quia in ea nulla culpa; ergo videtur, quod fomitis concupiscentia omnino fuerit in ea exstincta.

3. Item, fomes reddit illum difficilem ad bonum, in quo est; sed in beata Virgine nulla fuit difficultas ad bonum: ergo videtur, quod post primam sanctificationem non remanserit in ea concupiscentiae vitium.

4. Item, si *tanta* gratia fomitem minuit, et maior gratia magis minuit, et perfecta simpliciter [5] exstinguit; sed gloriosae Virgini in ipsa sua sanctificatione primo collata fuit gratia perfecta: ergo omnino fuit in ea exstincta concupiscentia.

Fundamenta. Sed contra: 1. Damascenus dicit, et habetur in littera [6]: « Post consensum Virginis praevenit Spiritus sanctus in ipsam secundum verbum, quod dixerat Angelus ad eam, purgans eam »; sed non purgavit a culpa: ergo purgavit ab originalis sequela; haec autem est fomitis concupiscentia: ergo etc.

2. Item, Magister in littera [7]: « Mariam quoque totam Spiritus sanctus praeveniens purgavit et a fomite peccati liberavit, vel fomitem ipsum penitus exstinguendo, vel extenuando »; hoc dicit de sanctificatione secunda: ergo ante ipsam non fuit fomes exstinctus.

3. Item, Bernardus in quadam homilia [8]: « In proposito Virginis erat omnium hominum frequen-

---

[1] Quaest. seqq. — Paulo ante pro *munda* codd. U Z *mundata*.

[2] De Natura et gratia, c. 36. n. 42. Verba habentur hic in lit. Magistri, c. 2. — Locus Scripturae est I. Ioan. 1, 8. — Paulo superius edd. omittunt *unde*.

[3] Vers. 28. — *Fomes* (concupiscentia) definitur a Magistro quidam morbidus affectus, qui commovet ad desiderium illicitum (cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXX. c. 8. et d. XXXI. c. 3.). — In fine arg. post *fuerit* cod. Q addit *in ea*.

[4] Vide II. Sent. lit. Magistri d. XXI. c. 6. et Comment. a. 2. q. 3. nec non dub. 4. — Paulo superius ante *est necessitas* codd. N U interiiciunt *ibi*.

[5] Edd. *totaliter*, complures codd. *similiter*. Paulo inferius pro *primo* edd. cum cod. bb *prima*.

[6] Hic c. 1. — Post *habetur* codd. G K L Q V Z aa subnectunt *etiam*.

[7] Hic c. 1.

[8] Homil. 3. super *Missus est*, n. 1, ubi textus originalis: In proposito Virginis erat hominum *fugere frequentias, vitare colloquia*, ne... *continentis* castitas tentaretur. — Pro *omnium*, quod deest in text. origin. et in cod. bb, codd. G H K L T V Z aa *omnem*. Paulo inferius verbo *concupiscentia* edd. praefigunt *fomitis*. In lectione codd., quam recepimus, supple in fine arg. *fomes*.

tiam fugere, ne perturbaretur oranti silentium, aut virginalis castitas tentaretur»: ergo videtur, quod occasione accepta ab extrinseco, excitari poterat in ea concupiscentia prava: ergo non fuit omnino exstinctus.

4. Item, si omnino fuisset in ea exstinctus fomes concupiscentiae, igitur secunda sanctificatio non fuisset opportuna: si igitur opportuna fuit, videtur, quod aliquid remanserit in ea fomitis concupiscentiae.

CONCLUSIO.

In prima sanctificatione beatae Virginis fomes fuit consopitus, in secunda vero exstinctus.

Respondeo: Dicendum, quod circa hanc quaestionem est triplex modus dicendi.

Opinio 1. Quidam enim dicere voluerunt, quod nec in prima nec in secunda sanctificatione *exstinctus* erat in ea fomes concupiscentiae, sed solum *consopitus* secundum plus et minus: quia fomes causam habet in carne; unde non directam habet oppositionem ad gratiam secundum essentiam, sed secundum inclinationem: ideo si gratia magna est, fomes minus inclinat, quamvis per gratiam illam non deleatur eius essentia [1]. Quoniam igitur in Virgine magna fuit gratia in *prima* sanctificatione et valde magna in *secunda;* hinc est, quod in *prima* fuit consopitus, et in *secunda* magis consopitus, quamvis non omnino fuerit exstinctus vel evacuatus. — Sed [2] quoniam caro Christi sumta est de carne Virginis, in Christo etiam nulla fuit concupiscentia fomitis; cum caro Christi debeat carni Virginis assimilari post Virginis sanctificationem, sicut caro aliorum assimilatur carni aliorum parentum; videtur, quod Spiritus sanctus secundo super eam adveniens prorsus exstinxerit fomitem. Et ita praedicta opinio non videtur habere probabilitatem.

Improbatur.

Opinio 2. Secundus modus dicendi est, quod tam in *prima* quam in *secunda* sanctificatione fuerit in ea *exstinctus* fomes, sed aliter et aliter. In *prima* namque exstinctus fuit, in quantum respicit *personam;* in *secunda*, in quantum respicit *naturam*. In *prima* igitur sanctificatione mundata fuit [3], ut nunquam peccaret; in *secunda* vero mundata fuit, ut germen piae prolis emitteret sine peccato, non solum actuali [4], sed etiam veniali. In *prima* etiam sanctificatione exstinctus fuit fomes, in quantum reddit *pronum ad malum;* in *secunda*, in quantum *difficilem ad bonum*. — Sed illud difficile est intelligere, quia hoc ipso, quod *proni* sumus ad malum, *difficiles* sumus ad bonum. Quomodo igitur exstingui potest quantum ad pronitatem ad malum, ipso remanente quantum ad difficultatem ad bonum? — *Rursus*, qualiter potest intelligi, quod fomes possit exstingui, in quantum respicit *personam;* et non sit exstinctus, in quantum respicit *naturam*, cum ibi sit unus fomes, sic [5] diversimode comparatus, et exstinctio dicat ipsius fomitis eradicationem? Non videtur usquequaque intelligibile, quomodo fomes exstinguatur in prima sanctificatione, et tamen nihilominus remaneat respectu prolis propagandae. Si enim exstinguitur, ergo non manet aliquo modo, nisi forte quis accipiat *exstinctionem* largo modo pro ablatione inclinationis ad malum respectu personae, in qua est. Et ita fortassis intelligitur praedicta positio, quam satis probabilem et rationabilem credo.

Non probatur.

Alia ratio.

Notandum.

Tertius autem est modus dicendi, videlicet quod in *prima* sanctificatione fuit fomes in Virgine *consopitus;* in *secunda exstinctus* et eradicatus. Fomes enim radicatur in *carne* et ascendit usque ad *mentem*. In *prima* sanctificatione Virginis [6] collata est tanta gratia perfectionis, quod redundaret in eius sensualitatem in tanta redundantia, ut fomitem adeo reprimeret, quod nullum *effectum* ad incitandum aliquando haberet. In *secunda* autem sanctificatione — in qua Spiritus sanctus non tantum descendit in *mentem*, sed etiam in *carnem*, et de carne operatus est, de ea mirabiliter carnem sine macula fabricando — reliquit ipsius carnem immaculatam, exstirpando ex ea et fomitem et omnem concupiscentiam. Et hoc sonant verba Bernardi, Magistri et Damasceni, sicut patet in auctoritatibus in opponendo [7] habitis. — Unde rationes probantes, quod in prima sanctificatione non fuit fomes omnino exstinctus, concedendae sunt.

Opinio 3. et conclusio.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur, quod Virgo Maria fuit gratia plena in prima sanctificatione; dicendum, quod aliter fuit *plena* in *prima* sanctificatione, aliter in *secunda*. In *prima* fuit plena, secundum quod expediebat ad *meritum;* in *secunda*, secundum quod expediebat ad *concipiendum Filium Dei*. Et ideo *prima* sanctificatio respiciebat Virginem secundum animam; secunda autem respiciebat Virginem totam, secundum quod dicit Magister: «Mariam totam Spiritus sanctus praeveniens» etc.

Notanda distinctio.

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 32. a. 1. q. 1. seq. et dub. 2. — Subinde post *in Virgine* codd. A E adiiciunt *Mariae*, et dein post *in prima fuit* cod. X supplet *fomes hic*.

[2] Cod. K addit *contra illud videtur*, et cod. Z *illud non videtur*. Mox pro *in Christo etiam* codd. G K Z aa bb *et in Christo*. Deinde pro *cum caro*, codd. K Z *ergo cum caro*, cod. N *et caro*.

[3] Cod. U subiungit *persona*, cod. Y perperam adiicit *natura*. Mox pro *mundata* edd. *sanctificata*. — Verba deinde *ut germen* etc. sumta videntur ex August., l. de Peccat. merit. et remiss. etc. c. 29. n. 57, ubi legitur: Sola nostro vulneri medicinam parere potuit, quae non ex peccati vulnere germen piae prolis emisit. Cfr. ibid. II. c. 24. n. 38.

[4] Ita codd. et edd. Intellige: *mortale*.

[5] In codd. G (K a secunda manu) N X Z bb deest *sic*. Aliquanto inferius pro *propagandae* cod. S *propagatae*.

[6] Edd. *Virgini* et mox cum pluribus codd. *sensualitate* pro *sensualitatem*. Dein pro *ad incitandum* codd. T U *ad incitamentum*, codd. K (Z a prima manu) bb *vel incitamentum*.

[7] id est in fundamentis.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod fomes impellit ad necessitatem ad peccandum venialiter, et ad difficultatem ad bonum; dicendum, quod illud verum est, ubi est fomes in vigore suo, ubi [1] non reprimitur a gratia movente ad contrarium; et ideo non habet locum in Virgine, ubi fuit gratia perfecta, tranquillans eius animam et potentias. Et sic patet responsio ad illa duo.

4. Ad illud quod obiicitur de perfectione gratiae, dicendum, quod gratia, quae directe respicit animam, minuit fomitem quantum ad *inclinationem,* Notandum. sed non oportet, ut minuat quantum ad *radicem;* et ideo non sequitur, quod per [2] perfectionem illius gratiae fomitis concupiscentia evellatur, sed solum ut eius inclinatio consopiatur. Et hoc quidem concedendum est tanquam verum.

SCHOLION.

I. Quid sit *fomes,* explicatur a S. Bonav., II. Sent. d. 30. a. 2. q. 1. in fine corp. et dub. unic., d. 32. dub. 2, d. 39. a. 2. q. 2. ad 4. — Supponitur hic antiqua et communis distinctio inter *primam* sanctificationem B. Virginis, quae secundum omnes antiquos facta est saltem ante nativitatem ex utero, et *secundam,* quae fuit in ipsa Verbi incarnatione. Antequam doctrina, quae defendit immaculatam Virginis conceptionem, invaluit, *secundae* sanctificationi aliqui speciales effectus communiter attribuebantur, ita ut inter utramque formalis quaedam differentia statueretur; nunc autem communius docetur, easdem non nisi secundum *gradus* efficaciae inter se differre.

II. Prima opinio a S. Bonav. aliisque communiter reprobatur. Secunda opinio est Alexandri Hal., quae pariter posterioribus magistris non placuit. Tribus autem opinionibus hic relatis iam B. Albert. et S. Thom. adiunxerunt quartam, quae scil. sustinet, « quod in sanctificatione B. Virginis, qua fuit sanctificata in utero, *totaliter* fuit ei fomes subtractus » (ita S. Thom. in Sum. III. q. 27. a. 3.). Haec autem quarta sententia, quae est nunc communis, ex dogmate immaculatae Conceptionis sponte fluit, cum B. Virgini non denegari possint illi effectus iustitiae originalis, qui respiciunt subiectionem, qua in protoparentibus sensualitas rationi, ratio Deo obsequebatur (cfr. Scot., II. Sent. d. 29. q. unica n. 4; d. 32. n. 4. seqq.). — Tertia opinio, quam sequuntur S. Bonav., S. Thom., B. Albert., Petr. a Tar., Richard. a Med., Ægid. R., Durand. aliique, non primae, sed secundae sanctificationi exstinctionem fomitis attribuit, ita ut ille in prima secundum eosdem tantum fuerit *ligatus* (consopitus), quin tamen unquam processerit in actum. Hanc autem *ligationem* quidam sic explicant, ut parum a quarta opinione recedant. — Respectu specialis cuiusdam obiectionis cfr. hic dub. 1.

III. Alex. Hal., S. p. III. q. 9. m. 2. a. 5. — S. Thom., hic q. 1. a. 2; S. III. q. 27. a. 3; Compend. theol. c. 224. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., de hac et seq. q. hic a. 1. q. 4. — Ægid. R., de hac et seq. q. hic q. 1. a. 4. — Durand., hic q. 3.

IV. In seq. (3.) quaestione id quod supra in 1. quaest. de sanctificatione illa dictum est respectu *actus,* completur respectu *habitus* peccandi, qui per *confirmationem in gratia* a B. Virgine penitus removetur, saltem post secundam sanctificationem, ut volunt qui in prima sanctificatione fomitem tantum *ligatum* esse putant. Omnes autem in duobus conveniunt: tum quod B. Virgo, cum remanserit viatrix, non eodem modo fuerit confirmata in gratia, quo confirmantur Sancti, scil. per visionem beatificam, tum quod ipsa *eminentissimum* prae omnibus aliis in gratia confirmatis donum confirmationis habuerit, ita ut in sensu composito exclusa sit potentia peccandi (cfr. S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 3. ad 2.). Tantum Durand. nimis restringit hanc confirmationem, ut sit non ex *dono inhaerenti,* sed ex *adiutorio ei assistenti.*

V. Alex. Hal., loc. cit. m. 3. a. 2. § 2. — S. Thom., hic q. cit.; S. loc. cit. a. 4. — B. Albert., hic a. 7. 9. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 3. — Durand., hic q. 4.

QUAESTIO III.

Utrum in secunda sanctificatione a beata Virgine ablata fuerit peccandi potentia.

Tertio quaeritur, utrum in secunda sanctificatione ablata fuerit ab ea peccandi potentia. Et quod sic, videtur:

1. Primo per Ambrosium in libro de Virginitate Fundamenta. beatae Virginis [3]: « Impossibile fuit, uterum Virginis, quem Filius Dei inhabitando consecravit, alienae copulae coitu incestari »; sed similis ratio fuit de aliis generibus peccatorum: ergo videtur, quod nullo alio peccati genere potuerit maculari post conceptionem Filii Dei.

2. Item, vituperium esset Christo, si haberet matrem peccatricem [4]: si ergo Christo in nullo potest fieri contumelia, videtur, quod post ipsius conceptionem in beata Virgine non potuerit esse culpa.

3. Item, si beata Virgo potuerit peccare, potuit in peccato perseverare, ergo potuit damnari: si ergo Matrem Dei et Reginam caelorum damnari in inferno omnino est impossibile: ergo et illud, ex quo sequitur, scilicet hoc quod ponitur, ipsam posse peccare: ergo [5] etc.

4. Item, dignior fuit Mater Christi ex hoc, quod Mater Dei effecta est, quam sit aliquis Angelus in caelo: si ergo Angeli boni in gratia sunt confirmati [6], multo magis et Mater Dei: ergo etc.

---

[1] Cod. A *et ubi,* Vat. *ubi scilicet.* Supra ante *difficultatem* codd. omittunt *ad.* Paulo inferius pro *et ideo* cod. T, omissis verbis *ubi non... ad contrarium,* substituit *quod,* et pro *non habet* edd. exhibent *non habuit.* Subinde post *perfecta* cod. G inserit *et.*

[2] Cod. K *propter.*

[3] Sive de Institutione Virginis, c. 6 n. 44: An vero Dominus Iesus eam sibi matrem eligeret, quae virili semine aulam posset incestare caelestem, quasi eam cui impossibile esset virginalis pudoris servare custodiam?

[4] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[5] Pro *Si ergo Matrem Dei... posse peccare, ergo* etc. cod. T brevius *si ergo est inconveniens hoc: ergo* etc.

[6] Cod. Z *in gloria sunt gratia confirmati.*

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Lucae secundo[1]: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius;* hoc verbum tractans Damascenus dicit: «Dolores, quos Virgo effugit pariens, hos in Christi passione sustinuit, ita quod gladius animam eius pertransivit»: ergo ipsius anima fuit in Christi passione turbata, et ita perturbata: si ergo potuit perturbari, videtur, quod potuit ad veniale pertrahi.

2. Item, Augustinus in Quaestionibus novi et veteris Testamenti[2] tractans illud: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, ait sic: «Hoc utique significavit, quod Maria, per quam gestum est mysterium incarnationis, dubitaret, non tamen in dubitatione permaneret»: si ergo, postquam genuit Filium Dei, potuit dubitare in fide, potuit peccare.

3. Item, potentia moriendi consequitur potentiam peccandi[3]; sed beata Virgo Maria post conceptionem mori potuit: ergo videtur, quod peccare potuerit.

4. Item, impossibilitas[4] peccandi spectat ad statum comprehensoris; sed beata Virgo ex hoc, quod Filium Dei genuit, non est posita extra statum viatoris: ergo videtur, quod non sit ei ablata potentia peccandi.

CONCLUSIO.

Beata Virgo post Filii Dei conceptionem peccare non potuit, non propter alicuius potentiae amissionem, sed propter potentiae in bono confirmationem et defectus ablationem.

Conclusio 1.

Respondeo: Dicendum, quod in secunda sanctificatione non tantum fuit data Virgini gratia sanctificans, sed etiam gratia in bono confirmans; et hoc, quia Filio suo adeo fuit coniuncta, ut nullo modo permitteret, eam a se ipso sequestrari.

Propter quod notandi sunt gradus divinorum beneficiorum. Christus enim, qui fuit Sanctus Sanctorum, *facultatem* habuit vitandi omne peccatum et *impossibilitatem* committendi aliquod peccatum[5]. Alii vero filii hominum *difficultatem* habent ad vitandum peccatum et *necessitatem* ad committendum; et hoc quidem competit omnibus generatis de massa peccati. Ab hac igitur massa liberata fuit Virgo Maria in *prima* sanctificatione, liberata etiam fuit in *secunda;* sed in *prima* fuit conformis aliis sanctificatis; in *secunda* facta est conformis Filio, quem genuit. — In prima namque sanctificatione data est ei *potestas et facultas* vitandi omne peccatum mortale; data est etiam *facultas* vitandi frequentiam venialium; data est etiam nihilominus *facultas* vitandi omne peccatum, non tantum particulariter, sed etiam universaliter. — Et in his tribus gradibus patent tres gradus sanctificationum, videlicet Ioannis Baptistae, Ieremiae et Mariae. Nam prima conditio fuit Ieremiae; secunda vero Ioannis; sed ista triplex[6] Virginis Mariae, quae plus ad Filii accessit puritatem per vitae meritum.

Gradus 3 beneficiorum.

De 1. sanctificatione Virginis.

Gradus 3 sanctificationum.

Sed cum Sanctum Sanctorum gestavit in utero suo, tunc sanctificata fuit conformiter Filio suo, non tantum quantum ad *potentiam* ad peccatum[7], sed etiam quantum ad *impossibilitatem* labendi in aliquod peccatum. Unde sicut impossibile fuit propter honorem Filii sui, ut alium haberet filium; sic impossibile fuit, ut unquam ulterius haberet peccatum. Sicut etiam impossibile fuit, ut carnis virginitas violaretur, in qua Filius Dei habitaverat; sic impossibile fuit, ut mentis sanctitas aliqua culpa macularetur. — Ad cuius testimonium valet quod quidam Iudaei asserunt, hoc mirum fuisse in Virgine Maria, quod cum esset pulcherrima, tamen a nullo unquam viro fuerit concupita. Nec vilipendendum est illud infidelium testimonium; *oportet enim testimonium habere ab his qui foris sunt*[8].

De 2. sanctificatione ipsius.

Conclusio 2.

Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod beata Virgo Maria post Filii Dei conceptionem peccare non potuit, non propter alicuius potentiae

---

[1] Vers. 35. — Dictum Damasceni, quod habetur in eius IV. de Fide orthod. c. 14., et simile est sententiae a Cyrillo Alex., XII, c. 19. in Ioan. 1. 25. prolatae, sic ibi sonat: Dolores... sustinuit, materno affectu lacerari sibi viscera sentiens, intimisque cogitationibus veluti gladio discerpta, cum illum quem gignendo Deum esse cognoverat, tanquam sceleratum aliquem morte afflici cerneret. Sic porro intelligendum illud est: *Et tuam ipsius animam* etc. (ed. Migne). Cfr. supra pag. 66, nota 6. — Deinde pro *ergo ipsius anima* codd. F G K M N O Y Z bb *ergo tota ipsius anima*, et mox cod. Z omittit verba *et ita perturbata*. In cod. T deest conclusio *ergo ipsius* usque ad *perturbata* inclusive.

[2] Quaest. 73: Hoc utique significavit, *quia etiam* Maria... incarnationis *Salvatoris, in morte Domini* dubitaret, *ita tamen ut resurrectionis honore et virtute Domini firmaretur. Omnes enim stupore quodam in morte Domini dubitarunt;* non tamen in dubitatione *permanserunt.* — Post *pertransibit gladius* edd. cum non paucis codd. repetunt *animam*, et Vat. insuper pro *Hoc* substituit *Hic;* nostra lectio est codd. K N T U Z bb. Post *Maria* cod. F subiicit *in anima.*

[3] Cfr. August., XIII. de Civ. Dei, c. 2. seqq.

[4] Edd. *impotentia.*

[5] Plura de hoc vide infra d. 12. a. 2. q. 1. seq. De seq. propos. cfr. II. Sent. d. 41. a. 2. q. 1, ubi demonstratur, hominem absque speciali gratia peccata venalia vitare non posse universaliter et coniunctim, licet ea praecavere possit in particulari et divisim.

[6] Vat. *tertia.* Subinde pro *Virginis* codd. A F G H L N U V X aa *Virgini.* Cod. T, omissis verbis *quae plus... meritum*, prosequitur sic: Sed cum *genuit Christum*, tunc sanctificata fuit etc.

[7] Cod. Y subiungit *vitandum.* In cod. N legitur *ad potentiam vitandi peccatum*, in codd. M O (U primitus) *ad potentiam ad non peccandum*, in edd. et cod. bb *ad impotentiam ad peccatum.* Subinde pro *ad impossibilitatem* codd. G T exhibent *ad possibilitatem*, codd. A X *ad potentiam.*

[8] Epist. I. Tim. 3, 7, ubi pro *habere* codd. E G K L N U X aa *haberi.* — Epiphan. Monach. in sua Vita B. M. V. n. 22, narrat, quod B. Virginem «prosequebantur honore et timore omnes homines... nullus Iudaeorum princeps aut Graecorum audebat quid unquam de illa dicere aut appropinquare domui, in qua ipsa manserat».

amissionem, sed propter potentiae confirmationem et defectus ablationem.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod beata Virgo fuit perturbata; dicendum, quod immensitas illa doloris non refertur ad partem animae rationalem, sed sensibilem. Unde *anima* stat ibi pro illa parte, secundum quam convertitur ad corpus; unde non fuit perturbata, secundum quod perturbatio dicit deordinationem in parte rationali [1].

De libro spurio inter opera August.

2. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Quaestionum novi et veteris Testamenti, quod beata Virgo dubitavit; dicendum, quod non constat, illum librum esse Augustini, propter hoc quod multa ibi sunt, quae non videntur esse verba Augustini. — Verumtamen, ne fugam petere videamur, dici potest,

Distinctio.

quod est dubitatio proveniens ex *fidei debilitate*, et est quaedam dubitatio proveniens ex *admirationis immensitate*, qua dicitur homo dubitare, cum exstupescit et quasi fit totus extra se ex intuitu rei admirabilis. Et hoc modo intelligendum est, Virginem dubitasse, non propter defectum fidei [2]. Indu-

Notandum.

bitanter enim credendum est, quod Virgo Maria semper stetit, unde in ea fides sibi invenit solidum fundamentum. Unde discipulis non credentibus et dubitantibus, ipsa fuit, in qua fides Ecclesiae remanserat solida et inconcussa; et ideo in die sabbati in honorem eius solemnizat omnis Ecclesia [3].

3. Ad illud quod obiicitur, quod potuit mori; dicendum, quod non est simile, pro eo quod non fuit decens, Filium Dei habere matrem immortalem, cum ipse esset mortalis [4], sed valde indecens esset, si matrem haberet peccatricem; quamvis Hieronymus dicat, quod solum peccatrices numerantur in genealogia Salvatoris; hoc enim non est propter peccatum, sed propter aliquod speciale factum, propter quod illae mulieres exprimuntur in Scriptura. Et completur in eis illa prophetia, sicut illud Isaiae decimo sexto [5]: *Emitte agnum Domine dominatorem terrae* etc., et *per petram deserti* intelligitur Ruth, sicut dicit Hieronymus. Quidquid tamen sit de parentibus remotis, nulli tamen dubium est de Matre Dei, quin talis debuerit esse, quae non potuerit redargui de peccato, cum fuisset ad improperium Christi.

4. Ad illud quod obiicitur de impossibilitate peccandi, dicendum, quod verum est, quantum est de lege communi; sed nihil impedit, quin de gratia speciali possit alicui concedi in via, quod aliis communiter datur in patria, et illi personae praecipue, quae in terris degens regina erat eorum qui exsultant in caelis [6].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicitur in littera: *Spiritus sanctus Mariam a fomite peccati purgavit.* — Si enim fomes relinquitur in nobis ad exercitium et meritum, et beata Virgo fuit maximi meriti; non videtur, quod debuerit a fomite liberari. — Item, stimulus carnis datus fuit Apostolo ad gratiae divinae conservationem [7]: ergo non videtur, quod debuerit auferri beatae Virgini.

Respondeo: Dicendum, quod aliquid est promotivum ad bonum dupliciter, scilicet secundum *omnem statum*, aliquid vero secundum *statum naturae lapsae* et aegrae; sicut aliquid est promotivum ad sanitatem dupliciter, videlicet *communiter*, sicut cibus bonae compositionis, aliquid vero secundum statum *aegritudinis*, sicut huius [8] medici-

Distinctio.

---

[1] Ambros., de Institut. Virginis, c. 7. n. 49 ait: Stabat ante crucem mater et, fugientibus viris, stabat intrepida... Stabat non degeneri mater spectaculo, quae non metuebat peremptorem. Pendebat in cruce Filius, mater se persecutoribus offerebat.

[2] Eodem fere modo Ss. Patres stuporem explicant, quo invasa B. Virgo in verba prorupit: *Quomodo fiet istud* etc. (Luc. 1, 34.). — Cod. T hunc locum brevius sic exhibet: non constat, librum illum esse Augustini, quia multa videntur ibi esse, quae non sunt verba eius. Potest tamen dici, quod non fuit dubitatio ex fidei debilitate, sed ex admirationis immensitate. In ipsa enim sola remansit fides, ceteris discipulis dubitantibus; ideo in honore eius solemnizat omnis Ecclesia.

[3] In opusculo, cui titulus « Vitis mystica » (inter opera Bernardi), c. 2. n. 4. similiter laudatur fides, quam B. M. V. in passione Filii sui inconcussam probavit, dubitantibus et fugientibus ipsis eius discipulis. Si vero, inquit auctor, fugam mentalem intelligimus, nec vir relictus est cum eo, nec mulier, praeter illam, quae sola benedicta est in mulieribus, quae sola per illud triste sabbatum stetit in fide, et salvata fuit Ecclesia in ipsa sola. Propter quod aptissime tota Ecclesia in laudem et gloriam eiusdem Virginis diem sabbati per totius anni circulum celebrare consuevit. Cfr. Durand., IV. Rational. div. offic. c. 1. Melchior Canus, IV. de Loc. theol. c. 5. seq., illam auctoris « Vitis mysticae » sententiam, quod B. Virginis fide inconcussa Ecclesia salvata fuisset, evertere nititur. — Pro *in honorem* codd. *in honorem.* Paulo superius post *Virgo Maria semper* Vat. subiungit *in fide.* Deinde pro *remanserat* codd. G H N *remansit.*

[4] Cfr. Damasc., Homil. 1. in Dormition. B. M. V. n. 10, (ubi etiam transitum B. Virginis non mortem, sed somnum, migrationem, praesentiam ad Deum vult vocari) et 2. n. 2. August., Enarrat. in Ps. 34. serm. 2. n. 3, Mariam ex Adam propter peccatum mortuam esse docet, dum Epiphan., III. Haeres. 78. n. 11, eius mortem in dubium revocat, cfr. ibid. n. 24. — Sententia Hieronymi habetur in eius Comment. in Matth. 1, 3: Notandum, in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas quas Scriptura reprehendit, ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret.

[5] Vers. 1. — Verba Hieronymi in hunc locum sunt: *De petra deserti*, hoc est de Ruth, quae mariti morte viduata, de Booz genuit Obed, et de Obed Iesse, et de Iesse David, et de David Christum. — Cod. A pro *sicut illud Isaiae* ponit *sicut dicit Isaias*, cod. T omittit *sicut illud.*

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Epist. II. Cor. 12, 7.

[8] Codd. F N et edd. omittunt *huius.* Paulo inferius pro *per exercitationem* codd. G K T bb cum edd. *propter exercitationem.* Post pauca pro *in utroque* cod. N *in utraque.*

nalia. Dicendum est igitur, quod fomes est ad promotionem non *simpliciter*, sed secundum *statum naturae lapsae*, in quo homo facilis est ad desidiam et ad superbiam; et ideo est ei utilis talis stimulus per exercitationem ad expellendam pigritiam, et propter humiliationem ad expellendam superbiam. Quoniam igitur beata Virgo erat repleta caritate et humilitate et confirmata in utroque; ideo fomitis stimulo non egebat. Ideo non est simile de aliis et de ipsa [1]. Notandum.

Dub. II.

Item quaeritur de illo verbo: *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi;* quaeritur enim, pro quanto dicit eum *Altissimum*, cum potius sit nuntius divinae humiliationis quam altitudinis? — Item, quaeritur de hoc quod subiungit: *Obumbrabit tibi*, quia, cum Deus Filius sit *candor lucis aeternae* [2], ei non congruit *obumbrare*, sed potius *illuminare*.

Respondeo: Dicendum, quod nomine *Altissimi* intelligitur Pater per appropriationem; Patri enim appropriatur potentia, et in persona Patris principaliter est auctoritas. Per *virtutem* autem intelligimus Filium, quia *Christum* dicimus *Dei virtutem et Dei sapientiam* [3]. Quoniam igitur sermo praecesserat de Spiritu sancto, subiungitur de Patre et Filio, ut sicut illi tres mundum fabricaverant, sic intelligantur mundum reparasse opere indivisibili, et hoc per fabricam constitutam uteri virginalis. Notandum.

Ratio autem, quare magis Patrem vocavit *Altissimum*, quam *Patrem* appellaret, est, ut ostendatur in opere incarnationis mira fuisse Dei dignatio, in hoc quod nostram humilitatem suae celsitudini voluit copulare. — *Virtus* Altissimi Virginem potius dicitur *obumbrare* quam *illuminare*. Obumbratio enim visum adiuvat et calorem refrigerat, et in adventu Filii Dei Virgo Maria refrigerata fuit fomitis exstinctione; fuit etiam ad Dei contuitum adiuta per carnis coniunctionem cum Verbo, ut quae non poterat Deum sentire in se propter suae lucis immensitatem, sentiret et cognosceret intra se per assumtam carnis humilitatem [4].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit Damascenus: *Copulavit sibi ex purissimis sanguinibus animatam carnem.* Ex hoc videtur, quod conceptus fuit Christus ex sanguine Virginis. Sed *contra* hoc est illud Augustini, quod sequitur [5], quod assumsit sibi carnem de carne Virginis. — Item, proximior est caro carni quam sanguis: ergo prius debuit assumere carnem de carne quam de sanguine.

Respondeo: Dicendum, quod *purissimos sanguines* intelligit humores, qui propinqui sunt ad corporis formationem, ex quibus [6] caro Christi formata fuit. Ille autem humor aliquando vocatur *caro*, aliquando *sanguis*, aliquando *semen*; et hoc secundum diversam comparationem. *Sanguis* enim dicitur in comparatione ad illud, unde processit; *caro* in comparatione ad illud quod ex ipso fit; *semen* vero quantum ad formam, quam habet [7]. Notandum.

Ad illud quod obiicitur, quod *caro* est carni propinquior; dicendum, quod verum est in via *speciei*, sed non in via *generationis*, quia caro nunquam convertitur in carnem, nisi prius convertatur in humorem [8]. Distinctio.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod subiungit: *Copulavit sibi carnem animatam nostrae antiquae conspersionis, non seminans, sed per Spiritum sanctum creans.* Videtur enim primum esse falsum, quia *antiqua conspersio* sonat in vitium, sicut dicit Apostolus primae ad Corinthios quinto [9]: *Expurgate vetus fermentum;* sed caro Christi nunquam fuit vitiata: ergo etc. — Item, obiicitur de hoc quod subiungitur, *per Spiritum sanctum creans*, quia falsum videtur dicere; *creare* enim est de nihilo

---

[1] De hoc dubio vide supra a. 2. q. 2; Alex. Hal. S. p. III. q. 9. m. 2. a. 5. ad 1.

[2] Sap. 7, 26. — Pro *Deus Filius* codd. H K T Z et alii *Dei Filius*. Paulo superius pro *humiliationis* edd. cum paucis codd. *humilitatis*, et mox pro *subiungit* codd. G K L M N O Z aa *subiungitur*.

[3] Epist. I. Cor. 1, 24. Cfr. I. Sent. d. 32. a. 2. q. 2. in fine et d. 34. q. 3. — Ibid. d. 13. dub. 4. et d. 29. dub. 1. exponitur, quomodo *auctoritas* sit in Patre. — Paulo superius pro *principaliter* codd. B D G (K a secunda manu) M O exhibent *principalis*, et paulo inferius edd. tum post *subiungitur* tum post *sic* subiiciunt *etiam*, at mox omittunt *constitutam*. Subinde pro *uteri virginalis* in codd. A K Q Z legitur *in utero virginali*.

[4] Pro *humilitatem*, quam vocem ex codd. A bb restituimus, alii codd. cum edd. *humanitatem*. — Cfr. de hoc dubio Hilar., II. de Trin. n. 26. (in praefat. generali ad opera Hilarii § 2. n. 57. seqq. alii Patres adducuntur, qui de hac re scripserunt) et Cassian., II. de Incarn. c. 2. nec non Quaest. ex novo Testam. (inter opera August.) q. 51. Hoc dubium solvunt etiam B. Albert., hic a. 18; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit., Ægid. R., hic dub. lit. 1. 2.

[5] Hic in lit. Magistri, c. 1. — Paulo ante pro *conceptus fuit* codd. G H K L T bb *conceptus fuerit*. — In fine arg. seq. fide codd. A K Z aa bb posuimus *de sanguine* pro *sanguinem*, quae lectio, contextui minus bene respondens, in edd. et aliis codd. invenitur.

[6] Codd. A F G H K L N T V Z aa *ex quo*, cod. U *ex quibus quoque*.

[7] Cfr. II. Sent. d. 30. a. 3. q. 1. seq. — Codd. G L W X Z aa *habuit*. Supra edd. et multi codd. *ex ipsa* pro *ex ipso*.

[8] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 19; S. Thom., hic q. 5. a. 1; Petr. a Tar., hic circa lit.; Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. et circa lit.; Ægid R., hic q. 2. a. 1.

[9] Vers. 7. — Paulo ante pro *antiqua conspersio*, qua locutione respicitur illud I. Cor. 5, 7: *ut sitis nova conspersio*, edd. *prima conspersio*. Multi codd. in hoc dubio substituerunt vocem *aspersionis* pro voce *conspersionis* (φυράματος).

aliquid facere. Caro autem Christi non fuit de nihilo, sed de carne Virginis assumta.

Respondeo: Dicendum, quod *antiqua conspersio* dicitur hic propter poenarum vetustatem et rugositatem. Apostolus autem *fermentum* vocat malae consuetudinis corruptionem, quae attenditur in vitiosa pronitate; Christus autem assumsit carnem poenalem, sed non peccatricem; et hoc vult Damascenus dicere.

Ad illud quod obiicitur de hoc verbo *creare*, dicendum, quod *creare* [1] dicitur hic actus, qui proprie convenit Deo, non quia sit omnino ex nihilo; Notandum. unde accipitur ibi *creatio* pro conditione, et *Creator* tantum valet ibi quantum Conditor; et hoc ipsum vult dicere Damascenus, quod caro illa creata est « non seminaliter, sed conditive [2] ».

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si omnes Sancti et Sanctae congregari possent, quod dicere non possent, quod peccatum non habemus, excepta sola Virgine. Contra* hoc est de infantibus recenter baptizatis, qui nullum habent peccatum, nec actuale nec originale. — Item, obiicitur de adultis statim post baptismum; quia [3] de his qui sunt statim absoluti ab omnibus peccatis, videtur, quod possint dici peccatum non habere.

Respondeo: Dicendum, quod circa verbum illud tripliciter potest fieri vis, ut sanus ex eo capiatur intellectus: primo ex hoc quod dicit, quod Explicatio 1. *non possumus dicere*, quia nemo certus est, utrum omni peccato careat, sicut dicit Apostolus primae ad Corinthios quarto [4]: *Nihil mihi conscius sum;* hoc autem dicere potuit Virgo ex speciali dono gratiae. — Aliter potest intelligi, ut fiat vis in hoc Explicatio 2. quod dicitur *peccatum*. Peccatum enim dicitur *actus* peccati et *macula* et *causa* peccati [5]. Et beatus Ioannes non tantum accipit peccatum pro *macula*, sed etiam pro *causa* sive sequela. Nullus autem a Christo praeter Virginem dicere potuit, quod *causam*, id est fomitem, non haberet. In ipsa enim sola exstincta fuit concupiscentia [6]. — Tertio potest fieri vis Explicatio 3. in hoc quod dicit *habemus;* quia potest dicere praesens *ut nunc*, vel praesens *simpliciter*. Si dicat praesens *ut nunc*, non videtur esse impossibile, quin possint esse immunes in aliqua hora ab omni actuali. Si vero dicat praesens *simpliciter*, sic soli competit Virgini, quae per totum tempus vitae suae nullum actuale peccatum commisit; hoc autem de nullo aliorum Sanctorum veraciter dici potest, qui in hac vita aliquandiu permanserunt [7].

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM III.

Pars II.

Utrum caro Christi in Abraham fuerit decimata.

Cum autem illa caro, cuius excellentia etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra ostendit Magister, qualiter beata Virgo fuerit sanctificata, ex qua caro Christi est assumta. In hac vero parte ad maiorem intelligentiam inquirit, utrum caro Christi in Abraham fuerit decimata. Dividitur autem pars ista in tres partes. In quarum prima inquirit Magister, utrum caro Christi potuerit decimari, vel debuerit in Abraham. Secundo vero post huius determinationem elicit quandam conclusionem, scilicet quod caro Christi non fuit caro peccati, ibi: *Quocirca primitiam nostrae massae recte assumsisse dicitur.* In tertia vero et ultima dissolvit quandam dubitationem de formatione corporis dominici, ibi: *Illi autem sententiae.* Subdivisiones autem partium manifestae sunt in littera.

---

[1] Codd. A E H K T U V (Z a secunda manu) bb *creatio.* Codd. G L aa post *creare* subiiciunt *dupliciter.* Mox pro *actus* odd. et nonnulli codd. *pro actu.*

[2] In textu Graeco: οὐ σπερματικῶς, ἀλλὰ δημιουργικῶς. — Augustin., II. de Morib. Manich. c. 7. n. 9. illud Isai. 45, 7: *Ego facio bona et creo mala* interpretans ait: Creare namque dicitur condere et ordinare. Itaque in plerisque exemplaribus sic scriptum est: *Ego facio bona et condo mala.* Facere enim est, quod omnino non erat; condere autem, ordinare quod utcumque iam erat, ut melius magisque sit. — Solutio huius dubii habetur etiam apud B. Albert., hic a. 20; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. lit. 4.

[3] Edd. cum aliquibus codd. *et*, cod. Z *quia et.*

[4] Vers. 4.

[5] Cfr. supra a. 2. q. 1. ad 3, et II. Sent. d. 42. dub. 1. In sequenti propos. respicitur I. Ioan. 1, 8, qui locus in lit. Magistri citatur. Mox pro *etiam pro causa* cod. aa *etiam pro poena*, et subinde post *Nullus autem* edd. adiiciunt *alius.*

[6] Vide supra a. 2. q. 2. — Paulo inferius verbo *habemus* codd. G L N aa bb praemittunt *quod non.*

[7] Solutionem huius dubii videas etiam apud B. Albert., hic a. 25; apud S. Thomam, Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.; apud Ægid. R., hic dub. lit. 6.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis iuxta tria, quae Magister determinat, incidit hic quaestio.

Primo quaeritur de Christi decimatione.

Secundo quaeritur de carnis Christi traductione.

Tertio quaeritur de dominici corporis formatione.

Circa primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum aliquis possit decimari in parentibus.

Secundo quaeritur, utrum Christus in Abraham fuerit decimatus.

ARTICULUS I.

De Christi decimatione.

QUAESTIO I.

Utrum aliquis possit decimari in parentibus.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum aliquis decimari habeat in parentibus. Et quod sic, probatur:

Fundamenta.

1. Per illud Apostoli ad Hebraeos septimo[1]: *Per Abraham et Levi, qui decimas accepit, decimatus est.*

2. Item, hoc ipsum videtur per Augustinum, decimo super Genesim ad litteram, et habetur in Glossa[2]: « Sicut, Adam peccante, peccaverunt qui in lumbis eius erant; sic, Abraham dante decimas, qui in lumbis eius erant decimati sunt »; sed constat, quod proles potuit peccare in Adam: ergo et decimari in Abraham.

3. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quia proles in parentibus potest liberari et in servitutem redigi, quia servus natus est servilis conditionis[3]: ergo pari ratione videtur, quod in parentibus dantibus decimas filii habeant decimari.

4. Item, decimatio est actus *figuralis*[4]; sed figura non tantum est respectu praesentis, sed praeteriti et futuri: ergo videtur, quod non tantum possit decimari in propria persona filius, sed etiam cum est in parente tanquam in causa et materia.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Augustinus decimo super Genesim ad litteram[5]: « In lumbis Abrahae illud decimabatur quod curabatur »; sed filii Abrahae non sunt curati ab originali, immo nati sunt cum peccato originali: ergo non videtur, quod in Abraham fuerint decimati.

2. Item, cum datur decima de frumento, non propter hoc datur decima de illo frumento, quod debet nasci[6]: ergo pari ratione, cum datur decima pro homine, non videtur, quod ille qui nasciturus est ex eo, decimetur in eo — sicut enim homo est in homine seminaliter, sic granum in grano — ergo ratio ista bona videtur.

3. Item, sicut circumcisio remedium est contra originale in Lege figurae, et baptismus in Lege gratiae, sic decimatio in Lege naturae, ut dicit Hugo de sancto Victore[7]; sed nullus in ventre matris potuit baptizari nec circumcidi: ergo nec decimari.

4. Item, aut *decimari* est per decimam curari, aut *decimari* est ad decimam obligari, aut *decimari* est de aliquo decimam partem dare, aut *decimari* est per decimam praefigurari; sed nullo istorum modorum fuit Levi in Abraham decimatus, quia nec per decimam curatus, nec ad dandum decimas obligatus, cum potius reciperet[8], nec decimam dedit, nec per decimam significatus fuit: ergo nullo modo videtur decimatus fuisse in Abraham: et si ille non fuit decimatus, pari ratione nec aliqui alii.

CONCLUSIO.

Proles aliquo modo potest in parentibus decimari, secundum eum modum, quo decimatio nihil ponit in actu circa decimatos, sed est actus figuralis, significans futuram curationem.

Triplex actus decimationis.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod decimatio fuit actus *moralis*, *sacramentalis* et *figuralis*. Secundum quod fuit actus

---

[1] Vers. 9.

[2] Super Hebr. 7. 9, quae Glossa est secundum August., X. de Gen. ad lit. c. 19. seq. n. 34. seqq. Vide hic lit. Magistri, c. 3.

[3] Cfr. Aristot., I. Polit. c. 3. seq. (c. 2.), et Iustinian., I. Institut. Iuris civ. c. 3. et 4. Vide II. Sent. d. 44. a. 2. q. 1. seq.

[4] Cfr. hic corp. circa finem. — Paulo inferius ex codd. A K Z resarsimus *cum est*, quod ab edd. abest. Alii codd. *sed cum etiam est*, quae transpositio verborum minus probanda est.

[5] Cap. 20. n. 36.

[6] Cod. O adiungit *de eo*, Vat. *de grano*. Paulo inferius pro *sicut enim... sic granum* cod. Z *sic enim... sicut granum*. Dein pro *ergo ratio* codd. G K L P Q Z aa *ideo ratio*, cod. N *et ideo ratio*. Denique pro *videtur* sola Vat. *non videtur*.

[7] Sum. Sent. tr. 4. c. 1; I. de Sacram. p. XI. c. 6, et de Sacram. Legis natural. et scriptae, circa finem. — De *minori* cfr. supra pag. 68, nota 1, et IV. Sent. d. 6. p. II. a. 1. q. 1. — Pro *potuit* codd. K N *potest*, edd. *poterit*.

[8] Hebr. 7, 5: Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est a fratribus suis, quamquam et ipsi exierint de lumbis Abrahae. Cfr. Deut. 18, 1. seqq.

moralis, sic decimatio dicitur alicuius certae partis donatio ad sustentationem eorum qui serviunt Domino et deputati sunt cultui divino; et hoc modo decimatio aliquo modo perseverat usque modo [1]. — Secundum autem quod decimatio est actus *sacramentalis*, sic decimatio est alicuius partis donatio ad curationem morbi originalis. — Secundum autem quod decimatio est actus *figuralis*, sic decimatio est decimae partis donatio ad praefigurationem curationis universalis, quae futura erat per oblationem Christi.

Duobus primis modis accepta decimatio respi-
Conclusio 1. cit tantum praesens [2]; quia non datur decima nisi de hoc, quod habetur, et non curatur nisi quod
Conclusio 2. iam habet morbum. Tertio autem modo decimatio accepta non tantum est praesentis, sed etiam futuri, pro eo quod *figuratio* est significatio, et significatio non tantum extendit se ad praesentia, sed etiam ad
Conclusio 3. futura; et hoc modo dicuntur filii Abrahae decimati in Abraham, quia per illam decimationem praefigurati sunt omnes filii Abraham curandi esse per eum qui significabatur per Melchisedech, id est per verum sacerdotem Christum. Et hoc est quod dicit Augustinus decimo super Genesim ad litteram [3]: « Cum ipsa decimatio ad praefigurandam medicinam pertinuerit, ille in Abraham decimabatur, qui curabatur », non quando praefigurabatur, sed quando illius figurae veritas implebatur. — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod aliquo modo potest decimari proles in parente, secundum eum modum, quo decimatio nihil ponit in actu circa decimatos, sed solum secundum significationem, quae non tantum est praesentium, sed etiam futurorum.

1. Ad illud quod obiicitur primo de auctoritate
Solutio oppositorum. Augustini, dicendum, quod sicut patet ex verbo praecedenti [4], *decimabatur quod curabatur* non dicit concomitantiam secundum idem tempus ad hoc quod est *decimari*, immo potius se extendit ad omne tempus, et pro illo tempore reddit locutionem veram, in quo implebatur veritatis figura.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non datur decima de grano, quod non est in re, sed solum in ratione seminali; dicendum, quod non est simile, quia decimatio, prout est actus *figuralis*, non se extendit ad significandum aliquid circa granum, sed ad significandum aliquid circa genus humanum, unde granum respicit ut materiam, circa quam habet exerceri, non circa illud quod per ipsum habet significari. Et quia *exercitium* requirit materiam praesentem, *significatio* se extendit ad futura [5], ideo non est simile.

3. Ad illud quod obiicitur de baptismo et circumcisione, dicendum, quod non est simile, nisi in quantum decimatio est actus *sacramentalis* Legis naturae ad remedium originalis peccati; hoc modo non est nisi circa praesens, sicut circumcisio et baptismus. Secundum autem quod est actus *figuralis*, sic non est simile.

Si autem quaeratur, quare baptismus et circum- Quaestio incidens solvitur.
cisio non potest esse actus figuralis, sicut et decimatio; dicendum, quod ratio huius est, quia circumcisio et baptismus est actus *in persona*; decimatio autem, cum sit decimae partis oblatio, est actus *pro persona*. Et quia oblatio potest fieri pro eo quod est et quod futurum est, circumcidi et baptizari non nisi [6] quod iam est; hinc est, quod actus decimandi potuit se extendere ad futuros, et non actus circumcidendi, vel baptizandi.

4. Ad illud quod quaeritur, quomodo proles dicitur decimari in parente; dicendum, quod *decimatio* idem est quod praefiguratio curationis. Unde nullo illorum modorum accipitur, qui in opponendo assignabantur [7]: et ideo insufficienter procedebat illa obiectio.

SCHOLION.

1. Duae huius articuli quaestiones solvunt duas difficultates, quae occurrunt in argumentatione Apostoli, Hebr. 7, quarum prima est, quomodo Levi ideo decimatus fuerit in Abraham (ibi v. 9. 10.), quia in lumbis eius erat; et altera, quomodo Christus, qui similiter in Abraham fuisse videtur, in ipso non fuerit decimatus, quod Apostolus manifeste supponit. Primam difficultatem solvit q. 1; alteram q. 2. — Solutio primae difficultatis eruitur ex hoc principio, quod decimatio sive decimarum oblatio, quae instituta fuit, ut sacerdos pro peccatis offerentium deprecaretur, non sit tantum actus *moralis*, sed etiam *figuralis*, ut explicatur a nostro Doctore secundum sententiam communem. Iam inde patet, decimationem minime convenire Christo. Alia ratio sumitur ex eo, quod ipse erat in Abraham alio modo ac Levi. — De hac et seq. quaestione late tractat Gulielmus Antissiodorrensis (rectius Autissiod.) in sua *Summa*, dicta *aurea* p. III, quae typis edita est Parisiis a Franc. Regnault (sine anno).

II. De utraque quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 9. m. 3. a. 4. — Scot., Report. hic q. 2. — S. Thom., hic q. 4. a. 3; S. III. q. 31. a. 8. — B. Albert., hic a. 26. 27. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. 3. — Ægid. R., hic q. 4. a. 2. et dub. lat. — Dionys. Carth., hic q. 4. — Biel, hic q. 2.

---

[1] Vide Iur. can. Decret. p. II. caus. 13. q. 1. — Edd. omittunt *aliquo modo*, pro quo cod. R *alicubi*.

[2] Edd. 1, 2 *tempus praesens*, Vat. *temporis praesens*. Mox cod. K *nisi qui* pro *nisi quod*.

[3] Cap. 20. n. 36, ubi textus origin. pro *ille... qui* exhibet *illud... quod* et post *curabatur* addit *non illud unde curabatur*. — Cfr. Hebr. 7, 1 seqq. — Superius codd. N U *decimari* pro *decimati*.

[4] Circa finem corp. quaest. — In fine solut. pro *veritatis figura* Vat. cum nonnullis codd. *veritas figurae*.

[5] Codd. F K L N Q T Z *futurum*, codd. G H aa *futuram*.

[6] Vat. adiicit *in eo*, et post pauca cum compluribus codd. et edd. 1, 2 pro *se extendere* vitiose habet *se extendi*, rectius codd. G L aa *extendi* tantum, sine *se*.

[7] Codd. B C D N P Q U V et alii *quod opponendo assignabatur*, nonnulli istorum codd. *assignatur*.

QUAESTIO II.

Utrum Christus in Abraham fuerit decimatus.

Secundo quaeritur, utrum Christus in Abraham fuerit decimatus. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Auctoritate Apostoli ad Hebraeos septimo [1]: *Per Abraham et Levi decimatus est; adhuc in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech;* sed Christus fuit in lumbis Abrahae, quando decimas illas dedit: ergo fuit decimatus, sicut et Levi.

2. Item, sicut dicit Hugo de sancto Victore [2]: « Per decimas significatur ipse Christus »: ergo videtur, quod ipsa decimatio, in quantum est actus *figuralis*, principalius respiciat Christum quam alios filios Abrahae: ergo magis videtur, quod debeat dici decimatus quam alii.

3. Item, nihil plus requiritur ad decimationem, nisi quod illud realiter impleatur in prole, quod significatum fuit in decimatione Abrahae; sed hoc fuit maxime impletum in Christo, qui se ipsum obtulit hostiam Deo et Patri per oblationem corporis et sanguinis sui [3].

4. Item, tota caro Christi fuit in carne beatae Virginis; sed caro Virginis [4] habuit decimari in Abraham: ergo et caro Christi.

Fundamenta. Sed contra: 1. Augustinus, decimo super Genesim ad litteram [5]: « Ille non est decimatus, cuius caro non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit »; Christus autem fuit huiusmodi: ergo etc.

2. Item, sicut se habet Adam peccans ad posteros, ita Abraham in dando decimas; sed quamvis Christus esset in Adam peccante, non dicitur Christus peccasse in Adam; ergo pari ratione in Abraham dante decimas non dicitur decimatus [6].

3. Item, decimatio vel erat curatio, vel curationis praefiguratio; sed Christus nec ibi curabatur nec curari praefigurabatur: ergo videtur, quod ibi decimatus non fuerit [7].

4. Item, si Christus decimatus fuit in lumbis Abrahae, sicut et Levi, ergo nulla est argumentatio Apostoli [8], qua probat, maius esse sacerdotium Melchisedech sacerdotio levitico, per hoc quod Levi decimatus fuit: quodsi ratiocinatio Apostoli recta est, restat igitur, quod Christus non decimatus fuit in Abraham.

Quaestio incidens. Est igitur quaestio iuxta hoc: unde tenet illa consequentia, qua probat Apostolus, maius esse sacerdotium Melchisedech sacerdotio levitico, pro eo quod Levi [9] obtulit decimas Melchisedech? Videtur, quod non cogat, quia secundum illam rationem posset argui, quod maior est dignitas unius sacerdotis pauperis quam Papae, esto quod pater Papae dederit decimas simplici sacerdoti.

CONCLUSIO.

Christus in lumbis Abrahae non fuit decimatus.

Respondeo: Dicendum, quod sicut determinat Magister in littera [10], immo Augustinus super Genesim ad litteram decimo, Christus in lumbis Abrahae non fuit decimatus. Conclusio.

Ratio. Et ratio huius est, quia decimatio praefigurabat futuram curationem. Quoniam igitur Christus in lumbis Abrahae non erat sicut curatione indigens, sed potius sicut medicina; hinc est, quod decimatio ad ipsum non pertinebat. Sicut enim in Adam illi soli peccaverunt, qui secundum carnalem generationem et concupiscentiam seminalem ab ipso procedunt; et ideo ab illa generalitate excluditur Christus, qua dicitur: *Omnes in Adam peccaverunt* [11], quia non processit ab ipso secundum libidinis ardorem, sed secundum Spiritus sancti operationem: sic in proposito intelligendum est de decimatione.

Solutio oppositorum. 1. Et per hoc patet responsio ad illud quod primo obiicitur in contrarium; quoniam Christus in

---

[1] Vers. 9. seq., ubi Vat. post *Levi* addit *qui decimas accepit* et post *adhuc* inserit *enim*. Codd. K Z voculae *adhuc* praemittunt *cum*.

[2] Vide de Sacram. Legis natural. et scriptae, post meditatem, et I. de Sacram. p. XI. c. 6, ubi docet, oblationes et sacrificia et decimas, ut Sacramenta Legis naturalis, idem significare ac Sacramenta novae Legis. « Erat quippe, ait, idem Salvator, eadem gratia, eadem fides, illic venturi, hic exhibiti. Sed quia ipse, per quem salus dabatur, longe erat, eiusdem salutis signa obscura esse debuerunt » etc.

[3] Cfr. Hebr. 9, 14. et 10, 12. — In *maiori* pro *impleatur* edd. *impleat*, et pro *realiter* cod. G *totaliter*.

[4] Cod. G ante *Virginis* repetit *beatae*.

[5] Cap. 20 n. 36: Non autem et ille *ibi* decimatus est, cuius caro *inde* non fervorem etc. — Ante *vulneris* edd. praemittunt *libidinis seu*.

[6] Cod. F *decimari*.

[7] Edd. addunt *scilicet in lumbis Abrahae, sicut et Levi*. Prima seq. arg. propositio deest in edd. 1, 2.

[8] Hebr. 7, 1. seqq. — Paulo inferius post *decimatus fuit* Vat. addit *in Abraham*, et subinde voci *ratiocinatio* codd. U X praefigunt *consequentia vel;* pro ipsa voce *ratiocinatio* codd. G H L N T aa substituunt *conratiocinatio*, cod. K *consideratio*.

[9] Pro *Levi* codd. M O *Abraham*, qui revera decimas obtulit Melchisedech, quod tamen de Levi quoque dici potest, quatenus fuit in lumbis Abrahae. Mox post *Videtur* cod. U subiicit *enim*.

[10] Hic c. 3, ubi et verba Augustini, quae hic respiciuntur (X. de Gen. ad lit. c. 20 n. 36.), afferuntur. De ratione mox adiuncta vide ibid. et q. praeced. in corp. circa finem. — Pro *determinat* edd. et nonnulli codd. *dicit*.

[11] Rom. 3, 23. — Paulo superius post *procedunt* cod. F adiungit *ita et illi soli decimabantur et curabantur;* Vat. autem, quae et in principio propos. pro *Sicut enim* substituit *Sicut etiam*, post *procedunt* addit *vel processerunt: ita illi soli in Abraham decimati sunt, qui ab ipso secundum rationem seminalem prodierunt*. Mox pro *processit ab ipso* codd. K Z *processit ex ipso*.

lumbis Abrahae fuit et Levi [1], sed non eodem modo. Et propterea non sequitur, quod sicut uni competit decimari, ita conveniat alteri. Decimatio autem non tantum respicit *esse in lumbis*, sed etiam *modum essendi* secundum traductionem originalis peccati.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Christus significatur per decimam oblatam; dicendum, quod decima oblata non decimabatur, sed decimatio potius respicit illud quod remanet in alio, sicut dicit Hugo [2], quia remanet imperfectio ablata unitate, quae est perfectio denarii, per quod significatur futura curatio. Unde sicut alii figurantur in illa decimatione *curari*, sic Christus figuratur esse *ratio medicamenti*.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod in illa decimatione significabatur oblatio Christi; dicendum, quod verum est, sed non significatur Christi oblatio, tanquam *pro quo* fieret oblatio [3], sed tanquam *qui* offertur pro aliis. Et quoniam *decimari* dicitur ille, pro quo offertur oblatio decimae; hinc est, quod actus decimationis non debet Christo attribui; aliter enim praefigurabatur Christus, aliter alii.

4. Ad illud quod obiicitur, quod caro Christi fuit in beata Virgine, et caro Virginis in Abraham; dicendum, quod ibi est sophisma *secundum accidens* [4], quia variatur modus essendi *hinc inde*. Alio enim modo fuit caro beatae Virginis in Abraham, aliter caro Christi in Matre sua; quia beata Virgo processit secundum legem concupiscentiae, Christus vero minime.

Ad illud quod quaerebatur de auctoritate Apostoli et ratione, dici potest, quod ratio Apostoli bona est ad illos, contra quos arguit, scilicet Iudaeos, qui supponebant, Abraham digniorem esse in suo genere. Si ergo Abraham benedictus fuit a Melchisedech et ei decimas obtulit tanquam superiori, sequitur ex hoc, quod non tantum maior fuit Melchisedech Abraham, sed etiam maior omnibus, qui processerunt secundum legem carnis ab eo; et ideo dignior fuit Levi et Aaron.

Ad quaestionem incidentem solutio 1.

Sed quoniam illud non videtur esse verum, quod excellentior fuerit Melchisedech quam Moyses et David et beata Virgo, qui processerunt ex Abraham; et Apostolus non procedit ex falsis suppositionibus: ideo oportet aliter dicere, videlicet quod Apostolus arguit ex veritate et significatione illius figurae necessaria argumentatione. *Decimatio* [5] pro illo tempore significabat curationem. Cum ergo Abraham obtulit decimas Melchisedech et ab eo benedictus est, significavit, se indigere curatione et benedictione per illum sacerdotem, qui significabatur per Melchisedech. Sed ille qui curat et benedicit, maior est absque ulla contradictione. Cum ergo sacerdotium Christi fuerit illud, quod praefigurabatur per illud Melchisedech, sicut in Psalmo [6] legitur: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech;* restat igitur, quod maius fuit sacerdotium Christi quam Levi. Et haec est ratio Apostoli, quam impossibile est dissolvi. — Nec est simile de sacerdote simplici, et de patre Papae, quia ibi nulla est ratio *figurae*. Haec autem tota ratio fundatur supra decimationem, secundum quod est actus *figuralis;* nam secundum quod est actus *moralis*, nihil facit ad propositum [7], quia nec Abraham nec eius posteri obligati fuerunt ad dandas decimas Melchisedech, maxime illi qui fuerunt de stirpe Levi, ad nullas decimas dandas fuerunt astricti [8].

Non probatur.

Solutio 2.

Solvitur obiectio.

---

[1] Cod. U, pro *quoniam* substituto *scilicet quod*, hic interiicit *dicendum, quod verum est.* Paulo inferius post *Decimatio* edd. et aliquot codd. *enim* pro *autem.*

[2] Libr. I. de Sacram. p. XI. c. 6: Primam namque institutionem accepit homo, ut pro remediis salutis exterioris substantiae partem offerret Deo, partem ad usum proprium retineret, quatenus in hoc facto disceret, ea quae intrinsecus bona erant, Deo tribuere, quae vero mala, sibi imputare. Denarius quippe (quoniam perfectus numerus est) signum est bonitatis et virtutis, quae Deo tribuitur et in homine a Deo cognoscitur. Nonarius autem, quia minus habet a perfecto, habet perfectum et vitium, et corruptionem significat, quae merito homini deputatur. Propterea igitur homo decimam dare Deo, nonam sibi retinere praecipitur, ut quod bonum est in se a Deo esse, quod vero malum est a se esse confiteatur. Sed hoc signum quasi de lege sumtum magis docuit hominem, quid esset, quam quid fieret. — Immediate post pro *quia remanet* codd. U Z et edd. 1, 2 *quod remanet.* Subinde pro *per quod,* quae verba in plurimis codd. desunt, cod. O *et sic.* Codd. C U bb, qui etiam *per quod* omittunt, paulo ante inter *ablata* et *unitate* interserunt *enim.*

[3] Cod. U adiungit *decimae.* Dein pro *qui offertur* codd. A E G L *quod offeretur,* Vat. *quae offertur.* Circa finem solut. post *aliter enim* edd. cum aliquibus codd. subiiciunt *ibi,* et pro *praefigurabatur* codd. A K (T a secunda manu) V Z exhibent *praefiguratur.*

[4] Cfr. tom. II. pag. 870, nota 8. — De ultima propos. solutionis vide supra p. I. huius d. a. 1. q. 1. in corp.

[5] Cod. U subdit *enim.* Edd., paucis tantum codd. suffragantibus, paulo superius post *significatione* interserunt *et,* ac post *argumentatione* voculam *quod,* sic propositionem seq. coniungentes cum praeced.

[6] Psalm. 109, 4. Cfr. August., VI. Oper. imperf. contra Iulian. c. 22. — Paulo superius post *contradictione* codd. U W Y adiiciunt *eo quod* [*qui?*] *curatur.* Post pauca pro *maius fuit* codd. A E T X *maius fuerit.*

[7] Cod. N *oppositum.* — Cfr. G. Antissiodor., S. p. III. tr. 1. c. 3.

[8] Vide scholion ad praecedentem quaest.

ARTICULUS II.

De carnis Christi traductione.

Consequenter quaeritur de carnis Christi traductione. Et circa hoc quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum caro Christi fuerit in primis parentibus secundum qualitatem puritatis [1], vel inquinationis.

Secundo quaeritur, utrum aliter fuerit quam secundum legem propagationis.

QUAESTIO I.

Utrum caro Christi in Abraham et aliis Patribus distincta fuerit secundum qualitatem a carne aliorum hominum.

Circa primum sic proceditur et ostenditur, quod caro Christi in Abraham et aliis Patribus distincta fuerit secundum qualitatem a carne aliorum filiorum.

Ad oppositum.

1. Septimo Sapientiae [2]: *Nihil coinquinatum in illam incurrit:* ergo si caro Christi unita est Filio Dei, qui est Dei *virtus et Dei sapientia*, videtur, quod nunquam fuerit inquinata; sed caro aliorum in parentibus inquinata fuit: ergo videtur, quod aliter fuerit caro Christi in Abraham quam aliorum.

2. Item, in Christo debuit esse maxima puritas; sed magis purum est quod nunquam fuit inquinatum, quam illud quod aliquando inquinatum fuit: ergo videtur, quod caro Christi nec in se nec in parentibus subiacuerit foeditati corruptionis [3]: igitur a carne aliorum hominum distincta fuit qualitative.

3. Item, alterius qualitatis est medicina et illud quod curatur per medicinam; sed caro Christi fuit in lumbis Patrum sicut medicina, sicut dicit Augustinus decimo super Genesim ad litteram [4], caro vero aliorum hominum sicut indigens medicina: ergo videtur, quod habuerit qualitatem aliam et aliam.

4. Item, quod totaliter corruptum est non est possibile ad curationem: si ergo Adam fuit possibilis ad curationem, aliqua particula remansit in eo incorrupta. Sed de illa particula, quae [5] sine corruptione erat, maxime decebat generari carnem, quae esset sine originali macula: ergo videtur etc.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Augustinus decimo super Genesim ad litteram [6]: « Eadem namque caro non Abrahae tantum, sed ipsius primi terrenique hominis simul habuit *vulnus* praevaricationis et *medicamentum* vulneris »: ergo si *medicamentum* vulneris spectat ad Christum, *vulnus* praevaricationis spectat ad alios, eadem igitur fuit caro Christi in primis parentibus cum carne aliorum: ergo non fuit distincta ab aliis.

2. Item, Magister in principio huius distinctionis [7] loquens de carne Christi: « Credi oportet iuxta sanctorum Doctorum convenientiam, ipsam prius fuisse peccato obnoxiam, sicut fuit reliqua Virginis caro »: restat igitur idem quod prius, quod non fuerit distincta ab aliis.

3. Item, quidquid lege corruptionis traducitur, corruptum est; sed tota caro Isaac, quae fuit traducta ab Abraham, fuit corrupta: aut igitur [8] caro Christi non fuit traducta ab Abraham in Isaac, aut si traducta fuit, ab aliis hominibus distincta non fuit.

4. Item, aut caro Christi fuit *similis* carni Abrahae reliquae, aut *non*. Si *similis*, habeo propositum; si *dissimilis:* ergo non videtur, quod talis caro competeret ad redemptionem humani generis [9]. Si ergo hoc est falsum et inconveniens, restat ergo, quod caro Christi a carne aliorum hominum non fuerit distincta.

5. Item, distinctio secundum oppositas *qualitates* praesupponit distinctionem secundum *substantiam*, quia oppositae qualitates non possunt esse in eodem et secundum idem [10]; sed caro filiorum in primis parentibus non potuit habere distinctionem secundum *substantiam*, quia non esset tot atomos invenire in corpore Adae, quot inde filii procreati sunt: ergo si caro Christi in primis parentibus non

---

[1] Vat. habet *impuritatis*, et paulo inferius post *quam* addit *caro aliorum hominum*, quod additamentum et infra in ipsa secunda quaestione reperitur.

[2] Vers. 25, ubi Vulgata cum edd. *inquinatum* pro *coinquinatum*. Verba deinde *Dei virtus et Dei sapientia* inveniuntur I. Cor. 1, 24. — Paulo superius post *aliorum filiorum* Vat. cum cod. A subiungit *Et quod sic videtur* [Vat. adhuc addit *secundum illud*]. Pro *unita* codd. U W X *iuncta*.

[3] Codd. U X *carnis*, Vat. *corruptionis vel carnis*.

[4] Cap. 20. n. 36. Verba ipsa videsis supra a. 1. q. 1. in corp. circa finem et q. 2. fundam. 1.

[5] Edd. loco *erat*, quod omittunt, hic exhibent *remansit*.

[6] Cap. 20. n. 36.

[7] Cap. 1.

[8] Pro *aut igitur* cod. V et edd. 1, 2 *ergo similiter*, Vat. *ergo simul*. Immediate ante pro *quae fuit traducta ab Abraham* cod. T *quia fuit traducta in Abraham*. Lectionem *in Abraham* habent etiam codd. G H L N U V aa cc. Edd. 1, 2 legunt *tota caro Abraham, quae fuit traducta in Isaac*.

[9] Vide infra d. 12. a. 1. q. 1.

[10] Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis*, et II. Periherm. c. 4. (c. 14.): Simul autem non contingit eidem inesse contraria. — De propos. seq. cfr. II. Sent. d. XXX. lit. Magistri, c. 13. — Mox pro *filiorum* cod. X substituit *aliorum*, in edd. legitur *aliorum filiorum*.

potuit distingui a carne aliorum secundum *substantiam*, videtur etc.

6. Item, si transfundebatur caro munda, aut *corruptibilis*, aut *incorruptibilis*. Si *incorruptibilis*: ergo corpus Christi debuit esse impassibile; quod falsum est. Si *corruptibilis*: ergo videtur, quod poterat transmutari in carnem reliquam et augeri ab alia: ergo et alia poterat pari ratione transmutari in aliis [1]: igitur aut caro illa fuit consumta, antequam perveniret ad Christum, aut fuit adeo multiplicata, ut possent inde mille corpora formari. Sed hoc est falsum: ergo etc.

CONCLUSIO.

Caro Christi in lumbis parentum, in quibus fuit materialiter, a carne aliorum hominum non fuit distincta qualitative vel formaliter.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hanc quaestionem fuit quaedam positio erronea quorundam dicentium, quod caro Christi non tantum distinctionem habuit a carne aliorum hominum, cum fuit unita animae Christi [2], sed etiam cum fuit in lumbis hominis primi. Dicebant enim, quod quia Adam reparabiliter peccavit, in peccato non permisit Deus totum corrumpi; et ideo remansit in eius semine aliqua portio incorrupta, ut per illam fieret medicamentum carni reliquae; et ex illa portiuncula [3] dicunt carnem Christi formatam, quam dicunt esse generis humani medicinam. Hanc autem particulam transmisit Adam ad Noe, et Noe ad Abraham, et Abraham ad David, et David usque ad Virginem, de qua natus est Christus. — Haec autem positio, etsi habere videatur probabilitatem in superficie, intrinsecus errorem [4] continet, pro eo quod non solum est contra *Sanctorum dicta* veridica, sed etiam contra verae *fidei documenta*. *Sanctorum auctoritatibus* repugnat: quia Damascenus, doctor Graecus, et Augustinus, praecipuus doctor Latinus, in hoc consentiunt, quod caro Christi ante unionem cum Verbo indistincta erat a reliqua Virginis carne. Damascenus [5] dicit, quod « de purissimis Virginis sanguinibus fuerit formata »; Augustinus dicit, quod « assumserit primitiam nostrae massae ». — Et hoc quidem necessarium est ponere, quia non fuisset necessaria Virginis sanctificatio ad hoc, quod formaretur caro Christi sine omni peccato. — Non esset etiam Christus vere de semine David et Abrahae, sed solum Adae; quoniam, si praedicto modo illa [6] particula descendisset, ad nullum aliorum pertineret nisi sicut *deferens*, quemadmodum aqua comparatur ad canalem. — Non etiam esset in tali carne verae passibilitatis assumtio nec nostrae infirmitatis vera reparatio, quia non de natura lapsa fabricasset sibi carnem, sed potius de instituta. — Quae omnia inconvenientia sunt et *fidei sanae* adversantia. Et ideo praedicta positio tanquam erronea est respuenda, sicut Magister bene innuit in littera [7], et Magister Hugo in libro de Sacramentis.

Planum est igitur secundum doctrinam catholicam, carnem Christi in lumbis parentum, in quibus fuit materialiter, a carne aliorum hominum non fuisse distinctam qualitative, vel formaliter, quamvis, postquam unita est Verbo, distinctionem habeat, pro eo quod non est *caro peccati*, sed *similis peccatrici*. Et pro tanto dicit Augustinus [8], quod « caro Christi venerit de altitudine humanae naturae », non quod in primis parentibus sine pollutione fuerit, sed quia sic purificata est et mundata in sua assumtione, quod similis fuit carni in statu innocentiae. Propter quod dicitur a Boethio [9] « de omni statu aliquid accepisse », sicut infra melius manifestabi-

Opinio 1, erronea.

Improbatur dupliciter.

Ratio 1.

Ratio 2. triplex.

Opinio 2, et conclusio.

---

[1] Hanc ultimam conclusionem, quae in Vat. desideratur, ex codd. C D G L N P Q S U W X Y bb et edd. 1, 2 restituimus, memoratis codd. aliquantulum tantum inter se dissentientibus. Etenim pro *et alia* codd. N U habent *et illa*, cod. C *alii*, cod. S *in aliam;* pro *poterat* plures codd. *poterant;* pro *in aliis* cod. C *in ipsam*, cod. S *in carnem*. Paulo ante pro *augeri* codd. C D G L W X substituunt *assumi*, edd. verbo *augeri* praefigunt *assumi vel*. Circa finem arg. pro *corpora* cod. N exhibet *homines*.

[2] Cod. F *cum fuit Verbo unita anima Christi*.

[3] Cod. A *particula*. Mox pro *particulam* Vat. *portiunculam*.

[4] Edd. voci *errorem* praemittunt *tamen falsum et*, ac deinde post *dicta* omittunt *veridica*. Mox pro *verae fidei* codd. M O substituunt *verbi Dei*, cod. Y *nostrae fidei*.

[5] Libr. III. de Fide orthod. c. 2. et IV. c. 14. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. Eodem loco, c. 3, habetur etiam dictum Augustini et asseritur, Christum primitias nostrae massae assumsisse, « quia non carnem peccati, sed similitudinem peccati accepit ». Quod August. etiam X. de Gen. ad lit. c. 18. n. 32. docet, et Serm. 27. (alias 20. de Verbis Apostoli) c. 2. n. 2, nec non Serm. 134. (alias 28. de Verbis Domini) c. 3. n. 4, ac Serm. 155. (alias 6. de Verbis Apostoli) c. 7. n. 7. etc.; sicut et in libris, quos scripsit contra Iulianum Pelagian., cuius doctrinam castigans dicit: Manichaeus haereticus carnem negat Christi; Pelagianus haereticus carnem peccati carni coaequare vult Christi; Christianus catholicus similitudinem carnis peccati discernit a carne peccati, ne blasphemet carnem Christi (IV. oper. imperf. contra Iulian. c. 81.). Similia dicit Enarrat. in Ps. 64. n. 5: « Tulit inde primitias ex utero virginali »; et expressissime in Ps. 70. serm. 2. n. 10: « Caro factus: unde caro? Ex Maria Virgine. Unde Maria Virgo? Ex Adam. Ergo ex illo primo captivo et caro in Christo de massa captivitatis ». Damasc., III. de Fide orthod. c. 2, carnem ex purissimis Virginis sanguinibus formatam et anima rationali animatam vocat *primitias nostrae conspersionis*, cuius locutionis explicationem infra habebis, dub. 2. — Pro *primitiam* edd. substituunt *primitiva*, et paulo inferius post *quia* bene interiiciunt *alias*.

[6] Edd. *ab illa*, et mox verbo *deferens* praefigunt *ad*.

[7] Hic c. 3. seq. Hugo II. de Sacram. p. I. c. 5. Cfr. eius Quaest. in Epist. ad Hebr. q. 69. — Pro *respuenda* codd. H N U V *reputanda*.

[8] In Glossa ordinaria super illud Ioan. 3: *Qui desursum est super omnes est* haec verba habentur, et infra in lit. Magistri, d. XVI. in fine, Augustino attribuuntur. — Pro *venerit* codd. N U *venit*.

[9] De Una Persona et duabus naturis, c. 8. Cfr. infra d. 15. et 16, et praesertim dub. 4. huius ultimae dist.

tur. — Unde rationes, quae ad hanc partem inducuntur, sunt concedendae.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium de Sapientiae septimo, quod nihil inquinatum in illam incurrit; dicendum, quod verum est; hoc enim intelligitur de Sapientia divina [1] secundum *divinam naturam*, quae nullo modo foedatur ex aliqua creatura; verumtamen, si etiam intelligatur secundum *humanam naturam*, adhuc non habet instantiam, quia caro Christi, ex quo fuit unita Verbo Dei, sancta fuit et immaculata. Sed ex hoc non sequitur, quod immaculata fuisset in primis parentibus, pro eo quod, quamvis in lumbis parentum esset unibilis, erat tamen in dispositione remota.

2. Ad illud quod obiicitur, quod maxima puritas debet esse in carne Christi; dicendum, quod verum est, secundum quod competit ad reparationem humani generis. Sic autem intelligendo, non potest maior puritas cogitari, quam quod de massa peccatrice formetur caro omnino immunis a peccato; et sic factum est in carne unita Verbo, operante Spiritu sancto. Quodsi intelligatur caro illa nunquam in se, vel in parentibus fuisse obnoxia [2]; non sic cogitatur, qualiter nostrae reparationi fuerit apta; et ideo non cogitatur, qualiter et sicut debet, sed potius assignatur, qualiter non debet.

3. Ad illud quod obiicitur, quod caro Christi est medicina; dicendum, quod verum est pro tempore, quo medicina est; medicina autem est pro eo tempore, quo a Verbo [3] assumta est; et sic alterius qualitatis est quam aliorum hominum. Pro eo autem tempore, quo fuit ante assumtionem, non erat medicina, nisi *materialiter* loquendo. Secundum illud tempus non oportet *formaliter* distingui ab alia carne, pro eo quod ex eodem principio materiali potest formari sanum et aegrum. Cibus enim eiusdem generis in sano convertitur in carnem sanam et in leproso in carnem corruptam.

4. Ad illud quod obiicitur, quod si totus esset corruptus, iam non esset medicabilis eius morbus; dicendum, quod illud argumentum dupliciter deficit. Primo, quia, etsi homo totus corruptus esset, non sequitur, quod incurabilis esset, nisi illa corruptio ei inseparabiliter adhaereret. *Praeterea*, etsi totus homo corruptus esset quantum ad ea quae erant in se, non tamen corruptum esset totum genus humanum, quod fabricatum est ex illa hominis carne; sed illud solum, quod processit secundum legem concupiscentiae. Et quoniam caro Christi in Virgine fabricata est praeter legem concupiscentiae a Spiritu sancto sanctificante [4], hinc est, quod caruit corruptione et rationem tenuit medicinae a sua primaria formatione.

Ratio 1.

Ratio 2.

SCHOLION.

1. Haec et seq. quaestio etiam a S. Thoma (S. III. q. 31. a. 6. 7; cfr. Comment. hic q. 4. a. 1. 2.) duabus quaestionibus, sed paulo aliter positis, tractatur, quarum prima est, utrum corpus Christi in antiquis Patribus fuerit secundum aliquid signatum; secunda, utrum caro Christi in Patribus fuerit peccato obnoxia. Communiter Scholastici ut erroneum reprobant figmentum illud, a nonnullis antiquis et etiam recentioribus sparsum, quod in Adam in peccatum lapso aliqua pars carnis a peccato non sit infecta et per subsequentes generationes incorrupte traducta, quod hic in corp. magis declaratur. Plura de hac opinione tradit Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. 1. c. 5.

II. Exceptis S. Thoma (locc. citt.), B. Alberto et Egidio R., alii mox citati hanc et seq. q. unica quaestione absolvunt: Alex. Hal., S. p. III. q. 9. m. 3. a. 4. — Scot., hic q. 2; II. Report. d. 33. q. unica n. 11. — B. Albert., hic a. 1. 27. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Ægid. R., hic q. 4. a. 1. dub. lat. 2. — Dionys. Carth., hic q. 5. — Biel, hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum Christi caro fuerit in parentibus aliter quam caro aliorum hominum secundum legem propagationis.

Secundo quaeritur, utrum caro Christi fuerit in parentibus aliter quam caro aliorum hominum secundum legem propagationis. Et quod aliter, illud videtur:

1. Auctoritate Augustini, decimo super Genesim ad litteram [5] tractantis illud Apostoli ad Hebraeos septimo: « *Adhuc erat in lumbis patris.* Secundum aliquem modum erat ibi Christus, quo non erat ibi Levi. Secundum rationem quippe seminalem fuit ibi Levi, qua ratione non fuit ibi caro Christi ».

Fundamenta.

---

[1] Codd. A F H N T U V Z et edd. 1, 2 omittunt *divina*.

[2] Supple cum codd. M O *peccato*. Paulo superius pro *operante* codd. U aa *cooperante*, ac subinde pro *Quodsi* codd. U V et edd. 1, 2 *quia si*. Mox pro *reparationi* multi codd. *reparationis*, edd. *redemptioni;* nostram lectionem defendunt codd. A E K P Q U X (bb a secunda manu). In fine solut. pro *assignatur* codd. A H U W substituunt *figuratur*, codd. F T V bb et edd. 1, 2 *significatur* (vel *signatur*) cod. Z *cogitatur;* cod. K omittit *assignatur*, voculae *potius* praemisso *ita*.

[3] Codd. F G H L N aa omittunt *a Verbo*.

[4] Pro *sanctificante*, quod abest ab edd., codd. W X Y *cooperante vel sanctificante*.

[5] Cap. 20. n. 35. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3. Verba ista ex longiori discursu Augustini contracta sunt, et additur: Cum enim sit in semine et visibilis *corpulentia* et invisibilis *ratio*, utrumque cucurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam usque ad corpus Mariae etc. — Verbum Apostoli habetur Hebr. 7, 25. — Pro *tractantis* plurimi codd. erronee *tractans*.

2. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione.* Mediatum principium reducitur ad immediatum [1]; sed Christus secundum alium modum propagandi exivit de utero Virginis, quam alii filii de ventre matrum suarum, pro eo quod non de virili semine: si ergo mediante beata Virgine dicitur fuisse in parentibus praecedentibus, videtur, quod alio modo fuerit caro eius in parentibus secundum legem propagationis quam aliorum hominum.

3. Item, si eodem modo fuisset caro Christi in parentibus sicut reliqui homines [2], ita peccasset, Adam peccante, sicut alii homines; sed hoc falsum est: ergo etc.

4. Item, eo modo habet res educi in *esse,* per quem modum habet in suo principio existere [3]; sed Christus non fuit genitus vel conceptus secundum legem naturae, sed potius mirabiliter, alii homines educuntur naturaliter: aliter igitur fuit caro eius quantum ad legem propagationis in lumbis parentum quam aliorum hominum.

Sed contra: 1. Magister dicit in littera [4]: « Caro illa, antequam Verbo fuisset unita, peccato fuit obnoxia in Maria, sicut reliqua Virginis caro »; sed caro, quae consimilis est secundum traductionem originalis, consimilis est secundum legem propagationis: ergo si caro Christi in lumbis parentum fuit obnoxia peccato, ergo et eadem lege a primis parentibus est traducta. Ad oppositum.

2. Item, omne quod descendit ab Adam in Seth, descendit secundum corpulentam substantiam et secundum seminalem rationem: ergo si caro Christi descendit ab Adam in Seth, et a Seth in alios parentes, videtur, quod secundum legem propagationis fuerit in lumbis parentum eodem modo, sicut caro aliorum hominum [5].

3. Item, semen, unde formatum est corpus Seth, in totis parentibus habebat rationem seminalem: ergo nihil inde futurum erat, quod non esset ibi et secundum corpulentam substantiam et [6] rationem seminalem; sed si caro Christi exinde facta est, videtur, quod ibi fuerit ad modum alterius carnis humanae.

4. Item, tota caro Virginis fuit in lumbis parentum secundum legem propagationis, sicut caro aliorum hominum; sed caro Christi fuit ex aliqua parte carnis Virginis: ergo secundum legem propagationis sic fuit in lumbis parentum, sicut caro totius humani generis.

CONCLUSIO.

Caro Christi secundum legem propagationis aliter fuit in parentibus, quam caro aliorum hominum.

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter est loqui de *carne* Christi: aut quantum ad *materiam,* unde [7] sumta est, aut quantum ad *formam,* secundum quam animae Christi coniuncta est et a Verbo in unitatem personae assumta. Si loquamur de carne Christi secundum *materiam,* hoc est de eo, unde facta est caro Christi; sic conceditur, quod peccato fuerit obnoxia, quia ante conceptionem Christi tota massa humani generis corrupta erat, sicut in praecedenti problemate monstratum est. — Si autem loquamur de carne Christi secundum *formam,* sic dicendum est [8], nunquam peccato fuisse obnoxiam, quia nunquam habuit illam formam, quin esset munda et immaculata. Distinctio circa carnem. Conclusio 1. Conclusio 2.

Secundum autem quod *caro* dicitur dupliciter, sic et de *propagatione* dupliciter contingit loqui: aut ratione sui *materialis,* aut ratione *formalis.* Si ratione *materialis,* sic propagata fuit ab Adam usque ad Virginem in tota illa genealogia, et tota illa propagatio fuit secundum legem naturae et concupiscentiae. Si quantum ad *esse actuale* et *formale,* sic concepta fuit a Virgine praeter legem communem [9] naturae et concupiscentiae. Conclusio 3. Conclusio 4.

Et sic patet, quod uno modo dicendi concedi potest, quod caro Christi, *materialiter* loquendo, sic fuit in lumbis parentum secundum propagationem, sicut caro aliorum hominum. Sed quoniam *caro,* quantum est de ratione sui nominis, non nominat *materiam ipsam* tantum, sed *materiam sub tali forma;* et [10] *propagatio* et lex propagationis, additum ei quod est *caro Christi,* respicit eius eductionem secundum *esse actuale:* hinc est, quod haec est impropria: caro Christi fuit peccato obnoxia; et haec: caro Christi fuit ex parentibus seminaliter traducta; et haec similiter: caro Christi fuit Notandum. Propositiones 3 impropriae.

---

[1] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 2. — Paulo superius verbo *ostenditur* codd. G L N S aa cc praefigunt *esse,* et subinde post *Mediatum* cod. U interiicit *propagandi.*

[2] Vat. verbo *homines* praemittit *alii,* et dein addit *vel caro aliorum hominum.* Cod. K post *homines* inserit *ergo.*

[3] Quia modus educendi supponit modum essendi sive modum, quo res in aliquo inest, vel actualiter, vel potentialiter, et hoc quidem aut secundum potentiam naturalem, aut secundum potentiam obedientialem.

[4] Hic c. 1. et 3. — Circa finem arg. post *eadem lege* edd. cum nonnullis codd. interiiciunt *cum aliis.*

[5] August., X. de Gen. ad lit. c. 20. n. 35: Cum enim sit in semine et visibilis corpulentia et invisibilis ratio [seminalis], utrumque cucurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam, usque ad corpus Mariae, quia et ipsum eo modo conceptum et exortum est.

[6] Cod. K hic repetit *secundum.* Mox pro *sed* cod. U *ergo.* Pro *corpulentam* codd. E H L N T U aa nec non edd. 1, 2 hic, et alii codd. pluries infra, *corruptam.*

[7] Pro *unde* codd. K Z *de qua.* Mox pro *in unitatem* codd. H Z bb *in unitate.* — De distinctione carnis, in quantum consideratur ut *materia* et in quantum ut *forma,* vide Aristot., I. Generat. et corrupt. text. 35. seqq. (c. 5.).

[8] Vat. supplet *ipsam carnem.*

[9] Vat. *omnem.*

[10] Vat. addit *hoc totum quod dicitur.* Mox pro *additum ei* codd. N U bb (K Z a secunda manu) et edd. 1, 2 *addita ei.*

in parentibus decimata; pro eo quod in omnibus, quantum est de vi sermonis, praedicatum attribuitur subiecto non ratione *materiae tantum*, sed ratione *materiae sub tali forma*. Caro enim est terminus substantialis; et ideo, quamvis supponat pro verbo de praeterito, oportet ad idem tempus referri formam praedicati cum subiecto [1]. Et ideo omnes praedictae locutiones tanquam falsae et impropriae sunt negandae, nisi proferantur cum determinatione, scilicet ratione *materialis principii*. Si autem alicubi absolute proferantur, sunt exponendae. — Nota tamen, quod haec est impropria: caro Christi fuit peccato obnoxia; sed haec magis impropria: caro Christi fuit seminaliter traducta; haec autem adhuc magis impropria et falsa: caro Christi fuit decimata — secundum quod magis ac magis in praedictis locutionibus caro accipitur ratione formae.

Nota.

Concedendum est igitur, quod aliter fuit caro Christi secundum legem propagationis in parentibus quam aliorum hominum. — Nam caro aliorum hominum ortum habuit a parentibus secundum *seminalem rationem* et secundum *legem concupiscentiae*. Illud autem dicitur *procedere secundum rationem seminalem*, quod quidem exit in *esse* secundum virtutem et operationem naturae; sicut sunt illa, in quorum productione natura non solum se habet per modum obedientis et suscipientis, immo etiam per modum naturae agentis et dantis speciem sive completionem; et hoc importat hoc quod dico *seminalis ratio*, proprie loquendo, sicut ostensum fuit in secundo libro [2], quamvis contingat extensiori modo uti praedicto vocabulo. — Illud autem intelligitur traduci *secundum legem concupiscentiae*, in cuius procreatione concurrit foeditas delectationis carnis ex parte viri generantis et mulieris concipientis. — Neutrum horum fuit in generatione Christi. Nam conceptio eius *mirabilis* fuit et supra virtutem naturae; non enim fuit ex virili semine, pro eo quod caro eius concepta fuit ex sola muliere. Fuit etiam praeter *legem concupiscentiae*, quia non intervenit delectatio ex commixtione sexus; conceptus enim fuit ex castissimis Virginis visceribus [3]. — Ideo concedendae sunt rationes, quae ad hanc partem inducuntur.

Conclusio principalis.

Ratio duplex.

1. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Magistri, dicendum, quod locutio ista est impropria, videlicet quod peccato fuerit obnoxia, et intelligendum est *materialiter;* et hoc Magister insinuat, cum dicit, quod peccato fuerit obnoxia, non *simpliciter*, sed in Maria [4], in qua *materialiter* erat. Unde non est simpliciter concedenda, sed exponenda tanquam impropria; et ex impropriis secundum earum improprietatem acceptis non licet arguere, sicut manifestum est; et ideo ratio non valet.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod quidquid descendit ab Adam in Seth, descendit secundum seminalem rationem; dicendum, quod *seminalis ratio* non dicit quid absolutum, sed quid respectivum; dicit enim respectum eius quod propagatur ad illud, de quo producitur. Cum ergo dicit, quod quidquid descendit ab Adam in Seth, descendit secundum seminalem rationem; dicendum, quod verum est per comparationem ad Seth et ad hos qui producendi erant secundum propagationem naturae, respectu quorum omnium semen decisum a lumbis Adae habuit virtutem sufficientem ad rationem seminalem. Respectu autem Christi non habet veritatem, pro eo quod totum illud, quod secundum legem naturae ex illo semine producendum erat, respectu carnis Christi se habebat in ratione *possibilis* [5] et *materialis*, quia non poterat reduci ad actum completum nisi per virtutem Spiritus sancti. Cum ergo dicit, quod quidquid fuit in Seth, fuit secundum seminalem rationem, verum est, si comparetur ad Adam; sed si comparetur ad Christum, non habet veritatem.

Quid sit ratio seminalis.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod totum semen decisum ab Adam habuit seminalem rationem; dicendum, quod verum est respectu eorum qui producendi erant secundum legem naturae; respectu Christi non habet veritatem. Quamvis enim in aliquo semine sit *ratio seminalis* secundum quamlibet eius partem, saltem formalem, ut ex eo aliquid possit fieri; tamen, si Deus aliquid faciat ex illo semine, ad quod non habebat ordinationem secundum naturam, dicitur fuisse in illo semine secundum *corpulentam substantiam*, non secundum *rationem seminalem*, quia semen illud respectu illius quod Deus educit, non habet vim sufficienter activam, sed passivam, secundum quam subministrat corporalem substantiam, esto etiam, quod illa seminalis ratio cooperaretur [6] ad subministrationem materiae

Notandum.

---

[1] Sententia huius est: et ideo *caro*, quamvis in dictis locutionibus propter verbum *fuit* supponat pro tempore conceptioni Christi antecedente, tamen propter adiunctum subiectum *Christi* referatur oportet ad tempus conceptionis Christi, respectu cuius caro nec fuit peccato obnoxia nec seminaliter traducta nec in parentibus decimata. — Aliquanto superius pro *in omnibus* cod. U *in his omnibus*. Deinde pro dictione *verbo de praeterito* codd. T V X exhibent *verbo praeterito*, et post *oportet* edd. subiiciunt *tamen*.

[2] Dist. 18. a. 1. q. 2. seq. — De propos. seq., in qua cod. Q *propagatione* pro *procreatione*, cfr. ibid. d. 31. a. 2. q. 3.

[3] August., X. de Gen. ad lit. c. 20. n. 35: Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumsit; ratio vero conceptionis eius non a semine virili, sed longe aliter ac desuper venit. — Paulo superius pro *ex sola muliere. Fuit etiam praeter legem* edd. *ex sola matre, neque secundum legem*.

[4] Pro *Maria*, quod exigente contextu cum Magistro posuimus, Vat. *matre;* codd. hic abbreviationem exhibent, qua communiter *materia* significatur. Paulo ante pro *intelligendum* cod. K *intelligenda;* edd. verbo *intelligendum* praefigunt *hoc*.

[5] Edd. cum pluribus codd. *passibilis*. Mox in edd. desideratur *completum*.

[6] Edd. et nonnulli codd. *comparetur*. Paulo superius pro *esto etiam* codd. L aa *Esto enim*.

illius rei faciendae; ut si plantaretur unum semen parvum, ita quod de illo produceretur arbor magna, cuius magnitudo materia esset ad productionem magni corporis alterius speciei. Sic et in proposito intelligendum est, cum dicitur, Christum [1] fuisse in lumbis parentum secundum *corpulentam substantiam*, non secundum *seminalem rationem*; Notandum. non quia substantia Christi corporis ibi tota fuerit, sed quia erat aliquanta materia, quae per vim seminalem poterat augmentari et crescere, apposito sibi alimento, ita ut corpora omnium hominum inde possent fabricari; et per illam vim sunt corpora omnium hominum fabricata, excepto solo corpore Christi, quod fabricatum fuit per virtutem supernam, sicut melius manifestabitur infra [2]. — Et sic patet, pro quanto Christus dicitur fuisse in Adam secundum *corpulentam substantiam*; et quod non sequitur, si fuit in semine Adae, quod fuerit in illo secundum *seminalem rationem*. Ad haec autem intelligenda valent illa quae determinata sunt secundo libro, distinctione trigesima [3].

4. Ad illud quod obiicitur, quod tota caro beatae Virginis fuit ibi secundum seminalem rationem, sicut caro aliorum hominum; dicendum, quod in illo argumento est sophisma *secundum accidens*, sicut dictum fuit supra [4] de decimatione.

SCHOLION.

1. Ex principio in praecedenti quaest. probato, quod *tota* caro antiquorum Patrum fuit obnoxia peccato originali, sequi videtur, etiam *carnem Christi* ante assumtionem obnoxiam fuisse peccato; quod etiam verba Magistri (cfr. hic arg. 1. ad oppos.) simpliciter concedere videntur. Quam conclusionem ut evertat, S. Doctor in hac quaestione accuratius discutit illud principium ab omnibus concessum, quod Christus non eadem lege propagationis descenderit ab Adam, sicut alii homines, cum scilicet caro eius non secundum *seminalem rationem* fuerit ab Adam traducta, sed tantum *materialiter* (de his cfr. hic ad 2. 3, et praecipue II. Sent. d. 30. a. 3. q. 2. et scholion). Unde hac ratione aliter fuit in Adam caro Christi, aliter caro aliorum hominum. De his et de ipsa re nulla est inter Scholasticos differentia opinionum, sed tantum de *modo loquendi*, utrum scilicet dici possit, carnem Christi fuisse *in Patribus* peccato obnoxiam. S. Thomas videtur hanc locutionem simpliciter concedere; sed eam intelligit in hoc sensu: *nempe eo modo, quo fuit in Patribus*. In Patribus autem eadem fuit tantum *secundum materiale principium*. S. Bonaventura vero cautius loqui vult, nec praedictam locutionem admittit ut proprie dictam, nisi explicite addatur: *ratione materialis principii*. — In dub. 1. huius partis auctor noster explicat *sensum* huius locutionis, quod in Maria et Patribus caro Christi sit peccato obnoxia, scilicet non ratione *culpae*, sed ratione *causae* et *sequelae* peccati.

II. Praeter laudatos in scholio ad 1. quaest.: S. Thom., hic q. 4. a. 1; S. III. q. 31. a. 7. — B. Albert., hic a. 26. — Ægid. R., hic q. 4. a. 1. et dub. lat. 1.

ARTICULUS III.

De perfectione corporis dominici.

Consequenter quaeritur de perfectione corporis dominici. Et circa hoc quaeruntur duo.

Primo quaeritur de perfectione dominici corporis quantum ad molem.

Secundo de eius perfectione quantum ad membrorum distinctionem.

QUAESTIO I.

Utrum corpus Christi productum fuerit ad perfectam molem subito, an successive.

Quaeritur ergo primo, utrum corpus Christi productum fuerit ad perfectam molem subito, aut successive. Et quod *successive*, ostenditur.

1. Lucae secundo [5]: *Puer iste crescebat aetate;* Fundamenta. sed ad crementum aetatis sequitur crementum molis: ergo etc.

2. Item, sicut patet ex historia evangelica, Christus habuit necessitates infantiles, unde et lactatus fuit a Matre [6]; hoc autem non esset, nisi parvulus fuisset in quantitate: ergo videtur, quod prius tempore fuerit in quantitate modica quam perfecta.

3. Item, augmentum sequitur nutrimentum [7]; sed corpus Christi alebatur, sicut corpus alterius hominis, successive: ergo similiter videtur, quod augebatur paulative et successive.

4. Item, Christus assumsit naturam passibilem et mortalem; sed talis est natura mortalis, quod aut crescit, aut decrescit; aut proficit, aut deficit — vix enim unquam *in eodem statu permanet*, ut dicitur in Iob [8] — ergo si non competebat Christo decrescere, videtur, quod talem naturam assumserit, quod semper in hac vita quantum ad corpus profecerit: ergo

---

[1] Codd. G Z aa bb *Christus*. Paulo inferius codd. T V omittunt *et crescere*.

[2] Art. seq. q. 2. et d. 4. a. 3. q. 1. — Mox pro *dicitur* codd. G K Z bb *dicatur*.

[3] Art. 3. q. 1. seq. Vide etiam August., X de Gen. ad lit. c. 20. n. 35.

[4] Art. 1. q. 2. ad 4.

[5] Vers. 40, ubi Vulgata: *Puer autem crescebat*, omisso *aetate*, quae vox etiam in cod. V deest.; sed v. 52. legitur: Et Iesus *proficiebat* sapientia *et aetate* etc. — Paulo ante pro *productum* Vat. cum nonnullis codd. *perductum*.

[6] Cfr. Luc. 2, 12. et 11, 27.

[7] Vide Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 25-42. (c. 3.) et II. de Anima, text. 37. (c. 4.).

[8] Cap. 14, 2. — Pro *unquam* multi codd. incongrue *nunquam*; edd. *vix enim aut nunquam*; cod. G breviter *non enim* in eodem etc. Paulo post pro *quod semper* cod. K *quae semper*.

per successionem temporum ad perfectam quantitatem pervenit.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Ieremiae trigesimo primo [1]: *Mulier circumdabit virum*; hoc intelligitur de Christo et beata Virgine; sed *virum circumdari in utero* est in utero contineri, ad virum autem spectat corpus perfectae quantitatis habere: ergo videtur, quod corpus Christi in utero Virginis fuerit secundum quantitatem molis: non igitur ad perfectionem venit per successionem temporis.

2. Item, hoc ipsum videtur per hoc quod sequitur in eadem auctoritate [2]: *Novum faciet Dominus super terram*; sed novum est cuius simile non praecessit; sed quod mulier in utero habeat puerum parvae quantitatis, hoc non est novum: ergo videtur, quod Christus statim fuit ad perfectionem quantitatis productus, ex quo de Virgine est conceptus.

3. Item, divina virtus *summa* est et *perfecta*; quia *summa* est, nata est operari subito et in instanti; quia *perfecta* est, nata est educere operationem perfectam [3]: si ergo formatio corporis Christi fuit a virtute increata, videtur, quod ab instanti conceptionis corpus illud eductum fuerit in quantitate perfecta.

4. Item, sicut anima coniuncta est Verbo in unitate personae immediate, ita et corpus; sed anima statim, quando unita fuit Verbo Dei, perfecta fuit in virtute et scientia [4], ergo pari ratione et corpus in quantitate et figura: non igitur videtur, quod per successionem temporis quantitas corporis Christi fuerit ad perfectionem deducta.

Conclusio.

Corpus Christi quoad quantitatem molis ad perfectionem deductum est per successionem temporis, quod fuit valde congruum.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod corpus Christi quantum ad quantitatem molis ad perfectionem deductum est per successionem temporis. — Et ratio huius est, quia perfectio quantitatis illius corporis fuit operatione naturae, cuius est operari secundum successionem temporis. Ratio

Quaestio incidens.

Si autem quaeratur: unde est hoc, quod Deus corpus illud ad perfectionem voluit deduci mediante naturae operatione? dicendum, quod hoc fecit Deus valde congrue. Hoc enim quamvis alio modo facere posset, sic [5] fecit ad *confirmandam fidei veritatem*, ad *commendandam humilitatis virtutem*, ad *conservandam universitatis legem*. — In hoc enim *fidei veritas confirmatur*, dum manifeste ostenditur per conversationem diuturnam et similem modum proficiendi in aetate, quod Christus non phantasticam, sed veram carnem assumsit. Et hoc quidem fuit valde opportunum, quia sine fidei veritate nullus est incarnationis fructus [6]. — *Humilitatis* etiam *virtus* in hoc *commendatur*, dum Dei Filius, qui est *Rex regum et Dominus dominantium* [7], factus est parvulus; et qui prius nullo indigebat, lacte materno, sicut alii parvuli, pascebatur, pannis involvebatur et alia plura gessit, in quibus humilitatis utilitas commendatur. Et hoc fuit valde opportunum, quia propter hoc potissime Deus de caelo descendit, ut superbiam exstirparet [8]. — *Universitatis* etiam *lex et ordo conservatur*, quia Deus unicuique naturae concessit propriam operationem, nec utitur miraculis, ubi natura sufficienter per se potest operari [9]. Et quia natura in Christo satis sufficienter poterat corpus Christi ad perfectam quantitatem deducere, ita quod in nullo derogabatur eius dignitati; ideo noluit Deus tempus anticipare, ut tanquam iustus universitatis administrator unumquodque iuxta virtutem sibi competentem operari sineret [10]. Et hoc quidem convenebat, quia naturam nolebat perimere, sed reparare. — Et in hoc insinuat, quod maior potestas usum inferioris potestatis non debet absque causa privare. Ratio triplex. Ratio 1. Ratio 2. Ratio 3. Nota.

Et sic patet, quod valde rationabiliter Deus corpus Christi ad perfectam quantitatem molis deduxerit [11] per temporis successionem. Unde et rationes hoc probantes concedendae sunt.

---

[1] Vers. 22. — Paulo inferius post *in utero Virginis* codd. M O adiungunt *perfectum*; edd. ante *quantitatem molis* inserunt *perfectam*.

[2] Ierem. 31, 22. — Circa finem arg. edd. cum nonnullis codd. *perductus* pro *productus*.

[3] Cod. H *quia perfecta, non operatur imperfectione; sed corpus Christi eductum est per divinam virtutem: ergo ab instanti* etc. Paulo inferius pro *ab instanti* cod. T (a secunda manu) *a primo instanti*, edd. *in instanti*.

[4] Vide infra d. 15. a. 2. q. 1. — Circa finem arg. edd. post *Christi* addunt *quantum ad quantitatem molis* et pro *fuerit deducta* habent *sit deducta*.

[5] Edd. cum paucis codd. adiciunt *tamen*.

[6] Cfr. supra d. 2. a. 2. q. 1. — Paulo superius pro *diuturnam*, quod cod. V et edd. 1, 2 omittunt, codd. L as et Vat. *diutinam*. Deinde pro *in aetate*, quod desideratur in cod. V, plurimi codd. *in aetatem*. Mox pro *opportunum* codd. L as cum edd. 1, 2 *optimum*.

[7] Epist. I. Tim. 6, 15. et Apoc. 19, 16.

[8] De quo August., Enarrat. in Ps. 33, enarrat. 1, n. 4: Omnis enim mortalitas hominum superbia tumuerat. Et si existeret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant Prophetae, Patriarchae, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei. — Paulo superius pro *humilitatis utilitas* cod. bb substituit *humilitatis virtus*, quae lectio revera sincerior est; codd. G H K L N ea habent *humilitatis veritas*.

[9] Cfr. Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 32. (c. 4.), ubi Deum et naturam nihil frustra facere asserit. Vide tom. I. pag. 746, nota 6, et tom. II. pag. 198, nota 3.

[10] August., VII. de Civ. Dei, c. 30: Sic itaque administrat omnia quae creavit, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat. — Paulo superius cod. Q *adducere* pro *deducere*.

[11] Codd. A H *perduxerit*.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium de auctoritate Ieremiae, dicendum, quod *vir* dicitur ibi Christus non ab aetate corporis, sed a vigore animi, quia plenus fuit virtutibus et scientia ab instanti conceptionis [1].

2. Ad illud quod obiicitur, quod novum fuit; dicendum, quod *novitas* attenditur in hoc, quod ipse erat Deus et homo, cuius simile nunquam praecesserat; et in hoc, quod ab instanti conceptionis vir fuerat adeo perfectus, quod proficere nunquam potuit, et huius simile nunquam fuit [2]. Et sic patet, quod non oportuit, quod esset quantitatis perfectae ad hoc, quod novum quid esset. Unde ratio illa peccat *secundum consequens*.

3. Ad illud quod obiicitur, quod virtus infinita operatur in instanti; dicendum, quod verum est, quando virtus infinita operatur secundum *totalitatem* suae potentiae et operatur *per se*. In perfectione autem dominici corporis non tantum operatur virtus divina, sed etiam creata, cuius est operari successive, sicut ostensum est supra [3]; et illius est operari succesive, cum sit virtus finita.

4. Ad illud quod obiicitur, quod ab instanti conceptionis fuit perfectus virtute et scientia; dicendum, quod non est simile, quia, quamvis deceret Deum assumere aliquas poenalitates ad redemptionem nostram, non tamen decebat assumere culpam, vel ignorantiam; ideo magis habuit horum opposita, scilicet virtutem et scientiam, quam in instanti perduci [4] ad corporis quantitatem perfectam.

SCHOLION.

I. De 1. quaestione huius articuli nulla est difficultas, nec de ea alii magistri explicite tractant. — In solvenda 2. quaestione omnes concedunt, carnem Christi in eodem instanti divina virtute et conceptam et animatam et assumtam fuisse. Haec doctrina Ss. Patrum (cfr. lit. Magistri d. II. c. 3.) confirmatur Epistola synodica Sophronii, confirmata a Concilio oecumenico VI, ubi inter alia dicitur: Incarnatur Verbum et Deus, non prius formatae carni se coaptans, vel corpori iam prius formato et in se subsistenti se connectens, vel prius subsistenti animae se componens, sed tunc his productis ad existentiam, quando eis Verbum ipsum et Deus se componebat... Simul enim caro et simul Dei Verbi caro; simul caro animata rationalis, quia in ipso et non in se habuit existentiam ». Hoc supposito communiter Ss. Patres et theologi tenent, in ipso conceptionis momento id quod concipiebatur perfectum fuisse hominem perfectumque Deum (cfr. supra d. 2. dub. 3, et lit. Magistri, hic c. 4. in fine.).

II. De 2. quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 9. m. 4. — Scot., in utroque Scripto III. Sent. d. 2. q. 3. — S. Thom., hic q. 5. a. 2; S. III. q. 33. a. 1-3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 4. — Richard. a Med., III. Sent. d. 2. a. 2. q. 4. — Ægid. R., III. Sent. d. 2. q. 2. a. 4. — Dionys. Carth., III. Sent. d. 2. q. 6. — Biel, III. Sent. d. 2. q. unica in princ.

QUAESTIO II.

Utrum in corpore dominico formatio et distinctio membrorum facta sit subito, an succesive.

Secundo quaeritur de eius corporis perfectione quantum ad membrorum distinctionem, et est quaestio, utrum membrorum formatio et distinctio facta sit subito, an successive in corpore dominico. Et quod *non subito*, videtur.

Ad oppositum.

1. Augustinus, in quarto de Trinitate [5] tractans illud verbum Ioannis secundo: *Solvite templum hoc... dixerunt Iudaei: Quadraginta sex* etc.; ibi Augustinus: « Hic numerus perfectioni dominici corporis congruit, quia, ut dicunt physici, tot diebus forma humani corporis perficitur »: ergo non videtur, quod corpus Christi ab instanti conceptionis organizatum fuerit et formatum. *Si tu dicis*, sicut dicit Magister in littera [6], quod hoc dictum fuit propter incrementum molis; tunc non videtur, quod quadraginta sex diebus perfectum sit, quia ad perfectionem hanc non pervenit usque ad annos viginti.

2. Item, ad Hebraeos secundo [7]: *Per omnia debuit fratribus similari*, ergo videtur, quod in modo formationis corporis; sed corpora aliorum hominum successive formantur: ergo videtur, quod similiter corpus Christi.

3. Item, corpus Christi nutritum et augmentatum fuit, sicut corpora aliorum hominum successive [8]: ergo videtur pari ratione, quod fuerit successive formatum.

---

[1] Cfr. supra part. I. huius dist. a. 1. q. 3. in corp. — Pro *non ab aetate* [cod. G *a venustate*] *corporis, sed* Vat. *scilicet.*

[2] Vide solut. ad 1. De perfectione corporis Christi vide q. seq. — Pro *proficere* cod. N *perfici.* In fine solut. cod. A *peccat et est ibi consequens*, de qua fallacia agit Aristot., I. Elench. c. 4. (c. 5.); cfr. tom. I. pag. 628, nota 1. et pag. 691, nota 5.

[3] In corp. quaest. — In codd. G H L M N O Z aa bb et aliis desunt verba *sicut ostensum est... successive.*

[4] Cod. K supplet *vellet.* Pro *perduci* cod. bb et edd. 1, 2 *produci*, cod. G *adduci.* Post *opposita* Vat. addit *in conceptione.* Paulo superius pro *aliquas poenalitates* codd. G K L Z aa *alias poenalitates.*

[5] Cap. 5. n. 9; sententialiter; verba ipsa habes hic in lit. Magistri, c. 4. — Locus s. Script. est Ioan. 2, 19.

[6] Hic c. 4. — Paulo inferius pro *quadraginta sex* plurimi codd. falso *quadraginta* tantum. Deinde pro *viginti* codd. F Y *triginta.*

[7] Vers. 17. — Mox post *corporis*, quod abest a codd. L X aa, edd. adiiciunt *sequitur aliorum hominum corpora.*

[8] Ut ostensum est q. praeced.

4. Item, formationem corporis[1] antecedit consolidatio, et consolidationem antecedit conversio, et conversionem seminis decisio: si ergo quaelibet istarum operationum non potest fieri in minori quam in instanti, et una est ordinata ad aliam; ergo videtur, quod formatio corporis non poterit esse instantanea.

Sed contra: 1. Augustinus in libro de Fide ad Petrum[2]: « Firmissime tene, et nullatenus dubites, non carnem Christi sine divinitate in utero Virginis conceptam, priusquam susciperetur a Verbo; sed Verbum non suscepit nisi carnem formatam, et in instanti suscepit eam »: igitur videtur, quod in instanti corpus Christi fuerit ad perfectionis organizationem deductum. Fundamenta.

2. Item, Augustinus, in libro de Trinitate[3]: « Non ex utero Virginis prius caro concepta est, et postea divinitas venit in carnem; sed mox ut Dei Verbum in uterum venit, factum est caro, servata proprietate naturae, et perfectus homo in veritate carnis et animae ».

3. Item, Virgo beata dicitur concepisse Filium Dei ratione carnis assumtae ex ipsa; sed non est communicatio idiomatum nisi propter unionem[4], non est autem unio nisi ad naturam perfectam: ergo cum in instanti conceptionis verum sit dicere, Filium Dei conceptum ex Virgine; necesse fuit, et corpus ad perfectam organizationem esse deductum.

4. Item, conceptio Christi fuit virtute[5] mirabili et mirabiliter operante; sed virtus mirabiliter operans est infinita et operans infinite: ergo videtur, quod eius operatio debeat esse instantanea; et si hoc, corpus dominicum in instanti in perfecta organizatione fuit constitutum.

CONCLUSIO.

Corpus Christi ab instanti conceptionis habuit perfectionem organizationis.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio, sicut dicit Augustinus[6], corpus Christi ab instanti conceptionis habuit perfectionem organizationis. — Et ratio huius sumi potest ex parte *Verbi assumentis*, et ex parte *virtutis efficientis*, et ex parte *Virginis concipientis*. — Ex parte *Verbi assumentis:* quia non decebat Verbum assumere partem humanae naturae, ut esset homo *secundum quid*, sed totam humanam naturam, et ita carnem et animam, maxime cum anima det carni congruentiam, ut uniatur cum natura divina, sicut ostensum est supra[7]. Et quoniam anima non est nata uniri nisi carni formatae et organizatae, ideo in primo instanti conceptionis necesse fuit, corpus ad perfectionem organizationis perduci. — Ratio etiam est ex parte *virtutis operantis:* quia ibi virtus divina operabatur mirabiliter. Hoc enim est miraculum miraculorum, quod femina concipiat Deum. Et ideo ad suae mirabilis potentiae ostensionem subito formavit illud corpus, quod natura non potest formare nisi successive. — Ratio vero nihilominus est ex parte *Virginis concipientis*, quae statim, ut consensit, repleta fuit Spiritu sancto et Mater Dei effecta, iuxta illud quod Angelus annuntiabat[8]. Et quoniam Mater Dei non erat, nisi Deus unitus esset carni, quam conceperat; et caro nec Deo nec animae congrueret uniri, nisi haberet membrorum distinctionem convenientem: hinc est, quod ab instanti conceptionis corpus Christi debuit in membrorum distinctione perfectum esse. — Unde concedendae sunt rationes ad istam partem inductae. Ratio triplex. Ratio 1. Ratio 2. Ratio 3.

1. Ad illud quod obiicitur, quod numerus quadraginta sex dierum congruit perfectioni corporis dominici; dicendum, quod in Scriptura frequenter dicitur res tunc *fieri*, cum *innotescit*[9]; et per hunc quidem modum verbum beati Augustini est intelligendum, quia, etsi corpus dominicum ab instanti conceptionis fuit formatum, non tamen *apparuit* nec percipi potuit prae parvitate quantitatis molis; sed post quadraginta sex dies ad tantam perfectionem quantitatis[10] deductum est, quod aspectibus hominum patere potuit. Unde corpus Christi illud in *incremento* cum aliis corporibus similitudinem habuit, quamvis non haberet similitudinem in *formatione primaria;* non enim naturaliter, sed mirabiliter Conclusio. Solutio oppositorum. Notandum.

---

[1] Edd. *veri corporis.* In fine arg. pro *poterit* Vat. *potuerit.*

[2] Cap. 18. n. 61, ubi post *a Verbo* textus origin. sic prosequitur: sed ipsum Verbum Deum suae carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam. Cfr. Fulgent., Epist. 17. c. 2. n. 4. et c. 3. n. 7. — Vat. cum edd. 4, 2 post *a Verbo* addit *fuisse*, deinde sola post *carnem formatam* subnectit *conceptam perfecte.* — Paulo inferius pro *perfectionis* codd. KN *perfectam.* Mallemus, ut infra, *perfectionem organizationis.*

[3] Cfr. de hoc testimonio supra lit. Magistri, d. II. c. 3. — Post *prius caro* codd. L aa subiiciunt *Christi*, et in fine arg. codd. M O addunt *natus est*, quod et in lit. Magistri habetur loc. cit.

[4] Cfr. supra pag. 14, nota 3. — Seq. propos. explicatur hic in corp. quaest. — Post *sed non est* edd. cum nonnullis codd. inserunt *ibi.* In fine arg. pro *esse deductum* cod. N exhibet *fuisse deductum.*

[5] Cod. K *a virtute.* Paulo inferius pro *debeat* edd. *debebat.*

[6] Vide hic in fundam. 1. et 2.

[7] Dist. 2. a. 3. q. 1. — In seq. propos. respicitur illa ab Aristot., II. de Anima, text. 6 data definitio animae: Anima est primus actus corporis physici, organici potentia vitam habentis. — Pro *cum natura divina* cod. F *cum Verbo humana natura*, codd. E H T *cum divina humana natura*, codd. A U V W X Y et edd. 4, 2 *cum divina et humana natura.* Paulo superius pro *ut esset homo* Vat. *et esse hominem.* Paulo inferius pro *ad perfectionem organizationis* cod. N *ad perfectam organizationem*, edd. cum nonnullis codd. *ad perfectionis organizationem.*

[8] Luc. 1, 26. seqq. — Paulo inferius Vat. omittit *uniri.* Pro *nisi Deus unitus* etc. edd. 4, 2 *nisi Deus, quem conceperat, unitus esset carni, et caro... congrueret, congruerat matri, ut haberet* etc.

[9] Cfr. supra pag. 62, nota 7.

[10] Cod. U adiicit *molis.* Pro *perfectionem quantitatis* edd. exhibent *quantitatem perfectionis.*

formatum fuit. Et sic intelligenda sunt verba Augustini in quarto libro de Trinitate et in libro Octoginta trium Quaestionum [1], quae ad praesens omittuntur ob vitandam prolixitatem.

2. Ad illud quod obiicitur de verbo Apostoli, quod per omnia debuit fratribus assimilari; dicendum, quod verum est quantum ad ea quae faciebant ad reparationem generis humani, sicut hoc quod est *tentari, conversari cum hominibus* et *pati*. Sed in modo conceptionis, quia in nobis annexam habet traductionem originalis peccati, non debuit assimilari, quia non competebat hoc hominum [2] Mediatori et Reparatori.

3. Ad illud quod obiicitur, quod similiter fuit nutritum et generatum [3]; dicendum, quod non est simile, quia nostra augmentatio et nutritio culpam non habet annexam, sicut nostra generatio; et ita non sic debuit assimilari in generationis primordio, sicut in augmento et nutrimento.

4. Ad illud quod obiicitur, quod formationem praecessit consolidatio, et consolidationem conversio; dicendum, quod duplex est ordo, videlicet secundum *tempus* et *naturam*, vel secundum *naturam tantum* [4]. Isti autem tres actus ordinem habent in nostra generatione utroque modo, quia nostra generatio est a virtute finita, quae operatur in tempore. In generatione autem Christi non habent ordinem nisi secundum *naturam;* et quoniam habentia ordinem secundum *naturam* simul esse possunt *tempore* absque aliqua incompossibilitate: hinc est, quod nihil impedit, illos actus esse [5] in generatione dominica, quamvis non sint simul in generatione nostra. — Unde ratio illa non cogit, quia aut procedit ab *ordine* secundum *naturam* ad ordinem secundum *tempus*, aut procedit ab *operatione naturae* ad *operationem virtutis divinae*. Et nullo istorum modorum est ibi necessitas consequentiae [6]. Duplex ordo. Notandum.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicitur, quod *caro illa, antequam esset Verbo unita, fuit peccato obnoxia in Maria*. Videtur enim falsum, quia non est peccatum nisi in anima, vel ratione animae; sed caro illa non fuit ante animata quam Verbo unita: ergo non fuit peccato obnoxia. — Item, beata Virgo ante conceptionem Filii Dei fuit sanctificata [7]: ergo caro eius non fuit peccato obnoxia.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut tactum fuit in praecedentibus [8], aliquando *peccatum* dicitur ipsa poena vel sequela. Dico ergo, quod caro non dicitur obnoxia peccato ratione *culpae*, sed ratione *foeditatis*, quae est culpae *causa*, et ratione *passibilitatis*, quae est culpae *poena;* et utroque modo fuit peccato obnoxia in Maria ante sanctificationem; secundo modo postea [9]. Et sic patent illa duo.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicitur, quod *primitiam nostrae massae dicitur Christus assumsisse*. Videtur hoc esse falsum, quia, cum incarnatus sit in fine saeculorum, potius videtur assumsisse *reliquias* nostrae massae quam *primitiam*.

Respondeo: Dicendum, quod *primitiam* nostrae massae dicitur Christus assumsisse triplici ratione. Nam *primitia* dicitur ab eo quod est primum; primum autem dicitur aliquid et secundum ordinem *temporis* et secundum ordinem *dignitatis* [10]. Quantum ad ordinem *dignitatis* non est dubium, quin Christus assumserit nostrae carnis primitiam, pro Triplex ratio. Distinctio. Ratio 1.

---

[1] Quaest. 56, ubi S. Doctor de 46 diebus idem profert ac hic in arg. 1. ad oppos. — Codd. N H *miraculose* pro *mirabiliter*.

[2] Vat. *homini*. In principio solut. pro *assimilari* codd. G K *similari*.

[3] Edd. *augmentatum*, cui codd. K S, quasi explicantes nostram lectionem, addunt *ergo et formatum*.

[4] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Priori* et c. *de Simul*. — Circa initium solut. post *formationem* edd. adiiciunt *veri corporis* et subinde cum cod. Z pro *praecessit* exhibent *praecedit*.

[5] Intellige cum cod. H *simul esse*. Circa finem solut. codd. K Q U X Z voculae *istorum* adnectunt *praedictorum*.

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] De quo vide supra p. I. huius dist. a. 2. q. 2. seq. — Paulo superius pro *ante animata* edd. cum paucis codd. perperam *ante nata*; cfr. supra a. 3. q. 2.

[8] Part. I. huius dist. a. 2. q. 1. ad 1. et 3; q. 2. fundam. 1. et dub. 5. — Mox pro *vel sequela* codd. A K U Z *aliquando* [cod. Z *vel aliquando*] *actus peccati, aliquando causa peccati*. — Quo melius intelligantur quae S. Doctor. in seqq. exponit, et ad conciliandas diversas locutiones, quibus utitur, ex II. Sent. d. 31. a. 2. q. 1. adducimus haec: « In carne Adae propter peccatum duplex fuit corruptio, una scilicet *purae poenalitatis;* et ex hac anima, cum coniungitur corpori, contrahit *passibilitatem*. Alia vero fuit corruptio *vitiositatis* sive *foeditatis*, per quam caro est spiritui rebellis; et ex hac anima contrahit *culpam originalem*, quoniam talis vitiositas quasi medium tenet inter culpam et poenam ». Cfr. ibid. dub. 1. Cum hac secunda corruptione coniunctus est *fomes concupiscentiae;* qui etiam, sicut illa, a S. Doctore modo *causa*, modo *poena* sive *sequela* peccati vocatur, prout sub diversis respectibus consideratur. Cfr. locc. in princip. huius notae citt.

[9] Pro *postea* codd. K Z *tantum post sanctificationem*. Paulo ante edd. cum uno alterove codice *obnoxia Maria* pro *obnoxia in Maria*. — Cfr. de hoc dubio supra a. 2. q. 2. S. Thom., Petr. a Tar., et Richard. a Med., hic circa lit.; Aegid. R., hic q. 4. a. 1. dub. lat. 1.

[10] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Priori*, et V. Metaph. text. 16. (IV. c. 11.). — In hoc dubio edd. pro *primitia* substituunt *primitiva*.

eo quod eius caro excedit omnem dignitatem carnis humanae [1]. Secundum autem quod *primitia* dicitur a prioritate secundum *tempus*, dicitur Christus assumsisse primitiam nostrae massae non per prioritatem, sed per *conformitatem* et similitudinem. Duplex est autem ratio conformitatis ibi: una quantum ad *qualitatem*, alia quantum ad *virtutem*; quantum ad *qualitatem*, quia, sicut caro, quae in principio fuit creata, caruit omnis vitii corruptela; sic et caro a Verbo assumta [2]. Quantum vero ad *virtutem* est similitudo, quia in his quae primo nascuntur, intensior est naturae vigor, ut ad maturitatem pertingant; et talia dicuntur *primitia*, id est primi fructus, qui debebant offerri Domino [3]; talis autem fuit caro Christi. — Et sic patet, pro quanto dicatur *primitia*, tum propter dignitatem, tum propter munditiae qualitatem, tum propter virtutis vigorem, propter quem ceteros praecellit, prius pertingens ad maturitatem perfectionis et dulcedinis gloriam; et pro tanto dicitur [4] assumsisse primitiam nostrae massae. — Et per hoc patet determinatio rationis praedictae; procedit enim de primitia, secundum quod dicitur a prioritate originis.

Alia distinctio.

Ratio 2.

Ratio 3.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sola illius non est caro peccati, quia non eum mater concupiscentia, sed gratia concepit.* Si enim concupiscentia est vitium et defectus, non ergo est generationis principium. Nihil ergo est dictum, cum ait: *non eum mater concupiscentia concepit.*

Respondeo: Dicendum, quod littera ista dupliciter potest intelligi: uno modo, quod *concupiscentia* sit *nominativi casus*, et sic [5] constructio appositiva; et tunc negat Magister, quod Christum non concepit concupiscentia, sed gratia tanquam mater, pro eo quod concupiscentia locum tenet matris in generatione filiorum peccati, secundum illud Ezechielis [6]: *Pater tuus Amorrhaeus, et mater tua Cethaea*, ut per *Amorrhaeum* intelligamus diabolum, et per *Cethaeam* concupiscentiam. — Sed *gratia* econtra est mater in generatione spirituali; et quia Christus non habuit peccatum in generatione, sed gratiam, ideo potius dicitur mater *gratia* quam *concupiscentia.*

Interpretatio 1.

Sed licet isto modo posset intelligi, tamen est alius modus [7] magis consonus veritati, ut hoc quod est *concupiscentia* et *gratia* sit *ablativi casus* et construatur cum hoc verbo *concepit* non secundum habitudinem *causae*, sed secundum habitudinem *concomitantiae*; et hoc quod dicit *mater*, supponat pro Virgine Maria, et est sensus: Mater, id est Virgo Maria, non concepit, *concupiscentia* concomitante, sed concomitante *gratia*; et tunc non notatur, quod concupiscentia sit alicuius conceptionis principium, sed vitium concomitans. — Et patet responsio ad obiecta [8].

Interpretatio 2. et melior.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Totum Verbum incarnatum est.* Si enim *totum* est quod habet partem et partem [9], et Verbum simplicissimum est, male dicit, quod *totum* incarnatum est.

Respondeo: Dicendum, quod *totum* potest accipi *privative*, vel *positive.* Si *privative*; tunc Verbum dicitur incarnatum *totum*, quia non habet partes, secundum quas incarnari habeat. Alio modo dicitur *positive*; et tunc dicitur dupliciter: quia *totum* idem est quod *ex suis partibus constitutum* [10]; alio modo idem est quod *perfectum.* Et secundum quod *totum* dicit *integritatis totalitatem*, sic praedictus sermo non intelligitur, sed secundum quod dicit *totalitatem perfectionis*, et secundum quod dicit *privationem partis et partis*; et sic patet, quod illa obiectio non procedit recte propter diversam acceptionem huius vocabuli, quod est *totum.* Sed hoc melius in primo libro, distinctione decima nona [11] invenitur determinatum.

Distinctio.

Subdistinctio.

---

[1] Nam propter unionem cum Verbo caro Christi deificata est et adoranda. Cfr. Damasc., III. de Fide orthod. c. 8. et 17, nec non infra d. 9. a. 1. q. 1. — Paulo inferius pro *a prioritate* et *per prioritatem* codd. F G L S T aa cc habent *a priordinalitate* [vel *primordialitate*] et *per priordinalitatem* [vel *primordialitatem*]. Cod. bb bis ponit *propter* pro *per*. Post *non per prioritatem* cod. Z subiicit *originis.*

[2] Vide supra a. 2. q. 1. in fine corp. et q. 2. — Pro *corruptela* edd. *corruptione* et paulo inferius *quae a principio* pro *quae primo.*

[3] Exod. 22, 29. — Aliquanto inferius pro *propter quem ceteros* edd. *propter quam* [codd. C N *quae*] *ceteras.*

[4] Cod. Y supplet *Christus.* In fine respons. pro *originis* codd. M O *temporis.* Vide solutionem huius dubii etiam apud B. Albert., hic a. 30.

[5] Codd. P R X bb *et sic est*, edd. *et sit.*

[6] Cap. 16, 3. et 45, de cuius expositione videsis tom. II. pag. 500, nota 8.

[7] Pro *modus* codd. G K L M O Z aa bb *intellectus.*

[8] Cfr. B. Albert., hic a. 30; S. Thom., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. lit. 9.

[9] Plato, Parmen. (ed. Serran., tom. III. p. 142.): Totum igitur est quod unum est ac partem habet. Cfr. Aristot., V. Metaph. text. 28. et 31. (IV. c. 23. et 26.).

[10] Averroes, in I. Phys. text. 17: « Totum enim nihil aliud est quam congregatio partium ». Altera definitio, quae sequitur, respicit illud Aristot., III. Phys. text. 64. (c. 6): « Totum autem et perfectum aut idem penitus aut natura inter se affinia ». Ibid. text. 63: Cuius autem nihil est extra [i. e. cuius nulla pars abest eorum, ex quibus totum natura dicitur, V. Metaph. text. 34.], id est perfectum et totum. — Post *quia totum* edd. subdunt *uno modo.* Mox pro *integritatis totalitatem... intelligitur* Vat. *integritatem, non dicitur de Verbo.* Edd. textum sic mutilatum exhibent: *Et secundum quod totum dicit integritatem et totalitatem perfectionis* etc.

[11] Part. II. q. 1. — Codd. et edd. perperam allegant d. 29. Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 31.

DISTINCTIO IV.

Cap. I.

Quare Spiritui sancto tribuatur incarnatio, cum sit opus Trinitatis.

Cum vero incarnatio Verbi, sicut in superioribus[1] tractatum est, operatio vere sit Patris et Filii et Spiritus sancti, investigatione dignum nobis videtur, quare in Scriptura Spiritui sancto hoc opus saepius attribuatur[2], et *de ipso* Christus *conceptus et natus* memoretur. — Non enim ideo operatio incarnationis Spiritui sancto saepius attribuitur, quod eam ipse solus sine Patre ac Filio fecerit, sed quia Spiritus sanctus est caritas et donum Patris et Filii[3], et inaestimabili Dei caritate *Verbum caro factum est*, et ineffabili Dei dono Filius Dei sibi univit *formam servi*. Non igitur frequens denominatio Spiritus sancti ab illo opere Patrem vel Fi-
Dubium 1. lium secludit, sed potius, uno nominato, tres intelliguntur, sicut saepe fit in aliis operibus. Unde Augustinus, super hoc movens quaestionem, in hunc modum ean-
Augustinus. dem determinat in Enchiridio[4] ita inquiens: « Cum illam creaturam, quam Virgo concepit et peperit, quamvis ad solam personam Filii pertinentem tota Trinitas fecerit — neque enim separabilia sunt opera Trinitatis — cur in ea facienda Spiritus sanctus solus nominatus est? An et quando unus Trium in aliquo opere nominatur, universa operari Trinitas intelligitur? Ita vere est et exemplis doceri potest ». — Audistis propositam quaestionem eiusdemque solutionem vel expositionem.

Cap. II.

Quare dicatur Christus conceptus et natus de Spiritu sancto.

« Sed non est in hoc diutius immorandum. Illud
Augustinus. enim movet, quomodo dictus est Christus natus de Spiritu sancto, cum filius nullo modo sit Spiritus sancti[5] ». — « Nunquid dicturi sumus, patrem hominis Christi esse Spiritum sanctum, ut Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus sanctus hominem, ex qua utraque substantia Christus unus esset et Dei Patris filius secundum Verbum, et Spiritus sancti filius secundum hominem, quod eum Spiritus sanctus tanquam pater eius de Matre Virgine genuisset? Quis hoc dicere audebit, cum hoc ita sit absurdum, ut nullae fidelium aures id valeant sustinere »? « Proinde cum fateamur Christum natum de Spiritu sancto ex Maria Virgine, quomodo non sit filius Spiritus sancti, et sit filius Virginis, cum et de illo et de illa sit natus, explicare difficile est. Procul dubio non sic de illo ut de patre, sic autem de illa ut de matre natus est ». — « Non est autem concedendum, quidquid de aliqua re nascitur, continuo eiusdem rei filium nuncupandum. Ut enim omittam, aliter de homine nasci filium, aliter capillum, pediculum, lumbricum, quorum nihil est filius; ut ergo haec omittam, quoniam tantae rei deformiter comparantur, certe qui *nascuntur ex aqua et Spiritu sancto*[6] non aquae filios eos recte dixerit quispiam, sed dicuntur filii Dei Dubium 2. Patris et matris Ecclesiae. Sic ergo de Spiritu sancto natus est Christus, nec tamen filius est Spiritus sancti; sicut e converso non omnes qui dicuntur alicuius *filii*, consequens est, ut de illo etiam *nati* esse dicantur, ut illi qui adoptantur. Dicuntur etiam *filii gehennae* Dubium 3. non ex illa nati, sed in illam praeparati ». « Cum itaque de aliquo nascatur aliquid, et non ita, ut sit filius; nec rursus omnis qui dicitur filius, de illo sit natus, cuius dicitur filius; profecto modus iste, quo natus est Maior explanatio. Christus de Maria sicut filius, et de Spiritu sancto non sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo, nullis meritis praecedentibus, in ipso exordio naturae suae, quo esse coepit, Verbo Dei copularetur in tantam personae unitatem, ut idem esset Filius Dei, qui Filius hominis, et Filius hominis, qui Filius Dei; et sic in naturae humanae susceptione fieret quodam modo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum possit admittere peccatum. Quae gratia ideo per Spiritum sanctum est significata, quia ipse proprie sic est Deus, ut sit etiam Dei donum ». « Per hoc ergo, quod de Spiritu sancto esse nativitas Christi dicitur, quid aliud quam ipsa gratia demonstratur, qua homo mirabili et ineffabili modo Verbo Dei est adiunctus atque concre- Dubium 4. tus[7] et divina gratia corporaliter repletus »?

Potest etiam dici Christus secundum hominem ideo Dubium 5. et alia solutio. *natus* de Spiritu sancto, quia eum *fecit*. In quantum enim homo est, et ipse *factus est*, ut ait Apostolus[8]. *Conceptus* ergo et *natus* de Spiritu sancto dicitur, non Dubium 6. quod Spiritus sanctus fuerit Virgini pro semine, non enim de substantia Spiritus sancti semen partus accepit, sed quia per gratiam Dei et operationem Spiritus sancti de carne Virginis est assumtum quod Verbo est unitum. Et in Evangelio[9] secundum hanc intelligentiam legitur de Maria, *quod inventa est in utero habens de Spiritu sancto*. Cuius dicti rationem Ambro- Ambrosius. sius insinuans in secundo libro de Spiritu sancto[10] ait: « Quod ex aliquo est aut *ex substantia*, aut *ex potestate* eius est: *ex substantia*, sicut Filius, qui a Patre, et Spiritus sanctus, qui a Patre Filioque procedit; *ex potestate* autem, sicut ex Deo omnia. Quomodo ergo

---

[1] Dist. I. c. ult.

[2] Vat. cum cod. A et pluribus edd. *tribuatur*.

[3] Cfr. I. Sent. d. XVII. c. 1. et ibid. c. 4. — Pro *inaestimabili* Vat. cum pluribus edd. *ineffabili*. In seqq. respicitur Ioan. I, 14, et Phil. 2, 7.

[4] Cap. 38. n. 12. Pro *An et* edd. cum solo cod. C *etiam*, refragante etiam originali.

[5] Ibid.; seq. locus ibid. paulo superius; tertius locus ibid. nfra; quartus c. 39. n. 12; quintus c. 40. n. 12; ultimus c. 37. n. 11. et c. 41. n. 13.

[6] Ioan. 3, 5. Infra verba *filii gehennae* respiciunt Matth. 23, 15.

[7] Edd. 1, 8 *concreatus*, Vat. cum aliis edd. *connexus*, refragantibus codd. A B C D et originali.

[8] Rom. 1, 3; Gal. 4, 4. Quoad ea quae sequuntur, cfr. Explanatio Symboli ad Damasum (inter opera Hieronymi).

[9] Matth. 1, 18; Luc. 1, 27.

[10] Cap. 5. n. 42 seq., quo loco ante *et Spiritus sanctus* edd., exceptis 1, 8, addunt *vel ex Patre*.

in utero habuit Maria ex Spiritu sancto? Si quasi *ex substantia*, ergo Spiritus in carnem et ossa conversus est. Non utique. Si vero quasi *ex operatione* et potestate eius Virgo concepit, quis neget Spiritum sanctum dominicae incarnationis auctorem »?

CAP. III.

Quare Apostolus dicit Christum factum, quem nos fatemur natum.

Sed quaeri potest, cum nos Salvatorem *natum* profiteamur, cur Apostolus eum *factum* dicat *ex semine David*, alio loco, *factum ex muliere* [1], cum aliud sit *fieri*, aliud *nasci*. Aliquid ergo significavit hoc dicto. Quia enim non humano semine concreta est caro Domini in utero Virginis et corpus effecta, sed effectu et virtute Spiritus sancti; ideo Apostolus dicit *factum*, non *natum*. Aliud est enim semine admixto et sanguinis coagulo *generare*, aliud est non permixtione, sed virtute *procreare*. Possunt homines *generare* filios [2], sed non *facere*. — Ecce, quare dixit Apostolus *factum*, et non *natum*, ne eius scilicet nativitas, quae fuit sine viri semine, nostrae similis putaretur, quae conficitur seminum commixtione. Ideo autem, cum *factum* diceret Apostolus, addidit *ex semine David*, quia, etsi non intercessit semen hominis in conceptione Virginis, tamen, quia ex ea carne Christus formatus est, quae constat ex semine, recte dicitur, quia factus est [3].

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM IV.

De ipsa conceptione Christi.

Cum vero incarnatio Verbi etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra determinavit Magister de sanctificatione Virginis, quae fuit praeambula ad conceptionem Christi. In hac parte determinat de ipsa conceptione Domini. Et quoniam conceptio Christi habet comparationem ad Spiritum sanctum fecundantem et ad Virginem concipientem; ideo pars ista habet duas partes. In quarum prima determinat de conceptione Christi in comparatione ad Spiritum sanctum. In secunda determinat de ea in comparatione ad Virginem, ibi: *Sed quaeri potest, cum nos Salvatorem profiteamur natum.*

Prima pars in partes tres dividitur. In quarum prima ponit vel exprimit veritatem, assignans, quare incarnationis mysterium sit Spiritui sancto attribuendum. In secunda vero removet dubitationem, ex his quae dicta sunt habentem ortum, ibi: *Sed non est hic diutius immorandum.* In tertia vero subiungit maiorem explanationem praedictorum, ibi: *Profecto modus iste, quo natus est Christus de Maria* etc. Prima pars habet duas. In prima exprimit veritatem. In secunda confirmat eam per auctoritatem, ibi: *Unde Augustinus super hoc movens quaestionem.* Similiter secunda pars, in qua removet dubitationem, dividitur in duas. In prima parte ponit quaestionem. In secunda solutionem, ibi: *Non est autem concedendum.* Eodem modo tertia pars, ubi ponit explanationem, dividitur in duas. In quarum prima ponit unum explanandi modum secundum Augustinum; in secunda alium, ibi: *Potest etiam Christus dici secundum hominem* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis incidit hic quaestio de conceptione Christi quantum ad tria.

Primo enim quaeritur de ipsa conceptione in comparatione ad Spiritum sanctum efficientem.

Secundo de ipsa quantum ad gratiam intervenientem.

Tertio de ipsa quantum ad Virginem concipientem.

Haec enim tria tangit Magister in littera.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum Filii Dei incarnatio vel conceptio appropriari debeat personae Spiritus sancti.

Secundo quaeritur, utrum Spiritus sancti filius debeat Christus appellari.

Tertio quaeritur, utrum Christus possit dici filius Trinitatis.

---

[1] Locc. iam citt. Rom. 1, 3; Gal. 4, 4. — Paulo inferius pro *concreta* edd. 1, 8 *concepta*, aliae *congregata*, refragantibus codd. A B C D et ed. 6.

[2] Codd. A B C D adiciunt *homines*; paulo superius post *Possunt* edd., exceptis 1, 8, addunt *enim*. Deinde pro *viri semine* edd. eaedem *virili semine*.

[3] Quae praecedunt sunt in Glossa ad Rom. 1, 3, sumta ex August., Exposit. inchoata Epistolae ad Rom. n. 4.

ARTICULUS I.

De conceptione Christi in comparatione ad Spiritum sanctum efficientem.

QUAESTIO I.

Utrum Filii Dei incarnatio debeat appropriari Patri, an Spiritui sancto.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum Filii Dei incarnatio debeat appropriari Patri, an Spiritui sancto. Et quod *Patri*, videtur.

1. Christi incarnatio vel conceptio non est aliud quam Filii missio [1]; sed Filii missio magis competit Patri quam Spiritui sancto: ergo pari ratione et incarnatio et conceptio. Ad oppositum.

2. Item, Filii incarnatio non est aliud quam eius donatio — unde in eius Nativitate cantamus: *Filius datus est nobis* [2] — sed donatio maxime competit Patri, iuxta illud Ioannis tertio: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret:* ergo videtur, quod conceptio debeat appropriari Patri, non Spiritui sancto.

3. Item, annuntiatio conceptionis Filii Dei facta est per Angelum Gabrielem, qui est *fortitudo Dei* [3]; sed fortitudo sive potentia appropriatur Patri, non Spiritui sancto: ergo pari ratione et incarnatio.

4. Item, potentia divina maxime manifestatur in operatione illa, cuius extrema distant distantia maxima, sive infinita; sed Filii Dei et creaturae est infinite distantium unio: ergo in operatione illa est potissime divinae potentiae manifestatio. Sed huiusmodi opus appropriatur Patri, non Spiritui sancto: ergo et conceptio [4].

Sed *contra*, quod debeat appropriari *Filio*, videtur.

5. Opus conceptionis pertinet ad opus reparationis; sed opus reparationis pertinet ad Verbum [5]: ergo et ipsa conceptio.

6. Item, ei proprie formatio carnis attribuitur, cui attribuitur assumtio; sed carnis assumtio attribuitur soli Verbo: ergo videtur, quod soli ei debeat appropriari ipsa conceptio [6].

7. Item, ei personae potissime debet appropriari carnis conceptio ex tempore, cui potissime convenit conceptio ex aeternitate; sed haec est persona Filii, secundum quod dicitur Proverbiorum octavo [7]: *Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram.*

8. Item, opus, quod est maxime divinae sapientiae manifestativum, personae Filii Dei est appropriandum; sed tale est incarnationis mysterium, quia, sicut dicitur in Iob [8], *prudentia eius percussit superbum:* videtur ergo, quod conceptionis sacramentum Filio Dei sit appropriandum.

Sed contra hoc est:

1. Auctoritas in Symbolo [9]: «Conceptus est de Spiritu sancto»; non dicitur de Patre, vel Filio. Et Lucae primo: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Item Matthaei primo: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Fundamenta.

2. Item, *ratione* [10], eo quod opus incarnationis manifestativum est divinae bonitatis et caritatis; sed hoc appropriatur Spiritui sancto: ergo etc.

CONCLUSIO.

Incarnatio Filii Dei potissime appropriari debet Spiritui sancto, tum propter erroris exclusionem, tum propter veritatis manifestationem.

Respondeo: Dicendum, quod opus incarnationis manifestativum est divinae *potentiae, sapientiae* et *bonitatis* secundum diversas conditiones in ipso repertas. Contingit enim loqui de ipso quantum ad ipsa *unibilia*, et quantum ad *unionis modum*, et quantum ad *unionis fructum*. — In comparatione ad *unibilia*, inter quae est infinita distantia, manifestatur divina *potentia*. — In comparatione vero ad *unionis modum* congruentissimum, prout competebat ad humanum remedium, manifestatur Dei *sapientia*. — In comparatione vero ad *fructum* sive ad effectum consequentem, quo se obtulit Deo et Patri in odorem suavitatis [11], manifestatur divina *bonitas*, misericordia et caritas. Et hoc est quod dicit Damascenus in libro tertio, capitulo primo: «Monstratur simul in incarnatione *bonitas, iustitia* et *sapientia Dei: bonitas* quidem, quia non despexit proprii Conclusio 1. Distinctio.

---

[1] Vide August., ll. de Trin. c. 5. n. 7. seqq. et IV. c. 20. n. 27, ubi etiam innuitur, quod Patri conveniat *mittere*, de quo cfr. supra lit. Magistri, d. 1. c. 1, et 1. Sent. d. 15. p. 1. q. 3.

[2] Isai. 9, 6, quae verba recitantur in Introitu Missae tertiae in festo Nativ. Domini. — Seq. locus Script. est Ioan. 3, 16.

[3] Cfr. Luc. 1, 26. — Gregor., ll. in Evang. homil. 34. n. 9: Gabriel autem fortitudo Dei. — De *minori* cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. XXXIV. c. 4, et Comment. q. 3.

[4] Edd. *ergo non conceptio.*

[5] Cfr. supra d. 1. a. 2. q. 3.

[6] Vide supra d. 3. p. II. a. 3. q. 2. fundam. 1. 2. — Codd. M O *appropriari carnis conceptio.*

[7] Vers. 24. — De hoc arg. cfr. supra d. 1. a. 2. q. 3. in corp.

[8] Cap. 26, 12. — De *maiori* cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. XXXIV. c. 4, et Comment. q. 3.

[9] Scil. Apostolorum. — Testimonia seqq. sunt Luc. 1, 35, et Matth. 1, 20. — Pro *contra hoc* codd. G Z *contra haec.*

[10] Supple cum codd. F N (T a posteriore manu) U *videtur.*

[11] Eph. 5, 2: Tradidit [Christus] semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.

plasmatis infirmitatem, sed viscera eius commota sunt, ipso cadente, et manum porrexit; *iustitia*, quoniam, homine victo, non alium fecit vincere tyrannum; *sapientia*, quoniam invenit apori [1], id est difficilis, solutionem decentissimam ». Quoniam igitur in incarnationis opere secundum considerationes diversas contingit invenire appropriata tribus personis valde excellenter et praecipue [2]; hinc est, quod con-

Conclusio 2. ceptio, cum sit opus trium personarum, *appropriari potest* tribus personis secundum diversas considerationes, sicut ostendunt rationes, quae prius inductae sunt.

Scriptura tamen magis *appropriat* Spiritui san-

Duplex ratio, quare magis appropriatur Spiritui S. cto quam alicui trium personarum, et hoc duplici ratione, videlicet propter *erroris exclusionem*, et

Ratio 1. propter *veritatis manifestationem*. — Propter *erroris exclusionem*: quia in conceptione humana consuevit se immiscere foeditatis concupiscentia, ac per hoc originalis culpa. Ne illud ergo dicatur fuisse in conceptione Christi, dicitur *conceptus* fuisse *de Spiritu sancto*: ad excludendum *carnalem commixtionem* dicitur *conceptus de Spiritu* [3]; ad excludendum vero *concupiscentiae foeditatem* dicitur non solum conceptus *de Spiritu*, sed *de Spiritu sancto*.

Alia vero ratio est propter *veritatis manifesta-*

Ratio 2. *tionem*. Illud enim quod maxime praeparavit Virginem ad Filii Dei conceptionem, fuit amor divinus. Unde quemadmodum mulier concipit per viri delectationem [4] et ipsius adhaesionem, quae est cum desiderio et amore virtutis generativae; sic beata Virgo propter *amoris singularitatem* singulariter concepit Deum ex Deo; et ideo concepisse dicitur *de Spiritu sancto*. Et hanc rationem assignat Hugo de sancto Victore in quodam suo libello [5], ubi sic dicit: « Concepit Virgo Maria de Spiritu sancto, non quia de Spiritus sancti substantia semen partus acceperit, sed quia per amorem et operationem Spiritus sancti ex carne Virginis divino partui substantiam ministravit. Nam quia amor Spiritus sancti singulariter in corde ardebat, ideo in carne eius mirabilia faciebat; cuius dilectio quia in corde non suscepit socium, operatio in carne illius non habebat exemplum ».

Et sic patet, quod propter *erroris exclusionem* et *veritatis manifestationem* incarnatio Filii Dei po- Conclusio 3. tissime appropriari debet Spiritui sancto. Et propter has duas rationes frequenter in Scriptura fit appropriatio, sicut ostensum fuit in libro primo [6].

Ex his autem manifesta est responsio ad obie- De argg. ad oppos. cta, quia verum concludunt secundum diversas vias, quod incarnationis mysterium diversis de causis *potest appropriari* cuilibet trium personarum. Si quis autem ex his velit arguere, quod incarnationis opus *magis* debet appropriari Patri vel Filio quam Spiritui sancto; ad omnia est una responsio: quia procedunt ex insufficienti et peccant *secundum consequens* [7], quia una sola ratio non sufficit appropriari uni soli personae, ubi respectu alterius personae reperitur ratio maioris congruentiae; et sic est in proposito.

Illae tamen duae rationes, quae fundantur su- Ad argg. 1. et 6. in oppositum. per hoc, quod Filii Dei *incarnatio* non est aliud quam missio, et *conceptio* non est aliud quam carnis [8] assumtio; non valent, quia tam *missio* quam *assumtio* important relationem, quae *proprie* potest respicere personam Patris et Filii; sed *conceptio* dicit effectum et operationem, quae *communis* est tribus personis et *appropriatur* Spiritui sancto ex causis praedictis; quamvis et aliae rationes congruentiae possint assignari, sive quia, nominato Spiritu sancto, intelliguntur aliae personae, qui est amborum *unitas* et *communio*, sicut Augustinus explanat in littera [9]; sive quia in incarnatione fuit copiosissima *divinae bonitatis effusio*. Et sic Spiritui Notandum. sancto appropriatur conceptio, tum ratione *proprii*, quia est amborum *unitas*, tum ratione *appropriati*, quia est amborum *bonitas*. — Ex his autem satis patere potest responsio ad obiecta.

---

[1] Est genitivus latinizati verbi Graeci ἄπορος (τοῦ ἀπόρου in textu Graeco), quod idem significat ac *invius*, *difficilis*. — Pro *apori* edd. substituerunt *aporium*, vocem itidem e Graeco ἀπόρροια i. e. defluvium, defluxus) sumtam et latinizatam, qua quaedam ulceris species significatur. Post *id est* Vat. suo marte interserit *vulneris* et subinde post *difficilis* subilcit *curam vel*. Pro *difficilis* codd. F M O U exhibent *difficillimi*. Paulo superius post *vincere tyrannum* textus origin. plura addit.

[2] In codd. A E G H K L T V X aa, omisso *et*, verbum *praecipue* ab antecedenti voce interpunctione dividitur coniungiturque cum subsequenti *hinc est*.

[3] Post *de Spiritu* codd. G H (L a prima manu) T V Y Z indebite repetunt *sancto*.

[4] Codd. K Z *dilectionem*, Vat. *dilectionem vel delectationem*. Mox pro *adhaesionem* codd. E G L V X (T a prima manu) *adhaesitationem*.

[5] In libello epistolari de B. Mariae virginitate, c. 2. circa finem, ubi textus originalis sic sonat: Concepit... partui *natura* substantiam ministravit. Nam quia in corde, quo amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo... faciebat. Et cuius dilectio in corde illius non suscepit socium, eius operatio etc. — Pro *amor Spiritus sancti*, quae nostra lectio innititur codd. M O, Vat. *Dei amor*. Mox post *in corde* codd. F K subdunt *eius*, Vat. adiicit *Virginis*.

[6] Dist. 34. q. 3. Cfr. ibid. d. 31. p. II. dub. 1.

[7] De qua fallacia agit Aristot., I. Elench. c. 4. (c. 5.). Vide tom. I. pag. 628, nota 1. et pag. 691, nota 5. — Paulo post pro *appropriari* [supple: aliquid] codd. M O *ad appropriationem*.

[8] Pro *carnis* codd. A G L N T U V aa bb et edd. 1, 2 *incarnationis*. Paulo infertus pro *effectum* codd. A E G L T V X aa et alii cum edd. 1, 2 mendose *affectum*.

[9] Hic c. 1. seq. Cfr. I. Sent. d. 10. per totum, ubi de Spiritu sancto sermo est ceu *amore* et *nexu* Patris et Filii. — Pro *amborum unitas* codd. G H aa cc et edd. 1, 2 *amborum veritas*.

SCHOLION.

1. Communiter tenetur, quod incarnatio sub ratione *operationis* sive efficientiae divinae convenienter approprietur Spiritui S.; et quod ita intelligenda sint verba Symboli *conceptus de Spiritu S. Bonitas* enim et *caritas* appropriatur Spiritui S. (I. Sent. d. 34. q. 3, d. 31. p. II. a. 1. 2.); atque *bonitas* et *caritas* divina maxime elucet in opere incarnationis; unaquaeque autem *operatio* dicitur alicui personae divinae eo magis appropriabilis, quo magis in ea manifestatur *attributum* illi personae appropriatum. Praedictae rationi communiter receptae S. Bonav. duas alias in corp. quaestionis adiungit.

II. Alex. Hal., p. III. q. 8. m. 3. a. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. III. q. 32. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 1. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic q. 1. a. 1. 2. — Dionys. Carth., de hac et 2. seqq. hic q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum Christus possit dici filius Spiritus sancti.

Secundo quaeritur, utrum Christus possit dici filius Spiritus sancti. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia Damascenus[1] dicit: «Descendit in Virginem Verbum tanquam σπόρος, id est semen»; sed quod operatur ad alicuius generationem mediante semine habet rationem patris: si ergo hoc modo operatus est Spiritus sanctus, ut dicit Damascenus, ergo est pater eius.

2. Item, pater dicitur[2] qui deducit rem ad *esse:* ergo si magis deducit rem ad *esse,* magis debet dici pater: ergo si Spiritus sanctus magis est operatus ad hoc, quod caro Christi produceretur in *esse,* quam aliquis pater respectu prolis procreandae; videtur, quod Christus sit filius Spiritus sancti, loquendo proprie.

3. Item, Spiritus sanctus cum Virgine operatus est Filii Christi conceptionem, nec minus operatus est Spiritus sanctus quam Virgo, sed multo amplius[3]: si ergo Christus dicitur *filius* Virginis, et Virgo dicitur eius *mater;* videtur, quod multo fortius debeat Spiritus sanctus dici eius pater.

4. Item, omne quod est de aliquo per actum conceptionis, habens similitudinem substantiae cum illo, dicitur eius filius[4]; sed Christus conceptus est de Spiritu sancto et similis est in substantia cum illo: ergo Christus est filius Spiritus sancti.

5. Item, quicumque habet gratiam Spiritus sancti, hoc ipso est filius eius; sed Christus ab instanti conceptionis habuit gratiam excellentissimam Spiritus sancti[5]: ergo videtur, quod filiatio conveniat Christo respectu Spiritus sancti.

Sed contra: 1. Christus nullius est filius nisi natura; sed solius Patris, vel Matris est filius per naturam: non ergo Spiritus sancti[6]. Fundamenta.

2. Item, filiatio respicit hypostasim; sed hypostasis Filii Dei nullo modo habet comparari ad Spiritum sanctum in habitudine filiationis, immo potius in habitudine principii[7]: ergo simpliciter falsum est dicere, quod Christus sit filius Spiritus sancti.

3. Item, si Christus est filius Spiritus sancti, ergo Spiritus sanctus est pater Christi, et Deus Pater est pater Christi: ergo duo patres in Trinitate[8].

4. Item, si Christus est filius Spiritus sancti, quia operatus est eius conceptionem, ergo pari ratione Christus est filius suus; sed hoc nec ratio nec fides admittit, quod eadem res se ipsam gignat[9], quod idem sit pater et filius sibi: ergo si Christus non est filius suus, pari ratione nec Spiritus sanctus pater eius.

5. Item, ad hoc est auctoritas Augustini, quam Magister ponit in littera[10]: «Quis dicere audebit, Christum esse filium Spiritus sancti, cum hoc ita sit absurdum, ut nullae fidelium aures hoc valeant sustinere»? Videtur igitur tanquam haereticum dicere, Spiritum sanctum esse patrem Christi.

CONCLUSIO.

Nullatenus admittitur locutio, quod Christus sit filius Spiritus sancti.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio ista locutio non admittitur nec est admittenda, tum propter vitandum errorem circa generationem *tempo-* Conclusio.

---

[1] Libr. III. de Fide orthod. c. 2. Ipsa Damasc. verba habentur supra in lit. Magistri, d. III. c. 1. Vat. voci *sporos,* quam Graecis litteris descriptam exhibet (σπόρος), cum originali praefigit Θεῖος et dein post *id est* subiicit *divinum.* Codd. *sporos* mutarunt in *scopon.*

[2] Cod. G *est,* Vat. *est vel dicitur.* Mox pro *ergo si magis* cod. aa et edd. 1, 2 *ergo qui magis.*

[3] Vide infra a. 3. q. 1. seq. — Paulo inferius pro *eius mater* codd. F N T *esse mater.*

[4] Pro *filius,* quod ex codd. M O Z bb restituimus, alii codd. cum edd. perperam *pater.* Paulo superius pro *per actum* codd. K M O U Z et edd. 1, 2 *per modum.*

[5] Cfr. infra d. XIII. tam lit. Magistri quam Comment. — Mox pro *filiatio* codd. A G L N T U V aa *filius.*

[6] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[7] Vide I. Sent. d. 11. 12. et 29.

[8] Cfr. supra d. 1. a. 1. q. 4. in corp. — Post *ergo duo patres* codd. K U Z supplent *sunt.*

[9] Aristot., II. de Anima, text. 47. (c. 4.): Generat autem nihil ipsum se ipsum. Idem dicit August., I. de Trin. c. 1. n. 1, insuper II. de Trin. c. 10. n. 18. ait: Neque enim Iesus etiam Spiritus sancti filius, aut etiam suus filius credi aut intelligi potest. — Paulo ante pro *filius suus* codd. E N habent *filius Filii.*

[10] Hic c. 2.

Ratio 1. *ralem*, tum circa generationem *aeternam*. Ad vitandum errorem circa generationem *temporalem*, quia, cum secundum illam dicitur Christus conceptus de Virgine et Spiritu sancto, si diceretur Spiritus sanctus eius pater, sicut Virgo eius mater, iam videretur ex hoc Christus natus esse de Maria et Spiritu sancto [1], sicut nascitur proles de muliere et viro. Quodsi hoc falsum est — quia proles partem accipit a patre et partem accipit a matre, in qua assimilatur patri et matri in eadem forma et natura; et hoc non est reperire in Christo quantum ad eius conceptionem, immo soli Matri assimilatur in natura assumta — non [2] debet admitti, Christum esse filium Spiritus sancti, sed solius Virginis Matris, ad manifestandam et servandam veritatem et proprietatem

Ratio 2. *temporalis* generationis. — Sumitur etiam ratio ex parte generationis *aeternae*, quare [3] catholici talem sermonem non admittant, ne scilicet confusio fiat aeternarum relationum et proprietatum. Unde cum proprium sit personae Patris *generare* respectu personae Filii, nullatenus admittitur, Christum esse filium Spiritus sancti, in quo [4] non est alia persona vel hypostasis quam illa, quam Pater ab aeterno genuit. — Ideo propter vitandos errores tam circa generationem temporalem quam circa aeternam, non recipiunt theologi praedictam locutionem. — Unde concedendae sunt rationes ad praedictam partem.

1. Ad illud quod primo obiicitur de Damasceno,

Solutio oppositorum. quod Verbum Dei descendit in Virginem ad modum seminis; dicendum, quod *semen* in se duplicem ha-

Notandum. bet proprietatem: unam in hoc, quod habet in se vim activam; alteram in hoc, quod agit producendo similem in forma et natura. Damascenus ergo assumit similitudinem *seminis* ad operationem Spiritus sancti ratione primae proprietatis, non secundae. Cum vero assumit [5], quod operatio ad modum *seminis* facit productivum principium habere habitudinem patris, hoc intelligitur ratione secundae proprietatis.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Pater est qui producit [6] rem ad *esse;* dicendum, quod ista non est tota ratio patris, quia necesse est, quod conveniat in natura et forma; sed Spiritus sanctus non convenit cum Christo in natura et forma, secundum quam producit ipsum ad *esse*.

3. 4. Ad duo obiecta sequentia iam patet responsio per iam dicta. Quod enim obiicit, quod Virgo dicitur mater, et quod [7] Spiritus sanctus pater; dicendum, quod non est simile, quia Virgo conformatur Christo in natura, secundum quam conceptus est ex tempore; Spiritus autem sanctus, quamvis Christo sit similis in natura, non tamen est eius principium secundum illam; et ideo non cogit ratio tertia, nec quarta.

5. Ad illud quod obiicitur de gratia, dicendum, quod quamvis de aliis hominibus concedi possit, quod sint filii Spiritus sancti propter gratiam, quam ipsi suscipiunt et mediante [8] qua in filiorum Dei adoptionem assumuntur; tamen circa Christum non habet locum propter unionem, quae non tantum facit, illum hominem esse filium Dei per gratiam, sed filium Dei per naturam. Et ideo non sic conceditur de ipso, quod sit Spiritus sancti filius, sicut conceditur de aliis hominibus.

SCHOLION.

I. Omnes concedunt, quod ista locutio non sit admittenda, quia saltem *inconvenienter* et *improprie* dicitur. Posteriores autem theologi cum S. Thoma eandem decernunt esse *simpliciter falsam;* attamen in rationibus pro hac conclusione allatis non conveniunt; de quo videri potest Ægid. R., qui, reiectis quatuor opinionibus (inter quas sunt etiam quaedam rationes a S. Thoma in Commentario probatae) tandem profert et latius explicat eam rationem, quae ab eodem S. Thoma in Summa affertur. — S. Bonav. autem modo loquendi diverso usus, in afferendis rationibus sequitur magistrum suum Alexandrum.

II. Similia dicenda sunt circa seq. (3.) quaestionem. Negant omnes, eam locutionem posse *simpliciter* concedi. Tamen Alex. Hal. (loc. cit.) opinatur, quod « posset concedi *cum determinatione*, ut est filius Trinitatis per *creationem* ». Sed recte S. Bonav. cum ceteris magistris sustinet, quod nec ratione *creationis* nec ratione sanctificationis *per gratiam*, immo *nullo modo* ista locutio concedenda sit. — Tamen quoad *rationem principalem* iterum a S. Bonav. discedit S. Thomas, cum eam sumat ex hoc principio, quod solum ratione *aeternae generationis* debeat dici *Filius Dei*, « quia quando in aliquo invenitur perfecta ratio alicuius nominis, nullo modo recipitur illud nomen de eo cum determinatione diminuente » (hic q. 1. a. 2.).

III. De utraque quaest.: Alex. Hal., S. p. III. q. 8. m. 3. a. 4. — Scoti loci collecti apud Hier. de Montefortino, t. IV. q. 32. a. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 2; S. III. q. 32. a. 3. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Ægid. R., hic q. 1. a. 3. — Durand., hic q. 1.

---

[1] Cod. T *de Maria per Spiritum sanctum.*

[2] Vat. cum paucis codd. *ideo non.*

[3] Cod. X *quia*, et dein pro *admittant* cum codd. K U *admittunt.*

[4] Vat. supplet *Christo.* Mox cod. Z *nisi illa* pro *quam illa.*

[5] Scil. obiiciens, non Damascenus, et quidem in propos. *minori* primi arg. (quod *minor* etiam *assumtio* vocatur, notum est). — Paulo superius pro *Damascenus ergo assumit* cod. K clarius *Damascenus vero sumit.* Pro *Cum vero assumit* Vat. *Cum vero assumitur in ratione*, quae et dein post *habitudinem* addicit *vel similitudinem.*

[6] Vat. hic et in fine solut. *perducit.* — Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[7] Pro *et quod* edd. *ergo et.*

[8] Pro *et mediante* edd. *immediate*, posita virgula post *immediate.* — De hac solut. cfr. infra d. 10. a. 2. q. 1.

QUAESTIO III.

Utrum Christus possit dici filius Trinitatis.

Tertio quaeritur, utrum Christus possit dici filius Trinitatis, ad maiorem evidentiam praedictorum. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum. 1. Cantico Deuteronomii[1]: *Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te et fecit et creavit te?* Sed hoc totum potest dici de Christo ratione naturae assumtae; et secundum illa tria dicitur esse filius totius Trinitatis, cuius est *possidere, facere* et *creare:* ergo videtur, quod hoc Christo satis catholice possit attribui.

2. Item, ad Romanos octavo[2]: *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus;* Glossa: « Secundum illud, quod *unigenitus* est, non habet fratres; secundum illud, quod *primogenitus* est, fratres dignatus est vocare omnes »: si ergo fratres sunt eiusdem Patris et sunt filii totius Trinitatis, videtur, quod et hoc Christo convenienter possit attribui.

3. Item, quandocumque aliqua se habent per indifferentiam ad aliquam operationem, secundum illam operationem communem et uniformem recipiunt denominationem; sed tota Trinitas operata est incarnationis mysterium[3]: ergo si persona Patris dicitur esse pater Christi non solum quantum ad deitatem, sed etiam quantum ad humanitatem; videtur, quod similiter tota Trinitas possit dici pater.

4. Item, quamvis in Trinitate unus solus sit Pater propter aeternam generationem, tamen ex tempore propter effectus temporales tota Trinitas dicitur esse pater[4], et persona Patris dicitur non solum pater Filii, sed etiam aliarum rerum, ita quod in nullo praeiudicatur proprietati Filii: ergo cum Filius ex tempore naturam sumserit, et aequalem et uniformem habet comparationem ad totam Trinitatem; videtur, quod sicut quantum ad divinam naturam dicitur esse filius Patris, ita secundum humanitatem sit filius totius Trinitatis.

5. Item, in Christo triplex est substantia[5], scilicet *suprema, media et infima: suprema,* videlicet divina, *media,* scilicet anima, et *infima,* videlicet corpus; sed Christus ratione naturae *supremae* est filius alicuius, scilicet Patris Dei; ratione naturae *infimae* filius alicuius, scilicet Matris, ex qua traxit carnem: ergo et ratione *mediae* filius alicuius erit. Sed *media,* scilicet anima, est a tota Trinitate aequaliter: ergo videtur, quod filius totius Trinitatis dici possit.

6. Item, non est maior confusio in proprietatibus ex comparatione alicuius proprietatis ad plura, quam si de eodem dicantur duo opposita, immo multo minor; sed de Christo vere et catholice dicuntur duo opposita ratione duplicis naturae, mortalis et immortalis, passibilis et impassibilis[6]: ergo multo fortius ratione naturae assumentis potest dici filius Patris, et ratione naturae assumtae filius totius Trinitatis.

Fundamenta. Sed contra: 1. Augustinus in libro de Trinitate secundo[7]: « Iesus neque suus neque Trinitatis filius dici potest: » ergo non potest dici filius Trinitatis.

2. Item, filiatio est proprietas personalis, unde respicit hypostasim[8]; sed in Christo est una sola persona et hypostasis, quae non potest distingui a tota Trinitate secundum illius relationis habitudinem: ergo non videtur, quod dici possit filius Trinitatis.

3. Item, Christus non tantum est filius, sed filius unigenitus, secundum quod dicitur Ioannis primo[9]: *Vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a Patre;* sed Trinitas non habet aliquem filium unigenitum, cum aequaliter comparetur ad omnes: ergo non videtur, quod Christus possit dici Trinitatis filius.

4. Item, filiatio praesupponit generationem, generatio autem dicit convenientiam in natura et distinctionem in supposito[10]; sed hoc impossibile est reperire in Christo, nec secundum divinam naturam nec secundum humanam: ergo nullatenus est concedenda locutio praedicta.

CONCLUSIO.

Non conceditur, quod Christus sit filius Trinitatis.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod apud theologos secundum communem usum non admittitur: Christus est Trinitatis filius. Sed huius rationem diversi assignant diversimode.

---

[1] Cap. 32, 6. — Verba *ad maiorem evidentiam praedictorum* desunt in edd.

[2] Vers. 29. — Glossa, quae est *ordinaria* et secundum August., Expos. quarundam propos. ex Epist. ad Rom. propos. 56, habetur apud Petr. Lombard. et apud Lyran. in hunc loc. — In Glossa pro *unigenitus,* quae est lectio originalis, plurimi codd. cum edd. 1, 2 *divinitus,* codd. P Q *deitatis,* Vat. *Deus.*

[3] Cfr. supra lit. Magistri, d. 1. c. 3. — In fine arg. codd. omittunt *pater.*

[4] Cfr. Eph. 4, 6. August., Enarrat. in Ps. 26. enarrat. 2. n. 18: Pater est, quia condidit, quia vocat, quia iubet, quia regit. — Paulo inferius post *naturam* cod. U addit *humanam.*

[5] Cfr. supra pag. 19, nota 4.

[6] Vide supra pag. 14, nota 3.

[7] Cap. 10. n. 18. Verba integra habes supra pag. 100, nota 9, ubi pro *Trinitatis filius* legitur *Spiritus sancti filius,* quae lectio pro nostro arg. ceu clarior praeferenda esset.

[8] Cfr. I. Sent. d. 26. q. 1. seqq. — De *minori* vide infra d. 5. a. 2. q. 2. et d. 6. a. 1. q. 2.

[9] Vers. 14.

[10] Vide tom. II. pag. 479, nota 1. — Paulo inferius post *secundum humanam* Vat. supplet *respectu totius Trinitatis.*

Quidam enim dicere voluerunt, quod hoc est propter *proprietatem filiationis*, quae respicit personam et hypostasim; et quoniam hypostasis Filii Dei sive persona aeterna est nec habet originem a tota Trinitate, sed solum a persona Patris: hinc est, quod quamvis in Christo sit reperire humanam naturam a tota Trinitate creatam, non est [1] concedendum, Christum esse filium totius Trinitatis propter repugnantiam, quae reperta est in hypostasi, hoc est persona, quae est aeterna. — Sed si ratio ista interius consideretur, non videtur magnae efficaciae, quia, quamvis hypostasis Christi sit aeterna, nihil tamen impedit, ipsum dici filium Virginis ratione naturae assumtae. Si ergo illi hypostasi innasci potest filiationis habitudo in comparatione ad Matrem, ex qua *natura* illa tracta est; quare non potest innasci respectu totius Trinitatis, a qua facta est? Et ideo ex parte *proprietatis filiationis* et *aeternitatis hypostasis* non videtur efficax ratio posse sumi ad repudiationem praedictae locutionis.

Ratio sec. opinionem 1.

Non placet.

Et ideo est alius modus dicendi, quod praedictus sermo non recipitur, quia *appropinquat errori*. Nam Christus, cum sit Filius unigenitus Dei Patris, non recipitur, quod sit filius Trinitatis *simpliciter*, propter hoc quod talis locutio appropinquat errori *Sabellii*, qui posuit, proprietatem patris cuilibet trium personarum convenienter posse attribui. Non recipitur etiam, quod sit filius totius Trinitatis *per creationem*, quia talis locutio appropinquat errori Arii, qui posuit, Christum esse puram creaturam. Non recipitur etiam, quod sit filius totius Trinitatis *per gratiam;* quia talis locutio appropinquat errori Nestorii, qui posuit in Christo duas naturas et duas personas, divinam scilicet et humanam; et quantum ad humanam personam dixit Christum Filium Dei per gratiam. Ergo sermo praedictus omni modo erroris impietati [2] appropinquat; et ideo respuitur ab his qui periti sunt in sacra Scriptura. — Unde rationes ad hanc partem concedendae sunt, quamvis non multum cogant.

Secundum opinionem 2.

Error Sabellii.

Error Arii.

Error Nestorii.

Notandum.

1. Ad illud quod obiicitur, quod tota Trinitas possedit et fecit et creavit secundum humanam naturam; dicendum, quod Trinitas [3] alios homines *simpliciter* fecit secundum *omnem* sui naturam; Christum autem non *simpliciter* secundum *omnem* naturam fecit, quia secundum divinam naturam eum solus Pater genuit; et ideo non est simile de Christo et aliis hominibus. Quamvis enim alii homines possint dici creaturae Dei, hoc tamen de Christo non recipitur, sicut infra [4] melius videbitur.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nos sumus fratres Christi; dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod Christus sit filius totius Trinitatis, sed quod nos dicamur filii Dei Patris per eum, quamvis « nos per gratiam, ipse vero per naturam », sicut dicit Gregorius super illud: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum*, Ioannis vigesimo [5].

3. Ad illud quod obiicitur, quod tres personae se habent ad naturam [6] assumtam per indifferentiam; dicendum, quod verum est; sed non sic se habent per indifferentiam respectu personae assumentis, quia aliam habitudinem habet ad personam Patris, aliam ad personam Spiritus sancti. Cum autem dicitur Christus Filius esse Dei Patris, hoc magis dicitur respectu naturae assumentis quam assumtae; quod patet, quia dicitur Filius Patris unigenitus et naturalis. Et ideo ratio illa non cogit, quia ab insufficienti procedit.

4. Ad illud quod obiicitur, quod Pater non dicitur pater tantum respectu Filii, sed etiam aliorum, quorum est causa et principium ex tempore; dicendum, quod sicut Pater ex hoc, quod temporaliter aliquos adoptat, dicitur eorum pater ex tempore, sic etiam Christus per generationem temporalem potest dici filius Virginis; non tamen potest concludi quod sit filius totius Trinitatis. Non enim est simile. Nulla enim confusio proprietatum incurritur, nec aliquod veritati fit praeiudicium, aut errori in aliquo appropinquatur, si dicatur Pater esse pater Filii solum per generationem, et aliorum per creationem; non sic autem, cum [7] dicitur Christus esse filius totius Trinitatis. Nam si intelligatur per generationem, incurrimus in errorem Sabellii; si per creationem, appropinquamus errori Arii; si solum per adoptionis gratificationem, errori Nestorii.

5. Ad illud quod obiicitur de natura suprema, media et infima, iam patet responsio per praedicta, quia, cum illa [8] sit creata, non recipitur circa Christum filiatio alicuius ratione illa. — Potest tamen dici, quod non est simile de substantiis *extremis* ad *medium*, quia tum ratione substantiae divinae tum ratione carnis genitus est et assimilatur suo principio producenti, scilicet Patri et Matri: Patri in deitate, et Matri in humanitate; non sic autem est ratione animae; et ideo non est simile.

Aliter.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur de proprie-

---

[1] Cod. K (a secunda manu) et edd. subdunt *tamen*.

[2] Vat. *praedictus omnino errori impietatis*. Paulo inferius post *ad hanc partem* cod. A adiungit *inductae*.

[3] Codd. K U Z *tota Trinitas*.

[4] Dist. 11. a. 2. q. 1.

[5] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 6. Locus e vigesimo cap. Evang. Ioan. allegat. est vers. 17. Cfr. infra d. 10. a. 2. q. 1. seqq. — Paulo superius pro *sed quod* cod. T *secundum quod*.

[6] Plurimi codd. cum edd. 1, 2 perperam *personam*. Paulo inferius pro *Cum autem* cod. N *Cum ergo*. Subinde post *quia dicitur* codd. E F N T U V X subiiciunt *esse*.

[7] In edd. et nonnullis codd. desideratur *cum*.

[8] Scil. natura media i. e. anima. — Mox pro *alicuius*, nempe totius Trinitatis, edd. *aliqua*, et in fine solut. *de ratione animae* pro *ratione animae*. Paulo superius sola Vat. *extremis et media* pro *extremis ad mediam*.

tatibus absolutis, quod non faciunt confusionem; dicendum, quod non est simile, quia *illae proprietates* principaliter respiciunt *naturam*, utpote esse passibilem et immortalem [1]; sed *filiatio* respicit ipsam *hypostasim*, circa quam multi fuerunt errores, quibus praedicta locutio videtur appropinquare; et ideo, quamvis illae recipiantur a viris catholicis tanquam catholicae, haec respuitur tanquam adversaria fidei christianae [2].

ARTICULUS II.

De conceptione Christi in comparatione ad gratiam intervenientem.

Consequenter quaeritur de conceptione Christi in comparatione ad gratiam intervenientem. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur de gratia illa in comparatione ad merita Ecclesiae.

Secundo, in comparatione ad meritum Virginis Mariae.

Tertio, in comparatione ad dignitatem naturae assumtae.

QUAESTIO I.

Utrum Christi incarnatio fuerit ex mera gratia, an eam impetrarunt merita sanctorum Patrum.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum Christi conceptio vel incarnatio fuerit ex mera gratia, an hoc impetraverunt sanctorum Patrum merita. Et quod fuerit ex *mera gratia*, videtur.

1. Ad Titum tertio [3]: *Apparuit benignitas et* Fundamenta. *humanitas Salvatoris nostri non ex operibus iustitiae;* sed apparitio illa benignitatis et humanitatis est Filii Dei humanatione, sicut in Glossa dicitur: «Cum benignus et humanatus Deus noster apparuit»: ergo videtur, quod Filii Dei humanatio non fuerit mediantibus nostris meritis.

2. Item, super illud Psalmi [4]: *Respice in testamentum sanctum tuum;* Glossa: «Meminit promissionis, quia merita deficiunt»; et loquitur de promissione incarnationis: ergo etc.

3. Item, de eo quod per merita acquiritur, non tantum tenemur ad gratiarum actiones, sicut pro eo quod gratis datur; sed de Christi donatione tenemur ad omnimodas gratiarum actiones: ergo videtur, quod illam non impetraverint merita Ecclesiae.

4. Item, quod est fundamentum totius meriti Ecclesiae meritis eius non potest reddi; sed Christi incarnatio est fundamentum totius meriti Ecclesiae, quia per ipsum, quotquot sunt, reconciliati sunt Deo et Patri, nec aliquis salvatur nisi per eum [5]: ergo non videtur, quod incarnatio Christi per merita Patrum sive ipsius Ecclesiae poterit impetrari.

Sed contra: 1. super illud Psalmi [6]: *Propter* Ad opposi- *miseriam inopum et gemitum pauperum;* Glossa, tum. ibi: «*Exsurgam*, id est mittam Filium, *propter gemitum pauperum*, qui pro malis gemunt et peccatis conteruntur; nam aliter non essent digni auxilio»: ergo si propter gemitum facti sunt digni missione Filii Dei, videtur, quod incarnatio sive Filii Dei conceptio eorum meritis impetrata fuerit.

2. Item, qui meretur principale meretur et accessorium [7]; sed incarnatio Filii Dei fuit ordinata ad nostram glorificationem; sed nostram glorificationem potuerunt Sancti mereri: ergo et conceptionem Christi.

3. Item, qui meretur quod maius est, mereri potest et quod minus est [8]; sed maius est nostra beatificatio, quam sit Filii Dei incarnatio, quia illud est finis istius: ergo cum meruerunt sancti Patres suam beatitudinem, meruerunt ergo Filii Dei conceptionem.

4. Item, qui petit aliquid in oratione *ex caritate, perseveranter, pie* et *ad salutem*, meretur illud quod petit, maxime cum talis rei petitio Deo placet; sed antiqui Patres maximo desiderio petebant Filii Dei incarnationem, et hoc perseveranter, pie et ad salutem, et Deo placebat, quod tale quid peterent [9]: ergo videtur, quod meruerunt Filii Dei incarnationem.

---

[1] Cod. K et edd. 1, 2 *mortalem*. Paulo inferius pro *viris catholicis* Vat. *viris theologis*.

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Vers. 4. seq. — Glossa habetur apud Lyranum ut *interlinearis*. — In *minori* ante *Filii Dei humanatione* [edd. *humanatio*] codd. K P Q R interserunt *in*.

[4] Psalm. 73, 20. — Glossa, quae est *ordinaria*, habetur apud Strabum et Lyranum ac sumta videtur e Cassiodoro, qui dicit: Quia non erant bona, quae delinquentis populi commemorare potuisset, meminit promissionis dominicae, quae semper impletur.

[5] Cfr. Act. 4, 12; Rom. 5, 11. seqq.; Coloss. 1, 20.

[6] Psalm. 11, 6. — Glossam exhibet Petr. Lombard. in hunc loc. — In fine Glossae cod. Q supplet *gratiae*.

[7] Nam, ut in 42. regula iuris (VI. Decret. libr. V. in fine) praedicatur: Accessorium naturam sequi congruit principalis. — Mox pro *sed nostram glorificationem potuerunt* cod. T *quam poterant*.

[8] Regula iuris 35: *Plus* semper in se continet quod minus est.

[9] Cfr. illud Isai. 64, 1. seqq.: Utinam dirumperes caelos etc. — De conditionibus orationem efficacem reddentibus, quae hic insinuantur, cfr. II. Sent. d. 27. a. 2. q. 1. arg. 4. ad oppos. et q. 2. fundam. 5, et Alex. Hal., S. p. IV. q. 26. m. 5. a. 3. § 1.

CONCLUSIO.

Incarnatio Christi quoad essentiam non cadit sub merito; quoad circumstantiam temporis aliquo modo cadit sub merito sanctorum Patrum; quoad efficaciam quodam modo cadit sub merito, quodam modo non.

RESPONDEO: Dicendum, quod de beneficio incarnationis, sicut de aliis beneficiis divinis, est tripliciter loqui; videlicet quantum ad *substantiam* vel essentiam, et quantum ad *efficaciam*, et quantum ad *circumstantiam* [1]. Si loquamur de ipso quantum ad *essentiam*, sic dicendum, quod illud beneficium erat supra sanctorum Patrum merita, propterea quia non est instae retributionis, sed dignationis eminentissimae; et non sequitur merita hominis lapsi, sed potius est fundamentum omnis meriti, quia nullus Deo placere potuit post lapsum absque fide istius beneficii, vel in generali, vel in speciali [2]. Secundum hanc viam procedunt rationes et auctoritates ad primam partem adductae.

Distinctio.

Conclusio 1.

Notandum.

Si vero loquamur de beneficio incarnationis quantum ad *efficaciam;* sic, cum eius efficacia esset duplex, videlicet quod ordinabatur ad liberationem a *servitute culpae*, et a *reatu carentiae visionis Dei*, quodam modo cadit sub merito, quodam modo non. — Quantum ad liberationem a *reatu carentiae divinae visionis* et captivationis diaboli, hoc meruerunt sancti Patres, et cadit sub merito; quantum vero ad ereptionem de *statu culpae*, non cadit sub merito, nisi quis large sumat meritum ad meritum congrui et condigni [3].

Subdistinctio.

Conclusio 2, duplex.

Si vero loquamur de beneficio incarnationis quantum ad *temporis circumstantiam;* potest concedi absque calumnia, quod cadit sub merito praecedentis Ecclesiae. Sancti enim Patres flagrantissimis desideriis meruerunt incarnationis acceleratione; in quorum persona dicit Isaias, sexagesimo quarto [4]: *Utinam dirumperes caelos et descenderes* etc. — Et sic patet, quod incarnationis beneficium quantum ad *essentiam* non cadit sub merito; quantum vero ad *temporis circumstantiam* cadit sub merito sanctorum Patrum; quantum vero ad *efficaciam* mediam quodam modo cadit sub merito, quodam modo non. — Et quoniam rationes inductae ad primam partem currunt quantum ad illud *quod est* sive quantum ad excellentiam sui in se, ostendunt, ipsum non cadere sub merito praecedentis Ecclesiae; ideo sunt concedendae.

Conclusio 3.

1. Ad illud quod primo obiicitur in contrarium de Glossa Psalmi: Propter miseriam inopum et gemitum pauperum; dicendum, quod Glossa illa intelligitur de beneficio incarnationis quantum ad *efficaciam* nostrae liberationis a poena, sicut patet ex ipsa Glossa; vel quantum ad *accelerationem temporis*, sicut colligitur ex ipsa littera [5]. *Si tu obiicias*, quod Deus non citius incarnatus est, quam disposuerat ab aeterno, propter merita Patrum; dicendum quod propter merita Patrum Deus praeviderat, se acceleraturum; et sic fecit, sicut praeviderat.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod qui meretur principale meretur et accessorium; dicendum, quod illud habet instantiam, quando illud accessorium non solummodo praeparat ad *praemium*, sed etiam praeparat ad *meritum*. Et quoniam Christi incarnatio praebebat sanctis Patribus viam merendi per fidem ipsius, hinc est, quod illa propositio non habet veritatem in proposito. — Potest etiam alio modo praedictae locutioni instari. Non enim habet veritatem, quando illud accessorium non necessario adhaeret principali; et tale est incarnatio Filii Dei. Potuit enim Deus alio modo genus humanum glorificare et salvare quam per Filii incarnationem; propter hoc non sequitur, quodsi sancti Patres meruerunt sui glorificationem, quod [6] Christi incarnationem. — Posset tamen concedi, quod quantum ad *efficaciam* liberationis potuerunt sancti Patres mereri beneficium incarnationis, non tamen *simpliciter*, sicut prius ostensum est.

Notandum.

Alia instantia.

3. Ad illud quod obiicitur, quod qui meretur quod maius est, meretur et quod minus; dicendum, quod praedicta propositio instantiam habet in *gratia* et *gloria;* quia *gloria* cadit sub merito, *gratia* vero non [7]; sic et instantiam potest habere in proposito. — Posset etiam responderi per *interemptionem assumtionis* [8]. Cum enim assumit, quod maior est glorificatio quam incarnatio; dicendum, quod falsum est, nisi *glorificatio* intelligatur cum praesuppositione incarnationis, vel nisi intelligatur *respectu alicuius personae specialis*, utpote respectu Petri vel Pauli — melius enim est Petro videre Deum in gloria, quam humanam naturam a Verbo esse assumtam — *simpliciter* tamen loquendo, melius est, Filium Dei incarnari, quam Petrum glorificari; quia Filii Dei incarnatio valet toti generi humano, Petri

Notandum.

Alia solutio.

---

[1] Vat. cum cod. U et nonnullis aliis supplet *temporis*.

[2] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 2. q. 1, ubi similis argumentatio de *gratia* occurrit. — Paulo inferius pro *eius efficacia* cod. U *eius effectus*.

[3] Vide quaest. seq. in corp., et II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp. — Paulo superius pro *ad ereptionem* cod. Z *ad redemptionem*, cod. bb *ad exemptionem*.

[4] Vers. 1. — Paulo ante codd. K Z bb voci *flagrantissimis* praefigunt *suis*.

[5] Psalm. 11, 6: Propter miseriam inopum et gemitum pauperum *nunc* exsurgam, dicit Dominus.

[6] Supple cum Vat. *meruerint*. — Quod Deus etiam alio modo genus humanum salvare potuisset, ostenditur infra d. 20. q. 6.

[7] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 2. q. 1. (ad 3. ibid. similis obiectio solvitur) et 3.

[8] Sive per negationem *minoris*. Cfr. I. Sent. pag. 87, nota 4.

glorificatio sibi soli. Et ideo non sequitur, quodsi aliquis potest sibi mereri suam glorificationem, quod mereatur Christi conceptionem.

4. Ad illud quod obiicitur, quod qui petit perseveranter, pie et ad salutem, meretur [1]; dicendum, quod verum est, si petat *pro se;* sed nullus petiit, quod Filius Dei assumeret *se,* et ideo nullus hoc meruit; petendo tamen *aliis* merebantur vitam aeternam sibi; et ideo non infructuose orabant. — Posset etiam dici, quod adhuc habet illud instantiam: quando quis quaereret a Deo excellentiam gloriae Petri, qui esset parvae caritatis, non hoc meretur, quia hoc quod petit, merita sua excedit. Per hunc modum et in proposito potest instantia inferri. Aliter.

SCHOLION.

I. Quoad hanc et seq. quaestionem evidens est communis sententia, quod humana Christi natura nullatenus potuerit mereri unionem hypostaticam, et quod nec Sancti veteris Testamenti nec ipsa B. Virgo potuerint eandem mereri merito proprie dicto i. e. merito *condigni,* sive incarnatio consideretur in ordine *intentionis* vel praedefinitionis divinae, sive in ordine *exsecutionis.* Loquendo autem de merito *congrui* et de antiquis Patribus et sanctissima Matre Dei, Scholastici communiter distinguunt ipsam incarnationem *in se* et quoad *circumstantias,* « videlicet temporis, generis et personae » (Ægid. R., hic q. 3. a. 1.), et concedunt, quod istae circumstantiae, praesertim accelleratio temporis, potuerint aliquo modo cadere sub rationem meriti. Addit autem S. Bonaventura tertium distinctionis membrum, scilicet quoad *efficaciam,* de quo hic proprie non est quaestio. — A nonnullis recentioribus hic adhibetur distinctio inter ordinem *intentionis* et *exsecutionis* (quam etiam Richard. a Med. hic innuit); unde etiam paulo aliter quaestionem resolvunt, de quo cfr. Suarez in p. III. Summae t. I. disp. 10. sect. 5-8.

II. Quoad B. V. Mariam, de qua agitur in seq. quaestione, nonnulli posteriores Scholastici affirmare voluerunt, eandem meruisse *de condigno* esse Matrem Dei sive ipsam *dignitatem* maternitatis divinae; quod ceteri communiter negant, cum non nisi *de congruo* hoc meruerit. Addunt autem iidem, quod ipsa *dispositionem* ad talem dignitatem, id est tam eminentem sanctitatis gradum, ut congrue potuerit esse Matér Dei, praevenientibus singularibus gratiis, etiam *de condigno* meruerit. — Nec aliud in re S. Bonav. sentit, dum praeter meritum *de congruo,* quod eadem habuit ante annuntiationem, etiam *meritum digni* (non autem *condigni*) post consensum eidem attribuit. — De triplici distinctione meriti, qua utitur hic S. Bonav., cfr. II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. 3. Richard. a Med. (hic a. 3. q. 1.) ad rem dicit: « Illud meritum, quo B. Virgo meruit fieri Mater Dei, potest vocari meritum *decentiae,* vel *congruitatis,* vel secundum aliquos meritum *dignitatis* ».

III. Alii Scholastici de utraque quaestione simul tractare solent: Alex. Hal., S. p. III. q. 8. m. 3. a. 2. — Scot., III. Report. d. 7. q. 4. — S. Thom., hic q. 3. a. 1; S. III. q. 2. a. 11. — B. Albert., hic a. 8. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. 3. — Ægid. R., hic q. 3. a. 1. — Dionys. Carth., hic q. 2. — Biel de hac et seqq. qq. hic q. unica.

QUAESTIO II.

Utrum beata Virgo Maria meruerit Christum concipere, an conceptio illa fuerit solum ex munere gratiae divinae.

Secundo quaeritur de conceptione Christi in comparatione ad meritum beatae Virginis Mariae, et est quaestio, utrum meruerit beata Virgo Maria Christum concipere, an fuerit conceptio illa solum ex munere divinae gratiae. Et quod beata Virgo meruerit Christum concipere, ostenditur:

1. Per illud quod dicitur Lucae primo [2]: *Beata,* Fundamenta. *quae credidisti; quoniam perficientur in te quae dicta sunt tibi a Domino;* sed annuntiata erat conceptio a Domino: ergo ideo concepit, quia credidit. Sed constat, quod fides sive credulitas non fuit causa efficiens conceptionis: ergo fuit causa meritoria.

2. Item, in collecta, quae dicitur communiter ab Ecclesia [3]: « Omnipotens, sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante praeparasti » etc. Et ex hoc colligitur, quod beata Maria meruit et quod digna fuit: ergo meruit merito condigni concipere.

3. Item, Bernardus quinto de Consideratione ad Eugenium [4], tractans illud Matthaei decimo tertio: *Simile est regnum caelorum fermento* etc., dicit, quod « mulier fuit Sapientia, quae *fermento* fidei beatae Virginis in incarnatione tria sata commiscuit, *novum, antiquum, aeternum: novum* in animae creatione de nihilo, *antiquum* in assumtione corporis de natura Adam, *aeternum* in unione divinitatis ». Ergo fides beatae Virginis aliquo modo cooperata est in ista commixtione; sed non quantum ad principium solum effectivum: ergo per modum meriti.

4. Item, beata Virgo aut *habuit* gratiam sufficientem [5], praeparantem ipsam ad conceptionem Filii Dei, aut *non.* Si *sic;* sed gratia sufficienter praepa-

---

[1] Codd. et edd. 1, 2 ante *meretur* repetunt *quod.* Mox pro *assumeret se* cod. U *assumeret carnem pro se tantum.* In fine solut. pro *inferri* cod. K *ferri.*

[2] Vers. 45. — Superius pro *solum ex* codd. K P Q Z bb *ex solo.*

[3] In Completorio post antiphonam *Salve Regina.*

[4] Cap. 10. n. 22. seq., sed fusius ibi quam hic in arg. Cfr. Serm. 2. de Nativ. Domini, n. 4. Locus Script. est Matth. 13, 33. — Ante *in incarnatione* non pauci codd. erronee repetunt *quae.*

[5] Cod. K *sufficienter.*

rans facit mereri illud, ad quod praeparat, merito condigni: ergo videtur, quod beata Virgo ex illa gratia meruit conceptionem Filii Dei, cum ea bene usa fuerit. Si *non;* aut ergo caruit illa gratia sufficienter praeparante, quia ipsam non *potuit* recipere, aut quia eam *noluit Deus,* vel non *potuit* dare; sed non, quia non *potuit Deus,* vel *noluit* dare, cum sit omnipotens et vellet sine dubio sibi idoneum habitaculum praeparare. Si quia *Virgo non potuit* recipere: ergo multo minus potuit Filium Dei concipere, ad cuius conceptionem gratia illa praeparabat. Quodsi omnia ista sunt inconvenientia, relinquitur primum, videlicet quod beata Virgo meruit conceptionem Christi per gratiam sibi datam.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Augustinus in Enchiridio, et habetur in littera [1]: « Modus, quo natus est Christus de Maria sicut filius, et de Spiritu sancto non sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis in ipso exordio naturae suae, quo coepit esse, Verbo Dei copularetur »: ergo videtur, quod nulla merita praecesserunt conceptionem Christi vel incarnationem.

2. Item, maius est meritum totius Ecclesiae quam singularis personae: ergo si incarnatio non cadit sub merito totius Ecclesiae [2], nec sub merito Virginis Mariae.

3. Item, quod cadit sub merito non tenet plene rationem gratuiti — *nam si gratia est ex meritis, iam non est gratia,* sicut dicit Apostolus ad Romanos [3] — sed Filii Dei incarnatio ad maximam pertinuit gratiam, secundum quod dicit Augustinus: ergo videtur, quod eius conceptionem non meruit beata Virgo Maria.

4. Item, hoc est inaestimabilis dignationis, quod Filius Dei aeterni efficiatur filius unius pauperculae mulieris: ergo non fuit ex aequitate vel iustitia retributionis, igitur nec ex merito Virginis.

CONCLUSIO.

Maria non merito condigni, sed tantum merito congrui et post annuntiationem etiam dignitatis potuit mereri concipere Filium Dei.

Triplex meritum.

Respondeo: Dicendum, quod est loqui de merito secundum triplicem gradum et differentiam. Est enim meritum *congrui,* in quo [4] peccator dicitur gratiam sibi mereri, cum ad gratiam se disponit; et est meritum *digni,* quo scilicet vir iustus orat pro alio et meretur exaudiri; et est meritum *condigni,* quo quis ex tanta caritate meretur tantam gloriam [5].

Conclusio 1.

Dico igitur, quod beata Virgo Maria concipere Filium Dei *ante incarnationem* meruit merito *congrui,* quoniam prae sua nimia puritate et humilitate et benignitate idonea erat, ut efficeretur Dei Mater. *Post annuntiationem* vero, postquam consensit, et Spiritus sanctus in copiositate gratiae in eam descendit, non solum habuit *congruitatem,* sed *dignitatem;* et ex tunc meruit non solum merito *congruitatis,* sed *dignitatis* obumbrari et impraegnari virtute Altissimi [6]. Sed merito *condigni* non potuit mereri concipere Filium Dei, pro eo quod hoc *excedit* omne meritum, et etiam, quia erat ipsius meriti gloriosae Virginis *fundamentum.* Sive enim dicamus, Deum fieri hominem, sive dicamus, mulierem fieri matrem Dei, utrumque est supra statum, qui debetur creaturae; et ideo tam hoc quam illud fuit benignitatis et gratiae. Et propterea, sicut dixi, quod gratiam primam potest mereri iustus peccatori merito *dignitatis,* non merito *condigni,* ne gratia perderet [7] rationem gratiae; sic potest concedi, quod beata Virgo non tantum merito *congrui,* sed merito *dignitatis* meruit conceptionem, quia per copiosam gratiam Spiritus sancti ad conceptionem illam non solum *congrua,* sed etiam *digna* fuit [8].

Conclusio 2.

Conclusio 3.

Notandum.

Ex his patere possunt rationes et auctoritates, quae ad utramque partem adducuntur. Nam rationes, quae ad primam partem adducuntur, currunt de merito secundum primam, vel secundam acceptionem. Rationes, quae ad secundam partem adducuntur, currunt de merito tertio [9].

Solutio oppositorum.

1. Ad illud tamen verbum, quod dicitur de littera [10], dicendum, quod non privantur *simpliciter merita,* sed *praecedentia merita,* et hoc non in quocumque, sed in natura assumta, quia non habuit merita ad unionem praecedentia; quia simul concepta et assumta fuit et formata, sicut ostensum fuit supra [11].

2. Ad illud quod obiicitur, quod maius est meritum totius Ecclesiae quam Virginis Mariae; dici potest, quod ratio illa non cogit, quia maius est meritum Patrum [12] quam Virginis *extensive,* nec tamen

---

[1] Hic c. 2.

[2] Cfr. quaest. praeced. — Pro *cadit* cod. N *cadebat.*

[3] Cap. 11, 6. — Dictum August., quod habetur in eius libr. XIII. de Trin. c. 19. n. 24, vide supra pag. 29, nota 1. Cfr. X. de Civ. Dei, c. 29. n. 1. — Pro *pertinuit* cod. Z *pertinet.*

[4] Pro *in quo* codd. G H L T aa *et quo,* codd. F K U V Z *quo.*

[5] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. et 3. — Pro *gloriam* cod. G *gratiam.* Mox pro *ante incarnationem* Vat. *ante annuntiationem.*

[6] Respicitur Luc. 1, 35: Virtus Altissimi obumbrabit tibi. — Paulo ante pro *sed dignitatem* cod. bb *sed etiam* [edd. *et*] *dignitatem.*

[7] Pro *perderet* Vat. substituit *perdat,* interiectis paulo ante inter *non* et *merito condigni* verbis *tantum merito congrui, licet iustus non possit ipsam primam gratiam mereri peccatori.* Pro *ne gratia* non pauci codd. et edd. 1, 2 *ne igitur* vel *ne ergo,* cod. U *ne sic.*

[8] Vat. sola, paulo superius vocibus *meruit conceptionem* adiectis verbis *Filii Dei,* hic superflue addit: *Quamvis eandem conceptionem Verbi divini nunquam meruerit merito condigni, ne tantum beneficium incarnationis Filii Dei perderet rationem gratiae benignitatis et misericordiae.*

[9] Edd. 1, 2 apponunt *modo,* Vat. adiungit *modo accepto.*

[10] Ita fere omnes codd., cod. bb *quod obiicitur de littera,* edd. *quod adducitur in littera.*

[11] Dist. 3. p. II. a. 3. q. 2.

[12] Cod. K *Ecclesiae.*

oportet quod *intensive;* quia beata Virgo, postquam, annuntiatione audita ab Angelo, sanctificata fuit a Spiritu sancto, tanto munere gratiae est impleta, ut aliquid digne posset mereri, quod non possent, si omnes alii Sancti essent congregati simul.

3. 4. Ad alia duo non oportet respondere, quoniam procedunt secundum tertiam viam, sicut apparet. Nam dignitas nihil aufert liberalitatis gratiae nec benignitatis misericordiae; immo simul cum illis manet, sicut intuenti apparet [1].

QUAESTIO III.

Utrum gratia in conceptione teneat rationem proprietatis naturalis, vel gratuitae.

Tertio quaeritur de gratia illa, quae fuit in conceptione, in comparatione ad dignitatem naturae assumtae, et est quaestio, utrum gratia illa teneat rationem proprietatis naturalis, vel gratuitae. Et quod tenet rationem proprietatis *naturalis,* videtur:

1. Primo per auctoritatem Augustini, quae po-
Argg. pro 1. parte. nitur in littera [2]: «In naturae humanae susceptione fiebat quodam modo illi homini gratia naturalis, ut nullum posset admittere peccatum».

2. Item, hoc *ratione* videtur. Quod inest rei a sua prima origine inest ei naturaliter [3]; sed anima Christi ab instanti conceptionis habuit gratiam, nec potest nec potuit ab ea separari gratia illa: ergo videtur, quod illa gratia naturaliter fuerit innata.

3. Item, quod inest rei a principio intrinseco inest ei naturaliter [4]; sed gratia Christi ortum habebat a persona Verbi, quae non est alia a persona Christi: ergo inerat ei a suo principio intrinseco; et si hoc, tunc inerat per modum proprietatis naturalis magis quam gratuitae.

4. Item, proprietas, per quam res ordinatur ad actum naturalem, est naturalis; sed per gratiam ille homo erat Filius Dei naturalis et est: ergo videtur, quod gratia sibi collata fuerit ei ad modum proprietatis naturalis.

Sed contra: 1. Gratia et natura dividuntur ex
Argg. pro 2. parte. opposito; sed quandocumque duo aliqua opponuntur, unum non denominat reliquum [5]: ergo si naturale dicitur a natura, videtur, quod nulla gratia sit naturalis, aut si est naturalis, non est gratia.

2. Item, plus distat naturale a gratuito, in quantum huiusmodi, quam meritorium; sed perfecta gratia Christi non potuit esse ex meritis [6]: ergo multo fortius videtur, quod non fuerit naturalis.

3. Item, «naturalibus nec laudamur nec vituperamur [7]»; sed Christus laudabilis erat per gratiam, quam habebat: ergo non videtur, quod gratia illa fuerit ei naturalis.

4. Item, excellentior est unio humanae naturae ad divinam in unitate personae quam per conformitatem gloriae [8]; sed natura non elevatur ad gloriam, quantumcumque excellat, nisi mediante gratia, quae excedit terminum naturae, et quanto magis excedit, tanto magis tenet rationem gratiae: si ergo quod collatum est Christo multo magis excedebat terminos naturae, quam quod collatum est aliis hominibus; videtur, quod gratia eius plus habuit de ratione gratuiti et minus de ratione naturalis, quam gratia collata eius membris.

CONCLUSIO.

Gratia unionis quodam modo fuit homini Christo naturalis, quodam modo non.

Respondeo: Dicendum, quod *gratia unionis,* Gratia unionis dicitur tripliciter.
sicut in praecedentibus [9] fuit tactum, tripliciter potest dici. Uno modo dicitur gratia unionis gratia *disponens de congruo ad unionem;* alio modo dicitur gratia unionis *ipsa unio gratis facta;* tertio modo dicitur gratia unionis ipsa *gratia faciens unionem.* — Et quocumque horum modorum dicatur gratia unionis, verum est, quod tenet *rationem gra-* Conclusio 1.
tuiti; verum est etiam, quod aliquo modo habet *proprietatem rei naturalis.* Et hoc insinuat ipsa littera Augustini, cum dicit, quod «*quodam modo* fieret illi homini gratia naturalis»: non dicit, *simpliciter* fieret, sed *quodam modo.*

Si enim dicatur gratia unionis, id est gratia *disponens ad unionem,* quodam modo est *natu-* Conclusio 2.

---

[1] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[2] Hic c. 2. — In testimon. allegato pro *illi homini* Vat. *in homine.*

[3] Aristot., II. Moral. Eudem. c. 9. (c. 8.) ait: Atque his fere duobus a natura quippiam inesse determinamus, eo scilicet quod a nativitate statim omnibus inest, et quod generatione existente facile consequimur, ut senectus, canities etc.

[4] Cfr. Aristot., II. Phys. text. 3. seqq., ubi definitio naturae datur (principium aliquod et causa movendi et quiescendi, in quo est primum et non secundum accidens) nec non plura alia definiuntur, quae ad naturam spectant.

[5] Deficiunt enim in oppositis conditiones principales ad denominationem requisitae. «Tria sunt autem necessaria, inquit Boeth., I. in Praedicam. Aristot. c. *de Denominativis,* ut denominativa vocabula constituantur: prius ut *re* participent, post ut *nomine,* postremo ut sit quaedam *nominis transfiguratio,* ut cum aliquis dicitur a fortitudine fortis... Si quid vero sit quod *re* non participet, neque *nomine* participare potest. Quare quaecumque *re* non participant, denominativa esse non possunt».

[6] Cfr. infra d. 18. a. 2. q. 1.

[7] De hac Aristot. propos. vide tom. II. pag. 113, nota 8. — Vat. et aliquot codd. verbo *naturalibus* praemittunt *in.*

[8] Vide supra d. 2. a. 3. q. 2. et infra d. 6. a. 2. q. 2. seq. — Pro *in unitate* edd. cum codd. A T V bb *in unitatem.* Paulo inferius pro *magis excedit* codd. G H L T V aa et edd. 1, 2 *magis accedit* [scil. ad gloriam].

[9] Dist. 2. a. 3. q. 2. ad 6.

Ratio. *ralis*, quodam modo *non*. — Nam proprietas naturalis comparatur ad aliquid sicut ad *subiectum*, et sicut ad *causam*. Secundum comparationem, quam habet ad *subiectum*, naturaliter dicitur inesse quod inest a primordio ipsius rei et inseparabiliter et ab ea non recedit. Secundum comparationem, quam habet ad *causam*, dicitur naturaliter inesse proprietas [1], quae *causatur* a *principiis subiecti*, et per quam ipsum subiectum *efficit operationem naturalem*. Primo modo dicitur gratia Christi *fuisse naturalis*, per quam ad unionem *disponebatur*, quia gratiam habuit a primordio suae nativitatis et gratiam perdere non potuit. Secundo vero modo *non fuit naturalis*, quia [2] potius ordinabatur ad *operationem supra naturam*; non habebat etiam ortum a *principiis naturae*, sed potius a divina voluntate. Et propterea secundum istum modum accipiendi verum dicitur, quod gratia quodam modo fuit Christo naturalis, quodam modo non. Et ista possunt accipi ex his quae dicuntur in textu [3].

Similiter, si gratia unionis dicatur *ipsa unio* Conclusio 3. *gratis facta*, quodam modo fuit *naturalis*, quodam modo *non*. *Naturalis*, inquam, *fuit* propter inseparabilitatem, quia natura humana sic fuit unita divinae a sua prima formatione, quod ab ipsa separari non potuit. Quodam modo *non fuit naturalis*, sed gratuita, in hoc scilicet quod terminos naturae excedit et ex mera Dei voluntate processit.

Similiter, si tertio modo dicatur gratia [4] ipsa *virtus gratis faciens unionem*, sicut ipse Spiritus Conclusio 4. sanctus, sic quodam modo fuit illi homini *naturalis*, quodam modo *non*. *Naturalis* fuit per communicationem idiomatum ratione personae Verbi, cui Spiritus sanctus connaturalis est. Non enim habuit Filius Spiritum sanctum per influentiam, sed potius, quia habet in se a Patre vim spirativam. Et propterea dicitur in Ioanne [5], quod non est ei datus Spiritus ad mensuram. Per comparationem autem ad naturam assumtam gratia illa *non erat* illi homini *connaturalis*, quia Spiritus sanctus non erat in eo per principia naturae creatae, sed per gratiam inhabitantem. — Et sic patet, quod omni modo intelligendi [6] gratia illa quodam modo fuit illi homini connaturalis, alio modo non.

Et secundum hoc currunt rationes ad utramque Ad argumenta. partem, quae secundum diversas vias verum concludunt. Verum est enim, quod «gratia illa, sicut dicit Augustinus, *quodam modo* naturalis fuit illi homini»: non tamen *simpliciter*, sicut rationes ostendunt.

4. Illa tamen ratio, qua ostenditur, quod gratia Ad argg. pro 1. parte. illa est naturalis, quia ordinat ad actum naturalem, non valet, quia *assumtio* [7] est falsa; quoniam, etsi per gratiam illam disponatur, ut sit filius naturalis, non tamen propter hoc ordinatur ad operationem naturalem. Hoc enim non dicitur propter hoc, quod illi naturae assumtae conveniat a Patre per gratiam illam aeternaliter et naturaliter generari; sed hoc est, quia per gratiam illam disponitur ad unionem, quae facit idiomatum communicationem, et unio illa supra naturam est. Et ideo non est mirum, si gratia, quae ad illam unionem reddit naturam congruam, est supra naturam.

3. Similiter alia ratio, quae dicit [8], quod gratia illa a principio intrinseco est, non cogit; quoniam aliter accipitur *intrinsecum* in proposito, et aliter, cum dicitur, quod *naturale* est quod est a principio intrinseco. Nam *intrinsecum*, prout cadit in notificationem proprietatis naturalis, dicitur esse illud quod est de constitutione naturae; non sic autem persona Verbi est illi intrinseca.

1. 2. Aliae vero duae rationes sunt concedendae, quia non probant, quod gratia illa simpliciter fuerit naturalis, sed quod quodam modo conformitatem habuit ad proprietatem naturalem. Et hoc quidem veritatem habet, sicut iam ostensum est.

SCHOLION.

1. In solvenda hac questione omnes antiqui Scholastici consentiunt et etiam iisdem fere distinctionibus utuntur. Attamen posteriores doctores gratiam habitualem in Christo non vocant *gratiam unionis*, quem modum loquendi S. Bonav. accepit ab Alexandro Hal., ut iam supra d. 2. a. 3. q. 2. in scholio innuimus, ubi etiam explicatum est, quo sensu gratia habitualis vocari possit «disponens de congruo ad unionem».

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 7. m. 2. a. 2. — Scotus quaestionem tangit in utroque Scripto, III. Sent. d. 10. — S. Thom., hic q. 3. a. 2; S. III. q. 2. a. 12. — B. Albert., hic a. 9. — Petr. a Tar., hic circa lit. Magistri. — Ricard. a Med., hic a. 3. q. 2. — Ægid. R., hic q. 3. a. 2. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 4.

---

[1] Codd. M O *naturalis esse proprietas*. Paulo superius pro *ipsius rei* in cod. K a posteriore manu substitutum est *ipsi rei*. — Cfr. II. Sent. d. 26. q. 3, ubi de hac re fusius agitur.

[2] Edd. et nonnulli codd. *sed*.

[3] Cod. X *in littera*, et quidem c. 2.

[4] Codd. F N bene supplent *unionis*. Cod. Z omittit *gratia*.

[5] Cap. 3, 34: Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. — In propos. praeced. codd. K Z *habuit* commutarunt in *habet*, et pro *in se* exhibent *in se ipso*; cod. U voci *Filius* praefigit *ipse*. De ista propos. cfr. I. Sent. d. 11. 12. et 29. a. 2.

[6] Non pauci codd. *intelligendo*; minus bene. Paulo superius pro *principia* cod. Z *principium*.

[7] Sive *minor*. — Paulo ante pro *qua ostenditur* cod. bb *quae ostendit*.

[8] Pro *quae dicit* cod. U *qua dicitur*, codd. A G L N T V aa bb *qua dicit*. Paulo superius pro *reddit* cod. Z *reddidit*.

ARTICULUS III.

De conceptione Christi in comparatione ad Virginem concipientem.

Consequenter quaeritur de conceptione Christi in comparatione ad Virginem concipientem, et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum in illa conceptione aliquid Virgo Maria fuerit Spiritui sancto in aliquo cooperata.

Secundo quaeritur, utrum illa operatio vel cooperatio fuerit naturalis, vel miraculosa.

Tertio quaeritur, utrum ex illa cooperatione sit Virgo Maria Dei genitrix appellanda.

QUAESTIO I.

Utrum Virgo Maria in illa conceptione fuerit aliquid Spiritui sancto in aliquo cooperata.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum in illa conceptione aliquid Virgo Maria fuerit Spiritui sancto cooperata in aliquo, mediante aliqua potentia. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Primo auctoritate Damasceni, quam ponit Magister in littera [1]: « Praevenit Spiritus sanctus in ipsam secundum verbum, quod dixerat Angelus ei, purgans eam et potentiam deitatis Verbi receptivam praeparans, simul autem et generativam »: ergo si non solum habuit potentiam receptivam, sed etiam generativam, non solum se habuit Virgo Maria per modum recipientis, sed per modum agentis et cooperantis.

2. Item, vera mater cooperatur in filii generatione; sed beata Maria vere fuit Mater Christi [2]: ergo vere fuit cooperata in eius conceptione virtuti Spiritus sancti.

3. Item, hoc conceditur et cantatur ab Ecclesia tanquam verus et catholicus sermo [3]: « Genuit puerpera regem »; sed *generare* agere est et actio virtutis generativae: ergo videtur, quod in illa conceptione generativa vis Virginis cooperata fuit divinae virtuti.

4. Item, aut Virgo Maria *cooperata fuit*, aut *non*. Si *sic*, habeo propositum; si *non:* ergo habuit se solummodo sicut materia: ergo sicut nulla est affinitas [4] hominis ad limum, unde formatus est, sic nec Mariae ad Christum. Sed hoc est falsum: ergo etc.

5. Item, vir praebuit mulieri materiale principium, quando de eius costa formata est Eva; sed propter hoc ipsius mulieris non dicitur esse pater, aut mater, quia cooperatus non fuit in eius formatione; sed beata Virgo habitudinem matris habet ad Christum: ergo non solum praeparavit materiam, sed cooperata fuit ad inducendum formam.

6. Item, veritas debet respondere figurae; sed Virgo Maria figurata est per virgam Aaron, et virga Aaron fronduit et floruit et fructum fecit, sicut habetur Numerorum decimo septimo [5]; de flore autem pervenitur ad fructum mediante virtute activa reperta in planta, quae floruit: fuit igitur in virga virtus activa ad fructificandum: ergo videtur multo fortius in Virgine Maria.

Sed contra: 1. Ad Galatas quarto [6]: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere;* et ad Romanos primo: *Qui factus est ei ex semine David;* super quem locum dicit Glossa: « Apostolus dicit *factum*, sed non *natum*. Aliud enim est ex semine admixto sanguinis coagulo *generare*, aliud non commixtione, sed virtute *procreare*. Possunt enim homines filios *generare*, sed non *facere* ». Ergo videtur, quod Virgo Maria solum se habuit ut materiale principium, ex quo corpus Christi dicitur factum. Ad oppositum.

2. Item, Damascenus [7]: « Copulavit sibi de purissimis et sanctissimis Virginis sanguinibus, non seminans, sed per Spiritum sanctum creans »: si ergo *creatio* est actio solius Dei, in qua non cooperatur creatura; videtur, quod in nullo fuerit Virgo cooperatrix.

3. Item, Christus eodem modo fuit in parentibus, quo fuit in Virgine; sed in parentibus fuit « secundum corpulentam substantiam tantum [8] »: ergo nec in Virgine fuit nisi secundum corpulentam sub-

---

[1] Supra d. III. c. 1. — In fine arg. post *sed* edd. addunt *et*.

[2] Cfr. Matth. 1, 18, et infra q. 3.

[3] Vide Breviar. Roman., fest. Nativ. Dom. 2. antiph. ad Laudes. Cfr. Coelius Sedul., II. Carm. Pasch. 63. — Quoad *minorem* nota, quod Aristot., II. de Anima, text. 34. (c. 4.) docet, generare esse « facere aliud quale ipsum ». In conclusione plurimi codd. omittunt *vis*, pro quo cod. K (a secunda manu) exhibet *virtus;* cod. T omittit *vis Virginis*.

[4] Quae tamen oritur ex generatione. Cfr. verba Aristot. in praeced. nota allegata. — Post *habuit se* cod. U addit *ibi*.

[5] Vers. 8. De virga Aaron cfr. Serm. 245. (alias 3. de Tempore) in appendice Serm. August. n. 3; Bernard., Serm. infra Oct. assumt. B. M. V. n. 8. — Circa finem arg. pro *fuit igitur* edd. *fuit etiam*. Subinde post *ergo videtur* codd. K U Z subdunt *quod*, quam vocalum Vat. ponit post *multo fortius*. Cod. S post *multo fortius* inserit *in figurato, scilicet*.

[6] Vers. 4. — Locus e primo cap. ad Rom. cit. est v. 3. — Glossa quae est etiam hic lit. Magistri, c. 3, sumta est ex Quaestion. ex nov. Test. p. II. q. 42. (inter opera August.).

[7] Libr. III. de Fide orthod. c. 2. Vide supra lit. Magistri, d. III. c. 1. — In conclus. pro *in qua* codd. A K L T U V X Z aa bb *in quo*.

[8] Ut dicit August., X. de Gen. ad lit. c. 20. n. 35. *(tantum* i. e. non secundum rationem seminalem). — In prima conclusione post *substantiam* cod. U adiicit *tantum*.

stantiam. Si ergo *generatio* dicit vim activam et cooperativam ad formam producendam, videtur, quod Virgo Maria in nullo fuerit Spiritui sancto cooperata.

4. Item, agens potentiae finitae non potest continuari nec cooperari in agendo cum agente potentiae infinitae in ea operatione, in qua operatur virtus illa per modum infiniti; sed conceptio Christi fuit in instanti, sicut ostensum fuit supra [1]; producere autem rem in instanti, quae nata est produci successive, hoc est potentiae in infinitum excedentis potentiam naturae: ergo si Virgo Maria nullam habuit potentiam nisi finitam, videtur, quod Spiritui sancto non potuit cooperari in conceptione illa.

CONCLUSIO.

Beata Virgo vere cooperata est Spiritui sancto in conceptione Filii sui, subministrando materiam, quae non solum habuit rationem materiae, *sed etiam* sufficientiam et virtutem *ad prolis productionem.*

Conclusio 1.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio, cum Virgo Maria sit Mater Christi et vere ipsum concepisse dicatur, vere cooperata fuit Spiritui sancto in Filii sui conceptione. Et hoc [2] communiter et generaliter tenent doctores theologiae. De *modo* autem cooperandi diversi sentiunt diversa. — Quidam enim dicere voluerunt, quod Virgo Maria solum cooperata fuit *ministrando principium materiale.* Alii vero [3], quod cooperata fuit in *ultimae formae inductione* et in materiae *praeparatione*, quamvis non in tota operatione. Alii vero tenent *medium* inter utrumque.

De modo cooperationis 3 sententiae.

Sententia 1.

Primi, qui dicunt, quod cooperata fuit solum in materialis principii ministratione, moventur hac ratione: quia, sicut dicit Philosophus [4], mater in generatione prolis se habet sicut principium materiale, et semen viri sicut effectivum et operativum. Unde comparatur semen viri ad semen mulieris sicut artifex ad materiam, mulier vero non facit nisi materiam ministrare et exterius fovere. Et hoc totum fecit Virgo Maria; et ideo vere mater est appellanda, quia nihil ei defuit, quod spectat ad veram matrem in generatione prolis. Spiritus autem sanctus quod defuit ex parte viri supplevit. — Sed haec positio nimis parum dicit: primum, quia mater in generatione non solum habet potentiam *passivam*, sed [5] *activam;* unde quandoque proles magis assimilatur matri quam patri. Unde quod dicunt physici intelligendum est per *appropriationem* [6]. Et iterum dicit Damascenus, quod Spiritus sanctus non solum dedit Virgini potentiam *receptivam*, sed etiam *generativam;* et sicut prius [7] ostensum est, propter materiam solum non est appellanda mater, sicut patet in formatione mulieris de costa viri.

Non probatur.

Et quoniam ista positio nimis parum dicit, ideo sunt alii, qui superaddunt et dicunt, quod non solum cooperata fuit Spiritui sancto *ministrando principium materiale*, sed etiam in *ultimae formae inductione.* Nam in *tota* operatione cooperari non potuit, quoniam formatio corporis instantanea, prout formatio comprehendit totam transmutationem, fieri non potest nisi a virtute infinita. In ultimae autem formae [8] inductione cooperari potuit, pro eo quod ultima forma in instanti potest induci a natura, vel a virtute creata; et ideo in hoc, in quo potuit, cooperata fuit Spiritui sancto potentia Virginis generativa, et pro tanto dicitur mater, quia operata fuit conceptionem et quantum ad *initium* et quantum ad *consummationem.* — Sed haec positio nimis dicit: primum, quia eiusdem est *factum esse*, cuius est *fieri* [9]; quodsi conceptionem *efficere* non est virtutis creatae, sed increatae, similiter nec ipsum *conceptum esse.* — Rursus, inducens ultimam formam nobilius est quam praeparans. Non igitur videtur decens, quod Spiritus sanctus *praeparet* per se, et *ultimam formam inducat* cum Virgine. — Difficile est nihilominus assignare, quae sit illa forma ultima, in cuius inductione cooperatur Virginis potentia generativa. Illa enim [10] non potest esse *anima*, quoniam a sola creatione habet originem; non *organizatio corporea*, ut videtur, quia illa non inducitur subito, sed per successionem a natura; inducitur enim per *motum*, non per *mutationem;* «*motus* enim est transmutatio successiva; *mutatio*, instantanea», ut dicit Philosophus [11].

Sententia 2.

Non probatur ob 3 rationes.

---

[1] Dist. 3. p. II. a. 3. q. 2. — Mox pro *produci* permulti codd. perperam *producere*.

[2] Codd. F K (Z a prima manu) subiungunt *quidem*.

[3] Cod. N *Alii dicunt*. Mox post *ultimae formae* codd. M O addunt *filii*.

[4] Libr. I. de Generat. animal. c. 2. et 20. — Paulo superius pro *ministratione* codd. K Z bb habent *subministratione*, et aliquanto inferius, in fine sententiae Aristot., Vat. pro *exterius fovere* substituit *ulterius fovere*.

[5] Cod. Z adiicit *etiam*, edd. *et*.

[6] Sive non exclusive, sed principaliter tantum. Cfr. de his II. Sent. d. 20. q. 6. — Pro *physici* Vat. *philosophi*. Paulo ante pro *quandoque* codd. K Z bb *aliquando*.

[7] In fundam. 4. et 5.

[8] Pro *formae* plurimi codd. *formationis;* lectio corrupta. Paulo inferius Vat., omisso *potuit* et post *generativa* suppressa vocula *et*, quae duo vocabula ex codd. restituimus, sic: *in quo cooperata fuit... generativa, pro tanto* etc. Dein pro *operata fuit* codd. F N (K a secunda manu) *cooperata fuit*.

[9] Cfr. Aristot., VII. Metaph. text. 27. (V Lc. 8.), et VI. Phys. text. 59. (c. 6.).

[10] Cod. H omittit *enim*, pro quo codd. Z bb *autem*, multi alii codd. *tamen*. Subinde codd. K bb *nec organizatio* pro *non organizatio*.

[11] Aristot., V. Phys. text. 7. seqq., tres quidem species transmutationis distinguit: motum (i. e. transmutationem ex subiecto in subiectum), generationem (i. e. transmutationem ex non-subiecto in subiectum) et corruptionem (i. e. transmutationem ex subiecto in non-subiectum); sed duas ulteriores species communi nomine *mutationis* complectitur, quare et duae tantum

Et quoniam prima opinio parum dicit, et se-
Sententia 3. et media. cunda multum excedit, suis obliquitatibus dirigunt nos in veritatis viam. Et propterea melius sentire
Conclusio 2. videntur qui dicunt *medium*, videlicet quod beata Virgo habuit virtutem sibi divinitus datam, per quam administraret materiam illi conceptui, materiam, inquam, quae non solum habuit rationem *materiae* sive potentiae passivae, sed etiam *sufficientiam et virtutem* ad prolis productionem. Illa tamen virtus per se non poterat prodire ad perfectum actum nisi per successionem in tempore; sed quoniam non decebat, carnem Christi formari successive, sicut in praecedentibus [1] ostensum est; ideo Spiritus sanctus sua infinita virtute produxit illam materiam ad actum completum. Et per hoc in nullo Virgini derogatur, si Deus sua virtute acceleravit, quod in aliis mulieribus successive producit ad *esse*. — Non
Corollarium. enim fuit minor potentia in Virgine quam in alia muliere, immo multo maior, quia potentiam naturalem et supranaturalem habuit, per quam subministrare poterat materiam ipsa sola adeo, sicut mulier viro commixta; unde tota substantia Christi fuit de matre sua. Et ideo, si recte velimus sentire et loqui, veriori modo fuit Virgo mater Christi, quam sit aliqua mater filii sui [2]. Unde et per illam virtutem ipsum in ventre per novem menses confovit.

Et sic patet, quod Virgo Maria aliquo modo fuit in conceptione Filii cooperata, videlicet subministrando sufficientem materiam virtute activa [3], quae tamen supra *posse* suum accelerata fuit et ad complementum perducta per virtutem infinitam. — Et
Confirmatur. huic consonat sacra Scriptura [4], quae modo dicit Christum *natum de Virgine*, modo dicit *factum*. Consonat etiam verbum Damasceni, qui dicit, quod virtutem habuit verbi *susceptivam* et *generativam*: *generativam*, quia potuit seminarium corpori ministrare per virtutem sibi collatam divino munere; *susceptivam* vero, quia solum Dei Verbum potuit carnem assumtam in instanti formare, quod quidem Verbum susceptum est a Virgine. — Rationes igitur ostendentes, in Filii Dei conceptione Virginem aliquo modo cooperatam [5] fuisse, sunt concedendae.

1. Ad illud vero quod obiicitur de Glossa super
Solutio oppositorum. illud *factum*, iam patet responsio. Hoc enim non excludit veram potentiam generativam a Virgine, sed ponit, ibi aliquam vim esse supra vim naturae [6]; unde removet viri seminis commixtionem, et ideo sic dicitur *factus*, quod nihilominus dicitur *natus*. Et est simile, si Deus uni virgae aridae daret vim germinandi, quam habet una viridis, et praeter hoc faceret ipsam in instanti fructificare; virga illa diceretur fructum fecisse et attulisse [7], et nihilominus fructus ille diceretur esse factus ex illa virga, ita quod simul diceretur *factus* et *ortus*. Sic et in proposito est intelligendum, talis enim praecessit figura huius conceptionis in virga.

2. Ad illud quod obiicitur de Damasceno, quod carnem illam fecit creans, non seminans; dicendum, quod sicut per actum *creationis* non intendit dicere, quod caro illa facta fuerit *ex nihilo*, sed quod [8] ad perfectionem deducta est per virtutem infinitam; sic etiam per hoc, quod dicit *non seminans*, non privat potentiam activam a Virgine, sed removet consuetum modum operandi naturae, qui est per seminis commixtionem maris et feminae. — Utrum autem Virgo excitata a Spiritu sancto seminaverit, hoc est [9], ad locum matricis semen emiserit; quamvis aliqui dixerint, non est verbum illud frequenter in ore versandum, tum quia turpitudinem habet annexam, et homo habere debet munda labia in tali materia; tum etiam, quia certitudinem non habet ex se, nec verbis Sanctorum videtur multum consonare. Unde stultum est in talibus velle ita curiose singula pertractare. Hoc tamen sufficiat dixisse, videlicet quod Virgo ministravit materiam aptam generationi Filii Dei secundum carnem.
Ad quaestionem incid. notabilis resp.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non fuit in ea secundum rationem seminalem; dicendum, quod verum est, si *seminalis ratio* dicatur illa, secundum quam natura consuevit operari; sic enim accipit Augustinus ibi [10]. Ex hoc tamen non excluditur, quin aliqua potentia praeter morem solitum divinitus Virgini sit collata. *Praeterea*, ratione adhuc potentiae illius activae non debet dici fuisse ibi secundum *rationem seminalem*, pro eo quod ad actum perfectum perducta fuit per virtutem supra naturam; et respectu talis modi operandi fuit ibi solum *potentia obedientiae*. Et est simile: si Deus
Notandum.
Simile. post [11] commixtionem maris et feminae in instanti perducit foetum ad complementum organizationis

---

species transmutationis notantur, nempe *motus* et *mutatio*, quae secundum communem commentatorum explicationem ita inter se distinguuntur, quod *motus* significet transmutationem successivam, *mutatio* vero instantaneam. Ad *motum* pertinent alteratio, augmentatio, diminutio et loci mutatio. Cfr. Scot. in V. Phys. q. 1. — Vat. vocabulo *mutatio* praefigit *non*, sententiam Aristot. sic corrumpens.

[1] Dist. 3. p. II. a. 3. q. 2. — In seqq. Vat. cum edd. 1, 2 *perduxit* et *perducit* pro *produxit* et *producit*, refragantibus plurimis codd. Paulo ante cod. N *sic decebat* pro *decebat*.

[2] Codd. H K Z *quam mulier filii sui*.

[3] Edd. perperam *virtuti activae*. Paulo ante cod. U voci *Filii* adiicit *sui*.

[4] Matth. 1, 16; Gal. 4, 4. — Aliquanto inferius post *corpori* Vat. supplet *Christi*. Subinde pro *a Virgine* cod. Z *de Virgine*.

[5] Codd. A G L T V aa et edd. 1, 2 *cooperantem*.

[6] Vat., in initio propos. pro *Hoc* substituto *Haec*, ante *vim naturae* ingerit *naturam seu supra*. Paulo inferius pro *nihilominus* edd. 1, 2 perperam *nullo modo*.

[7] Codd. M O *accelerasse*. In fine solut. Vat. voci *virga* annectit *Aaron*.

[8] In codd. A F G H L N T U V aa deest *quod*.

[9] Pro *hoc est* codd. A Z *et*, alii codd. et edd. 1, 2 *hoc, et*.

[10] Libr. X. de Gen. ad lit. c. 20. n. 35. Cfr. supra d. 3. p. II. a. 2. q. 2, praesertim ad 2, et II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2.

[11] Vat. *per*, et mox *perduceret* pro *perducit*.

perfectae, talis formatio non diceretur esse facta secundum *rationem seminalem*, quamvis esset ibi *vis activa* respectu talis organizationis educendae in *esse* per temporis successionem; sic et in proposito intelligendum est.

4. Ad ultimam rationem dicendum, quod ratio illa non cogit, quod Virgo Maria non fuerit cooperata Spiritui sancto in Filii conceptione *aliquo modo*, sed solum, quod non fuerit cooperata in producendo [1] illam materiam ad *esse completum;* et hoc est quod primum fuit concessum. Et per hoc patet responsio ad obiecta.

SCHOLION.

I. Cum beata Virgo vere sit Mater Christi, communiter docent theologi, eandem ad generationem Christi, licet singularissimo miraculo factam, praestitisse saltem totum illum concursum, quem matres communiter praestant ad generationem filiorum. Quod hic concursus comprehendat *ministrationem materiae* ad formandum corpus aliaque quaedam, quae conceptionem sequuntur, exploratum est. Utrum autem mulier etiam *active* concurrat ad ipsam generationem, est quaestio ad physiologiam spectans, nec hoc loco ratione dignitatis sublimissimi mysterii a theologo distinctius discutienda, cum homo habere debeat in tali materia munda labia, ut bene dicitur hic in solut. ad 2. Sufficiat notasse, de illa generali quaestione physiologica iam inter antiquos fuisse dissidium, cum Aristoteles sustineat, matres in ipsa generatione humana non concurrere *active*, sed tantum passive, ministrando materiam, dum econtra Galenus vult, etiam *active* easdem concurrere. — In proposita quaestione S. Thom., qui hic in Comment. quatuor recenset opiniones, sequitur sententiam Aristotelis docens, in principali actione sive in ipsa conceptione nihil *active* B. Virginem operatam esse. Idem tenent B. Albert., Petr. a Tar., Ægid. R. et etiam Richard. a Med. Aliter sentit S. Bonav., Alex. Hal., Scot. (qui diffuse has opiniones discutit), Biel aliique non pauci, qui aliquem concursum etiam *activum*, sed *subordinatum* principali operationi Spiritus S., gloriosae Matri tribuendum esse putant. In modo autem hanc sententiam explicandi fidem non eandem ingrediuntur viam, cum etiam diversae opiniones de *vi activa* materiae concreata in solutionem influant, de quo cfr. II. Sent. d. 7. p. II. a. 2. q. 1. Ceterum sententia media via incedens, quam tenet S. Bonav., videtur satis esse probabilis.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 8. m. 1. q. incid. 2. — Scot., in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., III. Sent. d. 3. q. 2. a. 1; S. III. q. 32. a. 4. — B. Albert., III. Sent. d. 3. a. 11. et 22. — Petr. a Tar., III. Sent. d. 3. q. 1. a. 3. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., III. Sent. d. 3. a. 2. q. 2. — Ægid. R., III. Sent. d. 3. q. 2. a. 2. — Dionys. Carth., III. Sent. d. 3. q. 2. — Biel, hic q. unica.

III. In seq. quaestione, supposita ista cooperatione *activa*, quaerit S. Bonav., utrum eadem sit naturalis, an miraculosa. Similem fere quaestionem habet etiam B. Albert., III. Sent. d. 3. a. 12. Sed S. Thom. (III. Sent. d. 3. q. 2. a. 2.), cum talem cooperationem non admittat, non de *cooperatione* B. Virginis, sed de *ipsa generatione* Christi ex Virgine eandem instituit quaestionem, scilicet utrum haec sit naturalis, an miraculosa. Ad hanc idem respondet, quod generatio ista, *simpliciter* loquendo, sit miraculosa, at naturalis *secundum quid*. Eandem quaestionem et similem solutionem habent Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 3. — Ægid. R., loc. cit. a. 3. — Dionys. Carth., loc. cit. q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum cooperatio illa beatae Virginis fuerit naturalis, an miraculosa.

Secundo quaeritur, utrum illa cooperatio beatae Virginis fuerit naturalis, vel miraculosa. Et quod *naturalis*, videtur.

Ad oppositum.

1. Omnis illa operatio vel generatio est naturalis, ratione cuius genitus dicitur esse filius naturalis; sed Christus est filius naturalis beatae Virginis [2]: ergo videtur, quod beata Virgo in eius conceptu fuerit naturaliter cooperata.

2. Item, quando vir excitat et adiuvat potentiam mulieris, non privatur actu suo naturali: ergo si virtus Spiritus sancti [3] multo perfectius fecundavit, quam virtus seminis virilis fecundasset; ergo ipsius virtus generativae actum non abstulit, sed perfecit. Et si hoc verum est, tunc Virgo naturaliter fuit cooperata.

3. Item, si aliquis operatur secundum potentiam divinitus sibi collatam, operatio illa naturalis dicitur, non miraculosa, pro eo quod virtutes omnium naturales collatae sunt eis divinitus [4], et operatio egrediens a potentia intrinseca *naturalis* est et exercetur *naturaliter*, nisi egrediatur *voluntarie;* sed potentia generativa collata fuit ei nec cooperabatur ipsi virtuti agenti *voluntarie*: ergo videtur, quod cooperaretur potentiae naturali.

4. Item, minor est habilitas in mortuo ad opera, quae sunt hominis viventis, quam in Virgine respectu mulieris praegnantis; sed si Deus de mortuo faciat vivum, operationes subsequentes sunt sibi naturales, sicut in Lazaro, qui naturaliter comedebat et alia faciebat [5]: ergo pari ratione, immo

---

[1] Vat. *perducendo*. Mox pro *et hoc est quod* codd. K Z *et hoc quidem*, alii codd. *et hoc quod*.

[2] Fulgent., de Fide ad Petr. c. 2. n. 14: Illo, scilicet Deo facto naturaliter filio hominis, qui unus est naturaliter Filius Dei Patris.

[3] Codd. K Z bb supplendo subiiciunt *Virginem*. Subinde pro *perfectius* codd. A U Z bb *fortius*.

[4] Vat. *pro eo quod, licet virtutes naturales omnes collatae sint ei divinitus, tamen operatio* etc.; edd. 1, 2 in hac propos. omittunt *omnium* et pro *eis* substituunt *ei*. In fine arg. Vat. adiungit *et naturaliter agenti*.

[5] Cfr. Ioan. 12, 2. — In *maiori*, quam reddimus qualem in codd. A K P Q (T a secunda manu) Z invenimus, multi codd. pro *minor est habilitas* exhibent *minor est instabilitas*, edd. 1, 2 *minor est inhabilitas*, Vat. *maior est inhabilitas*.

multo fortiori videtur, quod illa operatio Virginis naturalis fuerit, postquam collata fuit ei potentia generandi.

Sed contra: 1. Nulla operatio naturalis est mi- Fundamenta. rabilis, quoniam ex opposito dividuntur; sed conceptio Filii Dei a Virgine fuit mirabilis [1]: ergo non videtur, quod fuerit naturalis.

2. Item, nihil quod naturaliter fit, est novum, pro eo quod omne tale praecessit in suo simili; sed conceptio Christi a Virgine novum quid fuit, ut dicitur Ieremiae trigesimo primo [2]: *Novum faciet Dominus super terram.*

3. Item, naturale est illud quod idem est apud omnes [3]; sed modus concipiendi beatae Virginis non solum non fuit apud omnes, sed etiam nusquam reperitur nisi in ea: ergo videtur, quod operatio illa non fuerit naturalis, sed miraculosa.

4. Item, si aliqua virtus operatur, illo manente quod est ei incompossibile per naturam, illius operatio non est naturalis, sed miraculosa; sed virginitas incompossibilis est generationi prolis per naturam: ergo si Virgo Maria concepit, permanens virgo, videtur, quod illa operatio non sit attribuenda naturae, sed magis miraculo.

CONCLUSIO.

Cooperatio gloriosae Virginis ad conceptionem quodam modo fuit naturalis, quodam modo et multum fuit supernaturalis.

Respondeo: Dicendum, quod generativa poten- Axioma. tia in Virgine fuit *excitata* a Spiritu sancto, et fuit supra *posse* suum *elevata. Excitata* fuit, ut posset praeparare materiam conceptui, secundum quod competit sexui muliebri; sed supra naturam fuit *elevata*, dum data est ei potentia praeparandi materiam, secundum quod tam nobili et tam perfectae conceptioni competebat. Et ideo Virgo Maria potentiam habuit *supra* naturam et potentiam *secundum* naturam; et potentia *supra* naturam fuit in sanctificatione [4] collata; et utraque erat in illa conceptionis tempore in complemento suae opera- Conclusio 1. tionis constituta. Et ideo operatio sive cooperatio partim quodam modo fuit naturalis, et quodam Simile. modo supra naturam. — Et est simile: si Deus daret mihi potentiam unum intelligere et multa simul intelligere [5]; partim esset *naturale* in hoc, quod *unum* intelligerem, partim *supra* naturam in eo, quod *duarum* illarum rerum intellectus non possunt simul per naturam stare. Sic et in proposito intelligendum est, quia hoc erat naturae consonum, ut Virgo ministraret humorem sufficientem ad conceptum, quantum ministrat sexus muliebris; sed quod per se *sola* ministraret quantum ministrat mulier coniuncta viro, hoc erat supra naturam, et ideo admirabile et insolitum. Concedendum est igitur, quod et illa operatio non fuerit naturalis omnino, immo Conclusio 2. aliquid habuit supra naturam, immo multum habuit supra naturam [6], quia hoc inter omnia mirabilia fuit mirabile praecipuum, virginalem scilicet uterum esse simul integrum et fecundum. — Unde concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod Solutio oppositorum. Christus fuit filius naturalis; dicendum, quod operatio [7] *supra naturam* operationem *naturalem* non excludit. Unde quamvis ipsum mirabiliter conceperit, potest tamen propter naturalem operationem concurrentem dici *filius naturalis*, ad ostendendam veritatem generationis.

2. Ad illud quod obiicitur, quod quando vir excitat potentiam in femina, non aufert ei potentiam naturalem; dicendum, quod est verum; nec Spiritus sanctus abstulit operationem naturalem a Virgine, secundum quod decebat eam habere in conceptione tam nobili. In hoc tamen non est simile, quia vir Notandum. non dat novam potentiam mulieri concipiendi nec elevat supra naturam, sed excitat et adiuvat ad exeundum in operationem sibi debitam. Non sic est in proposito, quia ipsi Virgini collata fuit virtus supra naturam. Unde aliquid potuit Virgo beata, quod nunquam potuit aliqua femina [8].

3. Ad illud quod obiicitur, quod quando operatur per aliquam potentiam sibi datam, naturaliter operatur; dicendum, quod aliquando datur potentia Distinctio notanda. ad actum *naturae consonantem*, aliquando datur potentia ad actum *excedentem terminum naturae.* Quando datur potentia ad actum *naturae consonantem;* tunc, etsi *collatio* illius potentiae sit mirabilis, *operatio* tamen est naturalis, sicut si detur potentia videndi caeco. Quando autem datur potentia ad actum *excedentem terminos naturae;* tunc non solum potentiae *collatio* est mirabilis, sed etiam *exitus* illius potentiae in actum est mirabilis, ut si asino detur potentia loquendi [9], et lapidi potentia videndi. Et quoniam virginem, manentem virginem, concipere, hoc est supra terminos naturae; hinc est, quod quantumcumque conferatur sibi potentia, ad-

---

[1] Cfr. Dionys., Epist. 4. ad Caium; Anselm., de Concept. virgin. et orig. pecc. c. 23.

[2] Vers. 22. — De *maiori* cfr. Aristot., VII. Metaph. text. 22. (VI. c. 7.).

[3] Secundum Aristot., I. Periherm. c. 1. seq., et Problem. sect. 15. n. 3. — In fine *minoris* Vat. cum cod. cc post *in ea* [cod. A *in ipsa*] addit *sola.*

[4] De qua vide supra d. 3. p. l. a. 2. q. 2. in fine corp.

[5] Secundum Aristot., qui II. Topic. c. 4. (c. 10.) ait: Contingit enim plura *scire, intelligere* [διανοεῖσθαι] autem non. — Mox pro *non possunt* codd. K Z *non posset.*

[6] Vat. omittit *immo multum habuit supra naturam.* Paulo ante pro *omnino* cod. Z *omni modo.*

[7] Cod. K adiicit *illa.*

[8] Cod. S *potuit nec poterit alia mulier.*

[9] Cfr. Num. 22, 28.

Duplex hic miraculum.

huc tamen est operatio mirabilis. — Unde duplex fuit hic miraculum, videlicet in *potentiae collatione*, et in ipsa *operatione*. In fecundatione autem mulierum sterilium, sicut Sarae et Elisabeth [1], solum fuit miraculum in *restitutione potentiae*, in hoc quod est ibi sterilis fecundata, sed non fuit ibi miraculum in *exsecutione*, quia non simul mansit sterilitas et fecunditas, immo fecunditas abstulit sterilitatem. Hoc autem fuit singulariter admirabile, quod fecunditas Virginis Mariae non abstulit virginitatem, nec virginitas exclusit fecunditatem.

4. Ad illud quod obiicitur ultimo, iam patet responsio de mortuo vivificato. Licet enim mortuum vivificari [2] sit supra naturam, tamen ex quo vivificatus est, operationem naturae exercere non est admirabile, quia hoc in nullo repugnat naturae; non sic autem est in Virgine concipiente [3].

QUAESTIO III.

Utrum beata Virgo sit Dei genitrix appellanda.

Tertio quaeritur, utrum Virgo Maria sit Dei genitrix appellanda. Et quod sic, ostenditur.

1. Damascenus tertio libro, capitulo duodecimo [4]:

Fundamenta.

« Theotocon, id est Dei genitricem, principaliter et vere sanctam Mariam praedicamus Virginem ».

2. Item: « Iuste et vere theothocon, id est Dei genitricem, nominamus; hoc enim nomen universum mysterium incarnationis constituit [5] ».

3. Item, hoc ipsum videtur *ratione*, quia quidquid dicitur de illo homine, dicitur de Filio Dei propter communicationem idiomatum [6]; sed Iesus fuit filius beatae Mariae: ergo Deus fuit filius beatae Mariae: ergo *a relativis* beata Maria est mater Dei.

4. Item, sic se habet Filius Dei ad Virginem Matrem, sicut se habet Filius hominis ad Deum Patrem [7]; sed Iesus est Filius Dei Patris: ergo Deus est Mariae Filius: ergo Virgo Maria est recte Dei genitrix appellanda.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Damascenus tertio libro, capitulo duodecimo [8]: « Christotocon, id est Christi genitricem, non dicimus Virginem »: ergo si Christus Deus est, videtur, quod non debeamus eam dicere Dei genitricem.

2. Item, secundum hoc Virgo Maria est mater, secundum quod est consubstantialis proli; sed non est consubstantialis proli secundum divinam naturam, sed secundum humanam: ergo cum Deus nominet Christum secundum divinam naturam, non videtur, quod sit Dei genitrix appellanda [9].

3. Item, propter assumtionem humanae naturae a Filio Deus Pater non dicitur esse hominum genitor: ergo nec e converso Dei genitrix dicenda est Virgo [10].

4. Item, iuxta hoc quaeritur, quare magis Damascenus vult, quod dicatur Dei genitrix quam Christi genitrix. Si enim in Christo intelligitur divinitas et humanitas, immo intelligitur tota Trinitas, secundum Ambrosium [11], in nomine Christi; non videtur, quod ulla fiat veritatis aut virginalis dignitatis imminutio.

CONCLUSIO.

Gloriosa Virgo appellanda est non tam Christotocos, quam mater et genitrix Dei iuste et veraciter et devote, ut exstinguatur error Nestorii.

Notabile principium.

Respondeo: Dicendum, quod verba fidem christianam exprimentia debent esse ab errore longinqua et devotioni approximantia, maxime illa, in quibus est sermo de Virgine Maria. Ipsa enim cunctas haereses interemit in universo mundo [12], Veritatem ex se ipsa concipiendo et pariendo; ipsa etiam reconciliationem toti generi humano promeruit: et ideo erga eam ardere debet omnis Christianorum devotio. — Et propterea, quia beata Virgo illum concepit, qui non tantum dicendus est *Christus* propter unionem, sed

---

[1] Cfr. Gen. 17, 17; 18, 11. seq.; Luc. 1, 7. — Mox pro *fecundata* codd. K Z perperam *fecunditas*.

[2] Codd. A G K L N T U V Z *vivificare*.

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] De Fide orthod.

[5] Damasc. loc. cit. — Pro *constituit* (συνίστησι) Vat. *ostendit* (ed. operum Damasc. a Migne parata *astruit*).

[6] Cfr. supra pag. 44, nota 3. — De modo argumentandi *a relativis* cfr. tom. II. pag. 843, nota 1.

[7] Talis enim, ut August. inquit I. de Trin. c. 13. n. 28, erat illa susceptio, quae Deum hominem faceret, et hominem Deum.

[8] De Fide orthod.

[9] Nestorius, ut apud Cyrill. Alex., I. contra Nestor. c. 3. legimus, sic argumentabat: Ut igitur mulier corpus parit, sed Deus animam tribuit, neque ideo dicetur *animae* genitrix, quia peperit animatum, sed potius *hominis* genitrix: sic quoque B. Virgo, inquit, etsi peperit hominem, simul cum illo pertranseunte Dei Verbo (nam hac est voce usus), non ideo est Dei genitrix. — Edd. addunt *sed Christi genitrix*. In principio arg. pro *secundum hoc* cod. X *secundum Bernardum*.

[10] Codd. K Z bb *ipsa Virgo*, edd. *Virgo Maria*.

[11] Libr. I. de Spir. S. c. 3. n. 44: Si Christum dicas, et Deum Patrem, a quo unctus est Filius, et ipsum qui unctus est Filium, et Spiritum sanctum, quo unctus est, designasti etc. Cfr. etiam III. c. 7. n. 44. — In fine arg. pro *imminutio* Vat. *immutatio*; edd. 1, 2 *fiat veritati aut virginali dignitati iniuria*.

[12] Ita in 1. antiph. III. Noct. offic. parv. B. M. V. — Et Bernard., Serm. in Dominica infra Oct. assumt. B. M. V. n. 4. sic eloquitur: Nimirum ipsa est quondam a Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura, cuius plane calcaneo in multis versutiis insidiatus est (Gen. 3, 15.), sed sine causa. Sola enim contrivit universam haereticam pravitatem. Alius non de substantia carnis suae Christum edidisse dogmatizabat... alius Dei Matrem audire non sustinens, magnum illud nomen Theotocos impiissime suggillabat. Sed contriti sunt insidiatores... et beatam eam dicunt omnes generationes.

etiam *Deus verus* propter aeternam generationem; Conclusio *Dei genitrix* debet dici, ut ex ipso vocabulo honoretur, et impietatis error exstinguatur, qui dixit, Probatur ex Damasceno Mariam concepisse purum hominem. — Ad cuius erroris fomentum Nestorius, ut narrat Damascenus[1], verus doctor, voluit eam *Christi genitricem*, non *Dei genitricem* appellare, quasi purum hominem genuisset. Et ideo Damascenus, verus doctor et Virginis amator, docet nos vocabulum hoc[2] effugere, non quia falsum, sed quia haereticus sub illo volebat occultare venenum. Unde Damascenus tertio libro, capitulo duodecimo: «Christotocon, id est Christi genitricem, non dicimus Virginem; quoniam in destructionem *Theotocos*, id est Dei genitricis, vocis nequam et inquinatus Nestorius cum patre eius diabolo invenit». — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod beata Virgo est Dei genitrix appellanda iuste et veraciter et devote.

Refutatio ad positorum 1. Ad illud ergo quod obiicitur de Damasceno, iam patet responsio: non enim negat, eam esse Christi genitricem, eo quod sit falsum, sed quia haereticus sub illo verbo abscondebat venenum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non est ei consubstantialis; dicendum, quod *mater Dei* dicitur non propter hoc, quod ipsa genuerit eum secundum divinam naturam, sed propter idiomatum communicationem et mysterii incarnationis expressionem et ipsius Virginis honorificationem. Unde ratio illa non valet: non est mater Dei secundum divinam naturam: ergo non est mater Dei; immo est ibi *consequens*[3], sicut si ita argueretur: hoc non praedicatur de illo per se: ergo non praedicatur de illo aliquo genere praedicandi.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Deus non dicitur genitor hominis; dicendum, quod potest dici; non tamen consuevimus ita uti illo vocabulo, quia illa appellatio non sic facit ad expressionem piae fidei, sicut illa qua appellamus Virginem matrem Dei.

4. Ad illud quod obiicitur, quare non dicitur Christotocos; dicendum, quod nomen Christi magis communicatur creaturis quam nomen Dei. Unde et David dicitur *christus Domini* et alii reges Israel[4]; et ideo verbum illud magis erat propinquum errori. Nunc autem, quia ille error exstirpatus est, communiter eam vocamus et matrem Christi et matrem Dei, cum imploramus, oculos misericordiae suae ad nos converti[5].

SCHOLION.

I. Nestorius, prave sentiens de hypostatica unione, sibi constans etiam B. Virgini gloriosum titulum *genitricis Dei* denegavit, ut in corp. quaestionis dictum est. Ipsi opposuit S. Cyrillus Alexandrinus 12 anathematismos, a Concilio Ephesino (an. 431) et etiam a Concilio oecumenico IV. et V. approbatos, quorum primus est: «Si quis non confitetur, *Deum* esse veraciter Emmanuel, et propterea *Dei genitricem* (Θεοτόκον) sanctam Virginem; peperit enim secundum carnem carnem factam Dei Verbum, secundum quod scriptum est: Verbum caro factum est, a. s.».

II. Alex. Hal. rem tangit S. p. III. q. 8. m. 4. — Scot., III. Sent. d. 2. q. 3, d. 4. q. 4. — S. Thom., hic q. 2. a. 2 S. III. q. 35. a. 4. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar. hic q. 2. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 4. 2. — Egid. R., hic q. 2. a. 4. 2. — Durand., hic q. 2. — Dionys Carth., hic q. 2.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicitur: *Uno nominato, tres intelliguntur*; quia, nominata essentia, non de necessitate intelligitur persona[6]: ergo nominata una persona, multo minus intelligitur alia. — Item, si, nominata una persona, intelligitur alia: ergo dicto, quod Pater generet, videtur, quod et Filius generet.

Respondeo: Dicendum, quod persona[7] potest nominari respectu actus *substantialis*, vel *personalis*. Si respectu actus *essentialis*; quia una essentia est in tribus, et quidquid essentiale convenit uni, convenit alteri; et una persona nominata, nominatur et altera per necessitatem consequentiae, maxime cum actus ille est respectu effectus creati, in quo relucent appropriata tribus personis[8]. — Et sic patet responsio ad utramque obiectionem: utraque enim currit secundum praedicationem aliquam, quae ita convenit uni, quod alio modo est extranea alteri. Distinctio.

---

[1] Libr. III. de Fide orthod. c. 12. — Paulo superius plurimi codd. et edd. 4, 2 omittunt *purum*. Paulo inferius pro *voluit* [complures codd. incongrue *vocavit*] *eam Christi genitricem, non Dei genitricem* cod. N *noluit eam Dei genitricem, sed Christi genitricem*.

[2] Cod. K *tale*, cod. bb (a secunda manu) *illud*, alii codd. omittunt *hoc*.

[3] Cfr. de hac fallacia Aristot., I. Elench. c. 4. (c. 5.). — Pro *immo est ibi consequens* edd. *ibi est enim consequens*. Paulo superius ante *ipsius Virginis* cod. Z inserit *specialem*. Paulo inferius pro *hoc* codd. A G H L N T V an *hic*.

[4] Cfr. I. Reg. 24, 7. seqq. et II. Reg. 19, 21. Cfr. etiam Damasc., III. de Fide orthod. c. 12. — Pro *obiicitur* codd. K Z *quaeritur*.

[5] Respicitur antiph. *Salve Regina*.

[6] Quod ex eo elucet, quod multi, qui Deum confitentur, nesciunt, immo negant Trinitatem.

[7] Edd. *Pater*.

[8] Cfr. I. Sent. d. 3. p. I. q. 2. in fine; dub. 3. seq. et d. 34. q. 3. — Circa finem dubii pro *quae ita* edd. *quod ita*. — Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 8. m. 3. a. 1. in fine; B. Albert., hic a. 3; S. Thom., Petr. a Tar., Richard. a Med., hic circa lit.; Egid. R., hic dub. 1. lit.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicitur, quod *nati ex aqua et Spiritu sancto non dicuntur filii aquae, sed matris Ecclesiae.* Si enim Ecclesia non dicitur *mater* nisi secundum aliquam translationem, et similitudo translativa [1] potest reperiri in aqua, sicut et in Ecclesia; videtur, quod possint dici *filii aquae,* sicut *filii Ecclesiae.* — Iuxta hoc quaeritur, cum lumbricus naturaliter nascatur ex homine, quare non dicitur *filius* eius [2]?

Quaestio connexa.

Respondeo: Dicendum, quod *filius* et *pater* non solum dicuntur ab originis habitudine, sed debent habere expressam similitudinem. Quoniam igitur *aqua* non habet expressam similitudinem ad eum qui renascitur, sed potius ad gratiam, per quam renascitur: *Ecclesia* autem [3] expressam habet similitudinem ad eum qui in ea nascitur, quae nihil aliud est quam congregatio fidelium: ideo renati ex aqua dicuntur *filii Ecclesiae*, non *filii aquae.* — Per hanc eandem rationem *lumbricus* non debet dici *filius* hominis, quamvis ex ipso nascatur, per hoc quod non habet ad eum similitudinem. Et ideo recte Augustinus [4] inducit illud argumentum per illa exempla: hoc nascitur ex illo, ergo est filius eius; quia *filiatio* plus dicit quam *naturitas.* Nam filiatio dicit originem cum assimilatione [5].

Duo ad rationem filii spectant.

Ad quaest. connexam.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Dicuntur etiam filii gehennae non ex illa nati, sed ad illam praeparati.* Ex hoc enim, quod aliquid praeparatur ad aliquid post suum *esse,* videtur potius rationem *patris* [6] quam *filii* in se habere: ergo videtur, quod potius deberent vocari *patres gehennae* quam *filii.*

Respondeo: Dicendum, quod duplicem habet proprietatem filius respectu patris: una attenditur quantum ad *emanationem*, et altera quantum ad possessionis *hereditationem* [7]; et prima antecedit, et secunda subsequitur. Et *filii gehennae* dicuntur non ratione primae proprietatis, sed ratione secundae, ad quam praeparantur per aliquam assimilationem in perversis actibus, in quibus imitantur diabolum, cuius habitatio est gehenna [8].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *divina gratia fuit Christus corporaliter repletus.* Si enim gratia non fuit in corpore, sed spiritu; non videtur, quod fuerit repletus *corporaliter*, sed *spiritualiter.*

Respondeo: Dicendum, quod hoc verbum, quo Christus dicitur *repletus corporaliter gratia*, tripliciter exponitur. Uno modo dicitur *repletio corporalis* per oppositionem ad umbram figurae: veritas enim se habet ad figuram sicut corpus ad umbram; unde *repletus corporaliter* dicitur, id est vere, non tantum figurative. — Alio modo potest exponi, ut dicatur *corporaliter repleri*, quia ipsum corpus fuit in unitatem personae assumptum. Unde per corporalem repletionem intelligimus perfectam corporis et gratuitam animae unionem. — Tertio modo potest exponi, ut dicatur *corporaliter repletus* per similitudinem ad triplicem dimensionem: quia deitas fuit in Christo per *essentiam*, sicut in omnibus creaturis, et ita per modum longitudinis; et per *gratiam,* sicut in omnibus Sanctis, et sic per modum latitudinis; et per *unionem*, et sic per modum profunditatis. Et istud tactum fuit plenius expositum in primo libro, distinctione trigesima septima [9].

Tripliciter exponitur.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Natus de Spiritu sancto, quia eum ferit.* Hoc enim non habetur in Symbolo [10], sed « conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine ». Quaeritur ergo, quare

[1] Aristot., VI. Topic. c. 2. Omnes enim transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt.

[2] Cfr. verba August. hic in lit. Magistri, c. 2. — Cod. Q *filius hominis.*

[3] Pro *autem* non pauci codd. et edd. 1, 2 vitiose *quae.* Mox pro *nascitur* cod. U *renascitur,* et subinde pro *quae nihil* Vat. *quia nihil.*

[4] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Cod. Y *Magister.*

[5] Hoc dubium eiusque solutionem exhibent etiam B. Albert., hic a. 6; S. Thom., Petr. a Tar., Richard. a Med., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. 2. lit.

[6] Codd. H L N (T a prima manu) V aa cc *temporis*, cod. S *temporis vel patris.*

[7] Edd. cum nonnullis codd. *hereditatem.*

[8] De hoc dubio scripserunt B. Albert., hic a. 7; S. Thom., Petr. a Tar., Richard a Med., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. 4. lit.

[9] De hac et seq. expositione repletionis corporalis cfr. August., Enarrat. in Ps. 67, 17. n. 23. Cfr. etiam Glossa ordin. in Coloss. 2, 9. et in Ps. 67, 17.

[10] Part. I. a. 3. q. 2. in corp. — De hoc dubio tractat Alex. Hal., S. p. III. q. 8. m. 3. a. 4. in fine, ubi tertiam memoratarum expositionum sic defendit: « Est enim Deus in rebus tribus modis: in *omnibus* creaturis est per continentiam et conservationem, in *Sanctis* est per gratiam et caritatem, in *Christo* vero est per unionem [ut docet Hugo de S. Vict., Quaest. in Epist. ad Coloss. q. 10.]. Primus modus comparatur dimensioni longitudinis, quia secundum illum modum dicitur, quod *attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter* (Sap. 8, 1.). Secundus modus comparatur dimensioni latitudinis, quia caritas est latitudo spiritualis; unde *omnis consummationis vidi finem*, latum *mandatum tuum nimis* (Ps. 118, 96.). Tertius modus, qui est per unionem, comparatur profunditati, quia ille modus intimus est. Eph. 3, 18: *Ut possitis comprehendere, quae sit longitudo*, quantum ad primum; *latitudo,* quantum ad secundum; [*et sublimitas*] *et profundum,* quantum ad tertium, ut *sublimitas* referatur ad humanam naturam, quae sublimata est ad unionem cum divina, et *profundum* referatur ad divinam, quae intime per unitatem personae unita est ad humanam » etc. Cfr. B. Albert., hic a. 10, et Ægid. R., hic dub. 5. lit.

[11] Scil. Apostolorum. — Codd. G K T U *natus de Maria Virgine.*

magis attribuitur *conceptio* Spiritui sancto quam *nativitas?*

Respondeo: Dicendum, quod utrumque potest
Notandum. attribui utrique [1]; in Symbolo tamen magis attribuitur ipsa *conceptio* Spiritui sancto quam *nativitas*, propter sanctificationem, quae fuit in ipsa conceptione, et quia nomen *nativitatis* plus appropinquat ad actum generationis, et ipsa *conceptio* ad fabricationem corporis. Unde magis proprie dicitur *conceptus de Spiritu sancto*. Haec enim praepositio *de* tenetur ibi non materialiter nec substantialiter, sed potestative [2]. Et ipsa conceptio potissime Spiritui sancto habet attribui.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Conceptus de Spiritu sancto... quia per gratiam Dei et operationem* etc. Si enim haec est ratio, videtur pari ratione, quod Spiritus sanctus eum genuit; et hoc probatur per Glossam, Matthaei tertio [3]: *Potens est Deus de lapidibus* etc.: «In huius rei testimonium Deus genuit de Sara filium»: ergo videtur, quod multo fortius possit dici, quod generavit filium de Virgine Maria, si concepit de Spiritu sancto.

Respondeo: Dicendum est ad hoc, quod, sicut in sequenti capitulo [4] habetur, differt *generare* et Differt generare et facere.
facere: quia *facere* dicit operationem virtutis effectivae sive causae efficientis, maxime per voluntatem; *generare* vero dicit productionem alicuius per modum naturae, maxime cum attenditur quantum ad deductionem rei in *esse*. Et ideo non conceditur aliquo modo, quod ipsum *genuit*, quia ipsum formavit ex Virgine per voluntatem et gratiam, non per naturam. — Quod vero obiicit de Glossa, debet exponi *causaliter:* Deus genuit filium de Sara, id est fecit, ut Sara filium gigneret. Locutiones autem impropriae non sunt extendendae [5].

DISTINCTIO V.

Cap. I.

Si persona vel natura personam [vel [naturam assumserit, et si natura Dei incarnata sit.

Praeterea inquiri oportet, cum ex praemissis constet, Verbum Dei carnem et animam simul assumsisse in unitatem personae; quid horum potius conce-
Quaestiones 4 principales. dendum sit, scilicet quod *persona* personam, vel [1] *natura* naturam, vel *persona* naturam, vel *natura* personam assumserit; et an ita conveniat dici, divinam
Quaest. incidens. *naturam* esse incarnatam, sicut *Deus* incarnatus et *Verbum* incarnatum sane dicitur. — Haec inquisitio sive quaerendi ratio iuxta sacrarum auctoritatum testimonia partim implicita atque perplexa, partim vero
Resp. ad 3. quaest. explicita est et aperta. Certum est enim et sine ambiguitate verum, quod non *natura* personam, nec *persona* personam, sed *persona* naturam assumsit. Quod Sanctorum subditis comprobatur testimoniis et astruitur documentis. Ait enim Augustinus in libro de Fide ad
Fulgentius. Petrum [2]: «Deus unigenitus, dum conciperetur, veritatem carnis accepit ex Virgine; et cum nasceretur, integritatem virginitatis servavit in Matre». Et paulo post: «Sic Deus humanam naturam in unitatem personae suscepit, quod se humilians per misericordiam incorruptae Virginis uterum ex ea nasciturus implevit. *Formam* ergo *servi*, id est naturam servi, in suam accepit Deus ille personam». Item: «Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed naturam». Item: «Dei Filius unigenitus, ut carnem hominis animamque mundaret, susceptione carnis animaeque rationalis incarnatus est». — His aliisque pluribus auctoritatibus evidenter ostenditur, non *naturam* personam, nec *personam* personam, sed *personam* naturam accepisse. — De quarto vero quaestionis articulo, De 4. quaestione.
utrum scilicet natura naturam assumserit, scrupulosa etiam inter doctos quaestio est, quia et in hoc plurimum dissentire videntur qui auctoritate praeclari aliisque doctiores in sacra Pagina exstiterunt [3]. Nec tantum alii ab aliis, verum etiam iidem a se ipsis dissonare videntur, sicut subiecta capitula docent.

Legitur enim in Concilio Toletano sexto [4] traditum Auctoritates pro 1. parte.
sic: «Solum Verbum caro factum est et habitavit in nobis; et cum tota Trinitas operata sit formationem suscepti hominis — quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis — solus tamen Filius accepit hominem in singularitatem personae, non in unitatem divinae naturae, id est, id quod est proprium Filii, non quod commune

---

[1] Codd. U X *sibi* i. e. Spiritui sancto, in cuius lectionis praesidium adduci posset Magister, hic in lit. c. 2, nec non B. Albert., hic a. 11. Pro nostra lectione stat S. Thom., hic circa lit. — De seq. propos. cfr. supra d. 3. p. I. a. 2. q. 2.

[2] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. in fine. — Vide de hoc dubio B. Albert., hic a. 11; S. Thom., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. 6. lit.

[3] Vers. 9. — Glossa, quae est *ordinaria*, invenitur apud Strabum et Lyranum.

[4] Lit. Magistri, c. 3. — Aliquanto inferius post *genuit* cod. K addit *nisi*.

[5] Cfr. B. Albert., hic a. 12; S. Thom., Petr. a Tar., Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Cod. E et cdd. 1, 8 repetunt *quod*.

[2] Cap. 2. n. 17. (auctor huius libri est S. Fulgentius); seq. locus est ibid. n. 18, ubi respicitur Phil. 2, 6. 8; et pro *Sic Deus* codd. et ed. 6, *Hic Deus*. Tertius locus est ibid. c. 17. n. 60; quartus ibid. c. 2. n. 17.

[3] Cod. E et edd. 1, 8 sic legunt: *qui in sacra Pagina auctoritate praeclari, alii doctores* (ed. 8 *doctiores*) *exstiterunt*.

[4] Cap. 1, apud Isidorum Mercatorem ad lit., in quo textu ed. Migne (t. 130, col. 487) pro *singularitatem personae... unitatem naturae* habet *singularitate personae... unitate naturae*. Similiter in seq. textu legitur *unitate* pro *unitatem*, *singularitate* pro *singularitatem*.

est Trinitati». Item in Concilio Toletano undecimo[1]: «Unius substantiae credimus Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum, non tamen dicimus, ut huius Trinitatis unitatem Maria Virgo genuerit, sed tantum Filium, qui solus naturam nostram in unitatem personae suae assumsit. Incarnationem quoque huius Filii Dei tota Trinitas operata esse credenda est; solus tamen Filius formam servi accepit in singularitatem personae». — His insinuari videtur, quod *persona* tantum naturam, non *natura* naturam assumserit. Si enim quod *commune* est Trinitati non accepit hominem: ergo non *natura* divina, quae communis est tribus personis. — Cui videtur obviare quod Augustinus ait in libro de Fide ad Petrum[2]: «Nec divinitas, inquit, Christi aliena est a natura Patris, secundum id quod *in principio erat Verbum*; nec humanitas eius aliena est a natura Matris, secundum id quod *Verbum caro factum est*. Illa enim natura, quae semper genita manet ex Patre, naturam nostram sine peccato suscepit, ut nasceretur ex Virgine». — Hac auctoritate videtur tradi, quod divina natura humanam suscepit; ubi vehementer moveri possumus, quod *eam genitam* aeternaliter ex Patre dicit, nisi forte *naturam* pro *persona* hic accipiat; alioquin, si dixerimus, *naturam* tribus personis communem genitam esse, occurrunt nobis ex adverso quae in tractatu de Trinitate disseruimus[3], ubi diximus, non *naturam* naturam, sed *personam* personam genuisse; quia, si *natura* genuisset naturam, cum una eademque sit natura Trinitatis, eadem res se ipsam genuisset; quod Augustinus[4] posse fieri negat. — Sed alibi certum reperimus documentum, quo naturam naturam assumsisse monstratur. Ait enim Augustinus in libro primo de Trinitate[5]: «Etiam se ipso Christus minor factus est, formam servi accipiens. Neque enim sic accepit formam servi, ut amitteret formam Dei, in qua erat aequalis Patri, ut et in forma servi et in forma Dei idem ipse sit unigenitus Filius Patris, quia forma Dei accepit formam servi». Si autem *forma* Dei formam servi accepit, sine dubio *natura* naturam accepit. *Formae* enim nomine natura significatur, ut Augustinus evidenter docet in libro de Fide ad Petrum[6]: «Cum, inquit, de Christo audis, quia in forma Dei erat, oportet agnoscere firmissimeque tenere, in illo *formae* nomine naturalem plenitudinem debere intelligi. In *forma* igitur Dei erat, quia in *natura* Dei Patris semper erat, de qua natus erat». Hilarius quoque in libro duodecimo de Trinitate[7] ait: «*Esse in forma Dei* non alia intelligentia est, quam in Dei *manere natura*». — Didicisti, nomine *formae* intelligentiam fieri *naturae*, et audisti, quod *forma* Dei formam servi suscepit; unde consequens est, quod *natura* divina naturam humanam suscepit. Quod etiam Hieronymus in Explanatione fidei[8] evidenter insinuat inquiens: «Passus est Filius Dei, non putative, sed vere; secundum illud passus est, quod pati poterat, id est non secundum illam substantiam, quae *assumsit*, sed secundum illam, quae *assumta est*». — Ex quo apparet, divinam *substantiam* assumsisse humanam. — Ex verbis autem Augustini superius[9] positis, adhibita diligentia, innui videtur, solum *Verbum* carnem factum et naturam solum suscepisse humanam, et divinam naturam eandem accepisse. Ait enim: «Trinitas nos sibi reconciliavit per hoc, quod solum Verbum carnem ipsa Trinitas fecit. In quo sic veritas incommutabilis manet divinae humanaeque naturae, ut sicut vera semper est eius divinitas, quam de Patre habet, ita vera semper atque incommutabilis eius sit humanitas, quam sibi unitam summa divinitas gerit». — Ecce, et *solum Verbum* dixit carnem factum, et humanitatem *divinitati* unitam. Idem quoque superius[10] dixit, «servilem formam a solo Filio susceptam, quam tota Trinitas fecit». Iam facile est agnoscere, quam diversa et multiplicia super quaestione proposita auctores tradiderunt[11]; ideoque posteriores ea legentes varias atque contrarias, ex praedictis occasionem sumentes, promunt sententias.

Pro 2 parte

Dubium 1.

Augustinus.

Fulgentius.

Dubium 2

Hieronymus

Fulgentius.

Nos autem omnis mendacii et contradictionis notam a sacris Paginis secludere cupientes, orthodoxis Patribus atque catholicis doctoribus, nulla pravae intelligentiae suspicione notatis, consentimus dicentes, et *personam* Filii assumsisse naturam humanam, et *naturam divinam* humanae naturae in Filio unitam eamque sibi unisse vel assumsisse. Unde et vere incarnata dicitur. Quod vero dicitur *solus* Filius formam servi accepisse[12], per hoc non excluditur divina natura ab acceptione servilis formae, sed aliae duae personae, Pater scilicet et Spiritus sanctus. Item et illud aliud, scilicet id quod est *proprium Filii*, non quod *commune* est *Trinitati*, hominem accepit, sic oportet intelligi, id est, proprie in hypostasi Filii, non in tribus communiter personis, divina natura humanam naturam sibi univit. Qui sensus ex verbis Ioannis Damasceni[13] confirmatur, qui totam divinam naturam in una hypostaseon incarnatam esse evidenter asserit dicens: «In humanatione[14] Dei Verbi aimus omnem et perfectam naturam deitatis in una eius hypostaseon incarnatam esse, id est unitam esse humanae naturae, et non partem parti. Omni enim humanae naturae aimus unitam esse omnem deitatis naturam vel substantiam». Item: «Eadem est natura in singula hypostaseon, id est personarum; et quando dicimus, naturam Verbi incarnatam esse, secundum beatos Athanasium et Cyrillum, deitatem dicimus esse unitam carni, et unam naturam Dei Verbi incarnatam confitemur. Verbum autem et quod commune est substantiae possidet et quod proprietatis est habens hypostaseos», id est per-

Concordia auctoritatum.

De divina natura incarnata.

Dubium 3.

---

[1] In prologo.
[2] Cap. 2. n. 44 (interpolate); ubi respicitur Ioan. 1, 1. 14.
[3] Libr. I. d. V. c. 1.
[4] Libr. I. de Trin. c. 1. n. 1.
[5] Cap. 7. n. 14. et c. 11. n. 22.
[6] Cap. 2. n. 19.
[7] Num. 6.
[8] Ad Damasum (inter opera Hieronymi).
[9] Dist. I. c. 3, ubi est etiam seq. locus de Fide ad Petrum c. 2. n. 23.
[10] Dist. II. c. 3.
[11] Cod. E et edd. 1, 8 *tradiderint*.
[12] Cod. E et edd. 1, 8 *assumsisse*. Haec secunda propositio ex Concilio Toletano supra cit.
[13] Libr. III. de Fide orth. c. 6. — Paulo inferius pro *una hypostaseon*, quod habet cod. D, Vat. cum nonnullis edd. male *unam hypostasim*.
[14] Cod. D *incarnatione*, ed. 8 *inhumanatione*. Paulo inferius ante *hypostaseon* Vat. cum codd. A B E omittit *eius*. — Seq. locus ibid. in fine capituli.

sonae. — Ex his manifeste ostenditur, quod natura divina incarnata est. Unde et eadem vere dicitur suscepisse humanam naturam.

Cap. II.

An divina natura debeat dici caro facta.

Sed quaeritur, utrum eadem *divina natura* debeat dici *caro facta*, sicut *Verbum* dicitur *caro factum*. Si enim idem est *incarnari* quod est *carnem fieri*, videri potest ita debere dici, quod *sit caro facta*, sicut dicitur *incarnata*. — Ad quod dicimus, quia, si illud dictum in sacra Scriptura reperiretur, ex eadem intelligentia acciperetur, qua, cum dicitur *incarnata*. Sed quia illud auctoritas subticuit, atque locutionis modus nimiam videretur [1] facere expressionem, si natura divina diceretur caro facta; melius hoc silere puto vel negare quam temere asserere, ne, si illud dicatur, convertibilitas naturae in naturam significari putetur. — Ex praemissis [2] indubitabiliter constat, quod persona Verbi sive natura *hominis naturam*, scilicet carnem et animam, assumsit, sed non *personam hominis*. Si autem natura divina naturam hominis accepit, quare non dicitur *facta homo*, vel *esse homo*, sicut Verbum Dei? — Ad quod dici potest, quod Dei Filius dicitur *factus homo*, vel *esse homo*, non solum quia [3] hominem assumsit, sed quia ipsum in unitatem et singularitatem sui, id est personae, accepit. Natura autem divina hominem quidem accepit, id est, hominis formam sibi univit, sed non in singularitatem et unitatem sui. Servata enim proprietate ac diversitate duarum naturarum, personae singularitas exstitit. Ideoque non sic dicitur divina natura esse homo, vel facta homo, sicut Dei Filius. — Quidam tamen indifferenter utrumque concedunt.

Quaest. incidens solvitur.

Obiectio.

Solutio.

Dubium 4.

Cap. III.

Quare non accepit personam hominis, cum assumserit hominem, quod quidam probare nituntur.

Ideo vero non *personam* hominis assumsit, quia caro illa et anima illa non erant unita in unam personam, quam assumserit, quia non ex illis constabat persona, quando illis unitum est Verbum. Nam sibi invicem sunt unita simul, cum Verbo unita sunt [4]. Altera tamen unione invicem unita sunt illa duo, scilicet anima et caro, alia unione Verbo unita sunt; quia alia est unio animae illius ad carnem, et alia est unio Verbi ad animam illam et carnem. Non ergo accepit Verbum Dei *personam* hominis, sed *naturam*, quia non erat ex carne illa et anima illa composita persona una, quam Verbum acceperit [5], sed accipiendo univit et uniendo accepit.

Redit ad principalem quaest.

Hic a quibusdam opponitur, quod *persona* assumserit *personam*. *Persona* enim est « substantia rationalis individuae naturae [6] »; hoc autem est anima: ergo si *animam* assumsit, et *personam*. — Quod ideo non sequitur, quia anima non est persona, quando alii rei est unita personaliter, sed quando *per se* est. Absoluta enim a corpore persona est [7], sicuti Angelus. Illa autem anima nunquam fuit, quin esset alii rei coniuncta. Ideoque non, ea assumta, *persona* est assumta. — Alter quoque nituntur probare, Verbum Dei assumsisse personam, quia assumsit aliquem hominem. Assumsit enim hominem Iesum Christum: ergo aliquem hominem. Quod autem hominem Iesum Christum assumserit, Augustinus in Expositione Symboli [8] sub anathemate tradit dicens: « Si quis dixerit atque crediderit, hominem Iesum Christum a Filio Dei assumtum non fuisse, anathema sit ». Qui etiam in pluribus scripturae locis [9] huiusmodi utitur locutionibus: « ille homo a Verbo Dei est assumtus »; « ille homo factus est Christus ». Et Propheta, de homine Christo loquens, Deo ait [10] *Beatus, quem elegisti et assumsisti*. Ex quibus consequi videtur, quod aliquis homo assumtus sit a Verbo, et ita persona sit assumta a persona. — Sed quia hoc nefas est dicere aut sentire, praemissae locutiones cisque similes secundum hanc intelligentiam sane accipi debent, ut *homo Christus*, sive *homo ille*, sive *quidam homo* dicatur assumtus a Verbo sive unitus Verbo, non quia hominis persona sit assumta vel unita Verbo, sed quia anima illa et caro illa assumta sunt et unita Verbo, in quibus subsistit persona Dei et hominis, ut ad hominis naturam, non ad personam respicias, cum *assumtum*, vel *unitum*, vel *quendam*, vel *aliquem* in huiusmodi locutionibus scriptura memorat. Quocirca, cum quaeritur sine proposita auctoritate, an *aliquis*, vel *quidam homo* sit assumtus a Verbo, vel unitus Verbo; sine distinctione intelligentiae non est hic [11] reddenda responsio, quoniam multiplex praemissa est quaestio; sed instantiam quaerentis ita determinato: si de hominis *persona* quaeris, respondeo: *non*; si de hominis *natura*, dico: *est*.

Opponitur.

Resp.

Obicitur iterum.

Resp.

---

[1] Edd. 1, 8 *videtur*, minus bene.

[2] Hic c. 1. — Quae sequuntur conveniunt cum Hugone, II. de Sacram. p. I. c. 9.

[3] Edd. 1, 8 bis *quo* pro *quia*, et primo loco conveniunt etiam codd. B C E.

[4] Vat. alioque edd. omittunt *unita sunt*, refragantibus codd. B C D E et edd. 1, 5, 8.

[5] Edd., excepta 5 et 8, *accepit*, refragantibus codd.

[6] Boethius de Una Persona et duabus naturis c. 3.

[7] De hac sententia Magistri cfr. Comment. hic n. 2. q. 3.

[8] Potius est Serm. 233. (alias 129 de tempore), qui inscribitur Serm. I. de Fide catholica, n. 2, ubi verbotenus ista inveniuntur.

[9] Enarrat. in Ps. 56. n. 5; I. de Praedest. Sanctor. c. 15. n. 30. Enarrat. in Ps. 64. n. 7.

[10] Psalm. 64, 5.

[11] Codd. B C D *sic*. Deinde post *respondeo* cod. E et edd. 1, 5, 8 addunt *quod*.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM V.

De modo unionis duarum naturarum secundum fidei assertionem.

Praeterea inquiri oportet, cum ex praedictis etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de mysterio incarnationis quantum ad veram unionem naturarum. In hac parte intendit inquirere uniendi modum. Et quoniam dupliciter contingit procedere inquirendo, aut secundum fidei stabilitatem, aut secundum opinionis probabilitatem; ideo pars ista habet duas partes. In prima enim determinat de modo unionis illarum duarum naturarum secundum fidei assertionem, ostendens, quod illa unio est in persona. In secunda vero determinat secundum diversorum doctorum opinionem, infra [1]: *Ex praemissis autem emergit quaestio.*

Prima pars continet praesentem distinctionem, quae dividitur in duas partes. In prima movet Magister multiplicem quaestionem circa unionem duarum naturarum in persona, sive circa assumtionem humanae naturae a divina. In secunda vero determinat [2], ibi: *Haec inquisitio sive inquirendi ratio* etc.

Prima pars remanet indivisa, sed secunda pars dividitur in tres partes. In quarum prima Magister determinat quaestionem principalem. In secunda vero quaestionem incidentem determinat, ibi: *Sed quaeritur, utrum eadem divina natura* etc. In tertia vero regreditur ad principalis quaestionis explanationem, ibi: *Ideo vero non personam hominis* etc. Prima pars dividitur in duas partes. In quarum prima respondet ad quaestionem propositam secundum triplicem eius articulum, et perplexitatem ostendit esse quartum [3] articulum propter apparentem contrarietatem auctoritatum. In secunda vero auctoritates, quae videntur esse contrariae, reducit ad intellectum, concordiam et veritatem, ibi: *Nos vero omnis mendacii* etc.

Secunda vero pars principalis, ubi determinat quaestionem incidentem, duas habet partes. In prima determinat primam [4] dubitationem. In secunda solvit quandam sophisticam rationem, ibi: *Ex praemissis constat.*

Similiter et tertia pars principalis, in qua solutionem principalem explanat, habet duas partes. In quarum prima praehabitam solutionem confirmat per rationem. In secunda vero dissolvit oppositiones, quae ipsam videntur impugnare, ibi: *Hic a quibusdam opponitur, quod persona assumserit personam* etc. Subdivisiones partium in littera manifestae sunt. — Intellectus autem generalis versatur circa assumtionem humanae naturae a divina in unitatem personae, tam ex parte assumentis quam ex parte naturae assumtae.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio circa assumtionem humanae naturae a divina. Et versatur hic quaestio circa duo principaliter.

Primo quaeritur de ipsa assumtione ex parte assumentis.

Secundo vero quaeritur ex parte assumti.

Circa primum quaeruntur quinque.

Primo quaeritur, utrum assumere sit actus conveniens divinae naturae.

Secundo quaeritur, utrum sit actus conveniens divinae personae.

Tertio quaeritur, utrum conveniat personae per se, an ratione naturae.

Quarto quaeritur, utrum conveniat naturae, abstracta omni persona.

Quinto quaeritur, utrum haec sit concedenda: divina natura est caro facta.

ARTICULUS I.

De ipsa assumtione ex parte assumentis.

QUAESTIO I.

Utrum assumere sit actus conveniens divinae naturae.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum assumere sit actus conveniens divinae naturae. Et quod sic, videtur:

Fundamenta.

1. Auctoritate Augustini in libro de Fide ad Petrum [5]: « Illa natura, quae semper genita manet apud Patrem, naturam nostram sine peccato susce-

---

[1] Scil., ut etiam in codd. F K Z habetur, *infra dist. 6*, pro quo edd. exhibent *sequenti distinctione.*

[2] Edd. verbo *determinat* praefigunt *eam.*

[3] Vat. cum aliquibus codd. voci *quartum* praemittit *circa.*

[4] Edd. et nonnulli codd. omittunt *primam.*

[5] Cap. 2. n. 14. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. In textu origin.

pit »; sed *suscipere* et *assumere* idem est: ergo natura Dei naturam nostram suscepit.

2. Item, expressius in libro de Trinitate[1]: « Forma Dei accepit formam servi »; sed forma Dei non est aliud quam natura Dei: ergo si forma formam accepit, natura naturam assumsit.

3. Item, *ratione* videtur. Haec est vera et propria: natura divina unita est humanae; aut ergo in illa unione[2] se habet ut *agens*, aut ut *patiens*; constat, quod non ut *patiens*: ergo se habet ut *agens*. Sed in ipsa unione *agere* nihil aliud est quam ipsam naturam assumere: ergo videtur, quod *assumere* conveniat divinae naturae.

4. Item, natura divina et humana uniuntur in unitate[3] personae; sed ex illa unione vere et proprie dicitur humana natura esse assumta: ergo pari ratione divina natura vel debet dici ex illa unione *assumens*, vel *assumta*. Sed non *assumitur*: ergo illius est *assumere*.

Ad oppositum.

Sed contra 1. est auctoritas Concilii Toletani, quam Magister ponit in littera[4]: « Cum tota Trinitas operata sit formationem suscepti hominis, solus tamen Filius suscepit hominem in unitate personae, non in unitate naturae »: ergo si hoc soli Filio convenit, non videtur, quod conveniat divinae naturae.

2. Item, Anselmus[5]: Pater et Filius et Spiritus sanctus nullo modo differunt in natura: ergo quod convenit divinae naturae convenit Patri et Filio et Spiritui sancto; sed assumtio humanae naturae nullo modo convenit Patri, vel Spiritui sancto: ergo nullo modo videtur divinae naturae competere.

3. Item, divina natura est quoddam simplicissimum; sed simplicissimum, cum unitur, totaliter unitur: ergo si divina natura unitur humanae et eam assumit, videtur, quod hoc conveniat cuilibet personae.

4. Item, si aliquod unum, in quo plura uniuntur, unitur alicui, necesse est per consequens, et illa uniri, sicut patet. Nam si punctus, cui uniuntur multae lineae, alicui coniungitur, necesse est, et illas lineas[6] uniri; si etiam anima, cui uniuntur potentiae, unitur alicui, necesse est, et eidem potentias uniri. Ergo si divinae personae magis uniuntur in natura, quam linea in puncto, vel potentiae in anima; si assumere convenit divinae naturae, necesse est, quod conveniat cuilibet personae; sed constat, quod non convenit cuilibet personae: ergo nec naturae.

5. Item, haec simpliciter est falsa et nullo modo conceditur: divina essentia generat vel natura, quoniam ille actus est actus proprius conveniens uni soli personae[7]: ergo si assumere est actus conveniens uni soli personae, utpote personae Filii; videtur, quod haec sit neganda tanquam falsa: divina natura assumit humanam.

6. Item, regula est, et habita fuit in primo libro[8], quod essentia non supponit personam nec e converso: ergo divina essentia vel natura non potest *pro persona* locutionem reddere veram, nec pro alio; hoc constat, quia soli Filio convenit assumere: ergo videtur simpliciter esse neganda praedicta locutio.

CONCLUSIO.

Terminus assumere *non convenire potest divinae naturae, nisi quatenus tantum dicit respectum ad relationem unionis, quae est in* una persona, *non autem in ipsa natura.*

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod tam per verbum *uniendi* quam per verbum *assumendi* importatur unio divinae naturae ad humanam, differenter tamen quantum ad modum significandi: quia verbum *uniendi* dicitur ab unione, quae magis importat *relationem* quam actionem; verbum autem *assumendi* dicitur ab assumtione, quae principalius importat *actionem*. Unde quamvis concedatur, quod divina natura *uniat* sibi humanam, et eidem etiam *uniatur*; nullo modo tamen conceditur, quod divina natura *assumatur*. — Alia etiam est differentia: quia *unire*, quantum est de se, non dicit terminum relationis vel actionis *determinate*; potest enim aliquis aliquid unire *sibi* et *alii*. *Assumere* autem importat *terminum intrinsecum* tam actionis quam relationis; *assumere* enim hoc[9] est *ad se sumere*.

Differunt dupliciter unire et assumere.

Notandum.

Cum igitur vocabulum *assumendi* importet simul *relationem* et *actionem*, terminus ille, interius intellectus, potest referri ad *utrumque*, vel ad *alterum* tantum, videlicet ad *relationem*. Si ad *utrumque* referatur; cum *actio illa* terminetur ad unita-

Distinctio.

---

pro *apud Patrem* habetur *ex Patre*. Pro *genita*, quae lectio etiam Magistrum offendit, ut videre est hic in lit. c. 1, cod. X substituit *ingenita*.

[1] Libr. I. c. 7. n. 14. Vide hic lit. Magistri, c. 1.

[2] Ita cod. bb et edd., alii codd. *aut ergo illa unio*; edd. deinde post *se habet* addunt *natura divina*. — De *maiori* vide verba Damasceni, hic in lit. Magistri, c. 1. allata, quae et pro seq. arg. animadvertenda sunt.

[3] Codd. E F H I L T U Z aa bb *in unitatem*. In seqq. codd. non sibi constant, modo ponentes *in unitate*, modo *in unitatem*.

[4] Hic c. 1.

[5] Libr. de Fide Trin. c. 3. seq., ubi S. Doctor falsissimum illud arg. Roscellini: si una eademque res Deus est, et ipsa eadem est Pater et Filius: ergo si Filius incarnatur, incarnatur et Pater, refellit obiiciendo, quod Filius sit alia persona. Cfr. Monolog. c. 43. et 58. seq., et de Processione Spir. S. c. 2. et 17.

[6] Nonnulli codd. cum edd. subiiciunt *illi*. Circa finem arg. codd. K bb omittunt *constat, quod*, codd. E G H L N T U V X aa et edd. 1, 2 totam minorem *sed constat... personae*.

[7] Cfr. I. Sent. d. 5. a. 1. q. 1.

[8] Dist. 4. q. 1. (ubi et in scholio expositum est, quid sibi velint verba *locutionem reddere veram*) et q. 4; d. 5. a. 1. q. 1. nec non d. 28. dub. 4, et ibid. pag. 576, nota 1. — Mox pro *hoc constat* Vat. *cui hoc conveniat*.

[9] In Vat. deest *hoc*, pro quo edd. 1, 2 *hic*.

tem aliquam, tunc *assumere* dictum de aliquo significat non solum *unionem*, sed etiam illam unionem *terminari ad unitatem assumentis*. Et quoniam illa unio non terminatur ad unitatem *naturae*, sed potius ad unitatem *personae*; ideo secundum istum intellectum *assumere* non convenit divinae naturae. Divina enim natura non assumsit humanam in unitatem naturae; et ideo isto modo non conceditur, quod eam assumserit divina natura, hoc est *ad se* sive ad propriam unitatem sumserit. — Si autem terminus ille habeat respectum ad *relationem unionis*[1]; tunc conceditur, quod divina natura humanam assumserit, hoc est sibi unierit. Univit enim sibi humanam naturam, quamvis non in *se ipsa*, sed in *una persona*. — Et isto modo procedunt rationes et auctoritates, quae ad hoc inducuntur; et ideo sunt concedendae.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

1. Ad illud vero quod obiicitur, quod solus Filius suscepit humanam naturam; dicendum, quod *solum*[2] non excludit ibi *naturam*, quae est in persona et praedicatur de persona, sed excludit *alias duas personas*, scilicet Patrem et Spiritum sanctum. — *Praeterea*, auctoritas illa non dicit *simpliciter*, quod solus Filius susceperit, sed quod solus Filius suscepit *in unitatem propriam*[3]; et tunc non est instantia de *natura*, quia, ut dictum est, natura divina non suscepit humanam in unitatem naturae, sed in unitatem personae[4].

Solutio oppositorum.

Aliter.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus nullo modo differunt in natura; dicendum, quod ista duplex est. Uno modo potest intelligi sic: Pater et Filius et Spiritus sanctus nullo modo differunt in natura, id est Pater et Filius et Spiritus sanctus, habentes unam naturam, *nullo modo* differunt; et hoc est falsum, quia Pater et Filius personaliter differunt et habent proprietates distinctas. — Alio modo potest intelligi, ut sit sensus: Pater et Filius non differunt *in natura*, id est, non differunt diversitate naturae; nihilominus tamen differunt *a se* invicem *re*, et ab *ipsa essentia* vel natura differunt *ratione* vel attributione. Aliquid enim attribuitur *personae*, quod *non naturae*, et e converso[5]. Et ideo, sicut non sequitur: divina natura est in tribus personis: ergo persona Patris est in tribus personis una; sic non sequitur: divina *natura* unit sibi vel assumit humanam: ergo *persona Patris* assumit; immo est ibi sophisma *accidentis*, vel locus sophisticus *accidentis*.

Duplex sensus.

3. Ad illud quod obiicitur de divina natura, quod est quid simplicissimum; dicendum, quod quamvis sit simplicissimum in forma, habet tamen distinctionem in hypostasibus sive in personis[6]. Cum ergo intelligimus, aliquid uniri alicui, hoc possumus intelligere aut quantum ad unionem secundum *formam*, aut quantum ad unionem secundum *suppositum*. Dico ergo, quodsi divina natura uniretur alicui secundum *formam*, quod necessario tota uniretur, hoc est in qualibet persona, cum simplicissimum[7] sit. Sed quia unio ista vel assumtio non est quantum ad unionem in *forma*, sed quantum ad unionem in *persona* et supposito; ideo non sequitur, quod quamvis sit simplicissima, quod *tota* sit unita, secundum quod *totum* distribuit pro *personis*. Unde non valet processus ille, quo proceditur a simplicitate naturae ad personarum pluralitatem.

Notanda distinctio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod natura est illud, in quo personae uniuntur: ergo ipsa unita, tres personae uniuntur, et ipsa assumente, assumunt; dicendum, quod non sequitur. Quando enim dicitur, quod ad unionem eius, in quo alia uniuntur, sequitur unio illorum, hoc verum est, quando uniuntur *secundum illud* et *in eo*, in quo alia uniuntur in eo, sicut est in puncto, in quo lineae uniuntur tanquam in termino, et ipse punctus ut terminus potest alii uniri; similiter et in anima et in suis potentiis. Non sic autem est in proposito, quia illae personae uniuntur in natura quantum ad unitatem naturalem sive essentialem; sed divina natura non unitur humanae in unam essentiam, sed unitur in unitate hypostasis, in qua quidem hypostasis unitate aliae personae magis distinguuntur quam conveniant.

Notandum.

Et huius exemplum haberi potest in aeternis rationibus, secundum quas Deus producit, quae quidem omnes unum sunt in essentia Dei et substantia; non tamen sequitur, quodsi Deus facit aliquid secundum rationem unam, quod secundum illam et eandem faciat omnia alia[8]. Unde idem sunt idea hominis et idea asini in divina substantia; cum tamen divina substantia facit asinum, non facit illum secundum ideam hominis, sed secundum ideam asini. — Aliud etiam exemplum ponit Anselmus[9] in *fonte*, *rivo* et *lacu*, qui sunt unius naturae, et unus fluit ab alio. Unde Nilus dicitur *fons* et dicitur *rivus* et dicitur *lacus*; et *unus* est Nilus, et *una* est aqua, et *unius naturae*, quamvis non sit *unus fons* et *unus rivus* et *unus lacus*. Et contingit, Nilum infistulari[10], ut *rivus* est, non ut fons neque ut lacus; et hoc est, quia, quamvis eadem aqua primo sit in

Exemplum 1.

Exemplum 2.

[1] Vat. adiicit *tantum*.

[2] Codd. Z bb *solus*.

[3] Sive, ut utamur ipsis verbis Concilii, *in singularitate personae*.

[4] Easdem duas solutiones etiam a Magistro afferuntur hic in lit. c. 1. circa finem.

[5] Cfr. I. Sent. d. 33. q. 1. seq. et d. 34. q. 1. seq. — Mox post *tribus personis* codd. F K U Y subiiciunt *una*. Codd. L R S aa cc in fine solut. omittunt verba *vel locus sophisticus accidentis*. De sophismate *accidentis* vide Aristot., I. Elench. c. 4. (c. 5.) et tom. II. pag. 870, nota 8.

[6] Vide I. Sent. d. 8. p. II. q. 1.

[7] Vat. cum paucis codd. *simplicissima*, et deinde in fine solut. cum edd. 1, 2 *quia proceditur* pro *quo proceditur*.

[8] Cfr. I. Sent. d. 35. q. 2. seqq.

[9] In libr. de Fide Trin. c. 8. Cfr. de Process. Spir. S. c. 17.

[10] Qua similitudine incarnatio significatur, ut loc. cit. ipse Anselm. explicat.

fonte, postea in *rivo*, postea in *lacu*, diversum tamen habet *modum essendi*. In ideis autem est multitudo respectu *connotatorum*. Et haec duo in divinis personis ponuntur, videlicet pluralitas respectuum, et distinctio modorum essendi ab alio et non ab alio. — Et sic patet, quod non sequitur: divina natura assumsit, ergo quaelibet persona assumsit, propter relationem intrinsecam.

3. Ad illud quod obiicitur, quod nullo modo conceditur: essentia generat, quia illud est proprium personae; dicendum, quod non est simile: quia *generare* importat distinctionem, quae nullatenus convenit naturae; *assumere* vero dicit actionem et relationem, quae convenit divinae naturae secundum unum intellectum, ut prius visum est.

6. Ad illud quod obiicitur, quod natura non supponit pro persona; dicendum, quod verum est; et quod dicitur: natura divina assumsit humanam, iste terminus *natura* non reddit locutionem veram pro *persona* [1], sed magis stat ibi natura pro *se ipsa*. Ipsi enim naturae convenit assumtionem facere, et convenit uniri humanae naturae; et haec duo importat verbum *assumendi* secundum unam sui acceptionem.

SCHOLION.

I. Petrus Lombardus in principio huius dist. quatuor ponit quaestiones, quarum tres priores supposita fide catholica, solvi facile possunt; de quarto autem articulo scrupulosam dicit esse etiam inter doctos quaestionem. Hinc S. Bonav. de ista quarta quaestione disputat diffuse, et quidem in quatuor primis quaestionibus huius articuli. Solutio autem propositae difficultatis sponte fluit ex determinatione differentiae, quae est inter *assumere* et *unire*. S. Thom. (hic q. 1. a. 1. quaest. 3.) quinque differentias inter *assumtionem* et *unionem* enumerat, quarum principales etiam a S. Bonaventura in 1. quaestione recensentur, vel in seqq. tanguntur. Insuper notandum, quod vocabulum *assumtio*, ut verbis Richardi a Med. (hic a. 1. q. 1.) utamur, « tripliciter potest dici, scilicet *communiter* et *proprie* et *magis proprie*. Primo modo accipitur pro *sumere*; et sic concedendum, quod tota Trinitas humanam naturam assumsit ipsi Filio, quia fecit unionem humanae naturae cum persona ipsius Filii. Secundo modo *assumere* accipitur pro *ad se sumere*; et sic concedendum, quod divina natura naturam humanam assumsit in persona Filii, in quantum per eam factum est, ut natura humana simul esset cum divina in eadem persona. Tertio modo *assumere* accipitur pro *ad se sumere* et *in se sumere* ut in supposito; et sic dicendum, quod divina natura *non* assumsit humanam naturam, nec aliqua persona nisi persona ipsius Filii ».

II. Hanc et duas seqq. quaestiones posteriores Scholastici vel una, vel duabus quaestionibus absolvunt. De his igitur tribus qq. agunt: Alex. Hal., S. p. III. q. 4. m. 1. 2. 3. — Scot., hic q. 1. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. 2; S. III. q. 3. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 1. 3. 4. 6. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic q. 2. a. 1. 2. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1. 2. — Biel, de his et seqq. qq. hic q. unica.

QUAESTIO II.

Utrum assumere conveniat divinae personae.

Secundo quaeritur, utrum assumere conveniat divinae personae. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Augustinus de Fide ad Petrum [2]: « Deus unigenitus, dum conciperetur, veritatem carnis accepit de Virgine »; sed Deus unigenitus non est nisi persona: ergo etc.

2. Item, *ratione* videtur: quia assumtio nihil plus dicit nisi *actionem* respectu creaturae et *relationem* [3]; et utrumque natum est convenire divinae personae: ergo etc.

3. Item, assumtio est ad aliquam unionem [4]; sed unio illa non terminatur ad naturam, sed ad personam, quia divinitas et humanitas eiusdem naturae esse non possunt: ergo videtur, quod ipsa assumtio vere et proprie conveniat ipsi personae.

4. Item, assumtio est ad redemptionem et satisfactionem pro humano genere; sed eadem persona competit esse, quae debet satisfacere et debitum solvere, et quae potest [5]: ergo videtur, quod assumtio vere competat ipsi personae.

5. Item, cui competit missio et incarnatio, eidem competit assumtio; sed missio, vel incarnatio competit personae [6]: ergo et assumtio.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Ubicumque est assumtio, ibi est unio ad alterum et communicatio; sed persona dicit quid distinctum et incommunicabile [7]: ergo intellectus personae repugnat unioni et assumtioni: ergo non potest ei vere attribui.

2. Item, « persona est individua substantia rationalis naturae [8] »; sed *individuum* dicitur non so-

---

[1] Cod. Y *pro aliqua persona*. Subinde pro *ibi* edd. *in*.

[2] Cap. 2. n. 17. Vide hic lit. Magistri, c. 1.

[3] Ut habetur in corp. quaest. praeced. — Deinde pro *et utrumque* codd. K Z bb *sed utrumque*.

[4] Cfr. quaest. praeced. — *Minor* exponitur infra d. 6. a. 2. q. 1.

[5] Vel clarius verbis S. Thomae (hic q. 1. a. 3. arg. ult.): « Ad hoc, quod fiat redemptio humani generis, oportet, quod sit agens satisfactionem *unus*, Deus, qui potest, et homo, qui debet », scil. persona divina in natura humana. Cfr. infra d. 20. q. 2. seq. — Pro *sed eadem persona competit esse*, Vat. *sed eandem personam competit esse unitam*. Mox cod. U voci *assumtio* adiicit *naturae*.

[6] Cfr. I. Sent. d. 15. p. I. a. 1. seqq. — Post *personae* Vat. subiungit *Filii*.

[7] De definitione deque proprietatibus personae in hoc et seqq. argg. occurrentibus vide plurimos auctoris locos infra a. 2. q. 2. in scholio. — In *maiori* post *assumtio* codd. K Z addunt *et incarnatio*. In fine arg. pro *vere* cod. X *recte*.

[8] Boeth., de Una Persona et duabus naturis Christi, c. 3.

lum quod est indivisum in se, sed quod est divisum ab aliis: ergo si assumtio dicit unionem et coniunctionem, videtur, quod nullo modo personae conveniat.

3. Item, omnis unio naturalis ordinatur ad illud quod est ita unum in se, quod non est alteri unibile, alioquin non esset status; illud autem unum est individuum rationalis naturae, quod quidem est persona et habet summam completionem in genere creaturae: si ergo ad dignitatem personae spectat, quod nulli alii uniatur, et divina persona habet quidquid dignitatis est; videtur, quod nihil possit sibi copulari, et ita nullam naturam assumere.

4. Item, nihil temporale potest fieri aeternum; sed unitas creaturae debita est temporalis, unitas divinae personae est aeterna: ergo divina persona non potest creaturam aliquam ad unitatem personae suae accipere. Sed hoc est *assumere:* ergo assumtio divinae personae non potest convenire.

CONCLUSIO.

Assumtio in incarnatione competit personae divinae.

Respondeo: Dicendum, quod sicut dictum est [1], assumtio dicit *actionem* et *relationem* et *terminum* utriusque; et ratione horum omnium potest divinae personae convenire. — Nam divinae personae competit esse *principium activum* et rationalis naturae *suppositum;* et utrumque spectat ad eius dignitatem et nobilitatem. Et ideo divina persona potest humanam naturam fabricare tanquam *principium* [2] *effectivum* et stabilire tanquam *proprium suppositum,* ita quod eiusdem naturae erit *causale principium* et *suppositum personale;* et ita per hoc se habet in ratione *principii* et in ratione *medii* et in ratione *termini.* Ratione primi vel principii competit ei *actio;* ratione medii *relatio;* ratione termini [3] competit utriusque *terminatio.* Divina enim persona fecit, ut plures naturae unirentur in se. — Et ideo concedendum est, quod ipsa assumtio competit divinae personae. Unde concedendae sunt rationes ad hoc inductae.

Conclusio. Probatio. Notandum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod ubi est assumtio, ibi est communicatio et unio; dicendum, quod *communicabile* potest dici tripliciter: aut per *unius constitutionem,* aut per *praedicationem,* aut per *proprietatum et idiomatum communicationem.* Cum ergo dicitur: ubi est assumtio, ibi est *communicatio;* dicendum, quod verum est *tertio* modo, sed non primo modo, vel secundo. Cum vero dicitur, quod persona dicit quid *incommunicabile* et *distinctum;* dicendum, quod hoc dicitur per oppositionem ad *primum,* vel *secundum;* quia nec venit ad tertii constitutionem, nec habet universalitatis praedicationem [4]. Et sic patet, quod persona cum assumtione non habet oppositionem.

Solutio oppositorum. Communicabile dicitur tripliciter. De persona.

2. Ad illud quod obiicitur, quod persona est individua substantia; idem respondendum est, quod illud dicitur per privationem compositionis et praedicationis communis, non per privationem unionis; nisi forte dicatur *unio* respectu dignioris, sicut inferius [5] melius apparebit. Nullum autem horum est in proposito reperire.

3. Ad illud quod obiicitur, quod omnis unio ordinatur ad unum, quod careat unibilitate; dicendum, quod verum est, loquendo de unione in eodem genere, videlicet de unione, quae est per compositionem. Sic autem non est in proposito; et ideo in nullo cogunt rationes illae.

4. Ad illud quod obiicitur, quod temporale non potest fieri aeternale; dicendum, quod verum est per *identitatem essentiae;* nihil tamen impedit, hoc esse virtute *unionis gratuitae.* Sicut enim temporale potest a principio aeterno causari temporaliter, sic etiam inniti [6] potest supposito aeterno, ut, sicut Deus est principium cuiuslibet creaturae, sic Dei Filius sit suppositum rationalis naturae. Et pro tanto dicitur illa unitas ad unitatem personae terminari, non quia personae Filii Dei adveniat nova unitas, sed quia ex assumtione humanae fit, ut duarum naturarum sit una hypostasis atque persona [7].

Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum assumere conveniat personae ratione naturae, an e converso.

Tertio quaeritur, utrum assumere personae conveniat ratione naturae, an e converso. Et quod conveniat ratione *naturae,* videtur.

1. *Ratione eius* competit personae opus recreationis, cui competit opus creationis [8]; sed opus creationis competit personae ratione naturae: ergo et

Argg. pro 1. parte.

---

[1] Vide quaest. praeced. — Mox pro *et utrumque* codd. U X *utrumque enim.*

[2] Cod. K vocl *principium* praemittit *eius.*

[3] Pro *termini* codd. A E G L N T V X aa et edd. 1, 2 *tertii.* Paulo ante edd. omittunt *primi vel;* cod. Z omittit *vel.*

[4] Ut humanitas, quae praedicatur e. gr. de Petro simul et de Paulo. Cfr. I. Sent. d. 25. a. 2. q. 1. — Subinde voci *persona* edd. praefigunt *illa.*

[5] Art. 2. q. 2. ad 1. et q. 3. — Paulo superius post *compositionis* cod. K adiungit *constitutionis.*

[6] Pro *inniti* codd. A H (K a secunda manu) M O Z bb *uniri;* idem recurrit infra q. 5. ad 2. Pro *causari* codd. K Z bb *creari.*

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[8] Cfr. supra pag. 28, nota 2. — De *minori* cfr. I. Sent. d. 36. a. 1. q. 2. — Pro *cui competit* codd. K bb accuratius *ratione cuius.* Edd., duabus prioribus huius propos. vocibus, scil. *Ratione eius,* interpunctione a se seiunctis, et voce *ratione* cum praeced. *videtur* coniuncta, hanc alteram propos. sic inchoant: *Ei* [pro *eius*] personae competit etc. Paulo superius pro *an e converso* cod. F *an ratione sui.*

opus recreationis; sed assumtio est opus recreationis: ergo etc.

2. Item, assumtio est operatio virtuosa; sed omnis operatio virtuosa competit supposito ratione naturae sive naturalis potentiae [1]: ergo etc.

3. Item, quod sic competit uni personae, quod competit alteri personae, hoc competit ratione naturae, non ratione personae: ergo cum assumtio sic competat personae Filii, quod possit competere alii personae, sicut supra [2] dictum fuit; videtur, quod si conveniat Filio, conveniat ratione naturae.

4. Item, assumtio in extremis ponit diversitatem; sed in assumtione carnis a Deo est diversitas naturarum, non personarum: ergo videtur, quod assumtio primo conveniat naturae et per naturam personae.

Sed contra: 1. Assumtio dicit relationem [3]; sed relatio non competit personae ratione naturae, sed magis ratione sui: ergo et *assumere*. Argg. pro 2. parte.

2. Item, assumtio dicit ordinationem ad unitatem aliquam; sed constat, quod non ad unitatem naturae, sed personae: ergo etc.

3. Item, si convenit personae ratione naturae; et omne tale dicitur de tribus: ergo et *assumere* conveniret [4] tribus personis. Sed hoc est falsum: ergo et primum.

4. Item, si assumere convenit personae ratione naturae, ergo convenit naturae *per se;* et quod convenit *per se* convenit universaliter [5], ergo pro quolibet suo supposito: sequeretur ergo idem quod prius, scilicet quod cuilibet personae conveniret assumtio.

conclusio.

Assumere, quatenus dicit actionem, competit personae divinae ratione naturae; quatenus dicit terminationem, competit naturae ratione personae; quatenus dicit relationem, communiter competit utrique.

Respondeo: Dicendum, quod ad hanc quaestionem satis patet responsio per ea quae dicta sunt. Cum enim tria sint de intellectu huius vocabuli, quod est *assumere*, videlicet *actio* et *relatio* et *terminatio;* primum competit personae ratione *naturae*, ultimum competit naturae ratione *personae*, medium vero communiter convenit *utrique*. — Ipsa namque assumtionis *actio* [6] personae convenit *ratione naturae*, quia persona agit virtute naturae, unde illa virtus et operatio competit cuilibet personae. *Terminus* vero assumtionis respicit ipsam *proprie* et *per se;* unde ad unitatem personalem et unius solius personae terminatur ipsa assumtionis *actio* et unionis *relatio*. Sed *medium*, videlicet *relatio*, communiter convenit *utrique:* et divina natura et divina persona unitur humanae [7], et humana natura unita est divinae naturae et divinae personae, quia ad utramque habet ordinem et distinctionem formalem et gratuitam coniunctionem, quae implicantur in illa relatione. Tria in assumtione. Conclusio. Explicatur.

Et secundum hoc patet responsio ad utramque partem. Rationes enim verum concludunt secundum diversas vias nec habent in se aliquam repugnantiam. Et hoc melius patet pertractanti singulas [8]. Ad argg.

QUAESTIO IV.

Utrum assumere possit convenire divinae naturae, abstracta omni persona.

Quarto quaeritur, utrum assumere convenire possit divinae naturae, abstracta omni persona. Et quod sic, videtur.

1. Abstractis omnibus personis, est intelligere Omnipotentem; sed Omnipotenti nullum verbum est impossibile [9]: ergo videtur, quod omni personalitate abstracta, possibile sit, Deum carnem assumere. Ad oppositum.

2. Item, omni personalitate abstracta, adhuc est intelligere Deum summe bonum; sed quia summe bonus est, diligit creaturam, et per nimiam caritatem suam assumsit humanam naturam [10]: ergo omni personalitate abstracta, adhuc est intelligere, Deum carnem humanam posse assumere.

3. Item, omni personalitate abstracta, adhuc est intelligere Deum potentem creare et potentem genus humanum reparare [11]; sed reparat assumendo carnem: ergo videtur redire idem quod prius.

4. Item, omni personalitate abstracta, adhuc intelligitur Deus ut sapiens, ergo sciens et potens tyrannum superare et vincere; sed assumtionis my-

---

[1] Cfr. Aristot., l. de Anima, text. 64. (c. 4.), ubi Philosophus vult, quod melius est « non dicere animam cogitare, sed hominem anima » (i. e. per animam).

[2] Dist. 1. a. 1. q. 4. — Pro *quod possit competere* cod. Z *quod non possit competere.*

[3] Cfr. supra q. 1, ubi etiam videsis de *maiori* arg. seq., in qua Vat. pro *ordinationem* exhibet *deordinationem.*

[4] Codd. L T U *diceretur*, cod. X *communicaretur.*

[5] Cfr. Aristot., l. Poster. c. 4. — Paulo inferius codd. et edd. 1, 2 omittunt *scilicet.*

[6] Codd. L (N a prima manu) S T U V aa cc *ratio.* Mox post *unde* codd. K Z subiungunt *et.*

[7] Scil. naturae. — Paulo ante pro *et divina natura* Vat. *Nam divina natura.* Paulo inferius pro *ordinem* codd. G aa *ordinationem.*

[8] Vide scholion ad 1. huius art. quaest.

[9] Respicitur Luc. 1, 37.

[10] Cfr. Sap. 11, 25, et Eph. 2, 4.

[11] Vide supra pag. 28, nota 2.

sterium est ad [1] tyrannum vincere et superare: ergo intelligitur ut potens carnem assumere.

Fundamenta. Sed contra: 1. Assumere est sibi unire, aut ergo in *supposito*, aut in *forma*; sed divina natura non potest sibi humanam unire in *forma*: ergo si unit aliquo modo, necesse est unire in *supposito* et persona [2]: ergo abstractis suppositis et personis, impossibile est amplius assumtionem intelligere.

2. Item, assumtio dicit aliquam actionem; sed nulla actio esse intelligitur alicuius nisi ut entis in in actu — nihil enim [3] est in actu ens, nisi prout est in supposito — ergo supposito abstracto, non est intelligere assumtionem aliquam.

3. Item, impossibile est intelligere, ut humana natura assumatur, nisi assumatur in atomo vel in singulari, quia, sicut vult Damascenus [4], «natura praeter singularia solum est in nuda consideratione»: ergo pari ratione impossibile est intelligere, quod assumtio fiat in natura abstracta ab omni persona.

4. Item, impossibile est, assumtionem alicuius competere alicui nisi post completum suum *esse* — nemo enim assumit sibi aliquid, nisi postquam est completum [5] — sed perfecta completio naturae rationalis non est nisi persona: ergo omni personalitate circumscripta, impossibile est, quod natura humana assumatur a divina.

CONCLUSIO.

Circumscripta omni *personalitate, non potest intelligi, a divina natura assumi humanam; circumscripta vero personalitate* a fide determinata, *assumtio haec potest intelligi, sed non ita congrue.*

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter contingit in divinis circumscribere personalitatem per intellectum: aut *simpliciter*, aut *prout fides determinat*. — *Simpliciter* circumscribitur intellectus personalitatis, quando consideratur divina natura ut *in se*, non [6] in aliquo supposito determinate, et in quantum communicabilis est a multis, non in quantum est in hoc vel in illo. Et hoc modo divina natura consideratur per modum cuiusdam ordinabilis ad alium. Et hoc modo non intelligitur secundum rationem *agendi* nec *patiendi*, quia actio non attribuitur formae nisi in supposito. Et sic assumtio non potest ei convenire, tum quia natura talis non intelligitur ut *agens*, quia actio est formae in supposito; tum etiam, quia natura talis, sic considerata non habet *in quo* possit uniri cum humana natura; non enim potest uniri in *forma*. Et ista duo cadunt in intellectu huius vocabuli, quod est *assumere;* et ideo ratione utriusque impedimentum est, ut nequaquam naturae consideratae in abstractione ab omni personalitate possit assumtio intelligi convenire.

Distinctio. Membrum 1. Conclusio 1.

Alio modo potest circumscribi a divinis [7] personalitas non *simpliciter*, sed per eum modum, *per quem fides determinat*, scilicet Patris et Filii et Spiritus sancti, ita tamen quod intelligatur ibi suppositum rationalis naturae, sicut intelligunt Iudaei et pagani. Et hoc modo potest intelligi assumtio convenire Deo; licet non *ita congrue*, sicut intelligitur, praesupposita personali distinctione. — Intellecto enim, quod sola illa persona, quae est innascibilis, esset in divinis, posset utique humanitatem assumere, et intelligi potest [8], quod Deus fieret homo; sed tamen non ita congrueret, sicut nunc, quia tunc non esset ibi ratio *mediationis* nec *satisfactionis* nec *missionis*, sicut nunc est, cum Filius a Patre mittitur et Patri pro homine satisfacit et mediator est inter Deum Patrem [9] et genus humanum. Unde nullus intellexit unquam incarnationem, nisi praeintellexerit personarum distinctionem.

Membrum 2. Conclusio 2. Explicatur.

Concedendum est igitur, quod circumscripta personalitate a fide determinata, etsi possit intelligi assumtio, non tamen ita congrue. Omni vero personalitate circumscripta, non contingit, a divina natura assumi humanam. Unde concedendae sunt rationes ad istam partem, quia procedunt secundum istam viam.

Epilogus.

1. 2. 3. 4. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium, quod divina natura, abstractis personis, intelligitur ut summe potens, ut summe sapiens, et ut summe bona, et ut creaturarum causa effectiva; ad omnes illas rationes responderi potest *interimendo* [10], si intelligatur, quod fiat abstractio ab *omni* supposito. Necessario enim qui cogitat Deum cogitat ut aliquem habentem deitatem sive naturam intellectualem; alioquin non cogitat eum ut perfecte in se

Solutio oppositorum.

---

[1] Vat. cum paucis codd. omittit *ad*. Paulo superius pro *ergo sciens* cod. Y *et sciens*.

[2] Cfr. infra d. 6. a. 2. q. 1. in corp.

[3] Pro *enim* mallemus substituere *autem*. — Quod hic profertur, illo axiomate exprimi solet: Actiones sunt suppositorum. Cfr. supra pag. 126, nota 1. — Aristot., IX. Metaph. text. 13. (VIII. c. 8.) ait: Semper etenim ex eo quod potentia est, fit actu ens *ab actu existente*, ut homo ex homine, musicus ex musico, semper aliquo primo movente, movens autem actu iam est.

[4] Libr. III. de Fide orthod. c. 11. Cfr. supra pag. 15, nota 4.

[5] Scil. suum *esse* (ens); vel lege *completus* pro *completum*. — De propos. seq. cfr. infra a. 2. q. 3.

[6] Post *non* cod. K repetit *ut*. Mox pro *et in quantum* edd. *sed in quantum*. Subinde Vat. omittit *a* ante *multis*, et paulo inferius pro *ad alium* cum edd. 1, 2 exhibet *ad aliam*.

[7] Cod. cc et edd. *in divinis;* in nostra lectione verbum *circumscribi* sumendum est pro *abstrahi*.

[8] Edd. *posset*, et mox cum cod. T *congrue* pro *congrueret*.

[9] Codd. A G H L T U V aa *Deum et Patrem*.

[10] Sive negando. Cfr. tom. I. pag. 87, nota 4. — Proxime post pro *intelligatur* ed. 2 *intelligantur*.

entem, et nec ut perfecte potentem, nec ut summe sapientem. Alter etiam[1] intellectus est ibi, quia ad assumptionem non tantum requiritur causa efficiens, sed etiam illud, *in quo* fiat unio. Et ideo esto, quod omni personalitate circumscripta, consideraretur divina natura in ratione perfecte *potentis* et *sapientis*, non tamen cogitari posset in ratione *assumentis*, quia non posset ibi esse intellectus unibilitatis.

SCHOLION.

I. Alex. Hal. in uno loco (S. p. III. q. 2. m. 3.) ad quaestionem *respondet simpliciter negando*, his verbis: « Dico ergo, quod *abstractis personis non* intelligo divinam naturam posse mori; et si quis forte posset hoc intelligere, ego non intelligo ». Duplicem pro hac assertione affert rationem: primo, quia « natura divina et humana non possunt invicem mutari nec misceri, ut quaedam tertia fiat ex duabus » etc.; secundo, « quia nunquam intellectus intelligit, naturam esse in actu nisi in *re naturae* [suppositi], sicut humanitatem esse in actu non intelligo nisi in habente ipsam... habens autem illam est persona vel hypostasis » etc. Attamen idem in alia simili quaestione (ibid. q. 7. m. 1. a. 2.) iam innuit eandem distinctionem, qua utuntur S. Bonav. et posteriores Scholastici, qui subsistentiam *absolutam* in Deo vel reapse admittunt, vel saltem a gentilibus eandem suppositum esse concedere debent. Hinc abstractis per intellectum proprietatibus personalibus, adhuc « remanebit in consideratione nostra natura divina ut subsistens et ut persona » (scilicet ut suppositum absolutum); ita S. Thom. (S. III. q. 3. a. 3. ad 1; cfr. idem, hic q. 2. a. 3.). Sed hoc modo, circumscriptis personis, intelligi potest natura divina assumens.

II. Praeter citatos: Scot., III. Sent. d. 1. q. 2. n. 6, et in utroque Scripto hic q. 1. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Aegid. R., hic q. 1. a. 3. — Dionys. Carth., hic q. 3.

III. Seq. (5.) quaestio a Magistro (hic c. 2.) posita est; ad quam respondet, istam locutionem melius silendam, vel negandam esse. Posteriores Scholastici explicite de eadem non tractant, excepto B. Alberto, hic a. 13. S. Thom. rem tangit S. III. q. 3. a. 2, ubi cum S. Bonav. admittit alteram propositionem in corp. relatam. Approbat enim dictum Damasceni (III. de Fide orthod. c. 6.): « Dicimus, naturam Dei incarnatam esse, secundum beatos Athanasium et Cyrillum ».

QUAESTIO V.

Utrum haec sit concedenda: divina natura est caro facta.

Quinto et ultimo quaeritur, utrum haec sit concedenda: divina natura est caro facta. Et quod sic, videtur.

1. Ioannes Damascenus, et habetur in littera[2]: Ad oppositum. « Almus, omnem et perfectam naturam deitatis in unam hypostasim incarnatam esse »; sed incarnari non est aliud quam carnem fieri: ergo si haec est vera: divina natura est incarnata, et haec, scilicet, divina natura est caro facta.

2. Item, nihil aliud est dicere: *Verbum est caro factum*, quam humana natura est assumta a Verbo; sed humana natura est assumta non solum a Verbo, sed etiam a divina natura, sicut ostensum fuit supra[3]: ergo videtur, quod divina natura sit caro facta.

3. Item, nihil aliud est *Verbum carnem fieri*, quam Dei Filium esse factum hominem; sed Dei Filius est divina natura vel essentia, et propter unionem est communicatio idiomatum[4]: ergo videtur, quod sicut ista conceditur: *Verbum caro factum est;* ita ista concedi debet: divina natura est facta caro.

Sed contra: 1. Magister in littera[5]: « Melius Fundamenta. hoc puto negare quam asserere »: ergo secundum sententiam Magistri videtur praedicta locutio esse neganda.

2. Item, quia Filius Dei est caro factus, conceditur, quod Filius Dei fuit passus et mortuus sed non conceditur: divina natura est passa, vel mortua[6]: ergo nec ista debet concedi: divina natura est caro facta.

3. Item, quandocumque aliqua duo sic se habent, quod formaliter sunt distincta; si dicatur, unum fieri alterum, significatur, unum converti in alterum, utpote si dicatur aqua facta vinum; sed sic se habet caro et divina natura: cum ergo divina natura non sit in carnem conversa, videtur, quod haec non sit concedenda: divina natura est caro facta[7].

Est igitur quaestio, quare magis ista concedi- Quaestio incidens. tur: divina natura est incarnata, quam ista: divina natura est caro facta.

CONCLUSIO.

Locutio: divina natura est caro facta, non est admittenda.

Respondeo: Dicendum, quod ista debet et po- Conclusio. test concedi: divina natura est incarnata, quia scripta legitur[8] nec est simpliciter impropria. Duplicem

---

[1] Ita Vat. rectius; in aliis edd. et codd. *enim*. Aliquanto inferius ante *perfecte potentis* cod. U interiecit *naturae*.

[2] Hic c. 1 in fine. De *minori* vide ibid. c. 2.

[3] Quaest. 1.

[4] Cfr. supra pag. 14, nota 3. — Pro *et propter* multi codd. et edd. 1, 2 *vel propter*.

[5] Hic c. 2. — Edd. cum textu origin. *quam temere asserere*.

[6] Vide verba Hieronymi hic in lit. Magistri, c. 1. circa medium, insuper locum Damasceni, supra pag. 14. nota 3. allatum.

[7] Hanc rationem Magister insinuat hic c. 2.

[8] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — Cod. K *in Scriptura legitur*. Mox pro *ambiguus* cod. M *abusivus*, et subinde pro *unus*, quod habet Vat., edd. 1, 2 et codd. *unde*, sed non congrue.

Duplex sensus.

enim facit intellectum, quorum unus est verus et catholicus, licet alius sit ambiguus: unus, cum dicitur: divina natura est incarnata, id est *carni unita;* et hoc absque dubio verum est. Cum enim unio dicat relationem, simul cum hoc notat naturarum distinctionem et excludit confusionem; et ideo ratione istius intellectus potest concedi: divina natura est incarnata.

Potest etiam alius esse sensus: divina natura est incarnata, id est *caro facta.* Et ratione istius non admittitur communiter a doctoribus. Haec enim non recipitur: divina natura est caro facta; habet enim duplicem intellectum, et in uno intellectu est *falsa* et in alio intellectu est adeo *expressiva*, quod potest deducere in errorem; et ideo nullo modo recipitur. — Duplicem autem habet intellectum praedicta locutio ex eo, quod hoc quod est *facta*, potest cadere inter *subiectum et praedicatum*, et [1] *referri ad totum.* Si cadit *inter subiectum et praedicatum*, tunc notat factionem circa divinam naturam respectu formae carnis; et ideo sensus est: divina natura est caro facta, id est conversa in carnem; et haec quidem simpliciter [2] est *falsa.* — Si autem *respiciat totum*, sic sensus est: divina natura est caro facta, id est factum est, ut divina natura sit caro; et haec quidem, *proprie* loquendo, est falsa, quia caro non praedicatur de divina natura. Si autem intelligatur *synecdochice* [3], ut sit sensus: divina natura est caro, id est *homo;* etsi illud aliquo modo posset concedi propter convenientiam in hypostasi, quae facit idiomatum communicationem — propter hoc quod haec est vera: homo est divina natura, id est, ille qui est homo — propter nimiam tamen *expressionem* tacenda est, ne videatur natura praedicari de natura, vel naturarum fieri identitatem aut confusionem; quae omnia releganda sunt ab illa excellentissima unione et assumtione. — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, locutionem praedictam non esse admittendam, licet non multum cogant.

Conclusio 2.

Ratio huius duplicis sensus

Conclusio 3.

Conclusio 4.

1. Ad illud vero quod obiicitur, quod divina natura est incarnata et conceditur [4]; dicendum, quod non est simile, sicut iam visum est.

Solutio oppositorum

2. Ad illud quod obiicitur, quod propter humanae naturae assumtionem ista conceditur: Verbum est factum caro; dicendum, quod non est simile, quia *Verbum* dicit ipsam hypostasim, cui *inititur* [5] ipsa humana natura et quam habet *denominare.* Et ideo non significatur ex hoc aliqua naturarum *mutatio* vel confusio, sed solum Verbi ad humanam naturam *denominatio*, ut dicatur Verbum esse homo. Non sic autem est, cum dicitur: divina natura est facta caro, quia, cum istae naturae sint distinctae, nec una habeat ab altera denominari, quamvis habeat alteri uniri, magis a proprietate et veritate praedicta locutio recedit.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Verbum fieri carnem non est aliud, quam Verbum fieri hominem; dicendum, quod verum [6] est. Et quoniam ista est vera et propria: Verbum est factum homo; figurativa locutio, quae in eam immediate resolvitur, non est via ducendi in errorem, immo concedi potest satis catholice. Haec autem: divina essentia facta est homo, quamvis non sit *omnino falsa*, quia hypostasis praedicatur de divina natura per *identitatem;* non tamen est *adeo propria*, sicut ista: Filius Dei factus est homo, immo nimium est expressiva. Et propterea locutio figurativa, in qua significatur per synecdochen *caro* sumi pro toto homine, simpliciter respuitur, pro eo quod magis recedit a sermonis proprietate et ab expressione veritatis, et approximat intellectui erroris. — Qua de causa multae negantur locutiones a doctoribus theologiae, ne paralogizentur et decipiantur simplices, qui nesciunt vocabulorum virtutes [7].

Notandum

ARTICULUS II.

De assumtione ex parte assumti.

Consequenter quaeritur de secundo principali, videlicet de assumtione ex parte assumti. Et circa hoc quaeruntur quinque.

Primo quaeritur, utrum persona Dei assumserit humanam naturam.

Secundo, utrum assumserit humanam personam.

Tertio, utrum sit ponere perfectam intentionem personalitatis circa animam separatam.

Quarto, utrum concedendum sit, quod Deus assumserit hominem.

Quinto et ultimo, utrum concedendum sit, quod assumserit humanitatem.

---

[1] Codd. H (K primitus) bb rectius *vel* pro *et;* Vat. post *et* sublicit *potest etiam.*

[2] Cod. H *et hoc sensu simpliciter.*

[3] Cfr. tom. II. pag. 519, nota 5.

[4] In edd. deest *et conceditur.*

[5] Pro *inititur* codd. K M O Z bb *unitur.* Mox pro *significatur* cod. Z *sequitur.* In fine solut. pro *recedit* cod. K *recedat*, cod. Y *excedit.*

[6] Codd. G H I K L Y Z aa bb *vera.*

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO I.

Utrum concedendum sit, naturam humanam assumtam esse a Deo.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum sit concedendum, quod humana natura sit assumta a Deo. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Ad Philippenses secundo[1]: *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*; sed veritas naturae attenditur quantum ad propriam formam: ergo si assumsit formam hominis, assumsit hominis naturam.

2. Item, Augustinus de Fide ad Petrum[2]: «Deus humanam naturam in unitatem personae accepit».

3. Item, nullus est verus homo, nisi vere habeat humanam naturam; sed Dei Filius verus homo est: ergo habet humanam naturam in se. Sed non habet eam per aeternam generationem: ergo habet per assumtionem: igitur assumsit humanam naturam.

4. Item, quicumque est alicuius filius naturalis, communicat cum eo in natura[3]; sed Dei Filius est Virginis filius naturalis: ergo communicat cum ea in natura. Aut igitur illam naturam habuit *ab aeterno*, vel *ex tempore*; constat, quod non *ab aeterno*, sed *ex tempore*. Si *ex tempore*, aut ex *propria* virtute, aut ex *aliena*; constat, quod ex virtute *propria*; sed quod accipit quis virtute *propria* dicitur assumere: restat igitur, quod humana natura sit a Deo assumta.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Omne quod assumitur, *est*, antequam sit assumtum; sed humana natura Christi non fuit ante unionem ipsius cum Verbo[4]: ergo non videtur, quod fuerit assumta a Verbo.

2. Item, omne quod assumitur ab aliquo, fit aliquo modo unum cum eo, a quo assumitur, quia assumtio ordinatur ad unionem[5]: ergo si humana natura assumitur a Deo, fit unum cum Deo. Sed quae sunt eadem, unum potest praedicari de altero: ergo humana natura est Deus, et e converso; sed hoc est falsum: ergo et illud, ex quo sequitur, scilicet quod humana natura sit a Deo assumta.

3. Item, omne quod assumitur ab aliquo ad unionem, acquirit proprietatem aliquam eius, a quo assumitur et cui unitur; sed humana natura non acquirit aliquam proprietatem ipsius Verbi — nulla enim proprietas Verbi dicitur de humana natura — ergo non videtur, quod ipsa a Verbo Dei fuerit assumta.

4. Item, Boethius in libro de Duabus Naturis et una persona Christi[6] ponit quatuor definitiones naturae, quarum nulla videtur competere assumtioni divinae: ergo si recte et sufficienter definit naturam, non videtur esse concedendum, quod humana natura sit assumta a Deo. Quod patet discurrendo per singulas notificationes, quarum prima est: «Natura est earum rerum, quae, cum sint, quoquo modo intellectu capi possunt». Hoc modo non potest accipi, cum dicitur: humana natura est assumta; quia, si unam proprietatem hominis vel partem assumsisset, videtur assumsisse humanam naturam. — Secunda definitio naturae est: «Natura est vel quod agere, vel quod pati potest[7]». Et adhuc ista notificatio non competit sibi, quia secundum istum modum sibi sufficeret assumsisse solum animam, ad hoc quod diceretur assumsisse humanam naturam. — Tertia notificatio est: «Natura est principium motus et quietis *per se*, et non secundum *accidens*[8]». Adhuc nec ista competit, quia sufficeret, si solum corpus assumsisset. — Quarta notificatio est haec: «Natura est unamquamque rem informans specifica differentia». Sed nec etiam isto modo videtur assumtioni competere, quia, sicut dicit Damascenus tertio libro capitulo undecimo[9]: «Verbum incarnatum non eam quae nuda contemplatione consideratur assumsit naturam — non enim incarnatio hoc esset, sed fictio et deceptio incarnationis — neque eam quae specie consideratur, sed eam quae est in atomo»: ergo nullo modo videtur esse concedendum, quod Deus humanam naturam assumsit. Definitiones 4 naturae.

CONCLUSIO.

Vere et proprie loquendo, concedi potest et debet, quod humana natura est a Deo assumta.

Respondeo: Dicendum, quod vere et proprie loquendo, concedi potest et debet, humanam naturam a Deo assumtam esse, pro eo quod, sicut di- Conclusio.

---

[1] Vers. 7.

[2] Cap. 2. n. 18. Cfr. c. 16. n. 60. In testimonio allato pro *accepit* textus origin. exhibet *suscepit*, et pro *in unitatem* codd. K aa *in unitate*.

[3] Cfr. supra d. 4. dub. 2.

[4] De quo vide supra lit. Magistri, d. 11. c. 3, et Comment. d. 3. p. II. a. 3. q. 2.

[5] Ut ostensum est supra a. 1. q. 1. in corp.

[6] Cap. 1, ubi etiam ab auctore ostenditur, tres priores definitiones inter se differre *extensione*, quippe cum prima verificetur de substantiis et accidentibus, secunda de omnibus substantiis (corporeis et incorporeis), tertia autem de substantiis corporeis tantum valeat. — Paulo inferius pro *definit* cod. N *definivit*.

[7] Cfr. Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 53. seq. (c. 7.). — Infra edd. *solam animam* pro *solum animam*.

[8] Est Aristot., II. Phys. text. 3.

[9] De Fide orthod. — In auctoritate allegata post *quae specie* [textus originalis *quae in specie*, Vat. cum edd. 1, 2 perperam *specie, quae*] *consideratur* textus originalis adiungit *non enim omnes personas assumsit*. — Paulo superius pro *Sed nec etiam* codd. K P Q bb *Sed nec adhuc*, cod. F *Sed nec in*, et subinde pro *assumtioni*, quod habent codd. K (a secunda manu) P Q R S U, cod. Z *assumere*; in aliis *assumtum*.

cit Philosophus[1]: « *Natura* accipitur et pro vera materia et pro vera forma », et de his dicitur secundum quandam analogiam. Quoniam igitur Deus assumsit carnem et animam humanam, et caro est principium hominis materiale, anima vero formale[2]; hinc est, quod vere non solum humanam naturam, sed etiam *totam* humanam naturam dicitur assumsisse. — Et concedendae sunt rationes ad hoc inductae.

Solutio oppositorum. Duplex sensus.

1. Ad illud quod obiicitur, quod nihil assumitur nisi ens; dicendum, quod hoc dupliciter potest intelligi: uno modo sic: nihil assumitur nisi *ens in ipsa assumtione;* et hoc quidem verum est nec habet instantiam in proposito, quia humana natura simul habuit *esse* et *esse assumtum*. Alio modo potest intelligi, ut nihil assumatur, nisi *prius* sit, quam assumatur; et si hoc intelligitur de *esse in potentia*, veritatem habet, quia assumta natura prius est in potentia materiae, vel efficientis, quam uniatur ipsi assumenti. Si autem intelligatur quantum ad *esse in actu*, sic non habet veritatem, in ea potentia maxime, quae simul potest rem fabricare et sibi unire. Unde si quis posset vestimentum in dorso suo facere, simul esset vestimenti compositio et vestimenti assumtio. Per hunc modum intelligendum est in proposito.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod asssumtio unum facit etc.; dicendum, quod verum est; non tamen omnimode facit unum, sed secundum quod competit comparatione[3] assumentis ad assumtum. Si autem in aliqua assumtione reperitur unio, potissime reperitur in assumtione humanae naturae a Verbo; quia non tantum est ibi unitas *per adiacentiam*, sed etiam est ibi unitas, quae est *ipsius naturae ad hypostasim suam*[4]. Haec autem unitas aliquo modo admittit differentiam in omni creata natura; unde de nulla hypostasi, cuius sit natura creata, conceditur, quod sit sua essentia vel natura in *abstractione*, sed solum per modum *concretionis;* unde non dicitur, quod Petrus sit humanitas, sed quod Petrus sit homo. Per hunc modum intelligendum est in proposito, quia, quamvis Deus non sit *humana natura*, est tamen *homo*. Et propterea non cogit illa ratio: unum non praedicatur de altero in abstractione, ergo non habent identitatem sive unitatem assumtioni competentem.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod omne quod assumitur ab aliquo, acquirit aliquam proprietatem; dicendum, quod verum est, quod aliquam proprietatem acquirit; sed hoc potest esse *in recto*, vel *in obliquo;* vel ratione *suppositi*, vel ratione *formae*. Et quamvis non videatur humanae naturae acquiri proprietas ex ratione *formae*, acquiritur ratione *suppositi;* quamvis etiam[5] non conveniat ei proprietas *in recto*, convenit *in obliquo*, secundum quod natura abstractive sumitur.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur: secundum quam illarum notificationum accipitur ibi[6] natura? dico, quod secundum *omnem* potest accipi, maxime tamen secundum *ultimam*, quia completivam et specificam habuit hominis differentiam. Nec valent illae instantiae, quia Christus dicitur non solum assumsisse humanam naturam, sed *totam* humanam naturam; nec dicitur assumsisse specificam differentiam, secundum quod specifica differentia sumitur *per abstractionem* a singularibus, sed assumsit specificam differentiam *in particulari* veraciter existentem[7]; et hoc modo datur intelligi nomine *naturae*. — In hoc enim differt *essentia* a *natura;* quia *essentia* nominat rei formam in quadam *abstractione*, *natura* eam nominat *entem in motu et materia* ut naturalium operationum principium. Et ideo doctores catholici magis isto verbo uti voluerunt: Deus assumsit humanam *naturam*, quam hoc: Deus assumsit humanam *essentiam*, quamvis utraque sit vera; ista enim[8] est magis propria.

Differt essentia a natura.

SCHOLION.

1. Ipsa conclusio satis manifesta est. — In arg. 4. ad oppos. hic referuntur quatuor definitiones *naturae*, quas Boethius sumsit ex Aristotele, qui V. Metaph. text. 5. septem habet huiusmodi definitiones, alibi a nostro Doctore tactus. Quod omnes istae quatuor definitiones aliquo modo adaptari possint ad ea quae de natura humana assumsit Christus, confirmat etiam S. Thom. (hic q. 3. a. 1.), qui eodem modo ibi etiam solvit instantiam hanc, quod differentia specifica significet *naturam nudam*. Dicit enim: « Sicut *genus* est quaedam intentio, quam intellectus ponit circa formam intellectam, ita etiam *differentia* et omnia quae significant *secundas intentiones*. Tamen huic intentioni intellectae respondet natura quaedam, quae est in particularibus, quamvis, secundum quod est in particularibus, non habeat rationem *generis*, vel *speciei* » etc. — Locutionem hanc: Deus assumsit humanam *essentiam*, quam Ss. Thom. (loc. cit. ad 3.) et Bonav. (hic ad 4.) admitti posse dicunt, non approbat Alex. Hal. (S. p. III. q. 4. m. 3.), hac ductus ratione: « Quamvis sint idem re *natura* et *essentia*, tamen differunt ratione

[1] Libr. II. Phys. text. 10. seqq. (c. 1.), ubi etiam habetur, quod forma *magis* sit natura quam materia (ideoque secundum analogiam, de quo cfr. I. Phys. text. 69. c. 7.). Cfr. ibid. text. 21. et 81. (c. 2. et 8.); V. Metaph. text. 5. (IV. c. 4.). — Cod. K omittit bis *vera*.

[2] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 4. (c. 1.). — Non pauci codd. *homini* pro *hominis*. Paulo inferius edd. verbo *concedendae* praefigunt *ideo*.

[3] Codd. K Z *in comparatione*, edd. *comparationi*.

[4] Cfr. infra d. 6. a. 1. q. 3. et a. 2. q. 1. seqq. — De differentia, quae est inter *hypostasim* et *naturam* in creaturis, vide schollon ad sequentem quaest.

[5] Edd. habent *enim*, et tum post *acquiritur* tum post *convenit* subdunt *tamen*. Aliquanto superius pro *proprietatem acquirit* codd. L Z aa bb *proprietatem acquirat*.

[6] Edd. *illa*.

[7] Cfr. supra lit. Magistri, d. II. c. 1, et Comment. a. 2. q. 3. — Subinde Vat. omittit *modo*.

[8] Edd. *tamen*.

Natura enim respicit rem *in fieri*, *essentia* vero respicit rem *secundum esse*. Quia ergo non fuit *in esse* res assumta, ideo non debet concedi: assumsit *humanam essentiam*». Concedentes autem istam locutionem dicunt, quod «quamvis secundum grammaticam *essentia* dicatur ab *essendo*, tamen essentia est *causa essendi*, [quatenus «essentia se habet ad *esse* sicut id, per quod est *esse*, S. Thom., loc. cit. ad 3.]; unde *naturaliter* prior est *esse actuali* ipsius personae seu suppositi» (ita Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. ad 5.). — Nota etiam, quod ibi auctor naturae humanae attribuit *esse* distinctum.

II. Plures Scholastici hanc quaestionem tantum tangunt in aliis huius dist. quaestionibus. Praeter laudatos de ea agunt: B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., art. cit. — Ægid. R., hic q. 1. a. 1.

QUAESTIO II.

Utrum Deus assumserit humanam personam.

Secundo quaeritur, utrum Deus assumserit humanam personam. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Boethius[1] definiens personam, dicit, quod est «individua substantia rationalis naturae»; sed Christus assumsit individuam substantiam rationalis naturae — ut dicit Damascenus: «Assumsit enim naturam in atomo» — ergo assumsit personam.

2. Item, ad dignitatem *singularis* spectat, ut illud *singulare* sit persona, persona enim nomen est dignitatis[2]; sed natura assumta in Christo aeque vel magis nobilis est, quam sit in aliquo alio homine: si igitur in aliis non amittit rationem personae, videtur, quod in Christo habeat potissime: ergo etc.

3. Item, anima rationalis unita carni facit personam; sed cum Deus humanam carnem[3] assumsit, animam rationalem carni coniunxit: ergo si assumsit animam carni coniunctam, videtur, quod assumserit personam.

4. Item, persona non gignit nisi personam; sed Dei Filius assumsit quod Virgo genuit: ergo si Virgo persona fuit, videtur, quod Deus ex ea personam assumserit.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Augustinus de Fide ad Petrum[4]: «Deus naturam hominis assumsit, non personam».

2. Item, hoc ipsum ostendit Boethius[5] tali ratione: in Christo non est nisi una persona: ergo si Dei Filius assumsit personam, idem assumsit se ipsum; sed hoc est falsum et non intelligibile: ergo et illud, ex quo sequitur, scilicet quod persona fuerit a Verbo assumta. Probat autem *primam* propositionem sic, scilicet quod Christus sit unus in persona: omne quod est, ideo est, quia unum est: si ergo Christus est, necesse est unum esse; sed non est unum in natura: ergo necesse est esse unum in persona.

3. Item, hoc ipsum ostenditur per *nominis rationem*. Persona enim dicit quid completum et distinctum ultima completione; sed quod assumitur, eo ipso quod assumitur, ad completius ordinatur: ergo videtur, quod in se non habeat rationem personae[6].

4. Item, si assumsit, aut *consumsit*, aut *conservavit*. Constat, quod *non consumsit*, quia divina natura humanae nihil nobilitatis abstulit. Si *conservavit*: ergo cum assumens non sit assumtum, restat, quod in Christo sint duae naturae et duae personae, scilicet humana et divina: ergo nec Deus est homo, nec homo est Deus: igitur non est ibi aliqua unio, ac per hoc nec assumtio. Si igitur est ibi assumtio vera, manifestum est, quod persona non est assumta[7].

CONCLUSIO.

Falsum omnino est, quod persona divina assumserit personam humanam.

Conclusio 1.

Triplex sensus.

Respondeo: Dicendum, quod omni modo falsum est, quod persona personam assumserit. — Hoc enim tripliciter potest intelligi: aut quod ipsum assumtum fuerit persona *ante assumtionem*, aut quod fuerit persona *in assumtione*, aut quod fuerit per-

---

[1] In libro de Una Persona et duabus naturis, c. 3. — Dictum Damasceni habetur III. de Fide orthod. c. 11. Cfr. q. praeced. et supra pag. 15, nota 4. — Pro *sed Christus* cod. K *sed Deus*.

[2] Cfr. I. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. et d. 25. a. 1. q. 2.

[3] Codd. K Z bb *naturam*.

[4] Cap. 17. n. 60. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[5] In libro de Una Persona et duabus naturis, c. 4. — Versus finem arg. post *quia unum* Vat. adiicit *numero*.

[6] Hoc arg. etiam a Boeth. insinuatur loc. cit., ubi de Nestorio animadvertit, ipsum, qui in errorem inciderit, cum «putaverit, in omnibus naturis posse dici personam», vera definitione personae convinci.

[7] Boeth. loc. cit. ait: Iam vero sequitur, ut, personis manentibus, nullo modo a divinitate humanitas credatur assumta; omnino enim disiuncta sunt quae aeque personis naturisque separantur; prorsus, inquam, disiuncta sunt; nec magis inter se homines bovesque disiuncti sunt, quam divinitas in Christo humanitasque discreta est, si mansere personae. Homines quippe ac boves una animalis communitate iunguntur... Deo vero atque homini quid non erit diversa ratione disiunctum, si sub diversitate naturae personarum quoque credatur mansisse discretio? Non est igitur salvatum genus humanum, nulla in nos salus Christi generatione processit etc. — In primo arg. membro verbum *consumere*, ut infra ex corp. quaest. apparet, *proprie* sumitur et significat destructionem eius quod prius erat; quo sensu acceptum supponeret, personam humanam reapse ante unionem exstitisse. Respicitur hic arg., ab aliis Scholasticis (cfr. S. Thom., S. III. q. 4. a. 2. arg. 3.) ex quadam Decretali Innocentii III. sumtum, ubi dicitur, quod persona Dei consumsit personam hominis. Guliel. Antissiodorensis autem Concilio Nicaeno (potius Francofordiensi) attribuit hoc effatum: In incarnatione Filii persona consumsit personam, non natura naturam. Communiter respondent Scholastici, quod ibi *consumere* accipitur *improprie* pro *impedire*, ne humana natura propriam personalitatem habeat.

Conclusio 2. sona *post assumtionem*. Quolibet istorum trium modorum sumta, sententia praedicti sermonis est falsa. — Nam primus repugnat veritati *conceptionis*, secundus veritati *assumtionis*, et tertius *veritati unionis*.

Probatur quoad 3 membra. Primus namque, qui hoc ponit, quod *ante* assumtionem fuerit persona, veritati *conceptionis* repugnat. Si enim *ante* fuit persona, quam esset Deus, Virgo Maria non concepit Deum, sed hominem purum; quod est contra Evangelium et conceptionis articulum [1]. — Secundus vero modus, qui ponit, hominem illum *tempore* assumtionis fuisse personam, veritati *assumtionis* repugnat. Si enim in assumtione fuit persona, et post assumtionem desiit esse persona; potius in ipsa assumtione persona consumebatur quam assumebatur; non igitur fuit illa vera assumtio, sed magis consumtio. — Tertius vero modus intelligendi, quod persona fuerit *post* assumtionem illud quod assumtum est, veritati *unionis* Notandum. repugnat. Si enim assumens differt ab assumto; et illud quod assumtum est, est persona; et qui assumsit similiter est persona: ergo in Christo sunt duae personae; et duae sunt in eodem naturae, hoc constat: ac per hoc nulla est ibi *unio;* ac si hoc, nulla est incarnatio nec humani generis reparatio; quod adeo est absurdum, ut totius fidei christianae perimat fundamentum.

De Nestorio et Eutyche. In hunc autem errorem pessimum decidit Nestorius, ut dicit Boethius [2], pro eo quod nescivit distinguere inter personam et naturam. Pro eo enim, quod vidit, in Christo duplicem esse naturam, intellexit, duplicem esse personam. Eutyches vero ex eadem causa erravit, sed non eodem modo. Quia enim nescivit discernere inter personam et naturam, et vidit, quod in Christo non poterat esse nisi una persona, ex hoc compulsus est ponere, quod in Christo non est [3] nisi una natura. Et ideo sicut duo

De Ario et Sabellio. fuerunt errores in *divinis*, scilicet Arii et Sabellii, pro eo quod nesciverunt distinguere inter *naturam* et *personam;* sic duo fuerunt errores *circa incarnationem* Christi, videlicet Eutychis et Nestorii. —

Media via Ecclesiae. Catholica vero Ecclesia per medium istorum errorum pertransiit dicens, in deitate plures esse personas et unam naturam, et in Christo plures naturas et unam personam. Et ideo simpliciter concedit, personam assumsisse naturam, et negat, personam assumsisse personam, sicut Magister dicit in littera [4]. — Unde rationes sunt concedendae inductae pro ista parte.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod persona est rationalis naturae individua substantia; dicendum, quod *individuum* in notificatione personae triplicem importat distinctionem, videlicet *sin-* Notandum. *gularitatis, incommunicabilitatis* et *supereminentis dignitatis. Individuum* enim dicitur quod est in se indivisum et ab aliis distinctum. Distinctionem *singularitatis* voco, quod aliquid non sit commune ad plura, sed dicatur de uno solo; propter quod *Socrates* dicit individuum, *homo* vero non dicit individuum [5]. — Distinctionem *incommunicabilitatis* dico, quod aliquid non sit alicuius *pars* sive veniens in compositionem tertii; unde pes vel manus hominis, proprie loquendo, non dicitur *individuum*. — Distinctionem *supereminentis dignitatis* intelligo illam, quae accipitur a proprietate digniori. Hoc enim nomen *persona* sumtum est a dignioribus; unde non reperitur nisi in individuo nobilissimae creaturae, utpote rationalis, et ratione suae nobilissimae proprietatis [6]. Quoniam igitur natura humana, assumta a Christo, ordinata est ad nobiliorem proprietatem eiusdem personae secundum alteram naturam; hinc est, quod non tenet ibi proprietatem *personalitatis*. Cadit enim ab una proprietate, quae quidem est supereminentis dignitatis, a qua quidem non cadit persona Verbi secundum divinam naturam. Et sic patet, quod distinctio [7] personae et ratio illa non valet, quia notificatio personae, recte intellecta, non convenit humanitati assumtae.

2. Ad illud quod secundo obiicitur, iam patet responsio ex hoc quod iam dictum est, quia natura assumta in Christo eo ipso est nobilior, quod in nobiliori persona stabilitur, quia non in persona creata, sed in persona increata. Unde *ordinatio ad* Notandum. *dignius*, quamvis auferat rationem *superpositionis* [8], non aufert *dignitatis proprietatem*. Melius enim est *subesse* superiori, quam *superesse* alicui inferiori. Sicut perfectior est anima, cum *possidetur* a Deo, quam cum *possidet* res creatas; et melius nubit Exemplum. virgo nobilis, cum contrahit matrimonium cum rege, cui *subsit*, quam cum contrahit cum rustico, cui *praesit*. Unde esto, quod Deus aliquem assumeret, qui iam est persona, vel ens actu; ille, cum desineret esse persona, nihil tamen dignitatis amitteret; esset enim persona [9] secundum naturam *assumentem*, quamvis non secundum naturam *assumtam*.

3. Ad illud quod obiicitur, quod anima rationalis unita carni facit personam; dicendum, quod

---

[1] Vide supra d. 4. a. 3. q. 3.

[2] Loc. paulo superius cit. c. 4. 5. et 7, ubi, errore Nestorii comparato cum errore Eutychetis, catholicam doctrinam inter duos istos errores media via incedere praedicat. — Pro *Nestorius* codd. et edd. 1, 2 perperam exhibent *Eutyches*, et dein pro *Eutyches* pariter erronee *Nestorius*.

[3] Cod. bb *esset*. Superius cod. A *distinguere* pro *discernere*.

[4] Hic c. 1. et 3.

[5] Aristot., I. Periherm. c. 5. (c. 7.): Dico autem universale quod de pluribus praedicari natum est; singulare vero quod non etc.

[6] Codd. K aa bb addunt *sortitur aliquis nomen personae*. Paulo superius pro *a dignioribus* codd. H K Z bb *a dignitatibus*.

[7] Vat. *definitio*. Cfr. quaest. seq. arg. 2. ad oppos.

[8] Vat. et ed. 1 *suppositionis*, et dein *tamen non* etc. Mox pro *superesse*, quae lectio habetur etiam in codd. A K U Z bb, alii codd. et edd. 1, 2 falso *subesse*, Vat. *praeesse*.

[9] Multi codd. hic subiiciunt *vel*. Paulo superius pro *qui iam est* Vat. *qui iam esset*, et deinde pro *ens actu* codd. H K Z bb *ens in actu*. Proxime post pro *ille, cum* non pauci codd. *ille tamen*.

verum est, quando anima et caro non coniungitur dignori; tunc enim non solum ex anima et carne Notandum constituitur ipsa *natura*, sed ex ipsa natura *hypostasis et persona*. Non sic autem est in proposito; quia anima et caro fuerunt sibi invicem unita ipsi Verbo, nec in aliquo instanti fuit anima illa, quin esset unita Verbo; et ipsa hypostasis aeterna erat, in qua coniebantur corpus et anima: et ideo non constituebant personam, sed solum naturam. Et ideo non sequitur, quodsi Dei Filius assumsit animam carni unitam, quod assumserit personam; quia non prius [1] fuit ipsi carni unita, quam esset assumta, quidquid sit de ordine secundum naturam.

4. Ad illud quod obiicitur, quod beata Virgo genuit personam; dicendum, quod verum est, quia genuit Filium Dei; sed quoniam persona generatur ratione naturae, et duplex est natura in illa persona, scilicet creata et increata; ideo ratione duplicis naturae duplex convenit ei generatio, scilicet *temporalis* et *aeterna: temporalis*, in qua assimilatur Matri; *aeterna* secundum naturam, in qua assimilatur Patri [2]. Ideo non cogit ratio illa. Quamvis Notandum. enim generatio conveniat *personae*, convenit tamen ei *ratione naturae;* hoc maxime verum est in generatione creata, in qua est non tantum personalis distinctio, sed naturalis multiplicatio [3].

SCHOLION.

I. Recte dicitur a S. Bonav., quod Nestorius iuxta hic relatum tertium intelligendi modum haeresim suam docuerit. Nam quidquid non pauci in contrarium dixerint, constat ex ipsius Nestorii verbis (*in suo 9. anathematismo*), cum disertis verbis condemnasse errorem, qui a nostro auctore primo loco recensetur. — Multis decretis ecclesiasticis error Nestorii damnatus est, quorum unum transcribere libet, scilicet 2. anathematismum S. Cyrilli Alex., a Concilio Ephesino (an. 431) cum aliis anathematismis approbatum: «Si quis non confitetur, carni *secundum substantiam* [ita antiqua versio Latina reddit Graeca verba κατ' ὑπόστασιν] unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum et hominem, a. s.».

II. Constat igitur fide, distinctionem inter *personam* et *naturam* tum quoad divina tum quoad hominem omnino admittendam esse, ut salventur dogmata Trinitatis et incarnationis, quia, ut bene observatur hic in corp. quaestionis, eadem neglecta, pullulaverunt tot haereses, inter se oppositae, quae Ecclesiam per priora saecula perturbabant. Rationem autem *personae*, licet secundum analogiam de divina persona et humana dicatur (cfr. I. Sent. d. 25. a. 2. q. 2.), tamen multipliciter in utroque casu differre, exploratum est. Quid persona sit in *divinis*, diffuse tractatum est I. Sent. d. 23. a. 1, d. 25. per totam et d. 34. q. 1. 2. Quaestio autem, quid sit *persona* vel *suppositum*, *personalitas* et *subsistentia* in *creaturis*, et in primis, quid ratio *suppositi* sive *personae* superaddat naturae *singulari*, occasionem dedit, ut scholae catholicae post Ss. Thomam et Bonaventuram diversas opiniones docuerint et quasi infinitis et subtilibus disputationibus defenderint. Ea quae de his controversiis in I. tomo d. 25. a. 1. q. 1. in scholio breviter notavimus, hic paulo distinctius explicare iuvat.

1. *Conveniunt* auctores catholici, praeterquam quod vulgares definitiones Boethii et Richardi a S. Vict. admittunt, praecipue in tribus: a) Ratio personae, dignitatem quandam prae se ferens, non convenit nisi naturis *intellectualibus; suppositum* autem de quacumque substantia subsistente dicitur, unde ad *personam* se habet ut conceptus superior ad inferiorem. b) *Persona* ita distinguitur a *natura singulari*, ut haec assumi possit, quin assumatur illa. Hinc communissime docetur, *personalitatem* sive subsistentiam dicere aliquid *realiter distinctum et separabile* a natura singulari, simulque improbatur opinio paucorum, scilicet Durandi et Nominalium, qui distinctionem illam ad diversum *modum concipiendi* reducunt. De hac distinctione aliisque cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 2, et II. Sent. d. 3. p. I. a. 1. q. 1, ubi S. Bonav. etiam quoad *esse actuale* realem distinctionem *entis* et *esse* insinuat. c) Ratio *personae* vel *supposili* importat omnino *negationem communicabilitatis* (vel dependentiae) respectu alterius substantiae, ita ut in illa terminationem vel completionem habeat. Hinc eadem *positive* dicit quandam completionem et terminum in genere substantiae.

2. *Differunt* autem opiniones in solutione quaestionum, quid *proprie* sit illud quo distinguuntur *natura singularis* et *persona; quid* haec superaddat illi; et praesertim, utrum addat *aliquid positivum*, et *quale*, an potius aliquid *negativum*. Praescindendo a nonnullis obsoletis opinionibus, quatuor celebres sententiae circumferuntur, quarum duae primae conveniunt in hoc, quod illud superadditum revera sit aliquid *positivum*.

Prima sententia cum Caietano et Philippo a S. Trinitate aliisque ex schola S. Thomae affirmat, quod dictum superadditum sit aliquid *positivum* et ultimum *complementum substantiae*, distinctum a natura non solum tanquam *modus a re modificata*, sed tanquam *res a re*. Alii tamen eiusdem scholae volunt, distinctionem esse quidem realem, sed *modalem* tantum.

Secunda sententia cum Suarez, Lugo aliisque plurimis tenet, illud complementum esse aliquid positivum, ast tantum *modum substantialem* per se existendi, a re modificata *virtualiter* distinctum et naturaliter ex substantia individua resultantem, qui reddit ipsam substantiam incommunicabilem et independentem. Dicitur autem modus *substantialis*, ut distinguatur a modo *accidentali* existendi in subiecto, et *partiali* existendi in toto.

Tertia sententia cum Scoto eiusque schola docet, subsistentiam vel personalitatem esse quidem ultimam actualitatem, constituentem substantiam in *esse* omnino incommunicabile et non ordinabile ad ulteriorem actum, sed non addere naturae singulari nisi duplicem negationem communicationis *ut quo*, tum actualis, tum aptitudinalis; (cfr. Scotus, III. Sent. d. 1. q. 1. n. 5. seqq., d. 5. q. 2. n. 4. 5. (cum diffuso commentario Pontii); Quodl. 19; I. Sent. d. 13. q. unica n. 9. 10, d. 23. q. unica n. 7, ubi asserit, quod persona non aliquam dignitatem ex *formali significato*, sed ex natura *intellectuali* connotata importet. Huic sententiae favent etiam Henr. Gand. (Quodl. 5. q. 8.) aliique.

Quarta vero sententia reapse a sententia Scoti vix nisi in modo explicandi et probandi discedit, cum doceat, quamli-

[1] Supple cum codd. K bb et Vat. *tempore*. Cfr. supra d. 3. p. II. a. 3. q. 2. — Aliquanto superius pro *in qua* fere omnes codd. et edd. 1, 2 *in quo*, et subinde pro *coniebantur* Vat. *coaequabantur*, edd. 1, 2 *uniebatur*, codd. P Q *coniungebatur*, codd. H U *continebatur*.

[2] De duplici generatione videsis infra tit. Magistri, d. VIII. c. 2, et Comment. a. 2. q. 1.

[3] Cfr. I. Sent. d. 9. q. 1. — Paulo superius post *Quamvis* permulti codd. et edd. 1, 2 omittunt *enim*.

bet creatam substantiam singularem per propriam essentiam habere *potentiam* per se et in se subsistendi, quin aliqua additione ad hoc *indigeat*, ast etiam quin *excludatur possibilitas*, quod a Deo ita unitur alii substantiae, ut non subsistat nisi dependenter ab illa, cui communicatur. Hinc quaelibet substantia subsistentiam etiam *actualem* in se habet eo ipso, quod non uniatur alii substantiae subsistenti. Quodsi S. Thom. aliique antiqui dicunt, quod *suppositum* addat aliquid *naturae*, tunc hoc intelligendum esse volunt de natura, quatenus significat *essentiam speciei*. Ita non pauci nec spernendi recentiores, duce Claudio Tiphano S. I. (Declaratio ac defensio scholastica doctrinae Ss. Patrum Doctorisque angelici de hypostasi ac persona, Mussiponti 1634); qui etiam Ss. Thomam et Bonaventuram sibi suffragari volunt.

III. S. Bonav. hic et alibi de ratione unionis hypostaticae nihil dicit, quod non optime conveniat cum doctrina S. Thomae. Praedicta autem quaestio *philosophica*, quid *persona* addat supra naturam singularem humanam (quae sane connectitur cum profundissimis problematibus metaphysicis), a nostro Doctore explicite non tractatur. Hinc et a diversis auctoribus diversae sententiae de hac re attribuuntur. P. Barthol. a Barberiis (Curs. theologic. t. II. disp. 2. q. 1.) cum aliis eum exponit iuxta *secundam* opinionem, afferendo illos locos, qui aliquod positivum rationi personae attribuunt. P. Matthias Hauzeur (Collatio totius theol. t. II. col. 267 seqq.) non sine acumine Bonaventuram et Scotum sic exponit, ut non sibi contradicant, sed potius invicem suppleant. Similiter defensores *quartae* sententiae asserunt, ea quae in hac quaest. et alibi in hoc libro III. Sent. occurrunt, suam causam aperte sustinere. — Iudicium de his sapienti lectori remittentes, notamus tantum praecipuos locos et modos loquendi ad hanc rem spectantes, qui etiam in aliis huius libri quaestionibus inveniuntur. Hic in solut. ad 1. 2. 3. tria ad rationem personae requiruntur, scilicet *singularitas*, *incommunicabilitas*, *dignitas* (cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 4. m. 6, ubi eadem pronuntur), quin tamen *ratio formalis* personae indicetur, sicut nec infra d. 10. a. 1. q. 3, praesertim in fine, ubi de *individuo* et *supposito* agitur. Ibid. q. 2. ad 2. docetur, quod Christus ut homo est *res completa omni completione absoluta*, non autem *respectiva*, quae est dignitas superexcellentiae. Ibid. ad 3. dicitur, quod natura hypostatice unita digniori non potest habere suam propriam personalitatem, sed bene natura dignior unita minus dignae. Item ad 4. legitur, quod *persona* duo dicit, scilicet hypostasim, *in qua est subsistentia totius esse rei*, et proprietatem *supereminentis dignitatis*; insuper quod in hypostasi divina *substantificatur totum esse Christi*. Deinde ad 5. docetur, quod natura humana Christi, si separaretur, eo ipso alium *modum existendi* [scilicet substantialem] haberet et fieret persona. Ibid. q. 3. suppositum nominatur *fundamentum totius existentiae naturalis*, « in quo *totum esse rei stabilitur et fundatur*. Insuper cfr. ibi seqq. qq., et d. 6. a. 1. q. 1. praesertim ad 6. et q. 3, a. 2. q. 1. 2, d. 1. a. 1. q. 2, d. 2. a. 3. q. 4. in fine (de gratia unionis) et hic q. praeced. ad 2. 3. 4.

In his aliisque locis passim occurrit phrasis, quod in hypostasi sive in supposito sive in persona *totum esse rei substantificatur*. Verbum *substantificari* sumtum est ex Latina versione Dionysii de Div. Nom. (c. 4. § 20.) ac Epist. 4. ad Caium, et exprimit Graecum verbum οὐσιοῦσθαι, ut iam notavimus tom. II. pag. 812, nota 6, et supra pag. 10, nota 4. S. Bonav. verbum *substantificare* intelligit de eo fundamento, quod *hypostasis* dat *naturae*. Eodem verbo utitur etiam S. Thom. (Quaest. disput. de Unione Verbi incarn. a. 4.), sed non in eodem sensu, cum dicat de *persona* Filii, quod « simpliciter substantificatur per naturam divinam ». — Alii loci S. Bonav. ad hanc quaestionem spectantes videri possunt in citato schollo, I. Sent. d. 25. a. 1. q. 1, ubi etiam expressa auctoris verba afferuntur, quod privatio communitatis in persona magis sit *positio* quam privatio. Cfr. etiam II. Sent. d. 3. p. I. a. 1. q. 2. in corp., ubi auctor diversos *gradus* subsistentiae distinguit atque substantiis spiritualibus, ut formis subsistentibus, altiorem gradum in genere substantiae et subsistentiae vindicat. De personali discretione in Angelis agitur ibid. a. 2. q. 2.

Quidquid autem sit de hac quaestione philosophica, quid ratio *personae humanae* addat humanae naturae; extra controversiam est, quod unio hypostatica in Christo fit per « *additionem* alicuius, quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam personam » (S. Thom., S. III. q. 4. a. 2. ad 2.), quo humanae in Christo naturae confertur *modus existendi et subsistendi* prorsus unicus et dignitas infinita.

IV. De ipsa quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 4. m. 6. — Scot., in utroque Scripto hic q. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 3, q. 3. a. 3, S. III. q. 2. a. 2. q. 4. a. 2; S. c. Gent. IV. c. 34. 38; Quaest. disp. de Unione Verbi etc. a. 2. — B. Albert., hic a. 14. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2, a. 4. q. 2. — Aegid. R., hic q. 2. a. 3, q. 3. a. 2. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 2. — Biel, hic q. unica.

QUAESTIO III.

Utrum ponenda sit intentio personalitatis in anima separata, omni unione circumscripta.

Tertio quaeritur utrum sit ponere intentionem personalitatis in anima separata, omni unione circumscripta. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum. 1. Primo patet per Magistrum in littera[1]: « Anima absoluta a corpore persona est, sicut Angelus »; sed Angelus vere et proprie persona est: ergo et anima separata.

2. Item, sicut consuevit communiter distingui: persona est res distincta proprietate ad dignitatem pertinente[2]; sed anima separata est distincta res, quod patet: ergo est persona.

3. Item, ratio, quare humana natura in Christo non est persona, est propter unionem ad dignius; sed cum anima unitur corpori, non unitur digniori rei, et anima, circumscripta assumtione et unione, complete habet illam rationem in se, quam ponit Boethius[3]: « Persona est individua substantia rationalis naturae »: ergo videtur, quod ratio perso-

[1] Hic c. 3. — De *minori* vide II. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 1. seqq. — Paulo ante edd. omittunt *patet*.

[2] De hac definitione vide I. Sent. d. 25. a. 1. q. 2. in fine. — Mox post *quod patet* Vat. solu ex seq. arg. apponit verba: *anima etiam circumscripta assumtione... et proprie et vere*, quibus verbis adiungit conclusionem *ergo est persona*. Pro *distingui* cod. K *dici*.

[3] Libr. de Una Persona et duabus naturis, c. 3. — In hoc tertio arg. codd. et edd. 1, 2 omittunt verba *cum anima unitur corpori, non unitur digniori rei*, quam omissionem non nisi incuriae librariorum tribuimus, qui, cum immediate post iterum verbum *anima* occurrat, verba praecedentia et a nobis e solutione huius obiect. restituta non animadvertisse videntur. Quod necesse fuerit ea restituere, ex ipsa solut. elucescit. Vat., quae, ut iam notavimus, verba subinde seqq. *anima* [etiam] *circumscripta assumtione... et proprie et vere* cum praeced. arg. connexuit, hic post *digniori rei* e solutione infra habita suo marte addit *ergo unibilitas vel unio ad corpus non aufert ipsi animae proprietatem personae*. Sed tota hac mutatione argumenti vis debilitatur.

nalitatis conveniat animae separatae et proprie et vere.

4. Item, contingit, animam separatam comparari ad Angelum, et contingit, comparari ad alteram animam, et quae est comparatio unius Angeli ad alterum, eadem est comparatio unius animae ad alteram; sed anima separata differt secundum speciem ab Angelo, sicut et Angelus ab anima[1]: ergo *a simili*, sicut inter unum Angelum et alterum est discretio personalis, sic inter unam animam et alteram. Sed quae habent discretionem personalem habent intentionem personalitatis: ergo plenam rationem personalitatis contingit reperiri in anima separata.

5. Item, cuicumque convenit loqui de se ut de se, est persona; sed animae separatae convenit loqui de se ut de se — contingit enim ad ipsam dirigere sermonem, sicut ad animam Petri et Pauli dirigimus; et constat[2], quod versa vice possunt nobis voluntatem suam exprimere, sicut aliquibus expresserunt — ergo videtur, quod anima separata vere et proprie sit persona.

6. Item, anima[3] per separationem sui a corpore non habet conditionem deteriorem, sed statum digniorem; sed quamdiu spiritus rationalis erat in corpore et corpori unitus, non carebat ratione personali: ergo nec quando est a corpore separatus.

Sed contra: 1. Persona est per se una[4]; sed Fundamenta. quod venit aliquando ad constitutionem tertii non est per se unum et distinctum: ergo quod est natum uniri ad constitutionem tertii non est persona. Sed anima rationalis est huiusmodi: ergo etc.

2. Item, persona dicit quid completissimum in genere substantiae, ita quod non est ordinatum[5] ad ulteriorem perfectionem in eodem genere; sed anima rationalis est ordinata ad constituendum hominem: ergo non habet intentionem personae.

3. Item, anima rationalis, cum est unita carni, ut dicit Magister[6], non est persona: ergo si, quando est separata, habet rationem personae; igitur digniorem modum habet existendi extra corpus. Si ergo «natura semper desiderat quod melius est», videtur, quod anima nunquam desideret uniri corpori; videtur etiam ex hoc, quod cum anima unitur corpori, sit ei praeiudicium, et cum separatur, quod non sit ei poena, sed praemium; quae omnia falsa sunt et absurda: ergo et illud, ex quo sequitur, videlicet quod anima separata etc.

4. Item, si anima separata est persona; cum *assumere* sit actus personae conveniens[7], sicut divina persona dicitur corpus assumere, cum corpus ei unitur, et similiter Angelus, per consimilem modum anima diceretur assumere corpus proprium, cum eidem rursus coniungitur; quodsi hoc non recipitur, videtur, quod nec praemissum esset concedendum, scilicet quod anima separata sit persona, sicut Angelus.

CONCLUSIO.

Anima separata a corpore non habet plene rationem personalitatis.

Respondeo: Dicendum, quod sicut apparet ex textu[8], opinio Magistri fuit, quod anima separata sit persona; et haec opinio fuit magistri Hugonis de sancto Victore. Ratio autem, quae movit eos ad hoc ponendum, fuit actualis distinctio et completio reperta in anima separata, quoniam actus nobiles liberius exercet et perfectius, quam exerceat in corpore. Opinio Magistri et Hugonis.

Haec tamen opinio non sustinetur communiter a doctoribus. Ratio huius est, quoniam ad completam rationem personae requiritur, ut dictum fuit supra[9], distinctio *singularitatis* et *incommunicabilitatis* et *supereminentis dignitatis*. Quamvis autem in anima separata sit reperire *singularitatem* et *dignitatem*, non est tamen reperire *incommunicabilitatem*, quia appetitum et aptitudinem habet, ut uniatur corpori ad constitutionem tertii. Et ideo necesse est, ipsam carere distinctione personalitatis; quoniam, si completior est anima, dum appetitus eius terminatur, quem habet respectu corporis resumendi, sicut vult Augustinus duodecimo super Genesim ad litteram[10], et tunc non habet in se intentionem personae; necessario sequitur, quod personalitate careat, cum est separata a corpore. Alioquin sequerentur praedicta inconvenientia, videlicet quod *unio* esset praeternaturalis, et *separatio* non esset poenalis; *iterum*, quod unio esset in animae praeiudicium, et separatio in praemium; quorum quodlibet falsum est. Non probatur. Tria in persona. Conclusio.

Et ideo non immerito in hac opinione communiter non sustinent[11] Magistrum, quamvis aliqui ve- Aliqui excusant inepte.

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 1. p. II. a. 3. q. 1. — Cod. Z *ab Angelo*.

[2] Codd. H K Z bb *constans est*.

[3] Vat. addit *gloriosa*, quod etiam infra in solut. habetur. Subinde pro *per* codd. M O *post*.

[4] Alanus ab Insul., Theolog. Regul., regul. 102: Persona, id est res per se una. Cfr. tom. I. pag. 405, nota 9.

[5] Codd. T U *ordinata*.

[6] Hic c. 3. — Seq. testimonium est Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 59. (c. 10.). — Paulo inferius pro *sit ei praeiudicium* edd. *fit ei praeiudicium*.

[7] Cfr. supra a. 1. q. 1. seqq. — Circa finem arg. pro *praemissum esset concedendum* edd. *praemissa esset concedenda*.

[8] Hic c. 3. — Hug. de S. Vict., II. de Sacram. p. I. c. 11. — Ante *magistri Hugonis* cod. K interiicit *etiam*.

[9] Quaest. praeced. ad 1.

[10] Cap. 35. n. 68: Inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi. Cfr. VII. c. 27. n. 38.

[11] Codd. K Z bb supplent *doctores*. — B. Albertus quoque, hic a. 15, ait: Si autem volumus sustinere Magistrum, tunc dicendum est, quod *absoluta a corpore* dicitur duobus modis, scil. absoluta i. e. divisa a corpore, et sic non est verum; vel absoluta a corpore i. e. ab ordine ad corpus, et tunc loquitur Magister per hypothesim, scil. si ponatur absolvi a dependentia, quam habet ad corpus; quia tunc erit Intelligentia quaedam de natura simili Angelorum.

lint dicere, quod Magister intellexerit de anima separata, circumscripta unibilitate ad corpus; et hoc est potius verbi palliatio quam expositio, sicut patet aspiciendo ad verba ipsius. *Praeterea*, unibilitas sive aptitudo uniendi cum corpore non est animae *accidentalis*, sed est ipsi animae *essentialis*, et ita non potest ab ea separari vel circumscribi, salva ipsius natura, sicut superius in secundo libro [1] ostensum fuit. — Posset tamen dici ob reverentiam ipsius, quod non voluit dicere, quod *tota ratio* personalitatis competeret animae separatae, sed quod, hoc supposito, quod anima separata esset persona, adhuc non esset persona in Christo, quia esset coniuncta cum divina persona. Quidquid autem sit de intentione Magistri, hoc concedendum est, quod ratio personalitatis non est plene circa animam separatam. — Unde concedendae sunt rationes ad hoc inductae.

Excusat auctor.

1. Ad illud vero quod obiicitur de auctoritate Magistri, iam patet responsio per iam dicta.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud vero quod obiicitur, quod anima separata est res distincta proprietate ad dignitatem pertinente; dicendum, quod non est ibi ratio distinctionis, secundum quod convenit personae intentioni secundum illam triplicem conditionem, quae superius [2] assignata est.

3. Ad illud quod obiicitur, quod cum anima unitur corpori, non unitur digniori rei, et ita unibilitas ad corpus non aufert animae personae [3] proprietatem; dicendum, quod hoc verum esset, si anima esset persona *per se*; tunc enim ratione personae non privaretur ex hoc, quod corpori coniungeretur. Si ergo ratione personae caret, cum corpori coniungitur, patet, quod non est persona, cum est a corpore separata. Hoc autem non est propter defectum *dignitatis*, sed propter defectum *incommunicabilitatis*; quamvis non incongrue posset dici, quod ad ipsam unibilitatem per modum compositionis sequitur quaedam indigentia et defectus a completione dignissima.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod anima differt specie ab Angelo, secundum quod ei comparatur; dicendum, quod *ratio personalitatis* plus dicit *completionem* quam *intentio speciei*. Nam Christus secundum humanam naturam continetur sub *specie* hominis [4], quamvis secundum illam naturam non habeat intentionem *personalitatis*. Et ideo non sequitur, quodsi animae separatae conveniat specifica differentia respectu Angeli, quod propter hoc conveniat et discretio personalis respectu alterius animae. Nec sequitur: differt *numero* ab alia anima, ergo differt *personaliter*; quia distinctio *secundum numerum* in plus est quam distinctio [5] *personalis*.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod cui competit loqui de se ut de se etc.; dicendum, quod verum est, accipiendo *large* personam, secundum quod persona dicitur esse in nomine vel pronomine, secundum quod reddit suppositum verbo; hoc autem modo non loquimur hic de persona, quia haec est consideratio grammatici, non theologi; sic enim magis respicit modum significandi quam proprietatem rei [6].

Dupliciter ratio deficit.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod anima gloriosa propter separationem a corpore non habet conditionem deteriorem; dicendum, quod illa ratio deficit dupliciter: primo quidem, quia, quamvis non habeat conditionem deteriorem quantum ad *bene esse*, utpote quantum ad Dei fruitionem [7], minus tamen bonam habet conditionem quantum ad *esse naturae*. Personalitas tamen non attenditur quantum ad *bene esse* vel *esse gratiae*, sed quantum ad *esse naturae* sive ad *esse primum*. — Alius etiam defectus est, quoniam intentio personalitatis consequitur animam unitam corpori, ita tamen, quod nec anima nec corpus est persona, sed totum coniunctum. Et ideo non sequitur, quod talis dignitas remaneat in anima separata vel proprietas; sicut nec risibilitas, quae est proprietas respectu coniuncti [8], post separationem nec remanet in anima nec circa corpus.

SCHOLION.

I. In solutione huius quaestionis posteriores Scholastici conveniunt, reprobantes tum opinionem Magistri et Hugonis a S. Victore, quod anima *separata*, proprie loquendo, sit persona, tum alteram, ex falsa sententia Platonis de unione animae corporisque ortam, quae tenet, quod anima *coniuncta in se sola* sit persona, quasi *pars* personae iam sit persona (cfr. hic solut. ad 6.). Communis autem scholae sententia est, quod ubi ipsa *natura* non est completa, nec ratio personalitatis est perfecta.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 4. m. 6. in fine. — Scot., Quodl. 9. n. 4. — S. Thom., hic q. 3. a. 2; S. I. q. 29. a. 4. ad 5, q. 74. a. 4. ad 2. — B. Albert., hic a. 15. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3. — Richard. a Med., a. 2. q. 1.

[1] Dist. 4. p. II. a. 3. q. 2. Cfr. ibid. d. 17. a. 1. q. 3.

[2] Quaest. praeced. ad 4. — Paulo superius post *ad dignitatem pertinente* Vat. propter immutationem ab ea in ipsa obiect. factam addit *et quod, circumscripta assumptione et unione, complete habet rationem personae, quam ponit Boethius.*

[3] Multi codd. perperam omittunt *personae*.

[4] Cfr. d. 2. a. 2. q. 3. — Paulo superius pro *quam intentio speciei* edd. cum paucis codd. *quam intentionem* [cod. K sublicit *in modo*] *speciei*.

[5] Codd. K P Q Z bb *discretio*.

[6] Priscian., VIII. Grammat. c. 18: In verbo vero et nomine et pronomine et participio omnes voces vel singulares habent numeros, vel plurales, et personas simul cum numero vel finitas vel infinitas... Sunt igitur personae verborum tres. Prima est, quae de se loquitur vel sola vel cum aliis, ut *dico*, *dicimus*... Et prima quidem et secunda verborum persona finitae sunt; praesentes enim demonstrantur; tertia vero infinita est; itaque eget plerumque pronomine, ut definiatur etc. — Paulo superius pro *theologi* non pauci codd. *theologici*.

[7] Cod. Z et edd. 1, 2 *similitudinem*. Paulo inferius pro *Personalitas tamen* [scil. autem] edd. *Personalitas enim*.

[8] Cfr. Aristot., III. de Part. animal. c. 10. et Porphyr., de Praedicab. c. *de Proprio*. — Pro *risibilitas* Vat. *visibilitas*.

QUAESTIO IV.

Utrum concedendum sit, quod Deus assumserit hominem.

Quarto quaeritur, utrum concedendum sit, quod Deus assumserit hominem. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Per illud quod dicitur in Psalmo[1]: *Beatus quem eligisti et assumsisti;* sed *beatus* stat ibi pro aliquo; non est autem dare aliquem nisi hominem: ergo etc.

2. Item, Augustinus in Expositione Symboli[2]: « Si quis dixerit, hominem a Christo assumtum depositum esse, anathema sit ».

3. Item, Anselmus dicit in libro de Incarnatione[3], quod « non assumsit *hominem in communi*, sed *hunc hominem* »; sed ad *hunc hominem* sequitur *homo:* ergo si *hunc hominem* assumsit, bene sequitur, quod assumserit *hominem.*

4. Item, proprietas unius partis denominat totum — unde Petrus dicitur albus, si solum corpus sit album[4] — ergo multo fortius proprietas utriusque; sed verum est dicere, Christum assumsisse carnem et animam: ergo verum est dicere, quod assumserit hominem.

5. Item, Filius Dei assumsit animam et corpus et haec assumsit unita: ergo si corpus et anima unita faciunt hominem, ergo videtur, quod assumserit hominem. *Si tu dicas,* quod non fuerunt *prius* unita quam assumta[5]; per hoc non dissolvitur et effugitur ratio, quia, si anima et corpus non fuerunt *ante* unita quam assumta prioritate temporis, saltem *simul* fuerunt invicem tempore unita et assumta: ergo videtur, quod in sua assumtione hominem faciebant; et si hoc verum est, ergo etc.

6. Item, Filius Dei[6] est homo, aut homo, quem *assumsit,* aut homo, quem *non assumsit.* Si homo, quem *assumsit,* ergo assumsit hominem; si est homo, quem *non assumsit,* ergo aut Petrus, vel Paulus, vel de ceteris. Si ergo nullum talium est dare, videtur ergo simpliciter esse verum, quod assumserit hominem.

Fundamenta.

Sed contra: 1. In libro de Regulis fidei[7] dicitur, quod « assumens non est assumtum »: ergo si Filius Dei *est* homo, falsum est, Filium Dei *assumsisse* hominem.

2. Item, si assumsit hominem et nunquam deponit quem assumsit, ergo semper fuit homo: ergo quando erat mortuus, erat homo; quod non videtur verum, cum sit « oppositio in adiecto »[8].

3. Item, si assumsit hominem, aut *hominem in communi,* aut *hunc hominem.* Non *hominem in communi,* assumsit igitur hunc hominem[9]; sed *hic homo* nominat personam vel saltem hypostasim: ergo in Christo sunt duae personae vel duae hypostases. Sed hoc est falsum et fidei contrarium: ergo etc.

4. Item, assumtio dicit usum aliquem rei assumtae; sed usus rei tempore, vel natura consequitur ipsam rem: ergo prius est assumtum naturaliter, quam sit ipsum assumi. Si ergo *homo* dicit humanam naturam in comparatione ad hypostasim sive personam; necesse est, quod in Christo sit alia persona quam persona assumens, ad quam comparetur humanitas ante assumtionem. Quodsi hoc simpliciter est falsum, restat, quod et illud est falsum: Filius Dei assumsit hominem.

CONCLUSIO.

Impropria est locutio: Filius Dei assumsit hominem.

Respondeo: Dicendum, quod aliqui voluerunt sustinere locutionem istam, sicut illi qui fuerunt de prima opinione[10], dicentes, quod Christus est duo, scilicet duae *res naturae,* homo videlicet et Deus.

Opinio 1.

---

[1] Psalm. 64, 5. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

[2] Vide hic lit. Magistri, c. 3.

[3] Sive de Fide Trinitatis, c. 6. — In *minori* codd. A G (T a prima manu) U V omittunt *ad.*

[4] Aristot., IV. Phys. text. 24. (c. 3.) ait: Cum enim sint partes totius, et id in quo, et id quod in hoc, dicetur totum in se ipso [esse]; dicitur enim et secundum partes, ut albus, quia superficies alba sit; et sciens, quia ratiocinativum.

[5] De quo vide hic lit. Magistri, c. 3. et supra d. II. c. 3, et Comment. d. 3. p. II. a. 3. q. 2. — Mox pro *et effugitur* codd. F U *nec effugitur*, cod. Y *vel effugitur.*

[6] Vocem *Dei,* quae a Vat. abest, adiecimus fide codd. K P S (U a prima manu) Z bb.

[7] Alani ab Insul., regula 101: « Sicut pars non potest esse totum, vel constituens constitutum, ita assumens non potest esse assumtum ». Quam regulam Alanus sic probat: Omnis clamat philosophia, quod nihil potest esse de se ipso, nihil apud se; pars ergo totum esse non potest, quia de toto est; similiter componens compositum. A simili, cum assumtum de assumenti sit, ipsum assumens esse non potest. — Ambros., de Incarn. domin. sacram. c. 6. n. 61. ait: Aliud est enim quod assumsit, et aliud quod assumtum est.

[8] Aristot. II. Periherm. c. 2. (c. 11.). — Cfr. infra d. 22. q. 1. — In *maiori* Vat. cum nonnullis codd. pro *deponit* exhibet *deposuit;* et quod ibi profertur noto illo nititur axiomate theologico: « Quod Verbum semel assumsit nunquam dimisit »; quod axioma ab aliis Gregorio Nysseno, ab aliis Damasceno tribuitur. Ille dicit II. contra Eunomium (ed. Migne, col. 548): « Χωρισθεῖσα δὲ οὐδετέρου ὡς ἅπαξ συνανεκράθη i. e. a neutro [corpore scil. et anima] separata est [scil. divinitas], cui semel contemperata est ». Simili modo eloquitur Damasc., III. de Fide orthod. c. 27, ibid. IV. c. 4, et Homil. in Sabbat. sanct. n. 29.

[9] Vide verba Damasc. supra q. 1. in fine argg. allata. Inferius sumitur *hypostasis* pro *supposito.*

[10] Tres enim opiniones de hac re, scil. de modo unionis divinae naturae cum humana in Christo, a Magistro in lit. d. VI. c. 2. seqq. afferuntur, quae in Comment., et quidem in *divisione textus,* accuratius explicantur.

Sed quia illud non potest rationabiliter sustineri, sicut infra[1] videbitur, ideo alii distinguere voluerunt, quod est loqui de assumtione vel quantum ad *fieri*, vel quantum ad *factum esse*. Si loquamur de assumtione quantum ad *fieri*, sic falsum est, quod assumserit hominem, immo animam et carnem. Si autem loquamur de assumtione quantum ad *terminum* vel *assumtum esse*, concedere voluerunt, personam Dei assumsisse hominem. Tunc enim non videtur[2], quod homo ille fuerit ante assumtionem, sed quod ex ipsa assumtione aliquis factus est homo. — Sed adhuc illud non videtur multum rationabiliter dictum. Nam si ex assumtione vestimenti vere possit aliquis dici *vestitus esse*, haec rationabiliter conceditur: hic assumit vestimentum; et haec non admittitur: iste assumit se vestitum, vel calceatum. Per hunc modum nec ista videtur esse admittenda: Filius Dei assumsit hominem, quamvis ex ipsa assumtione factus sit homo.

Opinio 2.

Non probatur.

Et propterea est tertius modus dicendi communior et verior, quod haec est impropria: Filius Dei assumsit hominem. — Et ratio huius est, quia *homo* significat humanam formam sive naturam in concretione ad suppositum, de quo vere praedicatur secundum quandam *identitatem*. Et ideo de ipso supposito vere praedicatur, ut dicatur: iste est homo. Verbum autem *assumendi* de sua ratione plus importat, videlicet *distinctionem* assumentis ad assumtum, in hoc quod importat *relationem*; et *ordinem* etiam quendam importat respectu eius quod naturaliter *antecedit* ipsam assumtionem, et respectu eius quod *consequitur*. Nam res assumta *naturaliter* ipsam assumtionem *antecedit*, quamvis possit dici[3] *tempore* simul; concretio vero et unio assumentis ad assumtum *consequitur* ipsam assumtionem. — Et ideo dupliciter haec est falsa: Filius Dei assumsit hominem: tum propter defectum *distinctionis*, quia *homo* praedicatur de Filio Dei; tum propter defectum *ordinis*, quia comparatio[4] humanitatis ad personam vel hypostasim consequitur ipsam assumtionem, et non antecedit, res autem assumta antecedit. — Et ideo praedictus sermo falsus est ex duplici causa, et rationes concedendae sunt ex ista parte.

Opinio 3. et conclusio 1.

Conclusio 2.

1. 2. 3. Ad illas vero auctoritates in contrarium adductas dicendum, quod aliquid habent improprietatis et sunt exponendae. Sancti enim loquuntur aliquando multum expresse. Unde *homo*[5] in praedictis auctoritatibus magis accipitur *abstractive* quam *concretive*, magis pro *humana natura* quam pro *re naturae*. Et per hunc modum ad consimiles auctoritates potest responderi unica responsione: quia *hominis* nomine *humana natura* habet intelligi; quamvis secundum communem usum et secundum virtutem vocabuli hoc nomen *homo* non ita consuetum sit accipi.

Solutio oppositorum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod proprietas partis denominat totum; dicendum, quod illud habet instantiam in proprietatibus *respectivis*, quamvis veritatem habeat in proprietatibus *absolutis*. Quamvis enim verum sit, quod manus Petri sit minor Petro, vel quaelibet eius pars quodam modo; haec tamen est falsa: Petrus est minor Petro, vel differt a Petro. Per hunc etiam modum intelligendum est in proposito, quia *assumens*, sicut dictum est, vel *assumi* dicit aliquem ordinem, vel distinctionem, quae reperiri potest inter *personam* Christi et *partes compositi*[6] hominis, quae sunt corpus et anima, quamvis ille respectus vel ordo inter *personam* Christi et ipsum *Christum hominem* reperiri non valeat.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod assumsit animam et corpus unita; dicendum, quod est unio animae et corporis respectu *supposiți*, in quo sunt, et respectu *humanae naturae*, quam constituunt; et *utraque* unio animae ad corpus fuit in ipsa assumtione. Et *una* quidem *antecedebat* secundum ordinem naturae, scilicet animae ad corpus ad constitutionem unius naturae; *altera* vero, scilicet animae ad corpus in unam personam vel hypostasim, *consequebatur* ipsam assumtionem, quia persona et hypostasis Verbi, assumendo carnem, carnem et animam similiter[7] uniebat. — Cum ergo dicitur, quod anima et corpus unita faciunt hominem; dicendum, quod verum est, secundum quod uniuntur isto duplici modo. Et quoniam alter istorum modorum *consequitur* ad assumtionem, ideo non conceditur ista, quod assumserit hominem, quamvis concedatur, quod assumserit animam et corpus coniuncta. — Posset etiam dici, quod non tenet illa consequentia: assumsit animam et corpus coniuncta[8], ergo assumsit hominem; quia *homo* supponit *aliquem hominem*, et ideo supponit *aliquem*, anima vero et corpus dicunt *quid*. Apud vero theologos reputatur fieri permutatio praedicamenti, cum proceditur ab eo quod dicitur *quis*, ad id quod praedicatur *in quid*, vel e converso, sicut in primo libro[9] habitum fuit.

Duplex unio.

Alia solutio.

---

[1] Dist. 6. a. 1. q. 1. — Sublinde pro *distinguere voluerunt* cod. U *distinguunt*.

[2] Codd. H (K a prima manu) Z *notatur*, cod. bb *sequitur*.

[3] Codd. K Z *possit esse*.

[4] Vat. *concretio*, quae mutatio contra auctoritatem codd. et edd. non videtur esse necessaria. Sensus autem est: in nomine concreto *homo* iam *praesupponitur in Christo unio assumentis ad assumtum* (cfr. huc ad 5. et d. 6. a. 1. q. 1.); sed in locutione *assumere hominem* res assumta, scilicet *homo*, vi verbi *antecedit* hanc unionem, non consequitur.

[5] Edd. voci *homo* praemittunt *hoc nomen*.

[6] Pro *compositi*, quod codd. K bb prorsus omittunt, codd. A G H I L N T U V aa et edd. 1, 2 indigenter substituerunt *corporis*.

[7] Pro *similiter* codd. K P Q Z *sibi* (i. e. ad invicem), Vat. cum uno alteroque cod. *simul*. Proxime ante perquam multi codd. et edd. 1, 2 semel vocem *carnem* omittunt.

[8] Codd. W X *unita*.

[9] Dist. 5. a. 1. q. 1. ad 3. et d. 25. q. 1. in fine corp. Paulo superius pro *Apud vero theologos* edd. *Apud veros ergo theologos*.

6. Ad illud quod obiicitur, quod Christus homo est, aut quem assumsit, aut quem non assumsit; Sedaudum dico, quod non recte dividis et sufficienter, quia contradictio non accipitur per negationem, quae fertur ad *implicationem*, sed per negationem, quae fertur ad *principale praedicatum*; et ideo non sic est dividendum: aut est homo *assumtus*, aut *non assumtus*; immo sic: aut *est* homo assumtus, aut *non est* homo assumtus, secundum legem contradictionis [1]. Sed *si obiiciatur*, quod homo sufficienter dividitur per assumtum et non assumtum, tanquam per immediata; tunc respondendum est ad aliam inductionem: ergo vel est Petrus, vel Paulus etc.; quia nec est Petrus nec Paulus nec Virgilius, sed *Iesus*; et *Iesus* non est *homo* assumtus a Filio Dei, quamvis *natura* eius sit assumta. Iesus enim non est nomen impositum *naturae*, sed nomen impositum *personae* [2].

SCHOLION.

1. Communiter nonnulli Scholastici docent, locutionem, de qua agitur, *impropriam* esse nec in sensu *formali* admittendam, licet non raro in libris Ss. Patrum et ipsius Augustini occurat (cfr. hic solut. ad 1. 2. 3.), sicut etiam ab aliquibus recentioribus admittitur. Haec doctrina sponte fluit ex duobus principiis, quorum primum est, quod id quod assumitur secundum intellectum praecedit unionem, unde in locutione *homo assumtus* saltem *natura* prius *homo* esse ponitur, quam assumatur. Alterum est, quod *homo*, proprie loquendo, non significat humanam naturam in *abstracto*, sed in *concreto*, scilicet ut quid subsistens; unde *supponit* pro supposito subsistente in natura humana. Manifestum autem est, quod Christi suppositum sive persona non potest dici *assumtum*. — Secundam rationem sumsit S. Bonav. ex ipso verbo *assumere*, quod implicat distinctionem, cum *assumens* non sit *assumtum*. Recte quidem dicitur: Filius Dei est homo, at non bene dicitur: est homo, *quem assumsit*, sed potius est homo, cuius humanam naturam assumsit (ita S. Thom., III. Sent. d. 6. q. 1. a. 2. ad 2; S. III. q. 4. a. 3. ad 3.). Eundem sensum habet hic solut. ad 6. — Tota haec quaestio magis explicatur pluribus quaestionibus distinctionum 6. et 7.

II Alex. Hal., S. p. III. q. 4. m. 7. q. incid. — Scot., in utroque Scripto III. Sent. d. 6. q. 3. — S. Thom., art. supra citt. — B. Albert., hic a. 11. — Petr. a Tar., III. Sent. d. 6. q. 2. a. 2. — Richard. a Med., III. Sent. d. 6. a. 1. q. 2. — Ægid. R., III. Sent. d. 6. q. 2. a. 2. — Dionys. Carth., III. Sent. d. 6. q. 4. — Biel, III. Sent. d. 6. q. 1.

QUAESTIO V.

Utrum concedenda sit haec: Filius Dei assumsit humanitatem.

Quinto quaeritur, utrum concedenda sit haec: Filius Dei assumsit humanitatem. Et quod sic, videtur.

1. Damascenus [3]: « Omnia quae in nostra natura plantavit, assumsit Dei Verbum »; sed unicuique Fundamenta nostrum dedit humanitatem: ergo videtur, quod assumsit humanitatem.

2. Item, humanitas non est aliud quam hominis natura, secundum quod dicit Damascenus [4]: « Divinitatis et humanitatis nomina naturam sunt repraesentativa »; sed haec simpliciter est concedenda: Filius Dei assumsit humanam naturam: ergo et haec: Filius Dei assumsit humanitatem.

3. Item, humanitas est forma hominis; sed haec simpliciter conceditur: Filius Dei assumsit formam hominis, sicut dicitur ad Philippenses secundo [5]: *Humiliavit semetipsum, formam servi accipiens*: ergo et ista: Filius Dei assumsit humanitatem.

4. Item, haec est simpliciter vera: Filius Dei habet humanitatem; et eam non habuit ab aeterno, sed temporaliter [6]: ergo videtur, quod eam assumsit.

Sed contra: 1. Humanitas consequitur unionem Ad oppos. tum. animae cum corpore; sed anima et corpus non fuerunt prius unita quam assumta [7]: ergo si assumtum secundum ordinem naturalem praecedit ipsam assumtionem, videtur, quod haec sit falsa: Filius Dei assumsit humanitatem.

2. Item, magis significat in abstractione hoc nomen *humanitas* quam hoc nomen *homo*: ergo si « Deus non assumsit humanam naturam in universali, sed in atomo [8] », ergo haec est magis impropria: assumsit humanitatem, quam: assumsit hominem: ergo est falsa.

3. Item, si assumsit humanitatem et nunquam deposuit quod assumsit, semper habuit humanita-

---

[1] Cfr. Aristot., I. Periherm. c. 6. (c. 7.) nec non II. c. 1. (c. 10.), quo ultimo loco agitur de oppositione terminorum infinitorum v. gr. non-homo (non assumtus), qui quidem contradictionis speciem prae se ferunt, revera autem contradictionem non efficiunt. — Per *implicationem* intelligitur propositio relativa, subiectum propositionis determinans. Cfr. Petr. Hispan., Summul. tr. *de Restrictione*. — Paulo inferius pro *aliam* edd. *illam*. Vox *aliam* opponitur primae distinctioni.

[2] Vide Anselm., de Fide Trin. c. 6.

[3] Libr. III. de Fide orthod. c. 6.

[4] Loc. cit. c. 4. Cfr. ibid. c. 11. — In testim. allato codd. et edd. 1, 2 (sicut et textus origin.) pro *nomina* exhibent *nomen*, praedicati tamen pluralem numerum servantes. Cfr. supra lit. Magistri, d. II. c. 1.

[5] Vers. 7, ubi Vulgata: Semetipsum exinanivit, formam etc. Cfr. hic lit. Magistri c. 1. — Paulo ante pro *assumsit* cod. K *accepit*, cod. Z *accipit*.

[6] Pro *sed temporaliter*, quae verba in cod. T desiderantur, codd. A G H I K L U V Z aa *sed sempiternaliter*, codd. N X Y *sed per incarnationem*.

[7] Cfr. supra d. 3. p. II. a. 3. q. 2.

[8] Ut docet Damasc., III. de Fide orthod. c. 11. Vide supra q. 1. in fine argg. — Mox post *quam* Vat. cum paucis codd. repetit *haec*.

tem; sed quod habet humanitatem semper est homo semper; ergo in triduo fuit homo [1].

Quaest. incidens. Iuxta hoc quaeritur, quid nomine *humanitatis* intelligitur, cum dicitur, Dei Filium assumsisse humanitatem?

CONCLUSIO.

Concedendum est, quod Filius Dei assumsit humanitatem.

Tripliciter dicitur humanitas. RESPONDEO: Dicendum, quod nomen [2] *humanitatis* consuevit tripliciter accipi: uno modo per *humanitatem* possunt intelligi *principia constituentia* hominem; alio modo per *humanitatem* potest intelligi *forma consequens* totum compositum; tertio modo nomine *humanitatis* potest intelligi *proprietas consequens* ipsum hominem, in quantum est homo. Et iste triplex intellectus habetur ex verbis Magistri, distinctione secunda [3], ubi confirmat Magister et ostendit auctoritate Hieronymi, nomine *humanitatis* corpus et animam intelligi.

Conclusio cum triplici applicatione. Omnibus autem his modis concedendum est, Filium Dei assumsisse humanitatem. Si enim nomine *humanitatis* intelligantur ipsa *principia constituentia* hominem, videlicet anima et caro, absque dubio verum est, quod Filius Dei assumsit humanitatem, id est animam et carnem [4]. — Item, si nomine *humanitatis* intelligatur *forma totius*, adhuc veritatem habet: Filius Dei assumsit humanitatem, id est formam humanam, iuxta illud quod dicitur ad Philippenses secundo [5]: *Humiliavit semetipsum, formam servi accipiens.* — Postremo, si nomine *humanitatis* intelligatur ipsa *proprietas consequens*, adhuc veritatem habet: Filius Dei assumsit humanam naturam, quia non solum nostram naturam humanam assumsit, sed proprietates consequentes, sicut Corollarium. dicit Damascenus [6]. — Si quis autem hoc ultimo modo *solum* intelligat, quod assumserit humanitatem, id est hominis proprietatem, errat circa incarnationis veritatem. Oportet enim ponere, quod hoc triplici modo dicendi Filius Dei assumsit naturam humanam [7]. — Et concedendae sunt rationes ad hanc partem inductae.

1. Ad illud quod obiicitur, quod humanitas consequitur unionem; dicendum, quod consequitur unionem animae ad corpus, secundum quod uniuntur in *constitutionem naturae*, non secundum quod uniuntur in *unitatem personae* [8]. — Posset etiam dici, quod quaedam sunt *prius assumta*, et quaedam *coassumta*; et quamvis anima et corpus primo assumta sint a Verbo, tamen omnia quae ad ea consequuntur, dici possunt *coassumta*. Unde, quia anima et corpus habebant proprietatem passibilitatis, Filius Dei assumsit *passibilitatem*. Et per hunc modum concedendum est, quod assumserit *humanitatem*, quemadmodum conceditur, quod assumserit *passibilitatem*, quamvis non concedatur, quod *assumserit se passibilem*, sed quod assumendo passibilitatem *fecerit se passibilem*. Sic conceditur, quod assumserit *humanitatem*, licet non concedatur, quod assumserit *se hominem*.

Solutio quaestionis. Alia solutio cum distinctione.

2. Ad illud quod obiicitur de abstractione, dicendum, quod potius facit ad oppositum quam ad propositum. Quia enim significat *abstractive*, ideo significat in quadam diversitate a supposito; et ideo salvari potest ista conditio assumtionis, quae quidem est distinctio assumentis ad assumtum; non sic autem est in hoc quod dicitur *homo* [9]. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod nunquam deposuit quod assumsit; dicendum, quod hoc intelligitur quantum ad *principia naturae*, quae prius fuerunt assumta, scilicet anima et caro; quantum vero ad *coassumta* veritatem non habet; deposuit enim passibilitatem. Sed si hoc modo accipiatur *humanitas* ratione principiorum constituentium hominem, sic nunquam deposuit humanitatem. Sed ex hoc non sequitur: in triduo habuit humanitatem, ergo fuit homo; quia principia hominis non faciunt hominem, nisi in quantum coniunguntur *ad invicem*, et uniuntur in *unitatem personae*; et alter istorum modorum deficiebat in triduo. Quodsi nomine *humanitatis* intelligatur ipsa forma consequens compositum [10], vel ipsa proprietas; non oportet, quod in triduo Christus habuerit humanitatem; quia, sicut dictum est, talia non fuerunt primo assumta, sed magis coassumta. Notandum.

4. Ad illud quod ultimo quaerebatur, patet responsio ex his quae iam dicta sunt. Ad quaest. incidentem.

---

[1] Cfr. supra pag. 138, nota 8. et infra d. 22. q. 1. — Paulo inferius pro *Dei Filium* codd. K Z bb *Dei Filius*.

[2] Codd. H N U V W voci *nomen* praefigunt *hoc*.

[3] Cap. 1. — Paulo post edd., omisso nomine *Hieronymi*, pro *intelligi* habent *se* nomine... *intelligere*.

[4] Quod et ostensum est supra d. 2. a. 2. q. 1. seq.

[5] Vers. 7. Pro *Humiliavit* cod. K cum Vulgata *Exinanivit*.

[6] Libr. III. de Fide orthod. c. 6. Vide supra lit. Magistri, d. II. c. 1. in fine. — Paulo superius codd. N T U omittunt *humanam* post *nostram naturam*, et immediate post plurimi codd. et edd. 1, 2 *assumsit*.

[7] Cfr. supra lit. Magistri, d. II. c. 1. — Pro *naturam humanam*, quam lectionem invenimus in cod. bb, alii codd. et edd. 1, 2 *naturaliter humanitatem*, cod. F bene *nostram humanitatem*, Vat. *assumserit veram humanitatem*.

[8] Cod. G *in unitate personae* et paulo ante aequaliter *in constitutione naturae*. Pro [illegible] *prius assumta* codd. K Z *prius assumta*.

[9] Cfr. quaest. praeced. — Pro *a supposito* cod. Z *ad suppositum*. Pro *et ideo* cod. A *et ita*.

[10] Plurimi codd. nec non edd. 1, 2 *suppositum*, sed contra determinata in corp. quaest. Paulo superius pro *et alter* codd. K Z (bb primitus) *et quoquo modo alter*, Vat. *et alteri*.

SCHOLION.

I. Pro intelligentia huius quaestionis notandum est quod dicit Alex. Hal., S. p. III. q. 4. m. 8. ad 3: Differt « dicere *humanam naturam* et *hominem* et *humanitatem*, quia humana natura dicit componentia unita, homo vero nominat *quod est* ex his; *humanitas* vero nominat illud *quo est* ». — Sed ipsum vocabulum *humanitas* iterum diversimode intelligi potest. Praeter tres modos in corp. quaest. relatos est quartus, qui in arg. 2. ad oppos. tangitur, scilicet prout humana natura prorsus abstracte est in intellectu humano. Manifestum autem est, quod incarnatio, si ad hunc sensum restringeretur, non esset nisi fictio (cfr. supra a. 1. q. 1, et S. Thom., S. III. q. 4. a. 4.). Item interdum ille terminus sumitur pro *tota specie* sive pro omnibus eius individuis, de quo sensu supra d. 2. a. 1. q. 3. actum est.

Quaestio S. Bonav. militat contra 1. articulum primae trium opinionum (de quibus infra d. 6. post *divisionem textus* et deinde passim agitur) in quo scilicet asseritur, Verbum assumsisse quidem verum corpus et animam, quin tamen ex earum coniunctione resultaret tertium aliquid, id est *vera humanitas*. Hic error iam tactus est supra d. 2. a. 2. q. 3.

II. Alii antiqui commentatores Petri Lombardi rem principalem quaestionis tractant vel tangunt supra in dist. 2, scilicet S. Thom., ibi q. 1. a. 3. quaestiunc. 3. (cfr. S. III. q. 6. a. 5.). — B. Albert., ibi a. 5. — Petr. a Tar., ibi q. 1. a. 3. — Richard. a Med., ibi a. 1. q. 1. — Ægid. R., ibi q. 1. a. 1. dub. lat. — Durand., ibi q. 2. — Dionys. Carth., ibi q. 5.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo de hoc quod dicit, quod *nec divinitas aliena erat a natura Patris, nec humanitas a natura Matris.* Sed in Patre et Filio est una divinitas: ergo in Matre et Filio est una humanitas: ergo sicut Pater et Filius sunt unus Deus, ita Mater et Filius unus homo.

Respondeo: Dicendum, quod non est omnimoda similitudo notanda in verbo praemisso. Nam unitas naturae increatae respectu creaturae, et persona respectu personae, etsi habeant aliquam conformitatem, propter hoc quod creatura est *similis* Creatori [1] in natura, et persona est *similis* personae; magna tamen est differentia; quia natura divina non multiplicatur in personis, sed natura humana habet multiplicari in diversis personis — unde duo homines duas habent humanitates — et sic non cogit illa ratio, quia in verbo proposito non attenditur omnimoda similitudo [2].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *In forma Dei erat* etc.; quia *forma* dicit respectum ad informatum, *informatum* autem dicit materiam; Deus autem nullam habet materiam: ergo nec habet formam.

Respondeo: Dicendum, quod *forma* dupliciter dicitur: uno modo per *privationem materiae*, et sic Deus est forma; alio modo per *comparationem ad materiam*, quam perficit, et hoc modo Deus non ponitur esse forma. *Primo* modo intelligitur verbum propositum, *secundo* modo fit [3] obiectio. — Vel aliter: est enim loqui de *forma*, secundum quod dicit relationem ad informatum secundum *rem*, vel secundum quod dicit habitudinem secundum *modum intelligendi*. Et *primo* modo obiicit, et *secundo* modo accipitur in divinis, quia ipsa deitas se habet in ratione formae respectu Dei; nulla tamen est differentia Dei ad suam divinitatem [4]. Duplex forma. Aliter.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *in humanatione Dei Verbi aimus omnem et perfectam naturam deitatis incarnatam esse.* Sed *contra*: Hoc signum *omnem* distribuit pro suppositis [5]: ergo si tres personae sunt hypostases illius naturae, videtur, quod omnes sint incarnatae. *Si tu dicas*, quod hoc signum *omnem* non tenetur *syncategorematice* vel ut signum, sed potius ut *adiectivum*, et tantum valet *omnem* quantum et *perfectam;* videtur esse nugatio *omnem* et *perfectam.*

Respondeo: Dicendum, quod *omnem* non tenetur ibi *distributive*, sicut dictum est [6], sed tantum valet

---

[1] In codd. et edd. legitur sic: Nam unitas [edd. interiiciunt *creatae*] naturae *in creatura* respectu creaturae... propter hoc quod [edd. inserunt *aliqua*] creatura est similis *creaturae* — quam lectionem, etsi in se non sit falsa, tamen ut incongruam reprobandam duximus, eo quod, ea admissa, revera non est comparatio inter divinam et humanam naturam ac personam, nec connexus cum verbis, quae sequuntur. Ceterum non correximus nisi duos solos errores, qui certo librariorum incuria irrepserunt, substituentes enim *increatae* pro *in creatura* et *Creatori* pro *creaturae*. Mox pro *non multiplicatur in personis* cod. bb *non multiplicatur in diversis personis.* — Quod autem terminus *persona* de divina persona et humana non dicatur nisi *analogice*, probatum est I. Sent. d. 25. a. 2. q. 2.

[2] Cfr. de hoc dub. S. Thom., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. 1. lit.

[3] Codd. P Q *curril.*

[4] Cfr. Boeth., de Trin. c. 2. — Hoc dub. solvunt etiam B. Albert., hic a. 7; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. 2. lit.

[5] Cfr. Aristot., I. Periherm. c. 5. (c. 7.). — Terminus *omnis* vocatur signum et terminus syncategorematicus [derivatur a σύν i. e. cum, et κατηγορέω i. e. significo], quia solum alteri termino adiunctus tribuit illi certum significandi modum. — Pro *omnem* cod. K bb bis *omne.*

[6] Scil. in obiectione procedente.

dicere *omnem naturam divinitatis*, quantum *perfectam*. Nec est ibi *nugatio*, quia *et* non tenetur ibi copulative, sed expositive, et accipitur *et* pro *id est*.

Aliter. — Aliter potest dici, quod *omnem* privat vel removet divisionem partis a parte, *perfectam* vero ponit completionem, ita quod sit sensus: divina natura est incarnata in sua perfectione, ita quod non secundum partem et partem; et quod hic intellectus sit verus, haberi potest per litteram sequentem [1].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicitur: *Non sic divina natura dicitur esse homo, vel facta homo, sicut Dei Filius.* Videtur enim falsum, quia *homo* praedicatur de omni eo quod [2] praedicatur *Filius Dei;* et haec est vera: divina natura est Filius Dei: ergo haec est vera: divina natura est homo.

Respondeo: Dicendum, quod est praedicatio per *identitatem* et per *denominationem*. Et praedicatio per *denominationem*, illa magis servat proprietatem praedicationis, quam illa quae est per *identitatem*. Unde haec est magis propria: Filius Dei generatur, quam ista: divinitas est generatio, sicut ostensum fuit in primo libro [3]. Et quoniam Filius Dei est suppositum humanae naturae, non sic divina natura; hinc est, quod ista est magis propria: Filius Dei est homo, quam ista: divina natura est homo. Ideo Magister non simpliciter eam negat, sed dicit, quod non est ita propria; nec est ita passim in usum adducenda, pro eo quod ad nimiam expressionem appropinquat [4].

Duplex praedicatio.

DISTINCTIO VI.

Cap. I.

De intelligentia harum locutionum: Deus est homo, Deus factus est homo, tres sententias ponit.

Ex praemissis autem emergit quaestio plurimum continens utilitatis, sed nimium difficultatis atque perplexitatis. Cum enim constet ex praedictis et aliis pluribus testimoniis, omnesque catholici unanimiter fateantur, Deum esse factum hominem, et Christum verum Deum esse et verum hominem; quaeritur, an his locutionibus: Deus factus est homo, Filius Dei factus est filius hominis; Deus est homo, et homo est Deus, dicatur Deus factus esse *aliquid*, vel esse *aliquid*, vel *aliquid* dicatur esse Deus; et an ita conveniat dici: homo factus est Deus, et filius hominis factus est Filius Dei, sicut e converso dicitur; et si ex [1] his locutionibus non dicitur: Deus factus esse *aliquid*, vel esse *aliquid*, quae sit intelligentia harum locutionum et similium. — In huius profunditatis reseratione et scrupulosae quaestionis expositione plurimum differre inveniuntur sapientes.

Locutiones ambiguae.

Cap. II.

Prima est eorum qui dicunt, in incarnatione hominem quendam ex anima et carne constitutum, et illum hominem factum esse Deum, et Deum illum hominem; et auctoritates, quibus ita esse asserunt, ponit.

Alii enim dicunt, in ipsa Verbi incarnatione hominem quendam ex anima rationali et humana carne constitutum, ex quibus duobus omnis verus homo constituitur; et *ille homo coepit esse Deus*, non quidem natura Dei, sed persona Verbi; et *Deus coepit esse homo ille*. Concedunt etiam, hominem illum assumtum a Verbo et unitum Verbo, et tamen esse Verbum; et ea ratione tradunt dictum esse, Deum factum hominem, vel esse hominem, quia Deus factus est, id est, coepit esse quaedam substantia ex anima rationali et humana carne subsistens; et illa substantia facta est, id est, coepit esse Deus. Non tamen demigratione naturae in naturam, sed utriusque naturae servata proprietate, factum est, ut Deus esset illa substantia, et illa substantia esset Deus. Unde vere dicitur: Deus factus est homo, et homo factus est Deus; et Deus est homo, et homo Deus; et Filius Dei filius hominis, et e converso. Cumque dicant, illum hominem ex anima rationali et humana carne subsistere, non tamen fatentur, ex duabus naturis esse *compositum*, divina scilicet et humana; nec illius partes esse duas naturas, sed animam tantum et carnem.

Opinio 1.

Et ne de suo sensu tantum loqui putentur, hanc sententiam pluribus muniunt testimoniis. Ait enim Augustinus in libro de Trinitate [2]: « Cum legitur: *Verbum caro factum est*, in *Verbo* intelligo verum Dei Filium, in *carne* agnosco verum hominis filium, et utrumque simul unam personam, Deum et hominem ineffabilis gratiae largitate coniunctum ». Idem in Enchiridio [3]: « Christus Iesus Deus de Deo est, homo autem natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Utraque substantia, divina scilicet et humana, Filius est unicus Dei Patris omnipotentis, de quo procedit Spiritus sanctus », « utrumque unus, sed aliud propter *Verbum*, et aliud propter *hominem*, non duo filii, Deus et homo, sed unus Dei Filius, Deus sine initio,

Confirmatur. Augustinus.

---

[1] Hic c. 1. in fine, ubi dicitur: Unitam esse humanae naturae, et non partem parti etc. — Paulo superius cod. Z verbo *completionem* praemittit *veram*. — Cfr. de hoc dub. B. Albert., hic a. 13; S. Thom., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. 3. lit.

[2] Edd. *de quo*.

[3] Dist. 5. a. 1. q. 1, ubi etiam species praedicationis exponuntur. — Pro *Filius Dei generatur* multi codd. et edd. 1, 2 vitiose *Filius Dei generat*, et pro *divinitas est generatio* cod. K *deitas est generata*.

[4] Vide de hoc dub. S. Thom., hic circa lit., et Ægid. R., hic dub. 4. lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Cod. D *in*, codd. A C et ed. 6 omittunt praepositionem.

[2] Libr. XIII. c. 19. n. 24. Respicitur Ioan. 1, 14. — Pro *ineffabilis* cod. A et ed. 8 *ineffabili*.

[3] Cap. 38. n. 12; seq. locus ibid. c. 35. n. 10; tertius c. 36. n. 11. — In tertio loco pro *et hoc unicus*, quod codd. A B C D, ed. 6 et originale habent, alii codd. et edd. *et hic unicus*.

homo a certo initio ». Idem in eodem: « Quid natura humana in Christo homine meruit, ut in unitatem personae unici Filii Dei singulariter assumta esset? Quae bona voluntas, quae bona opera praecesserunt, quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo? Nunquid antea fuit homo, et hoc ei singulare beneficium praestitum est, ut singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo homo esse coepit, non aliud coepit esse homo quam Dei Filius, et hoc unicus, et propter[1] Dei Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus; ut, quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una persona, Verbum et homo ». Idem super Ioannem[2]: « Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, qua aequalis est Patri, et humanam, qua minor est Patre; utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus, ne sit quaternitas, non trinitas Deus. Ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis et caro ». Idem quoque in libro de Praedestinatione Sanctorum[3]: « Ille homo, ut, a Verbo Patri coaeterno in unitatem personae assumtus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod bonum eius praecessit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Faciente ac suscipiente Deo Verbo, ipse homo, ex quo esse coepit, Filius Dei unicus esse coepit ». Item: « Homo quicumque ita gratia fit Christianus, sicut gratia homo ille ab initio factus est Christus ». Idem in libro decimo tertio de Trinitate[4]: « Gratia Dei nobis in homine Christo commendatur; quia nec ipse, ut tanta unitate Deo vero coniunctus, una cum illo persona Filius Dei fieret, ullis est praecedentibus meritis assecutus, sed ex quo homo esse coepit, ex illo est et Deus. Unde dictum est: *Verbum caro factum est* ».

Hilarius. Hilarius quoque in libro decimo de Trinitate[5] ait: « Christum non ambigimus esse Deum Verbum, neque rursus Filium hominis ex anima et corpore constitisse ignoramus ». — His aliisque auctoritatibus utuntur qui hominem quendam ex anima rationali et carne compositum Deum factum dicunt, sed gratia, non natura. Sola enim gratia habuit ille homo, non meritis, vel natura, ut esset Deus, sive Dei Filius, ut haberet omnem scientiam et potentiam[6], quam habet Verbum, cum quo est una persona. Nec tantum in superioribus legitur, quod homo ille sit una persona cum Verbo et sit ipsum Verbum, sed etiam, quod anima rationalis et caro eadem persona sit et Christus sit et Deus.

Cap. III.

Secunda est eorum qui dicunt, hominem illum ex tribus substantiis, vel ex duabus naturis constare; et hunc fatentur unam esse personam, ante incarnationem simplicem tantum, sed in incarnatione compositam; et auctoritates, quibus se muniunt, proponit.

Sunt autem et alii, qui istis in parte consentiunt, Opinio 2. sed dicunt, hominem illum non ex anima rationali et carne tantum, sed ex humana et divina natura, id est ex tribus substantiis, divinitate, carne et anima, constare, et hunc Christum fatentur. Et unam personam tantum esse, ante incarnationem solummodo simplicem, sed in incarnatione factam[7] *compositam* ex divinitate et humanitate. Nec est ideo alia persona quam prius, sed cum prius esset Dei tantum persona, in incarnatione facta est etiam hominis persona; non ut duae essent personae, sed ut una et eadem esset persona Dei et hominis. Persona ergo, quae prius erat simplex et in una tantum natura existens, *in* duabus et *ex* duabus subsistit naturis; et persona, quae tantum Deus erat, facta est etiam verus homo, subsistens non tantum ex anima et carne, sed etiam ex divinitate; nec tamen persona illa debet dici *facta persona*, quamvis dicatur *facta persona hominis*. Facta est igitur illa persona, ut quibusdam placet, quiddam subsistens ex anima et carne, sed non est facta *persona*, vel *substantia*, vel *natura*. Et in quantum est illud[8] subsistens, *composita* est; in quantum autem Verbum est, *simplex* est.

De hoc Augustinus in libro Sententiarum Prosperi[9] Confirmatur. ait: « Modis omnibus approbare contendimus, Sacrificium Ecclesiae duobus constare, duobus confici, visibili elementorum specie et invisibili Domini nostri Iesu Christi carne et sanguine: *Sacramento* et *re Sacramenti*, id est corpore Christi, sicut Christi persona constat et conficitur ex Deo et homine, cum ipse Christus verus sit Deus et verus homo; quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se continet, ex quibus conficitur ». De hoc eodem Ioannes Damascenus[10]: « In Domino nostro Iesu Christo duas quidem naturas cognoscimus, unam autem hypostasim ex utriusque compositam ». « Incarnatus est igitur Christus, ex Virgine assumens primitiam[11] nostrae massae, ut ipsa

Dubium 1.

Damascenus.

---

[1] In omnibus codd. et edd., exceptis 6, 8, *propterea;* deinde Vat. cum edd. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9 *quia est ab illo suscepta caro facta est* pro *quod illo suscepto caro factum est*, cod. A D *Verbum, quod ab illo suscepta caro facta;* cod. B et ed. 1 *verbum, quod illo suscepta...* Cum ed. 8 maluimus recipere textum originalis, cum omnes aliae lectiones corruptae sint; tolerari autem poterit lectio ex diversis sic conflata: *et hic unicus, et propterea Dei* (Augustinus *Deum) Verbum; quia ab illo suscepta caro facta est utique Deus.*

[2] Tract. 78. n. 3.

[3] Cap. 15. n. 30. Seq. locus ibid. n. 31.

[4] Cap. 17. n. 22.

[5] Num. 57.

[6] Edd. 1, 8 *potestatem.* In fine capituli cod. G et ed. 1 omittunt *et* ante *Deus.*

[7] Vat. *sed, incarnatione facta,* refragantibus codd. et aliis edd.; paulo superius ante *solummodo* eadem cum codd. D E et edd., exceptis 1, 5, 8, adiicit *vero.*

[8] Codd. A C D E *ille,* et cod. B cum edd. 2, 3, 4, 7, 9 *illa.*

[9] Sumtum est ex Decret. Gratiani, 48. de Consecrat. d. 2. *Hoc est quod dicimus,* ubi etiam legitur: Augustinus in libro Sententiarum Prosperi, (in quo tamen haec verba non inveniuntur), et in notis citantur Lanfrancus et Algerus.

[10] Libr. III. de Fide orthod. c. 4; seq. locus ibid. c. 7; tertius c. 3.

[11] Cod. D *assumendo primitiam,* etiam codd. A B E et edd. 1, 2, 3, 4, 7, 9 habent *primitiam* (ἀπαρχήν), cod. C, Vat. et ed. 8 *primitias;* deinde pro *carni,* quod habent Vat. et edd. 2, 3 cum codd. A E, cod. D *carnis;* in aliis *in carne.* Paulo inferius ante *composita* cod. B et edd. 2, 3, 4, 7 omittunt *et;* Vat. legit *etiam composita et facta fuerit.*

exstiterit carni hypostasis, quae Dei Verbi hypostasis *composita* facta fuerit, quae prius *simplex* erat Verbi hypostasis, *composita* vero ex duabus perfectis naturis, deitate et humanitate; et ferat ipsa divinae Verbi Dei filiationis characteristicum et determinativum idioma, secundum quod divisa est a Patre et Spiritu sancto, et carnis characteristica et determinativa idiomata, secundum quae differat a Matre et reliquis hominibus ». Item: « Unam hypostasim Filii Dei confitemur in duabus naturis perfecte se habentibus, et deitatis et humanitatis, eandem hypostasim incarnatam [1]; et has duas naturas custodiri et manere in ipso post unionem, non seorsum et secundum partes ponentes singulam, sed unitas invicem in unam compositam hypostasim. *Substantialem* enim inquimus unionem, scilicet veram et non secundum phantasiam, *substantialem* autem, non duabus naturis perficientibus alteram, scilicet unam compositam naturam, sed unitas invicem in unam hypostasim compositam Filii Dei, et manere eandem substantialem differentiam determinamus: quod creabile mansit creabile, et quod increabile increabile, et mortale mortale, et immortale immortale, et circumscriptibile circumscriptibile, et incircumscriptibile incircumscriptibile; et hoc quidem refulget miraculis ». De hoc etiam Augustinus in libro de Trinitate [2] ait: « Quemadmodum secundum deitatem una est Patris et Filii natura, ita etiam iuxta humanitatem eadem est Matris et Filii una natura. Ex utraque autem substantia, et divinitatis et humanitatis, unus atque idem est Deus, Dei et hominis Filius, Iesus Christus, ut Deus verus, ita etiam homo verus ». Idem in libro decimo tertio de Trinitate [3]: « Sic Deo coniungi potuit humana natura, ut *ex* duabus substantiis fieret una persona; ac per hoc iam est ex tribus: Deo, anima et carne ». — His aliisque pluribus auctoritatibus se muniunt qui dicunt, personam Christi *compositam* esse, vel *factam* sive constantem ex duabus naturis, sive ex tribus substantiis.

Augustinus.

Cap. IV.

Tertia est eorum qui non solum personam ex naturis compositam negant, sed etiam aliquem hominem vel aliquam substantiam ibi ex anima et carne compositam diffitentur; et sic illa duo, scilicet animam et carnem, Verbo unita dicunt, ut non ex illis aliqua substantia vel persona componeretur, sed illis duobus velut indumento Deus vestiretur, ut mortalibus oculis appareret; qui rationem incarnationis secundum habitum accipiunt.

Sunt etiam alii, qui in incarnatione Verbi non solum personam ex naturis *compositam* negant, verum etiam *hominem aliquem*, sive etiam *aliquam substantiam* ibi ex anima et carne compositam vel factam diffitentur; sed sic illa duo, scilicet animam et carnem, Verbi personae vel naturae unita esse aiunt, ut non ex illis duobus, vel ex his tribus aliqua substantia [4] vel persona fieret sive componeretur; sed illis duobus velut *indumento* Verbum Dei vestiretur, ut mortalium oculis congruenter appareret. Qui ideo dicitur *factus verus homo*, quia veritatem carnis et animae accepit. Quae duo etiam in singularitatem vel unitatem suae personae accepisse legitur, non quia *illa duo*, vel *aliqua res* ex illis composita sit una persona cum Verbo, vel sit Verbum; sed quia, illis duobus accedentibus Verbo, non est personarum numerus auctus, ut fieret quaternitas in Trinitate; et quia ipsa persona Verbi, quae erat prius sine indumento, assumtione indumenti non est divisa vel mutata, sed una eademque immutata permansit. Qui *secundum habitum* Deum hominem factum dicunt [5]. Accipiendo enim hominem, dictus est Deus *factus homo*; et propter *acceptum hominem* dicitur *Deus verus* [6] *esse homo*; et propter *assumentem Deum* dicitur *homo esse Deus*. Nam si essentialiter, inquiunt illi, Deus esse homo, vel homo esse Deus intelligeretur; tunc, si Deus hominem assumsisset in sexu muliebri, et mulier essentialiter Deus esset, et e converso; at potuit Deus assumsisse hominem in sexu muliebri: potuit igitur mulier esse Deus, et e converso.

Dubium 2.

Cap. V.

Deinde auctoritates inducit, quibus haec sententia roboratur.

Ne autem et isti de suo [7] influere videantur, testimoniis in medium productis quod dicunt confirmant. Ait enim Augustinus in libro de Gratia novi Testamenti [8]: « Sicut non augetur numerus personarum, cum caro accedit animae, ut sit unus homo; sic non augetur numerus personarum, cum homo accedit Verbo, ut sit unus Christus. Legitur itaque Deus homo, ut intelligamus huius personae singularitatem, non ut suspicemur in carnem mutatam divinitatem ». Idem quoque tractans illud verbum Apostoli: *Habitu inventus est ut homo*, manifeste ostendit, Deum dici factum esse hominem, vel esse hominem secundum *habitum*, in libro Octoginta trium Quaestionum [9] ita inquiens: « Multis modis *habitum* dicimus: vel *habitum animi*, sicut disciplinae perceptionem usu firmatam; vel *habitum corporis*, sicut dicimus alium alio validiorem; vel *habitum eorum*, quae membris accommodantur extrinsecus, ut cum dicimus aliquem vestitum, calceatum et huiusmodi. In omnibus generibus manifestum est, in ea re dici *habitum*, quae accidit alicui, ita ut eam possit etiam non habere. Hoc autem nomen ductum est ab illo verbo, quod est *habere*. *Habitus* ergo in ea re dicitur, quae nobis, ut habeatur, accidit vel accedit » [10].

Augustinus.

Dubium 3.

---

[1] Vat., et fere etiam ed. 6, ita legit: *habentibus, eandem hypostasim deitatis et humanitatis dicentes incarnatam esse.* Vocem ultimam *esse* adiungunt etiam edd. 3, 4, 5, 7, 9.

[2] Potius Serm. 238. (in append. n. 3.).

[3] Cap. 17. n. 22.

[4] Vat. et pleraeque edd. *natura*, refragantibus codd. et edd. 1, 8.

[5] Cfr. Gregor., l. super Ezechiel. Hom. 8. n. 24. 25, et de seqq. August., 83 Qq. q. 41.

[6] Vat. cum plerisque edd. *vere*.

[7] Cod. E et edd. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9 addunt *sensu*.

[8] Epist. (alias 120.) 140. c. 4. n. 11. 12.

[9] Quaest. 73. n. 1; continuatur hic locus etiam in seq. cap.; locus Scripturae est Phil. 2, 7.

[10] Vat. cum originali omittit *vel accedit*; cod. E tantum *accedit*, et infra pluries idem dicendum de *accidunt vel accedunt*; deinde ante *mutant* Vat. et edd. 6, 8 adiiciunt *nos*.

Cap. VI.

Quatuor species habitus distinguuntur.

« Verumtamen hoc interest, quia quaedam eorum
Augustinus. Species 1. quae accidunt vel accedunt, ut habitum faciant, non mutantur, sed ipsa mutant, in se integra et inconcussa manentia; sicut *sapientia*, accedens homini, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapien-
Species 2. tem facit. — Quaedam vero sic accedunt vel accidunt, ut mutent et mutentur, ut *cibus*, qui, amittens speciem suam, in corpus vertitur, et nos cibo refecti ab exilitate [1] atque languore in robur atque valentiam mu-
Species 3. tamur. — Tertium genus est, cum ea quae accidunt vel accedunt, nec mutant ea quibus accidunt, nec ab eis ipsa mutantur, sicut anulus positus in digito; quod
Species 4. genus rarissime reperitur. — Quartum genus est, cum ea quae accidunt, mutantur non a sua natura, sed aliam speciem et formam accipiunt, ut est vestis, quae deiecta atque deposita non habet eam formam, quam sumit induta; induta enim membris accipit formam, quam non habebat exuta. Quod genus congruit huic comparationi. Deus enim *Filius semetipsum exinanivit*, non formam suam mutans, sed *formam servi accipiens*, neque conversus aut transmutatus in hominem [2], amissa incommutabili stabilitate, sed in *similitudinem hominum* factus est ipse susceptor, verum hominem suscipiendo *habitu inventus est ut homo*, id est, habendo hominem inventus est ut homo, non sibi, sed eis quibus in homine apparuit ». Quod autem dicit *ut homo* veritatem exprimit. « Nomine ergo *habitus* satis significavit Apostolus, qualiter dixerit in *similitudinem* hominum factus, quia non transfiguratione in hominem, sed *habitu* factus est, cum indutus est hominem, quem sibi uniens quodam modo atque conformans immortalitati aeternitatique sociaret. Non ergo oportet intelligi, mutatum esse Verbum susceptione hominis, sicut nec membra veste induta mutantur, quamvis illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copularet [3] ». — His verbis aperte innuere videtur Augustinus, Deum dici *factum hominem* secundum habitum. Qui etiam ipsius incarnationis modum volens exprimere, quaerentibus in quarto libro de Trinitate [4] ait: « Si quaeritur, ipsa Augustinus. incarnatio quo modo facta sit, ipsum Verbum Dei dico carnem factum, id est hominem factum, non tamen in hoc, quod factum est, conversum atque mutatum », sed carne, ut carnalibus congruenter appareret indutum. « Ita sane factum, ut ibi sit non tantum Verbum Dei et hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima; atque hoc totum et *Deus* dicatur propter Deum, et *homo* propter hominem. Quod si difficile intelligitur, mens fide purgetur a peccatis abstinendo et bona operando; difficilia enim sunt haec ». Idem in libro de Fulgentius. Fide ad Petrum [5]: « Dei Filius, cum sit Deus aeternus et verus, pro nobis factus est homo verus et plenus: in eo *verus*, quia veram habet Deus ille humanam naturam; in eo vero *plenus*, quia et carnem humanam suscepit et animam rationalem ». Item: « Non aliud fuit illa Dei summi exinanitio nisi formae servilis, id est naturae humanae, susceptio. Utraque igitur est in Christo forma, quia utraque vera et plena est in Christo substantia », divina scilicet et humana. Idem in libro contra Maximinum [6]: « Cum esset per se ipsum invisibilis, visibilis in homine apparuit, quem de femina suscipere dignatus est ». Item in eodem: « Nos Christum Dominum verum hominem susceppisse credimus, et in ipso visibiliter invisibilem hominibus apparuisse, in ipso inter *homines conversatum fuisse*, in ipso ab hominibus humana pertulisse, in ipso homines docuisse ». Hilarius quoque in decimo libro de Trini- Hilarius. tate [7] ait: « Quomodo Dei Filius natus est ex Maria, nisi quod *Verbum caro factum* est, scilicet quod Filius Dei, cum *in forma Dei esset, formam servi accepit?* Unum tamen eundemque non Dei defectione, sed hominis assumtione profitemur, et in *forma Dei* per naturam divinam, et in *forma servi* ex conceptione Spiritus sancti secundum hominis habitum repertum fuisse ». « Non fuit habitus ille tantum *hominis*, sed *ut hominis*; neque caro illa *caro peccati*, sed in *similitudine carnis peccati* ». — Audistis tres secundum diversos positas sententias et pro singulis inducta testimonia.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM VI.

De modo illius unionis secundum varias doctorum opiniones.

Ex praemissis autem emergit quaestio.

DIVISIO TEXTUS.

Supra determinavit Magister de modo illius excellentissimae unionis secundum fidei assertionem; in hac parte determinat secundum variam doctorum opinionem [1]. Et quoniam secundum varietatem opinionum variatur intellectus locutionum circa illius unionis mysterium, ideo pars ista habet duas partes.

---

[1] Cod. D *imbecillitate*, et paulo inferius pro *cum ea* habet *in his*.

[2] Codd. A D et ed. 1 *homine*, et deinde codd. A B C E et edd. 3, 5, 6, 7, 9 pluries *similitudine* pro *similitudinem*; denique post *suscipiendo* codd. omnes et edd. 1, 5 addunt *et*.

[3] Ibid. n. 2. [4] Cap. 21. n. 31, ubi et seq. locus.

[5] Cap. 2. n. 10. — Pro *Dei Filius* codd. A D E et edd. 1, 5, 8 *Deus Filius*, refragante etiam originali. Seq. locus ibid. n. 20. 21, in quo Vat. et plurimae edd., exceptis 1, 8, ante *exinanitio* praefigunt *susceptio vel*.

[6] Est potius liber de Fide contra Manichaeos c. 22 (inter opera Augustini); seq. locus ibid. c. 26, ubi edd. 1, 5, 8 *Christum Deum* pro *Christum Dominum* et cum cod. E *in Christo* pro *in ipso*. — Respicitur ibi Bar. 3, 38.

[7] Num. 22. — Pro *per naturam* Vat. cum pluribus edd. *propter naturam*. Seq. locus est ibid. n. 25.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Cod. G *expositionem*.

In quarum prima circa unionis mysterium plures explicat opiniones. In secunda vero ostendit, qualiter secundum illas opiniones determinari habeant ambiguae locutiones, infra, distinctione septima: *Secundum vero primum dicitur Deus factus* etc.

Prima pars dividitur in duas partes. In quarum prima Magister proponit ambiguas locutiones. In secunda vero circa modum divinae unionis explicat diversas opiniones, ibi: *In huius autem quaestionis reseratione* etc. Prima pars remanet indivisa. Sed secunda subdividitur in tres secundum tres opiniones. In prima [1] ponit primam opinionem; in secunda secundam, ibi: *Sunt autem et alii, qui istis in parte consentiunt.* In tertia vero tertiam, ibi: *Sunt autem et alii, qui in incarnatione Verbi* etc. Prima dividitur in duas. In prima opinionem narrat; in secunda confirmat, ibi: *Sed ne de suo sensu loqui putentur* etc. Similiter secunda duas partes habet. In prima ponit illam [2] opinionem; in secunda confirmat, ibi: *De hoc Augustinus in libro Prosperi.* Similiter et tertia pars habet duas, quia in prima ponit intellectum tertiae positionis; in secunda confirmat Sanctorum testimoniis, ibi: *Sed ne de suo sensu influere videantur.*

PRAENOTATA DE TRIBUS OPINIONIBUS.

Notandum est autem hoc in principio, quod ex- Opinio 1. plicatio primae opinionis in quatuor consistit articulis, secundum quod colligi potest ex verbis ipsius Magistri [3]. Primo enim ponebant, quod in ipsa incarnatione constitutus fuit unus homo ex anima et carne, ita tamen quod nihil constituebatur tertium ex homine et Deo. — Secundo vero dicebant hominem illum assumtum a Verbo. — Tertio vero, quia Deus est homo et e converso, dicebant, assumentem praedicari de assumto. — Et ex hoc consequebatur quarta positio, quod Christus est *duo*. Cum enim alius sit assumens, et alius sit assumtus, et Christus sit Deus assumens, et homo assumtus; suppositis praemissis, necessario habent ponere, quod Christus sit duo. Et hoc est ultimum, in quo [4] consummatur et denominatur ista positio.

Similiter explicatio secundae opinionis consistit Opinio 2. in quatuor articulis. Primo enim dicebat, quod in incarnatione non tantum est ex anima et corpore constituta una natura, sed etiam divinitas et humanitas ad unam concurrerunt [5] constituendam personam, ita quod persona Verbi ante incarnationem Verbi erat simplex, in incarnatione vero facta est composita. — Secundo vero simul cum hoc dicebat, quod si [6] in incarnatione Verbi aliquo modo persona facta est *composita*, non tamen facta est *alia*, sed eadem manens, quae prius erat. — Tertio vero subiungebat, quod etsi persona Verbi in incarnatione Verbi possit dici *composita*, non tamen potest dici *facta;* nec est concedendum, quod sit facta *persona*, quamvis concedi possit, quod sit facta *persona hominis*. — Et ideo quarto loco dicebat, quod Christus erat *unum*, non plura, quia persona Verbi non assumserat hominis suppositum, sed naturam.

Tertia similiter positio in quatuor consistebat ar- Opinio 3. ticulis. Nam primo negabat quod dicit positio prima; aiebat enim, quod in incarnatione ex carne et anima non est constituta tertia natura. — Secundo vero negabat quod dicit opinio secunda, pro eo quod non concedebat, quod ex illis duabus naturis persona esset composita. — Tertio vero subiungebat, quod persona Verbi carnem veram et veram animam per modum indumenti assumserat, ut hominum oculis visibilis appareret. — Quarto vero subiungebat, quod Christus non est *aliquid*, secundum quod homo; homo enim de Christo non praedicatur per modum *substantiae*, sed per modum *habitus*, per quem modum ille qui habet habitum, dicitur esse vestitus.

Omnia autem, quae dicta sunt, trahi possunt ex his quae in littera dicuntur. Possent autem et his multa adiungi, quia uno posito, sequuntur multa [7]. Verumtamen ista quae dicta sunt, principales positiones sunt praedictarum opinionum et ex verbis Magistri accipi possunt.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem eorum quae circa partem istam dicuntur, incidit hic quaestio principaliter circa duo.

Quaeritur primo de varietate harum opinionum, in qua videlicet sit maior probabilitas.

Secundo de qualitate et nobilitate illius unionis [8], ex qua consurgit harum opinionum diversitas.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum Christus sit unum, an duo, sicut dicebat prima opinio.

---

[1] Codd. A G I L N X an *In quarum prima.*

[2] Pro *illam* edd. *aliam.*

[3] Hic c. 2.

[4] Edd. *a quo;* subinde pro *consummatur* plurimi codd. et edd. 1, 2 *conservatur*, et pro *ista positio* cod. K *prima positio.*

[5] Codd. A F H U bb *concurrunt.*

[6] Cod. U *etsi*, edd. *scilicet.* Paulo inferius pro *manens* codd. K P Q Z bb *mansit.*

[7] Cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 6. in principio, et S. Thom. in principio huius dist.

[8] Plurimi codd. nec non edd. 1, 2 *de qualitate illius variationis;* sed infra in rubrica art. 2. omnes codd. et edd. exhibent *de qualitate et nobilitate illius unionis.*

Secundo quaeritur, utrum persona Christi sit simplex, an composita, sicut dicit [1] secunda opinio.

Tertio quaeritur, utrum Christus, secundum quod homo, sit aliqua substantia, an solum dicatur *homo* de Christo secundum habitum, sicut dicebat tertia opinio.

ARTICULUS I.

De varietate harum opinionum, in qua videlicet sit maior probabilitas.

QUAESTIO I.

Utrum Christus sit duo.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum Christus sit duo. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Augustinus ad Felicianum [2]: « *Aliud* est Filius Dei, *aliud* filius hominis »; sed quod est aliud et aliud est duo: ergo etc.

2. Item, Hilarius in libro nono de Trinitate [3]: « Christus, homo Iesus, quamvis sit *aliud* de Patre, *aliud* de Matre, non tamen *alius* »; sed quod est aliud et aliud est duo: ergo etc.

3. Item, Christus, secundum quod Deus, est unum unitate increata; secundum quod homo, est unum unitate creata: si ergo unitas creata et increata est alia et alia, ergo Christus est duo.

4. Item, differentia essentialis dat *esse* [4], ergo diversae differentiae essentiales dant diversa *esse*; sed in Christo est differentia essentialis naturae humanae, scilicet rationale, quae essentialiter differt a natura divina: ergo necesse est, Christum habere diversa *esse*. Sed quae habent diversa *esse* sunt duo: ergo videtur, quod Christus sit duo.

5. Item, *una natura* in pluribus personis facit, illas personas esse unum, sicut Pater et Filius et Spiritus sanctus in Trinitate unum sunt: ergo pari ratione *plures naturae* in una persona facient, illam personam esse duo; sed Christus est una persona in duabus naturis: ergo Christus est duo.

6. Item, propter unionem est communicatio idiomatum [5]; sed non est communicatio eiusdem ad se: ergo necesse est, inter ea quibus idiomata communicantur, esse differentiam. Sed non est communicatio idiomatum quantum ad *naturas*, sed quantum *ad supposita naturarum*, quae dicuntur de Christo, et quorum unum dicitur de altero: si ergo illud, de quo praedicantur duo diversa, est duo; videtur, quod Christus sit duo, cum in eo sit idiomatum communicatio.

7. Item, Christus, secundum quod *Deus*, est aliquid, quod *est Pater*, secundum quod *homo*, est aliquid, quod *non est Pater*: ergo est aliquid et aliquid [6]: ergo videtur, quod necesse sit ponere, Christum esse duo.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Damascenus in libro tertio [7]: « Divina natura humanam sibi univit in unam suarum hypostasum »: ergo si hypostasis nominat ipsum suppositum, unum est suppositum in Christo; sed illud, in quo est unum suppositum, unum est, non duo: ergo etc.

2. Item, Hilarius de Trinitate nono [8]: « Cum non sit *aliud* Filius Dei, *aliud* filius hominis, requiro, quis sit clarificatus »: ergo Christus non est *aliud* et *aliud*; nec *alius* et *alius*, et hoc constat: ergo non est duo, sed unum.

3. Item, « omne quod est, ut dicit Boethius [9], ideo est, quia unum est »; sed Christus est: ergo necesse est, Christum esse unum et unum *simpliciter* et *in actu*, igitur est indivisum; et quod est indivisum non est duo: ergo Christus non est duo.

4. Item, sicut *divisio* dicit ordinem ad multi-

---

[1] Codd. F G I L N T U aa *dixit*, quod cod. Q paulo inferius pro *dicebat* ponit.

[2] Sive contra Felician. Arian. de Unitate Trinitatis (habetur inter opera August., sed est Vigilii) c. 11.

[3] Num. 14, sed tantum quoad sententiam. Dicit enim ibi Hilarius: Per sacramentum autem evangelicae dispensationis *non alius* est in forma servi, quam qui in forma Dei est, cum tamen servi formam accipere et in forma Dei manere *non idem* sit etc. Cfr. ibid. n. 4. Cod. R allegat 3. *de Trinitate*. Ipsa verba testimonii allati potius inveniuntur apud Gregor., XVIII. Moral. c. 42. n. 85, et apud Isidor., I. Sent. c. 14. n. 8. Infra d. VII. c. 2. ista verba a Magistro tribuuntur Augustino.

[4] Cfr. Porphyr., de Praedicab. c. *de Differentia*, in fine.

[5] Vide supra pag. 14, nota 3.

[6] Vat. addit *et per consequens est aliud et aliud*.

[7] De Fide orthod. c. 6. — In auctoritate allegata codd. et edd. 1, 2, a textu origin. discrepantes, pro *in unam suarum hypostasum* minus praecise exhibent *in unam suam hypostasim*. Lectioni a Vat. et a nobis receptae primitus etiam codd. K Z assentiebantur (postea lectio eorum communicata est a secunda manu). Cfr. tamen infra lit. Magistri, d. IX. — Paulo inferius pro *unum est, non duo* edd. et codd., exceptis codd. K (a prima manu) et Z, quos sequimur, incepto *unum est in Christo, non duo*. In cod. M desunt verba *unum est suppositum in Christo; sed illud, in quo est unum suppositum*.

[8] Num. 40. In testimonio allato Vat. bis pro *aliud* substituit *alius*. Nostra lectio sumta est e codd. K Z bb, et notamus, quod sunt plures alii codd., ut A F etc., qui semel saltem exhibent *aliud*. Magister quoque, d. VII. c. 2, stat pro nostra lectione, et editores Maurini in nota ad calcem operis cit. apposita asserunt, lectionem *aliud*, licet minus accurata sit, tamen in vetustissimis codd. inveniri. Demum nostram lectionem comprobat etiam sententia et processus ipsius argumenti.

[9] In libro de Unitate et uno. Cfr. lib. de Una Persona et duab. natur. c. 4, de quo vide supra d. 5. a. 2. q. 2. fundam. 2.

tudinem, sic *unio* dicit ordinem ad unitatem [1]: si ergo in incarnatione non fuit divisio, sed magis unio; videtur, quod esse *multa* sive *duo*, nullatenus conveniat Christo.

5. Item, si Christus est duo, quaero: quid duo? aut duae *naturae*, aut duae *personae*; neutrum horum est dare: *naturae* duae non, quia natura humana non praedicatur de Christo; duae *personae* non, quia, sicut supra [2] ostensum fuit et inferius ostendetur, in Christo non est nisi una persona: ergo etc.

6. Item, si aliqua duo differunt essentialiter in suppositis, impossibile est, unum praedicari de altero; sed Deus et homo essentialiter differunt: ergo si in Christo habent differentiam suppositorum, ergo non praedicantur de se mutuo: ergo nec Deus est homo, nec homo Deus, quod est communiter contra omnes Sanctos [3].

7. Item, « individuum constat ex proprietatibus, quarum collectionem impossibile est in altero reperiri [4] »; sed quidquid dicitur de Filio Dei, dicitur de filio hominis, et e converso: ergo Filius Dei et filius hominis in Christo non differunt numero, sicut individua duo: ergo Christus non potest dici *duo individua* sive *supposita*, nec potest dici *duae naturae*: ergo nullatenus videtur, quod debeat dici *duo*.

CONCLUSIO.

Christus non debet dici duo, sed unum.

Sensus triplex.

Conclusio 1

Conclusio 2

Respondeo: Dicendum, quod cum quaeritur, utrum Christus sit duo, hoc tripliciter potest intelligi: uno modo, ut dicatur Christus esse *duae naturae*; et hoc modo nullus posuit nec intellexit, Christum esse duo, pro eo quod humana natura non praedicatur de Christo [5]. — Alio modo potest intelligi, quod Christus sit duo, videlicet *duae personae*; et hoc modo fuit haereticum et contra Symbolum. Dicit enim Athanasius [6]: « Non duo tamen, sed unus est Christus ». — Tertio modo potest intelligi, quod Christus sit *duo medio modo*, non quia Christus sit duae naturae, vel duae personae, sed quia sit *duo supposita*, vel *duae res naturae*, quae tenent [7] quasi medium inter dualitatem naturae et dualitatem personae. Et iste modus dicendi pertinuit ad primam opinionem, nec est haereticus, sed multam habuit probabilitatem. Cum enim diversis naturis diversae respondeant *res naturae*, et diversis *substantiis* diversa respondeant *supposita*; ideo dicere voluerunt, Christum, qui est Deus ratione divinae naturae, et homo ratione humanae, esse *duas res naturae*, quarum tamen una praedicatur de altera propter unitatem personae. Notandum.

Non probatur.

Sed licet haec positio habeat aliquid probabilitatis, aliquid tamen dicit adeo improbabile, quod paucos aut nullos habet defensores. Planum enim est, quod illa, quorum unum de altero praedicatur, invicem non numerantur, quamvis formaliter distinguantur; utpote si dicatur: Petrus est musicus, *musicus* et *Petrus* non sunt duo, quamvis inter *Petrum* et *musicam* suam sit distinctio [8]. Si ergo haec opinio dicit, quod Deus est homo, et homo est Deus; non potest sustineri, quod sint duo in Christo, secundum quod dicuntur *concretive ad suppositum*. Et ideo concedendum est, istam opinionem esse *falsam*, et huius opinionis auctores deceptos fuisse. Conclusio 3.

Origo deceptionis.

Ratio autem huius deceptionis venit ex hoc, quod non distinxerunt inter *suppositum*, secundum quod suppositum dicitur quod *subiicitur generi* [9], et *suppositum*, quod dicitur illud, in quo *substantificatur totum esse rei*; cum tamen magna sit differentia. Si enim dicatur *suppositum* quod *subiicitur generi*; corpus et color diversa habent supposita, quia diversas habent differentias [10]. Si autem dicatur *suppositum*, secundum quod in eo *substantificatur totum esse rei*; sic corpus et color unum possunt habere suppositum, quia una est substantia et unum individuum, in quo salvatur natura [11] *corporalitatis* et natura *coloris*. Res autem non numeratur secundum *supposita in subiiciendo et praedicando*, sed secundum numerum *suppositorum in essendo et substantificando*. — Quoniam igitur natura humana in Christo substantificatur in divina persona, hinc est, quod unum est ibi suppositum, secundum quod attenditur numeratio rei quantum ad Notandum. Notandum. Notandum.

---

[1] Boeth., III. Comment. in Porphyr. c. *de Specie*: Dividere enim est in multitudinem quod unum ante fuerat dissolvere; omnisque divisio e contrario compositionem coniunctionemque meditatur.

[2] Dist. 5. a. 2. q. 2. et infra a. 2. huius dist. q. 1. — In *maiori* pro *quid duo* Vat. substituit *quae duo*. Subinde ante *neutrum* codd. N X Y interiiciunt *sed*.

[3] Cfr. infra d. 7. a. 1. q. 1.

[4] Porphyr., de Praedicab. c. *de Specie*, in fine. Cfr. de hoc arg. Anselm., de Fide Trin. c. 6.

[5] Scil. in abstracto sive per essentiam, dicendo: Christus est humana natura. Cfr. infra ad 5. et 6.

[6] In Symbolo.

[7] Pro *tenent* non pauci codd. *tenet*, perperam. Paulo inferius pro *multum habuit probabilitatem* codd. D O *multum habuit probabilitatis*. Deinde pro *voluerunt* codd. K Z *voluit*.

[8] Cfr. Aristot., V. Metaph. text. 7. et 16. (IV. c. 6. et 9).

[9] De his infra d. 10. a. 1. q. 3. dicitur: Est suppositum *in quo* et suppositum *de quo*, scilicet « de quo alterum praedicatur et quod subiicitur superiori », quod S. Thom. (hic a. 1. quaestiunc. 2) vocat *suppositum locutionis*. Cfr. Porphyr., de Praedicab. c. *de Specie*. — Suppositum, in quo totum *esse* rei salvatur, est substantia in se subsistens (cfr. supra d. 5. a. 2. q. 2, scholion).

[10] Vel aliis verbis: *Corpus* et *color* diversa sunt supposita, quia sub diversis generibus (substantiae et qualitatis) ponuntur; atque secundum logicam et grammaticam eis tribuuntur diversa supposita, quia species, quae sub ipsis tanquam generibus ponuntur et in quas dividuntur, sunt diversae.

[11] Vat. perperam addit *personalitatis sive suppositi et*. Subinde pro *corporalitatis* codd. K Z *corporeitatis*.

Conclusio 4. *esse in actu.* Et ideo Christus non debet dici duo, sed unum. — Et concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad illas ergo duas auctoritates ad contrarium, quae obiiciuntur, quod Christus est aliud et aliud; dicendum, quod illae praedicationes sunt *impropriae* et debent sic exponi: Christus est aliud Notandum. et aliud, id est *alterius* et *alterius naturae.* Et ex hoc non sequitur, quod Christus sit duo, sed solum, quod in Christo sint plura [1]. Locutio enim impropria non est extendenda.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Christus est unum, secundum quod est *Deus*, unitate increata, et unum, secundum quod *homo*, unitate [2] creata; dicendum, quod magis proprie dicitur *unus*, quam dicatur esse *unum.* In Christo enim est una sola persona, quamvis non sit una sola natura. Nihilominus tamen potest dici *unum*, secundum quod Deus, et *unum*, secundum quod homo. Illud tamen unum et illud [3], secundum quod dicuntur de Christo, non ponunt in numerum, quia Christus non dicitur unum, secundum quod homo *abstractive*, sed *concretive.* Quamvis autem unitas creata et increata possint dici duo; quia tamen in Christo, secundum quod dicitur, *concretive* dicitur, unitas creata ad suppositum increatum comparatur et de eodem praedicatur; ideo non ponit in numerum, ut Christus possit dici duo, sicut nec *Petrus* et *hoc album*, eodem demonstrato [4].

4. Ad illud quod obiicitur, quod diversae differentiae essentiales dant diversa *esse;* dicendum, quod illud verum est, quando suppositum illud, ad quod comparantur illae differentiae, non praecedit naturaliter quantum ad *esse* actuale aliquam illarum differentiarum: sicut Petrus non est ante istam differentiam [5] *rationale*, et Brunellus ante istam differentiam, quae est *irrationale.* Non sic autem est in proposito. Nam Filius Dei, qui est hypostasis, est suppositum humanae naturae per unionem et naturaliter praecedit quantum ad *esse* actuale essentialem differentiam hominis. Et ideo illa differentia non Notandum. dat ei *esse simpliciter*, sed *tale esse;* advenit enim hypostasi iam completae in *esse*, et ideo non potest in eam plurificari.

5. Ad illud quod obiicitur, quod una natura in pluribus personis facit esse unum etc.; dicendum, quod non est simile, quia natura divina sic est in pluribus personis, quod de qualibet praedicatur, non solum in *concretione*, sed et in *abstractione;* et ideo, cum ipsa sit una, necesse est, illas tres hypostases esse unum quid. Duae autem naturae ita concurrunt in unam personam Christi, ut tamen humana natura praedicari non valeat in *abstractione*, sed magis in *concretione* ad idem suppositum; et quia hoc modo non numerantur, sed uniuntur, ideo non potest una persona dici plura, sicut plures personae in divinis dicuntur una natura.

6. Ad illud quod obiicitur, quod propter unionem est communicatio idiomatum; dicendum, quod verum est. — Si autem quaeratur, quid ibi [6] com- Quaestio solvitur. municet idiomata; respondendum est, quod non *natura* naturae, secundum quod considerantur in *abstractione*, sed *hypostasis* divinae naturae communicat sibi idiomata, secundum quod est hypostasis in humana natura; non quia ipsa in se sit diversa, sed quia diversis naturis est supposita. — Vel certe Alio modo. *ipsae naturae*, secundum quod dicuntur in *concretione*, possunt sibi ipsis idiomata communicare, ut dicatur: Deus est homo, et homo est Deus; et quando intelliguntur sic accipi, dicitur [7] ut *res na-* Notandum. *turae*, quae quasi medium tenet inter naturam abstractive consideratam et ipsam hypostasim. Et hoc modo est ibi recte communicatio idiomatum, quia est ibi *diversitas* inter *res naturae*, habito respectu ad *ipsas naturas;* et est ibi *unitas*, habito respectu ad ipsam *personam* [8].

Et *si tu obiicias*, quod Christus tunc non de- Obiectio solvitur. bet dici nec unum, nec duo, sed medium tenere inter dualitatem et unitatem; dicendum, quod quamvis *res naturae* habeant rationem medii, plus Nota. tamen quantum ad unitatem se tenent cum ipsa *hypostasi.* — Et ratio huius est duplex, *prima* vide- Ratio duplex. licet, quia *res naturae* praedicatur de ipsa hypostasi, sed non praedicatur de ipsa natura abstractive

---

[1] Sicut non sequitur, ut Alex. Hal. ait S. p. III. q. 6. m. 2. a. 1, ex parte hominis, quod quamvis [ipse] sit corpus et anima coniuncta, et anima est unum et corpus unum: ergo homo est plura.

[2] Codd. A F G H I L N T U Z aa *in unitate.*

[3] Intellige cum cod. K *et unum.* Paulo inferius edd. verbis *homo, abstractive* praemittunt *dicitur.* Deinde pro *Quamvis autem* codd. K Z bb *Quamvis enim*, et versus finem solut. pro *non ponit in numerum* cod. G *non potest concedi.*

[4] Cfr. Rustic. Diacon. (circiter an. 550) contra Acephalos disputatio. Rationem habentes eorum quae infra q. 3. in corp. occurrunt, addimus hic solutionem Gulielmi Antissiodorensis, qui S. p. III. tr. 1. q. 3. dicit: «Dicimus, quod revera Christo inest binarius essentialis; sed quia una unitatum illius binarii est [1], licet sit essentialis, tamen *degenerat in accidentalem, sicut et ipsa humanitas;* ideo binarius ille non numerat supposita, sed naturas, sicut binarius accidentium non numerat subiecta, sed suas formas». In exemplum adducit Aristot., V. Metaph. text. 13. (IV. c. 7.), hominem iustum musicum. — In propositione non satis clara, supplendum videtur *unitas* post *secundum quod.*

[5] Cod. U subiicit *quae est.* Paulo inferius post *naturaliter praecedit* codd. A B D F I (K a prima manu) L N T U interserunt *et* (i. e. etiam). Deinde post *advenit* edd. omittunt *enim*, omissa etiam interpunctione ante *advenit.*

[6] Pro *ibi* cod. bb *sibi*, codd. G N T *tibi*, codd. A I K L aa *cui.* — Fuse agit de his Damasc., IV. de Fide orthod. c. 18.

[7] Vat. clarius *dicuntur*, et subinde pro *quae quasi medium* cum edd. 1, 2 et compluribus codd. *quia medium*, et immediate post sola *tenent* pro *tenet.*

[8] Codd. U Z bb *ad ipsas personas.* Verba *et est ibi unitas... personam* in plurimis codd. nec non in edd. 1, 2 desunt.

considerata, nec e converso. *Alia* ratio est, quia *denominatio* fit *a termino*[1], *unio* autem ordinatur tanquam *ad terminum;* et quia in Christo naturae in una hypostasi uniuntur, ideo *res naturae* in Christo non ponunt in numerum, ut propter ipsas Christus dicatur esse duo.

7. Ad illud quod obiicitur, quod Christus est aliquid, quod est Pater; dicendum, quod cum dicitur Christus esse *aliquid*, secundum quod homo, *aliquid* non dicit ipsam *naturam abstractam*, sed *naturae suppositum*. Unde cum dicitur Christus esse *homo*, relatio implicatur intrinsecus[2]. Sicut igitur non valet: Christus est *essentia*, quae est Pater, et est *persona*, quae non est Pater, ergo est duo; quia *essentia* non ponit in numerum cum *persona*, nec dictum *substantialiter* cum eo quod dicitur *secundum relationem:* sic non habet vigorem aliquem illatio rationis praedictae. Unde peccatum illius illationis reduci potest ad locum sophisticum, qui est *figura dictionis*[3].

SCHOLION.

I. Magister in hac et seq. distinctione fuse refert famosas illas tres opiniones de Christo homine, de quibus a tempore Abaelardi in scholis per saecula est disputatum, licet paulo post Lombardum, qui rem iniudicatam reliquit, theologi in reiiciendis primae et tertiae opinionis positionibus communiter convenerint. Cum S. Bonav. in Commentario ad utramque dist. passim has opiniones tangat, nonnulla praelibanda videntur, ut intelligatur, tum quid ipsae *doceant*, tum quid de singulis *sit iudicandum*.

Primo igitur est notandum, de quo *obiecto* controvertebatur; deinde quae *principia* ab omnibus *praesupponebantur;* denique quas *theses* singulae sustinebant, et in quibus inter se differebant.

Obiectum, de quo controvertebatur, fuit, quid proprie constituat *hominem Christum*, ut homo est.

Praesupponebant autem omnes, ut fusius docet S. Thom. (hic post *divisionem textus*), et conveniebant in quatuor: 1. ex parte *termini* unionis confitebantur *unam* in Christo personam, contra Nestorium; 2. ex parte *effectus* fatebantur, duas naturas distinctas et inconfusas remansisse, contra Eutycheten; 3. ex parte *assumti* concedebant, et perfectam animam et corpus assumta fuisse, contra Apollinaristas aliosque haereticos; 4. ex parte *modi assumtionis* docebant, formationem, unionem, assumtionem eodem temporis instanti evenisse, distinguentes tantum ordinem *naturae*, et hoc est contra quendam errorem a Damasceno (IV. de Fide orthod. c. 6.) relatum.

Theses principales singularum opinionum breviter, sed sufficienter a nostro auctore (hic post *divisionem textus*, cfr. etiam infra d. 7. post *divisionem textus*) enumerantur. Plura exhibent Alex. Hal. (S. p. III. q. 6. per totam); nec non S. Thom. (loco cit. et brevius S. III. q. 2. a. 3. 6.), qui distincte proponit, in quibus singulae conveniant atque differant, insuper in plerisque harum distinctionum quaestionibus docet, quid ad eas secundum principia uniuscuiusque opinionis resolvendum sit; demum clarissime eas exponit Ægid. R., hic q. 1. a. 3. et dub. lat. Etiam posteriores Scholastici de iisdem agunt et inter priores Gulielm. Antissiodorensis, Summa aurea libr. III. tr. 1. q. 1. 8. — Fundamentum autem et radix primae opinionis, quae secundum Antissiodorensem (loc. cit. q. 8.) fuit archiepiscopi Senonensis et sequacium, est assertio, quod anima et corpus *unita* assumuntur, et quidem ita, ut ex *ista unione*, quae secundum intellectum praecedit assumtionem ad Verbum, constituatur non solum *humanitas*, sed etiam *homo*. — Secunda opinio vult, quod non ex sola unione *corporis et animae*, sed insuper ex unione *cum persona Verbi* oriatur, quod sit *iste homo*. — Tertiae opinionis fundamentum est duplex, scilicet, quod ex ista unione animae et corporis in Christo non resultet *unum tertium*, et quod haec duo adveniant divinae personae *accidentaliter*. Haec fuit opinio Abaelardi.

Secundo. Ex praedictis satis patet, defensores istarum opinionum intentionem quidem habuisse defendendi veritatem catholicam, patronos tamen primae et tertiae opinionis pravo dialecticae usu se ipsos laqueis sophisticarum rationum irretisse et incidisse fere in errorem Nestorii. Communiter igitur posteriores Scholastici *tertiam* opinionem censurant ut haereticam (vide infra q. 3.), *primam* (de qua hic agitur) ut falsam; et approbant *secundam* ut omnino tenendam; tamen de 2. eiusdem articulo, quod persona Verbi incarnata aliquo modo facta sit composita, remanebat dubium, quod in seq. quaestione discutitur (de his opinionibus vide etiam infra a. 1. q. 3. in fine). — Observamus autem, S. Thomam in Sum. (III. q. 2. a. 6.) censurasse tum primam tum tertiam opinionem ut haereticam. Tamen in Comment. (hic q. 1.) mitiore censura reprobat *primam* opinionem, immo (ibid. a. 2.) de eadem dicit: « Non est *haeretica* ». Similiter etiam Alex. Hal. excusat eandem, « quantum valemus »; similiter B. Albert., Petrus a Tar., Scotus aliique, excepto Ægidio R., non ita gravi censura eam qualificant. — Mirum sane est, quod Petrus Lombardus non ausus sit suum iudicium de his opinionibus determinate ferre (cfr. d. VII. in fine). Hac de causa et ob quandam de Trinitate doctrinam (sed sanam) Magistrum acerrime insectatur Walterus, Prior S. Victoris (Parisiis) in quodam libro « contra manifestas et damnatas etiam in Conciliis haereses » etc., ipsumque in prologo numerat inter « quatuor labyrinthos Franciae », simul cum Abaelardo, Petro Pictaviensi et Gilberto Porretano, utpote « uno Aristotelico spiritu afflatos » (cfr. dissertatio P. Denifle in recenti periodico Archiv für Litteratur und Kirchengeschichte des Mittelalters von H. Denifle O. Pr. et Fr. Ehrle S. I, Heft 2. 3. pag. 406 seqq. et Heft 4. pag. 584).

II. In hac quaest. reprobatur primae opinionis articulus quartus, quo quidem falsitas principiorum, ex quibus legitime sequitur, manifestatur. Cum sententia communi suae aetatis S. Bonav. hanc positionem pluribus modis repetit *esse falsam*. Ne autem sibi ipsi contradicat, verba eius (in corp.): « Nec est haereticus, sed multam *habuit* probabilitatem », restringenda sunt ad solam et simplicem thesim, Christum esse duo (praescindendo a modo explicationis et ab aliis articulis) et ad *praecedentia tempora*, quando res nondum erat profundius discussa.

III. Distinctio inter *suppositum* et *personam*, quam prima opinio hic adhibet, scilicet ut tribuat Christo unam quidem *personam*, quae significet quid completissimum, sed duo *supposita*, quasi humana natura esset quid subsistens, certissime est

---

[1] Cfr. supra pag. 46, nota 5. — Mox post *ordinatur* Vat. supplet *ad ipsam hypostasim vel personam*. Subinde pro *et quia in Christo naturae* codd. W Y *et quia in Christo res naturae*.

[2] Scil. relatio humanae naturae ad Verbi personam, qua natura humana subsistit. — Paulo inferius, ubi legimus *ponit in numerum cum persona*, edd. 1, 2 *ponit numerum in persona*. Etiam multi codd. pro *cum persona* exhibent *in persona*.

[3] De qua vide Aristot., I. Elench. c. 3. (c. 4.) et tom. I. pag. 740, nota 6. — Pro *illius illationis* codd. C H N X *illius locutionis*.

falsa. *Radicem* huius erroris S. Bonav. in eo invenit, quod *decepti* non distinxerint suppositum in sensu *aequivoco* vel abusivo, et suppositum *proprie dictum*, ut ibi et clarius infra d. 10. a. 1. q. 3. in corp. circa med. explicatur. Minus proprie igitur loquitur eximius Suarez (Comment. in S. III. t. I. disp. 7. sect. 3.) dicens, S. Bonaventuram « ita *explicare* » illam sententiam, et quidem improbabiliter. Non enim ita eam *explicat*, sed potius hoc modo *confutat*. Etiam S. Thom. (hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2.) commemorat duplicem sensum termini *suppositum* his verbis: « Unum (in Christo) est suppositum; nisi dicatur *suppositum locutionis*, quia sic, de quocumque potest fieri sermo, est suppositum ». Similem huic distinctionem habet S. Bonav. supra d. 5. a. 2. q. 3. ad 5, adiungens, talem considerationem esse grammatici, non theologi. — Licet S. Doctor reprobat hanc opinionem, quod sint in Christo *duae res naturae*, tamen in secunda solut. ad 6. concedit, quod terminus *res naturae* aliquatenus medium teneat inter *naturam* et *personam*. Etiam alii antiqui Scholastici, ut Alex. Hal. (S. p. III. q. 6. m. 2. a. 3, q. 7. m. 1. a. 3.), B. Albert. (hic a. 2.), S. Thom. (hic q. 1. a. 1.), Petr. a Tar. (hic q. 2. a. 1.), Ægid. R., (hic q. 1. a. 1. et dub. lat. 4.) aliquam distinctionem inter praedicta faciunt. Sed cum terminus *res naturae* in scholis fere cessaverit, vel non distinguatur a *supposito*, non vacat in hac subtilitate immorari. — Solut. ad 4. ponit *unum esse* simpliciter in Christo, cum S. Thoma (hic q. 2. a. 2; S. III. q. 17. a. 2; de Unione etc. a. 4.).

IV. De ipsa quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 6. m. 2. a. 1. — Scot., in utroque Scripto hic q. 2. — S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. III. q. 17. a. 1; S. c. Gent. IV. c. 38; Quaest. de unione Verbi incarnati a. 3. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Ægid. R., hic q. 3. a. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 6. — Biel, hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum persona Christi sit una unitate simplici, an composita.

Secundo quaeritur, utrum persona Christi sit una unitate simplici, aut composita, sicut dicebat secunda opinio. Et quod habeat in se unitatem compositam, videtur:

Ad oppositum.

1. Primo per illud quod dicitur in Symbolo[1]: « Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus »; sed homo est compositus ex anima et carne: ergo Christi persona est composita ex divinitate et humanitate.

2. Item, Damascenus in tertio libro[2]: « In Domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus, unam hypostasim ex utrisque compositam »: si ergo secundum ipsum idem est hypostasis et persona, ergo etc.

3. Item, intellectus personae praesupponit intellectum naturae[3]; sed si est compositio in eo quod praesupponitur, necessario est compositio in eo quod supponit: cum ergo natura humana in Christo sit composita, necessario sequi videtur, quod et persona composita dici debeat.

4. Item, si Christus esset solum ex anima rationali et carne, haberet hypostasim compositam: ergo cum habeat in se animam et carnem et divinitatem, per locum *a minori*[4], multo magis videtur habere compositam hypostasim.

5. Item, Christus est homo aut *simplex*, aut *compositus;* constat, quod non simplex, quia hoc est contra naturam humanitatis: est ergo homo compositus. Sed homo non praedicatur de Christo nisi ratione suppositi et hypostasis[5]: ergo videtur, quod persona in Christo debeat dici composita.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Omne compositum compositione temporali est temporale: si ergo persona Christi est composita, et non nisi compositione temporali; ergo persona Christi est temporalis: non ergo aeterna. Sed hoc est falsum: ergo etc.

2. Item, ubicumque est compositio de novo, ibi est mutatio: si ergo in incarnatione persona Christi fuit composita, necessario sequitur, quod fuerit mutata. Sed personam Verbi mutari est impossibile: ergo etc.

3. Item, ubicumque est compositio, ibi est imperfectio in utroque extremorum, quoniam « ex duobus entibus in actu non fit unum[6] », et componibilia possibilia sunt respectu compositi; sed nec in natura Verbi nec in persona potest esse aliqua imperfectio: ergo nec compositio.

4. Item, ubi est compositio, compositum non praedicatur de aliquo extremorum, sicut patet, quia homo nec est anima nec est caro: ergo si persona Christi composita est ex divinitate et humanitate, ergo Christus nec est Deus nec est homo, nec Creator nec creatura. Quodsi hoc est falsum, restat, quod persona Christi non est composita.

5. Item, ubi est compositio, unum extremorum non praedicatur de altero — unde cum homo componatur[7] ex anima et carne, nec anima est caro, nec e converso — ergo si persona Christi esset composita, nec homo esset Deus, nec Deus homo; quodsi hoc est falsum, restat etc.

---

[1] Athanasii.

[2] De Fide orthod. c. 4; fusius de hac re agit ibid. c. 7. et IV. c. 5. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

[3] Vide Boeth., de Una Persona et duab. natur. c. 2. seq. Cfr. supra pag. 37, nota 1. — Inferius pro *sequi videtur* codd. K Z *sequitur*.

[4] De quo vide tom. I. pag. 835, nota 5. De hoc ipso arg. vide verba Augustini, hic lit. Magistri, c. 3. allata, et Epist. 137. (alias 3.) c. 3. n. 11.

[5] Ut explanatum est in quaest. praeced. ad 5. et 6.

[6] Aristot., VII. Metaph. text. 49. (VI. c. 13.). Cfr. III. Phys. text. 66. (c. 6.), ubi *parti* tribuitur ratio imperfecti et materiae.

[7] Codd. G H K L T U Z aa bb *componitur*.

CONCLUSIO.

Persona Christi non est composita, proprie loquendo, sed tantum in sensu largiore.

Distinctio. Respondeo: Dicendum, quod *compositio* dupliciter potest dici. Uno modo *proprie* dicitur compositio unio aliquorum duorum habentium mutuam inclinationem ad constitutionem tertii. Et hoc modo, Conclusio 1. sicut rationes ostendunt, persona Christi non potest dici composita [1]. Multa enim sequerentur inconvenientia, videlicet quod persona illa esset *mutata*, et quod esset *imperfecta*, et quod esset *temporaliter in esse producta*, et quod etiam *non communicarentur idiomata*. Et ideo hoc modo dicere, personam Christi esse compositam, non tantum esset falsum, verum etiam esset haereticum.

Alio modo dicitur compositio *large* simul-cum-alio-positio; et sic personalis unio potest dici com- Secunda opinio. positio [2]. Et per hunc modum dicebat *secunda* opinio, personam Christi esse compositam, non quia ipsa sit ex pluribus naturis constituta, sed quia persona illa *ante* incarnationem suppositum erat in una natura simplici; *post* incarnationem persona suppositum fuit divinae naturae et humanae, et hoc absque ulla mutatione facta in ipsa, sed solum ex parte humanae naturae, sicut ostensum fuit in prima distinctione huius libri [3]. Et ideo opinio ista, quae Conclusio 2. dicebat, personam Christi fuisse compositam, vera fuit et sanum habuit intellectum. — Quia tamen verbum calumniabile est, pro eo quod *compositionis* vocabulum consuevit accipi primo modo; ideo doConclusio 3. ctores praesentis temporis *sensum* huius opinionis retinent, declinantes compositionis *vocabulum*. In persona enim Christi non est compositio *proprie* dicta. — Unde concedendae sunt rationes, quae inductae sunt ad istam partem.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium Solutio oppositorum. de auctoritate Symboli, dicendum, quod non est Notandum. omnimoda similitudo inter animam et carnem, et divinitatem et humanitatem. Non enim est similitudo quantum ad extremorum compositionem, sed quantum ad hoc, quod [4] anima et caro concurrunt ad unitatem personae; sic etiam divinitas et humanitas in Christo in unitatem personae concurrunt, quamvis hoc fiat alio et alio modo.

2. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Damasceni, dicendum, quod Damascenus non accipit ibi *proprie* compositionem, sed *large*. Unde et verbum suum oportet exponere, quia fortasse non ita im- Notandum. proprie sonat in lingua Graeca, sicut in Latina. Unde dicitur hypostasis composita ex duabus naturis, non quia *ex illis duabus sit constituta*, sed quia in sacramento incarnationis factum est, ut hypostasis, quae erat sub una tantum natura, *in duabus* [5] et *sub duabus fieret*; unde magis proprie dicitur hypostasis esse *in* duabus naturis quam *ex* duabus naturis.

3. Ad illud quod obiicitur, quod intellectus personae praesupponit [6] intellectum naturae; dicendum, quod verum est de natura, quae dat *primum esse* personae, et talis est divina natura respectu personae Christi. Et propterea, quamvis natura humana sit composita, non sequitur, quod propter hoc persona Christi compositionem habeat.

4. Ad illud quod obiicitur, quod si Christus esset solum ex anima et carne, haberet hypostasim compositam; dicendum, quod verum est, quia tunc haberet *primum esse* hypostasis eius ex humana natura, quae quidem composita est. Nunc autem non est simile, quia persona Christi suum *esse primum* habet ex divina natura, quae quidem est omnino simplicissima. Et ideo humana natura superadveniens, sicut non dat personae *esse personale*, sic non facit, eam esse *compositam*.

5. Ad illud quod obiicitur, quod Christus est homo compositus; dicendum, quod verum est; sed quod subiungit, quod *homo* praedicatur ratione hypostasis; dicendum, quod si ita intelligatur, quod Notandum. *homo* in praedicato ratione hypostasis praedicetur, veritatem non habet; quia secundum regulam Philosophi [7], quamvis terminus *subiiciatur* ratione *suppositi*, *praedicatur* ratione *formae*; et ideo hoc adiectivum *compositus* circa istum terminum *homo* non nominat compositionem quantum ad *suppositum*, sed quantum ad *formam*. Et propterea non potest ex hoc inferri, quod persona Christi sit composita.

SCHOLION.

I. Haec quaestio solvit dubium illud, utrum et quo sensu approbari possint verba secundi articuli secundae opinionis (cfr. supra Praenotata post *divisionem textus*), quod persona Verbi post incarnationem facta sit *composita*. Constat autem, quod *compositio* in illo ente, quod vocatur Christus, est prorsus singularis, et quod respectu *personae divinae* hic terminus purificandus est ab illis imperfectionibus, quae propriae et naturali compositioni inhaerent. Hinc antiqui magistri evitabant Christi *personam* nominare *proprie compositam*, nec compositionem admittebant nisi « in sensu largo », id est, ut sit compositio *ad hoc* sive *cum hoc*, non compositio *ex his*. Similiter praeferebant dicere, hypostasim Christi esse *in* duabus naturis, quam

---

[1] Cod. F *dici esse composita*.

[2] Cfr. Damasc., Dialectica, c. 65. seq. — Pro *simul* cod. U *scilicet*.

[3] Art. 1. q. 1.

[4] Cod. U subiicit *sicut*. Mox pro *ad unitatem* cod. A *in unitatem*.

[5] Vat. adiicit *esset*. Subinde pro *et sub* cod. U *sive sub*.

[6] Codd. A F G H I L N T U aa *supponit*.

[7] In libro de Praedicam., c. *de Substantia*, docet, de primis substantiis sive suppositis praedicatum dici secundum nomen et rationem. In I. Periherm. c. 5. (c. 7.) reprehendit propositionem: omnis homo est omne animal. — Paulo inferius post *praedicatur* edd. subdunt *tamen*.

dicere, *ex* duabus naturis. In hoc etiam S. Thom. (hic q. 2. a. 3.) concordat cum nostro Doctore dicens: « Persona Christi post incarnationem potest dici aliquo modo composita, in quantum ibi salvatur aliqua conditio compositi; non tamen est ibi vera ratio compositionis, quia deficit ibi altera conditio; unde etiam non est in usu modernorum » etc. Idem tamen in Sum. (III. q. 2. a. 4.) et praecipue Ægid. R. penitus approbare videntur sententiam multorum auctorum recentium, qui, innixi dictis Patrum Graecorum et Conciliorum, praesertim can. 8. et 4. Concilii V. oecumenici, determinate docent, terminum ex hac unione resultantem esse personam *proprie compositam*, sed *eminentiore* modo, quam res naturales compositae sint. — Sed in re ipsa vix dissentit S. Bonaventura.

II. Praeter laudatum S. Thomam: Alex. Hal., S. p. III. q. 6. a. 2. m. 5. — Scot., in utroque Scripto hic q. 3. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. — Ægid. R., hic q. 3. a. 3. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 8. — Biel, hic q. 1.

QUAESTIO III.

Utrum Christus, secundum quod homo, sit substantia, an homo *praedicetur per modum habitus et accidentis.*

Tertio quaeritur, utrum Christus, secundum quod homo, sit substantia, an *homo* praedicetur per modum habitus et accidentis, sicut dicebat opinio tertia. Et quod Christus dicatur homo per modum *habitus*, ostenditur.

Ad oppositum.

1. Ad Philippenses secundo [1]: *Habitu inventus ut homo;* super quod verbum dicit Hilarius de Trinitate: « Non fuit ille habitus tantum hominis, sed ut hominis »: ergo videtur tam ex hoc verbo, quod dicit *habitu*, quam ex hoc, quod dicit *ut homo* — quod importat similitudinem — quod Christus alio modo dicatur homo quam alii homines: et ita videtur, quod dicatur per modum habitus, non per modum substantiae.

2. Item, Augustinus in libro Octoginta trium Quaestionum dicit, et habetur in littera [2], quod « quartum genus habitus competit huic comparationi »; et illud quartum genus spectat ad hoc quod dicitur praedicari per modum habitus, ut esse vestitum et calceatum, quod est in quadam adiacentia: ergo etc.

3. Item, hoc ipsum videtur *ratione*. Quod advenit alicui iam in *esse* completo est illi accidens et praedicatur per modum accidentis [3]; sed humana natura advenit personae Christi iam in *esse* completo: ergo videtur, quod ei adveniat ut accidens et praedicetur per modum accidentis, non ergo per modum substantiae.

4. Item, quod praedicatur *denominative* est accidens et praedicatur per modum accidentis [4]; sed humana natura praedicatur de Christo *denominative* — unde Filius Dei dicitur *humanatus*, quod quidem non potest dici de alio homine — ergo videtur, quod non dicatur de ipso per modum substantiae, sed per modum accidentis.

5. Item, impossibile est, diversa genera praedicari de eodem essentialiter [5]: ergo multo minus erit possibile, divinam naturam et humanam convenire eidem essentialiter: ergo si Christus, essentialiter loquendo, est Deus; videtur, quod homo dicatur solummodo per modum accidentis sive per modum habitus.

6. Item, quae habent diversas definitiones non possunt praedicari de uno et eodem essentialiter [6]; sed Deus et homo diversas habent definitiones: ergo cum *Deus* dicatur de Christo essentialiter, *homo* non dicetur de eo substantialiter, sed solum accidentaliter.

Fundamenta.

Sed contra: 1. In decretali Alexandri Papae [7]: « Cum Christus perfectus sit Deus et perfectus sit homo, qua temeritate audent aliqui dicere, quod Christus non est *aliquid*, secundum quod homo »: ergo secundum sententiam Alexandri Papae *homo* praedicatur de Christo per modum *substantiae*.

2. Item, « substantia nulli est accidens », ut vult Philosophus [8]; sed humana natura in Christo est substantia: ergo nulli accidit: ergo non accidit personae Verbi.

3. Item, si humana natura accidit Christo, aut

---

[1] Vers. 7. — Verba Hilarii habentur X. de Trin. n. 25. Vide hic lit. Magistri, c. 5. in fine.

[2] Hic c. 5. — In testimonio allato pro *comparationi*, qua voce Magister usus est ad abbreviandam longiorem Augustini sententiam, codd. B G L M O aa bb et edd. 1, 2 exhibent *compositioni*. De proposit. seq. cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Habere;* V. Metaph. text. 28. (IV. c. 23.); nec non Gilb. Porret., de Sex princip. c. *de Habitu*, ubi inter alia haec: Habitus est corporum et eorum quae circa corpus sunt adiacentia, secundum quam *hoc* quidem habere, *illa* vero dicuntur haberi... ut armatum esse, calceatum esse.

[3] Vide de hoc verba Averrois, tom. II. pag. 327, nota 1. allegata. — Vat. addit *de illo*. Paulo inferius pro *in esse completo* codd. E F G I (K a prima manu) N T U X et edd. 1, 2 *in esse complete*.

[4] Secundum Aristot., de Praedicam. c. 1, cuius verba explicata habentur tom. I. pag. 475, nota 1. — In conclusione pro *dicatur* cod. U sincerius *praedicatur*.

[5] Cfr. secunda regula praedicamentalis, quam exhibet Aristot., de Praedicam. c. 4. (c. 2.), nec non IV. Topic. c. 2, quod cap. Alex. Aphrodisias (circiter an. 200 post Christum) exponens ait: Genera duo eiusdem esse non possunt, nisi sit alterum sub altero. — Paulo inferius pro *homo dicatur* codd. L aa *homo praedicatur*.

[6] Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 4.): Haec [essentiae] autem non eadem sunt, eo quod definitiones diversae.

[7] Libr. V. Decretal. Gregor. tit. 7. *de Haereticis*, c. 7, ubi textus origin. pro *qua temeritate audent aliqui dicere* exhibet *mandamus, quatenus sub anathemate interdicas, ne quis audeat dicere*, et dein post *quod homo* addit: quia, sicut Christus verus est Deus, ita verus est homo, ex anima rationali et humana carne subsistens. Cfr. Conc. Lateran. III. celebr. sub Alexandro III., tit. *de Haeret.* c. 20.

[8] Libr. I. Phys. text. 27. et 30. (c. 3.): Quod vere est [i. e. substantia] nulli accidit.

accidit Christo *Deo*, aut Christo *homini*; Christo *homini* non, quia nulli homini est accidentale esse hominem [1]; Christo, secundum quod *Deus*, similiter accidere non potest, quia nullum accidens potest Christo inesse ratione divinae naturae: ergo nullo modo videtur, quod possit praedicari per modum accidentis.

4. Item, nihil est univocum substantiae et accidentis [2]: ergo si de Christo dicitur secundum *accidens*, et de aliis hominibus secundum *substantiam*, ergo non dicitur *univoce*, sed *aequivoce*. Sed si hoc verum est, non videtur, quod sit de nostro genere, nec mors eius nostrae redemptioni proficere.

5. Item, substantia nobilior est accidente [3]: ergo si *homo* de aliis dicitur per modum *substantiae*, et de Christo per modum *habitus*, ergo *esse hominem* minus nobiliter convenit Christo quam aliis. Quodsi hoc est impium dicere, restat igitur idem quod prius, quod homo non dicatur de Christo per modum *habitus*, sed per modum *substantiae*.

6. Item, quod praedicatur per modum *habitus* et accidentis, non praedicatur per modum *substantiae* — unde quamvis homo dicatur *vestitus*, nunquam tamen dicitur *vestimentum* — ergo si Filius Dei diceretur *humanatus* per modum habitus, nunquam diceretur *homo*; quodsi hoc falsum est, restat idem quod prius [4].

CONCLUSIO.

Christus, secundum quod homo, est substantia et aliquid, et homo *de eo praedicatur substantialiter, non per modum accidentis et habitus nisi per quandam conformitatem.*

Respondeo: Dicendum, quod cum dicitur, quod *homo* dicitur de Christo per modum habitus et accidentis, dupliciter potest intelligi: aut ita, quod praedicatio illa sit *pure accidentalis*, ita quod non substantialis; aut ita, quod *aliquo modo* habeat *rationem praedicationis accidentalis*, et tamen secundum veritatem sit *substantialis*.

Dupiex sensus.

Si hoc *ultimo* modo intelligatur, sic veritatem habet, pro eo quod humana natura in Christo quodam modo proprietatem accidentis habet, in hoc videlicet, quod *substantificatur* in supposito alterius naturae, ita quod non dat illi supposito primum *esse*, sed advenit iam completo [5]. Unde sicut *albedo* non substantificatur in aliquo, quod sit in genere *qualitatis*, sed magis in *substantia*, nec illi dat *esse*, sed iam completo advenit; sic per quandam conformitatem est reperire circa Christi humanitatem, quae *substantificatur* in divina persona, habente perfectum *esse* ex alia natura quam ex ipsa humanitate, videlicet ex divina. Et propterea nostri doctores dixerunt, quod humana natura in Christo *vergit in accidens*, secundum quandam conformitatem [6]. Et hoc si intelligatur sane, est dictum subtiliter et catholice. — Maxime autem inter omnem modum accidentis modum *habitus* habet, pro eo quod *habitus* nominat adiacentiam unius substantiae respectu alterius, quae quidem potest esse, utriusque servata proprietate. Et ideo Apostolus, prudentissimus fidei praedicator, et Augustinus, subtilissimus fidei defensor, insinuant, aliquo modo Christum dici [7] hominem secundum *habitum*, non excludentes per hoc, quin homo dicatur de Christo secundum *substantiam*.

Conclusio 1.

Notandum.

De habitu.

Alio modo est intelligere, quod Christus dicatur *homo* secundum accidens, ita quod modus ille praedicandi *omnino* sit *accidentalis*, et non secundum substantiam [8]. Et hic modus dicendi, licet aliquando visus fuerit habere opinionis probabilitatem, manifeste apparet in se habere erroris temeritatem. Unde et illa tertia opinio, quae posuit hoc, ab Alexandro reprobata est; nec immerito, quia veritati illius unionis repugnat. Hoc enim dicit fides recta, quod divina natura et humana unitae sunt in unam personam: ergo *Deus* dicitur de Christo tanquam de proprio supposito, et *homo* similiter. Sed *homo* cum praedicatur de aliquo sicut de proprio supposito, *substantialiter* praedicatur et significat ipsum, de quo dicitur, esse aliquam substantiam; et ideo ex ipso fidei fundamento necessario sequitur, quod sit *aliquid*, secundum quod homo [9]. — Unde rationes concedendae sunt, quae ad hoc inducuntur.

Sensus alter.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

1. 2. Ad illud quod obiicitur ad oppositum de auctoritate Apostoli et Augustini, iam patet responsio ex his quae iam dicta sunt. Nam etsi *homo* ha-

Solutio oppositorum.

---

[1] Cfr. Aristot., VII. Metaph. text. 2. et 46. (VI. c. 1. et 13.).

[2] Cfr. Aristot., IV. Metaph. text. 2; VII. text. 1. seqq.; XI. c. 3. (III. c. 2; VI. c. 1; X. c. 3.).

[3] Vide Aristot, VII. Metaph. text. 4. (VI. c. 1.). — Subinde pro *dicitur* et paulo inferius (in conclusione) pro *dicatur* cod. U bis *praedicatur*. In fine arg. post *per modum habitus* cod. aa sic prosequitur: *et accidentis, sed praedicatur per per modum substantiae.*

[4] Codd. K Z bb *restat quod et primum.*

[5] Cfr. supra q. 1. ad 3. et q. 2. ad 4. — Codd. F N T U X *iam completo esse.* Mox pro *in aliquo* edd. *in albo.*

[6] Adverte, quod B. Albert., hic d. 7. a. 6. ait: Natura humana nullo modo est accidens nec degenerat in accidens; nec antiqui dixerunt, quod *degenerat* in accidens, sed quod *vergit* in accidens, et novelli *vergit* mutaverunt in *degenerat*, cum illa valde diversa sint. Videtur enim *vergere* in accidens propter convenientiam cum accidentis *proprietate* quadam, non propter accidentis *naturam*, scil. quod potest abesse Filio Dei sine diminutione personae et advenit ei sine augmento... sed absit, quod *degeneret*, quia potius generosa fit. Cfr. supra pag. 150, nota 4.

[7] Codd. K Z adiiciunt *esse.*

[8] Cod. K *et non substantialis.* Paulo inferius pro *manifeste apparet* edd. *manifeste tamen patet.*

[9] Cfr. Apologia de Verbo incarnato, auctore, ut videtur, Ioanne Cornubiensi, in qua contra eos agitur, qui Christum *aliquid* esse negant, secundum quod est homo (inter opera Hug. a. S. Vict.). — Paulo superius pro *ex ipso fidei* codd. L aa *ex ipsius fidei.*

beat aliquo modo modum *habitus*, non tamen habet omnino. Licet enim humanitas adveniat iam completo [1], nihilominus substantificatur in illo tanquam in proprio suo supposito, quia Dei Filius, qui est suppositum *divinae* naturae per *naturam*, fecit se suppositum *humanae* naturae per *gratiam*.

3. Ad illud quod obiicitur: accidens est quod advenit iam completo etc.; dicendum, quod si assimiletur in hoc, quod advenit iam completo, non tamen omnino; quia *accidens* omnino adiacet *extrinsecus* et dicit *modum essendi* [2], sed humana natura sic advenit illi personae, quod non adiacet extrinsecus, nec dicit *modum essendi* tantum, sed ipsius hypostasis substantiam et naturam.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod praedicatur denominative; dicendum, quod *praedicatio denominativa* potest esse quatuor modis: per modum *inhaerentiae*, ut cum dicitur: iste est albus; per modum *transmutationis*, ut cum dicitur: Petrus est dealbatus; per modum *possessionis*, ut cum dicitur: asinus Socraticus; et per modum *unionis*, ut cum dicitur: ferrum ignitum, id est igni unitum [3]. Cum ergo dicitur, quod praedicatio denominativa est *accidentis;* dicendum, quod verum est, quando est per modum *inhaerentis*, non autem est verum, si semper intelligatur de praedicatione denominativa secundum *alios modos*. — Cum autem dicitur: Christus est humanatus; non est ibi praedicatio per modum *inhaerentis*, sed per modum *unionis* et *relationis*. Et ideo non sequitur, quod humana natura sit *accidens;* nec sequitur ex hoc, quod persona divina sit *mutata*, quia, quamvis mutatio *absoluta* in accidente ponat mutationem in subiecto, introductio tamen ipsius *relationis* in *esse* potest esse ex mutatione facta in altero extremo [4].

Modi 4 praedicationis denominativae.

5. Ad illud quod obiicitur, quod impossibile est, diversorum [5] genera praedicari de eodem substantialiter; dicendum, quod verum est de illis generibus, quae habent oppositionem et distinctionem, sicut sunt genera creatarum rerum. Non sic autem est de divina natura et humana, quia, cum humana sit omnino possibilis et in omnimoda obedientia, nihil impedit, quod humana natura et divina simul concurrunt in unam personam, ita quod de eadem persona praedicetur *Deus* essentialiter et per naturam, et de illa eadem praedicetur *homo* essentialiter propter unionem gratuitam, per quam Deus, sicut potuit et voluit, se fecit suppositum naturae humanae; quod quidem sic fuit sibi facile, sicut facile est homini sibi indumentum sumere, immo multo facilius, si consideretur eius summa potentia et creaturae obedientia [6].

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod Deus et homo diversas habent definitiones; dicendum, quod non sunt diversae, ita quod non possunt concurrere in suppositum unum, si Deus facere velit illud, pro eo quod multo magis pendet et indiget humana natura respectu divinae personae, quam aliquod accidens respectu substantiae. Non est ergo Deo impossibile, immo valde credibile et possibile, immo [7] verum, quod Dei Filius fecit se in natura humana in incarnatione personam et hypostasim et suppositum.

Notandum.

De 3 opinionibus iudicium.

Et qui hoc intelligit [8], manifeste videt, quae istarum trium opinionum magis accedit ad explicandum incarnationis sacramentum. Nam *tertia* opinio, quae negat, Christum *aliquid* esse, secundum quod homo, negat etiam [9], personam Filii hypostasim esse humanae naturae, *simpliciter recedit* a veritate. *Prima* vero opinio, quae dicit, in Christo duo esse supposita, a veritate *deviat*. *Media* vero opinio, quae dicit, unam personam, sive hypostasim duabus naturis esse suppositam, *veritatem dicit*. Unde omnes doctores communiter tenent hodie opinionem *mediam*, ut loco eius quod dicebat illa opinio, unam personam ex duabus naturis esse *compositam*, nunc dicatur una persona duabus naturis esse *supposita*, non mutando *sensum*, sed *verba*, quae multum sunt in tali materia observanda. Ex his igitur, quae dicta sunt, colligi potest, quae sit praedictarum opinionum diversitas, et in qua earum sit maior probabilitas veritatis [10].

SCHOLION.

1. Hac quaestione elidítur gravissimus error tertiae opinionis (quam professus est Abaelardus), scilicet, quod *homo* de Christo praedicatur *accidentaliter*, sive, uti ipse dicebat, non *in quid*, sed *in quomodo se habens*, ut cum dicitur: homo indutus. Hinc orta est propositio etiam a Petro Lombardo (hic c. 4. 4.) relata, quod Christus non est *aliquid*, secundum quod homo. Hanc permiram propositionem condemnavit Alexander III. (cfr. hic 4. fundam.), qui antea fuit celeberrimus magister iuris, vocatus Rolandus Bandinelli, Senensis (1181), qui etiam quodam modo discipulus fuit Abaelardi. Nuper P. Deniffe Ord. Praed. inve-

[1] Scil. personae Verbi.

[2] Cfr. Aristot., I. Topic. c. 4, et VII. Metaph. text. 1. seqq. (VI. c. 1.). — Codd. O R S U subiiciunt *tantum*. Pro *essendi* edd. hic substituunt *adhaerendi*, et paulo inferius *inhaerendi*, hoc ultimo loco omissa etiam voce *tantum*.

[3] Edd. addunt *et corpus animatum, id est animae unitum*. Mox pro *accidentis* cod. A *accidens*, codd. F N P bb *accidentalis*.

[4] Cfr. supra pag. 11, nota 1. — Paulo superius post *in accidente* Vat. subdit *absoluto*.

[5] Vat. *diversa*, sicut et in obiectione ipsa habetur. Aliquanto inferius eadem Vat. pro *simul concurrunt* exhibet *sic concurrant* et omittit deinde *ita*.

[6] Cfr. supra d. 1. a. 1. q. 1. in corp. et ad 5.

[7] Cod. A hic inserit *est*.

[8] Pro *intelligit* cod. L *intellexit*. Subinde pro *accedit* codd. I L *excedit*.

[9] Pro *etiam* cod. A *ipsam*.

[10] Cfr. etiam supra Praenotata post *divisionem textus* et a. 1.

nit in quodam codice saeculi XII. vel XIII. hucusque incognitum librum *Sententiarum* magistri « Rodlandi », in quo inter alios errores Abaelardi etiam praedicta propositio refellitur. Gravissimis autem argumentis P. Denifle persuadet, istum *Rodlandum* non esse alium ab Alexandro III. (cfr. periodicum Archiv für Litt. u. Kirchengeschichte des Mittelalters Heft 2. 3. pag. 434-461). — Quomodo sane intelligendum sit, quod humana natura in Christo *vergit in accidens*, bene explicatur in corp., et cfr. pag. 155, nota 6. Durandus quidem errorem Abaelardi reprobat; nihilominus displicet modus loquendi, quo idem explicat suam propositionem, accidentaliter esse Verbo unitam naturam humanam.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 6. m. 3. — Scot., in utroque Scripto q. 3. — S. Thom., hic q. 3. a. 2; S. III. q. 2. a. 6; S. c. Gent. IV. c. 37. 49. — B. Albert., III. Sent. d. 7. a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. — Ægid. R., hic q. 4. a. 3. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 2. — Biel, hic q. 2.

ARTICULUS II.

De qualitate et nobilitate illius unionis.

Consequenter quaeritur de qualitate et nobilitate illius unionis, ex qua consurgit diversitas istarum trium opinionum, circa quam quaeruntur tria.

Primo quaeritur de illa beatissima unione quantum ad terminum.

Secundo vero quaeritur de ipsa quantum ad modum.

Tertio vero quaeritur de eadem quantum ad gradum.

QUAESTIO I.

Utrum unio duarum naturarum sit terminata ad unitatem personae.

Circa primum sic proceditur et quaeritur de illa unione quantum ad terminum; et quaeritur, utrum terminata sit ad unitatem personae, an non. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Ioannis octavo [1]: *Ego principium, qui et loquor vobis;* sed *ego* est pronomen demonstrativum, ergo certam demonstrat personam; et *qui* est nomen relativum, ergo et eandem refert personam: ergo una erat persona, quae erat *principium*, et quae *loquebatur*. Sed *principium* erat secundum divinam, et *loquebatur* secundum humanam naturam: ergo unio illa ad unitatem personalem videtur esse terminata.

2. Item, solus Filius Dei est unitus humanae naturae; sed Filius Dei non distinguitur a Patre nisi in persona: ergo necesse est, illam unionem habere pro termino unitatem personalem [2].

3. Item, unio est via ad aliquam unitatem, ergo si non sit illa unio frustra, ad aliquam unitatem pervenit; sed non perduxit ad unitatem naturae, quia nec divina natura potest fieri humana, nec e converso, nec ex his potest fieri tertia: ergo necesse est, quod unio illa terminetur ad unitatem personae [3].

4. Item, quando aliqua duo uniuntur, quorum unum praedominatur alteri, praedominans trahit ad se illud cui praedominatur; sed Dei Filius unitus est humanae naturae, cui per omnia praedominatur: ergo traxit eam ad propriam unitatem. Sed non traxit eam ad unitatem naturalem, sicut prius [4] ostensum est: ergo traxit ad unitatem personalem.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Æternum non potest esse terminus rei temporalis; sed unitas personalis Filii Dei est aeterna, unio vero fuit temporalis: ergo illa unio non poterit terminari ad unitatem personalem.

2. Item, nihil unum et idem est *medium* et *extremum* et *terminus* in eadem actione [5]; sed personae unitas in illa unione habet rationem *extremi*: ergo non videtur, quod habeat rationem *termini*.

3. Item, aequalis simplicitatis et dignitatis est persona divina, sicut et natura; sed propter dignitatem et simplicitatem illius naturae unionem illam impossibile est terminari ad unitatem naturae [6]: ergo impossibile est terminari ad unitatem personae.

4. Item, sicut divinae naturae respondet persona increata, sic humanae naturae respondet persona creata: ergo cum terminus unionis aequaliter se habeat ad extrema, et unio illa non possit terminari ad unitatem personae creatae [7], pari ratione videtur, quod non valeat terminari ad unitatem personae increatae: ergo simpliciter est verum, quod unio illa non terminatur ad unitatem personae.

---

[1] Vers. 25. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 38. n. 11.

[2] Cfr. supra d. 4. a. 4. q. 2. et d. 5. a. 1. q. 1. — In *maiori* edd. omittunt *solus*.

[3] De hoc arg. cfr. Boeth., de Una Persona et duabus naturis, c. 6. seq.

[4] Dist. 5. a. 1. q. 1. et q. 2. ad 4. — De *maiori* cfr. Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 7. seqq. (c. 2.), ubi docetur, corpus compositum moveri secundum elementum praedominans.

[5] Codd. G U *unione*. Cfr. d. 5. a. 1. q. 1. in corp.

[6] Cfr. I. Sent. d. 8. p. I. a. 2. q. 1. et p. II. q. 2.

[7] Vide supra d. 5. a. 2. q. 2. ad 1.

CONCLUSIO.

Duarum naturarum in Christo unio terminatur ad unitatem personae divinae.

RESPONDEO: Dicendum, quod *quaedam* est unio, Species 4 unionis. in qua est unius unibilis in naturam alterius *conversio;* et hoc est, quia unius est ad alterum repugnantia et praedominantia, sicut si gutta aquae uniatur amphorae vini. — *Quaedam* vero est unio, in qua est utriusque unibilis *alteratio* et *tertiae naturae productio;* et hoc, quia est ibi repugnantia et non excellens praedominatio, sicut uniuntur elementa ad constituendum corpora mixta[1]. — *Quaedam* vero est unio, in qua non est unitorum transmutatio, sed *tertiae naturae constitutio;* et hoc est, quia unibilia non habent repugnantiam, habent tamen mutuam dependentiam, sicut uniuntur corpus et anima ad constitutionem hominis. — *Quaedam* vero est unio, in qua nec est transmutatio[2] nec tertiae naturae constitutio, sed *unum unibilium fundatur tantum in altero.* Et hoc est, quia nec est ibi repugnantia nec essentialis dependentia[3], est tamen excellens praedominatio; sicut quando arbor una inseritur stipiti alterius arboris, tunc utraque arbor servat naturam propriam, et tamen una arbor *substantificatur* in stipite alterius arboris, ita quod unus est stipes utriusque.

Hoc tamen[4] quarto unionis genere habet uniri na- Conclusio 1. tura divina humanae. Quia enim nulla est repugnantia inter naturam divinam et humanam, ideo nulla est ibi *transmutatio,* nec *conversio.* Quia vero non est mutua dependentia, non est *tertiae naturae constitutio.* Sed quia est ibi alterius, scilicet divinae naturae, praedominatio, necesse est, quod divina natura humanam naturam *trahat ad unitatem;* sed ad unitatem *naturae* non potest trahere sine transmutatione et con- Conclusio 2. versione: necesse est ergo, quod eam trahat ad unitatem *personae,* et una et eadem hypostasis sit divinae naturae et humanae, ut quasi humana natura *fundetur et substantificetur* in divino stipite. — Corollarium. Et ideo multum assimilatur ista unio ei unioni, quae est per *insertionem.* Propter quod etiam fortassis dicit beatus Iacobus primo[5]: *In mansuetudine suscipite insitum Verbum.* — Concedendum est igitur, quod illa unio terminatur ad unitatem personae.

1. Ad illud quod obiicitur, quod unitas illius Solutio oppositorum. personae est aeterna; dicendum, quod *persona* nominat ipsum suppositum in comparatione ad naturam, cui subiicitur; sic et *dignitas personae* attendenda est respectu naturae[6]. Potest igitur persona illa comparari ad naturam *divinam,* et sic eius dignitas est aeterna. Potest etiam comparari ad naturam *divinam pariter et humanam;* et sic connotat aliquid temporale, et ratione illius connotati dicitur esse terminus unionis. Illa enim unio non fecit, ut illa persona esset vel una esset, sed fecit, quod persona, quae erat una in natura simplici, esset una in natura duplici[7].

2. Ad illud quod obiicitur, quod unitas[8] personalis est extremum, ergo non est terminus; dicendum, quod secundum unam comparationem, quam Notandum. habet, videlicet ad *divinam* naturam, est *extremum;* secundum autem comparationem, quam habet ad *humanam* naturam, est unionis *terminus,* quia per illam unionem factum est, ut persona Verbi esset homo. Secundum autem comparationem, quam habet ad *utramque naturam,* tenet rationem *medii.* Nihil autem impedit, unum et idem diverso respectu habere comparationem *medii* et *extremi* et *termini;* et per hunc quidem modum in proposito intelligendum est.

3. Ad illud quod obiicitur, quod propter summam simplicitatem divinae naturae[9] non potest uniri humanae naturae in unitatem naturae; dicendum, quod non est simile: quia plures naturas in *unam naturam* cedere repugnat simplici naturae, sed plu- Haec unio non repugnat simplicitati personae. res naturas uniri in *unitatem personae* non repugnat simplici personae duplici ex causa. Una quidem est, quia, sicut plures personae possunt esse in una natura, ita quod non impediunt naturae simplicitatem; sic plures naturae in una persona[10]. Alia vero ratio est, quia persona divina potest fieri suppositum humanae naturae sola relatione humanae naturae ad

---

[1] Hanc duplicem unionem Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 88. seqq. (c. 10.) describit sic: Activorum autem et passivorum quaecumque sunt facile divisibilia, multa quidem paucis et magna parvis composita, non faciunt mixtionem, sed augmentationem dominantis; mutatur enim alterum in dominans. Ideo gutta vini decem millibus congiis aquae non miscetur; solvitur enim forma et mutatur in universam aquam. Quando autem potentiis adaequantur quodammodo, tunc mutatur quidem utrumque in dominans ex sui ipsius natura, non generatur autem alterum, sed medium et commune... Mixtio autem est miscibilium alteratorum unio. — Paulo superius post *est ibi repugnantia* codd. F G X adiungunt *et praedominantia,* edd. 1, 2 *et praedominatio,* quae edd. et subinde pro *et non excellens* substituunt *sed non excellens.*

[2] Cod. U addit *unitorum.*

[3] Ex iis quae praecedunt, supple cum Vat. *mutua.* De his modis unionis vide supra pag. 8, nota 3, et Alan. ab Insul., Theolog. Regul., regul. 100.

[4] Pro *tamen* edd. *tantum,* codd. K P Q Z bb *autem,* qui codd. et deinde textum aliquantulum mutatum exhibent sic: *uniri habet natura humana divinae.* — De iis quae sequuntur cfr. supra d. 1. a. 1. q. 1.

[5] Vers. 21. — Paulo superius pro *et una* codd. Z bb *ut una.*

[6] Cfr. supra d. 5. a. 2. q. 2. ad 1. — Paulo superius post *dicendum, quod* edd. cum paucis codd. inserunt *sicut;* et subinde post *et sic eius dignitas* Vat. cum cod. cc supplet *et unitas,* de qua revera agit obiectio.

[7] Vide supra a. 1. q. 2.

[8] Codd. I L aa cc *unio.*

[9] Hic vel supple cum Vat. *ipsa,* vel lege cum edd. 1, 2 *divina natura* pro *divinae naturae.* Mox edd. bis *simplicitati* pro *simplici.*

[10] De quo vide I. Sent. d. 8. p. II. q. 1; de propos. seq. cfr. supra d. 1. a. 1. q. 1.

ipsam, quae quidem relatio nihil ponit novum circa personam Verbi, sed solum in natura assumta; et ideo unio naturarum unitati personae non repugnat. Non sic autem est, quando unio terminatur ad unitatem *naturae*, ubi non solum notatur esse *respectus*, sed etiam notatur *convenientia fieri in forma*; et hoc non potest fieri sine compositione sive transmutatione aliqua.

4. Ad illud quod obiicitur, quod unio illa non potest terminari ad unitatem personae creatae; dicendum, quod non est simile, quia *divina* natura non potest substantificari in persona *creata*. Quod Notandum. enim substantificatur in aliquo minus habet de stabilitate, quam illud in quo substantificatur; et ideo, quia veriori modo est ens et *per se stans* natura divina quam humana, ideo humana natura potest inniti[1] divinae personae, quamvis divina natura non possit inniti naturae creatae. Et ideo potest fieri unio in unitatem personae increatae, quamvis non possit fieri unio in unitatem personae creatae. — Est et alia Alia ratio. ratio: quia persona semper habet denominari a *digniori* proprietate[2]; et ideo divina natura et humana in unam concurrunt hypostasim. Et cum semper necesse sit, divinam naturam excellere dignitate, non potest fieri unio in unitatem personae creatae, licet possit fieri unio in unitatem personae increatae. Et ideo patet, quod non est simile quod assumit pro simili, sed valde dissimile.

SCHOLION.

1. In hac quaestione, quae multa continet notatu digna, plura magis explicantur, quae iam tacta sunt supra d. 5. a. 2. q. 2, ubi probatur, nullatenus in Christo fuisse assumtam *personam humanam*. Hic vero positive docetur, terminum huius unionis esse *personam divinam*. — In descriptione quatuor specierum unionis recensetur secundo loco unio, quae fit in mixtionibus sive combinationibus chimicis; ubi auctor talibus utitur terminis, qui differentiam opinionis, quae est inter Ss. Thomam et Bonaventuram respectu unitatis formarum substantialium, satis manifestant, si conferuntur cum verbis S. Thomae de eadem specie unionis prolatis, quae sic sonant: « Tertia natura componitur ex duabus *naturis non manentibus*, sicut ex quatuor elementis componitur mixtum » (III. Sent. d. 5. q. 1. a. 2. in corp.). De hac differentia opinionum cfr. II. Sent. d. 13. a. 2. q. 2. in scholio.

II. Ad explicandam quartam speciem unionis, quae est in Christo, et praecipue, quod ita fit ista unio, ut unum sit *alterius* eique proprium, quin unum mutetur in alterum; hic adhibetur similitudo quaedam sumta ex arbore, quae inserta est in stipite alterius arboris. Haec similitudo magis explicatur ab Alexandro Hal. (S. p. III. q. 7. m. 1. a. 1.) sic: « Surculus *piri* unitur arbori, cui inseritur, sicut *pomo* vel alii; servatur enim natura utriusque, scilicet *piri* et *pomi*, nec unquam fiet *pirum* pomum, nec e converso; nec ex illis efficitur tertium, scilicet arbor aliqua, quae nec sit *pirum* nec *pomum*; sed unum fit *de altero*, sive est de altero, sicut pirus de pomo, quia in insertione *dominans* trahit alterum ad sui unitatem, ita quod est *de illo*, sed non est *illud* » etc. « Secundum hunc modum dicendum, sicut possumus dicere — nam *non sumus digni corrigiam calceamenti solvere* [Luc. 3, 16; Ioan. 1, 27.], hoc est sacramentum unionis exponere — quod unio humanitatis ad Deitatem est illa, in qua unum *fit*, vel *est* de altero; et non, in qua unum, scilicet tertium, sit *ex illis* » [scilicet ut sit compositio rigorosa per *mutationem* utriusque extremi]. — Ipsa verba Alexandri iam insinuant, quod haec similitudo, licet sit apta ad *quasdam* proprietates huius unionis illustrandas, tamen claudicet in multis aliis, quae melius explicantur quibusdam aliis similitudinibus. Prae ceteris servit similitudo unionis animae et corporis, iam in Symbolo Athanasiano adhibita, de qua S. Thom. (Quaest. disput. de unione Verbi etc. a. 1.) dicit: « Huius unionis exemplum in rebus creatis nullum est propinquius quam unio animae rationalis ad corpus ». Tamen etiam haec analogia non parum deficit.

III. Praeter laudatum Alexandrum: Scot., in utroque Scripto III. Sent. d. 1. q. 1. 5; Quodl. q. 19. — S. Thom., III. Sent. d. 5. q. 1. a. 2. 3.; S. III. q. 2. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., III. Sent. d. 5. q. 1. a. 1. 2. — Richard. a Med., III. Sent. d. 5. a. 4. q. 2. — Egid. R., III. Sent. d. 5. q. 1. a. 2. 3. — Durand., III. Sent. d. 5. q. 2. — Dionys. Carth., III. Sent. d. 5. q. 2. — Biel, III. Sent. d. 5. q. unica.

QUAESTIO II.

Utrum modus unionis duarum naturarum sit singularis, an reperiatur aliquis unionis modus ei consimilis.

Secundo quaeritur de illa unione quantum ad modum; et est quaestio, utrum modus illius unionis sit singularis, an reperiatur aliquis unionis modus ei consimilis. Et quod sit singularis, videtur:

1. *Auctoritate* ipsius Algazelis in sua Metaphy- Fundamenta. sica[3], ubi ponit modos unius. Ibi enim dividit *unum simpliciter* et *unum secundum quid*. *Unum simpliciter* dividit in tres differentias: primo in unum, Modi unius et unionis Algazelem. in quo non est multitudo nec *actu* nec *potentia*, ut punctus et unitas; secundo in unum, in quo non est multitudo *actu*, quamvis sit *potentia*, sicut est linea; tertio in unum, in quo est multitudo *actu* et *potentia*, ut lectus et membrum, in quibus sunt actu multa. Unum autem *secundum quid* in quinque dif-

---

[1] Edd. nec non aliqui codd. hic et paulo post verbum *inniti* infeliciter transformarunt in *unari*.

[2] Quod probatum est supra d. 5. a. 2. q. 2. ad 4.

[3] Libr. I. c. 8. Qui liber est secunda pars operis philosophici ab Algazele compositi et Venetiis an. 1536 sub nomine Logica et philosophia Algazelis Arabis in lucem editi. In hac secunda parte, quae inscribitur *liber philosophiae*, a cap. 1-7. tractatur de divisionibus entis, scil. in causam et causatum, in universale et particulare; cap. 8. agit de tertia divisione entis, in unum scil. et multa, et exponitur ibi, quod *unum* « aliud dicitur vere et proprie, aliud improprie. *Unum* vero *proprie* dicitur quodlibet singulare signatum, et hoc quidem trifa-

ferentias habet dividi, videlicet: in unum *genere*, ut est homo et bos; in unum *specie*, ut Socrates et Plato; in unum *accidente*, ut est nix et cerussa; in unum *proportione*, ut sunt auriga et nauta; in unum *subiecto*, sicut dulce et album in aliqua substantia una. Sed nullo istorum modorum, ut patet discurrenti per singula, est illa unio, quae est in Christo: ergo videtur, quod modus illius unionis excedat omnes unionis modos.

Modi 11 sec. Aristot.

2. Item, hoc ipsum videtur auctoritate Aristotelis, qui dividit unum in Prima Philosophia [1] in unum *per se* et in unum *per accidens*. Unum *per accidens* dicitur sicut duo accidentia in uno subiecto. Unum autem *per se* dicitur decem modis, scilicet *continuatione*, quorum terminus unus; unum *specie* vel forma, ut Socrates et Plato in homine; unum *genere*, ut homo et bos in animali; unum *definitione*, ut illa quae habent eandem definitionem, vel quorum unum est definitio alterius; unum *indivisibilitate*, ut punctus; unum *numero*, ut singulare; unum *simplicitate* vel essentia, ut universale [2]; unum *totalitate* vel perfectione, ut circulus; unum *proportione*, ut auriga et nauta; unum *materia*, ut omnia corporalia. Sed nullo istorum modorum est unio in persona in Christo: ergo videtur, quod sit unio modo singulari et proprio.

Modi 9 sec. Bernard.

3. Item, hoc ipsum videtur auctoritate Bernardi ad Eugenium quinto [3], ubi distinguit unum novem modis, scilicet ubi ait sic: « Est unitas *collectiva*, ut videlicet multi lapides faciunt unum acervum; est unitas *constitutiva*, ut cum multae partes unumquodque totum constituunt; est unitas *coniugativa*, qua fit, ut duo *iam non duo, sed una caro sint* [4]; est unitas *nativa*, qua anima et carne unus homo nascitur; est unitas *potestativa*, qua homo virtutis non instabilis, non dissimilis, sed unus sibimet nititur inveniri; est unitas *consentanea*, cum per caritatem multorum hominum est *cor unum et anima una* [5]; est unitas *votiva*, cum anima omnibus votis *Deo adhaerens unus spiritus est*; est unitas *dignativa*, qua limus noster a Dei Verbo in unam assumtus est personam ». Est et postrema unitas *Trinitatis*, de qua ipse Bernardus subdit [6]: « Verum et quid sunt ad illud unum »? ergo si unitas ista, qua Dei Verbum unitum est carni speciali differentia, dicitur unitas *dignativa*; videtur ergo, quod unio praedicta singularem modum habeat.

4. Item, hoc ipsum videtur auctoritate prophetici verbi; dicitur enim Ieremiae trigesimo primo [7]: *Novum faciet Dominus super terram*, hoc, inquam, dicitur de illa unione creata; sed non esset *novum*, si simile haberet: videtur ergo, quod inter omnes uniones sit unio una singularis.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Ad Ephesios quinto [8]: *Erunt duo in carne una; Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia*; Glossa: « Quia Christus, qui Deus erat apud Patrem, per quem et facti sumus, factus est per carnem particeps noster, ut illius capitis corpus essemus »: ergo videtur, quod unitas illa, quae est Verbi ad carnem, sit consimilis illi, quae est viri ad uxorem: non igitur est unitas singularis.

2. Item, illa unitas, qua Verbum est unitum carni, est unitas *personalis*, sicut supra [9] ostensum est; sed unitas illa, qua anima unitur carni, quae est unitas *nativa*, est unitas *personalis*: ergo videtur, quod illa unitas communis sit cum aliis creaturis.

3. Item, unitas illa, qua Deus unitur carni, est ex summa potestate Dei — unde in quadam Sequen-

---

modis. Primo dicitur unum verissime id unum singulare, in quo non est multitudo in potentia nec effectu, ut punctus et essentia Creatoris, quoniam Deus nec dividitur nec est receptibilis divisionis... Secundo dicitur unum continuatione, in quo non est multitudo in effectu, sed in potentia, quoniam receptibile est multitudinis, ut cum dicitur: haec linea est una et duae, et: hoc corpus est unum et duo corpora; si enim fuerit in eis incisio, dicetur in eis dualitas... Tertio dicitur unum secundum ligationem, in quo est multitudo in effectu, sicut lectus unus et quodlibet singulare compositum ex diversis partibus, sicut compositio membrorum hominis ex osse et carnibus et venis... *Unum* autem *improprie* dicitur, cum nomen unius dicitur de multis, quae sunt sub uno universali; et haec sunt quinque. Primum est unum genere... secundo unum in specie... tertio unum in communi accidente... quarto dicitur unum proportione... quinto dicitur unum in subiecto » etc. — Mox pro *unius* edd. perperam *unionis*, et subinde post *dividit unum* Vat. addit *in unum*. Aliquanto inferius pro *in unum accidente* codd. A F H I L T aa *unum in accidente*, edd. 1, 2 *in unum in accidente*.

[1] Libr. V. text. 7. seqq. et X. text. 1. (IV. c. 6. et IX. c. 1.). — Paulo inferius sola Vat. verbis *sicut duo accidentia in uno subiecto* praemittit *sicut accidens in suo subiecto, vel*. Aeque iuste illis verbis addere potuit: sicut unum accidens in duobus subiectis, v. gr. albedo, quae accidit Socrati et Platoni, et in qua conveniunt sive unum sunt. — Mox pro *decem modis*, quam lectionem contextus exigit et cod. bb etiam habet, alii codd. et edd. *novem modis*.

[2] Edd. *ut essentia vel universale*. Paulo inferius pro *in Christo* codd. K Z bb *Christi*.

[3] De Consider. c. 8. n. 18. Cfr. Serm. 80. de Diversis (alias 44. ex Parvis).

[4] Gen. 2, 24; Matth. 19, 5. — Paulo ante pro *unumquodque* codd. G H I K L T U Z aa cc *quodque*, codd. N X *quodcumque*, edd. *unum*.

[5] Act. 4, 32. — In propos. seq., quae respicit I. Cor. 6, 17, codd. M O post *votiva* adiiciunt *vel voluntaria*, et dein post *spiritus est* Vat. subdit *cum eo*. Mox pro *a Dei Verbo* Vat. *a Deo Verbo* et plurimi codd. *Dei Verbo*. Edd. 1, 2 ultimam propositionem allegatae sententiae sic exhibent: Est unitas dignativa, qua Filius Dei dignatus est assumere nostram naturam.

[6] Loc. cit. n. 19, ubi textus origin., cui etiam cod. H assentitur, sic: Verum haec omnia quid ad illud summum atque, ut ita dicam, unice Unum?

[7] Vers. 22. — In fine arg. pro *unio una* codd. K P Q Z bb *unio illa*, Vat. *unio ista*.

[8] Vers. 31. seq. — Glossa hic allegata, quae invenitur apud Rabanum in hunc locum, sumta est ex August., XII. contra Faustum, c. 8.

[9] Quaest. praeced. — In fine arg. pro *communis sit* Vat. *communicet*.

tia [1]: « Potestate, non natura, fit Creator creatura »: — ergo videtur, quod illa sit unitas *potestativa;* sed ille modus competit et reperitur in creatura: ergo etc.

4. Item, aut illa unio, qua divinitas unitur humanitati, est *naturalis*, aut *gratuita;* si *naturalis:* ergo continetur sub unitatibus illis, quae a Philosopho [2] assignantur; si *gratuita:* ergo cum unitas gratuita sit unitas *votiva*, sicut dicit Bernardus, videtur, quod iste modus unitatis divinae non faciat specialem unitatis differentiam.

CONCLUSIO.

Unio duarum naturarum in personae unitate quoad omnes conditiones simul collectas superexcedit omnem naturam et gratiam communem et philosophicam rationem.

Respondeo: Dicendum, quod sicut nulla creatura perfecte Deo assimilatur, sed quodam modo est *similis*, quodam modo *dissimilis;* et ubi una creatura habet similitudinem, frequenter alia [3] habet dissimilitudinem: per hunc modum intelligendum est circa hanc sacratissimam unionem. Si enim loquamur de ipsa quantum ad *speciales* eius conditiones *singillatim* acceptas, sic potest habere *convenientiam* cum modis unitatum in creaturis repertis; si autem loquamur quantum ad *collectionem* suarum proprietatum, sic dicit modum unitatis *singularis.* Conclusio 1.

Et hoc patet sic. In hac enim unione est [4] considerare *distantiam* unibilium, unionis *principium*, unionis *terminum* et unitorum *vinculum*. Quantum ad *distantiam unibilium*, qua unitur Creator creaturae, convenit cum unitate [5] *votiva*. Quantum ad *unionis principium* convenit cum unitate *potestativa;* quia talis unitas est ex divina virtute et mera gratia. Quantum autem ad *unionis terminum* convenit cum unitate *nativa*, quae quidem terminatur ad unitatem personae. Quantum autem ad *unionis vinculum* convenit cum unitate *coniugativa*, in qua est vinculum perpetuum et individua copula. Quantum autem ad *omnes conditiones simul* collectas nullum modum habet unitatis sibi consimilem, quia superexcedit omnem naturam et omnem aliam gratiam communem, videlicet quod divina natura et humana uniantur in unam personam indissolubiliter per Dei potentiam. Quatuor consideranda. Conclusio 2.

Et ideo concedendum est, quod talis unio superexcellit [6] omnem considerationem philosophicam; nec mirum, quia ad ipsam vix pertingit ratio per fidem elevata. Et ideo Bernardus secundum istam unionem assignavit specialem unitatis differentiam, vocans eam unitatem *dignativam.* — Concedendae sunt igitur rationes, quae sunt ad istam partem. Conclusio 3.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod similis est unioni *coniugativae;* iam patet responsio: quia, etsi sit similitudo quantum ad *vinculum*, non tamen est similitudo quantum ad *terminum*, vel *distantiam unibilium.* Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod similis est unitati *nativae*, pro eo quod est unio in persona; dicendum, quod etsi sit similitudo quantum ad *terminum*, non tamen quantum ad *vinculum*, vel *distantiam unibilium.*

3. Ad illud quod obiicitur, quod est similis unitati *potestativae;* dicendum, quod etsi sit similitudo quantum ad *principium*, quia utraque est ex virtute divina, dissimilitudo tamen est quantum ad *vinculum* et quantum ad *terminum.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod est similis unitati *votivae*, cum sit per gratiam; dicendum, quod est alia gratiae differentia, qua anima unitur Deo per *caritatem perfectam*, et qua natura humana unitur Verbo in *unitatem personae;* nec tantum quantum ad *hoc* est differentia, sed etiam quantum ad *vinculum* et quantum ad *terminum;* et ideo ista unio facit singularem modum [7].

Si autem quaeratur sufficientia unitatum modorum assignatorum; dicendum, quod ista quaestio alibi [8] habet suum locum, et singula suis locis tractanda sunt. Illorum tamen *novem* modorum unitatum, quos Bernardus assignat, potest sic sumi sufficientia. Est enim unitas *naturalis* et *gratuita*, et unitas *super utramque constituta.* Unitas autem *naturalis* est in quadruplici differentia. Quaedam enim est per *aggregationem* rerum differentium distinctarum, sicut unitas *collectiva.* Quaedam [9] est per *colligationem* rerum formaliter differentium, sive partium heterogenearum; et sic est unitas *constitutiva.* Quaedam per coniunctionem *differentium sexu, operatione convenientium;* et sic est unitas *coniugativa.* Quaedam per unionem *differentium naturarum in unionem concurrentium;* et sic est unitas *nativa.* — Unitas autem *gratuita* similiter quatuor habet differentias: aut enim est unitas *eiusdem animae ad se* secundum statuum diversitatem, et sic est Quaestio incidens. Solvitur ex parte. Unitas naturalis. Unitas gratuita.

---

[1] In fest. Nativ. Domini. Cfr. Franc. Ios. Mone, Hymni latini medii aevi, tom. 2. n. 389:

Potestate, non natura,
Fit Creator creatura,
Reportetur ut factura
Factoris in gloria.

[2] Hic in fundam. 2. Verba Bernardi videsis in fundam. 3. — Voci *unitatibus* Vat. praemittit *naturalibus.*

[3] Codd. I L aa cc *aliam*, Vat. *in alio*, quae et paulo ante *in uno* substituit pro *una.*

[4] Codd. A G H I K L N T U Z aa *et est.*

[5] Plurimi codd. *convenit unitas votiva;* in qua lectione supple *cum ipsa.* Paulo inferius pro *mera gratia* codd. K Z *magna gratia.*

[6] Codd. G H I K L N T U X Z aa *superexcessit*, cod. A *superexcrescit.* Paulo inferius pro *istam unionem* edd. 1, 2 exhibent *istam opinionem* et dein pro *unitatem dignativam* posuerunt *animam unitatis dignativam* (1).

[7] Cfr. supra d. 2. a. 3. q. 2.

[8] Scilicet in metaphysica.

[9] Plurimi codd. hic inepte repetunt *enim.*

unitas *potestativa;* aut *multorum* hominum *ad invicem* secundum caritatem, et sic est unitas *consentanea;* aut *animae* ad Deum per *voluntatis conformitatem*, et sic est unitas *votiva;* aut *humanae naturae* ad divinam secundum *personae unitatem*, et sic est unitas *dignativa.* — Unitas autem *super utramque constituta*, videlicet super naturalem et gratuitam, est una sola, videlicet unitas *Trinitatis*, quam quidem unam esse decet solam, ut in ea sit status omnium unitatum. Unitas super utramque constituta.

SCHOLION.

I. Conclusio non est dubia. Observatione digna sunt quae ex philosophis et S. Bernardo afferuntur de variis unitatum speciebus. — De ipsa quaestione alii commentatores non instituunt explicite disquisitionem, sed eandem plerumque tangunt in solutione seq. (3.) quaestionis.

II. Distinctiones et conclusiones S. Bonaventurae in seq. (3.) quaestione satis sunt manifestae. S. Thom. hic non utitur nisi una distinctione, scilicet ex parte eorum *quae* coniunguntur, et ex parte eius *in quo* coniunguntur, quod est divina persona, quae excellit maxima et *simplicissima unitate*. Doctrina autem S. Bonaventurae, quod simplicitas et eminens unitas *divinae personae* sit radix et prima causa excellentissimae huius unionis, videtur esse mens etiam aliorum doctorum. Quae ratio magis explicatur notabili applicatione, quam inde eruit Ægid. R. (III. Sent. d. 5. q. 1. a. 1. dub. lat. 2.). Nam secundum ipsum ex simplicitate assumentis personae sequitur, quod sit « intimior creaturae quam ipsa sibi, iuxta illud Augustini, III. Confessionum: « Deus est intimior nobis intimo nostro » [cfr. Bonav., I. Sent. d. 37. p. I.]... « Ex ista ergo tanta intimitate dicemus, istam unionem superare omnes alias uniones post illam unionem supremam sanctae et individuae Trinitatis ». Etiam S. Bonav. ad idem principium recurrit supra d. 1. a. 1. q. 1. fundam. 4.

III. De hac 3. quaestione (vel de utraque): Alex. Hal., S. p. III. q. 7. m. 2. a. 2. 3. — Scoti loci collecti apud Hier. de Montefortino, t. IV. q. 2. a. 9. — S. Thom., III. Sent. d. 5. q. 1. a. 1. quaestiunc 2; S. III. q. 2. a. 9. — B. Albert., III. Sent. d. 2. a. 1. 12. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 3. — Ægid. R., loc. cit. — Durand., III. Sent. d. 5. q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 7.

QUAESTIO III.

Utrum illa unitas quantum ad gradum excellat omnes unitates creatas.

Tertio quaeritur de illa unione quantum ad gradum, et est quaestio, utrum illa unitas excellat omnes unitates creatas. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Auctoritate Bernardi, ad Eugenium in quinto[1]: « Inter omnia, quae vere dicuntur unum, arcem tenet unitas Trinitatis. Secundo illa praecellit, qua tres substantiae in Christo sunt una persona »: ergo unitas, qua Christus est unus, omnes unitates creatas excellit.

2. Item, tanto magis aliqua uniuntur, quanto inseparabilius sunt unita; sed naturae illae in Christo uniuntur tanta inseparabilitate, qua maior esse non potest[2]: ergo videtur, quod unitas illa, ad quam terminatur unio illa, maxima sit inter omnes unitates creatas.

3. Item, tanto magis aliqua uniuntur, quanto magis communicant sibi suas proprietates et idiomata; sed in Christo est perfecta idiomatum communicatio[3]: ergo videtur, quod ad summam unionem terminetur illa unio.

4. Item, unio illa terminatur ad unitatem in persona, persona autem illa est persona Verbi[4]; sed persona Verbi in simplicitate et nobilitate in infinitum excellit omnem unitatem creatam: ergo videtur similiter, quod illa unitas, ad quam terminatur unio dignativa.

Sed contra: 1. Quae maxime distant minime sunt unibilia, et quae minime sunt unibilia minime faciunt unum; sed talia sunt divinitas et humanitas: ergo videtur, quod unio, quae est in Christo, terminetur ad gradum unitatis infimum. Ad oppositum.

2. Item, quanto aliquid ex paucioribus constat, tanto magis est unum; sed in Christo reperitur maior naturarum pluralitas, quam sit sub caelo: ergo videtur, quod unitas illa infimum teneat unitatis locum.

3. Item, magis est unum quod est unum in natura et persona, quam quod est in persona tantum[5]; sed quilibet homo unitatem habet in persona et natura, Christus autem unitatem habet in persona tantum, non in natura: ergo maior unitatis perfectio reperitur in quolibet homine quam in Christo.

4. Item, magis est unum quod non est multiplicabile nec multiplicatum, quam quod est multiplicabile et multiplicatum; sed unitas et punctus habent unitatem, quae nec est multiplicabilis nec

---

[1] Sive de Consider. c. 8. n. 19. In testimonio allato post *Trinitatis* textus originalis addit *qua tres personae una substantia sunt*, et dein pro *Secundo* exhibet *Secundo loco*, ac post *qua* inserit *e converso*.

[2] Leo I. in Serm. 17. c. 1. de Passione ait: In tantam unitatem Dei et hominis natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi nec morte disiungi. Cfr. Bernard., V. de Consider. c. 9. n. 21; Serm. 2. in Nativ. Domini, n. 4. seq., et supra pag. 138, nota 8.

[3] Vide supra pag. 14, nota 3; August., I. de Trin. c. 13. n. 28; de Praedest. Sanctor. c. 15. n. 31; Bernard., V. de Consider. c. 9. n. 21.

[4] Ut ostensum est supra q. 1.

[5] Cod. Z addit *non in natura*.

multiplicata[1]; in Christo autem reperitur actu naturarum multitudo et differentia: ergo videtur, quod in Christo sit unitas minima.

CONCLUSIO.

Unitas, quae est in Christo, omnem unitatem creatam, simpliciter loquendo, superexcedit.

Duplex unitas.

Respondeo: Dicendum, quod est loqui de unitate, qua aliqua dicuntur unum per convenientiam *in natura*, et est loqui de unitate, qua aliqua dicuntur unum per convenientiam *in persona*. Si autem[2] loquamur de unitate, qua aliqua dicuntur

Conclusio 1.

unum per convenientiam *in natura*, sic est dicere, quod in Christo talis unitas quodam modo est *nulla*, quodam modo est *magna*, quodam modo est *parva*, quodam modo est *summa*. — Si enim comparemus *divinam naturam* ad *humanam*, sic *nulla* est in Christo unitas *naturae*, pro eo quod istae duae naturae non possunt simul in unam naturam concurrere. — Si autem loquamur de natura Christi ex parte *corporis*, sic *parva* est unitas propter partium multiplicitatem. — Si autem loquamur de unitate quantum ad *animam*, sic est in eo unitas *magna* propter animae simplicitatem. — Si autem loquamur de eo quantum ad *divinam naturam*, sic *summa* est in eo unitas propter illius naturae simplicitatem superexcellentissimam.

Quantum igitur ad unitatem *naturae*, secundum diversas considerationes est in Christo unitas *summa*, unitas *nulla*, unitas *parva*, unitas *magna*.

Corollarium.

Sic enim decet reperiri in eo, qui est super omnia exaltatus et infra omnes humiliatus.

Conclusio 2.

Si vero[3] fiat sermo de unitate, qua aliqua dicuntur unum per convenientiam in *persona*, sic, simpliciter loquendo, unitas illa, quae est in Christo, unitas est super omnes unitates *suprema*; et hoc

Ratio quadruplex.

quadruplici ex causa: videlicet propter illius *personae simplicitatem*, propter *unibilium dignitatem*, propter *unitorum inseparabilitatem* et propter *unionis singularitatem*. — Propter *personae simplicitatem*, quia unio est in persona Verbi, quae quidem est simplicissima. — Propter *unibilium dignitatem*, quia tam natura assumens quam assumta inter cetera, quae sunt, habet excellentiam. — Propter *inseparabilitatem*, quia tanto vinculo fortificata est illarum naturarum unio, ut nunquam fiat nec possit fieri separatio. Natura enim illa inter ceteras naturas adhaesit aeterno Verbo, quo portatur et sustentatur omne quod est sub Deo. — Propter *singularitatem*, quia nunquam ulla unio fuit huic unioni similis. Haec enim fuit excellentissimae *dignationis*; et ideo nomen *dignitatis* et *dignationis* sibi appropriat, ut dicatur *unitas dignativa*[4]. Et quoniam, cum de unitate Christi loquimur, ad quam unio terminatur, est sermo de unitate *personae*, non de unitate naturae; ideo simpliciter concedendum est, unitatem, quae est in Christo, omnem unitatem creatam superexcedere. — Unde etiam concedendae sunt rationes ad hanc partem inductae.

Notandum.

Conclusio 3.

1. Ad illud vero quod obiicitur, quod quae maxime distant minime sunt unibilia; dicendum, quod Deus ab omni creatura maximam habet *differentiam in natura*, quantum tamen ad *influentiam* et *creaturae sustentationem* maximam habet approximationem; et ideo maxima potest esse unitas inter Creatorem et creaturam, quamvis naturalis unitas nulla intercidat[5].

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod magis est unum illud quod ex paucioribus constituitur; dicendum, quod verum est de illa unione, cuius unitas resultat ex *partium constitutione*. Unitas autem, quae est in Christo, ex partium constitutione non resultat; et ideo, quamvis in eo sit naturarum pluralitas, non sequitur, quod sit in eo unitas diminuta[6].

3. Ad illud quod obiicitur, quod magis est unum, quod est unum in persona et natura; dicendum, quod verum est, quando unitas personae sequitur unitatem *naturae*; tunc enim compositio in natura facit compositionem in persona; non sic autem est in proposito, quia unitas personae in Christo antecedit unitatem naturae assumtae, ita quod nullam inducit compositionem natura assumta, sicut ostensum fuit supra[7].

4. Ad illud quod obiicitur, quod magis est unum quod non est multiplicatum etc.; dicendum, quod verum est de illa unitate et multiplicatione, quae habent aliquam *oppositionem* — minuitur enim oppositum, cum suo opposito permiscetur — non sic autem est in proposito, quia ut saepe dictum est[8], multiplicitas in natura non repugnat unitati in persona. — Et sic patet responsio ad omnia quaesita[9].

---

[1] Cfr. supra q. 2. fundam. 1. — Mox edd. omittunt *actu*.

[2] Edd. *enim*.

[3] Pro *vero* plurimi codd. *ergo;* non convenienter.

[4] Cfr. q. praeced. fundam. 3. — Paulo superius pro *ulla unio* cod. Q *aliqua unio*.

[5] Vide supra d. 1. a. 1. q. 1. ad 5. Ad rem dicit Rusticus Diaconus in sua disputatione contra Acephalos (ed. Migne, Patrol. Lat. tom. 67. col. 1250), circa finem: Admirando enim ego tecum confiteor, quia et maior unitio est in Domino Christo et quae multo maius effecit, et unam tamen naturam minime fecit. Tanto enim unitio Deitatis et humanitatis, quae in Domino Christo facta est, et ipse effectus unitionis, illam quae fit in homine superexcellit, quanto longius a se distantia univit... Si igitur Dei quidem virtus infinita est, nostrae autem substantiae finita, magna illa et supereffulgens unitio est, quae valuit inter illa tantum discrepantia unam personam facere etc. — Pro *naturalis unitas* codd. A E G I N T U X *naturalis veritas;* perperam.

[6] Vide supra a. 1. q. 1. — Pro *non sequitur* edd. *non tamen sequitur*.

[7] Hic a. 1. q. 1. ad 3. et q. 2. ad 3. seq.

[8] Praesertim hic (a. 2.) q. 1; a. 1. q. 1; d. 5. a. 1. q. 2. Vide etiam I. Sent. d. 8. p. II. q. 1.

[9] Vide scholion ad praecedentem quaest.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit, *Sacrificium Ecclesiae duobus constare, visibili elementorum specie et invisibili Domini Iesu Christi carne et sanguine.* In hoc enim verbo *primo* videtur esse insufficientia, quia ad constitutionem Sacramenti altaris non solum concurrunt duo, immo tria, videlicet, elementum exterius, corpus Christi verum et corpus Christi mysticum. — Item, videtur in verbo suo [1] esse repugnantia, cum dicit *invisibili carne et sanguine;* caro enim et sanguis vere sunt corpora: ergo et vere visibilia. Si ergo caro Christi vera fuit, restat igitur, quod fuit visibilis. — Item, tertio videtur, quod illa similitudo sit inepta, quoniam *Sacramentum* et *res Sacramenti* in unitatem personae non concurrunt, secundum quod Deus et homo: ergo non videtur ibi fieri recta assimilatio.

Notandum.

Respondeo: Dicendum, quod in Sacramento altaris duplex est res, videlicet *signata et contenta*, et *signata tantum*. Et Augustinus [2] in parte ista non loquitur de *re signata tantum*, cuiusmodi est corpus Christi mysticum, sed de *re signata et contenta*, cuiusmodi est corpus Christi verum. Haec enim sola est, quae facit ad propositum, videlicet ad intelligendum unionis et incarnationis mysterium, et hoc propter similitudinem utrobique repertam.

Similitudo triplex.

Reperitur autem ibi similitudo triplex, videlicet quantum ad *extremorum unitatem*, quantum ad *distinctionem* sive diversitatem, et quantum ad *finem* sive utilitatem. Sicut enim in Sacramento altaris est species visibilis et caro Christi invisibilis, prout est sub illo Sacramento; sic in Christo est humana natura vera sensibilis, et divina, quae solum est intelligibilis. — Similitudo etiam est quantum ad *distinctionem*, quoniam exterior species visibilis et res interior non concurrunt ad constituendum unum per naturam, sed concurrunt ad unum Sacramentum, quod est unum per ordinem et respectum signi ad signatum. Sic et in Christo divina natura et humana non constituunt aliquid tertium, sed uniuntur in unam hypostasim, quae utriusque naturae est suppositum, et in qua utraque natura suo modo substantificatur. Et quantum ad hoc non est omnimoda similitudo, sed partim similitudo, et partim dissimilitudo. — Tertio similitudo est, quia, sicut res Sacramenti unitur exteriori signo, ut mediante illo cognoscatur et ad utilitatem veram convertatur; sic divina natura unitur humanae, ut in ea cognosceretur; et inde est etiam, quod talis unitas [3] similis est illi unioni, qua copulatur verbum ipsi voci, ut ab aliis possit cognosci.

Et per hoc patet responsio ad obiecta. Non enim valet quod obiicit de insufficientia, quoniam ad propositum sufficiunt illa duo membra. — Nec valet quod obiicit de repugnantia, quia non dicit haec duo, videlicet carnem et sanguinem, invisibilia *simpliciter* [4], sed prout sunt *sub Sacramento contenta*. — Nec illud quod obiicit de illarum unionum disconvenientia, quia non vult dicere, quod illa sint omnino similia, sed quod similitudinem habent quantum ad tria praedicta [5].

Dub. II.

In 3. opinione tria improbabilia.

Item circa tertiam opinionem, quae ibi ponitur: *Sunt et alii, qui in incarnatione Verbi* etc., notandum, quod tria insinuantur in littera illius opinionis, quae valde sunt improbabilia.

Primum.

Primum vero, cum dicit: *Ex carne et anima aliquam substantiam compositam diffitentur.* Et illud convincitur esse [6] improbabile, quoniam ex forma et materia resultat unum compositum. Si ergo anima habet naturalem inclinationem ad corpus sicut ad propriam materiam, quam perficit; necessarium erat, ex anima et carne in Christo aliquod tertium constitui. Illud autem aut est *substantia*, aut *accidens; accidens* non; constat, quia substantia non est pars accidentis [7]: necesse est igitur, quod fiat inde *substantia*.

Secundum.

Aliud improbabile est in hoc quod dicit: *Illis duobus velut indumento Verbum Dei vestiretur, ut mortalium oculis congruenter appareret.* Si enim hoc verum esset, cum anima non appareat oculis, non assumsisset animam. Et *iterum*, si Christus apparebat esse homo, et non erat verus homo, alius apparebat, quam esset: ergo aliqua falsitas et aliqua deceptio fuit in Christo, quod omnino absurdissimum est. Veritas enim nec falli potest nec fallere [8].

Tertium.

Item, tertium improbabile est in hoc quod dicit, illa *duo in singularitatem personae Verbum Dei assumsisse, quia illis duobus accidentibus non est personarum numerus auctus.* Si enim hoc verum esset, cum columba, in qua Spiritus sanctus apparuit, non auxerit numerum personarum in di-

---

[1] Pro *suo* edd. *secundo*.

[2] Ex cuius verbis textus huius dubii sumtus est; cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

[3] Codd. K Z bb *unio*. Paulo inferius pro primo *obiicit* codd. A B F G I L X *ostendit*, codd. C M O *ostenditur*, cod. bb *dicit*.

[4] Codd. A E G I L N T X aa minus congrue *non simpliciter*.

[5] Cfr. IV. Sent. d. 8. p. II. a. 2. q. 1.

[6] Edd. *et illud communiter est*.

[7] Cfr. supra pag. 454, nota 8.

[8] Vide supra d. 2. a. 2. q. 1. seqq.

vinis; assumta est in unitatem personae, quod nefarium est dicere [1]. Et *iterum*, cum aliqua anima unitur Deo per voluntatis conformitatem, et nullo modo ex hoc crescat in Trinitate numerus personarum; quaelibet anima sancta assumeretur a Verbo in unitatem personae: ergo quilibet Sanctus esset Deus, quod quidem dicere est omnino perversum.

Reprobatur 3. opinio.

Excusatur Magister.

Et propterea iste modus dicendi, sicut ex littera [2] colligitur, repudiatus est tanquam erroneus; nec credendum est, Magistrum fuisse de opinione ista, nec dicere hoc asserendo vel approbando, sed aliorum opinionem recitando. Hanc autem opinionem, sicut et alias, nec omnino reprobat nec omnino approbat. Nondum enim claruerat eius falsitas, maxime cum videatur super verba Sanctorum esse fundata [3].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Multis modis habitum dicimus* etc. Primo enim distinguit habitum in tria membra; secundo vero distinguit alia distinctione per quatuor membra: igitur vel una est *superflua*, vel altera *diminuta*. — Item, videntur aliqua membra secundae divisionis esse impossibilia. Dicit enim, quod *quaedam accedunt* [4], *quae mutant, sed non mutantur, sicut sapientia*. Hoc videtur esse impossibile, quia, si ex aliquo accidente adveniente mutatur subiectum, videtur, quod ipsum multo magis debeat dici mutatum, quia de *ente in potentia* fit *ens in actu*. — Item, aliud membrum similiter, quod dicit, quod *quaedam accedunt, quae nec mutant nec mutantur*, videtur impossibile. Nihil enim novum acquiri potest sine aliqua mutatione *acquirentis*, vel *acquisiti*: ergo impossibile est, quod aliqua differentia habitus introducatur in *esse*, qua [5] non fiat mutatio in habito, vel habente.

Primus modus distinguendi tripliciter.

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus [6] distinguit habitum dupliciter: uno modo in se per differentias proprias, quae respiciunt habitum quantum *ad esse*. Et istae sunt tres. Omne enim quod habetur, aut habetur *interius*, aut *exterius*, aut *partim interius, partim exterius*. Si *omnino interius*; sic dicimus habitum animae, ut scientiam et disciplinam. Si *omnino exterius*; sic dicimus habitum eorum quae exterius corpori accommodantur, sicut esse vestitum et calceatum. Si *quodam modo interius, et quodam modo exterius*; sic dicimus alium alio validiorem vel fortiorem. Et hoc quasi tenet medium inter differentias duas prius positas. Et ad istas tres differentias reduci possunt septem illi modi habendi, quos assignat Philosophus in Postpraedicamentis [7].

Notandum.

Secundus modus distinguendi quadripliciter.

Sed quia iste modus distinguendi parum valet ad propositum, ideo sumit Augustinus alium modum distinguendi per quatuor membra, qui respicit ipsum habitum quantum *ad fieri*. Et haec divisio est quadrimembris secundum quatuor combinationes [8] sufficientes et immediatas. Omne enim quod accedit alicui, aut *mutat tantum et non mutatur*, sicut sapientia; aut *mutat et mutatur*, ut cibus; aut *nec mutat nec mutatur*, ut anulus; aut *mutatur*, sed *non mutat*, ut vestimentum. — Et illud quartum membrum valet ad propositum, et per hoc patet responsio ad primum obiectum. Istae enim quatuor differentiae reducuntur ad illas tres; ideo nec istae sunt superfluae, nec illae diminutae.

Ad 1. obi. cfr. sed.

Ad illud quod obiicitur, quod sapientia mutat, sed non mutatur; dicendum, quod ad hoc, quod quis fiat *sapiens*, concurrit sapientia creata et increata, sicut ad hoc, quod fiat *gratus*, concurrit caritas creata et increata. Cum autem Augustinus dicit, quod «sapientia non mutatur»; non intelligit de sapientia *creata*, quae est accidens animae, sed de sapientia *increata*. — Et hoc frequenter advertendum est in verbis Augustini, cum loquitur de *sapientia* et *gratia*, quia modo loquitur de *increata*, modo de *creata*. — Potest etiam hoc verbum *mutatur* intelligi de sapientia *creata*. Sed tunc non loquitur Augustinus de quocumque genere mutationis, sed de illa mutatione, quae est de una dispositione ad alteram, utpote de mutatione, quae est secundum formam; et tunc non habet instantiam in *sapientia*, quia *sapientia* accidens non alteratur, quamvis *sapiens* secundum illam alteretur [9].

Ad 2. obi.

Notandum de August.

Alias.

---

[1] Cfr. supra d. 1. dub. 4. — Pro *assumta est* Vat. *assumta esset*.

[2] Hic c. 4. seq. et d. VII. c. 2. seq. — Mox pro *repudiatus* cod. U *repudiandus*.

[3] Vide supra a. 1. q. 3. — De hoc dubio cfr. B. Albert., hic a. 8; S. Thom., hic circa lit.; Richard. a Med., hic circa lit.

[4] Codd. U Z bb et alii hic et paulo inferius *accidunt* pro *accedunt*. Mox pro *quia si* plurimi codd. vitiose *quia etsi*.

[5] Pro *qua* edd. *quod* et subinde *in habitu* pro *in habito*.

[6] Libr. 83 Qq. q. 73. n. 1., unde sumtus est textus huius dubii.

[7] Cap. *de Habere*. De *Postpraedicamentis* Aristoteles tractat in tertia parte sui libri, qui inscribitur de Praedicamentis. Postquam in prima istius libri parte egit de *Antepraedicamentis* i. e. de quibusdam suppositis ad Praedicamentorum doctrinam conferentibus v. gr. de definitione aequivocorum, univocorum etc., et in secunda de *Praedicamentis* i. e. substantia, quantitate, relatione, actione et passione; in tertia, ut diximus, agit de *Postpraedicamentis* i. e. de quibusdam consequentibus ad ipsa praedicamenta v. gr. de oppositione, de priori, simul, *habere* etc. Octo qui in cap. *de Habere* assignantur modi habendi a Petro Hispano hoc distichо exprimuntur:

Affectum [qualitatem v. gr. virtutem] quantum, vestitum, die
velut aurum [anulum in digito],
Membrum, contentum [in vase], possessum, vir mulierem.

De octavo horum modorum Aristot. profitetur, quod «modus alienissimus est eius quod est *habere*; nihil enim aliud uxorem habere significamus, quam quod cohabitant». — Codd. A F I L N ss *in Praedicamentis*.

[8] Codd. M O *conditiones*. Mox pro *Omne* codd. A B C D E M O Z cc *Esse*, edd. *Hoc*. Subinde pro *accedit* codd. N U *accidit*.

[9] Cfr. I. Sent. d. 37. p. II. dub. 2. et 4. — Codd. A G I L N T U ss *secundum illum*, cod. F *secundum illud*. Aliquanto inferius pro *Haec* [alteratio] *autem* plurimi codd. *Hoc autem*.

Et per hoc patet tertium obiectum: non enim excludit omnem motum Augustinus, sed illum motum alterationis, qui est secundum qualitatem absolutam. Haec autem non est in coniunctione anuli ad digitum, sed solum quae est mutatio secundum locum vel situm [1].

Ad 3. obi.

DISTINCTIO VII.

Cap. I.

Deinde quae singulis sententiis adversari videntur, ponit.

Secundum primam vero dicitur: *Deus* factus homo, et *homo* factus Deus, quia Deus coepit esse quaedam substantia rationalis, quae ante non fuerat; et illa substantia coepit esse Deus, et hoc gratia, non natura, vel meritis habuit. Unde recte dicitur Christus, in quantum homo, *praedestinatus esse Filius Dei*. — Huic autem sententiae opponitur: si illa substantia coepit esse Deus, et Deus illa; quaedam igitur substantia est Deus, quae non *semper* fuit Deus; et quaedam substantia est Deus, quae non est *divina substantia;* et Deus est *aliquid*, quod non semper fuit. — Quod et illi concedunt, Origenis [1] testimonio inniitentes, qui ait: «Factus est sine dubio id quod prius non erat; sed addidit: secundum *carnem;* secundum *Deum* vero erat prius, et non erat quando non erat». — Aliis quoque pluribus modis illi sententiae potest opponi; quibus supersedemus, exercitationis studium lectori relinquentes et ad alia properantes.

Locutiones ambiguae ex cuiusdam opinione.

Obiicitur

Concedunt

In secunda vero sententia huius dictionis [2] talis videtur ratio, ut, cum dicitur: *Deus* factus est homo, intelligatur coepisse esse subsistens ex duabus naturis, vel tribus substantiis; et e converso, *homo* factus est Deus, quia subsistens in duabus naturis coepit esse Deus; vel potius homo factus est Deus, et e converso dicitur, quia Deus assumsit hominem, et homo assumtus est a Deo. Unde Augustinus dicit in libro de Trinitate [3]: «Talis fuit illa susceptio, quae hominem faceret Deum, et Deum hominem». Variatur autem intelligentia, cum dicitur: *Deus* est homo, et *homo* est Deus. Dicitur enim *Deus* esse persona subsistens *in* duabus et *ex* duabus naturis, et *persona subsistens in* duabus et *ex* duabus naturis dicitur esse Deus, id est Verbum, vel natura divina. Potest enim praedicari persona simplex, vel [4] natura de persona composita. Non est autem, ut ait Ioannes Damascenus [5], idem dicere *naturam*, vel *personam*.

Secundum 2 opinionem

Diversa sunt

Cap. II.

Ex quo sensu dicitur Christus praedestinatus.

Isti dicunt, Christum praedestinatum esse, scilicet personam illam [6], in quantum est *homo*, id est, in quantum est subsistens ex duabus substantiis, scilicet anima et carne. Nam quantum ad naturam divinitatis non est ipse praedestinatus: non ergo, in quantum in ea vel ea subsistit, praedestinatus est, sed in quantum subsistit in aliis duabus substantiis, id est in anima et carne, hoc est, in quantum est *homo*.

Determinant etiam auctoritates, quae *primae* conveniunt sententiae et *huic* videntur contradicere, ut, cum legitur [7]: homo ille assumtus a Verbo in singularitate personae, vel, factus una persona cum Verbo, de natura *humana* intelligatur, quae Verbo unita est in singularitate personae, id est, ita quod eadem persona, quae prius erat et simplex erat, sine incremento numeri [8] et immutata permansit, licet *composita*. Compositionis vero huius aliam dicunt esse rationem, quam sit in aliis hominibus, quia huius ex *tribus*, aliorum ex *duabus* substantiis est compositio. Negant quoque, naturam humanam esse personam, vel Dei Filium; et sicut unum eundemque dicunt esse hominem et Deum, et filium hominis et Filium Dei; ita *unum* et *idem*, non *aliud* et *aliud*, sicut nec *alium* et *alium*.

Determinant auctoritates 1. opinionis.

Sed his videntur adversari quae subditis continentur capitulis. Ait enim Augustinus super Ioannem [9]: «Aliud est Verbum Dei, aliud homo; sed Verbum caro factum est, id est homo; non itaque alia Verbi, alia est hominis persona, quoniam utrumque est Christus et una persona». Idem ad Felicianum [10]: «Aliud Dei Filius, aliud hominis filius; sed non alius». Item, «Dei Filius aliud de Patre, aliud de Matre». Idem in libro primo de Trinitate [11]: «Cum Filius sit et Deus et homo, alia substantia Deus, alia homo».

Oppositae auctoritates Augustini.

Haec autem in hunc modum determinant: quia, cum dicitur: aliud Verbum Dei, aliud homo, sive alia substantia Deus, alia homo; *alterius naturae* significatur Christus esse, in quantum est *homo*, et alterius,

Explicantur.

---

[1] Cfr. de hoc dub. Petr. a Tar., Richard. a Med., hic circa lit.; Egid. R., hic dub. lit. 5.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] In Epist. ad Rom. 1, 3. n. 5. (Patrolog. Graec. t. 44. col. 848.).

[2] Ita codd., ed. 2 *traditionis*, aliae edd. *distinctionis*.

[3] Libr. I. c. 13. n. 28.

[4] Edd. 1, 5, 8 *ut*.

[5] Libr. III. de Fide orthod. c. 3. circa medium.

[6] Vat. aliaeque edd., exceptis 1, 5, 8, et codd. A D omittunt *esse*, *scilicet personam illam*, quae verba a codd. B C E transponuntur post *Christum*.

[7] Dist. VI. c. 5.

[8] Vat. cum ceteris edd., exceptis 1, 8, addit *personarum* et ponit *etiam* pro *et*, refragantibus codd.

[9] Tract. 69. n. 3. — In quo textu codd. et plurimae edd. ante *Christus* omittunt *est;* Vat. cum originali omittit *et* ante *una persona*.

[10] Potius *contra* Felicianum, Arianum, de Unit. Trinit. c. 11. 12; seq. locus ibid. et cfr. supra pag. 448, nota 3.

[11] Cap. 10. n. 20.

in quantum est *Deus;* et *aliud* natura, qua est homo, *aliud* natura, qua est Deus. Ut enim ait Ioannes Damascenus[1]: « Inconverse et inalterabiliter unitae sunt ad invicem naturae, neque divina distante a propria simplicitate, neque humana aut conversa in deitatis naturam, aut in non-existentiam conversa[2], neque ex duabus una facta *composita natura*. Composita enim natura neutri earum, ex quibus componitur naturis, homousia, id est consubstantialis, esse potest, ex alteris perficiens alterum, ut corpus ex quatuor elementis compositum nec *ignis* nominatur nec *aër* nec *terra* nec *aqua*, nec horum alicui *homousion* dicitur. Si igitur secundum haereticos Christus unius compositae naturae post unionem exstitit, ex simplici natura conversus est in compositam, et neque Patri simplicis naturae existenti neque Matri est homousios; et neque *Deus* neque *homo* denominabitur[3], sed Christus solum; et erit hoc nomen, scilicet *Christus*, non personae ipsius nomen, sed unius secundum ipsos compositae naturae. Nos autem Christum non unius compositae naturae dogmatizamus, et hoc nomen, scilicet *Christus*, personae[4] dicimus non *monotropos*, id est uno modo dictum, sed duarum naturarum esse significativum, scilicet deitatis et humanitatis. Ex deitate autem et humanitate Deum perfectum et hominem perfectum eundem et esse et dici *ex* duabus et *in* duabus naturis, confitemur ». — Sic ergo dicitur *aliud* esse Filius Dei, *aliud* filius hominis, quia *alterius* est *substantiae* vel naturae, in quantum est Filius Dei, et *alterius*, in quantum est filius hominis, non quod ipse Filius Dei et hominis sit duo illa diversa, id est duae diversae naturae.

Damascenus.

Aperte enim Hilarius in nono libro de Trinitate[5] ait: « Cum non *aliud* sit filius hominis, neque *aliud* Filius Dei — *Verbum enim caro factum est* — et cum ille qui Filius Dei est, ipse et hominis sit filius; requiro, quis in hoc filio hominis glorificatus sit ». — Evidenter dicit, non *aliud* esse Filium Dei et *aliud* filium hominis. Ex quo praemissa roboratur et approbatur determinatio.

Hilarius.

Quod etiam dictum est: utrumque est Christus et una persona, movere potest lectorem; sicut et illud quod Augustinus dicit in libro primo de Trinitate[6]: « Quia forma Dei formam servi accepit, utrumque *Deus*, utrumque *homo*. Sed utrumque *Deus* propter accipientem Deum, et utrumque *homo* propter acceptum hominem ». Et illud quod idem ait in libro de Bono perseverantiae[7]: « Qui fidelis est in eo veram naturam humanam credit, suscipiente Deo Verbo, ita sublimatam, ut *qui* susceptus et *quod* suscepit una esset in Trinitate persona, assumtione illa ineffabiliter faciente personae unius in Deo et homine veritatem ». Si autem *qui* suscepit et *quod* suscepit una est persona: ergo natura humana cum Verbo una est persona. — Sed haec omnia ex tali sensu dicta fore tradunt, ut utrumque dicatur esse Christus et una persona, quia in utroque unus Christus et una persona subsistit. Ita etiam *susceptum* cum *suscipiente* dicitur una persona, quia susceptum suscipienti est sociatum in unitate personae, id est ita, quod unitas personae permansit, non ita, ut caro et anima sint Deus, quia, ut ait Hieronymus[8], « Verbum est Deus, non caro assumta ». Et Ambrosius in libro tertio de Spiritu sancto[9] ait: « *Aliud* est quod assumsit, et *aliud* quod assumtum est ».

Iterum Augustinus opponitur.

Respondent.

Hieronym. et Ambros.

Est autem et aliud, quod huic sententiae plurimum videtur obviare. Ait enim Augustinus in libro contra Maximinum[10]: « Christus una persona est geminae substantiae, quia et Deus et homo est. Nec tamen Deus, vel homo pars huius personae dici potest; alioquin Filius Dei Deus, antequam susciperet formam servi, non erat totus et crevit, cum homo divinitati eius accessit ». — Ecce, Deum dicit non esse partem illius personae. Unde videtur illa persona non constare ex Deo et homine. — Ad quod etiam illi dicunt, illam personam non ita constare ex Deo et homine, quasi *totum ex partibus*. Ita enim partes alicuius totius conveniunt, ut ex illis quod non erat constituatur. Non autem sic humana et divina natura in Christo uniuntur. Inexplicabilis enim est istius unionis, quae non est partium, ratio. — Quidam tamen nomine *Dei* ibi personam significari putant, quia de tribus agebat personis, quarum nullam Trinitatis esse partem dicebat, sicut pars istius personae non est Deus. Quod si de persona intelligitur, manifestum est, quia persona non est pars personae. — Posita est diligenter sententia secunda et eius explanatio, cui in nullo vel in modico obviant auctoritates in tertia sententia inductae, quae iam consideranda est.

Aliud dictum August. obiicitur.

Respondent.

Dubium 1.

In hac igitur sententia sic dicitur: *Deus factus homo*, quia hominem *accepit*, et[11] sic dicitur *esse homo*, quia hominem *habet*, vel quia est habens hominem; et *homo factus est Deus*, quia assumtus est a Deo; et *homo esse Deus*, quia habens hominem est Deus. Cum ergo dicitur: Deus est homo, vel *habitus* praedicatur, vel *persona*, sed humanata. Et quod *persona humanata* praedicetur, Cassiodorus[12] ostendere videtur, dicens: « Factus est, ut ita dixerim, humanatus Deus, qui etiam in assumtione carnis Deus esse non destitit ». Quod tamen varie accipi potest, ut dicatur: *Deus* factus humanatus, vel *Christus* factus Deus humanatus; utrumque enim sane dici potest. Cum ergo

Secundum 3. opinionem.

---

[1] Libr. III. de Fide orthod. c. 3. in initio. Prima pars huius textus habetur etiam in Glossa Lyrani, Rom. 1, 3.

[2] Ita ed. 8 iuxta textum Graecum (χωρησάσης) Vat. *mutata*, in ceteris edd. et codd. *divisa*. Infra post *perficiens* cod. E, Vat. et ed. 4 *alteram* pro *alterum* (ἕτερον).

[3] Codd. A B C et edd. 2, 6 *denominatur*.

[4] Edd. 1, 5, 8 praefigunt *nomen*.

[5] Num. 40.

[6] Cap. 7. n. 14. in fine.

[7] Sive *Dono* persev. c. 24. n. 67.

[8] Serm. (non genuinus) de Assumtione ad Paulam et Eustoch. c. 13. — Paulo superius ante *Deus* edd., exceptis 1, 8, addunt *unus*.

[9] Ita codd. et edd., excepta 8, quae recte substituit *de Incarnationis dominicae sacramento* (c. 6. n. 61.).

[10] Libr. II. c. 10. n. 2.

[11] In codd. et edd., exceptis 1, 8, omittitur *et*.

[12] Cfr. Glossa Lyrani ad Rom. 1, 3. (sub nomine Origenis). — Paulo inferius post *Christus factus* edd. 1, 8 et cod. E addunt *est*.

dicitur: factus est Deus homo, multiplex secundum istos fit intelligentia, ut naturam humanam accepisse, vel humanatum Verbum esse incepisse intelligatur. Nec tamen, si incepit esse *humanatum Verbum*, ideo sequitur, quod inceperit esse *Verbum;* nec si Deus factus est *humanatum Verbum*, sequitur, quod factus sit *Verbum;* sicut de aliquo dicitur: hodie iste coepit esse *bonus homo*, vel factus est *bonus homo;* nec tamen hodie coepit esse *homo*, vel factus est *homo*.

Quoad esse praedestinatum.

Secundum istos dicitur Christus, secundum quod homo, *praedestinatus esse Filius Dei*, quia est praedestinatum a Deo ab aeterno, et in tempore collatum est ei per gratiam, ut ipse ens homo sit Filius Dei. Hoc enim non semper habuit, sed in tempore per gratiam accepit. Quod videtur Augustinus notasse in libro

Augustinus.

ad Prosperum et Hilarium [1] dicens: « Praedestinatus est Iesus, ut, qui futurus erat secundum carnem filius David, esset in virtute Filius Dei ». Hi etiam, cum dicitur: Christus minor Patre, secundum quod homo, secundum *habitum* hoc intelligunt dictum, id est, in quantum habet hominem sibi unitum. Unde Augustinus in libro primo de Trinitate [2]: « Deus Filius Deo Patri natura est aequalis, habitu minor. In forma enim servi minor est Patre, in forma Dei aequalis est Patri ». Et quia secundum *habitum* accipienda est incarnationis ratio, ideo *Deum humanatum*, non *hominem deificatum* dici tradunt. Unde Ioannes Damascenus [3]: « Non hominem deificatum dicimus, sed Deum hominem factum ».

Dubium 2.

Cap. III.

Quod non debet dici homo dominicus.

Et licet dicatur *homo Deus*, non tamen congrue dicitur *homo dominicus*. Unde Augustinus in libro Retractationum [4]: « Non video, utrum recte dicatur *homo dominicus* qui est mediator Dei et hominum, Christus Iesus, cum sit utique *Dominus;* et hoc quidem ut dicerem, apud quosdam legi tractatores catholicos. Sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippe vidi, non esse dicendum, quamvis nonnulla possit ratione defendi ». — Secundum istos etiam dicitur persona Filii *in* duabus et *ex* duabus existere naturis, secundum *adhaerentiam* et *inhaerentiam*. Altera enim *adhaeret* ei, altera *inest*.

Dubium 3.

Satis diligenter iuxta diversorum sententias supra positas [5] absque assertione et praeiudicio tractavi quaestionem. Verumtamen nolo, in tanta re tamque ad dignoscendum difficili putare lectorem, istam sibi nostram debere sufficere disputationem; sed legat et alia forte melius considerata atque tractata, et ea quae hic movere possunt, vigilantiore atque intelligentiore, si potest, mente discutiat, hoc firmiter tenens, quod « Deus hominem assumsit, homo in Deum transivit, non naturae versibilitate, sed Dei dignatione; ut nec Deus mutaretur in humanam substantiam assumendo hominem, nec homo in divinam, glorificatus in Deum; quia mutatio vel versibilitas naturae diminutionem et abolitionem substantiae facit [6] »

Magister suspendit iudicium.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM VII.

Explicantur ambiguae locutiones.

Secundum primam vero dicitur Deus factus etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra narravit Magister multorum opiniones. In hac parte applicat ad principale propositum, videlicet ad explicandas ambiguas locutiones. Dividitur autem pars ista in partes tres secundum illas tres opiniones. In quarum prima explicat locutiones ambiguas secundum opinionem primam. In secunda vero secundum opinionem secundam, ibi: *In secunda vero sententia huius traditionis.* In tertia vero secundum tertiam, ibi: *In hac igitur sententia sic dicitur: Deus factus homo* etc.

Prima pars dividitur in duas. In quarum prima iuxta primam sententiam ambiguas locutiones exponit. In secunda vero ea quae praedictae opinioni videntur contraria, dissolvit, ibi: *Huic autem sententiae opponitur.*

Secunda vero pars principalis dividitur in partes tres. In quarum prima locutiones praemissas explanat. In secunda vero auctoritates prius positas explanat, ibi: *Determinant autem auctoritates, quae primae* [1] etc. In tertia vero alias auctoritates, quae videntur adversari, reducit ad concordiam, ibi: *Sed his videntur adversari etc.* Et illa pars in multas posset dividi partes secundum multas auctoritates, sicut in littera patet.

---

[1] Id est de Praedest. Sanctor. c. 15. n. 31.

[2] Cap. 7. n. 14.

[3] Libr. III. de Fide orthod. c. 2.

[4] Libr. I. c. 19. n. 8. — Pro *possit* codd. A B D et edd. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9 *posset*, et pro *adhaeret* omnes codd. et edd. eaedem *inhaeret*.

[5] Ita codd. B C E; Vat. et edd. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9 *sententiam supra positam*, edd. 1, 8 et codd. A D *sententias supra positam* (scil. quaestionem); deinde cum codd. A D E et edd. 1, 5, 8 posuimus *tractavi* pro *tractavimus;* denique pro *tamque ad dignoscendum* pleraeque edd. cum Vat. *tanquam ad cognoscendum*.

[6] Gennad., de Ecclesiast. Dogm. c. 2.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Codd. *praemissae*. Paulo inferius Vat. omittit *secundum multas auctoritates*.

Similiter tertia pars principalis dividitur in partes tres. In quarum prima explicat locutiones praemissas secundum tertiam sententiam. In secunda vero elicit ex praemissis, quandam aliam [1] locutionem non esse recipiendam, ibi: *Et licet dicatur homo Deus* etc. In tertia vero et ultima ostendit, se in praecedentibus opinionibus suspensam tenuisse sententiam, ita quod ad nullam praedictarum opinionum declinaverit magis quam ad alteram, ibi: *Satis diligenter iuxta diversorum sententias* etc. — Et ex hoc patet, quod non est imponendum Magistro, quod fuerit ex opinione tertia [2]. Nota.

PRAENOTATA.

Nota igitur, quod in tota parte ista has duas locutiones explanat: homo factus est Deus; et: Christus praedestinatus est esse Filius Dei.

Locutio 1. sec. tres opiniones.

Prima enim opinio concedit, quod Deus factus est homo, et e converso; quia homo in Christo est quaedam substantia [3], quae coepit esse Deus per gratiam. — *Secunda* vero opinio concedit, quod Deus factus est homo, et e converso; quia Deus coepit esse subsistens in duabus naturis, et ex hoc factum est, ut subsistens in duabus naturis sit Deus. — Secundum *tertiam* opinionem dicitur: Deus factus est homo, et e converso; quia Deus accepit hominem, et ex hoc factum est, quod habens [4] hominem est Deus.

Item 2. locutio.

Similiter *prima* opinio concedit, quod Christus praedestinatus est esse Filius Dei; quia ille *homo* est Filius Dei non per naturam, sed per gratiam, et hoc quidem ab aeterno fuit praevisum. — *Secunda* vero opinio dicit, quod Christus est praedestinatus esse Filius Dei; quia *persona* illa, in quantum homo, id est in quantum subsistens in duabus naturis, scilicet anima et carne, praedestinatus est, et ita ratione humanitatis, non divinitatis. — *Tertia* vero opinio dicit, quod Christus, secundum quod homo, est praedestinatus, non quia *homo* ille sit praedestinatus, nec quia *persona* illa subsistens in duabus naturis sit praedestinata, sed quia quod praedestinatum est ei ab aeterno collatum est ei in tempore per gratiam; non enim humanitatem habuit [5] ab aeterno, sed per gratiam accepit ex tempore, secundum quod Deus praeviderat aeternaliter.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio circa duo secundum duo genera locutionum, quae in littera exponuntur.

Primo quaeritur de locutionibus exprimentibus ipsam unionem.

Secundo quaeritur de locutionibus exprimentibus unionis praedestinationem.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur de hac locutione: Deus est homo, et homo est Deus.

Secundo vero quaeritur de hac: Deus factus est homo.

Tertio quaeritur de hac: homo factus est Deus.

ARTICULUS I.

De locutionibus exprimentibus ipsam unionem.

QUAESTIO I.

Utrum vera sit locutio: Deus est homo.

Circa primum sic proceditur et quaeritur de hac locutione: Deus est homo. Et quod sit vera, videtur:

Fundamenta.

1. Per illud quod dicitur in Symbolo [6]: «Deus et homo unus est Christus»: Christus igitur et est Deus et est homo et est unus; sed quaecumque dicuntur de uno et de eodem secundum numerum, dicuntur de se invicem: ergo Deus est homo, et homo est Deus.

2. Item, Bernardus in quinto ad Eugenium [7]: «Tantam et tam expressam vim unionis in se praefert ea persona, qua Deus et homo unus est Christus, ut, si duo de se praedices, nón erres».

---

[1] Cod. K *ambiguam.* [2] Cfr. supra d. 6. dub. 2.

[3] Edd. et nonnulli codd. addunt *per naturam.*

[4] Pro *quod habens* edd. *quod secundum hunc.*

[5] Ita codd. Q U (K a secunda manu); in reliquis et edd. minus congrue *hominis.* Mox pro *aeternaliter* cod. A *ab aeterno.*

[6] Athanasiano. — De *minori* cfr. Aristot., VII. Topic. c. 1.

[7] Sive de Consider. c. 9. n. 21, quod testimonium in textu origin. sic exit: ut si duo illa de se invicem praedices, non erraveris, Deum videlicet hominem, et hominem Deum vere catholiceque pronuntians.

3. Item, sicut superius[1] ostensum fuit, illa unio terminatur ad unitatem personalem sive hypostasis; sed quotiescumque aliqua duo uniuntur in supposito, de se invicem in concretione praedicantur: ergo sicut *Deus* nominat divinam naturam in concretione, et *homo* similiter; videtur, quod ibi sit mutua praedicatio, ut dicatur Deus homo, et homo Deus.

4. Item, medium, quod optime iungit extrema, ad utrumque extremorum comparatur secundum habitudinem subiiciendi et praedicandi[2]: si ergo Christus perfectus mediator est inter Deum et hominem, ergo *Deus* et *homo* talem habent habitudinem respectu eiusdem. Sed quae talem habent habitudinem respectu eiusdem dicuntur necessario de se invicem: ergo *homo* praedicatur de Deo, et *Deus* de homine.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Maior est unitas *personarum* in divina natura, quam sit *naturarum* in Christo in una persona, quia, sicut dicit Bernardus[3]: «Illa unitas arcem tenet super omnes unitates»; sed ratione *unitatis naturae* non contingit dicere, quod una persona sit altera: ergo ratione *unitatis personae* non contingit dicere, quod Deus sit homo, et quod homo sit Deus.

2. Item, magis conveniunt ea quae sunt eiusdem generis et uniuntur in natura et persona, quam quae sunt diversorum generum et uniuntur in persona tantum; sed anima et corpus sunt in genere substantiae et uniuntur in uno homine, qui est eiusdem naturae et unius personae; divinitas autem et humanitas non sunt eiusdem generis nec uniuntur in unitatem[4] naturae, sed solum in unitatem personae: ergo cum haec sit falsa: anima est corpus, et e converso; ergo et haec: homo est Deus, et Deus est homo.

3. Item, cum dicitur: Deus est homo[5], aut *homo* praedicatur de Deo et de Petro *univoce*, aut *aequivoce*. Si *univoce:* ergo aliquid est univocum Creatori et creaturae, quod est impossibile; si *aequivoce:* ergo non videtur Christus homo ad genus hominum pertinere, ex quo *homo* de ipso et aliis non dicitur uniformiter.

4. Item, cum dicitur: Deus est homo, aut *homo* praedicatur *per se*, aut *per accidens*. Si *per se;* et quod praedicatur *per se* dicitur de quolibet supposito: ergo quaelibet persona divina est homo. Si *per accidens:* ergo videtur, quod aliquid accidat Deo; quod omnino falsum est, sicut probatum est in primo libro[6].

5. Item, cum dicitur: Deus est homo, aut *homo* praedicatur de Deo *absolute*, aut *relative*. Si *absolute:* ergo dicitur de tribus, quia nomina absoluta dicuntur de tribus, sicut vult Augustinus[7], et haec dicunt substantiam. Si secundum *relationem;* sed omne relativum dicitur respectu alicuius: ergo *homo* dicitur respectu alicuius. Sed hoc est plane falsum: ergo non videtur, quod *homo* aliquo modo praedicetur de Deo.

6. Item, si *homo* praedicatur de Deo, aut est *in plus*, aut *in minus*, aut *in aeque*[8]. Si *in minus:* ergo quilibet homo est Deus, et non convertitur; si *in plus:* ergo quilibet, qui Deus est, homo est; si *in aeque:* ergo redit idem inconveniens.

7. Item, hoc nomen *Deus* aut *supponit* pro persona Filii, aut *non*. Si pro persona Filii *supponit*, eadem ratione et pro persona Patris: ergo si haec est vera pro persona Filii: Deus est homo, et haec pro persona Patris: Deus non est homo[9]. Si vero *non supponit* pro persona Filii: ergo cum in illa persona facta sit unio, praedicta locutio erit simpliciter falsa.

8. Item, plus distat Deus et homo, quam homo et non-homo; sed Deus nunquam facit, quod homo

---

[1] Dist. 6. a. 2. q. 1. — Quod ad *minorem* spectat, respicias, quod Aristot., de Praedicam. c. *de Substantia* docet respectu eorum quae *in subiecto* sunt, ut e. gr. album, scil. ipsa non praedicari de subiecto secundum rationem sive in abstractione; «dicitur enim corpus album, ratio vero albi nunquam de corpore praedicabitur» [dicendo: corpus est albedo]. Cfr. supra d. 6. a. 1. q. 1. — Pro *hypostasis* Vat. *hypostasim*. Paulo inferius pro *et homo similiter; videtur* cod. F *et homo nominat humanam naturam in concretione, sequitur.*

[2] Secundum Aristot., I. Prior. c. 4. Et idem ait IV. Polit. c. 9. (c. 7.): In eo [medio] enim utrumque extremorum apparet.

[3] Libr. V. de Consider. c. 8. n. 19. — In *maiori* post *personarum* Vat. subdit *divinarum*.

[4] Cod. A hic et post pauca *in unitate*.

[5] Codd. F U bb ex seqq. suppleni *et Petrus est homo*. Paulo inferius post *pertinere* cod. O interserit *quod damnatum est in decreto Alexandri, sicut patuit supra* [d. 6. a. 1. q. 3. fundam. 1.].

[6] Dist. 8. p. I. a. 2. q. 1; d. 26. dub. 5; d. 30. q. 2. seq. — De divisione praedicationis vide Aristot., I. Poster. c. 4, et VII. Metaph. text. 11. seq. (VI. c. 4.). Boeth., I. in Praedicam. Aristot., primam regulam antepraedicamentalem explicans ait: Duobus enim modis praedicationes fiunt: uno *secundum accidens*, alio *de subiecto* [per se]; de homine namque praedicatur album, dicitur enim homo albus; rursus de eodem homine praedicatur animal, dicitur enim homo animal. Sed illa prior praedicatio... secundum accidens est; namque accidens, quod est album, de subiecto homine praedicatur, sed non in eo *quod quid sit* [essentialiter]... De subiecto [per se] vero praedicare est, quoties altera res de altera in ipsa substantia praedicatur, ut animal de homine; quoniam animal et substantia est et genus hominis; idcirco etc.

[7] Libr. V. de Trin. c. 8. n. 9. seqq. Cfr. I. Sent. d. XXVII. lit. Magistri, c. 4. seq. — *Relativa* secundum Aristot., de Praedicam. c. *de His quae ad aliquid*, «dicuntur quaecumque haec ipsa quae sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, ut maius hoc ipsum quod est, alterius dicitur».

[8] Damasc., Dialectica, c. 15: Omne praedicatum aut *latius* patet quam subiectum, aut *aeque; minus* autem *late* nunquam... *Latius* porro patent superiora; *minus late* inferiora... Praedicatum autem, quod subiecto est *aequale*, illud est quod cum subiecto convertitur... Quapropter generum de speciebus, et differentiarum de speciebus, ac specierum de individuis praedicatio latior dicitur; propriorum autem aequa. Cfr. tom. I. pag. 348, nota 5.

[9] Et consequenter Deus simul est homo et non homo, quod est absurdum. — Mox codd. A F G H K U Z aa omittunt *in* ante ablativum *illa persona*.

sit non-homo: ergo non videtur, quod possit facere nec per naturam nec per miraculum, quod haec sit vera: Deus est homo.

Quaestio implicita.

9. Item, triplex est praedicandi modus: quod enim praedicatur de altero aut praedicatur per *essentiam*, aut per *inhaerentiam*, aut per *causam* [1]. Cum ergo dicitur: Deus est homo, aut praedicatur per *essentiam*, et tunc Deus et homo erit eiusdem essentiae, quod est impossibile; aut per *inhaerentiam*, et tunc accidit Deo esse hominem; aut per *causam*, et tunc pari ratione poterit dici, quod Deus est lapis, quia ita est causa lapidis, sicut et hominis: nullo igitur modo videtur posse concedi, hominem de Deo posse praedicari.

CONCLUSIO.

Necesse est concedere, hominem esse Deum, et Deum hominem; haec tamen praedicatio est per modum singularem.

Respondeo: Dicendum, quod secundum catholicam veritatem absque dubio necesse est concedere, hominem esse Deum, et Deum hominem, pro eo quod duae naturae ibi unitae sunt in unam personam. Quae autem in uno supposito uniuntur necessario de se invicem praedicantur, si accipiantur *concrete*, propter illam maximam, qua dicitur: «quaecumque uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem»; per quam etiam fundari habet virtus syllogismi expositorii, quod probat Philosophus in libro Priorum [2], ea quae dicuntur de uno et eodem, praedicari de se invicem. Si igitur unus est Christus, qui est Deus et homo, necessario oportet concedere, Deum esse hominem, et hominem esse Deum. Et hoc quidem attestantur Sanctorum auctoritates, et communiter fatentur doctores theologiae. — De *modo* tamen *praedicandi* diversi diversimode sentiunt.

Conclusio 1.

Ratio.

De modo praedicationis.

Quidam enim dicere voluerunt, quod haec praedicatio non sit in *recto*, sed in *obliquo*, ut sit sensus: Deus est homo, id est, Deus habet hominem. — Et hic modus dicendi relabitur ad tertiam opinionem, quae dixit, hominem praedicari de Deo secundum *habitum*, quae etiam superius [3] improbata est. Manifestum est etiam, quod illud non est sufficienter dictum, quia, si diceretur Deus esse *homo*, id est *habens hominem*, eadem ratione diceretur *caro*, quia habet carnem, et *pes*, quia habet pedem.

Opinio 1.

Improbatur.

Et ideo alii dicere voluerunt, quod talis praedicatio est *in recto*, verumtamen nec est praedicatio *formalis* nec *causalis* nec *accidentalis*, sed per *identitatem*; et est sensus: Deus est homo, id est, Deus est ille qui est homo; ille autem, qui est homo, id est Filius Dei, de Deo praedicatur per praedicationem *identitatis* [4]. — Sed nec adhuc illud plene solvit, quia quaelibet *implicatio* claudit in se praedicationem; et ideo, cum dicitur: Deus est ille qui est homo, adhuc contingit quaerere de illa *implicatione*, quae est ex parte praedicati, ad quam praedicationem habeat reduci; et tunc vel oportet ire in infinitum implicando, vel oportebit [5] recurrere ad *alium* modum praedicandi.

Opinio 2.

Non probatur.

Et propterea est tertius modus dicendi, ut cum dicitur: Deus est homo, hic est *singularis* modus praedicandi. Non enim est talis praedicatio per *essentiam* nec per *causam* nec per *inhaerentiam*, sicut ostendebat ratio ultima, sed est praedicatio per *unionem*; ideo enim *homo* praedicatur de Deo, quia unitur ei in unitatem personae. Et quoniam haec unio est singularis [6], non est mirum, si singularem modum exigit praedicandi.

Opinio 3. et conclusio 2.

Et per hoc patet illud quod ultimo quaerebatur; quia talis praedicatio non reducitur ad alios modos praedicandi consuetos, habet tamen in se veritatem, sicut ostendunt rationes ad hanc partem inductae.

Ad quaest. implicitam.

1. Ad illud vero quod obiicitur, quod propter unionem in natura una persona non praedicatur de alia, quamvis illa unio sit excellentior: ergo sic et in proposito; dicendum, quod non sequitur. Unitas enim Trinitatis maior est quantum ad rationem *similitudinis* et *conformitatis*, non autem quantum ad rationem *mutuae praedicationis*, pro eo quod illa quae conveniunt in *una natura*, non praedicantur de se ita mutuo, sicut illa quae concurrunt in *unam personam*, pro eo quod *natura* dicit quid commune, *hypostasis* dicit suppositum proprium; consequentia autem affirmativa tenet ab inferiori ad superius, non e converso. Unde cuicumque subiicitur *iste homo*, potest subiici *homo*; cuicumque subiicitur *homo*, potest subiici *animal*; sed e converso non sequitur: de quocumque praedicatur *animal*, praedicatur et *homo*; immo est ibi *consequens* [7]. Ideo, quando *una hypostasis subiicitur* duobus, necesse est illa sibi invicem subiici, et sic per consequens *praedicari*. Quando autem *una natura* dici-

Solutio oppositorum.

Notandum.

---

[1] Cfr. Alan. ab Insulis, Theolog. Regul. regul. 12. et 18. seqq.

[2] Libr. I. c. 6. Vide tom. I. pag. 576, nota 5, ubi de syllogismo expositorio eiusque principio agitur. — Immediate post Vat. voculae *ea* annectit *scilicet*.

[3] Dist. 6. a. 1. q. 3. et dubium 2.

[4] Cfr. I. Sent. d. 5. a. 1. q. 1. ad 2. et d. 34. q. 2. — Paulo inferius post *praedicationem* Vat. adiungit *aliquam*. — Terminus *implicatio*, qui in hac ulteriore propositione occurrit, significat propositionem relativam. Sic Petrus Hispan., Summul. tr. *de Restrictione*, ait, restrictionem fieri posse per implicationem, ut cum dicatur: homo, qui est albus, currit etc.

[5] Codd. G H K X *oportet*.

[6] Ut ostensum est supra d. 6. a. 1. et 2.

[7] De qua fallacia vide Aristot., I. Elench. c. 4. (c. 5.). Cfr. supra pag. 18, nota 5. — In edd. haec ultima propositio in hunc modum truncata et transformata est: *Unde cuicumque subiicitur iste terminus homo, potest subiici et ille terminus animal; sed.. et homo; ibi est enim consequens.* Paulo inferius pro *dicitur* cod. U *praedicatur*, et dein cod. Q sic terminat solutionem: *illa sibi invicem subiici et per consequens praedicari.*

tur de pluribus, non est necesse, illa de se invicem praedicari.

2. Ad illud quod obiicitur, quod anima et caro concurrunt in unam personam et naturam, non tamen praedicantur de se invicem mutua praedicatione; dicendum, quod non est simile duplici ex
Ratio 1. causa. Primum quidem, quia concurrunt in unitatem personae atque naturae tanquam *partes constitutivae*, quarum non est praedicari de *toto*, nec per consequens de *se invicem*; non sic divina natura et humana, sicut in praecedentibus [1] visum
Ratio 2. est. — Alia est etiam ratio, quia *anima* et *caro* significant partes constitutivas *in abstractione*; *Deus* autem et *homo* non in abstractione, sed in *concretione* significant; et hac de causa possunt de se invicem dici, quamvis in *abstractione* de se invicem non praedicentur. Haec enim est falsa: Deitas est humanitas, sicut haec: caro est anima, quamvis ista sit vera: caro est animata. — Intelligatur
Nota. tamen sane quod dictum est, *homo* significari in *concretione*; *concretio* enim proprie dicta reperitur in terminis accidentalibus [2].

3. Ad illud quod obiicitur, si homo praedicatur de Deo, aut praedicatur univoce de Deo, aut
Notandum. aequivoce; dicendum, quod *proprie* nec *univoce* nec *aequivoce*: non *aequivoce*, quia non est diversa hominis significatio, secundum quod dicitur de Deo et de Martino; *univoce* non, quia etsi *homo* retineat eandem *significationem*, cum dicitur de Deo et de Petro, alio tamen modo *comparatur* ad *Petrum* et *Paulum*, alio modo ad *Deum*. Ad *Petrum* comparatur praedicatione formali et essentiali, ad *Deum* vero in unione personali; ideo ad neutrum praedictorum modorum possunt illae duae praedicationes plenarie reduci, licet aliquid possit ibi reperiri de uno praedictorum modorum, aliquid de alio [3].

4. Ad illud quod obiicitur, quod cum dicitur: Deus est homo, aut praedicatur per se, aut per accidens; dicendum, quod *neutro* modo, accipiendo proprie *per se* et [4] *per accidens*: *per se*, inquam, non praedicatur, cum non sit essentialis habitudo unius ad alterum; *per accidens* non praedicatur, quia unum non est accidens alterius. Nec illud est inconveniens, quia talis modus praedicandi sub praedicta divisione non habet comprehendi [5]. — Posset tamen dici, quod Alia solutio.
uniri humanae naturae ex parte Dei non dicit accidens, sed ex parte naturae assumtae. Unde quodam modo talis praedicatio posset dici *per se*, quodam modo *per accidens*: *per se*, comparando divinam naturam ad personam, in qua est unio, de qua per se praedicatur; *per accidens* posset dici, humanam naturam comparando ad personam, cui habet uniri per gratiam [6].

5. Ad illud quod quaeritur, utrum homo praedicetur absolute, vel relative; dicendum, quod *dici* Distinctio notanda.
relative est dupliciter: vel relatione *implicita*, vel *explicita*. Cum ergo dicitur: Deus est homo, *homo* praedicatur de Deo quodam modo *absolute*, quodam modo *relative*: *absolute* quantum ad privationem relationis extrinsecae; *relative* quantum ad positionem relationis intrinsecae [7]. Est enim sensus: Deus est homo, id est, Deus est unitus humanae naturae unitate personae, ratione cuius homo de Deo, et Deus habet dici de homine.

6. Ad illud quod obiicitur, quod si praedicatur homo de Deo, aut praedicatur in plus, aut in minus, aut in aeque; dicendum, quod quoddam est Notandum.
genus praedicationis, in quo praedicatum et subiectum se habent ut *excedentia* et *excessa*, ut cum dicitur: homo est albus; et sic est in proposito. Nam etsi *homo* dicatur de *aliquo* supposito Dei, non tamen dicitur de *quolibet*, nec e converso; sicut non omnis homo est albus, nec omne album est homo.

7. Ad illud quod obiicitur, quod sicut haec est vera pro persona Filii: Deus est homo, ita haec pro persona Patris est vera: Deus non est homo; dicendum, quod non est simile; quia, sicut in primo libro [8] dictum fuit, iste terminus *Deus* partim habet Notandum.
naturam termini *communis* propter suppositorum pluralitatem, partim naturam termini *discreti* propter formam incommunicabilem. Et ideo, quia naturam habet termini *communis*, locutionem potest reddere veram pro uno supposito; quia vero naturam

---

[1] Dist. 6. a. 2. q. 1. — Ibid. a. 1. q. 1. vide etiam de alia ratione seq.

[2] Sicut enim duplex distinguitur *abstractum*, scil. a *supposito* seu ab individuis, v. gr. humanitas, et a *subiecto*, v. gr. albedo: sic etiam duplex *concretum*, scil. *ad suppositum*, v. gr. homo, et *ad subiectum*, v. gr. album. Prima species vocatur concretum *metaphysicum*, secunda *physicum*; prima spectat ad *essentiam*, secunda ad *accidens*. Cfr. supra d. 6. a. 1. q. 3. — Paulo superius pro *homo significari* Vat. substituit *hominem significari*.

[3] Vide supra d. 2. a. 2. q. 3. — Paulo superius pro *ad Deum vero* codd. H K Z aa bb *ad Deum non nisi*, codd. B C D G L N (T a prima manu) *ad Deum non*. Deinde pro *plenarie* cod. Z *plene*.

[4] Supplevimus ex codd. K U X bb *per se et*, exigente hoc etiam contextu.

[5] Ut ostensum est in corp. quaest.

[6] Cfr. supra d. 2. a. 3. q. 2. in corp. et in fine, et infra d. 13. a. 2. q. 2.

[7] Vel aliis verbis: De Deo *homo* praedicatur *absolute*, scil. ratione significati, quia homo significat quid absolutum; *relative* vero ratione suppositi, quia homo in Christo propter relationem implicitam ad suppositum divinum stat pro persona Filii et ratione illius relationis implicitae non de qualibet persona divina, sed solum de persona Filii praedicatur. — Codd. B C D hanc propositionem sic subvertunt: *absolute quantum ad privationem relationis intrinsecae; relative quantum ad positionem relationis extrinsecae*; codd. G H I L N U (K T a prima manu) bis exhibent *relationis extrinsecae*. Mox cod. U voci *unitate* praefigit *in*.

[8] Dist. 4. q. 1. et 4, ubi etiam quae in seq. propositione proponuntur, explicata habes. — Paulo inferius pro *incommunicabilem* codd. B C D E I L M T X aa exhibent *communicabilem*, Vat. substituit *immultiplicabilem, scilicet divinitatem*.

habet termini *discreti*, ideo non refert, si praeponatur, vel postponatur ei negatio. Unde in *negativa* negatur pro omnibus suppositis, quamvis in *affirmativa* possit reddere locutionem veram pro uno solo. Et ideo haec est falsa: Deus non est homo; quia praedicatum removetur non tantum pro Patre, sed etiam pro Filio; et ex hoc necessario sequitur, quod *affirmativa* sibi opposita sit vera, haec scilicet: Deus est homo.

Quaest. incidens 1.

Unde si quaeratur: *quanta* est ista propositio[1]: Deus est homo? respondendum est, quod partem habet naturae *indefinitae*, partem naturae *singularis;* et hoc est propter naturam termini subiecti. — Si vero quaeratur, *in qua materia* sit, utrum in *naturali*, vel *remota*, vel *contingenti;* dicendum, quod in materia *contingenti*[2] praedicatum et subiectum se habent ut excedentia et excessa; et sic est in proposito; et praedicta propositio reduci habet ad materiam illam, sapit tamen aliquid de materia *naturali* propter hoc, quod illae naturae, quantum est de se, sunt ad invicem disparatae, per gratiam unionis sunt coniunctae, et *quasi naturales* factae[3].

Quaest. incidens 2.

SCHOLION.

I. Circa tres huius articuli quaestiones, quae agunt de proprio et sincero sensu earum locutionum, quas Magister in principio dist. VI. commemorat, principales Scholastici vix nisi in modo loquendi et in rationibus allatis dissentiunt. — De conclusione principali quaestionis 1. haud potest esse dubium, quin omnino concedenda sit duplex ista locutio: Deus est homo, et homo est Deus, « non solum propter veritatem terminorum (quia scilicet Christus est verus Deus et verus homo), sed etiam propter veritatem praedicationis » (S. Thom., S. III. q. 16. a. 1. in corp.). Tamen veritas *praedicationis* sustineri nequit neque secundum *primam* neque secundum *tertiam* praedictarum opinionum; de quo in annexa quaestione secundaria agitur. Prima enim illa opinio vult, hic esse praedicationem non formalem, sed secundum *identitatem*, scilicet per *implicationem;* tertia vero putat, esse praedicationem secundum *inhaerentiam* (in obliquo). Utraque haec positio merito communiter reprobatur, nec sustinetur, quod hic sit proprie praedicatio *per se*, modo tamen *singulari*, quam Scoto placet nominare *substantialem*. — Nec facit differentiam in re, quando S. Thom. (hic q. 1. a. 1. ad 6.) ait: « Quod est praedicatio *per essentiam* », dum S. Bonav. (hic in corp.) dicit: « *Non* est talis praedicatio *per essentiam*... sed est praedicatio *per unionem* ». Nam S. Thom. ibi explicat suum modum loquendi, ita continuans: « Non quod divinitas sit humanitas, sed quia suppositum divinae naturae essentialiter [i. e. per unionem] est suppositum humanae naturae ». Et in solutione ad 5. idem dicit, et rem et praedicationem in hac materia esse prorsus singularem.

II. De hac 1. quaestione: Alex. Hal., de hac et seqq. qq. S. III. q. 6. m. 2. a. 2. et m. 3, q. 7. m. 3. a. 2. — Scot., in utroque Scripto hic q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. III. q. 16. a. 1. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic q. 1. a. 1. — Dionys. Carth., de hac et duabus seqq. qq. hic q. 1. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

III. Locutio in 2. quaest. discussa ab omnibus conceditur, tamen a patronis trium illarum opinionum diverso modo intelligitur. Quod verbum *fieri* de Deo intelligatur *non simpliciter*, sed in sensu explicato (hic solut. ad 2.), manifestum est. De hac quaest. agunt: Scot., in utroque Scripto hic q. 2. — S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. loc. cit. a. 6. — B. Albert., III. Sent. d. 6. a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. — Ægid. R., hic q. 1. a. 3. — Durand., hic q. 1.

IV. Respectu 3. quaestionis Scot. (hic q. 2. n. 7; Report. hic q. 3.) tenet, locutionem: homo *factus* est Deus, esse simpliciter et proprie veram. Alii vero cum S. Bonav. eam declarant esse *impropriam*, nisi *factus* intelligatur impersonaliter, et quatenus determinet totum compositionem. — Praeter Scotum cfr.: S. Thom., hic q. 2. a. 2; S. loc. cit. a. 7. — B. Albert., III. Sent. d. 11. a. 1. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., loc. cit. a. 4. — Ægid R., loc. cit. a. 4. — Durand., loc. cit. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum haec sit admittenda: Deus factus est homo.

Secundo quaeritur, utrum haec sit admittenda: Deus factus est homo. Et quod sic, videtur:

Fundamenta

1. Ioannis primo[4]: *Verbum caro factum est;* sed *caro*, ut dicit Augustinus, non stat ibi pro parte, sed pro toto homine: ergo si haec est vera: Verbum Dei factum est *caro*, multo magis haec erit vera: Deus factus est *homo*.

2. Item, in Symbolo[5]: « Incarnatus... et homo factus est ».

3. Item, Augustinus[6]: « Tanta fuit illa unio,

---

[1] Propositiones ratione *quantitatis* i. e. extensionis subiecti, dividuntur in *universales*, *particulares*, *singulares* et *indefinitas;* ratione *materiae* i. e. habitudinis praedicati ad subiectum, dividuntur in *naturales* (necessarias), *contingentes* (ad quas reducuntur *possibiles*) et *remotas* (impossibiles). Cfr. Aristot., I. Prior. c. 1, et II. Perihерm. c. 3. (c. 12.). — Mox pro *naturae indefinitae* codd. B C D F H O T aa *naturae singularis indefinitae*, codd. I N X *naturae singularis indefinitae, indefinitae;* in codd. A W habetur: *quod partem habet naturae singularis, partem habet naturae indefinitae; naturae singularis, et hoc* etc.

[2] Edd. hic interiiciunt *quia*, et paulo inferius inter *et* ac *praedicta propositio* inserunt *licet*, pro *habet* deinde consequenter substituentes *habeat*. Post pauca Vat. solus sic prosequitur: *propter hoc, quia quamvis illae naturae... sint ad invicem... gratiam tamen unionis* etc.

[3] B. Albert., hic d. 6. a. 1. ad quaestiunc. 3. ait: Dupliciter est aliquid in materia naturali, scil. ex *cohaerentia naturali terminorum*, quam habent ex ordine suorum significatorum ad invicem, et *ex alio faciente cohaerere substantialiter* quae per naturam sunt ab invicem separata; et sic est hic. Unde etiam huius simile in natura inveniri non potest.

[4] Vers. 14. — August., Epist. 140. (alias 120.) c. 4. n. 12; 83 Qq. q. 80. n. 2; XIV. de Civ. Dei, c. 2. n. 1; II. de Trin. c. 6. n. 11.

[5] Nicaeno. — Cod. K *Incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Virgine, et homo factus est* (ex Symb. Nicaeno-Constantinopolitano).

[6] Libr. I. de Trin. c. 13. n. 28. — Pro *Tanta* in testim. allegato textus origin. et Vat. exhibent *Talis*. In seq. quaest. arg. 1. ad oppos. etiam codd. habent *Talis*. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

quod faceret hominem Deum, et Deum hominem »: ergo si unio illa fecit, Deum esse hominem, cum omnis *activa* inferat suam *passivam*, igitur Deus factus est homo.

4. Item, post incarnationem Deus est homo, et ante incarnationem non erat homo; sed quicumque *modo* est homo, et *prius* non erat homo, est *factus* homo: ergo si Deus est huiusmodi [1], Deus est factus homo.

5. Item, idem est *humanari* quod hominem fieri; sed haec simpliciter conceditur: Deus est humanatus [2]: ergo simpliciter concedendum est: Deus factus est homo.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. *Mutatum esse* est superius ad *factum esse* [3]; sed haec simpliciter est falsa: Deus est mutatus: ergo et haec: Deus est factus homo.

2. Item, *factum esse* praesupponit *fieri* [4]; et *fieri* ponit imperfectionem: ergo de quocumque est dicere *factum esse*, est dicere *imperfectionem*. Sed hoc dicere de Deo est falsum: ergo et ista est falsa: Deus factus est homo.

3. Item, quandocumque dicitur: hoc fit illud, terminus habet rationem complementi respectu eius, circa quod fit; ut cum dicitur: homo fit albus, notatur albedo esse complementum hominis [5]: ergo cum dicitur: Deus fit homo, notatur fieri complementum Dei. Sed falsum est, quod *homo* aliquod complementum Deo tribuat: ergo praedicta locutio simpliciter erit falsa.

4. Item, adiectivum ponit rem suam circa suum substantivum; sed hoc adiectivum *factus*, cum cadit circa subiectum et praedicatum, potius adiacet subiecto quam praedicato — quod patet, quia dicitur: Verbum est factum caro — ergo iste terminus *factus* ponit circa divinum suppositum rem suam: ergo praedicta locutio nominat aliquam factionem [6] circa Deum. Sed hoc est falsum, cum nulla circa Deum possit esse factio vel innovatio: ergo falsa erit praedicta locutio.

5. Item, quandocumque praedicatur aliquid de aliquo cum determinatione non diminuente, potest praedicari simpliciter; sed iste terminus *homo* non diminuit de ratione eius quod est *factus:* ergo si haec est vera: Deus est *factus homo;* haec erit vera: Deus est *factus*. Sed hoc est contra Symbolum [7], quod dicit, quod « nec factus nec creatus, sed genitus ».

Conclusio.

Haec locutio: Deus factus est homo, quocumque sensu accipiatur, vera est, licet semper habeat aliquid improprietatis.

Respondeo: Dicendum, quod cum quaeritur de hac locutione: Deus factus est homo, iuxta illud quod consuetum est [8], praedicta locutio multipliciter est distinguenda, ex hoc quod illud participium potest ponere rem suam super *totum*, vel circa *alterum* extremorum *absolute*, vel circa *unum* extremum in *comparatione ad alterum*. — Si ponat rem suam, scilicet ipsam *factionem*, super *totum*, vera est locutio, et est sensus: Deus factus est homo, id est, factum est, ut Deus esset homo; et hoc quidem factum fuit in opere incarnationis. — Si autem ponat rem suam circa *alterum* extremorum *absolute*, utpote circa praedicatum, tunc est sensus: Deus factus est homo, id est, Deus est homo, qui quidem factus est sive productus; et hoc quidem verum est. — Si autem ponat rem suam circa *unum* extremum in *comparatione ad alterum*, sic est sensus: Deus factus est homo, id est, *Deus* fecit semetipsum hominem per humanitatis assumtionem, sicut *homo* facit semetipsum doctum per doctrinae acquisitionem.

Sensus triplex.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Et primus quidem sensus est verus et consuetus secundum *sensum* [9] *communem*, non tamen est secundum *locutionis virtutem;* quia hoc participium, quod est *factus*, cum sit masculini generis et adiectivum et adiective retentum, non potest ponere rem suam circa *copulatum*, sed necessario ponit, quantum est de *virtute sermonis*, circa *subiectum*, vel circa *praedicatum*.

Conclusio 3.

Secundus autem sensus verus quidem est et haberi potest per *sermonis virtutem* et proprietatem, est tamen praeter *usum communem*. Cum enim dicimus, quod Deus factus est homo, non volumus dicere, quod Deus sit homo, qui productus est, sed volumus exprimere ipsam incarnationem sive unionem divinae naturae ad humanam.

Conclusio 4.

---

[1] Pro *huiusmodi* edd. *homo*.

[2] Graece θεὸς ἐνανθρωπήσας i. e. Deus inhumanatus. Hac locutione Ecclesia contra Apollinaristas utebatur in explicando verbo « incarnatus est », et nihil aliud dicit ista locutio nisi: Deus assumsit perfectum hominem, animam scil. et corpus et mentem et omnia, quae ad verum hominem constituendum requiruntur. Cfr. Epist. Concil. Constant. I. ad Damasum Papam, et Epiphan., Ancor. n. 121. — Subinde pro *simpliciter* cod. U *simuliter*.

[3] Omne siquidem quod fit, mutatur, sed non vice versa; quare et Aristot., V. Phys. text. 7. (c. 1.) sub genere transmutationis tanquam species ponit non tantum generationem et corruptionem, sed etiam motum (alterationem, augmentationem etc.). Vide II. Sent. d. 1. p. 1. a. 3. q. 1.

[4] Aristot., VI. Phys. text. 59. (c. 6.): Manifestum est igitur, quod et id quod factum est, necesse est fieri prius.

[5] Aristot., XII. Metaph. text. 8. (XI. c. 2.): Omne mutatur ex potentia ente in actu ens, ut ex potentia albo in actu album. Cfr. V. Phys. text. 4. et 48. (c. 1. et 5.), ubi docetur, mutationem denominandam esse ex termino. — Edd. voci *terminus* addunt *factionis*.

[6] Codd. A T *actionem*, et paulo inferius pariter *actio* pro *factio*. Aliquanto superius pro *circa subiectum* cod. K *inter subiectum*.

[7] Athanasianum. — Pro *Sed hoc* codd. A G H I L N T U aa *Sed haec*. In *maiori* post *diminuente* codd. M O adiungunt *rationem eius*.

[8] Codd. K Z (aa a secunda manu) addunt *dici*.

[9] Codd. A K U aa bb cc *usum*. Codd. A G H I K (T a prima manu) Z bb post *consuetus* interiiciunt *et*. Paulo inferius post *et adiectivum* Vat. omittit *et*.

Tertius vero sensus habetur et secundum *usum communem* et secundum *locutionis proprietatem*, habet tamen in se *aliquid proprietatis* et *aliquid improprietatis*. Et hoc patet, quia, cum dicitur: iste factus est bonus, vel huiusmodi, hoc participium *factus* tria importat, videlicet *antecessionem* ex parte *subiecti*, et *inceptionem* ex parte *praedicati*, et *transmutationem* ex parte *utriusque*, quantum [1] est ex vi sermonis, pro eo quod *factum esse* implicat *fieri*. In proposito autem est reperire *antecessionem* ex parte subiecti, et *inceptionem* ex parte praedicati, sed non est reperire *transmutationem* in supposito Dei; et ideo *factus* hic cadit a propria significatione quantum ad *tertiam* conditionem, nec importat *transmutationem*, sed *unionem;* nec significatur, quod Filius Dei sit suppositum *transmutationis*, cum dicitur: Deus factus est homo, sed quod est suppositum *naturae factae* et sibi unitae.

Conclusio 5.

Factus importat tria.

Notandum.

Licet igitur praedictus sermo, quocumque modo accipiatur, aliquam habeat improprietatem; quia veritatem habet, nihilominus recipitur, quia in expressione fidei nostrae magis consideratur sermonis *veritas* quam sermonis *congruitas*. Ea enim, quae sunt fidei nostrae, ut dicit Augustinus [2], melius intelligimus quam proferimus; unde Gregorius dicit, quod « excelsa Dei balbutiendo resonamus ». — Concedendus est igitur sermo praedictus, et rationes, quae hoc ostendunt, quia veritatem astruunt.

Conclusio generalis.

Notandum.

1. Ad illud quod obiicitur primo in contrarium, quod *mutatum esse* est superius ad *factum esse;* dicendum, quod verum est, secundum quod *factum esse* et *fieri* accipitur *proprie;* hoc autem est, cum dicit transmutationem circa ipsum *suppositum*. Non sic autem est in proposito, pro eo quod in incarnationis opere factum est, ut Deus sit homo, non secundum aliquam transmutationem factam in Deo, sed secundum transmutationem factam in altero extremo [3].

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod *factum esse* praesupponit *fieri*, et *fieri* dicit imperfectionem; dicendum, quod *fieri* dicit imperfectionem circa illud quod dicit mutationem; in praesenti autem non dicit circa *Deum* mutationem nec imperfectionem, sed solum circa *hominem;* nec circa illum ponit imperfectionem praecedentem *tempore*, sed *natura*, quia ibi simul est *fieri* et *factum esse* [4].

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod terminus factionis est complementum; dicendum, quod illud verum est, quando illud quod notatur fieri circa principium, vel suppositum, facit aliquam innovationem [5] secundum aliquam proprietatem *absolutam*. Non sic autem est in proposito; quia, sicut iam dictum est, ex parte Dei non dicit nisi *habitudinem unionis*.

4. Ad illud quod obiicitur, quod *factus*, cum sit participium, ponit rem suam circa subiectum, ut cum dicitur: Verbum est factum caro; dicendum, quod etsi trahat nomen a supposito, tamen quia non respicit ipsum *absolute*, sed *in relatione* ad praedicatum, ideo non est necesse, quod ponat circa ipsum aliquid absolutum. Ideo ad veritatem sufficit, ut circa subiectum ponatur antecessio, et unio respectu praedicati. Et hoc quidem reperitur in proposito.

5. Ad illud quod obiicitur, quod ille terminus [6] *homo* non diminuit de ratione huius quod est *factus;* dicendum, quod verum est; non tamen licet inferre: est factus homo, ergo est factus; non propter *diminutionem*, sed propter *denominationis mutationem*. Non enim sequitur: iste est albus monachus, ergo est albus; non quia *diminuat* de ratione eius quod est *albus*, sed quia *aliter denominat* albus, cum dicitur *cum adiuncto* [7], aliter, cum dicitur *absolute*. Sic et in proposito intelligendum est, et hoc patet inspicienti [8].

Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum haec sit concedenda: homo factus est Deus.

Tertio quaeritur, utrum haec sit concedenda: homo est factus Deus. Et quod sic, videtur:

1. Primo auctoritate Augustini [9]: « Talis fuit illa unio, ut faceret Deum hominem, et hominem Deum »: ergo si fecit hominem Deum, homo ergo factus est Deus.

Ad oppositum.

2. Item, homo est Deus, et ante incarnationem non fuit Deus; et incarnatio est Dei operatio: ergo per incarnationem homo factus est Deus.

3. Item, sicut haec est vera: Deus est homo, ita eius conversa: homo est Deus [10]: ergo pari ra-

---

[1] Codd. A F H I L T U W aa hic incongrue inserunt *enim*.

[2] Libr. VII. de Trin. c. 4. n. 7, de ineffabili Trinitatis mysterio agens, ait: « Verius enim cogitatur Deus, quam dicitur ». Dictum Gregorii, quod hic respicitur quodque habetur in eius V. Moral. c. 36. n. 66., sic ibi sonat: Eum [Deum] aliquatenus balbutiendo resonamus. Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. IX. c. 4.

[3] Cfr. supra d. 1. a. 1. q. 1.

[4] Cfr. supra d. 3. p. II. a. 3. q. 2. — Post *simul* codd. A E I L N (T U a prima manu) W aa subdunt *sibi*.

[5] Cod. bb *immutationem vel innovationem*.

[6] Plurimi codd. omittunt *ille terminus* et codd. A I L T aa etiam *homo*.

[7] Cuiusmodi in allato exemplo esset vestis seu habitus. Petr. Hispan., in Summul., tr. *de Fallaciis*, sub fallacia *accidentis* idem exemplum afferens ait: Nam albedo [in exemplo allato] non est in subiecto *secundum se*, sed *secundum habitum*. — Paulo superius post *diminuat* cod. bb subiungit *aliquid*.

[8] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[9] Libr. I. de Trin. c. 13. n. 28. Vide hic lit. Magistri, c. 1.

[10] Nam, ut supra q. 1. in fine dicitur, haec propositio: Deus est homo, « partem habet naturae indefinitae, partem naturae singularis ». Sed secundum Petr. Hispan. (Summul., tr. *de Proposition.*), qui sequitur Aristot. (I. Prior. c. 2.), « ea-

tione, sicut haec est vera: Deus factus est homo, haec erit vera: homo factus est Deus.

4. Item, hominem esse Deum est verum [1]; aut est verum veritate *aeterna*, aut veritate *temporali*. Si veritate *aeterna*, ergo ab aeterno verum fuit dicere, hominem esse Deum; sed hoc est falsum: ergo etc. Si veritate *temporali*, ergo hominem esse Deum est temporale; et omne tale est factum: ergo factum est, Deum hominem esse: ergo homo factus est Deus.

Sed contra: 1. *Subiectum fieri* se habet per Fundamenta. modum substantificantis et praecedentis ipsum terminum [2]; sed homo respectu Dei neutro modo se habet: ergo haec est falsa simpliciter: homo est factus Deus.

2. Item, cum dicitur: homo est factus Deus, aut *homo* tenetur ratione *suppositi*, vel ratione *formae*. Ratione *formae* non, quia non praedicatur Deus de homine ratione formae [3]; si ergo est verum, intelligitur ratione *suppositi* vel hypostasis. Sed hypostasis illa est hypostasis Filii Dei, et illa est aeterna: ergo de illa est falsum simpliciter dicere, quod *homo* ratione illius sit factus homo-Deus.

3. Item, quia Deus factus est homo, Deus est homo novus, ergo *a simili*, si homo factus est Deus, homo est Deus novus sive recens; sed hoc est impossibile [4]: ergo etc.

4. Item, communicatio est idiomatum [5], ergo si homo factus est Deus, Deus est factus Deus; sed haec est falsa: ergo et prima.

Conclusio.

Locutio: homo factus est Deus, falsa est, nisi intelligatur in hoc sensu: factum est, ut homo sit Deus.

Respondeo: Dicendum, quod praedicta locutio, qua dicitur: homo factus est Deus, distingui habet Triplex sensus. per hunc modum, quo distincta est [6] praedicta: Deus est factus homo, ex eo quod res huius participii *factus* poni potest circa *totum*, vel circa *praedicatum*, vel circa *utrumque extremum*. In *primo* sensu locutio est vera, et est sensus: homo factus est Deus, id est factum est, ut homo esset Deus; et hoc quidem verum est. — Si autem determinet *praedicatum*, est sensus: homo est Deus, qui [7] factus est; et hoc quidem falsum est. — Si autem cadat circa *utrumque extremum* et dicat ordinem subiecti ad praedicatum, tunc est sensus: homo factus est Deus, id est, qui prius erat homo factus est Deus posterius; et hoc quidem adhuc falsum est, quia *esse hominem* nullo modo antecessit in illo supposito *esse Deum*, nec divinum *esse* aliquatenus inchoatur.

Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3.

Et sic patet, quod ista locutio, si aliquo modo possit concedi in *primo* sensu, in duobus aliis concedi non potest nec debet: homo factus est Deus. Unde magis est impropria: homo factus est Deus, quam haec: Deus factus est homo, et rarius invenitur scripta [8]. Si tamen alicubi legatur vel inveniatur, tunc secundum primum sensum est accipienda.

Conclusio generalis. Corollarium.

Et per hoc patent obiecta ad utramque partem inducta. Unde rationes, quae ad primam partem inducuntur, procedunt secundum primam viam; aliter enim non concluderent, sicut patet. Rationes vero ad aliam partem inductae procedunt secundum alias duas vias, videlicet prout participium cadit *inter extrema*, vel prout determinat *praedicatum*, sicut patet aspicienti.

Ad argg.

Ad illud tamen quod ultimo obiicitur de communicatione idiomatum, dicendum, quod cum dicitur, quod unio illa facit communicari idiomata; dicendum, quod ab hac generalitate excipiuntur illa nomina, quae important unionem. Unde non sequitur: divina natura assumsit humanam naturam, ergo homo assumsit humanam naturam; sic nec et in proposito sequitur. Cum enim dico, hominem esse factum Deum, dico, hominem esse Deo unitum; et tale idioma Deo non communicatur per unionem, pro eo quod ipsa unio inter unibilia importat diversitatem et distinctionem, et eam praesupponi oportet ad idiomatum communicationem; et ideo talia idiomata unionem importantia non sunt communicabilia. Et per hoc responderi potest ad ultimum obiectum et consimilia [9].

Ad 4. fundam. Notandum.

---

dem est conversio particularis, indefinitae et singularis », conversio scilicet simplex. Ratio est, quia sicut singularis propositio conversa pro uno supposito verificatur, ita et particularis et indefinita. — Edd. perperam, quia contra processum arg.: *Deus factus est homo; ita eius conversa: homo factus est Deus.*

[1] Ut ostensum est supra q. 1.

[2] Ut, si homo dicitur fieri albus, albedo recipitur (substantificatur) in ipso, et praesupponitur, quod prius sit homo, quam albus. — De *minori* vide supra d. 6. a. 1. q. 1. ad 3; a. 2. q. 1. ad 4; d. 3. p. II. a. 3. q. 2.

[3] Non enim dicitur: humanitas est Deus. Cfr. supra d. 6. a. 1. q. 1. ad 5. — In fine arg. pro *homo — Deus*, quam lectionem ex codd. P R delibavimus, alii codd. et edd. 1, 2 perperam solum *homo*, Vat. *Deus* tantum.

[4] Psalm. 80, 10: Non erit in te Deus recens. — Post *Deus est homo novus* cod. U adiicit *sive recens.*

[5] Cfr. supra pag. 14, nota 3.

[6] Quaest. praeced. — Mox pro *circa totum* codd. H (K a secunda manu) M O Y perperam *circa subiectum*. Dein pro *circa praedicatum* cod. S *circa partem.*

[7] Cod. U *qui Deus.* Aliquanto inferius pro *nullo modo* edd. *nunquam.*

[8] Codd. M O U Z *in scriptura.*

[9] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

ARTICULUS II.

De locutionibus exprimentibus unionis praedestinationem.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de locutionibus exprimentibus unionis praedestinationem. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum haec sit concedenda: Filius Dei est praedestinatus.

Secundo quaeritur de hac: Filius Dei est praedestinatus esse homo.

Tertio vero quaeritur de hac: homo praedestinatus est esse Filius Dei.

QUAESTIO I.

Utrum Filius Dei sit praedestinatus.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum Filius Dei sit praedestinatus. Et quod sic, videtur.

1. Haec conceditur: Filius Dei est homo; sed omnis homo aut est praescitus, aut praedestinatus[1]; sed Filius Dei non est homo praescitus: ergo praedestinatus. Ad oppositum.

2. Item, exceptis vocabulis importantibus unionem, necesse est, esse idiomatum communicationem[2]; sed vocabulum *praedestinationis* unionem non importat, quantum est de se: ergo cum ille homo sit praedestinatus, et ille homo sit Filius Dei, necessario sequitur, quod Filius Dei sit praedestinatus.

3. Item, magis repugnat temporale aeterno, quam aeternum aeterno; sed *esse praedestinatum* dicit quid aeternum[3], sed esse conceptum et natum quid temporale; sed haec conceditur: Filius Dei est natus de Virgine: ergo et haec: Filius Dei est praedestinatus.

4. Item, *mitti* non convenit alicui nisi ex tempore, pro eo quod effectum dicit temporalem[4]; sed simpliciter conceditur: Filius Dei est in carnem missus: ergo multo magis ista concedi debet: Filius Dei est praedestinatus.

5. Item, praedestinatio non est aliud quam praeparatio gratiae in praesenti et gloriae in futuro[5]; sed Filio Dei Christo collata fuit gratia et gloria in tempore et praevisa sibi conferri ab aeterno; sed cuicumque convenit definitio, et definitum: ergo necesse est Filium Dei concedere esse praedestinatum.

6. Item, haec est vera: Filius Dei est praedestinatus, secundum quod homo; sed ista determinatio *homo* non diminuit aliquid circa subiectum: ergo, ipsa subtracta, licet inferre, Filium Dei simpliciter esse praedestinatum. Cum ergo «ad verum non sequatur nisi verum[6]», videtur, quod locutio praedicta, scilicet Filius Dei est praedestinatus, tanquam vera sit concedenda.

Sed contra: 1. Origenes[7]: «Praedestinatur qui nondum est; haec verba dicuntur propter illos qui in Unigenitum Dei impietatem loquuntur. Putant enim, eum inter illos connumerandum esse, qui, antequam fierent, praedestinati sunt, ut essent»: ergo impium est dicere, Filium Dei esse praedestinatum. Fundamenta.

2. Item, super illud ad Romanos octavo[8]: *Quos praedestinavit, hos et vocavit;* Glossa: «*Praedestinavit* non existentes, *vocavit* ante aversos»: si ergo praedestinatio est non existentis, et Filius Dei semper existit, nunquam videtur praedestinatus esse.

3. Item, praedestinatio de ratione nominis dicit antecessionem praedestinantis ad praedestinatum[9]; sed Filium Dei nihil antecedit, cum sit aeternus: ergo nullo modo convenit ei inter praedestinatos connumerari.

---

[1] Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. XL.

[2] Vide supra a. 1. q. 3. in fine.

[3] Cfr. I. Sent. d. 40. a. 1. q. 1. — Subinde pro *sed esse conceptum et natum quid* etc. codd. A E L N T X Y an *sed omne conceptum est natum quid* etc. Pro *sed esse* cod. K *et esse*, edd. *esse* tantum.

[4] De quo vide I. Sent. d. 15. p. I. q. 2. — Deinde post *sed* edd. inserunt *ista*.

[5] De hac definitione cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. XL. c. 2. et hic c. 2. in fine. — Paulo inferius post *definitio* edd. cum paucis codd. repetunt *convenit*. Cfr. Aristot., VI. Topic. c. 1. seq., et Boeth., II. et III. de Differentiis topic.

[6] Aristot., II. Prior. c. 2: «Ex veris ergo non est falsum syllogizare». I. Poster. c. 25. (c. 32.): Vera autem [conclusio] ex veris.

[7] Libr. I. Comment. in Epist. ad Rom. n. 5, ubi illa verba: *Qui praedestinatus est Filius Dei* etc. (1, 4.) enucleans ait: Quamvis enim in Latinis exemplaribus *praedestinatus* soleat inveniri, tamen secundum quod interpretationis veritas habet, *destinatus* scriptum est, non *praedestinatus*. *Destinatur* enim ille qui est, *praedestinatur* vero ille qui nondum est, sicut hi, de quibus dicit Apostolus: *Quos autem praescivit, illos et praedestinavit* (Rom. 8, 30.). *Praesciri* ergo et *praedestinari* possunt illi qui nondum sunt; ille autem, qui est et semper est, non *praedestinatur*, sed *destinatur*. Haec dicta sint a nobis propter eos qui in unigenitum Filium Dei impietatem loquuntur et ignorantes differentiam *destinati* et *praedestinati*, putant eum inter eos qui, cum ante non fuerint, praedestinati sunt ut essent, numerandum (ed. Migne).

[8] Vers. 30. — Glossa, quae est *interlinearis* et habetur apud Lyranum, sumta est ex August., Serm. 158. (alias 16. de Verbis Apostoli) c. 1. n. 1: *Praedestinavit*, antequam essemus; *vocavit*, cum aversi essemus. Cfr. ibid. c. 3. n. 3. seq. — Pro *ante aversos* codd. A E F G H K N T X Z (an a secunda manu) bb *adversos*, cod. U *adversarios*.

[9] Cfr. I. Sent. d. 40. a. 1. q. 1.

4. Item, nullus semetipsum praedestinavit [1] — sicut enim alius est qui creatur, alius est qui creat; sic et qui praedestinat, et qui praedestinatur — sed omnes, quotquot praedestinantur, a Filio Dei praedestinantur: ergo nullatenus est concedendum: Filius Dei est praedestinatus.

CONCLUSIO.

Locutio: Filius Dei est praedestinatus, non admittitur a theologis.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis haec sit concedenda: *Christus* est praedestinatus, pro eo quod Christus nominat hypostasim in duabus naturis; et haec: Christus est praedestinatus, in quantum *homo,*
Conclusio. ratione determinationis adiunctae; haec tamen communiter non recipitur: *Filius Dei* est praedestinatus.

Et ratio huius est propter *repugnantiam* intel-
Triplex ratio. lectuum, quae quidem invenitur inter *subiectum* et *praedicatum.*

Reperitur autem ibi triplex repugnantia. Nam vocabulum *praedestinationis* circa praedestinatum
Tria in praedestinatione. tria importat, videlicet *habitudinem effectuum* [2] respectu causae, *acceptationem* per donum gratiae, et *inchoationem* quantum ad *esse* naturae. Et *primum* intellectum habet, quia descendit a verbo passivo; *secundum* vero intellectum habet, quia descendit ab actu dicente ordinationem ad finem [3]; *tertium* intellectum habet, quia componitur a praepositione dicente antecessionem, sicut ab hac praepositione *prae.* — Econtra Filius Dei dicit illam per-
Triplex repugnantia. sonam ut *causam,* non ut effectum. Dicit etiam illam personam, prout competit illi *filiatio per naturam,* non per gratiae donum. Dicit etiam illam personam ut *aeternam,* non ut habentem initium. Et sic expresse est repugnantia intellectuum inter
Corollarium. subiectum et praedicatum. — Et potest ista repugnantia reduci ad triplex genus oppositionis, videlicet *contradictionis, contrarietatis* et *relationis* [4]. Et propter hanc triplicem repugnantiam non admittunt magistri praedictam locutionem. — Unde concedendae sunt rationes, quae sunt ad partem istam.

1. Ad illud ergo quod obiicitur primo in con-
Solutio oppositorum. trarium, quod haec conceditur: Filius Dei est homo; dicendum, quod non est ibi repugnantia intellectuum, immo potius consonantia. *Homo* enim nominat naturam habilem ad unionem, non sic autem hoc praedicatum *praedestinatum* [5]. Et ideo non sequitur ex hoc, quodsi Filius Dei est *homo,* quod propter hoc sit *praescitus,* vel *praedestinatus,* nisi addatur ei: secundum quod *homo.*

2. Ad illud quod obiicitur, quod communicatio idiomatum est in omnibus, exceptis nominibus unionem importantibus; dicendum, quod non solum Notandum. sunt *illa* excipienda *nomina,* sed etiam vocabula illa, ex quibus consurgit *intellectuum repugnantia;* et tale est vocabulum *praedestinationis* et consimilia, sicut melius manifestabitur infra distinctione undecima [6], ubi quaeritur, utrum haec sit concedenda: Filius Dei est creatura.

3. Ad illud vero quod obiicitur, quod magis repugnat temporale aeterno, quam aeternum aeterno; dicendum, quod verum est de eo quod est pure aeternum; de eo autem, quod est sic aeternum, quod de suo primario intellectu dicit et nominat [7] aliquid temporale, non habet veritatem, maxime quando sic importat illud temporale, quod directe habet oppositionem ad aeternum, sicut est hoc participium *praedestinatus.*

4. Ad illud vero quod obiicitur de missione, quod quamvis sit temporale, conceditur [8] Filius Dei esse missus; dicendum, quod non est simile, quia, Notandum. etsi *mitti* dicat quid temporale, tamen illud temporale non dicitur poni circa *divinam personam,* sed circa *aliquid creatum;* circa vero divinam personam ponit solam *emanationem.* Sed *praedestinatio* circa ipsum praedestinatum triplicem ponit intellectum, qui repugnat personae aeternae; et ideo, quamvis sane possit concedi: Filius Dei est missus; non sane potest concedi: Filius Dei est praedestinatus.

5. Ad illud quod obiicitur, quod Filio Dei praeparata fuit gratia in praesenti et gloria in futuro; dicendum, quod etsi Christo praeparata fuit gratia [9] ratione *humanae* naturae, non tamen ratione *divinae.* Et ideo sicut prima locutio negatur, qua dicitur: Filius Dei est praedestinatus, nisi addatur determinatio, secundum quam et ratione cuius attendatur ipsa praedestinatio; sic neganda est alia locutio, in qua ponitur praedestinationis definitio, nisi addatur haec determinatio: secundum quod homo.

6. Ad illud vero quod obiicitur, quod haec determinatio: secundum quod homo, non diminuit; dicendum, quod quamvis non diminuat de ratione praedestinationis; facit tamen, quod praedestinatio rem suam ponat circa hypostasim Christi ratione humanae naturae, non ratione divinae; et sic tollit repugnantiam intellectuum. Cum autem simpliciter infertur et dicitur: Filius Dei est praedestinatus; cum *Filius Dei* denominet personam Christi secun-

---

[1] Codd. G K Z bb *praedestinat.*

[2] Cod. Z *effectus.* Paulo ante pro *praedestinationis* edd. *praedestinatus.*

[3] Codd. F G H I L U Z aa bb *in finem.* Immediate ante pro *ab actu dicente* edd. 1, 2 *a verbo dicente.*

[4] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis.*

[5] Cod. bb *praedestinatus.*

[6] Art. 2. q. 1.

[7] Codd. E F H L N X Z aa *connominat,* codd. I Y *connotat.*

[8] Edd. hic ante *conceditur* et in fine arg. inter *non* et *sane potest* interserunt *tamen.* In medio arg. pro *solam emanationem* codd. A G I K L N T U Z aa bb *solum emanationem* [codd. I L (T a prima manu) Y aa et edd. 1, 2 *emanabilitatem*].

[9] Cod. U addit *in praesenti et gloria in futuro.*

dum divinam naturam tantum, est ibi repugnantia intellectuum. Et ideo non tenet ille processus, non quia ibi est paralogismus *secundum quid et simpliciter*, sed quia ibi est paralogismus *secundum accidens* [1]. Quod enim convenit Christo ratione humanae naturae est extraneum ratione divinae.

SCHOLION.

I. In tribus huius articuli quaestionibus iterum de proprietate trium locutionum agitur, non de ipsa praedestinatione Christi in se considerata. De praedestinatione in genere cfr. I. Sent. d. 40. 41; de praedestinatione Christi infra d. 11. a. 1. — Praesupponendum est, ad rationem *praedestinationis* propric dictam tria requiri, scilicet quod praedestinatio *praecedat* praedestinatum; quod res praedestinata concedatur *per gratiam;* quod eadem aliquando *reapse concedatur*. Hinc iam patet, *primam* locutionem (q. 1.) esse falsam; aliae duae cum quibusdam restrictionibus communiter conceduntur, contrarium tamen docente Durando. De aliis similibus locutionibus vide infra d. 10. a. 1. et 11. a. 2.

II. De his tribus quaestionibus et locutionibus, mutato tantum interdum ordine, tractant: Alex. Hal., S. p. III. q. 3. m. 1-4. — Scot., hic q. 3; Report. hic q. 4. — S. Thom., hic q. 3. a. 1. 2; S. III. q. 24. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 2, infra d. 10. a. 4-7. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1-4. — Ægid. R., hic q. 2. a. 1-3. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum haec sit vera: Filius Dei praedestinatus est esse homo.

Secundo quaeritur de hac: Filius Dei est praedestinatus esse homo. Et quod sit vera, videtur:

Fundamenta. 1. Primo per Magistrum in littera [2], qui dicit, eam secundum quamlibet trium opinionum esse concedendam.

2. Item, hoc ipsum videtur *ratione*. Tantum repugnat vel amplius Filio Dei *fieri* [3], quantum *praedestinari;* sed haec conceditur: Filius Dei est factus homo: ergo et haec: Filius Dei est praedestinatus esse homo.

3. Item, prophetia illa, qua dicitur Isaiae septimo [4]: *Ecce Virgo concipiet*, dicitur esse prophetia praedestinationis: ergo quod Verbum caro fieret, sicut ex tempore fuit prophetatum et impletum, ita et ab aeterno praedestinatum: ergo sicut ex tempore factus est homo, ita et ab aeterno praedestinatus est esse homo.

4. Item, Filius Dei est homo aut per *gratiam*, aut *per naturam;* non per *naturam:* ergo per *gratiam;* sed omnis gratia, quaecumque datur alicui ex tempore, praeordinata fuit et praeparata ab aeterno; sed hoc non est aliud quam praedestinari [5]: ergo videtur, quod haec: Filius Dei est praedestinatus esse homo, est concedenda.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Praedestinatio est respectu gratiae et gloriae, non respectu naturae [6]; sed *esse hominem* dicit praedicatum naturale, non donum gratuitum: ergo respectu illius nullus debet dici praedestinatus.

2. Item, necessario sequitur: iste praedestinatus est habere gratiam et gloriam, ergo est praedestinatus, ergo similiter sequitur: Filius Dei est praedestinatus esse homo, ergo est praedestinatus; sed haec est neganda: Filius Dei est praedestinatus, sicut ostensum est supra [7]: ergo etc.

3. Item, *praedestinatio* dicit antecessionem non solum respectu *termini* [8], sed etiam respectu *praedestinati;* sed quamvis divina praevisio praecesserit humanam naturam, non tamen praecessit divinam personam: igitur sive dicatur absolute, sive respectu humanae naturae, negandum est, Filium Dei praedestinatum esse: ergo falsa est praedicta locutio, scilicet: Filius Dei praedestinatus est esse homo.

4. Item, quicumque praedestinatur [9], ad aliquod donum gratuitum praeparatur; sed Filius Dei cum factus est homo, nulla fuit facta gratia illi personae Filii Dei, sed solummodo generi humano: ergo videtur, quod nullo modo Filio Dei competat ista praedestinatio.

---

[1] Cfr. Aristot., I. Elench. c. 4. (c. 5.). Petr. Hispan., Summul. tr. *de Fallaciis*, fallaciam *secundum quid ad simpliciter* describens ait: « Dictum *secundum quid* appellatur hic determinatio diminuens de ratione vel de *esse* eius cui adiungitur, ut, cum dico: homo mortuus, ibi mortuum diminuit de ratione hominis... Fit autem haec fallacia tot modis, quot modis contingit alicui addere determinationem diminuentem; et ponuntur quinque modi » etc. Describens autem fallaciam *secundum accidens* dicit: Accidens, ut hic sumitur, idem est quod extraneum in parte idem et in parte diversum etc. Cfr. supra pag. 175, nota 7. — Pro *sed quia ibi est* codd. A H I L N T U X aa *sed est ibi*.

[2] Elicitur ex iis quae Magister hic c. 1. seqq. et infra d. X. c. 1. 3. proponit.

[3] Pro *fieri* edd. *hominem fieri*.

[4] Vers. 14.

[5] Praedestinatio namque definiri solet: praeparatio gratiae in praesenti et gloriae in futuro. Cfr. supra pag. 177, nota 5.

[6] Cfr. nota praeced.

[7] Quaest. praeced.

[8] Pro *termini* cod. U *naturae*.

[9] Cod. N *praedestinatus*. In fine arg. pro *ista* codd. G (K a secunda manu) Z bb *ipsa*.

CONCLUSIO.

Locutio: Filius Dei praedestinatus est esse homo, admitti potest, licet in uno sensu falsa sit.

Respondeo: Dicendum, quod cum hoc participium *praedestinatus* dicat *antecessionem*, tripliciter potest eam importare: vel respectu *subiecti*, vel respectu *praedicati*, vel respectu *totius copulati*. Si autem importet antecessionem respectu *subiecti*, tunc est sensus: Filius Dei est praedestinatus esse homo, id est, Filius Dei ante praevisus est esse homo, quam esset Filius Dei; et hoc modo falsa est praedicta locutio. — Si autem importet antecessionem respectu *praedicati;* tunc est sensus: Filius Dei praevisus [1] est esse homo, id est, cognitus vel praevisus fuit esse homo, non antequam Filius Dei esset, sed antequam esset homo. — Si autem importet antecessionem respectu *totius dicti;* tunc est sensus: Filius Dei est praedestinatus esse homo, id est, praedestinatum est, ut Filius Dei sit homo.

Tripliciter importat antecessionem.

Conclusio 1.

Sic igitur potest esse triplex sensus praedictae locutionis; et unus quidem falsus est, duo autem sequentes sunt veri; et quantum ad istos duos sensus subsequentes recipitur praedicta locutio ab omnibus opinionibus, ut Magister dicit in littera [2]. Et ideo secundum hunc sensum concedendum est, ipsam esse veram.

Conclusio 2.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod praedestinatio est respectu gloriae et gratiae, non respectu naturae; dicendum, quod cum vocabulum *praedestinationis* per se profertur, claudit in se intellectum gratiae et gloriae, ut puta cum dicitur aliquis esse *simpliciter* praedestinatus. Cum autem additur ei *determinatio exterior*, solum retinet intellectum principalis significati, videlicet praeordinationis sive praevisionis. Unde cum dicitur: iste est praedestinatus habere gratiam et gloriam, *praedestinatus* tantum valet ibi quantum *praevisus*. Et est simile, cum dicitur: cede; per se tantum valet quantum: locum da; sed cum dicitur: cede locum, *cede* habet solum intellectum alterius. Et ideo, cum dicitur: Filius Dei praedestinatus est esse homo, praedestinatus solum importat praevisionem vel ordinationem; et ideo importat solum generalem significationem. — Posset tamen dici, quod etsi *esse hominem* de Filio Dei praedicet *esse naturale*, concernit tamen gratiam unionis; et ideo tale praedicatum non exit extra rationem praedestinationis.

Solutio oppositorum.

Notandum.

Aliter.

2. Ad illud quod obiicitur, quodsi est praedestinatus esse homo, quod est praedestinatus; dicendum, quod non sequitur, quia, cum *praedestinatus* ponitur *inter subiectum et praedicatum*, potest dicere antecessionem tam respectu unius quam respectu alterius; sed cum *per se* praedicatur [3], dicit antecessionem respectu *subiecti*. Et ideo non sequitur: est praedestinatus esse homo, ergo est praedestinatus; sicut non sequitur: Filius Dei est praedestinatus, secundum quod homo, ergo est praedestinatus. Nec est simile de aliis, qui praedestinantur ad gratiam et gloriam, quia in eis *praedestinatio* non tantummodo dicit antecessionem respectu eius, *ad quod* praedestinantur, sed etiam respectu eorum, *qui* praedestinantur; non sic autem est in proposito.

3. Ad illud autem quod tertio obiicitur, quod *praedestinatio* dicit antecessionem respectu praedestinati; dicendum, quod verum est, quando *simpliciter* et per se de aliquo dicitur; sed quando *in comparatione* dicitur ad praedicatum aliquod, tunc potest dicere antecessionem respectu illius praedicati. Et hoc modo dicit in proposito; et ideo non cogit illa obiectio [4].

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod quicumque praedestinatus est, ei fit aliqua gratia; dicendum, quod *praedestinatio* respectu eius importat gratiae collationem, respectu cuius importat *antecessionem*. Cum autem dicitur: Filius Dei praedestinatus est esse homo, non conceditur, secundum quod *praedestinatio* importat antecessionem respectu *subiecti*, sed solum secundum quod importat [5] respectu *praedicati*. Et ideo non notatur, quod aliqua gratia fiat ipsi Filio Dei, sed filio hominis; et hoc quidem verum est, et ideo illa obiectio et ceterae praecedentes non currunt nisi secundum illum sensum, secundum quem praedicta locutio non recipitur [6].

---

[1] In cod. bb verbum *praevisus* a secunda manu bene transformatum est in *praedestinatus*. Paulo superius pro *quam esset* codd. N T *quam esse*.

[2] Hic c. 4. seqq., sententialiter. — Paulo superius pro *et unus quidem* cod. H *primus quidem*.

[3] Ut in huius obiectionis consequente: est praedestinatus. — Mox ante *est praedestinatus esse homo* edd. supplent *Filius Dei*. Circa finem solut. pro *ad quod praedestinantur* codd. et edd. exhibent *ad quod praedestinatur;* sed perperam, ut ex contextu apparet.

[4] Cod. G *ratio*.

[5] Edd. et nonnulli codd. hic repetunt *antecessionem*. Incipiente solutione, pro *quicumque praedestinatus est* codd. G Z bb *quicumque praedestinatur*.

[6] Vide scholion ad praecedentem quaestionem.

QUAESTIO III.

Utrum haec sit concedenda: homo praedestinatus est esse Filius Dei.

Tertio quaeritur de hac: homo praedestinatus est esse Filius Dei, utrum sit concedenda. Et quod sic, videtur.

Fundamenta.

1. Ad Romanos primo [1]: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute;* sed hoc dicitur aut de filio hominis, aut de Filio Dei; sed non de Filio Dei: ergo de filio hominis.

2. Item, in Glossa [2]: « Praedestinatus est Iesus, ut qui futurus erat in carne filius David, esset in virtute Filius Dei »; sed *Iesus* nominat illum hominem: ergo homo ille est praedestinatus esse Filius Dei.

3. Item, quanto maior est gratia, tanto maior secundum illam debet attendi praedestinatio; sed gratia unionis, per quam homo ille factus est Dei Filius, maxima fuit [3], quae simul in se continuit gratiam et gloriam: si ergo homo praevisus est Filius Dei esse per gratiam illam, videtur, quod praedestinatus est esse Filius Dei.

4. Item, praedestinatio non attribuitur Filio Dei propter antecessionem, quae quidem non convenit Filio Dei, secundum quod *Deus* [4]; sed talis antecessio bene competit homini, secundum quod *homo:* ergo recte videtur, quod competat sibi praedestinatio. Ergo si non tantum datur illi homini gratia, per quam sit beatus, sed etiam, per quam sit Filius Dei; videtur, quod haec sit concedenda: homo est praedestinatus, ut sit Filius Dei.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Si homo est praedestinatus esse Filius Dei, et Filius Dei est homo [5], ergo Filius Dei est praedestinatus esse Filius Dei; sed haec est falsa: ergo et illa, ex qua sequitur. Sequitur autem ex hac: homo est praedestinatus esse Filius Dei: ergo etc.

2. Item, praedestinatio non est nisi personae: ergo si homo est praedestinatus esse Filius Dei, aliqua persona est praedestinata esse Filius Dei; aut igitur persona *creata,* aut persona *increata;* sed non persona *creata,* quia talem non est reperire in Christo: ergo persona *increata.* Sed personae *increatae* non convenit praedestinari [6]: ergo videtur, quod non debeat recipi praedictus sermo, iste scilicet: homo est praedestinatus esse Filius Dei.

3. Item, quicumque praedestinatur, antecedit illud, ad quod praedestinatur, *tempore,* aut *natura;* sed homo nec *tempore* nec *natura* antecedit Filium Dei: ergo videtur, quod sermo praedictus non debeat concedi.

4. Item, cum dicitur: homo est praedestinatus esse Filius Dei, aut hoc intelligitur, secundum quod *homo,* aut secundum quod *Deus;* non secundum quod *Deus,* hoc constat: ergo intelligitur, secundum quod homo. Sed quicumque est nunc praedestinatus, ab aeterno fuit praedestinatus: ergo secundum quod homo, fuit ab aeterno praedestinatus esse Filius Dei. Sed iste terminus *homo* supponit verbo de praeterito [7], ergo supponit pro praeterito: ergo si aliquis ab aeterno fuit praedestinatus esse Filius Dei, ab aeterno aliquis fuit homo; sed hoc est falsum: ergo et primum.

CONCLUSIO.

Ab omnibus recipitur locutio: homo praedestinatus est esse Filius Dei.

Respondeo: Dicendum, quod ista locutio distingui habet per eum modum, per quem distincta fuit prius [8] posita, ex eo videlicet, quod hoc participium *praedestinatus* potest dicere antecessionem respectu *subiecti,* vel respectu *praedicati,* vel respectu *totius copulati.* Si dicat antecessionem respectu *subiecti,* vera est locutio, et est sensus: homo, antequam esset homo [9], praevisus est esse Filius Dei. — Si autem notet antecessionem respectu *praedicati,* falsa est locutio. Est enim sensus: homo praevisus est esse Filius Dei, antequam Filius Dei esset. — Si autem notet antecessionem respectu *totius copulati,* est vera. Est enim sensus: homo praedestinatus est esse Filius Dei, id est praedestinatum est, ut homo sit Filius Dei. Et iste sensus ab omnibus opinionibus recipitur [10]; et ideo secundum communem locutionem concedi potest praedictus sermo. — Et concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

Distinctio. Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3. Conclusio generalis.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quodsi homo est praedestinatus esse Filius

Solutio oppositorum.

---

[1] Vers. 4. — Paulo inferius post *sed non de Filio Dei* cod. O adiicit *ut patet in Glossa ibidem,* quae Glossa affertur in arg. seq.

[2] Glossa (in Rom. 1, 4.) hic allata est *ordinaria* et habetur apud Strabum et Lyranum; sumta est ex August., de Praedest. Sanctor. c. 15. n. 31, ubi pro *in carne* legitur *secundum carnem.* Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. in fine.

[3] Ut ait August., cuius dictum habes supra pag. 29, nota 1. *Maior* efficitur ex definitione praedestinationis, supra pag. 179, nota 5 allata.

[4] Vide supra q. 1. seq. — Paulo inferius pro *quod competat* plurimi codd. (quorum tamen aliqui a secunda antiqui amanuensis manu emendati sunt) et edd. 1, 2 perperam *quod non competat.*

[5] In edd. desiderantur verba *et Filius Dei est homo.*

[6] Cod. U *praedestinatio.*

[7] Scil. illi: fuit praedestinatus. De hoc modo loquendi cfr. infra d. 11. a. 2. q. 2. arg. ult. — Pro *supponit* cod. T *supponitur.* Vat. post *supponit* inserit *pro.*

[8] In quaest. praeced.

[9] Id est, antequam esset productus.

[10] De quo vide hic lit. Magistri, c. 1. seqq.

Dei, quod tunc Filius Dei est praedestinatus esse Filius Dei; dicendum, quod non sequitur, quia, sicut praedictum est[1], quantum ad vocabulum *praedestinandi* non est communicatio idiomatum, immo est sophisma *secundum accidens* in praedicto processu. Non enim sequitur: divina praevisio praecedit Christum, secundum quod est filius *Virginis*, ergo secundum quod est Filius *Dei*.

2. Ad illud quod obiicitur, quod praedestinatio est respectu personae; dicendum, quod si est ratione personae[2], non est ratione *personalitatis*, sed alicuius *naturae*. Et ideo non oportet ad hoc, quod sermo habeat veritatem, praedestinationem antecedere personam *simpliciter*, sed sufficit, si antecedat eam ratione alicuius *naturae*. Et ideo, cum dicitur: homo est praedestinatus esse Filius Dei, non intelligitur, quod illa persona sit praedestinata nisi ratione *humanae naturae*. — Cum vero dicitur, quod persona *aeterna* non est praedestinata; dicendum, quod verum est, secundum quod est *aeterna*; potest tamen ei convenire ratione *naturae temporaliter assumtae*[3].

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod praedestinatus antecedit illud, ad quod praedestinatur; dicendum, quod verum est; et illud non habet instantiam, quando praedestinatio accipitur *proprie* respectu gratiae et gloriae; in proposito autem nomen *praedestinationis* extenditur ad standum pro praevisione ratione determinationis adiunctae, secundum quod in praecedenti problemate visum est. — Posset tamen dici, quod praedictum verbum intelligendum est, quando vocabulum *praedestinationis* dicit antecessionem non solum respectu *subiecti*, sed etiam respectu *praedicati*; sic autem non est in proposito. Oportet etiam intelligere de re, ad quam quis praedestinatur non *simpliciter*[4], sed in *comparatione* ad ipsum quod praedestinatur. Non enim oportet, quod ille qui praedestinatur, sit ante gratiam vel gloriam *simpliciter*, sed solum secundum quod est in eo; et sic non habet instantiam in proposito. Nam si Filius Dei praecedat hominem, tamen non prius inest homini, quam homo sit; immo *per naturam* prius est humanitas, quam uniretur personae Verbi.

Notandum.

Alia solutio.

4. Ad illud quod obiicitur, utrum homo sit praedestinatus esse Filius Dei, aut secundum quod est Deus, aut secundum quod est homo; dico, quod secundum quod *homo*; et sic fuit ab aeterno. Nec valet: ergo supponit pro praeterito. Hoc enim intelligitur de verbo praeteriti temporis, quod non habet *vim ampliandi* ad futurum. In his enim, quae habent *vim ampliandi* ad futura, pro eo quod claudunt in se actum de futuro, praedicta regula non habet locum[5]. Et sic est in proposito, quia praedestinatio connotat praescientiam alicuius futuri; et ideo non oportet, istum terminum *homo* respectu talis praedicati supponere pro praeteritis. — Alia est etiam ratio, quare *ampliat ad omne tempus*: quia *praedestinatio* non ponit rem suam in praedestinato, sed in praedestinante, sicut laus non in laudato, sed in laudante. Et ideo, sicut *laus* non tantum est de praesenti, sed etiam de praeterito et futuro; ita et *praedestinatio* praeterita potest esse de eo quod est futurum. Et ista clarescunt melius per ea quae in in primo libro[6] dicta sunt.

Notandum.

Alia ratio.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicitur: *Inexplicabile est mysterium huius unionis, quae non est ratio partium.* Videtur enim in tali unione esse partem et partem; quia super Levitici quinto[7]: *Decimam partem* etc. Glossa Hesychii: « *Decima pars Ephi* est humanitas Christi. *Ephi* autem mensura trium modiorum significat Trinitatem ». Et sicut se habet *signum* ad signum, ita *signatum* ad signatum; sed *signum* est pars signi: ergo et *signatum* est pars

---

[1] Supra q. 1. ad 2. — De sophismate *secundum accidens* vide supra pag. 179, nota 1.

[2] Edd. *quod etsi sit ratione personae, non tamen est* etc.

[3] Cfr. infra lit. Magistri, d. X. c. 1. in fine et c. 3.

[4] Verba *non simpliciter*, quae ab edd. et plurimis codd. absunt, restituimus ex codd. A (K a secunda manu) U Z bb; cod. F insufficienter non habet nisi *simpliciter*. Aliquanto inferius pro *Nam si* edd. substituerunt *Nam etsi*.

[5] *Ampliatio* est extensio termini communis, v. gr. hominis, a minore suppositione ad maiorem. Efficitur etiam adhibito *verbo*, ut in hac propositione: homo praedestinatur i. e. homo, qui erat, qui est, et qui futurus est, praedestinatur. — Paulo superius pro *ad futurum* codd. K N X *ad futura*.

[6] Dist. 40. — De eo quod laus non sit in laudato, cfr. Aristot., I. Ethic. c. 5, ubi agens de honore (τιμή) dicit: « Magis enim in iis qui honorem exhibent, quam qui eo afficiuntur, consistit ». Vide etiam tom. II. pag. 631, nota 3. — Vide scholion ad 1. q. huius art.

[7] Vers. 11. — Hesychius, presbyter Hierosolym. († an. 428, secundum alios a. 433) sic scribit: *Ephi* autem mensura est trium mensurarum i. e. tres modios capiens. Ergo Christus est qui sacrificium offert, et ipse est sacrificium quod offertur. *Ephi* enim, cum sit mensura trium modiorum, evidenter Trinitatem innuit, quae una quidem mensura est, quia una in ea est Deitas. Tres autem habet mensuras i. e. tres personas perfectas, et tot subsistentias, ut manifestum sit, non nos peccare, eius partem carnem Domini dicentes, propter inseparabilem cum ea incarnati Verbi unitionem. Quare autem Trinitatis pars est? Quia indivisibilis eius est gloria et virtus, ita ut Paulus de Christo diceret: *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (Coloss. 2, 9.)... Ergo *ephi* quidem hic incarnatus Deus Verbum, utpote habens in se Trinitatis plenitudinem. Decima autem eius est caro; primum quidem, ut ostenderetur sublimitas divinitatis eius quantum ad humanitatem, propter quod et pars dicitur; deinde pro eo quod integro homine incarnatus est Deus Verbum et qui legem impleret. Utrumque enim decima significat, quia et perfectus est denarius numerus, decem autem mandata Legis sunt etc.

signati: ergo humanitas Christi est pars Christi. — Item, in Symbolo [1] dicitur: « Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus »; sed anima et caro sunt partes hominis: ergo humanitas et divinitas sunt partes Christi; cuius contrarium traditur ibidem [2].

Pars dicitur quadrupliciter.

Respondeo: Dicendum, quod *pars* multis modis dicitur. Uno modo dicitur pars *communiter* omne quod venit in compositionem [3] alicuius, sive secundum *realem* compositionem, sive secundum *rationem;* et hoc modo illa quae cadunt in definitione, dicuntur esse *partes rei notificatae.* — Alio modo dicitur *pars* illud quod venit in constitutionem alicuius secundum *rem* et *naturam,* sive habeat *quantitatem,* sive non; et hoc modo anima pars est rei animatae. — Tertio modo dicitur *pars magis proprie* illud quod venit in constitutionem alicuius secundum *rem* et *naturam,* et secundum *quantitatem continuam,* vel *discretam,* sicut manus et pes est pars corporis, et binarius pars quaternarii. — Quarto modo dicitur *pars magis proprie* quod venit in constitutionem alicuius *realem,* vel *quantitativam* secundum *certam et determinatam mensuram,* ita quod aliquoties sumta reddit totum; et ista pars dicitur *aliquota,* cui *propriissime* convenit intentio partis [4].

Notandum.

Cum ergo quaeritur, utrum humana natura sit pars Christi; dicendum, quod si *pars* accipiatur *communiter* primo modo, potest concedi, quod sit pars. Si enim quis velit notificare, quid sit Christus, dicet ipsum unam hypostasim in duabus naturis, divina scilicet et humana. Si autem pars *proprie* accipiatur, sic humana natura non dicitur pars Christi; et hoc modo intelligitur verbum Magistri in littera. — Et per hoc patet responsio ad obiecta; in talibus enim non est similitudo omnimoda [5].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit Damascenus: *Non hominem deificatum dicimus, sed Deum hominem factum.* Videtur enim falsum dicere. Sicut enim *divina* natura humanae unita est, ita et *humana* divinae: ergo sicut dicimus *Deum humanatum,* ita et *hominem deificatum.* — Item, in unione divinae naturae ad humanam *divina* natura non est immutata [6], sed *humana* est exaltata: ergo *humana* natura magis tracta est ad conformitatem divinae, quam *divina* ad conformitatem humanae: ergo potius debet dici in Christo humana natura *deificata,* quam divina *humanata. Si tu dicas,* quod denominatio debet fieri a notiori [7]; hoc non solvit, quia denominatio non solum debet fieri a notiori, sed etiam a digniori. *Si etiam dicas,* quod *esse humanatum* praedicat habitum, sicut dicit tertia opinio [8]; hoc non solvit: quia non tantum dicitur *humanatus,* sed dicitur *factus homo:* ergo si debemus dicere, quod homo est Deus, et Deus est homo; videtur, quod nullum inconveniens sit dicere, hominem esse deificatum.

Resp. 1.

Respondeo: Dicendum, quod hoc adiectivum *humanatum* non solum praedicat *habitum,* sed etiam *unionem.* Unde nihil aliud est dicere, Deum esse *humanatum* quam *carni unitum* [9]. Hoc autem quod est *deificatum,* etsi possit importare *unionem,* importat simul *ordinem* et *antecessionem. Deificatum* enim componitur a *deitate* et *factum;* unde *deificatum,* hoc est factum esse Deum. Et quoniam humanitas divinitatem non antecedit, ideo Damascenus hanc non concedit, hominem esse deificatum [10].

Resp. 2.

Vel dicendum, quod Damascenus non negat *simpliciter,* sed quod non est ita *propria:* homo est deificatus, sicut haec: Deus est factus homo. Nam ipse dicit, tertio libro [11]: «Oportet scire, quod non secundum exterminationem naturae, vel confusionem caro deificata est. Tantum enim valet dicere, carnem esse deificatam, quantum deitati esse coniunctam». Ideo non negat praedictam locutionem tanquam falsam *simpliciter,* sed non est ita *propria,* sicut eius conversa [12]. — Posset etiam vis fieri in hoc, quod dico *hominem,* quia ex parte *subiecti* stat pro hypostasi, ex parte vero *appositi* pro

Resp. 3.

---

[1] Athanasiano.

[2] Hic in lit. Magistri, c. 2.

[3] Cod. Z *quod convenit in compositione.* Mox edd. *secundum rationalem* pro *secundum rationem,* cuiusmodi pars est genus et differentia.

[4] Quadruplex haec acceptio termini *partis* habetur apud Aristot., V. Metaph. text. 30. (IV. c. 25.). Cfr. ibid. VII. text. 33. seqq. (VI. c. 10.). — Pro *aliquota* edd. *aliquanta;* perperam, siquidem pars *aliquanta* dicitur quae pluries sumta vel totum excedit, vel ab eo deficit ideoque totum nunquam adaequat. Cfr. I. Sent. d. 2. q. 4, schelion. — Infra pro *divina scilicet et humana* edd. vitiose *divinam scilicet et humanam.*

[5] Cfr. supra d. 6. a. 1. q. 2; Alex. Hal., S. p. III. q. 6. m. 2. a. 5; B. Albert., hic d. 6. a. 6; S. Thom., hic d. 6. q. 2. a. 3; Richard. a Med., hic circa lit.

[6] Codd. F H U *immutata.*

[7] Cfr. supra pag. 47, nota 5; quoad seq. proposit. vide supra pag. 46, nota 5.

[8] Vide hic lit. Magistri, c. 2. et supra d. VI. c. 4.

[9] Cfr. supra pag. 174, nota 2. — Mox post *importat* edd. subdunt *tamen.*

[10] Libr. III. de Fide orthod. c. 2, ex quo textus huius dubii delibatus est. Cfr. supra lit. Magistri, d. III. c. 1.

[11] De Fide orthod. c. 17: Oportet scire, quod non secundum exterminationem [μεταβολήν i. e. immutationem] naturae... vel confusionem caro Domini deificata dicitur eiusdemque Deitatis consors (ὁμόθεος)... Haec enim non secundum exterminationem naturae, sed secundum dispensativam unionem sive secundum hypostasim dico, secundum quam inseparabiliter [caro] Deo Verbo coniuncta est etc. — Pro *exterminationem* Vat. *aestimationem,* edd. 1, 2 cum aliquibus codd. *extimationem.*

[12] Scilicet: Deus est factus homo sive est humanatus. — Vat. *sicut est eius conversa,* codd. A G I L N T U X aa et edd. 1, 2 minus recte *sicut et eius conversa,* de qua lectione cfr. supra a. 1. q. 2. Subinde pro *Posset etiam* codd. F G *Posset tamen,* alii *Posset enim.* Mox pro *subiecti* codd. W Y *verbi.*

forma; non sic autem hypostasis huius hominis est *deificata*, cum semper fuerit *Deus*, sicut est *humanata*, cum non semper fuerit homo. — Et sic patet utraque obiectio [1].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicitur, quod *non dicitur homo dominicus*, et videtur, quod sit concedenda, per illud quod habetur in libro Octoginta trium Quaestionum [2]: « Monendum est, ut illa aeterna bona exspectentur, quae fuerunt in homine dominico », hoc enim intelligitur de Christo. *Si tu dicas*, hoc retractatum esse; *obiicitur* contra hoc: quia super primi libri Regum primo [3] dicit Glossa Bedae: « Quis est iste homo nisi homo dominicus »: ergo si hoc potest dici de aliis hominibus, multo magis de Christo.

Respondeo: Dicendum, quod hoc nomen *dominicus* secundum communem usum dicitur duplici- Distinctio. ter, scilicet *possessorie* et *similitudinarie*. Unde dicitur *homo dominicus* qui *possidetur* a Domino, vel qui est *similis* Domino. Et quia secundum utramque comparationem *distinctionem* [4] dicit et *disparationem* eius de quo dicitur ad dominum, respectu cuius dicitur; cum Christus sit *Dominus*, non est, concedendum, Christum esse hominem *dominicum;* est enim ipse vere Dominus. — Et ideo hoc retractat Augustinus [5] ostendens, quod potest malum generare intellectum. — Posset tamen sane intel- Explicatur sane. ligi ratione *humanae naturae*, quae a Domino *possidetur* et Domino *assimilatur* et a Domino *causatur;* et ideo sic retractat Augustinus, quod hoc modo potest habere sanum intellectum.

Ad illud vero quod obiicitur de aliis hominibus, dicendum, quod non est simile; non enim est tanta disparatio illius hominis ad Deum, quanta est aliorum hominum [6].

DISTINCTIO VIII.

Cap. I.

An divina natura debeat dici nata de Virgine.

Post praedicta inquiri debet, utrum de natura divina concedendum sit, quod de Virgine sit nata, sicut dicitur in Virgine incarnata. Et videtur utique non debere dici nata de Virgine, cum non sit nata de Patre.
Dubium 1. Quae enim res non est de Patre genita, non videtur de Matre nata; ne res aliqua filiationis nomen habeat in humanitate, quae illud non teneat in divinitate. — Vi-
Obiicitur. detur tamen posse probari, quod sit nata de Virgine, quia, si hoc est Deum nasci de Virgine, scilicet hominem assumere in utero Virginis, cum natura divina superius [1] dicta sit hominem assumsisse, videtur debere dici nata. De hoc Augustinus in libro de Fide ad Petrum [2] sic ait: « Natura aeterna atque divina non posset temporaliter concipi et nasci ex natura humana, nisi secundum susceptionem veritatis humanae veram temporaliter conceptionem et nativitatem ineffabilis divinitas in se accepisset. Sic est Deus aeternus veraciter secundum tempus et conceptus et natus ex Virgine ». — Ista auctoritate videtur insinuari, quod *natura* divina sit nata et concepta de Virgine. Sed si Solvitur. diligenter notentur verba, potius de *persona* agi intelligitur, quae sine dubitatione et de Patre et de Matre nata esse dici debet.

Cap. II.

De gemina nativitate Christi, qui bis natus est.

Quaeri etiam solet, utrum debeat dici Christus *bis genitus*, ut dicitur Dei et hominis Filius. — Ad quod dici potest, Christum bis natum esse duasque nativitates habuisse. Unde Augustinus in libro de Fide ad Petrum [3]: « Pater Deus de sua natura genuit Filium; Deum sibi coaequalem et coaeternum ». « Idem quoque unigenitus Deus secundo natus est: semel ex Patre, semel ex Matre. Natus est enim de Patre Dei Verbum, natus est de Matre Verbum caro factum. Unus igitur atque idem Dei Filius natus est ante saecula et natus in saeculo; et utraque nativitas unius est Filii Dei, divina scilicet et humana ». De hoc etiam Ioannes Damascenus [4] ait: « Duas Christi nativitates veneramur: unam ex Patre Dubium 2. ante saecula, quae est super causam et rationem et

---

[1] Cfr. de hoc dubio Petr. a Tar., hic circa lit.

[2] Quaest. 35. n. 2: « Monendumque, ne peritura beneficia et transeuntia exspectentur a Deo... sed firma et sempiterna... Hic praestantissimum illud et unicum exemplum dominici hominis proponendum est, qui cum se tot miraculis tantam rerum potestatem habere monstraret, et ea sprevit quae magna bona, et ea sustinuit quae magna mala imperiti putant » etc. Libr. I. Retract. c. 19. n. 8. August. locutionem *homo dominicus* retractat. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

[3] Vers. 20: *Vocavitque nomen eius Samuel.* In quem locum Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum dicit: « Id est Deus. Annae primogenitus propheta. Quis est hic nisi dominicus homo? » Beda in hunc locum (I. in Samuel. proph. allegoric. exposit. c. 3.) ait: Interpretatur enim [Samuel]: ibi ipse Deus sive nomen eius Deus.

[4] Edd. *divisionem.*

[5] Vide hic lit. Magistri, c. 3. — Paulo ante pro *vere Dominus* cod. K *verus Dominus.* Paulo post pro *generare* codd. G Z bb *aggenerare.*

[6] De hoc dubio tractant B. Albert., hic a. 7; S. Thom., hic q. 1. a. 2; Petr. a Tar., hic circa lit.; Richard. a Med., hic a. 1. q. 2; Ægid. R., hic q. 1. a. 2.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Dist. V. c. 1.

[2] Cap. 2. n. 14.

[3] Cap. 2. n. 10; seq. locus parum inferius, in quo textu post *unigenitus* Vat. omittit *secundo;* et postea pro *Dei Verbum* codd. A E *Deus Verbum.*

[4] Libr. III. de Fide orthod. c. 7, ubi post *ante saecula* codd. A D E omittunt cum originali *quae est.*

tempus et naturam; et unam, quae in ultimis temporibus, *propter* nos et *secundum* nos et *super* nos: *propter* nos, quia propter nostram salutem; *secundum* nos,
Dubium 3. quia natus est homo ex muliere et tempore conceptionis, scilicet novem mensium; *super* nos, quia non ex semine, sed ex Spiritu sancto et sancta Virgine supra legem conceptionis ». — Ex his manifeste apparet, Christi duas esse nativitates, eundemque bis natum fore.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM VIII.

De incarnatione quoad communicationem idiomatum et proprietatum respicientium naturam humanam.

Post praedicta inquiri debet etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de incarnatione Verbi quantum ad unionem naturarum et quantum ad unionis modum. In hac vero parte intendit agere quantum ad communicationem idiomatum et proprietatum. Et dividitur haec pars in duas [1] partes, in quarum prima agit de communicatione idiomatum respicientium naturam. In secunda de communicatione proprietatum et idiomatum respicientium personam, infra distinctione decima: *Solet etiam a quibusdam quaeri.* Pars prima dividitur in duas partes, in quarum prima inquirit, utrum divinae naturae competat nasci de Virgine, quod quidem est proprietas *humanae* naturae. Secundo vero inquirit, utrum caro Christi debeat adorari adoratione latriae, quod quidem est proprietas *divinae* naturae, infra distinctione nona: *Praeterea investigari oportet* etc.

Prima pars, quae continet praesentem distinctionem, dividitur in partes duas [2], in quarum prima comparat nativitatem Christi de Virgine ad divinam naturam. In secunda vero nativitatem temporalem ad aeternam comparat, ibi: *Quaeri etiam solet, utrum Christus debeat dici bis natus* etc. Prima pars dividitur in partes duas, in quarum prima inquirit quaestionem et determinat. In secunda vero adducit auctoritates contra determinationem suam, ibi: *Videtur autem posse probari* etc. Secunda autem pars similiter duas habet. In prima movet quaestionem; in secunda determinat, ibi: *Ad quod dici potest* etc. Subdivisiones autem partium manifestae sunt in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio circa duo.

Primo quaeritur de nativitate temporali in comparatione ad divinam naturam.

Secundo quaeritur de eadem in comparatione ad nativitatem aeternam.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum concedendum sit, divinam naturam esse de Virgine natam.

Secundo quaeritur, utrum nasci de Virgine proprie dicatur de natura assumta.

Tertio vero quaeritur, utrum esse hominem convenienter praedicetur de divina natura.

ARTICULUS I.

De nativitate temporali in comparatione ad divinam naturam.

QUAESTIO I.

Utrum haec sit concedenda: divina natura est de Virgine nata.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum haec sit concedenda: divina natura est de Virgine nata. Et quod sic, videtur:

1. Primo auctoritate Hilarii, in libro de Trini-
Ad oppositum. tate quarto [3]: « Nihil nisi natum habet Filius »; sed habet divinam naturam: ergo est nata. Sed quod natum est aeternaliter in Christo ex Patre, natum est temporaliter de Matre: si igitur divina natura est huiusmodi, patet etc.

2. Item, expressius Damascenus, tertio libro,

---

[1] Multi codd. perperam *tres.*

[2] Plurimi codd. falso *tres.*

[3] Num. 10. — *Minor subsumta,* in qua pro *Sed quod* edd. exhibent *Sed quidquid,* sententialiter convenit cum dicto Fulgentii, de Fide ad Petrum, c. 2. n. 14: Illa enim natura, quae semper genita manet ex Patre, naturam nostram sine peccato suscepit, ut nasceretur ex Virgine. Cfr. supra lit. Magistri, d. V. c. 1.

capitulo duodecimo[1]: « Theotocon, id est Dei genitricem, vere et principaliter sanctam Mariam Virginem praedicamus »; sed « Deus est nomen naturae »: ergo Virgo Maria erit genitrix divinae naturae: ergo divina natura est nata de Virgine.

3. Item, expressissime Augustinus de Fide ad Petrum[2]: « Natura aeterna atque divina non posset temporaliter concipi et nasci nisi secundum susceptionem veritatis humanae »: ergo videtur, quod vere et proprie debeat dici concepta et nata de Virgine.

4. Item, incarnatio ordinatur ad nativitatem — unde et persona Verbi ideo nata est, quia incarnata — sed conceditur, quod divina natura sit incarnata, ut habitum est supra distinctione quinta[3]: ergo et concedi debet, quod sit de Virgine nata.

5. Item, assumere carnem nihil aliud est quam nasci in utero; sed haec conceditur, quod divina natura assumsit carnem de Virgine[4]: ergo concedi debet, quod nata fuerit in utero Virginis. Sed ad nativitatem in utero subsequitur nativitas ex utero: ergo si divina natura nata fuit in Virginis utero, sequitur, quod fuerit nata ex Virginis utero.

6. Item, magis consonat divinae naturae *nasci* de Virgine, quam *pati* conveniat virtuti, et *infirmari* conveniat fortitudini; sed Bernardus[5] dicit, quod « in illa unione fuit fortitudo infirmata »: ergo multo fortius concedi debet, divinam naturam esse natam de Virgine.

Sed contra: 1. Damascenus, libro quarto[6]: « Cognoscimus, quod *nasci* non est naturae, sed hypostasis »: ergo nasci de Virgine naturae non competit, sed solum personae. Fundamenta.

2. Item, nobilior et prior est nativitas aeterna quam temporalis; sed divina natura non dicitur esse nata propter Filii nativitatem aeternam, ut in primo libro[7] ostensum est: ergo multo minus non debet dici nata propter temporalem nativitatem.

3. Item, cuicumque competit nasci, competit *esse ab alio*[8]; sed divinae naturae non competit *esse ab alio:* ergo divina natura nec aeternaliter nec temporaliter debet dici nata.

4. Item, cuicumque competit nasci, competit ratio filiationis: ergo si divina natura dicitur esse nata de Virgine, divina natura dicitur[9] filia Virginis.

5. Item, sicut se habent proprietates divinae naturae ad humanam, sic proprietates humanae ad divinam; sed haec est simpliciter falsa: humanitas in Christo est aeterna: ergo et ista: divina natura in Christo est de Virgine nata.

6. Item, quod nascitur ex aliquo est natura conformis cum eo, ex quo nascitur[10]: si ergo divina natura nata est de Virgine, videtur, quod divina natura et Virgo Maria sint eiusdem naturae; quod est falsum et impossibile.

CONCLUSIO.

Praedicta locutio ob duplicem causam non debet recipi.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Magister in littera[11], haec non recipitur tanquam propria: divina natura est de Virgine nata. Et hoc propter duo, videlicet propter vitandam confusionem proprietatum *personalium* et proprietatum *naturalium* sive essentialium, quae duo praecipue sunt observanda circa sermonem catholicum et veritatis fidei expressivum. — Non igitur recipitur, quod divina natura sit nata de Virgine, propter confusionem *personalium;* propter quod etiam non conceditur, quod sit nata de Patre. Et hoc est quod dicit Magister in littera[12]: « Quae res non est de Patre genita, non videtur de Matre nata; nec res aliqua filiationis nomen habet in humanitate, quae illud non teneat in divinitate ». Conclusio. Ratio 1.

Propter vitandam etiam confusionem proprietatum *naturalium* non recipitur. Sicut enim in beatissima *Trinitate* distinctae sunt personae ad invicem et earum proprietates; sic in *Christo* naturae sunt distinctae ad invicem et earum proprietates, quamvis conveniant in supposito; et ideo proprietas unius naturae non debet[13] praedicari de altera natura in abstractione considerata, ne ex hoc intelligatur, quod divina natura et humana sint una essentia. Quod enim praedicatur de altero in abstra- Ratio 2.

---

[1] De Fide orthod. — Verba *Deus est nomen naturae* sunt secundum Ambros. (l. de Fide ad Gratian. c. 1. n. 7.), ut in lit. Magistri, l. Sent. d. II. c. 4. refertur.

[2] Cap. 2. n. 14. Vide hic lit. Magistri, c. 1. — In fine testimonii allati codd. K Z voci *humanae* praemittunt *naturae*.

[3] Art. 1. q. 5.

[4] Cfr. supra d. 5. a. 1. q. 1. De distinctione nativitatis *in utero* et *ex utero* vide supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. seq. — Edd. omittunt *de Virgine*.

[5] Homil. 2. super *Missus est*, n. 9: Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui... fortitudinem infirmari. — Pro *Bernardus* codd. W X *Gregorius*. Post *fortitudo* edd. subiiciunt *divina*.

[6] De Fide orthod. c. 7.

[7] Dist. 5. a. 2. q. 1. — In *maiori* Vat. *melior* pro *nobilior*.

[8] Nam, ut Aristot., II. de Anima, text. 47. (c. 4.) dicit, « generat autem nihil ipsum se ipsum ». — In fine arg. pro *debet* cod. A substituit *oportet*.

[9] Cod. U subiicit *esse*. — Cfr. de hoc arg. hic lit. Magistri, c. 1.

[10] Generare enim, ut Aristot., II. de Anima, text. 34. (c. 4.) docet, « est facere aliud quale ipsum ». Cfr. supra d. 4. a. 1. q. 1. seq. et dub. 2.

[11] Hic c. 1. — Mox pro *tanquam propria* Vat. cum non paucis codd. erronee *tanquam impropria*.

[12] Hic c. 1, ubi textus origin. et Vat. pro *nec res... habet* exhibent *ne res... habeat*. Subinde pro *teneat* cod. G *tenet*. — Paulo superius post *de Virgine* ex solo cod. bb, contextu exigente, supplevimus *propter confusionem personalium* (proprietatum vitandam).

[13] Cod. K *et ideo proprietates... non debent*.

ctione non intelligitur convenire ei solum ratione *suppositi*, verum etiam ratione *formae* [1]. Et ideo praedicta locutio recipi non debet. Et concedendae sunt rationes hoc ostendentes.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud verbum Hilarii dicendum, quod aliquid habet improprietatis et debet sic exponi: nihil habet Filius nisi natum, id est, nihil habet, quod non nascendo accepit. Et hoc melius in primo libro [2] explanatum fuit.

2. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Damasceni, quod Virgo Maria est Dei genitrix; dicendum, quod concedendum est, quod Deus natus est de Virgine; ex hoc tamen non sequitur, quod divina natura sit de Virgine nata, pro eo quod hoc nomen *Deus*, quia significat in concretione, supponit personam; non sic divina natura, quae significat in abstractione. Unde et haec conceditur: Deus generat; quamvis haec non concedatur: divina natura vel essentia generat [3]. Unde in omnibus talibus processibus est sophisma *secundum accidens*. Aliter enim et aliter significatur divina natura per hoc nomen *Deus*, et aliter per hoc nomen *natura*; ideo in nullo cogit auctoritas illa.

3. Ad illud quod obiicitur, quod divina natura dicitur concipi et nasci; dicendum, quod, sicut dicit Magister in littera [4], Augustinus ibi extendit nomen

Nota. *naturae*, ut stet loco *personae*; et hoc quidem multoties facit. Sed communis usus talem modum loquendi non admittit; ideo ex tali auctoritate non debet argui, immo potius debet exponi.

4. Ad illud quod obiicitur, quod incarnatio est via ad nativitatem; dicendum, quod verum est: ad nativitatem *personae*, quae est suppositum naturae assumtae; sed non oportet, quod sit via ad nativitatem *naturae*. Incarnatio enim non facit communicationem idiomatum ratione convenientiae in *natura*, sed potius ratione convenientiae in *persona* [5].

5. Ad illud quod obiicitur, quod assumere carnem est nasci in utero; dicendum, quod verum est, secundum quod *assumere* idem est quod *in unitatem sui accipere*, et hoc modo proprium est personae. Secundum autem quod *assumere* dicitur de divina natura, accipitur *largius;* et hoc modo *assumere* non est idem quod *in utero nasci*, sed potius *carni uniri* [6].

6. Ad illud quod obiicitur, quod fortitudo est infirmata, et sic de aliis; dicendum, quod verba illa non sunt trahenda ad consequentiam. Conceditur enim [7] aliquid dicere ei qui vult excitare devotionem et elevare in admirationem, quod tamen reprehenderetur in eo qui sermonis catholici proprietatem et veritatem inquirit. — Posset etiam et aliter Alia solutio. responderi, quod non est simile. Quamvis enim hoc nomen *essentia* vel *natura* non supponat pro persona; nomina tamen *appropriata*, ut *virtus* et *sapientia*, pro persona supponunt et locutionem veram reddunt. Unde sensus est: fortitudo est infirmata, id est persona, cui appropriatur *fortitudo*, Christus videlicet, qui est *Dei virtus et Dei sapientia* [8], Verbum scilicet Patris, cui competit esse Dei virtutem et Dei sapientiam. Et ideo, quamvis talia praedicata conveniant et attribuantur nominibus *appropriatis*, non tamen sequitur, quod attribui possint *essentiae* vel *naturae* proprie et vere.

SCHOLION.

I. Pro conclusione, quae est doctrina communis, plures a diversis rationes afferuntur, praesertim haec, quod divina natura per temporalem nativitatem nec *producitur* nec *accipitur*. — Illud principium in solutionibus tactum, quod *nativitas* proprie et primo tribuitur *personae*, naturae autem tantum ex consequenti, negat Scot. (hic q. unica n. 10. seqq.); cfr. infra a. 2. q. 2, ubi agitur de *filiatione*. — De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 10. m. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 3; S. III. q. 35. a. 1. ad 1. — B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic q. 2. a. 2. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 1. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

II. Quoad sequentem (2.) quaestionem patet, quod si *nasci* proprie dicitur de *supposito*, non refertur ad *naturam* nisi minus proprie et ex consequenti. Conclusio tamen ab antiquis conceditur cum quadam determinatione limitante. De hac quaestione: S. Thom., hic q. 1. a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Ægid. R., hic q. 2. a. 1.

III. Quaestio 3. a plerisque tangitur in quaestionibus 5. distinctionis, praesertim in quaestione (a. 1. q. 5.), utrum divina natura sit incarnata, vel in altera, utrum divinae naturae conveniat assumere. Specialiter de eadem tractant Richard. a Med., hic a. 1. q. 3, qui eodem loquendi modo cum S. Bonav. utitur, et Ægid. R., hic q. 2. a. 3, qui tamen negative ad quaestionem respondet. Sed haec differentia non est nisi de modo loquendi.

---

[1] Cfr. supra d. 6. a. 1. q. 1. ad 5. et 6, nec non d. 7. a. 1. q. 1. ad 2.

[2] Dist. V. lit. Magistri, c. 1. et Comment. a. 2. q. 1. ac dub. 5.

[3] Cfr. I. Sent. d. 4. q. 1. et 4. atque d. 5. a. 1. q. 1. De sophismate *secundum accidens* cfr. supra pag. 179, nota 1. — In fine solut. pro *in nullo* cod. G *nullo modo*.

[4] Hic c. 1. Cfr. supra lit. Magistri, d. V. c. 1, ubi similis sententia ex eodem libro de Fide ad Petrum affertur, et I. Sent. d. V. c. 1.

[5] Cfr. supra d. 6. a. 1. q. 1. ad 6.

[6] Ut ostensum est supra d. 5. a. 1. q. 1. seqq.

[7] Codd. I L aa *Quandoque enim conceditur*, Vat. *Aliter enim conceditur*. Paulo inferius pro *veritatem* cod. bb *virtutem*.

[8] Respicitur I. Cor. 1, 24. — Cfr. I. Sent. d. 32. a. 2. q. 2. in fine et d. 34. q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum nasci de Virgine vere dicatur de natura assumta.

Secundo quaeritur, utrum nasci de Virgine vere dicatur de natura assumta. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Eius est *generari* cuius est *generare*, licet non eiusdem numero; sed *generare* est actus ipsius naturae [1]: ergo et *generari*. Sed cuius est *generari*, eius est *nasci*: ergo si *generari* competit naturae assumtae, convenit ei *nasci* de Virgine.

2. Item, bene sequitur: iste generat *hunc hominem*, ergo *hominem*; sed *hunc hominem dicere* est *dicere personam*, *hominem* vero *naturam*: ergo bene sequitur, si persona est nata, quod natura est nata.

3. Item, omne quod incipit esse, aliquo genere mutationis incipit esse; sed humana natura in Christo incipit esse; nec est dare aliud genus mutationis quam generationis [2]: ergo fuit concepta et nata.

4. Item, Christus natus est de Virgine aut ratione *suppositi*, aut ratione *naturae*; sed non ratione *suppositi*, quia illud est aeternum: ergo ratione *naturae*: ergo natura humana proprie dicitur nata de Virgine.

Sed contra: Ad oppositum. 1. Sicut se habet divina natura ad nativitatem aeternam, sic natura humana ad nativitatem temporalem; sed divina natura non est nata nativitate aeterna [3]: ergo nec humana natura in Christo nativitate temporali.

2. Item, nativitas ad nihil terminatur nisi ad ens completum; sed ens completum dicit personam [4]: ergo generatio non terminatur ad naturam, sed ad personam.

3. Item, actus et operatio non terminatur nisi ad *hoc aliquid* [5]: ergo si *hoc aliquid* non dicit naturam, sed potius hypostasim; videtur, quod humana natura in Christo non debeat dici *nata* nec *concepta*.

4. Item, humana natura dicit simul carnem et animam; sed sicut caro est per propagationem, ita et anima per creationem: ergo sicut haec non recipitur, quod humana natura in Christo exeat in *esse* per *creationem*, ita non debet concedi, quod exeat per *generationem*: ergo non videtur haec admittenda: humana natura est nata.

CONCLUSIO.

Concedendum est, humanam naturam in Christo esse natam de Virgine.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod *humana natura* dupliciter potest accipi: uno modo ratione *partium constituentium*, alio modo ratione *formae communis*, consequentis totum compositum. Et utroque modo est verum dicere, quod humana natura est *assumta a Verbo*. Verum est enim, quod assumsit carnem et animam; verum est etiam, quod assumsit formam consequentem compositionem, videlicet humanitatem [6]. Distinctio. Conclusio praevia.

Utroque etiam praedictorum modorum contingit dicere humanam naturam *natam de Virgine*. Nam si humana natura dicatur *compositum*, hoc modo potest concedi, quod sit nata de Virgine, non ratione totius, sed partis, scilicet carnis, quae in utero Virginis concepta fuit et ex utero Virginis prodiit [7]. Conclusio generalis. Membrum 1.

— Si vero natura humana dicatur *forma communis*, consequens totum compositum, sic concedi potest, quod adhuc fuit nata in Christo, non ratione sui, sed ratione suppositi, in quo habet *existere*, et etiam in quo habet *multiplicari*. Propter quod etiam dicit Philosophus [8], quod « natura in productione talis formae occulte habet operari »; generando enim Membrum 2.

---

[1] Aristot., V. Metaph. text. 5. (IV. c. 4.) ait: Natura vero dicitur uno quidem modo nascentium generatio... alio vero, ex quo primo inexistente generatur quod gignitur. Cfr. tom. I. pag. 134, nota 10, ubi plura retulimus de illa quae etiam apud Hugonem a. S. Vict. (Qq. in Epist. ad Rom. q. 119.) habetur naturae definitione: natura est vis insita rebus, similia ex similibus procreans. — Quoad *maiorem* animadverte illud Aristot., VII. Metaph. text. 28. (VI. c. 8.): Generans tale est, quale quod generatur, non tamen idem nec unum numero, sed unum specie, ut in naturalibus; homo namque hominem generat. Cfr. ibid. text. 22. (VI. c. 7.). — In fine arg. pro *convenit* codd. F H I bb et edd. 1, 2 *competit*, Vat. *videtur, quod competit*.

[2] Cfr. supra pag. 111, nota 11. — In *minori*, de qua infra d. 11. a. 2. q. 1, pro *incipit* cod. K *incepit*.

[3] Cfr. I. Sent. d. 5. a. 2. q. 1.

[4] Vide supra d. 5. a. 2. q. 3. — De *maiori* cfr. Aristot., VII. Metaph. text. 26. seqq. (VI. c. 8.), ubi neque formam neque materiam proprie generari docetur, sed compositum: « totum autem hoc Kallias aut Socrates est ». — In cod. K post verba *sed ens completum* a secunda manu non incongrue additum est *in rationalibus*.

[5] Id est primam vel singularem substantiam. Cfr. tom. II. pag. 109, nota 7; pag. 197, nota 3; pag. 378, nota 6. — Aristot., VII. Methaph. text. 26. (VI. c. 8.) dicit: *Hoc aliquid* enim facere ex omnino subiecto, hoc facere est (vide notam praeced.). Et I. Metaph. c. 1. Philosophus docet: Actiones autem ac generationes omnes circa singulare sunt; non enim hominem nisi per accidens sanat qui medetur, sed Kalliam aut Socratem aut alium quempiam eorum qui sic dicuntur, cui accidit hominem esse. Cfr. XII. Metaph. text. 18. (XI. c. 3.). — Pro *terminatur* cod. K *terminantur*.

[6] Cfr. supra d. 2. a. 2. q. 1. seqq. nec non d. 5. a. 2. q. 1. et 5.

[7] Vide supra d. 4. a. 3. q. 1. seqq. — Pro *prodiit* edd. *producta*.

[8] Scil. Gilbertus Porret., qui in libro de Sex Principiis, c. 1. tractans quaestionem illam: utrum universalia i. e. quae sunt in pluribus, ideoque potentiam agentium singularium excedere

hunc hominem, generat *hominem*. — Sic igitur concedendum est, humanam naturam in Christo natam esse de Virgine utrolibet praedictorum modorum.

Corollarium. Sed uno modo dicitur esse nata ratione partis *constitutivae* per synecdochen [1]; alio modo ratione partis *subiectivae;* et sic quodam modo per accidens. — Concedendae sunt igitur rationes ad hanc partem

Nota. inductae, licet aliquae earum procedant sophistice.

1. Ad illud quod obiicitur, quod divina natura

Solutio oppositorum. in Christo non est nata, ergo nec humana; dicendum, quod non est simile, quia *divina* natura non multiplicatur in suppositis, sed est una in generante et genito; et ideo non recipit vocabulum distinctivum. Natura vero *humana* multiplicari habet et plu-

Notandum. rificari in parente et in prole. Hinc est, quod generatio in divinis terminatur ad personam; in creaturis non solum ad personam, verum etiam ad naturam [2].

2. 3. Ad illud vero quod obiicitur, quod generatio terminatur ad ens completum; dicendum, quod [3] verum est *per se* et *primum;* ex hoc tamen Notandum. non sequitur, quod ad naturam non possit terminari, sed quod non terminatur ad naturam, circumscripta hypostasi; et hoc quidem verum est. — Et per hoc patet responsio ad sequens.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod anima exit in *esse* per creationem; dicendum, quod etsi sola pars hominis *traducatur,* videlicet caro, nihilominus tamen totus homo dicitur *nasci* et *generari,* pro eo quod intentio naturae non terminatur ad al- Notandum. teram partem per se, sed prout habet coniungi et perfici ex altera. Et ideo totus homo dicitur *natus,* quamvis tantum ex altera parte *traducatur;* non enim intendit homo generare carnem, sed hominem [4]. — Si vero quaeritur, quare non dicitur exire Quaestio incidens solvitur. in *esse* per creationem, sicut per generationem; dicendum, quod *generatio* non excludit creationem praeambulam; *creatio* vero, cum sit ex nihilo, aliam excludit productionem, secundum quod dicit proximam creaturae et immediatam eductionem [5].

QUAESTIO III.

Utrum homo *veraciter dicatur de divina natura.*

Tertio quaeritur, utrum homo veraciter dicatur de divina natura. Et quod sic, videtur.

1. Haec est vera: divina natura est persona

Fundamenta. Filii Dei propter summam simplicitatem et identitatem, quae est in Deo; sed de quocumque praedicatur *Filius Dei,* praedicatur *homo* [6]: igitur haec est vera: divina natura est homo.

2. Item, homo est divina natura; haec est vera, quia aliquis homo, utpote Christus, est divina essentia vel natura: ergo *a simplici conversa* [7], divina natura est homo.

3. Item, *Deus* et *divina natura* convertuntur, igitur de quocumque praedicatur unum, et alterum; sed haec est vera: Deus est homo [8]: igitur haec est vera: divina natura est homo.

4. Item, aut divina natura est *homo,* aut *non-homo.* Si est *homo,* habeo propositum; si est *non-homo;* sed Filius Dei est divina natura: ergo Filius Dei est *non-homo.* Quodsi hoc est impossibile, restat, quod haec est vera: divina natura est homo.

Sed contra: 1. Sicut se habet humana natura Ad oppositum. ad *esse Deum,* sic se habet divina ad *esse hominem;* sed haec est simpliciter falsa: humana natura est Deus: ergo et haec est simpliciter falsa: divina natura est homo.

2. Item, de quocumque praedicatur *esse hominem,* praedicatur *esse mortale* [9]: ergo si divina natura est homo, divina natura est mortalis.

3. Item, de quocumque praedicatur *homo,*

---

videntur, sint a natura, an ab arte, ait: «Natura igitur in his occulte operatur». Quae verba B. Albert., Comment. super praedictum librum, tr. 1. c. 5, sic explicat: «Natura, inquit, particularis in agente quidem et patiente intendit *hunc* et producit; universalis autem, quae *hunc* ordinat ad *esse* divinum, intendit simplex et *universale*. Et quia natura universalis operatur in particulari, ideo, quoniam natura particularis producit *hunc*, et quia hic est *homo*, natura universalis producit *hunc* in *homine;* et sic de aliis. Et hoc modo per consequens producitur id quod est universale, quamvis non sit universale, secundum quod est in isto» etc. Deinde ostendit, duplici de causa naturam in his dici *operari occulte*, quia scil. tum ex parte operantis, tum ex parte operati, quamvis particularis sumta manifesta sit sensibus, universalis tamen sumta *non nisi intellectu* considerari possit.

[1] Cfr. supra pag. 47, nota 4. — Pars *subiectiva* intelligitur quodlibet inferius sub toto universali contentum, v. gr. individuum sive singulare. Cfr. tom. II. p. 598, nota 9. — Paulo superius pro *utrolibet* codd. G K bb *utroque*.

[2] Quod accuratius explicatum est I. Sent. d. 9. q. 1. — Aliquanto superius pro *et genito* codd. F G X bb *et generato*, et subinde pro *distinctivum* (plures codd. *distinctum*) cod. aa *distinctionis*.

[3] In plurimis codd. et edd. 1, 2 desideratur *dicendum, quod*.

[4] Cfr. II. Sent. d. 18. a. 2. q. 3. et d. 32. a. 3. q. 2. ad 4. — Seqq. vide ibid. d. 7. p. II. a. 2. q. 2. in corp., ubi de ordinatione operationum Dei, naturae et artis agitur. — Paulo superius pro *quamvis tantum* codd. A G H I K L N T U W X aa cc *quamvis tamen*.

[5] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Quia, ut supra d. 7. a. 1. q. 1. monstratum est, Filius Dei propter unionem hypostaticam est homo.

[7] Vide supra pag. 175, nota 10.

[8] Cfr. supra d. 7. a. 1. q. 1. — Paulo superius ante *et alterum* edd. repetunt *praedicatur*. Pro *et alterum* codd. K X exhibent *et reliquum*.

[9] Prophyr., de Praedicab. c. *de Differentia*, dicit, quod «rationalis et mortalis differentiae constitutivae fiunt hominis, rationalis vero et immortalis Dei, irrationalis autem et mortalis irrationalium animalium».

inest ei humanitas; sed cuicumque inest humanitas, informatur humanitate: ergo de illo solo praedicatur *homo*, respectu cuius humanitas est forma. Sed humanitas non est forma divinae naturae: ergo haec est simpliciter falsa: divina natura est homo.

4. Item, si divina natura est homo, aut ratione *essentiae*, aut ratione *personae*. Non ratione *essentiae*, quia humanitatis et divinitatis essentiae simpliciter sunt distinctae; non ratione *personae*, quia natura non supponit pro persona, sicut supra in primo libro [1] dictum est: ergo haec est simpliciter falsa: divina natura est homo.

CONCLUSIO.

Locutio: divina natura est homo, potest tantum concedi, si praedicatur ratione suppositi.

Duplex praedicatio.

RESPONDEO: Dicendum, quod, sicut in primo libro [2] habitum fuit, in divinis est reperire praedicationem per *identitatem* et per *denominationem*, licet non usquequaque proprie omnino. Differt autem praedicatio per *denominationem* a praedicatione per *identitatem*, quia, cum aliquid praedicatur per modum *denominativum*, praedicatur sub ratione *formae;* ut cum dicitur: Pater generat. Cum autem praedicatio est per *identitatem*, potest praedicari ratione *suppositi;* ut cum dicitur: divina essentia est Pater, sensus est: divina essentia est ille qui est Pater. Et hoc modo non praedicatur ratione *suppositi* nisi *illud* nomen, quod claudit intra se suum suppositum, sicut est nomen substantivum, vel substantivatum. Hunc igitur duplicem modum praedicandi reperimus in divinis secundum catholicum modum loquendi, ut aliquid praedicetur ratione *formae*, aliquid ratione *suppositi*.

Cum ergo quaeritur, utrum divina natura sit homo; distinguendum est, quia iste terminus *homo*

Conclusio 1. dupliciter potest intelligi praedicari: quia si intelligatur praedicari ratione *suppositi*, tunc est vera, et est sensus: divina essentia [3] est homo, id est, divina essentia est ille qui est homo; et reducitur ista praedicatio ad praedicationem, quae est per *identitatem* quantum ad *principalem* compositionem; quantum vero ad *implicationem* [4] clauditur ibi praedicatio per *unionem*. Divina enim essentia est Filius Dei per *identitatem;* sed Filius Dei est homo per *unionem*.

— Si autem fit praedicatio ratione *formae* sive per Conclusio 2. modum cuiusdam *denominationis*, falsa est; et est sensus: divina natura est homo, id est, divina natura est humanitate informata. Et hoc modo locutio est falsa, licet secundum sensum priorem habeat veritatem, sicut ostendunt rationes ad primam partem inductae.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod Solutio oppositorum. sicut se habet humana natura ad esse Deum etc.; dicendum, quod falsum est, pro eo quod humana Notandum. natura non praedicatur de sua hypostasi per *identitatem*, sicut divina praedicatur [5] propter summam simplicitatem. Unde haec est falsa: Christus est humana natura; quamvis haec sit vera: Christus est divina natura. Et ideo non sequitur, si haec est falsa: humana natura est Deus, quod haec sit falsa: divina natura est homo.

2. Ad illud quod obiicitur, quod de quocumque praedicatur *esse hominem*, praedicatur *esse mortale;* dicendum, quod hoc est verum quantum Distinctio. ad praedicationem, qua homo praedicatur per modum *denominandi*. Quantum vero ad praedicationem, qua praedicatur ratione *suppositi*, non habet veritatem. *Homo* enim, cum sit nomen substanti- Notandum. vum, ratione *suppositi* potest praedicari; *mortale* vero, cum sit nomen adiectivum, adiective retentum [6] ponit rem suam circa illud, de quo praedicatur. Et sicut non sequitur: divina essentia est Pater, ergo divina essentia generat; sic non sequitur: divina essentia est homo, ergo moritur vel nascitur.

3. Ad illud vero quod obiicitur, quod de quocumque praedicatur *homo*, inest ei humanitas; dicendum, quod verum est de illo modo praedicationis, quo modo praedicatur ratione *formae;* sed non de illo quo praedicatur ratione *suppositi;* tunc enim non significatur, quod humanitas insit ei, de quo *praedicatur*, sed quod inest alicui, quod *habet identitatem* cum eo, de quo praedicatur.

4. Ad illud quod obiicitur, quod haec non est vera ratione substantiae vel personae: divina natura est homo; dicendum, quod etsi *divina natura* non *supponat* pro persona, *homo* tamen pro persona potest supponere, *divina* vero *natura subiicitur* ratione sui; ita quod veritatem habet [7] ratione utriusque: ratione unius ex parte *subiecti*, ratione vero alterius ex parte *praedicati*, videlicet ratione personae [8].

---

[1] Dist. 4. q. 1. et d. 5. a. 4. q. 1.

[2] Dist. 5. a. 4. q. 1. ad 2. et 3; d. 33. q. 3; d. 34. q. 2.

[3] Codd. I L N Z as cc et edd. 1, 2 *natura*. Paulo superius pro *quia iste* non pauci codd. male *quod quia iste*.

[4] Quae intelligit propositionem relativam: *qui est homo*. Cfr. supra pag. 471, nota 4.

[5] Codd. F U supplent *de sua*. Subinde pro *summam simplicitatem* codd. A N *suam simplicitatem*. — De simplicitate Dei et compositione creaturarum cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 2.

[6] Pro *retentum* Vat. *tantum*, edd. 1, 2 *tentum*.

[7] Supple: illa propositio.

[8] Vide scholion ad 1. q. huius art.

ARTICULUS II.

De nativitate temporali in comparatione ad aeternam.

Consequenter quaeritur de nativitate temporali in comparatione ad aeternam. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, supposito quod in Christo duplex sit nativitas [1], utrum concedendum sit, Christum bis natum esse.

Secundo quaeritur, utrum in Christo sint filiationes duae.

Tertio quaeritur, utrum sit naturalis filius ratione utriusque nativitatis, scilicet temporalis et aeternae.

QUAESTIO I.

Utrum concedendum sit, Christum bis esse natum.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum concedendum sit, Christum bis natum esse. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Augustinus de Fide ad Petrum [2]: « Unigenitus Dei secundo natus est, semel ex Patre, semel ex Matre »; sed *primo et secundo nasci* non est nisi *bis nasci*: ergo videtur, quod Filius Dei bis natus est.

2. Item, Damascenus [3]: « In Christo duas nativitates veneramur »; sed ubicumque est duplex nativitas, ibi est *duplex nasci*, et ubicumque est *duplex nasci*, ibi est *bis nasci*: ergo etc.

3. Item, Christus semel genitus est ex Patre, secundum illud Psalmi [4]: *Semel locutus est Deus*; Glossa, id est, « Filium genuit »; et semel natus est ex Matre; et constat, illud *semel* et illud non est unum, sicut temporale et aeternum: ergo ponunt in numerum. Si ergo semel et semel faciunt bis, Christus est bis natus.

4. Item, actio geminata geminat passionem [5]: igitur si alia est generatio, qua Pater, et alia, qua Mater genuit, ergo alia et alia vice genitus est Christus a Patre et a Matre: ergo est pluries natus; sed non ter, vel quater, et sic de aliis: ergo bis natus.

Ad oppositum. Sed contra: 1. *Bis* dicit consimilis actus geminationem — unde non dicitur aliquis aliquid fecisse bis, eo quod legit et disputavit [6] — sed generatio aeterna et temporalis non est idem actus nec consimilis: ergo ratione illius duplicis nativitatis non potest dici bis natus.

2. Item, *semel* et *bis* dicunt vicissitudinem — idem enim est aliquid *bis fieri* et quod *duabus vicibus fieri* — sed apud Filium non cadit *transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* [7]: ergo non debet dici bis natus.

3. Item, *bis* dicit actus interruptionem — unde convenienter dicitur aliquis bis fuisse Parisius, sed non convenienter dicitur bis fuisse homo — sed generatio, quae est aeterna ex Patre, nullatenus fuit interrupta: ergo videtur simpliciter esse falsum: Christus bis natus est [8].

4. Item, hoc adverbium *bis* importat actus terminationem, quia de actu, qui non terminatur, non est dicere, ipsum bis exerceri; sed generatio aeterna non habet terminum, quia Filius semper generatur a Patre [9]: ergo etc.

5. Item, hoc adverbium *bis* importat successionis ordinem; sed circa Christi generationem aeternam respectu temporalis nulla cadit successio [10]: ergo sicut aliquis non dicitur *bis natus*, qui simul generatur a patre et a matre; ita non videtur, quod Christus dicatur *bis natus*, cum simul sit verum, ipsum dicere generari a Patre et a Matre; Pater enim *nunc* generat Filium, et in tempore nativitatis suae *sic* Virgo Maria genuit.

---

[1] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[2] Cap. 2. n. 10, ubi textus origin. pro *Dei* exhibet *Deus*. — Post *Unigenitus Dei* edd. interserunt *primo et*. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[3] Libr. III. de Fide orthod. c. 7. Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[4] Psalm. 61, 12. — Glossa, quae habetur apud Petr. Lombardum et Lyranum, formata est ex illo August., Enarrat. in hunc loc. n. 18: Apud se semel Deus locutus est, quia unum Verbum genuit Deus. — Mox post *constat* codd. F N Y bb interficiunt *quod*. Subinde pro *non est unum* edd. cum nonnullis codd. substituunt *non esse unum*, et Vat. post *sicut* bene subdit *nec*.

[5] Gilb. Porret., de Sex Principiis, c. *de Actione*: Omnis enim actio passionis est effectiva. — In fine arg. post *natus* edd. et aliquot codd. addunt *est Christus*.

[6] Generatim siquidem numerus dicit unitates eiusdem rationis, quia est multitudo mensurata per unum. Cfr. Aristot., X. Metaph. text. 20. seq. (IX. c. 6.).

[7] Inc. 1, 17. — Ante *duabus vicibus* codd. B O Z bb omittunt *quod*.

[8] De *maiori* notentur verba Petr. Hispan., Summul. tr. *de Distribut.* c. *de Signis distrib. quantitatis*: Quotiescumque fuisti Parisius, toties fuisti homo; sed bis fuisti Parisius: ergo bis fuisti homo; quod est falsum, quia haec dictio *bis* importat interruptionem eius cui adiungitur, sed actus essendi hominem non fuit interruptus in te. — Cod. O hic addit: Praeterea, quamvis Deus fuerit ab aeterno et post simul cum tempore, non tamen Deus dicitur bis fuisse; similiter, ut videtur, licet Christus fuerit semel natus de Matre, semel de Patre, non propter hoc debet dici bis natus, cum in ipso non cadat interruptio.

[9] Cfr. I. Sent. d. 9. q. 4.

[10] Nam aeternum complectitur exceditque temporale. — Immediate post pro *ergo sicut* codd. A G H I K L N T U au *ergo si*. In fine arg. pro *sic Virgo* Vat. cum codd. N T *sicut Virgo*.

6. Item, *nunc* temporis et *nunc* aeternitatis non ponunt in numerum [1], cum unum claudatur in altero: ergo si Filius genitus est a Patre in *nunc* aeternitatis et a Matre in *nunc* temporis, non videtur, quod debeat dici bis natus vel genitus.

CONCLUSIO.

Concedi potest et debet, Christum esse bis natum.

Actus tripliciter numeratur.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut vult Philosophus [2], actus tripliciter habet numerari, videlicet *subiecto* et *tempore* et *specie* sive termino. Unde actus multiplicari dicitur, aut quia est in alio et alio *subiecto*, aut quia in alio et alio termino, aut quia in alio et alio *tempore* sive mensura. Cum igitur adverbium numerandi dicat numerum actus aliquo istorum modorum, necesse est, ut importet ipsum *numerari*. Adverbium enim, cum sit adiectivum verbi [3], sub ratione verbi importat illum numerum, qui est ipsius actus, secundum quod actus, hoc est ex parte *temporis* sive durationis; et iste est numerus, qui est ex parte *mensurae*. Et quod hoc adverbium *bis* importet numerum actus ex parte *mensurae*, patet per ipsum modum loquendi. Non enim dicor bis comedisse propter *duas res*, quas comedi, vel propter plurificationem ex parte *subiecti*, sed propter multiplicationem [4] ex parte *temporis* sive mensurae, quia comedi in alio et alio tempore. — Quoniam igitur generatio sive Christi nativitas aeterna mensuratur ipsa aeternitate, et nativitas temporalis ipso tempore, ita quod illa completionem habet in

Conclusio. *nunc* aeternitatis, ista in *nunc* temporis; hinc est, quod concedi potest et debet, Christum bis esse natum. — Et concedendae sunt rationes et auctoritates ad hoc inductae.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod *bis* dicit eiusdem actus geminationem; dicendum, quod non oportet, quod dicat ge-

Notandum. mínationem eiusdem actus secundum unitatem *univocationis*, sed sufficit, quod dicat secundum *convenientiam analogiae*. Unde sicut potest concedi, quod Deus et homo sint duo entia vel res, non quod dicantur duae res vel duo entia *aequivoce*, sed *analogice* [5]; ita concedi potest, quod generatio Christi et aeterna et temporalis sit duplex generatio. Et sic potest concedi, quod sit bis generatus; quia tantum se extendit numerus *adverbiorum* numeralium respectu *verbi*, quantum numerus numeralium *nominum* respectu *nominum*.

2. Ad illud quod obiicitur, quod *semel* et *bis* dicunt vicissitudinem; dicendum, quod illud non est Notandum. verum de significatione generali; sed *semel* dicit actus *completionem*. Quod autem dicit *vicissitudinem*, hoc solum est, quia adiacet actui temporali; et ideo, quia generatio Christi aeterna non subiacet actui temporali, non est necesse, quod quantum ad illam dicant *vicissitudinem* [6].

3. Ad illud quod obiicitur, quod *bis* dicit interruptionem: dicendum, quod illud verum est in Notandum. illis actibus, qui non numerantur sine interruptione, sicut legere, vel morari Parisius, vel aliquid tale. In his autem actibus, qui sine interruptione numerari possunt, non habet veritatem; sicut caelum dicitur bis esse revolutum, et tamen motus eius non dicitur esse discontinuatus vel interruptus. Numeratio enim revolutionum non venit ex motus discontinuatione, sed secundum circulationis completionem, et secundum illam completionem circulationis est numeratio dierum et temporum; et talis numeratio importatur per adverbium. Et quoniam generatio Christi ex Patre et Matre modum habet unum numerandi, ut praedictum est; ideo sane potest concedi, Christum bis natum esse.

4. Ad illud quod obiicitur, quod *bis* importat terminationem actus; dicendum, quod terminatio actus dupliciter dicitur: uno modo ex *completione*, Duplex terminatio. alio modo ex *desitione*. Cum ergo dicitur, quod *bis* importat terminationem; si intelligatur terminatio communiter ad *utrumque* modum, dicendum, quod verum est. Si autem dicatur terminatio per *desitionem* [7], non habet veritatem; hoc enim accidit numerationi alicuius actus, quod non possit esse sine actus desitione, sicut tactum est.

5. Ad illud quod obiicitur, quod *bis* dicit successionis ordinem; dicendum similiter, quod hoc non est de necessitate, sed quando importat actus geminationem [8] et successionem et respectu eiusdem principii; sic autem non est reperiri hic; et sic patet illud.

---

[1] Plurimi codd., relicto consueto loquendi modo, *in numero*. Subinde pro *ergo si*, quae lectio habetur in codd. A K Z bb, Vat. *ergo cum*, multi codd. cum edd. 1, 2 *ergo* tantum, perperam suppressa vocula *si*.

[2] Libr. V. Phys. text. 34-42. (c. 4.). Cfr. VII. text. 5. (c. 4.). — Subinde pro *habet* cod. E *potest*.

[3] Priscian., XV. Grammat. c. 1. docet: Adverbium est pars orationis indeclinabilis, cuius significatio verbis adiicitur. Hoc enim perficit adverbium verbis additum, quod adiectiva nomina appellativis nominibus adiuncta, ut prudens homo prudenter agit etc. — Paulo superius pro *aliquo istorum* plurimi codd. perperam *aliquorum istorum*. Voci *istorum* edd. annectunt *trium*. Mox pro *Adverbium enim* Vat. *Adverbium autem*, et deinde pro *actus, hoc est* edd. *actus hic est*.

[4] Codd. A E G H I N T U *multiplicitatem*.

[5] Cfr. I. Sent. d. 7. q. 4. in corp.; d. 8. p. II. q. 4. ad 2; d. 14. a. 1. q. 2, ubi idem de duplici processione Spiritus sancti docetur; d. 25. a. 2. q. 2. — Pro *aequivoce* Vat. *univoce*. Sincerius legeretur *univoce nec aequivoce*. Paulo superius pro *secundum unitatem univocationis* cod. F *secundum convenientiam univocationis*.

[6] Cfr. I. Sent. d. 5. dub. 8. — Paulo ante pro *quod quantum* codd. A G N *quod et quantum*, edd. *quod etiam quantum*, et pro *dicant* edd. nec non codd. K O Z bb et alii *dicat*.

[7] Vat. addit *tantum*. Paulo post pro *actus desitione* cod. A *actus defectione*.

[8] Codd. K T bb *generationem*. Paulo inferius pro *reperiri* codd. E K T Z bb *reperire*.

6. Ad illud vero quod ultimo obiicitur, quod *nunc* temporis et *nunc* aeternitatis non ponunt in numerum; dicendum, quod si loquamur de numero *proprie* accepto, veritatem habet; si autem *large*, falsitatem habet [1]. *Aeternitas* enim et *tempus* sunt diversae mensurae per essentiam; et *productio*, quae mensuratur tempore, est alia a productione, quae mensuratur aeternitate, et posterior illa: et ideo illae duae productiones possunt dici et duae mensurae. Nec valet, quod una clauditur in alia; hoc enim non est per continentiam, quae *tollat numerum*, sicut continetur pars intra totum, sed per quandam praesuppositionem, quae quidem *relinquit* ordinem sive distinctionem [2].

Notandum.

SCHOLION.

1. Duas in Christo esse nativitates, scilicet aeternam et temporalem, est extra controversiam; unde etiam ab omnibus conceditur, eum esse *bis* natum, cum *bis* dicat numerum actuum ex parte *mensurae*. Hoc autem potest esse dupliciter: vel ex parte mensurae *eiusdem generis*, scilicet *temporis*, et tunc *bis* importat cum numero etiam *vicissitudinem* et *interruptionem* (hic solut. ad 2. 3.); vel ex parte mensurarum *diversi generis*, scilicet *aeternitatis* et *temporis*, (cfr. solut. ad 1. 6.), et tunc importat quidem *numerum*, sed non *vicissitudinem* et *interruptionem*.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 10. m. 5. a. 1. — Scot., in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic a. 4. cum quaestiunc.; S. III. q. 35. a. 2, praesertim ad 4. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Ægid. R., hic q. 3. a. 1. et dub. lat. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum in Christo sint duae filiationes.

Secundo quaeritur, utrum in Christo sint filiationes duae. Et quod sic, videtur.

1. Generatio est ratio sive causa filiationis, sicut actio causa relationis [3]; sed in Christo est duplex generatio: ergo est duplex filiatio; multiplicata enim causa, multiplicari videtur et effectus.

Ad oppositum.

2. Item, multiplicato uno relativorum, necessario multiplicatur et reliquum, eo quod « relativorum est ad aliud se habere », et « quoties dicitur unum oppositorum, toties dicitur reliquum », sicut vult Philosophus [4]; sed Christus secundum generationem aeternam est Filius Patris, secundum generationem temporalem est filius Matris: ergo etc.

3. Item, diversarum productionum diversi sunt termini; sed generatio temporalis et aeterna sunt diversae productiones: ergo si utraque terminatur ad Christum, secundum quod est filius, necesse est, Christum esse filium alium et alium: igitur in eo sunt filiationes plures.

4. Item, idem est *esse natum* et *esse filium*; sed si aliqua sunt eadem, numerato uno, numeratur et reliquum [5]: ergo si Christus est bis natus, habet duplicem filiationem.

5. Item, abstracta filiatione aeterna, est intelligere filiationem temporalem, et e converso: ergo si illa sunt diversa, quorum unum est intelligere, abstracto alio, igitur filiatio aeterna et temporalis est alia et alia in Christo.

Sed contra: 1. Filiatio est proprietas personalis; sed in Christo non est nisi una persona: ergo non est nisi una sola filiatio.

Fundamenta.

2. Item, sicut Christus habet Patrem et Matrem, ita quilibet alius est natus ex patre et ex matre; sed nullus dicitur habere duas filiationes, quia genitus est ex patre et ex matre: ergo pari ratione in Christo non erunt duae filiationes, quia natus est Christus ex Patre et ex Virgine [6].

3. Item, ex hoc quod aliquis magister habet plures discipulos, hodie unum et cras alium, non habet diversos magistratus [7]: ergo pari ratione nec et Christus debet dici habere plures filiationes ex hoc, quod genitus est a Patre prius et a Matre posterius.

4. Item, si alia persona nata esset de Virgine, esset confusio in proprietatibus personalibus propter pluralitatem filiationum, sicut dicit Anselmus [8]: si

---

[1] Vide solut. ad 1. De seqq. cfr. II. Sent. d. 2. p. I. a. 1. et 2.

[2] Sicut et creatura praesupponit Creatorem, et ambo numerantur ut duo, licet in nullo univocentur. — Pro *praesuppositionem* codd. A G I L U Z aa et edd. 1, 2 *praesumtionem*.

[3] Secundum Aristot., V. Metaph. text. 20. (IV. c. 15.) triplex est relationis fundamentum et causa sive, ut in corp. quaest. dicitur, *principium a quo*, scil. unitas et numerus (convenientia et disconvenientia), actio et passio, et mensura ac mensurabile. — De *minori* cfr. q. praeced. — In fine arg. cod. Z voci *effectus* praefigit *eius*.

[4] De Praedicam. c. *de His quae ad aliquid:* Est autem *esse* iis quae ad aliquid sunt idem ac ad aliquid aliquo modo se habere. Cfr. supra pag. 170, nota 7. Et I. Topic. c. 13. dicit: Si enim alterum [oppositorum] multipliciter dicitur, et reliquum. Et V. Ethic. c. 1. alt: Si unum multis modis dicitur, alterum quoque dicatur. Cfr. de Praedicam. c. *de Quali*.

[5] Aristot., VII. Topic. c. 1: « Nam [si sunt eadem] quaecumque alteri accidunt, et alteri oportet accidere » etc. Ibid. etiam haec habetur sententia, quam pro seq. arg. illustrando hic afferimus: Si potest alterum sine altero esse; non erit enim idem ad [et] idem.

[6] Edd. cum nonnullis codd. adiungunt *matre*.

[7] B. Albert., hic a. 2. ait: Ponamus, unum magistrum hodie habere unum discipulum et cras alium et ita successive usque ad mille, oportebit secundum hoc, quod mille magistri generarentur in ipso, quod absurdum est.

[8] De Fide Trin. c. 5, et II. Cur Deus homo, c. 9. Cfr. supra pag. 17, nota 3. et 7. — Pro *de Virgine* codd. Z bb *ex Virgine*.

ergo in incarnatione Verbi nulla facta est proprietatum confusio, videtur, quod nulla facta sit filiationum plurificatio.

5. Item, numerata proprietate, numeratur subiectum, ut si sunt duae albedines, sunt duo alba: ergo si sunt duae filiationes, sunt duo filii: ergo si in Christo sunt duae filiationes, in Christo sunt duo filii, et si Christus est duo filii, Christus est duo. Sed haec est falsa, sicut improbata est supra [1], et habetur in Symbolo: « Non duo tamen, sed unus est Christus »: igitur falsum est, duas filiationes esse in Christo.

CONCLUSIO.

Cum in Christo non sint plures personae, non sunt plures in eo filiationes, licet dicatur bis natus, quia filiatio proprie personam respicit et non naturam nisi ratione personae.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis concedatur, in Christo duas esse nativitates, non tamen concedi debet, duas esse filiationes. — Et ratio huius est, quia, cum filiatio sit *relatio*, comparationem habet ad tria: ad *subiectum* in quo est, et ad *terminum* ad quem est, et ad *principium* a quo est. Numerus autem relationis secundum *differentiam formalem* sive specificam causatur a *principio*, a quo est, sicut *paternitas* et *dominium* sunt duae relationes in aliquo homine, quae numerantur non ratione eius *in quo* sunt, principaliter, sed ratione eius *a quo* sunt; quia possunt esse duae relationes in homine respectu eiusdem. — Plurificatio autem relationis secundum *numerum* non venit principaliter ratione eius *a quo* est, nec ratione *ad quem*, sed ratione *subiecti* eius *in quo* [2], quoniam proprietas subiecti numerari habet ratione *suppositi*. Et quoniam subiectum filiationis est ipsa persona, non natura nisi ratione personae; hinc est, quod cum in Christo non sint plures personae, non possunt esse plures filiationes. — Ideo concedendae sunt rationes ad hoc inductae.

Conclusio 1.

Tres comparationes in filiatione.

Principium 1.

Principium 2.

Conclusio 2.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod generatio est causa filiationis; iam patet responsio, quia relatio [3] non multiplicatur ex parte *causae*, sed ex parte *subiecti*. — Si autem quaeratur, quare multiplicatur *generatio* in Christo et non *filiatio*, cum utraque respiciat personam; dicendum, quod *generatio* significat per modum *actionis;* actio autem et passio non solum recipit numerationem ex parte *subiecti*, sed etiam ex parte *mensurae*, et ex parte *principii*. Et quoniam aliud est *principium*, et alia est *mensura*, temporalis et aeterna; ideo alia potest dici et alia *generatio* [4], quamvis non *filiatio*. — Alia etiam est ratio, quia, etsi *generatio* respiciat *personam*, tamen per consequens respicere potest et *naturam*. Unde humana natura in Christo potest dici *nata*, non tamen potest dici *filia*, quia filiatio proprie respicit personam. Et quia in Christo est pluralitas naturarum et unitas personae; ideo possunt dici plures *generationes*, quamvis non possint dici plures *filiationes* [5].

Solutio oppositorum.

Quaestio incidens.

Ratio 1.

Ratio 2.

2. Ad illud quod obiicitur, quod multiplicato uno relativorum, multiplicatur et reliquum; dicendum, quod illud verum est de multiplicatione *formali* et de eo correlativo, a quo dependet correlativum dependentia *essentiali;* quando autem correlativum [6] multiplicatur multiplicatione *materiali*, non habet veritatem; sicut est quando unus homo generat plures filios, et unus magister docet plures discipulos; tunc enim relatio, quae est in ipso, non dependet ab unoquoque eorum nisi dependentia *accidentali*, et desinente uno, salvatur relatio in altero. Unde quando quis generat post primum filium alium, non nascitur in eo nova paternitas, sed primae paternitati innascitur novus respectus, quia pater est plurium, quam prius erat. Sic est intelligendum in proposito; unde Christus generatione temporali non acquirit novam filiationem, sed incipit esse filius alterius, scilicet Virginis.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod diversarum productionum diversi sunt termini; dicendum, quod verum est, quando illae productiones sunt *disparatae*, ita quod una *non supponit* aliam; sic autem non est in proposito, quia nativitas temporalis *praesupponit* aeternam nativitatem. Et ideo non oportet, filium esse alium et alium, quamvis alia et alia generatione generetur; sufficit enim, ut dictum fuit [7], ad pluralitatem *generationum* pluralitas naturarum, non sic autem ad pluralitatem *filiationum*.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod idem est esse natum et esse filium; dicendum, quod etsi de eodem dicatur, tamen *filiatio* proprie dicit relationem, et *nativitas* sive generatio ipsam productionem; re-

---

[1] Dist. 6. a. 1. q. 1. — Symbolum hic memoratum est Athanasian. — De *maiori* cfr. q. praeced. in corp. et tom. I. pag. 411, nota 6 nec non tom. II. pag. 58, nota 2.

[2] Codd. P bb addunt *est*. Paulo superius post *nec ratione* cod. K adiicit *eius*. Edd., consentientibus nonnullis codd., constructionem huius proposit. non modice mutaverunt, siquidem, post verba *sed ratione subiecti eius in quo* interiecta vocula *Et*, cum hac vocula novam incipiunt propositionem, quam cum seq. immediate connectunt, omisso *quoniam* ante *subiectum filiationis*. Pro *Et quoniam subiectum filiationis* cod. I *Quoniam ergo subiectum* etc., alii codd. *Quoniam subiectum* etc.

[3] Supple: secundum numerum.

[4] Cfr. q. praeced. — Paulo superius pro *recipit* cod. K *recipiunt*, codd. A N U *respicit*.

[5] Cfr. supra a. 1. q. 2.

[6] Pro *quando autem correlativum* cod. X *si dicatur de relativo quod*, edd. *sed si unum correlativum*. in fine solut. edd. voci *Virginis* praefigunt *hominis*.

[7] Hic in solut. ad 1. et q. praeced. ad 6. — Aliquanto superius pro *supponit* codd. Z bb *praesupponit*, et mox pro *praesupponit* codd. G H L N T U W Y nec non edd. 1, 2 perperam *non praesupponit* (vel *non supponit*).

latio autem et actio ex alia et alia causa habent numerari[1]. Et ideo non sequitur, quodsi plurificetur *productio*, quod plurificatur *filiatio*.

5. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod est intelligere filiationem temporalem, abstracta filiatione
Notandum. aeterna; dicendum, quod hoc non est propter diversitatem relationis *in se*, sed propter diversitatem *respectuum*; sicut si aliquis sit pater duorum, potest intelligi esse pater unius, ita quod non alterius; et si aliquis videatur a duobus, potest intelligi videri ab uno, ita quod non ab alio. Ex hoc tamen non potest concludi, quod sit diversitas secundum *rem*, sed secundum *rationem*. Diversitatem autem secundum *rationem* voco illam, quae solum est secundum respectum et comparationem.

SCHOLION.

I. Solutio huius quaestionis non caret gravi difficultate nec opinionum diversitate inter ipsos catholicos, praeterquam quod occasionem dedit origini haeretici erroris, qui *adoptianismus* vocatur, de quo infra d. 10. a. 2. q. 1. agitur. Contra Nestorium constat, quod Christus ut *hic* homo, spectata unius suae personae constitutione, est unus Filius Dei *naturalis*. Si autem *filiatio* consideratur ut *relatio*, et speciatim quaeritur tum de *relatione* hominis Christi ad Deum ut suum principium, tum de relatione, qua Christus refertur ad Matrem; tunc diversae sententiae exortae sunt. « Quidam attendentes ad *causam* filiationis, quae est nativitas, ponunt in Christo duas filiationes, sicut et duas nativitates; alii vero attendentes ad *subiectum* filiationis, quod est persona vel hypostasis Filii, ponunt unam tantum filiationem, sicut et unam hypostasim vel personam » (ita S. Thom., S. III. q. 35. a. 5.). Hanc secundam sententiam tenent antiquiores Scholastici: Alex. Hal., B. Albert., S. Thom., Petr. a Tar. et Dionys. Carth. cum nostro auctore; quorum fundamentum principale est, « quod subiectum filiationis est ipsa *persona*, non natura nisi ratione personae » (hic in corp.). Addit tamen S. Thom. (loc. cit.): « Quantum ad aliquid utraque opinio dicit verum. Nam si attendamus ad perfectas rationes filiationis, oportet dicere duas filiationes secundum dualitatem nativitatum; si autem attendamus ad subiectum filiationis, quod non potest esse nisi suppositum aeternum, non potest esse in Christo *realiter* nisi filiatio aeterna ». Conveniunt Ss. Thom. et Bonav. etiam in solutione 2. arg. ad oppositum, docentes, Filium Dei (Christum) referri ad Matrem non nisi *relatione rationis* filiationis temporalis, ita ut multiplicentur quidem *respectus*, sed non *reales relationes*. Nam « ex hoc, quod Filius Dei refertur ad Matrem, non oportet, quod habeat aliam filiationem secundum *rem*, sed alium *respectum* relationis » (S. Thom., hic a. 5. ad 2.).

Primam autem opinionem Richard. a Med. (hic a. 2. q. 2.) sic explicat: « Dicendum sine praeiudicio, quod in Christo sunt duae filiationes: una respectu Patris, quae non refertur ad Matrem, et alia temporalis respectu Matris, quae refertur ad Matrem, quae sibi convenit ratione humanae naturae ». Et in solut. ad 4. dicit, filiationem et relationem respectu Matris esse *realem*. Nihilominus cum ceteris vult (ad 1.), hinc minime sequi errorem, quod propter duas filiationes in Christo sint duo filii. Duas *filiationes reales* in Christo esse, docet etiam Scotus (hic in utroque Scripto q. 1.) et arguit contra illud secundae opinionis fundamentum, quod filiatio sit proprie *personae*, non naturae, simulque contendit, relationem filiationis ad Matrem esse *realem*, quam assertionem Suarez (in p. III. Sum. t. II. disp. 12. sect. 2.) dicit esse sententiam theologorum communiorem. Huic suffragatur quoque Ægid. R., qui ipsis S. Thomae principiis nititur sententiam sui magistri evertere. Etiam Durand. reapse eandem viam sequitur, licet verbis mediam quandam sententiam se sequi profiteatur. Ast Henr. Gand. (Quodl. 4. q. 3.) asserit: « Unica est realis relatio filiationis in Filio Dei ad duas generationes et nativitates »; et subiungit ad explicandam suam opinionem, « quod ipsa filiatio *aeterna* de novo respicit Matrem propter novam *naturam*.

II. Praeter laudatos: Alex. Hal., S. p. III. q. 10. m. 3. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Ægid. R., hic q. 3. a. 2. et dub. lat. 1-5. — Dionys. Carth., hic q. 2.

III. Sequens (3.) quaestio agit non contra Adoptianos, qui negant Christum, quatenus est homo, esse *Filium Dei naturalem* (de quo cfr. infra d. 10. a. 2. q. 1.), sed proprie de Christi *nativitate temporali* respectu Matris, de qua iam plura dicta sunt supra d. 4. a. 3. q. 1-3. — Plurimi antiqui Scholastici hanc rem tantum tangunt in quaestione, utrum in Christo sint duae nativitates (cfr. hic q. 1.). Speciatim de ipsa tractant: Alex. Hal., S. p. III. q. 10. m. 5. a. 2. — Ægid. R., hic q. 3. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. — Dionys. Carth., loc. cit

QUAESTIO III.

Utrum Christus sit filius naturalis ratione utriusque nativitatis, videlicet temporalis et aeternae.

Tertio quaeritur, utrum Christus sit filius naturalis ratione utriusque nativitatis, videlicet temporalis et aeternae. Et quod sic, videtur. De generatione enim *aeterna* non est dubium, de generatione vero *temporali* ostenditur sic.

1. Qui conformis est in natura ei, a quo ge-
Fundamenta. neratur, est filius naturalis[2]; sed Filius Dei conformis est Mariae, ex qua est natus: ergo est naturalis filius ipsius.

2. Item, qui trahit naturam ab eo, a quo generatur, est filius naturalis; sed Christus a Virgine naturam traxit humanam: ergo est filius naturalis ipsius Virginis.

3. Item, natura est principium rei genitae[3] et filiationis eiusdem ex parte mulieris ex hoc, quod concipit, nutrit et parit; et hoc totum Virgini competit respectu Christi: ergo Christus est eius filius naturalis.

---

[1] Cfr. corp. quaest. huius et praeceo.

[2] Cfr. supra lit. Magistri, d. IV. c. 2. et Comment. a. 1. q. 2. Cfr. etiam tom. II. pag. 479, nota 1. — Vat. hic et pariter in seq. arg. *est eius filius naturalis*. Paulo superius pro *De generatione enim* cod. U *De generatione eius*.

[3] Cod A *generatae*.

4. Item, si Christus est filius Virginis, aut ergo *naturalis*, aut *adoptivus;* non *adoptivus*, quia tunc non esset vera mater, nec ad Virginem spectat filium adoptare, nec Deus adoptari potest a creatura in filium, sed magis e converso: ergo videtur, quod sit *naturalis* eius filius.

Sed contra: 1. Nullus, qui est filius per gratiam, est filius per naturam, quia natura et gratia ex opposito dividuntur; sed quod Christus fecit se filium Virginis, hoc fuit dignationis et gratiae [1]: ergo non est filius naturalis. Ad oppositum.

2. Item, nullus, qui voluntarie generatur, est filius naturalis, quia natura et voluntas sunt principia disparata [2]; sed Christus voluntarie genitus est de Virgine: ergo non est eius filius naturalis.

3. Item, nullus est filius naturalis, cuius generatio fit [3] supra naturam; sed generatio Filii Dei ex Matre fuit per miraculum supra naturam, et nativitas similiter: ergo non est naturalis eius filius.

4. Item, nullus filius naturalis est prior suo principio generante, quoniam, si prior est, accidit ei [4], quod producatur ab illo: ergo non est naturalis filius; sed Christus prior fuit quam Virgo, quae ipsum concepit: ergo ex parte temporalis nativitatis Christus non potest esse filius naturalis.

CONCLUSIO.

Christus est filius naturalis secundum utramque nativitatem, temporalem videlicet et aeternam.

Respondeo: Dicendum, quod penes utramque nativitatem Christus est filius naturalis. — Et ratio huius est, quoniam utraque nativitas consistit in productione similis ex simili secundum similitudinem per convenientiam in natura [5]. Unde secundum nativitatem *aeternam* generatur similis Patri, secundum nativitatem *temporalem* generatur similis Matri. Ideo utraque nativitas est naturalis, et ratione utriusque nativitatis Christus naturalis filius debet dici. Conclusio. Ratio.

Si autem *tu quaeras*, quam habitudinem dicit iste terminus *naturalis;* dicendum, quod magis dicit habitudinem *principii* quam habitudinem *formae*. Dicitur enim filius naturalis qui est a natura et qui trahit naturam ab aliquo, non quod ipsa filiatio sit proprietas consequens ipsam *naturam*, sed magis *personam;* est enim proprietas personae. Unde haec est magis propria: Christus est filius naturalis vel natura, quam: Christus est filius essentialis, vel filius essentia. *Natura* enim plus dicit in habitudinem *principii* vel causae, quam dicit in habitudinem *formae* [6]. — Fatendum est ergo, Christum filium naturalem Virginis esse ratione temporalis nativitatis, sicut rationes ad primam partem ostendunt; et ideo concedendae sunt. Quaestio incidens solvitur. Corollarium.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod nullus, qui est filius per gratiam, est filius per naturam; dicendum, quod si illud intelligatur de gratia *adoptionis*, verum est; si vero intelligatur de gratia *unionis*, non est verum, quia, sicut habitum est supra [7], « ista gratia fuit quodam modo isti homini naturalis ». — Aliter etiam potest dici, quod verum est secundum *eandem* naturam. Christus autem nominat hypostasim in duabus naturis, et secundum illam duplicem naturam naturalis est filius Patris et naturalis est filius Matris, ita quod secundum divinam naturam comparetur ad Patrem, et secundum humanam comparetur ad Matrem. Si autem mutua fiat comparatio, ut hypostasis illa secundum *divinam* naturam comparetur ad Matrem, et secundum *humanam* comparetur ad Patrem; sic non dicitur *proprie* filius naturalis; potest tamen dici naturalis filius per *gratiam unionis*, quae facit naturales proprietates invicem communicare [8]. Solutio oppositorum. Notandum. Alia solutio. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod generatio Christi est supra naturam; dicendum, quod ita est supra naturam, quod est *secundum* naturam, ut dictum est supra [9], quia ibi divina potentia in nullo praeiudicabat naturae; et ideo modus ille operandi non excludit naturae operationem nec aufert proli naturalem filiationem. Nota transpositionem solutionum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nihil generatur naturaliter quod generatur voluntarie; dicendum, quod falsum est, secundum quod naturam voluntas *concomitatur;* unde esto, quod natura esset omnino obediens voluntati, sicut et in Adam erat, idem generaretur, patre volente et natura operante. Et quoniam voluntas Filii non tollit vim generativam Matri; ideo non sequitur, quodsi voluntarie ex ea nascitur, quod non naturaliter nascatur [10].

4. Ad illud quod obiicitur, quod nullus filius est prior suo principio generante; dicendum, quod verum est secundum eam naturam, secundum quam est filius eius; et sic non habet instantiam in pro- Notandum.

---

[1] Vide supra pag. 29, nota 1.

[2] Cfr. Aristot., II. Phys. text. 49. (c. 5.) et III. Ethic. c. 5.

[3] Plurimi codd. non male *sit*.

[4] Sive: accidentale est ei. — Deinde post *naturalis filius* Vat. adiicit *ipsius*.

[5] Communiter generatio definitur: origo viventis a vivente, ut principio coniuncto in similitudinem naturae.

[6] Cfr. supra pag. 188, nota 1. — Paulo superius post *vel natura* [ablativus pro *a natura*], *quam* Z bb subdunt *haec*. Pro *Fatendum* cod. K *Concedendum*. Paulo inferius post *ad primam partem* cod. A subiicit *inductae*.

[7] Dist. 4. a. 2. q. 3, ubi etiam Augustini verbi hic allati expositio habetur.

[8] Cfr. supra d. 4. a. 3. q. 3. ad 2.

[9] Dist. 4. a. 3. q. 1. seq. — Paulo ante Vat. post *quod est* interserit *etiam*.

[10] Cfr. I. Sent. d. 6. q. 2, ubi quaeritur, utrum generatio Filii sit secundum rationem voluntatis.

posito, quia Christus secundum humanam naturam posterior est Virgine, quae ipsum concepit. Si autem *simpliciter* intelligatur, habet instantiam in proposito, quia Christus habet in se duas naturas, secundum quarum unam praecedit tam naturam creatam quam maternale principium. Ubi autem instantia est in proposito, ita quod non in alio, ferenda est secundum philosophicum documentum [1]. Notandum.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicitur: *Res, quae non est de Patre genita, non videtur de Matre nata.* Sed *contra*: Humana natura non est ex Patre genita, ergo non est de Matre nata. — Item, Christus secuncundum humanam naturam « conceptus est de Spiritu sancto et natus ex Maria Virgine », ita quod Spiritus sanctus non est eius pater, licet Virgo sit eius mater [2]: ergo non videtur praedictus sermo veritatem habere.

Respondeo: Dicendum, quod Magister loquitur de illa nativitate, qua res aliqua dicitur nasci, ita quod vindicat sibi proprietatem sive denominationem filiationis. Hoc autem non habet humana natura in Christo; et ideo non est recta instantia contra illud quod dicit Magister in littera [3].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Unam nativitatem ex Patre veneramur, quae est supra causam, rationem, tempus et naturam.* Sed *contra:* Generatio Filii Dei ex Patre est generatio naturalis; sed generatio naturalis est secundum naturam, non supra naturam: ergo etc.: ergo falsum dicit, quod sit supra naturam.

Iuxta hoc quaeritur: penes quae distinguuntur illa quatuor, quae in auctoritate proponuntur? Videtur enim, quod non sit nisi verborum inculcatio. Quaest. incidens.

Respondeo: Dicendum, quod *natura* non accipitur ita communiter, sed pro natura *creata;* unde non vult dicere, quod generatio Filii sit supra naturam *aeternam,* quae est natura *naturans,* sed super naturam *creatam,* quae consuevit dici natura *naturata* [4].

Et nota, quod ista quatuor distinguuntur sic, ut *causa* referatur ad naturam angelicam, *ratio* ad naturam humanam, *tempus* ad virtutem caelestem, et *natura* ad virtutem [5] inferioris creaturae, ut sit sensus: generatio illa est supra *causam,* id est virtutem angelicam; et *rationem,* id est virtutem humanam; et *tempus,* id est operationem caelestem; et *naturam,* id est virtutem inferiorem. — Vel aliter, ut *causa* referatur ad virtutem agentem, et *ratio* ad potentiam agnoscentem, et *tempus* ad mensuram limitantem, et *natura* ad modi operandi consuetudinem [6]. Ad quaest. incidentem. Aliter.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Christus natus est homo ex muliere in tempore conceptionis.* Videtur enim falsum dicere, quia conceptio illa non fuit in tempore, sed in instanti. — Item, si conceptio sua fuit similis nostrae quantum ad tempus, ergo non videtur verum quod subiungit, quod fuit *supra legem nostrae conceptionis.*

Respondeo: Dicendum, quod conceptio dupliciter accipitur. Uno modo dicitur *conceptio* ipsa *operatio naturae* in formatione corporis usque ad susceptionem animae. Alio modo dicitur *conceptio large* in nutritione et perfectione corporis usque ad partum et egressum ipsius de ventre. Si igitur *primo* modo dicatur conceptio, sic Christi conceptio non fuit *secundum* nos, sed *supra* nos, nec fuit in tempore, sed in instanti. Si autem *secundo* modo dicatur conceptio *large,* sic fuit *secundum* nos, quia novem mensibus nutritus fuit et crevit in utero Matris, ut alii homines, antequam nasceretur. Et hoc sufficientius habitum est supra [7]. Duplex conceptio.

---

[1] Vel aliis verbis: ubi autem proponitur res, quae unica est in suo genere, ex *ipsa* potest et debet ferri instantia, ut etiam Aristot. docet. Nam VIII. Topic., insinuans locos sive *documenta* (cfr. B. Albert., Comment. in VIII. Topic. tr. 1. c. 2.), ex quibus tam qui opponit (interrogat) quam qui respondet argumenta depromere possit, inter locos respondenti servientes (c. 2.) locum affert *de instantia,* admonens simul: « Efflagitandum autem, instantias non in eo quod proponitur ferre, nisi *unum* tantum sit huiusmodi, ut dualitas parium numerorum solus primus [in quo casu instari potest contra eum qui inductione ex aliis numeris probat, binarium non esse primum]. Nam oportet, et eum qui instat, in altero [quam in proposito] instantiam inferre aut dicere, quod *hoc solum* tale est ». — Paulo superius pro *maternale* codd. A G Y Z *materiale,* cod. bb *naturale.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[2] Cfr. supra d. 4. a. 1. q. 2. — Pro *natus ex Maria Virgine,* quod in Symb. Apost. habetur, multi codd. *natus de Maria Virgine.*

[3] Hic c. 1. Vide supra a. 1. q. 1.

[4] Haec *naturae* distinctio fundamentum est totius libri condemnati Erigenae *de Divisione naturae* (cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 3. q. 2. in scholio). Eadem tangitur etiam ab August., XV. de Trin. c. 1. n. 1: « Deus est natura, scilicet non creata, sed creatrix ». Cfr. ibi XIV. c. 9. n. 12. et II. de Anima et eius origine, c. 3. n. 5.

[5] Codd. N Y subiiciunt *inferiorem vel.*

[6] Cfr. de hoc dubio Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[7] Dist. 3. p. II. a. 3. q. 2.

DISTINCTIO IX.

Cap. Unicum.

De adoratione exhibenda humanitati Christi.

Praeterea investigari oportet, utrum caro Christi et anima una eademque cum Verbo debeant adoratione adorari, illa scilicet, quae *latria* dicitur. Si enim animae vel carni Christi[1] exhibetur *latria*, quae intelligitur servitus sive cultus soli Creatori debitus; cum anima Christi vel caro creatura tantum sit, creaturae exhibetur quod soli Creatori debetur; quod facienti in
Opinio 1. idololatriam deputatur. — Ideo quibusdam videtur, non illa adoratione, quae *latria* est, carnem Christi vel animam esse adorandam, sed illa quae *dulia* est, cuius duas species vel modos esse dicunt. Est enim cuiusdam modi *dulia*, quae creaturae cuilibet exhiberi potest; et est quaedam soli humanitati Christi[2] exhibenda, non alii creaturae; quia Christi humanitas super omnem creaturam est veneranda et diligenda, non tamen adeo, ut cultus divinitati debitus ei exhi-
Dubium 1. beatur, qui cultus in dilectione et sacrificii exhibitione atque reverentia consistit, qui Latine dicitur *pietas*, Graece autem *theosebia*, id est Dei cultus, vel *eusebia*, id est bonus cultus.

Aliis autem placet, Christi humanitatem una ado-
Opinio 2. et vera. ratione cum Verbo esse adorandam, non propter se, sed propter illum cuius est *scabellum*, cui est unita. Neque ipsa humanitas *sola* vel nuda, sed cum Verbo, cui est unita; nec *propter se*, sed propter illum[3] est adoranda. Nec qui hoc facit idololatriae reus iudicari potest, quia nec soli creaturae nec propter ipsam, sed Creatori cum humanitate et in humanitate sua servit.
Damascenus. De hoc Ioannes Damascenus[4] ita ait: «Duae sunt naturae Christi, ratione et modo differentes, unitae vero secundum hypostasim. Unus igitur Christus est Deus
Dubium 2. perfectus et homo perfectus, quem adoramus cum Patre et Spiritu una adoratione cum incontaminata eius carne, non inadorabilem carnem dicentes — adoratur enim in una Verbi hypostasi, quae hypostasis generata est — non creaturae venerationem praebentes. Non enim ut *nudam* carnem adoramus, sed ut *unitam* deitati, in unam hypostasim Dei Verbi duabus reductis naturis. Timeo carbonem tangere propter ligno copulatum ignem. Adoro Christi, Dei mei, simul utramque naturam[5] propter carni unitam deitatem. Non enim quartam appono personam in Trinitate, sed unam personam confiteor Verbi et carnis eius». — His verbis insinuari videtur, Christi humanitatem una adoratione cum Verbo esse adorandam. — De hoc etiam Augusti- Confirmatur per Augustinum.
nus[6] ex sermone Domini, ubi dicit: *Non turbetur cor vestrum*, ita dicit: «Dicunt haeretici, Filium non natura esse Deum, sed creatum. Quibus respondendum est, quia, si Filius non est Deus natura, sed creatura, nec colendus est omnino nec ut Deus adorandus, dicente Apostolo: *Coluerunt et servierunt potius creaturae quam Creatori.* — Sed illi ad hoc replicabunt et di- Replicant illi.
cent: Quid est, quod carnem eius, quam creaturam esse non negas, simul cum divinitate adoras et ei non minus quam divinitati deservis? — Ego dominicam Dubium 3.
carnem, immo perfectam in Christo humanitatem, ideo adoro, quod a divinitate suscepta et deitati unita est; ut non alium et alium, sed unum eundemque Deum et hominem Dei Filium esse confitear. Denique si hominem separaveris a Deo, illi nunquam credo nec servio, velut si quis purpuram vel diadema regale iacens inveniat, nunquid ea conabitur adorare? Cum vero ea[7] rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea cum rege adorare quis contempserit. Ita etiam in Christo Domino humanitatem non solam vel nudam, sed divinitati unitam, scilicet unum Filium, Deum verum et hominem verum, si quis adorare contempserit, aeternaliter morietur». — Idem super Psalmum nonagesimum octavum[8], ubi dicitur: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est:* «Sciendum est, quia in Christo terra est, id est caro, quae sine impietate adoratur. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Haec sine impietate a Verbo Dei assumta adoratur a nobis, quia carnem eius nemo manducat, nisi prius adoret; Dubium 4.
sed qui adorat non terram intuetur, illum potius, cuius scabellum est, propter quem adorat». — His auctoritatibus praemissae investigationis absolutio explicatur.

---

[1] Cod. E cum plerisque edd. omittit *Christi*. — De his quae sequuntur cfr. Petr. Lomb. super Ps. 98, 5.

[2] Codd. et edd. 1, 8 omittunt *Christi*.

[3] Edd. pleraeque addunt *cui est unita*, refragantibus codd. et edd. 1, 8; quod additamentum videtur esse glossa ideo adiuncta, quia pronomen *illum* grammatice quidem non convenit cum voce *Verbum*, sed tamen secundum sensum.

[4] Libr. III. de Fide orthod. c. 8.

[5] Codd. A B D E *utraque* pro *utramque naturam*.

[6] Serm. 246. n. 5. (in appendice, alias 58. de verbis Dom.). Scripturae loci sunt Ioan. 14, 1; Rom. 1, 25.

[7] Vat. sola *eis*, quae mutatio non requiritur, cum *indutus* etiam cum accusativo rei Graeco more construatur.

[8] Vers. 5.; August. Enarrat. tr. n. 9., ubi edd., post *intuetur* iterum ponunt *sed*, refragantibus codd. et ed. 1.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM IX.

Utrum humana natura in Christo sit adoranda adoratione latriae.

Praeterea investigari oportet etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de comparatione divinae naturae ad proprietatem humanae naturae; hic vero agit de comparatione humanae naturae ad proprietatem divinae, inquirens, utrum humana natura in Christo sit adoranda adoratione latriae. Dividitur autem pars ista in partes duas. In quarum prima prosequitur istam quaestionem secundum opinionem communem. In secunda vero prosequitur eam secundum opinionem aliorum et Sanctorum auctoritates, ibi: *Aliis placet Christi humanitatem* etc.

Prima pars dividitur in duas partes. In prima parte opponit. In secunda determinat, ibi: *Ideo quibusdam videtur* etc. Secunda pars in duas dividitur. In quarum prima subiungit aliorum opinionem. In secunda vero inducit illius opinionis confirmationem per multiplicem Sanctorum attestationem, ibi: *De hoc Ioannes ita ait: Duae sunt naturae Christi.* Illa secunda pars posset adhuc subdividi in duas. In prima confirmat auctoritate Graeci [1]. In secunda auctoritate Latini, videlicet Augustini, ibi: *De hoc Augustinus ex sermone Domini, ubi dicit* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam ergo huius partis incidit hic quaestio de adoratione Christi, circa quam quaeruntur principaliter duo.

Primo quaeritur de ipsa adoratione per comparationem ad eum [2] cui est exhibenda.

Secundo vero quaeritur in comparatione ad virtutem, per quam exhibetur.

Circa primum quaeruntur sex.

Primo quaeritur, utrum cultus, qui est latria debitus deitati, sit exhibendus Christi humanitati.

Secundo quaeritur, utrum sit exhibendus eius imagini.

Tertio quaeritur, utrum sit exhibendus eius Matri.

Quarto, utrum sit exhibendus eius cruci.

Quinto, utrum sit exhibendus eius membro [3].

Sexto et ultimo, utrum sine peccato exhiberi possit eius adversario.

ARTICULUS I.

De ipsa adoratione per comparationem ad eum cui est exhibenda.

QUAESTIO I.

Utrum cultus latriae sit exhibendus humanitati sive carni Christi.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum cultus latriae sit exhibendus humanitati sive carni Christi. Et quod sic, videtur:

1. Primo auctoritate Damasceni [4]: «Christus est perfectus Deus et perfectus homo, quem adoramus una adoratione cum Patre et Spiritu et incontaminata carne eius»: ergo si persona Christi adoranda est latria, videtur, quod similiter caro eius.

Fundamenta.

2. Item, super illud Psalmi [5]: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est;* Glossa Augustini: «In Christo terra, id est caro, sine impietate adoratur a nobis, quia nemo carnem eius spiritualiter manducat, nisi prius adoret».

3. Item, eodem timore timetur ignis et ferrum ignitum igne: ergo si magis unita est divinitas carni quam ignis ferro; videtur, quod eadem reverentia sit exhibenda eius humanitati, quae exhibetur divinitati [6].

---

[1] Edd. addunt *scilicet Damasceni.*

[2] Ita edd., codd. minus apte *Deum.*

[3] Vat. hic, et codd. infra in ipsa quaest. *membris.*

[4] Libr. III. de Fide orthod. c. 8. Cfr. hic lit. Magistri.

[5] Psalm. 98, 5. — In Glossa, ex August. in hunc Ps. n. 9. delibata, et a Strabo Lyranoque ceu *ordinaria* allata, Vat. pro *spiritualiter* substituit *digne,* sed iniuria, siquidem Augustinus loc. cit. (exponit ibi illud verbum Domini apud Ioan. 6, 64: *Spiritus est qui vivificat*) ait: Verba, quae locutus sum vobis, spiritus est et vita. *Spiritualiter* intelligite quod locutus sum; non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis... Sacramentum aliquod vobis commendavi, *spiritualiter* intellectum vivificabit vos etc.

[6] Argumentum hoc est secundum Damasc., III. de Fide orthod. c. 8, cuius verba videsis hic in lit. Magistri et d. IV. c. 3.

4. Item, eadem adoratione adoratur caro animae unita, qua adoratur ipsa anima: ergo si non minus intime unitur Verbum ipsi carni quam anima [1], eadem ratione, qua adoratur Verbum, adoratur caro assumta. Sed Verbum adoratur latria: ergo etc.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Lucae quarto [2]: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies;* Glossa exponit de servitute cultus *latriae:* ergo soli Deo est exhibenda, non ergo carni Christi.

2. Item, Augustinus decimo de Civitate Dei [3] loquens de Christo: «Cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo et unus est Deus; tamen in forma servi maluit sacrificium esse quam sumere». Et ibidem: «Quis sacrificandum censuit nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit»? Igitur humanitati illi non est sacrificandum sive carni Christi: ergo nec ille cultus est ei offerendus, qui offertur Deo.

3. Item, Glossa super illud Psalmi [4]: *Adorate scabellum pedum eius:* «Caro Christi non est adoranda illa adoratione latriae, quae soli Deo debetur, sed illa dulia, quae dignior est»: ergo etc.

4. Item, humana natura in Christo quantumcumque sit sublimata, non exit terminos creaturae: ergo nec reverentia exhibenda ei debet exire terminos creaturae: si igitur latria est cultus, qui excedit omnes fines creaturae; videtur, quod qui exhibet latriam carni Christi committit idololatriam [5].

5. Item, minori minor reverentia est exhibenda et maiori maior secundum rectum ordinem; sed Christus, secundum quod homo, minor est Patre [6], et humanitas minor deitate, quantumcumque sit unita: ergo minor reverentia est ei exhibenda. Si ergo latria est reverentia summa, videtur, quod humanitati Christi non sit exhibenda.

6. Item, nullius est *adorari* adoratione latriae, cuius est *adorare;* sed humanitatis est *adorare* ipsam summam Trinitatem: ergo non debet *adorari* adoratione latriae. *Maior* probatur per hoc, quod nulli debetur latria, cuius est servire alteri. *Minor* probatur per hoc, quia eius est *adorare,* cuius est *orare;* Christus autem *oravit,* sicut legitur in diversis Evangeliis [7]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Humana natura Christi, quatenus semper est Verbo unita, semper adoranda est latria.

Caro Christi tripliciter consideratur.

Respondeo: Dicendum, quod *caro Christi* multipliciter consideratur. Uno modo *caro Christi* dicitur totus ille homo, iuxta illud quod dicitur Ioannis primo [8]: *Verbum caro factum est;* et hoc modo, quia ille homo Deus est ratione unius personae, adorandus est adoratione *latriae.* — Alio modo *caro* consideratur, prout nominat ipsam partem humanitatis per se, non ut unitam; et hoc modo carni consideratae non debetur adoratio *latriae,* sed *duliae.* — Tertio modo consideratur *caro* quasi medio modo, prout nominat ipsam naturam creatam, prout divinitati unitam; et hoc modo dixerunt quidam, quod est adoranda *dulia digniori,* quae quidem est *hyperdulia.* Et ratio huius est, quia solius Dei est adorari latria; et *natura* non communicat alteri naturae sua idiomata [9]. Unde sicut non est dicendum, humanam naturam esse in Christo aeternam, quia est unita aeternae; sic hoc modo dixerunt, quod

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Opinio 1.

---

[1] Cfr. supra d. 2. a. 3. q. 1.

[2] Vers. 8. — Glossa, quae hic memoratur, est *ordinaria* et sumta ex Beda, in hunc loc. nec non in Matth. 4. 10, ubi venerabilis ille commentator sic eloquitur: Latria autem vocatur servitus illa, quae soli Divinitatis cultui debita neque ulli est participanda creaturae... Iubemur uni Deo servire, quod est Graece λατρεύειν. Unde dicitur: *Et illi soli servies,* quod est Graece λατρεύσεις. Cfr. August., I. de Trin. c. 6. n. 13; X. de Civ. Dei, c. 1. n. 2. seq.; contra Serm. Arianor. c. 20. n. 9. et 29. n. 27.; Epist. 170. (alias 66.).

[3] Cap. 20. — Seq. testimonium invenitur ibid. c. 4. — Cod. A hoc argument. sic terminat: est ei *exhibendus,* qui *exhibetur* Deo.

[4] Psalm. 98, 5. — Glossa hic adducta habetur apud Petr. Lombardum in hunc loc., de qua Glossa Gaufridus, discipulus S. Bernardi et quartus abbas Claravallensis, in sua Epist. ad Albinum, Cardin. et episcop. Albanensem, de Condemnatione errorum Gilb. Porret. (inter opera Bernardi) n. 9. scribit: De cetero super capitulis aliis, de quibus mandatum vestrae dignationis accepi, diligenter considerans in libro Glossarum Psalterii, quas idem Gilbertus Porretanus composuit super versum: *Adorate scabellum pedum eius,* ita scriptum inveni: «Caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit Christus. Haec sine impietate adoratur a nobis, quia nemo carnem eius spiritualiter manducat, nisi prius adoret». Hucusque sunt verba Augustini [Cfr. supra fundam. 2.]. Quibus continuo addidit Gilbertus declarationem, quod est additamentum eorum: «non illa dico adoratione, quae latria est, quae soli Creatori debetur, sed illa quae in *dulia* dignior est. *Dulia* enim adoratio est, quae etiam creaturae exhibetur; quae duas habet species: unam quae hominibus indifferenter, alteram quae soli humanitati Christi exhibetur». [Frassen., Scot. academic. ed. Venet. an. 1744 tom. 8. pag. 83 innuit, additamentum illud, Gilberto tributum, non haberi in cod. continente Gilberti Comment. in Ps., qui fuit olim in bibliotheca monasterii S. Victoris iuxta Parisios siti].

[5] August., I. de Trin. c. 6. n. 13: Unde idololatrae dicuntur qui simulacris eam servitutem exhibent, quae debetur Deo [i. e. latria].

[6] Symb. Athanas.: Minor Patre secundum humanitatem. August., in Ioan. Evang. tr. 23. n. 13: Honoratur enim homo Christus, sed non sicut Pater Deus. Quare? Quia secundum hoc dixit: *Pater maior me est* (Ioan. 14, 28.).

[7] Matth., 14, 23; 26, 36. seqq.; Marc. 1, 35; 6, 46; Luc. 5, 16. — Probatio *maioris* innititur definitione latriae, hic nota 2. allata.

[8] Vers. 14. — Mox et paulo inferius post *caro* edd. subdunt *Christi.*

[9] Cfr. supra d. 6. a. 1. q. 1. ad 6. — Paulo superius pro *est hyperdulia* codd. A P Q Z bb *dicitur hyperdulia,* et deinde post *et natura* codd. F N (K bb a secunda manu) subiiciunt *divina.* Post pauca codd. E G H L (K N primitus) T U V aa verbis *sic hoc modo* praemittunt *et.*

natura humana non est adoranda *latria*, quamvis sit unita maiestati summae.

Alii vero dixerunt aliter, quod si consideretur
Opinio 2. *caro* et *anima*, prout unita [1] illi personae, adoranda est adoratione *latriae*, pro eo quod secus est de *exhibitione honoris* et *proprietatibus aliis. Honor* enim non respicit hanc *partem* vel illam, sed respicit ipsam *personam*. Unde quamvis purpura et vestimentum non participet proprietates regis absolutas, communicat tamen in honore et reverentia, sicut dicit Augustinus, et Magister recitat in littera [2].
Conclusio 3. Et ideo, quia est una persona in Christo, cui debetur reverentia summa, una adoratione adoranda est, scilicet *latria*, quantum ad utramque naturam, scilicet Deitatem et humanitatem, sicut eadem adoratione adoratur in uno homine caput et pes.

Concedendum est ergo, quod non solum *Christus homo* adorandus est latria, sed etiam *humanitas eius*, in quantum est Verbo unita, quamvis, prout per se consideratur, nunquam ei debeatur
Conclusio 4. nisi dulia. Et quoniam caro Christi nunquam est separata a Verbo, ideo semper consideranda est ut coniuncta et semper adoranda est *latria*, licet humanitati ut per se consideratae non debeatur nisi dulia. Et ideo secunda opinio melior est quam prima, et auctoritatibus Sanctorum est magis consona [3]. — Et ideo concedendae sunt rationes, quae sunt ad partem istam.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in con-
Solutio oppositorum. trarium, quod latria est cultus soli Deo debitus; dicendum, quod propter hoc non excluditur humanitas Christi. Sicut enim, cum dicitur: solus Petrus est hic intus, non excluditur manus vel pes eius; sic, cum dicitur: solus Deus est adorandus latria, non excluditur humanitas, quia humana natura et divina in unam concurrunt personam. Unde et haec adoratio non ponit in numerum cum illa.

2. Ad illud quod obiicitur, quod carni Christi non est sacrificandum; dicendum, quod verum est *per se*, sed non, prout est divinitati coniuncta, quia toti Christo sacrificandum est. Et quod dicit Augustinus [4], quod « noluit Christus sacrificium sumere, sed offerre »; dicendum, quod hoc non dicit, quod non deberet in carne adorari et ei sacrificari, sed quia voluit vitare occasionem erroris, ne alicui creaturae exhiberetur *per se* honor divini numinis.

3. Ad illud quod obiicitur de Glossa, quod caro non est adoranda latria; dicendum, quod verbum illud intelligitur de carne Verbi, prout in se nuda consideratione consideratur. Et hoc est quod dicit Augustinus [5]: « Si hominem separaveris a Deo, illi nunquam credo nec servio »; hoc autem non obviat, quin, secundum quod unita est, adoranda sit latria. Unde Damascenus: « Non ut nudam carnem adoramus, sed ut unitam Deitati in unam hypostasim Dei Verbi ».

4. Ad illud quod obiicitur, quod creatura non exit terminos creaturae; dicendum, quod verum est ratione *sui*; et ideo honor ratione sui terminos creaturae non exit; sed quia unitur in una hypostasi Dei Verbi [6], cui debetur unicus honor, in quacumque sit natura; hinc est, quod debetur ei *latria*.

5. Ad illud quod obiicitur, quod minori minor debetur reverentia; dicendum, quod verum est, quando minor et maior sic se habent, quod sunt diversorum honorum susceptibiles; hoc autem est, Notandum. quando sunt diversae personae gradu dignitatis distantes; hoc autem in proposito non est reperire, quia, cum una in Christo sit personalitas, et illa attendatur secundum naturam supremam, unica et summa debetur ei reverentia, qualiscumque sit natura; sicut honor unus debetur regi, in qualicumque sit indumento. Honor enim naturam respicit digniorem, et *per consequens* illud quod est annexum ei; sicut caro viri sancti honorari debet secundum dignitatem animae, non secundum ignobilitatem propriae naturae.

6. Ad illud vero quod obiicitur, quod Christi est adorare; dicendum, quod secundum quod « oratio Notandum. est ascensus intellectus in Deum », sic proprie ad Christum non pertinet, pro eo quod *omnia quaecumque voluit, fecit* [7]; etiam Verbum semper praesens habet, per omnia faciens, quaecumque vult anima eius; exemplum tamen orandi et adorandi dedit secundum naturam inferiorem in sua oratione; et ideo non sequitur, quod non debeat adorari. Sicut enim ipse baptizat interius, et tamen baptizatus fuit, ut alios informaret; sic oravit et adoravit, ut alios erudiret; quia, sicut vult Damascenus [8], in Christo humana natura non tenet naturam ancillae. Ait enim sic: « Serva est caro, si non est unita

---

[1] Cod. K supplet *sunt*.

[2] Hic, circa finem. Idem dicunt Epiph., Ancor. c. 51. et Damasc., IV. de Fide orthod. c. 3. — Codd. K U *participent... communicant*. Pro *absolutas* edd. *absolute*.

[3] Cfr. Athanas., Epist. ad Adelphium episc. n. 3. seqq.; Cyrill., Schol. de incarn. Unigeniti, c. 18; Ambros., III. de Spir. S. c. 11. n. 79.

[4] Edd. reddunt dictum Augustini secundum textum originalem, ut et supra in ipsa obiectione exhibetur: *quia maluit Christus sacrificium esse quam sumere*.

[5] Vide hic lit. Magistri, ubi et sententia Damasceni habetur, quae mox sequitur.

[6] Edd. *Verbo*.

[7] Psalm. 113, 3. — Definitio orationis, in qua pro *intellectus* (νοῦ) edd. substituerunt *mentis*, sumta est ex Damasc., III. de Fide orthod. c. 24, ubi etiam de oratione Christi fere idem dicitur atque hic et infra d. 17. a. 2. q. 4. — Subinde pro *etiam Verbum* codd. F U *et etiam Verbum*, Vat. cum pluribus codd. *et Verbum*.

[8] Libr. III. de Fide orthod. c. 21. In testimonio allegato textus origin. tum post *et Dominus* tum post *sunt Filii* plura addita habet. Circa initium testimonii cod. K cum textu origin. pro *si non est* exhibet *si non esset*. — Cum ratione a S. Bonav. hic prolata, quare Christus baptizari voluerit, convenit quod August., in Ioan. Evang. tr. 4: n. 13. dicit: Et opus erat Domino baptizari? Et ego interrogans cito respondeo: opus erat Domino nasci? opus erat Domino crucifigi?... Et quid profuit, quia suscepit baptismum servi? Ut tu non dedignareris suscipere baptismum Domini etc.

Dei Verbo; semel tamen unita secundum hypostasim, qualiter erit ancilla? Unum enim ens Christus non potest esse servus sui ipsius et dominus; cuius ergo erit servus? Patris non, quia quaecumque habet Pater, sunt Filii. Et ita, qui dicunt, ipsum esse servum, distare faciunt unum Christum in duo per modum Nestorii ». Et ita ad Christum non pertinet *adorare*, sed *adorari*, quia magis competit ei ratio dominii quam servitutis [1]. — Aliter etiam posset dici, Alia solutio. quod quamvis esset ipsius *adorare*, non tamen sequeretur, quod non deberet adhuc *adorari* adoratione latriae; quia nos, qui debemus *adorare*, non debemus aspicere ad eius humanitatem, sed ad personae dignitatem. — Et in hoc ultimo consistit summa quaestionis praedictae.

SCHOLION.

I. Christum, quatenus est hic homo et Verbo in unitate personae unitus, esse adorandum una adoratione latriae, fide constat tum anathematismo 8. S. Cyrilli, a Concilio Ephesino approbato, tum Synodi oecumenicae V. can. 9: « Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duae adorationes introducuntur, semotim Deo Verbo et semotim homini; aut si quis ad peremptum (ἀναιρέσει) carnis, aut in confusionem Deitatis et humanitatis unam naturam sive essentiam convenientium portentuose dicens, sic adorat Christum, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum eius carne adorat, iuxta quod sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est, talis a. s. » Accedunt tres theses Synodi Pistoriensis (scilicet 61-63), a Pio VI. per constitutionem *Auctorem fidei* an. 1794 condemnatae, quibus ista Synodus tum adorationem humanitatis Christi, tum cultum Ss. Cordis Iesu captiose insectabatur asserendo (thesis 61.), *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam eius partem, fore semper honorem divinum datum creaturae.* Quorum verborum censura ita sonat: « Quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, proinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem *propter se* et tanquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur; ex Concil. C. P. V. Gen. can. 9. falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens et iniuriosa ». — His definitionibus non tantum *conclusiones* quaestionis confirmantur, sed etiam *distinctiones* insinuantur, quae ad intelligendas conclusiones requiruntur. Distinguuntur enim communiter *materia* (obiectum), circa quam versatur adoratio, et *ratio adorandi*, atque asseritur, humanitatem Christi esse quidem adorandam *in se*, sed non *propter se et per se* (cfr. ultima verba quaestionis). Item distinguuntur id quod *primo et per se* adoratur (ipsum Verbum incarnatum), atque id quod ut obiectum *partiale coadoratur*. — Quod autem *humanitati per se consideratae*, et praescindendo ab unione hypostatica, non conveniat *latria*, manifestum est; item quod eidem sic consideratae ob excellentiam gratiae et sanctitatis creatae competat *dulia*, vel potius, ut Matri Christi, *hyperdulia*, communiter docetur. Sed auctor noster bene addit, hoc non valere nisi *theoretice*, uti dicunt, non *pro praxi* (saltem pro cultu publico Ecclesiae), « quoniam caro Christi *nunquam* est separata a Verbo, ideo *semper* consideranda est ut coniuncta et *semper adoranda est latria*, licet humanitati ut per se consideratae non debeatur nisi dulia » (in corp.). — In modo explicandi conclusiones posteriores aliquatenus dissentiunt; v. g. Durand. vult, latriam humanae naturae Christi competere non nisi *per accidens*, quae locutio aliis merito displicet. Alii pauci cum Suarez distinguunt duplicem latriam, scilicet praeter superiorem etiam inferiorem, quae competat humanitati Christi. — De ratione *latriae* et *duliae* cfr. infra a. 2. per totum.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 30. m. 2. — Scot., de hac et seqq. qq. hic q. unica. — S. Thom., hic a. 2. quaestiunc. 1; S. III. q. 25. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 9. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Ægid. R., hic q. 2. a. 1. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. unica. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

QUAESTIO II.

Utrum cultus latriae exhiberi debeat imagini Christi.

Secundo quaeritur, utrum cultus latriae exhiberi debeat imagini Christi. Et quod sic, videtur:

1. Primo per Damascenum, quarto libro [2]: « Honor imaginis refertur ad prototypum »: ergo idem est adorare imaginem et eum cuius est imago: ergo si Christus colendus est cultu latriae, videtur, quod eius imago similiter. Fundamenta.

2. Item, Abraham adoravit tres viros [3], et in his adoravit sanctam Trinitatem, secundum quod Glossae exponunt: si igitur illi tres viri non erant Trinitas summa, sed eam significabant; ergo latriae cultus non solum debetur *rei significatae*, sed etiam *signo*. Cum ergo imago Christi sit eius signum, videtur, quod ei sit cultus latriae exhibendus.

---

[1] August., I. contra Maximin. Arian. c. 9. similem huic obiectionem quoad Spiritum sanctum prolatam (quia Rom. 8, 26. legitur: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus)* resolvit dicens: Aliud est interpellare vel orare, aliud adorare. Omnis qui orat, rogat; non omnis qui adorat, rogat; nec omnis qui rogat, adorat. Recole consuetudinem regum, qui plerumque adorantur et non rogantur; aliquando rogantur et non adorantur. Ac per hoc a Spiritu sancto adorari Patrem nullo modo demonstrare potuisti.

[2] De Fide orthod. c. 16. Eadem sententia habetur apud Basilium, de Spir. S. c. 18, cuius verba Damasc. allegat loc. cit., et Orat. I. de imaginibus, circa finem.

[3] Gen. 18. 2. — Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum hunc locum in sensu *morali* explicat secundum Gregor., IX. Moral. in fine. Aliter August., qui Serm. 7. (alias 6.) n. 6. Abraham sanctissimam Trinitatem adorasse, expresse docet. Cfr. Ambros., I. de Fide, c. 13. n. 80. Ita et Glossa *interlinearis* apud Lyranum, ubi legitur: Ita affectibus manifestatur fides Trinitatis.

3. Item, homo loquitur ad imaginem in suis petitionibus, ergo loquitur ad imaginem, sicut ad personam rationalis creaturae, igitur sic loquitur ad imaginem Christi, sicut ad Christum; et sicut loquitur, sic colit et adorat: ergo debet adorare imaginem Christi, sicut Christum.

4. Item, eandem reverentiam exhibemus et exhibere debemus imagini beatae Virginis quam ipsi Virgini, et sic de aliis Sanctis: ergo et eadem reverentia exhibenda est imagini Christi, sicut ipsi Christo; sed Christo exhibetur cultus sive honor latriae: ergo debet exhiberi imagini suae.

Sed contra: 1. Exodi vigesimo [1], in primo mandato: *Non facies tibi imaginem neque sculptam similitudinem:* si ergo prohibitum est, imaginem fieri, multo magis et adorari. Ad oppositum.

2. Item, Damascenus, capitulo *de Imaginibus* [2]: « Magnae impietatis et insipientiae est figurari quod divinitatis est »: ergo maioris impietatis est adorare iam figuratum.

3. Item, melior est creatura vivens quam non vivens, quia similior est summae vitae: si ergo huiusmodi imagines non sunt viventes, minus sunt dignae honore quam talpae et vespertiliones. Si ergo impium est adorare vespertiliones et talpas, multo magis huiusmodi imagines [3].

4. Item, nobilior et melior est imago divinitus *impressa* quam *ab hominibus sculpta;* sed si quis adoraret diabolum vel hominem peccatorem, in quo est imago Domini *impressa*, peccaret: ergo multo magis qui adorat huiusmodi imagines [4].

5. Item, fortius fugiendus est ritus idololatriae quam legales caerimoniae; sed Ecclesia fugit ritum caerimoniae legalis, ne videatur iudaizare: pari ergo ratione debet fugere ritum idololatriae, ne videatur idololatrare. Ergo si cultus idololatriae consistebat in veneratione imaginum et picturarum, videtur, quod talia non sunt adoranda [5].

6. Item, cum huiusmodi imagines nec per novum nec per vetus Testamentum approbentur, videtur, quod earum introductio fuerit novitatis praesumtio: si igitur talia sunt exstirpanda, videtur, quod talia non sunt colenda.

CONCLUSIO.

Imagini Christi debet cultus latriae exhiberi.

Respondeo: Dicendum, quod imaginum introductio in Ecclesia non fuit absque rationabili causa. Introductae enim fuerunt propter triplicem causam, videlicet propter *simplicium ruditatem*, propter *affectuum tarditatem* et propter *memoriae labilitatem.* — Propter *simplicium ruditatem* inventae sunt, ut simplices, qui non possunt scripturas [6] legere, in huiusmodi sculpturis et picturis tanquam in scripturis apertius possint sacramenta nostrae fidei legere. — Propter *affectus tarditatem* similiter introductae sunt, videlicet ut homines, qui non excitantur ad devotionem in his quae pro nobis Christus gessit, dum illa aure percipiunt, saltem excitentur, dum eadem in figuris et picturis tanquam praesentia oculis corporeis cernunt. Plus enim excitatur affectus noster per ea quae videt, quam per ea quae audit. Unde Horatius [7]: Conclusio 1. Triplex ratio. Prima. Secunda.

> Segnius irritant animos demissa per aurem,
> Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus, et quae
> Ipse sibi tradit spectator.

Propter *memoriae labilitatem*, quia ea quae audiuntur solum, facilius traduntur oblivioni, quam ea quae videntur. Frequenter enim verificatur in multis illud quod consuevit dici: verbum intrat per unam aurem et exit per aliam. *Praeterea*, non semper est praesto qui beneficia nobis praestita ad memoriam reducat per verba. Ideo dispensatione Dei factum est, ut imagines fierent praecipue in ecclesiis, ut videntes eas recordemur de beneficiis nobis impensis et Sanctorum operibus virtuosis. Tertia.

Quoniam igitur imago Christi introducta est ad repraesentandum eum qui pro nobis crucifixus est, nec offert se nobis [8] *pro se*, sed *pro illo;* ideo om-

---

[1] Vers. 4. Cfr. Lev. 19, 4. et Deut. 5, 8.

[2] Libr. IV. de Fide orthod. c. 16. Cfr. Oratio I. de imaginibus, n. 4. et 7; II. n. 5, nec non III. n. 2.

[3] Obiectio huic similis iam facta est a Claudio, Taurinensis ecclesiae episc., contra cuius blasphemias Ionas, Aurelianensis episc. († 843), mandato Ludovici Caesaris tres libros scripsit de Cultu imaginum, in quorum primo inter alias istius episcopi propositiones etiam hanc refellit: Certe si adorandi [Sancti] fuissent, vivi potius quam mortui adorandi esse debuerunt etc. Vide Migne, Patrol. lat. tom. 106. col. 326. Cfr. S. Agobard., Lugdun. episc. († 840 vel 841), de Imagin. Sanct. c. 28: Certe si adorandi fuissent homines, vivi magis quam picti etc. (Migne, Patrol. lat. tom. 104. col. 222). Cfr. August., Enarrat. in Ps. 113. serm. 2. n. 2. — Pro *honore* cod K *honorari.*

[4] Hanc quoque obiectionem Claudius iam protulit, et quidem secundum Ionam loc. cit. his verbis: Si opera manuum Dei non sunt adoranda et colenda, quanto magis opera manuum hominum adoranda et colenda non sunt! Prorsus nec in honore eorum quorum similitudines esse dicuntur.

[5] Similis obiectio occurrit in Conc. Nicaen. II. act. 6. tom. 4. Claudius Taurinensis loc. cit. apud Ionam: Si imago, quam adoras, Deus non est, nequaquam veneranda est honore Sanctorum, qui nequaquam divinos sibi arrogant honores. — Pro *legales caerimoniae* edd. cum nonnullis codd. *legalis caerimoniae.* Pro *consistebat* Vat. *consistit,* edd. 1, 2 *consistat.*

[6] Vat. omittit *scripturas.* Cfr. Damasc., IV. de Fide orthod. c. 16. — Mox pro *Propter affectus* codd. A Z bb *Propter affectuum.*

[7] In Epist. ad Pisones sive de Arte poetica, v. 180. seqq. — Pro *demissa* in multis codd. legitur *dimissa*, in codd. P bb *immissa.* Deinde loco *per aurem* plurimi codd. cum edd. 1, 2 contra textum origin. exhibent *per aures.*

[8] Cod. Z supplet *imago illa.*

nis reverentia, quae ei offertur, exhibetur Christo.
Conclusio 2 Et propterea imagini Christi debet cultus latriae exhiberi. Et hoc est quod dicit Augustinus in libro tertio de Doctrina christiana [1]: « Qui veneratur tale signum divinitus institutum, cuius vim significationemque intelligit, non hoc veneratur, quod videtur et transit, sed illud potius, quo talia cuncta referenda sunt ». — Concedendae sunt igitur rationes, quae hoc ostendunt.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur in contra-
Solutio oppositorum. rium, quod prohibitum est, ne quis faciat sibi imaginem; dicendum, quod pro eo tempore prohibi-
Notandum. tum est, in quo Deus humanam naturam nondum assumserat. Tunc enim, cum Deus omnino spiritus esset, infigurabilis erat; et ideo ipsum figurare erat error et impietas. Et pro illo tempore loquitur Damascenus [2], cum dicit, quod « insipientiae et impietatis est figurare quod *divinitatis est* »; verum est, secundum quod *divinitatis est*, quia est incircumscriptibilis et infigurabilis; sed non est sic quantum ad humanam naturam. Unde subiungit, quod « Deus propter viscera misericordiae suae factus est homo *et cum hominibus conversatus est* [3], miracula fecit, passus est, crucifixus est; haec ad memoriam hominum scripta sunt et ad doctrinam nostram. Quia vero non omnes noscunt litteras neque lectioni vacant, Patres decreverunt velut quosdam triumphos imaginibus describere ad velocem memoriam ».

3. Ad illud quod obiicitur, quod creatura vivens nobilior est non vivente; dicendum, quod ve-
Notandum. rum est de nobilitate *reali*, sed non oportet, quod hoc sit verum de nobilitate *significationis*, quia res parvi valoris rem nobilem significare potest. Cum ergo adoratur imago, non adoratur ratione nobilitatis, quam *habet in se*, sed ratione nobilitatis *significatae in se* [4]. Et *si obiiciat*, quod lapides et ligna ducunt in Deum; dicendum, quod non ducunt *sic* nec sunt principaliter instituta ad hoc, sicut imagines et picturae.

4. Ad illud quod obiicitur de imagine divinitus impressa, iam patet responsio: quia, cum talis homo sit creatura nobilis, offert se magis per modum Notandum. *rei* quam per modum *signi*; et ideo honor, qui ei defertur, non omnino refertur ad primum exemplar, sicut honor, qui defertur imagini pictae vel sculptae. — Si autem aliquis coleret ipsam figuram tanquam *rem*, magis erraret, quam qui coleret creaturam rationalem. Unde Augustinus de Doctrina christiana [5]: « Fateor, altius esse demersos qui opera hominum pro Deo colunt, quam qui opera Dei », ut statuam quam stellam.

5. Ad illud quod obiicitur, quod illud videtur esse idololatrare; dicendum, quod verum est, si adorarentur ratione *sui*, ita quod crederetur, aliquid divinum ibi esse; nunc autem non est sic, immo omnino aliter mentes fidelium venerantur; et ideo non servant idololatriae ritum. Et *si tu obiicias*, quod sunt occasio erroris; dicendum, quod etsi lit- Notandum. terae sacrae fuerunt et sunt usque in hodiernum diem, et etiam aliae creaturae quandoque occasio erroris [6]; non tamen propter hoc sunt litterae delendae, et creaturae destruendae, quia hoc divini iudicii est, ut bonis sint in bonum, malis autem in mala convertantur. Sic et in imaginibus est intelligendum.

6. Ad illud vero quod obiicitur, quod illud non habet auctoritatem ex Scripturis; dicendum, quod Notandum. multa Apostoli tradiderunt, quae tamen non sunt scripta. Unde Apostolus [7] laudabat eos qui tenebant suas traditiones, et Ecclesia servavit fideliter quae ab Apostolis accepit. Narrat tamen Damascenus [8] duo, Narratio Damasceni. quae sunt ad imaginis confirmationem. Unum est, quod « quaedam historia refert, quod Dominus Abgaro regi, qui pictorem miserat, imaginem Dei similiter picturare et figurare, nequeunte pictore pro-

---

[1] Cap. 9. n. 13, ubi textus origin. pro *tale signum* habet *utile signum*. Deinde pro *cuius vim* Vat. cum edd. 1, 2 substituit *eius vim* et paulo inferius *ad quod talia* pro *quo talia*.

[2] Loc. cit. IV. de Fide orthod. c. 16: « Atque hinc est, quod in veteri Testamento minime tritus erat imaginum usus » (ed. Migne). Affert Damasc. ibid. etiam eandem rationem ac Bonaventura: « Praeterea quisnam est, qui invisibilis et incorporei, incircumscriptique ac figura vacantis Dei simulacrum effingere queat »? Testimonium seq., ex eodem cap. cit. delibatum, plenius ibi habetur. — Nomini *Damascenus* codd. A E I N T V bb praefigunt *etiam*. Proxime post testimon. allatum Vat., partem propositionis seq. cum praecedenti coniungens, pro *verum est* exhibet *quod verum est;* in cod. A legitur *verum etiam*. Subinde pro *secundum quod divinitatis est*, quam lectionem ceu clariorem et congruentiorem cum Vat. retinuimus, multi codd. *secundum quod divinum est*.

[3] Baruch 3, 38.

[4] Edd. *per se*.

[5] Libr. III. c. 7. n. 11: Fateor tamen, altius demersos esse qui opera hominum deos putant, quam qui opera Dei. — Paulo superius pro *ad primum exemplar* cod. Z *ad ipsum exemplar*.

[6] Verba *quandoque occasio erroris* in plurimis codd. et edd. 1, 2 non congrue desunt. In codd. bb (K a secunda manu) legitur sic: *fuerunt et sunt* [cod. K hic inserit *multis*] *erroris occasio usque in hodiernum diem, et etiam aliae creaturae*. Aliquanto superius post *crederetur* edd. addunt *in eis*, omisso dein *ibi*. In fine solut. pro *in imaginibus* cod. H *de imaginibus*.

[7] Epist. I. Cor. 2, 2; II. Thess. 2, 14. Cfr. Ioan. 20, 30; 21, 25. Vide Damasc., IV. de Fide orthod. c. 16.

[8] Primum factum (quod iam refert Evagrius, IV. Hist. c. 27.) prodit IV. de Fide orthod. c. 16. et in Oratione I. de imagin. n. 27. Cfr. etiam Nicephor., II. Eccles. hist. c. 7. et Euseb., I. Hist. eccles. c. 13. Secundum factum, quod memorant Theodor. Lector, I. Excerpt. ex eccles. hist. n. 1, et Nicephor., XIV. eccles. hist. c. 2. et XV. c. 14. [qui etiam asserunt, Lucam solum B. V. Mariam coloribus expressisse], Damasc. refert in Oratione adversus Constantinum Cobalinum, n. 6, nec non in Epist. ad Theophilum imperatorem, n. 3. seq. — In testimonio Damasceni hic allegato Vat. ante *picturare* omittit *similiter*, quod codd. exhibent et necessario addendum fuit, cum in textu Graeco legatur τὴν τοῦ Κυρίου ὁμοιογραφῆσαι εἰκόνα. Deinde pro *ipse vestimentum propriae faciei divinae*

pter coruscantes a facie claritates, ipse vestimentum propriae faciei divinae superimponens, in vestimento illo sui ipsius imaginem expressisset, et ita cupienti Abgaro misisset ». Et iterum: « Accepimus, Lucam, evangelistam, depinxisse Dominum et Matrem eius ». Et sic patet, quod non sunt adinventiones[1] in huiusmodi imaginibus, sed divinae traditiones et apostolicae sanctiones.

SCHOLION.

I. In hac quaestione egregie defenditur doctrina catholica de cultu imaginis Christi et Sanctorum contra Iconoclastas aliosque haereticos, iam a Concilio Nicaeno II. (an. 787), a Conc. oecumenico VIII. (can. 3.) et postea a Tridentino (Sess. 25, decret. de invocatione et venerat. et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus) reprobatos; cfr. etiam Pius VI. contra Synod. Pistoriensem, thes. 69-71. — Quod cultus imaginum sit *relativus*, toties ab Ecclesia declaratum est a tempore Concilii Nicaeni II, quod dicit: « Imaginis enim honor ad prototypon transit; et qui adorat imaginem adorat in ea depicti subsistentiam ». Item Concilium Trident.: « Non quod credatur inesse aliqua in eis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honor, qui eis exhibetur, *refertur ad prototypa*, quae illae repraesentant » etc. — Quod autem in Ecclesia occidentali praedictum decretum Nicaeni acri reclamatione impugnatum sit, praesertim quatuor « libris Carolinis » et Synodo Francofordiensi (794); hoc ortum est praecipue ex mala interpretatione Latina falsoque intelligentia huius decreti Graece conscripti; de quo videsis recentiores auctores. Contra iconoclastam occidentalem, qui fuit Claudius, episc. Taurinensis († 840), egregie scripserunt episc. Aurelianensis Ionas, abbas Theodemir aliique. Contra impugnatores Nicaeni II. sincerum cultum imaginum defenderunt Summi Pontifices Hadrianus I. et Eugenius II.

II. Alex. Hal., p. III. q. 30. m. 3. a. 3. — S. Thom., hic a. 2. quaestiunc. 2; S. III. q. 25. a. 3. — B. Albert., hic a. 4. quaestiunc. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. — Ægid. R., hic q. 2. a. 3. —

II. Solutio sequentis (3.) quaest. nullatenus potest esse dubia. De ea explicite tractant: Alex. Hal., loc. cit. a. 2. § 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 3; S. loc. cit. a. 5. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 4. — Ægid. R., loc. cit. a. 4.

QUAESTIO III.

Utrum cultus latriae Matri Christi exhiberi debeat.

Tertio quaeritur, utrum cultus latriae Matri eius debeat exhiberi. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Per illud quod dicit Damascenus in capitulo *de Imaginibus*[2]: « Honor, qui est ad ipsam, ad eum qui est ex ipsa incarnatus, reducitur »: ergo si honor latriae exhibendus est imagini Christi, quia refertur ad prototypum, pari ratione beatae Virgini honor latriae exhibendus est, cum honor sibi exhibitus ad Filium referatur.

2. Item, ex hoc quod Virgo Maria effecta est mater Dei, est effecta mater omnium creaturarum[3]: ergo Filius communicat Matri dominium maiestatis: ergo cum latria sit cultus maiestati debitus, pari ratione communicat ei *latriae* cultum.

3. Item, caro Christi consimilis fuit naturae et consubstantialis carni Virginis; sed Christus secundum humanam naturam adorandus est adoratione latriae[4]: ergo pari ratione humana natura in Virgine, eius matre.

4. Item, Filius Dei exhibuit reverentiam et honorem ipsi Virgini, sicut suae matri: ergo si subiecit se, vult per consequens, quod unusquisque eidem subiiciatur, et quod honor, qui sibi impenditur, ei impendatur: si ergo huiusmodi est *latria*, videtur etc.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Virgo beata adorat Filium suum adoratione latriae; sed unius et eiusdem secundum eandem naturam non est *adorare* et *adorari*[5]: si ergo in beata Virgine est una tantum natura, videtur, quod ipsa non sit *latria* adoranda.

2. Item, beata Virgo est pura creatura: ergo non debetur ei honor, nisi qui est inter terminos creaturae; sed iste est honor *duliae*, non *latriae*: ergo etc.

3. Item, honor *latriae* redditur Deo ratione summae maiestatis; sed hanc non est reperire in Virgine: ergo non videtur, quod sit cultu *latriae* adoranda.

---

superimponens (in textu Graeco: αὐτὸς ἱμάτιον τῷ οἰκείῳ προσώπῳ τῷ θείῳ καὶ ζωοποιῷ ἐπιθείς) codd. et edd., constructione propositionis perperam in aliam a textu Graeco discrepantem mutata, *ipso vestimentum propriae faciei divinae superimponente*. Demum pro *expressisset et ita cupienti Abgaro misisset* (ἐναπεμάξατο... καὶ οὕτως ἀπέστειλε τοῦτο ποθοῦντι τῷ Αὐγάρῳ) codd. et edd. pariter perperam, quia contra textum Graecum et constructionem proposit., *expressisse* [multi codd. *abstersisse*, codd. H Y Z aa *abstraxisse*] *et ita cupienti Abgaro misisse*. Loco *Damasceni* multi codd. hic erronee allegant *Augustinum*.

[1] Voci *adinventiones* edd. praemittunt *novae*.

[2] Lib. IV. de Fide orthod. c. 16. — Mox pro *imagini Christi* codd. G H K *imaginibus Christi*.

[3] Damasc., IV. de Fide orthod. c. 14: Profecto vere et proprie Dei Genitrix est et Domina, omnibusque creatis imperat quae ancilla materque simul exstitit Creatoris.

[4] Ut ostensum est supra q. 1.

[5] Boeth., IV. in Praedicam. Aristot. c. *de Oppositis*: Sunt enim opposita quae in eodem, secundum idem, in eodem tempore, circa unam eandemque rem simul esse non possunt.

4. Item, qui adorat aliquem cultu *latriae* confitetur, ipsum esse Deum: ergo qui adorat Virginem cultu *latriae* confitetur, ipsam esse deam [1]: ergo si hoc est impietatis maximae, videtur, quod etc.

CONCLUSIO.

Virgini Mariae non est exhibendus cultus latriae, sed hyperduliae.

RESPONDEO: Dicendum, quod beatissima Virgo
Conclusio 1. Maria pura creatura est; et ideo ad honorem et cultum *latriae* non ascendit. Sed quoniam excellentissimum *nomen* habet, ita quod excellentius purae
Conclusio 2. creaturae convenire non potest; ideo non tantum debetur ei honor *duliae*, sed *hyperduliae*. Hoc autem *nomen* est, quod Virgo existens, Dei Mater est,
Notandum. quod quidem tantae dignitatis est, quod non solum viatores, sed etiam comprehensores, non solum homines, verum etiam Angeli eam [2] revereantur quadam praerogativa speciali. Ex hoc enim, quod Mater Dei est, praelata est ceteris creaturis, et eam prae ceteris decens est honorari et venerari. Hic autem honor consuevit a magistris *hyperdulia* vocari. Et accipitur verbum illud de Glossa super primi Regum octavum [3], ubi dicitur *dulia maior* et *dulia minor*. — Concedendae sunt igitur rationes, quod Virgini Mariae non sit exhibendus cultus latriae.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in con-
Solutio oppositorum. trarium, quod honor Matris refertur ad Filium; dicendum, quod referri honorem ad aliquem est du-
Distinctio notanda. pliciter: aut sicut ad *subiectum*, aut sicut ad *finem*. Honor autem, qui exhibetur *Matri*, refertur ad Filium sicut ad *finem*; honor autem, quo adoramus *imaginem* Christi, refertur ad ipsum sicut ad *subiectum*. Unde qui adorat Christi *imaginem* Christum adorat, non imaginem; qui vero adorat Christi *Matrem* adorat Christum et Matrem suam [4].

2. Ad illud quod obiicitur, quod communicat Matri dominium maiestatis; dicendum, quod est do- Duplex dominium.
minium *praesidentiae* et dominium *maiestatis* et omnipotentiae. Cum ergo dicitur, quod Filius communicat Matri dominium; intelligitur de dominio *praesidentiae*; cum vero subiungitur, quod dominio redditur cultus *latriae*; intelligitur de dominio *maiestatis* et omnipotentiae. Et hoc quidem Dominus nulli communicat purae creaturae.

3. Ad illud quod obiicitur, quod eiusdem naturae et consimilis est caro Virginis cum carne Verbi; dicendum, quod caro Verbi non adoratur adoratione *latriae*, in quantum est caro *humana*, sed in quantum est caro *assumta* [5]. Licet autem caro Virginis Notandum.
conformis sit carni Verbi quantum ad conformitatem *naturae*, non tamen conformis est quantum ad *gratiam unionis*. Et ideo in processu illo est paralogismus *accidentis*, quia secundum aliam et aliam comparationem *communicat* cum Virgine, et *debetur* sibi adoratio *latriae*.

4. Ad illud quod obiicitur, quod Christus honoravit Matrem suam; dicendum, quod verum est: sed Christus non adoravit eam adoratione *latriae*, sed *hyperduliae* — non enim adoravit eam ut deam, sed ut filius matrem suam — ideo bene sequitur, quod Christus vere Matrem suam docet [6] adorare et venerari sicut decet Matrem Dei. Sed ex hoc non Notandum.
sequitur, quod velit, illum honorem Matri exhiberi, quem vult exhiberi sibi, pro eo quod ita est *mater*, quod *ancilla*; et persona Matris in infinitum inferior est persona Filii. Ideo etsi multum debeat adorari et amari, in infinitum tamen minus debet adorari et amari, secundum legem iustitiae et rectum ordinem, quam Filius eius, qui est *Rex regum et Dominus dominantium* [7].

---

[1] Ut ex Epiph., III. adversus Haeres. haeres. 78. c. 23. et haeres. 79. novimus, in Arabiam per mulieres, quae e Thracia venerant, secta introducta fuit, cuius sectatores Mariam deam profitebantur eique sacrificandum esse tenebant. Nuncupata fuit haec secta Collyridianorum, eo quod qui illam sequebantur collyridem i. e. tortam panis in honorem B. M. V. offerebant. Cfr. Damasc., de Haeres. n. 79, et Homil. 2. in Dormition. B. M. V. n. 15.

[2] In codd. deest *eam;* posset etiam suppleri *illud* (nomen).

[3] Neque Strabus neque Lyranus in loc. cit. Glossam affert, quae a Bonav. hic respicitur; insinuatur autem duliae divisio in maiorem et minorem in Glossa, quam supra pag. 200, nota 4. allegavimus. Sed Alanus ab Insulis in Distinction. dictionum theologic. (sub verbo *duliae*) *duliam* tripliciter distinguit: in *positivam*, quae maioribus, ut episcopis, debetur; in *mediam* vel comparativam, quae debetur naturae angelicae; et in *maximam* vel superlativam, quae debetur humanae Christi naturae. Sed vide quae de hoc docentur hic q. 1.

[4] Pro *suam* cod. K *eius*.

[5] Cfr. supra q. 1. De fallacia *accidentis* cfr. supra pag. 179, nota 1. — In initio solut. multi codd. omittunt *et* ante *consimilis*, et in eius fine ante *debetur* edd. cum nonnullis codd. repetunt *secundum aliam*.

[6] Pro *docet*, quod e cod. bb restituimus, librarii in ceteris codd. scripserunt *decet*, excepto cod. aa, qui (a secunda manu correct.) exhibet *docuit;* edd. perperam substituerunt *debet*. Subinde pro *Sed ex hoc* codd. G I K N T V X *et ex hoc*.

[7] Epist. I. Tim. 6, 15. et Apoc. 19, 16. — Paulo superius cod. K bis *honorari* pro *adorari*. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO IV.

Utrum cultus latriae cruci Christi exhibendus sit.

Quarto quaeritur, utrum cultus *latriae* sit exhibendus cruci Christi. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Sic adoramus crucem, sicut oramus; sed crucem exoramus illa exoratione, quae facienda est ei soli, qui adorandus est cultu *latriae:* ergo adoranda est adoratione *latriae. Maior* manifesta est; *minor* probatur per illud quod cantat Ecclesia [1]:

> O crux ave, spes unica,
> Hoc passionis tempore,
> Auge piis iustitiam,
> Reisque dona veniam.

Sed *augere iustitiam* et *dare veniam* est solius Dei: ergo etc.

2. Item, sic adoramus, sicut alloquimur; sed alloquimur crucem quasi intelligentem; hoc non est ratione sui, cum sit lignum purum: ergo hoc est ratione Crucifixi in ea. Sed Crucifixum adoramus adoratione *latriae* [2]: ergo et ipsam crucem.

3. Item, sic adoramus crucem, sicut reliquias Christi; sed reliquiae eodem honore honorandae sunt, quo honoratur ille cuius sunt reliquiae: si ergo Christus est adorandus adoratione *latriae,* videtur similiter, quod crux Christi debeat adorari.

4. Item, efficacius ducit nos ipsa vera crux Christi in Christum, quam aliqua eius imago; sed imago Christi, eo quod ducit in Christum, adoratur eadem adoratione cum ipso, videlicet *latria* [3]: ergo eadem ratione et nobilissima eius crux.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Crux Christi est pura creatura, non unita Verbo: ergo si *latria* non debetur nisi soli Deo per se, et naturae assumtae ratione personae; videtur, quod exhibere cultum *latriae* ipsi cruci sit idololatrare.

2. Item, Mater Christi plus Christo approximat quam crux eius, et melior et nobilior est creatura; sed Virgo Mater non est adoranda *latria* [4]: ergo nec ipsa vera crux.

3. Item, si crux Christi adoranda est *latria,* quia fuit *lectulus* eius: igitur cum caelum sit eius *sedes,* et terra *scabellum* pedum eius, ut dicit Propheta [5], ergo sunt adoranda *latria.* Sed hoc est nefarium et impium: ergo videtur, quod cruci eius cultus *latriae* non sit exhibendus.

4. Item, crux Christi nihil meruit, nihil demeruit, et non magis sentit laudem quam vituperium, cum sit res insensibilis: ergo si *honor* debet exhiberi solummodo rei dignae laude [6], et *reverentia* rei, etiam quae discernit inter honorem et contumeliam; videtur, quod ei nulla reverentia sit exhibenda.

Quaest. incidens. Item, quaeritur, qualiter sit adoranda et veneranda.

CONCLUSIO.

Quaelibet crux ratione Crucifixi latria est adoranda; sed ipsi vero ligno crucis, in quo Christus pependit, ut instrumento nostrae salutis etiam honor venerationis exhibendus est.

Respondeo: Dicendum ad praedictorum intelligentiam [7], quod hic est multiplex modus dicendi. — Quidam enim dicere voluerunt, quod ipsi cruci Opinio 1. debetur honor, qui dicitur *hyperdulia.* Et ratio huius est, quia ipsa crux fuit instrumentum totius redemptionis humanae; in ipsa enim salus et redemptio totius humani generis est facta; et ideo omnes homines debent ei esse subiecti subiectione notabili et speciali. Et propterea dicunt, debere adorari eam excellentiori adoratione, quam sit dulia, quae debetur rationali creaturae. Quia tamen crux ista nec est Deus nec ipsi divinitati aliquid unitum; ideo non est ei cultus latriae exhibendus. Propter hoc tenet medium inter *latriam* et *dulium* adoratio crucis, ut dicatur *hyperdulia* [8].

Sed quoniam *adoratio* sicut *allocutio* videtur esse solummodo inter res rationis capaces — *adoratio* enim quaedam oratio est ad aliquid ordinata; unde adorare est ad aliquid orare — crux autem Christi omnino caret ratione: ideo alii dixerunt, eam Opinio 2. non esse adorandam, nisi in quantum in ea adoratur Christus, nec aliqua est ei honoris reverentia exhibenda nisi ratione Crucifixi, sicut nec imagini

---

[1] In dominica Passionis ad Vesp. — De hymno *Vexilla Regis,* cuius sunt strophae allatae, quique tribuitur Venantio Fortunato, cfr. Martene, III. de antiq. Eccles. ritibus. pag. 237. — In *maiori* pro *oramus* codd. I L aa cc et edd. *exoramus.*

[2] Cfr. supra q. 1. — In initio arg. pro *sicut alloquimur* edd. perperam *sic alloquimur.*

[3] Vide supra q. 2. — In *maiori* post *vera crux* edd. omittunt *Christi in Christum;* codd. K Q R U (aa a secunda manu) omittunt dumtaxat *in Christum,* multi alii codd. *Christi* tantum; nostram lectionem exhibent codd. M O, qui etiam proxime ante post *ipsa vera* subiungunt *et beata.*

[4] Cfr. q. praeced. — Subinde edd. omittunt *vera.*

[5] Psalm. 98, 5; Isai. 66, 1. Cfr. Act. 7, 49.

[6] Cfr. Aristot., I. Rhetor. c. 15. (c. 5.) et I. Ethic. c. 12.

[7] Codd. F N supplent *est notandum.*

[8] Edd. hanc proposit. cum praecedenti coniunctam sic reddunt: Quia *cum* crux *Christi* nec *sit* Deus... latriae exhibendus *et* propter hoc *quod* tenet... adoratio crucis *dicitur* hyperdulia. — Paulo inferius pro *ordinata,* quam lectionem restauravimus fide codd. B C D (N a secunda manu), alii codd. nec non edd. perperam *ordinatum.* Mox pro *ad aliquid orare* edd. cum aliquot codd. *ad aliud orare.*

nisi ratione imaginati. Et ideo dixerunt, quod cruci Christi est cultus *latriae* exhibendus et nullus alius, nec *duliae* nec *hyperduliae*. Rem enim insensibilem stultum est honorare, cum pro indifferenti habeat honorem et vituperium. Et hoc nituntur confirmare per Damascenum, in capitulo *de sanctis Imaginibus*[1], ubi dicit, quod non crucem adoramus, sed typum, id est figurationem. Et sic non videtur, quod crux adoretur, in quantum est *res* aliqua, sed in quantum est *signum*. — Verumtamen si consideremus verba Damasceni in capitulo *de Cruce*[2], videtur, quod non solummodo cruci Christi, prout est *signum*, sive in quantum *typus* est, sed etiam ratione *materiae* exhibenda sit reverentia, quia non solum est veneranda *figura*, sed etiam *verum lignum* crucis, in quo Dominus pependit. In aliis vero crucibus veneranda est solum *figura*, non *materia*. Ait enim sic: « Ipsum quidem pretiosum lignum crucis venerabile, in quo se ipsum pro nobis Christus obtulit, ut sanctificatum tactu corporis et sanguinis decenter est adorandum ». Et post: « Si autem ex alia materia facta est, non *materiam* adoramus, absit; sed *typum*. Unde et si aurum et pretiosi lapides fuerint, post *typi* dissolutionem non sunt adoranda ». Ex quo colligitur, quod aliqua ipsi cruci sit reverentia exhibenda, excepta adoratione *latriae*. Et huius signum est, quia Ecclesia solemnizat in crucis inventione et exaltatione[3] sicut in festivitatibus Sanctorum. Et ideo neuter praedictorum modorum videtur omnino sufficiens.

Non probatur.

Distinguitur lignum crucis ab aliis crucibus.

Notandum.

Propterea[4] intelligendum est, quod duplici modo exhibetur alicui honor: aliquando in *obsequium reverentiae*, et iste est honor *venerationis;* aliquando in *testimonium virtutis* et *famulatum complacentiae*, et iste est honor *adorationis*. Uterque autem honor[5] istorum offertur ipsi cruci. Nam crucem *adoramus* et crucem *veneramur;* sed in hoc est differentia, quod honor *venerationis* exhibetur ipsi cruci tanquam instrumento nostrae salutis. Unde sicut exhibemus reverentiam Sacramentis, quia est in eis aliquo modo nostrae salutis causalitas; sic cruci Christi et clavis eius aliqua reverentia est exhibenda; et respectu istius honoris habet crux in se aliquid, propter quod debet honorari. — Honor autem *adorationis* offertur ipsi cruci Christi ratione Crucifixi — nemo enim intendit ei placere, vel aliquid impetrare ab ea, sed ei qui in ea affixus fuit, et sic non debetur ei nisi adoratio *latriae*. — Sic igitur[6] cruci Christi duplex honor debetur, et unus quidem est *latria*, alius vero non debet dici nec *latria* nec *dulia*, quia non est species adorationis, sed vocari potest honor *venerationis*. — Concedendum est igitur, quod crux Christi est adoranda latria.

Honor exhibetur dupliciter.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

Conclusio generalis.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod crux Christi est pura creatura; dicendum, quod crux non adoratur ut *res*, sed ut *signum rememorativum*, ducens in Crucifixum, sicut et imago perducens ad imaginatum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Mater Christi plus appropinquat etc.; dicendum, quod Matri Christi debetur adoratio propria, cum ipsa sit rationis capax: unde Virginem alloquimur, cum adoramus et eius benevolentiam captamus[7] et desideramus; non sic est de cruce. Cum enim adoramus, placere intendimus Crucifixo, non eius signo.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod caelum est sedes[8], et terra scabellum; dicendum, quod non est simile, quia *caelum* et *terra* ducunt in Deum secundum generalem modum, quo creatura ducit in Creatorem; non sic autem est de cruce, immo est quoddam specialissimum memoriale Crucifixi.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod crux nihil meruit et nihil sentit; dicendum, quod sicut duplex est *laus*, sic duplex est *honor*. Aliquid enim *laudatur* propter *excellentiam suae naturae*, sicut res pulcra et bona per propriam naturam[9]. Aliquid laudatur propter *virtutis strenuitatem;* et haec quidem laus respicit merita, prima vero non. — Sic et duplex est *honor*. Quidam exhibetur in testimonium *virtutis;* et iste non est exhibendus cruci nisi ratione Crucifixi, cuius quidem virtus et intelligentia et excellentia est super omnia. Alius est honor, qui exhibetur in signum alicuius *nobilitatis* et excellentiae; et hoc modo *honor* non exigit merita nec requirit virtutem in honorato, vel cognitionem, sed aliquam rationem dignitatis, ob quam debeat sibi reverentia exhiberi; et hoc modo quadam nobilitate[10] Deus lignum crucis nobilitavit, dum in ea pependit et genus humanum liberavit. Et ideo crucem laudamus et veneramur ex ista nobilitate; et multiplices eius laudes decantat Ecclesia; et per praesentiam illius sacratissimi ligni multa impensa sunt fidelibus beneficia et miracula. — Et sic patent obiecta.

Duplex laus et honor.

Quaestio incidens solvitur.

---

[1] Libr. IV. de Fide orthod. c. 16: Nec evangelici codicis nec crucis materiam adoramus, verum id quod per haec exprimitur (ἐκτυπώματι). Quid enim alioqui discriminis est inter illam crucem, quae Dominum non exprimit et illam, quae eum repraesentat? (ed. Migne).

[2] Libr. IV. de Fide orthod. c. 11. — Paulo inferius in secundo illo cit. loco edd. pro *non materiam adoramus* falso substituerunt *ideo materiam adoramus*. Deinde ibid. post *sed typum* textus origin. plura exhibet, quae Bonav. omittit.

[3] Diebus 3 Maii et 14 Sept.

[4] Multi codd. *Praeterea*, cod. A *Propter hoc*.

[5] Codd. L N O bb *honorum*. Proxime ante pro *autem* cod. Z *enim*.

[6] Ita Codd. P Q Z; in aliis non congrue *enim*.

[7] Codd. M O *cupimus*.

[8] Edd. et nonnulli codd. supplent *Dei*.

[9] Edd. hic repetunt *laudatur*.

[10] Edd. cum nonnullis codd. minus bene *nobilitatione*.

SCHOLION.

I. Opinio 1. hic relata defenditur ab Henrico Gand. (Quodl. 10. q. 6.) et nonnullis aliis posterioribus theologis, et generatim docetur, quod imagines non debeamus venerari eodem cultu, licet relativo, sicut prototypa. Sed hanc opinionem plurimi cum S. Bonav. et Thoma non approbant. Communiter etiam distinguitur in genere crux, quatenus consideratur ut *signum*, sive imago Crucifixi, et ut *res quaedam*. Primo modo eadem latria adoratur quaelibet crux cum ipso Crucifixo, ad quem adoratio refertur. Secundo modo iterum communiter distinguitur ipsa crux, quam morte sua Christus consecravit, a vulgaribus crucibus. Quoad *veram* Christi crucem in se consideratam est opinionum differentia triplex, quarum prima est opinio hic secundo loco relata et iure reprobata; secunda est ei opposita, quae perfectam latriam verae cruci vindicare vult; tertia est media, quam hic sustinet S. Bonaventura, et cui consentit S. Thom. in Commentario (hic a. 2. quaestiunc. 4.), nisi quod ibi hunc cultum nominet *hyperduliam*. Sed idem in Sum. (III. q. 25. a. 4.) aliis verbis utitur: « Unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriae ». Hinc discipuli S. Thomae in interpretatione verae eius sententiae non consentiunt, dum alii[1], ut Gotti et Suarez, eum favere volunt tertiae opinioni, alii vero secundae.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 30. m. 3. a. 3. — Scot., Report. I. Sent. d. 16. q. unica, *ad probationem*. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. — Ægid. R., hic q. 2. a. 3.

QUAESTIO V.

Utrum latria exhibenda sit membris Christi.

Quinto quaeritur, utrum *latria* exhibenda sit membris Christi. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Primo auctoritate et exemplo ipsius Abrahae, qui, in Genesis decimo octavo[1], tres viros vidit et unum adoravit, et Augustinus exponit, quod viri illi Angeli fuerunt; sed tamen in illis adoravit Deum et obtulit eis adorationem latriae: ergo si Deus habitat in membris Christi, videtur, quod eis cultus *latriae* debeat exhiberi.

2. Item, in Apocalypsi[2] dicitur, quod Ioannes cecidit in faciem suam, ut adoraret Angelum, et ibi dicitur, quod Angelus non permisit; aut ergo Ioannes adorare voluit adoratione *latriae*, aut *duliae*. Si *latriae*: ergo cum Ioannes recte fecerit nec reprehendatur tanquam idololatra, adoratio *latriae* potest exhiberi rationali creaturae: ergo si paris dignitatis sunt Angeli et membra Christi, videtur, quod membris Christi exhibendus sit cultus *latriae*. *Si dicas*, quod Ioannes voluit adorare adoratione *duliae*; *contra*: dulia debetur Angelis bonis: ergo male faciebat Angelus, quod[3] prohibebat ab adoratione, quam debebat; quodsi Angeli nunquam male faciunt, restat, quod praecedens membrum est verum.

3. Item, Deus adorandus est adoratione *latriae* in templo sancto suo, secundum quod dicit Psalmus[4]: *Introibo in domum tuam et adorabo* etc.; sed quodlibet membrum Christi est templum Spiritus sancti, secundum quod dicitur primae ad Corinthios tertio: ergo quodlibet Christi membrum adorandum est adoratione *latriae*.

4. Item, corpus Christi verum refertur ad corpus Christi mysticum tanquam signum ad signatum: ergo si signatum sit nobilius signo, corpus Christi mysticum est magis vel aeque nobile quam corpus Christi verum; sed verum corpus Christi adoratur *latria*[5]: ergo et corpus Christi mysticum.

5. Item, eadem adoratione adoratur caput regis, et alia membra; sed Christus est caput Ecclesiae[6] et adoratur adoratione, quae est *latria*: ergo et alia eius membra.

6. Item, quodlibet membrum Christi est imago Christi, nec imago tantum, sed etiam imago assimilata per gratiam; sed « honor imaginis, sicut vult Damascenus[7], refertur ad prototypum »: ergo si prototypum adoratur adoratione *latriae*, videtur quod et membra Christi, in quibus est reperire imaginem naturae et similitudinem gratiae.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Non sumus membra Christi nisi quantum ad humanitatem: ergo si *latria* est cultus Deo debitus[8], videtur, quod latria membris Christi non communicetur.

2. Item, membra Christi ad invicem habent societatem[9]; sed adoratio *latriae* ponit habitudinem et gradum dominii et servitutis inter adorantem et adoratum: ergo non videtur, quod unum membrum debeat alteri cultum latriae.

3. Item, non est eadem adoratione et honore venerandus dominus et servus; sed membra Christi sunt subiecta servituti Christi et Dei[10]: ergo adoratione latriae non debent adorari.

---

[1] Vers. 2. — Augustini de hoc loco expositio habetur in eius Serm. 7. (alias 6.) n. 6. et XVI. de Civ. Dei, c. 29. Cfr. ibid. X. c. 8.

[2] Cap. 19, 10. Et cecidi ante pedes eius, ut adorarem eum. Et dicit mihi: Vide, ne feceris etc.

[3] Pro *quod* cod. Z *quando*. Edd. post *quod* subiiciunt *eum*.

[4] Psalm. 5, 8. — Seq. Scripturae testimon. est loc. cit. v. 17. Cfr. ibid. 6, 19, nec non II. Cor. 6. 16.

[5] Vide supra q. 1.

[6] Cfr. infra d. 13. a. 2. — De *maiori* vide supra q. 1. in corp.

[7] Libr. IV. de Fide orthod. c. 16. Cfr. supra pag. 202, nota 2. — Subinde post *prototypum* edd. addunt *id est ad principale significatum*.

[8] Vide infra a. 2. q. 1. seqq., ubi et illustrationem eius invenies, quod in *minori* arg. seq. proponitur.

[9] Cfr. I. Ioan. 1, 3. et 7.

[10] Vide I. Cor. 15, 27; Eph. 1, 22; Hebr. 2, 8.

4. Item, maior est auctoritas et potestas in malo praelato quam in bono subdito, ergo maior debetur ei reverentia [1]; sed constat, quod malo praelato non debetur *latriae* adoratio: ergo multo minus subdito, qui est membrum Christi.

CONCLUSIO.

Membris Christi cultus latriae nullatenus est exhibendus.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio cul-
Conclusio. tus latriae membris Christi non est exhibendus; pro eo quod membra Christi sumus secundum humanam naturam; et sic sumus membra, ut tamen ratio membri non tollat rationem servitutis nec ponat aequalitatem dignitatis. Et quoniam *latria* debetur Creatori ratione suae maiestatis et excellentiae; hinc est, quod membris Christi non competit cultus latriae. Multa enim distantia distat caput a corpore ratione divinitatis unitae. — Unde concedendae sunt rationes ad hanc partem inductae.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod Abraham
Solutio opp. adoravit tres Angelos; dicendum, quod isti Angeli et creaturae rationales erant, et tamen ad repraesentationem Trinitatis ipsi Abrahae apparuerunt; et utrumque horum ipsi Abrahae notum erat. Et in
Notandum quantum *creaturae rationales* erant, exhibuit eis Abraham non adorationem *latriae*, sed reverentiam *duliae* [2] et ministerium honorificentiae. In quantum autem *signum Trinitatis* erant, exhibuit Abraham cultum *latriae*, non in quantum signo, sed ipsi *signato*; ad hoc enim specialiter apparebant. Non sic autem est de membris Christi, quoniam, etsi in eis possit cognosci Trinitas, non tamen sic repraesentant ex speciali institutione vel missione divina; et ideo non est eis exhibenda *latria*, nec quantum ad illud quod sunt, nec quantum ad illud quod per eos intelligitur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Ioannes voluit adorare Angelum; dicendum, quod noluit adorare eum adoratione *latriae*, sed *duliae*. Et quod obiicit, quod non debuit eum [3] prohibere; dicendum,
Triplex ratio. quod immo, triplici ratione. *Prima* quidem est propter dignitatem ipsius Ioannis, qui excellentior erat multis Angelis. *Secunda* vero propter vitationem erroris, ne aliquis ex hoc crederet, quod Angeli adoratione *latriae* deberent adorari. *Tertia* vero ratio est propter manifestationem exaltationis dignitatis generis humani. Genus enim humanum exaltatum fuit per Christum supra naturam angelicam. Unde Notandum. quamvis Angeli in veteri Testamento paterentur, se *dulia* adorari ab hominibus; in novo tamen post glorificationem humanae naturae in Christo non patiuntur, sibi illam naturam subiici, quam vident consedere ad dexteram Patris; et haec est ratio specialis beati Gregorii [4].

3. Ad illud vero quod obiicitur, quod Deus est adorandus in templo [5]; dicendum, quod secus est de templo ab homine fabricato et de templo a Spiritu sancto sanctificato; quia templum illud solum est inductivum in aliud et institutum propter aliquid aliud, ita quod in se non habet aliquam rationem, quare debeat adorari, sed ratione solum eius quod in eo colitur; non sic autem est de templo animae fidelis. Habet enim aliquid in se, ratione cuius potest esse capax et particeps honoris.

4. Ad illud quod obiicitur de corpore mystico [6], quod nobilius est etc.; dicendum, quod si loquamur de corpore Christi vero, prout Deitati unitum est, dicendum, quod sermo ille non habet veritatem, immo multo nobilius est corpore mystico. Nam corpus mysticum non est Divinitati unitum in unitatem personae, sicut corpus Christi verum; et ideo non tanta est ei exhibenda honoris excellentia. Et *si* Notandum. *obiicias*, quod signatum est nobilius signo; dicendum, quod illud verum est, quando signatum est causa signi [7]. Non sic autem est in proposito. *Praeterea*, corpus Christi non dicitur esse signum, nisi in quantum latet sub Sacramento et ratione ipsarum specierum continentium et sensibus apparentium [8].

5. Ad illud quod obiicitur, quod eadem adoratione adoratur caput regis, et alia membra; dicendum, quod non est simile, quia caput regis cum membris aliis simpliciter est eiusdem naturae; Christus autem, qui est caput nostrum, praeter naturam humanam, in qua communicat nobiscum, naturam habet divinam, in qua superexcellit omnem creaturam: et ideo ratione illius talis honor ei competit, qualem nulli creaturae est decens exhiberi [9].

6. Ad illud quod obiicitur, quod in membro Christi est assimilatio per gratiam; dicendum, quod verum est; ex hoc tamen non sequitur, quod debeat adorari adoratione *latriae*, sicut in imagine

---

[1] Cfr. Rom. 13, 1. seqq.; Coloss. 3, 18. seqq.; I. Petr. 2, 13. seqq.

[2] Edd. 1, 2 hic cum codd. K (1 a secunda manu) et infra in solut. ad 2. cum aliis codd. pro *duliae* substituerunt *hyperduliae*. Cfr. supra pag. 206, nota 3. Subinde pro *ministerium* edd. cum nonnullis codd. *mysterium*. Paulo inferius pro *exhibuit Abraham* cod. K *exhibuit eis*, et post pauca pro *non in quantum* Vat. bene *non inquam*. Demum pro *etsi in eis* edd. *etsi ab eis*, codd. A G L N O V X aa *etsi eis*.

[3] Vat. post *eum* supplet *Angelus*.

[4] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 8. n. 2. — Paulo superius pro *dulia*, ut iam observavimus, edd. 1, 2 cum pluribus codd., inter quos A N R S T cc, *hyperdulia*. Deinde pro *adorari* cod. K *venerari*, et pro *post glorificationem* idem cod. K *propter glorificationem*.

[5] Codd. Z bb adiiciunt *sancto*.

[6] Cod. Z *de corpore Christi mystico*.

[7] Nam, ut Avicenna, Metaph. tr. 6. c. 3, ait, causa dignior est causato. — Paulo superius pro *honoris excellentia* edd. *honoris reverentia et excellentia*.

[8] Cfr. IV. Sent. d. 8. p. II. a. 2. q. 1.

[9] Cod. K *decet exhiberi*.

sculpta; et hoc, quia imago illa non se offert tantum ut ductivam in aliud, sed ut rem rationalem et excellentem et dignam honore; et ideo honor sibi exhibitus non totaliter refertur ad prototypum, id est ad principale figuratum, sicut in imagine sculpta. Unde propter duplex periculum iunctum, et a parte *adorantis* et a parte *adorati*, non debet Deus in imagine, quae est homo, *latria* adorari, videlicet ne *adoratus* superbiat et extollatur per inanem gloriam, quasi honor ille sibi impendatur et fiat; et ne *adorans* cadat in idololatriam aspiciendo tantum ad formam humanam [1].

SCHOLION.

I. Haec quaestio per se est ita manifesta, ut non egeat disputatione, nisi ut solvantur quaedam difficultates ex s. Scriptura depromtae. Attamen utilis est ad confundendam impudentiam eorum qui manifesto mendacio Ecclesiae crimen imponunt, quasi Sanctos honorando idololatriam committat. — De hac quaestione unanimiter agunt: Alex. Hal., S. p. III. q. 30. m. 3. a. 1. § 2. (quoad Angelos) et a. 2. § 1. 4. — S. Thom., hic a. 2. quaestiunc. 5. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 5. — Ægid. R., hic q. 2. a. 5.

II. Sequens (6.) quaestio solvit casum ad moralem disciplinam spectantem, qui non est pure fictus. Saepius enim, et etiam in ipsis Sanctorum vitis, narrantur falsae apparitiones sub figura Christi crucifixi. Communiter hic casus distinguitur ab altero, quando populus, errore facti deceptus, adorat hostiam non consecratam; tunc enim ad eum excusandum sufficit conditio *habitualiter* apposita; in primo autem casu antiqui Scholastici cum S. Thoma et Bonav. requirunt, quod ipsa *actualiter* fiat. — De hac re agunt: Alex. Hal., loc. cit. a. 1. § 3. — S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 6. — B. Albert., hic a. 11. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 6. — Ægid. R., loc. cit. a. 6.

QUAESTIO VI.

Utrum cultus latriae possit exhiberi adversario Christi absque peccato.

Sexto et ultimo quaeritur, utrum cultus *latriae* possit exhiberi Christi adversario absque peccato. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Esto quod *angelus satanae transfiguraret se in Angelum lucis*, ut dicitur secundae ad Corinthios undecimo [2]; quantumcumque quis adhibeat diligentiam, potest videri, quod sit Christus; sed ignorantia facti, adhibita diligentia, excusat: ergo videtur, quod talis excusetur a peccato, si eum adoret.

2. Item, qui emit cuprum, intendens emere aurum, *non damnificatur*: ergo qui adorat angelum tenebrarum, credens adorare Christum, non incurrit peccatum; *maior* propositio manifestatur secundum regulam iuris civilis [3].

3. Item, mulier, quae consentit in Petrum, putans consentire in Paulum, habetur pro non consentiente — error enim personae impedit matrimonium, secundum quod iura dicunt, et in quarto libro [4] habetur — ergo pari ratione, qui adorat luciferum, putans Christum adorasse, habetur quasi non adorasset.

4. Item, opus sequitur intentionem et credulitatem [5]: ergo si aliquis credens, luciferum esse Christum, adorat luciferum, cum intentio eius ad Christum feratur; si adorando Christum meretur, nullum videtur ei esse peccatum.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Idololatra, cum adorat idolum, credit, idolum esse Deum; et tamen ex hoc non dicitur Deum adorare, sed magis idolum, unde committit idololatriae peccatum: ergo pari ratione, cum quis adorat luciferum, credens, illum esse Christum, propter credulitatem non evadit scelus idololatriae.

2. Item, diabolus ideo *transfigurat se in Angelum lucis* [6], ut adoretur ab homine; sed hoc non faceret, nisi videret, hominem in illa adoratione peccare: ergo non videtur, quod sit possibile, absque peccato cultum *latriae* offerri diabolo.

3. Item, *latria* est de his quae sunt necessaria ad salutem; sed error vel ignorantia in his quae sunt necessaria ad salutem, non excusant a toto [7]: ergo videtur, quod ille qui adorat diabolum cultu *latriae*, non excusetur a peccato.

4. Item, in quadam Decretali [8] dicitur, quod plus peccat malus sacerdos, qui non conficit et si-

---

[1] Cfr. supra q. 2. ad 4. et q. 3. — Paulo superius pro *quasi honor... et ne* non pauci codd. perperam *et quasi honor... ne.*

[2] Vers. 14. De ignorantia *facti* cfr. II. Sent. d. 22. a. 2. q. 3. — Pro *quantumcumque* edd. *quantamcumque.*

[3] Vide Iustinian., III. Instit. iuris civil. c. 23. seq. et IV. Cod. iuris civil. tit. 38, ubi iurisconsulti, agentes de *emptione*, tres ponunt conditiones ad emptionem requisitas, scilicet quod adsit res, pretium et consensus; et inferunt, quod error in substantiali rei qualitate, v. gr. si venditor de cupro et emptor de auro se agere putet, emptionem vitiet et nullam reddat. Generalis de hac re regula: « Error in materia in contractibus bonae fidei [ad quos pertinet emptio] vitiat contractum », occurrit in L. Si sterilis, § quamvis, ff. de actio. empt. nec non in L. Cum ab eo, § fi. ff. de cont. empt. et in L. Si id quod aurum, ff. de verbo oblig. — Pro *secundum regulam* cod. W *per regulam.*

[4] Dist. 30. q. 1. — Mox post *putans* cod. U inserit *se.* In fine arg. pro *adorasset* plurimi codd. et edd. 1, 2 *adorasse.*

[5] Sive, ut Ambros., I. de Officiis, c. 30. n. 147. dicit: Affectus tuus operi tuo nomen imponit.

[6] Epist. II. Cor. 11, 14. — In edd. hoc argum. terminatur sic: *absque peccato idololatriae diabolum adorare.*

[7] Cfr. II. Sent. d. 22. a. 2. q. 2. seq. — De *maiori* cfr. infra a. 2. q. 1.

[8] Libr. III. Decret. Gregor. IX. tit. 41. de celebrat. Missarum, c. 7: Gravius tamen videtur offendere qui sic fraudulenter illud praesumserit simulare; cum ille in solius misericordis Dei manum incidat, ille vero non solum Deo, cui non veretur illudere, sed populo, quem decipit, se astringat.

mulat, se conficere, quam ille qui conficit, pro eo quod facit populum idololatrare: ergo ille qui adorat hostiam non consecratam, est idololatra nec excusatur propter ignorantiam: ergo pari ratione nec ille excusatur, qui adorat luciferum, credens esse Christum.

Quaest. incidens.

Iuxta hoc quaeritur, quomodo illud ultimum habeat veritatem, quod sacerdos possit facere populum idololatrare. Tunc enim esset in potestate sacerdotis facere populum peccare, vellet nollet; quod absurdum est dicere.

CONCLUSIO.

Qui simpliciter adorat Christi adversarium non excusatur a peccato propter ignorantiam, nec sufficit conditio habitualiter *tantum apposita, quae tamen sufficit respectu adorationis in Sacramento altaris.*

Latria exhibetur dupliciter.

Respondeo: Dicendum, quod honor *latriae* potest exhiberi adversario Christi dupliciter: aut *simpliciter*, aut *sub conditione*. Si *simpliciter*, dico,

Conclusio 1.

quod non potest esse sine peccato; offertur enim cultus latriae alteri [1] quam Deo; et ideo est ibi peccatum idololatriae. Nec excusatur ratione ignorantiae.

Triplex adiutorium.

Habet enim triplex adiutorium, per quod potest errorem devitare. Primum est remedium *praemonitionis sacrae Scripturae* [2], quae multoties dicit, quod multi in nomine Christi venturi sunt mendaciter. Secundum est remedium *orationis internae*, qua ad Deum debet homo recurrere, ut cor eius illuminet. Tertium est *suspensio credulitatis suae*. Non enim debet homo *omni spiritui credere, sed probare, si ex Deo sunt* [3]. *Qui enim cito credit* in talibus, *levis est corde*, et fortassis etiam *inflatus corde*, dum ad tales visiones et revelationes idoneum se esse aestimat. — Unde tales apparitiones potius sunt formidandae quam desiderandae. Narratur [4] enim de quodam sancto Patre, quod cum ei diabolus in specie Christi appareret, ille clausis oculis dixit, se in hac vita Christum nolle videre; ac diabolus, eius humilitate confusus, statim evanuit. Econtra de pluribus narratur, qui se ad visiones idoneos reputaverunt et desideraverunt, qui in multas insanias et errores praecipitati sunt.

Corollarium.

Et ideo, si *simpliciter* adorat quis Christi adversarium, non excusatur a peccato, etiamsi credat, ipsum esse Christum. Si autem adoret *sub conditione*, hoc potest esse dupliciter: aut quia est illa conditio *habitualiter*, aut *actualiter* considerata sive apposita. Si *actualiter;* sic non adorat ipsum luciferum, sed magis Christum, quia non stat adoratio, nisi stante conditione; et ad eum refertur adoratio, ad quem refertur adorationis implicatio. Si autem illa conditio sit sub consideratione [5] *habituali*, hoc modo non sufficit ad vitandum peccatum idololatriae respectu huius *apparitionis* sive transfigurationis, sufficit tamen respectu *Sacramenti altaris*. Nam talis *transfiguratio* est insolita, et ideo non debet ad eam praecipitanter sequi adoratio, sed cum maturitate et praevia oratione. — Sed *consecratio hostiae* est consueta, ideo sufficit, quod adorans in habitu hanc habeat conditionem, videlicet si consecratio debito modo facta est; unde pauci vel nulli fideles in hac adoratione peccant. Omnes enim accedunt cum conditione ista. — Quod autem obiicitur, quod sacerdos facit eos idololatrare, hoc intelligitur, quantum *in se* est, quia per ipsum non remanet [6]; scienter enim exhibet adorandum quod scit adorandum non esse. — Patet igitur, quod cultus latriae non potest exhiberi Christi adversario absque peccato idololatriae. Et concedendae sunt rationes ad hoc inductae.

Conditio apponitur dupliciter.

Conclusio 2

Conclusio 3.

Conclusio 4.

Ad quaest. incidentem.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod ignorantia facti excusat, adhibita diligentia; dicendum, quod cum lucifer adoratur, nunquam debita diligentia adhibetur. Nam, sicut dictum est, triplex remedium potest contra hoc inveniri.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod emens cuprum, intendens emere aurum, non damnificatur; dicendum, quod intentio emendi aurum aut potest esse solum *in mente*, aut *in sermone*. Si solum *in mente*, ut nulla praecedat mentio in sermone, non habet ius repetendi. Si autem *in sermone* fiat mentio de auro, fit circumventio ab alio; et quia contractus quantum ad verba et intentionem versatur circa aliam materiam, ideo *non damnificatur*, secundum iura. Ex hoc autem non sequitur, quod peccatum idololatriae non perpetretur adorando diabolum *simpliciter*, sed quod non perpetretur cum conditionis adiectione tacita, vel expressa.

Notanda distinctio.

3. Ad sequens, quod obiicitur de matrimonii consensu in errore personae, potest responderi similiter. — Potest etiam dici, quod non est simile, quia sic non potest evitari error ille, sicut iste; habet enim homo ad vitandum hunc errorem adiutorium iuxta se.

Aliter.

---

[1] Cod. F *nulli alteri.*

[2] Matth. 24, 5; Marc. 13, 6; Luc. 21, 8. — Paulo inferius pro *illuminet* edd. *illuminetur.*

[3] Cfr. I. Ioan. 4, 1. — Testimonium, quod sequitur, habetur Eccli. 19, 4. — Post *probare* cod. U cum Vulgata supplet *spiritus*. Paulo inferius voci *apparitiones* edd. praemittunt *visiones vel;* cod. A pro *apparitiones* substituit *visiones.*

[4] Libr. V. de Vitis Patrum, libell. 15. n. 70. (ed. Migne, Patrol. Lat. tom. 73.). — Aliquanto inferius pro *reputaverunt* codd. G H I L N T V X aa *reputaverant*, et subinde pro *qui in multas* codd. I bb *quod in multas*, cod. H *qui etiam in multas*, edd. *quod ad multas.*

[5] Codd. A G H I L U V X aa erronee *conditione*. Paulo inferius pro *debet ad eam* non pauci codd. et edd. 1, 2 vitiose *debet ad eum.*

[6] Sive non impeditur (scil. idololatria); cfr. Du Cange, Glossar. etc., sub verbo *remanere.* — Cod. A omittit *quia per.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod opus sequitur credulitatem et intentionem; dicendum, quod illud verum est in his quae non sunt mala secundum se; in aliis autem, sicut ostensum est in secundo Notandum. libro [1], non habet veritatem. *Praeterea*, ipsa credulitas, qua credit, hunc esse Christum, temeraria est, et ideo ad opus temerarium deducit, ut hunc quem videat, adoret. Quia enim in credulitate et in intentione non solum cadit Christus, sed etiam hic quem videt; ideo honoris exhibitio aliquo modo determinatur ad hunc. Ideo nec recta fuit intentio vel credulitas, nec recta est adoratio [2].

ARTICULUS II.

De ipsa latria secundum illud quod est.

Consequenter quaeritur de secundo principali, videlicet de ipsa latria secundum illud quod est. Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, utrum latria sit in genere virtutis.

Secundo, utrum sit virtus generalis, vel specialis.

Tertio quaeritur, utrum latria sit virtus cardinalis, vel theologica.

Quarto quaeritur, utrum sit virtus diversa a dulia.

QUAESTIO I.

Utrum latria sit in genere virtutis.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum latria sit in genere virtutis. Et quod sic, videtur. Ad oppositum.

1. Reddere homini quod suum est, est actus Fundamenta. virtutis [3]: ergo si maioris vel aequalis dignitatis est Deo reddere quod suum est, erit igitur actus virtutis. Sed per latriam reddimus Deo quod suum est, scilicet reverentiam et honorem: ergo latria virtus est.

2. Item, circa opera laudabilia et difficilia maxime consistit virtus [4]; sed colere Deum est actus huiusmodi, et hoc est ipsius latriae: ergo latria est virtus.

3. Item, virtus maxime necessaria est circa opera meritoria vitae aeternae [5]; sed Deum colere et adorare est meritorium vitae aeternae, et hoc est ipsius latriae: ergo etc.

4. Item, circa opera praecepti maxime habet esse virtus; sed Deum colere et adorare est in praecepto [6]: ergo circa hoc maxime habet esse virtus; et hoc est ipsius latriae: ergo etc.

Sed contra: 1. Augustinus, decimo de Civitate Dei [7]: « *Latria* semper, aut frequenter dicitur servitus, quae pertinet ad colendum Deum »; sed omnis virtus, ut virtus est, consistit in libera voluntate: ergo nulla virtus est servitus. Sed latria est servitus: ergo latria non est virtus.

2 Item, latria communiter definitur: « Latria est *cultus* soli Deo debitus et exhibitus », et accipitur ex verbis Augustini, ibidem [8]; sed *cultus* non est habitus, sed usus: si ergo latria est *cultus*, non est virtus sive habitus, sed motus.

3. Item, latria est idem quod pietas, ut dicit Augustinus in decimo de Civitate Dei [9]: « Pietas proprie cultus Dei dici solet, quam Graeci *theosebiam* vocant »; sed pietas continetur inter habitus donorum: ergo videtur, quod latria potius sit donum quam virtutis habitus.

4. Item, latriae est Deum revereri; sed donum timoris facit nos revereri Deum — est enim timor reverentiae [10] — ergo videtur, quod aut latria superfluit, aut est idem quod timor: ergo latria non est virtus.

---

[1] Dist. 40. a. 1. q. 1. — Mox post *credit* edd. supplent *homo*. Pro *Praeterea, ipsa credulitas, qua* cod. A *Ipsa prima credulitas, quae*. Deinde pro *quem videat* Vat. *quem videt*.

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Scil. iustitiae. Cfr. infra q. 3. et d. 33. q. 4.

[4] Ut insinuat Aristot., II. Ethic. c. 3. Cfr. tom. II. pag. 572, nota 2.

[5] Nam, ut in August., XXII. de Civ. Dei, c. 24. n. 3. habetur, virtutes sunt artes bene vivendi et ad immortalem felicitatem perveniendi. Cfr. Aristot., I. Ethic. c. 12 seq.

[6] Exod. 34, 14; Deuter. 5, 9. — *Maior*, in qua pro *habet esse* cod. bb substituit *se habet*, convenit cum illo Aristot., II. Ethic. c. 1: Legum latores enim cives assuefaciendo bonos reddunt; haecque est uniuscuiusque legum latoris voluntas. — Pro *adorare* cod. K *honorare*.

[7] Cap. 1. n. 2: Λατρεία vero... aut semper, aut tam frequenter, ut pene semper, ea dicitur servitus etc. — De *minori* cfr. infra d. 23. a. 1. q. 2. in corp.

[8] Libr. X. de Civ. Dei, c. 1. n. 2. seq.; cfr. V. c. 15; VI. c. 1; VII. c. 32; XIX. c. 17. — Quod virtus sit habitus, docet Aristot., II. Ethic. c. 5. — De conclusione cfr. Avicenna, Metaph. tr. 10. c. 3, ubi agitur de cultu Dei et ubi inter alia haec proferuntur: Hae autem actiones sunt quasi divina obsequia, quae iniunguntur hominibus; omnino enim oportet hic esse aliqua, quibus excitentur homines; excitantia autem sunt vel motus vel privationes motuum ducentes ad motus. Motus vero sunt ut orationes, privationes vero motuum sunt ut ieiunium etc.

[9] Cap. 1. n. 3. In testimonio allato textus origin. pro *theosebiam* exhibet εὐσέβειαν. Advertit tamen August. ibid., quod ad significandum cultum Dei etiam Graeci, « ut distinctio certior appareret, non εὐσέβειαν, quod ex bono cultu, sed θεοσέβειαν, quod ex Dei cultu compositum resonat, dicere maluerunt. — Quoad *minorem* vide Isai. 11, 2, ubi dona Spiritus sancti recensentur.

[10] Cfr. infra d. 34. p. II. per totam.

CONCLUSIO.

Latria, intellecta pro habitu, est habitus virtutis.

Respondeo: Dicendum, quod *latria*, ut vult Augustinus [1], nominat illud quo colitur Deus; quo autem colitur Deus, hoc potest intelligi dupliciter: aut sicut *actu*, aut sicut *habitu*. Ideo nomen latriae aequivoce dicitur et aliquando stat pro *habitu*, aliquando pro *actu*. Secundum autem quod stat pro *habitu* ipsius animae, habilitante ipsam ad cultum Dei, sic est habitus *virtutis*, in quantum est circa bonum et difficile et meritorium et ad salutem necessarium; et circa huiusmodi opera praecipue consistit virtutis habitus. — Et ideo sunt concedendae rationes, quae hoc ostendunt.

Cultus Dei intelligitur dupliciter.

Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod latria est servitus; dicendum, quod est servitus, qua servitur *homini*, et est servitus, qua servitur *Deo;* et iterum, est servitus *necessitatis*, et est servitus, quae est ex *mera voluntate*. Dicendum ergo, quod servitus illa, quae fit *homini ex necessitate*, aliquo modo derogat hominis libertati; et ideo non habet in se excellentiam virtutis. Servitus, quae ex *mera voluntate* fit *Deo*, ponit hominem in statu altiori, et tanto magis facit hominem liberum, quanto magis elongat hominem a peccato [2]. Et talis est servitus latriae. Et ideo nihil impedit talis servitus, latriam habere rationem virtutis completae.

Solutio oppositorum.

Quadruplex servitus.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod latria est cultus soli Deo debitus; dicendum, quod habitus saepe definiuntur per actus et notificantur [3]; sed hoc non est praedicatione *essentiali*, sed *causali;* et ideo non sequitur, quod latria, si sit *cultus*, quod non sit *habitus*. — Posset tamen dici, ut prius, quod latria aliquando accipitur pro *actu*, aliquando pro *habitu*, sicut hoc frequenter reperitur in habitibus et actibus animae, quae habent unum nomen commune. Unde Philosophus [4] aliquando accipit nomen *intellectus* pro *habitu*, aliquando pro *potentia;* similiter Anselmus, *voluntatem;* eodem modo Augustinus et alii doctores utuntur nomine *latriae*.

Notandum.

Alia solutio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod latria idem est quod pietas; dicendum, quod, sicut dicit Augustinus decimo de Civitate Dei [5], *pietas* dicitur tripliciter. Uno modo pietas idem est quod *theosebia*, et sic idem est quod cultus Dei; alio modo dicitur pietas *officium parentibus exhibitum;* tertio modo dicitur pietas *misericordia*, quae proximis in operibus exhibetur. De his autem dicitur secundum prius et posterius et secundum quandam rationem analogiae, secundum quod dicitur ibidem, quia in omnibus est cultus Dei; principaliter tamen dicitur de *cultu divino*, id est de illa virtute, qua colitur Deus. Et sic patet, quod *pietas* secundum diversas acceptiones potest *esse idem* quod latria et *differre* a latria. — Cum autem dicitur, quod pietas est *donum*, aequivocatur pietatis nomen. Ibi enim non accipitur pietas pro virtute illa, qua colitur Deus [6].

Pietas dicitur tripliciter.

4. Ad illud quod obiicitur, quod revereri Deum est ipsius timoris; dicendum, quod *reverentia* reperitur tam in *honore* quam in *timore*, quia in *timore* est resilitio in propriam parvitatem; in *honore* vero est testificatio vel exhibitio alicuius testificantis et profitentis ipsam maiestatem. *Reverentia* autem, quae est *latriae*, potius est *honoris* quam *timoris*. — Et sic patet, quomodo differt a timore, et quare etiam latria non est donum, sicut timor. Magis enim habet rationem *virtutis*, cum latria consistat in exhibitione, *timor* in resilitione; et sic latria plus consistit in *actione*, timor in *passione*. Et haec est una differentia donorum ad virtutes, ut inferius [7] patefiet.

Notandum.

SCHOLION.

I. Nomen *latria* tripliciter intelligitur: primo pro cultu Deo praestito per *exteriorem* actum sive *servitutem* (ita in 1. arg. ad oppos.), et tunc non est *virtus*, sed *materia* virtutis; secundo pro *actu interiore*, tertio pro *habitu*, ut exponitur cum sententia communi in corp.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 30. m. 1. a. 1. § 3. — Scot. tangit plura de hac et seqq. qq. in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1; S. II. II. q. 81. a. 2. 3, q. 84. a. 2. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Ægid. R., hic q. 1. a. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth. et Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

---

[1] Vide hic argg. — De distinctione habitus et actus vide Aristot., II. de Anima, text. 2. 5. et 24. (c. 1. seq.). — Mox pro *potest intelligi* cod. N *potest esse*.

[2] Cfr. Ioan. 8, 32. seqq.; Rom. 6, 15. seqq. — Paulo superius post *Servitus* codd. U bb subiiciunt *autem*, pro quo in codd. I K aa a secunda manu substitutum est *vero*.

[3] Aristot., IV. Ethic. c. 2: Habitus operationibus definitur et iis quorum habitus est. — De praedicatione essentiali et causali vide supra d. 7. a. 1. q. 1.

[4] Libr. II. de Anima, text. 21. (c. 2.) et III. text. 2. seqq., text. 18. seqq. text. 39. nec non text. 46. seqq. (c. 4. seq., c. 8. seqq.). — De Anselmo, qui mox memoratur, vide tom. II. pag. 601, nota 6.

[5] Cap. 1. n. 3: « Pietas quoque proprie Dei cultus intelligi solet... Haec tamen et erga parentes officiose haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiae frequentatur; quod ideo arbitror evenisse, quia haec fieri praecipue Deus mandat eaque sibi vel pro sacrificiis vel prae sacrificiis placere testatur ».

[6] Cfr. infra d. 35. q. 6. — Paulo superius post *aequivocatur* cod. bb subdit *ibi*, quam lectionem non pauci alii codd. perperam commutarunt in *aequivocatur impietatis;* superius etiam pro *id est*, quod multi codd. omittunt, cod. K *scilicet*, codd. A U *et*.

[7] Dist. 34. p. 1. a. 1. q. 1. — Pro *patefiet* codd. K bb *patebit*. Aliquanto superius pro *parvitatem* Vat. *vilitatem*.

QUAESTIO II.

Utrum latria sit virtus generalis, vel specialis.

Secundo quaeritur, utrum latria sit virtus generalis, vel specialis. Et quod sit *specialis*, videtur.

Fundamenta. 1. Virtus, quae habet obiectum speciale, est virtus specialis [1]; sed latria est huiusmodi: ergo est virtus specialis.

2. Item, circa actum specialem consistit virtus specialis; sed adoratio est actus specialis: ergo circa ipsum consistit virtus specialis; haec autem est latria: ergo etc.

3. Item, sicut difficile est credere in summam veritatem, sic et honorare summam maiestatem: si ergo habemus virtutem specialem, qua credimus in primam veritatem, scilicet fidem [2], sic et, qua honoramus summam maiestatem; haec autem non est nisi latria: ergo latria est virtus specialis.

4. Item, latria et idololatria sunt opposita; sed idololatria est vitium speciale: ergo *ab oppositis* latria est virtus specialis [3].

Ad oppositum. Sed contra: 1. Augustinus in Enchiridio [4]: « Si quaeritur: quo modo colitur Deus? respondeo: fide et spe et caritate »; sed virtus, qua colitur Deus, est ipsa latria: ergo latria comprehendit in se fidem et spem et caritatem: ergo latria non est virtus specialis, sed *generalis*.

2. Item, Augustinus, decimi de Civitate Dei sexto capitulo [5]: « Verum sacrificium est omne opus, quod geritur, ut sancta societate iungamur Deo »; sed sacrificium est cultus soli Deo debitus, sicut ibidem dicit Augustinus; hoc autem est ipsius latriae offerre: ergo videtur, quod omne opus bonum sit latriae: ergo latria est virtus *generalis*.

3. Item, quicumque obedit Deo, servit Deo [6]; sed servitus soli Deo debita est latria: ergo omnis actus, quo Deo obedimus, est actus latriae: igitur latria se extendit ad actum omnis virtutis et praecepti: igitur non est virtus specialis, sed *generalis*.

4. Item, quaecumque facit quis ad gloriam Dei, facit ad cultum Dei; sed omnia quaecumque bene facimus, facimus ad gloriam Dei, ut dicit Apostolus primae ad Corinthios decimo [7]: *Omnia in gloriam Dei facite:* ergo omne opus laudabile est opus latriae: igitur latria videtur esse *generalis* habitus ad omnes virtutes.

CONCLUSIO.

Latria, quatenus respicit Deum non solum sub ratione finis et obiecti, sed etiam sub ratione honorabilis, est virtus specialis.

Respondeo: Dicendum, quod latria nominat *habitum*, nominat etiam *cultum Dei*, ad quem ille habitus ordinatur [8]. *Cultus* autem *Dei* potest accipi tripliciter: *generaliter* et *proprie* et *magis proprie*. Uno modo dicitur *cultus* actus directus in Deum sub ratione *finis;* sic est *omnis* virtutis. Alio modo dicitur *cultus Dei* actus in Deum directus non solum ratione *finis*, sed etiam *obiecti;* sic est virtutum *theologicarum*. Tertio modo *cultus Dei* dicitur *magis proprie* actus directus in Deum non solum sub ratione *finis* et *obiecti*, sed etiam sub ratione *honorabilis;* et talis actus est actus adorationis; et sic est virtutis *specialis*, et hoc modo est ipsius latriae. — Sicut enim idololatria non dicitur quodcumque peccatum, sed illud quo creatura adoratur; sic latria non dicitur quicumque habitus, sed ille, secundum quem cultus adorationis [9] exhibetur. — Et ideo concedendum est, quod latria est specialis virtus, propter hoc quod ad ipsam spectat cultus Dei, secundum quod dicitur *magis proprie*, videlicet pro ipsa adoratione. Et concedendae sunt rationes ad hoc inductae.

Cultus Dei dicitur tripliciter.

Conclusio.

2. Ad [10] illud quod obiicitur in contrarium, quod sacrificium offertur Deo in quolibet bono opere; dicendum, quod sicut *cultus Dei* multipliciter dicitur, sic et *sacrificium*. Est enim sacrificium *bonae operationis*, et sacrificium *devotae orationis*, et sacrificium *immolationis*. Primum est virtutum *omnium;* secundum virtutum *theologicarum;* tertium spectat ad ipsam *latriam*. Ipsius enim latriae est sacrifi-

Solutio oppositorum.

Triplex sacrificium.

---

[1] De principiis, secundum quae virtutum differentia attenditur, ut sunt obiectum, actus etc. cfr. infra d. 33. q. 2. — Post *obiectum speciale* cod. O addit *scilicet Deum, quia ei soli debetur*.

[2] De qua vide infra d. 23. a. 1. q. 1. — Paulo ante pro *si ergo* cod. bb *sicut ergo*.

[3] Cfr. Aristot., V. Ethic. c. 1. seq., ubi simile arg. de iustitia instituitur et etiam docetur, quod « saepe quidem contrarius habitus ex contrario... agnoscitur ».

[4] Cap. 2. seq. n. 1.

[5] In originali legitur sic: « Verum... quod agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo ». Pro *sancta societate* edd. 1, 2 cum bene multis codd. *facta societate*. — Altera quae memoratur Augustini sententia habetur loc. cit. c. 1, et sic sonat: Sacrificium certe nullus hominum est, qui audeat dicere deberi nisi Deo. Multa denique de cultu divino usurpata sunt, quae honoribus deferrentur humanis... quis vero sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit aut putavit aut finxit?

[6] Rom. 6, 16: Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis eius cui obeditis etc.? — Quantum ad secundam conclusionem respiciantur illa verba Luc. 17, 10: Sic et vos, cum feceritis quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus etc.

[7] Vers. 31.

[8] Cfr. q. praeced. in corp. — Mox pro *potest accipi* cod. Z habet *accipitur*, et dein post *dicitur cultus* codd. A S U subiiciunt *Dei*. Paulo inferius post *sed etiam obiecti* cod. O addit *immediati*.

[9] Vat. hic inserit *Deo*.

[10] Nota, quod secundum codd. ordo solutionum 1. et 2. mutatur.

cium offerre Deo; et hoc sacrificium soli Deo debetur, sicut dicit Augustinus, et *latria* dicit cultum soli Deo debitum.

1. Ad illud quod obiicitur, quod Deus colitur fide, spe et caritate; dicendum, quod cultus Dei non accipitur [1] ita stricte, sicut in definitione *latriae*, ut praetactum est; et ideo non sequitur, quod latria sit *generalis* virtus ad tres virtutes theologicas.

3. Ad illud quod obiicitur, quod omnis qui obedit Deo, servit Deo; dicendum, quod verum est; ex hoc tamen non sequitur, quod *omnis obedientia* sit latria, quia *obedientia* non solum dicit servitutem debitam ipsi Deo, sed etiam servitutem his qui sunt loco Dei, ut praelatis. *Latria* autem dicit servitutem soli Deo debitam; et ideo ratio illa non valet, sed peccat *secundum consequens* [2].

4. Ad illud quod obiicitur, quod omnia quaecumque fiunt ad gloriam Dei, fiunt ad cultum Dei; patet responsio per iam dicta, quoniam *cultus* accipitur ibi generaliter pro actu ordinato in Deum tanquam in finem, in definitione autem *latriae* accipitur *magis proprie*, secundum quod dictum est.

SCHOLION.

I. In conclusione omnes consentiunt; sed in ea probanda a diversis diversae distinctiones adhibentur. Ita S. Thomas (hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2; cfr. S. II. II. q. 81. a. 4.) quatuor modos distinguit, quibus intelligi possit *virtus generalis*, scilicet primo, quatenus est quoad suam *essentiam* quasi *universalis;* secundo, quatenus ab ea dependent aliae virtutes, quibus est quasi *causa;* tertio, quatenus operatur circa actus omnium virtutum *movendo per imperium;* quarto, quatenus ad eam concurrunt aliae virtutes, ut ipsa sit quasi totum integrale, *comprehendens multa*. Idem resolvit, quod secundum duos priores modos *latria* sit virtus *specialis;* secundum duos alios modos autem possit dici *generalis*. — Praeter S. Thomam cfr. B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Ægid. R., hic q. 1. a. 2.

II. In conclusionibus sequentis (3.) quaestionis antiqui magistri consentiunt. De ea tractant: S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 3. 4; cfr. S. II. II. q. 81. a. 5. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 4. 5. — Richard. a Med., loc. cit. q. 3. 4. — Ægid. R., loc. cit. a. 4.

QUAESTIO III.

Utrum latria sit virtus cardinalis, vel theologica.

Tertio quaeritur, utrum latria sit virtus cardinalis, an theologica. Et quod theologica, videtur.

Ad oppositum.

1. Augustinus, decimi de Civitate Dei capitulo tertio [3]: «Sacrificamus Deo hostiam humilitatis et laudis in ara cordis igne fervidae caritatis». Et post: «Hic est Dei cultus, haec vera religio, haec recta pietas et tantum Deo debita servitus»: ergo videtur, quod si haec omnia circumloquuntur latriam, nihil aliud est latria quam ipsa caritas: ergo latria est virtus theologica.

2. Item, Augustinus, decimo quarto de Trinitate [4]: «Sapientia vera est verus ac praecipuus Dei cultus, quae uno nomine Graece *theosebia* appellatur, quod nomen nostri *pietatem* dixerunt, cum *pietas* apud Graecos usitatius *eusebia* nuncupetur». Sed «*latria*, ut dicit Augustinus decimo de Civitate Dei, non est aliud quam *theosebia*», et «*theosebia* non est aliud quam *sapientia*»; *sapientia* autem se tenet ex parte virtutum theologicarum, non cardinalium: ergo et ipsa latria.

3. Item, latria est virtus, per quam Deus colitur eo cultu, qui est adoratio; sed virtus dictans nobis, Deum esse adorandum, est ipsa fides, vel etiam caritas: quia, sicut dicit Rabanus super Genesim [5], «*adorare* est eum qui adorandus est tota mentis intentione quaerere»: ergo videtur, quod latria sit virtus theologica, scilicet fides, vel caritas.

4. Item, in latria est impletio primi praecepti;

---

[1] Vat. addit *ibi ab Augustino.*

[2] Cfr. supra pag. 99, nota 7.

[3] Num. 2. (alias c. 4.).

[4] Cap. 1. n. 1. — De altero August. testimonio, quod habetur X. de Civ. Dei, c. 1. n. 3, vide supra pag. 213, nota 9; de tertio Enchirid. c. 1. n. 1. et XIV. de Trin. c. 1. n. 1.

[5] Libr. III. Comment. in Gen. (23, 7.) c. 4. Rabanus dicit tantum, latriam esse servitutem, quae soli Deo debeatur. Sed VIII. Enarrat. in Epist. ad Rom. c. 15, Origenem secutus (X. Comment. in Epist. ad Rom. 15, 30. n. 15.), de *oratione* (quae spectat ad *adorationem*) ait: «Et ideo *agon* magnus est orationis, ut obsistentibus inimicis et orantis sensum in diversa rapientibus, fixa semper ad Deum *mens stabili intentione contendat*, ut merito possit etiam ipse dicere: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi*» (II. Tim. 4, 7.). Et XXIII. in I. Epist. ad Tim. c. 2. ait: «Oramus, cum... spondemus, nos... tota cordis intentione Domino servituros». Tum propter ipsam obiectionem hic propositam, tum propter solutionem, quae infra habetur, adiungenda duximus quae idem Rabanus in I. Comment. in libr. Iudic. c. 7. profert, ubi observato, quod nos vocati simus non ad hoc, ut serviamus peccato et iterum flectamus genua diabolo, sed ut flectamus genua in nomine Iesu (Phil. 2, 10.) et ad Patrem Domini nostri Iesu Christi (Eph. 3, 14.), sic prosequitur: «Sed et quid mihi prodest, si genua corporis mei ad orationem veniens flectam Deo, et genua cordis mei flectam diabolo? Si enim non stetero firmus adversum astutias diaboli, flexi genua mea diabolo... Non igitur putemus, quod videamur simulacra non colere, propterea haec non etiam ad nostrorum aliquos pertinere. Unusquisque quod prae ceteris colit, quod super omnia miratur et diligit, hoc ei Deus est. Denique hoc est quod ante omnia et super omnia per mandatum suum Deus deposcit ab homine: *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis* (Deuter. 6, 5.), praeoccupare quodam modo erga se cupiens totos humanae mentis affectus, et sciens, quia quod ex toto dilexerit quis et ex tota anima atque ex totis viribus, hoc ei Deus est. Cfr. I. Enarrat. in Epist. ad Rom. c. 1, 9; VIII. c. 14.

sed praecepta primae tabulae implentur virtutibus theologicis [1], sicut patet de secundo, quod impletur per fidem, et de tertio, quod impletur per caritatem: ergo videtur, quodsi primum impletur per latriam, quod sit virtus theologica.

5. Item, haec est differentia inter virtutes cardinales et theologicas, quod cardinales consistunt in *medio* circa superfluum et diminutum [2], in theologicis autem non est reperire superfluum; sed circa latriam, qua est Deum colere, non est superfluum invenire: ergo videtur, quod latria non sit in genere virtutum cardinalium, sed theologicarum.

6. Item, virtus theologica dicitur, quia habet Deum pro obiecto; sed latria habet Deum pro obiecto — sicut enim fides credit primam veritatem, et caritas diligit summam bonitatem, sic latria reveretur et colit summam maiestatem — videtur igitur, quod latria sit virtus theologica.

Fundamenta.

Sed contra: 1. «*Religio* est virtus, qua colitur ille qui est superioris naturae», sicut vult Augustinus decimo de Civitate Dei, et Tullius in secundo Rhetoricae [3]; sed *religio* est species *iustitiae*, ut dicit Tullius ibidem, et *iustitia* est virtus cardinalis: si ergo latria continetur sub specie *religionis*, latria est de genere virtutis cardinalis.

2. Item, sicut *obedientia* respicit debitum mandati, sic *latria* respicit debitum honoris divini, «est enim latria cultus Deo debitus [4]»; sed *obedientia*, quia respicit debitum praecepti, est virtus cardinalis contenta sub debita iustitia, non theologica: ergo pari ratione et ipsa latria.

3. Item, nullius virtutis theologicae actus cadit sub coactione — credere enim non potest quis non volens [5] — sed actus latriae cadit sub coactione, ut adorare et thura ponere: ergo latria non continetur sub genere virtutis theologicae.

4. Item, omnis virtus theologica vel est fides, vel spes, vel caritas; sed latria non est fides, pro eo quod non considerat summam veritatem secundum se; nec caritas, quia non considerat summam bonitatem, sed magis summam maiestatem; nec spes, hoc constat: ergo etc.

CONCLUSIO.

Latria, proprie dicta, est virtus cardinalis, in genere propinquo iustitiae et proximo religionis.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod licet *latria* notificetur per *cultum*, sive per *servitutem*, ut dicatur latria esse [6] servitus, sive cultus Deo debitus, et ista duo quasi pro eodem accipiantur; differunt tamen secundum propriam acceptionem. *Cultus* enim *Dei* respicit actum *interiorem* et *exteriorem*, et magis interiorem quam exteriorem; *servitus* vero proprie respicit actum *exteriorem*. Et ideo cum *latria* de ratione sui vocabuli idem sit quod *servitus*, secundum quod exponit Augustinus in libro de Trinitate [7], *latria proprie* respicit actum *exteriorem; theosebia* vero, vel *eusebia* idem est quod cultus divinus, sive bonus cultus, et ideo proprie respicit actum *interiorem*. Et quoniam virtus, quae respicit actum *exteriorem*, versatur quodam modo circa actionem et est in genere virtutis cardinalis [8]; hinc est, quod latria est virtus *cardinalis*. Et quia considerat actum exteriorem sub ratione *debiti* et in comparatione *ad alterum*, et hoc est ipsius iustitiae; ideo latria continetur sub virtute cardinali, quae quidem est *iustitia*. — Rursus, quia species iustitiae, secundum quam ordinatur [9] ad venerandam naturam superiorem, est ipsa *religio*, sicut dicit Tullius; hinc est, quod *latria* non solum est in genere *virtutis* tanquam in genere *remoto*, sed in genere virtutis *cardinalis* tanquam in genere *subalterno*; in genere vero *iustitiae*, sicut in genere *propinquo*: in genere vero *religionis*, sicut in genere *proximo*.

Differunt cultus et servitus.

Quid sit latria.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Conclusio 3. generalis.

Et hoc est quod innuit Augustinus de Civitate

Confirmatur.

---

11. et XIX. in Epist. ad Phil. c. 3, 3. — *Hadrian.* I. in Epist. ad Carolum Magnum pro Nicaena synodo pluries allegat Epist. 52. (alias 54.) Gregor. M. ad Secundinum, in cuius fine agitur de adoratione imaginum: Unde valde nobis tua postulatio placuit, quia *illum toto corde, tota intentione quaeris*, cuius imaginem prae oculis habere desideras... illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum... recordamur. — Pro *adorare est eum* edd. cum nonnullis codd. *adorare est Deum.*

[1] Nam, ut infra d. 37. a. 2. q. 1. seq. exponitur, praecepta primae tabulae hominem ordinant *ad Deum.* — Dein pro *de secundo* codd. cum edd. 1, 2 perperam *de primo*, et pro *de tertio* cod. S *de secundo.*

[2] Ut docet Aristot., II. Ethic. c. 6. Cfr. infra d. 26. a. 1. q. 3. — Mox pro *qua est* edd. *quae est.*

[3] Cap. 54: *Iustitia* est habitus animi, communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem... *Natura* ius est, quod non opinio genuit, sed quaedam innata vis inseruit, ut religionem, pietatem... *Religio* est quae superioris cuiusdam naturae, quam divinam vocant, curam caerimoniamque affert. — Idem dicit August., loc. cit, c. 1. n. 1. et 3. et c. 3. n. 2, Deum verum respiciens.

[4] Secundum August., X. de Civ. Dei, c. 1. n. 2. Libr. II. de Peccat. merit. et remiss. etc. c. 21. n. 35. idem s. Doctor dicit, primos parentes Deo serviisse «pietate obedientiae, qua una colitur Deus». — Pro *mandati* Vat. substituit *mandatum.* Mox pro *quia* codd. K U exhibent *quae*, et subinde voci *praecepti* solus cod. U praemittit *mandati vel.*

[5] August., I. Retract. c. 23. n. 3: Utrumque [credere et velle] nostrum [est], quia non fit, nisi volentibus nobis. — Pro *non volens* codd. U (K a secunda manu) *nisi volens*, cod. bb *nolens.*

[6] Multi codd. *est.* Post *Respondeo* codd. A T bb addunt *dicendum.*

[7] Libr. I. c. 6. n. 13. Cfr. XV. contra Faustum, c. 9. et supra pag. 200, nota 2.

[8] Vide supra q. 1. fundam. et infra d. 33. q. 1. ad 4. Ibid. dub. 1. agitur de iustitia. August., de Natura et gratia, contra Pelag. c. 62. n. 72. ex Pelagii libro affert hanc Hilarii sententiam: Deum autem colere iustitiae proprium officium est.

[9] Edd. *secundum quod.* Subinde post *ordinatur* cod. Q supplet *homo.*

Dei decimi capitulo primo[1], ubi dicit, quod idem est apud Graecos *latria*, quod apud nos *religio*, excepto quod nomen *religionis* est in plus. Unde Corollaria. ibidem dicit, quod cultus Deo debitus quatuor nominibus nuncupatur: duobus apud Graecos, et duobus apud nos. Apud Graecos namque dicitur *latria* et *theosebia* sive[2] eusebia. Apud nos vero dicitur *pietas* et *religio*, ita quod ista duo nomina respondent illis duobus, licet quodam modo sint *in plus* quantum ad modum consuetum. — Differunt autem *latria* et *theosebia* secundum propriam acceptionem, licet aliquando accipiantur pro eodem, quia *theosebia* dicit cultum *interiorem*, qui proprie spectat ad virtutes theologicas, sed *latria* servitutem *exteriorem*, quae spectat ad iustitiam, scilicet virtutem cardinalem. — Concedendum est ergo, latriam esse virtutem cardinalem. Concedenda sunt etiam argumenta hoc probantia.

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad duas autem auctoritates Augustini patet responsio per iam dicta. Cum enim dicit Augustinus, quod cultus Deo debitus est ipsa *dilectio*, vel *sapientia*, loquitur de cultu *interiori;* cum autem dicimus, latriam esse *cultum*, intelligimus de cultu *exteriori*, nisi[3] vocabulo abutimur. Et hoc patet per oppositum, quia non dicitur *idololatra*, qui credit, idolum esse Deum, vel amat ipsum sicut Deum, sed infidelis. Tunc autem dicitur idololatrare, cum *exterius* colit; et sic per oppositum intelligimus in proposito.

3. Ad illud quod obiicitur, quod virtus, per quam adoratur Deus, est fides et caritas; dicendum, quod sicut est *cultus* interior et exterior, sic et *adoratio* Adoratio interna et externa. interior et exterior. «*Adorare interius* est tota mente in Deum tendere», sicut dicit Rabanus[4]; *adorare exterius* est aliquam reverentiam corporaliter exhibere. Cum ergo dicitur, quod per fidem et caritatem adoratur Deus; dicendum, quod verum est de adoratione *interiori*, quae incipit in fide et terminatur in *caritate*, sed non habet veritatem de adoratione *exteriori*, quae ortum habet a virtute cardinali. Et *si tu obiicias:* tam fides quam caritas dictat tam *interius* quam *exterius* adorandum; di- Notandum. cendum breviter, quod aliquis actus potest esse alicuius virtutis multipliciter: aut sicut *imperantis*, aut sicut *elicientis*. Licet autem *exterior* adoratio sit ipsius fidei et caritatis sicut *imperantis*, et maxime fidei, quae dictat Deum adorandum; alterius tamen est ut *elicientis*, scilicet latriae, quae, quoniam elicit actum sub ratione debiti, ideo continetur sub iustitia, quae est virtus cardinalis[5].

4. Ad illud quod obiicitur, quod impletio primi praecepti spectat ad virtutem theologicam, sicut impletio secundi; dicendum, quod impletio secundi, Notandum. videlicet: *Non assumas tibi nomen Dei tui in vanum*[6], quantum ad actum *exteriorem* est virtutis *cardinalis*, quantum ad actum *interiorem* impletur virtute *theologica*, quae quidem est fides. Per hunc modum intelligendum est in primo praecepto; et quia per *latriam* impletur per actum *exteriorem*, ideo non necesse est, eam esse virtutem theologicam.

5. Ad illud quod obiicitur, quod circa actum latriae non consistit superfluum, vel diminutum; responderi potest, quod falsum est, quia, licet quantum ad actum *interiorem* non contingat excedere in colendo Deum; tamen quantum ad actum *exteriorem* et modum contingit reperire excessum, utpote sicut si aliquis sacerdos vellet decem Missas in uno die cantare ad laudem Dei, non servaret modum[7].

6. Ad illud quod obiicitur, quod latria habet obiectum Deum; dicendum, quod si[8] latria habeat Notandum. obiectum Deum, aliquo modo tamen cum hoc respicit aliquod creatum. Unde sicut *obedientia*, qua quis obedit Deo, respicit ipsum Deum, ut *cui* obediendum est, ipsum autem mandatum et eius obligationem respicit sicut illud *quod* implendum est; sic et ipsa *latria* respicit Deum, ut[9] *cui* honor exhibendus est; respicit etiam *cultum exteriorem* exhibendum; respicit etiam *rationem exhibendi*, videlicet rationem debiti; et haec est quasi *ratio formalis* ipsius et est quid creatum. Hinc est, quod cum virtus ponatur in specie, vel in genere formali ex parte *obiecti*, quod habet rationem *formalis* et *motivi;* quod[10] latria est in genere virtutis *cardinalis*, sicut obedientia. — Quod ergo obiicitur, quod virtus theologica est illa quae respicit obiectum increatum; dicendum, quod obiectum principale virtutis theologicae non est aliquid creatum, sed est bonum increatum sub conditionibus increatis, quae

---

[1] Num. 3: Nam et ipsa religio quamvis distinctius non quemlibet, sed Dei cultum significare videatur... tamen, quia Latina loquendi consuetudine non imperitorum, verum etiam doctissimorum et cognationibus humanis atque affinitatibus et quibusque necessitudinibus dicitur exhibenda religio, non eo vocabulo vitatur ambiguum, cum de cultu deitatis vertitur quaestio etc.

[2] Pro *sive* codd. G L N T V X *sicut*.

[3] Pro *nisi* codd. A I K L N T aa et edd. 1, 2 *ubi*, Vat. *nec;* nostram lectionem habent codd. E G H U V X Z bb. Mox pro *qui credit* edd. et nonnulli codd. *quia credit*.

[4] Vide supra pag. 216, nota 5. Hugo a S. Vict. Instit. in Decal. Legis dominicae, c. 1, ait: Deum autem adorare est ei totam mentem per humilitatem ac devotionem substernere et ipsum principium ac finem omnis boni credere. — Pro *tota mente* cod. K *tota intentione*. Pro *Rabanus* cod. G *Augustinus*.

[5] Cfr. infra d. 33. q. 2, ubi principia huius distinctionis proponuntur.

[6] Exod. 20, 7. — Paulo inferius pro *per latriam* edd. cum cod. cc *latria*.

[7] Vide infra d. 27. a. 2. q. 5. — Paulo superius pro *in colendo Deum* non pauci codd. *in colendo Deo*.

[8] Edd. cum paucis codd. *etsi*.

[9] Cod. A *prout*.

[10] A Vat. abest *quod;* plurimi codd. habent *et quod*. Proxime ante cod. K omittit *et* ante *motivi*.

quidem sunt summa *bonitas* et summa *veritas*[1]. Hoc autem non est reperire in proposito; et ideo non tenet ratio illa.

De latria non proprie dicta.

Haec autem dicta sunt de latria, secundum quod *proprie* accipitur pro habitu dirigente ad *cultum exteriorem*, qui proprie dicitur servitus Dei et adoratio. Et hoc modo non est idem *latria* et *theosebia*, ut a principio dictum est. Si autem *latria* dicatur *cultus interior*, cum ille consistat in credendo et diligendo et sperando Deum, sicut dicit Augustinus in Enchiridio[2]; sic non ponitur esse virtus *cardinalis*, sed *theologica*, non, inquam, ab aliis distincta, sed consequens ad omnes illas. Sed hoc modo non accipitur ita *proprie*, sicut modo praedicto, cum *latria*, proprie loquendo, sit species religionis, sicut *dulia*; et nomen eius impositum fuit a *servitute*, sicut dictum fuit a principio. Utroque tamen modo contingit reperiri eam dici, et secundum hoc doctorum positiones diversificari, ut quidam ponunt[3] eam speciem virtutis *cardinalis*, scilicet iustitiae, quidam vero tres *theologicas* circumplecti. Et utrumque vere potest dici sine contrarietate propter diversum modum accipiendi[4]. Notandum.

QUAESTIO IV.

Utrum latria sit virtus distincta a dulia.

Quarto quaeritur, utrum *latria* sit virtus distincta a *dulia*. Et quod non, videtur.

Ad oppositum.

1. Super illud Psalmi[5]: *Domine Deus meus, in te speravi*; Glossa: « *Domine* omnium per potentiam, cui debetur *dulia*; *Deus* omnium per creationem, cui debetur *latria* »: ergo si Domino Deo non debetur nisi unica species adorationis, videlicet *latria*: ergo *latria* et *dulia* non sunt diversae species virtutis.

2. Item, eadem est species virtutis, qua creditur omne credendum, scilicet ipsa fides[6]: ergo eadem est species virtutis, qua colitur omne colendum; sed huiusmodi sunt *latria* et *dulia*: ergo etc.

3. Item, eadem est species virtutis, qua amatur omne amandum, videlicet ipsa caritas[7]: ergo eadem ratione eadem est species virtutis, qua adoratur omne adorandum; sed huiusmodi est latria et dulia: ergo etc. *Si tu dicas*, quod non est simile, quia non sic est una ratio adorabilium, sicut amabilium; *obiicitur* contra: quia, sicut proximus non est amandus, nisi in quantum imago Dei, sic etiam non est adorandus, nisi in quantum est Dei imago: ergo sicut est unus amor sui et suae imaginis secundum speciem, sic et unus honor.

4. Item, « magis et minus non diversificant speciem[8] »; sed *latria* et *dulia* differunt, sicut maior honor et minor honor: ergo videtur, quod non sint diversae species virtutis.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Super illud Psalmi[9]: *Adorate scabellum pedum eius* etc.; « *Latria* est adoratio, quae soli Deo debetur; *dulia* est adoratio, quae etiam creaturae exhibetur. Quae duas habet species: unam, quae omnibus indifferenter, alteram, quae exhibetur soli humanitati Christi ». Si ergo *dulia* habet duas species adorationis, quae creaturae debetur, multo fortius *latria* et *dulia*, quae sunt species virtutis diversae.

2. Item, « habitus diversificantur per actus, et actus per obiecta[10] »: ergo si *latria* est cultus, qui debetur Deo ut Deo, et *dulia*, qui debetur creaturae, ut creatura est; videtur, quod *latria* sit species virtutis distincta a *dulia*.

3. Item, *sapientia* et *scientia* sunt diversa dona, secundum quae dirigimur ad temporalia et aeterna[11]: si ergo *latria* est cultus debitus aeternae maiestati, et *dulia* honor et reverentia debita creaturae temporali; videtur, quod sint diversi habitus in genere virtutis.

---

[1] Cfr. infra d. 24. a. 1. q. 2; d. 26. a. 1. q. 3; d. 27. a. 1. q. 1. — Subinde pro *Hoc autem* cod. T *Hoc modo*, cod. A *Hoc* tantum.

[2] Cap. 2. n. 1. seq. Vide q. praeced. arg. 1. ad oppos. — Paulo ante codd. F K U *sperando in Deum*. Paulo inferius pro *inquam* codd. A G H I K N Z *in quantum*, et pro *omnes illas* codd. K M O *omnes alias*.

[3] Edd. *ponant*. Cod. bb *unde* [cod. Z *inde*] *quidam ponunt*.

[4] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[5] Psalm. 7, 1. — Glossa, quae apud Lyranum est *interlinearis*, apud Petrum Lombardum, in hunc loc., sic sonat: « Domine omnium per potentiam, cui debetur dulia, *qui es* omnium per recreationem *Deus*, cui debetur latria ». August., II. Quaest. in Pentateuch. q. 94, ad illud Exod. 23, 33: *Si servieris diis eorum* etc. observat: Hic Graecus δουλεύσῃς habet, non λατρεύσῃς. Unde intelligitur, quia et δουλεία debetur Deo tanquam Domino, λατρεία vero nonnisi Deo tanquam Deo.

[6] Ut ostenditur infra d. 23. a. 1. q. 3. — In hoc et in seq. arg. plures codd. nec non edd. 1, 2 pro *omne* constanter exhibent *esse*.

[7] Vide infra d. 27. a. 1. q. 2.

[8] Haec propositio supponitur ab Aristot., VII. Phys. text. 21-35. (c. 4.) et II. de Generat. et corrupt. text. 37. (c. 6.). Cfr. etiam tom. II. pag. 659, nota 7. — Mox pro *non sint* multi codd. *non sunt*.

[9] Psalm. 98, 5. — De Glossa allegata vide supra pag. 200, nota 4. — In textu origin. Glossae nec non in codd. A Q pro *quae soli Deo* legitur *quae soli Creatori*, et in eodem textu contradicentibus originali, edd. et nonnullis codd. pro *unam... alteram* [edd. *aliam*], plurimi codd. *una... altera*; minus congrue. Circa finem arg. Vat. cum nonnullis codd. et edd. 1, 2 pro *debetur* substituit *debentur*, et dein sola post *et dulia*, *quae* interserit *Creatori et creaturae debentur*.

[10] Cfr. tom. II. pag. 561, nota 3; pag. 635, nota 5. et pag. 653, nota 6. — Mox post *debetur Deo* codd. A P Q bb subiiciunt *ut Deo*, quod in textum recepimus. Subinde post *et dulia* Vat. cum aliquot codd. repetit *cultus*, et pro *qui debetur* bene multi codd. habent *quae debetur*.

[11] Cfr. infra d. 34. p. I. a. 2. q. 1. et d. 35. q. 1. seq.

4. Item, si per eum [1] modum fiat honor creaturae, quo fit Creatori; iam non erit actus virtutis, sed potius vitii — si quis enim sacrificaret homini, crimen idololatriae committeret et vituperaretur potius de *idololatria*, quam commendaretur de actu *latriae*, vel *duliae* — ergo si diversitas modorum in actibus virtutum introducit diversitatem in habitibus, videtur, quod *latria* et *dulia* differant specifica differentia.

CONCLUSIO.

Latria et dulia secundum propriam significationem sunt species virtutis diversae.

Respondeo: Dicendum ad praedictorum intelligentiam, quod si nomen *latriae* secundum Augustinum, decimo de Civitate Dei [2], importet cultum debitum maiestati divinae, nomen tamen *duliae* tripliciter dicitur. Uno modo dicitur *dulia* secundum quandam *analogiam*; alio modo secundum *antonomasiam* [3]; et tertio modo secundum *significationem propriam*. Cum autem dicitur secundum *analogiam*, tunc importat cultum debitum *naturae superiori*, sive creaturae, sive Creatori, secundum aliquam rationem, secundum quam Creator communicat creaturae, utpote secundum rationem *dominii*; et hoc modo accipitur in Glossa super illud Psalmi [4]: *In ecclesiis benedicite Deo Domino*, Glossa: « *Deo*, cui debetur latria; *Domino*, cui debetur dulia ». — Cum autem accipitur secundum *antonomasiam*, sic dicit debitam reverentiam *creaturae unitae* vel assumtae; per quem modum accipitur super illud Psalmi [5]: *Adorate scabellum pedum eius*, ubi dicitur, quod *dulia maior* debetur solum humanitati Christi. — Cum autem accipitur dulia secundum *significationem propriam*, sic dicitur *dulia* honor vel reverentia debita rationali creaturae et exhibita [6]; et illo modo consuevit *dulia* accipi secundum communem usum.

Dulia dicitur tripliciter.

Dulia sec. analogiam.

Dulia sec. antonomasiam.

Dulia proprie.

Et hoc modo est quaestio, utrum latria et dulia sint diversae species virtutis; et ad hoc communiter respondetur, quod sic. — Et ratio huius est, quia *latria* et *dulia* considerant exteriores cultus, qui formalem habent differentiam, secundum quod creaturae et Creatori exhibentur. Alius enim est *modus* adorandi Creatorem, et alius adorandi creaturam, et alia *ratio motiva*; et ideo alia virtus directiva in hac et in illa. Et ideo concedendum est, quod latria et dulia sunt diversae virtutes. — Concedendae sunt etiam rationes ad hoc inductae.

Conclusio

Ratio.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium de Glossa, dicendum, quod *dulia* accipitur ibi secundum *generalem* significationem et *analogiam*, secundum quam communis est ad *latriam* et ad *duliam* proprie dictam. — Et *si tu quaeras*, quare magis dicit, *latriam* deberi Deo, et *duliam* Domino, cum [7] idem sit *Deus* et *Dominus*; dicendum, quod *dominus* communicatur creaturae et de Creatore et de creatura dicitur *analogice*. *Deus* autem non ita communicatur; sed si dicatur de Creatore et creatura, dicitur *aequivoce*. Et propterea dicit, *latriam* deberi Deo, et *duliam* Domino [8], ut non significetur, quod alia specie adorationis adorandus sit, in quantum *Deus*, et alia, in quantum *Dominus*, sed ut innotescat differentia horum vocabulorum, et simul cum differentia innuit convenientiam.

Solutio oppositorum.

Quaestio incidens solvitur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod una est virtus, qua creduntur omnia credenda; dicendum, quod verum est de credendis, quae habent *unam rationem* moventem ad credendum se, utpote veritatem summam, cuiusmodi sunt articuli fidei [9]. Sed si credenda haberent *rationes diversas*, utpote cum credo homini, quia verax est, et Deo, quia verax est; haec fides et illa non sunt necessario eiusdem rationis nec speciei. Una enim est fides, quae est virtus *theologica*; alia, quae magis spectat ad genus virtutis *cardinalis*, quae quidem magis proprie appellanda est *fidelitas* quam *fides*. Et quia *latria* et *dulia* diversas considerant rationes honorandi in Creatore et creatura; hinc est, quod potius, si bene attendatur, sunt diversae virtutes [10] quam una.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod eadem caritate diliguntur omnia diligibilia [11]; dicendum, quod hoc est, quia caritas habet unum obiectum principale, videlicet summum bonum, quod quidem amat, sive diligendo *Deum in se*, sive optando bonum *proximo*, qui est Dei imago. *Latria* autem et *dulia*

---

[1] Cod. K *eundem*.

[2] Cap. 1. n. 2. seq. — Post *praedictorum intelligentiam* cod. U adiicit *est notandum*, et subinde pro *quod si* edd. cum pluribus codd. exhibent *quod etsi*. Deinde pro *tripliciter* codd. A G H I L T U V X Z bb substituunt *multipliciter*, et pro *dicitur* codd. A F U bb *accipitur*.

[3] Voce *antonomasiae*, quae e Graeco (ἀντονομασία i. e. pronominatio) in linguam Latinam est introducta, significatur ille tropus rhetoricus, in quo nomen, quod multis commune est, uni propter excellentiam tanquam proprium adaptatur.

[4] Psalm. 67, 27. — Glossa est *interlinearis* et habetur apud Petrum Lombardum et Lyranum in hunc loc. Cfr. verba Augustini, supra pag. 219, nota 5. allata.

[5] Psalm. 98, 5. Vide hic fundam. 4. — Mox pro *dulia maior* codd. A G H I (K a prima manu) N T V et edd. 1, 2 *hyperdulia maior*. Cfr. supra pag. 206, nota 3.

[6] Alan. ab Insulis in Distinct. dictionum theolog., ubi de *Dulia* agit, ait: Stricte [*dulia* accepta] dicitur servitus, quae tantum debetur rationabili creaturae, ut episcopis, praelatis et aliis, et secundum hoc dicitur a *doulon*, quod est servitus. Et haec est quasi positiva, quam maioribus debemus, quae consistit in dilectione, in servitio, in obedientia et huiusmodi. — Paulo inferius pro *communiter*, quam lectionem in cod. A invenimus, alii codd. et edd. 1, 2 *convenienter*, Vat. *consequenter*.

[7] Edd. subdunt *tamen*.

[8] Pro *Domino*, quod cum Vat. etiam cod. K (a secunda manu) habet, plurimi codd. et edd. 1, 2 perperam *creaturae*.

[9] Cfr. infra d. 23. a. 1. q. 3.

[10] Pro *virtutes* codd. N U X Z *species*.

[11] Cod. W *diligenda*. Paulo inferius pro *optando bonum proximo* cod. X *operando bonum pro proximo*.

alium et alium respiciunt cultum et modum; et ideo non est simile de dilectione et adoratione, nec de ratione imaginis hinc et inde. Et illud melius manifestabitur infra [1], cum agetur de caritate.

4. Ad illud quod obiicitur, quod magis et minus non diversificant speciem; dicendum, quod illud habet instantiam, et non habet veritatem quantum ad speciem *in genere moris* [2]. *Praeterea*, non habet veritatem, nisi quando non est alia differentia quam per magis et minus; sic autem non est in proposito; quia *latria* et *dulia* non differunt solum quantum ad *intensionem* et *remissionem*, sed etiam quantum ad alium et alium *colendi modum*. — De quo, inquam, modo plura possent adhuc quaeri; sed ista sufficiant, ne nimis elongemus nos ab intentione Magistri; in omnibus enim praedictis satis potest sumi ratio discutiendi ex his quae dicuntur in littera.

SCHOLION.

1. Conclusio ab omnibus recepta innititur duobus principiis per se manifestis, scilicet quod honor alicui debetur ratione excellentiae, quae in ipso est, et quod excellentia, quae in Deo est, non est eiusdem rationis cum excellentia creaturae rationalis. — Difficultas sumta ex Glossa in Psalmum 7. (arg. 1. ad oppos.) etiam a S. Thoma allisque solvitur eodem modo, sicut a S. Bonav., cuius solutionis fundamentum est, quod in Deo sit aliqua excellentia, quae communicari possit creaturae, scilicet *excellentia dominii*. Haec competere potest Deo et creaturae, sed ita, ut sit diversae rationis in creatura, et per consequens etiam importet aliam *duliam*, quae non nisi secundum analogiam conveniat cum ea, quae fundatur super dominium essentialiter *Deo* proprium, et quae proprie est *latria*. Quod autem aliae excellentiae Dei essentiales sint incommunicabiles, per se patet. — Ipsam *duliam* plures species habere distinctas, praesertim *hyperduliam*, docet S. Thom. cum aliis, nonnullis contradicentibus.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 30. m. 1. a. 1. § 2. — Scot. rem tangit in utroque Scripto, hic q. unica. — S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. II. II. q. 103. a. 3. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Ægid. R., hic q. 4. a. 1. — Durand., hic q. 3.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit, quod *cultus divinitatis consistit in dilectione et sacrificii exhibitione et reverentia*. Quaeritur, qualiter distinguuntur ista tria. Et videtur, quod *insufficienter* dicat, quia magis videtur consistere in *adoratione*. Ait enim Rabanus [3] sic: «Caro Christi adoranda est latria, sicut Verbum, sed non omni specie latriae; quoniam non adoramus eam prostrati in terra sic, ut credamus, quod nos creavit ex nihilo»: ergo videtur, quod potius prostratio in terra pertineat ad cultum Dei quam praedicta. — Item, videtur *diminutio*, quia non tantum colitur Deus dilectione, sed etiam fide.

Quaeritur igitur, qualiter distinguuntur ista tria praedicta? Quaestio.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut praehabitum est supra [4], Deus colitur cultu *interiori* et *exteriori*; ut autem Magister exprimeret utrumque cultum, dicit, quod consistit in *dilectione*, quantum scilicet ad cultum *interiorem*, ita quod in dilectione intelligimus tres theologicas virtutes, scilicet caritatem et alias duas praeambulas. Ergo [5] quantum ad cultum *exteriorem* dicit, quod colitur *sacrificio*, ita quod sub sacrificio comprehendat omnem reverentiam, quae exterius exhibetur soli Deo. — Per hoc autem, quod subdit *reverentiam*, comprehendit utrumque; et sic patet differentia horum trium, quia *dilectio* refertur ad cultum interiorem, *sacrificium* ad exteriorem, *reverentia* ad utrumque. — Ad quaestionem.

Vel aliter: *dilectio* refertur ad principium motivum, *sacrificium* refertur ad actum, *reverentia* ad formam et modum. Aliter.

Ad illud quod obiicitur de adoratione et prostratione, dicendum, quod illa potest comprehendi nomine *sacrificii*; potest etiam dici, quod illam non nominat, quia non est cultus soli Deo debitus. Non tantum enim prosternimur coram Deo, sed etiam coram homine. Unde non est intelligendum, quod Rabanus velit dicere, quod non debemus nos coram humanitate prosternere, sed quod prosternendo nos coram humanitate [6], non debemus profiteri, nos esse creatos ratione humanitatis, sed divinitatis. — Dici etiam posset, quod *adoratio* comprehenditur sub Aliter.

---

[1] Dist. 27. a. 1. q. 2.

[2] Cfr. II. Sent. d. 30. a. 2. q. 1. ad 2. 3. — in fine solut. pro *ex his* Vat. *ea*.

[3] Hoc testimonium, quod etiam ab aliis Scholasticis Rabano adscribitur, sententialiter habetur in eius V. Enarrat. in Epist. ad Rom. 9, 5, ubi sic legitur: Sed quid mirum, si in hoc loco Christum Deum super omnia aperta voce loqueretur, de quo alia in Epistola hunc sensum tali sermone firmavit dicens: *Ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum* (Phil. 2, 10.). Haec sunt omnia, super quae Deus Christus est. Neque enim, exceptis his, sunt aliqua, ut non super omnia Deus Christus sit, nec potest genu flecti omni creaturae [in Comment. in Epist. ad Rom. olim Ambrosio tributo, ex quo Rabanus hunc loc. delibavit, legitur: nec potest genu flectere omnis creatura] nisi Deo etc. — Paulo inferius pro *prostratio in terra* edd. cum pluribus codd. *prostratio in terram*.

[4] Hic a. 2. q. 3.

[5] Codd. A G bb omittunt *Ergo*. Paulo superius pro *intelligimus* codd. U bb *intelligamus*; paulo inferius pro *comprehendat* codd. A G N T X Z *comprehendit*.

[6] Cod. G subdit *Christi*.

hoc quod dicitur *reverentia*, sicut et *fides* intelligitur per *dilectionem*. Et sic patet responsio ad sequens [1].

Dub. II.

Item quaeritur de illo verbo Damasceni: *Christum adoramus cum Patre et Spiritu sancto una adoratione*. Sed *contra*: Pater et Spiritus sanctus sunt personae distinctae; et cuilibet earum debetur una adoratio per se: ergo si ad multiplicationem obiecti sequitur multiplicatio actus [2], videtur, quod illae personae sunt multiplici, non unica adoratione adorandae. — Item, adoratio subsequitur directionem fidei; sed fides distinguit inter personas: ergo et adorans, secundum quod huiusmodi, distinguit inter personas; et si hoc, redit idem quod prius.

Respondeo: Dicendum, quod tres personae unica et simplici adoratione sunt adorandae. — Et ratio huius est, quia illud, secundum quod competit adorari, videlicet summa maiestas, est unicum, nullo modo multiplicatum; et ita, sicut unica dilectione diliguntur, quia in eis est una summa bonitas, sic unica adoratione adorantur. Ratio.

Ad illud quod obiicitur, quod illae personae distinguuntur; dicendum, quod si [3] distinguuntur ratione *emanationis et originis*, non tamen ratione *adorationis*; ideo non sequitur, quod respectu harum habeant diversas *adorationes*, sed quod habeant diversas *relationes*; et hoc quidem dictat fides sana, quam consequitur adoratio. — Et per hoc patet sequens obiectio. Adoratio [4] sequitur fidem, non in quantum distinguit tres personas per relationum pluralitatem, sed in quantum unit per maiestatis unitatem.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ego dominicam carnem in Christo ideo adoro, quod a divinitate suscepta est*. Si enim in Christo adoratur divinitas et humanitas, et in aliis personis divinitas; videtur, quod magis sit adorandus Christus quam aliae personae. — Item, plus tenemur gratias Christo agere post incarnationem quam ante: ergo magis debemus ipsum [5] adorare et venerari: ergo si hoc, magis tenemur adorare Filium incarnatum quam non incarnatum; et si hoc, magis Filium quam Patrem vel Spiritum sanctum. *Si tu dicas*, quod magis debemus adorare Verbum non intensive, sed extensive; *contra*: « plura bona paucioribus bonis magis sunt appetenda [6] »: ergo plura honorabilia magis sunt veneranda et honoranda.

Respondeo: Dicendum, quod non magis adorandus [7] est Christus quam Pater vel Spiritus sanctus; nec Verbum incarnatum plus debet adorari post incarnationem quam ante. — Et huius ratio est, quia *adoratio* respicit maiestatem et dignitatem; et quoniam Verbo nulla crevit [8] dignitas ex humanae naturae assumtione, ideo non debet adorari maiori adoratione. — Nec valet quod obiicit, quod plura bona paucioribus sunt praeeligenda; hoc autem habet multiplicem instantiam. Una est, « quando unum propter alterum, ibi tantum unum [9] ». Unde sicut tenere equum et frenum non est plus tenere quam equum; sic adorare Deum et carnem non est plus quam adorare Deum. — Alia instantia est, quando unum illorum bonorum est improportionabile ad aliud; tunc enim non addit, ut faciat ipsum maius, sicut nec punctus addit ad lineam, ut faciat eam maiorem [10]; et hoc modo creatura habet se ad Creatorem. Ratio. Instantia 1. Instantia 2.

Ad illud quod obiicitur, quod tenemur ad maiorem gratiarum actionem; dicendum, quod non est simile, quia gratiarum actio non tantum respicit excellentiam *dantis*, sed etiam excellentiam *muneris*; non sic autem est de adoratione [11].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nemo carnem eius manducat, nisi prius adoret*. Sed *contra*: Ioannis sexto [12]: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*: ergo si non prodest, non est manducanda nec adoranda. — Item, caro Christi vere est sub Sacramento, ergo vere manducatur, cùm sub Sacramento suscipitur; sed absque adoratione praeambula potest esse Sacramenti susceptio: ergo et vera manducatio.

---

[1] Cfr. de hoc dub. S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. lit. 1.

[2] Pro *sequitur multiplicatio actus* codd. G N *multiplicatur actus*. Pro *obiecti* codd. I L aa *subiecti*.

[3] Edd. *etsi*.

[4] Cod. K hic annectit *enim*. In cod. bb voci *adoratio* praemittitur *quia*, in edd. *quod scilicet*. — De hoc dubio tractant Alex. Hal., S. p. III. q. 30. m. 1. a. 3. § 1; B. Albert., hic a. 13; S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 2; Petr. a Tar., hic circa lit.; Ægid. R., hic q. 3. a. 2. et dub. lit. 2.

[5] Edd. hic inserunt *honorare*.

[6] Aristot., III. Topic. c. 2.

[7] Codd. G K *honorandus*.

[8] Edd. *accrevit*.

[9] Aristot., III. Topic. c. 2. Cfr. tom. II. pag. 639, nota 2. — Pro *ibi* cod. G *utrobique*. Post *ibi* Vat. addit *enim est*. Paulo superius pro *praeeligenda* multi codd. *eligenda*, codd. F U *magis eligenda*. Paulo inferius post *et carnem non est plus* cod. K repetit *adorare*.

[10] Haec instantia etiam loc. cit. ab Aristot. insinuari videtur docente, aliquando etiam non-bona pluribus bonis eligibiliora esse, pro quo in exemplum adducit felicitatem, quam, etiamsi nondum habeatur, eligibiliorem significat quam iustitiam et fortitudinem. Et merito; nam, ut B. Albert. in III. Topic. tr. 1. c. 4. exponit, « beatitudo praeponderat bonis illorum, et non-bonum beatitudini adiunctum non diminuit bonum ipsius ».

[11] Vide de hoc dub. Alex. Hal., S. p. III. q. 30. m. 2. in fine; B. Albert., hic a. 12; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[12] Vers. 64.

Respondeo: Dicendum, quod verbum illud intelligitur de manducatione *spirituali*, quae dicitur manducatio *vera*, quia veram habet efficaciam. Unde *manducare veraciter*, hoc est *manducare efficaciter;* et hoc modo nemo bene manducat, nisi qui adorat, quia non manducat *efficaciter*, nisi manducet *reverenter*. — Et per hoc patet responsio ad ultimum: obiicit enim de manducatione sacramentali, et illud intelligitur de manducatione spirituali. Notandum.

Ad illud quod obiicitur, quod caro non prodest quidquam; dicendum, quod *caro* dicitur carnalis intelligentia, sicut dicit Augustinus[1]: «Caro non prodest quidquam per se, si a spiritu separetur; sed prodest, in quantum est unita Verbo et deificata». Et hoc modo est adoranda adoratione latriae, non duliae. De hoc autem plenius habetur in quarto libro[2]. Notandum.

DISTINCTIO X.

Cap. I.

An Christus, secundum quod homo, sit persona, vel aliquid.

Solet etiam a quibusdam inquiri, utrum Christus, secundum quod homo, sit *persona*, vel etiam sit *aliquid*. — Ex utraque parte quaestionis[1] argumenta concurrunt. Quod enim *persona* sit, his edisserunt rationibus. Si, secundum quod homo, *aliquid* est; vel *persona*, vel *substantia*, vel *aliud* est. Sed *aliud* non: ergo vel *persona*, vel *substantia*. Sed si *substantia* est; vel *rationalis*, vel *irrationalis;* sed non est *irrationalis* substantia: ergo *rationalis*. Si vero, secundum quod homo, est *rationalis substantia*[2], ergo *persona*, quia haec est definitio personae: «Substantia rationalis individuae naturae[3]». Si ergo, secundum quod homo, est *aliquid*, et, secundum quod homo, *persona* est. Pro 1. opinione.

Sed e converso: si, secundum quod homo, *persona* est, vel *tertia* in Trinitate[4], vel *alia;* sed *alia* non: ergo *tertia* in Trinitate persona. At si, secundum quod homo, persona est tertia in Trinitate, ergo Deus. — Propter haec inconvenientia et alia quidam dicunt, Christum secundum hominem non esse *personam* nec *aliquid*, nisi forte *secundum* sit expressivum unitatis personae. *Secundum* enim multiplicem habet rationem. Aliquando enim exprimit *conditionem* vel proprietatem naturae divinae, vel humanae; aliquando *unitatem personae;* aliquando notat *habitum;* aliquando *causam*. Cuius distinctionis rationem diligenter lector animadvertat atque in sinu memoriae recondat, ne eius confundatur[5] sensus, cum de Christo sermo occurrerit. Pro 2. opinione. Dubium 1.

Illud tamen non sequitur, quod in argumentatione superiori inductum est, quod si Christus, secundum quod homo, est *substantia rationalis*, ergo *persona*. Nam et modo anima Christi est substantia rationalis, non tamen *persona*, quia non est *per se sonans*, immo alii rei coniuncta. Illa tamen *personae* descriptio non est data pro illis tribus personis. Contra 1. opinionem.

Sed adhuc aliter nituntur probare, Christum secundum hominem esse *personam:* quia Christus, secundum quod homo, *praedestinatus est, ut sit Dei filius*[6]; sed illud *est* quod ut sit, praedestinatus est: ergo si praedestinatus est, secundum quod homo, ut sit filius Dei; et, secundum quod homo, est filius Dei. — Ad quod dici potest, Christum esse id quod ut sit, praedestinatus est. Est enim praedestinatus, ut sit filius Dei, et ipse vere est filius Dei. Sed *secundum hominem* praedestinatus est, ut sit filius Dei, quia per gratiam hoc habet, secundum hominem; nec tamen secundum hominem est filius Dei, nisi forte *secundum* unitatis personae sit expressivum, ut sit sensus: ipse qui est homo, est filius Dei; ut autem ipse, ens homo, sit filius Dei, per gratiam habet. Sed si *causa* notetur, falsum est; non enim, quo homo est, eo Dei filius est. Replicant. Resp.

Cap. II.

An Christus, secundum quod homo, sit adoptivus filius.

Si vero quaeritur, an Christus sit *adoptivus filius*, secundum quod homo, sive[7] alio modo; respondemus, Christum non esse *adoptivum* filium aliquo modo, sed tantum *naturalem*, quia natura filius est, non adoptionis gratia. Non autem sic dicitur *filius* natura, ut dicitur *Deus* natura. Non enim eo filius est, quo Deus est, quia *proprietate nativitatis* filius, *natura divinitatis* Deus est; et tamen dicitur *natura*, vel *naturae filius*, quia naturaliter est filius, eandem scilicet ha-

---

[1] Tract. 27. in Ioan. Evang. (6, 64.) n. 5: *Caro non prodest quidquam*, sed sola caro; accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit caritas ad scientiam, et prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multum profuit Christus, quomodo caro nihil prodest? Cfr. Enarrat. in Ps. 98. n. 9. et supra a. 1. q. 1.

[2] Dist. 9. a. 1. q. 1. seqq., ubi de modis manducandi agitur. Edd. allegant *dist. 10.* — Hoc dubium solvunt etiam S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. lit. 3.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Cod. C cum Vat. et pluribus edd. praefigit *huius*.

[2] Ed. 1. bene addit *est*.

[3] Haec autem definitio Boethii (de Una Persona etc. c. 3.) ita legitur: «Substantia *individua* rationalis naturae», quam ed. 8 in textum recepit, refragantibus omnibus codd. et ceteris edd. Sensus vix variatur, si *rationalis* trahitur ad *naturae*.

[4] Cod. E et edd. 1, 5, 8 addunt *persona*.

[5] Ita codd. A B D et edd. 1, 8; in aliis *confundantur;* deinde cod. D et edd. 6, 8 *occurrit* pro *occurrerit*.

[6] Rom. 1, 4. — Inferius post *si praedestinatus est.* edd. 1, 8 addunt *Christus*. — De distinctione, quae est in seq. responsione, cfr. Glossa apud Lyranum ad Rom. 1, 4.

[7] Cod. E et edd. 1, 8 *an*. Inferius post *filius* edd., exceptis 1, 8, addunt *Dei*, refragantibus codd.

bens naturam, quam ille qui genuit. *Adoptivus* autem filius non est, quia non *prius* fuit, et postmodum adoDubium 2. ptatus est in filium, sicut nos dicimur *adoptivi filii*, quia cum nati fuerimus *irae filii*, per gratiam facti sumus *filii Dei*[1]. Christus vero nunquam fuit non filius; et ideo non est adoptivus filius.

Sed ad hoc opponitur sic: Christus filius hominis Obiicitur. est, id est Virginis, aut *gratia*, aut *natura*, vel *utroque modo*. Si vero *natura*, aut *divina*, aut *humana*; sed *divina* non: ergo aut *humana* natura, aut *non natura* est filius hominis. Si *non natura*, ergo *gratia* tantum; et si etiam[2] natura humana, non ideo minus per gratiam. Si ergo gratia filius Virginis est, *adoptivus* filius esse videtur, ut idem sit *naturalis* filius *Pa*Resp. *tris*, et *adoptivus* filius *Virginis*. — Ad quod dici poDubium 3. test, Christum filium Virginis esse et natura vel naturaliter et gratia; nec tamen adoptivus filius Virginis est, quia non per *adoptionem*, sed per *unionem* filius Virginis esse dicitur. Filius enim Virginis dicitur, eo quod in Virgine hominem accepit in unitatem personae, Augustinus. et hoc fuit gratiae, non naturae. Unde Augustinus super Ioannem[3]: « Quod Unigenitus est aequalis Patri, non est gratiae, sed naturae. Quod autem in unitatem personae Unigeniti assumtus est homo, gratiae est, non naturae ». Christus ergo nec Dei nec hominis est adoptivus filius, sed Dei naturaliter, et hominis naturaliter et gratia filius. Quod vero *naturaliter* sit hominis filius, Fulgentius. Augustinus ostendit in libro de Fide ad Petrum[4]: « Ille, scilicet Deus, factus est naturaliter hominis filius, qui est naturaliter filius unigenitus Dei Patris ». Quod autem non sit *adoptivus filius*, et tamen gratia sit filius, Hieronymus. ex subditis probatur testimoniis. Hieronymus super Epistolam ad Ephesios[5] ait: « De Christo Iesu scriptum est, quia semper cum Patre fuit, et nunquam eum, ut esset, voluntas paterna praecessit »; « et ille quidem *natura* filius est, nos vero *adoptione*. Ille nunquam filius non fuit; nos, antequam essemus, praedestinati sumus, et tunc Spiritum adoptionis accepimus, quando credidimus in Filium Dei ». Hilarius quoque in Hilarius. libro tertio de Trinitate[6] ait: « Dominus dicens: *Clarifica Filium tuum*, non solo *nomine* contestatus est, se esse filium Dei, sed etiam *proprietate*. Nos filii Dei sumus, sed non talis hic filius. Hic enim verus et proprius est filius *origine*, non *adoptione*; *veritate*, Dubium 4. non *nuncupatione*; *nativitate*, non *creatione* » Augustinus etiam super Ioannem[7] ait: « Nos sumus filii Augustinus. *gratia*, non *natura*; Unigenitus autem natura, non gratia. An hoc etiam in ipso Filio ad hominem referendum est? Ita sane ». Ambrosius quoque in libro Ambrosius. primo de Trinitate[8] ait: « Christus filius est non per adoptionem, sed per *naturam*; per *adoptionem* nos Dubium 5. filii dicimur, ille per veritatem naturae est ». — Ex his evidenter ostenditur, quod Christus non sit filius gratia *adoptionis*. *Illa* enim gratia intelligitur, cum Augustinus eum non esse gratia filium asserit; gratia enim, sed non *adoptionis*, immo *unionis* Filius Dei est filius hominis, et e converso.

Cap. III.

An persona, vel natura praedestinata sit.

Deinde, si quaeritur, utrum praedestinatio illa, quam commemorat Apostolus, sit de *persona*, an de *natura*; sane dici potest, et personam filii, quae semper fuit, esse praedestinatam secundum hominem assumtum, ut ipsa, scilicet ens *homo*, esset Dei filius; et naturam humanam esse praedestinatam, ut Verbo Patris personaliter uniretur.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM X.

De communicatione idiomatum in comparatione ad personam.

Solet etiam quaeri a quibusdam etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de communicatione idiomatum per comparationem naturae ad *naturam*, hic agit de communicatione idiomatum in comparatione ad personam. Et quoniam talium proprietatum et idiomatum[1] quaedam sunt, quae sonant in *nobilitatem* et dignitatem, quaedam vero in quandam *defectibilitatem*; ideo pars ista dividitur in duas; in quarum prima determinat de primis; in secunda vero de secundis, et incipit secunda pars ultimo capitulo huius distinctionis, ibi: *Deinde, si quaeritur, utrum* etc.

Prima pars habet duas. In prima inquirit Magister, utrum conditio personalitatis conveniat Christo, secundum quod homo sive secundum humanam naturam. In secunda vero, utrum filiatio adoptionis secundum humanam naturam conveniat eidem, ibi:

---

[1] Eph. 2, 3. — Mox post *non filius* solae edd., exceptis 1, 8, addunt *Dei*.

[2] Edd. 1, 8 omittunt *etiam*. Deinde pro *Virginis* solae edd., exceptis 1, 8, *hominis*.

[3] Tract. 74. in Ioan. Evang. (14, 16.) n. 3. — Pro *unitatem personae*, quod est in originali et edd. 1, 8, in aliis *unitate*.

[4] Cap. 2. n. 14.

[5] Cap. 1, 5; seq. locus ibid. parum inferius.

[6] Num. 11, ubi respicitur Ioan. 17, 5: Et nunc clarifica me, tu Pater. — In illo textu codd. et ed. 1 post *esse filium* omittunt *Dei*. Cod. C ibi post *filius* glossando addit *contra Nestorium:* origine, non adoptione; *contra Sabellium:* veritate, non nuncupatione; *contra Arium:* nativitate etc.

[7] Tract. 82. in Ioan. Evang. (15, 10.) n. 4.

[8] Sive de Fide, c. 19. n. 126.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Edd. *proprietatum idiomata;* in cod. K a secunda manu pro *et* ante *idiomatum* substitutum est *sive*. Paulo inferius edd. omittunt *et incipit secunda pars, ultimo capitulo huius distinctionis*.

Si vero quaeritur, an Christus sit filius etc. Utrumque autem horum dignitatem et nobilitatem importare videtur, scilicet tam personalitatis conditio quam adoptionis filiatio. Prima pars habet partes duas. In prima movet quaestionem et determinat. In secunda vero dissolvit rationem sophisticam, quae veritatem determinatam impugnat, ibi: *Sed nituntur probare aliter* etc.

Similiter secunda pars principalis habet duas. In prima determinat quaestionem, qua quaeritur, utrum Christus sit filius adoptivus secundum humanam naturam. In secunda contra hoc opponit et determinat, ibi: *Sed ad hoc opponitur sic* etc. Subdivisiones autem partium manifestae sunt in littera. — Generalis autem intellectus distinctionis circa duo versatur, scilicet in ostendendo, quod nec personalitatis conditio nec adoptionis filiatio convenit Christo, secundum quod homo. Nota.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio circa duo.

Primo quaeritur de comparatione Christi hominis ad conditionem personalitatis.

Secundo vero de comparatione eiusdem ad filiationem adoptionis.

Circa primum breviter quaerenda sunt tria.

Primum est, utrum haec sit concedenda: Christus, secundum quod homo, est Deus.

Secundo quaeritur de hac: Christus, secundum quod homo, est persona.

Tertio quaeritur, utrum haec sit concedenda: Christus, secundum quod homo, est individuum.

ARTICULUS I.

De comparatione Christi hominis ad conditionem personalitatis.

QUAESTIO I.

Utrum haec sit admittenda: Christus, secundum quod homo, est Deus.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum haec sit admittenda: Christus, secundum quod homo, est Deus. Et quod sic, videtur.

1. Ad Philippenses secundo[1]: *Dedit illi nomen* etc.; Glossa: « In quantum homo assumsit nomen Dei non usurpative, sed vere »; sed quod vere assumsit vere habet: ergo si, secundum quod homo, assumsit nomen Dei, secundum quod homo, est vere Deus. Ad oppositum.

2. Item, Christus fuit *praedestinatus esse filius Dei in virtute*, sicut dicitur ad Romanos primo[2]; sed Christus est illud, secundum quod homo, ad quod praedestinatus fuit, secundum quod homo: si ergo praedestinatus fuit esse filius Dei, secundum quod homo; Christus est Deus et Dei filius, secundum quod homo.

3. Item, Christus secundum gratiam unionis est Deus et homo; sed gratia unionis et quaelibet gratia competit ipsi Christo secundum humanam naturam: ergo si secundum gratiam unionis est Deus, et secundum quod homo[3], habet gratiam unionis, ergo secundum quod homo, est Deus.

4. Item, Christus, secundum quod peccata dimittebat, est Deus; sed secundum quod homo, peccata dimittebat: ergo secundum quod homo, est Deus. *Maior* manifesta est; *minor* probatur per illud quod dicitur Matthaei nono[4]: *Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata* etc.

Sed contra: 1. Omne illud quod convenit alicui, secundum quod ipsum, aut est *per se accidens*, aut *definitio*, sive *pars definitionis*; sed Deus non se habet hoc modo ad hominem sive ad humanam naturam: ergo etc. *Prima* manifesta est per doctrinam demonstrativam[5]; *secunda* vero manifesta est per se ipsam. Fundamenta.

---

[1] Vers. 9. — Glossa hic allegata neque apud Strabum neque apud Petrum Lombardum neque apud Lyranum habetur. Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. similem affert Glossam, sumtam ex August., II. contra Maximin. Arian. c. 2, quae sic sonat: Hoc [nomen] illi ergo donatum est ut homini, secundum quem Filius factus est obediens usque ad mortem crucis, quod iam habebat idem ipse Dei Filius, Deus de Deo natus aequalis. Cfr. II. Qq. in nov. Testam. q. 64. (inter opera August.) et Comment. in Epist. ad Phil. 2, 9, olim Ambrosio adscriptum. — In fine arg. pro *vere Deus* codd. K bb exhibent *verus Deus*.

[2] Vers. 4. Cfr. supra d. 7. a. 2. q. 3.

[3] Vox *homo* desideratur in non paucis codd. et edd. 1, 2, pro qua Vat. cum nonnullis codd. mox post *gratiam unionis* addit *est homo*. In cod. C legitur: *et secundum quod habet humanitatem, habet gratiam unionis.*

[4] Vers. 6.

[5] De qua agit Aristot. in libris Posteriorum. Ibid. I. c. 4-7. tractatur de ipsa sententia, quae proponitur hic in *maiori*. De locutione *secundum quod ipsum* (i. e. quatenus tale est) cfr. Aristot. V. Metaph. text. 23. (IV. c. 18.). Locutio *per se accidens*, cui opponitur *non per se accidens* sive accidens communiter acceptum (quod scil. et adesse et abesse potest, ac de quo non est demonstratio sive scientia), intelligit *proprietatem* sive passionem, quae resultat ex principiis speciei, ut est risibilitas respectu hominis. Ad rem est illud Aristot., I. Poster. c. 7: Tertium autem genus [eorum quae ad demonstrationem requiruntur] subiectum, cuius passiones et per se accidentia [τὰ καθ' αὐτὰ συμβεβηκότα] ostendit demonstratio. — In *maiori* codd. M O S perperam *aut est per se, aut per accidens*. Deinde pro *sive pars* codd. M O *aut pars*.

2. Item, quae sunt disparata non praedicantur de eodem et secundum idem [1]; sed *esse animal* et *esse Deum* sunt praedicata disparata: si ergo *esse animal* convenit ipsi Christo, secundum quod homo, ergo *esse Deum* non convenit eidem secundum humanitatem.

3. Item, Christus, secundum quod Deus, caret principio: si ergo est Deus, secundum quod homo; sequitur, quod Deus, secundum quod homo, careat principio. Sed secundum quod homo, habet principium: ergo secundum quod habet principium, caret principio: ergo oppositum est ratio sui oppositi; quod est absurdum [2].

4. Item, si aliquod praedicatum convenit alicui subiecto secundum aliquid, illo remoto, non convenit ei: ergo si Christus est Deus, secundum quod homo, si Christus non esset homo, non esset Deus. Sed non fuit homo nisi ex tempore: ergo Christus est Deus solum ex tempore [3]. Sed constat, quod hoc est falsum: ergo falsum est, quod Christus, secundum quod homo, est Deus.

CONCLUSIO.

Christum esse Deum, secundum quod homo, non debet admitti, nisi improprie accipiatur, scilicet secundum indivisionem concomitantiae.

Respondeo: Dicendum, quod quemadmodum Magister dicit in littera [4], haec dictio *secundum* multiplicem facit intelligentiam. Potest enim importare *habitudinem causae*, vel *indivisionem* sive unitatem *concomitantiae*. Si dicat *habitudinem causae*, sic absque dubio falsa est locutio, pro eo quod conditio apposita nullo modo est *causa* praedicati, nec *ratio*, secundum quam nec per quam tale praedicatum insit illi subiecto. — Si autem dicat *indivisionem concomitantiae*, sic potest habere veritatem. Tunc enim dicere, quod Christus sit Deus, secundum quod homo, non est aliud quam dicere, quod *esse Deum* competit personae Christi existenti in humana natura, ita quod divinitas et humanitas concomitantur se inseparabiliter circa eandem personam.

Secundum dupliciter intelligitur.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Iste autem modus accipiendi hanc dictionem *secundum* non est ita communis et [5] proprius, sicut praecedens, licet inveniatur quandoque. — Et sic patet, quod sermo praedictus, scilicet Christus, secundum quod homo, est Deus, secundum diversam intelligentiam huius praepositionis *secundum* quodam modo potest *concedi*, quodam modo *negari*. *Negari* enim debet, secundum quod dicit *causam* sive *rationem formalem*; et secundum istam viam procedunt rationes ad secundam partem; et quia verum concludunt secundum illam viam, ideo concedendae sunt.

Conclusio 3.

1. Ad illud quod primo obiicitur in contrarium, quod assumsit nomen Dei, secundum quod homo; responderi potest, quod *secundum* dicit ibi *concomitantiam* per indivisionem unionis; quia enim unio illa fecit hominem Deum, ideo dicitur assumsisse nomen supremum, secundum quod homo. — Aliter potest dici, quod cum dico *assumere nomen Dei*, duo dico, scilicet nominis ipsius *celsitudinem* et ipsius nominis *acquisitionem*. Cum ergo dicit [6], quod assumsit nomen Dei, secundum quod homo, illa reduplicatio non dicit rationem *nominis*, sed *acquisitionis*. Nam Christus secundum divinam naturam habet *nomen, quod est super omne nomen*, per generationem, non per acquisitionem sive assumtionem; et ideo ex hoc non licet inferre: ergo est Deus, secundum quod homo, accipiendo *secundum quod* secundum eandem acceptionem; immo est *accidens* [7] in illo processu.

Solutio oppositorum.

Alia solutio.

2. Ad illud quod obiicitur, quod praedestinatus fuit esse filius Dei, secundum quod homo; iam patet responsio per idem, quod nunc dictum est, quia haec dictio *secundum* potius dicit *concomitantiam* secundum expressionem conditionis naturae, quam dicat *habitudinem causae*. — Vel potest dici, quod ille sermo dicit rationem *antecessionis*, quae importatur in vocabulo praedestinationis, quae, inquam, non est respectu Christi secundum divinam naturam, sed solum secundum humanam [8]. Non sic autem est de eo quod est *esse Deum*; et ideo consimilis defectus est in hac ratione, sicut in praecedente.

Alia solutio.

3. Ad illud quod obiicitur de gratia unionis, dicendum, quod *Christus* significat personam in duabus naturis; et illa persona Deus est per naturam, non per gratiam unionis; dicitur attamen [9] simul,

---

[1] Boeth., I. de Syllogismo hypothet., ait: « Disparata autem ea voco, quae tantum a se diversa sunt, nulla contrarietate pugnantia, veluti terra, vestis, ignis » etc. Petr. Hispan., Summul. tr. de Locis topic. c. *de Locis extrinsecis*, sic docet: De quocumque dicitur unum disparatorum *abstractive*, ab illo eodem removetur reliquum. Dicitur notanter *abstractive*, quia, si concretive sumeretur, tunc non sequeretur, quia non sequitur: hoc est album, ergo non est quantum; sed bene sequitur: hoc est albedo, ergo non est quantitas.

[2] Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 56. (c. 10.) et IV. Meteor. text. 41. (c. 7.): Contrariorum [ἐναντίων] enim contrariae causae.

[3] Cod. G *ergo Christus non fuit Deus nisi ex tempore.*

[4] Hic c. 1. Quod ad duplicem intelligentiam dictionis *secundum* attinet, de quo in seqq. disseritur, Logici vulgo docent, particulas reduplicativas *secundum quod, in quantum, quatenus* etc. sumi posse vel *reduplicative* (quod fit, quando terminus reduplicatus est praedicati propria causa formalis, aut efficiens), vel *specificative* (quod locum habet, quando terminus reduplicatus non est propria ratio praedicati, attamen aliquo modo eam includit, cum sit quaedam eius species aut proprium subiectum).

[5] Cod. U *nec.*

[6] Codd. A F G N U bb *dicitur.* Mox pro *reduplicatio* cod. bb *implicatio.* Subinde idem cod. bb voci *nominis* praefigit *celsitudinis*, et pro *acquisitionis* codd. S U aa exhibent *acquisitionem.*

[7] De hac fallacia vide supra pag. 179, nota 1.

[8] Cfr. supra d. 7. a. 2. q. 3.

[9] Codd. A G N U Z *tamen*, cod. E *autem.* Paulo inferius post *ex hoc* edd. subiiciunt *tamen.* In fine solut. pro *unitus* non pauci codd. substituunt *mutatus.*

quod sit Deus et homo per gratiam unionis. Esto
Notandum. tamen, quod ista sit concedenda: iste homo est Deus secundum gratiam unionis; ex hoc non habetur, quod sit Deus, secundum quod homo; quia gratia unionis non convenit illi homini, secundum quod homo *simpliciter*, sed secundum quod homo *unitus*, sive secundum assumtionem ipsius a Verbo.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod dimittebat peccata, secundum quod homo[1]; si *proprie* loquamur de dimissione peccati, falsum est, nisi accipiatur haec dictio *secundum*, prout importat concomitantiam. Nec potest inferri ex illa auctoritate: filius hominis habet potestatem dimittendi peccata; Notandum.
hanc enim potestatem, etsi in se haberet *in* forma hominis, non tamen habebat *secundum* hominis formam et in quantum homo, sed in quantum habebat formam Dei. Si vero dimissio peccatorum attribueretur alicui quantum ad *meritum*, tunc posset concedi, quod conveniret Christo, secundum quod homo; sed ex hoc non sequitur, quod sit Deus in quantum homo, quia hoc non est Dei proprium[2].

SCHOLION.

1. In tribus huius articuli quaestionibus continuantur subtiles inquisitiones, iam in dist. 7. inchoatae, de proprietate plurium de Christo homine propositionum, utrum scilicet secundum proprietatem verborum sane dicantur. Hae disceptationes dialecticae in scholas introductae esse videntur ab eo tempore, quo exortae sunt famosae illae tres opiniones, quae relatae sunt in dist. 6. 7. post *divisionem textus*, cum patroni harum opinionum nec in his propositionibus explicandis possint convenire. Insuper notandum cum Magistro et S. Bonaventura, quod terminus *secundum* intelligi potest dupliciter, ut explicatur in corp. Vel cum S. Thoma dici potest, quod aliud est dicere: secundum quod *homo* (quo significatur substantia rationalis *naturae*), et dicere: secundum quod *iste homo* (quo significatur *suppositum* humanae naturae; cfr. tamen infra q. 2. ad 1.) — Quoad 1. quaestionem antiqui Scholastici propositionem cum sua reduplicatione distinguunt eamque intellectum uno modo concedunt, alio modo negant. Adiiciunt autem, quod prior sensus verus minus usui verborum respondeat; unde ista propositio magis sit neganda quam concedenda. At Richard. a Med. vult, eam simpliciter esse negandam. Agitur autem potius de nomine quam de re.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 6. m. 2. a. 2. — Scotus hanc et seq. quaest. tangit III. Sent. d. 11. q. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. III. q. 16. a. 9. — B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 1-3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Ægid. R., hic q. 1. a. 1. 2. — Dionys. Carth., hic q. 2. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

II. Ad seq. (2.) quaestionem S. Bonav. cum Alexandro Hal., B. Alberto, Richardo et Ægid. R. respondet negative, sed S. Thom. in Sum. (loc. cit. a. 12.) propositionem admittit intellectam in duplici sensu, in tertio vero sensu eam respuit. In ipsa re omnes consentiunt.

Alex. Hal., loc. cit. a. 4. — S. Thom., hic q. 1. a. 2. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 1. — Richard. a Med., loc. cit. q. 1. — B. Albert., hic q. 2. a. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum haec sit vera: Christus, secundum quod homo, est persona.

Secundo quaeritur de hac: Christus, secundum quod homo, est persona; et accipiatur illa determinatio *secundum quod homo* proprie. Nam in aliis[3] acceptionibus non est dubium quin habeat veritatem, secundum quod dicit Magister in littera[3]. Et quod sit vera, videtur.

1. Christus non est *homo*, nisi quia est *iste*; sed
Ad oppositam. Christus, secundum quod est *iste homo*, est persona, quia proprium est pronominis pro proprio nomine poni et certam designare personam: ergo haec est vera et concedenda: Christus, secundum quod homo, est persona.

2. Item, Christus, secundum quod homo, est res completa omni completione, quae potest reperiri in rationali creatura; sed personalitas est dignitas et proprietas nobilitatis reperta in creatura rationali completa[4]: ergo reperitur in Christo, secundum quod Christus est homo.

3. Item, nobilior et perfectior est unio, secundum quam Verbum unitur naturae assumtae, quam unio, secundum quam tota Trinitas per gratiam unitur cuilibet animae iustae[5]; sed unio per gratiam inhabitantem nulli tollit personae dignitatem, immo quilibet homo iustus, secundum quod homo, est persona: ergo multo fortius Christus.

4. Item, unio divinae naturae ad humanam nihil tollit *divinitati*, quae tamen dicitur *humiliata*, et multo fortius nihil tollit *humanitati*, cum huma-

---

[1] In cod. K a secunda manu adiectum est *dicendum, quod*. Circa finem solut. pro *quantum ad meritum* in codd. G N U scriptum est *secundum meritum*. Cfr. infra d. 19. a. 1. q. 1. Deinde pro *conveniret* cod. aa *convenit*.

[2] Cfr. IV. Sent. d. 5. a. 3. q. 2.

[3] Hic c. 1. — Superius pro *et accipiatur* (codd. W X *accipitur*) Vat. *et hoc si accipiatur*, edd. 1, 2 *et si accipiatur*. Paulo inferius pro *nisi quia* cod. K *nisi secundum quod*, et subinde post *est iste* edd. repetunt *homo*. — Rationem *minori* additam Priscian., XI. Grammat. c. 2. sic exprimit: « Pronomen enim dicitur quod pro nomine ponitur ». Et ibid. XVII. c. 2. idem dicit: Substantiam enim significat loco nominis positum pronomen et personam verbo sibi adiuncto congruam indicat.

[4] Cfr. supra d. 5. a. 2. q. 2. seq. — Pro *nobilitatis* cod. U *rationabilitatis*, cod. F voci *nobilitatis* addit *i. e. rationabilitatis*.

[5] Vide supra d. 2. a. 3. q. 2. — In codd. H I (K primitus) L T Z aa deest *tota* ante *Trinitas*.

nitas dicatur per illam unionem *exaltata* [1]; sed haec est vera: Christus, secundum quod Deus, est persona: ergo multo fortius haec erit vera: Christus, secundum quod homo, est persona, cum homo nihil perdat dignitatis, sed acquirat per unionem illam.

5. Item, esto per impossibile, quod Verbum dimitteret naturam humanam [2], tunc ille homo, qui dicitur Iesus, secundum quod homo, esset persona; sed constat, quod nihil sibi accresceret propter illam separationem: ergo verum est nunc, quod Iesus, secundum quod homo, est persona.

Sed contra: 1. Nihil convenit Christo, secun- Fundamenta. dum quod homo, quod non sit *assumtum*, vel *coassumtum*; sed Filium Dei assumsisse personam est falsum et haereticum, sicut supra distinctione quinta [3] dicit Magister, et Augustinus, et multipliciter fuit probatum: ergo falsum est, Christum esse personam, secundum quod homo.

2. Item, si Christus, secundum quod homo, est persona; et humanitas coepit in Christo: ergo et personalitas: igitur Christus incepit esse persona: ergo non est persona aeterna: igitur non est unigenitus Filius Patris, cum Filius sit coaeternus Patri. Sed hoc est impium: ergo restat, quod illud, ex quo hoc sequitur, est falsum [4].

3. Item, impossibile est, idem praedicatum inesse eidem secundum naturas differentes: cum ergo Christus sit persona, secundum quod *Deus*; aut non conveniret ei esse *personam*, secundum quod *homo*, aut *alia* persona erit, secundum quod homo; et si alia persona est, secundum quod *homo*, et alia, secundum quod *Deus*: ergo Christus est duae personae: ergo non est unus, et ita non est [5]. Sed hoc est falsum: restat igitur, quod aliud membrum est verum, scilicet quod Christo non convenit esse personam, secundum quod homo.

4. Item, personalitas cuilibet rei inest ratione eius quod est in ipsa dignissimum — pertinet enim nomen personae ad notabilem [6] dignitatem — sed constat, quod dignissimum in Christo non est humana natura, sed divina; ergo falsum est, Christum secundum hominem sive secundum humanam naturam esse personam.

5. Item, hoc ipsum ostenditur per nominis etymologiam. Sic enim arguit Magister in littera [7]: *Persona* dicitur quasi *per se sonans*, vel *per se unum*; nihil autem tale est alii coniunctum, saltem digniori: ergo si humana natura in Christo unita est digniori, scilicet divinae, videtur etc.

CONCLUSIO.

Locutio: Christus, secundum quod homo, est persona, neganda est.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio, si haec dictio *secundum* accipiatur, prout importat rationem *formae*, vel *causae* [8], neganda est simpli- Conclusio 1. citer; pro eo quod personalitas Christo secundum humanam naturam convenire non potest. Ipsa enim *coniuncta* est rei digniori, et ideo non potest habere rationem personae, quae attenditur secundum excellentiam dignitatis in eo, de quo dicitur; nec tantum coniuncta est rei digniori quacumque coniunctione, sed coniunctione sive unione *personali* [9]. Et ideo necesse est, esse in Christo respectu duarum naturarum unam personam; sed illa non potest attendi penes naturam creatam et penes naturam assumtam: necesse est igitur, ipsam attendi Conclusio 2. secundum naturam assumentem et increatam. Et propterea haec admittitur: Christus, secundum quod Deus, est persona; haec respuitur: Christus, secundum quod homo, est persona, sicut probant rationes ad secundam partem inductae; et ideo sunt concedendae.

1. Ad illud quod obiicitur de hac: Christus, Solutio oppositorum. secundum quod iste homo, est persona: ergo etc.; dicendum, quod haec est distinguenda, quia *iste* po- Notanda distinctio. test demonstrare naturam humanam *in atomo* [10], scilicet compositum ex illa anima et illo corpore; et hoc modo falsum est, Christum, secundum quod est iste homo, esse personam. Nec valet quod obiicit, quod pronomen demonstrat certam personam; *persona* enim ibi tantum valet quantum *suppositum*, unde convenienter dicitur: ista albedo. Si autem hoc quod est *iste* demonstrat *personam*, tunc est vera, et est sensus: Christus, secundum quod est iste, qui est homo, est persona. Sed tunc non sequitur: ergo secundum quod homo, immo est sophisma *secundum accidens* [11]. — Generaliter autem Aliter.

---

[1] Cfr. August., Epist. 137. (alias 3.) c. 3. n. 9; Epist. 169. (alias 102.) c. 2. n. 7. seq., et de Praedest. Sanctor. c. 15. n. 31.

[2] In codd. A G (K a prima manu) L T U V Z aa desideratur *humanam*, pro quo cod. bb substituit *illam*. Codd. N W X *naturam humanam* mutaverunt in *hominem*.

[3] Cap. 1. et 3, nec non Comment. ibid. a. 2. q. 2, ubi et Augustini testimonia habentur, quae hic respiciuntur. — De *maiori* cfr. supra d. 5. a. 2. q. 5. ad 4. — Voci *Magister* cod. G annectit *in littera*.

[4] Cfr. infra d. XI. lit. Magistri, c. 3, et Comment. a. 2. q. 2. seq.

[5] Sic argumentatur Boethius; vide supra d. 5. a. 2. q. 2. fundam. 2. — In initio arg. codd. K N T vocabulo *eidem* adiungunt *subiecto*. Deinde pro *conveniret* Vat. substituit *conveniet*, et mox post *aut alia persona erit, secundum quod homo* cod. Q addit *et alia, secundum quod Deus*.

[6] Codd. M O *rationabilem*.

[7] Hic c. 1. Cfr. supra d. V. c. 3. — Mox pro *vel per se unum* cod. bb *vel per se una*. In fine arg. post *divinae* cod. U repetit *naturae*.

[8] Vide corp. quaest. praeced.

[9] Cfr. supra d. 6. a. 2. q. 1. — Paulo inferius pro *et penes* cod. K *nec penes*, cod. U *vel*.

[10] Respiciuntur verba illa Damasc., quae supra pag. 15, nota 4. allegavimus. De hac solut. cfr. quaest. seq.

[11] Cfr. supra pag. 479, nota 1. et tom. II. pag. 870, nota 8. — Paulo superius post *demonstrat personam* cod. K subiicit *propriam*.

posset resisti illi modo arguendi. Non enim sequitur: Petrus est individuum, secundum quod hic homo: ergo est individuum, secundum quod homo.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Christus, secundum quod homo, est res completa omni completione; dicendum, quod verum est de completione Notandum. *absoluta*, de completione autem *respectiva*, quae est dignitas superexcellentiae, veritatem non habet; nam humana natura in Christo non est nobilissimum eius, sicut in aliis hominibus. Nec ex hoc sequitur, quod minor sit dignitas in Christo, secundum quod homo, quam in aliis hominibus, propter hoc, quia illa dignitas recompensatur per dignitatem improportionabiliter nobiliorem. Multo enim nobilius est esse personam personalitate aeterna quam personalitate creata [1].

3. Ad illud quod obiicitur, quod unio per gratiam non tollit dignitatem personae; dicendum, quod non est simile, quia, quamvis anima per gratiam uniatur rei digniori, scilicet Deo, non tamen unitur unione *naturali*, sed magis *voluntaria*; nec unitur in *unitatem hypostasis*, sed in *conformitatem voluntatis*. Et ideo non est necesse, Spiritum esse unius personae cum anima, quam inhabitat, sed conformis voluntatis. Non sic autem est in Christo, in quo personalis unio est [2].

4. Ad illud quod obiicitur, quod quamvis natura divina sit unita humanae, tamen Christus est persona, secundum quod Deus; dicendum, quod non est simile, duplici ex causa: persona quidem duo Persona dicit duo. dicit, scilicet *hypostasim*, in qua est substantia [3] totius *esse* rei, et *proprietatem supereminentis dignitatis*; et in illa beata unione utrumque horum Notandum. reperitur in Christo, secundum quod Deus. Nam *hypostasis divina* est illa, in qua substantificatur totum *esse* Christi, non humana; *proprietas* etiam *dignitatis* inest illi secundum illam naturam, quae non potest uniri digniori; utrumque autem horum deficit humanae naturae, quoniam ipsa substantificatur in hypostasi *alterius* naturae, propter quod quodam modo dicitur *vergere in accidens*; [4] unitur etiam *digniori naturae*. Et ideo ex ipsa sui unione et nobilitate caret proprietate personae *secundum se*, quamvis non careat, immo habeat in *assumente*.

5. Ad illud quod obiicitur, quodsi Verbum dimitteret humanam naturam, quod Iesus, secundum quod homo, esset persona; dicendum, quod verum est, quia tunc illa natura haberet *alium modum* Notandum. *existendi*; non enim esset unita alii digniori nec haberet suppositum alterius naturae. Nunc autem est e contrario; et [5] in illo processu nulla est necessitas inferendi, quia non servatur convenientia similitudinis. Et *si tu obiicias*, quod nulla dignitas accrescit; dicendum, quod ille homo sit persona, secundum quod *homo*, hoc non est propter *dignitatis crementum*, sed propter *minorationem* ex illa separatione, quia tunc natura illa prius haberet pro supposito personam *aeternam*, nunc autem post separationem habet [6] personam *temporalem*. Multo autem dignius est habere personam aeternam alterius naturae quam personam temporalem sibi omnino connaturalem. Nam primo modo persona faciebat, ipsum vere dici et esse Deum, secundo modo hominem purum [7].

QUAESTIO III.

Utrum haec sit vera: Christus, secundum quod homo, est individuum.

Tertio quaeritur de hac: Christus, secundum quod homo, est individuum. Et quod vera sit, videtur.

1. Christus est *aliquid*, secundum quod homo, Argg. pro parte affirmativa. sicut habitum est in praecedentibus [8], aut ergo *quid universale*, aut *quid singulare*; sed non *universale*, quia Damascenus dicit, quod «Filius Dei assumsit humanam naturam *in atomo*», hoc est in singulari, et hoc est individuum: ergo etc.

2. Item, Christus, secundum quod homo, habet proprietates, quarum collectionem impossibile est in alio reperire; hoc autem est *esse individuum*, sicut patet per notificationem *individui*, quam dat Porphyrius [9]: «Individuum est quod constat ex proprietatibus, quarum collectionem impossibile est in alio reperire»; sed hoc convenit Christo, secundum quod homo: ergo etc.

3. Item, Christus, secundum quod homo, prae-

---

[1] Cfr. supra d. 5. a. 2. q. 2. ad 1. et 2. — Aliquanto superius post *sicut* cod. A interserit *est*, et post pauca, scil. post *secundum quod*, cod. S subdit *ille*. Deinde pro *quia illa dignitas* codd. A G K N U bb exhibent *quod illa dignitas*, et demum pro *nobiliorem* in codd. G Z (bb a secunda manu) scriptum est *nobilitantem*, in codd. W X *digniorem*.

[2] Vide supra d. 2. a. 3. q. 2. — Paulo superius pro *Spiritum* (scil. sanctum) edd. 1, 2 cum paucis codd. *ipsum*, Vat. *ipsum Deum*.

[3] Cod. A bene *substantiatio* [substantificatio?], cod. bb *sustentatio*, Vat. *subsistentia*. Cfr. supra d. 5. a. 2. q. 2. scholion. Mox pro *beata* edd. *vera*. Deinde post *substantificatur* edd. cum cod. cc inepte addunt *in hypostasi alterius naturae*.

[4] Vide supra pag. 155, nota 6. — Paulo inferius post *caret* Vat. inserit *et*.

[5] Vat. *et ideo*.

[6] Vat. *haberet*. Eadem Vat. paulo superius ante *sit persona* (codd. I L N T Z aa *fit persona*) interlicit *cum*; in cod. U legitur *quod etsi homo ille* etc. Circa finem solut. Vat. voculam *sibi* mutavit in *sive*.

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[8] Dist. 6. a. 1. q. 3. — De dicto Damasceni (III. de Fide orthod. c. 11.) vide supra pag. 15, nota 5.

[9] De Praedicab. c. *de Specie*, in fine. In *maiori* Vat. inepte omittit *homo*.

dicatur de uno solo; sed « *singulare* et *individuum* est illud quod de uno solo praedicatur [1] »: ergo Christus, secundum quod homo, est individuum.

4. Item, haec est vera: Christus est homo; aut ergo praedicatur ibi praedicatum *accidentale*, aut *substantiale*. Non *accidentale*, hoc constat, cum homo vere dicatur de Christo, sicut et de aliis hominibus; si *essentiale:* ergo vel est *genus*, vel *species*, vel *differentia*. Non *genus*, vel *differentia:* ergo species; sed *species specialissima* praedicatur de individuis solum sub ipsa contentis [2]: ergo Christus est individuum hominis.

5. Item, haec est vera: Christus, secundum quod homo, est substantia; sed substantia dividitur sufficienti divisione a Philosopho [3] per *primam* et *secundam:* aut igitur Christus est substantia *prima*, aut *secunda;* non *secunda*, cum non sit genus, vel species: ergo *prima*. Sed *prima substantia* idem est quod *individuum:* ergo etc.

6. Item, haec est vera: Christus, secundum quod homo, est albus, et albedo inest Christo, secundum quod homo; sed accidentia primo et per se sunt in individuis [4]: ergo albedo inest Christo, secundum quod est hominis individuum.

Sed contra: 1. Idem est *esse individuum substantiae* et *hypostasim;* sed in Christo una sola est hypostasis, quoniam in hypostasi fit unio, ut dicit Damascenus [5], et illa hypostasis est divina, non humana nisi per unionem: ergo si haec est falsa: Christus, secundum quod homo, est hypostasis; haec similiter est falsa: Christus, secundum quod homo, est individuum. Pro parte negativa.

2. Item, Christus, secundum quod *homo*, est individuum, et secundum quod *Deus*, est substantia individua — hoc constat — et secundum rationem individuationis est numeratio: ergo Christus est duo. Sed hoc est falsum, sicut ostensum est supra [6]: ergo etc.

3. Item, omne individuum est *per se unum* et *unum numero* [7]; sed nihil tale est unitum alii substantiae antecedenti secundum *esse:* ergo cum humana natura in Christo sit unita Verbo aeterno, videtur, quod rationem individuationis non teneat in ipso.

4. Item, quidquid dicitur de filio hominis, dicitur de Filio Dei: ergo cum *individuum* dicat « collectionem proprietatum, quam impossibile est in alio reperiri et de alio individuo dici [8] »; impossibile est, quod Christus sit aliud et aliud individuum, secundum quod *homo*, et secundum quod *Deus:* ergo sicut in Christo est unitas personalitatis, ita est unitas individuationis: ergo sicut haec est falsa: Christus est persona, secundum quod homo; ita, ut videtur, haec erit falsa: Christus est individuum, secundum quod homo.

Quaeritur igitur de hac et de consimilibus, videlicet utrum sint concedendae: Christus est *individuum*, secundum quod homo; Christus est *suppositum*, secundum quod homo; Christus est *hypostasis*, secundum quod homo; et de aliis consimilibus, quid *veritatis* habeant et quid *proprietatis*. Quaestio generalis.

CONCLUSIO.

Locutio: Christus, secundum quod est homo, est individuum, conceditur, quatenus individuum accipitur largiori modo.

Respondeo: Dicendum, quod accipiendo *proprie* hanc dictionem *secundum*, prout dicit habitudinem *causae* [9], quaedam ex huiusmodi locutionibus *simpliciter* sunt falsae et impropriae, quaedam sunt *distinguendae*, pro eo quod habent aliquid *proprietatis*, aliquid *improprietatis*. Conclusio generalis ad quaestiones.

Haec enim est falsa et impropria: Christus, secundum quod homo, est *persona;* et haec similiter: Christus, secundum quod homo, est *hypostasis*. Sed *prima* est falsa ex duplici causa: tum quia persona importat *proprietatem dignitatis*, tum etiam, quia importat *fundamentum totius existentiae naturalis*. Neutrum autem horum inest Christo ratione naturae assumtae, sed assumentis [10]. — *Secunda* vero est falsa altera illarum causarum, quoniam, etsi De duplici locutione, conclusio. Notandum.

---

[1] Quod Aristot. docet I. Periherm. c. 5. (c. 7.). Cfr. supra pag. 133, nota 5. Porphyr., de Praedicab. c. *de Genere*, ait: Eorum enim quae praedicantur, alia quidem de uno dicuntur solo, sicut individua, ut Socrates et hic et hoc; alia vero de pluribus, quemadmodum genera et species et differentia et propria et accidentia etc.

[2] Cfr. Porphyr., de Praedicab. c. *de Specie*. Vide supra pag. 49, nota 4. — Paulo superius pro *si essentiale* codd. F U *si substantiale*. Subinde in initio seq. enuntiati pro *vel differentia* cod. U *nec differentia*.

[3] De Praedicam. c. *de Substantia*, ubi et illustrantur quae hic in arg. amplius proponuntur.

[4] Aristot., de Praedicam. c. *de Substantia*: Color in corpore est, ergo et in *quodam* corpore; nam si non in aliquo esset singulorum, nec omnino in corpore. Cfr. tom. II. pag. 105, nota 8, ubi Boethii expositio in hunc loc. allegatur.

[5] Libr. III. de Fide orthod. c. 5, ubi statuit, quod in incarnatione duas naturas « secundum hypostasim unitas esse confitemur ». Cfr. ibid. c. 3. et 11. nec non supra lit. Magistri, d. V. c. 1. in fine et d. VI. c. 3. — Quod in *maiori* proponitur Damasc. loc. cit. c. 4. insinuat dicens, quod « persona ac hypostasis individuum denotet ». Et in Dialect. c. 11. ait: De isto [individuo] philosophi loquuntur, quod quidem in substantia hypostasim significat.

[6] Dist. 6. a. 1. q. 1. — Aristot., de Praedicam. c. *de Quanto*, ait: « Numerus quidem *discretorum* est ». Et V. Metaph. text. 11. seq. (IV. c. 6.) docet, numerum sequi divisionem (quae includitur in notione individui i. e. divisi ab aliis). Cfr. Damasc., III. de Fide orthod. c. 8.

[7] Aristot., X. Metaph. text. 1. (IX. c. 1.): Numero igitur indivisibile est singulare.

[8] Porphyr., de Praedicab. c. *de Specie*, in fine. — In initio arg. post *quidquid dicitur* edd. cum paucis codd. adiungunt *vere*. De *maiori* cfr. supra d. 7. a. 1. q. 1. seqq.

[9] Cfr. supra q. 1. in corp.

[10] Vide supra d. 5. a. 2. q. 2. et 4. nec non d. 6. a. 1. q. 1, ubi et plura invenies de iis quae in textu procedente proferuntur. — Inferius pro *ex utroque* cod. K (bb a prima manu) *ex utraque*.

hypostasis non dicat *proprietatem excellentiae*, dicit tamen *fundamentum existentiae;* hoc autem in Christo non est anima nec caro nec ex utroque compositum, sed Verbum increatum. Et propterea praedictae duae locutiones impropriae sunt et falsae; et si legantur alicubi, sunt exponendae et secundum aliam acceptionem illius determinationis, secundum quod est homo [1], sunt intelligendae.

De duabus aliis. Haec autem, de qua nunc est sermo, scilicet Christus est *individuum*, secundum quod homo; et haec: Christus est *suppositum*, secundum quod

Conclusio 1. homo, possunt habere *proprietatem* et *improprietatem* secundum diversam intentionem istorum vocabulorum. — Dicitur enim aliquid *individuum*

De individuo distinctio. dupliciter: uno modo, quia dicitur de *uno solo;* et hoc modo albedo Petri est *individuum*, et hoc modo *individuum* dicitur quod est *indivisum in se*. Et sic

Conclusio 2. absque dubio Christus, secundum quod homo, est individuum. Alio modo dicitur *individuum* quod est

Conclusio 3. *ab aliis divisum* et *subsistit in se* et *per se;* et hoc modo accipiendo individuum, humana natura in Christo non est individuum. Est enim unita Verbo increato, sicut suo supposito.

Per hunc etiam modum distinguendum est, cum

De supposito distinctio. dicitur: Christus, secundum quod homo, est *suppositum*. Est enim *suppositum in quo* et *suppositum de quo* [2]. Si dicatur suppositum illud, *de quo* alte-

Conclusio 4. rum praedicatur et quod subiicitur superiori; Christus, secundum quod homo, est suppositum. Si vero dicatur illud suppositum, *in quo* totum *esse* rei

Conclusio 5. stabilitur et fundatur; sic non est concedendum, Christum esse *suppositum*, secundum quod homo, nisi arctetur *ratio suppositi*, ut dicatur suppositum accidentium et proprietatum accidentalium.

Unde quia in *unica* sui acceptione tam nomen

Epilogus. *individui* quam nomen *suppositi* aequipollet *hypostasi*, falsae sunt praedictae locutiones ex eadem causa, ex qua et locutio praedicta, scilicet: Christus est hypostasis, secundum quod homo. Sequeretur enim, quod in Christo essent duo supposita et duae hypostases; et ita non esset unum, nec esset in eo vera unio. — Secundum autem *aliam* acceptionem

Ad argg. pro utraque parte. possunt concedi; et per hoc possunt dissolvi rationes, quae inducuntur ad utramque partem. Rationes enim, quae inducuntur ad primam partem, procedunt de *individuo*, secundum quod *individuum* dicitur quod de uno solo dicitur. Rationes vero ad partem sequentem procedunt de individuo, secundum quod non solum non dividitur *in alia* [3], sed etiam in quantum dividitur *ab alio supposito*, et hoc quidem non habet in Christo. Et hoc totum patet pertractanti singulas rationes.

Ad quaestionem generalem. Ex his patet quod ultimo quaerebatur, quae scilicet locutiones in hac materia sint admittendae, et quae non. Illae enim concedendae sunt, quae sic veritatem et proprietatem naturarum important, quod illi summae unioni non praeiudicant, in qua quidem facta est unio in persona Verbi, non solum in quantum dicit *dignitatem proprietatis*, sed [4] in quantum dicit *suppositum incommunicabile*, scilicet ipsam hypostasim, ratione cuius est mutua praedicatio et idiomatum communicatio. — Et hoc tanquam pro Directivum principium. directivo principio est habendum, quia in illa unione beata persona Verbi fecit se suppositum humanae naturae, sicut pluries in praecedentibus [5] dictum est. Et pro tanto humana natura in Christo dicitur *vergere in accidens:* et ideo aliquod praedicatum, quod dicit modum existendi, vere attribuitur *nobis* secundum humanam naturam, quod tamen non vere attribuitur *Christo* secundum humanam, sed secundum divinam, scilicet esse *personam*, et esse *hypostasim*, esse *suppositum*, esse *individuum*, secundum quod vocabulo hypostasis aequipollent; licet secundum largiorem modum accipiendi duo ultima possint attribui, ut praetactum est.

Obiectio de individuo. Sed contra praedicta videtur posse obiici, quoniam videtur, quod Christus, secundum quod homo, *vere* et *proprie* sit individuum. Sicut enim in secundo libro [6] ostensum fuit, individuatio *est* ex communicatione materiae cum forma, et *innotescere* habet per accidentium collectionem; Christus autem, secundum quod homo, ex anima et carne componitur, sicut et alii homines: ergo ita vere et proprie habet individuationem, sicut et alii homines: non videtur igitur, quod praedictum est sufficere. — Propter hoc est quaestio, quantum sit de proprietate *indi-* Quaest. incidens. *viduationis* in Christo, secundum quod homo. Si enim non est amplior, nisi quia dicitur de *uno solo;* tunc non habet magis de ratione *individuationis* quam *accidentia;* quod absurdum est penitus, cum Christus, secundum quod homo, sit vera substantia [7].

Solutio. Et dicendum, quod circumscriptis accidentibus et proprietatibus, quae individuationem non *faciunt*, sed *ostendunt*, individuatio est a *principiis intrinsecis*, secundum quod unum constituunt suppositum, in quo totum *esse* rei stabilitur. Et quia ex concursu

---

[1] Intellige: secundum unitatem concomitantiae, ut dictum est supra q. 1. in corp. — Aliquanto inferius pro *intentionem* Vat. *acceptionem.*

[2] Cfr. supra d. 6. a. 1. q. 1. in corp.

[3] Edd. 1, 2 cum multis codd. *non solum dividitur in alia*, perperam omissa vocula *non* ante *dividitur;* Vat. *non solum dividitur ab alio;* nostram lectionem tuentur codd. A F U bb. Mox post *supposito* Vat. cum cod. cc addit *vel suppositaliter.*

[4] Edd. *sed etiam.*

[5] Dist. 1. a. 1. q. 1; d. 5. a. 2. q. 1. seqq.; d. 6. per totam. — Paulo superius pro *directivo* codd. C D E T X *ductivo*, Vat. *ductivo vel directivo.* Subinde post *habendum* cod. A *quod* pro *quia.* De enuntiato seq. cfr. supra pag. 155, nota 6.

[6] Dist. 3. p. 1. a. 2. q. 1. seqq. — Mox pro *ex communicatione* cod. bb *ex coniunctione*, et pro *materiae cum forma* cod. K *formae cum materia.* Paulo inferius pro *non videtur igitur* cod. N *et ita non videtur.*

[7] Vide supra d. 6. a. 1. q. 3. — Codd. C N X *sit una substantia*, edd. *sit una vera substantia.*

illorum principiorum constituitur individuum, et resultat forma totius, quae est forma specifica; hinc est, quemadmodum dicit Boethius [1], quod « species est totum *esse* individui ». In Christo autem anima et caro, sive materia et forma, uniuntur non solum
Notandum. in eo quod *constituunt,* sed etiam in *hypostasi Verbi* aeterni. Et ideo forma specifica non dicit totum *esse* Christi, ac per hoc Christus, secundum quod homo, non habet omnino *plenam rationem* individui; unde quasi medium tenet inter individuum, *proprie* dictum, et individuum, secundum quod *accidens* dicitur aliquid individuum. Nam in individuo *proprie* dicto est principiorum substantialium unio et primi suppositi constitutio in se ipso, non in altero. Utrumque autem horum deest in *accidentibus,* quae nec *in se* nec *per se* subsistunt [2]. Medio modo est in Christo, ubi principia conveniunt secundum humanam naturam; tamen primum suppositum est alterius naturae, non ab eis constitutum. — Et sic patet, quod veritatem habent quae praedicta sunt. Ad haec autem valent praedeterminata libro secundo, distinctione tertia [3].

SCHOLION.

I. Communiter antiqui Scholastici non concedunt simpliciter locutionem, quod Christus, secundum quod homo, sit individuum. Nam, ut dicit Ægid. R. (hic q. 2. dub. lat. 1.) ad mentem S. Thomae, « illa humana natura (in Christo), licet *sit* quoddam individuum, non tamen *praedicatur de Christo* in abstracto, et ut est quoddam individuum, quia Christus non est humanitas ». — Aliis verbis ac S. Bonav., sed in re idem dicentibus, rem explicat Petr. a Tar. (hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2.) sic: « Uno modo individuum accipitur *communiter,* secundum quod est in *quolibet genere;* altero modo *specialiter,* secundum quod est in *genere substantiae solius. Primo* modo individuum dicitur quod de uno solo praedicatur; *secundo,* quod per se subsistit, ab aliis divisum. Primo modo pes vel albedo Socratis potest dici individuum; secundo modo non. Primo modo plura sunt *in Christo* individua, sed *ipse* non est nisi unum solum individuum; secundo modo unum solum *in Christo* est individuum, *specialiter* dictum, et *ipse* est illud, scilicet persona divina ». Deinde resolvit, quod Christus, secundum quod homo, est individuum, *primo* modo intellectum, nec tamen aliud a persona; non autem in *altero* sensu acceptum. — Quoad terminum *suppositum* S. Bonav. praeter sensum vulgarem alium sensum cum antiquis Scholasticis distinguit, scilicet ut aliquid sub *communi natura positum,* ad quam habet respectum, et quae de illo praedicatur. Si ita intelligitur, « Christus, secundum quod homo, *supponitur* humanae naturae, vel est aliquod suppositum humanae naturae »; ita S. Thom. (hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 3.). — In fine quaestionis notanda sunt quae dicuntur ad quaestionem generalem et incidentem de ratione individui in Christo.

II. Praeter locos citatos: Alex. Hal., S. p. III. q. 6. m. 2. a. 3. — B. Albert., hic a. 1. quaestiunc. 2. 3.

ARTICULUS II.

De filiatione adoptionis.

Consequenter quaeritur de secundo principali, scilicet de filiatione adoptionis. Et circa hoc incidunt tria inquirenda.

Primum est, utrum filiatio adoptionis sit in Christo.

Secundum est, utrum sit in aliis per Christum.

Tertium est, utrum sit in nobis per comparationem ad Christum.

QUAESTIO I.

Utrum filiatio adoptionis sit in Christo.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum filiatio adoptionis sit in Christo; quod est quaerere, utrum Christus sit filius adoptivus. Et quod sic, videtur.

1. Hilarius de Trinitate [4]: « Potestatis dignitas non amovetur, dum carnis humanitas adoptatur »: si ergo hoc dicit quantum ad assumtionem humanae naturae a Verbo, videtur, quod in Christo humana natura sit adoptata.

2. Item, Spiritus caritatis est ille qui facit fi-

---

[1] Libr. III. Comment. in Porphyr. c. *de Specie,* et lib. de Divisione. Cfr. tom. II. pag. 441, nota 8. — Pro *individui* cod. K *individuorum.* Paulo inferius pro *totum esse Christi* codd. W X *totum esse individui,* cod. N *totum esse individui Christi.*

[2] Cfr. Aristot., VII. Metaph. text. 2. (VI. c. 1.).

[3] Part. I. a. 2. q. 1. seqq. — Cfr. etiam supra d. 2. a. 2. q. 3. et d. 6. a. 1. q. 3.

[4] Libr. II. n. 27: « Ita potestatis dignitas non *amittitur,* dum carnis *humilitas* adoptatur ». In quae verba (ut etiam editores Maurini animadverterunt) Hincmarus, archiepiscopus Rhemensis († 882), in prooemio Dissertat. posterioris de Praedestinatione hanc fecit annotationem: « Sicut ipsorum qui interfuerunt concilio relatione didicimus, Domnus Carolus Felicem, infelicem Orgellitanae civitatis episcopum, synodali decreto haereticum comprobatum atque damnatum comperit, etiam revictum invenit, quia, corrupto muneribus iuniore bibliothecario Aquensis palatii, librum beati Hilarii rasit et, ubi scriptum erat: quia in Dei Filio *carnis humilitas adoratur,* immisit *carnis humilitas adoptatur* ». Alcuin., VI. contra Felicem Urgellitan. episc. c. 6. ait: « Tu omnino perverse dicis *adoptatur,* ubi beatus Hilarius ait *adoratur* ». Nihilominus editores Maurini verbum *adoptatur* retinendum esse duxerunt, tum quia, ut referunt, in nonnullis codd. iam ante Felicem exaratis sic scriptum sit; tum quia *adoptatur* hic omnino idem significet atque *assumitur;* tum demum, quia verbum *adoratur,* licet a dictionibus proxime antecedentibus *(panni sordent; Deus adoratur,*

lios adoptionis, sicut patet ad Romanos octavo[1]: *Non accepistis iterum spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum;* sed Christus habuit spiritum dilectionis, secundum quod alii, quem et accepit per donum gratiae, in quantum homo: ergo est filius adoptivus.

3. Item, aut Christus *est* filius Dei, secundum quod homo, aut non. Si *non;* et alii homines sunt filii Dei: ergo maioris dignitatis sunt alii homines, quam ille qui est Deus; quod absurdum est. Si igitur *est* Filius Dei, secundum quod homo, aut *naturalis*, aut *adoptivus;* sed non *naturalis*, quia tunc esset eiusdem naturae, secundum quod homo[2]: restat ergo, quod sit filius *adoptivus*.

4. Item, omnes sumus filii Dei per creationem[3]; sed hoc non impedit, quin possimus esse filii per adoptionem mediante dono gratiae: ergo pari ratione, quamvis Christus sit Filius Dei per aeternam generationem, nihil impedit, quin sit filius Dei adoptivus per susceptionem gratiae divinae in tempore. *Si tu dicas*, quod hoc est propter culpam, per quam facti sumus *filii irae*[4], quae non fuit in Christo; *sed contra:* Angeli sunt filii per adoptionem gratiae, sicut scribitur Iob trigesimo octavo: *Cum me laudarent astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei:* ergo etc.

Fundamenta. SED CONTRA: 1. Ad Philippenses secundo[5]: *Dominus noster Iesus Christus in gloria* etc., ibi Glossa: «In quantum homo, assumsit nomen Dei non per gratiam adoptionis, sed per gratiam unionis». *Si tu dicas*, quod non negat, Christum esse filium adoptivum, sed negat, ipsum esse Deum adoptivum, cum sit Deus verus; *sed contra:* sicut Christus est Deus verus, ita est Filius Dei verus: ergo sicut veritas Deitatis non patitur, ipsum dici Deum per adoptionem, sic veritas filiationis non admittit gratiam adoptionis.

2. Item, Ambrosius tractans illud verbum ad Romanos primo[6]: *Praedestinatus est* etc.: «Legi et relegi Scripturas; Iesum Filium Dei nunquam adoptione inveni»; sed non debemus Christo attribuere quod non possumus per Scripturas authenticas, aut rationes necessarias confirmare: ergo omnino est reiiciendum, Christum esse filium Dei adoptivum.

3. Item, Augustinus, de Ecclesiasticis Dogmatibus[7]: «Natus est secundum veritatem naturae ex Deo Dei Filius, secundum veritatem naturae ex homine hominis filius, ut non *adoptione*, non *appellatione*, sed in utraque nativitate filii nomen *nascendo* haberet». Si ergo tam Filius Dei quam Virginis non *adoptione*, non *nuncupatione*, sed *natura;* ergo neutrius est filius adoptivus.

4. Item, quicumque adoptatur, de *non-filio* fit *filius* — si enim esset filius, iam non adoptaretur in filium — sed Christus ab aeterno fuit filius secundum divinam naturam; statim cum fuit[8], filius fuit secundum humanam: ergo etc. Et quia multae ad hoc inducuntur auctoritates in littera, ista sufficiant.

---

quas Alcuinus contra Felicem affert) non dissentiat, tamen contextui non congruat. Ambrosius haec Hilarii verba ante oculos habuisse videtur, cum scriberet I. de Fide, c. 4. n. 32: *Caro* est, quae involvitur, *divinitas*, cui ab Angelis ministratur. Ita nec dignitas naturalis maiestatis amittitur, et assumtae carnis veritas comprobatur. — Pro *amovetur*, quae est vera scriptura codd. B H M N U W, alii codd. non pauci et Vat. *admovetur*, codd. A bb *admittitur*. Lectionem variantem *admittitur* pro *amittitur*, sicut et scripturam codd. nostr. *humanitas* pro *humilitas*, commemorant etiam editores Maurini.

[1] Vers. 15. — Paulo inferius pro *alii*, *quem et* (cod. G *etiam*) Vat. *et alii*, *quem*.

[2] Cod. bb (K ad marginem) addit *et secundum quod Deus*. Paulo superius post *absurdum est* edd. subiungunt *dicere*.

[3] Cfr. supra pag. 102, nota 4. — Mox pro *quin possimus* edd. 1, 2 cum multis codd. *quin possumus*. Subinde post *esse filii* codd. G bb supplent *Dei*. Paulo inferius pro *nihil impedit* cod. bb *nihil impediet*.

[4] Eph. 2, 3: Eramus natura filii irae. — Seq. loc. Script. est Iob 38, 7, quae verba etiam Gregorius accipit de Angelis. Cfr. tom. II. pag. 72, nota 3.

[5] Vers. 11. — Glossa in hunc loc. apud Petr. Lombard. sic sonat: Cave, qualiter intelligas virorum illustrium, Ambrosii et Augustini verba praemissa, ne sibi contraire putentur. Scito ergo, quia est donatio *naturalis* et est donatio *gratuita*. *Naturali* donatione dedit Pater nomen, quod est super omne nomen, Deo Filio, non homini i. e. Christo, secundum quod Deus, non secundum quod homo; nec fuit aliud dare, quam sibi aequalem generare. *Gratuita* vero donatione dedit homini Christo, non Deo; quia Christus non in quantum Deus, sed in quantum homo per gratiam accepit nomen Dei, nec per gratiam adoptionis, sed per gratiam unionis, ut non sit adoptivus Deus, sed verus Deus, cui flectitur omne genu.

[6] Vers. 4. — Petr. Lombard., in hunc loc., testimonium, quod hic affertur, Ambrosio tribuit; sed P. Nicolai annotat in ed. oper. S. Thomae, hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 3: «Nihil tale Commentarius in Epistolas Pauli, qui ementito Ambrosii nomine praenotatur, nec alibi apud verum et legitimum Ambrosium occurrit; etsi lib. I. de Fide, c. 17. (n. 111.): *Non est idem* [ed. Maurin. Ambros. *unum*] *adoptivus et verus*, inquit, *nec Filius diceret:* Unum sumus (Ioan. 10, 30.), *si se cum uno* [ed. Maurin. *vero*], *qui verus non esset, ipse conferret*» etc. Cfr. etiam hic lit. Magistri, c. 2. in fine. Sententia similis illi, quae hic Ambrosio adscribitur, habetur apud August., contra Secundin. Manich. c. 5: Lege itaque Scripturas, nusquam invenies de Christo dictum, quod adoptione sit Filius Dei. — Pro *adoptione* codd. K L *adoptivum*. — De *minori* cfr. supra pag. 24, nota 8.

[7] Cap. 2; in quo testimonio textus origin. post *ut* addit *veritas geniti*, et codd. M O pro *in*, quod edd. cum cod. cc omittunt, substituunt *ut*. — Paulo inferius post *Si ergo* edd. cum pluribus codd. supplent *est*, et dein pro *nuncupatione* codd. G K L T W Z aa habent *nuncupative*.

[8] Vat. post *fuit* subiicit *homo;* deinde post *humanam* codd. Q bb repetunt *naturam*. — Hoc arg. insinuatur ab August., Epist. 140. (alias 120.) c. 4. n. 10. his verbis: Haec [nativitas spiritualis] etiam adoptio vocatur. Eramus enim aliquid, antequam essemus filii Dei, et accepimus beneficium, ut fieremus quod non eramus; sicut qui adoptatur, antequam adoptaretur, nondum erat filius eius, a quo adoptatur, iam tamen erat qui adoptaretur. Et ab hac generatione gratiae discernitur ille Filius, qui cum esset Filius Dei, venit, ut fieret filius hominis donaretque nobis, qui eramus filii hominum, filios Dei fieri. Factus est quippe ille quod non erat, sed tamen *aliquid aliud* erat; et hoc *ipsum aliquid* Verbum Dei erat etc. — Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

CONCLUSIO.

Nullatenus admittitur, Christum esse filium Dei per adoptionem, sive proferatur simpliciter, sive cum determinatione.

RESPONDEO: Dicendum, quod absque dubio haec Conclusio. non admittitur, scilicet Christum esse filium Dei per adoptionem, sive proferatur *simpliciter*, sive *cum determinatione*, utpote si addatur: in quantum homo.

Ratio autem huius est, quia *filiatio* respicit per- Ratio. sonam, sicut dictum fuit supra [1]; sed *adoptio* in Tria in adoptione. adoptato *praesupponit extraneitatem*, et *ponit gratificationem*, et *ordinat ad possidendam hereditatem;* et ista sunt tria substantialia ipsi adoptioni. Ad hoc ergo, quod aliquis sit filius per adoptionem, necessario requiritur, quod persona illa habeat ante adoptionem aliquo modo *extraneitatem;* quia non adoptantur filii proprii, sed alieni. Necesse est etiam, quod *recipiat donum gratiae*, per quod *ordinatur ad possidendam hereditatem.* — Quamvis autem in [2] Christo competant duo ultima, scilicet *gratiae susceptio* et *hereditatio* secundum naturam assumtam; *extraneitas* tamen non competit. Ille namque extraneus est a filiatione, qui est non-filius. Distinctio. *Non-filius* autem dupliciter potest dici: vel *negative*, vel *contrarie* [3]. *Non-filius negative* dicitur, qui non habet filiationem Dei, sive habeat oppositam filiationem, sive non. *Non-filius contrarie* sive privative dicitur ille qui est *filius irae.* — Ad hoc ergo, quod aliqua persona sit adoptabilis, necesse est, quod secundum suam primam originem vel sit indifferens ad filiationem gratiae et irae, vel habeat filiationem irae. Et quia persona Christi nullo istorum modorum etiam secundum naturam assumtam habuit *extraneitatem*, quia nec peccatum habuit nec habere potuit; omnes autem aliae personae, habentes gratiam, habuerunt aliquam extraneitatem: hinc est, quod de omnibus habentibus gratiam potest dici, quod sint *filii adoptivi*, excepta sola persona Christi, ratione iam dicta. — Concedendae sunt igitur rationes ad partem istam.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur de Hila- Solutio oppositorum. rio, quod in Christo humanitas adoptatur; dicendum, quod humanitas dicitur *adoptari* non ratione illius *singularis naturae*, quae assumta fuit a Verbo in unitatem [4] personae, sed ratione *consimilium*, quia per illam unionem adoptati sunt alii homines.

2. Ad illud quod obiicitur, quod spiritus caritatis facit illos adoptivos; dicendum, quod verum est in his quae habent *extraneitatem* aliquam; et quia hanc non est reperire in Christo, ideo non tenet ratio illa, quia procedit ab insufficienti.

3. Ad illud quod obiicitur, utrum Christus sit filius Dei, secundum quod homo; potest concedi, quod sic. — Et si quaeratur, utrum sit filius *per gra-* Notandum. *tiam*, vel *per naturam;* dicendum, quod secundum quod homo, est filius *per gratiam;* sed tunc non sequitur: ergo est filius *adoptivus*, quia hoc non est per gratiam *adoptionis*, sed per gratiam *unionis*, quae multo est excellentior nec habet repugnantiam ad filiationem naturalem, immo facit illam communicari; nec importat aliquam imperfectionem nec amittitur nec consumitur, sicut gratia adoptionis, prout explicatum fuit [5].

4. Ad illud quod obiicitur, quod filii per creationem fiunt filii per adoptionem; dicendum, quod non est simile, quia filii per *creationem*, quamvis non *sint* omnino extranei a Deo, tamen *possunt esse* extranei, si per culpam fiant filii diaboli; nec per *creationem* sunt perfecti filii, quia non sunt similitudine gratiae insigniti. Non sic autem est de eo qui per *generationem* est filius; ille enim non *est* extraneus nec *potest fieri* nec potest magis consignari; et ideo non potest per adoptionem Filius Dei de novo fieri. Et ideo ratio illa non valet, quoniam non est simile hinc et inde [6].

SCHOLION.

I. Haec quaestio cohaeret cum alia de filiatione, quae supra d. 8. a. 2. q. 2. tractata est; ipsa elidit haeresim Adoptianorum, nec non quasdam opiniones inter catholicos disputatas, quae illi errori nimis videntur favere. Adoptianismi auctores (ab an. 783) fuerunt Elipandus, archiepisc. Toletanus, et Felix, episc. Urgelitanus, qui, teste Epistola synodica Concilii Francofordiensi (an. 794), docuerunt: « Confitemur et credimus, eum [« Filium Dei... Patri consubstantialem »] factum ex muliere, factum sub lege, *non genere* [scilicet generatione] *esse Filium Dei, sed adoptione, non natura, sed gratia* ». Disputatum est inter posteriores doctos viros, quo praecise sensu isti haec verba intellexerint, utrum scilicet *omnino* negaverint, Christum esse Filium Dei naturalem, renovantes purum Nestorii errorem, an potius statuerint duas filiationes, alteram *naturalem*, quate-

---

[1] Dist. 8. a. 2. q. 2. — Secundum Aul. Gellium, lib. V. c. 19, *adoptio* consistit in eo, quod « in alienam familiam inque liberorum locum extranei sumuntur ». Cfr. Iustinian., l. Institut. iur. civil. c. 11; August., II. de Consensu evang. c. 3. n. 5. seq.; Serm. 139. (alias 51. de Verbis Domini) c. 1. n. 1. A concilio Francoford. (an. 794) *adoptio* sic definita est: Quid est adoptio, nisi caritatis copulatio, qua pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet? Cfr. etiam S. Paulini, patriarch. Aquileiens., libellus Sacrosyllabus contra Elipandum, concilii Francofordiensis an. 794 decreto missus ad provincias Hispaniae, c. 7.

[2] Vocula *in* abest a cod. G. Mox pro *susceptio* cod. F *plenitudo*. Post pauca pro *tamen* codd. N W X *autem*.

[3] De differentia inter negationem et privationem cfr. Aristot., IV. Metaph. text. 4. (III. c. 2.). — Pro *potest dici* cod. G *potest considerari*.

[4] Cod. G *unitate*. Vide expositionem Maurinorum in hunc loc., supra pag. 232, nota 4. allatam.

[5] In fundam. et d. 4. a. 2. q. 3. et d. 8. a. 2. q. 3. ad 1.

[6] Cfr. August., I. de Serm. Domini in monte, c. 23. n. 78, et III. contra Faust. c. 3. — Paulo superius pro *consignari* cod. bb *configurari*.

nus Deus est, alteram *adoptivam*, quatenus est homo. Certum autem est, Epistolam illam Concilii Francofordiensis illis opprobrasse: « Per adoptionem vos separatis hominem Christum a Deo ». Reprobatus est hic error iam an. 785 in Epistola Hadriani I. ad episcopos Hispaniae, tum in praedicto Concilio, praesidentibus Legatis Hadriani celebrato, tum altera Hadriani Epistola ex Concilio Romano an. 794 emissa ad episcopos Hispaniae. Inter alia plurima Hadrianus notat, quod isti « eum adoptivum et non proprium Filium confitentur, quasi *alienus* a Patre aliquando fuerit, aut per carnis *extraneus* ab eo factus fuisset assumtionem ». Hanc haeresim scriptis confutarunt primo abbas Beatus et Etherius episc. Osmae, Hispani; deinde S. Paulinus Aquileiensis, Alcuinus aliique.

II. Pro intelligentia huius quaestionis observamus haec pauca. Fide constat tum contra Arium, quod Christus secundum personam *divinam* est Filius naturalis Patris eique consubstantialis et coaeternus; tum contra Nestorium, quod *Christus homo* propter unitatem personae vi communicationis idiomatum est Filius Dei naturalis. Restabat autem quaestio solvenda, utrum Christus, *secundum quod homo*, dici debeat vel possit Filius Dei *naturalis*, an *adoptivus*. Praepositio autem *secundum*, ut iam notant Magister (hic c. 1.) et auctor noster (supra a. 1. q. 1. et dubium 1.), dupliciter intelligi potest, scilicet proprie *reduplicative*, ut notet *causam*, vel *specificative* (cfr. pag. 226, nota 4.). Si *reduplicative*, sensus est, quod Christus *per humanitatem* sive mediante humanitate sit filius Dei naturalis; quod nemo unquam dixit, cum manifestum sit, quod humana *natura*, in se considerata, nec secundum suam *essentiam* nec secundum suam *originem* (quae est per creationem) habeat relationem divinae generationis naturalis. Si *specificative;* tunc sumitur *homo* concrete ut *in humana natura subsistens*. Et secundum hunc sensum media aetate et etiam posterius in scholis in utramque partem disputatum est, et exortae sunt variae opiniones, quae nunc communiter non satis distare ab errore Adoptianismi censentur. Pro aliquali excusatione affertur, quod antiqui Scholastici non cognoverint praecise decreta Hadriani I. et Concilii Francofordiensis. Certa omnino igitur censenda est conclusio S. Bonaventurae, S. Thomae, Alexandri Hal. aliorumque; pro qua stabilienda auctor noster duo affert fundamenta inconcussa, scilicet primo, quod *filiatio* respicit personam, unde, supposita una in Christo persona, nullatenus in eo esse possunt duo filii, alter adoptivus, alter naturalis; secundo, quod *adoptio* supponit, adoptatum prius fuisse adoptanti *alienus* vel *extraneus*, quod iam urgebat Hadrianus I. et S. Paulini liber Sacrosyllabus: « Adoptivus dici non potest nisi is qui prius alienus est ab eo, a quo adoptari desiderat ». — Notatu digna est solut. ad 3, qua recte explicantur dicta plurium Ss. Patrum, quibus abusi sunt Adoptiani; nec non doctrina de praedestinatione Christi (supra d. 7. a. 2, infra d. 11. a. 1.), ut explicentur loci S. Scripturae, quibus iidem utebantur.

Scot. (hic in utroque Scripto q. unica) impugnat primum conclusionis fundamentum supra notatum atque negat, quod filiatio sit praecise *suppositi* et non naturae; unde circa ipsam conclusionem loquitur problematice et videtur (in Report. loc. cit.) putare, quod locutio: Christus, secundum quod homo, est filius adoptivus, *vitanda* sit vel tantum ob malum intellectum haereticorum, vel quia Christus iam habuit ius hereditatis. Nec Richardus a Med. penitus reprobat praedictam locutionem. Durand. autem (II. Sent. d. 4. q. 1.) eam expressius affirmat esse in se veram; quem nonnulli Nominales secuti sunt. De quibusdam aliis posteriorum theologorum opinionibus circa hanc quaestionem consulantur libri recentiores.

III. Alex. Hal., S. p. III. q. 10. m. 4. — S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 3; S. III. q. 23. a. 4. — B. Albert., hic a. 9. 13. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. 3. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

QUAESTIO II.

Utrum filiatio adoptionis conveniat nobis per Christum.

Secundo quaeritur, utrum filiatio adoptionis conveniat nobis per Christum. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Ioannis primo[1]: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius;* constat, quod Evangelista loquitur de Verbo incarnato: ergo videtur, quod per ipsum nos simus filii Dei; sed non alii filii quam adoptivi: ergo etc.

2. Item, ad Galatas quarto[2]: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, ut adoptionem filiorum reciperemus:* ergo si Filius ad hoc missus est in carnem, videtur, quod per Christum simus filii adoptivi.

3. Item, « omne *per accidens* reducitur ad *per se*[3] »; sed filii per adoptionem sunt filii *per accidens* respectu filii naturalis, qui *per se* et proprie est filius: ergo si solus Christus est filius naturalis, videtur, quod nullus adoptetur in filium nisi per ipsum.

4. Item, per ipsum sumus filii Dei effecti, per quem sumus Deo reconciliati; sed Deo reconciliati sumus per Christum, sicut dicitur secundae ad Corinthios quinto[4]: *Deus nos sibi reconciliavit per Christum:* ergo videtur, quod adoptati sumus per ipsum.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Ad Romanos octavo[5]: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum:* ergo videtur, quod nostrae filiationis adoptio proprie attribuenda sit Spiritui sancto, non Christo.

2. Item, Ioannis tertio[6]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* etc.; et iterum: *Sic est omnis, qui natus est ex spiritu;* sed cui attribuitur nativitas, eidem attribuenda est filiatio: si ergo per Spiritum sanctum renascimur spiritualiter, videtur, quod per ipsum proprie, non per Christum adoptemur in filios. Quodsi *tu dicas*, hoc competere utrique; *arguitur* saltem, quod per *appropriationem* non competat Christo, sed Spiritui sancto; praedictae autem rationes videbantur ostendere oppositum.

---

[1] Vers. 12.

[2] Vers. 4. seq.

[3] Secundum Aristot., II. Phys. text. 66. (c. 6.). Cfr. tom. II. pag. 638, nota 3.

[4] Vers. 18. — In *maiori* pro *sumus Deo* codd. H I (K primitus) L U Z aa *sumus Filio Dei.*

[5] Vers. 15.

[6] Vers. 5. — Seq. loc. Script. est ibid. v. 8.

3. Item, ante Christi incarnationem Deus habuit homines filios, sicut ipse dicit de Salomone: *Ero illi in patrem*[1]; sed constat, quod nondum Filius Dei in carnem advenerat: ergo si Christus Filium Dei nominat incarnatum, videtur, quod non simus filii Dei per Christum.

4. Item, quantumcumque sit Filius incarnatus, nullus tamen est Dei filius adoptivus, nisi qui suscipit donum gratiae gratum facientis, qua suscepta, etiam ante incarnationem est filius: ergo posita, vel remota incarnatione Filii Dei, salva manet ratio adoptionis: videtur igitur, quod nostrae adoptionis filiatio[2] non fuerit facta per Christum.

Quaest. incidens. Iuxta hoc quaeritur, per quod donum gratiae efficiamur filii adoptivi; videtur enim, quod per *caritatem*, sicut dicit Augustinus[3]: «Sola caritas est, quae discernit inter filios regni et perditionis». — Videtur etiam, quod per *fidem*, sicut Ioannis primo dicitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* — Videtur nihilominus, quod per *timorem;* super illud ad Romanos octavo: *Non accepistis iterum spiritum servitutis* etc.; Glossa: «Timor castus, qui est bonus et perficiens, generat nos filios». — Videtur etiam, quod per *gratiam baptismalem*, per auctoritatem Domini, Ioannis tertio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto;* sed hoc est per baptismum. — Quaeritur ergo: cui istarum gratiarum sive donorum attribuitur *proprie* filiatio adoptionis? Et si omnibus quodam modo, quaeritur, cui magis proprie?

CONCLUSIO.

Verum est per omnem modum, quod sumus filii adoptivi per Christum.

Respondeo: Dicendum, quod cum quaeritur, utrum simus filii adoptionis per Christum, hoc potest dupliciter intelligi: quia praepositio illa *per*[4] potest importare causam *effectivam*, vel *meritoriam* sive dispositivam. Et si causam *meritoriam* vel dispositivam importat, absque dubio verum est, quod simus filii adoptionis per Christum. Ipse enim nobis meruit gratiam, per quam sumus filii adoptivi, in quantum est caput Ecclesiae. Et hoc non solum respicit *divinam* naturam, sed etiam naturam *assumtam*[5]. — Si vero importet causam *effectivam*, sic adhuc verum est; Pater enim nos adoptavit per Filium et Spiritum sanctum. Et si *per appropriationem* loquamur, per Filium adoptavit[6] quoad *inchoationem*, per Spiritum sanctum quoad *consummationem*. Ad nostram enim adoptionem duo concurrunt, scilicet *redemptio*, quae facta est per Filii missionem, et *gratificatio*, quae facta est per missionem Spiritus sancti. Et hoc est quod dicitur in libro de Anima et spiritu, capitulo sexto[7]: «A Patre per Filium et Spiritum sanctum ad nos divina descendunt. Pater siquidem tradidit Filium, quo redimeret nos; misit Spiritum sanctum, qui servos adoptaret in filios; Filium dedit in pretium redemptionis, Spiritum sanctum in privilegium adoptionis».

Duplex sensus. Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3.

Et sic patet, quod per omnem modum — sive per[8] dicat rationem *dispositivam*, sive *effectivam*, et hoc, sive per *proprietatem*, sive per *appropriationem* — verum est, quod sumus filii adoptivi per Christum. — Et concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

Conclusio generalis.

1. 2. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium de Spiritu sancto, dicendum, quod filiatio adoptionis convenit Spiritui sancto et *appropriari* potest ratione *gratificationis;* sed per hoc non excluditur, quin conveniat Filio. Si enim per *proprietatem* loquamur, «indivisa sunt opera Trinitatis[9]»; si vero per *appropriationem*, nihil impedit, quin aliquid diversis de causis possit pluribus personis appropriari. Et per hoc patet sequens obiectum.

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod filii adoptivi fuerunt ante adventum Christi; dicendum, quod etsi fuerunt ante *adventum* Christi secundum rem, non tamen ante *fidem* venturi fuerunt filii adoptivi, quia, sicut dicit Augustinus[10], «nullus salvari potuit sine fide Mediatoris». *Praeterea*, ante Christi adventum non fuit plena ratio filiationis, quia nullus hereditatem poterat assequi, quantumcumque iustus esset. Et *si tu obiicias* de Angelis, quod sunt filii; dicendum, quod etsi non sint filii mediantibus meritis Christi hominis, sunt tamen per effectum et conformitatem filii Dei. «Oportet enim, sicut dicit

Notandum.

---

[1] Libr. II. Reg. 7, 14; I. Paral. 22, 10. — In conclus. pro *Filium Dei* plurimi codd. perperam *Filius Dei.*

[2] Edd. cum paucis codd. *filiationis adoptio.* In hoc argumento respicitur communis definitio causae, quae iam posita est supra pag. 22, nota 1.

[3] Libr. XV. de Trin. c. 18. n. 32. In textu orig. huius testimonii voci *regni* annexum est *aeterni* et pariter voci *perditionis* adiunctum *aeternae.* — Testimonium e Ioannis primo allat. habetur ibi v. 12, et seq. testimonium e Rom. 8. ibi v. 15. Glossa, quae est *ordinaria* et secundum August. (cfr. infra lit. Magistri d. XXXIV. c. 4. seqq.), habetur apud Strabum et Lyranum. In ea transcribenda cod. U vocabulo *filios* addidit *Dei.* Verba ex Ioannis tertio allegata habentur ibi v. 5.

[4] In plurimis codd. deest *per* et pro *praepositio* scriptum est *propositio;* in codd. V bb vocula *per* a secunda manu inserta est. Vide finem corp.

[5] Cfr. infra d. 13. a. 2. q. 1. et 3. — Paulo superius pro *filii adoptivi* cod. K *filii Dei adoptivi.*

[6] Edd. cum paucis codd. verbo *adoptavit* praefigunt *nos.*

[7] Textus origin. sonat sic: «A Patre per Filium et Spiritum S. *vel potius in Spiritu* divina ad nos *descenderunt*... quo redimeret *servos*, misit Spiritum S., *quo* servos... adoptionis, *se denique totum servat in hereditatem adoptatis*». Haec ultima verba etiam in cod. O exstant.

[8] Cod. U *sive haec praepositio* per.

[9] Vide supra pag. 12, nota 2. — De hac solut. cfr. supra d. 4. a. 1. q. 1. — In fine solut. codd. L aa omittunt *sequens.*

[10] Epist. 190. (alias 157.) c. 2. n. 5. seq.; in Ioan. Evang. tr. 109. n. 2; de Peccat. origin. contra Pelag. et Coelest. c. 25. n. 28; de Corrept. et gratia, c. 7. n. 11. — Quoad alteram rationem adductam vide sententiam Anselmi, quam supra pag. 66, nota 7. allegavimus.

Augustinus [1], nos in filios adoptari per eum qui est Filius per naturam ».

4. Ad illud quod obiicitur, quod incarnatione posita, non ponitur filiatio, nec remota removetur; dicendum, quod hoc non arguit, nostrae adoptionis Christum non esse *causam;* sed ostendit, incarnationem non esse *totam causam*, quia completur filiatio in missione Spiritus sancti.

Ad illud vero quod ultimo quaeritur, per quod donum gratiae fiamus filii adoptivi; dicendum, quod filii Dei sumus, in quantum sumus conformes imagini Filii naturalis, secundum illud ad Romanos octavo [2]: *Quos praedestinavit, conformes fieri imagini Filii eius.* Hoc autem est dupliciter: aut per *remotionem* a malo, et hoc est per *gratiam baptismalem*, quae in quantum est sacramentalis, medela est contra malum; aut per *ordinationem* ad bonum, et hoc potest esse dupliciter: aut ex parte *intellectus*, et sic *fides;* aut ex parte *affectus*, et sic *caritas.* Si autem dicatur *timor*, vel *humilitas* facere filios, hoc est *dispositive* [3].

Ad quaest. incidentem.

Notandum.

SCHOLION.

I. Hanc quaestionem plures cum S. Thom. (in Comment.) aliis verbis proponunt, scilicet duplici quaestione, utrum adoptio conveniat toti Trinitati, et utrum fiat *per* Filium tantum. Communiter docetur, quod ipsa secundum causam *efficientem* conveniat tribus divinis personis, ita tamen, ut appropriari possit Patri, quatenus adoptio habet similitudinem cum attributo paternitatis. Secundum causam agentem *mediam* sub diverso respectu eadem appropriari potest vel Filio, vel Spiritui S.

De his: Alex. Hal., S. p. III. q. 10. m. 6. a. 2. 4. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 2. 3; S. III. q. 23. a. 2. — B. Albert., hic a. 10. 15. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 2. 3. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. — Ægid. R., hic q. 2. a. 1. 2. 3.

II. Responsio ad sequentem (3.) quaest. elicitur tanquam corollarium ex principiis in 2. quaest. stabilitis. Non invenimus alios doctores explicite de hoc quaestionem instituentes. Cfr. I. Sent. d. 18. q. 6.

QUAESTIO III.

Utrum filiatio adoptionis sit in nobis per comparationem ad Christum.

Tertio quaeritur, utrum filiatio adoptionis sit in nobis per comparationem ad Christum; et hoc est quaerere, utrum simus filii adoptivi ipsius Christi. Et quod sic, videtur.

1. Frequenter enim in Evangelio [4] vocat Dominus discipulos suos filios, et illos quos curabat: *Confide fili; fides tua te salvum fecit.* Si ergo vere dicebat, illi vere erant filii Christi; sed non naturales: ergo adoptivi.

Fundamenta.

2. Item, super illud ad Ephesios quarto [5]: *Unus Deus et pater omnium;* Glossa: « Deus est pater *omnium* creatione, sed *fidelium* regeneratione »; sed Christus creavit et recreavit: ergo Christus est pater *omnium* et *fidelium.* Sed *fidelium* est per adoptionem pater: ergo etc.

3. Item, filii adoptivi efficimur per gratiam inhabitantem; sed cum habitat in nobis una persona, necesse est, quod inhabitet et reliqua [6]: ergo si sumus filii unius personae, necesse est, quod totius Trinitatis: ergo Christi.

4. Item, unus est amor, quo amamus Patrem et Filium et Spiritum sanctum; sed amor est ille qui facit nos clamare: *Abba, Pater* [7]: ergo Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt unus pater noster.

Sed contra: 1. Illius solius est adoptare, qui potens est generare; sed in divinis solus Pater generat, non Christus, vel Spiritus sanctus [8]: ergo sumus filii adoptivi solius Patris: non ergo Christi.

Ad oppositum.

2. Item, illius sumus filii adoptivi, cuius Christus est Filius per naturam, eo quod sumus eius fratres et coheredes [9]; sed idem Christus est Filius solius Patris: ergo nos sumus filii adoptivi respectu unius solius personae, scilicet Patris: non ergo Christi.

3. Item, solus Filius est incarnatus, ne, si alius incarnaretur, esset confusio proprietatum, si nomen

---

[1] Vide supra pag. 30, nota 4. Cfr. etiam infra d. 13. a. 2. q. 3. — Paulo superius post *de Angelis, quod sunt filii* codd. B C D M O addunt *Dei*, cod. cc et Vat. *et non per merita Christi hominis.*

[2] Vers. 29.

[3] Non pauci codd. et edd. 1, 2 *dispensative;* Vat. post *dispositive* subiicit *et praeparative.*

[4] Matth. 9, 15; Marc. 2, 19; Luc. 5, 34. — Matth. 9, 22: Confide, *filia*, fides tua te *salvam* fecit. Ibid. v. 2: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

[5] Vers. 6. — Glossa hic allegata quoad sententiam convenit cum Glossa *ordinaria*, quam Strabus, Petr. Lombardus et Lyranus in hunc loc. exhibent. De enuntiato seq. cfr. supra pag. 30, nota 5. — In prima conclus. post *et fidelium* codd. K P Q R bb non inconvenienter adiiciunt *et infidelium.*

[6] Ioan. 14, 23: Si quis diligit me...: ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. — Codd. A G H N T U (aa a secunda manu) bb *inhabitent et reliquae.*

[7] Rom. 8, 15.

[8] Cfr. I. Sent. d. 7. q. 2. — Quoad *maiorem* vide Iustinian., I. Instit. iur. civil. c. 11, ubi lex allegatur, qua inhabiles declarantur adoptare qui naturaliter impotentes sunt ad generandum. — Pro *non Christus* bene multi codd. atque edd. 1, 2 *nec Christus*, et dein pro *vel Spiritus* dictae edd. cum Vat. *nec Spiritus.*

[9] Rom. 8, 17. et 29.

filiationis transiret in aliam personam[1]: ergo si filiatio non debet in divinis competere alii personae quam personae Filii, pari ratione nec paternitas.

4. Item, respectu illius solius dicimur filii, qui refertur ad nos vice versa; sed Filius Dei non dicitur *ad nos*, nec dicitur filius *noster*, sicut habitum est in primo libro[2]: ergo nec nos debemus dici filii ipsius Filii. *Si tu dicas*, quod etsi non referatur sub nomine *filii*, refertur tamen sub nomine *patris; obiicitur* contra hoc: quia *esse patrem* et *fratrem* sunt relationes incompossibiles respectu eiusdem; sed Christus est *frater* noster: ergo non est *pater*: ergo non sumus filii Christi.

CONCLUSIO.

Filiatio per adoptionem competit nobis respectu totius Trinitatis, et sic etiam Christi.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio filia-
Conclusio. tio per adoptionem competit nobis respectu totius Trinitatis, a qua sumus creati et recreati, et sic competit nobis respectu Christi. Unde Christus potest dici *pater noster*. Sicut enim in divinis nomen *principii* accipitur *essentialiter*, utpote cum dicitur respectu creaturae, accipitur etiam *notionaliter*, cum dicitur respectu personae[3]; sic nomen *patris*, si dicatur respectu *personae*, dicitur *personaliter*; si vero dicatur respectu *rationalis creaturae*, *essentialiter* dicitur. Unde sicut Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt unum *principium* creaturae ratione productionis naturae; sic sunt unus *pater* ratione collationis gratiae. — Concedendae sunt igitur rationes ad hoc inductae.

1. Ad illud quod primo obiicitur, quod illius
Solutio oppositorum. est adoptare etc.; dicendum, quod illud habet locum in eis qui nati sunt, habere filios per viam *generationis*[4]. Deus autem non solum habet Filium per productionem *generationis*, verum etiam multos sibi format filios per *productionem creationis*. Et sicut tota Trinitas illos creat dando naturam, sic recreat dando gratiam. Et sic adoptio ad totam Trinitatem spectat.

2. Ad illud quod obiicitur, quod eiusdem sumus filii nos et Christus; dicendum, quod verum est, quod eiusdem sumus filii, scilicet Patris aeterni, *ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur*[5]; non tamen illius solius, quia aliter sumus nos filii, aliter Christus. Christus enim est Filius per *generationem*, quae est actio *personalis*; nos autem per *creationem* et *gratificationem*, quae est actio *essentialis*, et quam Pater communicat toti Trinitati. Ideo non sequitur, quodsi eiusdem sumus filii, cuius est Christus, quod nullius alterius. Verum Notandum.
est tamen, quod paternitas ipsi personae Patris *appropriatur*, secundum quod dicitur respectu nostri[6].

3. Ad illud quod obiicitur, quod nomen proprietatis, communicatum aliis personis, inducit confusionem; dicendum, quod illud veritatem habet, quando nomen *proprietatis* sic communicatur, quod numeratur, utpote si duo filii essent in Trinitate; hoc autem contingeret, si alia persona incarnata fuisset. Si enim Spiritus sanctus esset natus de Virgine, filius esset et alius filius, quam sit Christus. Nunc autem non est sic. Nam etsi Christus et Spiritus sanctus dicantur esse *pater noster* per adoptionem, non tamen sunt alius et alius pater, immo tota Trinitas est unus pater noster, quamvis una sola persona[7] sit Pater Christi.

4. Ad illud quod obiicitur, quod non dicitur Filius noster, vel Spiritus sanctus noster; dicendum, quod ad hoc, quod aliquis sit noster pater, non oportet, quod ad nos referatur sub *proprio* nomine, sed sub hoc nomine, quod est *pater*; hoc autem modo dicere est, quod Filius Dei sit *pater noster*, quamvis non sit *filius noster*. — Nec valet quod obiicit de confusione relationum, quod idem sit pater et frater; dicendum enim[8], quod nihil impedit, diversas et omnino disparatas relationes inesse eidem secundum diversas naturas; et sic est in proposito. Nam Christus est *pater noster* secundum *divinam* naturam, et est *frater noster* secundum *humanam* naturam; hoc autem non facit confusionem proprietatum nec relationum, quia nec paternitas illa nec fraternitas proprietates personales important[9].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de illa distinctione, quam ponit Magister: Secundum *aliquando exprimit conditionem naturae, aliquando unitatem personae, aliquando habitum, aliquando causam.* Videtur enim ista distinctio esse *inartificialis* et *superflua* et *diminuta*. *Inartificialis*, quia membra ista nullam videntur habere convenientiam. *Superflua* videtur,

---

[1] Cfr. supra pag. 17, nota 3. et 7. — In fine arg. cod. bb addit *alii personae quam personae Patris.*

[2] Dist. 18. q. 6. — In *maiori* multi codd. pro *dicimur* incongrue *dicuntur*. Paulo inferius ante *fratrem* cod. bb repetit *esse;* dein circa finem arg. cod. U voci *pater* adiungit *noster.*

[3] Cfr. I. Sent. d. 29. a. 1. q. 1.

[4] Codd. G cc et Vat. addunt *et non per creationem.* Paulo inferius pro *dando naturam* edd. *dando vitam.*

[5] Eph. 3, 15.

[6] Vide I. Sent. d. 29. dub. 1. et d. 34. q. 3. — Pro *essentialis, et quam... Trinitati. Ideo* edd. *essentialis. Et quoniam... Trinitati: ideo.*

[7] Vox *persona* abest a codd. G H I L T Z; in cod. U scriptum est *unus solus.*

[8] Edd. 1, 2 cum multis codd. omittunt *enim.*

[9] Vide scholion ad praecedentem quaest.

quia eadem vi, qua importat proprietatem [1] naturae, importat unitatem et proprietatem personae. *Diminuta* etiam videtur distinctio, quia, sicut potest importare *habitum*, ita etiam potest importare *novem genera accidentium* [2]: ergo videtur, quod his membris octo membra debuerunt adiungi. — Item quaeritur, ubi sic diversimode accipiatur, cum non videatur habere tot intellectus.

Notandum. Respondeo: Dicendum, quod haec distinctio, etsi videatur esse rudis, tamen est multum rationabilis, et hoc, si attenditur, super quid fundatur. Nam

Distinctio. prima divisione [3] haec praepositio *secundum* potest importare *concomitantiam*, vel *causam*. Si *causam* importet, tunc est quartum membrum; si *concomi-*

Subdistinctio. *tantiam*, sic tripliciter potest [4] importare: aut secundum *inhaerentiam*, aut secundum *unionem*, aut secundum *adiacentiam* sive assistentiam. Si secundum *inhaerentiam*, sic importat proprietatem naturae; nam proprietas inhaeret ei, cuius est proprietas. Si secundum *unionem*, sic importat proprietatem personae. Si secundum *assistentiam* sive adiacentiam, sic dicit habitum. — Quartum autem membrum, quod est secundum principalis divisionis, Magister non subdividit. Potest tamen dividi secundum quatuor genera causarum. — Omnibus enim modis haec dictio *secundum* consuevit accipi [5], sicut

Exempla. potest per exempla monstrari. Si enim dicatur: Christus, secundum quod homo, fuit passibilis; sic importat *conditionem naturae*. Si dicatur: Christus, secundum quod homo, creavit stellas [6]; sic importat *unitatem personae*. Si dicatur: Christus, secundum quod homo, fuit vestitus et calceatus et *ut homo inventus* [7]; sic importat habitum. Si dicatur: Christus, secundum quod Deus, creavit mundum, et secundum quod homo, praedicavit divinum verbum; sic importat *causam efficientem*. Si dicatur: Christus, secundum quod Deus, est suppositum divinae naturae, et secundum quod homo, est animal rationale; sic importat *causam formalem*. Si dicatur: Christus, secundum quod Deus et homo, est praemium nostrum; sic importat *causam finalem*. — Possunt autem multa huiusmodi exempla congruentia inveniri. De *causa* autem *materiali* secundum *divinam* naturam non contingit invenire [8]; secundum autem *humanam* contingit, ut si dicatur: Christus, secundum quod homo, conceptus fuit de purissimis sanguinibus Virginis [9].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *nos dicimur filii adoptivi, quia, cum nati fuerimus filii irae, per gratiam facti sumus filii Dei*. Si enim hoc verum est, tunc Angeli beati et homo in statu innocentiae non fuissent filii adoptivi: ergo nec ius habuissent in hereditate [10] regni; quod absurdum est.

Respondeo: Dicendum, quod Magister loquitur de adoptione secundum *plenam rationem;* et sic ponit *extraneitatem*, quae secundum actum est, quae quidem extraneitas est elongatio et abalienatio a Deo per culpam; et hoc quidem modo non conveniret Angelis ratio filiationis [11]. *Largius* tamen accipiendo extraneitatem, sive quantum ad culpam, quae inest, sive quia potuit inesse, se extendit ad omnes filios adoptivos. Et hoc quidem modo Angeli possunt dici filii [12].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, *Christum esse filium Virginis naturaliter et per gratiam*. Videtur enim, quod ista duo non sint compossibilia. Si enim hoc est *naturale*, iam non est *gratuitum*, et e converso.

Respondeo: Dicendum, quod gratia unionis non repugnat nec incompossibilis est cum proprietate naturali, immo facit, eam communicari. Et Magister loquitur hic de gratia unionis. — Vel potest dici, Aliter. quod *gratia* et *natura* bene possunt de eadem re dici per comparationem ad diversa; et sic est in proposito. Nam Christus, in quantum homo, est naturalis filius Virginis; in quantum autem Deus, est filius Virginis, non per naturam nec per adoptionem, sed per gratiam unionis [13].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit Hilarius, quod *ille, scilicet Christus, est filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione* etc. Videtur enim,

---

[1] Codd. M O voci *proprietatem* praemittunt *conditionem sive*.

[2] Quae secundum Aristot., de Praedicam., sunt: Quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, quando, situs, habitus. — Mox pro *debuerunt* cod. bb *debeant*.

[3] Pro *Nam prima divisione* cod. Y *Nam possumus dicere, quod*. [4] Cod. O hic interlicit *hanc*.

[5] Praepositivus, Sum. p. III. c. *de Quatuor proposit., quae hic notandae sunt*, ait, « quod hoc syncategorema *secundum* septem modis accipitur vel pluribus. Notat enim causam meritoriam, efficientem, formalem, vel quasi formalem, naturam, conditionem naturae, unitatem personae. Causam meritoriam, ut cum dicitur: Christus, secundum quod homo, redemit nos i. e. in humanitate fecit opera nostrae redemptionis meritoria etc.

[6] De hoc exemplo cfr. infra lit. Magistri, d. XI. c. 3.

[7] Phil. 2, 7.

[8] Cod. O supplet *exemplum;* Vat., omisso *invenire*, prosequitur *sed tantum secundum humanam*.

[9] Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 6. m. 2. a. 2. in corp.; B. Albert., hic a. 2; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. lit. 2.

[10] Cod. A *hereditatem*. Voci *regni* cod. U annectit *caelestis*.

[11] Edd. sic: *et haec quodam modo non conveniret Angelis ratione filiationis*. Paulo inferius pro *sive quia potuit* cod. U *sive quae potuit*. Post pauca pro *adoptivos* edd. *adoptionis*.

[12] Cfr. supra a. 2. q. 1. in corp. et q. 2. ad 1. 2; Alex. Hal., S. p. III. q. 10. m. 6. a. 5; B. Albert., hic a. 12; S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 2; Richard. a Med., hic a. 2. q. 2.

[13] Vide supra d. 4. a. 2. q. 3. et a. 3. q. 2; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. lit. 5.

quod sit ibi *verborum inculcatio*. Idem enim est esse filium *origine* et *nativitate*. — Item videtur, quod sit *superfluitas*. Nam omnis filiatio aut est *naturalis*, aut *gratuita*: ergo per *originem*, vel *adoptionem*: igitur superfluunt alia membra. — Item, quid est quod dicitur aliquis filius *nuncupatione*? Aut enim *vera* est nuncupatio, aut *falsa*; si *vera*: ergo vel per adoptionem, vel per generationem; si *falsa*: ergo non debet inter membra praedicta reponi. — Item, si ob[1] creationem dicuntur filii, cum ergo asini sint a Deo creati, erunt filii Dei, quod absurdum est.

Respondeo: Dicendum, quod in praedicto verbo Differentiae 4. Hilarius innuit nobis quatuor filiationis differentias, quarum sufficientia haberi potest sic. Ille enim dicitur filius alicuius, qui ab ipso est et ei conformatur; hoc autem potest esse dupliciter: aut *emanatione naturali* et in *unitate essentiae*, et sic est Notandum. filius unigenitus Patris, quem dicit Hilarius esse filium *origine*, contra Photinum; *veritate*, contra Sabellium; *nativitate*, contra Arium. Et hoc in primo libro[2] fuit expositum. Aut potest esse ab alio in *diversitate substantiae*; et hoc potest esse tripliciter secundum triplicem modum conformitatis. Aut enim conformatur quantum ad rationem *imaginis naturalis*, et sic est filius *creatione*; aut quantum ad rationem *imaginis et similitudinis*, quae attenditur in gratia et donis gratuitis, et sic est filius per *adoptionem*; aut *conformatur* in natura imaginis, sed *discordat* per deordinationem voluntatis, sicut homo peccator, et sic est filius *nuncupatione*.

Ex his patent differentiae filiationis; patent nihilominus verba praedictae distinctionis, quod non *inculcantur*, sed valde rationabiliter dicuntur. Patet etiam responsio ad obiecta. Non enim sine causa dicuntur illa tria vocabula; et quamvis pro eodem accipi possit *origo* et *nativitas*, non tamen frustra ponitur unum cum altero; hoc enim est[3] propter haereses elidendas.

Ad illud quod obiicitur, quod omnis filius aut est filius per naturam, aut per gratiam; dicendum, quod falsum est, nisi extendatur nomen *naturae* et *gratiae* ad illud quod est ex mera Dei *benevolentia*, et ad illud quod habet quis *ab origine*. Et hoc quidem modo filiatio per creationem potest dici quodam modo esse per *naturam*, quodam modo per *gratiam*; sed non sequitur propter hoc, quod talis sit filius adoptivus, vel naturalis.

Ad illud quod quaeritur de filiatione per nuncupationem, dicendum, quod ille sic dicitur filius, qui habet *conformitatem* per naturam imaginis[4], sed *difformitatem* per culpam; et hoc, inquam, modo *nuncupatio* ista quodam modo habet veritatem, quodam modo non, quia quodam modo est filius, quodam modo adversarius. Et ideo sola *nuncupatione* dicitur filius, sicut Abraham dixit ad divitem damnatum: *Recordare, fili*[5] etc.

Ad illud quod ultimo obiicitur, quod si pater est per creationem, debet dici pater bestiarum; dicendum, quod non sequitur: quia non quaecumque creatio facit, aliquem dici *filium*, sed creatio illa, in qua confertur insigne divinae imaginis, per quam configuratur homo Deo et idoneus efficitur ad hoc, ut sit filius adoptivus[6].

Dub. V.

Item quaeritur de illo verbo Ambrosii in littera: *Per adoptionem sumus filii, ille vero per veritatem naturae.* Cum enim *factum per veritatem* et *dictum per similitudinem* non univocentur, sed aequivocentur, sicut *homo pictus* et *homo verus* in homine[7]; tunc *filiatio* nobis et Christo competit *aequivoce*. Et hoc ipsum videtur confirmari per illud quod dicitur Ioannis vigesimo[8]: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum*; Gregorius ibi: « Aliter *meum*, et aliter *vestrum* ». Sed *contra hoc* est, quod Christus dicitur *frater noster*; sed non diceretur ex hoc *frater*, si *aequivoce* essemus filii: ergo etc. — Item, cum dicitur: Deus est[9] pater Christi et pater noster, aut *eadem* paternitate, aut *alia*. Si *eadem*: ergo si *paternitas* dicitur uniformiter, pari ratione et *filiatio*. Si *alia*: ergo in persona Patris sunt duae paternitates, quod simpliciter absurdum est.

Respondeo: Dicendum, quod nos et Christus Notandum. dicimur *filii Dei*, nec omnino *aequivoce*, nec omnino *univoce*; non *univoce*, quia una est filiatio temporalis et gratuita, alia naturalis et aeterna; non *aequivoce*, quia mediante illa filiatione et per conformationem ad illam filii efficimur adoptivi. Sicut enim a Patre *omnis paternitas in caelo et in terra nominatur*[10], sic a Filio omnis filiatio. — Similiter si quaeratur, utrum uniformiter dicatur Deus pater *noster* et *Filii*; dicendum, quod nec omnino *uniformiter*, nec omnino *difformiter*, quia pater dici-

---

[1] Codd. I L Z aa *per*.

[2] Dist. 9. q. 2. et dub. 3. nec non d. 26. dub. 7. — Mox post *substantiae* cod. bb addit *et conformitate rationis*.

[3] Cod. U *fit*.

[4] Complures codd. cum edd. *qui habet per conformitatem naturam imaginis*; nostram lectionem veriorem defendunt codd. A G P Q bb.

[5] Luc. 16, 25.

[6] Cfr. supra d. 4. dub. 2. seq.; B. Albert., hic a. 17; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.; Ægid. R., hic dub. lit. 8-10.

[7] Secundum Aristot., de Praedicam. c. 1.

[8] Vers. 17. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 6. ait: Cum *meum* dicat et *vestrum*, cur non communiter dicit nostrum? Sed distincte loquens indicat, quia eundem Patrem et Deum dissimiliter habeat ipse quam nos. *Ascendo ad Patrem meum*, videlicet per naturam, et *Patrem vestrum* per gratiam etc.

[9] Codd. A T V et alii *esse*. In fine arg. post *absurdum est* cod. K subiicit *dicere*.

[10] Eph. 3, 15. Cfr. supra a. 2. q. 2. seq. et d. 8. a. 2. q. 2. — Paulo superius ante *per conformationem* edd. omittunt *et*.

tur *Filii* paternitate aeternali et personali, pater vero *noster* ex tempore et essentialiter. Et sicut essentia non ponit in numerum cum persona, ut sint res duae; sic nec una paternitas cum alia, ut sint duae paternitates.

Et sic patent rationes et obiectiones ad utramque partem. Non enim valet illa obiectio de homine picto et vero; nam homo pictus nihil habet de veritate hominis, filius autem adoptivus aliquid habet de veritate filii, quamvis non sit filius naturalis [1].

DISTINCTIO XI.

Cap. I.

Utrum Christus sit creatura, vel factus.

Solet etiam quaeri, utrum debeat simpliciter dici atque concedi, Christum esse *factum*, vel *creatum*, vel
Resp. *creaturam* [1]. — Ad quod dici potest, hoc simpliciter et absque determinatione minus congruenter dici; et si quandoque brevitatis causa simpliciter denuntietur, nunquam tamen simpliciter debet intelligi; quia, ut Augustinus in primo libro de Trinitate [2] ait, « cum de Christo loquimur, *quid*, *secundum quid* et *propter quid* dicatur, prudens et diligens ac pius lector intelli-
Confirmatur. gere debet ». — Qui Christum vel Dei Filium non esse *factum*, vel *creaturam*, in libro primo de Trinitate
Augustinus. ostendit ita inquiens: « *In principio erat Verbum; et Verbum caro factum est; et omnia per ipsum facta sunt.* Neque dicit *omnia*, nisi quae facta sunt, id est
Dubium 1. omnem creaturam. Unde liquido apparet, ipsum *factum* non esse, per quem facta sunt omnia; et si *factus* non est, *creatura* non est. Si autem *creatura* non est, eiusdem cum Patre substantiae est. Omnis enim substantia, quae Deus non est, creatura est; et quae creatura non est, Deus est. Sed si Filius non eiusdem substantiae est, cuius Pater [3], ergo *facta* substantia est; et si *facta* substantia est, non omnia per ipsum facta sunt; at omnia per ipsum facta sunt: facta igitur substantia non est, sed una cum Patre infecta substantia est ». Item in eodem [4]: « Si vel Filium fecit Pater, quem non fecit ipse Filius, non omnia per Filium facta sunt; at omnia per Filium facta sunt: ipse igitur factus non est, ut cum Patre faceret omnia quae facta sunt ». Idem in libro Octoginta trium Quaestionum [5]: « Dicitur creatura quidquid fecit Pater Deus per Filium, qui non potest appellari *creatura*, quoniam per ipsum facta
Ambrosius. sunt omnia ». Ambrosius in primo libro de Trinitate [6]: « Probemus, inquit, creaturam non esse Dei Filium. Audivimus enim in Evangelio, Dominum mandasse discipulis: *Praedicate Evangelium universae creaturae.* Qui *universam* creaturam dicit *nullam* excipit. Et ubi sunt qui *creaturam* Christum appellant? Nam si *creatura* esset, sibi mandaret Evangelium praedicari », et *subiectus esset vanitati*, quia testante Apostolo: *Omnis creatura vanitati subiecta est.* Non igitur Christus creatura est, sed Creator, qui docendae creaturae discipulis mandat officium.

Cap. II.

De perfidia et poena Arii.

Arii haec fuisse perfidia legitur, ut Christum creaturam fateretur [7]. Ideo effusa sunt Arii viscera, atque crepuit medius, prostratus in faciem, ea quibus Christum negaverat foeda ora pollutus. His aliisque pluribus testimoniis instruimur, non debere fateri simpliciter, Christum esse *factum*, vel *creaturam*; sed addita determinatione, recte dici potest, ut si dicatur *factus secundum carnem*, vel *secundum hominem*, ut *factura* humanitati, non Deo attribuatur. Ut enim ait Ambro- Ambrosius.
sius in libro primo de Trinitate [8]: « Non Deus *factus* est, sed Deus Dei Filius *natus* est; postea vero secundum carnem homo *factus* ex Maria est. *Misit enim Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege;* Filium, inquit, *suum*, scilicet non unum de multis. Cum dicit *suum*, generationis aeternae proprietatem significavit. Postea *factum ex muliere* asseruit, ut factura non Divinitati, sed assumtioni corporis ascriberetur. *Factum igitur ex muliere* dicit propter carnis susceptionem, *sub Lege* propter observantiam Legis ». « Generatio generationi non praeiudicat, nec caro divinitati ». « Deus enim aeternus incarnationis sacramentum suscepit, non dividuus, sed unus et in utroque unus, scilicet Divinitate et corpore. Non enim *alter* ex Patre, *alter* ex Virgine, sed idem *aliter* ex Patre, *aliter* ex Virgine », « qui factus est secundum nostrae susceptionem naturae, non secundum aeternae substantiam vitae », « quem legimus *primogenitum* et *unige-*

---

[1] Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 10. m. 6. a. 1; B. Albert., hic. a. 16.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Edd. 1, 8 omittunt *creaturam*. Paulo superius post *Christum* codd. A B C D omittunt *esse*. Infra post *dici potest* edd. 1, 8 addunt *quod* et deinde ponunt *dicitur* pro *dici*.

[2] Cap. 13. n. 28; seq. locus est c. 6. n. 9, ubi respicitur Ioan. 1, 1. 14.

[3] Edd. 1, 8 *cum Patre* pro *cuius Pater*.

[4] Cap. 6. n. 12.

[5] Quaest. 67. n. 4, secundum sensum.

[6] Sive de Fide, c. 14. n. 86; ubi citatur Marc. 16, 15, et infra Rom. 8, 20.

[7] Ita codd. et edd. 1, 5, 8; in ceteris *faceret*. — De Arii poena cfr. Ambros., I. de Fide c. 19. n. 123. seq.

[8] Ibid. c. 14. n. 93. seq., et citatur Gal. 4, 4. Seq. locus est eiusdem de Incarnat. dominicae sacramento, c. 5. n. 36; tertius locus ibid. n. 35; quartus n. 37; tandem quintus eiusdem I. de Fide, c. 14. n. 89.

nitum: primogenitum, quia nemo ante ipsum; *unigenitum*, quia nemo post ipsum ». — Ex his evidenter traditur, qua intelligentia accipiendum sit, cum dicitur Christus *factus* vel *simpliciter*, vel *cum additamento*, ut *factura* scilicet vel *creatura* non ad *assumentem Deum*, sed ad *assumtum hominem* referatur. In Deo
Ambrosius. enim creatura esse non potest, ut Ambrosius ait in primo libro de Trinitate [1]: « Nunquid dicto factus est Christus? Nunquid mandato creatus est Christus? Quomodo autem creatura in Deo esse potest? Etenim Deus naturae simplicis est, non coniunctae atque compositae, cui nihil accidat, sed solum quod divinum est in natura
Dubium 2. habeat sua. ». — Etsi ergo Christus *secundum hominem* dicitur *creatura*, non tamen [2] *simpliciter* praedicandus est creatura. Nec ex eo, quod Christus secundum ho-
Solvitur sophisma. minem dicitur esse creatura, potest quis progredi sic argumentando: si, secundum quod homo, Christus est creatura; vel *rationalis*, vel *non;* vel quae est *Deus*,
Dubium 3. vel *non;* nitens per hoc probare, Christum esse aliquid non divinum; quia quod ipse est secundum hominem ipse est. Et ideo, si secundum hominem est aliqua substantia non divina, est utique aliquid non divinum. —
Dubium 4. Sed ex tropicis locutionibus non est recta argumentationis processio; illa autem locutio tropica est, qua Christus dicitur creatura vel *simpliciter*, vel *cum adiunctione.*

Cap. III.

An homo ille semper fuerit [3].

Post praedicta quaeritur, utrum *homo* ille *coeperit esse*, vel *semper fuerit:* sicut simpliciter enuntiamus, *Christum* vel Dei Filium semper fuisse nec coepisse. De hoc Augustinus dicit ita super Ioannem [4]: Augustinus.
« Habuit aliquando Dei Filius quod nondum habuit idem ipse homo filius, quia nondum erat homo ». Idem in eodem: [5] « Priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus ». Idem super Psalmos: « Christus noster, etsi forte homo recens est, tamen est aeternus Deus ». — Alibi [6] vero legitur, quod *puer ille creavit stellas;* et Christus dicit, se esse *principium* et esse *ante Abraham.* His igitur auctoritatibus in nullo resultantes, dicimus, hominem illum, in quantum *homo* est, coepisse; in quantum *Verbum* est, semper fuisse. Hic enim absque distinctione non est ferenda responsio. Nam et ipse Augustinus huiusmodi utitur distinctione in pluribus locis [7] dicens, per Christum omnia esse facta, in quantum est *Verbum;* secundum id vero, quod *homo* est, ipsum esse factum et glorificatum. Si igitur ad personam respicias, confidenter dic, hominem illum *semper fuisse;* si vero ad naturam hominis, concede, eum *coepisse.* Nota.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XI.

De communicatione idiomatum, quae dicunt aliquam defectibilitatem.

Deinde, si quaeritur, utrum praedestinatio [1] etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra ostendit Magister, qualiter conveniunt Christo illa idiomata, quae sonare videntur in complementum et dignitatem. In hac vero parte inquirit de his quae dicunt aliquam defectibilitatem; talia autem sunt, quae notant inceptionem et significant habere *esse* post *non-esse.* Talia autem sunt in triplici differentia: quia quaedam important inchoationem in *esse implicite* et ratione *connotati*, ut vocabulum praedestinandi; quaedam *implicite*, sed ratione *principalis significati*, ut verbum creandi; quaedam *explicite* et ratione sui *primi significati*, sicut verbum incipiendi. Ideo pars ista habet partes tres. In quarum prima inquirit, utrum praedestinatio dicatur in Christo de natura, an de persona [2]. In secunda vero inquirit, utrum Christus sit creatura, in principio distinctionis undecimae: *Solet etiam quaeri, utrum debeat simpliciter dici* etc. In tertia vero quaerit, utrum ille homo aliquando inceperit, an semper fuerit, ibi: *Post praedicta quaeritur* etc.

Prima autem et ultima parte remanente indi-

---

[1] Sive de Fide, c. 16. n. 105. seq.

[2] Codd. A B C E et edd. 1, 8 addunt *Christus;* eaedem edd. infra pro *rationalis, vel non* habent *rationalis vel irrationalis.*

[3] Hic in codd. A B C E et edd., exceptis 1 et Vat., incipit d. XII.

[4] Tract. 106. in Ioan. Evang. (c. 17.) n. 5. In originali expressius legitur *Deus Filius* pro *Dei Filius.* Post *ipse homo* edd., exceptis 1, 8, non bene addunt *Dei*, refragantibus etiam codd. et originali. Sensus est, quod Christus, qui ut *Deus* omnia simul cum Patre habuit, ut *homo nondum glorificatus* quodam modo nondum habuerat discipulos, unde dicere potuit: *Mihi eos dedisti* (Ioan. 17, 6.).

[5] Tract. 105. n. 7. Seq. locus est Enarrat. in Ps. 80. n. 13. Est etiam ibid. v. 10. in Glossa *interlineari.*

[6] Glossa in Matth. 2, 2, apud Lyranum. Seqq. loci Scripturae sunt Ioan. 8, 25. et 58. — Infra pro *resultantes*, quod habent nostrae edd. nec non codd., in ed. Parmensi Comment. S. Thomae *reluctantes.* Deinde ante *coepisse* edd. 1, 8 praefigunt *esse;* denique pro *ferenda* codd. B C et edd. 1, 2, 3, 5, 7, 8, 9 *referenda.*

[7] Tract. 105. in Evang. Ioan. n. 2. et 4; tr. 1. n. 9. et seqq.; I. contra Maximin. c. 17, et II. c. 17. n. 2. et Epist. 187. (alias 57.) c. 3. n. 8.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Pro his verbis, quae sumta sunt ex lit. Magistri, d. X. c. 3, sola Vat. substituit *Solet etiam quaeri, utrum debeat simpliciter dici* etc.

[2] Supra d. X. c. 3. Ibi autem in *divisione textus* illud capitulum explicite tribuitur distinctioni X. In commentario autem de eodem agitur in hac dist.

visa, media pars dividitur in tres. In quarum prima proponit quaestionem et determinat. In secunda vero per auctoritates Sanctorum confirmat, ibi: *Qui*[1] *Christum vel Dei Filium non esse factum* etc. Tertio vero dissolvit argumentationem sophisticam, quae quidem videtur esse contraria veritati, et hoc ibi: *Etsi ergo Christus secundum hominem dicitur creatura* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio circa duo.

Primo quantum ad Christi praedestinationem.

Secundo vero quaeritur de his quae videntur circa Christum ponere inceptionem.

Circa primum quaeruntur tria per comparationem ad praedestinationem nostram.

Primum est, utrum praedestinatio Christi sit nostrae praedestinationi conformis.

Secundum est, utrum sit nostrae praedestinationis forma exemplaris.

Tertium est, utrum respectu nostrae praedestinationis sit in ea[2] ratio causalitatis.

ARTICULUS I.

De Christi praedestinatione.

QUAESTIO I.

Utrum praedestinatio Christi sit nostrae praedestinationi conformis.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum praedestinatio Christi sit nostrae praedestinationi conformis, ita quod nostra et sua praedestinatio dicatur secundum rationem univocam. Et quod sic, videtur:

Argg. pro parte affirmativa.

1. Primo per definitionem praedestinationis: « Praedestinatio est praeparatio gratiae et gloriae[3] »; sed hoc convenit Christo et nobis: ergo etc.

2. Item, quod convenit Christo secundum humanam naturam convenit uniformiter nobis, cum sit eiusdem naturae et speciei nobiscum[4]; sed praedestinatio convenit Christo secundum naturam humanam: ergo nobis et sibi competit secundum rationem univocam.

3. Item, conformamur Christo in merito; et si conformamur in merito, necesse est conformari in praemio: ergo pari ratione et in divino proposito. Sed hoc est praedestinatio[5]: ergo etc.

4. Item, Augustinus de Vocatione Sanctorum[6]: « Quicumque homo gratia fit Christianus, sicut ille homo ab initio factus est Christus »: ergo si eo modo Deus alios homines Christianos fecit, per quem modum et illum hominem Christum fecit, et omnino eodem modo praedestinavit, quo modo fecit; ergo per eundem modum praedestinavit nos et Christum.

Pro parte negativa.

Sed contra: 1. Augustinus de Praedestinatione Sanctorum[7]: « Praedestinatio est propositum miserendi »; sed respectu eius non est miserendi propositum, in quo nullum contingit reperire peccatum: si ergo talis est Christus, videtur, quod non secundum eandem rationem dicatur praedestinatio de nobis et de Christo.

2. Item, praedestinatio sic notificatur communiter[8]: « Praedestinatio est praeparatio gratiae in praesenti et gloriae in futuro »; sed in Christo simul fuerunt gratia et gloria: ergo praedestinatio non convenit nobis et Christo secundum unam rationem.

3. Item, praedestinatio est in nobis non tantum ratione naturae, verum etiam ratione personae; sed in Christo est praedestinatio ratione naturae assumtae, non ratione personae, cum illa sit aeterna[9]: ergo etc.

4. Item, ille homo Christus praedestinatus fuit esse Deus sive Dei filius, secundum quod dicitur ad Romanos primo[10]: *Qui praedestinatus est filius*

---

[1] Codd. *quod*, sed contra text. Magistri, hic c. 1.

[2] Non pauci codd. parum recte *in eo*.

[3] De hac definitione vide tom. I. pag. 702, nota 6. et pag. 704, nota 3. — Subinde pro *sed hoc* edd. *sed haec*.

[4] Aristot., de Praedicam. c. 1: Univoca vero dicuntur quorum et nomen commune est, et secundum nomen eadem substantiae ratio, ut animal et homo etc. — De *minori* cfr. supra d. 7. a. 2. q. 1.

[5] Cfr. infra arg. 1. pro parte negat., et I. Sent. d. 40. a. 1. q. 2.

[6] Sive de Praedestinatione Sanctorum, c. 15. n. 31: Ea gratia fit ab initio fidei suae homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. — Paulo inferius pro *Christianos fecit* codd. I L Z aa cc *Christianos facit*.

[7] Cap. 17. n. 34. Cfr. tom. I. pag. 702, nota 3. et pag. 705, nota 3. Vide etiam August., II. Contra duas epist. Pelagian. c. 10. n. 22.

[8] Vide hic nota 3. — De *minori* cfr. d. 13. a. 1. q. 1. seqq. et d. 14. per totam.

[9] Ut ostensum est supra d. 7. a. 2. q. 1. — Quoad ipsam *minorem* S. Thom., III. Sent. d. 10. q. 3, speciali quaestione probat, dici posse, naturam in Christo esse praedestinatam, vel personam ratione naturae.

[10] Vers. 4. — Seq. loc. Script. est Ioan. 3, 34. — Cfr. supra d. 7. a. 2. q. 3. — Ratio deinde in conclusione adducta ab Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 52. et 64. (c. 6. 7.), sic exprimitur: Ratio [proportio] autem nulla est infiniti ad finitum.

Dei in virtute etc. — unde et *datus est ei spiritus non ad mensuram* — nos autem praedestinati sumus ad gratiam creatam et finitam: ergo si creatum et finitum non univocatur in aliquo cum increato et infinito, necessario sequitur, quod praedestinatio secundum aliam et aliam rationem dicatur de nobis et de Christo.

CONCLUSIO.

Praedestinatio Christi quodam modo est conformis nostrae praedestinationi, quodam modo difformis, et non dicitur cum hac univoce, nisi quatenus est ei conformis.

Respondeo: Dicendum, quod praedestinatio Christi quodam modo habet *conformitatem* ad nostram praedestinationem, quodam modo *difformitatem;* quod patet, si attendantur ea quae circa praedestinationem sunt [1]. Consideratur enim praedestinatio in comparatione ad *praedestinantem* et ad *praedestinatum* et ad *terminum* et ad *initialem statum*. Si ergo consideretur praedestinatio secundum comparationem ad *praedestinantem,* unius rationis et conformis modi est praedestinatio Christi nostrae praedestinationi; eodem enim modo, quo Deus praedestinavit Christum, praedestinavit et nos. — Si loquamur in comparatione ad *statum a quo,* simpliciter est differentia. Nam nos per gratiam praedestinationis eripuit de statu peccati et de massa perditionis, sicut dicit Glossa super illud ad Romanos octavo [2]: *Quos praedestinavit hos et vocavit,* et ipse textus indicat; hunc autem statum non est reperire in Christo aliquo modo. Et sic quantum ad primum est *simpliciter convenientia,* quantum ad ultimum, scilicet quantum ad statum [3], *differentia.*

Conclusio 1.

Quatuor in praedestinatione consideranda.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

Quantum vero ad duo intermedia partim est *convenientia,* partim *differentia.* In nobis enim est praedestinatio respectu *naturae,* et etiam respectu *personae,* et magis proprie respectu *personae* quam *naturae.* In Christo autem est praedestinatio ratione *naturae assumtae,* quae sequitur divinam dispositionem, non ratione *personae;* et ita quodam modo est *convenientia,* et quodam modo *differentia* respectu praedestinati. — Respectu etiam termini consimiliter est [4]. Nam nos sumus praedestinati ad gratiam et gloriam, similiter et Christus; sed nos sumus praedestinati ad participandam gratiam et gloriam *successive,* Christus autem *simul.* Item, nos sumus praedestinati ad gratiam *personae singularis,* Christus autem ad gratiam *unionis* et *singularis personae* [5]; et ita tantum habet quantum nos et abundat a nobis; ac per hoc quodam modo convenit, quodam modo excedit. Verum est igitur, quod praedestinatio Christi quodam modo est *conformis* et quodam modo *difformis;* et si notificetur secundum illud, in quo conformatur, est *univocatio;* secundum autem quod disconvenit, *non.*

Conclusio 4.

Conclusio 5.

Conclusio generalis.

Et per hoc patent rationes ad utramque partem. Nam primae, quae ostendunt, quod sit nostrae praedestinationi conformis, procedunt a parte *praedestinantis,* vel *praedestinati* quantum ad *naturam,* vel ex parte *termini* quantum ad *gratiam* et *gloriam;* et sic verum concludunt. Rationes vero ad oppositum procedunt de ipsa praedestinatione a parte *status initialis,* vel a parte *praedestinati* ratione *personae,* vel a parte *termini* ratione *unionis divinae;* et suis viis concedendae sunt singulae.

Ad argumenta.

SCHOLION.

I. Iam supra d. 7. a. 2. q. 1-3. plura dicta sunt de praedestinatione respectu Christi; ad quem locum lectorem remittimus. — Haec 1. quaestio dilucide et aptis distinctionibus totam rem explanat. Iisdem distinctionibus utitur S. Thom. in Comment. (III. Sent. d. 10. q. 3. quaestiunc. 2.) et easdem conclusiones habet. Generatim autem dicit, praedestinationem Christi ac nostram non esse eiusdem rationis, sed convenire tantum secundum *analogiam.* Pro quo addit hanc rationem, quod ratio *specifica* cuiuslibet motus accipitur penes terminum *ad quem,* qui in Christo est *unio in persona,* quae non nisi secundum analogiam quandam convenit cum *unione per operationem* (gratiam et gloriam), quae est terminus *ad quem* in ceteris praedestinatis.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 3. m. 6. — B. Albert., III. Sent. d. 10. a. 19. — Petr. a Tar., III. Sent. d. 10. q. 3. a. 2. — Richard. a Med., III. Sent. d. 10. a. 4. q. 1. — Ægid. R., III. Sent. d. 10. q. 3. dub. lat. 1. — Dionys. Carth., III. Sent. d. 7. q. 3, breviter tangit quaestiones huius art.

II. Sequentem (2.) quaestionem S. Thom. (S. III. q. 24. a. 3.) eadem conclusione solvit, sed eam verbis aliquatenus diffe-

---

[1] Edd. cum paucis codd. adiiciunt *consideranda.* In cod. U sic scriptum est: *quodam modo habet conformitatem cum nostra praedestinatione, quodam modo... si attendatur, circa quae praedestinatio consideratur. Praedestinatio enim habet comparationem ad praedestinantem* etc.

[2] Vers. 30. — Glossa hic adducta ut *ordinaria* habetur apud Strabum et Lyranum et sumta est ex August., Enarrat. in Ps. 150. n. 3, ubi ad verbum legitur sic: Praedestinatio nostra non in nobis facta est, sed in occulto apud ipsum [Deum] in eius praescientia. Tria vero reliqua in nobis fiunt: vocatio, iustificatio, glorificatio. Vocamur praedicatione poenitentiae... Vocati renuntiamus diabolo per poenitentiam, ne sub iugo eius remaneamus etc. Cfr. Glossa *interlinearis,* allegata supra pag. 177, nota 8. Animadverte etiam, quod August., de Dono persever. c. 14. n. 35, definita prius praedestinatione (quod sit « praescientia scilicet et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur »), dicit: Ceteri autem ubi nisi in massa perditionis iusto divino iudicio relinquuntur?

[3] Cod. M subtexuit *initialem,* Vat. *est simpliciter.*

[4] Vat. bene supplet *quodam modo convenientia, et quodam modo differentia,* edd. 1, 2 *differentia* tantum. Mox plurimi codd. omittunt *similiter.* Deinde codd. I K L T U V aa bis pro *nos sumus* substituunt *nos fuimus,* codd. A F G Q U *percipiendam* pro *participandam,* et pro *gratiam et gloriam* edd. et non pauci codd. *gloriam et gratiam.*

[5] Cfr. infra d. 13. a. 1. q. 1. seqq. et a. 2. q. 2.

rentibus explicat. Alii explicite ipsam non tractant; sed nonnulli in sequenti (3.) quaestione eam tangunt.

III. Tertia huius articuli quaestio communiter in hoc sensu solvitur, quod praedestinatio Christi non nisi ratione *termini* possit esse causa nostrae praedestinationis; neque sub hoc respectu potest esse causa efficiens *principalis*, quae soli Deo convenit, sicut nec causa finalis *principalis*. Tamen « Deus praeordinavit nostram salutem ab aeterno praedestinando, ut per Iesum Christum compleretur » (S. Thom., S. III. q. 24. a. 4.).

De hac quaestione: Alex. Hal., loc. c. m. 5. — S. Thom., Comment. loc. cit. quaestiunc. 3. — B. Albert., loc. cit. a. 20. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 2. — Ægid. R., loc. cit. dub. lat. 2. — Durand., III. Sent. d. 10. q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum praedestinatio Christi respectu nostrae praedestinationis sit forma exemplaris.

Secundo quaeritur, utrum praedestinatio Christi respectu nostrae praedestinationis sit forma exemplaris. Et quod sic, videtur.

1. Ad Romanos octavo [1]: *Quos praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui;* sed illud cui debet res conformari et configurari, est exemplar eius: ergo si praedestinati sumus, ut conformemur Christo; videtur, quod eius praedestinatio sit nostrae praedestinationis exemplaris ratio. Fundamenta.

2. Item, Augustinus, de Praedestinatione Sanctorum [2]: « Praeclarissimum lumen nostrae praedestinationis est Iesus Christus »; sed *lumen* habet rationem distinguendi et notificandi: si ergo hoc competit formae exemplari, videtur, quod praedestinatio Christi sit nostrae praedestinationis exemplar et ratio agnoscendi.

3. Item, vita Christi et modus vivendi fuit norma et exemplar sancte vivendi ipsis membris Christi [3]; sed sicut se habet conversatio ad conversationem, ita se habet praedestinatio ad praedestinationem: ergo si vita sua fuit regula et exemplar nostrae, pari ratione praedestinatio sua praedestinationis nostrae.

4. Item, Christi generatio fuit ratio exemplaris omnis emanationis, quia « in Verbo, quod Deus genuit, omnia disposuit [4] »: ergo pari ratione eius praedestinatio fuit ratio exemplaris omnis praedestinationis.

Sed contra: 1. Super illud Iob trigesimo octavo [5]: *Nunquid nosti ordinem caeli* etc.; Glossa: « Noscere ordinem caeli est supernarum dispositionum occultas dispositiones videre »: ergo in praedestinationibus et dispositionibus est ordo et distinctio: ergo unusquisque praedestinatus habet suam propriam praedestinationem, distinctam a praedestinatione Christi: et si alia ratione praedestinatus est Christus, et alia alii, ergo non est exemplar praedestinationis aliorum. Ad oppositum.

2. Item, ipsa praedestinatio nihil aliud est quam praevisio sive dispositio pertinens ad exemplar [6]; si ergo exemplaris non est exemplar, ergo praedestinationis nihil est exemplar: ergo praedestinationis nostrae non est exemplar praedestinatio Christi.

3. Item, quae sunt simul, unum non est ratio exemplandi reliquum; sed omnes praedestinationes simul et ab aeterno fuerunt in mente divina: ergo praedestinatio Christi nullatenus potuit esse exemplaris forma [7].

4. Item, si praedestinatio Christi est exemplar nostrae praedestinationis, aut ergo ratione *principalis significati*, aut ratione *connotati*. Si ratione *principalis significati*, cum illud sit Deus sive divina essentia, divina essentia erit exemplata, et idem erit exemplar sui ipsius [8]. Si ratione *connotati; contra*: exemplar praecedit exemplatum, non sequitur; sed multi habuerunt gratiam finalem, quae est effectus praedestinationis, antequam Christus susciperet gratiam: ergo non videtur, quod praedestinatio Christi cuiuslibet alterius praedestinationis fuerit exemplaris forma.

CONCLUSIO.

Praedestinatio Christi quoad connotatum et exemplar exterius potest dici exemplar nostrae praedestinationis, non respectu summi artificis, sed respectu nostri.

Respondeo: Dicendum, quod est loqui de praedestinatione Christi et nostra [9] dupliciter: aut quantum ad *principale significatum*, aut quantum ad Distinctio.

---

[1] Vers. 29. — In *minori* respici videtur illud Exod. 25, 40: Fac secundum exemplar etc. Cfr. de *minori* tom. I. pag. 600, nota 7.

[2] Cap. 15. n. 30. Est etiam praeclarissimum lumen praedestinationis et gratiae ipse Salvator... Christus Iesus. Cfr. de Dono persever. c. 24. n. 67.

[3] Vide Ioan. 13, 15, et I. Petr. 2, 21. — Paulo inferius post *et exemplar nostrae* edd. suppleni *vitae*.

[4] Ut apud Petr. Lombardum et Lyranum legitur in Glossa *ordinaria* in Ps. 64, 12. Verba ipsa sumta sunt ex August. in hunc loc. Cfr supra pag. 191, nota 4, et I. Sent. d. 6. q. 3. et d. 27. p. II. q. 2.

[5] Vers. 33. — Glossa haec *ordinaria* (et apud Strabum et Lyranum) sumta est ex Gregor., XXIX. Moral. c. 33. n. 77, ubi sic: Ordinem caeli nosse est supernarum dispositionum occultas praedestinationes videre. — Paulo inferius pro *et si alia ratione* cod. U *et sic secundum aliam rationem*. Deinde idem cod. U cum codd. A G H I K N T V Z bb *alia* omittit ante *alii*. Demum edd. ultimam conclus. huius arg. sic exhibent: *ergo non est exemplar suae praedestinationis et aliorum*.

[6] Cfr. hic fundam. 4. — Inferius pro *nihil* cod. G *non*.

[7] Vat. addit *praedestinationum aliarum*.

[8] Edd. *et idem* [Vat. *et sic idem*] *exemplatum et exemplar sui ipsius*. Mox post *non sequitur* Vat. adiicit *illud*, et pro *non sequitur* cod. K habet *et non convertitur*. — De principiis huius arg. cfr. I. Sent. d. 40. a. 1. q. 1.

[9] Pro *nostra* Vat. falso *natura*.

connotatum. Si loquamur quantum ad *principale* Conclusio 1. *significatum*, quod quidem est divina essentia; sic nulla praedestinatio exemplar habet ab alia, cum omnes unum sint, scilicet divina essentia. — Si autem loquamur quantum ad *connotatum*, quod quidem est gratia et gloria; tunc distinguendum est, quod duplex est exemplar: quoddam *interius* in mente artificis, sicut ratio, secundum quam artifex producit sua opera; quoddam *exterius*, ad quod aspiciens ille qui ignorat artem, aliquo modo regulatur; sicut isti artifices mechanici aliquas formas exterius habent, secundum quas dirigunt opera sua, sicut patet in his qui faciunt calceamenta. Subdistinctio.

Si ergo *primo* modo loquamur de praedestinatione Christi ratione *connotati*, adhuc praedestinatio Christi non est nostrae praedestinationis exemplar. Deus enim non praedestinavit nos, aspiciens ad aliquod *aliud a se*, sed unumquodque praevidit *in se* et *disposuit* secundum *rationem propriam*. — Si Conclusio 2. vero loquamur de exemplari *secundo* modo, sic praedestinatio Christi est exemplar nostrae praedestinationis, exemplar, inquam, directivum non respectu summi artificis, sed respectu nostri, tam in credendis quam in exspectandis quam etiam in operandis. Tunc enim est in nobis recte *gratia* Dei, quando Christo efficimur conformes; et talia etiam per gratiam futura sunt *corpora* nostra, quale Christus sua resurrectione monstravit, secundum quod Sancti dicunt [1]; et nos ipsi, si volumus ad ultimum praedestinationis terminum pervenire, necesse habemus *in auctorem fidei et consummatorem* aspicere [2], qui *exemplum dedit, ut quemadmodum ipse fecit, et nos faciamus*. Quemadmodum enim Petrus dicit primae secundo, *Christus passus est pro nobis, vobis* Notandum. *relinquens exemplum*. Et pro tanto dicit Augustinus, quod ipse est « praeclarissimum lumen nostrae praedestinationis », quasi Deus ad unumquemque nostrum dicat: *Aspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est* [3], hoc est in Christo, cuius omnia illa veteris Testamenti apparamenta fuerunt signa. — Et in hoc sensu concedi potest, quod praedestinatio Christi exemplaris forma sit nostrae praedestinationis.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod sunt distinctae et ordinatae; dicendum, quod ex illo verbo habetur, quod inter praedestinationes a parte connotatorum est *distinctio*, sic tamen quod non deest *ordo*. Et ideo, quamvis nostrae praedestinationis effectus ab effectu praedestinationis Christi sit distinctus; potest tamen habere ordinem ad ipsum, secundum quem est directio et regulatio, et per hoc quaedam ratio exemplandi. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod praedestinatio ipsa est exemplar; dicendum, quod verum est de ratione *principalis significati;* et quantum ad hoc bene concedendum est, quod una praedestinatio non est exemplar alterius, sed ratione *connotati* est exemplatum; et nihil prohibet, aliquod esse quodam modo exemplatum et quodam modo exemplar. Sicut liber primo factus ab artifice est exemplar respectu librorum deinceps fiendorum, sed exemplatus fuit ab arte existente in mente [4]; sic et in effectu praedestinationis intelligendum est. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod praedestinationes sunt simul; iam patet responsio. Hoc enim verum est quantum ad *principale significatum*, sed quantum ad *connotatum* veritatem non habet; et ideo nihil impedit, quin ex illa parte contingat reperire exemplaritatem [5].

4. Ad illud quod obiicitur, quod exemplar praecedit exemplatum; dicendum, quod etsi Christus, proprie loquendo, sua vita non dederit formam et exemplum, nisi his qui secuti sunt [6], tamen sub quibusdam velaminibus figurarum dedit praecedentibus quod nobis dat aperte; et cum exercebantur spiritualiter et fideliter a viris sanctis et spiritualibus, per hoc Christo conformabantur in vita, quem etsi nondum viderent in carne, videbant tamen fide, iuxta illud Ioannis octavo [7]: *Abraham exsultavit, ut videret diem meum, vidit et gavisus est;* et ita, quamvis non praecesserit *re*, praecessit tamen *praefiguratione* et *credulitate*. Et illud sufficit ad rationem exemplaris qualemcumque. — *Praeterea*, etsi quantum ad gratiam non praecesserit, tamen quantum ad gloriam praecessit; et ratione istius rationem exemplaritatis habet Christi praedestinatio respectu omnium. Ipse enim est *primogenitus in multis fratribus, primatum tenens in omnibus* [8]. Notandum. Alia ratio.

---

[1] Cfr. IV. Sent. d. 43. a. 1. q. 6. et d. 49. p. II. a. 2. princip. a. 2. q. 1, ubi praecipue allegatur August., de Civ. Dei, qui in laudato libro passim (XIII. c. 23; XXII. c. 15. seqq.) agit de qualitate corporum resurgentium. — Paulo superius pro *per gratiam* codd. G (K a secunda manu) bb *per gloriam*.

[2] Hebr. 12, 2. — Subinde respicitur illud Ioan. 13, 15: Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. — Seq. Script. loc. est I. Petr. 2. 21. — Post *et consummatorem* Vat. interlicit *qui est Christus* et mox pro *Quemadmodum enim* substituit *quemadmodum etiam*. Vocula ista *enim* abest a cod. Z et edd. 1, 2.

[3] Exod. 25, 40.

[4] Vat. subdit *artificis*. Verbum *existente* in cod. Q a secunda manu mutatum est in *exemplante*. Paulo superius pro *aliquod esse* codd. A G H bb *aliquid esse*.

[5] Cfr. I Sent. d. 35. q. 3. et 6.

[6] Edd. supplent *eum*. Paulo inferius pro *et cum* non pauci codd. *et tamen*, codd. A bb (K aa a secunda manu) *et dum*.

[7] Ver. 56. — Mox pro *praecesserit re* edd. 1, 2 *praecesserit tempore*, Vat. *praecesserit re vel tempore*.

[8] Rom. 8, 29, et Coloss. 1, 18. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

Utrum in praedestinatione Christi respectu nostrae sit vera causalitatis ratio.

Tertio quaeritur, utrum in praedestinatione Christi respectu nostrae sit vera ratio causalitatis. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Ad Ephesios primo [1]: *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*; sed non nisi per Christum praedestinatum: ergo etc.

2. Item, Gregorius [2] dicit, quod praedestinatio iuvatur orationibus Sanctorum: ergo si improportionabiliter plus efficaciae habent circa nos merita Christi quam aliquorum Sanctorum, restat, quod non solum per Christi praedestinationem nostra praedestinatio iuvatur, verum etiam causatur; nam ipsum *iuvare* quodam modo *causare* est.

3. Item, sicut se habet Christi resurrectio ad nostram resurrectionem, sic se habet praedestinatio ad praedestinationem; sed resurrectio Christi est causa nostrae, sicut dicitur in Glossa, primae ad Corinthios decimo quinto [3]: ergo et praedestinatio Christi causa est praedestinationis nostrae.

4. Item, per eum sumus praedestinati, per quem sumus salvati; sed salvati sumus per Christum, ad Titum tertio [4]: *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos per Iesum Christum*; et ad Ephesios quarto dicitur, quod *ascendit, ut adimpleret omnia*: restat igitur, quod per Christum sumus praedestinati. Sed Christus non esset, nisi eius praedestinatio praecessisset: ergo praedestinatio Christi est causa nostrae.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Nullum aeternum habet causam; praedestinatio cuiuslibet hominis est aeterna [5]: ergo a nullo est causata: ergo praedestinatio Christi non potest esse causa nostrae praedestinationis. *Si tu dicas*, quod hoc est ratione *connotati* temporalis; *sed contra*: nihil posterius est causa prioris; sed effectus praedestinationis Christi est posterior effectu praedestinationis Patrum: ergo etc.

2. Item, Christo non convenit praedestinari nisi secundum humanam naturam [6]; sed secundum humanam naturam non habet super nos causalitatem: ergo praedestinatio Christi non potest esse causa nostrae praedestinationis.

3. Item, si praedestinatio Christi est causa nostrae, aut ratione *principalis significati*, aut ratione *connotati*; ratione *principalis significati* non, hoc constat: ergo ratione *connotati*. Sed *contra*: gratia et gloria a solo Deo est tanquam a causa [7]: non ergo a praedestinatione Christi.

4. Item, contingens non est causa necessarii [8]; sed ante adventum Christi necessarium fuit, aliquos praedestinatos fuisse, illos videlicet, qui mortui fuerunt cum gratia; Christum autem possibile fuit non incarnari vel nasci, et ita nec esse praedestinatum: ergo praedestinatio eius non potuit esse causa aliarum.

CONCLUSIO.

Praedestinatio Christi ratione connotati dici potest causa nostrae praedestinationis dispositiva per meritum, et excitativa per exemplum, sed non proprie effectiva.

Respondeo: Dicendum, quod si loquamur de praedestinatione Christi et nostra ratione *principalis significati*, neutra neutrius est causa, cum utraque sit aeterna, omnesque sint unum in substantia [9]. — Si autem loquamur ratione *connotati*, tunc distinguendum [10], quod est causa in genere *efficientis*, quae proprie dicitur causa, de qua nunc loquimur; et haec est in triplici differentia, scilicet *effectiva*, *dispositiva* et *excitativa*. Omne enim, quod efficit vel *disponit*, vel *excitat* disponentem, vel efficientem, aliquo modo potest dici *efficere* et *causare*. Conclusio 1. Causa efficiens triplex.

Si ergo loquamur de causa *effectiva proprie*, sic praedestinatio Christi ratione *connotati* non potest esse causa nostrae, quoniam effectus praedestinationis a solo Deo est tanquam a principio effectivo; *gratiam* enim *et gloriam dabit Dominus* [11]. Si vero loquamur secundum alios duos modos, scilicet Conclusio 2. Conclusio 3.

---

[1] Vers. 5. — De *minori* cfr. q. praeced.

[2] Libr. I. Dialog. c. 8. Verba ipsius vide tom. I. pag. 728, nota 3. — Mox pro *aliquorum Sanctorum* edd. et aliquot codd. *aliorum Sanctorum*.

[3] Vers. 12. — Glossa allegata apud Lyranum habetur ut *interlinearis*. Petr. Lombardus eam cum vers. cit. coniunctam sic exhibet: «*Si autem* hoc est, scilicet si *Christus resurrexit a mortuis*, qui est efficiens causa resurrectionis mortuorum» etc. Huic similis est Glossa haec, quam idem Petr. Lombardus in Ps. 29, 6. affert: Dominus mane resurrexit, idem promittens nobis per suam resurrectionem, quae est efficiens causa resurrectionis et animae in praesenti et corporis in futuro. Cfr. IV. Sent. d. 43. a. 1. q. 6. — In *maiori* cum fere omnibus codd. omisimus *nostram* ante *praedestinationem*.

[4] Vers. 5. seq. In textu cit. Vulgata post *effudit in nos* addit *abunde*. Loc. ex Eph. 4. allegat. est v. 10, ubi Vulgata pro *adimpleret* habet *impleret*. — In prima conclus. post *praedestinati* codd. K M O repetunt *per quem sumus salvati*.

[5] Vide I. Sent. d. 40. a. 1. q. 1,

[6] Cfr. supra d. 7. a. 2. q. 1.

[7] Psalm. 83, 12: Gratiam et gloriam dabit Dominus.

[8] Cfr. Aristot., I. Prior. c. 12.

[9] Cfr. hic q. 2. conclusio 1.

[10] Edd. adiiciunt *est*. Subinde vocula *quod* desideratur in cod. Z, et mox pro *de qua* cod. G exhibet *et de qua*.

[11] Psalm. 83, 12. — Paulo superius voci *praedestinationis* Vat. praemittit *nostrae*.

de causa *dispositiva* per rationem meriti et *excitativa* secundum efficaciam exempli; praedestinatio Christi quantum ad *connotatum* est causa nostrae. Christus enim per suam gratiam meruit nobis gratiam et gloriam. Christus etiam per suae gratiae et gloriae eminentiam manifestam excitavit nos ad currendum ad patriam supernam, ad quam praeordinati sumus secundum electionem aeternam. — Et hac via procedunt rationes, quae ostendunt, praedestinationem Christi nostrae praedestinationis esse causam; et ideo concedendae sunt.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod primo obiicitur in contrarium, quod praedestinatio nostra est aeterna etc.; dicendum, quod verum est ratione *principalis significati*, non tamen ratione *connotati*. Et *si obiiciat*, quod effectus praedestinationis aliquorum praecedat praedestinationem Christi; respondendum est sicut in praecedenti problemate [1], quod etsi praecedat quantum ad effectum *gratiae*, non tamen quantum ad effectum *gloriae*. *Rursus*, quamvis praecedat *re*, non tamen *merito* et *credulitate*. Meritum enim Christi non tantum ad praesentes, vel futuros, sed etiam ratione fidei se extendit ad praeteritos; quod melius infra [2] manifestabitur suo loco.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod Christus secundum humanam naturam non est causa gratiae, vel gloriae; dicendum, quod etsi non est causa *effectiva*, est tamen *dispositiva* et *excitativa*; et hoc modo dictum est, praedestinationem Christi nostrae praedestinationis esse causam [3]. — Et per hoc patet sequens, quod obiicitur, quod gratia et gloria a Deo est tanquam a causa. Verum est, si dicatur de *effectiva*; *aliis* autem *modis* non habet veritatem.

4. Ad illud quod obiicitur, quod contingens non est causa necessarii; dicendum, quod verum est, si intelligatur de causa *efficiente* et *conservante*, non tamen oportet esse verum de causa *excitante* [4]. — Potest tamen et aliter dici, quod est *necessarium* dupliciter: uno modo quod est necessarium *per se* et simpliciter; alio modo quod est necessarium propter hoc, quod *transit in praeteritum*, sicut me scripsisse hodie; et illud de sui *natura* est contingens, et propter hoc nihil impedit, ipsum habere causam contingentem. — Potest etiam distingui in [5] *contingente*, quod quoddam est contingens, quod pendet a vertibilitate voluntatis *humanae* et causae creatae; quoddam propter libertatem et indifferentiam *divinae* voluntatis, quae potest facere et non facere. Et quamvis primum contingens non possit esse causa necessarii, nihil tamen impedit de secundo.

Solutio 1.

Solutio 2.

Duplex necessarium.

Solutio 3.

Medius autem modus dicendi videtur rationabilior. Et *si tu obiicias*, quod illud non solvit, quia, posito quod Christus non esset incarnatus, adhuc alius modus erat Deo possibilis, per quem genus humanum esset liberatum [6]: ergo remota praedestinatione Christi, adhuc salva esset praedestinatio nostra: ergo non est causa; dicendum, quod hoc non cogit, quod non sit *causa*, sed quod non sit causa *tota* et per *omnem modum causandi*, est tamen per *aliquem modum*; sicut Deus facit per aliquem hominem aliquod bonum, et si ille homo non esset, nihilominus faceret; et tamen non sequitur propter hoc, quod ille non sit causa. Non enim valet hic modus arguendi in voluntariis [7]. — Et haec sufficiant de praedestinatione Christi a parte rei. Supra enim distinctione septima [8] quaesitum fuit de ipsa a parte sermonis [9].

Praefertur solutio 2. et defenditur.

ARTICULUS II.

De vocabulis, quae videntur importare inceptionem.

Consequenter quaeritur de his vocabulis, quae videntur importare inceptionem. Et circa hoc tria sunt dubitabilia perquirenda.

Primo quaeritur, utrum simpliciter concedendum sit, quod Christus sit creatura.

Secundo, utrum concedendum sit, quod ille homo coeperit esse.

Tertio quaeritur, utrum homo coeperit esse Deus.

QUAESTIO I.

Utrum haec sit concedenda: Christus est creatura.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum haec sit concedenda: Christus est creatura. Et quod sic, ostenditur multiplici auctoritate.

Ad oppositum.

1. Augustinus ad Dardanum [10]: « Quod ad *Verbum* attinet, Creator est Christus; quod ad *hominem* attinet, creatus est Christus ». — Item, Leo

---

[1] Ad 4.

[2] Dist. 25. a. 1. q. 2.

[3] Cfr. infra d. 19. a. 1. q. 1, ubi idem, quod hic de praedestinatione Christi dicitur, praedicatur de Christi *passione*. Ibid. etiam habetur solutio seq. obiect.

[4] Vide I. Sent. d. 41. a. 1. q. 1, ubi de praedestinationis causa *meritoria* agitur.

[5] Vat. *de*. Mox pro *vertibilitate* cod. aa *virtute*.

[6] Cfr. infra d. 20. q. 6. et supra pag. 236, nota 2.

[7] Vide I. Sent. d. 38. a. 1. q. 1. in corp.; d. 40. a. 2. q. 1. et d. 45. a. 2. q. 2.

[8] Art. 2. q. 1. seqq.

[9] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[10] Sive Epist. 187. (alias 57.) c. 3. n. 8.

Papa [1]: « Nova et inaudita conventio: Deus, qui est et qui erat, fit creatura ». — Damascenus [2] etiam expresse: « Non scandalizatur ad nomen *creaturae* qui se *servum*, aut *vermem*, aut *granum* natum de terra nominavit ». Idem etiam ipse: « Quid mirabilius, quam Creatorem creari et plasmatorem plasmari »? — Richardus de sancto Victore [3] in quadam Sequentia: « Potestate, non natura, fit Creator creatura ». — Ex his omnibus auctoritatibus tanquam una efficaci ratione concluditur, quod Christus sit creatura.

2. Item, auctoritate efficaciori, ad Galatas quarto [4]: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*, et similiter ad Romanos; sed omne factum est creatura, Filius autem Dei est factus: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur. In Christo est veritas naturae creatae et naturae increatae, et *Christus* nominat hypostasim utriusque naturae; sed haec est vera ratione divinae naturae: Christus est Creator, et: ille homo est Creator: ergo pari ratione et haec: Christus est creatura.

4. Item, de quocumque praedicatur inferius, et superius, necessaria consequentia [5]; sed *creatura* est superius respectu *hominis* et *animalis*; sed haec est vera simpliciter: Christus est homo, et haec: Christus est animal: ergo et haec necessario est vera: Christus est creatura.

5. Item, si Christus est homo, aut *creatus*, aut *increatus*; non *increatus*, hoc constat, quia « oppositio est in adiecto [6] »: ergo est homo *creatus*. Sed homo creatus est creatura: ergo etc.

6. Item, sicut caro Christi fuit concepta, sic anima Christi fuit creata: ergo sicut ratione carnis haec fuit vera: Christus est proles Virginis et conceptus de Virgine; ita haec erit vera: Christus est creatura Dei, vel creatus a Deo. Si *dicas*, quod non est simile propter repugnantiam intellectuum, quae est in hac: Christus est creatura; *contra*: maior est repugnantia, cum oppositum praedicatur de opposito, quam quando creatura de Christo; sed haec est vera: Christus est impassibilis, est immortalis, est mortuus [7]: ergo etc.

Sed contra: Ad Romanos octavo [8]: *Vanitati subiecta est omnis creatura*; sed Christus, cum sit Deus, non est vanitati subiectus: ergo etc. Fundamenta.

2. Item, intellectus huius nominis *creatura* est esse de nihilo [9]; sed hoc repugnat Christo, cum Christus fuerit ab aeterno: ergo non est concedendum, Christum esse creatum.

3. Item, omne creatum incipit esse; sed Christus fuit ab aeterno, quoniam ipse eduxit filios Israel de Ægypto [10]: ergo etc.

4. Item, si Christus est creatura, aut hoc est ratione *naturae*, aut ratione *personae*; ratione *naturae* non, quia *natura* non praedicatur de Christo [11]; ratione *personae* non, quia *persona* Christi non est creata, sed Patri coaeterna: ergo nullo modo verum est, quod Christus sit creatura.

CONCLUSIO.

Non recipitur propositio: Christus sive Filius Dei est creatura, nisi determinetur.

Respondeo: Dicendum, quod praedictus sermo a doctoribus theologiae communiter non recipitur: Christus sive Filius Dei est creatura. Adhaerent enim verbis Magistri in littera [12]. — Ratio autem, quare non recipitur, est, quia talis sermo est propinquus errori. Errori autem appropinquat, et quia *male aliquando intellectus est* ab haereticis Arianis, et etiam quia *de se male est intelligibilis*. Arius namque dixit, Filium Dei esse creaturam; et quoniam *Christus* nominat personam Filii Dei, qui dicit, Christum esse creaturam, non determinans, secundum quam naturam intelligat, videtur ipse dicere quod Conclusio. Ratio. Probatio 1.

[1] Sententialiter in Serm. 77. (alias 75. 3. de Pentecost.) c. 2: « Si enim homo ad imaginem et similitudinem Dei factus in suae honore naturae mansisset... Creator mundi creatura non fieret ». Sed ad verbum in Serm. 128. (alias 13. de Tempore) sive Serm. 12. in Natali (qui a Maurinis in Appendice Serm. Augustini repositus est) c. 2. n. 2: « O nova et inaudita commixtio! Deus, qui est et qui erat, fit! Creator creatura »! Gregor. Nazian. Orat. 38. n. 20: O novam mixtionem, o admirandam temperationem! Qui est, fit; qui creatus non est, creatur.

[2] Sententialiter (nam verba ipsa in Damasc. operibus non invenimus) in IV. de Fide orthod. c. 18: « Deus Verbum... creatura dicitur et novissimus appellatur » (Isai. 53, 3.); et in Orat. I. de Imagin. n. 4: Ipsi Creatori [servio], qui instar mei creatus factus est [κτισθέντα τὸ κατ' ἐμέ]. Verba sub Damasc. nomine allegata potius Hieronymi esse videntur, qui I. Comment. in Epist. ad Eph. 2, 10. ait: « Nos libere proclamamus, non esse periculum eum [Christum] dicere creaturam, quem vermem et hominem et crucifixum et maledictionem tota spei nostrae fiducia profitemur ». Alterum sub Damasc. nomine allegatum testimonium sententialiter habetur in III. de Fide orthod. c. 1: « Quid enim maius, quam Deum hominem fieri »?

[3] In operibus dicti auctoris non reperitur. B. Albert., hic a. 3, laudatam Sequentiam magistro *Rodolpho* de sancto Victore adscribit. Cfr. supra pag. 161, nota 1. — Paulo inferius pro *ratione* multi codd. *ratiocinatione*.

[4] Vers. 4. — Locus ex Epist. ad Rom. allegatus est I, 3: Qui factus est ei ex semine David etc.

[5] Secundum Aristot., de Praedicam. c. 3. (c. 2.), ex prima regula praedicamentali. Cfr. IV. Topic. c. 1. — Ante *necessaria* cod. cc et edd. interiiciunt *est*.

[6] Aristot., II. Periherm. c. 2. (c. 11.).

[7] Codd. A bb *Christus impassibilis est passibilis, immortalis est mortuus;* cod. K a secunda manu *Christus impassibilis est passus.* Paulo superius pro *de opposito* cod. K *de suo opposito.*

[8] Vers. 20. — Hoc idem arg. adducit Hilar., XII. de Trin. n. 5, nec non Ambros., I. de Fide, c. 14. n. 87. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[9] Cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 1. et 3.

[10] Ut legitur in Missali, improper. I. fer. VI. in Parasceve: « Populo meus, quid feci tibi?... Quia eduxi te de terra Aegypti, parasti crucem Salvatori tuo ». Et apud Ioan. 8, 58. dicit Iesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.

[11] Cfr. supra pag. 149, nota 5.

[12] Hic c. 1. seq. — Subinde pro *Errori autem* cod. bb *Errori enim*, et post pauca pro *intellectus est* cod. A *fuit intellectus*, codd. L aa et edd. 1, 2 *intelligitur*.

Probatio 2. Arius impie sensit [1]. — Est etiam *male intelligibilis de se* propter repugnantiam intellectuum. Creatura enim, quantum est de ratione sui nominis, dicit respectum ad Creatorem; dicit aliquid, quod habet *esse* post *non-esse;* dicit etiam, quod habet *esse* aliunde per voluntatem procedens: ergo in tali locutione intellectus praedicati repugnare videtur intellectui ipsius subiecti secundum triplicem dissonantiam. Et propterea praedictus sermo est *male intelligibilis* et *fuit male intellectus,* et per hoc est errori propinquus. — Et quoniam « sermo theologicus debet esse catholicus et usitatus, ab intellectu non dissonus, et rei, de qua loquimur, consonus [2] »; propterea praedictus sermo non recipitur, nisi determinetur. — Unde rationes concedendae sunt, quae ostendunt, praedictum sermonem non esse admittendum.

Solutio oppositorum. Notandum. 1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium de Sanctorum auctoritatibus, dicendum, quod Sancti aliquando multum *expresse* loquuntur, amplius quam admittat communis usus, ob aliquid exprimendum; et tales sermones non oportet extendi, sed magis [3] sunt exponendi. Et sic est in praedicto sermone, cum dicunt, Christum esse creaturam; hoc autem dicunt secundum *humanam* naturam, et vere loquuntur; non tamen oportet, sermonem istum trahi ad communem usum.

Notandum. 2. Ad illud quod obiicitur de verbo Apostoli, quo dicitur: Factum de muliere; dicendum, quod ipsa determinatio *de muliere,* et alia determinatio, quae dicit ad Romanos [4]: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem,* trahunt hoc vocabulum *factus* ad standum sive ponendum rem suam circa naturam *assumtam.* Et ideo non sequitur propter hoc, quod tales locutiones sint sine determinatione concedendae.

3. Ad illud quod obiicitur, quod haec conceditur sine determinatione: Christus est Creator; dicendum, quod non est simile; quoniam *Christus* nominat personam Verbi, quae est increata et increatae naturae [5] per essentiam et naturam propriam. Ideo non ita convenienter attribuitur ei vocabulum *creaturae,* sicut *Creatoris,* quia non est talis intellectuum dissonantia. *Praeterea,* ille sermo non ita approximat veneno erroris, sicut sermo propositus; et ita patet, quod non est respuendus.

4. Ad illud quod obiicitur, quod de quocumque praedicatur inferius, et superius; dicendum, quod verum est, quantum est de virtute *illationis.* Notandum. Unde si haec est vera: Petrus est homo, absque dubio verum est: Petrus est animal; sic etiam concedi potest, quodsi vere est *homo,* quod vere est *creatura.* Non tamen oportet, quod si aliqua locutione utendum est cum *inferiori,* quod utendum sit ea cum *superiori,* propter diversos modos significandi, in quorum uno intellectus invenit consonantiam, in alio repugnantiam. Et quoniam praedictam locutionem magis respuunt doctores propter hoc, quod potest esse via in falsitatem vel errorem propter malum modum intelligendi, quam quod ipsa de se sit falsa vel erronea; ideo patet ratio.

5. Et per hoc patet responsio ad sequentem obiectionem. Quamvis enim ista admittatur et concedatur: Christus est *homo creatus;* non tamen simpliciter concedendum, quod sit *creatus,* ne intelligatur, ei tale praedicatum simpliciter attribui et totaliter, hoc est ratione utriusque naturae.

6. Ad illud quod obiicitur, quod est conceptus ratione carnis, et ita similiter creatus ratione animae; dicendum, quod non est simile, quia, etsi *conceptio* dicat exitum rei in *esse,* non tamen ita repugnat personae Christi intellectus illius vocabuli, sicut intellectus verbi *creandi.* — Et ratio huius est, Ratio. quia *conceptio* aliquid praesupponit; et naturam determinatam concernit; nec dicitur respectu Dei, sed respectu mulieris sive matris; dicit etiam [6] exitum naturalem; sed non sic *creatio* vel *creatura.* Nam Quid dicit creatio. *creatio* dicit actum, qui potest in totam rei substantiam, unde quod creatur *simpliciter* incipit esse; nullam etiam determinatam naturam concernit; dicitur etiam respectu ipsius creantis, et exitum voluntarium importat: hinc est, quod multo magis repugnat personae Christi vocabulum *creandi* quam *concipiendi.* — Quodsi *obiicias,* quod non magis repugnat, quam si dicatur: immortalis est mortalis; dicendum, quod etsi non magis repugnet quantum ad *exterius rationem* [7]; tamen magis repugnat repugnantia *ducente in errorem.* Cum enim dicitur: im- Obiectio solvitur.

---

[1] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Pro *videtur ipse* codd. A bb *videtur illud,* cod. G *videtur ipsum,* edd. cum nonnullis codd. *videtur idem.*

[2] Sic Alan. ab Insul., Theolog. Regul. regul. 34, in qua textus origin. post *catholicus* addit *generalis.* Alanus hanc regulam explicans sic prosequitur: *Catholicus,* inquam, esse debet, quia contrarius fidei catholicae admitti non debet, ut si tres essentiae, vel tres dii esse dicantur; *usitatus* etiam, quia profanas verborum novitates Ecclesia devitat (I. Tim. 6, 20.); *generalis,* ut ab hominibus intelligentibus recipiatur, ut Christum esse *aliquid,* secundum quod homo. Ut etiam *intellectu sit perceptibilis;* debet enim verborum involucra cavere catholicus. Ut etiam rei, de qua loquimur, sit *consonus;* debet enim theologus habere sermones cognatos rebus, de quibus loquitur.

[3] Edd. cum pluribus codd. *potius magis.* Paulo superius pro *ob aliquid* cod. K *ad aliquid.*

[4] Cap. 1, 3. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Pro *quae dicit* edd. *qua dicit.*

[5] Pro *et increatae naturae* codd. M O *et est creator vere,* cod. A *et ideo creator naturae,* cod. bb (K a secunda manu) *et est creator naturae,* codd. T U V perperam *et est creatae naturae.* Paulo inferius pro *dissonantia* cod. bb *disconvenientia.* Circa finem solut. cod. E post *et ita patet* addit *per hoc,* et dein post *quod non* codd. A bb interserunt *similiter.*

[6] Pro *etiam* edd. et nonnulli codd. *enim;* perperam, siquidem in seqq. huic membro expresse opponitur alterum, quod est: *et exitum voluntarium importat.* Mox pro *incipit esse* codd. N X *potest esse.*

[7] Est modus loquendi Aristot. familiaris et occurrit e. gr. I. Poster. c. 8. (c. 10.): πρὸς τὸν ἔξω λόγον, quod Boethius vertit: ad exterius orationem. Cfr. tom. I. pag. 155, nota 10. — Edd. *ad exteriorem rationem.*

mortalis est mortalis, quia *mortalis* praesupponit creaturam viventem et ratione illius praedicatur; ideo non ita repugnat. Et *praeterea*, iste sermo prolatus ostendit, se non debere intelligi nisi per unionem [1]. Sed cum dicitur: Christus est creatura, nec praesupponit, nec sermo videtur intelligi per unionem; immo videtur praedicatum dicere totum *esse* subiecti, et propter naturam talis actus [2], qui consuevit esse in totum. Et sic patet, quod non est simile, et quod valde rationabiliter Magister [3] dicit, praedictum sermonem non esse trahendum ad usum, quamvis non possit convinci faciliter, ipsum esse simpliciter et absolute falsum. Difficiliores enim et efficaciores sunt rationes ad oppositum.

SCHOLION.

1. Quamvis aliquid creatum sit in Christo, videlicet humana eius *natura*, tamen haec propositio: Christus est creatura, sine determinatione *secundum quod homo*, communissime non recipitur. Durand. autem (hic q. 1.) hunc modum loquendi, saltem indirecte, nititur defendere, dum solvere vult argg. ab aliis contra eandem prolata. — Insuper non omnes idem sentiunt quoad admittendam proprietatem huius propositionis, si addatur: *secundum quod homo*. De hac enim formula iudicat S. Thom. (S. III. q. 16. a. 10.), quod sit magis concedenda quam neganda; idem fere sentit Richard. a Med. (hic a. 2. q. 1.). Sed in Comment. (hic a. 3.) S. Thom. dicit: « Tunc etiam *tropica* est et *figurativa*, ut dicit Magister, sicut et haec: Aethiops est albus secundum dentem ». Scot. autem (hic q. 2.) vult, quod in propositione ista, etiam addita illa determinatione, remaneat ratio falsitatis, et quod in uno sensu sit omnino falsa, in altero possit concedi, sed tantum ut *impropria*.

Loquendo autem de propositione a nostro auctore sine determinatione prolata, ipse et S. Thom. in Sum. theolog. praecipue urgent rationem sumtam ex periculo erroris vitando. Alii autem cum Scoto (hic q. 1, tamen cum quadam restrictione) et Richardo contendunt, propositionem istam secundum proprietatem sermonis in se esse falsam; pro qua sententia nonnulli etiam Ss. Thomam et Bonaventuram allegant. Quod eadem saltem sit *impropria*, satis innuit S. Bonav., quia praeter periculum erroris et in corp. et in solutionibus ad oppos. contra eam arguit ex « repugnantia intellectuum ». Ita eundem etiam Scot. (hic q. 1. n. 3.) intellexit, simulque ibi arguit contra S. Bonaventurae doctrinam, quod communicatio idiomatum non admittatur in his, in quibus est repugnantia proprietatis unius naturae ad aliam. — Sed in hac disputatione agitur tantum de modo loquendi, et fere est lis de nomine.

II. Praeter locos citatos: S. Thom., hic a. 2; S. III. q. 16. a. 8; S. c. Gent. IV. c. 47. — B. Albert., hic a. 1. 2. 3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Ægid. R., hic q. 1. a. 2. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, hic q. unica.

QUAESTIO II.

Utrum haec sit concedenda: iste homo incepit esse, Christo demonstrato.

Secundo quaeritur, utrum haec sit concedenda: iste homo incepit esse, Christo demonstrato. Et quod sic, videtur.

Argg. pro parte affirmativa.

1. Augustinus super Ioannem [4]: « Antequam mundus fieret, nec nos eramus, nec mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus »: si ergo non erat ante mundi constitutionem, ergo incepit esse.

2. Item, *nasci* et *generari* est mutari secundum substantiam et produci de *non-esse* in *esse* [5]; sed idem est omnino *produci in esse* et *incipere esse*: cum ergo haec sit vera: iste homo nascitur, et haec: iste homo in *esse* producitur; haec erit vera: iste homo incipit esse.

3. Item, ante mundi constitutionem haec est vera: nullus homo est, et haec est falsa: aliquis homo est: ergo et haec falsa: iste homo est, demonstrato Christo; et haec modo est vera [6]: ergo praedicatum modo convenit subiecto; et prius non conveniebat: ergo incipit convenire: ergo haec est vera: iste homo incipit esse.

4. Item, bene sequitur: iste homo est, ergo iste est homo, pro eo quod ex propositione, in qua clauditur implicatio, licet ipsam implicationem inferre — sequitur enim: homo albus currit, ergo homo est albus [7] — ergo sequitur: iste homo est vel fuit ab aeterno, ergo iste fuit ab aeterno homo. Sed haec est falsa: iste, demonstrato Christo, ab aeterno fuit homo: ergo et haec: iste homo est vel fuit ab aeterno; et modo est vera: restat igitur, quod incipiat esse vera: ergo haec est vera: iste homo incipit esse.

Pro parte negativa.

Sed contra: 1. Ioannis octavo [8]: *Antequam Abraham fieret, ego sum*, pari ratione et, antequam caelum fieret: ergo si idem demonstratur per hoc pronomen *ego* et per hoc pronomen *iste*, vide-

---

[1] Cfr. supra pag. 14, nota 3. — Paulo inferius pro *nec praesupponit* codd. G bb *nihil praesupponit*.

[2] Scil. actus creandi.

[3] Hic c. 1. in initio et c. 2. in fine.

[4] Tract. 105. n. 7: Priusquam mundus esset, nec nos etc.

[5] Cfr. supra pag. 111, nota 11. — In *minori* Vat. post *produci in esse* addit *post non-esse*. In fine arg. eadem Vat. cum edd. 1, 2 ante *erit vera* inserit *etiam* (cod. K *ergo*) et dein cum compluribus codd. pro *incipit esse* substituit *incipit esse*. Etiam in seqq. Vat., faventibus compluribus codd., pluries exhibet *incipit esse* pro *incipit esse*, sed nostra lectio in praesidium habet maiorem partem codd.

[6] Cod. K sic: *Item, ante mundi... nullus homo est; ergo haec est falsa: aliquis homo est; et si haec est falsa: aliquis homo est, demonstrato Christo, et haec modo est vera etc.* Deinde addit: *Item nullo homine existente, haec est falsa: iste homo est, demonstrato Christo, et modo est vera*, quibus verbis adiectis prosequitur: *ergo praedicatum* etc.

[7] Cfr. Aristot., II. Topic. c. 1. et II. Periherm. c. 2. (c. 11.). Cfr. etiam Petr. Hispan., Summul. tr. *de locis topic.* loc. de Toto in modo.

[8] Vers. 58. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3. — In fine huius et duorum seqq. argg. codd. A F V bb, refragantibus plerisque aliis codd., pro *incepit esse* habent *incipit esse*.

tur, quod haec sit vera: iste homo fuit ante mundi constitutionem: ergo haec est falsa: iste homo incepit esse.

2. Item, Magister [1] concedit hanc: «Iste puer creavit stellas»; sed cui vere attribuitur *creare caelum*, vere attribuitur *semper esse:* ergo iste puer semper fuit: ergo haec est falsa: iste puer incepit esse. Consimiliter haec negatur a Magistro: «Iste homo sive Christus est creatura»; sed hoc non est ob aliud, nisi quia per nomen *creaturae* importatur exitus de *non-esse* in *esse:* ergo pari ratione, vel multo fortiori haec est falsa: iste homo incepit esse.

3. Item, proprium est pronominis pro proprio nomine poni et certam designare personam [2]: ergo cum dicitur: iste homo, hoc pronomen *iste* demonstrat personam. Sed persona Christi semper fuit et nunquam incepit esse: ergo haec est falsa: iste homo incepit esse. *Si tu dicas*, quod *persona* ibi large accipitur; adhuc *obiicitur*, quia quidquid demonstrat, sive suppositum, sive personam proprie; videtur, quod adhuc falsa est locutio: quia expositio huius verbi *incipit* est haec: hoc incipit esse, ergo hoc modo est, sed prius non fuit [3]. Si ergo haec est vera: iste homo incipit esse, haec est vera: iste homo modo est et prius non fuit. Sed quocumque modo accipiatur, falsa est haec locutio: iste homo prius non fuit. Si enim pro *persona*, eius opposita est vera: iste homo prius fuit. Similiter si pro *supposito*, vera est: iste homo prius fuit, propter communicationem idiomatum. Sed non licet negare de aliquo quod vere affirmatur sive per proprietatem naturae, sive per unionem. Haec enim simpliciter est falsa: homo non est Deus, quia eius opposita est vera per unionem [4]. Cum ergo omni modo ista sit vera: iste homo semper fuit, haec omni modo est falsa: iste homo incepit esse.

4. Item, sicut supra [5] habitum fuit, iste terminus *homo*, dictus de Christo, quodam modo habet naturam termini *accidentalis*, quia in termino *accidentali* suppositum praeexistere potest formae; sic et in proposito est reperire. Sed regula datur, quod terminus accidentalis, supponens verbo de praeterito [6], potest supponere pro praesentibus, vel pro praeteritis, ita quod indifferenter potest reddere locutionem veram pro his, vel illis. Nec propter hoc distinguitur locutio *multiplex*, quia non comparatur ad illa tanquam ad *significata*, sed tanquam ad *supposita;* sed talis locutio dicitur habere plures causas veritatis [7]. Cum ergo dicitur: iste homo fuit, sensus est: iste qui est homo, fuit, vel: iste qui fuit homo, fuit. Sed haec simpliciter est vera: iste qui est homo, ab aeterno fuit, ergo et haec: iste homo ab aeterno fuit, ergo haec est falsa simpliciter: iste homo incipit esse, et nullatenus distinguenda.

CONCLUSIO.

Locutio: iste homo, Christo demonstrato, incepit esse, potest cum distinctione admitti, scilicet quatenus iste *demonstrat singulare hominis, non personam Verbi.*

RESPONDEO: Ad intelligentiam huius locutionis consideranda est responsio Magistri [8]. Magister enim respondet dicens, quod ad hanc locutionem «non est ferenda responsio *sine distinctione*»; ipse tamen non distinguit, sed determinat, quod incepit esse quantum ad naturam, licet non quantum ad personam; incepit esse secundum naturam humanam, sed non incepit esse in quantum Verbum. — Sed certe iste modus dicendi non sufficit opponenti importuno [9]. Resp. Magistri. Non plene sufficit.

---

[1] Hic c. 3. — Ibid. c. 1. habetur etiam altera sententia, paulo inferius allata. — Pro *creare caelum* edd. *creare stellas.*

[2] Cfr. supra pag. 227, nota 2.

[3] In Tract. de exponibilibus propositionibus (inter opera Petri Hispani) capitulum invenitur, quod inscriptum est *de Incipit et desinit;* in quo cap., exposito prius, quomodo res *esse* suum acquirant, vel in instanti et simul, vel successive et non simul, quatuor ponuntur regulae, quarum duae respiciunt rerum *incipit*, duae rerum *desinit*. «Prima est, quod propositiones de *incipit* rerum, quarum *esse* totum simul acquiritur, exponuntur per unam copulativam [propositionem], cuius prima pars est affirmativa de praesenti, secunda negativa de praeterito, ut homo incipit esse i. e. homo nunc est et immediate ante hoc non fuit. Secunda regula est, quod propositiones de *incipit* rerum, quarum *esse* acquiritur successive, exponuntur per unam copulativam, cuius prima pars est negativa de praesenti et secunda affirmativa de futuro, ut hic: Socrates incipit esse albus i. e. Socrates nunc non est albus et immediate post hoc erit albus» etc. — Paulo ante edd. *quidquid demonstrat, demonstrat sive suppositum... proprie: ergo videtur* etc., et pro *hoc incipit esse: ergo hoc modo est* codd. T bb *incipit esse hoc, id est modo est.*

[4] Cfr. supra d. 7. a. 1. q. 1. — Mox pro *omni modo est falsa* codd. A G U *omnino est falsa.*

[5] Dist. 6. a. 1. q. 3.

[6] Verbi gr. illud: scutum fuit *album*, verificari potest tam de scuto, quod existere desiit, quam de scuto, quod adhuc existit.

[7] Aristot., II. Topic. c. 2: «Rursum, quaecumque non secundum aequivocationem dicuntur multipliciter, sed *alio modo*, ut disciplina una *plurium*, ut finis, aut ut eius quod ad finem, ut medicina eius quod sanitatem facit, ut quod cibat... aut ut eius quod per se est, et eius quod per accidens» etc. Quae verba B. Albert., II. Topic. tr. 1. c. 5. commentans ait: Exemplum propositionis propositae, proprie loquendo, non est *multiplex* [aequivoca], sed, nomine *multiplicis* extenso, *multiplex* dicitur propositio, quae plures causas habet veritatis, cuius veritas non *destruitur*, nisi omnibus modis et causis veritatis destructis; *con struitur* autem veritas, causa una constructa veritatis eiusdem. — Paulo superius pro *distinguitur* edd. *dicitur.*

[8] Hic c. 3.

[9] B. Albert., hic d. 12. a. 1: Dicendum meo iudicio, quod nulla solutio modernorum hic tantum valet, sicut auctoris [Magistri] solutio, quam ponit hic, quia cautissima est, quod *sine distinctione* intellecta vel posita in sermone non reddatur responsio... sunt tamen qui subtilitates hic rimati sunt, minus tamen cautas simplicibus, licet verum dicant. Et auctor istarum solutionum est magister Wilhelmus Antissiodorensis» (cfr. eius Sum. p. III. tr. 1. c. 1. et 2.). Deinde, memorato duplici modo distinguendi locutionem *incipit*, de quo hic inferius pluribus

Quaereret enim rationem multiplicitatis, et quem sensum faciat dicta locutio, quantum est de vi verborum; et hoc non potest haberi ex verbis Magistri ad liquidum. — Et propterea tentandum est *distinguere*, si quo modo possimus aptare [1] praedictae locutioni convenientem distinguendi modum.

Quaeritur de modo distinguendi.

Videtur autem praedicta locutio posse distingui ex eo, quod verbum *incipiendi* potest notare inceptionem respectu veritatis *totius dicti*, vel potest importare inceptionem rei praedicatae respectu *subiecti*. Si *primo* modo, tunc est sensus: iste homo incepit esse, hoc est, locutio ista, scilicet iste homo est, incepit esse vera; et hoc absque dubio verum est. Si autem dicat, inceptionem esse respectu *eius* quod demonstratur per hoc pronomen *iste*, cum illud habeat *esse* aeternum vel per propriam naturam, vel idiomatum communicationem; videtur tunc locutio falsa. — Sed hic modus dicendi calumniabilis est, tum quia non videtur, quod verbum *incipiendi* habeat ferri super totum, cum nihil sit, quod reddat sibi suppositum; tum etiam, quia non est quaestio, utrum oratio illa incipiat esse vera; sed est quaestio, utrum res importata per hoc quod dicitur: iste homo incepit esse. Et sic iste modus dicendi non videtur in se valere nec etiam quaestionem terminare.

Opinio 1.

Non probatur.

Et propterea alius potest esse modus distinguendi, et hoc semper supposito, quod *incipit* dicat inceptionem *rei attributae* sive actus in praedicato respectu subiecti. Sed hoc potest esse dupliciter: vel quia potest notare inceptionem respectu rei importatae per pronomen *secundum se*, vel *sub ratione implicationis*. Implicatur enim forma humanitatis, cum dicitur: iste homo, id est, iste qui est homo. Et si dicat inceptionem respectu *subiecti* sive personae importatae per pronomen; falsus est sermo, quia persona illa non habet *esse* post *non-esse*. Si vero respectu *implicationis*, vera est locutio; est enim sensus, quod iste inceperit esse, non quia *iste*, sed quia *homo* sive secundum naturam humanam. Et potest poni exemplum. Si scutum prius fuerit et postmodum dealbetur, haec est duplex: scutum album incipit esse, iuxta praedictum modum distinguendi. — Sed adhuc iste modus dicendi non minus est calumniabilis quam praecedens, pro eo quod haec locutio: scutum album incipit esse, habet exponi per has duas: scutum album est, et haec non est duplex; et aliam, quae est: scutum album prius non fuit; et haec est falsa, quia eius opposita est vera: scutum album fuit. *Album* enim, cum sit terminus accidentalis, potest supponere pro praesentibus, vel praeteritis per *indifferentiam*, non per *multiplicitatem*. *Praeterea*, si dicatur: homo albus incipit currere, *incipit* non ponit, quantum est de vi vocabuli, inceptionem circa *albedinem*, sed circa *cursum*. Et ideo adhuc iste modus dicendi est calumniabilis non modicum.

Opinio 2.

Distinctio.

Non probatur.

Notandum.

Est etiam [2] tertius modus dicendi, quod hoc pronomen *iste* potest demonstrare *personam Verbi*, vel *singulare hominis*. Et si demonstret *singulare hominis*, sic oportet concedere hanc: iste homo incipit esse; et hanc: iste homo est ab aeterno; sicut conceditur, quod iste homo est mortuus et immortalis; sed unum dicitur per communicationem idiomatum, alterum vero per proprietatem naturae. Si enim, cum Christus nascitur, aliquis homo mutatur de *non-esse* in *esse*; necesse est, quod aliquis homo incipiat esse; sed non est verum pro alio homine quam pro isto homine. Iste ergo incipit esse per proprietatem *naturae*; sed tamen ab aeterno dicitur esse, quia est Deus, qui est ab aeterno [3]. Si ergo *iste homo* demonstret *singulare hominis*, absque dubio vera est praedicta locutio. — Si autem demonstret *personam Verbi*, falsa est, falsa, inquam, quantum ad *proprietatem naturae*, quia persona Verbi de sui natura est aeterna. Quantum etiam ad *communicationem idiomatum* non admittitur, quia tale idioma non communicatur, propter hoc quod claudit repugnantiam intellectuum [4]. — Et hic modus dicendi rationabilis est et minus calumniabilis quam praedicti et plus facit ad propositum et magis consonat verbis Magistri, qui dat *sensum* praedictae distinctionis, quamvis *verba* non ponat, ne desereret modum theologicum. Moderniores vero oportet amplius explicare propter importunitatem quaerentium. Determinat enim Magister, quod iste homo incepit esse, secundum quod *homo*, non autem secundum quod *Verbum*. Quid autem est aliud dicere, nisi quod per illud pronomen potest demonstrari *singulare hominis* [5], vel *persona Filii Dei*? — Secundum hanc igitur distinctionem non omnino *concedenda* est praedicta locutio nec omnino *neganda*; *concedi* enim potest secundum unum sensum et *negari* secundum alium. — Et ideo rationes, quae probant, praedictam locutionem in aliquo sensu esse veram, et aliae, quae probant, in aliquo sensu esse falsam, pertransiri possunt, quia per istam distinctionem solvuntur. Secundum enim diversa membra utraeque verum concludunt, sicut sunt duae primae rationes ad primam partem et primae duae ad partem secundam. Ad illas vero quae ostendunt, locutionem esse veram *simpliciter*, vel falsam *simpliciter*, respondendum est.

Opinio 3. cum alia distinctione.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Hic modus dicendi magis consonat Magistro.

Conclusio generalis.

Ad argumenta.

De argg. 1. et 2. pro utraque parte.

---

verbis agitur, B. Albert. dicit: Ecce, in quantum potui investigare, haec est sententia Antissiodorensis. — Pro *modus dicendi* edd. cum nonnullis codd. hic et pluries infra *modus distinguendi*. Mox pro *sensum faciat* bene multi codd. minus accurate *sensum faciet*.

[1] Cod. Z *adaptare*.

[2] Pro *etiam* codd. A H I K L T Z aa bb *etiam adhuc*, edd. *adhuc*, cod. G *autem*.

[3] Cfr. supra d. 10. a. 1. q. 3. — In princip. huius enuntiati pro *Iste ergo* edd. *Ille ergo homo*.

[4] Ut ostensum est supra q. 1. — Inferius pro *ne desereret* non pauci codd. *nec deseret*, cod. U *vel deserat*. Post pauca pro *oportet amplius explicare* cod. O *magis explicare conati sunt*.

[5] Cod. O hic (ex solut. ad 3.) addit *id est atomum naturae humanae assumtum a Verbo*. Cfr. supra pag. 15, nota 4.

3. Ad illud vero quod obiicitur, quod ante mundi constitutionem haec est vera: nullus homo est; dicendum, quod verum est; sed tamen non oportet, quod ista nunc [1] sit vera: nullus homo fuit. Et ratio huius est propter variationem *suppositionis* termini; nam, sicut tactum est, iste terminus *homo* in Christo habet *modum supponendi* termini accidentalis. Sed illud argumentum non valet: haec fuit falsa: album disputat, ergo haec est falsa: album disputavit [2]; variatur enim *modus supponendi* ipsius termini. In prima enim habebat unicam suppositionem, in secunda duplicem. Unde quamvis ista sit falsa: iste homo est ante mundi constitutionem, nunc tamen est vera: iste homo fuit; quia sensus potest esse talis: iste qui nunc est homo, ante mundi constitutionem fuit; ideo non valet ratio illa.

De argg. 3. et 4. pro parte affirm.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod implicatio sequitur ad propositionem, in qua implicatur; dicendum, quod verum est secundum eam differentiam temporis, secundum quam implicatur. Unde bene sequitur: si homo albus currit, homo est albus. Sed cum haec implicatio est respectu verbi de *praeterito*, tunc habet duplicem suppositionem, quia supponit pro praesentibus et pro praeteritis. Et ideo non sequitur: iste homo ab aeterno fuit, ergo ab aeterno fuit homo; sicut non sequitur: hoc album fuit, ergo hoc fuit album; quia regula est, quod terminus apponens verbo restringitur secundum consignificatum verbi, cuiuslibet temporis verbo apponat [3]; non autem sic est de termino ex parte *subiecti*. Et propterea ratio illa peccat ex *mutatione suppositionis*.

Notandum.

Ad duas autem rationes ad oppositum non oportet respondere, quia procedunt secundum alterum sensum, scilicet prout *iste* demonstrat personam. *Praeterea*, non concludunt, quod praedicta locutio sit falsa; quia possunt hae simul stare, quod semper fuerit et quod inceperit esse secundum diversas naturas.

Ad argg. pro parte negat.

3. Sed ad illud quod obiicit tertio, quod pronomen demonstrat personam; dicendum, quod *persona* accipitur *large* pro omni quod reddit determinatum suppositum verbo — potest enim dici: haec albedo — et sic potest bene demonstrare singulare suppositum hominis, id est atomum naturae humanae, quod assumtum est a Verbo, vel ipsam hypostasim, facta demonstratione non ad sensum, sed ad intellectum [4]. — Et si *obiiciat*, quod in utroque sensu est falsa, quia haec in utroque sensu est vera: iste homo semper fuit; dicendum, quod in talibus plus tollit negatio, quam ponat affirmatio opposita. Haec enim simul stant, scilicet Christum esse mortalem et immortalem; sed istae duae locutiones non simul stant: Christus est mortalis, Christus non est mortalis; quia negatio magis negat et removet significationem eius quod est *mortale* [5], quam *immortale* sibi oppositum. Per hunc etiam modum intelligendum, quod amplius negatur in hac: iste homo non fuit, quam in hac: iste homo incipit esse, quae est affirmativa, licet claudat negationem. Hae enim simul possunt esse verae: iste homo est aeternus, et: iste homo incipit esse; sed istae duae nunquam: iste homo est aeternus, iste homo non est aeternus, ea ratione, qua dictum est. Et ideo non potest concludi, quod locutio praedicta sit falsa *simpliciter*.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod homo in Christo habet modum supponendi termini accidentalis; dicendum, quod hoc potest concedi in comparatione ad *personam Christi*, quae est suppositum humanitatis, in infinitum praecedens formam humanitatis; sed in comparatione ad *singulare hominis* veritatem non habet [6]. Unde quando *iste homo* demonstrat *singulare hominis*, necessario ad idem tempus refertur *suppositum* importatum per pronomen et *forma* importata per nomen. Et ideo haec est falsa: iste homo fuit ab aeterno, nisi intelligatur per *idiomatum communicationem*. Nam per *proprietatem naturae* verum est dicere, quod iste homo exivit de *non-esse* in *esse* per generationem. — Et sic patet responsio ad totum.

Notandum.

---

[1] Pro *nunc* plurimi codd. *non;* sed lectionem *nunc* non solum tuentur edd. cum pluribus codd., sed etiam subnexa nec non responsum illud, quod S. Thom. dat, hic d. 12. q. 1. a. 1. ad 3: Dicendum, quod ab aeterno verum fuisset dicere: *Nullus homo est*, quia suppositum aeternum nondum erat suppositum humanae naturae; unde non poterat sumi sub dicta distributione, sicut *nunc* potest propter unionem. Unde quamvis ab aeterno non erat verum dicere: *Aliquis homo est aeternus*, modo tamen est verum dicere: *Aliquis* vel *iste homo est ab aeterno*.

[2] Similia exempla, ut album currit, album est musicum, album aedificat etc., frequentantur a Scholasticis, agentibus de propositionibus *accidentalibus;* vide e. gr. eorum exposit. in II. Periherm. c. 2. Etiam Aristot., II. Phys. text. 33. (c. 3.), dicit, quod « albus et musicus causa [accidentaliter] dicantur statuae », id est, si artifex etiam albus est et musicus. Propositionis: *album disputavit*, modus supponendi duplex est, quia, ut in ultimo arg. et in corp. quaest. habetur, propositio illa verificari potest tam de praesenti quam de praeterito. Cfr. infra solut. seq. — Pro *album disputat... disputavit* edd. *album disgregat... disgregavit* [scil. visum]. Deinde inferius post *iste homo fuit* Vat. repetit *ante mundi constitutionem*.

[3] Huius dictionis sententia est: terminus, qui verbo appositus est (praedicatum), restringitur ad illam temporis differentiam, quam verbum exprimit, scil. vel ad praeteritum, si est verbo praeteritum significanti appositus, vel ad praesens etc. Ratio est, quia, cum nemo dare possit quod non habeat, verbum, quod cum subiecto copulat praedicatum, in ipsum praedicatum transit idque non copulare potest nisi sub ea temporis differentia, quam in se continet. Cfr. Scot., super I. Periherm. q. 9. seqq. — Mox pro *Et propterea* edd. et complures codd. contra contextum *Et praeterea*. Subinde pro *ex mutatione* cod. U *ex commutatione*.

[4] Cfr. supra pag. 137, nota 6. et d. 10. a. 1. q. 3.

[5] Siquidem in propositione negativa negatio *explicite* habetur, et afficiendo ipsam propositionis copulam, propositionem negativam reddit contradictoriam alteri propositioni. Cfr. etiam q. seq. in fine. — Paulo superius pro *Haec enim* codd. G T et alii *Hae enim*.

[6] Cfr. supra d. 6. a. 1. q. 3. et d. 10. a. 1. q. 3.

Huius igitur responsionis tota summa in his tribus consistit, ut intelligatur, qualiter pronomen demonstrare potest dupliciter, scilicet *personam Verbi*, vel *singulare hominis*. — Intelligatur nihilominus, quomodo[1] differentem *supponendi modum* habet terminus *accidentalis* et *substantialis* respectu verbi *de praeterito*, quamvis ex parte praedicati non sit differentia. — Intelligatur etiam, quod possibile est, duo opposita *affirmari* de eodem in Christo, ita quod unum dicitur per *unionem*, alterum per *proprietatem naturae*, sive de Deo, sive de homine; neutrum tamen istorum vere potest *negari*. Plus enim tollit negatio, quam ponat affirmatio, sicut dicitur alibi[2] et faciliter posset ostendi.

Summa responsionis est in tribus principiis.

SCHOLION.

I. Haec et sequens (3.) quaestio est de usu et significatione verborum. Hinc dissensus doctorum non consistit in ipsa re, cum omnes confiteantur, *personam* Christi esse aeternam, at naturam humanam eius in tempore creatam; omnesque cum S. Fulgentio (Epist. 17. c. 10. n. 18.) fateantur, quod Verbum incepit esse Christus. Verbum tamen mansit aeternum; et caro in ipso sumsit initium. De origine subtilium harum disceptationum cfr. supra pag. 252, nota 9. Tres exortae sunt de proprietate huius locutionis sententiae. S. Thom. enim cum Petro a Tar., Richardo a Med. et plurimis aliis docet, eam simpliciter esse falsam; Scotus autem, eam in rigore verborum esse veram; S. Bonaventura cum Alexandro Hal. et B. Alberto distinctionem adhibet et respondet, quod vera sit, si *iste homo* demonstret *singulare* hominis, ast falsa, si demonstret *personam* Verbi. Ipse autem supponit, quod pronomen *iste* praedicto duplici modo demonstrare possit (cfr. supra d. 10. a. 1. q. 2. ad 1.). Sed S. Thom. (III. Sent. d. 12. q. 1. a. 1. in corp.) hanc distinctionem reprobat asserens, quod quamvis in Christo sit «aliquid *singulare* praeter personam Verbi; tamen illud *singulare* non supponitur per hoc nomen *homo*, nec praedicatur de Christo... Et ideo patet, quod ista distinctio est secundum *primam* [cfr. supra d. 6. post *divisionem textus*] opinionem bona». — Durand. etiam vult, distinctionem hic esse adhibendam, cum locutio sit aequivoca.

II. Notamus hic, quod commentarius Ægidii R. in Sententias Lombardi in media hac distinctione explicit. A Fulgentio Gallucio, cuius editione (Romae 1623) in tertio libro sententiarum usi sumus, additum est quoddam supplementum ad nonnullas sequentes quaestiones, collectum ex aliis Ægidii libris. Cum autem hoc supplementum non magni sit momenti, deinceps Ægidius inter auctores citatos omittitur. — Alex. Hal., de hac et seq. q. S. p. III. q. 6. m. 1. § 1. 2. — Scot., hic q. 3. — S. Thom., loc. cit.; S. III. q. 16. a. 9. — B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 1. — Petr. a Tar., III. Sent. d. 12. q. unica a. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Durand., III. Sent. d. 12. q. 1. — Dionys. Carth., III. Sent. d. 12. q. 1.

III. Etiam seq. (3.) quaestio versatur circa locutionem ambiguam et fere coincidit cum quaestione (supra d. 7. a. 1. q. 3.), quae est de locutione: homo factus est Deus; quae non admitti potest nisi cum quadam distinctione et tantum in uno sensu. Si conceditur assertio supra memorata, quod *homo* possit supponere pro *singulari* hominis per se; tunc haec locutio in uno sensu est *simpliciter* vera, in altero vero *simpliciter* falsa. Attamen a S. Thoma (S. III. q. 16. a. 7.) vix toleratur. De simili dictione: homo assumtus est Deus, quam insignis magister Gualterus de Mauritania defenderat, circa an. 1140 Parisiis in utramque partem disputatum est; eandem Richardus a S. Victore defendit. Hoc refert D'Argentré, Collectio iudiciorum t. I. pag. 29.

S. Thom., Comment. loc. cit. a. 2. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 2.

QUAESTIO III.

Utrum haec sit concedenda: homo incipit esse Deus.

Tertio quaeritur de hac: homo incipit esse Deus, utrum sit concedenda. Et quod sic, videtur.

Fundamenta.

1. Ista est vera: Deus coepit esse homo: ergo *a simplici conversa*[3]: homo coepit esse Deus.

2. Item, haec est vera: Deus incipit esse homo, propter unionem; sed unio est reciproca et mutua, quia, sicut homo unitur Deo, et Deus homini[4]: ergo si unio reciprocatur, et inceptio, quae super unionem fundatur: ergo sicut haec est vera: Deus coepit esse homo, ita et haec: homo coepit esse Deus.

3. Item, simus in instanti, in quo Filius Dei incarnatus est, haec est vera: homo est Deus, et ante hoc: homo non fuit Deus: ergo homo coepit esse Deus. *Praemissae* sunt verae: ergo conclusio, quoniam *praemissae* exponunt conclusionem[5].

4. Item, antequam homo esset, nec homo erat homo nec aliud; sed homo coepit esse homo, et homo non potuit ante esse Deus, quam esset homo: ergo si homo coepit esse homo, homo coepit esse Deus.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Haec est vera: *iste homo* fuit ab aeterno Deus[6]; et ad *istum hominem* sequitur *homo*: ergo homo fuit Deus ab aeterno: ergo haec est falsa: homo coepit esse Deus.

2. Item, si homo coepit esse Deus, aut ergo *iste*, aut *ille*, et sic de aliis; sed non est dare nisi

---

[1] Cod. G *quando*, cod. K *quomodo vel quando*.

[2] Scil. in Logica. Aristot., II. Periherm. c. 4. (c. 14.) quaestionem tractat, quaenam propositiones magis contrariae sibi invicem dicantur, e. gr. utrum Kallias sit iustus, et Kallias non sit iustus; an Kallias sit iustus, et Kallias sit iniustus. Probat autem multis rationibus, duas priores propositiones magis esse sibi contrarias quam sequentes.

[3] Cfr. supra pag. 175, nota 10. — De *maiori* cfr. supra lit. Magistri, d. VII. c. 1. seqq. et Comment. a. 1. q. 2. nec non a. 2. q. 2. — Hic et per totam hanc quaest. edd. constanter exhibent *incepit* pro *coepit*.

[4] Vide supra d. 5. a. 1. q. 1. — In *maiori* non pauci codd. cum edd. 1, 2 pro *Deus incipit* falso *homo incipit*.

[5] Syllogismum Aristot., I. Prior. c. 1, definit sic: Est oratio, in qua, quibusdam positis [i. e. praemissis], aliud quiddam ab his quae posita sunt, ex necessitate accidit [i. e. concluditur], eo quod haec sunt.

[6] Cfr. quaest. praeced.

de *isto*, et iste homo semper fuit Deus: ergo non coepit esse Deus: ergo haec est falsa: homo coepit esse Deus.

3. Item, communicatio est in idiomatibus: ergo si homo incepit esse Deus, videtur, quod haec sit concedenda: Dei Filius incepit esse Deus. Sed haec est falsa simpliciter: ergo et prima.

4. Item, esto quod Filius Dei deponeret hominem, quem assumsit, per impossibile; tunc quaero de hac: iste homo desinit esse Deus; haec est falsa, ergo pari ratione et haec est falsa: homo coepit esse Deus, cum assumsit. Probatio *minoris:* nunc est unio: ergo communicatio est in idiomatibus: ergo si Filius Dei semper erit Filius Dei, et homo semper erit Deus; sequitur necessario, quod haec sit vera: iste homo erit semper Deus, et haec similiter: Filius Dei semper erit homo: ergo et haec est falsa: homo desinit esse Deus, et haec: Deus desinit esse homo; pari ratione [1] et hae sunt falsae: iste homo incepit esse Deus, et Deus incepit esse homo.

CONCLUSIO.

Locutio: homo incepit esse Deus, bene intellecta, recipi potest tanquam simpliciter vera.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio haec conceditur: Deus coepit esse homo; sed de hac: homo coepit esse Deus, dubium est, utrum simpliciter sit concedenda.

Quidam namque voluerunt eam *distinguere* ex
Opinio 1. eo, quod hoc verbum *incipit* potest attribui huic termino *homo* ratione *suppositi*, vel ratione *formae*. Si attribuatur ratione *formae*, tunc iste terminus *homo* habet *suppositionem simplicem* [2], et tunc est sensus, quod Deus incipit praedicari de homine, quia modo praedicatur et prius non praedicabatur; et sic locutio habet veritatem. Si vero respiciat ipsum ratione *suppositi*, sic dixerunt, quod haec est falsa locutio, quia *supposito* [3] semper convenit esse Deum.
Simile. — Huius autem *simile* assignant, sicut si dicatur: *album* incipit esse *scutum*, eo quod *scutum* primum fuit, et post *dealbetur*. Si enim inceptio attribuatur huic termino *album* ratione *formae*, vera est locutio; si ratione *suppositi*, falsa est, quia quod est
Ratio *album* prius fuit *scutum*. — Si autem quaeratur ratio huius multiplicitatis, dicunt, eam ex hoc provenire, quia verbum *incipiendi* claudit in se negationem [4], et illa potest intelligi *praecedere* terminum, et sic faciet ipsum habere *simplicem suppositionem;* vel *sequi*, et sic respicit ipsum gratia *suppositi*. Unde quamvis respectu aliquorum actuum vel verborum terminus subiectus determinare [5] habeat *suppositionem simplicem*, aut *personalem;* tamen respectu huius verbi *incipit* utroque modo potest supponere; et hoc non ponit multiplicitatem in *termino supponente*, sed in *tota locutione* ex varia negationis comparatione.

Haec autem distinctio satis est rationabilis, si Iudicium de 1. opinione.
sane intelligatur *simplex suppositio*, ut dicatur terminus habere *simplicem suppositionem*, sub quo non licet *descendere* [6], sicut cum dicitur: solus homo currit; vel simplicem suppositionem habere, quando praedicatum, vel aliquid in praedicato respicit ipsum [7] gratia *formae*. Licet autem non sit praedicta distinctio reprobanda, attamen non dissolvit plene ambiguitatem locutionis propositae, quoniam, si respicit ipsum ratione *suppositi*, adhuc habet locutio veritatem. Si enim haec est vera: iste homo incipit esse, in aliquo sensu, ut prius [8] probatum est, absque dubio verum est, quod incipit esse Deus.

Et propter hoc intelligendum, quod adhuc prae- Opinio auctoris.
dicta locutio habet veritatem, secundum quod verbum *incipiendi* respicit tantum subiectum gratia *suppositi*. Unde attendendum est, quod iste terminus Notandum.
homo respectu Christi partim habet naturam termini *accidentalis*, partim naturam termini *substantialis:* naturam, inquam, termini *accidentalis* respectu *personae*, quae praeexistit; naturam termini *substantialis* respectu *singularis hominis*, quod simul cum ipso incipit; per quod iste terminus *homo* habet supponere pro *singulari hominis per se*, pro *persona Verbi* non nisi *gratia unionis* [9]. Et quoniam pro supposito *singularis hominis*, quod quidem est Iesus, habet locutio veritatem, quamvis non habeat pro supposito, quod est *persona* Christi; hinc est, Conclusio.
quod praedicta locutio recipi potest tanquam simpliciter vera. — Et concedendae sunt rationes ad hoc.

1. Ad illud quod obiicitur, quod haec est vera: Solutio oppositorum.
iste homo ab aeterno fuit Deus; dicendum, quod si *iste* demonstret *personam*, vera est; et in illo sensu falsa est: iste homo incepit esse Deus; si vero *suppositum hominis* respiciat, adhuc potest esse vera per *unionem* sive idiomatum communicationem. Sed tamen ex hoc non sequitur, quod ista sit falsa: iste homo incepit esse Deus, per proprietatem suae naturae. Contingit enim, sicut prius [10] dictum fuit, hunc hominem dicere mortalem et immortalem sine contradictione.

---

[1] Cod. F ante *pari ratione* interserit *ergo*.

[2] Id est, terminus *homo* accipitur hic pro re universali per ipsum significata, sive pro natura speciei, scil. pro natura humana, et non pro quolibet inferiori sive supposito sub ipsa contento. *Simplici* suppositioni opponitur *personalis*, in qua terminus sumitur pro suis inferioribus sive suppositis e. gr. homo currit. Cfr. I. Sent. d. 4. q. 1. scholion.

[3] Scil. humanae naturae in Christo, quod est Verbum. — De exemplo mox adducto cfr. quaest. praeced.

[4] Cfr. supra pag. 252, nota 3.

[5] Vat. *determinate*.

[6] Sive applicare ad inferiora (supposita); sic in exemplo allato non licet inferre: ergo solus *hic homo* v. gr. Petrus currit.

[7] Intellige: terminum.

[8] Quaest. praeced. — Paulo superius pro *si respicit* cod. bb *etsi respiciat*.

[9] Cfr. supra d. 6. a. 1. q. 3. et d. 10. a. 1. q. 3. — Paulo ante pro *per quod* codd. A (K a secunda manu) M O bb *propter quod*.

[10] Quaest. praeced. ad 3. pro parte negativa.

2. Et per hoc patet sequens obiectum, quod si homo incipit esse Deus, aut *iste*, aut *ille*. Dici potest, quod *iste;* sed *iste* ibi non demonstrat *personam*, sed *singulare hominis*, sicut prius[1] dictum fuit. Unde non est simile, si dicatur: *album* incipit esse *scutum*, quia *album* non habet nisi naturam termini *accidentalis* nec habet *suppositum*, pro quo possit reddere locutionem veram nisi ipsum scutum; non sic autem est in homine respectu Christi.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de communicatione idiomatum, dicendum, quod in idiomatum communicatione haec regula est attendenda, quia omnia communicantur, his dumtaxat exceptis, quae exprimunt ipsam *unionem*, vel quae claudunt *intellectuum repugnantiam*, ratione cuius errori appropinquant[2].

Regula de communicatione idiomatum.

Ratio. — Ratio autem huius est, quia communicatio idiomatum fundatur super ipsam *unionem* et ordinatur ad fidei catholicam expressionem. Et ideo non communicantur illa quae important *unionem;* unde quamvis haec sit vera: Filius Dei est incarnatus, haec est falsa: homo est incarnatus. Similiter intelligendum est de his quae *repugnantiam intellectuum* important, sicut sunt *esse creaturam* et *esse praedestinatum* et similia. Et quoniam, cum dicitur: homo incepit esse Deus, importatur *unio;* ideo talis idiomatis non est communicatio.

4. Ad illud quod quaeritur, si per impossibile homo dimitteretur a Deo, utrum haec esset vera: homo desinit esse Deus; dicendum, quod sic; nec valet: homo semper erit Deus, ergo non desinit esse Deus. Sicut enim prius[3] tactum fuit, istae duae simul sunt verae: homo desinit esse Deus, et homo semper erit Deus, quia per idiomatum communicationem haec est vera: homo semper erit Deus; et tamdiu erit vera, quamdiu durabit unio. Si vero cras solvatur unio, tunc nec per idiomatum communicationem nec alio modo est verum dicere, quod homo sit Deus. Et *si tu obiicias*, quod *desinere* implicat *non esse;* et istae non possunt concedi simul de Christo *erit* et *non erit;* dicendum, quod sicut dictum fuit[4], plus negat negatio *explicita* quam *implicita;* propter hoc ista conceditur tanquam vera: iste homo *est immortalis*, demonstrato Christo in statu passibilitatis, quamvis non concedatur: iste homo *non est mortalis*. — Et sic patent ea quae in hac parte quaeruntur, et qualiter idiomata communicantur[5].

Notandum.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de illo verbo Augustini: *Liquido apparet, non esse factum, per quem facta sunt omnia.* Videtur enim ista auctoritas esse falsa in se et ad propositum non valere: quoniam dicimus, quod *ex ipso et per ipsum sunt omnia*[6]: ergo si omnia sunt per ipsum, ipse nihil est; constat, quod hoc non sequitur: ergo pari ratione non sequitur: omnia facta sunt per ipsum, ergo ipse non est factus. — Item, videtur, quod non valeat ad propositum: quia Augustinus loquitur[7] de Filio Dei secundum divinam naturam; cum autem quaeritur, utrum Christus sit creatura, hoc est secundum naturam assumtam: videtur ergo, quod auctoritas illa et aliae sequentes sint adductae valde improprie.

Respondeo: Dicendum, quod auctoritas et *vera est in se* et *ad propositum valet. In se* quidem *vera est*, quia causa praedicati clauditur in subiecto. Si enim ipse est principium omnium creatorum, impossibile est, ipsum esse aliquid creatorum, tum ratione potentiae creandi, quae non potest competere creaturae[8]; tum ratione generalitatis principiandi, quae non potest competere rei creatae. Nec valet ista instantia: *Ex ipso sunt omnia* etc., omnia scilicet *facta;* quia *omnia* pro universitate rerum distribuit, et *Deus* non est de universo, sed supra universum. Et ideo non sequitur, quod sit nihil[9].

Probatio primi.

Ad illud quod obiicitur, quod non *valet ad propositum;* dicendum, quod Christus nominat personam Verbi ut in duabus naturis; et quia nomen impositum est personae Filii Dei, quia[10] Filio Dei repugnat, repugnat etiam Christo. Et ideo auctoritas inducta et aliae sequentes ad propositum quidem faciunt, sed hoc est *per accidens*. — Alio etiam modo faciunt ad propositum, quia auctoritates inductae sunt in littera[11], quae sunt contra errorem Arianum; et quoniam praedictus sermo, simpliciter et sine determinatione prolatus, sermoni Arii est propin-

Probatio secundi.

---

[1] Quaest. praeced. in corp.

[2] Vide hic q. 1. et supra d. 7. a. 1. q. 3. in fine, a. 2. q. 1. ad 2. — Mox pro *catholicam* cod. A *catholicae*, sed cfr. supra pag. 250, nota 2. Deinde pro *haec est falsa* edd. *haec tamen est falsa.*

[3] Hic in hac obiect. et ad 1. et q. praeced. ad 3. seq. — Paulo superius pro *semper erit Deus* edd. 1, 2 cum non paucis codd. *semper erat Deus*, quam lectionem dictae edd. (non codd.) etiam paulo inferius bis exhibent.

[4] Quaest. praeced. ad 3. — Cfr. Gul. Antissiodor. S. p. III. tr. 1. c. 1. q. 7. — Mox pro *passibilitatis* cod. N perperam *impassibilitatis.*

[5] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Rom. 11, 36, in quo textu. Vulg. nec non edd. et nonnulli codd. post *per ipsum* addunt *et in ipso.*

[7] Edd. et non pauci codd. vitiose *non loquitur.* Paulo inferius post verbum *videtur* ex codd. A F (K a secunda manu) bb supplevimus *ergo.*

[8] Cfr. infra d. 14. a. 3. q. 3.

[9] Vide l. Sent. d. 7. q. 4. et dub. 2.

[10] Supple (ex obiectione): factum vel creaturam esse. — Pro *quia* codd. A U non male substituerunt *quod.*

[11] Hic c. 1. seq. — Paulo inferius pro *determinatione* cod. K *distinctione.*

quus; ideo quasi *ex consequenti* auctoritates inductae obviant praedicto sermoni. Et propterea valent tam in se quam ad propositum [1].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Etsi Christus secundum hominem est creatura, non tamen simpliciter est praedicandus* etc. *Contra:* quod vere de altero praedicatur cum determinatione non diminuente vere praedicatur de ipso *simpliciter* [2]; sed *homo* non diminuit de ratione Christi: ergo si aliquid dicitur de Christo secundum hominem, videtur, quod *simpliciter* dicatur de ipso. — Item, quando aliquid natum est inesse solum secundum corpus, vere dicitur de toto *simpliciter*, si quantum ad corpus dicatur [3]: ergo pari ratione, si aliquid natum est inesse Christo secundum humanam naturam; videtur, quod necesaria sit consequentia, quod ei *simpliciter* et absolute convenit.

Respondeo: Dicendum, quod cum aliquid dicitur de aliquo *simpliciter* et *cum determinatione* [4], hoc potest esse dupliciter: aut ita, quod *simpliciter* dictum *non ponat latius* rem suam, quam cum ponitur cum determinatione, et tunc licet inferre; aut ita, quod *latius ponat* rem suam, quantum est de sensu, quem verba praetendunt, et tunc consequentia potest negari: sicut non sequitur, si inferatur: iste est albus secundum pedem, ergo iste est albus; per hunc modum non sequitur: quia *esse creatura* [5] secundum hominem attribuitur Christo ratione *naturae assumtae,* prolatum autem *simpliciter* videtur ei *omnino* convenire; consuetum enim est, nomine creaturae ea intelligi, quae omnino inducta sunt de *non-esse* in *esse.* Et sic patet responsio ad utramque rationem. — Vel dicatur, sicut supra dictum fuit distinctione septima [6] de praedestinatione Christi, quod non sequitur: est praedestinatus *secundum hominem,* ergo est praedestinatus *simpliciter;* non quia *homo* diminuit, sed quia variatur attributio praedicati, ut cum prius attribuitur *humanae naturae,* postmodum attribuitur *diuinae personae.* Et ideo talis modus procedendi inducit *accidens* in aliquibus praedicatis, quae per suam extraneitatem nec communicantur nec inferri possunt.

Distinctio.

Alia solutio.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nitens probare, Christum esse aliquid non divinum.* Videtur enim, quod Magister habeat illud pro inconvenienti; sed hoc nullum videtur inconveniens, quia cum Christus sit *dominus,* haec non recipitur: Christus est homo dominicus [7]: ergo pari ratione, cum Christus sit *Deus,* haec non videtur admittenda: Christus est aliquid divinum: ergo eius opposita est vera, scilicet Christus est aliquid non divinum. — Item, videtur, quod argumentatio illa sit necessaria: si Christus est aliqua *substantia* non divina, quod Christus sit *aliquid* non divinum; ad *esse* enim *substantiam* necessario sequitur *esse aliquid* [8]. Sicut ergo sequitur: est homo albus, ergo animal album; ita necessario sequi videtur: est *substantia* non divina, ergo *aliquid* non divinum.

Respondeo: Dicendum, quod haec est vera: Christus est *aliquid divinum;* et haec est falsa: Christus est *aliquid non divinum.* Nec est simile de hoc nomine *divinus* et de hoc nomine *dominicus.* Nam etsi utrumque sit possessorium, tamen *dominicus* importat circa illud, de quo dicitur, possessionem per modum *passionis* — dicitur enim *dominicus* a domino habitus vel possessus [9] — sed *divinum* non solum per modum *passionis,* sed etiam per modum *actionis;* quia *divinum* dicitur quod habet divinitatem, per quem modum consuevit dici persona divina. Et propter hoc conceditur ista tanquam vera: Christus est aliquid divinum, quia est persona divina. Et ideo Magister [10] hanc negat: Christus est aliquid non divinum; et dicit, quod haec consequentia non tenet: Christus, secundum quod creatura, est aliquid non divinum, ergo Christus est aliquid non divinum; quia in prima removet negatio divinitatem a natura creata, sed in conclusione removet a persona aeterna.

Notandum.

Si autem quaeratur, utrum haec sit concedenda: Quaestio incidens solvitur.

---

[1] Cfr. supra a. 2. q. 1; S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

[2] Petr. Hispan., Summul. tr. *de Fallaciis,* fallaciam *secundum quid ad simpliciter* (Aristot., l. Elench. c. 4.) explicans ait: Dictum *secundum quid* appellatur hic determinatio diminuens de ratione vel de *esse* eius cui adiungitur, ut cum dico: homo mortuus, ibi mortuum diminuit de ratione hominis... Fit autem haec fallacia tot modis, quot modis contingit alicui addere determinationem diminuentem. Et ponuntur quinque modi. Primus modus fit secundum partem *in modo,* ut: ille est homo mortuus, ergo est homo... Secundus modus fit secundum *partem integralem,* ut: Aethiops est albus secundum dentes, ergo Aethiops est albus. Tertius modus fit in his quae sunt *ad aliquid,* ut: divitiae non sunt bonae male valenti, ergo divitiae non sunt bonae... Quartus modus fit in his quae *secundum locum...* Quintus modus fit in his quae fiunt *secundum tempus* etc.

[3] Cfr. supra pag. 138, nota 4. — Pro *natum est* codd. G (K a secunda manu) N P Q T U *innatum est.* Deinde pro *simpliciter* Vat. *simplici.*

[4] Pro *cum determinatione* cod. cc et edd. perperam *sine determinatione.*

[5] Bene multi codd. parum recte *esse creaturam.* — Post *non sequitur* supple: consequentia obiecta.

[6] Art. 2. q. 1. ad 6, ubi etiam in nota apposita videsis de fallacia *accidentis,* quippe cum paulo inferius talis occurrat. — Paulo inferius pro *ut cum prius* edd. cum nonnullis codd. *ut quod prius.* Post pauca pro *procedendi* edd. *praedicandi* et in fine solut. pro *nec communicantur* eaedem edd. *concomitantur,* omissa vocula *nec,* quae deest etiam in pluribus codd.

[7] Vide supra d. 7. dub. 3.

[8] Cfr. supra pag. 188, nota 5.

[9] Cfr. supra d. 7. dub. 3. De *divino* cfr. l. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. ad 4. — Paulo ante pro *possessionem* cod. A *possessorium,* cod. T *possessorie,* codd. N X *aliquid.*

[10] Hic c. 2.

Christus est homo divinus; dicendum, quod *non*. Nam cum sic dicitur, *divinus* non potest dicere divinitatem per modum *informantis*, nec possessionem per modum *actionis*, sed solum per modum *passionis*, per quem modum dicit Dionysius [1]: divinissimus Paulus, vel divinissimus Ioannes. Unde impropriae sunt tales locutiones de Christo. Et propterea Magister [2] concedit earum oppositas, cum dicit: « Christus secundum hominem est aliqua substantia non divina », id est non informata divinitate, quia est substantia creata. Ideo sane concedit praemissas et negat conclusionem dicens, peccatum esse in tali illatione [3].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *ex tropicis locutionibus non est recta argumentationis processio*. Primo enim videtur, quod verbum illud nihil faciat ad propositum, quia nulla praedictarum locutionum est *tropica*; nulla enim ibi est transumtio, immo secundum proprietatem sermonis dicuntur. — Item, videtur esse falsum, quod ex *tropicis* locutionibus non est recta argumentationis processio, quia aut sunt *verae*, aut *falsae*; si *verae*, ex veris contingit inferre verum: ergo recta potest ex talibus locutionibus argumentatio fieri; si *falsae*; sed ex falsis potest recte inferri falsum, potest etiam et verum [4]: videtur igitur, quod nihil sit dictum hoc quod Magister dicit. — Hic etiam modus solvendi videtur inauditus, quia non est *per interemptionem* nec *per divisionem*; nullus enim *locus sophisticus* est, nec in *dictione* nec *extra*, cuius dissolutio currat secundum hanc viam [5].

Duplex tropicus sermo.

Respondeo: Dicendum, quod *tropicus* sermo dupliciter potest dici: uno namque modo *tropicus* dicitur *sermo*, in quo est aliquod vitium aliquo tropo excusatum. Est enim *tropus* figura, et *figura* est vitium ratione excusatum [6]. Alio modo dicitur *sermo tropicus* quilibet sermo, qui habet aliquam improprietatem, sed tamen excusatur per aliquam determinationem. Cum ergo dicit Magister, quod iste sermo: Christus est creatura secundum hominem, est tropicus; hoc dicit, quia aliquam habet improprietatem consurgentem ex repugnantia intellectuum, quae removetur per determinationem adiunctam. Et pro tanto vocat Magister praedictas locutiones *tropicas*. — Posset etiam dici, quod vocat eas *tropicas* accipiendo tropum pro *figura*. Possunt enim dici tales locutiones *synecdochicae* [7], quia quod est partis attribuitur toti, et accipitur *largo* modo *pars* et *totum*, ut dicatur humana natura quodam modo esse *pars* respectu Christi, licet non proprie. Et sic potest dici, quod tales locutiones *tropicae* sunt et quod figurativae sunt per *synecdochen*, secundum quod *synecdoche* est figura locutionis. Sicut enim dicunt periti in grammatica, *synecdoche* [8] aliquando est figura *locutionis*, aliquando figura *constructionis*.

Ad primum.

Alia solutio.

Verum igitur dicit Magister in dicendo, praedictas locutiones esse *tropicas*; verum etiam dicit, quod ex tropicis non est recta argumentationis processio. Et ratio huius est, quoniam aliquando negatur aliqua locutio propter *improprietatem*; et cum aliquis sermo excusatur sub una forma, si fiat processio ad sermonem sub alia forma, in qua non invenit excusationem, proceditur a locutione, quae excusatur, ad eam quae non habet excusationem; et sic talis processus impeditur, sicut si procederetur a vero ad falsum. Unde illud argumentum non valet: iste est albus secundum pedem, ergo est coloratus secundum pedem [9]. Quamvis enim ad *esse album* sequatur *esse coloratum*, tamen processus praedictus non valet, quia *color* non est natus inesse corpori secundum partem, sicut *albedo*. Et hoc

Ad secundum.

Notandum.

---

[1] De Div. Nom. c. 7. § 1, c. 8. § 6; Epist. 5. ad Dorotheum.

[2] Hic c. 2.

[3] Pro *illatione* edd. *locutione*. — Cfr. B. Albert., hic a. 5; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[4] Aristot., II. Prior. c. 2: Ex veris ergo non est falsum syllogizare, ex falsis autem verum etc. Cfr. supra pag. 177, nota 6.

[5] Aristot., I. Elench. c. 3. seq., tredecim recenset fallacias, quarum sex, ut exponit, sint *in dictione*: aequivocatio, amphibologia, compositio, divisio, accentus et figura dictionis; septem *extra dictionem*: accidens, secundum quid ad simpliciter, ignorantia elenchi, consequens, petitio principii, non-causa ut causa, secundum plures interrogationes ut una. Ibid. II. c. 3. (c. 18.) de *recta solutione* falsi syllogismi agens, duplicem solvendi modum (quia syllogismus falsus esse potest vel in materia, vel in forma) proponit dicens: « Quare contingit orationes syllogizantes quidem *interimere* [i. e. in materia falsas negare], apparentes autem *dividentem* [distinguendo] solvere ». Cfr. tom. I. pag. 87, nota 4. — Pro *divisionem* cod. W *distinctionem*, pauci alii codd. cum edd. *definitionem*.

[6] Fab. Quintilian., IX. Institut. orat. c. 1: Est igitur *tropus* sermo a naturali et principali significatione translatus ad aliam, ornandae orationis gratia. *Figura*, sicut nomine ipso patet, est conformatio quaedam orationis, remota a communi et primum se offerente ratione... Duobus modis dicitur [figura]: uno, qualiscumque forma sententiae... altero, quo proprie *schema* dicitur, in sensu vel sermone aliqua a vulgari et simplici specie cum ratione mutatio... Ergo *figura* sit arte aliqua novata forma dicendi.

[7] Codd. H I L Z aa *synecdoche*. Cfr. supra pag. 47, nota 4. — Paulo inferius Vat. omittit *esse*, pro quo plurimi codd. exhibent *est*; nostram lectionem defendunt codd. K bb.

[8] Multi codd. et edd. 1, 2 *synecdoches*. — Synecdoche ut figura *locutionis* est positio partis pro toto, et e converso; synecdoche *constructionis* est associatio accusativi vel ablativi significantis partem cum dictione significante proprietatem, ut albus faciem (facie). Hinc Alexandri, P. II. Grammat. c. de *Regimine accusativi*, versus seqq.:

> Saepe quod est partis toti datur et regit illam,
> Est ibi synecdoche, quando faciem nigra dentes.

[9] In non paucis codd. nec non in edd. 1, 2 desideratur *secundum*. Pro *pedem* cod. A habet *pede*. Mox post *esse album* cod. U addit *secundum pedem*. Aliquanto inferius pro *extendendae* edd. *concedendae*.

est quod vult dicere Magister in proposito; et hoc est quod alias consuevit dici, quod locutiones impropriae non sunt extendendae nec ad consequentiam trahendae, sed magis sunt sustinendae et exponendae et arctandae, ne de minori improprietate veniatur ad maiorem [1].

DISTINCTIO XII.

Cap. I.

An Deus alium sumere potuerit, vel aliunde quam de genere Adae.

Solet etiam quaeri, utrum alium hominem, vel aliunde hominem quam de genere illius Adam Deus
Resp. assumere potuerit. — Ad quod sane dici potest, ipsum aliam animam et aliam carnem potuisse assumere, quia *gratia* tantum assumta est anima illa et caro a Verbo
Confirmatur per August. Dei. Ut enim ait Augustinus [1]: « In rebus per tempus ortis illa summa gratia est, quod homo in unitate personae coniunctus est Deo ». Potuit igitur Deus aliam animam et aliam carnem assumere, et carnem utique aliunde quam de genere Adam. Unde Augustinus, in libro decimo tertio de Trinitate [2]: « Poterat utique Deus hominem aliunde suscipere, in quo esset mediator Dei et hominum, non de genere illius Adam, qui peccato suo obligavit genus humanum, sicut ipsum, quem primo creavit, non de genere alicuius creavit. Poterat ergo vel sic, vel alio quo vellet modo creare unum alium, de quo vinceretur victor prioris. Sed melius iudicavit, et de ipso quod victum fuerat genere assumere hominem, per quem hominis vinceret inimicum; et tamen ex Virgine, cuius conceptum spiritus, non caro, fides, non libido praevenit, nec interfuit carnis concupiscentia, qua ceteri concipiuntur, qui originale trahunt peccatum; sed credendo, non concumbendo sancta est fecundata virginitas ». — Ex his aperte ostenditur, et alium et aliunde hominem Deum assumere potuisse.

Cap. II.

Si homo ille potuerit peccare, vel non esse Deus.

Ideo non immerito quaeritur, utrum homo ille potuerit *peccare*, vel *non esse Deus*. Si enim potuit peccare, et potuit damnari; si potuit damnari, potuit non esse Deus: ergo si potuit peccare, potuit non esse Deus; quia esse Deum et posse [3] *velle iniquitatem* simul esse nequeunt. — Hic distinctione opus est, utrum
Dubium unicum. de *persona*, an de *natura* agatur. Si enim de *persona* agitur, manifestum est, quia peccare non potuit, nec Deus non esse potuit. Si vero de *natura*, discutiendum Distinctio. est, utrum agat de ea ut Verbo unita, an de ea tanquam non unita Verbo, et tamen enti, id est, an de ea, secundum quod fuit unita Verbo, an de ea, secundum quod *esse* potuit et *non unita* Verbo. Non est enim ambiguum, animam illam, entem [4] unitam Verbo, peccare non posse; et est sine ambiguo verum, eandem, si *esset* et *non unita* Verbo, posse peccare.

Quidam tamen probare conantur, eam etiam *uni-* Solvitur obiectio. *tam Verbo* posse peccare, quia liberum arbitrium habet, et ita potest flecti in utramque partem. Quod frivolum est, cum et Angeli liberum arbitrium habeant, et tamen gratia a Deo [5] sunt confirmati, ut peccare nequeant. Quanto magis ergo ille homo, cui *spiritus est datus sine mensura?* Inducunt quoque auctoritatem ad probandum idem; scriptum est enim in libro Sapientiae [6]: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere malum, et non fecit.* Sed hoc accipiendum est secundum *membra*, vel partim de *capite*, partim de *membris:* de capite: *non est transgressus* et *non fecit malum;* de membris: *potuit transgredi* et *facere malum.*

Cap. III.

Si Deus potuerit assumere hominem in sexu muliebri.

Solet etiam quaeri, quamvis curiose, a nonnullis, si Deus humanam naturam potuit assumere secundum muliebrem sexum. — Quidam arbitrantur, eum potuisse Resp. assumere hominem in femineo sexu, ut assumsit in virili. Sed opportunius atque convenientius factum est, ut de femina nasceretur et virum assumeret, ut ita utriusque sexus liberatio ostenderetur. Unde Augusti- Confirmatur per August. nus in libro Octoginta trium Quaestionum [7]: « Hominis liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, consequens erat, ut feminei sexus liberatio hinc appareret, quod ille vir de femina natus est ». Sapientia ergo Dei, quae dicitur unigenitus Filius, homine suscepto in utero et de utero Virginis, liberationem hominis indicavit.

---

[1] Huius dub. solutionem exhibent etiam B. Albert, hic a. 4; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Libr. XIII. de Trin. c. 19. n. 24. — In principio dist. post *aliunde* plurimae edd. omittunt *hominem*, refragantibus codd. et edd. 1, 8. Infra pro *assumere* codd. *sumere.*

[2] Cap. 18. n. 23, in quo textu pro *Poterat utique* edd. aliquae *Potuit itaque.* In fine fere omnes edd. falso *facta* pro *sancta.*

[3] Cod. C addit *vel*, cod. E et ed. 1 *et*, et ed. 8 *aut.* — Hic fortasse respicitur Ps. 5, 5: Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

[4] Vat. et ed. 1 *existentem*, et infra pro *ambiguo* edd., exceptis 1, 8, *ambiguitate;* denique ante *non unita* Vat. et ed. 1 omittunt *et*, ed. 8 habet *et non esset.*

[5] Codd. A B E et ed. 5 scribunt non incongrue *adeo;* ed. 8 *in gratia* pro *gratia.* Post pauca respicitur Ioan. 3, 34.

[6] Scil. Eccli. 31, 10.

[7] Quaest. 11. — In fine ante *feminei* Vat. et edd. 7, 9 minus bene ponunt *et* pro *ut;* deinde, facto puncto post *liberatio*, prosequuntur: *Hinc apparet, quia* (etiam edd. 3, 4, 5 habent *quia*).

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XII.

De conditione naturae assumtae.

Solet etiam quaeri, utrum alium hominem etc.

DIVISIO TEXTUS.

In praecedentibus determinavit Magister de incarnatione Verbi in se. In hac vero parte determinat de ipsa incarnatione, prout ordinatur ad nostram redemptionem; et durat haec pars a principio huius distinctionis duodecimae usque ad vigesimam tertiam distinctionem et continet undecim distinctiones, sicut et pars praecedens. Dividitur autem haec pars in duas. In quarum prima agit de his, secundum quae Christi incarnatio ordinatur ad nostram redemptionem. In secunda vero agit de ipsa redemptione, quae facta est per passionem, infra distinctione decima nona: *Nunc quaeramus, qualiter per mortem ipsius* etc. Et quoniam ordinatio incarnationis ad nostram redemptionem in quatuor consistit, scilicet in *conformitate naturae,* in *plenitudine gratiae*[1] in *defectu passibilitatis* et in *usu virtutis:* ideo pars ista habet quatuor partes. In quarum prima determinat Magister de genere *naturae assumtae,* utrum fuerit de genere Adae. In secunda vero agit de *plenitudine gratiae*, infra distinctione decima tertia: *Praeterea sciendum est, Christum secundum hominem* etc. In tertia vero agit de *defectu* passibilitatis, infra distinctione decima quinta: *Illud quoque praetermittendum non est* etc. In quarta vero agit de *usu virtutis,* infra distinctione decima septima: *Illud quoque considerari oportet, utrum Christus* etc.

Prima pars continet praesentem distinctionem et dividi habet in partes tres. In quarum prima Magister determinat de conditione naturae assumtae quantum ad genus. In secunda de conditione naturae assumtae quantum ad liberum arbitrium, ibi: *Ideo non immerito quaeritur, utrum ille* etc. In tertia vero agit de conditione naturae assumtae quantum ad sexum, ibi: *Solet etiam quaeri, quamvis curiose* etc.

Prima pars habet duas. In prima movet quaestionem et determinat. In secunda vero auctoritate confirmat, ibi: *Ut enim ait Augustinus* etc.

Similiter secunda pars habet duas. In prima determinat veritatem. In secunda dissolvit sophisticas rationes, ibi: *Quidam tamen probare conantur* etc.

Similiter tertia pars habet duas. In prima quaerit quaestionem et determinat. In secunda confirmat, et hoc ibi: *Unde Augustinus in libro Octoginta trium Quaestionum* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis secundum tria, quae Magister determinat, incidit hic quaestio circa tria.

Primo quaeritur de congruitate naturae assumtae quantum ad genus.

Secundo vero quaeritur quantum ad liberi arbitrii usum.

Tertio vero quaeritur de ipsa natura assumta quantum ad congruentiam sexus.

Circa primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum debuerit assumere hominem, qui esset de genere Adam.

Secundo vero, utrum congruum fuisset assumere ipsum Adam.

ARTICULUS I.

De congruitate naturae assumtae quoad genus.

QUAESTIO I.

Utrum decuerit Filium Dei assumere humanam naturam de massa perditionis.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum decuerit Filium Dei assumere humanam naturam de massa perditionis sive de genere Adam. Et quod non, videtur.

1. Alterius qualitatis et naturae debet esse morbus et medicina[2]: ergo si Christus ratione naturae assumtae fuit humani generis medicina, videtur igitur, quod eius caro non debuerit formari de massa corrupta. Ad oppositum.

2. Item, nobili formae nobilis debet aptari ma-

---

[1] Hic et paulo inferius post *plenitudine gratiae* edd. addunt *et sapientiae.*

[2] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 32. n. 1: Arte medicinae calida frigidis, frigida calidis curantur. — Paulo inferius pro *quod eius caro* codd. E G (I primitus) L T U V X aa *quod ei caro.*

teria [1]: ergo si anima Christi fuit purissima et immunis ab omni peccato, videtur, quod caro Christi debuerit esse ab omni corruptione aliena: non ergo de massa corrupta, ac per hoc nec de genere Adam.

3. Item, improperium parentum redundat in prolem, secundum quod dicit Sapiens [2]; sed Christus debuit esse omnino immunis ab omni peccati improperio: ergo non debuit esse de genere hominis primi.

4. Item, debitum parentum imputatur proli; sed mediator debuit esse absque omni debito, ut eius solutio omnino acceptaretur a Deo, sicut dicit Anselmus [3]: ergo non debuit exire de genere Adae.

Sed contra: 1. Ad Hebraeos secundo [4]: *Qui sanctificat et qui sanctificatur, ex uno omnes;* sed Christus est qui sanctificat, qui vero sanctificantur sunt filii Adam: videtur igitur, quod sicut alii sunt de genere Adae, ita Christus fuerit et debuerit esse. Fundamenta.

2. Item, pro culpa hominis non decet nisi hominem satisfacere, ergo pro culpa omnium filiorum Adae et ipsius Adae nullus debet satisfacere, nisi qui sit filius Adam; sed Christus satisfecit pro culpa nostra: ergo debuit esse de nostro genere et de nostra massa [5].

3. Item, si homo stetisset, nulli alii generi creaturae esset obnoxius, tanquam per ipsum haberet *stare:* ergo si homo per Christum revocatur in pristinam dignitatem, videtur, quod nulli alii generi creaturae debuit esse obnoxius, tanquam per illud *resurgeret.* Sed resurrexit per Christum: ergo videtur, quod Christus secundum carnem debuit esse de genere carnis vitiatae [6].

4. Item, tanto congruentior est mediator, quanto proximior est utriusque generi: si ergo congruentissimus mediator fuit Christus inter homines pectores et Deum [7]: ergo debuit esse de genere hominum peccatorum.

CONCLUSIO.

Magis congruum fuit, quod Filius Dei assumeret carnem de genere Adam quam aliunde, licet Deus aliter disponere potuisset.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio Dei Filius potuisset carnem assumere aliunde quam de massa corrupta, sive aliunde, quam ex his qui processerunt de genere Adam [8]; magis tamen congruebat, quod de genere Adae carnem assumeret. Et licet multae sint congruentiae, quae nos latent, iuxta multiformitatem sapientiae Dei, tamen secundum verba et dicta Sanctorum quatuor possunt rationes congruentiae assignari [9]. Conclusio.

Prima est propter *conservandam rectitudinem iustitiae,* ut videlicet eiusdem generis esset satisfactor et praevaricator. Nam si alterius generis esset, non attribueretur eidem generi satisfactio, cui et offensio; ac per hoc non recte servaretur iustitiae rectitudo, quae ab illo genere requirit emendam, in quo reperit praecedentem offensam. Congruentia 1.

Secunda est propter *manifestandam dulcedinem misericordiae,* ut videlicet ipse Dominus, qui ab homine contemptus fuerat tanquam ab adversario et inimico, ipse idem generi humano uniretur in Christo in unitatem personae; in quo manifestatur mira Dei condescensio in hoc, quod ipse genus humanum sibi inimicum coniungere voluit in indissolubile vinculum, iuxta illud quod dicitur ad Romanos quinto [10]: *Commendat autem caritatem suam Deus* etc. Congruentia 2.

Tertia ratio est ad *declarandam ordinationem sapientiae,* quae quidem ordinatio nullo potest infringi vitio. Decreverat enim Deus et ordinaverat, ut genus humanum totum multiplicaretur et dissemineretur ex uno, propter repraesentationem illius Congruentia 3.

---

[1] Aristot., II. de Generat. animal. c. 3. Vide tom. II. pag. 380, nota 1, ubi ipsa Philosophi verba allata sunt. — Pro *nobili* edd. *nobiliori,* pro *aptari* codd. K T Z *adaptari,* pro *materia* codd. I L V Z aa *natura.*

[2] Eccli. 3, 12. 13: Ne glorieris in contumelia patris tui; non enim est tibi gloria eius confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore.

[3] Libr. I. Cur Deus homo, c. 22. et II. c. 11. — Subinde pro *exire* edd. *esse.*

[4] Vers. 11. — In fine arg. edd. voculae *ita* adiungunt *etiam.*

[5] Sic et Anselm., II. Cur Deus homo, c. 8. Cfr. August., de Vera Relig. c. 16. n. 30. — Pro *ipsius Adae* cod. N *ipsius etiam Adae.*

[6] Cfr. Anselm., II. Cur Deus homo, c. 8. et I. c. 5, nec non August., XIII. de Trin. c. 18. n. 23.

[7] Cfr. supra pag. 19, nota 6. — Paulo superius pro *utriusque generi* codd. K P Q R aa bb *utrique generi,* codd. M O *utrique extremo.*

[8] Cfr. verba August. hic in lit. Magistri, c. 1. allegata, nec non infra d. 20. q. 6. — Pro verbo *processerunt* codd. H I K L T aa *praecesserunt,* codd. G Z *praecesserant.*

[9] August. et Anselm., quos iam supra allegavimus, praecipue *primam* et *quartam* rationem afferunt; de *secunda* ratione cfr. Chrysost., Homil. 5. in Epist. ad Hebr. n. 1. 2; de *tertia* Fulgent., de Incarn. Filii Dei, n. 14, et II. Sent. d. 18. a. 1. q. 1. et dub. 1. Cfr. etiam Hugo de S. Vict., I. de Sacram. p. VIII. c. 10, et Richard. a S. Vict., I. de Emmanuele, c. 10. seqq. — Mox pro *conservandam* cod. bb *observandam.* Paulo inferius pro *quae ab illo genere requirit emendam* cod. F *nisi ab illo genere inquireret et emendam.*

[10] Vers. 8. — Paulo superius pro *mira Dei* codd. A bb *mira divinae pietatis.* Deinde pro *indissolubile vinculum* cod. Z (bb a secunda manu) *in indissolubili vinculo,* cod. K *per indissolubile vinculum.* Paulo inferius voci *sapientiae* Vat. praemittit *divinae.*

universalis principii, quod Deus est; nec hoc per peccatum infringi debuit: et ideo Christus, *mediator Dei et hominum* [1], homo verus, non aliunde, sed de massa totius generis humani debuit formari.

Congruentia 4. Quarta vero ratio est ad *conservandam altitudinem humanae naturae*, quam Deus in tanta dignitate condiderat, ut nulli alii generi creaturae, sed soli Deo esset obnoxia. Si ergo non modicum est obnoxia Redemptori, decens est, ut Redemptor aut solum esset Deus, aut si haberet in se genus naturae creatae, hoc esset de genere illius massae, quae ortum habet a lumbis Adae.

Epilogus. Propter has igitur quatuor rationes congruentiae, quae apparent manifeste et a verbis Sanctorum habent firmitatem, concedendum est, quod non solum fuit congruum, quod Christus assumeret carnem de nostro genere ad reparationem humanae naturae, verum etiam hoc magis fuit congruum, quam quod alio modo faceret, licet alio modo facere posset [2]. — Unde rationes hoc probantes sunt concedendae.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod alterius naturae debet esse morbus et medicina; dicendum, quod verum est pro eo tempore, in quo Notandum. res potest dici medicina, *alterius*, inquam, generis, non quantum ad *naturam*, sed quantum ad *vim curativam*; et sic fuit in Christo, quia ipse non erat infectus corruptione concupiscentiae, sed habebat in se plenitudinem gratiae. Unde et Apostolus [3] dicit, quod *primus homo fuit de terra terrenus, secundus de caelo caelestis*, non propter diversitatem *naturae* vel materiae, sed propter differentiam quantum ad *qualitatem* virtutis et vitii, gratiae et culpae. — Quodsi velit instare, quod morbus et medicina sunt diversarum naturarum simpliciter; dicendum, quod hoc habet locum in medicina, cuius operatio est per vim naturae, non per actum voluntatis deliberativae.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nobilis materia debet respondere nobili formae; dicendum, quod verum est de materia disposita dispositione *ultima*, Notandum. quae est *necessitas* [4]; sed de materia *remota* non oportet, quoniam omnis nobilitas consurgit ex forma ipsi materiae superaddita. Et quoniam massa humani generis non est *proxima* materia respectu animae Christi; ideo non sequitur, quod corpus Christi non fuerit de illa massa; sed caro organizata et perfecta complexione [5] aptata fuit illius materia; et de hac bene licet inferre, quod valde nobilis fuit, cum ad nobilissimam animam aptata esset; unde optime fuit complexionata et ab omni corruptione et foeditate concupiscentiae aliena. Ex hoc tamen non licet inferre, quod non fuerit sumta de illa corruptionis massa; ita enim pura fuit illa caro per virtutem Spiritus agentem, sicut si de caelesti substantia sumta fuisset [6].

3. Ad illud quod obiicitur, quod improperium parentum redundat in filium; dicendum, quod verum est, cum filius est imitator scelerum patris [7]; cum autem ei contrarius et oppositus est quantum ad mores, non debet in eum iuste redundare, nisi ipse filius mera sua benignitate improperium patris portare velit et sustinere. Et sic in proposito intelligendum est fuisse. Unde Christus non ex merito, vel necessitate sustinuit improperium Adae, sed ex mera sua benignitate, ut, dum ipse sustineret pro alio quod ex se non meruit, alius liberaretur ab improperio, quod ex sua culpa promeruit.

4. Ad illud quod obiicitur, quod debitum parentum imputatur proli; dicendum, quod hoc verum est, cum proles succedit parentibus in hereditate; et quoniam Christus a parentibus concupiscentiam non hereditavit, per quam homo obligatur [8] poenae; hinc est, quod nullius poenae fuit debitor, sed liberalis et voluntarius persolutor.

SCHOLION.

1. Duae huius articuli quaestiones continuant disputationem de congruitate incarnationis ex parte *rei assumtae*, quae inchoata est supra d. 2. a. 1. q. 1-4. Cum opera Dei omnia sint maxime congrua, respectu habito ad eorum finem, de ipsis conclusionibus non potest esse dubium, nec de principalibus rationibus congruentiae.

De 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 2. m. 8. — Scot. tangit rem in utroque Scripto d. 20. q. unica. — S. Thom.,

---

[1] Epist. I. Tim. 2, 5. — Paulo ante pro *nec hoc per* multi codd. cum edd. 1, 2, verbis perperam transpositis, *nec per hoc*. In enuntiato, quod sequitur, Vat. ante *altitudinem* interiicit *dignitatem et* ac deinde pro *condiderat* substituit *constituerat*.

[2] Vat. *potuisset*.

[3] Epist. I. Cor. 15, 47. — August., I. de Doctr. christ. c. 14. n. 13: Et quemadmodum medici, cum alligant vulnera, non incomposite, sed apte id faciunt... sic medicina Sapientiae per hominis susceptionem nostris est accommodata vulneribus, de quibusdam *contrariis* curans, et de quibusdam *similibus*... Quia ergo per superbiam homo lapsus est, humilitatem adhibuit ad sanandum... Ad eadem *contraria* pertinet, quod etiam exemplo virtutum eius vitia nostra curantur. Iam vero *similia* quasi ligamenta membris et vulneribus adhibita illa sunt, quod per feminam deceptos per feminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberavit. Cfr. supra d. 3. p. I. a. 2. q. 1. et p. II. a. 2. q. 1. seq., nec non Gregor., XXIV. Moral. c. 2. n. 2. — Paulo superius edd. omittunt *inquam*.

[4] Id est, in qua (dispositione ultima) materia cogitur ad recipiendam illam formam. Cfr. tom. II. pag. 471, nota 2. — Pro *necessitas* Vat. *necessitatis*, et mox pro *materiae* cum edd. 1, 2 *naturae*.

[5] Edd. et non pauci codd. *completione*. Cfr. supra d. 3. p. II. a. 3. q. 2, II. Sent. d. 17. a. 2. q. 2. ad 6. et q. 3.

[6] Vide supra d. 3. p. II. a. 2. q. 1. seq. — Post *Spiritus* cod. bb (K Z a secunda manu) adiicit *sancti*.

[7] Cfr. II. Sent. d. 33. a. 1. q. 1. — Bene multi codd. minus congrue *sceleris patrum*, cod. A *sceleris paterni*. Paulo inferius post *iuste* Vat. interserit *quantum ad poenam*.

[8] Edd. cum pluribus codd. *obligatus est*.

III. Sent. d. 2. q. 1. a. 2. quaestiunc. 2; S. III. q. 4. a. 6. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., II. Sent. d. 2. q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand. hic q. 3. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 3. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

II. De seq. (2.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 9. — S. Thom., Comment. loc. cit. quaestiunc. 3. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar. rem tangit loc. cit. ad 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum fuisset congruum assumere Adam.

Secundo quaeritur, utrum congruum fuisset, ipsum Adam assumi. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia Christus debuit esse de genere Adae, ut satisfaceret pro peccato totius generis, quod processit de lumbis Adae [1]: ergo pari ratione debuit Dei Filius ipsum Adam assumere, ut pro peccato ipsius Adae congruentissime satisfaceret.

2. Item, nullum magis decet sustinere poenam pro culpa, quam eum qui culpam commisit: si ergo homo assumtus puniri debuit pro peccato Adae, sicut et factum est; videtur, quod nullum alium hominem adeo decuit assumere [2], sicut primum hominem.

3. Item, efficacius curat morbum qui curat ipsum in sua origine [3], quam qui in ramo; sed morbus corruptionis humani generis ortum habuit in Adam, et curatus fuit in Christo: ergo perfectius curatus fuisset, si Filius Dei assumsisset primum hominem, quam assumendo aliquem de eius genere. Sed decet summum medicum facere omne quod attestatur perfectioni medicinae: ergo etc.

4. Item, ad hoc, quod anima curetur per adventum Spiritus sancti, necesse est, quod Spiritus sanctus in eandem animam descendat, in qua prius habitavit culpa: ergo pari ratione, si per adventum Filii Dei debuit peccatum primi parentis curari, videtur, quod ipsum debuerit assumere magis quam alium. *Quodsi dicas*, quod non decuit propter culpam praeambulam; *sed contra*: Spiritus sanctus sic [4] purificat animam, quod nulla est indecentia, ut habitet in anima, in qua prius fuit culpa; sic etiam sanctificavit carnem Verbi, ut in nullo derogaretur Christo, quod fuit de nostra massa: ergo videtur, quod sic anima Adae potuit purificari et caro, quod in ipsius assumtione in nullo derogaretur excellentiae ipsius Filii Dei.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Non decuit Deum facere, ut aliquis de malitia sua reportaret commodum; sed si Adam propter reparationem faciendam de culpa commissa assumeretur a Verbo, reportaret ineffabile commodum: ergo hoc esset contra divinam iustitiam [5]. Sed hoc non decet Deum: ergo etc.

2. Item, talis debuit satisfacere, qui nullius esset debitor poenae, sicut dicit Anselmus [6], quia satisfactio est, cum fit opus alias indebitum, sicut dicitur in libro de Regulis fidei; sed Adam fuit poenae debitor propter culpam, quam commisit: ergo nullatenus decuit, ipsum ad satisfaciendum assumi.

3. Item, quidquid sit de aliis, tamen esse vel dici peccatorem vere nullo modo decet Deum; sed illa unio facit idiomatum communicationem: ergo si Adam assumtus fuisset a Dei Filio, Filius Dei esset et diceretur vere peccator. Si ergo hoc nullo modo decet [7], videtur etc.

4. Item, si Adam assumsisset, cum Deus decrevisset genus humanum ex Adam propagare, iuncta sibi Eva, ergo aut decretum suum [8] sive dispositio non mansisset, aut Christus ex commixtione cum femina generasset; sed utrumque est omnino indecens: ergo omnino indecens fuit, Dei Filium assumere hominem primum.

CONCLUSIO.

Non decuit Dei Filium assumere ipsum Adam.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio non sic decuit Dei Filium assumere ipsum Adam, sicut aliquam aliam substantiam eiusdem generis, sicut patet ex ipso opere divino.

Ratio triplex.

Et ratio huius est, quia non conveniebat omnium [9] *Creatori*, nec conveniebat *primo homini*, nec expediebat *humano generi*. *Creatori* omnium non competebat, ut persona Dei hominem assumeret peccatorem, cum ipse in forma assumta deberet peccatores ceteros iudicare [10], et tamen nullatenus de

Ratio 1.

---

[1] Cfr. quaest. praeced.

[2] Vat. *assumi*.

[3] Pro *origine* edd. hic, sicut et infra in solut. recurrit, *radice*. Subinde post *quam qui* edd. repetunt *curat* et cod. I pro *in ramo* substituit *in fine*, cod. Z *in ultimo*.

[4] Edd. *sicut* et dein pro *sanctificavit* exhibent *purificavit*. Mox pro *Christo, quod* Vat. *Christo, qui*.

[5] Cod. D *divinam naturam et iustitiam*.

[6] Libr. I. Cur Deus homo, c. 20. et II. c. 11. — Definitio satisfactionis hic memorata habetur in Alani ab Insul. libro de Articul. cathol. fidei, II. in princip., et sonat ibi sic: Satisfactio peccati est [ad] honorem eius contra quem peccatum est, aliquid sufficienter factum, alias indebitum. — Pro *qui nullius esset debitor poenae* cod. S *qui immunis esset debito poenae*. In fine arg. pro *satisfaciendum* cod. K *satisfactionem*.

[7] Pro confirmatione dicitur Hebr. 7, 26: Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus etc.

[8] Codd. G R S et edd. 1, 2 omittunt *suum*, pro quo codd. A P *Dei*. In princip. arg. post *Item, si* edd. supplent *Deus*.

[9] Pro *omnium* cod. A hic et paulo inferius *hominum*.

[10] Respicitur illud Ioan. 5, 22. seqq.: Omne iudicium dedit [Pater] Filio... et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est — nec non illud Ioan. 8, 46: Quis ex vobis arguet me de peccato? Cfr. ibid. 9, 39. et 12, 31. — Pro *et tamen* Vat. *et ita*.

peccato argui posse, sive secundum naturam assumentem, sive secundum naturam assumtam, secundum quarum utramque competebat ei potestas iudiciaria. — *Primo homini* non conveniebat, ut ille qui tantum se deiecerat per culpam, tantum exaltaretur, ut Deus esset. Sufficiebat namque sibi et excedebat, ut saltem ei Deus reconciliaretur, nedum quod ille Deus efficeretur. — *Generi* etiam *humano* non expediebat, quia, cum ille homo esset poenae debitor, utpote ille qui reus erat omnium animarum nostrarum [1], non esset eius passio adeo Deo grata, sicut si omnino esset innocens, et vix etiam sufficeret ad satisfaciendum pro se, nedum quod aliis satisfactionem suam posset communicare. — Concedendae sunt igitur rationes probantes, quod non decuit Filium Dei assumere primum hominem.

Ratio 2.

Ratio 3.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod de genere humano debuit satisfacere; dicendum, quod non est simile, quia potuit aliquis esse de genere hominum, qui communicaret cum hominibus in natura et non communicaret in culpa. Non sic autem est de Adam, quia, ex quo peccavit, necessarium fuit, ipsum peccasse; et si Filius Dei ipsum assumsisset, eum qui poenae debitor erat, assumeret [2]; ideo non est simile.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nullum magis decet puniri, quam eum qui peccavit; dicendum, quod verum est de poena divinae *ultionis;* sed non est verum de poena divinae *placationis.* Magis enim Deus placari potuit per poenam innocentis quam per poenam rei et iniusti; et taliter punitus est Christus pro peccatis nostris. Nullius enim alterius poena poterat esse sufficiens meritum satisfactionis, quamvis esset aequum instrumentum divinae ultionis.

3. Ad illud quod obiicitur de curatione morbi in radice, dicendum, quod verum est, quod perfectior est curatio, ubi radix ita potest purificari, sicut ramus; sic autem non est in proposito. Nam etsi Adam adeo purificari posset, ut nullam culpam *actu haberet,* nunquam tamen sic purificari potuit, ut nullam culpam *habuisset.* Et hoc quidem decebat habere Dei et hominum mediatorem, ut sua oblatione sufficienter placaret severitatem divinae iustitiae. — Aliae etiam rationes sunt, quare morbus in sua origine curari non debuit; sed illae assignatae sunt in secundo libro in tractatu de peccato originali [3], et aliquae in quarto, in tractatu de Sacramento baptismi.

De aliis rationibus.

4. Ad illud quod obiicitur, quod non purificantur per Spiritum sanctum nisi animae, quibus unitur per amorem; dicendum, quod non est simile, quia aliter purificantur per Christum, aliter per Spiritum sanctum. Per Spiritum sanctum namque purificantur sicut per causam *effectivam,* sed per Christum tanquam per causam *meritoriam* [4]. Et quia aliquis potest mereri alii diverso a se; hinc est, quod non oportet, mediatorem Dei et hominum sic cuilibet uniri, sicut Spiritus sanctus. — Est etiam differentia in *unione,* quia Spiritus sanctus illabitur nobis, ita tamen, quod non unitur nobis unione personali, quae facit, idiomata communicari; unde non est peccator, quamvis illabatur peccatori. Sed Filius unitur unione personali, in qua est idiomatum communicatio; et ideo non sic decuit ipsum uniri animae peccatrici, sicut decet Spiritum sanctum mitti in eam animam, quae prius fuit peccatrix. Et sic patet totum [5].

Notandum.

Alia differentia.

ARTICULUS II.

De conditione naturae assumtae quoad liberum arbitrium.

Consequenter quaeritur de conditione naturae assumtae quantum ad liberum arbitrium. Et circa hoc incidunt duo dubitabilia.

Primo quaeritur, utrum ille homo peccare potuerit.

Secundo, utrum potentiam peccandi habuerit.

QUAESTIO I.

Utrum Christus potuerit peccare.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum Christus potuerit peccare. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Ecclesiastici trigesimo primo [6] dicitur in laudem viri iusti: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus;* sed omnis laus competit Christo, quae competit alicui eius membro: ergo videtur, quod illud potuit dici in laudem Christi: ergo etc.

2. Item, Augustinus [7]: « Meliores iudicavit Deus

[1] Respicitur illud I. Reg. 22, 22: Ego sum reus omnium animarum patris tui. Anselm., I. Cur Deus homo, c. 23, ubi docet, per redemptorem iustificari debere *omnes* homines, ait: « Sed hoc facere nullatenus potest homo peccator, quia peccator peccatorem iustificare nequit ». — Paulo inferius pro *nedum quod... posset* Vat. *nec tunc... posset,* edd. 1, 2 *non.. potuit.*

[2] Edd. *assumsisset.*

[3] Dist. 32. a. 1. q. 2. in corp. et dub. 1, nec non IV. Sent. d. 1. p. I. a. 1. q. 2.

[4] Vide supra d. 10. a. 2. q. 2, d. 11. a. 1. q. 3, d. 19. a. 1. q. 1; I. Sent. d. 14. a. 2. q. 2, d. 17. p. I. q. 1, et II. Sent. d. 26. q. 2. — Primum huius solut. enuntiatum edd. sic mutarunt: *Ad illud quod obiicitur, quod anima non purificatur per Spiritum sanctum, nisi animae uniatur per amorem* etc. Inferius pro *sicut Spiritus sanctus* non pauci codd. *sicut Spiritum sanctum.*

[5] Cod. bb *patet primum.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Vers. 10.

[7] De Vera Relig. c. 14. n. 27: Voluntate ergo peccatur.

homines, si ei liberaliter deservirent», et vocat *liberaliter deservire*, si, cum possent eum offendere, nollent: ergo si Christum optimum fecit et optimum iudicavit, videtur, quod Christus peccare potuerit.

3. Item, Bernardus[1]: «Tantum descendit, quantum descendere potuit»; sed inferioris gradus est qui potest peccare, quam qui non potest: ergo videtur, quod Christus in illo statu fuerit. *Si dicas*, quod hoc intelligitur ex parte carnis; *contra:* dispositio carnis correspondet dispositioni liberi arbitrii, sicut patet in Adam et in nobis: ergo sicut Christus assumsit carnis passibilitatem, ita videtur, quod liberi arbitrii vertibilitatem.

4. Item, Christus erat in statu viatoris: ergo cum ad statum viatoris pertineat posse peccare, sicut ad statum comprehensoris peccare non posse[2]; videtur, quod Christus peccare potuerit.

5. Item, nullus laudatur in his quae facit de necessitate[3]; sed Christus erat laudabilis in operibus suis: ergo non faciebat ea necessario: ergo poterat a bonis et debitis operibus cessare; et hoc est omittere: ergo potuit peccare.

6. Item, Christus potuit dicere aliquam orationem negativam et veram; sed qui potest dicere locutionem negativam, potest dicere affirmativam sibi oppositam; sed illa est falsa: ergo Christus potuit dicere locutionem falsam. Sed hoc est mentiri in eo qui novit, locutionem *esse falsam:* ergo videtur, quod Christus mentiri potuerit: ergo potuit peccare, cum mentiri nullo modo possit bene fieri[4].

Sed contra: 1. Ad Hebraeos secundo[5]: *Eum* Fundamenta. *qui paulo minoratus est* etc.; Glossa: «Natura humanae mentis, quam Deus assumsit, et quae nullo peccato depravari potuit, solus Deus maior est»: ergo nullo modo anima Christi potuit infici aliqua macula peccati.

2. Item, Christus ab instanti conceptionis fuit comprehensor et beatus; sed de essentia beatitudinis est, quod sit bonum inamissibile[6]: ergo Christus nunquam illam beatitudinem potuit perdere: ergo nec anima ipsius peccare.

3. Item, Christus ab instanti conceptionis tantam gratiam suscepit, quod maiorem illa habere non potuit[7], ergo ab instanti conceptionis habuit gratiam confirmationis; sed nullus potest peccare, qui illam gratiam habet: ergo etc.

4. Item, si Christus potuit peccare, ponatur — quia «possibili posito, nullum accidit impossibile[8]» — sed posito, quod Christus sive homo ille peccaverit, ponitur ex hoc, quod dignus fuit aeterna damnatione: ergo vel Deus damnaretur, vel homo a Verbo separaretur. Sed utrumque est omnino impossibile: ergo impossibile fuit, illum hominem peccare.

CONCLUSIO.

Anima Christi nullatenus potuit peccare ob triplicem rationem.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio anima Conclusio. Christi non potuit depravari[9] aliqua culpa. — Et ratio huius est triplex, scilicet *plenitudo gratiae*, Ratio triplex. *consummatio gloriae* et *unio divinae naturae et humanae. Plenitudo gratiae* facit, quod ipse Christus secundum humanam naturam habuit gratiam confirmationis; sed illa gratia adeo liberum arbitrium firmat, ut nullo modo possit infirmari per culpam. — Hoc ipsum facit *consummatio gloriae*, quae Ratio 1. Ratio 2. quidem fuit in Christo a suae conceptionis primordio; statim enim fuit beatus et comprehensor. Et sicut beatus non potest damnari, sic etiam non potest praevaricari, ac per hoc in Christo nulla potuit esse secundum animam macula peccati. — Postremo, hoc efficacissime facit *unio divinae naturae et humanae* in unitatem personae, quae unio facit, ut idiomata communicentur, et ipsa non potest frangi[10]. Si igitur Deus non potest esse peccator et non potest non esse homo; planum est, quod illa unio nullatenus sustinet, Christum secundum humanam naturam peccare potuisse. — Unde rationes hoc ostendentes sunt concedendae. Ratio 3.

Et quoniam peccari non dubium est, ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim servos suos meliores esse Deus iudicavit, si ei servirent *liberaliter*. Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent. Cfr. de Agone christ. c. 10. n. 11.

[1] Serm. 60. de Diversis (alias 18. ex Parvis), n. 1: Descendit siquidem, quo inferius non decuit. — Post *descendit* Vat. supplet *Deus*.

[2] Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXV. c. 3. seqq.

[3] Secundum Aristot., II. Ethic. c. 5. Cfr. tom. II. pag. 113, nota 8. — Paulo inferius verbo *cessare* edd. cum cod. cc praemittunt *necessario*.

[4] Etiam apud Anselm., II. Cur Deus homo, c. 10. haec obiectio habetur, his verbis proposita: Quippe, ut alia taceam, quomodo dicemus, eum non potuisse mentiri, quod semper peccatum est? Cum enim dicat Iudaeis de Patre: *Si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax* (Ioan. 8, 55.), et inter haec verba dicat: *non scio eum*, quis eum dicat eosdem tres nequivisse proferre dictiones, sive aliis verbis, ut sic diceret: *non scio eum?* Quod si faceret, ut ipse ait, esset mendax, quod est esse peccatorem. Quare, quoniam hoc potuit, peccare potuit. — Paulo superius pro *in eo qui novit* edd. 1, 2 et complures codd. *in eo quod novit*.

[5] Vers. 9. — Glossa habetur ut *ordinaria* apud Petr. Lombard. et Lyranum in hunc loc.; sumta est ex August., II. contra Maximin. Arian. c. 25.

[6] Cfr. August., XI. de Civ. Dei, c. 11. et 13, XII. c. 20. n. 2, XIV. c. 25, XIII. de Trin. c. 8. n. 11.

[7] Cfr. infra d. 13. a. 1. q. 3.

[8] Aristot., I. Prior. c. 12. et VII. Phys. text. 9. (c. 1.), VIII. text. 36. (c. 5.). — De ipso arg. cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Post *ponatur* Vat. addit *in esse*.

[9] Codd. A H K Z aa *damnari*. Mox pro *consummatio gloriae* cod. G (bb a secunda manu) et edd. 1, 2 *confirmatio gloriae*, quae mutatio scripturae in cod. bb a secunda manu paulo inferius iterum facta est.

[10] Cfr. supra pag. 138, nota 8. et pag. 162, nota 2. — Pro *frangi* cod. U *infringi*. Ante *non potest frangi* cod. F inserit *peccato*.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur de laude viri iusti, dicendum, quod laus illa ratione[1] *unius* partis dicit perfectionem, in hoc scilicet, quod non est transgressus; ex *alia* parte dicit quandam defectibilitatem. Cum ergo dicitur, quod omnis laus attribuenda est Christo; dicendum, quod etsi illud aliquo modo habeat veritatem de laude perfecta, sive ratione eius conditionis, penes quam attenditur perfectio; non tamen oportet, quod ratione eius conditionis, secundum quam est imperfectio. — Posset Aliter. etiam aliter dici, quia, sicut dicit Magister[2], ista laus est capitis in membris, ita quod perfectio competat ipsi capiti in se, sed quod est ibi defectibilitatis competit ratione membrorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod meliores iudicavit Deus homines etc.; dicendum, quod hoc verum est de toto genere humano secundum aliquam melioralionem, quae attenditur in ordine universitatis. Sic enim decebat, hominem in universitate constitui, ut in prima sui constitutione haberet vertibilitatem arbitrii secundum legem communem[3]. Sed Christus habuit aliquid supra hominem; ideo decuit, quod sibi fieret aliquod privilegium speciale, ut esset in eo liberalitas obsequii sine vertibilitate arbitrii, sicut et in divina voluntate videmus, quod liberaliter nobis bona impendit et facit, nullam tamen in eo est ponere vertibilitatem. Et propter hoc verbum illud Augustini, secundum quod *liberaliter* vocat vertibilitatem ad contrarium, non se extendit ad melioritatem, quae attenditur secundum privilegium speciale, sed secundum legem communem. — Nota. Si quis autem velit dicere, quod ibi intelligitur *liberaliter*, id est *voluntarie*[4], obviat ei littera sequens et ratio proponendi verbum, quia Augustinus hoc verbum dicit, ut reddat rationem, quare Deus talem fecit hominem, ut posset male facere.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de Bernardo, quod descendit, quantum descendere potuit; dicendum, quod intelligitur de potentia *ordinata*, quae supponit condecentiam[5]. Decuit autem Deum condescendere ad *miseriam*, sed nullo modo decuit descendere ad *culpam*. Nam etsi *miseria* Filio Dei non competat in se, tamen competit, ut est *ordinata ad finem* nostrae redemptionis. *Culpa* autem vel ordinatio ad culpam in actu, vel in habitu nullo istorum modorum competit sibi; et ideo decenter non potuit se humiliare adeo, ut ad statum peccati secundum actum, vel habitum se Deus inclinaret. — Nec valet quod obiicit de passibilitate, quod respondet vertibilitati animae; dicendum est enim, quod hoc verum est secundum iustitiam communem, sed Christus passibilitates carnis assumsit dispensative, sicut inferius[6] apparebit.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod Christus erat in statu viatoris; dicendum, quod etsi erat in statu viatoris, non tamen *omnino;* habuit enim aliquid de statu comprehensoris. Unde Boethius[7] dicit, «quod Christus de omni statu aliquid assumsit: de statu autem *ante* peccatum assumsit innocentiam, de statu *post* peccatum assumsit poenam, de statu *comprehensoris* impossibilitatem peccandi». Quia ergo Christus purus viator non erat; ideo non sequitur, quod peccare potuerit, sicut possunt et alii viatores.

5. Ad illud quod obiicitur, quod nullus laudatur in his quae necessario facit; dicendum, quod est necessitas, quae *repugnat* voluntati, sicut necessitas *coactionis*, quae venit ab extrinseco; et est necessitas, quae *subest* voluntati, et ista est necessitas, quae venit ex voluntatis *immutabilitate*[8]. Cum ergo dicitur, quod laus non est in operibus necessitatis; dicendum, quod verum est de necessitate *primo* modo dicta, sed non *secundo*.

Distinctio.

6. Ad illud quod obiicitur, quod potuit scienter dicere locutionem falsam; dicendum, quod *dicere* est dupliciter: uno modo idem est quod *ore proferre;* et hoc modo absque dubio potuit proferre locutionem falsam, quia talis prolatio est perfectionis. Alio modo dicere idem est quod *asserere* sive affirmare; et hoc modo non potuit, quia veritas ad falsitatem declinare non potuit; et hoc quidem non fuit impotentiae, immo magis potentiae[9].

---

[1] Vocem *ratione*, quae ab edd. abest, adiecimus fide codd. A K M O bb.

[2] Hic c. 2. Cfr. etiam II. Sent. d. 44. a. 1. q. 1. ad 4. — Proxime ante pro *quia* codd. A H I L U aa *quod*. Paulo inferius pro *competat* edd. 1, 2 cum non paucis codd. *competit*, et mox pro *defectibilitatis* codd. I L Z aa *defectus*.

[3] Cfr. II. Sent. d. 23. a. 1. q. 1, ubi quaestio dissolvitur, utrum Deus debuerit facere hominem impeccabilem.

[4] Sive, ut paulo superius de Deo dictum est, liberalitate sine vertibilitate arbitrii, sicut et in divina voluntate videmus etc. Contra quam instantiam ibid. n. 28. dicitur: «*Liberaliter* igitur Deo Angeli serviunt, neque hoc Deo, sed ipsis prodest. Deus enim bono alterius non indiget... Illa vero quae facta sunt eius bono indigent... Minus autem sunt quam erant, cum per animae peccatum minus ad illum moventur» etc. Integrum August. locum, quo continetur etiam «littera sequens», ad quam lector hic delegatur, supra allegavimus pag. 265, nota 7. Cfr. III. de Lib. Arb. c. 5. n. 12. seqq.

[5] Anselm., I. Cur Deus homo, c. 12: Sic eos [libertatem, voluntatem et benignitatem Dei] debemus rationabiliter intelligere, ut dignitati illius non videamus repugnare. Libertas enim non est nisi ad hoc quod expedit, aut quod decet; nec benignitas dicenda est quae aliquid Deo indecens operatur. — Subinde pro *Decuit autem*, quemadmodum scriptum est in codd. A (K a secunda manu) M O bb, alii codd. *tamen*, edd. *enim*. Post pauca codd. A bb verbis *Filio Dei* praefigunt *ipsi*.

[6] Dist. 15. a. 1. q. 1. seqq. — Pro *carnis* codd. U *communes*.

[7] De Una persona et duabus naturis, c. 8. Boethii sententia ibi longior est, quam quae hic a Bonav. affertur.

[8] De qua *necessitate* vide II. Sent. d. 7. p. 1. a. 2. q. 2. ad 3, d. 25. p. II. q. 2. in corp. et q. 4. seq. Cfr. etiam Anselm., II. Cur Deus homo, c. 17. seqq. — In fine solut. pro *secundo*, quod habent codd. A M bb, alii codd. et edd. minus congrue *de secundo*.

[9] Anselm., II. Cur Deus homo, c. 10. respondet: Et hoc *dicere* potuit, et *peccare* non potuit... Omnis potestas sequitur voluntatem. Cum enim dico, quia possum loqui vel ambulare, subauditur: si volo; si enim non subintelligitur voluntas, non est potestas, sed necessitas etc.

SCHOLION.

I. Nonnulli haeretici blasphemaverunt dicentes, Christum *actu* peccasse; quod manifeste est contra s. Scripturam. Insuper omnino tenendum est, Christum fuisse absolute *impeccabilem*. Hoc docent communiter theologi, Ss. Patres et Concil. VI. oecumen. (Constantinop. III. an. 680), ubi inter alia contra Monothelitas dicitur, in Christo esse « duas naturales voluntates, non contrarias, absit, iuxta quod impii asseruerunt haeretici, sed sequentem eius humanam voluntatem, et non resistentem vel reluctantem, sed potius et subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati ». Et inferius: « Sicut enim eius caro caro Dei Verbi dicitur, ita et naturalis carnis eius voluntas *propria* Dei Verbi dicitur et est » etc. Et infra dicitur, quod sicut sanctissima caro Christi *deificata* non est peremta, « ita et humana eius voluntas *deificata* (θέλημα θεωθέν) non est peremta ». — Tres autem rationes huius impeccabilitatis affert S. Bonav. approbatas a S. Thoma, qui dicit (hic q. 2. a. 1.), quod Christus nec ut *viator* (ob plenitudinem gratiae) nec ut *comprehensor*, nec ut *Deus* potuit peccare. Et revera, si divina persona in Christo non tantum est terminus et principium *existendi*, sed et principium *quod operandi*, ipsa unio hypostatica formaliter excludit peccabilitatem. Hinc male audit Durandus (hic q. 2.), qui putat, quod Christus, dato quod humanitas eius fuisset assumta sine gratia (quod censet esse possibile), posset peccare et etiam damnari (!). Sed haec, ut dicit Dionys. Carth., « videntur prorsus absurda ». Etiam Scotus et plurimi eius discipuli in hoc recedunt ab egregia doctrina antiquorum Ordinis Magistrorum; scilicet Alexandri, S. Bonaventurae et Richardi, quod impeccabilitatem Christi non vi unionis hypostaticae, sed visionis beatificae necessariam esse asserant. Nonnulli tamen, ut Hauzeur (Collatio etc. t. II. col. 355. seqq.), aliter mentem ipsius Scoti interpretantur.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 5. m. 2. a. 2, q. 15. m. 2. — Scot., in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic loc. cit.; S. III. q. 15. a. 1. — B. Albert., hic a. 4. 5. 6. — Petr. a Tar., hic a. 3. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 2.

III. Cum in Christo sit vera voluntas humana, ut constat contra Monothelitas, et cum voluntas humana in se considerata, praescindendo ab unione hypostatica et gratia gloriaque, sit potentia defectibilis et peccati capax, in aliquo sensu concedi potest, in Christo esse potentiam peccandi, scilicet « potentiam, quae *in aliis* est potentia peccandi » (ita S. Thom., hic q. 2. a. 2.).

De hac 2. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. 14. m. 1. — B. Albert., a. 9. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum Christus potentiam peccandi habuerit vel assumserit.

Secundo quaeritur, utrum Christus potentiam peccandi habuit vel assumsit. Et quod sic videtur.

Argg. pro parte affirmativa.

1. Damascenus[1]: « Omnia quae in natura nostra plantavit Deus, assumsit Dei Verbum »; si ergo potentiam, qua peccamus et bene facimus, Deus ab initio in nobis plantavit; videtur, quod eam ex tempore Dei Verbum assumsit.

2. Item, idem Damascenus[2]: « Totum me assumsit, ut me totum redimeret »; ergo omnem nostram substantiam et omnis nostrae substantiae potentiam; sed potentia peccandi est potentia rationalis animae, quae non potest reperiri nisi in creatura valde nobili: ergo videtur, quod Christus eam habuerit.

3. Item, potentia peccandi est potentia rationalis, et illa est ad opposita[3], ergo eadem est potentia bene faciendi: si ergo non est aliud quam liberum arbitrium, et Christus liberum arbitrium assumsit; ergo et potentiam peccandi.

4. Item, solum illud curatum est in nobis, quod punitum et afflictum fuit in Christo[4]; sed in nobis curari maxime indigebat potentia peccandi, quoniam illa est, quae aegrotat per culpam: ergo videtur, quod in Christo passa fuerit et afflicta; et si hoc: ergo a Christo fuit habita et assumta.

Pro parte negativa.

Sed contra: 1. Christus secundum humanam naturam habuit plenam libertatem, sicut et plenam gratiam; sed « potentia peccandi, addita libertati, eam diminuit », sicut dicit Anselmus in libro de Libero Arbitrio[5]: ergo potentia peccandi non fuit in Christo.

2. Item, omni potentia aliquis est potens, ergo si in aliquo est potentia peccandi, illa potest peccare; sed Christus non potuit peccare, sicut prius[6] ostensum est: ergo nec peccandi potentiam habere.

3. Item, potentia peccandi est principium culpae; sed in quocumque contingit reperire principium, possibile est reperire illud quod ex illo principio causatur: ergo si Christus habuit potentiam peccandi, habere potuit peccatum: ergo potuit esse

---

[1] Libr. III. de Fide orthod. c. 6. Vide supra lit. Magistri, d. II. c. 1. — In conclus. respicitur illud Eccli. 15, 14: Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui.

[2] Loc. cit. et in lit. Magistri, loc. cit. — Quoad *minorem* vide tom. II. pag. 1000, nota 4.

[3] Secundum Aristot., IX. Metaph. text. 3. et 10. (VIII. c. 2. et 5.). — Subinde post *ergo eadem est* cod. A bene inserit *cum*, cod. H vero post *bene faciendi* subnectit *et male faciendi*. Post *si ergo*, quod proxime sequitur, subaudi: haec potentia. — Quod Christus liberum arbitrium assumsit, ostendit Damascen., III. de Fide orthod. c. 14. et 18.

[4] Quod enim inassumtibile est, incurabile est, ut dicit Damascen., III. de Fide orthod. c. 6, et habetur in lit. Magistri, supra d. II. c. 1. Idem s. Doctor in eodem libro, c. 18. ulterius dicit: Quapropter totum hominem assumsit, illamque adeo ipsius partem [scil. animam], quae obnoxia morbo fuerat, ut toti salutem largiretur (ed. Migne). Cfr. ibid. c. 14, ubi insinuat, quod voluntas, quae primo subiacuit peccato, a Christo assumta fuit et curata.

[5] Cap. 1. Verba integra vide tom. II. pag. 613, nota 9.

[6] Quaest. praeced. — In principio huius arg. post *Item* edd. subdunt *si*.

damnatus et Dei inimicus. Quodsi hoc est impossibile, restat, quod et primum [1].

4. Item, Christus secundum animam fuit Deo simillimus inter creaturas ceteras, quoniam maxime fuit eius anima deiformis [2]; sed Deus non habet potentiam peccandi: ergo videtur, quod eam non habuerit nec assumserit Christus.

CONCLUSIO.

Christus assumsit potentiam peccandi, id est potentiam, qua peccatur, non tamen potentiam peccandi ordinatam ad actum peccandi.

Respondeo: Dicendum, quod potentia peccandi dicitur dupliciter. Uno modo dicitur potentia peccandi, id est potentia, *qua peccatur*; et sic potentia peccandi nominat ipsum liberum arbitrium creatum, quod quidem potest in bonum, adiutum gratia; et quia per sui naturam est defectivum [3], hinc est, quod illa potentia sive facultas dici potest potentia bene faciendi et potentia peccandi; nullus enim peccat nisi per illam. — Alio modo potentia peccandi dicitur potentia *ordinata ad peccandum*, ut potentia nominet aliquid medium inter substantiam et peccati actum, per quod substantia illa possit exire in peccati perpetrationem.

Dupliciter dicitur potentia peccandi.

Si ergo primo modo dicatur potentia peccandi, sic absque dubio fuit in Christo. Et sic procedunt rationes ad primam partem, quae ostendunt, Christum habuisse potentiam peccandi, quia assumsit integre nostram naturam et eius quamlibet potentiam. Et ideo rationes illae concedi possunt, quia recta via procedunt et verum concludunt. — Si vero potentia peccandi dicatur potentia *ut ordinata ad peccatum perpetrandum*, sic non est concedendum, quod Christus habuit [4] potentiam peccandi, pro eo quod peccare non potuit; et talis ordinatio, immo deordinatio, diminuit de plenitudine libertatis.

Conclusio 1.

Ad rationes pro 1. parte.

Conclusio 2.

1. Et per hoc patet responsio ad primum obiectum in contrarium.

Explicatio argg. pro 2. parte.

2. Ad illud quod obiicitur, quod omni potentia est aliquis potens; dicendum, quod verum est, si *potentia* dicat *ordinationem ad actum*; sed si dicat solum *naturalem aptitudinem* [5], non habet veritatem, quia potest impediri per oppositum eius, sicut gressibilis habet naturalem aptitudinem ad gradiendum, et caecus ad videndum; non tamen gressibilis truncatus potest gradi. Et sic damnati habent potentiam merendi, sed tamen mereri non possunt, quia praepeditur in eis ordinatio illius potentiae sive exitus in talem actum [6]. Sic et in proposito intelligendum est, quia animam Christi exire in actum peccati est impossibile, quamvis illam eandem potentiam habeat, quam habet peccator, et hoc propter perfectionem gratiae non sustinentis talem egressum sive defectum.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod potentia peccandi est principium culpae; dicendum, quod verum est; sed hoc est in quantum *deficiens*, sive in quantum sibi relinquitur [7]. In Christo autem non potest sibi relinqui propter inseparabilem unionem cum divinitate; et ideo non potest culpam perpetrare, quoniam non est in Christo sub ea ratione, qua habet *principiare*. Et ideo non sequitur, quod culpa aliqua possit esse in Christo.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod Christus secundum animam fuit Deo simillimus; dicendum, quod etsi similior fuit anima Christi Deo [8] ceteris creaturis, tamen improportionabiliter distat a Deo; quoniam Deus, cum sit summe potens *in se, per se* et *ex se*, non potest deficere nec habere potentiam deficiendi, nec quantum ad *ordinationem*, nec quantum ad *radicem*. Sed anima Christi est creatura, sicut et aliae animae, et ex hoc ipso per naturam suam est vertibilis et defectibilis et potentiam habet deficiendi; sed quod non deficiat, hoc habet beneficio eius qui longe distat ab omni defectu. Et ideo non sequitur, quod anima Christi carnerit omni potentia peccandi, sed quod caruit ordinatione ad talem actum sive defectum per illud donum, quod faciebat, Christum esse Deo simillimum [9].

Notandum.

---

[1] Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[2] Cfr. quaest. praeced. fundam. 1. et d. 13. a. 1. q. 1. in corp. — Pro *simillimus* multi codd. nec non edd. 1, 2 minus recte *similis*. In fine arg. codd. H K S V cc *non habuit nec assumsit Christus*.

[3] Edd. cum cod. cc attexunt *bene faciendi*.

[4] Codd. N T U V *habuerit*.

[5] Pro *aptitudinem* non pauci codd. et edd. 1, 2 *habitudinem*, codd. M O *habitudinem sive aptitudinem*. — Similiter S. Thom., hic q. 2. a. 2. ait: « Actus se habet ad potentiam dupliciter: quia actus *egreditur* a potentia, et iterum per actus *specificatur* potentia... Et primo modo non potest dici, quod ille qui habet visum impeditum, habeat potentiam videndi, sicut non potest dici, quod possit videre. Secundo modo potest dici, quod habeat potentiam visivam ». Cfr. II. Sent. d. 44. a. 1. q. 2. — Post *gressibilis* supple: omnis, vel truncatus.

[6] Libr. II. Sent. d. 35. a. 2. q. 3. ad 5: Damnatio vero aeterna reddit impossibilem [hominem] ad bonum, non quia ibi sit plenitudo omnis mali, nec etiam quia auferatur naturalis aptitudo ad bonum, sed quia aufertur merendi spatium, et Deus amplius non offert gratiam iuvantem ad bonum. Et ideo illa impossibilitas non dicitur per privationem habilitatis omnimodam, sed potius propter bene faciendi impedimento. Cfr. ibi d. 34. a. 2. q. 2. — Mox pro *quia* codd. I K L aa bb *quod*, et pro *actum peccati* cod. A *actum peccandi*.

[7] Cfr. II. Sent. d. 34. a. 1. q. 2. et d. 44. a. 1. q. 1. seqq.

[8] Post *Deo* codd. A (K a secunda manu) P R S interliciunt *et sic*, codd. F H I (K primitus) L N T U V X aa cc et edd. 1, 2 *et sic de*. Paulo inferius pro *ad ordinationem* codd. F U *ad ordinem*, et pariter circa finem solut. *ordine* pro *ordinatione*.

[9] Vide scholion ad praecedentem quaest.

ARTICULUS III.

De conditione naturae quantum ad sexum.

Consequenter quaeritur de conditione naturae assumtae quantum ad sexum. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum Deum decuerit assumere sexum muliebrem [1].

Secundo, utrum decuerit carnem assumere de sola muliere.

QUAESTIO I.

Utrum decuerit Deum assumere sexum muliebrem.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum decuerit Deum assumere muliebrem sexum ad reparandum genus humanum. Et quod sic, videtur:

1. Quia ordo reparationis per oppositum debet respondere lapsui [2]; sed nostra ruina fuit per mulierem: ergo relevatio. Sed relevatio facta est per naturam assumtam: ergo etc. Ad oppositum.

2. Item, ideo assumsit Deus naturam fragilem, ut, dum sua fragilitate vinceret fortem, mirabilis in hoc Dei potentia reluceret: si ergo fragilior est sexus muliebris, videtur, quod magis fuisset eius potentia manifestata, si in sexu muliebri diabolum superasset: ergo magis congruum fuit, mulierem quam virum assumi a Verbo Dei [3].

3. Item, spiritus rationalis ita unibilis est indifferenter sexui muliebri, ut virili: ergo pari ratione et spiritus increatus: ergo indifferenter se habent sexus utrique [4] ad unionem, quantum est ex parte naturae. Si ergo sexus muliebris magis depressus erat in miseriam quam virilis; cum Dei Filius incarnatus fuerit ad nostram miseriam relevandam, videtur, quod magis debuerit assumere sexum femineum quam virilem.

4. Item, proles assimilari debet suo principio; sed Christus natus fuit ex sola Virgine matre: ergo si ex femina traxit carnem, magis debuit assimilari matri quam alii: ergo si non degeneravit, potius debuit ex ea trahere sexum, quem habebat Virgo, quam alium.

Sed contra: 1. Philosophus in libro de Animalibus [5] dicit, quod «femina est vir occasionatus», Fundamenta. hoc est imperfectus: ergo si homo assumtus debuit esse perfectissimus, non ergo debuit mulier esse, sed tantum masculus.

2. Item, quod maius est, Apostolus primae ad Corinthios undecimo [6] dicit, quod *caput mulieris est vir*, non e converso; sed homo assumtus est caput totius Ecclesiae: ergo non debuit esse sexus feminei, alioquin fieret perversio ordinis; quod quidem non debuit Deus in sua incarnatione facere, quin potius destructum ordinem debuit reparare.

3. Item, principium totius generationis est sexus virilis, nam *ex uno* viro *omnes* [7]; sed homo assumtus debuit esse principium totius generationis spiritualis: non ergo sexus muliebris, sed virilis.

4. Item, si assumsisset sexum muliebrem, ergo cum fiat communicatio idiomatum, deberet dici *dea* et deberet dici *filia*: si ergo non decet esse nisi Deum et Filium in illa summa Trinitate, non deam aut filiam [8]; nullo modo decuit Deum assumere feminam.

CONCLUSIO.

Absque dubio non ita decuit Deum assumere sexum femineum, sicut virilem, in unitatem personae.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio non ita decuit Deum assumere sexum femineum, sicut virilem, in unitatem personae. — Et ratio huius est, quia muliebris sexus non est tantae dignitatis, sicut Conclusio. Ratio.

---

[1] Pro *sexum muliebrem* non pauci codd. *mulierem*, qui tamen infra in ipsa quaestione nostrae lectioni assentiuntur.

[2] Cfr. tom. II. pag. 517, nota 8. — Edd. conclusionem valde truncarunt, exhibentes sola verba: *ergo et relevatio etc.*

[3] Chrysost., Homil. in S. Dorsidem M. n. 3: Quanto infirmius est vas, tanto maior est gratia, tanto illustrius trophaeum, tanto micantior et insignior victoria. — Pro *manifestata* codd. H I L aa *manifesta*.

[4] Edd. *se habet sexus uterque*. In fine arg. pro *femineum* cod. K *muliebrem*.

[5] Libr. XVI. sive, secundum recentiorem operum Aristot. divisionem, II. de Generat. animal. c. 3. Cfr. tom. II. pag. 485, nota 5.

[6] Vers. 3. — De *minori* vide infra d. 13. a. 2. q. 1. seqq.

[7] Hebr. 2, 11. August., XII. de Civ. Dei, c. 27. n. 1: Quem [primum parentem] propterea Deus creare voluit unum, de quo multitudo propagaretur, ut hac admonitione etiam in multis concors unitas servaretur. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XVIII. c. 1, et Comment. a. 1. q. 1. in corp. nec non dub. 1.

[8] Anselm., Monolog. c. 42, ad ostendendum, quod in significandis personis Ss. Trinitatis nomina patris et filii, et non matris et filiae adhibenda sint, optime hanc rationem affert: quia «prima et principalis causa prolis semper est in patre. Nam si maternam causam quolibet modo semper paterna praecedit, nimis est incongruum, ut illi parenti adaptetur nomen matris, cui ad gignendam prolem nulla alia causa aut sociatur aut praecedit... Quodsi *filius* semper similior est patri quam filia [quae disparis est sexus]; nihil autem similius est alteri, quam summo Patri proles sua: verissimum est, hanc prolem non esse filiam, sed filium. — In fine arg. pro *assumere feminam* codd. M O *assumere sexum femineum*, quibus verbis adhuc addunt *sicut virilem in unitatem personae*.

virilis. Excellit enim sexus virilis muliebrem et quantum ad *dignitatem in principiando*, et quantum ad *virtutem in agendo*, et quantum ad *auctoritatem in praesidendo*. Quantum ad *dignitatem in principiando*, quia omnes tam viri quam mulieres ex uno viro fuerunt, in quo est expressa repraesentatio egressus rerum ab illo unico principio primo et summo [1]. — Quantum ad *virtutem in agendo* similiter praecellit, quoniam viri est *agere*, et mulieris est *pati*. Unde plus habet sexus virilis de virtute activa, propter quod et robustior est et re et nominatione. — Quantum ad *auctoritatem in praesidendo* etiam praeexcellit. Nam secundum rectum ordinem non mulier viro, sed vir praeficitur mulieri tanquam caput corpori, sicut dicit Apostolus [2]. — Quoniam ergo in Verbo assumente naturam humanam est praecipua *dignitas in principiando* et *virtus in agendo* et *dominium in praesidendo*; hinc est, quod magis decuit, sexum virilem quam muliebrem assumi a Verbo increato, quia illi naturae assumtae debuerunt haec tria communicari excellenter. — Et ideo concedendae sunt rationes ad hanc partem.

Excellentia 1. viri. Excellentia 2. Excellentia 3.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod ruina fuerit per mulierem; dicendum, quod quamvis in sexu muliebri ruina nostra fuit inchoata, in sexu tamen virili est consummata. Et quoniam nostra reparatio in natura assumta habuit consummari, hinc est, quod secundum rectam correspondentiam magis decuit, virum quam mulierem assumi.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de fragilitate, dicendum, quod sic congruum fuit, Christum vincere per fragilitatem in patiendo, ut postmodum vinceret per virtutem in resurgendo; et ideo sexum talem debuit assumere, qui etiam [3] fragilis esset ad tempus propter passibilitatis qualitatem, et nihilominus ad virtutem ordinabilis secundum qualitatem naturae; et talis fuit virilis sexus magis quam muliebris.

3. Ad illud quod obiicitur de unione spiritus rationalis ad utrumque sexum, dicendum, quod non est simile: *primum*, quia spiritus unitur corpori, ita quod ex his fit unum, et non est communicatio idiomatum; non sic autem [4] de Verbo aeterno, quod manet in sua proprietate, communicans homini assumto suas proprietates, ad quas communicandas magis sexus virilis quam muliebris competens erat. — *Praeterea*, non est simile, quia spiritus increatus est nobilissimus, et unio, qua unit sibi nostram naturam in persona, est nobilissima; et ideo nobiliorem sexum debet assumere. Non sic autem est de spiritu rationali.

Ratio 1. Ratio 2.

4. Ad illud quod obiicitur, quod proles debet assimilari suo principio; dicendum, quod illud est verum, quando producit prolem omnino secundum propriam virtutem naturae suae; non sic autem est in proposito. Nam Virgo concepit mota et adiuta Spiritu sancto [5]; et ideo magis proles habuit sexum, quem Spiritus sanctus elegit, quam sexum, quem in matre invenit. Nec in tali generatione est *degeneratio*, sed magis nobilitatio; quia non est contra naturam mulieris concipere sexum virilem, immo magis cupit naturaliter mulier habere filium masculum quam feminam.

SCHOLION.

I. Hanc quaestionem Magister (hic c. 3.) incipit his verbis: « Solet etiam quaeri, quamvis *curiose*, a nonnullis, si Deus humanam naturam potuit assumere » etc., eamque paucis verbis expedit. Nihilominus Gualterus a S. Victore ob hanc quaestionem acerrime insectatur Magistrum tanquam blasphemum, sed immerito (cfr. D'Argentré, Collectio iudicior. t. I. pag. 117). — Argumenta congruentiae pro hac et seq. quaestione sunt manifesta, et a diversis diversa addita sunt. De hac quaestione: S. Thom., hic q. 3. a. 1. — B. Albert., a. 10. — Petr. a Tar. hic a. 4. quaestiunc. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1.

II. De seq. (2.) quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 2. m. 11. 12. — S. Thom., loc. cit. a. 2; S. III. q. 28. a. 1, q. 32. a. 1. — Petr. a Tar., loc. cit. — Richard. a Med., loc. cit. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum magis debuerit carnem assumere de viro simul et muliere quam sola muliere.

Secundo quaeritur, utrum magis debuerit carnem assumere de viro simul et muliere quam de muliere tantum. Et quod sic, videtur.

1. Ad Hebraeos secundo [6]: *Debuit per omnia fratribus assimilari*; sed similitudo fraterna permaxime consistit in generatione: ergo videtur, quod sicut alii generantur ex patre et matre, quod et similiter Christus.

Ad oppositum.

2. Item, Christus humanam assumsit naturam, ut nos curaret a morbo originalis peccati: si ergo originale peccatum traducitur per viam generationis de masculo et femina [7]; videtur, quod sic debuit

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 18. a. 1. q. 1. in corp. et dub. 1. De ratione seq. cfr. hoc idem dub. 1, nec non supra pag. 111, nota 4.

[2] Epist. I. Cor. 11, 3, et Eph. 5, 23. — Paulo superius pro *praeexcellit* codd. A I L T Z aa *praecellit*.

[3] Codd. A H K L aa bb *et*.

[4] Codd. K aa bb adiiciunt *est*. In fine solut. pro *debet* edd. cum aliquot codd. *debuit*.

[5] Cfr. supra d. 4. a. 3. q. 1. seq. — Ultima solut. verba *quam feminam* desunt in codd. I L aa; pro *feminam*, quod habent edd. cum codd. A Z bb, alii codd. substituerunt *femineum*.

[6] Vers. 17. — In minori edd. et multi codd. pro *similitudo fraterna* male exhibent *similitudo superna*.

[7] Vide supra d. 3. p. II. a. 1. q. 2. et a. 2. q. 2; II. Sent. d. 31. a. 1. q. 3, a. 2. q. 3. et dub. 2.

nasci, ut sicut sua morte nos a morte damnationis liberavit, sic sua origine nostrae originis vitiositatem sanaret.

3. Item, Christus aequaliter venit ad sanandum utrumque sexum, ergo videtur, quod debuit *utrumque* sexum assumere, vel *ex utroque;* sed non *utrumque*, quia vel in *una* persona, quia tunc esset hermaphroditus [1], quod est abominabile; vel in *duabus*, et tunc esset superfluitas: ergo debuit humanam naturam *ex utroque* sexu suscipere.

4. Item, nobilius principium generationis est vir quam mulier [2]: si ergo alii generantur ex viro et muliere, et Christus ex sola muliere; nobiliori modo sunt alii homines generati quam Christus. Si ergo non decet, ut aliquis ipsum in nobilitate generationis excedat, videtur etc.

Sed contra: 1. Geniti secundum naturalem pro- Fundamenta. pagationem ex viro et muliere contrahunt morbum originalem; sed Christus ab illo morbo debuit esse omnino immunis: ergo non decuit ipsum assumere carnem ex utroque sexu.

2. Item, dignitas praecipue est in Virgine Maria, ut sit mater et virgo: si ergo Christus non debuit Matri dignitatem adimere, sed augere; videtur, quod non debuit ex ipsa nasci per commixtionem [3].

3. Item, Christus venit nos regenerare nova regeneratione et spirituali, ergo novo modo et spirituali nasci debuit; sed modus nascendi de viro et muliere est carnalis et consuetus: ergo etc.

4. Item, si Christus sic esset genitus, ergo haberet patrem in terris et patrem in caelis: si ergo non decet, unum filium habere duos patres, restat, quod non decuit Christum hoc modo assumere carnem [4].

CONCLUSIO.

Non fuisset ita congruum, sicut nunc, Christum accipere carnem vel de viro et muliere, vel etiam de viro tantum.

Respondeo: Dicendum, quod Christus absque Conclusio 1. dubio potuit carnem assumere, si voluisset, de viro et muliere [5], vel etiam de viro tantum, sicut assumsit de muliere tantum. Sicut enim purificavit operatione Spiritus sancti uterum virginalem, sic et purificare et sanctificare potuit, si voluisset, vim generativam in viro pariter et muliere, ut ex eis sanctus et immaculatus nasceretur absque aliqua foeditate. Potuit itaque sine incongruentia, si voluisset, carnem assumere secundum legem naturae institutae de viro et muliere.

Sed tamen non fuisset ita congruum, sicut nunc; Conclusio 2. et hoc multiplici ratione congruentiae, ob quam magis decebat, ut carnem sumeret de sola muliere [6].

Prima est ad servandam *dignitatem Matris*, Ratio 1. quae ob conceptionem Filii Dei non amisit privilegium virginitatis. — Secunda est propter servan- Ratio 2. dam *honorificentiam* Patris; Christus enim secundum generationem aeternam habebat patrem; et cum ille plene sibi sufficeret in caelis, non venit in terris patrem quaerere, sed solum matrem [7], ne duobus patribus filius existens neutrius esset filius plene, et sic iniuria primo patri quodam modo fieret. — Tertia est propter complendam *perfectionem* Ratio 3. *universitatis* in modis educendi hominem in *esse:* quia, cum esset quadruplex modus educendi hominem in *esse*, scilicet de viro et muliere, nec de viro nec de muliere, de viro sine muliere, et de muliere sine viro; tres primi praecesserant; et ideo non restabat, nisi ut Deus quartum modum adderet; quod non fecisset, si alio modo conceptus esset [8]. — Quarta ratio propter *correspondentiam con-* Ratio 4. *gruitatis* lapsus et reparationis, ut, sicut lapsus est factus in utroque sexu, sed primo in muliere est inchoatus et in viro consummatus; sic esset in reparatione, ut mulier credendo et concipiendo inciperet diabolum superare in abscondito, et post eius filius in manifesto eum vinceret in duello, scilicet in crucis patibulo [9]. — Et concedendae sunt rationes, quae adducuntur ad partem istam.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in con- Solutio oppositorum. trarium, quod decuit ipsum per omnia fratribus assimilari; dicendum, quod verum est de his quae ad nostram salutem et eruditionem sunt ordinata; sed talis modus nascendi nec nostrae saluti nec nostrae eruditioni adeo competeret, sicut ille quem Christus elegit; et ideo quantum ad nascendi modum non debuit similari. — *Praeterea*, alia ratio Alia ratio. est: quia nos per modum talem nascendi contrahimus morbum; et Christus ut bonus medicus im-

---

[1] Cfr. August. XVI. de Civ. Dei, c. 8. n. 2, et XII. de Trin. c. 6. n. 8. — Paulo superius post *vel ex utroque* edd. subiiciunt *nasci* et deinde pro *quia tunc* cum aliquibus codd. habent *et tunc*.

[2] Vide supra pag. 111, nota 4. — Paulo inferius post *quam Christus* codd. A G H supplent *fuerit*, et in fine arg. pro *excedat* cod. X substituit *excellat*.

[3] Leo M. Serm. 21 (II. in Nat. Domini) c. 2: Venit enim Dominus Iesus Christus contagia nostra auferre... propter quod oportuit, ut novo nasceretur ordine... oportuit enim, ut primam Genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret... ut virginitas, quae in aliis non poterat salva esse generando, fieret in aliis imitabilis et confitendo et renascendo. — In *maiori* ante *Mater et Virgo* cod. K interserit *simul*.

[4] Cfr. supra pag. 29, nota 9. Eadem sententia edicitur in libro de Fide contra Manichaeos (inter opera August., sed est Evodii), c. 24.

[5] Vat. subiicit *simul*. Paulo inferius pro *potuit* edd. cum cod. cc *potuisset*.

[6] Pro *muliere* cod. K *virgine*. Paulo superius edd. omittunt *ita* ante *congruum*.

[7] De hac August. sententia vide supra pag. 29, nota 9. — Proxime post pro *ne duobus* cod. A *ne in duobus*, cod. aa *ne de duobus*.

[8] Vide August., Serm. 370. (alias 20. de Tempore) c. 1. n. 1. et supra pag. 23, nota 4. — Paulo ante prò *adderet* cod. K *apponeret*.

[9] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. et 3.

munis a morbo debuit esse: hinc est, quod in tali modo nascendi non debuit nobis assimilari nec nobiscum convenire [1].

2. Ad illud quod obiicitur, quod debuit sic nasci, ut nos curaret; dicendum, quod Deus sic venit curare et sic disposuit, ut curaret *personam*, non ut curaret ipsam *naturam*. Unde medicina Christi non habet in nobis efficaciam in actu *generationis*, sed in actu *regenerationis*, quae, inquam, regeneratio non est ex carne et sanguine, sed *ex aqua et Spiritu sancto* [2]. Et ideo non oportuit nec decuit eum sic nasci, sicut nos nascimur, cum illum modum nascendi non disposuerit immutare per suum adventum, ut fides haberet meritum; alioquin deprehenderetur fides per humanum experimentum, sicut alias et in quarto et in secundo [3] fuit ostensum.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod aequaliter venerat salvare utrumque sexum; dicendum, quod verum est; attamen virilem sexum tanquam digniorem quodam modo magis debuit pensare, et sexum virilem assumsit, quia magis competens fuit [4]. Sed quia mulier ab eius redemptionis sufficientia nequaquam erat excludenda; ideo assumsit carnem de muliere. — Ideo dicendum, quod illa divisio non est sufficiens, qua dicit: aut debuit assumere utrumque sexum, aut de utroque sexu. Est enim medium: aut unum de altero, sicut virilem de muliebri; et tunc tantum valet, quantum si de utroque, et amplius concordat rationi rectae.

4. Ad illud quod obiicitur, quod pater est nobilius principium; dicendum, quod Christus Dominus non est absque patre, immo patrem habet Deum aeternum, cuius excellentia et dignitas inaestimabiliter excedit omnem patrem creatum; et ideo, quod alii habent patrem creatum, Christus vero minime, hoc non est propter maiorem dignitatem aliorum respectu Christi. Habet enim Christus aliquem loco patris creati, qui adeo est nobilis, ut *ex ipso nominetur omnis paternitas in caelo et in terris* [5].

DUBIUM CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. unicum.

In parte ista pauca circa litteram quaerenda sunt, pro eo quod satis patent, his visis quae praedicta sunt. Dubitari tamen potest de illa distinctione, quam facit ibi Magister: *Hic distinctione opus est, an de natura intelligatur* etc. Videtur enim, quod distinctio illa nulla sit, quia, ex quo natura illa fuit unita, non potuit non esse unita; sed natura illa unita [6] peccare non potuit: ergo non videtur, quod aliquo modo peccare potuerit. — *Item*, anima illa beata est et non potest non esse beata: ergo si beata anima simpliciter et absolute non potest peccare, videtur similiter, quod nec anima Christi: ergo nulla videtur opus esse distinctione.

Respondeo: Dicendum, quod secundum intellectum quaestionis, quem attendit quaestionem proponens, nullam oportet facere distinctionem, propter hoc quod quaestio est de anima Christi unita, utrum habuerit vertibilitatem arbitrii; verumtamen Magister ex abundanti distinguit ad removendum importunitatem sophistice opponentium; et rationabiliter satis. Cum quaeritur [7], utrum ille homo peccare potuerit; cum verbum *possendi* sit praeteriti temporis, indeterminate potest extendere se ad omne praeteritum: ergo ad tempus *ante* unionem, vel ad tempus *post* unionem. Si ad tempus *ante* unionem, cum ante unionem possibile fuerit, illum hominem creari, et tamen Verbo non uniri; possibile fuit, quod haberet liberi arbitrii vertibilitatem, et ita quod peccare potuerit. Si autem pro tempore *post* unionem, peccare non potuit, quia non potuit non esse beatus, aut non esse Deus, quorum neutrum patitur, in Christo aliquod esse peccatum [8]. Et sic patet totum.

Nota.

Notandum.

---

[1] Vide supra d. 3. p. II. a. 3. q. 2. ad 2. — In fine enuntiati praeced. pro *similari* codd. F U *assimilari*.

[2] Ioan. 3, 5. — Subinde pro *oportuit* non pauci codd. vitiose *oportet*.

[3] Libr. II. Sent. d. 32. a. 1. q. 2, ubi in originali peccato distinguitur corruptio *personae* et *naturae*, et docetur, quod *gratia* directe respiciat corruptionem *personae*, non *naturae*. Rationes huius divinae ordinationis vide IV. d. 1. p. I. a. 1. q. 2.

[4] Ut ostensum est quaest. praeced. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3. — Paulo inferius pro *qua dicit* Vat. *quae dicit*. Circa finem solut. post *utroque* cod. K supplet *esset*.

[5] Eph. 3, 15, ubi Vat. et edd. 1, 2 cum Vulgata *in caelis* pro *in caelo*. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Edd. omittunt *non potuit non esse unita, sed natura illa unita*.

[7] In edd., quae, omissa vocula *Cum*, hanc proposit. cum praecedenti connectunt, legitur sic: *et satis rationabiliter quaeritur... potuerit; quia cum verbum* etc. Paulo inferius pro *vel ad* cod. aa *et ad*.

[8] Cfr. supra a. 1. q. 1; B. Albert., hic a. 6; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

DISTINCTIO XIII.

Cap. Unicum.

De sapientia et gratia Christi hominis, an in eis proficere potuerit.

Praeterea sciendum est, Christum secundum hominem ab ipsa conceptione gratiae plenitudinem recepisse. Cui *spiritus datus est non ad mensuram*, et in quo *plenitudo divinitatis habitat corporaliter*[1]; « ita
Augustinus. vero habitat, ut ait Augustinus ad Dardanum, quod omni gratia plenus est; non ita habitat in Sanctis. Ut in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed
Dubium 1. non quantum in capite; ibi enim et visus est et auditus et olfactus et gustus et tactus, in ceteris autem solus est tactus »: ita et in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis, quia ille est caput, in quo sunt omnes sensus. In Sanctis vero quasi solus tactus est, quibus
Dubium 2. spiritus datus est ad mensuram, cum de *illius plenitudine acceperunt*[2]. Acceperunt autem de illius ple-
Dubium 3. nitudine non secundum essentiam, sed secundum similitudinem, quia nunquam illam eandem essentialiter, sed similem acceperunt gratiam. Puer ergo ille *plenus sapientia et gratia* fuit ab ipsa conceptione. Unde Ieremias recte dicit: *Novum faciet Dominus super terram: mulier circumdabit virum;* quia in utero Virginis perfectus vir exstitit, non solum propter animam et carnem, sed etiam propter sapientiam et gratiam, qua plenus erat.

Huic autem sententiae videtur obviare quod in
Obiectio ex Evangelio. Evangelio Lucae[3] legitur: *Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines.* Si enim proficiebat sapientia et gratia, non videtur a conceptione habuisse plenitudinem gratiae sine mensura. — Ad quod
Solutio et dubium 4. sane dici potest, ipsum secundum hominem tantam a conceptione accepisse sapientiae et gratiae plenitudinem, ut Deus ei plenius conferre non potuerit; et tamen vere dicitur profecisse sapientia et gratia, non quidem in se, sed in aliis, qui de eius sapientia et gratia proficiebant, dum eis sapientiae et gratiae munera secundum processum aetatis magis ac magis pa-
Gregorius. tefaciebat. Unde Gregorius in quadam homilia[4] ait: « Iuxta hominis naturam proficiebat sapientia, non quod ipse sapientior ex tempore esset, qui a prima conceptionis hora spiritu sapientiae plenus permanebat; sed eandem qua plenus erat sapientiam ceteris ex tempore paulatim demonstrabat. Iuxta hominis naturam *proficiebat aetate* de infantia ad iuventutem. Iuxta hominis naturam *proficiebat gratia*, non ipse quod non habebat per accessum temporis accipiendo, sed pandendo donum gratiae, quod habebat. *Apud Deum et homines*[5], quia quantum, proficiente aetate, patefaciebat hominibus dona gratiae, quae sibi inerant, et sapientiae, tantum eos ad laudem Dei excitabat; et sic Deo Patri ad laudem et hominibus ad salutem proficiebat ». *In aliis* ergo, non *in se*, proficiebat sapientia et gratia. Unde in eodem Evangelio[6] puer ille *plenus sapientia et gratia* perhibetur. Sic ergo dicitur profecisse sapientia et gratia, ut aliquis rector ecclesiasticus dicitur proficere in cura sibi credita, cum per eius industriam alii proficiunt.

Alibi tamen scriptum reperitur, quod secundum
Obiectio ex Ambrosio. *sensum* hominis profecerit, sicut *aetate* hominis profecit. Ait enim Ambrosius in libro de Incarnationis dominicae sacramento[7] sic: « Deus perfectionem naturae assumsit humanae. Suscepit sensum hominis, sed non sensu carnis fuit inflatus. Sensu hominis animam dixit esse conturbatam; sensu hominis esurivit et rogavit; sensu hominis profecit, sicut scriptum est: *Iesus proficiebat aetate et sapientia et gratia.* Quomodo proficiebat sapientia Dei? Profectus aetatis et profectus sapientiae non divinae, sed humanae est. Ideo aetatem commemoravit, ut secundum hominem crederes dictum. Aetas enim non divinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat aetate hominis, proficiebat sapientia hominis. *Sensus* autem profecit, et quia *sensus*, ideo *sapientia*. Quis *sensus* proficiebat? Si humanus, ergo ipse susceptus est; si divinus, ergo mutabilis per profectum. Quod enim proficit mutatur in melius, sed quod divinum est non mutatur. Quod ergo mutatur non est divinum. Sensus igitur proficiebat humanus. Sensum ergo suscepit humanum ». « Non poterat confortari virtus Dei, nec crescere Deus, nec altitudo sapientiae Dei impleri. Quae igitur implebatur erat non Dei, sed nostra sapientia. Nam quomodo implebatur, qui, ut *omnia impleret, descendit?* Per quem autem sensum dixit Isaias[8], quod patrem puer nesciebat aut matrem? Scriptum est enim: *Priusquam sciat puer vocare patrem aut matrem, accipiet spolia Samariae.* Sapientiam enim Dei futura et occulta non fallunt. Expers autem agnitionis infantia, per humanam utique imprudentiam, quod adhuc non didicit ignorat. Sed verendum est, inquam, ne, si duos principales sensus, aut geminam sapientiam Christo tribuimus, Christum dividamus. Nunquid, cum et divinitatem eius et carnem adoramus, Christum dividimus? Nunquid, cum in eo imaginem Dei crucemque veneramur, dividimus eum? Apostolus[9] certe, qui de eo di-

---

[1] Ioan. 3, 34, et Coloss. 2, 9. — Locus August. est Epist. 187. (alias 57.) c. 13. n. 40.

[2] Ioan. 1, 16. — Infra respicitur Luc. 2, 40; denique locus Scripturae est Ier. 31, 22.

[3] Cap. 2, 52.

[4] Glossa ad cit. locum attribuitur Gregorio, sed est potius apud Bedam, Hom. in Dominicam I. post Epiph.

[5] Edd., excepta 1, addunt *proficiebat*, refragantibus codd., et similiter infra ante *et hominibus* non bene repetunt *Dei*.

[6] Luc. 2, 40. Vulgata: plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo. — Pro *credita* edd., exceptis 1, 8, *tradita*.

[7] Cap. 7. n. 71. 72, ubi respicitur Luc. 2, 52; seq. locus est ibid. usque ad n. 76. — In codd. et edd., exceptis 8 et Vat., citatur Ambrosii liber sic: *in libro III. de Spiritu S.*, sed sic antiquitus liber citabatur. Plura in utroque textu a Magistro sunt omissa et mutata, plura etiam verba in Vat. et pluribus edd. gratuito addita.

[8] Cap. 8, 4, in quo textu codd. et edd. 1, 2, 3, 4 cum originali omittunt *vocare*. Vulgata: vocare patrem suum et matrem suam. Paulo superius respicitur Eph. 4, 10.

[9] Epist. II. ad Cor. 13, 4; deinde I. Cor. 1, 13, ubi Vulgata: Divisus est Christus?

xit, *quoniam, etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, vivit tamen ex virtute Dei*, ipse dixit, quia *non divisus est Christus*. Nunquid etiam, cum dicimus, quia animam rationalem et intellectus nostri suscepit capacem, dividimus eum? Non enim ipse Deus Verbum pro anima rationali et intellectus capaci in carne sua fuit; sed animam rationalem et intellectus capacem, et ipsam humanam et eiusdem substantiae, cuius nostrae sunt animae, et carnem nostrae similem eiusdemque cuius caro est nostra substantiae suscipiens, perfectus etiam homo fuit».

Haec verba Ambrosii pia diligentia inspicienda Solutio. sunt, quae ex parte hominis ignorantiam instruunt et illuminant, ex parte errandi fomitem male intellecta ministrant. His etenim evidenter traditur, duos in Christo esse principales sensus sive geminam sapientiam. Neque ideo unitas et singularitas personae dividitur, sed iuxta duas naturas duas habet sapientias: unam non creatam, sed genitam, quae ipse est; alteram non genitam, sed creatam et per gratiam ei collatam. Nam Isaias[1] de eo protestatur: *Requiescet super eum spiritus sapientiae et intellectus* etc. Spiritu ergo sapientiae et intellectus, id est sapientia et intelligentia, per Spiritum sanctum gratis data, Christus erat sapiens secundum *animam*. Secundum *Deum* vero sapiens erat sapientia genita[2], quae ipse est. Et sicut, in quantum Deus est, *bonus* est bonitate naturali, quae ipse est, et *iustus* iustitia naturali, quae ipse est; ita *sapiens* sapientia naturali, quae ipse est. Anima vero eius, sicut bona est et iusta bonitate vel iustitia gratis data, quae ipse vel ipsa non est; ita *sapiens* est sapientia gratis data, quae ipsa non est. Et licet gemina in Christo sit sapientia, una tamen eademque persona est, quae, in quantum Deus est, vel in quantum divina natura est, sapiens est sapientia aeterna[3], scilicet sapientia *genita*, id est se ipsa, et sapientia, quae *non* est *genita*, quae communis est tribus personis; non tamen *gemina* sapientia, quia non est alia et alia sapientia sapientia *genita*, quae tantum Filius est, et sapientia, quae *communiter* Pater est et Filius et Spiritus sanctus. In quantum vero eadem persona *homo* est, id est secundum hominem acceptum, vel in quantum est *subsistens ex anima et carne*, sapiens est sapientia *gratuita*. Sapiens igitur est humano sensu et divino.

Sed ex qua causa illius dicti intelligentia, scilicet Alia verba Ambrosii explicantur. «sensus proficiebat humanus», assumenda est? Aperte enim videtur Ambrosius innuere, quod Christus secundum humanum sensum profecerit, et quod infantia eius expers cognitionis fuerit et patrem et matrem ignoraverit; quod nec Ecclesia recipit, nec praemissae auctoritates patiuntur sic intelligi. — Sed ita sane potest accipi, ut quantum ad *visum hominum* et sui *sensus ostensionem* Christus profecisse dicatur. Profi- Dubium 5. ciebat ergo humanus sensus in eo secundum *ostensionem* et *aliorum hominum opinionem*. Ita etiam patrem et matrem dicitur ignorasse in infantia, quia ita se habebat et gerebat, ac si agnitionis esset expers.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XIII.

De humana Christi natura quoad plenitudinem gratiae et sapientiae simul tractatam.

Praeterea sciendum est, Christum secundum hominem etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de humana natura assumta a Christo quantum ad conditionem naturae. In hac vero parte agit de eadem quantum ad plenitudinem gratiae et sapientiae. Dividitur autem pars ista in duas. In quarum prima agit de plenitudine gratiae et sapientiae simul. In secunda vero specialiter de plenitudine scientiae, infra distinctione decima quarta: *Hic quaeri opus est, cum anima Christi* etc.

Prima pars in duas dividitur. In quarum prima determinat veritatem. In secunda removet dubitationem sive dissolvit obiectionem, quae videtur veritati determinatae contraire, ibi: *Huic autem videtur obviare* etc.

Prima pars indivisa potest remanere ob brevitatem; sed secunda pars potest dividi in tres partes. In quarum prima Magister dissolvit et explanat auctoritatem Evangelii, quae contraire[1] videtur praedeterminatae veritati. In secunda vero opponit contra suam solutionem et expositionem per auctoritatem Ambrosii, ibi: *Alibi tamen scriptum reperitur* etc. In tertia et ultima determinat, qualiter praedicta Ambrosii verba sane et pie possunt intelligi, ibi: *Haec verba Ambrosii pia diligentia* etc. Subdivisiones autem partium satis possunt trahi ex littera[2].

---

[1] Cap. 11, 2.

[2] Ita codd. A C D E; cod. B et edd. *aeterna*; pro *ipse est*, quod habent iidem codd. et edd. 1, 8, in aliis *Deus est*.

[3] Sequimur hic bonam lectionem codd. A C D E (B plura omittit). Vat. et edd. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9 ita: *sapientia ingenita, scilicet sapientia aeterna, quae est Pater; et sapientia, quae non est ingenita;* a qua lectione etiam edd. 1, 8 non recedunt, nisi quod in principio legant: *sapientia aeterna, scilicet sapientia ingenita*... Deinde inferius prosequuntur: *sapientia, sapientia ingenita* (ed. 6 *genita*), *quae tantum Filius* (edd. 4, 8 *Pater*), contradicentibus eisdem codd. Manifestum est, lectiones editionum non esse aptas.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Codd. P R U bb *contrariare*.

[2] Pro *satis possunt trahi ex littera* cod. U *manifestae sunt in littera*.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio de gratia Christi, quoniam infra[1] quaeretur de scientia; et cum in praecedentibus habitum sit de gratia unionis, restant hic duo quaerenda.

Primum est de gratia Christi ut singularis personae.

Secundum est de gratia, secundum quam est caput Ecclesiae.

Circa primum tria principaliter sunt quaerenda.

Primum est, utrum gratia singularis personae in Christo sit creata.

Secundo, dato quod sit creata, utrum sit finita et mensurata.

Tertio, dato quod sit finita, quaeritur, utrum sit gratia plena.

ARTICULUS I.

De gratia Christi ut singularis personae.

QUAESTIO I.

Utrum in Christo gratia singularis personae sit creata, vel increata.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum in Christo gratia singularis personae sit gratia creata, vel increata. Et quod sit creata, videtur.

Fundamenta. 1. In nullo incipit habitare Spiritus sanctus nisi per aliquem effectum gratiae, qui de novo detur animae[2]; sed in anima Christi habitavit Spiritus sanctus, et hoc non semper, sed ex tempore: ergo anima Christi habuit in se effectum gratiae, per quem sive secundum quem dicitur Spiritus sanctus inhabitare. Sed illud donum dicitur gratia singularis personae et est donum creatum: ergo etc.

2. Item, nulla anima placet Deo, nisi Deo conformetur et assimiletur per gratiam informantem ipsam et efficientem deiformem; sed gratia animam informans et Deo conformans non potest esse nisi gratia creata: ergo nulla anima Deo placet, nisi gratiam creatam in se habeat. Sed anima Christi Deo placuit[3] per gratiam illam, quam dicimus gratiam singularis personae: ergo etc.

3. Item, meritum dicit ordinationem ad aliquod maius per aliquod, quod reddit Deo acceptum[4]; sed quod reddit acceptum non potest esse sine gratia, quod vero ordinatur ad maius non potest esse nisi creatum: ergo meritum non est nisi per donum gratiae creatae. Sed meritum fuit in Christo: ergo habuit gratiam creatam, per quam meruit; et illa est gratia singularis personae: ergo etc.

4. Item, Christus habuit duas voluntates, sicut inferius[5] patebit, creatam scilicet et increatam, et constat, quod utraque fuit perfecta; sed perfectio voluntatis creatae est per gratiam creatam, quae, inquam, dicitur gratia singularis personae: ergo in Christo non tantum gratiam increatam, sed etiam creatam necesse est ponere.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Gratia creata non est nisi in substantia creata[6]: ergo cum gratia singularis personae sit in persona, gratia singularis personae creata non est nec potest esse nisi in persona creata; sed persona Christi non est creata, sed increata: ergo in Christo non est gratiam creatam reperire, quae, inquam, sit gratia singularis personae.

2. Item, quia Christus est filius naturalis, non potest esse filius per gratiam adoptionis ex parte naturae assumtae[7]: ergo cum Christus sit a Patre dilectus ut persona coaeterna, videtur, quod nulla sit ponenda in eo gratia creata, per quam fiat acceptus ut singularis persona.

3. Item, ad hoc datur nobis gratia singularis personae, ut per illam efficiamur Deo similes; sed ille non tantum est Deo similis, immo etiam Deus: ergo videtur, quod non egeat dono creatae gratiae[8].

4. Item, Verbum increatum, unitum animae Christi et eius potentiis, potest eas efficacissime regere et ad bona perficienda elevare; sed non opor-

---

[1] Dist. 14.

[2] Cfr. I. Sent. d. 17. p. I. q. 1, et II. d. 26. q. 2, ubi pluribus verbis ostenditur, gratiam in anima esse quid creatum; quo dogmate nititur solutio quaestionis, de qua hic agitur. — Pro *detur* edd. *datur*.

[3] Codd. Z aa *placet*.

[4] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 2. q. 1. seqq. et d. 29. a. 1. q. 1. seq. — Pro *ordinationem* cod. K *ordinem*.

[5] Dist. 17. a. 1. q. 1. seqq.

[6] Nam, ut II. Sent. d. 26. q. 3. expositum est, gratia creata est aliquod accidens, quod in Deo inveniri nequit. — Edd. primam conclus. sic truncarunt: *ergo cum gratia singularis personae sit creata, non est vel potest esse* etc. In cod. C sic scriptum est: *ergo cum gratia singularis personae sit creata, gratia singularis personae creata non est* etc., in pluribus aliis codd. sic: *ergo singularis personae creata non est* etc.

[7] Cfr. supra d. 10. a. 2. q. 1.

[8] De hoc arg. vide supra d. 2. a. 3. q. 2.

tet fieri per plura quod sufficienter et perfecte fieri potest per pauciora[1]: videtur ergo, quod in Christo non sit ponenda gratia creata.

CONCLUSIO.

In Christo ponendum est donum gratiae, quae dicitur singularis personae, et quae est donum creatum.

RESPONDEO: Dicendum, quod absque dubio in Conclusio. Christo est ponere *donum* gratiae, quae quidem gratia dicitur gratia singularis personae; et hoc quidem donum esse *creatum*[2]. — Et ratio huius est: Ratio pro 1. membro. quia tale donum gratiae animam Deo assimilat et ad bonas operationes et meritorias elevando habilitat. Quoniam igitur anima Christi fuit deiformis et ad bene operandum habilis, alioquin nec fuisset idonea ad unionem nec ad meriti perfectionem[3]; ideo necesse fuit, in Christi anima reperiri *donum* talis Pro 2. membro. gratiae. — Et ex eadem causa necesse fuit, ipsum esse *creatum*, ut *animam* posset *informare*, tanquam perfectio suum perfectibile informare habet, et ut *potentias habilitare* posset, sicut qualitas suum subiectum habet qualificare[4]. — Et ideo sunt concedendae rationes hoc ostendentes.

1. Ad illud autem quod primo obiicitur, quod Solutio oppositorum. gratia singularis personae creata est in persona creata; dicendum, quod gratia *singularis personae* Notandum. non dicitur, quod sit in persona secundum rationem *personalitatis*, in quantum persona, sed quia inest ei ratione alicuius *partis;* ita tamen, quod gratia sic dicta respicit illius personae merita propria. Quamvis autem in Christo sit personalitas increata, tamen illa persona habet naturam creatam, animam videlicet et carnem; et nihil impedit, quin gratia creata possit esse in Christo secundum eius animam, quae creata est, et quae est eius pars ratione humanae naturae. Ipse autem obiicit, ac si talis gratia esset in persona non ratione alicuius *partis*, sed ratione *personalitatis*.

2. Ad illud quod obiicitur, quod filiatio adoptionis non potest stare cum filiatione per naturam etc.; dicendum, quod non est simile, quia *filiatio* est proprietas, quae respicit ipsam personam[5]; et iterum *adoptio* importat aliquam *extraneitatem* et *imperfectionem;* et sic non est de gratia singularis personae, quae respicit ipsam animam, et non *imperfectionem* et *extraneitatem*, sed magis *completionem* et *deiformitatem* importat. Et propterea Notandum. nullam omnino habet oppositionem ad illam *aeternam acceptationem*, sicut adoptio respectu filiationis naturalis. Et ideo non est simile.

3. Ad illud quod obiicitur, quod cum Christus sit Deus, non indiget Deo assimilari; dicendum, quod ille non esset Deus, nisi corpus eius et anima assumeretur a Verbo; nec anima esset idonea, ut assu- Notandum. meretur a Verbo, nisi esset deiformis et Deo assimilata perfecte per gratiam: et ideo hoc, quod ille homo est Deus, deiformitatem gratiae et gloriae *non excludit*, quin potius *praesupponit*. Et *si tu obiicias* de carne, ad quam non requiritur gratuita dispositio ad hoc, quod uniatur Verbo; ad hoc fuit supra[6] responsum, quoniam caro habet congruentiam ad unionem ex ordinatione sui ad animam. Ideo non oportet, quod dispositionis congruentia reperiatur primo in carne, sed sufficit, quod sit ex parte animae.

4. Ad illud quod obiicitur de Verbo unito, quod potest regere; dicendum, quod verum est, quantum est ex parte ipsius *Verbi uniti*, sed defectus est ex Notandum. parte *liberi arbitrii*, quod indiget debita dispositione ad hoc, quod regimini ipsius Verbi se valeat conformare; indiget etiam dispositione debita, ut possit ipsi Verbo uniri in una persona. Unde absque dubio deiformior est illa anima per abundantiam gratiae sibi datam, quam sit alia creatura, ad hoc quod ad unionem sit idonea. — Ad haec autem intel- Nota. ligenda valent illa quae determinata sunt in primo libro[7] de caritate, et in secundo de gratia, ubi ostensum est, quae necessitas vel utilitas est ponere gratiam creatam.

SCHOLION.

1. Communiter distinguitur in Christo quadruplex gratia, scilicet secundum quod est *singularis* homo (de quo agitur in hoc articulo), secundum quod est *caput* Ecclesiae (de quo disputatur in 2. art.), porro *gratia unionis* (de qua supra d. 6. a. 2. et passim), denique *gratia gratis data*. — Iam notavimus (supra d. 2. a. 3. q. 2, d. 4. a. 2. q. 3.), quod ab Alexandro

---

[1] Aristot., VIII. Topic. c. 4.) (c. 9.): Est autem... peccatum, quando ostenditur per longiora quod contingit per breviora. Cfr. I. Physic. text. 41. (c. 6.), et tom. II. pag. 741, nota 4. nec non pag. 778, nota 2. — Paulo superius pro *bona perficienda* codd. W bb *bonum perficiendum*.

[2] Edd. *et haec quidem donum est creatum*, et post pauca pro *elevando* cum paucis codd. *exercendas*. Mox pro *bene operandum* codd. A N *bonum operandum*

[3] Cfr. supra d. 2. a. 3. q. 2. — Mox pro *donum talis gratiae* cod. W *tale donum gratiae*. Paulo inferius pro *perfectio*, quae lectio confirmatur codd. P Q U bb (N a secunda manu), codd. B C D M O *perfectivum*, alii codd. atque edd. 1, 2 *perfectum*, Vat. *perfectissimum*. Subinde post *suum perfectibile* Vat. subdit *quod*, et edd. 1, 2 cum cod. K omittunt *informare habet*.

[4] Aristot., de Praedicam. c. *de Quali:* Qualitatem vero dico, secundum quam quales quidam esse dicuntur.

[5] Vide supra d. 8. a. 2. q. 2. De enuntiato seq. cfr. supra d. 10. a. 2. q. 1. — Post *personam*. codd. K O addunt *et non imperfectionem, et sic non est de gratia*. Mox pro *et sic non est* codd. A bb *sed non sic est*.

[6] Dist. 2. a. 3. q. 1. — Paulo inferius pro *habet* edd. *habuit*, et deinde cum aliquot codd. *ex ordine* pro *ex ordinatione*. Cod. K *ad ipsam animam* pro *ad animam*.

[7] Dist. 17. p. I. q. 1, et II. Sent. d. 26. q. 2.

Hal. (S. p. III. q. 12. m. 1. a. 1.) distinguitur duplex gratia unionis, scilicet gratia unionis *disponens*, quae est creata, et *complens* sive perficiens, quae est increata. Nec S. Thom. abhorret ab hoc usu nominis, in Comment. (hic q. 3. a. 1.) dicens, gratiam unionis posse vocari « omne illud quod decet naturam humanam Deo unitam, sic ex parte corporis, sicut ex parte animae; et sic etiam gratia unionis est quid creatum ». Eodem modo loquuntur S. Bonav. (passim, ut locc. citt. et infra a. 2. q. 2.) aliique antiqui. — De relatione, quae est inter tres priores species gratiae, cfr. infra a. 2. q. 1. 2.

Duo autem omnino constant, scilicet *primo*, quod anima Christi ornata fuit habitu gratiae *creatae* et *accidentalis*, licet hoc antiquitus a paucis obscuris theologis negatum esse dicatur; *secundo*, quod in Christo ratione divinae personae fuit sanctitas *increata*, *substantialis* et *personalis*. Facile etiam intelligitur, hanc gratiam substantialem personae vi unionis hypostaticae esse quasi *radicem* nec non *causam efficientem* gratiae creatae, quae ab ipsa oritur, dependet, dignificatur et quasi informatur. — Attamen quoad sanctificationem ipsius animae Christi ab antiquo fuit celebris controversia, et quoad subtiliores quaestiones variae inter posteriores theologos ortae sunt opiniones. De quibus haec notamus.

II. 1. Nunc communiter *sanctificatio substantialis* sive *unctio substantialis*, qua anima Christi fit absolute sancta, distinguitur a sanctificatione *accidentali* vi gratiae habitualis. Haec autem sanctitas *substantialis* non intelligitur in hoc sensu, quasi anima secundum suam *substantiam* vel essentiam sit sancta, sed in hoc, quod habeat sanctitatem substantialem sibi unitam in *esse personali*. Ipsius Scoti discipulus Frassenius (Scotus academicus, de incarn. tr. 1. disp. 2. a. 2. sect. 1. q. 1.) defendit hanc conclusionem: Anima Christi Domini, seclusa omni gratia, tam actuali quam habituali, revera erat sancta, Deo grata et accepta in ordine ad beatitudinem per sanctitatem *personalem* ac *substantialem* ». Huic contradicit Durand. (III. Sent. d. 12. q. 2.), sanctificationem restringendo ad gratiam creatam, simulque nititur subvertere fundamentale principium: Actiones sunt suppositorum, quasi hoc intelligendum sit tantum secundum *denominationem*; quod est contra S. Thom. (S. III. q. 7. a. 13.) aliosque. Etiam plurimi inter Scotistas et Nominales sanctificationem *humanitatis* substantialem, saltem in sensu formali, negabant, atque verba Ss. Patrum, quod humanitas Christi a divinitate fuerit sanctificata, uncta, deificata (θεωθεῖσα), explicabant in sensu *causali*, vel *morali*. Qui autem proprie sanctificationem substantialem admittunt, iterum dissident in ulteriori quaestione, utrum haec sanctificatio formaliter sit a *natura* divina, an a *personalitate* Verbi seorsim, an ab *utraque* coniunctim, an ab ipsa *unione hypostatica*, prout dicit nexum divinitatis cum humanitate (pro qua parte De Barberiis explicat S. Bonaventuram).

2. Scoti igitur discipuli cum Richardo a Med. et aliis non paucis contendebant, Christi humanitatem sanctificari *formaliter* per gratiam habitualem, non vi unionis hypostaticae nisi *causaliter* et *moraliter*; ex quo concludebant, gratiam habitualem fuisse *necessariam*, ut anima Christi sanctificetur *formaliter*. Idem provocant ad ipsius S. Thomae verba (hic q. 1. a. 1.), qui loquens de necessitate gratiae, ut anima Christi perficiatur formaliter in *esse* spirituali, subiungit: « Deitas autem non est *formaliter*, sed *effective* perficiens ipsam; unde oportet aliam formam creatam in ipso ponere, qua *formaliter* perficiatur; et haec est gratia ». Et ibidem ad 3: « Lux solis et lux candelae, utrumque est active illuminans; sed Deitas et gratia non sic se habent, sed unum illuminat active, alterum formaliter ». Sed cum haec dicta sint contra eos qui gratiam habitualem Christo omnino denegant, alii videntur verba *non formaliter* interpretari de tali perfectione formali, quae fit per formam *inhaerentem*. — Nonnulli admittunt quidem, quod divinitas per se ipsam, quatenus personaliter unitur animae Christi, eam sanctificet, sed *extrinsecus* tantum et *moraliter*, non *intrinsecus* et *physice*. — Alii denique ponunt, vi unionis hypostaticae cum Verbo animam Christi sanctificari non tantum *radicaliter* et *causaliter*, vel *moraliter* et *extrinsecus*, sed etiam *formaliter*, *intrinsecus* et *physice*. Hoc autem explicant docentes, quod sanctitas substantialis modo eminentissimo idem praestat et amplius, quod forma creata sanctitatis, licet non sit forma inhaerens. Et pro confirmatione haec addunt: sicut anima Christi per subsistentiam Verbi est *formaliter subsistens*, quin ista subsistentia ei uniatur ut forma inhaerens et proprie informans; sic eadem est *formaliter sancta* per communicationem sanctitatis divinae, quin haec subeat imperfectionem formae inhaerentis. Hic ultimus modus dicendi videtur conformior esse verbis Ss. Patrum, praesertim Graecorum.

3. Qui putant, quod anima Christi vi unionis non sanctificetur *formaliter*, absolutam necessitatem gratiae habitualis statuunt, ut anima Christi sit *formaliter* sancta. Etiam contrariae sententiae patroni quandam eiusdem necessitatem admittunt ad hoc, ut sanctitas Christi sit *completa* et *consummata* ex parte naturae humanae, et ut anima eius tanquam *principium quo* operandi connaturaliter eliciat actus ordinis supernaturalis et meritorios. In hoc autem sensu loquitur S. Bonav. (et similiter S. Thom.) de necessitate huius gratiae creatae, ut patet ex eiusdem doctrina supra d. 2. a. 3. q. 2. et d. 4. a. 2. q. 3. explicata.

III. S. Bonav. hic non intendit nisi probare, sanctitatem *creatam* Christo inesse; de praedicta controversia, per quid anima Christi *formaliter* sanctificetur, explicite non loquitur, immo de ipsa sanctitate substantiali cum aliis antiquis Scholasticis distinctam quaestionem non habet. Nihilominus satis mentem suam manifestat in favorem eiusdem hic solut. ad 2. 3. et a. 2. q. 1. 2, nec non supra d. 4. dub. 4, d. 12. a. 2. q. 1. Idem docet Alex. Hal., S. p. III. q. 8. m. 3. a. 4. in fine, q. 11. m. 3. et q. 12. m. 1. a. 1. Nec dissentit S. Thomas, S. III. q. 7. a. 1. et 13; tamen quoad *ordinem*, qui est inter gratiam unionis et habitualem, explicite docet, illam *ratione* sive *natura* esse priorem.

IV. De ipsa quaestione praeter locos citatos: Scot., Report. III. Sent. d. 18. q. 3. et (de formali sanctificatione) d. 2. q. 1. n. 3. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Henr. Gand., Quodl. 13. q. 5. — Durand., de hac et 2. seqq. qq. hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et 2. seqq. qq. hic q. 1. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

QUAESTIO II.

Utrum in Christo sit gratia finita, vel immensa.

Secundo quaeritur, utrum in Christo sit gratia finita, vel immensa. Et quod in Christo fuerit gratia sine mensura, videtur sic:

1. Ioannis tertio[1]: *Non ad mensuram dat Deus spiritum;* et Augustinus dicit, quod illi homini datus est Spiritus non ad mensuram; sed quod caret mensura est immensum et infinitum: ergo etc. Ad oppositum.

2. Item, Magister in littera[2]: « Sane dici po-

[1] Vers. 34. — August. in hunc loc. (tr. 14. n. 10.) ait: Hominibus ad mensuram dat, unico Filio non dat ad mensuram... Christus, qui dat, non ad mensuram accipit. Cfr. 1. Retract. c. 19. n. 3, et hic lit. Magistri, in principio.

[2] Hic circa initium. — In *minori* pro *sed omni finito potest* edd. cum pluribus codd. *sed cum finito possit* (edd. 1, 2 *potest*).

test, ipsum tantam gratiae accepisse plenitudinem, ut ei conferre Deus plenius non potuerit»; sed omni finito potest Deus aliquid maius facere: ergo videtur, quod ille acceperit gratiam infinitam.

3. Item, tanta est gratia, quantum est meritum procedens ex ipsa; sed meritum Christi fuit infinitum, quia nullatenus potest exhauriri, et suffecisset infinitis millibus hominum, sicut dicit Anselmus[1]: ergo gratia, per quam meruit, videtur habere immensitatem.

4 Item, finitum non excedit aliud finitum in infinitum in eodem genere: si ergo gratia Christi est finita, ergo proportionaliter excedit gratias aliorum hominum: ergo si alii homines possent[2] continue proficere, videtur, quod Christo possent adaequari per gratiam et ipsum excedere. Quodsi nullus unquam ad perfectionem eius potest attingere, quantumcumque proficiat; videtur, quod eius gratia sit immensa.

5. Item, tanta est gratia disponens, quantum est, illud ad quod disponit secundum rectam habitudinem et proportionem; sed gratia illius hominis disposuit ipsum ad hoc, quod esset Deus[3]; gratiae aliorum hominum disponunt ad hoc, quod fruantur Deo: si ergo *esse Deum* est bonum infinitum, et maius in infinitum *esse Deum* quam *habere Deum;* videtur, quod gratia illius hominis sit infinita in se et quod omnes gratias in infinitum excedat.

6. Item, anima Christi aut *potest* ampliorem gratiam desiderare, aut *non*. Si *potest* desiderare ampliorem gratiam: ergo videtur, quod non sit perfecta, cum ei possit fieri additio[4]. Si *non potest:* cum ergo omni finito possit aliquid maius desiderari, videtur, quod eius gratia sit immensa.

Sed contra: 1. Omne creatum habet certum Fundamenta pondus, numerum et mensuram, secundum illud quod dicitur Sapientiae undecimo[5]; sed gratia illius hominis, scilicet Christi, est creata: ergo etc.

2. Item, quamvis gratia non semper respondeat naturalibus per *aequalitatem*, respondet tamen secundum debitam *proportionem*, ubi non est defectus a parte suscipientis[6]; sed naturalia Christi non sunt infinita nec excedunt in infinitum naturalia cuiuslibet hominis: ergo nec gratuita. ...

3. Item, infinitas in creatura tollit bonum et perfectionem, quia quod est infinitum caret fine et termino[7], ergo bonitate et complemento; sed gratia Christi haec duo praecipue habuit: ergo videtur, quod conditio finitatis ei praecipue competat.

4. Item, infinito nihil maius est[8]: ergo si gratia Christi, secundum quod homo, esset infinita; ergo gratia increata non esset maior illa: ergo Creator et creatura aequarentur in nobilitate et excellentia; quodsi hoc est impossibile. restat etc.

Conclusio.

Gratia Christi, secundum quod homo, in se considerata est finita; tamen in comparatione ad gratias aliorum hominum excedit in infinitum.

Respondeo: Dicendum, quod aliquid *mensura carere* sive *immensum esse* dupliciter est: vel *absolute in se*, vel *in comparatione*. Si igitur loquamur de gratia Christo collata, secundum quod est singularis persona, *in se;* sic, cum dicat donum creatum, necessario finitum est et mensuratum. Finitas enim et mensuratio circa creaturam potius dicit complementum quam imperfectionem[9]. — Si autem loquamur de ipsa *in comparatione* ad gratias aliorum hominum; sic improportionabiliter excedit ratione unionis ad personam Verbi, ad quam unionem gratia illa disposuit animam Christi. Gratia enim illa propter coniunctionem summam cum Verbo aeterno habet excedere in infinitum, id est incommensurabiliter, gratias aliorum hominum tripliciter, scilicet quantum ad virtutum *habitus* et quantum ad *usus* et quantum ad *effectus*. Quantum ad *habitus:* nunquam enim aliqua creatura potest tantum proficere, quod tam nobilis et perfecti habitus sit capax, sicut anima coniuncta Deo in unitate personae. — Quantum ad *usus* virtutum: quia omnes virtutes in Christo habuerunt usus suos, qui spectant ad perfectionem; et propterea dicuntur fuisse in eo *omnes sensus*[10], quia usum habuit completum omnium donorum excellentiori modo, quam unquam ad hoc pertingi possit ab aliquo. — Quantum ad *effectum* similiter improportionabiliter excedit gratia Christi: quia propter hoc, quod ille homo erat Dei Filius, meritum illius pensatur secundum dignitatem illius personae, a qua exit opus; et propterea meritum passionis suae in infinitum excedit merita passionum nostrarum; et ob hoc, quod Deus erat, mors eius pensata fuit a Deo, quantus erat ille qui moriebatur. Et ideo quantum ad sufficientiam, si infinita millia hominum essent reatu originalis astricta, per illius passionis effectum potuissent esse liberata.

Distinctio. Conclusio 1. Conclusio 2. Triplex excessus. Quoad habitus. Quoad usus. Quoad effectus.

---

[1] Libr. II. Cur Deus homo, c. 14.

[2] Non pauci codd. *possint.*

[3] Cfr. supra pag. 173, nota 6. et d. 2. p. 3. q. 2. in corp.

[4] Secundum Aristot., V. Metaph. text. 21. (IV. c. 16), perfectum dicitur extra quod non est ullam accipere particulam. Cfr. III. Phys. text. 63. seqq. (c. 6.).

[5] Vers. 21: Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.

[6] Cfr. II. Sent. d. 9. q. 3.

[7] Cfr. Aristot., III. Phys. text. 63. seqq. (c. 6.), et II. Metaph. text. 8. (I. brevior c. 2.).

[8] Cfr. Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 130. (c. 12.).

[9] Vide I. Sent. d. 43. q. 3. — Paulo superius pro *sic cum dicat* non pauci codd. et edd. 1, 2 *sic cum dicit*, codd. A H bb *sic cum sit.* Paulo inferius pro *ad gratias* codd. A G H K T *ad gratiam*, et inferius etiam pro *id est* edd. cum paucis codd. *et.*

[10] Cfr. hic lit. Magistri, in principio et Bonav. infra a. 2. q. 1. — Mox pro *ad hoc* edd. *adhuc.*

Concedendum est igitur, quod gratia Christi, secundum quod homo, est finita et mensurata, quia creata est in numero, pondere et mensura. Et concedendae sunt rationes ad partem istam.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud autem quod obiicitur primo, quod datus est Christo spiritus non ad mensuram; dicendum, quod si intelligatur de datione *aeterna*, vel

Notandum.

de datione per *idiomatum communicationem*, tunc privatur ibi mensura *simpliciter*. Si autem per *spiritum datum* intelligamus ipsam donationem *donorum Spiritus sancti*, sic non privatur ibi mensura *simpliciter*, sed commensuratio *respectu nostri*, quibus datur Spiritus sanctus ad usus aliquorum donorum determinate secundum spiritus destributionem, quemadmodum dicitur primae ad Corinthios duodecimo [1]: *Alii datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae* etc. Sed Christo omnia data sunt illa dona sine aliqua arctatione; et pro tanto dicitur ei dedisse spiritum sine mensura.

Tripliciter intelligitur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Deus non potuit dare plenius; dicendum, quod Deus non possit aliquid maius facere [2], hoc potest intelligi triplici ex causa: quoniam aut est ratio ex parte Dei *operantis*, aut ex parte *producti*, aut certe propter *limitationem suscipientis*. Cum ergo dicitur, quod non potuit plenius conferre, hoc non est intelligendum propter *immensitatem rei collatae*, vel *finitatem divinae potentiae*,

Notandum.

sed propter *limitationem potentiae susceptivae*, quia, cum sit creata, est capacitatis finitae et non potest nisi finitum suscipere [3]. Et *si tu obiicias*, quod potuit dare capacitatem maiorem; dicendum, quod necesse est, quod creatura, eo ipso quod *creatura* est, habeat capacitatem finitam; et rursus, quia creatura est *in tali specie* vel genere, limitationem habet, ultra quam genus illud vel species se non potest extendere. Et sic in proposito intelligendum est.

3. Ad illud quod obiicitur, quod meritum Christi est infinitum; dicendum, quod infinitas meriti

Notandum.

consurgit ex unione illius animae ad personam divinam — ob quam unionem non tantum homo, sed etiam Deus mori dicitur — propter quod meritum illud est infinitum, non ratione gratiae *creatae in se*, sed ratione infinitae *dignitatis personae*. Unde et hoc vult Anselmus [4] dicere, cum dicit, quod oportuerit illum qui satisfacere posset, esse Deum et hominem.

4. Ad illud quod obiicitur, quod finitum non excedit aliud finitum nisi finite; dicendum, quod illud habet veritatem, quando omnino sunt eiusdem

Notandum.

generis; nam si non sunt eiusdem generis proximi, falsitatem habet, sicut patet, quod linea in infinitum excedit punctum, et superficies lineam [5]. Gratia autem Christi non tantum disponit ad *fruitionem*, secundum quod aliae gratiae, verum etiam ad *unionem*. Et hinc est, quod cum *uniri cum deitate* sit novus et singularis modus divinae existentiae et habitationis in creatura, quantum ad hoc potest attendi excessus sine mensura.

5. Ad illud quod obiicitur, quod tanta est gratia, quantum est illud, ad quod disponit; dicendum, quod illud habere potest veritatem, si dispo-

Notandum.

nat per modum *necessitatis* sive condignitatis [6], sicut meritum ad praemium; sed gratia singularis personae disponit ad unionem dispositione *congruitatis*. Illa enim unio non tantum *gratuita* fuit, sed inter omnes gratias, ut dicit Augustinus, potissime tenuit rationem *gratiae*, sicut habitum est supra distinctione quarta [7], quia nulla merita sufficientia potuerunt eam praevenire. Propter hoc non oportet, quodsi *esse Deum* sit bonum infinitum simpliciter, quod gratia ad hoc praeparans sit infinita. — Posset etiam

Alia solutio.

et aliter dici, quod *esse Deum* dupliciter dicitur de aliquo: aut praedicatione per *essentiam*, aut per *unio-*

Distinctio.

nem [8]. Si praedicatione per *essentiam*, tunc praedicatum praedicat infinitum bonum *in rectitudine*. Si per *unionem*, tunc praedicat infinitum bonum non circa illud, *de quo* praedicatur, sed circa illud *quod* praedicatur. Unde cum dicitur: iste homo est Deus, vel: iste homo est bonum infinitum, idem est, ac si diceretur: iste homo est unitus Deo immenso in unitatem personae; et tamen homo remanet in sua finitate, et Deus in sua immensitate. Quamvis enim humana natura exaltetur, non tamen desinit esse creatura.

6. Ad illud quod quaeritur, utrum anima Christi possit ampliorem gratiam appetere; dicendum, quod non, quia adeo per illam gratiam Deo unita [9]

---

[1] Vers. 8. — Superius post *ipsam donationem* cod. O adiicit *creatam vel temporalem*. In fine solut. pro *dicitur ei* [complures codd. perperam *eis*] *dedisse spiritum* edd. *dicitur ei datus spiritus*.

[2] Edd. *quod Deum non posse aliquid plenius vel maius dare vel facere*. Paulo inferius pro *suscipientis* cod. M *potentiae susceptivae*. Deinde post *plenius* cod. N supplet *ei*.

[3] Cfr. I. Sent. d. 2. q. 1. ad 4, d. 17. p. II. q. 4. in corp., d. 44. a. 1. q. 3. ad 1.

[4] Libr. II. Cur Deus homo, c. 6. — Paulo superius pro *mori* edd. *mereri*.

[5] Num punctus est absque dimensione; linea vero extenditur in longum, neque unquam ex punctis fieri potest linea, neque ex lineis superficies. Quod respiciens Aristot., IV. Phys. text. 71. (c. 8.) docet, lineae ad punctum *nullam* esse proportionem excessus, cum omnino differant. Cfr. I. Metaph. text. 43. (c. 9.), et lib. de Lineis insecabilibus. — Paulo superius post *omnino sunt eiusdem generis* Vat. supplet *proximi*. In fine solut. pro *sine mensura* edd. cum paucis codd. *sive mensura*. — De singulari modo existentiae divinae cfr. supra d. 6. a. 2. q. 2.

[6] Vat. *condignationis*, edd. 1, 2 perperam *congruitatis*. Mox pro *congruitatis* cod. U *congruentiae*.

[7] Art. 2. q. 1. — Verba Augustini ibid. q. 2. arg. 1. et 3. ad oppos., nec non lit. Magistri, c. 2.

[8] De divisione praedicationis hic relata, nec non de subnexis cfr. supra d. 7. a. 1. q. 1. — Mox pro *tunc praedicatum praedicat infinitum bonum* edd. *tunc infinitum praedicat bonum*, codd. A H *tunc praedicat infinitum bonum*. Plurimi autem codd. non bene omittunt *infinitum* ante *bonum*. Aliquanto inferius pro *in unitatem* cod. G *in unitate*.

[9] Non pauci codd. falso *unitus*. Inferius pro *omni finito* bene multi codd. *cum finito*.

est, ut omnis eius appetitus sit in ipso bono immenso quietatus et terminatus quietatione perfecta. — Quod ergo *obiicit*, quod omni finito potest aliquid maius appeti; dicendum, quod verum est de finito *in se*, sed de illo finito, quod *ordinat* et unit bono infinito iunctura et ordinatione perfecta, non habet veritatem, quia quietare potest et stabilire ratione eius *a quo* et *ad quod*. Unde sicut gratia, quamvis sit vanitas, in quantum creatura, habet tamen animam stabilire ratione eius boni, a quo procedit et a quo non separatur nec recedit [1], sic etiam quietare potest ratione eius, cui immediate et inseparabiliter coniungit.

Notandum.

SCHOLION.

1. Communiter theologi in duobus consentiunt, scilicet quod gratia creata Christi non sit *infinita* in ratione *entis* et *qualitatis* nec possit dici *simpliciter infinita*; item, quod sola anima Christi habeat *simpliciter plenitudinem gratiae*, ita ut de facto ei collata sit *summa* gratia et *quodam modo infinita*. In explicatione secundae propositionis non conveniunt theologi, praesertim in solvenda quaestione, utrum gratia Christi augeri possit. S. Bonav. cum B. Alberto, Richardo a Med., Scoto, Durando (hic q. 1.), Caietano aliisque docet, gratiam Christi *absolute* non posse augeri, tum ex natura ipsius gratiae tum ex parte capacitatis subiecti (cfr. hic praesertim fundamenta, solut. ad 2, et I. Sent. d. 17. p. II. q. 4.). Etiam S. Thom. (S. III. q. 7. a. 12.) explicite dicit: « Sic igitur manifestum est, quod gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiae, sed neque ex parte subiecti ». In Comment. (hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2.) de gratia creata dicit, quod licet secundum essentiam sit finita, tamen dici possit infinita tripliciter, tum ex coniunctione ad divinitatem, tum secundum rationem gratiae, tum quoad effectus. Et ibid. quaestiunc. 3. disertis verbis dicit, quod gratia Christi crescere non potuit. Etiam Quaest. disp. de Verit. q. 29. a. 3. concludit, gratiam Christi esse in *perfectione gratiae* infinitam. Nihilominus discipuli S. Thomae in vera ipsius mente explicanda non consentiunt. Plurimi autem eorum putant, praedicta debere intelligi solummodo de potentia Dei *ordinaria*, non de *absoluta*.

II. Alex. Hal., de hac et seq. q. S. p. III. q. 12. m. 3. a. 1. — Scot., de hac et seq. q. in utroque Scripto hic q. 1-4. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2.

III. In responsione ad seq. (3.) quaestionem omnes antiqui consentiunt, simulque docent, hanc plenitudinem gratiae simul cum visione beatifica ab instanti conceptionis fuisse in Christo consummatam eique soli propriam. De hac quaestione: S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1; S. loc. cit. a. 9. 10. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., loc. cit. q. 3.

QUAESTIO III.

Utrum gratia singularis personae in Christo fuerit plena gratia atque perfecta.

Tertio quaeritur, utrum gratia singularis personae in Christo fuerit gratia plena atque perfecta. Et quod sic, videtur.

1. Isaiae undecimo [2]: *Replebit eum spiritu timoris Domini* — dicitur de Christo; constat, quod secundum humanam naturam — sed cetera dona gratiae sunt aequalia: ergo pari ratione replevit ipsum spiritu amoris, gratiae, et sic de aliis. Sed dona talia spectant ad gratiam singularis personae: ergo etc. Fundamenta.

2. Item, Ioannis primo [3]: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis;* sed Christus secundum divinam naturam non est susceptibilis gratiae, immo eius principium effectivum: ergo hoc dicitur secundum humanam naturam, quod habuerit in se gratiam plenam.

3. Item, capacitas carens plenitudine caret et perfectione, ergo ubi est ponere perfectionem est ponere plenitudinem; sed in Christo, secundum quod est singularis persona, est ponere omnimodam perfectionem virtutis et gratiae [4]: ergo et gratiae plenitudinem.

4. Item, nullus potest aliis gratiam perfecte communicare et influere sine defectu et diminutione, nisi prius in se perfectam habeat gratiae plenitudinem; sed *de Christi plenitudine omnes accepimus* [5], et omnes, si plures essent, possent accipere, nec aliquis defectus intervenit: ergo videtur, quod Christus in se plenitudinem gratiae habuerit.

Sed contra: 1. Plenitudo gratiae consistit in omnibus habitibus virtutum; sed Christus non habuit fidem et spem [6]: ergo Christus non habuit omnis gratiae plenitudinem. Ad oppositum.

2. Item, status viatoris est ordinatus ad proficiendum; sed Christus fuit in statu viatoris: ergo potuit proficere [7]. Sed qui potest proficere in gratia nondum est gratia plenus: ergo videtur, quod Christus in hac vita plenitudinem gratiae non habuerit.

3. Item, Filius Dei ideo naturam humanam as-

---

[1] Respiciur illud Rom. 8, 20: *Vanitati enim creatura subiecta est*, et illud Hebr. 13, 9: *Optimum est enim gratia stabilire cor*. Cfr. II. Sent. d. 26. q. 2. arg. 8. ad oppos.

[2] Vers. 3. Vulgata: Replebit eum spiritus etc.

[3] Vers. 14. — In fine arg. pro *quod habuerit* codd. N T U V *quod habuit*, cod. Z *ergo habuit*.

[4] Cfr. quaest. praeced.

[5] Ioan. 1, 16. Cfr. infra a. 2. q. 1. — Mox pro *possent* non pauci codd. *possunt*, subinde pro *nec* cod. K *nisi*, et in fine arg. pro *habuerit* iidem codd. *habuit*.

[6] Vide infra d. 31. a. 2. q. 2. ad 1. — In *maiori* cod. A pro *in omnibus habitibus* substituit *in habitibus omnium*.

[7] Luc. 2, 52: Et Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines. — In fine arg. pro *habuerit* non pauci codd. *habuit*.

sumsit, ut daret nobis exemplum perveniendi ad patriam; sed via perveniendi ad gloriam est per ascensum de virtute in virtutem [1]; sed qui de virtute in virtutem ascendit proficit paulative et non habet gratiae plenitudinem: ergo etc. *Si dicas*, quod Christus videbatur proficere exterius, sicut dicit Gregorius et Magister [2], et ideo exemplum dabat; *contra*: aut ergo secundum *veritatem* proficiebat interius, aut *non*. Si *sic*: ergo non erat plenus gratia. Si *non*: ergo aliter ostendebat, quam res se haberet: ergo mendax erat. Sed hoc est inconveniens circa ipsam veritatem mendacium ponere: ergo etc.

4. Item, Christus multa bona opera faciebat, aut ergo veraciter in eo *crescebat* donum gratiae, aut *non*. Si *non*: ergo cum bonitas operum ordinetur ad profectum spiritus, frustra operabatur. Si *proficiebat*: ergo a plenitudine deficiebat.

5. Item, sicut anima Christi unita fuit Deitati, ita et corpus; et sicut ad perfectionem unionis requiritur perfectio gratiae, ita ad perfectionem naturae perfectio aetatis; sed Christus secundum corpus crescebat veraciter et implebatur quotidie nec habuit a principio plenitudinem naturae, sive aetatis: ergo nec plenitudinem gratiae [3].

6. Item, de nulla re potest capacitas aliqua impleri, ex cuius adventu capacitas non minuitur, sed augetur; sed gratia adveniens non minuit, sed auget capacitatem animae: ergo videtur, quod nunquam posset ipsam implere: ergo nec in Christo nec in alio est reperire gratiae plenitudinem.

CONCLUSIO.

Gratia Christi ab instanti suae conceptionis fuit perfecta et consummata secundum plenitudinem superabundantiae.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio in Christo secundum humanam naturam ab ipsius conceptionis primordio fuit *gratiae perfecta* [4] *et consummata plenitudo*. Non enim decebat Verbum increatum uniri animae perfectissima unione, qualis est unio in unitatem personae, quin anima esset deiformis, secundum quod erat possibile. Et ideo non tantum deiformitatem habuit gratiae et gloriae, sed etiam *super* omnem gratiam et gloriam. Nec tantum fuit in eo plenitudo *sufficientiae*, sicut in Sanctis, de qua plenitudine dicitur Actuum sexto [5]: *Stephanus plenus gratia et fortitudine*; nec tantum plenitudo *praerogativae*, sicut in Virgine Maria, de qua plenitudine dicitur Lucae primo: *Ave Maria, gratia plena* etc.; nec tantum plenitudo *numerositatis* et *copiae*, sicut est in tota Ecclesia, de qua plenitudine ad Ephesios quarto: *Ascendit super caelos, ut adimpleret omnia* etc.; sed etiam plenitudo *superabundantiae*, de qua Ioannis primo: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis; plenum*, inquam, plenitudine *superabundantiae*, propter quod subdit ad hoc probandum: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* — Concedendae sunt igitur rationes hoc ostendentes, Christum ab instanti conceptionis fuisse gratia plenum et habuisse in se plenitudinem gratiae.

Plenitudo sufficientiae. Plenitudo praerogativae. Plenitudo numerositatis. Conclusio 2.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod non habuit fidem et spem; dicendum, quod fides et spes habent secum iunctam imperfectionem, habent et nihilominus aliquid perfectionis; et ratione eius quod habent de *imperfectione*, plenitudini plus obviant, quam ad plenitudinem faciant — unde evacuantur in gloria [6] — sed ratione eius quod *perfectionis* est in eis, si quid est reperiri, habent esse in Christo. Et ideo illarum virtutum absentia plus attestatur plenitudini quam diminutioni.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Christus fuit in statu viatoris; dicendum, quod Christus fuit simul in statu *viatoris* et *comprehensoris*, sed in statu *comprehensoris* secundum partem superiorem, in statu *viatoris* secundum partem inferiorem et secundum carnem [7]. Et quoniam gratia secundum suam essentiam et complementum respicit partem superiorem et mentem; hinc est, quod Christus magis habuit gratiam perfectam quam diminutam, quia gratia magis respiciebat statum perfectum.

Notandum.

3. Ad illud ergo quod obiicitur de exemplo Christi, dicendum, quod Christus dedit nobis exemplum in operibus [8] *exterioribus* et in operibus *virtutis perfectae*; sed illa opera in Christo erant perfectionem *indicantia*, in nobis vero sunt ad perfectionem *perducentia*. Et quamvis opera exteriora praetenderent eius profectum, non tamen erat mendax, quia nullam perfectionem indicabant, quae non esset in eo. Si vero per opera non indicabat per-

Notandum.

---

[1] Psalm. 83, 8: ibunt de virtute in virtutem.

[2] Hic, ante medium, ubi invenis et verba Gregorii (revera sunt Bedae). Pro *Gregorius* Vat. substituit *Glossa*, edd. 1, 2 exhibent *Bernardus*. — Paulo inferius pro *ostendebat* codd. H L an *ostendebatur*, cod. O *se ostendebat*.

[3] De principiis huius arg. vide supra d. 2. a. 3. q. 1. et d. 3. p. II. a. 3. q. 1. Fulgent., l. ad Trasim. c. 8, exponens illud Luc. 2, 52: *Iesus proficiebat sapientia* etc., ait: Nam sicut carnis est aetate proficere, sic est animae sapientia et gratia profecisse, quae tamen in sapientia nullatenus proficeret, si naturalem intelligentiam, quae hominibus rationis causa concessa est, non haberet etc. Cfr. ibid. III. c. 18.

[4] Vat. et nonnulli codd. adiiciunt *et ordinata*. Mox pro *in unitatem* codd. A K *in unitate*.

[5] Vers. 8. Seq. Script. testimonium est Luc. 1, 28; tertium Eph. 4, 10; quartum Ioan. 1, 14; ultimum Ioan. 1, 16. — Proxime ante hoc ultim. testimon. cod. K pro *propter quod* substituit *propter quam*.

[6] Cfr. infra d. 31. a. 2. q. 1. seq. — Post pauca ante *est reperiri* cod. F interserit *ibi*.

[7] Cfr. infra d. 14. a. 3. q. 1. et d. 16. a. 2. q. 2.

[8] Cod. S *in bonis operibus*. Inferius post *Si vero per opera* codd. H (K a secunda manu) P Q bb subdunt *praecedentia*.

fectionem suam summam, hoc non erat falsitatem praetendere, sed veritatem occultare; quod quidem licet et expedit propter nostram utilitatem.

4. Ad illud quod obiicitur, quod multa bona opera faciebat; dicendum, quod propter illa in gratia non crescebat; nec tamen operabatur frustra, quia non propter suum incrementum, sed propter nostrum illa faciebat; unde et nos maximum commodum reportamus.

5. Ad illud quod obiicitur, quod corpus habuit defectum plenitudinis in aetate; dicendum, quod Notandum. non est simile, quia defectus *aetatis* in corpore faciebat ad humiliationem et verae naturae ostensionem, et sic ad fidei confirmationem; sed defectus *gratiae* in anima in nullo nobis prodesset nec Deum Alia ratio. deceret; et ideo non est simile [1]. *Praeterea*, alia ratio est: quia dispositio ad unionem se tenet ex parte *animae*, non ex parte *carnis*, sicut prius [2] ostensum est; ideo magis perfectam oportuit esse animam quam carnem.

6. Ad illud quod obiicitur, quod gratia ampliat capacitatem; dicendum, quod capacitatem ampliari Duplex ampliatio capacitatis. contingit dupliciter: aut ratione *possibilitatis maioris in suscipiendo*, aut ratione *virtutis in cooperando*. Eadem enim est potentia, quae gratiam suscipit et gratiae susceptae cooperatur. Si loquamur Resp. 1. de ampliatione capacitatis quantum ad *virtutem cooperandi*, sic verum est, quod gratia adveniens auget liberum arbitrium sive voluntatis bonam habilitatem et capacitatem [3]. Si vero loquamur de *possibilitate in suscipiendo*, sic habet falsitatem, quoniam gra- Resp. 2. notabilis. tia est sicut actus et complementum, et quanto plus datur alicui de actualitate, tanto plus recedit a possibilitate; unde et nos dicimus, quod quae multum habent de specie, cui competit agere, parum habent de materia, cui competit pati et suscipere [4]. Et quoniam in Christo ipsa habilitas ad bonum est per gratiam perfectam ad complementum producta; hinc est, quod eius capacitas est impleta; sicut dicimus de forma caeli, quod complet appetitum materiae, quia materia eius non appetit esse sub ulteriori forma, adeo forma ipsam statuit in actualitate completa [5]. Sic in gratia Christi suo modo intelligendum est; unde hic seducit mala imaginatio, quia non impletur anima dono gratiae, sicut locus vacuus impletur corpore, sed potius sicut possibilitas materiae completur actualitate formae [6].

ARTICULUS II.

De gratia capitis.

Consequenter quaeritur de gratia capitis, de qua quaeruntur tria.

Primo quaeritur de ipsa quantum ad essentiam, quid sit.

Secundo quantum ad differentiam, utrum differat ab alia gratia.

Tertio quantum ad influentiam, utrum redundet in totam Ecclesiam.

QUAESTIO I.

Utrum gratia capitis sit quid creatum, vel increatum.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, quid sit gratia capitis secundum essentiam, utrum videlicet sit quid creatum, vel increatum. Et quod sit quid *creatum*, videtur.

1. Omnis gratia, quae coepit esse in Christo, est Fundamenta. quid creatum; sed gratia capitis coepit esse in Christo, quia Christus coepit esse caput, secundum quod dicitur ad Ephesios primo [7]: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*: ergo etc.

2. Item, omnis gratia, quae est in Christo, secundum quod homo, est gratia creata; sed gratia capitis est huiusmodi: ergo etc. *Maior* patet; *minor* probatur per hoc, quod gratia capitis inest Christo, secundum quod caput; sed unius naturae sunt caput et membra: ergo [8] Christus est caput secundum humanam naturam: ergo etc.

3. Item, illa est gratia capitis, *de cuius plenitudine accepimus* [9]; sed de gratia Christi creata accepimus *gratiam pro gratia* — ipse enim omnibus meruit et pro omnibus satisfecit — ergo etc.

4. Item, illa est gratia capitis, secundum quam attenditur universitas sensuum — in Christo enim

[1] Cfr. supra d. 3. p. II. a. 3. q. 1. in corp. et ad 4. — In principio solut. post *quod corpus* edd. supplent *suum*.

[2] Dist. 2. n. 3. q. 1.

[3] Vide II. Sent. d. 26. q. 6. et d. 28. a. 2. q. 3. — Paulo ante pro *liberum arbitrium* cod. X *liberi arbitrii*.

[4] Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 53. (c. 9.): Materiae enim est *pati* et *moveri*; *movere* autem et *facere* alterius potentiae [scil. formae sive speciei]. — Paulo inferius pro *producta* cod. U *perducta*.

[5] Cfr. Aristot., I. Phys. text. 81. (c. 9.), et I. de Caelo et mundo, text. 92-98. (c. 9.). Vide II. Sent. d. 12. a. 2. q. 1. (de empyreo), d. 19. a. 1. q. 1. in corp. (de anima). Superius pro *adeo forma* codd. et edd. inepte *adeo formam*.

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest. [7] Vers. 22.

[8] Pro *ergo* edd. cum cod. cc inepte *et*.

[9] Ioan. 1, 16: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia. — Post *accepimus* cod. K supplet *gratiam*.

sicut in capite omnes sensus reperiuntur [1] — sed gratia, secundum quam attenditur diversitas sensuum et secundum quam colliguntur in Christo, est gratia creata: ergo etc.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Nihil creatum influit motum et sensum gratiae in membra [2]; sed gratia capitis est, secundum quam est influentia motus et sensus in membra Christi: ergo gratia capitis non potest esse quid creatum.

2. Item, nihil creatum unum numero [3] est omnino incircumscriptum; sed Christus, in quantum est caput, est a quolibet suorum membrorum indivisus: ergo non potest esse caput secundum aliquid creatum. Si ergo caput est secundum aliquam gratiam, videtur, quod illa sit gratia increata.

3. Item, caput est membrorum principium et origo; sed Christus non potest esse animarum principium nisi secundum divinam naturam: ergo est caput secundum illam: ergo si caput dicit quid increatum, videtur similiter, quod gratia capitis quid increatum sit secundum suam essentiam.

4. Item, caput est simul cum membris, vel antecedit membra: ergo gratia capitis gratiam membrorum vel praecedit, vel concomitatur; sed gratia Christi creata non antecessit [4] gratiam membrorum — natura enim humana in Christo non prius fuit, quam esset in multis Sanctis, sed longe post — ergo gratia capitis non potest esse gratia creata.

CONCLUSIO.

Gratia capitis ratione conformitatis naturae et influxus per modum praeparantis, aut merentis competit Christo ratione humanae naturae et dicit quid creatum; ratione vero principii et influxus per modum efficientis dicit quid increatum.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod caput in spiritualibus transumtive dicitur a capite in corporalibus; «omnes autem transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt [5]»: et ideo caput in spiritualibus dicitur secundum concomitantiam ad aliquam proprietatem capitis materialis. In capite autem materiali haec tria reperimus, scilicet quod est *membris conforme*, est *membrorum principium*, est etiam *influxivum sensus et motus* [6]. Et propterea in ipso reperiuntur omnes sensus perfectiori modo quam in aliis membris. — Omnes autem has proprietates est in Christo reperire respectu bonorum; et ideo valde rationabiliter sancta Scriptura [7] dicit, Christum esse caput Ecclesiae. — Sed prima proprietas, scilicet *conformitas*, competit ei ratione *humanae naturae*. Unde Augustinus super Ioannem [8]: «Unius naturae sunt vitis et palmites. Propter quod, cum Deus esset, cuius naturae non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cuius et nos esse palmites possemus.»; omnino enim idem est de capite quod de vite intelligendum.

Secunda autem proprietas, scilicet *principiandi*, competit ratione *divinae naturae*, secundum quod est omnium principium. Unde ad Colossenses primo [9]: *Ipse caput corporis Ecclesiae, qui est principium* etc.; ibi Glossa: «*Qui est principium* secundum divinitatem, id est fundator Ecclesiae, quia omnes iusti, qui ab Abel usque ad ultimum iustum generantur, virtute divinitatis illuminantur».

Tertia vero proprietas, scilicet *influendi motum et sensum*, competit ei ratione *divinitatis* et ratione *humanitatis*. Dupliciter enim contingit sensum et motum gratiae influere: aut per modum *praeparantis*, aut per modum *impartientis*. Si per modum *praeparantis*, sic est ipsius Christi ratione *humanae* naturae, in qua passus est propter nos et patiendo satisfecit et removit inimicitias et disposuit ad suscipiendam gratiam perfectam [10]. Si per modum *impartientis* et conferentis, sic est ipsius Christi ratione *divinae* naturae, qui «solus Deus est, qui illuminat pias mentes», solus est, qui baptizat interius, pro eo quod «mens nostra immediate ab ipsa Veritate formatur», sicut saepe dicit Augustinus [11]. Et ita influere per modum *praeparantis* est Christi *hominis*, per modum *impartientis* est Christi *Dei*. — Vel per alia verba, et in idem redit, influere per modum *merentis*, Christi *hominis;* per modum *efficientis*, Christi *Dei;* vel influere quantum ad remissionem *poenae*, Christi *hominis*, quantum ad remissionem *culpae*, Christi *Dei*. Et sic influentia uno modo respicit Christum secundum naturam *crea-*

Tria in capite corporali.

Tria analoga in Christo.

Proprietas 1. et conclusio 1.

Proprietas 2. et conclusio 2.

Proprietas 3.

Duplex influxus.

Conclusio 3.

Aliis verbis.

Analogia capitis in spiritualibus cum corporali capite.

---

[1] Cfr. verba August., quae habentur hic lit. Magistri, in principio.

[2] Codd. M O subnectunt *Christi.*

[3] Nonnulli codd. *uno numero;* edd. *Item, nihil unum creatum uno numero.* Nostra lectio est codd. A H K M N O Z bb.

[4] Cod. G K *antecedit.*

[5] Aristot., VI. Topic. c. 2. Cfr. tom. I. pag. 1, nota 8. — Pro *omnes autem* codd. A L aa *omnes enim.*

[6] Cfr. Aristot., I. de Histor. animal. c. 7, II. de Partib. animal. c. 10. et IV. c. 10. Cfr. etiam August., Enarrat. in Ps. 29. enarrat. 2. n. 2, et de Agon. christian. c. 20. n. 22.

[7] Eph. 1, 22; 5, 23; Coloss. 1, 18. — Mox pro *conformitas* codd. A N U V *conformitatis.*

[8] Tract. 80. n. 1. In Vat. nec non in textu origin. hoc testimonium terminatur sic: *cuius et nos homines palmites esse possemus.* In principio testimon. pro *vitis et palmites* edd. 1, 2 cum multis codd. *vitis et palmes.*

[9] Vers. 18. — Glossa, quae est *ordinaria*, habetur apud Strabum et Lyranum, ubi tamen pro *omnes iusti* legitur *omnes iustos* et post *virtute divinitatis* sic pergitur: *et misericordiae suae dono illuminavit* (cfr. August., Serm. 341. [alias 40. de Temp.] c. 9. n. 11.). — Paulo superius post *competit* cod. U supplet *ei.*

[10] Cfr. infra d. 19. a. 1. q. 1. seqq.

[11] Cfr. tom. II. pag. 265, nota 4. et 5. Verba *baptizat interius* idem dicunt quod illa verba loan. 1, 33: Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. — Verbis *ab ipsa Veritate* codd. K M O adiiciunt *prima.* Paulo inferius tum post *merentis* tum post *efficientis* cod. F supplet *est.*

tam [1], alio modo secundum naturam *increatam.* — Si ergo gratia capitis dicitur illa gratia, secundum quam Christus habet influere *motum et sensum* in membra; restat hoc esse ponendum, quod gratia capitis uno modo nominat gratiam increatam, alio etiam modo nominat non tantum increatam, sed etiam creatam, sicut ostendunt rationes ad primam partem; et ideo sunt concedendae.

Conclusio generalis.

1. Ad illud vero quod obiicitur, quod non potest esse gratia creata, quia non posset influere; iam patet responsio, quia, quamvis non possit [2] influere *effective* et *causative,* potest tamen influere *meritorie* et *dispositive* secundum naturam humanam.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Christus, secundum quod caput, est indivisus; dicendum, quod est unio per *unitatem naturae,* et est unio *per fidem et dilectionem.* Dicendum est igitur, quod unio Christi ad corpus Ecclesiae est per fidem et dilectionem. Cum ergo dicitur, quod caput est indivisum a membris; dicendum, quod indivisio non privat distantiam localem sive separationem corporum, sed separationem et disconvenientiam mentium et affectionum. Et ideo ex hoc non ponitur, quod Christus, secundum quod caput, sit incircumscriptus, quia idem potest esse in uno loco tantum, et tamen per cognitionem et amorem in cordibus diversorum. Unde ad Ephesios tertio [3]: *Habitare Christum per fidem in cordibus nostris.*

Duplex unio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod caput est membrorum principium; dicendum, quod ut caput sit principium quantum ad *esse* naturae, hoc est de veritate capitis et expressa proprietate; nec hanc est reperire in Christo secundum humanam naturam, sed secundum *divinam,* ut praedictum est supra [4]. — Posset tamen dici aliquo modo Christus principium membrorum suorum quantum ad *esse* gratiae etiam secundum *humanam* naturam, quia nunquam aliquis fuit gratiam assecutus, nisi haberet Christum in corde ut fundamentum, quod collocatur per fidem. *Fundamentum enim aliud nemo potest* in membris Christi *ponere praeter illud quod positum est, quod est Christus Iesus* [5], et sine hoc fundamento nemo potuit habere gratiam, quia nunquam fuit alicui salus sine fide Mediatoris. Et hoc est quod dicitur ad Colossenses primo [6]: *Qui est principium* etc.; Glossa: « Secundum humanitatem dici potest principium Ecclesiae, quia super fidem humanitatis eius Ecclesia fundata est ».

Alia solutio notabilis.

4. Ad illud quod obiicitur, quod gratia capitis, vel concomitatur, vel praecedit; dicendum, quod sicut dictum est [7] de *unione,* quod caput spirituale non oportet uniri materialiter et naturaliter, sed spiritualiter per cognitionem et amorem; sic etiam intelligendum est de *antecessione.* Unde ad hoc, quod Christus sit caput iustorum praecedentium, non oportuit, quod comitaretur *re,* sed *fide;* et sic utique fuit, quia fides Christi praecessit in cordibus salvandorum. — Et sic patet, quod capitis ratio et gratia similiter quantum ad perfectam similitudinem respicit in Christo aliquid *increatum;* respicit etiam aliquid *creatum,* ita quod ad perfectam rationem capitis intelligendam necesse est utrumque concurrere.

Epilogus.

SCHOLION.

I. Ex ipsa s. Scriptura constat, Christum esse caput Ecclesiae; quod communiter intelligitur de tota omnino Ecclesia secundum totius temporis decursum et triplicem eiusdem statum i. e. prout est militans, patiens et triumphans. — Triplicem analogiam inter caput *naturale* et *mysticum* refert hic S. Bonav., scilicet quatenus caput est *conforme* membris, eorum *principium* atque *influens* sensum et motum. Paulo aliter S. Thom. in Sum. (III. q. 8. a. 1.) eandem analogiam considerat tripliciter: secundum *ordinem,* ut prima pars hominis, incipiendo a superiori; secundum *perfectionem,* quia in capite vigent omnes sensus; secundum *virtutem,* quia influit motum et sensum in membra. Idem autem in Comment. (hic q. 2. a. 1.) quatuor notat similitudines, scilicet quoad *dignitatem* triplicem, quoad *influxum* in membra, quoad *directionem* aliorum membrorum, quoad *conformitatem naturae* respectu eorundem. — Observat autem Alex. Hal. (S. p. III. q. 12. m. 2. a. 1. § 1.), quod hoc loco « *propria ratione* dicitur caput per rationem *influentiae*... quatenus Christus in Ecclesiam influit *sensum* et *motum* spiritualiter, *sensum* quidem influit per fidem, *motum* vero per amorem ». Idem plures alias graves quaestiones de gratia capitis habet, quae a S. Bonav. non tractantur. — Licet Christus etiam secundum *divinam* naturam possit dici caput Ecclesiae, tamen, proprie loquendo, est caput secundum *humanam* naturam (Alex. Hal., loc. cit. § 2; S. Thom., hic loc. cit.), scilicet quatenus Christus *per humanam naturam* rationem capitis implet; unde praepositio *secundum* accipitur *specificative,* non *reduplicative,* ut supra d. 10. a. 2. q. 1. in scholio dictum est.

II. Quoad solutionem ipsius quaestionis, utrum gratia capitis consistat in sola gratia unionis, an in sola gratia habituali, an in utraque, et quomodo; fuit quaedam differentia opinandi vel dicendi inter doctores; qui tamen nunc satis videntur convenire in hoc, quod gratia capitis *proprie* et *essentialiter* sit ipsa gratia

---

[1] Edd. *secundum humanam naturam creatam... secundum naturam divinam increatam.*

[2] Edd. *posset.*

[3] Vers. 17. — Vat. *Habitat Christus per* etc. Cfr. I. Sent. d. 31. p. II. a. 2. q. 1.

[4] In corp. quaest. — Paulo superius pro *quod ut caput sit* edd. *quod caput esse,* multi codd. *quod caput sit.* Subinde pro *de veritate* codd. B C D G I K L N O T U V aa *diversitate,* perperam. Paulo inferius pro *aliquo modo Christus principium* [cod. Y *Christum esse principium*] edd. *alio modo Christus* [Vat. *est*] *caput.*

[5] Epist. I. Cor. 3, 11. Cfr. supra pag. 236, nota 10. — Mox pro *potuit* edd. cum paucis codd. *potest.*

[6] Vers. 18. — Glossam ut *ordinariam* exhibent Strabus et Lyranus.

[7] Hic in solut. ad 2. — Paulo inferius pro *comitaretur* codd. K W X *concomitaretur.* In fine solut. pro *utrumque* edd. *utramque.*

habitualis, sed prout connotat gratiam unionis, vel, ut alii loquuntur, ita ut radicaliter praeexigatur gratia unionis sive personalis (cfr. infra q. 2. ad 3. 4. et d. 20. a. 1. q. 4.).

III. Alex. Hal., loc. cit. m. 1. a. 1. — S. Thom., hic q. 3. a. 4; S. loc. cit. a. 5. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Durand., de hac et seqq. qq. hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 4. — Biel, hic q. unica in fine.

QUAESTIO II.

Utrum gratia capitis sit alia quam gratia singularis personae et unionis.

Secundo quaeritur de gratia capitis quantum ad differentiam, utrum videlicet sit alia quam gratia singularis personae et gratia unionis. Et quod sit alia, videtur.

Ad oppositum

1. Communiter secundum doctores in Christo consuevit differentia gratiae poni, scilicet gratia *singularis personae*, gratia *unionis* et gratia *capitis*: si ergo divisio esse debet per opposita, vel saltem disparata [1]; videtur, quod ista differentia gratiae ab aliis sit diversa.

2. Item, gratia *capitis* aliis communicatur [2]; gratiam vero *singularis personae*, vel *unionis* Christus aliis non communicat, quia respiciunt ipsum solum: ergo sunt differentes gratiae.

3. Item, quod sit alia quam gratia *singularis personae*, videtur, quia, esto quod humanitas separetur a divinitate, adhuc tamen remanet gratia singularis personae; sed non remanet gratia *capitis* nec gratia *unionis*: ergo gratia capitis differt a gratia singularis personae.

4. Item, quod sit alia quam gratia *unionis*, videtur, quia gratia *unionis* non habuit *esse* nec efficaciam nisi in plenitudine temporum [3], gratia *capitis* a primordio habuit effectum in Sanctis: ergo necesse est, eas ab invicem differre.

Fundamenta

Sed contra: 1. In unica anima una est gratia gratum faciens, sicut una est vita [4]: ergo si anima Christi est una, aut gratia *capitis* non est gratum faciens, aut non differt a gratia *unionis* et *singularis personae*. Sed est gratum faciens: ergo etc.

2. Item, idem est habitus scientiae, quo quis novit in se, et quo potens est docere alios ut magister [5]: ergo pari ratione idem est habitus gratiae, quo in se perficitur et Deo unitur, et quo influit in membra et eis unitur; sed primus habitus gratiae dicitur gratia *singularis personae* et *unionis*, secundus vero dicitur gratia *capitis*: ergo gratia *capitis* et *unionis* sunt una gratia cum gratia *singularis personae*.

3. Item, eo ipso est ille homo caput Ecclesiae, quo assumtus est a Verbo in unitatem personae; sed hoc est per gratiam *unionis*: ergo gratia *unionis* et *capitis* sunt una gratia. *Minor* manifesta est; *maior* probatur per illud quod dicitur ad Ephesios primo [6]: *Ipsum dedit caput* etc.; Glossa: «Nullum maius donum praestare posset Deus hominibus, quam ut Verbum suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, ut esset filius Dei et filius hominis, unus Deus cum Patre, unus homo cum hominibus». Ex hoc expresse habetur, quod eo est ille homo *caput*, quo a Verbo Dei assumtus in unitatem personae.

4. Item, «quod per superabundantiam dicitur, uni soli convenit» [7]; sed «gratia *unionis* est summa gratia», ut dicit Augustinus decimo tertio de Trinitate, et habetur in principio praecedentis distinctionis: «In rebus per tempus ortis» etc.; gratia *capitis* est summa, sicut habetur in auctoritate praemissa: ergo gratia *capitis* non differt a gratia *unionis*.

5. Item, quod nec [8] a gratia *singularis personae*, videtur: quoniam Christus est caput secundum illam gratiam, secundum quam est in ipso sensuum integritas et perfectio; et hoc est secundum gratiam singularis personae: ergo etc.

6. Item, secundum illam gratiam Christus est caput, secundum quam pro nobis satisfecit nobisque promeruit, gratiam quantum ad motum et sensum ad nos derivari; sed hoc fuit secundum gratiam personae singularis, quia quantum ad illam attenditur meritum: ergo idem quod prius.

---

[1] Cfr. tom. II. pag. 937, nota 5. De *disparatis* vide supra pag. 225, nota 5. De *gratia singularis personae* vide art. praeced.

[2] Influendo motum et sensum in membra Ecclesiae, ut dictum est in quaest. praeced. — Paulo inferius pro *respiciunt* edd. *respicit*.

[3] Gal. 4, 4: At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum etc. De subnexis cfr. quaest. seq. ad 6.

[4] Cfr. II. Sent. d. 26. q. 3. et d. 27. a. 1. q. 1. — Pro *una est gratia... una est vita* codd. H U *unica est gratia... unica est vita*.

[5] Aristot., I. Metaph. c. 1: Et prorsus signum scientis est posse docere. Cfr. V. Ethic. c. 1, ubi Aristot. docet, eandem esse virtutem, qua quis in se perfectus sit, et iustitiam legalem, qua perficiatur in ordine ad bonum commune.

[6] Vers. 22. — Glossa, quae sumta est ex August., Enarrat. in Ps. 85. n. 1, habetur apud Petr. Lombardum in hunc loc. Textus origin. post *faceret illis caput* addit *et illos ei tanquam membra coaptaret*. — In fine arg. cod. A omittit *Dei* post *quo a Verbo*; cod. H pro *Dei* substituit *dicitur* et edd. 1, 2 cum pluribus codd. perperam mutarunt *Dei* in *Deus*. Subinde post *assumtus* codd. Y bb supplent *est*.

[7] De hoc dicto Aristot. cfr. supra pag. 43, nota 2, et verba August. (XIII. de Trin. c. 19. n. 24.) vide in praeced. dist. III. Magistri, c. 1. — Auctoritas, quae deinde respicitur, est Glossa in fundam. praeced. allegata.

[8] Supple cum cod. M *differat*; in codd. G N U W cc et edd. 1, 2 perperam scriptum est *quod nec sit gratia*, in Vat. legitur *quod haec sit a gratia*. Quoad *minorem* huius arg. et *maiorem* seq. vide quaest. praeced.

CONCLUSIO.

Gratia capitis a gratia unionis et singularis personae secundum diversas comparationes vel differt, vel est eadem, sed ut habitus *non importat alium habitum, sed alias comparationes.*

RESPONDEO: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod gratia *singularis personae* proprie nominat habitum, secundum quem anima est Deo similis et accepta. Sed gratia *unionis* dicitur tripliciter, sicut praedictum fuit supra [1]. Uno namque modo dicitur *gratia unionis* gratia *faciens unionem*; et sic nominat divinam essentiam, quae sola est illius unionis causa. Alio modo *gratia unionis* dicitur gratia *disponens* ad unionem de congruo; et sic nominat qualitatem creatam, scilicet habitum animae. Tertio modo dicitur *gratia unionis*, id est ipsa *unio gratis facta*; et sic nominat ipsam relationem.

Quid gratia singularis personae.

Gratia unionis dicitur tripliciter.

Secundum hoc etiam intelligendum, quod *gratia capitis* potest his tribus modis accipi. Uno modo potest nominare *principium effectivum* sensus et motus spiritualis in membris Christi; et sic nominat ipsum Deum et per appropriationem Spiritum sanctum. Alio modo nominat ipsum, quod *disponit* per modum meriti et praeparationis ad influentiam motus et sensus respectu cuiuslibet membri; et sic nominat habitum animae Christi, per quem Christus nobis meruit. Tertio modo *gratia capitis* potest dici ipsa *gratuita praesidentia*, quam Deus gratis fecit, dum Verbum suum nobis praeposuit, sicut caput membris. Omnibus his modis in diversis Sanctorum auctoritatibus et Glossis invenitur gratia capitis accipi [2].

Item gratia capitis.

Si igitur *gratia capitis* et *unionis* nominat *principium effectivum* illius coniunctionis et nostrae sanctificationis spiritualis; sic idem nominant et idem sunt quantum ad principale significatum, scilicet ipse Deus, vel Spiritus sanctus; et est differentia solum quantum ad connotatum, quia gratia *unionis* connotat effectum circa Christum, gratia *capitis* effectum circa membra Christi; et differunt a gratia *singularis personae*, sicut increatum a creato, sicut divina essentia ab habitu gratiae, quem infundit. — Si vero dicatur *gratia unionis* et *capitis* ipsa *unio gratuita* et *praesidentia*; sic sunt diversae relationes et comparationes, quae tamen non sunt fundatae super aliud et aliud, sed super idem. Homo enim ille eo ipso est caput aliorum hominum, quo est Verbo Dei unitus. Et hoc modo differt gratia *unionis* et *capitis* a gratia *singularis personae*, sicut illud, ad quod ordinatur dispositio, differt ab ipsa dispositione [3]. Gratia enim *singularis personae* sua perfectione reddit illam naturam idoneam, ut Deo uniatur, ac per hoc ceteris Sanctis praeficiatur, sicut caput membris. — Si vero *gratia unionis et capitis* dicatur habitus *disponens* ad unionem et aliorum sensificationem [4], sicut gratia *singularis personae* dicitur habitus faciens animae et Dei assimilationem; hoc modo ista triplex gratia non est triplex ratione diversitatis *habituum*, sed ratione diversae *comparationis* eiusdem habitus. Nam ille habitus dicitur *gratia singularis personae*, in quantum disponit ad Dei assimilationem et in quantum facit animam deiformem, et per hoc ipsum consequenter [5] disponit ad unionem personalem, et dicitur gratia *unionis*; et consequenter per hoc ipsum disponit ad redundantiam sive influentiam motus et sensus in cetera membra Christi, et sic dicitur *gratia capitis*. — Et sic patet, quod gratia capitis, in quantum *habitus*, non differt a gratia singularis personae, vel unionis secundum habituum diversitatem, sed secundum comparationum multiplicitatem [6]. — Unde concedendae sunt rationes ad hanc partem.

Conclusio 3.

Explicatur.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

1. Ad illud ergo quod primo obicitur in contrarium, quod in Christo ponitur gratia secundum triplicem differentiam; dicendum, quod illa divisio non est data penes differentiam gratiae quantum ad diversitatem *habituum*, sed quantum ad diversitatem *comparationum* atque respectuum, sive *effectuum* consequenter se habentium, qui non diversificant essentialiter habitus.

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obicitur, quod gratia capitis communicatur; dicendum, quod gratia capitis non sic communicatur aliis, ut eis sit gratia capitis, sed sic, ut efficaciam habeat circa alios; et hoc quidem absque dubio competit gratiae singularis personae et unionis, quia ratione eius nobis meruit et pro nobis satisfecit. Quamvis autem gratia Christi, quocumque modo dicta, efficaciam habeat in nos, tamen non quocumque nomine datur intelligi eius efficacia in nos, sed solum per hoc nomen, quod est *gratia capitis*. Sic enim nominatur propter virtutem et efficaciam influendi.

Notandum.

3. Ad illud quod obicitur, quod remaneret gratia singularis personae, si deponeretur natura assumpta, sed non gratia capitis; dicendum, quod verum est; sed ex hoc non sequitur, quod *gratia capitis* ab illa differat per essentiam; sed verum est,

---

[1] Dist. 2. n. 3. q. 2. ad 6. — Paulo superius pro *secundum quem* cod. F *per quem*.

[2] Auctoritates pro primo et secundo modo accipiendi gratiam capitis habes in corp. quaest. praeced., pro tertio modo hic in fundam. 3. — Paulo superius pro *potest dici* cod. F *dicitur*.

[3] Edd. cum cod. cc *disponentia*.

[4] Edd. cum paucis codd. *sanctificationem*.

[5] Codd. L M O X Z aa bb *convenienter* (cfr. supra d. 2. n. 3. q. 2.). Paulo inferius *pro et consequenter* codd. L X aa bb *iterum exhibent et convenienter*.

[6] Edd. cum uno alterove cod. *comparationem multiplicem*.

quod [1] aliquam comparationem et efficaciam dicit, quam, inquam, non esset reperire post separationem. *Gratia* enim *capitis*, quae attenditur in influentia et praesidentia Christi respectu aliorum, naturali ordine praesupponit *unionem*, ratione cuius ille homo ceteris ineffabiliter antecellit. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod gratia unionis habet efficaciam solum in fine temporum; dicendum, quod si efficacia gratiae unionis attendatur in hoc, quod animam Christi reddat idoneam ad unionem, verum est, quod solum in plenitudine temporum efficaciam habuit. Si autem efficacia gratiae unionis attendatur, quantum [2] ab aliis creditur, qui mediante illa fide iustificantur, sic efficaciam habuit a principio, et hoc ipso *gratia capitis* potest appellari. Et sic patet, quod *gratia capitis* secundum unam suam acceptionem, quae communior est, secundum essentiam habitus non differt ab aliis, sed solum secundum comparationem, ut visum est. Nota.

SCHOLION.

I. De triplici modo, quo dicitur gratia *unionis*, cfr. supra d. 2. a. 3. q. 2. ad 6. et d. 4. a. 2. q. 3. in corp. A Petro a Tar. (hic q. 3. a. 4.) his tribus modis additur etiam quartus, quo significetur « effectus consequens unionem, id est attributorum communicatio gratuita ». — Principia ad solvendas has duas quaestiones coniuncta iam in praecedenti quaestione tacta sunt. In solutione concordant S. Thom., Alex. Hal., Petr. a Tar., aliique communiter. — Ex solut. ad 3. 4. licet arguere, quod S. Bonav. cum communi sententia gratiam capitis proprie dictam ponat in gratia Christi habituali.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 12. m. 1. a. 2, m. 3. a. 1. — Scot. rem tangit III. Sent. d. 9. q. unica n. 9. seqq. — S. Thom., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 1. 2; S. III. q. 8. a. 5. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 3.

QUAESTIO III.

Utrum Deus mediante gratia capitis influat sensum in omnem creaturam habentem gratiam, sive angelicam, sive humanam.

Tertio quaeritur de gratia capitis quantum ad influentiam, et est quaestio, utrum mediante illa gratia Deus influat sensum in omnem aliam creaturam habentem gratiam, sive angelicam, sive humanam. Et quod sic, videtur.

1. Ad Ephesios primo [3]: *Proposuit omnia instaurare in Christo, quae in caelis, et quae in terris sunt;* Glossa: « *Quae in caelis sunt,* id est numerum Angelorum diminutum implere; *et quae in terris,* id est homines, qui per peccatum depravati erant, renovare »; sed illi mediante Christo sensum et motum suscipiunt, qui per ipsum instaurantur in *esse* perfecto: ergo si haec sunt caelestia et terrestria, homines et Angeli mediante ipso suscipiunt gratiam, et gratia capitis in hos et illos redundat. Fundamenta.

2. Item, paulo post ibidem [4]: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam;* sed caput influit in omnia membra: ergo Christus homo per suam gratiam in totam Ecclesiam habet influentiam. Sed Ecclesia communicat suas illuminationes Angelis, sicut dicitur ad Ephesios tertio: *Ut innotescat Principatibus et Potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei:* ergo videtur, quod influentia gratiae Christi ad omnes electos habeat extendi.

3. Item, malitia principis tenebrarum non tantum se extendit ad daemones, immo magnam efficaciam habet in homines — unde illorum per superbiam efficitur princeps [5] — si ergo bonitas gratiae Christi est multo excellentior et efficacior et communior, videtur, quod ad omnes electos se extendit per efficaciam, sive sint homines, sive Angeli, sive viatores, sive beati.

4. Item, « iste est ordo divinae sapientiae et legis, ut dictat ratio, et vult Dionysius [6], scilicet infima reduci per media, et media per suprema » — unde et Angeli ordinum inferiorum suscipiunt purgationes et perfectiones ab Angelis superiorum ordinum — sed Christus est super omnes tam Angelos quam Archangelos, *sedet* enim *a dextris* Dei, *tanto melior Angelis effectus, quanto prae illis differentius nomen hereditavit:* si ergo omnibus electis praeeminet excellentia perfecta, videtur, quod in omnes gratia eius habeat efficaciam et influentiam.

[1] Pro *quod* non pauci codd. et edd. 1, 2 *per*. Paulo inferius post *respectu aliorum* cod. F subiicit *hominum*, et in fine solut. pro *ceteris* Vat. cum aliquot codd. substituit *ceteros*.

[2] Codd. P Q *in quantum*. Circa finem solut. pro *secundum essentiam habitus* multi codd. habent *secundum suam essentiam habitus*, edd. *secundum suam essentiam habitu*.

[3] Vers. 9. seq. — Verba Glossae, quae *ordinaria* est et habetur apud Petr. Lombardum et Lyranum in hunc loc., delibata sunt ex August., Enchirid. c. 62. n. 16. — Circa finem arg. post *suscipiunt gratiam* cod. F addit *unionis*.

[4] Cap. 1, 22. — Locus seq. Scripturae est Eph. 3, 10. — De *minori* cfr. supra q. 1. — Pro *suas illuminationes* edd. *suas influentias*. In fine arg. pro *ad omnes* Vat. perperam *ad homines*.

[5] Iob 41, 25: Ipse est rex super universos filios superbiae.

[6] De Caelest. Hierarch. c. 4. § 3. et c. 8. § 2. Cfr. tom. II. pag. 277, nota 7. — Seq. Script. locus est Hebr. 1, 3. — Pro *per media, et media per suprema* codd. M O *per media ad suprema*. In ultima propos. arg. edd. post *si ergo* supplent *Christus*.

Sed contra: 1. Caput non influit in cor, sed magis e converso[1]: si ergo secundum rectam transsumtionem gratia illa, quae in alios redundat, dicitur *gratia capitis;* non videtur, quod influat in totum corpus Ecclesiae; aut si in totum influit, potius deberet *gratia cordis* quam *capitis* appellari. Ad oppositum.

2. Item, gratia capitis non influit nisi in eos qui iam sunt membra; et nulli sunt membra[2], nisi coniungantur ei per fidem et caritatem: ergo in nullos influit nisi in habentes fidem et caritatem. Sed habentes fidem et caritatem habent motum et sensum: ergo videtur, quod gratia capitis in nullos influat nec motum nec sensum; nec est aliud dare, quod influat: ergo etc.

3. Item, gratia capitis in eos solos influit, respectu quorum habens gratiam est caput; sed Christus secundum humanam naturam non est caput Angelorum, quia unius naturae sunt caput et membra[3]: ergo nullam habet in Angelos influentiam.

4. Item, esto quod Filius Dei non esset incarnatus, Angeli essent beati; nec propter Christi incarnationem sunt aliqui ex eis redempti et liberati: ergo videtur, quod nihil eis conferat gratia Christi.

5. Item, nihil agit, nisi dum est; sed Christi gratia non fuit ante adventum Christi: ergo videtur, quod in illos qui Christi adventum praecesserunt, gratia illa nullum habuit effectum.

6. Item, si ita influebat ante adventum Christi in Sanctos, qui praecesserunt, sicut nunc in nobis habet effectum[4]: ergo sicut illud dicitur *tempus gratiae* propter redundantiam a plenitudine Christi, ita videtur, quod tempus illud deberet *tempus gratiae* dici; quod si non dicitur, videtur, quod influentia gratiae Christi non se extendat ad illos qui praecesserunt.

CONCLUSIO.

Gratia Christi influit in omnes, tam in Angelos, quam in homines, tam in eos qui praecesserunt ipsum, quam in eos qui secuti sunt, tamen non eodem modo, sed secundum magis et minus.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod *sensus* in spiritualibus attenditur quantum ad cognitionem, *motus* vero quantum ad affectionem et dilectionem, quae est pondus inclinans unumquemque spiritum et trahens ad locum sibi debitum[5]. Influere ergo *motum* et *sensum* est causare in nobis fidem et dilectionem, sive fidem operantem per dilectionem, sive cognitionem et amorem. Attendendum autem, quod cognitio et dilectio est in triplici differentia: quaedam[6], quae respicit *statum meriti*, et haec dicitur gratuita; quaedam vero, in qua consistit *substantia praemii*, et haec dicitur gloriosa; quaedam, quae est *utrique annexa*, quae nec est de essentia meriti nec praemii, sed de *bene esse*. Quid sensus et motus. Tripliciter differunt cognitio et dilectio.

Secundum hanc triplicem differentiam cognitionis et dilectionis est dicere, quod gratia capitis influat in membra gratia *increata effective*, sed gratia *creata meritorie* et *dispositive*. Nam propter meritum passionis Christi *promissum* Patribus praecedentibus dedit Deus gratiam reconciliationis; et propter *exhibitum* dat nobis gratiam reconciliationis abundantius, in qua quidem gratia est *sensus* cognitionis et *motus* affectionis[7]; et rursus, propter illam passionem aperta est ianua, ut omnibus membris Christi detur dilectio et cognitio gloriosa, in quibus consistit perfectio *motus* et *sensus*. — Ex hoc eodem Angelis mysteria multa revelantur, et gaudia multa conferuntur de restauratione sua, quae invenitur facta per Christum[8]. Et ideo etiam ipsi accipiunt *motum* et *sensum;* non, inquam, illum qui est de *essentia* gratiae et gloriae, sed qui est de *bene esse* ac perfectione. Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3. Conclusio 4.

Concedendum est igitur, quod gratia capitis redundat in omnes cives supernae Ierusalem, licet secundum plus et minus: nam magis in *homines*, qui redimuntur, quam in *Angelos*, qui reintegrantur; magisque in eos qui *sequuntur* eius adventum, quam in eos qui *praecesserunt*, quia clarius vident et credunt et charismatum donis amplius perfunduntur, propter hoc quod, si passio promissa tantum illis valuit, ut illos per viam salutis perduceret, amplius passio exhibita et soluta hoc debuit facere. — Propter hoc concedendae sunt rationes ad primam partem inductae. Conclusio generalis.

1. Ad illud vero quod obiicitur, quod generalior est influentia cordis quam capitis; dicendum, quod generalior est secundum *veritatem*, sed tamen influentia capitis generalior est secundum *manifestationem*, pro eo quod in capite omnes sensus apparent et eminentiorem situm habent, et in eo sunt cellulae Solutio oppositorum.

---

[1] Aristot., II. de Generat. animal. c. 4. docet, in generatione cor secerni primum, ex eoque incrementum et motum ceteris partibus contingere. Cfr. III. de Partib. animal. c. 4.

[2] Cod. K addit *Christi*. Circa finem arg. pro *in nullos* cod. D exhibet *in malos;* in cod. Y manus posterior vocabulo *nullos* ascripsit *malos*. Deinde post *nec sensum* non pauci codd. interserunt *ergo*.

[3] Vide supra q. 1.

[4] Cod. W *haberet effectum*. In edd. legitur sic: *sicut nunc in nos, si* [edd. 1, 2 *sic*] *habuit effectum in illis, sicut nunc in nobis habet effectum* etc.

[5] August., XIII. Confess. c. 9. n. 10: Pondus meum amor meus, eo feror quocumque feror. Et XI. de Civ. Dei, c. 28: Nam velut amores corporum momenta sunt ponderum sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nitantur. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocumque fertur. — Mox pro *causare* complures codd. *creare*, cod. G *dare*.

[6] Cod. K hic et inferius post *quaedam vero* supplet *est*.

[7] Cfr. infra d. 19. a. 1. q. 1. seqq. De seq. propos. vide infra d. 18. a. 2. q. 3.

[8] Cfr. supra pag. 57, nota 7, et II. Sent. d. 9. q. 5. nec non d. 11. a. 2. q. 2.

aptae ad *cognoscendum* et nervi apti ad *sentiendum* et *movendum;* ita quod nervi apti ad *sentiendum* a parte anteriori videntur egredi, et nervi apti ad
Notandum. *motum* a parte posteriori [1]. Et quoniam transsumtio ad manifestandas proprietates spirituales latentes sumi debet a re manifesta; hinc est, quod propter generalem influentiam magis dicitur Christus *caput,* quam dicatur *cor;* propter quam etiam evidentiam medici discordant a naturalibus. Dicunt enim physici, quod principium *motus* et *sensus* est in capite, licet naturales, qui considerant principia rerum intimius, dicant, quod horum principium est cor [2]. Et sic patet illud.

2. Ad illud quod obiicitur, quod caput non influit nisi in unita membra; dicendum, quod hoc [3]
Notandum. habet veritatem in eo capite, quod habet determinatam potentiam et non potest sibi membra unire et de non-membro membrum facere. Et ideo hoc non habet locum in capite Christo, qui potest secundum divinam naturam de non-membro membrum facere, et secundum humanam naturam potest hoc mereri et impetrare, et ita primo *sensum* et *motum* influere et continuare.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Angeli non sunt membra, quia non sunt conformes in natura; dicendum, quod etsi Angeli non debeant dici *membra,* tamen nihilominus *influentia* potest esse a Christo in Angelos non solum secundum *divinam* natu-
Notandum. ram, secundum quam est caput omnium, sed etiam secundum naturam *humanam,* per accidens tamen; quia influendo et redimendo membra sua reparat Christus ruinam angelicam. Quando ergo dicitur, quod gratia capitis non influit nisi in membra; si intelligantur membra *proprie,* sic non habet veritatem, nisi arctetur influentia ad influentiam proprie dictam, cuiusmodi est influentia gratiae et gloriae.

4. Ad illud quod obiicitur, quod Angeli essent beati, etiam si Christus non esset incarnatus; dicendum, quod hoc non cogit, quod Christus nullo modo influat, sed quod non influit *primum* motum et sensum, qui sunt *essentiales* gratiae et gloriae. Aliquo tamen modo potest influere quod facit ad *bene esse,* sicut prius ostensum est.

5. Ad illud quod obiicitur, quod illud non potest influere, quod non habet *esse;* dicendum, quod verum est de influentia per modum principii *effectivi,* de influentia autem per modum *meriti* non habet veritatem. Sufficit enim, quod sit in fide et dilectione credentis; ac per hoc, dum creditur et amatur, ab ipso credens et amans vivificetur, et dum etiam promittitur, ex ipsa promissione divina severitatis rigor aliquatenus placetur, ut benevolentiam suam reddat.

6. Ad illud quod obiicitur, quod tempus praecedens deberet dici tempus gratiae; dicendum, quod in tempore praecedenti gratia Christi non defuit; attamen non debet illud *tempus gratiae,* sed *umbrae* dici, quia non erat tanta redundantia gratiae, quae velamen figurarum effugaret et onus Legis alleviaret. Nunc autem, cum manifesta est veritas, et per amorem alleviata sunt mandata, vere dicendum est tempus gratiae advenisse. Unde Christus efficaciam habuit in his *qui praeibant et sequebantur* [4], ut botrus in palo portabatur ab antecedentibus et sequentibus, sed praeeuntes ferebant et non videbant, sequentes vero et ferebant et aperte videbant: sic similitudinarie in proposito intelligendum est.

---

[1] S. Thom., hic q. 2. a. 1. ad 5. ait: Dicendum, quod cor est principium virium vitalium in toto corpore et est primum principium omnium membrorum quantum ad *esse,* ut dicit Philosophus; sed caput est principium virium animalium, quae pertinent ad sensum et ad motum.

[2] Haec illius aetatis doctrina sumta esse videtur ex Avicenna, I. Canon. Fen 1. Doctrin. 5. c. 1, qui, postquam prius statuit, « quod est membrum *suscipiens et tribuens,* et membrum *tribuens et non suscipiens,* et membrum *suscipiens et non tribuens,* et membrum *neque tribuens neque suscipiens* », disserit sic: De membri autem tribuentis et suscipientis inventione non dubitamus. In cerebro namque et hepate omnes convenerunt medici, quod unumquodque eorum virtutem vitae suscipit et calorem naturalem et spiritum a corde; et unumquodque eorum principium habet virtutis, quam aliis tribuit. Sed cerebrum quidem praebet sensum secundum quosdam absolute, et secundum quosdam non absolute; et hepar est principium nutrimenti secundum quosdam absolute, et secundum quosdam non absolute. De membri autem suscipientis et non tribuentis inventione non dubitamus, sicut caro est, quae sentiendi virtutem et vitae suscipit, et non est alicuius virtutis principium, quam alii ullo modo tribuat. De aliis vero duabus divisionis partibus, in una earum medici a magno philosophorum [i. e. Aristot.] diversificati sunt. Philosophorum namque magnus dixit, quod membrum tribuens et non recipiens est cor; ipsum enim est omnium virtutum prima radix et omnibus aliis membris suas tribuit virtutes, quibus nutriuntur et vivunt et quibus comprehendunt et quibus movent. Medici autem et quidam primorum philosophorum [ut Plato, qui, cum tres animas esse vellet, unicuique earum etiam membrum quoddam speciale ut sedem addixit: cerebrum, cor et iecur] has virtutes in membris partiti sunt, et non dixerunt, quod sit membrum tribuens et non suscipiens. Et Philosophi quidem sermo, cum subtiliter certificatur, est *veracior,* sed medicorum sermo, in primis cum attenditur, est *magis manifestus* etc. Cfr. ibid. Doctrin. 6. c. 1, et Averroes, in II. de Partib. animal. c. 7. et II. Colliget, c. 9, ubi sententiam Aristot. defendit contra Galenum.

[3] Pro *hoc* edd. cum nonnullis codd. *solum,* codd. F G I L T U V Z (K aa primitus) vitiose *non.* Circa finem arg. pro *primo* codd. II M O bb *potest,* et pro *continuare* edd. *continere.*

[4] Marc. 11, 9. Exemplum allatum est ex Num. 13, 24. — Vat. *ut botrus in palmite vel palo* [i. e. paxillo, quo sustentatur vitis; cfr. Du Cange etc.].

SCHOLION.

I. Cum Christus constitutus sit *caput super omnem Ecclesiam* (Eph. 1, 22.), quaeritur, ad quos se extendat ista relatio, quae est inter caput et membra, tum quoad homines, tum quoad Angelos. Manifestum est, quod Christus nullatenus sit caput *damnatorum* hominum et daemonum; item, quod actu sit caput *beatorum* hominum animarumque in *purgatorio* existentium. Quoad *viatores*, cum Ecclesia sit corpus Christi mysticum, iidem, qui membra sunt Ecclesiae, etiam membra sunt Christi, divini Ecclesiae capitis. Constat autem, quod Ecclesiae membra sunt non *soli praedestinati*, ut praeter Calvinum docuit Huss (cfr. art. 1. 20. 21, a Concil. Constant. condemnati, et propositio 73. Quesnelli, damnata a Clemente XI. an. 1713), neque *soli iusti*, ut cum Donatistis multi alii haeretici docuerunt, quod pluries reprobavit Ecclesia, praesertim in Conc. Trident. (Sess. VI. can. 28.) et an. 1794 Pius VI. contra Synodum Pistoriensem (Bulla *Auctorem Fidei*, prop. 15.). — Sed notandum est, secundum varios modos et gradus posse aliquem esse membrum Ecclesiae, et per consequens etiam Christum esse eius caput. Quinque gradus recenset S. Thom. (S. III. q. 8. a. 3.) dicens: « Primo et principaliter est caput eorum qui *actu* uniuntur sibi per *gloriam*; secundo eorum qui *actu* sibi uniuntur per *caritatem*; tertio eorum qui *actu* uniuntur sibi per *fidem*; quarto vero, qui sibi uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, quae tamen est ad actum *reducenda* secundum divinam praedestinationem; quinto vero eorum qui in *potentia* sunt sibi unita, quae *nunquam* reducetur ad actum ». — Nonnulli autem propter convenientiam in natura et propter gratias actuales, quas Salvator omnium solet etiam infidelibus largiri, adhuc amplius extendunt rationem capitis; sed tunc sumitur haec ratio in sensu non proprio. *Generali* enim quadam ratione dici potest, Christum esse caput omnium hominum viatorum in omni tempore.

II. Quoad Angelos Guliel. Antissiodorensis (Summa aurea p. III. tr. 1. c. 4. q. 2.) aliique pauci negaverunt, Christum esse caput bonorum Angelorum. In *explicatione* autem contrariae et communissimae sententiae non conveniunt theologi. Nam cum Scoto non pauci, etiam ex ipsa schola S. Thomae, tenent, Christum influere in Angelos gratiam et gloriam non tantum *accidentalem* (ut docet S. Bonav. nec non, ut videtur probabilius, ipse S. Thom.), sed etiam *essentialem*. Hoc profitentur praecipue qui rationem incarnationis a lapsu protoparentum non dependere dicunt (cfr. supra d. 1. a. 2. q. 2.). — Quod Christus sit caput Angelorum, docet S. Bonav. etiam supra d. 1. a. 2. q. 2. ad 7, infra d. 14. dub. 4; Breviloq. p. IV. c. 3.

III. Alex. Hal., S. p. III. q. 12. m. 2. a. 2. § 1-4. et a. 3. § 1. — Scot., III. Sent. d. 19. q. unica n. 8. seqq., d. 7. q. 3. — S. Thom., hic q. 2. a. 2; S. III. q. 8. a. 3. 4. — B. Albert., hic a. 2. 9. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Christus est caput, in quo sunt omnes sensus, in Sanctis vero quasi solus tactus.* Sed *contra:* Origenes super Leviticum [1] distinguit quinque sensus spirituales, correspondentes quinque corporalibus. Et ibidem dicit, quod omnes illi sensus sunt in viris sanctis et spiritualibus: ergo nihil dicit, quod in Sanctis est solus tactus. — Item, in spiritualibus tactus est sensus nobilior et perfectior, pro eo quod magis iungit de proximo ei, in quo est summa nobilitas, utpote Deo: ergo videtur, quod multo magis quam tactus deberent alii sensus in viris sanctis reperiri.

Quaestiones incid.

Est igitur quaestio, quid Augustinus hic vocet quinque sensus spirituales. Et iuxta hoc, quid sint sensus spirituales, et qualiter distinguantur.

Respondeo: Dicendum, quod *sensus* nominat usum alicuius potentiae existentis *in re* vivente et *a re* vivente secundum naturam [2]. Per hunc etiam modum in spiritualibus *sensus* dicit usum donorum gratuitorum, quae quidem dona sunt eo vitalia, quo sunt gratuita. — Potest igitur *sensus* accipi *large* pro quocumque usu gratiae perfecto et evidenti. Et sic accipit Augustinus in littera [3], cum dicit, quod in Christo fuerunt « omnes sensus, in aliis vero solus tactus »; quia Christus habuit dona gratiarum quantum ad habitus et eorum usus in omnimoda plenitudine numerositatis et perfectionis; alii vero habent, quantum sufficit ad usum vitae spiritualis. Et quia *tactus* est sensus maxime necessarius vitae [4], ideo dicit, quod in aliis Sanctis est solus tactus. Unde sicut animal perfectum excedit animalia imperfecta in nobilitate vitae et integritate sensuum; sic Christus in gratiae plenitudine excellentiam habet respectu omnium Sanctorum.

Sensus large sumtus.

Alio modo *sensus* potest dici *stricte;* et sic *sensus spiritualis* dicitur usus gratiae interior respectu ipsius Dei secundum proportionem ad quinque sensus. Et sic accipit Origenes et Bernardus [5], qui distinguunt quinque sensus interiores, quorum numerum

Sensus stricte sumtus.

---

[1] Homil. 3. n. 7. Exponens ibi verba Lev. 5, 16: *Partem quintam ponet supra*, ait: Quinque numerus frequenter, immo pene semper pro quinque sensibus accipitur. Scire ergo debemus, hoc modo istos quinque sensus in sanctis actibus posse restitui, ut si forte praesumsimus abuti eis in saecularibus actibus... restituamus nunc et ipsos quinque sanctis actibus religiosisque ministeriis, et alios his quinque addamus, qui sunt interioris hominis sensus, per quos vel mundi corde effecti Deum videmus, vel aures habemus ad audienda ea quae docet Iesus etc. — Paulo inferius pro *ergo nihil dicit* edd. *ergo male dicit.*

[2] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 13. et 52. seqq. (c. 2. et 5.), ubi quod hic de sensu dicitur, *largiore* modo accepto, insinuatur de ipso *stricte* sumto, sive prout est potentia organica.

[3] Hic, in principio.

[4] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 17. seqq. et 27. seqq. (c. 2. seq.), nec non III. text. 60. seqq. (c. 12. seq.).

[5] Serm. 10. de Diversis, n. 1. seqq., et de Natura et dignitate amoris (inter Bernardi opera, sed verus eius auctor est Gulielmus, abbas S. Theoderici), c. 6. n. 15; c. 7. n. 16. seqq. et c. 10. n. 28. seqq. — Paulo superius pro *interior* codd. M O *interius.*

facile est assignare. Quilibet enim illorum sensuum, sicut vult Bernardus, radicem habet in *intellectu* et *affectu*, pro eo quod cognitionem experimentalem dicant. Sed quidam se magis tenent ex parte *intellectus*, ut visus et auditus; quidam ex parte *affectus*, ut odoratus, gustus et tactus. Et sufficientia patet sic: quia ex parte intellectus contingit dupliciter circa cognitionem alicuius exerceri: aut *proprio intuitu*, et sic est visus; aut *aliena excitatione* sive instructione, et sic auditus. — Circa *affectionem* vero triplicem contingit reperire statum: aut in *remotione*, et sic odoratus; aut in *approximatione*, et sic gustus; aut in *unione*, et sic tactus, qui est perfectior inter omnes sensus et spiritualior propter hoc, quod maxime unit ei qui est summus spiritus; propter quod dicitur primae ad Corinthios sexto [1]: *Qui adhaeret Deo unus spiritus est.* — Ex his patet littera et responsio ad quaesita. Aliter enim Augustinus accipit sensus quam Origenes et Bernardus. Patet etiam illud quod ultimo quaerebatur [2].

Notandum.

Sufficientia assignati numeri.

Ad quaestiones incidentes.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Sanctis dat Deus spiritum ad mensuram. Contra*, Iacobi primo [3]: *Qui dat omnibus affluenter* etc.; Glossa: « Omnia dat omnibus non in mensura »: ergo etc. — Item, eadem largitate et liberalitate dat gratiam membris, qua dat gratiam capiti; sed primum fecit largitate immensa: ergo et secundum.

Respondeo: Dicendum, quod cum dicitur Deus dare spiritum non ad mensuram sive non in mensura, hoc dupliciter potest intelligi: vel quia fiat privatio mensurae respectu *doni dati*; et sic accipit Augustinus, cum dicit [4], quod Sanctis non convenit illud quod dicitur de Christo, quod datus sit ei spiritus non ad mensuram. Alio modo potest intelligi privatio mensurae respectu *largitatis ipsius impartientis*; et sic intelligitur illa Glossa praedicta, quoniam non intendit dicere, quod gratia collata unicuique sit sine mensura, cum dicat Apostolus [5]: *Unicuique, sicut mensus est Deus mensuram fidei*; sed hoc vult dicere, quod illa gratia confertur ex liberalitate immensa, cuius signum est, quod *omnibus dat affluenter et non improperat.* Et sic patet responsio ad obiecta. — Posset etiam dici, quod Augustinus intelligit respectu *singularis personae*, sed praedicta Glossa respectu *totius Ecclesiae*; et ideo non est controversia, quoniam in Ecclesia est plenitudo numerositatis, quae excedit mensuram cuiuslibet Sancti, sicut dictum est supra [6].

Distinctio.

Distinctio.

Aliter.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Acceperunt de plenitudine non secundum essentiam, sed secundum similitudinem.* Videtur enim falsum dicere, quoniam secundum hoc posset dici, quod accepimus de plenitudine gratiae Petri secundum similitudinem; habuimus enim gratiam similem ei. — Item, huic expositioni videtur littera sequens in textu Evangelii [7] repugnare, cum additur: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est*; sed Moyses illam eandem Legem communicavit aliis, quam suscepit: ergo Christus eandem gratiam. — Item, nos participamus carni et sanguini eius per veritatem et substantiam [8]: ergo pari ratione et gratiae; aut si non, quaeritur: quare non?

Respondeo: Dicendum, quod cum dicitur aliquis accipere de aliquo, *de* potest importare habitudinem *partis ad totum*, sicut [9] aliquis accipit de vino, quod est in dolio; vel potest importare habitudinem *principiati ad principium*, sicut, si aliquis accendat candelam ad ignem alterius candelae, dicitur accepisse de eius lumine. In utraque autem harum comparationum haec praepositio *de* importat aliquam unitatem et convenientiam; sed in prima notat convenientiam in *substantia* et natura, in secunda vero notat convenientiam in *conformitate* quadam, quae attenditur secundum aliquod commune [10]. — Quoniam ergo gratia Christi non fuit transfusa in nos per decisionem partis a parte, sed efficaciam habuit, ut Deus nobis consimilem gratiam daret merito gratiae Christi; hinc est, quod Magister dicit, nos accepisse de gratia Christi; non quantum ad *essentiam*, sed quantum ad *similitudinis convenientiam*, nolens per hoc excludere redundantiam et influentiam gratiae capitis, sed volens auferre divisionem et transmutationem gratiae ab uno subiecto in aliud, ne falso intelligatur illud verbum evangelicum. — Nec est simile de Lege et corpore Christi respectu gratiae, quia tam Lex quam Christi corpus potest transferri de manu in manum, non

Distinctio.

Ad obiect. 2.

---

[1] Vers. 17. — Paulo ante pro *unit ei* edd. cum paucis codd. *unitur ei*, et dein pro *propter quod* cod. K *propter hoc quidem.*

[2] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 4; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[3] Vers. 5. — Glossam, quae est *interlinearis*, Lyranus sic affert: Quia dona eius non sunt ad mensuram.

[4] In Ioan. Evang. tr. 14. n. 10. Cfr. supra pag. 278, nota 1.

[5] Rom. 12, 3: Unicuique, sicut Deus divisit mensuram fidei. Cfr. II. Cor. 10, 13. — Voci *mensuram* edd. praemittunt *secundum*, et deinde pro *sed hoc* substituunt *sed hic.*

[6] Supra a. 1. q. 3, et d. 4. a. 2. q. 2. ad 2. — De hoc dubio vide S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[7] Ioan. 1, 17. — Pro *repugnare*, edd., omissis (etiam in codd. G H) verbis *in textu Evangelii*, exhibent *contradicere*, cod. G *esse contraria.*

[8] Cfr. I. Cor. 10, 16.

[9] Cod. A *sicuti si*; edd. sic: *sicut cum aliquis dicitur accipere de vino.* Paulo inferius pro *de eius lumine* edd. *de lumine alterius candelae.*

[10] Cfr. I. Sent. d. 5. a. 1. q. 2.

sic gratia de subiecto in subiectum [1]. Et per hoc patet totum.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sane potest dici, ipsum secundum hominem a conceptione accepisse gratiae plenitudinem;* quoniam super illud Lucae quarto [2]: *Hodie impleta est Scriptura*, dicit Glossa: « Prae omnibus Sanctis unctus est unctione spirituali, quando descendit super eum Spiritus sanctus in specie columbae »; sed hoc fuit, quando iam erat triginta annorum: ergo non ab ipsa conceptione. — Item, si ab ipsa conceptione habuit plenitudinem, frustra ergo descendit super eum Spiritus sanctus, dum baptizatur a Ioanne, sicut dicitur Lucae tertio et Matthaei tertio [3].

Distinctio. Respondeo: Dicendum, quod est loqui de plenitudine secundum *existentiam* [4] et secundum *apparentiam* et secundum *redundantiam*. Dico ergo, quod in Christo ab instanti conceptionis fuit plenitudo secundum *existentiam*, quia omnem habuit gratiae perfectionem. — Secundum autem *apparentiam* fuit in descensu columbae, ubi testimonium habuit de supernis, quod ipse esset unigenitus Filius Dei; et tunc apparuit, quod omni gratia plenus fuit, cum Spiritus sanctus in columbae specie super eum requievit. Unde in temporibus retroactis per opera exteriora apparebat *proficere*, sed tunc apparuit omni bono *repletus esse* [5]. — Secundum *redundantiam* fuit ex tunc et deinceps, quia ex tunc aliquos sanctificavit et verba vitae disseminavit et nostrae postmodum reparationis mysterium consummavit. — Et sic patet, quod non est controversia, quoniam illa Glossa intelligitur quantum ad *redundantiam*, vel *apparentiam*; non sic littera praesens.

Dub. V.

Item quaeritur de illa responsione Magistri, qua explanat verba Ambrosii, ultimo capitulo dicens: *Proficiebat humanus sensus in eo secundum ostensionem et aliorum hominum opinionem.* Videtur enim insufficienter dicere, quod ita possit dici de sensu Dei, quod proficiebat secundum ostensionem. — Item, non videtur ista expositio sufficere ad intellectum Ambrosii, quia Ambrosius vult probare duas naturas et duos sensus in Christo, per hoc quod Christus *proficiebat*. Si ergo veritas naturae non probatur nisi per veritatem profectus [6], omnino videtur velle intelligere Ambrosius, quod Christus profecerit veraci profectu.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio Magister veritatem dicit; sed aliquid plus voluit dicere Ambrosius, non tamen tantum voluit dicere, quantum verba sonare *videntur*. *Videtur* enim in his verbis sensisse, quod Christus secundum humanam naturam habuit ignorantiam, quae expulsa fuit per scientiam acquisitam. Propter quod sciendum, quod *non* vult illud dicere, sed hoc vult dicere, quod sensus *exterior* profecerit veraciter quantum ad cognitionem experientiae. Unde si dicat, illum puerum *ignorasse*, non est aliud dicere quam *inexpertum esse;* et per hoc satis probatur veritas humanae naturae, quia talis experientia competit ei secundum naturam assumtam. Sed haec melius erunt manifestanda, cum agetur de Christi scientia, quod quidem fiet in distinctione proxima [7]. Notandum.

DISTINCTIO XIV.

Cap. I.

Si anima Christi habuit sapientiam parem cum Deo, et si omnia scit, quae Deus.

Hic quaeri opus est, cum anima Christi esset sapiens sapientia gratuita, utrum habuerit sapientiam aequalem Deo sive omnium rerum scientiam habuerit vel habeat, id est, utrum omnia sciat, quae Deus scit. — Quibusdam placet, quod nec parem cum Deo habeat scientiam nec omnia sciat, quae Deus, quia in nullo creatura aequatur Creatori. Cum igitur anima illa creatura sit, in nullo aequatur Creatori, ergo nec in sapientia. Non ergo habet aequalem cum Deo sapientiam nec scit omnia, quae Deus. Item, si anima illa aequalem habet cum Deo sapientiam, non ergo Deus in omni bono maiorem habet sufficientiam quam eius creatura. — Inducunt etiam auctoritates ad idem probandum. Ait Opinio 1. Dubium 1. Auctoritates.

---

[1] Quia gratia est accidens (II. Sent. d. 26. q. 3. seq.), et nullum accidens transire potest de subiecto in subiectum, ut Boeth. docet, de quo videsis tom. I. pag. 462, nota 11. — De hoc dub. cfr. B. Albert., hic a. 5; S. Thom., hic circa lit. (ubi est haec sententia: « Quod sumitur ibi similitudo *active*, in quantum scil. Christus sibi alios assimilat in gratia... quod alii [v. gr. Petro] non convenit »); Petr. a Tar., hic circa lit.

[2] Vers. 21. — Glossa sumta est ex Beda, in hunc loc.

[3] Luc. 3, 21. seq.; Matth. 3, 16. seq.

[4] Pro *existentiam* edd. hic et paulo inferius perperam *excellentiam*.

[5] Nota hic quod Hug. a S. Vict., Qq. in Epist. ad Phil. q. 9, bene ait: Tunc res dicitur fieri, quando innotescit. Cfr. etiam supra pag. 62, nota 7. et d. 3. p. II. a. 3. q. 2. ad 1. — Mox post *deinceps* cod. F adiicit *exstitit*, et subinde pro *aliquos* cod. K substituit *alios*. Post pauca pro *mysterium* edd. cum non paucis codd. perperam exhibent *ministerium*.

[6] Cod. K *profectionis*, edd. *perfectionis*.

[7] Art. 3. q. 2. — Cod. bb addit *dante Domino*. — De solut. huius dubii vide etiam B. Albert., hic a. 10. seqq.; S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

enim Propheta[1] ex persona hominis assumti: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, et non potero ad*
Cassiodorus. *eam.* Quod exponens Cassiodorus ait: « Veritas humanae conditionis ostenditur, quia homo assumtus divinae substantiae non potest aequari in scientia, vel in
Dubium 2. alio ». Apostolus[2] etiam ait: *Nemo novit quae sunt Dei, nisi Spiritus Dei, qui solus scrutatur omnia, etiam profunda Dei.* His aliisque pluribus rationibus et auctoritatibus nituntur qui animam Christi asserunt nec parem cum Deo habere scientiam, nec omnia scire, quae Deus, quia si omnia scit, quae Deus, scit ergo creare mundum, scit etiam creare se ipsam.

Quibus respondentes dicimus, animam Christi per
Opinio Magistri. sapientiam gratis datam in Verbo Dei, cui unita est quod[3] etiam perfecte intelligit, omnia *scire*, quae Deus *scit*, sed non omnia *posse*, quae potest Deus, nec ita
Dubium 3. clare ac perspicue omnia capit, ut Deus; et ideo non aequatur Creatori suo in scientia, etsi omnia sciat, quae et ipse; nec eius sapientia aequalis est sapientiae Dei, quia illa multo est dignior digniusque et perfectius omnia capit quam illius animae sapientia. Ergo et in scientia maiorem habet sufficientiam Deus quam anima illa, quae dignior est omni creatura. Illud vero Apostoli, quod inducunt: *Nemo novit quae Dei sunt nisi Spiritus Dei, qui solus scrutatur omnia*, pro nobis facit. Mox enim addit Apostolus[4]: Nos autem Spiritum Dei habemus, ut per *Spiritum*, quem habebat, Dei profunda se scire ostenderet. Sed anima illa prae omnibus Spiritum Dei habuit, cui *Spiritus non est datus ad mensuram*, ut ait Ioannes Evangelista. Dona igitur Spiritus sancti sine mensura habuit, ergo et sapientiam. Omnia ergo scivit anima illa. Si enim quaedam scivit, quaedam non, non sine mensura scientiam habuit; sed sine
Fulgentius. mensura scientiam habuit: scit igitur omnia. Fulgentius[5] etiam in sermone quodam multa inducit, quibus asserit, animam illam rerum omnium scientiam habere, utens auctoritate Apostoli dicentis: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* Quod etiam ratione probari potest sic: nihil scit aliquis, quod eius anima ignorat; sed Christus secundum omnium concessionem omnia scit: ergo anima eius omnia scit. — Ad id vero quod dicunt: si omnia scit, ergo scit creare mundum vel se ipsam; respondemus, quod *scientiam* habet creandi mundum, sed non *potentiam*, et creandi animam; et scit, quomodo Deus se[6] ipsam creaverit: habet ergo scientiam sui creatae, sed non sui creandae, quia non est creanda, sed creata.

Cap. II.

Quare Deus non dedit illi animae potentiam omnium, ut scientiam.

Si vero quaeritur, quare Deus non ei dederit *potentiam* faciendi omnia, ut *scientiam;* responderi potest, quia naturaliter capax est scientiae; et ideo id ei congrue datum est sine mensura, cuius ipsa naturaliter capax est. Non est autem ei datum posse facere omnia, quae Dub
Deus facit[7], ne omnipotens, et per hoc Deus putaretur. Verumtamen forte nec potentiam faciendi omnia ei Deus praestare potuit, etsi potentiam faciendi aliqua, quae non facere potest. Scit igitur anima Christi omnia, quae Deus, in Verbo Dei, quod liquidius et praesentius omni creaturae contemplatur ut ei unita, in quo etiam Angeli et quae Dei sunt et quae futura sunt cognoscunt.

Sed si anima illa non habet tantam potentiam, Obii
quantam et Deus, nec homo assumtus tantam potentiam, quantam et Deus; quomodo ergo intelligitur illud Ambrosii super Lucam[8], ubi Angelus de nascituro Filio Am
Virginis ait: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur?* Non ideo, inquit, erit magnus, quod ante partum Virginis magnus non fuerit, sed quia potentiam, quam Dei Filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus, ut una sit persona homo et Deus. — Ecce aperte dicit, quod homo erat accepturus ex tempore potentiam, quam habuit Dei Filius naturaliter. Sed si homo accepturus erat illam potentiam, ergo vel *persona*, vel *natura* hominis; sed *persona* non, quia semper habuit et habet: ergo *natura;* si *natura:* ergo *anima.* Nam de carne constat, quod accipere non posset. — Ad quod dicimus, illud esse accipiendum de Solu
persona, sed non in quantum est Dei, immo in quantum est hominis persona. Una est enim persona Dei et hominis, Filii Dei et filii hominis, quae, in quantum est Dei persona, semper et naturaliter omnipotentiam habuit, sed in quantum est hominis, non semper fuit. Illa ergo persona, quae semper fuerat Dei, futura erat hominis persona; et secundum hoc, quod futura erat hominis persona, acceptura erat ex tempore potentiam, quam naturaliter et semper habuerat, in quantum Dei persona. — Secundum hanc distinctionem illud et similia sane accipi possunt. Quae distinctio in pluribus quaestionum articulis est necessaria adversus quorumdam perplexam verbositatem[9]. Sed cum de rebus constat, in verbis frustra habetur controversia.

---

[1] Psalm. 138, 6; et Cassiod. Exposit. in Psalter. loc. cit. ad v. 5. — Quoad doctrinam cfr. Hugo a S. Victore Sum. Sent. tr. I. c. 16, et opusculum de Sapientia animae Christi.

[2] Epist. I. Cor. 2, 11. 10. — Inferius post *scire, quae Deus* edd., excepta 1, adiiciunt *scit*, et deinde codd. A B C et ed. 5 post *omnia scit* omittunt *quae Deus.*

[3] Vat. et ed. 4 *unde*, et pro *etiam* codd. A D et edd. 1, 8 *et.*

[4] Loc. cit. v. 12. — Locus seq. est Ioan. 3, 34.

[5] Epist. 14. ad Ferrandum, q. 3. n. 29. Locus Scripturae est Coloss. 2, 3.

[6] Edd. 1, 8 omittunt *se.*

[7] Edd. 1, 8 *fecit, ne anima*, addentes *anima.* Porro ante *in Verbo Dei* solae edd., excepta 1, repetunt *scit.*

[8] Apud Lyranum ad hunc locum Luc. 1, 32, sub nomine Ambrosii; invenitur autem apud Bedam, homil. in Annunt. — Supra post *assumtus* edd. 1, 8 omittunt *tantam potentiam.*

[9] Cod. D *volubilitatem.*

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XIV.

De plenitudine scientiae, quam habuit anima Christi, specialiter.

Hic quaeri opus est, cum anima Christi etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de plenitudine gratiae et scientiae communiter, in hac vero parte agit de plenitudine scientiae specialiter. Dividitur autem pars ista in partes duas. In quarum prima ostendit, in Christo fuisse omnem scientiam secundum humanam naturam. In secunda vero inquirit, utrum anima Christi habuit omnipotentiam, sicut omnium scientiam [1], ibi: *Si vero quaeritur, quare Deus non ei dederit potentiam* etc.

Pars prima habet tres. In quarum prima proponit quaestionem de omniscientia animae Christi. In secunda vero ponit determinationem secundum aliorum aestimationem, ibi: *Quibusdam placet, quod nec parem cum Deo.* In tertia vero determinat secundum suam opinionem, ostendens, animam Christi habuisse omniscientiam [2], ibi: *Quibus respondentes dicimus* etc.

Similiter secunda pars principalis habet tres particulas. In quarum prima determinat Magister, quare anima Christi non habet omnipotentiam, sicut omniscientiam. In secunda vero opponit contra suam determinationem, ibi: *Sed si anima illa non habet* etc. In tertia vero dissolvit et solutionem suam multis quaestionibus adaptat [3], ibi: *Ad quod dicimus, illud esse accipiendum* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio circa tria.

Primo enim quaeritur de scientia, quam anima Christi habuit de Verbo.

Secundo vero de scientia, quam anima Christi habuit in Verbo.

Tertio de scientia, quam anima Christi habuit a Verbo.

Circa primum quaeruntur tria.

Primum est, utrum anima Christi aliam cognitionem habeat de Verbo, quam sit ipsum Verbum.

Secundum est, utrum anima Christi in cognoscendo comprehendat Verbum [4].

Tertium est, utrum anima Christi defigat aspectum in ipsum lumen aeternum.

ARTICULUS I.

De scientia, quam anima Christi habuit de Verbo.

QUAESTIO I.

Utrum anima Christi cognoscat Verbum alia cognitione, quam illa quae est ipsum Verbum.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum anima Christi cognoscat Verbum cognitione alia, quam illa quae est ipsum Verbum. Et quod cognoscatur Verbum ab illa anima sine alia sapientia media, videtur:

1. Quia Verbum increatum non tantum est *sapientia*, sed etiam *fons sapientiae*, sicut dicitur primo [5] Ecclesiastici; sed sapientia unita animae non cognoscitur mediante alia, quia sic esset abire in infinitum: cum ergo Verbum, quod est sapientia, sit animae Christi unitum; videtur, quod se ipso cognoscatur et non per aliquem habitum medium.

Ad oppositam.

2. Item, ad cognitionem naturae nihil plus requiritur nisi *cognoscens* et *cognoscibile* et *unio* unius ad alterum [6]; sed Verbum increatum *unitur* ipsi

---

[1] Codd. C M U V *sicut omniscientiam*, cod. T *omnem scientiam*. Paulo inferius pro *Pars prima* complures codd. *Pars ista*.

[2] Codd. aa bb hic *omnem scientiam*, et cod. aa etiam paulo inferius *omnium scientiam*.

[3] Edd. *dissolvit oppositionem et determinationem suam multis rationibus adaptat*.

[4] Edd. adiiciunt *sibi unitum*, quod additamentum habetur etiam infra in ipsa (2.) quaestione.

[5] Vers. 5: Fons sapientiae verbum Dei in excelsis etc. — In *minori* pro *cognoscitur* codd. B C D E F G I L U Z aa bb perperam *cognoscit*, et in conclus. pro *cognoscatur* edd. cum cod, cc pariter falso *cognoscat*.

[6] De iis quae ad cognitionem requiruntur, deque ipsa cognitione et eius speciebus (quae in procedentibus argg. tanguntur) vide I. Sent. d. 3. p. I. q. 1. et d. 17. p. I. q. 4. — In *minori* cod. U post *animae Christi* perperam addit *cognitione alia, quam illa quae est Verbum ipsum et quod cognoscatur*.

animae Christi omnino immediate: ergo videtur, quod sicut se ipso unitur, ita se ipso absque medio ab anima Christi cognoscatur.

3. Item, aeque intimum vel magis est Verbum unitum ipsi animae, sicut anima sibi, vel sicut aliquis habitus, qui sit in anima; sed anima Christi cognoscit se ipsam per sui essentiam, cognoscit etiam habitus, qui sunt in ipsa se ipsis, non per medium[1]: ergo pari ratione et Verbum sibi unitum.

4. Item, natura humana in Christo unita est Verbo in unitatem personae et hypostasis: ergo cum talis unio faciat communicationem proprietatum[2], eodem modo cognoscit Christus homo ipsum Verbum increatum, quo Verbum cognoscit se ipsum; sed Verbum cognoscit se ipsum non per aliquem habitum medium: ergo et Christus homo. Sed nihil scit Christus nisi quantum ad animam secundum humanam naturam: ergo anima Christi cognoscit ipsum Verbum per sapientiam, quae est Verbum.

Sed contra: 1. Sapientia sive cognitio est perfe-
Fundamenta. ctio intellectus et illud quo intellectus cognoscit formaliter[3]; sed Verbum increatum non potest uniri animae, sicut perfectio perfectibili: ergo necesse est, quod praeter sapientiam, quae est ipsum Verbum, anima Christi habeat habitum creatum sive ad cognoscendum Verbum, sive aliud.

2. Item, Deus est intimus omni animae et praesentissimus, non tamen ab omnibus videtur, sed solum a Beatis; hoc autem non est propter diversitatem a parte *cogniti:* ergo propter diversitatem a parte *cognoscentium*[4]. Ergo si hoc est per aliquid eis datum, videtur ergo, quod ad hoc, quod anima cognoscat Deum, necesse sit, aliquod lumen creatum ei infundi, quod sit in una, et non in alia: ergo videtur, quod anima Christi Verbum sibi unitum cognoscat per alicuius creati luminis adminiculum.

3. Item, quamvis Verbum increatum sit unitum oculo Christi et omnibus partibus corporis, non tamen cognoscitur ab oculo, et hoc, quia non est in eo dispositio ad cognoscendum rem spiritualem[5]: ergo pari ratione, quantumcumque Verbum increatum uniatur animae Christi, nisi anima sit disposita ad videndum Deum per lumen, quod ipsam faciat deiformem, nunquam ipsum intuebitur: ergo videtur, quod Verbum increatum cognoscat per habitum medium.

4. Item, quanto Deus clarius videtur, tanto necesse est oculum esse magis dispositum; sed anima Christi clarissime super omnes creaturas videt Verbum sibi unitum: ergo necesse est, intellectum eius esse maxime dispositum ad hoc. Sed non potest ad hoc disponi nisi per aliquem habitum medium[6]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Cognitio, qua mediante Christi anima cognoscit Verbum sibi unitum, non est ipsum Verbum, sed effectus Verbi et quid creatum.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum quaeritur, utrum *cognitio,* Cognitio in 1. sensu.
qua anima Christi cognoscit Verbum sibi unitum, sit ipsum Verbum, an aliquid creatum; si intelligatur de cognitione *actu,* absque dubio certum est, Conclusio 1.
quod est alia, quia haec *coepit esse* et *est actus* animae et ab anima; Verbum autem est aeternum et non est ab anima, sed a Deo. — Si autem *cogni-* Cognitio in 2. sensu.
tio dicatur, *quo mediante* cognoscimus[7], sic fuit diversitas opinantium.

Quidam enim voluerunt dicere, quod non solum Opinio 1.
in Christo, verum etiam in omnibus aliis Beatis *sapientia,* qua cognoscunt Deum, est sapientia aeterna; et isti etiam ponunt, quod *dilectio* illa, qua Deum diligunt Sancti et Beati, sit ipse Spiritus sanctus. Pro inconvenienti enim habent, quod illa *sapientia,* vel *dilectio* sit accidens et non substantia, cum sit nobilior anima. Item pro inconvenienti habent, quod illa *sapientia* et *dilectio* faciat animam cognoscere et amare, et ipsa non cognoscat et amet, cum nobilior sit res cognoscens non cognoscente. Pro inconvenienti etiam habent, quod *beatitudo* nostra, quae est bonum supremum, consistat in accidentibus. — Sed ad haec omnia supra responsum est libro primo, Improbatur

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 39. a. 1. q. 2. in corp. circa finem.

[2] Edd. *idiomatum.*

[3] Vide Aristot., II. de Anima, text. 24. (c. 2.).

[4] Boeth., V. de Consol. prosa 4: Omne enim quod cognoscitur, non secundum sui vim, sed secundum cognoscentium potius comprehenditur facultatem. — Pro *cognoscentium* edd. cum cod. cc *cognoscentis.* Subinde pro *per aliquid* cod. U *propter aliquid.*

[5] Boeth., V. de Consol. prosa 4: Superior comprehendendi vis amplectitur inferiorem, inferior vero ad superiorem nullo modo consurgit. Neque enim sensus aliquid extra materiam valet, vel universales species imaginatio contuetur etc. — S. Bonav. in Quaest. adhuc inedita de Sapientia animae Christi hoc idem arg. sic proponit: Verbum Dei, quod est sapientia, est unitum oculo, et tamen oculus non est sapiens; ergo ad hoc, quod anima sit sapiens, non sufficit ei unio in hypostasi; ergo necesse est, quod uniatur sicut cognoscens cognoscibili. Omnis autem talis unio est per assimilationem; sed omnis assimilatio est secundum aliquam qualitatem: ergo necesse est, quod ipsi animae detur qualitas spiritualis creata, per quam sit ad cognoscendum idonea; hanc autem vocamus sapientiam creatam: ergo etc.

[6] De quo S. Bonav. in laudata Quaest. inedita sic loquitur: Deus, cum sit lux et sapientia, diversimode cognoscitur a diversis, et ab anima Christi excellentius quam ab aliis; aut ergo hoc est ratione ipsius *Dei cogniti,* aut ratione *potentiae cognoscentis,* aut ratione *alicuius gratiae disponentis.* Non ratione ipsius *Dei,* cum ipse in se nullam habeat varietatem; nec ratione *potentiae cognoscentis* solum, quia tunc qui meliora haberent naturalia sapientiores et meliores essent, quod est falsum: ergo hoc erit ratione alicuius *habitus intermedii disponentis;* sed talis habitus non est nisi sapientia creata: ergo etc.

[7] Sive habitus, mediante quo cognitio elicitur a potentia. — Mox pro *opinantium* cod. Z *opinionum.*

distinctione decima septima [1], et secundo, distinctione vigesima sexta. Haec etiam positio improbata est; unde et communis opinio tenet contrarium. Ponimus enim *sapientiam creatam*, quae est habitus, et *dilectionem creatam*, et *gratiam creatam* et etiam ceteras virtutes. Valde enim absurdum esset dicere, quod *fides* esset Deus et *spes*, et sic de aliis virtutibus, nisi hoc *causaliter* diceretur [2]. Et ideo haec positio inter positiones extraneas numeranda est, pro eo quod nimium recedit a via communi.

Et ideo alii voluerunt dicere, quod quamvis alii
Opinio 2. homines cognoscant Verbum increatum mediante habitu cognitionis creatae, et Christus etiam [3] quantum ad scientiam *comprehensionis*, in qua communicat cum aliis hominibus; tamen quantum ad scientiam *unionis*, cum habeat ipsum Verbum sibi intime unitum, cognoscit absque omni alio habitu medio. Cum enim habeat sapientiam increatam sibi unitam, non per medium, sed per se ipsam, cognoscere potest se ipsa [4]; et hoc est solius illius animae proprium, quae a Verbo est assumta. Sola enim hunc modum cognitionis habet, sicut in ea sola reperitur excellen-
Non probatur. tia talis unionis. — Sed licet illud videatur magis probabile quam praedictum; tamen hoc a veritate deviat, si quis intueatur. Verbum enim non unitur animae Christi in illa beata unione, sicut cognoscibile cognoscenti, vel sicut habitus potentiae, vel perfectio perfectibili; sed est unio in unitate personae, quae potest esse absque cognitione; sicut patet in carne Christi, quae unita est Verbo, et tamen ipsum non cognoscit.

Alium igitur *modum unionis* necesse est esse
Opinio 3. ad hoc, quod anima cognoscat Verbum sibi unitum in unitatem personae; hic autem est per assimilationem cognoscentis ad cognitum, et ita per aliquam influentiam [5], quae ipsam animam cognoscentem faciat Deo similem ac deiformem, et ita per aliquem habitum ipsam animam informantem, qui quidem habitus non potest esse nisi aliquid creatum. Nam quid increatum non potest esse ut forma ipsius animae. — Et propterea dicere oportet tertio modo, quod
Conclusio. anima Christi, sicut et animae aliorum Sanctorum, Verbum increatum cognoscit per *sapientiam creatam*, quae disponit ipsarum animarum potentias cognitivas et conformes reddit, ut illud lumen aeternum cognoscant.

Nec aliter potest intelligi. Quomodo [6] enim potest
Probatur. anima lumen aeternum cognoscere et claritatem summam intueri, quin ipsa efficiatur clara et luminosa? Anima autem Christi, quia a Verbo est assumta, maiorem habet deiformitatem, ac per hoc perfectiorem et eminentiorem cognitionem, quam aliqua anima beata per gloriam. — Unde non est intelligendum,
Corollarium. quod scientia *unionis* distinguatur a scientia *comprehensionis*, quasi non sit per aliquem habitum medium, sed quia excellentior et amplior deiformitas et claritas collata est animae Christi ex hoc, quod Verbo unita est, quam ex hoc, quod simpliciter est beata [7]. — Concedendae sunt igitur rationes probantes, quod anima Christi cognoscat Verbum cognitione aliqua formaliter, quae, inquam, non est ipsum Verbum, sed effectus Verbi, quam, inquam, Verbum facit in anima Christi beatissima.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contra-
Solutio oppositorum. rium, quod ipsum Verbum est sapientia, et sapientia cognoscitur se ipsa; dicendum, quod ipsum Verbum est sapientia [8], *qua* cetera cognoscuntur, tam ipsum Verbum quam ea quae sunt ab ipso. Sed attendendum est, quod ille ablativus potest construi *formaNotandum. liter*, vel *causaliter*. Si *formaliter;* sic sapientia aeterna est sibi ipsi ratio cognoscendi. Si *causaliter;* sic omnia cognoscuntur ipsa, quia facit cetera cognosci; *formaliter* autem non potest intelligi, quia non potest esse forma cognoscentis creati, nisi dicatur *forma exemplaris*. Et quoniam omnis actus cognoscendi perfectus est a sapientia non tantum *effective*, sed sicut a *forma perficiente* ipsam substantiam cognoscentem; hinc est, quod ad cognoscendum fontem sapientiae requiritur sapientia, quae de illo fonte derivatur. Nec est procedere in infinitum, quia ibi

---

[1] Part. I. q. 4. et II. Sent. d. 26. q. 2. — Arg. ex beatitudine petitum invenitur etiam in opusculo de Sapientia animae Christi, quod scripsit Hugo a S. Vict., cuius argumentationem S. Bonav. in memorata Quaest. anecdota tuetur dicens, quod ille « non intelligit, quin per aliquod accidens ad beatitudinem disponamur, sed quod quidquid est accidens, habet potius rationem viae ductivae ad alterum quam quietativi ».

[2] Cfr. infra dub. 2. — Paulo inferius pro *nimium* codd. A aa *nimis*.

[3] Pro *etiam* cod. M *similiter*, plures alii codd. *est;* edd. omittunt *etiam* nec non paulo post *in qua*. Deinde post *communicat* cod. V subiicit *esse*.

[4] Ita codd. I L Z aa bb et edd., alii codd. *se ipsam;* fortasse lectio vera est *se ipsam se ipsa* (ablativus). — Hugo in commemorato opusculo de Sapientia animae Christi, circa finem, ait: Sed in rebus dubiis, si manifesta auctoritate non valeo, ab aliis quidem sic accipi volo, ut quaerentem me adiuvent, invenientem non refutent. Quicumque autem in eo persistunt, ut hoc asserere contendant, quod alia fuerit illa sapientia, qua anima Christi sapiens exstitit, alia quae animae Christi unita fuit; ego nemini praeiudicium facere volo; videant ipsi, quo sensu hoc asserant, ne forte carnalis sit, magis sua quam vera pronuntians. Hoc unum ego indubitanter affirmo, quod aut alia sapientia praeter divinam in anima Christi non fuit, aut si alia fuit, qualis [S. Bonav. infra a. 2. q. 3. in corp. *aequalis*] illi non fuit etc. — Post pauca pro *videatur*, quod habent edd. cum pluribus codd., codd. F G I L T W (aa a prima manu) *videbatur*, omittentes *licet*. Mox post *tamen* cod. V interserit *et*.

[5] Quae influentia vulgo vocatur lumen gloriae. — Paulo superius pro *in unitatem personae* edd. cum paucis codd. *in unitate personae*.

[6] Pro *Quomodo* codd. U V *Non*. Paulo superius pro *animae aliorum* cod. K *anima aliorum*. Aliquanto inferius pro *aliqua anima beata* cod. K *alia anima beata*, codd. S aa *aliqua alia beata*, cod. Y *aliqua anima creata*.

[7] Cod. K voci *beata* praefigit *substantia*, et paulo inferius edd. vocibus *effectus Verbi* praemittunt *gratia*, omisso subinde *inquam*, pro quo cod. Q exhibet *ipsum*.

[8] Codd. K M O addunt *et sapientia*. Paulo inferius pro *sibi ipsi* codd. I L aa *sibi ipsa*, et subinde *creata* pro *creati*.

est *status*, scilicet in sapientia vel scientia, quae est forma et habitus animae.

2. Ad illud quod obiicitur, quod ibi est cognoscens et cognoscibile et unio; dicendum, quod non Notandum. *quaecumque* unio cognoscentis ad cognoscibile sufficit ad cognitionem, immo requiritur, quod uniantur per *modum cognoscentis*. Sicut enim in opponendo monstratum est, Deus est in omnibus essentialiter et intimus omnibus, et tamen a paucis cognoscitur [1]; et ideo, quamvis Verbum increatum sit animae unitum, non tamen cognoscitur per hoc, quod unitur in unitatem personae, sed per hoc, quod intellectus animae sibi unitae efficitur ei conformis per influentiam luminis. Necesse enim est, intellectum aliquo modo formari et informari ab ipso intelligibili, ad hoc quod ipsum cognoscat.

3. Ad illud quod obiicitur de anima et scientia, quod se ipsis cognoscuntur, et illa quae essentialiter sunt in anima; dicendum, quod *anima* non dicitur cognosci se ipsa, quia *ipsa* sit scientia, qua cognoscit Notandum. se; sed *scientia* [2] se ipsa cognoscitur, quoniam ipsa est unita potentiae cognoscenti, in quantum est cognoscens. De sapientia autem *increata* secus est, tum quia ipsa est supra animam cognoscentem — et ideo oportet elevari per gratiam — tum etiam, quia talis unio non sufficit, nisi alius modus unionis concurrat.

4. Ad illud quod obiicitur de communicatione idiomatum, dicendum, quod verum est, quod ille homo cognoscit Verbum sapientia increata; sed quamvis idiomata communicentur *illi homini*, non tamen Notandum. communicantur *animae* Christi [3]. Nos autem non quaerimus nunc de cognitione, quae detur *illi homini* per idiomatum communicationem, sed quae competit secundum *naturam animae* a Verbo assumtae.

SCHOLION.

I. Agitur in hac distinctione non de divina Verbi cognitione, sed de cognitione et scientia *animae* Christi, cui theologi communiter triplicem tribuunt scientiam, scilicet *beatam*, *infusam* et *acquisitam*. Scientia *beata* est ipsa visio beatifica, qua Deus immediate et clare cognoscitur; *infusa* est scientia inferioris ordinis, tamen « de sursum descendens » (Iac. 3, 15.) et sine propria industria per supernaturalem Dei influxum communicata; *acquisita* vero a rebus propria actione comparatur. De *infusa* et *acquisita* breviter agitur in 3. articulo. Cum autem una scientia *beata* duplex habeat obiectum, scilicet *primarium*, quod est ipse Deus, et *secundarium*, scilicet alias res in divino exemplari cognitas; auctor in 1. art. q. 2. 3. inquirit de *primario* scientiae beatae obiecto, et in 2. art. de *secundario*.

II. In hac 1. quaestione agitur de ipsa visione beatifica ex parte *animae cognoscentis*, utrum scilicet importet scientiam sive habitum *creatum*. Supponitur autem, in Christo homine ab instanti suae conceptionis fuisse visionem beatificam (cfr. supra d. 13. a. 1. q. 3.). In hac quaestione considerari potest vel *potentia* cognoscendi (intellectus), vel *actus*, vel *habitus*. Fide constat contra Apollinaristas, Monothelitas aliosque, quod in Christo fuerit tum *potentia* intellectus humana et creata; tum *actus* intelligendi humanus, cum Synodus oecumenica VI. profiteatur in Christo « duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse » etc. (cfr. Concil. Lateran., an. 649 sub Martino I, can. 9-16, nec non hic initium responsionis et infra d. 17. a. 1. q. 1. 2.). Restat igitur quaestio de *habitu creato*, « quo mediante cognoscimus ».

Opinio prima hic relata tribuitur Ioanni a Ripa et communiter censetur erronea, sicut et secunda. Conveniunt igitur nunc theologi in hoc, quod in Christo fuit scientia creata non tantum quoad *potentiam* et *actum*, sed etiam quoad *habitum* sive *lumen gloriae*, quo per modum formae infuso intellectus assimilatur obiecto increato et intellectus possibilis ad cognoscendum perficitur. Scotus quoad *factum* consentit doctrinae communi, sed Deo *possibile* esse vult, immediate, absque aliqua forma creata, in intellectu visionem efficere, pro qua assertione provocat etiam ad verba Magistri hic in lit. Insuper notamus, quod variae sunt opiniones theologorum circa munera et effectus luminis gloriae. — Distinctionem inter scientiam *unionis* et *comprehensionis* habet etiam Alex. Hal. (S. p. III. q. 13. m. 2. 5.), cuius verba, quae differentiam specificam inter utramque scientiam statuere videntur, a S. Bonav. (in fine corp.) sane explicantur. — Hanc et sequentem quaestionem diffusius probatam invenies in quibusdam auctoris nostri quaestionibus disputatis, a nobis, Deo favente, in volumine V. huius editionis primum publicandis.

III. Alex. Hal., loc. cit. m. 1. — Scot., in utroque Scripto hic q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1-3; S. III. q. 9. a. 1. 2; de Verit. q. 20. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., hic q. unica a. 3. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

QUAESTIO II.

Utrum anima Christi in cognoscendo comprehendat ipsum Verbum sibi unitum.

Secundo quaeritur, utrum anima Christi comprehendat ipsum Verbum sibi unitum. Et quod sic, videtur:

1. Primo per auctoritatem Apostoli ad Colossenses secundo [4]: *In quo plenitudo Divinitatis corporaliter inhabitat*, loquitur de Christo; sed ita cognoscit anima Christi Verbum sibi unitum, sicut habitat in ea: cognoscit ergo omnem plenitudinem eius; Ad oppositum.

---

[1] Scil. visione beatifica (cfr. hic fundam. 2.), vel saltem ut intime praesens. — In fine solut. edd. omittunt *intelligibili*, pro quo cod. M (N a secunda manu) *intellecto*, in pluribus aliis codd. perperam *intellectu*, in cod. S *intellectu increato*.

[2] In edd. desideratur *scientia*.

[3] Cfr. supra d. 6. a. 1. q. 1. ad 6. — Paulo superius post *illi homini* codd. M O addunt *per idiomatum communicationem*. Paulo inferius pro *detur* cod. H substituit *debetur*.

[4] Vers. 9. — In initio quaest. post *anima Christi* edd. cum cod. cc subiiciunt *in cognoscendo*.

et hoc non est aliud quam *comprehendere*: ergo etc.

2. Item, hoc ipsum dicit Damascenus [1]: «In incarnatione Dei Verbi aimus omnem naturam Divinitatis in una suarum hypostaseon incarnatam esse», ergo totum Dei Verbum unitum est humanae naturae in Christo; sed eo modo natum est ab anima Christi cognosci, per quem modum potuit uniri: ergo si totum potuit uniri, videtur, quod in totum habeat cognosci. Sed hoc est comprehendi: ergo etc.

3. Item, Isidorus de Trinitate [2]: «Trinitas sibi soli nota est et homini assumto»; aut ergo loquitur de notitia *qualiscumque* visionis, aut *perfectae* comprehensionis. Si primo modo loquatur, falsum est, quia multis Angelis et hominibus est nota: loquitur ergo de cognitione *comprehensionis*: ergo etc.

4. Item, simplex, cum attingitur, totum attingitur, pro eo quod non habet partem et partem [3]: si ergo Verbum increatum est simplicissimum, videtur, quod totum et totaliter ab anima Christi attingatur, si aliquo modo attingitur. Sed attingitur aliquo modo: ergo comprehenditur. *Si tu dicas*, quod non valet, quia infinitum est, et ideo incomprehensibile; *contra*: sicut vere est infinitum, ita vere est simplex illud Verbum aeternum: ergo sicut ponitur incomprehensibile ratione immensitatis, ita deberet comprehendi ratione simplicitatis.

5. Item, anima Christi cognoscit ipsum Verbum; aut ergo *aliquid* est de claritate et veritate et pulcritudine, quod non cognoscat, aut *nihil*. Si *aliquid*: ergo in Deo est aliquid a Christo cognitum, et aliquid incognitum: ergo aliquid et aliquid, et ita pars et pars; quod non est intelligibile [4]. Si *nihil* est omnino, quod non cognoscat, quia totum est idem ibi; videtur, quod totaliter intra suam cognitionem Deum claudat. Et hoc est Deum comprehendere: ergo etc.

6. Item, si anima Christi non cognoscit ipsum Verbum in sua tota plenitudine, adhuc deficit a cognoscendo aliquid de Verbo cognoscibile: potens ergo est in cognitione illa proficere: ergo cum desideret Deum perfecte nosse [5], videtur, quod desiderium animae Christi non sit impletum, et quod ipsa non pervenerit ad beatitudinis statum perfectum.

7. Item, ille solus est beatus, qui comprehendit quod nos credimus et speramus; sed nos credimus ipsam Verbi immensitatem: si ergo Christus est et fuit beatus, videtur, quod ipsam immensitatem Verbi comprehendat.

Sed contra: 1. Damascenus [6]: «Hoc solum intelligitur de Deo, quod incomprehensibilis est»; sed si anima Christi ipsum comprehenderet, intelligeret ipsum non incomprehensibilem, sed comprehensibilem: si ergo *hoc* a nemine potest intelligi, non potest Verbum increatum ab anima Christi comprehendi. Fundamenta.

2. Item, Augustinus de Videndo Deo [7]: «Illud comprehenditur, cuius fines circumscribi possunt»; sed fines divinae immensitatis a nullo circumscribi possunt: ergo Deus a nulla anima potest comprehendi.

3. Item, omne quod comprehenditur, est finitum comprehendenti [8], ergo quod comprehenditur a finito est ei finitum, et nihil est finitum finito, nisi quod est finitum simpliciter; sed Deus est infinitus simpliciter; anima Christi, cum sit creatura, est finita: ergo non potest comprehendere immensitatem Verbi sibi uniti.

4. Item, quod comprehendit alterum est maius illo, vel saltem ei aequatur, alioquin ipsum claudere intra se non posset; sed impossibile est, creaturam, nec per unionem nec per alium modum, aequari Creatori [9]: ergo impossibile est, quod comprehendat Creatorem: ergo anima Christi Verbum sibi unitum non comprehendit. — His eisdem rationibus ostendi potest, quod nulla anima. Nota.

5. Item, Verbum increatum sic est unitum animae Christi, quod posset uniri alteri [10]; sic habitat in ipsa, quod in multis aliis: ergo sic est in anima sibi unita, quod etiam est extra, cum sit ubique: ergo semper excedit ipsam animam assumtam: ergo si tantum vel plus est extra quam intra, videtur, quod anima Christi non includat ipsum, ac per hoc non comprehendat.

6. Item, si anima Christi posset Verbum increatum comprehendere, posset per consequens aliquid maius cogitare — omni enim, cuius terminos cognoscimus, possumus intelligere aliquid addi — sed

---

[1] Libr. III. de Fide orthod. c. 6. Cfr. supra d. V. lit. Magistri, c. 4. in fine. — Edd. sic: *dicit Damascenus de incarnatione Verbi Dei: Aimus omnem* etc., ac si hoc testimonium sumtum esset ex Damasc. libro de Incarnatione Verbi Dei. In plurimis codd. hoc arg. habetur tertio loco. In fine arg. ante *in totum* edd. interserunt *etiam*, cod. A vero *et*, omisso cum cod. bb (K a secunda manu) *in* ante *totum*.

[2] Distinctius I. Sent. c. 3. n. 1: Sola enim Trinitas sibi integre nota est, et humanitas a Christo suscepta, quae tertia est in Trinitate persona [i. e. Verbum humanatum est una ex tribus personis]. Eadem verba occurrunt in eiusdem Comment. sive Quaestion. in Exod. c. 42. n. 3. (alias 39.), nisi quod pro *humanitas a Christo suscepta* legatur *humanitati susceptae*.

[3] Aristot., de Lineis insecab., ait: Res, quae partibus caret, tangit rem partibus carentem, tota totam, ergo eundem locum possidebunt [duo puncta sese tangentia]. August., VII. de Gen. ad lit. c. 21. n. 28, ostendit, quod quia anima simplex est, cum se novit, totaliter se novit, non secundum partem. Cfr. IX. de Trin. c. 4. n. 7.

[4] Quia Deus summe simplex est, de quo videsis I. Sent. d. 8. p. II. q. 1.

[5] Edd. *noscere*.

[6] Libr. I. de Fide orthod. c. 4.

[7] Sive Epist. 147. (alias 112.) c. 9. n. 21: Id videtur, quod praesens utcumque sentitur, totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possunt.

[8] August., XII. de Civ. Dei, c. 18: Quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur.

[9] Vide Isidor., I. Sent. c. 3. n. 2, et hic lit. Magistri, c. 1.

[10] Cfr. supra d. I. a. 1. q. 3. ad 2. — De *ubiquitate* Dei cfr. I. Sent. d. 37. p. I. per totam.

« Deus est quo maius cogitari non potest », ut dicit Anselmus [1]: ergo Verbum unitum animae Christi, si comprehenderetur ab ipsa, non esset Deus. Sed est Deus: ergo non comprehenditur.

CONCLUSIO.

Deus ab anima Christi et a quocumque intellectu finito non comprehenditur totaliter, licet cognoscatur totus.

RESPONDEO: Ad praedictorum intelligentiam est
Opinio 1. notandum, quod aliqui dicere voluerunt, quod Verbum increatum et ipse Deus non solum ab anima Christi, sed etiam ab aliis animabus beatis habet comprehendi [2], et aliquo modo est incomprehensibilis. Comprehendi enim habet quantum ad *essentiam*, ut dixerunt, quae est finita, et ideo finita, quia in se ipsa simplex et perfecta; dicitur autem et est incomprehensibile quantum ad *potentiam*, quae respicit infinita; nunquam enim potest in tot, quin in plura. Et per hoc dissolvere voluerunt auctoritates Sanctorum et Scripturae [3], quae videntur invicem repugnare. Aliquando enim dicitur, quod Deus est *incomprehensibilis;* aliquando dicitur, quod Beati habent cognitionem *comprehensionis* et sunt *compre-*
Improbatur. *hensores.* — Sed iste modus dicendi in primo libro [4] improbatus fuit, quia impossibile est, quod *potentia* excedat *essentiam.* Unde impossibile est, *potentiam* esse simpliciter infinitam, *substantia* et essentia existente finita. Et ibidem multipliciter ostenditur [5], quod divinum *esse* non solum in relatione ad *nos*, sed etiam *in se ipso* habet immensitatem. Et ideo iste modus dicendi stare non potest; et qui hoc primo dixit postmodum retractavit.

Alii vero dicere voluerunt, quod anima Christi,
Opinio 2. etsi sit finita, tamen ob gratiam unionis sublimatur ad aliquid infinitum; habet enim aliquid, quod est supra omnem creaturae gradum, et quo nihil potest cogitari excellentius; et ex illa parte potest comprehendere Verbum sibi unitum; et hoc est etiam ipsius solius proprium. Et pro tanto dicunt dixisse Isidorum, quod « Trinitas nota est sibi soli et homini assumto ». — Sed nec illud stare potest, quia, quamvis Improbatur gratia unionis dicat aliquid infinitum ratione alterius extremi, tamen ratione animae unitae semper dicit quid finitum et rem virtutis finitae [6]; quoniam anima Christi manet intra terminos creaturae. Et si est virtutis finitae, quomodo potest immensitatem comprehendere rei omnino infinitae et excedentis eam in infinitum?

Et propterea est tertius modus communior, pro- Opinio 3. e conclusio t
babilior et certior, quod nec anima Christi nec aliqua creatura comprehendere potest immensitatem Verbi increati sive ipsius Dei, et tamen ipsum *totum* cognoscit. — Et possunt ista duo simul stare, immo Ratio.
necesse est ponere, quamvis difficile sit intellectui [7] nostro capere. Si enim vere ponimus Deum *simplicem*, immo quia necessarium est sic credere et ponere; si cognoscitur, iam non secundum partem et partem, sed *totus* cognoscitur. *Rursus*, si Deum ponimus *immensum*, quia hoc credimus et fatemur; necesse est ponere, quod nunquam ab intellectu finito comprehendatur *totaliter;* et sic Deus a quacumque Conclusio 2
creatura ipsum cognoscente *totus* cognoscitur, sed tamen non *totaliter*.

Si autem quaeratur, quomodo illud posset intelligi; dicendum, quod difficillimum est intelligere, Notandum de explicatione.
quia plus reperitur in creaturis de dissimilitudine quam de similitudine. — Intelligamus tamen gratia Exemplum 1.
exempli aliquem oculum, cuius aspectus non sit omnino clarus; et intelligamus aliquod parvum album, tamen intensum in luminositate et claritate coloris: oculus ille videbit illud album *totum*, tamen eminentiam illius albedinis non comprehendit; sic suo modo in proposito intelligendum est. Sed non modica est hic dissimilitudo, quia in illo albo *qualitas* differt a *claritate*, in Deo autem est omnino idem. — Et ideo aliud exemplum consuevit poni in puncto, Exemplum 2
qui [8] ratione suae simplicitatis *totus* attingitur ab

---

[1] Proslog. c. 4. — Paulo superius pro *omni enim* [codd. M O *omni enim illi*] edd. *omnium enim.*

[2] Codd. K M O verbo *comprehendi* bene praemittunt *aliquo modo.* Proxime post pro *incomprehensibilis* edd. cum nonnullis codd. vitiose substituunt *comprehensibilis*, et deinde cod. T in fine propositionis seq. post *et perfecta* subiungit *dicitur*, post quod facta interpunctione, alteram propositionem sic incipit: *Est autem et incomprehensibile* [melius poneretur *incomprehensibilis*] etc.

[3] Ier. 32, 19: Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu. I. Cor. 13, 12: Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum. Phil. 3, 12: Sequor autem, si quo modo comprehendam etc. Cfr. Eph. 3, 18. — Paulo inferius pro *cognitionem comprehensionis* codd. K M O *cognitionem comprehensoris*, et subinde pro *et sunt comprehensores*, quam lectionem tuentur codd. A bb, alii codd. cum edd. *et respectu comprehensionis.*

[4] Dist. 43. q. 2.

[5] Scil. contra eos qui contendunt, « quod tam essentia quam potentia est finita secundum veritatem, quia est finita Deo, qui est veritas; sed tamen utraque *nobis* est infinita, quia improportionaliter nos excedit ». — Pro *multipliciter ostenditur* edd. cum nonnullis codd., quorum scriptores verbum abbreviatum *multipliciter* pro verbo *Magistri* habuerunt, exhibent *Magister ostendit*, quae lectio aperte falsa est, cum Magister in dist. commemorata nihil de hoc proferat. Pro *in relatione ad nos*, quae scriptura cod. M (N a secunda manu) procul dubio recta est, cum etiam respondeat contextui loci supra ex I. Sent. d. 43. q. 2. allati, plurimi codd. et edd. 1, 2 *in relatione ad eos*, cod. bb *in relatione ad res*, Vat. *in relatione ad Beatos.* Paulo inferius pro *retractavit* codd. B C G H I L U aa *reiteravit.*

[6] Cfr. supra d. 2. a. 3. q. 2. in fine, d. 13. a. 2. q. 2. in corp. Ambros., I. de Spiritu S. c. 7. n. 81. dicit, quod « omnis creatura certis naturae suae sit circumscripta limitibus ». — Pro *rem virtutis* cod. W *rationem virtutis.* Paulo inferius post *quomodo* cod. M subiicit *ergo.*

[7] Cod. K *intellectu.* Post pauca pro *si cognoscitur* codd. G T U W Z bb *si cognoscatur.*

[8] Plurimi codd. .ncongrue *quod.*

una linea, non tamen comprehenditur, quia potest infinitas lineas terminare [1]. Sed nec adhuc est illud simile, quia in puncto aliud est *virtus*, aliud *essentia*; non sic est in Deo, in quo est omnino idem.

Exemplum 3. — Et ideo tertium exemplum ponendum est in substantia spirituali, quae est imago Dei: quia ipsa *tota* est in una parte corporis, et tamen in illa *non definitur*, quia ratione suae simplicitatis sic est *tota in illa*, quod *tota* est *extra illam* in parte altera [2]; sic et Deus *in* una creatura totus et totus *extra*. Per hunc etiam modum oportet intelligere circa *potentiam intellectivam*. — Sed hoc melius intelligitur ratiocinatione quam exemplorum suppositione. Si quis enim videt, quod in Deo *simplicitas* non opponitur *infinitati*, videre potest, quomodo Deus potest cognosci *totus*, et tamen *non comprehendi*.

Explicatur ratiocinando.

Dupliciter accipitur infinitum.

Propter quod nota, quod *infinitum* accipitur secundum quantitatem, ut dicit Philosophus [3]; Augustinus autem dicit, quod est « quantitas *molis* et quantitas *virtutis* ». Et ita secundum utrumque potest accipi *infinitum*, sed *differenter*. Quoniam enim quantitas *molis* est partibilis et super partibile fundata; ideo *infinitum* secundum hanc *quantitatem* oppositionem habet ad *simplex*, et impossibile est, quod aliquid idem et secundum idem sit *simplex* et *infinitum*. Quoniam vero quantitas *virtutis* reperitur in simplicibus, immo quanto aliquid simplicius, tanto potentius [4]; hinc est, quod *infinitum* secundum hanc non repugnat *simplici*, immo necessario sequitur, quodsi aliquid est *simplicissimum*, quod aliquid sit *infinitissimum*. Clare igitur potest videri, quod in Deo secundum idem potest esse summa *simplicitas* et summa *infinitas*. Et ideo vera est positio praedicta, quod Deus *totus* videtur, sed tamen *non comprehenditur* ab aliqua creatura, nec unita [5] nec separata. — Et concedendae sunt rationes ad partem istam.

Notabilis differentia.

Solutio oppositorum.

1. 2. Ad illud quod obiicitur, quod plenitudo Divinitatis habitat in Christo, et de Damasceno, quod tota est incarnata; dicendum, quod Apostolus in illo verbo vult ostendere personalem unionem, quae est in Christo et in nullo alio, quia persona divina plena et perfecta non solum animae, sed etiam corpori Christi fuit unita [6]. Et Damascenus hoc ipsum vult dicere: per hoc quod dicit *omnem*, intelligit divinam naturam ut perfectam. Ex hoc tamen non potest inferri cognitio comprehensionis, quia, sicut tactum est, in illa plenitudine est *simplicitas*, ratione cuius potest habitare et uniri rei finitae; est nihilominus et *infinitas*, ratione cuius necessario habet excedere, et impossibile est comprehendi. Et sic patet, quod illud procedit ex insufficienti; plus enim dicit *comprehensio* quam *cognitio plenitudinis* vel perfectionis. Supra enim *cognitionem* addit *inclusionem* sive conterminationem vel commensurationem quodam modo dicendi.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de Isidoro, quod Trinitas nota est sibi soli et homini assumto; dicendum, quod non vult excludere [7] *omnem* cognitionem, sed *perfectam* cognitionem Dei attribuere sibi ipsi et naturae assumtae. Ipsi namque Trinitati attribuit perfectam cognitionem *simpliciter*, sed homini assumto in *genere creaturae*. Illa enim anima creata inter ceteras creaturas cognoscit limpidissime et ita perfecte, sicut unquam potuit capere. Unde propter familiarissimam cognitionem, quam habet illa anima inter creaturas [8], dicit Isidorus, quod ei soli nota est Trinitas, magis *auctoritate* loquens quam per *praecisionem*.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod simplex totum attingitur; dicendum, quod verum est, *totum*, id est non [9] secundum partem et partem; in simplici enim non est dicere *totum* nisi per privationem compositionis partium. Sed ex hoc non sequitur, quod *comprehendatur*, quia, sicut dictum est, simul cum *simplicitate* stat *infinitas*, quae non patitur aliquid Dei omnino videri perfecte a creatura. — Nec valet quod obiicit, quod ita deberet dici comprehensibile propter *simplicitatem*, sicut incomprehensibile propter *immensitatem*. Nam ad *immensitatem* de necessitate sequitur incomprehensibilitas de ipsa nominis ratione primaria, ad *simplicitatem* [10] non. Tanta enim potest esse simplicitas, quod, nedum quod ipsa faciat comprehendi, immo propter suam excellentiam reddat incomprehensibilem.

5. Ad illud quod obiicitur, quod aliquid latet

---

[1] Cfr. Alex. Hal., S. p. I. q. 7. m. 1.

[2] Cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 3.

[3] Libr. I. Phys. text. 15. (c. 2.): Infinitum enim in quanto est. Ibid. III. text. 1. (c. 1.): Infinitum autem apparet primum in continuo; et text. 63. (c. 6.): Infinitum igitur id est, cuius secundum quantitatem accipientibus, semper aliquid accipere extra est. Cfr. I. Sent. d. 19. p. II. q. 3. — Augustini sententia habetur in eius libro de Quantit. animae, c. 3. n. 4.

[4] Cfr. Liber de Causis, propos. 17. — Mox post *hanc* cod. Z supplet *quantitatem*.

[5] Simul audi: Verbo divino; cuiusmodi creatura est anima Christi.

[6] Cfr. supra d. 4. dub. 4. — Damasceni verba iam supra d. 5. dub. 3. explicata sunt. — Paulo superius voci *persona* cod. X praefigit *una*. Aliquanto inferius pro *Et sic patet, quod illud* cod. L *Et sic patet illud, quod*.

[7] Supple: ab aliis cognoscentibus.

[8] Codd. A H (K a secunda manu) bb *inter ceteras creaturas*. Paulo superius pro *sicut unquam* codd. B C G H I K L T aa *sicut nunquam*. Circa finem solut. pro *auctoritate* edd. *per auctoritatem*, et deinde pro *per praecisionem* cod. H *cum praecisione*. — Fortasse hic respicitur F. Quintilian. I. Instit. orat. c. 5, ubi dicitur, quaedam vitia orationis excusari aut consuetudine aut *auctoritate*. Nec incredibile est, esse hic errorem librariorum et legendum esse *augmentando* vel *augmentatione*, cum Cicero, III. de Oratore, c. 53, *praecisioni* opponat illam figuram, qua res proposita *augetur* et *augmentatur*.

[9] Edd. 1, 2 *quod verum est secundum totum, sed non*.

[10] Cod. Q adiicit *autem*. Paulo ante pro *de necessitate* codd. A U *necessario*. Paulo inferius et alibi passim codd. *necdum* pro *nedum*. Deinde pro *reddat* codd. A G K T *reddit*, codd. I L N Z aa bb *reddet*.

de Deo etc.; dicendum, quod [1] non est intelligendum in Deo, sicut intelligitur in aliqua re composita, cuius una pars non apparet, et alia manifestatur; quoniam in divina essentia non est *aliquid* et *aliquid*, sed est *aliquod unum*, quod aequivalet infinitis. Unde quidquid illud sit, quod anima de Deo videt, sic illud videt, quod tamen comprehendere non potest; unde idem ipsum *latet* et *patet*: *patet* quidem ad intuendum, sed *latet* ad comprehendendum. Sicut si quaeratur: cum Deus est in lapide, estne aliquid Dei *extra* lapidem, et aliquid *intra*? dicendum, quod non est secundum *aliquid sui* extra, et secundum *aliquid sui* intra, sed *totus* intra et *totus* extra; sic et in proposito intelligere oportet.

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod si non comprehendat [2], adhuc potest proficere in cognitione Dei; dicendum, quod illud non sequitur, pro eo quod *status* est in profectu cognitionis aliquando ex parte *rei comprehensae*, quae non potest melius cognosci, aliquando ex parte *comprehendentis*, qui non est natus melius cognoscere; et sic est status in Christo et in aliis Beatis. Sed aliter in Christo quam in aliis: quia Christus ita perfecte cognoscit, sicut unquam [3] capere potuit, sed alii Sancti ita perfecte, sicut dispositi fuerunt per merita gratiae; nec possunt ultra proficere, quia non sunt in statu merendi, nec ultra desiderare amplius habere, quam habeant, propter illius summi Boni sufficientiam et affectionem ordinatam secundum summae iustitiae regulam et libram; sed quiescunt quiete perfecta, quia tenent eum quem desiderabant [4].

Causa status duplex.

7. Ad illud quod ultimo obiicitur de comprehensione; dicendum, quod *comprehendere* dicitur tripliciter: uno modo idem quod *caritate adhaerere*; et sic accipit Bernardus ad Eugenium [5]: « Si sanctus es, comprehendisti ». Alio modo idem est quod *clare videre* et *perfecte amare*, sicut ad Philippenses tertio: *Si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum.* Tertio modo *comprehendere* est idem quod *terminos rei claudere*; sic Deus est incomprehensibilis. Cum ergo dicitur, quod Sancti sunt *comprehensores* in patria, et quod Christus fuit *comprehensor*; dicendum, quod medio modo accipitur, et sic habet veritatem; nam Christus videt Dei immensitatem nec tenet hoc fide, sed certissima cognitione, hoc est [6], novit Deum immensum. — Et *si tu quaeras*, utrum *positive*, vel *privative*; dicendum, quod quodam modo *positive*, quodam modo *privative*: *positive*, quantum se extendit capacitas suae intelligentiae; *privative* deinceps. Admiratur enim illam summam profunditatem immensitatis divinae, sicut dicit Propheta [7]: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam.* Et sic patet totum.

Comprehendere dicitur tripliciter.

Quaestio incidens solvitur.

SCHOLION.

I. De triplici sensu verbi *comprehendere* vide solut. ad 7, ubi dicitur, quod *comprehendere* in tertio sensu idem est quod « terminos rei claudere »; hoc non intelligitur secundum *fines rei*, cum Deus nec tales fines habeat nec *sic* ab ipso suo divino intellectu comprehendatur, sed intelligitur de mente rem intelligente secundum totam rationem, qua est intelligibilis. In hoc sensu contra Eunomianos fide constat, quod Deus est *incomprehensibilis* respectu cuiuslibet creaturae (cfr. Conc. Lateran. IV. c. 1, et Vatican. *de Fide* c. 1.). Nam, ut dicit Richard. a Med. (hic a. 1. q. 4.), « quantum res habet de entitate, tantum habet de intelligibilitate; sed Verbum aeternum est infinitae entitatis: ergo est infinitae intelligibilitatis; unde quantum est ex parte sua, intelligibile est actu *infinito intensive* vel in vigore. Anima autem Christi, cum sit creatura, non potest intelligere aliquid intelligibile intellectione *infinita intensive* ». — Licet quaedam verba Ss. Patrum (cfr. hic arg. 3. ad oppos.) a communi regula excipere videntur animam Christi, et revera hoc faciant aliqui pauci theologi; tamen conclusio auctoris est communissima et certa. Opposita doctrina cuiusdam archiepisc. Augustini a Roma reprobata est a Concil. Basileensi, sess. 22. — Tota conclusionis explicatio nititur communi distinctione inter *cognoscere totum* et *cognoscere totaliter*, sive *cognoscere infinitum* et *cognoscere infinite*; quae optime ab auctore (hic et I. Sent. d. 3. p. I. q. 1. ad 1. et 3.) explanantur et probantur.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 13. m. 7. — Scot., hic q. 2. n. 6. seqq. — S. Thom., hic a. 2. quaestiunc. 1; S. III. q. 10. a. 1. — Dionys. Carth., hic q. 2. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic a. 2. quaestiunc. 2.

QUAESTIO III.

Utrum anima Christi in cognoscendo Deum defigat aspectum in ipsum lumen aeternum, an in aliquid infra ipsum.

Tertio quaeritur, utrum anima Christi in cognoscendo Deum defigat aspectum in ipsum lumen aeternum, an in aliquid infra ipsum. Et quod non videat ipsum fontem luminis, videtur.

1. Primae ad Timotheum sexto [8]: *Lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest:* ergo Christus, secundum quod homo, nunquam Deum in sua luce vidit nec videre potest.

Ad oppositum.

---

[1] Cod. U addit *illud*. In fine solut. pro *oportet* codd. A K *debet*.

[2] Codd. A G H I K L aa *comprehendit*.

[3] Codd. G I L T V aa *cognoscit quod, sicut nunquam*. Paulo superius post *Sed aliter* codd. K M O subdunt *tamen*.

[4] Respicitur Cant. 2, 3. et 3, 4. Cfr. IV. Sent. d. 49. p. I. q. 6.

[5] Sive de Consider. V. c. 14. n. 30. — Seq. locus Scripturae est Phil. 3, 12. — Paulo superius post *uno modo* codd. F G N Z bb repetunt *dicitur*, et subinde pro *caritate* cod. K exhibet *caritati*.

[6] Pro *hoc est*, cui lectioni assentiunt codd. A H Z bb, alii codd. *hoc enim*, codd. K M O *hac enim*, edd. *hic enim*. Proxime post pro *immensum* codd. G I L N T U Z aa *intensum*.

[7] Psalm. 138, 6.

[8] Vers. 16. — Paulo superius pro *infra ipsum* edd. *citra ipsum*.

2. Item, Ioannis primo[1]: *Deum nemo vidit unquam;* super illum locum dicit Chrysostomus: « Solus Filius eum vidit et Spiritus sanctus; qui autem creabilis est naturae qualiter videre potest increabilem »? Si ergo anima Christi nec est Filius nec Spiritus sanctus, sed magis creatura; non videtur, quod illam lucem videat in se ipsa.

3. Item, quantum distat finitum ab infinito, tantum distat creatura a Creatore; sed propter infinitam distantiam nulla virtus finita potest cognoscere Deum ut *immensum*[2]: ergo pari ratione propter infinitam distantiam nulla virtus creata poterit cognoscere et videre *lumen increatum* per se ipsum.

4. Item, sicut ad cognitionem *comprehensionis* requiritur commensuratio quaedam, ita ad cognitionem a parte[3] *visionis* requiritur assimilatio congrua; sed quae in nullo conveniunt non possunt assimilari: ergo Creator non potest a creatura in se ipso videri, cum nihil habeant commune.

5. Item, multo plus excedit claritas divinae lucis oculum animae Christi, quam sol excedat claritatem oculi materialis; sed oculus noster materialis non potest intueri lumen corporale in *fonte* propter excellentiam: ergo nec intellectus Christi.

6. Item, fons aeterni luminis in se ipso est infinitus et immensus; sed finitum non potest super infinitum: ergo cum virtus animae Christi sit finita, non poterit actus eius se protendere usque ad ipsum: ergo non poterit ipsum cognoscere in se ipso: ergo videtur, quod nec anima Christi nec alia anima cognoscat Deum in claritate sua.

Sed contra: 1. Super illud secundae ad Corin- Fundamenta
thios tertio[4]: *Nos revelata facie;* Glossa: « Christus est imago Patris eadem cum illo, in quem tendimus, scilicet ut eum in essentia videamus »: si ergo Christi anima habet ad quod nitimur pervenire, ergo Deum videt in substantia et natura.

2. Item, plus est uniri alicui in unitatem personae quam in unionem facientem cognitionem; sed anima Christi Verbo aeterno immediate unita est in unitatem personae[5]: ergo multo fortius ipsi veritati et luci Verbi unitur per cognitionem ipsius in se: ergo sine aliquo medio Deum videt.

3. Item, in cognitione conclusionum non est quies, sed solum in cognitione principiorum — et ratio huius est, quia anima cognoscit conclusiones per medium, principia vero cognoscit sine medio[6] — si ergo anima Christi cognoscit Deum mediante aliquo, ergo non quiescit in cognitione Dei; et si non quiescit in Deo, cum Deus sit finis ultimus, non est beata. Si ergo beata est, necessario sequitur, quod cognoscat divinam lucem in se ipsa; pari ratione et omnis anima beata.

4. Item, intellectus comprehensoris tantum elevatur, quantum affectus, quamvis caecus sit in via propter caecitatem ignorantiae; sed Christus fuit perfectissimus comprehensor: cum ergo ipse diligeret summam Dei bonitatem in se ipsa, omni effectu circumscripto, pari ratione lucem et veritatem in se ipsa videbat absque medio.

5. Item, aut *immediate* videt, aut *per medium.* Si *immediate,* habeo propositum; si per *medium,* aut per medium *proportionabile,* aut *improportionabile.* Si per medium *improportionabile,* ergo potius impeditur, quam iuvetur; si per medium *proportionabile, contra:* aut est *creatum,* aut *increatum; increatum* non, quia illud est unum solum; si *creatum:* ergo creatura potest esse proportionabilis[7] Creatori; et si hoc, cum nihil aliud impediat, quin creatura possit videre Deum in sua substantia, restat, quod anima Christi sic eum videre poterat et videbat.

6. Item, si per medium, aut illud est *superius* anima Christi beata, aut *inferius.* Si *inferius;* ergo immediatior est anima Christi Deo, quam sit illud quod tu dicis medium: ergo illo circumscripto, melius videbit Deum. Si *superius:* ergo aliquid est excellentius natura humanae mentis in Christo. Sed hoc est impossibile, quia *omnia sunt subiecta pedibus eius*[8]. Restat igitur, quod anima eius immediate et in ipso fonte videbat et videt lumen aeternum. — His etiam rationibus idem ostendi potest de qualibet anima beata. Nota.

CONCLUSIO.

Anima Christi et aliae animae beatae vident ipsum luminis fontem.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod aliqui voluerunt dicere, quod Deus a nulla creatura videbitur nec videtur in sua *essen-* Opinio 1.

---

[1] Vers. 18. Cfr. 1. Ioan. 4, 12. — Verba Chrysostomi inveniuntur in eius homil. 15. (alias 14.) in Ioan. n. 1. Cfr. eius lib. de Incomprehens. Dei natura, homil. 5. n. 1, et ibid. homil. 4. n. 4. In hoc testimon. cod. U pro *qualiter* substituit *quomodo.*

[2] Cfr. quaest. praeced.

[3] Lectio *a parte* in pluribus codd. dubia est propter abbreviationem factam; pro *a parte* etiam legi posset *apertae.*

[4] Vers. 18. — Glossa, apud Lyranum *interlinearis,* invenitur etiam apud Petr. Lombardum, in hunc loc.

[5] Cfr. supra d. 2. a. 3. q. 1. seq. — Pro *in unitatem personae* non pauci codd. hic et in initio huius arg. *in unitate personae.*

[6] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 2. — August., I. Confess. c. 1. n. 1: Quia fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

[7] Non *quantitative* i. e. ut sit tanta, quantus Deus est in virtute, sed *qualitative* sive quantum ad similitudinem expressam, quae datur mediante lumine gloriae. Sed hoc intelligitur de medio *disponente,* non de illo *medio quo,* quod vocatur *species impressa.* Cfr. II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. ad 7. et hic q. 3. ad 6.

[8] Respicitur Ps. 8, 8; Eph. 1, 22; Hebr. 2, 8. Cfr. supra pag. 266, nota 5. — Paulo superius post *quod tu dicis* cod. U inserit *esse.* Circa finem arg. pro *His etiam* cod. K habet *His autem,* et deinde multi codd. male omittunt *idem.*

tia vel natura, sed videbitur in *claritate* sua, cum tantus sit fulgor ipsius immensitatis luminis, quod ad contuitum illius substantiae nullus oculus creaturae possit pertingere. — Hunc errorem evacuat Gregorius in Moralibus, tractans illud Iob vigesimo octavo[1]: *Abscondita est ab oculis omnium viventium*, ubi ait sic: «Fuerunt qui dicerent, in illa regione beatitudinis in *claritate* sua Deum conspici et in *natura* non videri; sed non est aliud *claritas*, aliud *natura*, sed ipsa *natura* est claritas, et ipsa *claritas* est natura». Et ideo iste error non multum rationabilis est, quia male intelligit lumen aeternum, in quo non differt *essentia* luminis et ipse *actus* lucendi.

Improbatur.

Et ideo fuerunt alii moderniores, qui dixerunt, a nulla creatura posse aspici lumen aeternum in *fonte* suae claritatis, sed in quibusdam *condescensionibus* et theophaniis, et hoc propter improportionabilitatem oculi ad illam summam lucem, quae potius sua immensitate opprimeret, quam delectaret oculum creaturae, quae se habet ad ipsam, sicut oculus noctuae[2]; et ideo oportuit, quod Deus se contemperaret ipsi animae, sicut sol contemperatur oculo mediante nube. — Sed hic modus dicendi non minus a veritate deviat quam praecedens. Unde etiam ipsum improbat magister Hugo, super Angelicam Hierarchiam[3]: «Quid est, inquit, theophaniis Deum videri et extra illas non videri, nisi nunquam vere videri? Si enim sola imago semper videtur, veritas nunquam videtur. Tollant ergo phantasias suas, quibus lumen mentium nostrarum obtenebrare nituntur, neque nobis Deum nostrum simulacris exterminationum suarum intersepiant; quia nos, sicut nec satiare potest aliquid praeter ipsum, sic nec sistere potest aliquid usque ad ipsum».

Opinio 2.

Improbatur.

Et ideo, his duobus modis tanquam erroneis abiectis, dicendum est tertio modo vere et catholice, quod anima Christi beatissima et aliae beatae animae vident ipsum luminis fontem, in quo reficiuntur, quiescunt, delectantur et quodam modo a claritate illius luminis absorbentur, ut Deus ab eis undique conspiciatur et videatur etiam in ipsis[4]; et hoc potissime verum est in anima Christi. — Et ideo concedendae sunt auctoritates et rationes ad hanc partem inductae.

Opinio 3. et conclusio.

Ad intelligentiam autem auctoritatum adductarum in contrarium et consimilium notandum est, quod quinque modis habent exponi auctoritates Sanctorum, quae videntur dicere, Deum in sua substantia non posse videri. Primo modo sic: non potest videri, scilicet *viribus nostris*, potest tamen *munere Dei*. Unde super illud primae ad Timotheum sexto[5]: *Lucem habitat inaccessibilem;* Glossa: «Inaccessibilis est viribus nostris, accessibilis muneribus suis». — Secundo sic: non potest videri substantia, scilicet *in via*. Unde super illud primae ad Timotheum sexto[6]: *Quem nullus hominum videre potest;* Glossa: «Poterit autem aliquando». Et sic illud Exodi trigesimo tertio: *Non videbit me homo et vivet.* — Tertio modo sic: non potest substantia videri, id est *plene comprehendi*. Unde super illud Iob undecimo[7]: *Forsitan vestigia Dei comprehendes?* Glossa: «Eius essentia a nullo plene videbitur», *plene*, scilicet circumscribendo. — Quarto modo sic: non potest videri substantia, id est *ratio* substantiae. Unde ad Romanos primo[8]: *Quod notum est Dei;* Glossa: «Ratio substantiae eius latet omnem creaturam»; et hoc modo potest dici «Trinitas sibi soli nota esse». — Quinto modo sic: nemo Dei substantiam novit, vel aliquid tale, «quia non *facit nosse*». Matthaei vigesimo quarto[9]: *De die autem illa et hora nemo novit, neque Angelus* etc., sicut fovea *caeca*

Modi 5 exponendi auctoritates.

Primus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Quintus.

---

[1] Vers. 21. — Fere omnes codd. et edd. 1, 2 erronee allegant v. 17: *Non adaequabitur ei aurum vel vitrum.* Verba Gregorii, quae habentur in eius XVIII. Moral. c. 54. n. 90, sic ibi sonant: Fuere *nonnulli*, qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate *quidem* sua conspici, *sed* in natura *minime* videri. *Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit. Neque enim illi simplici et incommutabili essentiae* aliud est claritas, et aliud natura, sed ipsa *ei* natura *sua* claritas, ipsa claritas natura est.

[2] Supple cum cod. M *ad lucem solis.* Aristot., II. Metaph. text. 1. (I. brevior, c. 1.): Sicut enim nocticoracum oculi ad lucem diei se habent, sic et animae nostrae intellectus ad ea quae sunt omnium naturae manifestissima (ed. Venet. 1489).

[3] Libr. II. c. 1. in fine. Textus origin. post *vere videri* addit *et verum nunquam videri*, et mox post *veritas nunquam videtur* subiungit *quoniam imago veritas non est, etiam cum de veritate est;* deinde pro *obtenebrare* exhibet *obumbrare* et pro *exterminationum* vocem *autumationum* [Vat. *aestimationum*, quae etiam in principio textus allati cum edd. 1, 2 ter *videre* substituit pro *videri*].

[4] Id est, videatur Dei praesentia et influentia in ipsis. Sic etenim explicatur cognitio *in* creatura, quae distinguitur a cognitione *per* creaturam; cfr. I. Sent. d. 3. p. I. q. 3. — Paulo superius ante *luminis fontem* cod. A interiicit *superni.*

[5] Vers. 16. — Glossa delibata est ex August., Enarrat. in Ps. 118. serm. 6. n. 2.

[6] Vers. 16. — Haec altera Glossa sumta est ex August., II. contra Maximin. Arian. c. 12. n. 2, et habetur apud Petr. Lombard. et Lyranum. — Seq. locus Scripturae est Exod. 33, 20. — Pro *Unde super* codd. G I K N T U V Z *ut super.* Mox post *Et sic illud* cod. K supplet *intelligitur.*

[7] Vers. 7. — Glossa, quae est *ordinaria*, invenitur apud Strabum et Lyranum; sumta est ex Gregor., X. Moral. c. 8. n. 13, ubi sic legitur: Etsi hunc [Omnipotentem] in claritate sua quandoque conspicimus, non tamen eius essentiam plene contuemur. Angelica etenim, vel humana mens, cum ad incircumscriptum lumen inhiat, eo ipso se, quo est creatura, coangustat etc.

[8] Vers. 19. — Haec quoque Glossa *ordinaria* est et habetur apud Strabum, Petr. Lombard. et Lyranum; mutuata est ex Origen., I. Comment. in Epist. ad Rom. n. 16. Verba *Trinitas sibi soli nota esse* [cod. N *est*] sunt Isidori; cfr. supra pag. 299, nota 2.

[9] Vers. 36. — Verba *quia non facit nosse* habentur in Glossa *(ordinaria)*, quam videsis apud Strabum et Lyranum, in hunc loc. Cfr. etiam August., I. de Gen. contra Manich. c. 22. n. 34; 83 Qq. q. 60; I. de Trin. c. 12. n. 25. — Exemplum de *fovea* [vel *fossa*] *caeca* invenitur in August., I. de Gen.

dicitur, quia non manifestat quod habet in se. Et sic dicit Chrysostomus, quod Angeli non vident, quid sit Deus.

Solutio oppositorum.

1. 2. Et sic patent duae auctoritates, quia prima currit secundum primum modum, et secunda secundum quartum modum, vel quintum.

Triplex convenientia.

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod tantum distat finitum ab infinito etc.; dicendum, quod *distantia* dicitur contra *convenientiam; convenientia* autem invenitur in triplici differentia, quantum ad praesens sufficit. Est enim convenientia *commensurationis* sive adaequationis, et convenientia *participationis alicuius communis*, et convenientia *ordinis*. Dico igitur, quod si *distantia* dicatur per privationem convenientiae *adaequationis* et *participationis*, infinita est distantia creati ad increatum, sicut infiniti ad finitum. Si vero dicatur *distantia* per privationem convenientiae *ordinis*; dicendum, quod falsum est, quia creaturae immediate ordinantur ad Deum sicut ad principium et sicut ad finem, maxime creatura rationalis[1]. Ad *simplicem* autem *contuitum* sufficit, quod sit convenientia *ordinis*, sed ad *cognitionem comprehensionis* requiritur convenientia secundum quandam *aequalitatem* sive adaequationem. Et ideo non sequitur, quodsi anima creata non possit *comprehendere* infinitatem, quod non possit *intueri* luminis fontem. — Et per hoc patet sequens. Quod enim dicit, quod ad cognitionem requiritur assimilatio; dicendum, quod non oportet, quod sit *assimilatio in natura tertia*, sed sufficit, quod unum sit *similitudo alterius*, sicut in primo libro fuit determinatum, distinctione prima, tertia et trigesima quinta[2].

Duplex excellentia.

5. Ad illud quod obiicitur, quod excedit oculum lumen illud; dicendum, quod est excellentia *conservans*, et est excellentia *corrumpens*. Excellentia *conservans* est in spiritualibus, sed *corrumpens* in obiectis corporalibus; et ratio huius in primo libro[3] est reddita et a parte *obiecti* et a parte *modi* comprehendendi: et ideo non est simile.

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod finitum non potest supra infinitum; dicendum, quod anima in cognoscendo Deum plus est in *suscipiendo* quam in *agendo*, immo omnis potentia animae respectu Dei se habet in ratione *passivi* — nedum potentia cognitiva *active*, quae de sua ratione dicit quodam modo passionem, sicut dicit Philosophus[4] et Priscianus. — Et ideo, cum intelligit Deum, non agit anima in Deum, sed Deus influit in animam, in qua influentia Deus condescendit per gratiam, et anima elevatur et efficitur deiformis. Et ipsa deiformitas est *dispositio* reddens oculum animae aptum ad videndum Deum, non quia facit proportionabilem *quantitatem*, quia semper illud lumen excedit in infinitum, sed quia facit proportionabilem *qualitatem*, quia datur ipsi animae aliquid, utpote similitudo, quod[5] ipsam animam et intellectum animae, cum Deo facit similem, reddit intelligentem. — Et *si tu obiicias*, quod licet visio et cognitio incipiat a *passione*, completur tamen in *actione*, cum ad visionem duo concurrant: *receptio* et *iudicium*[6]; in illum autem fontem luminis nulla potest creatura *agere*, quoniam ipsum a nullo potest *pati*; similiter de illo fonte luminis et veritate summa nullus potest *iudicare*, sicut dicit Augustinus de Vera Religione[7], et ipsa ratio dictat, cum iudicans aliquo modo praesideat iudicato; nullo modo videtur sustineri posse, quod anima Christi, vel alia anima beata intueatur ipsum superni luminis fontem: ad hoc respondendum est, quod etsi ad perfectionem cognitionis aliquo modo concurrat non solum *passio*, sed etiam *actio*; non tamen concurrit *actio*, quae quidem fit per aliquam *influentiam* vel impressionem ipsius cognoscentis in cognoscibile, sed solum per quandam *protensionem*. Sicut etiam patet in *dilectione*, cum amo aliquem, anima amando aliquo modo agit, nihil tamen influit in amatum, nec dilectum aliquid patitur vel recipit ab amante: sic intelligendum est in *cognitione*[8]. — Similiter, cum dicimus, visionem sive cognitionem perfici in *iudicio*; dicendum, quod verum est; sed ad hoc, quod videamus Deum, non oportet, quod de ipso iudicemus *in se*, sed sufficit ad claram visionem ab ipso fonte luminis illuminari et illuminatum oculum in ipsum *protendere* intuendo, et *iudicare de ipso intuitu*, cum non possit attingere ad hoc, ut *de*

De lumine gloriae.

Obiicitur.

Respondetur.

Notandum.

Notandum.

---

contra Manich. c. 22. n. 34, nec non in Ioan. Evang. tr. 43. n. 6, ubi S. Doctor ait: Fossa *caeca* dicitur, non quia ipsa oculos perdidit, sed quia latendo non videntes facit. — Chrysostomi sententia habetur in eius homil. 15. (alias 14.) in Ioan. n. 1. Cfr. de Incomprehens. Dei natura, homil. 3. n. 3. seqq. et homil. 4. n. 3.

[1] Cfr. supra d. 1. a. 1. q. 1. ad 4. et 5, II. Sent. d. 16. a. 1. q. 1. — Paulo superius pro *sicut infiniti ad finitum* codd. F G K L V (aa primitus) bb *sicut finiti ad infinitum*.

[2] Dist. 1. a. 3. q. 1. ad 1, d. 3. p. 1. q. 1. ad 1, q. 2. ad 3. et 4, d. 35. q. 1.

[3] Dist. 1. a. 3. q. 1. ad 2. — Subinde ante *obiecti* cod. U interserit *subiecti*; et non vituperanda est haec interpositio, siquidem loc. cit. praeter rationem a parte obiecti et modi etiam ratio a parte subiecti proponitur.

[4] Libr. II. de Anima, text. 148. (c. 11.), et III. text. 2. et 12. seqq. (c. 4. seq.), quo loco dicit, sentire et intelligere esse « pati quoddam ». Cfr. tom. II. pag. 825, nota 2. Dictum Prisciani supra allatum est pag. 10, nota 6. — Paulo ante pro *nedum* [intellige: multo minus se habet], quod ex codd. A bb (A scribit *necdum*) restituimus, alii codd. *nec dicit*, edd. *nec dicitur*.

[5] Codd. A bb *quae*. Edd. post *quod* superflue subiiciunt *cum*; superflue, inquimus, quippe cum haec coniunctio (non praepositio) postea habeatur ante *Deo*. Mox verbo *intelligentem* edd. praefigunt *et*; cod. K exhibet *et* ante *reddit*. Aliquanto superius pro *quia semper illud* multi codd. *sed super illud*.

[6] Cfr. tom. II. pag. 221, nota 4. — Post pauca pro *ipsum* edd. *ipse*.

[7] Cap. 29. n. 53. et c. 31. n. 57. seq. Verba vide tom. I. pag. 68, nota 3. et pag. 69, nota 12. Cfr. II. de Lib. Arb. c. 12. n. 34. et c. 14. n. 38.

[8] Cod. G *de cognitione*. Mox pro *in iudicio* edd. substituunt *a iudicio* et paulo inferius post *oculum* subdunt *etiam*.

ipsa summa veritate iudicet, sed *secundum ipsam* iudicet anima de se ipsa et de sua cognitione. Nihil tamen impedit, aliquo modo accipiendo iudicium, secundum quod requiritur ad visionem, quin possit concedi, quod anima beata certissime iudicet, illud esse summum lumen, quod intuetur, sicut in primo libro [1] fuit habitum. Et huic non repugnat verbum Augustini. Quantumcumque enim sive *intuitus* sive *iudicium* videatur in se habere naturam *actionis;* tamen respectu Dei vel divini luminis, a quo causatur, est *passio* et *effectus*. Unde quod anima videat Deum in se, hoc non est, quia anima possit supra Deum, sed magis quod Deus possit supra ipsam, adeo ut anima per divinam potentiam et influentiam elevetur supra ipsam [2]. — Haec autem quae dicta sunt de anima Christi generaliter, valent ad quaestionem de visione Dei, similiter quae sequuntur. Nota.

SCHOLION.

I. Conclusio confirmata est pluribus decretis Ecclesiae, praesertim Constitutione Benedicti XII. *Benedictus Deus* (an. 1336), ubi docetur, quod Beati in caelo « vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente ». — Alius error Beguardorum damnatus est an. 1311 a Clemente V. in Concilio Viennensi, scilicet « quod quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum (cfr. II. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 2, d. 23. a. 2. q. 3.). — Prima et secunda opinio erronea (hic in corp.) tribuuntur quibusdam Armenis saeculi VII, Arnaldistis saec. XII. et posterius cuidem Graeco Gregorio Palamas. — Circa *modum* huius visionis multae exortae sunt disputationes et opiniones. Inter alia nonnulli iam illa aetate voluerunt, quod haec visio fiat per aliquam *speciem* seu similitudinem a Verbo *impressam;* quam opinionem Petr. a Tar. (hic a. 3. quaestiunc. 1.) et Richard. a Med. (hic a. 1. q. 3.) censuerunt esse probabilem; sed Ss. Thom. et Bonav. cum communi sententia docent, ipsum Verbum, intellectui essentialiter praesens et unitum, supplere vicem speciei impressae. Consentit eis etiam Scotus, si agitur *de facto*, tamen *possibile* esse putat Deo etiam mediante specie *impressa* praedictam visionem efficere, quod discipuli S. Thomae communiter negant. De hac controversia S. Bonav. disertis verbis nihil determinat; tamen quaedam verba generalia in favorem Scotisticae sententiae cum De Barberiis exponi possent. Quod ipsa *increata veritas* sine specie impressa eminentissime informare possit intellectum, docetur variis locis v. g. hic solut. ad 3. 4. et 6, a. 2. q. 1-3; I. Sent. d. 3. p. I. q. 1. ad 5; II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. ad 7.

II. Hoc loco pauci antiqui Commentatores hanc quaestionem explicite tractant, ut praeter S. Bonav. Richard. a Med., hic a. 1. q. 1, nec non Dionys. Carth., hic q. 2. Ceteri rem hic tangunt in aliis quaestionibus, praesertim in illa, utrum Verbum cognoscatur mediante aliqua specie impressa (Durand., hic q. 2.), et diffusius, ubi disputant de visione beatifica in genere, ut Scot. IV. Sent. d. 49. q. 11. — S. Thom., IV. Sent. d. 49. q. 2; S. I. q. 12. a. 1. seqq.; S. c. Gent. III. c. 51-54.

ARTICULUS II.

De cognitione, quam anima Christi habuit in Verbo.

Consequenter quaeritur de cognitione, quam anima Christi habuit in Verbo. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum eodem [3] habitu cognoscat Verbum et alia in Verbo.

Secundo quaeritur, utrum anima Christi cognoscat actu in Verbo quae cognoscit habitu.

Tertio quaeritur, utrum in Verbo noscat omnia, quaecumque novit Verbum.

QUAESTIO I.

Utrum anima Christi eadem cognitione, qua cognoscit Verbum, cognoscat alias res in Verbo.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum anima Christi eadem cognitione, qua cognoscit Verbum, cognoscat alias res in Verbo. Et quod eadem, videtur.

1. Augustinus super Genesim ad litteram [4] dicit, quod Angeli tripliciter cognoverunt res, videlicet in Verbo, in se ipsis, in proprio genere: ergo cognitio, quam Angelus habet in Verbo de re, distincta Fundamenta.

---

[1] Dist. 3. p. I. q. 1. ad 4, ubi distinguitur inter iudicium, quod fit *discernendo*, utrum scil. res *sit*, an non (hoc modo iudicium convenit omni intellectui cognoscenti respectu omnis obiecti); et iudicium, quod fit *approbando* vel reprobando, num ita *debeat esse;* et sic intellectus non iudicat de veritate, sed secundum ipsam de aliis. — Paulo inferius edd. cum pluribus codd. omittunt *Dei vel*, pro quo in codd. E I T scriptum est *Dei vi*.

[2] Ante *ipsam* supple cum cod. A *se*. In fine solut. ante *quae sequuntur* cod. W interserit *et*.

[3] Non pauci codd. nec non edd. 1, 2 voculae *eodem* praefigunt *in*, et mox omittunt *Christi*. Deinde iidem codd. etiam voci *actu* praemittunt *in*, et cod. U pro *noscat* exhibet *cognoscat*.

[4] Libr. II. c. 8. n. 16. seqq., IV. c. 23. n. 40. seq. et c. 29. n. 46. Cfr. II. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 1, ubi quaestio solvitur de Angelorum cognitione per species innatas; et d. 4. a. 3. q. 1. seq., ubi agitur de eorum cognitione in Verbo et de relatione, quae est inter cognitionem matutinam et vespertinam.

est a cognitione, quam Angelus habet de re in se ipso; sed Angelus in se ipso cognoscit res per speciem aliquam sibi datam: ergo videtur, quod ea cognitione, quae est in Verbo, cognoscat res non mediante aliqua similitudine ipsius rei, praeter illam quae est in Verbo: ergo eadem cognitione, qua cognoscit Verbum, cognoscit rem aliam in Verbo.

2. Item, Verbum est sufficiens ratio cognoscendi omnia alia a Verbo [1] — tanquam exemplar est ratio cognoscendi exemplatum — sed cognoscere sufficientem rationem alterius, hoc non est aliud quam cognoscere ipsam rem; eadem enim est cognitio rationis cognoscendi et ipsius rei cognitae: ergo eadem cognitione, qua anima cognoscit Verbum, cognoscit res alias a Verbo.

3. Item, melius cognoscitur res in divino exemplari, quam cognoscatur in se, melius etiam cognoscitur per divinum exemplar, quam cognoscatur per propriam similitudinem [2]; sed eadem cognitione, qua quis cognoscit similitudinem rei, cognoscit ipsam rem: ergo etc.

4. Item, si similitudo rei in speculo nullo modo differret ab ipso speculo, eadem cognitione, qua cognosceretur ipsum speculum, cognosceretur ipsa similitudo rei et ipsa res: ergo cum in Verbo aeterno non differat similitudo rei ab ipso — nam ipsum est exemplar et ratio cognoscendi — videtur, quod eadem cognitione, qua quis novit Verbum, cognoscit et res in Verbo: igitur anima Christi per eundem habitum cognitionis cognoscit Verbum et alia in ipso.

5. Item, si anima Christi cognosceret rem in Verbo per alium habitum et aliam similitudinem, quam cognoscat ipsum Verbum; aut illa similitudo esset *una*, aut *multae*. *Una* non potest esse, quia unaquaeque res creata habet similitudinem sibi propriam in genere creaturae. Si *multae:* ergo cum non sit status in multis, sed in uno [3], cognitio aliarum rerum a Verbo in ipso Verbo non spectaret ad cognitionem gloriae, in qua est status et quies: igitur si hoc est inconveniens, restat, quod eodem habitu cognitionis, quo cognoscitur ipsum Verbum, cognoscantur et alia in Verbo, tam ab anima Christi quam ab alia anima beata.

Sed contra: 1. Sicut materia se habet ad formam, ita intellectus possibilis se habet ad res, quas cognoscit [4]; sed impossibile est, quod summum ens det *esse* ipsi materiae nisi imprimendo aliquam formam creatam ipsi materiae, diversam a se: ergo impossibile est, quod summum lumen faciat, intellectum possibilem aliquid actu intelligere, nisi imprimat ei speciem et similitudinem ipsius rei cognitae: ergo cognitio aliarum rerum a Verbo in ipso Verbo aliquid plus exigit quam cognitionem ipsius Verbi, et est per aliam rationem cognoscendi, quam sit cognitio ipsius Verbi.

Ad oppositum.

2. Item, ad hoc, quod intellectus aliquid intelligat, necesse est, ipsum assimilari rei cognitae [5]: ergo cum cognoscit alia a Verbo, necesse est, ipsum assimilari non solum ipsi Verbo, sed etiam aliis a Verbo; sed aliis a Verbo non potest assimilari nisi per susceptionem similitudinum aliarum: ergo ad hoc, quod intellectus aliquis creatus, sive Christi, sive alius, cognoscat alias res in Verbo, non sufficit cognoscere ipsum Verbum.

3. Item, si aspicerem ad aliquam rem, aggeneraretur in me similitudo illius rei: similiter, si aspicerem ad speculum, non solum aggeneraretur in me similitudo speculi, sed etiam similitudo rei [6]: ergo si Verbum aeternum continet in se ideas rerum omnium, ita generabuntur similitudines rerum in anima aspiciente ipsum, sicut si anima contueretur ipsas res: ergo videtur, quod res in Verbo non tantum cognoscitur ab intellectu creato per ipsum Verbum, sed etiam per similitudines impressas: ergo per cognitionem aliam et aliam.

4. Item [7], contingit cognoscere ipsum Verbum ut *lucem*, et contingit cognoscere ipsum ut *exemplar* — tunc autem cognoscitur Verbum ut *lux*, quando cognoscitur *in se;* tunc autem cognoscitur ut *exemplar*, quando in ipso cognoscuntur *alia* — sed impossibile est cognoscere ipsum Verbum — *lucem*, quin infundatur nobis lumen, quod facit nos conformes ipsi luci: ergo impossibile est ipsum cognoscere ut *exemplar*, quin infundatur nobis cognitio, quae facit nos conformes ipsis aeternis ideis et rationibus: ergo nec anima Christi alio modo quam isto cognovit. *Si tu dicas*, quod idem est et [8] quod assimilatur ipsi Verbo ut luci, et Verbo ut exemplari; *contra:* possibile est cognoscere ipsum Verbum, et tamen non cognosceretur res, cuius Verbum est exemplar: ergo videtur, quod alia sit ratio, per quam quis conformatur ipsi Verbo ut luci, et ipsi Verbo ut exemplari.

5. Item, intelligamus, quod aliquis in Verbo

---

[1] Vide I. Sent. d. 6. q. 3, d. 27. p. II. q. 2. De propositione subnexa cfr. ibid. d. 35. q. 1. seqq. et d. 36. a. 2. q. 1. seq., ubi etiam principia argg. seqq. insinuantur. — Vat. ante *tanquam* interlicit *et*. In fine arg. pro *a Verbo* cod. R *in Verbo*.

[2] Cod. O addit *sicut melius cognoscitur res per speculum quam per propriam similitudinem*.

[3] Nam, ut Aristot., II. de Caelo et mundo, text. 22. (c. 4.) ait, « prius natura in unoquoque genere est unum multis, et simplex composito ».

[4] Cfr. Aristot., III. de Anima, text. 17. seq. (c. 5.). Cfr. etiam II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 4. De *minori* vide ibid. d. 12. a. 1. q. 1. — Aliquanto inferius pro *et similitudinem* codd. E I L N U V X Z aa *in similitudinem*.

[5] Aristot., VI. Ethic. c. 1: Si quidem ex similitudine quadam et affinitate cognitio existit ipsis (scil. potentiis animae). Cfr. August., IX. de Trin. c. 11. n. 16. — Paulo inferius post *similitudinum aliarum* cod. A supplet *rerum*. Subinde pro *alias res* cod. U *alia*.

[6] Simul audi: In speculo repraesentatae. — Subinde pro *ergo si* cod. U *ergo sicut*.

[7] Codd. M O T Z *Item Gregorius*.

[8] Codd. M O omittunt *et*, pro quo Vat. cum cod. cc substituit *per*. Mox pro *et tamen* edd. *etsi*. Mallemus *ut tamen*.

cognoscat rem aliquam videndo ipsum Verbum, et post desinat videre, sicut fuit in raptu Pauli [1]; possibile est, talem, postquam desiit videre ipsam Verbi essentiam, habere memoriam eius quod vidit in Verbo; hoc autem non esset, nisi res in Verbo cognosceretur alia cognitione quam ipsum Verbum: ergo anima Christi et omnis alia anima, si cognoscit res in Verbo, hoc non est per eandem cognitionem, sed per cognitionem aliam et aliam.

CONCLUSIO.

Anima Christi eodem habitu, quo cognoscit Verbum, cognoscit res in Verbo, existente sola differentia quoad respectum.

RESPONDEO: Ad praedictorum intelligentiam est
Axioma. notandum, quod *habitus* cognitionis numerari habet penes *rationem cognoscendi* [2]. Quoniam ergo Verbum aeternum est sufficientissima *ratio cognoscendi* omnia alia a se — quod patet, quia se ipso cognoscit omnia — ad hoc [3], quod aliquis cognoscat res in Ver-
Conclusio 1. bo, non oportet in ipso esse *geminam* cognitionem ipsius Verbi et ipsius rei cognitae; *geminam*, dico, quantum ad *habitum* cognoscendi, propter hoc, quod habens deiformitatem gloriae, per quam cognoscit ipsum Verbum, habet unde assimiletur ipsi Verbo, quod est perfecta *ratio cognoscendi* omnia alia, et ita, cognoscendo Verbum, habet habitum, quo possit cognoscere alia, ita quod habitus ille, prout dicitur esse Verbi et aliorum a Verbo, non differt nisi
Confirmatur. sola comparatione. — Per idem enim, quod ipsum Verbum aeternum est *lux* et *veritas* in se, est *exemplar* aliarum rerum; et ideo, qui habet unde conformetur ipsi summae *veritati*, habet unde conformetur *rationi cognoscendi* omnia. Quoniam ergo Verbum aeternum per idem est ratio cognoscendi se
Conclusio 2. et alia; ideo dico, quod anima Christi eodem habitu, quo cognoscit ipsum Verbum, cognoscit res in Verbo, existente sola differentia quantum ad comparationem sive respectum. — Concedendae igitur sunt rationes, quae hoc ostendunt.

1. Ad illud quod primo obiicitur in contrarium,
Solutio oppositorum. quod necesse est, intellectum possibilem formari ad similitudinem rei intellectae etc.; dicendum, quod non est simile, quia, quamvis Deus nullius possit
Notandum. esse forma *perfectiva*, potest tamen esse forma *exemplaris* et *ratio cognoscendi;* ideo, quamvis non perficiat *materiam* per se ipsum [4], dando ei *esse* et complementum, potest tamen per se ipsum *intellectum* facere cognoscere aliud quodcumque creatum. Et *si tu obiicias*, quod necesse est adhuc, intellectum possibilem aliquo modo formari, ad hoc quod aliquid intelligat in actu; dicendum, quod sic est in Notandum. proposito. Formatur enim ab aliquo, sed hoc non est aliud quam ipsa influentia luminis aeterni, per quam efficitur deiformis et conformis ipsi Verbo, quod est *ratio cognoscendi* alia; et ideo per consequens efficitur in actu respectu aliorum cognoscibilium a Verbo, et per similitudinem Verbi, quod quidem Verbum est similitudo omnium, efficitur quodam modo similis omnibus. Ideo non oportet, ei dari novum habitum ad cognoscendum.

2. Et per hoc patet responsio ad sequens, quod obiicit, quod necesse est, cognoscens assimilari cognoscibili; quoniam assimilatio, quae sufficit ad co- Notandum. gnitionem, non tantum est per speciem *acceptam a re* [5], vel etiam per speciem *appropriatam ipsi rei*, verum etiam per *assimilationem* ad illud quod est *ratio cognoscendi* cetera.

3. Ad illud quod obiicitur, quod si aspicerem ad rem, aggeneraretur in me similitudo rei, et similiter, si ad speculum, aggeneraretur in me simi- Dictum notabile. litudo speculi et ipsius rei; dicendum, quod si in speculo non differret similitudo rei ab ipsa forma speculi, non oporteret, quod in me aggeneraretur alia similitudo cognoscendi respectu ipsius speculi et respectu ipsius rei relucentis in speculo; et sic intelligendum est in proposito, quoniam *idea* in Deo nihil aliud est quam ipsa veritas aeterna, sicut ostensum fuit in primo libro [6].

4. Ad illud quod obiicitur, quod impossibile est, me lucem cognoscere aeternam, quin fiam ei conformis per influentiam luminis; dicendum, quod hoc verum est; sed quia Deus per idem ipsum, quod Notandum. est [7] *lux in se*, est *exemplar aliarum rerum;* ideo non oportet, quod per aliud et aliud fiam conformis ipsi, ut est *lux*, et ut est *exemplar*, sed per idem alio modo se habens. Idem enim *lumen gloriae* habilitat ipsam animam ad cognoscendum ipsum Verbum aeternum, in quantum *lumen* comparatur ad ipsum Verbum sub ratione *lucis;* idem etiam habilitat ipsam animam ad cognoscendum alia a Verbo in ipso Verbo, in quantum comparatur ad ipsum Verbum, ut est *exemplar* aliorum. — Et quia Verbum Notandum. est exemplar voluntarie repraesentans, ideo lumen illud non comparatur nisi ad illa quae ipsum divinum exemplar repraesentat *voluntarie;* hinc est, quod per illud lumen, etsi [8] cognoscat Verbum, non oportet, quod cognoscat omnia alia a Verbo, quorum ipsum Verbum est exemplar. — Et *si tu obiicias*, quod quamvis in Deo idem sit sapientia et bonitas, tamen aliud et aliud est in me, per quod ego conformor divinae sapientiae et bonitati: ergo pari ratione aliud [9]

---

[1] Epist. II. Cor. 12, 2. seqq. — Circa finem arg. pro *si cognoscit* edd. *si cognoscat.*

[2] Cfr. Aristot., VI. Ethic. c. 3. seqq.

[3] Edd. *ideo ad hoc.* Paulo superius pro *Quoniam ergo* codd. F G I L N Z aa *Unde ergo.*

[4] Non pauci codd. non recte *se ipsam.* Paulo inferius pro *aliud* edd. cum cod. cc substituunt *aliquod* et mox omittunt *adhuc.* Subinde pro *in actu* cod. K *actu.*

[5] Cod. K *ab ipsa re.*

[6] Dist. 35. q. 1.

[7] Edd. 1, 2 *per ideam ipsam, quae est.*

[8] Supple: anima.

[9] Cod. F *aliud et aliud.*

erit, per quod conformatur intellectus ipsi Verbo, secundum quod *lux*, et secundum quod *exemplar*; dicendum, quod non est simile, quoniam ratio *veritatis* et *exemplaritatis* in eodem est differens *sola comparatione*. Ipsum enim *exemplar* non est aliud quam *veritas* aeterna, ut est ratio cognoscendi alia.

5. Ad illud quod obiicitur ultimo de memoria, quae remanet; dicendum, quod si aliquis intellectus videt [1] aliqua in Verbo cognitione gloriae et desinat videre Verbum, non memoratur de cognitione illarum rerum, nisi eatenus, quatenus memoratur de cognitione Verbi, nisi alias habuerit [2] cognitionem illarum rerum impressam, vel nisi Deus ei dispensative imprimeret; tunc hoc non esset opportunum. Sed, sicut dictum est, ad hoc, quod aliquis intellectus creatus cognoscat res in Verbo, sive Christi, sive alius, sufficit, quod habeat deiformitatem gloriae, per quam sit similis ipsi Verbo; nec oportet, ei dari rerum *similitudines*, aut *habitus* particulares, quia magis sibi sufficit ipsa summa veritas ad cognoscendum omnia, quam omnes rerum similitudines speciales. Unde limpidius cognoscit Angelus, et etiam anima Christi, res in Verbo, quam cognoscat in se, vel in proprio genere.

SCHOLION.

1. Secundum communem doctrinam res, quae in proprio genere habent *esse* creatum et limitatum, modo *eminentissimo* dicuntur esse in Deo, in quo « tripliciter sunt, videlicet ut in *principio producente*, et sic sunt in ratione potentiae; ut in *exemplari exprimente*, et sic sunt in ratione notitiae; et ut in *fine conservante*, in ratione voluntatis » (I. Sent. d. 36. a. 2. q. 1; cfr. ibid. q. 2.). Hoc rerum *esse eminens*, quatenus idem est ac *esse divinum*, sine dubio videtur ab eo qui videt immediate essentiam divinam. Hic autem quaeritur de creaturis secundum earum esse *formale* et *proprium*, et communiter conceditur, quod etiam ad hoc terminetur scientia Beatorum, quam habent in Verbo. Quoad *modum* autem huius cognitionis Occam cum suis Nominalibus recedit a communi aliorum doctorum sententia docens, res cognosci a Beatis in Deo non *immediate*, sed *causaliter*, cum actus has videndi totaliter causetur a Deo, intellectus se habeat pure passive, et visio utriusque obiecti sit alia et alia (explicationem vide apud Biel, hic q. unica). — Sed alii magistri in hoc consentiunt, quod Beati eodem *lumine* vel *habitu* et *actu* in essentia divina vel (appropriate loquendo) in Verbo ut in primo obiecto cognito cognoscant etiam res creatas. Assertionem tamen, quod *eodem actu* obiectum primarium et secundarium videatur, S. Bonav. restringit docens, quod actualis visio seu *consideratio* creaturarum non se extendat ad *omnia* creata et possibilia nisi *successive*; unde secundum ipsum actus videndi horum *aliqua* separari potest ab unico et permanente actu videndi divinam essentiam; tamen si actu haec videntur, tunc videntur *non alio* et distincto actu ab eo, quo videtur ipsa essentia (cfr. hic q. 2. ad 4. et explicatio fundamenti ultimi et scholion ad seq. quaest.). — Haec cognitio rerum in Deo vocatur ab Augustino *matutina*, quae distinguitur a *vespertina* (cfr. II. Sent. d. 4. a. 3.). — Doctrina communis nititur duobus fundamentis, scilicet quod ipsa essentia divina Beatis sit *ratio cognoscendi*, et quod eadem ut prima et summa veritas non tantum exprimat *se ipsam*, sed etiam perfectissime *omnia alia* omnemque veritatem participatam, sicut bene explanatur hic, praesertim in solutionibus oppositorum. Supponuntur autem hic plura, quae in I. libro Sent. dicta sunt de *veritate* (d. 8. p. I. q. 1.), de *ideis* (d. 35. per totam), de *scientia divina* (d. 39.); haec principia, ex multis locis contracta, leguntur in scholio ad d. 35. q. 1. Hic tria tantum observamus.

1. « Unaquaeque res creata habet similitudinem *sibi propriam* in genere creaturae » (hic 5. fundam.), quae intellectui est ratio intelligendi eam. Nam res, sicut habet *esse* a Deo, ita etiam virtutem se ipsam exprimendi ut veritas quaedam participata. Haec tamen proprietas duplicem limitationem vel imperfectionem habet annexam, nempe quod proprie non nisi *se ipsam* ad notitiam pariendam exprimere potest, et quod ne hoc quidem *totaliter* et *perfecte* praestare valet.

2. Haec limitatio et imperfectio prorsus removenda est a modo, quo divina essentia se sibi exprimit; unde tenendum est, quod ipsa ut summa et increata Veritas infinito et perfectissimo modo se sibi manifestat, simulque exemplar est omnis veritatis participatae, in ipsa relucentis et expressae.

3. Hinc eadem divina essentia, quae est *lux* et *veritas* in se, est etiam perfectissima et illimitata *ratio cognoscendi* tum Deum tum omnia alia a Deo, quae secundum triplicem causalitatem (ut supra loc. cit. dictum est) in ipso sunt (hic solut. ad 4.). Quia enim essentia divina *eminentissime* continet omne *esse creatum*, ideo etiam eminenter continet *rationem formalem* cognoscendi illud; unde altiore modo est ratio motiva intellectus ad cognoscendum, quam esse possit *propria* rei ratio sive *species impressa*. Nam divinum *exemplar* importat « assimilationem *extra genus* » (I. Sent. d. 36. a. 3. q. 2.), scilicet supra *causam universalem et particularem*, et supra *similitudinem communem et propriam*, ita ut *minime arctata* se extendat una ad omnia, et tamen distinctissime exprimat quemlibet effectum quoad omnes conditiones. Hoc praeclare docetur I. Sent. d. 35. q. 2. ad 2. 3. 4.

II. Pro intelligentia duarum seqq. quaestionum praecipue notanda sunt quae hic (solut. ad 2.) dicuntur de triplici modo, quo cognoscens assimilari potest cognoscibili; item (ad 3.), de differentia speculi *increati* a speculo *creato* (cfr. etiam I. Sent. d. 3. p. I. q. 2. 3.); denique (ad 4.), quod Verbum est speculum *voluntarie* repraesentans.

III. Alex. Hal., S. p. III. q. 13. m. 5. a. 1. — Scot., de hac et 2. seqq. qq. in utroque Scripto hic q. 2. — S. Thom., hic a. 1. quaestiunc. 4; S. III. q. 10. a. 2; de Verit. q. 20. a. 4, q. 8. a. 4. — B. Albert., de hac et seqq. qq. hic a. 1. 2. — Petr. a Tar., hic a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. — Durand., de hac et seqq. qq. hic q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. 2. — Biel, loc. cit.

---

[1] Codd. F U *videret.*

[2] Ita codd. G H N T bb, in aliis et edd. *habuit.* Mox post *vel* cod. U subiicit *etiam.* Deinde pro *tunc hoc non esset opportunum* [i. e. tunc non oporteret memorari de cognitione Verbi] non pauci codd. *tunc hoc* [cod. A *tunc hoc tamen*] *non est opportunum.* Paulo inferius substituimus ex codd. G H I L V Z aa bb *Christi* pro *Christus.* Demum pro *per quam sit* cod. G et edd. 1, 2 *per quam fit*, et pro *ei dari* cod. G solus *ei dare.*

QUAESTIO II.

Utrum anima Christi actu cognoscat in Verbo omnia quae habitu cognoscit.

Secundo quaeritur, utrum anima Christi cognoscat in Verbo actu omnia quae cognoscit in habitu. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia, secundum quod vult Augustinus in libro decimo quinto de Trinitate [1], « in Beatis non erunt volubiles cogitationes »: si ergo anima Christi inter ceteras animas beatas beatissima est, non ergo habet cogitationes volubiles: ergo si aliquid semel in actu cogitat vel cognoscit, semper illud cogitat vel cognoscit: ergo quidquid cogitat in habitu, cognoscit in actu.

2. Item, gloria est habitus in actu — impossibile enim est, hominem esse beatum et aliquando cessare ab actu visionis divinae [2] — si ergo cognitio, qua cognoscit anima Christi res in Verbo, est cognitio gloriosa; videtur, quod cognitio illa semper habeat habitum coniunctum actui: ergo quidquid cognoscit in habitu, cognoscit in actu.

3. Item, perfectior est habitus coniunctus actui quam separatus, pro eo quod actus est complementum habitus [3]; sed anima Christi cognoscit res in Verbo cognitione perfectissima: ergo quidquid cognoscit ibi in habitu, cognoscit in actu.

4. Item, una et eadem cognitione, qua cognoscit anima Christi ipsum Verbum, cognoscit alia a Verbo [4]; sed nihil de ipso Verbo cognoscit in habitu, quod non cognoscat in actu: ergo nihil de aliis rebus cognoscit in habitu, quod non cognoscat in actu.

Sed contra: 1. Sicut vult Philosophus [5]: « Scimus plura, sed intelligimus unum solum »; hoc autem ob aliud non est, nisi quia *scire* nominat cognitionem in habitu, sed *intelligere* in actu: ergo ad plura se extendit habitus quam actus per naturam; et si hoc, non est necesse, quod in Christo habitus parificetur actui: igitur non est necesse, quod quidquid anima Christi habitu cognoscit in Verbo, quod cognoscat in actu. Fundamenta.

2. Item, sicut perfecta est cognitio animae Christi, ita perfectum est eius gaudium; sed anima Christi non gaudet de omni eo in actu, de quo gaudet in habitu — gaudet enim *super uno peccatore poenitentiam agente* [6], licet non actualiter in eo laetaretur, quando peccabat — ergo pari ratione non est opportunum, quod omne quod cognoscit in habitu, cognoscat in actu.

3. Item, actualis consideratio rerum cognitarum in Verbo in Christo subiacet voluntati: ergo potest modo considerare aliquid [7] creatum, quod non sit de essentia gloriae, modo etiam non considerare: ergo si habet illius rei habitum, non necesse est, quod habitus semper sit coniunctus actui respectu cuiuscumque cognoscibilis.

4. Item, aut anima Christi *actu* considerat omne quod Verbum aeternum natum est ei repraesentare, aut *non*. Si *actu* considerat omne quod Verbum aeternum natum est ei repraesentare; cum illa sint infinita, videtur, quod anima Christi in considerando actu pertransit infinita, quod est impossibile virtuti finitae [8]. Si *non actu* considerat omne quod Verbum sibi unitum natum est ei repraesentare; ergo aliquam habet aptitudinem anima Christi ad aliquid, respectu cuius non semper est in actu; sed omnis eius aptitudo est completa per habitum gloriosum: igitur aliquid cognoscit in habitu, quod non cognoscit in actu.

5. Item, quando aliquid se extendit ad infinita, impossibile est, quod ipsum totaliter sit in actu, si differat in eo actus a potentia; sed habitus cognitionis in Christo se extendit ad infinita: ergo impossibile est, ut omne quod cognoscit in habitu, cognoscat in actu. *Maior* manifesta est, quia, cum continuum sit divisibile in infinitum, impossibile est, ipsum totaliter divisum esse in actu [9]. *Minor* probatur per hoc, quod Christus in Verbo aeterno scit, omnes species numeri paris divisibiles esse in duo aequalia, et hoc novit in habitu de qualibet eius specie: si ergo species numeri sunt infinitae, ergo novit habitu infinita.

6. Item, nihil novit anima Christi in actu, super quod non convertat se actualiter; sed intellectus eius et aspectus simplex est et finitus; sed simplex et finitum ad quod se convertit totaliter se con-

---

[1] Cap. 16. n. 26: Fortassis etiam volubiles non erunt nostrae cogitationes ab aliis in alia euntes atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus. — In fine arg. pro *quidquid cogitat* cod. A *quidquid cognoscit.*

[2] Cfr. IV. Sent. d. 49. p. I. q. 5. Aristot., I. Ethic. c. 13. et X. c. 7. docet, animae felicitatem consistere in operatione, et quidem in optima.

[3] Aristot., VII. Ethic. c. 12, finem habitus reponit in operatione. Cfr. IX. Metaph. text. 15. (VIII. c. 8.).

[4] Vide quaest. praeced. — Mox pro *quod non* cod. Z *quin.*

[5] Libr. II. Topic. c. 4. (c. 10.). Cfr. supra pag. 114, nota 5. — Aliquanto inferius pro *et si hoc... parificetur actui* edd. perperam *sed... perficiatur ab actu.*

[6] Luc. 15, 7. 10.

[7] Codd. A K L Z aa bb *aliquod,* codd. T V *aliud.* In fine arg. pro *cuiuscumque* codd. I L Z aa *cuiuslibet.*

[8] Cfr. supra a. 1. q. 2. — Paulo superius pro *Si actu considerat* non pauci codd. *Si actu consideret.*

[9] Vide I. Sent. d. 43. q. 3. ad 6. — De infinitate numeri cfr. Aristot., III. Phys. text. 68. seqq. (c. 7.), et August., XII. de Civ. Dei, c. 18. — Circa finem arg. pro *sunt* codd. A G I L T Z aa *sint.*

vertit [1]: ergo si actu se convertit ad unum, impossibile est, quod simul et semel actu se convertat ad illud quod sit ab illo disparatum: igitur anima Christi non omnia cognoscit in actu, quae cognoscit in habitu.

CONCLUSIO.

Anima Christi quoad ea quae sunt essentialia gloriae, omnia quae cognoscit in habitu, cognoscit in actu, quod non est necesse quoad ea quae non sunt essentialia gloriae.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est Duplex obiectum visionis. notandum, quod anima Christi beata habet cognitionem aliquorum, quae sunt *essentialia gloriae*, et aliquorum, quae *non* sunt *de essentia gloriae*. — Si ergo loquamur de cognitione eorum quae sunt Conclusio 1. essentialia gloriae, dico, quod anima Christi omnia quae cognoscit in habitu, cognoscit in actu, quia gloria est habitus in actu. Unde sicut non potest anima eius non esse gloriosa, sic impossibile est, actualem considerationem eorum quae sunt de essentia gloriae, in ipso interrumpi. — Si autem loquamur de cognitione eorum quae *non* sunt *essentialia gloriae*, Conclusio 2. sic non est necesse, quod omnia quae cognoscit in habitu, cognoscat in actu. — Et huius signum est, quod Deus Beatis existentibus in gloria, hoc est sanctis Angelis, aliquid de novo revelat et ostendit Non repugnat statui gloriae. in se, quod prius tamen non ostendebat [2]. Et ideo *statui gloriae* non repugnat considerare aliquid nunc, quod prius non considerabatur. — Nec repugnat Non perfectioni creaturae. etiam *perfectioni* creaturae, quoniam creaturam perfici, hoc est eius capacitatem impleri; creatura autem plurium est capax secundum cognitionem habitualem quam secundum considerationem actualem, sicut in opponendo [3] monstratum est. Et ideo non Conclusio 3. solum in Angelis, verum etiam in anima Christi hoc verum est, quod plura cognoscit in habitu, quam consideret in actu; et ideo concedendum est, quod non omnia considerat in actu, quae habet in habitu, quantum ad ea quae non sunt de substantia gloriae. — Et concedendae sunt rationes, quae sunt ad partem istam.

Ad ultimam tamen rationem potest responderi, Fundam. 6. non approbatur. ne det occasionem deviandi. Quod enim dicitur, quod intellectus simplex et finitus ad quod se convertit totaliter se convertit, non cogit, quia intellectus animae beatae et maxime animae Christi dilatatur per gratiam [4]; et quod plus est, in Verbo per unum et idem cognoscit distincte multa, et ideo intellectus glorificatus cognoscendo multa in Verbo non dividi- Notandum. tur, sed unitur, quia non applicatur ad hoc, vel ad illud primo et immediate, sed mediante Verbo aeterno, quod, cum sit unum, ducit in multa cognoscenda. Aliae vero rationes, quae ad hanc partem inductae sunt, concedi possunt.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium, Solutio oppositorum. quod in Beatis non sunt cogitationes [5] volubiles nec considerationes; dicendum, quod verbum illud intelligitur de his quae sunt de *essentia* gloriae, quia illa semper erunt in *actuali* cognitione atque consideratione; de his autem, quorum cognitio *non* est de *essentia* gloriae, non oportet habere veritatem. — Potest etiam aliter dici, quod volubilitas cogita- Alia solutio. tionis duplex est: quaedam per inquisitionem et intimationem sive decursum [6], quo quis venit in cognitionem rei incognitae; et talis volubilitas non erit in Beatis. Est etiam alia volubilitas per transitum considerationis unius rei in considerationem alterius; et talis volubilitas non auferetur a Beatis. Augustini igitur auctoritas intelligitur de prima volubilitate, non de secunda; et ideo tali auctoritate non potest concludi, quod anima beata quidquid cognoscit in habitu, cognoscat in actu.

2. Ad illud quod obiicitur, quod gloria est habitus in actu; dicendum, quod [7] verum est; sed ex hoc non sequitur, quod *omnis* cognitio, quae est in gloria, sit in actu continuo, sed de illa solum, quae est de *essentia* gloriae; et quoniam multa cognoscit anima Christi in Verbo, et aliae animae, quae non sunt de *essentia* gloriae: hinc est, quod non oportet, ipsam omnia considerare in actu, quae novit in habitu.

3. Ad illud quod obiicitur, quod habitus in actu est perfectior quam habitus praeter actum; dicendum, quod verum est, quando est in actu nobilis- Notandum. simo, qui debetur ipsi habitui; actus autem nobilissimus, qui debetur ipsi gloriae, est actualis consideratio summi veri, non autem actualis consideratio cuiuscumque veri creabilis vel creati [8]. Ideo ad hoc, quod anima Christi habeat *habitum* cognitionis perfectum, non oportet, quod *actualiter* consideret omne verum, sed sufficit, quod actu consideret verum summum.

---

[1] Aristot., III. de Anima. text. 36. (c. 7.) ait: Omnino autem intellectus, qui secundum actum intelligit, res ipsae est.

[2] Vide etiam supra pag. 57, nota 7. Etiam S. Thom. (S. I. q. 57. a. 5.) ait de Angelis: Hac visione [in Verbo] cognoscunt mysteria gratiae, non quidem omnia, nec aequaliter omnes, sed secundum quod Deus voluerit eis revelare.

[3] Id est in fundamentis. — Mox pro *quod plura*, quod habent edd. cum aliquot codd., in aliis codd. *quia plura;* quae lectio explicari posset, si demonstrativum *hoc* referatur ad verba: capacitatem impleri. Nostra lectio congruentior est. Subinde pro *consideret* codd. F K T V Z bb *considerat*, cod. N *cognoscat.*

[4] Cfr. supra d. 13. a. 1. q. 3. ad 6. — Pro *gratiam* cod. F *gloriam.* Paulo inferius pro *et ideo* edd. *et idem* et circa finem solut. *cognoscibilia* pro *cognoscenda.*

[5] Pro voce *cogitationes* codd. F U V Z et alii in hac solut. constanter exhibent vocem *cognitionis*, dum cod. aa ubique ponit vocem *cogitationis.*

[6] Edd. *sive ratiocinationem et discursum.* Pro *intimationem* [*intimare* idem significat ac *demonstrare*, cfr. Du Cange, Glossar. etc.] cod. A *ratiocinationem.*

[7] Codd. F N U *quod hoc.*

[8] Pro *creabilis vel creati* edd. cum paucis codd. *causabilis vel causati.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod eadem cognitione, qua cognoscit Verbum, cognoscit alia a Verbo etc.; dicendum, quod illud verum est de cognitione quantum ad *habitum*, sed non est opportunum de cognitione quantum ad *actum*. Actualis enim cognitio et consideratio *Verbi* aeterni est ipsi gloriae essentialis, non sic autem actualis cognitio *aliorum* a Verbo; et ideo non oportet, quod sic [1] alia consideret *actualiter*, secundum quod actualiter consideret ipsum Verbum, sed *habitualiter*. Habitus enim ille essentialiorem habet comparationem respectu Verbi, quod est cognitum principale, quam respectu aliorum cognitorum in Verbo, quae sunt cognita quasi ex consequenti et secundario. Notandum.

SCHOLION.

I. In hac quaestione S. Bonav. nihil intendit nisi fundamentum facere pro solvenda difficillima quaestione sequenti, et concludit, quod anima Christi (sicut omnes Beati) plura cognoscit in habitu, quam consideret in actu. Haec conclusio nititur principio philosophico in rebus naturalibus evidenti, quod « ad plura se extendit habitus quam actus », et quod intellectus creatus « plurium est capax secundum *cognitionem habitualem* quam secundum *considerationem actualem* ». Quoad statum gloriae tamen hoc principium valde restringendum est et minime valet quoad habitualem cognitionem *primarii* obiecti visionis beatificae, de qua communiter tenetur, quod « gloria est habitus in actu » (hic ad 2.); quoad *secundarium* vero obiectum S. Bonav. et Scotus conclusionem praedictam defendunt. Sed Alex. Hal. (S. p. III. q. 13. m. 5.), S. Thom. (cfr. tamen pag. 311, nota 2.) cum plurimis aliis ne hoc quidem admittunt (cfr. q. seq.). — Tria tantum hoc loco observamus.

1. Vocabulum *habitus* vel *habitualiter* a S. Bonav. hic non sumitur pro qualitate vel habitu *praedicamentali*, ut videtur sensisse Henr. Gand. (Quodl. 5. q. 14.), qui refellitur a Scot. (hic q. 2. n. 13. seqq.), sed sicut explicant ipse Bonav. et Scot. (ibi n. 20.), scilicet in hoc sensu, quod adest animae aliquid, quo informata constituitur in *actu primo* ad facile cognoscendum omnia quae Verbum cognoscit, dummodo illud ut speculum *voluntarium* revelare velit (cfr. infra q. 3. in corp. circa finem; Mastrius in III. Sent. disp. 5. a. 2.). Unde plures Scotistae solent pro *habitualiter* dicere *quasi habitualiter*.

2. S. Bonav. ideo praefert hanc positionem, ut explicet, quomodo cognitio se extendere possit *successive* ad infinita, ita ut non ponatur infinitas nec in *potentia* cognoscente nec in *habitu* seu lumine gloriae, sed solum in *ratione cognoscendi* visa ut obiecto primario, quod *in se* habet infinitas comparationes ad creaturas et res possibiles. Ab hoc obiecto primario specificatur talis visio, simulque et ex consequenti recipit *aptitudinem* extendendi se ad infinitos illos respectus sive obiecta, quae relucent in obiecto primario (cfr. hic solut. ad 4. et q. seq., praesertim ad 7. 8. 9.).

3. Quae profunda et satis difficilis doctrina ut melius intelligatur, observamus, quod actus intellectus, qui in se dicit quid absolutum, connotando importat *respectum* sive relationem ad obiectum, qui quidem respectus, si est ad obiectum *primarium*, realiter identificatur cum ipso actu intelligendi. Hinc, mutato obiecto primario, alius requiritur actus ad illud intelligendum. Hanc variationem actus essentialem experimur in omnibus intellectus nostri actibus tendentibus in obiecta disparata, quorum unumquodque habet propriam suam rationem cognoscendi. — Aliter potest esse in visione beatifica, in qua unum obiectum visum est per se ratio cognoscendi et se et omnia alia. In obiecto quidem *primario* videndo, quod ipsum actum specificat, non potest esse variatio nec successio. Sicut autem ipsum obiectum primarium secundario exprimit omnem veritatem participatam, ita etiam intellectui illud clare videnti praebere potest fundamentum extendendi se ad obiectum secundarium, et hoc quidem absque novo *habitu* et vi *eiusdem actus*, qui secundum *aptitudinem* iam continet respectus omnes ad qualescumque veritates (hic ad ult. fundam.). Nec aliud requiritur ad actu eas cognoscendas, nisi ut addantur novae relationes ad obiecta secundaria. — Hinc auctor noster (hic ad 4.) concludit, quod alia sit comparatio habitus ad obiectum primarium, alia ad secundarium, et quod actus visionis aliter dependeat ab illo, aliter ab hoc: ab illo quidem *essentialiter*, ab hoc quasi *per accidens* « et ex consequenti ». — Porro in eadem visione isti respectus ad creata vel creabilia realiter distinguuntur ab ipso actu essentiali, qui per se respectu secundarii obiecti non nisi inchoatam quandam repraesentationem habet. Hinc intelligitur, tum quod idem actus videndi essentialem gloriam absque intrinseca sua variatione possit modo plura, modo pauciora obiecta praesentare, supposito, quod speculum illud increatum repraesentat *voluntarie;* tum quod extensio intellectus ad varia obiecta secundaria fiat vi eiusdem actus essentialis, ita ut variatio non sit ex parte ipsius actus, sed ex parte terminationis ad obiecta accidentalia gloriae.

II. Solus Richard. a Med., hic a. 2. q. 4, similem quaestionem specialem habet, scilicet, utrum anima Christi de novo possit actu videre aliquid in Verbo, et utramque sententiam tanquam probabilem defendit, ut etiam Scot., loc. cit. Alii in seq. quaest. plerumque rem tangunt.

QUAESTIO III.

Utrum anima Christi cognoscat omnia in Verbo, quae cognoscit Verbum.

Tertio quaeritur, utrum anima Christi cognoscat omnia in Verbo, quae cognoscit Verbum. Et quod sic, videtur.

Fundamenta

1. Anima Christi beata habuit *spiritum non ad mensuram*, secundum quod dicitur Ioannis tertio [2]; sed spiritus est ad cognoscendum et diligendum: ergo habuit spiritum ad cognoscendum sine mensura; et si hoc, ergo Deus illi animae nihil celat: cognoscit ergo omnia illa anima in Verbo, quae cognoscit ipse Deus.

---

[1] Edd. cum multis codd. perperam *et ideo non sic oportet, quod si alia* etc.; nostram lectionem accepimus a cod. M. Etiam codd. B H W bb habent *quod sic alia*, nec non cod. C, qui deinde pro *secundum quod* substituit *sicut*. Paulo inferius pro *sed habitualiter*, quod codd. A H omittunt, in edd. et nonnullis codd. legitur *sed solum habitualiter*. Subinde pro *essentialiorem* cod. K *naturaliorem*, codd. F G L N T V Z incongrue *essentialem*.

[2] Vers. 34. Cfr. hic litt. Magistri, c. 1.

2. Item, illi animae cognoscenti res in Verbo ipsum Verbum est ratio cognoscendi [1]; sed Verbum est ratio cognoscendi voluntarie se offerens pro hac re, vel pro illa, vel pro quacunque alia: si ergo Verbum aeternum animae unitae sibi offert se plena oblatione, cum ipsum sit ratio cognoscendi omnia; videtur, quod anima Christi omnia cognoscebat in Verbo sibi unito.

3. Item, Verbum aeternum perfectissime unitum erat ipsi animae Christi, secundum quod *Verbum*, ergo pari ratione perfectissime erat ei unitum, secundum quod *exemplar* [2]; sed secundum quod exemplar, faciebat, animam Christi cognoscere alia a se: ergo si perfectissima unione uniebatur sibi, qua nulla potest esse perfectior; videtur, quod ei communicabat cognitionem omnium, quam habebat.

4. Item, anima Christi cognoscebat aliqua in Verbo et cognoscit: aut ergo *potest* cognoscere plura, aut *non*. Si *potest* cognoscere plura: ergo possibilitas eius non est omnino completa, quia potest addiscere de die in diem. Si *non potest* cognoscere plura, quam cognoscat; sed omnis sciens res in numero determinato potest scire plura, quia scibilia se non coangustant in anima cognoscente [3], unde si scit aliqua, potest adhuc scire reliqua: si ergo anima Christi non potest plura scire, videtur, quod cognoscat infinita et omnia quae cognoscit ipsa summa Dei sapientia.

5. Item, anima Christi multo familiarior est ipsi Verbo aeterno et maiori amicitia iuncta, quam essent Apostoli ipsi Christo, immo adeo familiaris est ei, quod non potest esse familiarior: ergo omnium rerum dat ei notitiam, quam ipsa [4] potest accipere; sed anima nunquam scit tot, quin possit adhuc plura scire: ergo videtur, quod Verbum increatum animam sibi unitam faceret nosse infinita.

6. Item, aut anima Christi novit *illa solum*, quae sunt, fuerunt et erunt, aut *plura his*. Si *solum illa* novit: igitur si Deus aliquid faceret praeter ea quae facere disposuit, anima Christi illud ignoraret. Si novit *plura his*; sed qua ratione novit aliqua ex his quae Deus facturus non est, eadem ratione novit omnia: ergo videtur, quod omnia cognoscat, quae cognoscit aeterna sapientia [5].

7. Item, multo potentior est anima Christi ad cognoscendum res per ipsum Verbum sibi unitum, quam sit aliqua anima ad cognoscendum res per habitum creatum; sed anima habens habitum creatum cognoscit omnia, ad quae se extendit ille habitus [6]: ergo anima Christi, habens Verbum increatum sibi unitum, cognoscit omnia quae cognoscit ipsum Verbum.

SED CONTRA: 1. Augustinus, in duodecimo de Civitate Dei [7]: « Quidquid scitur, scientis comprehensione finitur »; sed anima Christi, cum sit finita, non potest comprehendere infinita, ita quod illa infinita sint sibi finita, quia impossibile est, infinitum esse finitum finito; sed Verbum aeternum cognoscit infinita: ergo impossibile est, quod anima Christi omnia cognoscat in Verbo, quae cognoscit ipsum Verbum. Ad oppositum.

2. Item, cognitio debet adaequari *rei cognitae*, secundum quod cognita est, sive sit cognitio in *habitu*, sive sit cognitio in *actu* [8]; similiter necesse est, quod adaequetur *potentiae*, et potentiam necesse est adaequari *substantiae*, ita quod eam non excedat improportionabiliter; infinitum autem improportionabiliter excedit finitum: si ergo *substantia* animae Christi finita est, necesse est, et *potentiam* cognoscendi in ipsa esse finitam et *cognitionem* similiter: ergo necesse est, cognoscibilia esse finita. Si ergo aeterna Dei sapientia cognoscit infinita, videtur etc.

3. Item, cognitio animae Christi, quam habet in Verbo, est creata — si enim *substantia* animae Christi est creata, pari ratione et *cognitio* — sed omnia creata sunt in certo *pondere, numero et mensura* [9], et omnia talia sunt finita: ergo necesse est, cognitionem, quam habet anima Christi, esse finitam. Sed cognitio finita non est nisi finitorum: ergo anima Christi non cognoscit nisi finita; et Verbum cognoscit infinita: ergo etc.

4. Item, nihil creatum excedit in infinitum aliud creatum eiusdem generis; sed anima Christi et eius scientia est creata et eiusdem generis cum qualibet

---

[1] Cfr. supra q. 1. in fine arg. pro *cognoscebat* Vat. *cognoscat*.

[2] Cfr. I. Sent. d. 6. q. 3. et d. 27. p. II. q. 2. — In fine arg. pro *omnium* cod. Z *omnem*.

[3] Quia *spirituali* modo animae insunt. Cfr. Aristot., III. de Anima text. 3. seqq. et 37. seq. (c. 4. et 8.), nec non I. Sent. d. 35. q. 2. in corp. — Mox pro *reliqua* Vat. *aliqua*.

[4] Cod. cc et edd. *ipse*. Aliquanto superius pro *Verbo aeterno* cod. R *Verbo increato*.

[5] Hoc arg. a S. Bonav. in Quaest. anecdota de Sapientia animae Christi (ad oppos.) sic exprimitur: Item anima Christi aut cognoscit aliqua eorum quae Deus potest facere et non facit, aut nihil. Si nihil cognoscit eorum, quaero, quid impediat; aut enim hoc est, quia ipsa non potest ad illa se extendere, et illud est manifeste falsum; aut quia Deus non vult sibi revelare, et hoc est manifestum inconveniens, quia aufert illi animae summam familiaritatem ad Verbum sibi unitum. Si cognoscit aliqua eorum quae potest facere et non facit; sed non est maior ratio, quare magis cognoscat hoc quam illud: ergo videtur, quod cognoscat omnia quae sunt Deo possibilia, ergo infinita. Cfr. hic litt. Magistri, c. 1.

[6] Sic Aristot., I. Metaph. c. 2, de habitu sapientiae ait: Primo igitur opinamur, sapientem maxime omnia, ut *possibile* est, scire, non habentem *singulariter* eorum scientiam.

[7] Cap. 18. Vide supra pag. 299, nota 8. — Vat. allegat 83 Qq. q. 14.

[8] Secus res non cognosceretur, sive cognitio non esset vera. Cfr. tom. I. pag. 707, nota 5. De propos. seq. vide ibid. pag. 84, nota 7. — De improportione infiniti ad finitum cfr. supra pag. 243, nota 10. — Pro hoc arg. Scholastici vulgo adducunt Glossam *ordinariam* super illud Psalm. 138, 6: *Mirabilis facta est scientia tua ex me* etc., quae Glossa est secundum Cassiodor. in hunc loc. (ab aliis Isidoro tribuitur; cfr. eius lib. I. Sent. c. 3.) et sic sonat: Homo assumtus divinae substantiae non potest aequari in substantia nec in aliquo alio. Cfr. hic litt. Magistri, c. 1.

[9] Sap. 11, 21: Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.

alia anima beata et eius scientia: ergo anima Christi non excedit in infinitum scientiam cuiuslibet alterius animae creatae. Sed scientia Verbi in infinitum excedit scientiam cuiuslibet [1] animae beatae: ergo videtur, quod anima Christi nunquam tot cognoscat, quot cognoscit ipsum Verbum.

5. Item, sicut cognitio Verbi est immensa *intensive*, ita est etiam *extensive*, quia, sicut habet limpiditatem infinitam, ita etiam cognoscit infinita; sed impossibile est, quod anima Christi comprehendat infinitatem ipsius Verbi *intensive* et quod ita limpide cognoscat, sicut ipsum Verbum [2]: ergo impossibile est pari ratione, quod cognoscat *omnia* quae cognoscit ipsum Verbum, cum Verbum cognoscat infinita.

6. Item, sicut *intellectus* animae Christi ex unione sui ad lucem aeternam habet cognoscere multa, sic et ipsa *substantia* animae ex unione ipsius ad Verbum est nata esse in multis locis; sed impossibile est, quod anima Christi unquam sit, ubicumque est Verbum, quamvis ei uniatur [3]: ergo impossibile est, quod intellectus eius cognoscat omnia quae cognoscit Verbum, quamvis ei uniatur.

7. Item, quanto substantia est simplicior, tanto plurium est cognoscitiva [4]; sed substantia Verbi increata in infinitum excedit quantum ad simplicitatem animam Christi: ergo impossibile est, quod anima Christi unquam tantum sublimetur, quod cognoscat tot, quot cognoscit ipsum Verbum.

8. Item, si anima Christi cognoscit omnia quae Verbum cognoscit, aut hoc est per ipsum *Verbum immediate*, aut per aliquid aliud *creatum sibi superadditum*. Per ipsum *Verbum immediate* non potest, sicut in praecedentibus [5] fuit ostensum, quia necesse est, ipsum intellectum informari a ratione cognoscendi. Si per aliquid *creatum sibi superadditum*, aut hoc est *lumen* procedens a Verbo, aut *species* aliqua rei cognitae. Si est *lumen* procedens a Verbo; cum illud non excedat in infinitum lumen, quod confertur aliis animabus, si aliae animae non cognoscunt nisi finita, necesse est, quod anima Christi non cognoscat nisi finita: ergo non cognoscit omnia, quae Verbum cognoscit. Si per *species* sibi datas, ergo tot species habebit, quot sunt cognoscibilia; et si hoc, cum cognoscibilia sint infinita, erunt in anima Christi infinitae species in actu: ergo si impossibile est, infinita actu esse in creatura, impossibile est, quod anima Christi cognoscat infinita, sive omnia quae Verbum cognoscit.

9. Item, ad cognitionem rei duo requiruntur, scilicet *receptio* et *iudicium* [6], ergo ad hoc, quod aliquis cognoscat aliqua, necesse est, quod habeat *posse* iudicandi super illa; sed iudicium animae Christi est finitum: ergo nec per se nec per coniunctionem suam cum Verbo iudicat de infinitis, quia nulla virtus finita exit in operationem infinitam, nec *per se* nec *cum alia* — non enim potest in aliqua infinita operatione ei continuari — ergo impossibile est, animam Christi iudicare de tot, de quot iudicat Verbum aeternum; et si hoc, non potest omnia cognoscere, quae Verbum cognoscit.

CONCLUSIO.

Anima Christi cognitione habituali, quae est sicut scientia, cognoscit omnia quae cognoscit Verbum, non autem cognitione actuali, quae est sicut consideratio.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod ad istam quaestionem propter sui difficultatem a diversis diversimode respondetur; et quidam respondent *simpliciter concedendo*, quidam autem *distinguendo*. — Primi variantur secundum triplicem modum dicendi. Duae viae solutionis.

Quidam enim dicunt, quod anima Christi cognoscit omnia quae Verbum cognoscit, pro eo quod Verbum aeternum non cognoscit nisi finita. Non enim est exemplar nisi eorum quae sunt, vel fuerunt, vel erunt; et haec omnia finita sunt. — Sed iste modus dicendi stare non potest, quia, sicut ipse Augustinus dicit, et in primo libro [7] ostensum est, aeterna Dei sapientia cognoscit infinita, sicut planum est, quia cognoscit omnes numeri species, cognoscit etiam omnia quae potest facere. Via 1. et opinio 1. Reprobatur.

Alius modus dicendi est, quod anima Christi cognoscit omnia quae cognoscit Verbum, et cognoscit infinita, quia uno et eodem [8] cognoscit omnia, id est Verbo. Et hinc est, quod non solum anima Christi *actu* cognoscit infinita, sed etiam quaelibet anima beata, quae intuetur ipsam lucem aeternam, secundum quod asserunt. — Sed illud nec rationi consonat nec auctoritatibus Sanctorum [9], quia omni- Opinio 2. Reprobatur.

---

[1] Cod. K subiicit *alterius*.

[2] Vide supra a. 1. q. 2, et lit. Magistri, hic c. 1.

[3] Ut probatum est l. Sent. d. 37. p. I. a. 2. q. 1. — Pro *unquam* non pauci codd. falso *nunquam*.

[4] Cfr. Liber de Causis, prop. 10. et 17, nec non Aristot., III. de Anima, text. 3. seqq. (c. 4.). — De *minori* vide. I. Sent. d. 8. p. II. q. 2. — Non pauci cod. *cognoscitura*. Mox pro *increata* cod. H *increati*.

[5] Art. 1. q. 1. — Paulo inferius pro *cum illud* codd. K T U X *cum igitur illud*.

[6] Cfr. supra pag. 305, nota 6. — Mox pro *iudicandi* cod. Z *iudicare*.

[7] Dist. 35. q. 5, ubi plura Augustini testimonia allata sunt. Cfr. etiam XII. de Civ. Dei, c. 18. — Paulo inferius pro *omnes numeri species* cod. K *omnes numeros et species*.

[8] Cod. N addit *aspectu*, codd. F U *modo* (fortasse legendum est *medio*).

[9] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1, ubi Fulgentius allegatur. Hieronym., Epist. 36. (alias 125.) ad Damas. n. 15. ait, nullum hominem, excepto eo qui ob nostram salutem carnem est dignatus induere, plenam habuisse scientiam et certissimam veritatem. Et Damasc., III. de Fide orthod. c. 21: Nos... dicimus... eundem simul Deum et hominem et qui sciat omnia; *in ipso enim sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* (Coloss. 2, 3.). — Cod. S sic prosequitur: *quia omnis sapientia creata finita est et limitata. Et praeterea* etc.

scientia non attribuitur alii animae quam animae Christi. Et *praeterea*, virtus finita non videtur posse continuari virtuti infinitae in comprehensione infinitorum, quae quidem est operatio infinita.

Tertius modus dicendi est, quod anima Christi Opinio 3. cognoscit infinita in Verbo, quia per Verbum cognoscit alia, non, inquam, *participando* sapientiam, sicut aliae animae, sed *possidendo* ipsam sapientiam. Et illud videtur sensisse magister Hugo de sancto Victore in libello de Sapientia Christi [1]. Ait enim sic: « Plenam ac perfectam ac totam Dei sapientiam in anima Christi fuisse credimus; et ipsa sapientia eandem animam plene ac perfecte sapientem, non ex ipsa participando, sed totam possidendo, quam singulariter possedit et comprehendit ineffabiliter ». Et paulo post: « Hoc unum indubitanter affirmo, quod aut alia sapientia in Christo praeter divinam non fuit, aut si fuit, aequalis illi non fuit ». Et ita dicit, quod anima Christi omnia cognoscit [2], quia sapientia Christi non fuit alia quam illa sapientia, qua Deus est sapiens. In hoc tamen est differentia, quod Deus *est* illa sapientia, anima autem Christi non est illa sapientia, sed illi sapientiae personaliter *unita*. Item, Deus est sapiens illa sapientia per *naturam*, Non proba- anima autem Christi per *gratiam unionis*. — Sed tur qualiter verbum illud Hugonis quaerenti satisfaciat, difficile est aperire. Quoniam, sicut in praecedentibus [3] fuit ostensum, ad hoc, quod anima Christi cognoscat Verbum, necesse est intervenire sapientiam *creatam*, quae quidem est *disponens* et habilitans ipsam animam ad cognitionem Verbi, nec est ipsa summa sapientia, sed influentia ab ea procedens. — Et ideo tentandum est, si quo modo potest alius modus rationabiliter inveniri quam aliquis trium praedictorum.

Attendendum est igitur, quod alii tentaverunt Via 2. praedictam quaestionem terminare *distinguendo;* et hi diversificantur secundum triplicem modum distinguendi.

Quidam enim dicere voluerunt, quod in Chri- Opinio 4. sto duplex est modus cognoscendi, quem habet in Verbo: unus per *gratiam unionis*, alter, qui est per *gratiam comprehensionis*. Et illo quidem modo, qui est per gratiam *comprehensionis*, non cognoscit omnia quae cognoscit Verbum, sed illa quae spectant ad gloriam suam. Alio vero modo, qui est per *gratiam unionis*, cognoscit omnia quae cognoscit ipsum Verbum, quoniam *gratia unionis* ratione extremi, cui unitur, est gratia sine mensura et gratia infinita; et ideo non est mirum, si cognoscit [4] secundum illam infinita et omnia quae Verbum cognoscit. — Sed iste modus dicendi non videtur esse intelligi- Non proba- bilis de facili. Primum quidem, quia, si anima Chri- tur ratio 1 sti cognoscit, quidquid cognoscit, per habitum creatum; nec est habitus alius creatus in anima Christi, quo omnia cognoscit per [5] ipsum Verbum vel in ipso Verbo nisi habitus gloriae comprehensoris, quia illo circumscripto, tam nihil cognosceret in Verbo — unio enim non facit, divinam naturam cognosci ab humana, in quantum unio, sed gloria comprehensoris; nam caro est unita Verbo, quamvis non cognoscat ipsum Verbum [6] — si ergo aliquo habitu cognoscit omnia quae cognoscit Verbum, necesse est, quod cognoscat per illam cognitionem, quae quidem est habitus comprehensionis. — *Praeterea*, quidquid sit gratia unionis, sive creatum, Ratio 2 sive increatum, anima Christi semper est intra [7] terminos creaturae: igitur eius virtus cognoscitiva semper finita est, igitur nunquam cognoscit infinita. Et sic redit quaestio prius proposita.

Alius vero modus dicendi est, quod in Deo po- Opinio 5 nitur duplex modus cognoscendi, non propter diversitatem a parte *virtutis cognoscentis*, sed a parte *connotati*. Dicitur enim in eo esse scientia *visionis* et scientia *intelligentiae:* et scientia *visionis* est respectu omnium eorum quae facere *disposuit*, scientia *intelligentiae* respectu omnium eorum quae facere *potest*. Et utraque dicitur *omniscientia*, quamvis scientia *visionis* sit finitorum, scientia *intelligentiae* infinitorum. *Disposuit* enim facere finita, sed *potest* facere infinita [8]. Quando ergo quaeritur, utrum Christus sciat omnia quae novit Verbum; si intelligatur de scientia *visionis*, concedunt utique, quod anima Christi omnium illorum *capax* fuit, et eidem *communicavit* [9] scientiam omnium illorum quae facere disposuit, propter magnam sui liberalitatem et ipsius animae capacitatem. Si autem intelligatur de scientia *intelligentiae*, sic dicunt, quod non omnia cognoscit, quae cognoscit ipsum Verbum, quia illa se extendit ad infinita, et anima Christi in cognoscendo non potest nisi super finita; Deus autem non communicavit illi animae, nisi quantum potuit ca-

---

[1] Circa finem. In testimon. allato textus origin. ante *ipsa sapientia* exhibet praepositionem *ex*, deinde *concepit* pro *possedit* (Vat. *possidet*). Alterius testimonii verba originalia videsis supra pag. 297, nota 4. In initio huius secundi testimonii edd. pro *unum* substituunt *ipsum*, et deinde omittunt *praeter divinam*.

[2] Codd. G I K L T V *cognovit;* pro *omnia* in codd. H Z bb scriptum reperitur *omnia alia*. Paulo inferius post *non est illa sapientia* cod. U subnectit *per naturam*.

[3] Art. 4. q. 4. — Inferius pro *ad cognitionem* edd. *ad unionem*. Mox pro *ab ea procedens* bene multi codd. *ab eo* [scil. a Verbo] *procedens*, et deinde pro *rationabiliter* edd. *rationabilior*.

[4] Cod. U *cognoscat*.

[5] Pro *per*, quod reperitur in codd. C K M O S, edd. 1, 2 *secundum*, Vat. *scilicet;* a plurimis codd. abest *per*. Pro *quo omnia* codd. C G I K L Q V ss *quae omnia*, et pro *cognoscit* codd. A H L Z ss *cognoscat*. Subinde pro *comprehensoris* Vat. cum paucis codd. bis *comprehensionis*.

[6] Cfr. supra pag. 296, nota 5.

[7] Edd. *inter*.

[8] Cfr. I. Sent. d. 39. a. 1. q. 3. in corp. — Pro *Disposuit* non pauci codd. *Disponit*. Aliquanto superius pro *connotati* cod. K *cogniti*, cod. H *rerum*.

[9] Edd. supplent *Deus*.

pere. Et secundum istam viam dissolvi possunt rationes ad utramque partem. Et hic quidem modus[1] satis facilis est et rationabilis. — Verumtamen adhuc non quiescit mens dubitantis, quoniam, esto quod Deus modo aliquod novum faceret, quod tamen facere non disposuit, sicut novum mundum, iam lateret Christum. — Sequeretur etiam, quod Christus aliquid de novo posset addiscere, et ita non haberet plenitudinem scientiae. — Et iterum, cum scibilia non se coangustent[2] in anima sciente, nunquam videtur, quod tot sciat anima, quin possit adhuc plura scire; quomodo ergo erit status ex parte capacitatis creaturae?

Nota

Non plene solvit

Et propterea est tertius modus distinguendi, quod contingit aliquid cognosci cognitione *habituali* et cognitione *actuali*, sive cognitione, quae est sicut *scientia*, et cognitione, quae est sicut *considerare*[3]. Si igitur loquamur de cognitione quantum ad actum *considerationis*, sic dicendum est, quod anima Christi nunquam tot cognoscit, quot cognoscit ipsum Verbum. Per nullam enim gloriam potest adeo sublevari creatura, ut *simul* et *in actu* iudicet de infinitis, cum hoc sit infinitae virtutis. Si vero loquamur de cognitione *habituali*, sic concedi potest, quod scit omnia quae cognoscit ipsum Verbum sibi unitum. — Et hoc[4] patet sic: quia, cum anima Christi cognoscat ipsum Verbum habitu glorioso ita perfecte, quod non potest ipsum perfectius cognoscere; et ipsum Verbum aeternum promptam habeat voluntatem ad aperiendum illi animae omnia quae in ipso relucent, nec aliquid in ipso reluceat, quod non sit natum cognosci ab anima Christi: anima Christi habet aliquid, quo facilis est ad cognoscendum[5] omnia quae Verbum cognoscit. Et huius signum est, quia ad hoc, quod cognoscat aliquid, quod Verbum cognoscit, quidquid illud sit, non oportet, quod detur ei novus *habitus* cognoscendi, sed omne quod vult, in eo potest legere.

Opinio 3. et auctoris

Conclusio 1

Conclusio 2

Ratio

Si ergo *tu quaeras* de illo habitu, utrum sit habitus *finitus*, vel *infinitus*; respondeo, quod est *finitus*, habet tamen *respectus*[6] *ad infinita;* nec est hoc impossibile ponere in creatura. Infinitas enim *respectuum* non ponit *infinitatem actualem*, sicut non ponit comparationem realem. — Si iterum quaeras, unde veniat illa infinitas respectuum circa habitum cognitionis animae Christi; dico, quod venit ex *voluntate* speculi sibi uniti, quod voluntatem promptam habet omnia propalandi[7], quae relucent in se; hoc autem non facit alicui alii animae. Et ideo de sola anima Christi concedi potest et debet, quod sit omnisciens quantum ad cognitionem *habitualem*. — Et concedendae sunt rationes, quae sunt ad istam partem.

Quaestio incidens 1. solutio

Item quaest. incid. 2.

Notandum.

1. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod quidquid scitur, scientis comprehensione finitur; dicendum, quod illud intelligitur de notitia *actuali*, quae quidem consistit in actuali comprehensione; quod innuitur in ipsa auctoritate. De *habituali* autem non oportet, quod habeat veritatem; nec oportet adhuc, quod habeat veritatem de *omni actuali*, sed de ea quae est per comprehensionem. Quamvis enim Deus cognoscatur ab anima, non tamen oportet, quod sit finitus ipsi animae cognoscenti, immo simpliciter est infinitus[8].

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod cognitio debet adaequari cognoscibili; patet responsio per illud quod dictum est, quod hoc verum est de cognitione *comprehensionis* et de ea cognitione, quae *actu* iudicat de toto cognoscibili; tali autem modo cognoscendi non cognoscit anima Christi omnia quae Verbum cognoscit.

3. Ad illud quod obiicitur, quod cognitio, quam habet anima Christi, est finita, ergo non potest esse infinitorum; dicendum, quod in cognitione animae Christi est tria considerare, videlicet ipsam *rationem cognoscendi*, quae est ipsum Verbum, et ipsum *habitum* secundum ipsam substantiam habitus, et *respectum* illius habitus ad cognoscibile. Dico ergo, quod quamvis *habitus* ille sit finitus, tamen *ratio cognoscendi*[9] infinita est, et per illam habet ille *habitus* respectum ad infinita, non in *actu*, sed in *aptitudine*. Et hoc modo nihil prohibet, cognitionem finitam esse respectu infinitorum. Ex hoc enim non ponitur aliqua infinitas esse in *creatura* in actu, sed ponitur actualis infinitas solum in *ratione cognoscendi*.

Tria in cognitione Christi humana.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod creatum non excedit aliud creatum eiusdem generis in infinitum; dicendum, quod illud verum est de illo excessu, qui est in ipso creato *secundum se* et absolute; de illo vero excessu, qui est ratione *creatricis essentiae*, non habet veritatem. Et isto modo dicitur[10]

[1] Codd. A H P S bb subnectunt *dicendi*. Paulo inferius pro *aliquod novum* codd. A G *aliquid novum*.

[2] Codd. I L T V Z aa *angustent*. Vat. post *coangustent* addidit *adhuc*. Subinde pro *sciente* cod. S *scientis*.

[3] Aristot., II. de Anima, text. 2. (c. 1.): « Forma autem actus; et hoc dupliciter: hoc quidem sicut *scientia*, illud autem sicut *speculari* ». Ibid. text. 5: Hic [actus] autem dicitur dupliciter: alius quidem sicut *scientia*, alius autem sicut *speculatio*. — Pro *considerare* edd. *consideratio*. Paulo superius pro *aliquid cognosci* cod. V *aliquem cognoscere*, codd. G I H L T Z et edd. 1, 2 *aliquem cognosci*. Pro *habituali* plures codd. hic et in seqq. minus recte *habitudinali*.

[4] Cod. F subdit *quidem*.

[5] Codd. G I L T Z aa *cognoscenda*.

[6] Edd. et complures codd. *respectum*. Paulo inferius pro *comparationem realem* [i. e. actualem] codd. A E I K M O T U V aa bb *compositionem realem*. Cfr. infra solut. ad 3.

[7] Codd. D N bb supplent *ei*, nonnulli alii codd. et Vat. *ipsi animae Christi*.

[8] Cfr. I. Sent. d. 35. q. 5. ad 1. — Pro *de omni actuali* edd. 1, 2 et plures codd. perperam *de omni habituali*.

[9] Edd. adiungunt *in se*.

[10] Multi codd. *non dicitur;* perperam, etiamsi cum cod. K substituatur *Et primo modo* pro *Et isto modo;* subnexa enim repugnant huic lectioni. Pro *scientia Christi* cod. K *scientia animae Christi*. Mox post *non quia* codd. B D N Y inserunt *in se*.

scientia Christi in infinitum excedere scientias aliarum animarum, non quia lumen Christi in infinitum sit maius in actu quam lumen aliarum animarum, sed quia ipsum Verbum aeternum in infinitum promptius se exhibet ad manifestandum ea quae in se habet, ipsi animae Christi quam alicui alii animae. Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod anima Christi non potest cognoscere immensitatem limpiditatis[1] cognitionis divinae, ergo nec immensitatem respectu cognoscibilium; dicendum, quod non est simile duplici ex causa: una quidem, quia anima Christi, quidquid cognoscit in habitu de *ipso Verbo* aeterno, cognoscit in actu, cum cognitio ipsius Verbi in se sit de essentia gloriae; non sic autem est de cognitione *aliarum rerum*, quae relucent in Verbo[2]. — Ratio 1. *Praeterea*, ipsum Verbum est infinitum, et quidquid de Verbo intelligitur, totum est infinitum; non sic autem est de cognoscibilibus infinitis, quia quodlibet ipsorum in se finitum est et cognosci potest a substantia et virtute finita et mediante habitu finito. Unde quamvis anima Christi cognoscat omnia quae Verbum cognoscit; nunquam tamen aequatur ei in cognitione, quia nunquam illa omnia comprehendit *actualiter*, secundum quod ipsum Verbum aeternum pro uno aspectu de omnibus iudicat et omnia intuetur. Ratio 2.

6. Ad illud quod obiicitur, quod anima Christi, quamvis sit unita Verbo, non tamen est, ubicumque est Verbum, ergo nec cognitio ad omnia[3] quae cognoscit Verbum; dicendum, quod non est simile, quoniam *esse hic* vel *ibi* dicit *actum existendi;* et ideo, si anima Christi esset, ubicumque est Verbum, iam esset immensa, et existentia eius adaequaretur existentiae Verbi. Non sic autem est de *cognitione*, quoniam multa cognoscit anima Christi *in habitu*, quae nunquam considerabit *in actu;* ideo nec per hoc ponitur adaequatio, nec ponitur immensitas circa potentiam eius cognoscitivam. Notandum

7. Ad illud quod obiicitur, quod simplicitas animae nunquam elevatur ad simplicitatem Verbi; dicendum, quod illud verbum intelligitur non tantum de cognitione *habituali*, verum etiam de considerationе *actuali;* et quantum ad hoc verum est, quod nunquam anima ascendit ad tot consideranda, quot ipsum Verbum considerat. Et *si tu obiicias*, quod nec *habitu* nec *actu* videtur posse pertingere ad omnia quae Verbum cognoscit, cum in omnibus Creator excedat creaturam; dicendum, quod sicut dictum fuit, *habitualis* cognitio infinitorum non ponit infinitatem in *habitu* cognoscendi; et ideo nec ponit adaequationem ipsius cognitionis animae Christi respectu cognitionis ipsius Verbi.

8. Ad illud quod quaeritur, per quid anima Christi cognoscat[4] omnia quae cognoscit Verbum; dicendum, quod per lumen aliquod sibi datum; hoc autem non est, quia lumen illud sit *infinitum*, sed quia est *ad infinita scibilia comparatum* propter promptitudinem exemplaris sibi uniti. Notandum.

9. Ad illud vero quod ultimo obiicitur, quod in cognitione est receptio et iudicium; dicendum, quod illud intelligitur de *actuali* consideratione; de *habituali* autem non est verum, quod quis iudicet *in actu* de omnibus quae novit *in habitu*, sed quod *potest* et habet facultatem iudicandi per aliquas rationes, quae sibi insitae sunt ad hoc, quod possit iudicare de illis cognitionibus[5]. Notandum.

Ut igitur summa praedictorum, quae prolixius dicta sunt, brevius perstringatur, tenendum est, quod anima Christi *habitualem* cognitionem habet infinitorum et omnium eorum quae cognoscit ipsum Verbum sibi unitum, licet non habeat *actualem;* et illa quidem *habitualis* cognitio non ponit infinitatem actualem in ipso *habitu* vel in *potentia* cognoscente, sed solum in *ratione cognoscendi*, vel in *comparatione* habitus cognoscendi ad ipsa cognoscibilia. — Hunc autem sextum modum dicendi magis conatus sum tenere quam quintum — licet quintus sit facilior ad sustinendum — tum propter auctoritates Sanctorum[6], quibus est in arduis quaestionibus praecipue innitendum, tum etiam pro reverentia Iesu Christi, cuius animae, quantumcumque sapientiae et gratiae possumus, debemus attribuere, et supra etiam quam intelligimus, ad ipsius reverentiam et honorem. Epilogus. Ratio, quare praeferitur hic modus dicendi.

SCHOLION.

1. Antiquiores Scholastici, ut Magister (hic c. 1.), Hugo a S. Victore (loco in corp. cit.), Guilelm. Antissiodorensis (Sum. aurea p. III. tr. 1. c. 5.) et B. Albert. (hic a. 1.), solebant sine distinctione asserere, animam Christi cognoscere tot, quot ipsum Verbum cognoscit; tamen Magister etiam observat, contrariam aliorum fuisse opinionem. Nullus autem trium modorum, quo hanc viam diversi explicare voluerunt, probabilis esse censetur. — Tres aliae opiniones hic recensitae concorditer statuunt, non esse necessarium, quod videns Verbum videat omnia, saltem actu, quae in ipso sunt, immo tenendum, quod reapse omnis intellectus creatus non se extendat ad obiecta omnia, quae complectitur intellectus divinus, et hoc ob rationes hic ad oppos. relatas. Hinc a tempore Alexandri Hal. distinctionem hic adhibendam esse communiter censuerunt. Prima autem huiusmodi distinctio (hic opinio 4.), quae supponit, scientias *unionis* et *comprehensionis* esse specifice diversas, in se ipsa inanis vel

---

[1] Codd. N W bb subiiciunt *scilicet.*

[2] Cfr. quaest. praeced.

[3] Supple: est. — Edd. *ergo nec cognoscit omnia.* Circa finem solut. codd. F G H L N T voculae *ideo* praefigunt *et.*

[4] Codd. G I K L T Z aa bb *cognoscit.*

[5] Cfr. supra a. 1. q. 3. ad 6. — Pro *cognitionibus* codd. A H K M Q U V bb *cognoscibilibus.* Paulo inferius post *perstringatur* cod. F addit *de cognitione animae Christi*, et proxime post pro *tenendum* edd. cum aliquibus codd. exhibent *concedendum.*

[6] Cfr. supra pag. 314, nota 9. — Paulo inferius pro *gratiae* edd. *gloriae*, et pro *possumus* codd. I L aa cc *possimus.*

falsa a posterioribus magistris reputatur, nec ab ipso Alexandro Hal. (qui, ut iam diximus in scholio, supra a. 1. q. 1, hanc duplicem scientiam distinguit) eadem ad solvendam hanc difficultatem adhibetur. Nam ipse distinguit (S. p. III. q. 13. m. 7.) scientiam Dei secundum *obiecta scita*, sicut opinio 5, scilicet « respectu divinae *essentiae et virtutis infinitae* et respectu *creaturarum* »; porro (ibid. m. 2.) scientiae *unionis* attribuit ea « quae pertinebant ad mysterium incarnationis, passionis et redemptionis », scientiae vero *comprehensionis* ea quae « pertinent ad suam gloriam et suorum, id est, illorum quae ordinantur ad illam ».

Opinio 5, quae distinguit in Deo obiecta scientiae *visionis* et *simplicis intelligentiae*, est S. Thomae et inter theologos communior. Tamen ne haec quidem caret difficultatibus tum quoad *extensionem* eiusdem ad omnia quae Dei scientia visionis comprehendit, tum quoad *limitationem*, qua excluduntur obiecta *simplicis scientiae*. Respectu enim scientiae *visionis* primi huius opinionis defensores putabant, Deum per scientiam visionis nullatenus cognoscere *infinita*, sed simpliciter *finita*, quam positionem S. Thom. iam in Comment. (hic a. 2. quaestiunc. 2. ad 2.) restringit addens: « sciret tamen (scilicet infinita), si generatio in futurum nunquam cessaret, quod Deo est possibile ». Sed idem postea in Quaest. disp. de Verit. (q. 20. a. 4. ad 1.) et in Sum. (III. q. 10. a. 3.) recte asserit, quod Dei scientia visionis etiam in hac providentia se extendat aliquo modo ad *infinita*, si considerantur ea quae in *potentia* creaturarum sunt, et volubiles cogitationes daemonum per totam aeternitatem successive continuatae et uno actu a Deo iam visae. Quomodo autem potentia animae Christi simpliciter finita *actu* cognoscit obiecta numero infinita? Huic obiectioni variis responsionibus occurrunt theologi, qui sequuntur hanc viam, in primis S. Thom. in Sum. et de Verit. locc. citt. Attamen adeo gravis haec difficultas visa est Richardo a Med. (hic a. 2. q. 3.), ut ipse etiam quoad scientiam *visionis* limitationem quandam statuat dicens: « Credo, quod (anima Christi) actu videt in Verbo simul omnia praesentia, praeterita et futura, loquendo de *illis* rebus futuris, quarum una alii non succedet sine fine, quod dico propter cognitiones hominum et Angelorum in proprio genere, quarum una alii poterit succedere sine fine ». — Etiam limitatio scientiae Christi per *exclusionem* obiectorum *simplicis scientiae* propter quaedam verba Scripturae et Patrum non videtur posse concipi ut exclusio *totalis*; et si non est *totalis*, ubi sunt termini ponendi (cfr. supra pag. 313, nota 5)? Huius difficultatis ponderatio praecipue movit S. Bonav. ad aliam solutionem quaerendam, ut in fine quaestionis ipse affirmat. Attamen ipse opinionem 5. non reprobat, quae ipsi videtur esse « satis facilis et rationabilis ».

II. Sextus modus solvendi a S. Bonav., si non est primo ab ipso inventus, saltem subtiliter et ingeniose est explicatus, ut iam insinuant verba: « magis *conatus sum* tenere » (in fine quaest.). Nullam huius modi invenimus fieri mentionem in praecedentibus auctoribus nec in operibus S. Thomae; tantum quaedam verba B. Alberti (hic a. 2. ad 1.) eandem distinctionem insinuare videntur, cum ipse dicat de visione in Verbo, quod « scilicet quoad *obiectum* est unus aspectus, quo sunt omnia, sed quoad *intellectum discernentem* non potest esse actus unus, quia alia conversio est secundum *actum* ad hoc, et alia ad illud »; et paulo post vult, quod non « semper simus in eodem actu conversionis ». Insuper nec ipse S. Bonav. in anecdota de eodem argumento quaestione iam citata commemorat hanc solutionem vel argumenta pro eadem hic relata, sed potius eadem utitur distinctione, qua Alex. Hal. et alii 5. opinioni adhaerentes, mutatis tantum verbis. Distinguit enim ibi in Deo tum exemplar *factivum et dispositivum*, in quo relucent obiecta numero finita, scilicet quae sunt, fuerunt et erunt, et quod comprehenditur ab anima Christi, tum exemplar *expressivum*, in quo relucent infinita, quae Deus *potest* facere et intelligere. De hoc autem secundo dicit, quod anima Christi illud non comprehendit, sed tamen in illud fertur *per modum excessus*, « excessivo quodam modo erigendo se supra se ipsam », secundum doctrinam Dionysii (de Mystica Theol. c. 1; cfr. II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. ad 6; Breviloq. p. V. c. 6; Itiner. mentis in Deum c. 7.). Videtur igitur, quod S. Bonav. hunc sextum modum solvendi amplexus sit, postquam memoratas quaestiones disputatas iam scripsit. Tamen etiam in Breviloq. (p. IV. c. 6.) utrumque modum ut probabilem insinuat dicens, infinita cognosci « cognitione habituali, *vel* excessiva ». Eundem modum tanquam probabilem refert Richard. a Med., loc. cit. q. 4, et praefert Scot. (hic q. 2. n. 20.), ita tamen, ut quintum modum reputet esse non improbabilem.

III. Tota haec solutio innitur principiis in praecedenti quaest. explicatis, et clavis ad aperiendam genuinam intelligentiam huius doctrinae hic in corp. et praecipue in solut. ad 3. et 8. proponitur. Observandum autem est, S. Doctorem, dum hanc viam praefert, minime intendere, *actualem* animae Christi cognitionem sive considerationem restringere, quam supponit comprehendere quam plurima scita, sed potius, admittendo etiam quasi *habitualem*, vult probare, scientiam Christi esse illimitatam, et hoc modo et auctoritates Scripturae Patrumque salvare, et theologorum sententias sibi contrarias pro more suo in concordiam redigere. — Ceterum in re ab intellectu humano ita remota et propter opinionum varietatem ambigua non evidentiam, sed probabilitatem tantum assequi possumus.

IV. Praeter auctores citatos: Petr. a Tar., hic a. 4. quaestiunc. 2. — Durand., hic q. 1. — Diony. Carth., hic q. 2.

ARTICULUS III.

De scientia, quam anima Christi habuit a Verbo.

Consequenter quaeritur de scientia, quam anima Christi habuit a Verbo, et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum aliquam scientiam habuerit anima Christi a Verbo praeter illam quam habuit in Verbo.

Secundo quaeritur, utrum secundum illam profecerit, aut ab initio habuerit eam perfectam.

Tertio quaeritur, utrum Deus debuerit communicare animae Christi omnipotentiam, sicut communicavit omniscientiam.

QUAESTIO I.

Utrum Christus habuerit aliam scientiam praeter illam quam habuit in Verbo.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum Christus habuerit aliam scientiam a Verbo praeter illam quam habuit in Verbo. Et quod non fuerit aliqua necessitas habendi aliam, videtur:

Ad oppositum.

1. Primo per illud quod dicit Damascenus[1]: « Quemadmodum caro hominis secundum propriam naturam non est vivificativa, Domini autem caro unita secundum hypostasim ipsi Deo Verbo vivifi-

[1] Libr. III. de Fide orthod. c. 21. — In conclus. arg. pro *non potest... non cognoscet* edd. *non posset... non cognosceret.*

cativa facta est propter eam quae est secundum hypostasim unionem; ita et humana natura quidem substantialiter non possidet futurorum cognitionem, Domini autem anima propter eam quae est ad Deum Verbum unionem ditata est futurorum cognitione »: ergo sicut caro Christi non potest vivificare nisi propter unionem sui ad Verbum, ita anima eius non cognoscet aliquid nisi in ipso Verbo.

2. Item, unius secundum unam naturam est una perfectio [1]; sed intellectus animae Christi perfectus fuit scientia, cognoscendo omnia in ipso Verbo: ergo cum scientia sit perfectio ipsius intellectus, non habuit aliam scientiam praeter illam.

3. Item, superfluum est facere per plura quod potest sufficienter fieri per pauciora [2]; sed anima Christi sufficientissime cognoscit omne cognoscibile cognitione, quae est in ipso Verbo: ergo videtur, quod superfluum sit ei attribuere aliam cognitionem.

4. Item, maioris luminis est absorbere minus: si ergo cognitio, quam anima Christi habet in ipso Verbo, fuit perfectae luminositatis, quia fuit in ipso fonte luminis; videtur, quod non [3] potuerit simul cum ea stare aliud genus cognitionis in anima Christi.

5. Item, *quando advenit quod perfectum est, evacuatur quod ex parte est* [4]; sed cognitio ipsius animae Christi in Verbo est cognitio perfectissima, cognitio rerum in proprio genere est cognitio minus perfecta: ergo si Christus ab initio habuit cognitionem perfectissimam, quae est in Verbo; videtur, quod alia non habuit locum in ipso.

Sed contra: 1. Sicut dicit Augustinus super Fundamenta. Genesim ad litteram, tractans illa tria verba, Genesis primo [5]: *Fiat, fecit, et factum est*, Angelus triplici-ter cognovit res: in Verbo, in se et in proprio genere; sed intellectus animae Christi non fuit minus perfectus quam intellectus angelicus: ergo non tantum habuit cognitionem rerum in Verbo, verum etiam in se ipso.

2. Item, Christus assumsit quod dignitatis erat de omni statu, scilicet de statu gloriae, de statu innocentiae et de statu naturae lapsae [6]: ergo non tantum habuit cognitionem convenientem statui gloriae, verum etiam convenientem statui innocentiae: si ergo Adam habuit cognitionem omnium rerum creatarum divinitus sibi datam in se ipso, videtur, quod praeter cognitionem gloriosam Christus habuit illam scientiam.

3. Item, anima Christi in omni dono gratiarum debuit excedere omnes alias animas, et non tantum in dono gratiae gratum facientis, verum etiam in dono gratiae gratis datae: si ergo habere notitiam ipsarum rerum in se ipso, hoc est donum gratiae gratis datae; videtur, quod Christus habuit hanc cognitionem praeter eam cognitionem, quae est in Verbo [7].

4. Item, sicut ratio superior debet habere suam perfectionem, ita etiam ratio inferior in Christo; sed ratio superior nata est nosse res in ipso Verbo aeterno, inferior vero nata est eas considerare in proprio genere [8]: ergo sicut habuit cognitionem superioris, ita etiam inferioris, et sic etc.

5. Item, Christus simul erat perfectus viator et comprehensor; sed utrique statui necessaria est cognitio: ergo sicut habuit scientiam debitam statui comprehensoris, cognoscendo res in ipso Verbo, ita videtur, quod habuit scientiam convenientem statui viatoris, cognoscendo res in se ipsis.

CONCLUSIO.

Anima Christi praeter cognitionem, quam habuit in Verbo, habuit etiam cognitionem rerum a Verbo, non tantum cognitionem simplicis intelligentiae, verum etiam experientiae.

Respondeo: Absque dubio concedendum est, quod praeter cognitionem, quam habuit anima Christi *in ipso Verbo*, quae est cognitio gloriosa, habuit cognitionem *a Verbo*, quae est cognitio gratiae gratis datae, qua etiam cognitione cognoscit Christus res in se ipsis per species ei inditas ab ipso conditionis primordio, sicut fuit in intellectu Adae, vel etiam in intellectu angelico [9]. Conclusio 1.

Ratio autem huius est perfectio ipsius animae Christi, quae non tantum debuit esse perfecta secundum *superiorem* portionem, verum etiam secundum *inferiorem* et secundum partem *sensibilem*, non tantum quantum ad statum *patriae*, verum etiam quantum ad statum *viae*, qui duplex est, videlicet *innocentiae* et *naturae lapsae*. Et secundum hoc Christus habuit triplicem cognitionem isti triplici statui convenientem, videlicet cognitionem *gloriae*, cognitionem *naturae integrae* et cognitionem *poenalis experientiae*, ut de quolibet statu aliquid in se haberet. — *Rursus*, quia perfecta fuit anima Christi quantum ad cognitionem non solum respectu *cognoscibilium*, sed etiam respectu *modorum cognoscendi*; ideo cum res tripliciter sint cognoscibiles, se- Ratio.

---

[1] Cfr. tom. II. pag. 225, nota 6. — De *minori* vide hic a. 2. q. 1. seqq. — Pro *unius* non pauci codd. nec non edd. 1, 2 perperam *unio*.

[2] Vide supra pag. 277, nota 1. — In fine arg. pro *aliam cognitionem* codd. G I L T U V Z *illam cognitionem*.

[3] Pro *quod non* complures codd. *quod tunc*, codd. K V Z *quod tunc non*.

[4] Epist. I. Cor. 13, 10: Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur etc. — Cod. U *evacuabitur*.

[5] Vers. 3. et 7. — August. dictum habetur II. de Gen. ad litt. c. 8. n. 16. seqq. Cfr. supra pag. 306, nota 4.

[6] Cfr. supra pag. 267, nota 7. — De cognitione in statu innocentiae vide II. Sent. d. 23. a. 2. q. 1. seqq. — Pro *dignitatis* cod. W *dignius*.

[7] Cod. S *praeter eam quam habuit in Verbo*.

[8] Cfr. II. Sent. litt. Magistri, d. XXIV. c. 4. seq. et Comment. p. I. a. 2. q. 2.

[9] Vide II. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 1. et d. 23. a. 2. q. 1.

cundum quod tripliciter [1] habent *esse* — habent enim *esse* in Verbo, habent *esse* in intellectu creato, habent nihilominus *esse* in proprio genere — ideo ad hoc, quod intellectus animae Christi plenam de rebus cognitionem haberet, res cognovit ista triplici cognitione.

Et sic patet, quod anima Christi non tantum habuit cognitionem rerum *in Verbo*, sed etiam re-
Conclusio 2. rum *a Verbo*, cognitionem, inquam, non tantum *simplicis notitiae*, verum etiam *experientiae* [2]. —
Corollarium. Patet etiam harum trium cognitionum *sufficientia*, *necessitas* et *distinctio*, quae potest sumi vel ex parte *virium*, scilicet superioris rationis, inferioris et sensualitatis; vel ex parte *statuum*, videlicet gloriae, innocentiae et naturae lapsae; vel ex parte *modorum cognoscendi*, scilicet in Verbo, in se et in genere proprio. Et sic patet, quod anima Christi praeter cognitionem, quam habuit in Verbo, habuit aliam cognitionem a Verbo [3]. — Et concedendae sunt rationes ad hoc.

1. Ad illud quod primo obiicitur de auctoritate
Solutio oppositorum. Damasceni, dicendum, quod Damascenus non vult assignare similitudinem quantum ad omnia, sed quantum ad hoc, quod sicut caro Christi non esset vivificativa, nisi fuisset ipsi Verbo unita, sic anima Christi ignorans esset et imperfecta, nisi fuisset unita cum sapientia perfecta; sed propter illam unionem habet omnis cognitionis perfectionem.

2. Ad illud quod obiicitur secundo, quod unius rei una est perfectio; dicendum, quod verum est secundum *unum* modum et statum et potentiam; sed quia in anima Christi est considerare *diversitatem* potentiarum et statuum et modorum cognoscendi, ideo nihil impedit, quin secundum diversitatem horum diversas habeat cognitiones perficientes.

3. Ad illud quod obiicitur, quod superfluum est facere per plura quod potest etc.; dicendum, quod verum est, si fiat aeque bene et aeque sufficienter; sic autem non esset in proposito, quia non ita haberet anima Christi completionem scientiae secundum omnem modum et [4] omnem statum, sed solum alteram istarum cognitionum haberet.

4. Ad illud quod obiicitur, quod maioris luminis est absorbere minus; dicendum, quod illud ali- Notandum.
cubi habet veritatem, hoc est de luminibus, quae sunt *eiusdem rationis* et *eodem modo* irradiant et secundum *eandem partem;* non sic autem est in proposito reperire, sicut in distinctione harum cognitionum ostensum est. *Praeterea*, quod dicitur, Alia ratio.
quod maius lumen absorbet minus, hoc non dicitur quantum ad *existentiam*, sed quantum ad *apparentiam;* et licet hoc sit verum in lumine *corporali*, non tamen est verum in lumine *spirituali*, propter maiorem impermixtionem, quae reperitur in lumine spirituali quam in corporali [5].

5. Ad illud quod obiicitur, quod cognitio ex parte non manet cum cognitione perfecta; dicendum, quod verum est, quando *cognitio ex parte* habet imperfectionem annexam, sicut est cognitio aenigmatica; et de hac verum est, quod non fuit in anima Christi. Si autem dicatur *cognitio ex parte*, quia minus perfecta est quam cognitio gloriae, non oportet, eam evacuari, in eo potissimum, in quo est simul status viae cum statu patriae [6].

SCHOLION.

I. Scientia *infusa* « per species Christo inditas ab *ipso conditionis primordio* », vocatur a S. Bonav. *cognitio simplicis notitiae* et a S. Thoma in Sum. etiam *scientia indita*. Nonnulli tamen posteriores theologi scientiam *inditam* distinguunt ab *infusa*, ut *inditam* vocent eam quae naturam, in qua est, concomitatur ut proprietas naturalis, sicut est ea quam Angeli habent per species impressas; *infusam* vero, quae naturam non concomitatur, sed, Deo infundente, advenit subiecto. — Insuper, communiter posteriores theologi *infusam* scientiam iterum distinguunt in infusam *per se* et *per accidens;* illa respicit obiectum, quod excedit virtutem naturalem, ut est cognitio rerum supernaturalium, unde a solo Deo communicari potest; ast infusa *per accidens* naturali quidem virtute successive posset comparari, de facto tamen impressa est a Deo.

II. Fuerunt qui generatim negaverint, in Christo fuisse scientiam infusam, et quod mirum est, non defuerunt qui S. Bonaventuram, non obstantibus perspicuis ipsius verbis, his annumeraverint. Alii vero plures, ut Suarez (in III. p. Sum. disp. 25. sect. 3.) contendunt, S. Doctorem non admittere nisi scientiam infusam *per accidens;* pro qua assertione probanda afferri posset, quod ipse hanc scientiam attribuit rationi inferiori eamque comparat cum scientia Adamo infusa (hic fundam. 2.). Nihilominus hanc limitationem a mente nostri Doctoris alienam esse putamus. Praefata enim distinctio ab eodem nullibi memoratur, asseritur autem (hic q. 2.) de hac *infusa* scientia: « *Habitus* et species impressae fuerunt ipsi animae Christi in *omnimoda plenitudine;* hinc est, quod *proficere non potuit* cognitione simplicis notitiae ». Item, pluries ab eodem docetur, ani-

---

[1] Cod. K *triplex.*

[2] Vide quaest. seq.

[3] Vat., omisso *aliam*, subinde post *cognitionem* suo marte interserit *rerum in se, et in genere proprio; et sic ulterius patet, quod anima Christi praeter cognitionem, quam habuit in Verbo, habuit aliam cognitionem.* Pro *aliam* plures codd. *aliquam.*

[4] Codd. I L N aa adiiciunt *secundum.*

[5] Ad obiectionem huic similem Richard. a Med., hic a. 2. q. 1, respondet sic: Quamvis stellae ita luceant de die sicut de nocte, tamen de die visui non apparent, quia vincitur [earum lumen] lumine fortiori; sed intellectus, cum intelligat aliquid valde intelligibile, non minus intelligit infima, sed etiam magis; cuius ratio est, quia excellentia intelligibilis intellectum non debilitat, sed confortat. Cfr. I. Sent. d. 1. a. 3. q. 2. ad 2. Alex. Hal., S. p. III. q. 13. m. 1. ad 4: Ratio huius [quod in corporalibus minus lumen obfuscatur a maiori] est, quoniam omnia lumina corporalia sunt ad *unum* actum, scil. manifestationis, qui quidem actus per se et perfectissime est a lumine maiori. Sed in spiritualibus non sic; non enim omnia lumina spiritualia sunt ad unum actum etc. Cfr. II. Sent. d. 4. a. 3. q. 2. ad 3; ibid. ad 1. habetur etiam solut. obiect. seq.

[6] Vide infra d. 31. a. 2. q. 1. et 3.

mam Christi *omnibus donis* Spiritus S. repletam fuisse, pro quo allegat locum Isaiae 11, 3. (cfr. supra d. 13. a. 1. q. 3. fundam. 1.). Denique est locus peremptorius in Breviloq. p. IV. c. 6, ubi, postquam quinque modos cognoscendi in Christo distinxit, duos tribuit scientiae infusae his verbis: « Tertius per *gratiam*, et hoc modo cognovit *omnia spectantia ad humani generis redemptionem* [quod manifeste pertinet ad scientiam infusam *per se*]. Quartus est secundum *naturam integram*, cuiusmodi fuit in Adam, et hoc modo cognovit omnia quae spectant ad universi constitutionem ». — De obiecto, actu et extensione scientiae infusae est quaedam opinionum differentia inter S. Thom. et Scotum. — Quoad scientiam *experimentalem*, cuius *actus* certissime Christo competit, non conveniunt sententiae quoad *habitum* acquisitum, de quo agitur in seq. quaestione.

III. Alex. Hal., p. III. q. 13. m. 5. — Scot., in utroque Scripto hic q. 3. — S. Thom., hic a. 3. quaestiunc. 1-5; S. III. q. 11. a. 1-6; de Verit. q. 20. a. 3. — Petr. a Tar., hic a. 1. quaestiunc. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., de hac et seq. quaest. hic q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum Christus profecerit secundum illud genus cognitionis.

Secundo quaeritur, utrum Christus profecerit secundum illud genus cognitionis. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Ad Hebraeos quinto [1]: *Didicit ex his quae passus est, obedientiam;* sed *discere* est proficere in scientia: ergo etc.

2. Item, super illud Lucae secundo [2]: *Proficiebat Iesus aetate et sapientia;* Glossa: « Sicut carnis est *aetate* proficere, sic animae *gratia* et *sapientia* »: ergo sicut Christus profecit secundum carnem crescendo in *aetate*, ita videtur, quod secundum animam profecerit crescendo in *cognitione*.

3. Item, « Christus assumsit quae plantavit in nostra natura [3] »; sed Christus plantavit in nostra natura, ut « ex multis sensibilibus fiat una memoria, ex multis memoriis una experientia, ex multis experimentis unum universale, quod est principium artis et scientiae »: ergo si iste modus procedendi facit, animam proficere in cognitione; videtur, quod anima Christi in cognitione profecerit.

4. Item, aut intellectus agens in Christo *potuit* abstrahere formas universales a conditionibus materialibus, aut *non* [4]. Si *non potuit*: ergo fuit impotens; si *potuit*, cum talis modus abstrahendi sit via in cognitionem, videtur, quod Christus in cognitione profecerit.

5. Item, qui aliquid apprehendit et retinet quod prius non apprehenderat, aliquid addiscit et in cognitione proficit; sed sensus communis in Christo aliquid apprehendit et aliqua sensibilia retinebat quae prius non apprehenderat nec composuerat, et imaginativa potentia in Christo totum illud retinebat [5]: ergo videtur, quod anima Christi proficiebat et addiscebat.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Gregorius super illud Lucae [6]: *Proficiebat Iesus* etc.: « *Proficiebat*, non quod ipse sapientior fieret ex tempore, sed eandem qua plenus erat sapientiam ceteris ex tempore paulatim demonstrabat ».

2. Item, Damascenus [7]: « Qui dicunt, eum proficere sapientia, non eam quae est secundum hypostasim unionem venerantur »: ergo si quis dicat, Christum profecisse in scientia, videtur facere iniuriam Sapientiae increatae sibi unitae.

3. Item, Christus habuit plenitudinem non solum gratiae gratum facientis, sed etiam gratiae gratis datae [8]: si ergo cognitio, quam habuit a Verbo in se ipso, fuit cognitio gratiae gratis datae, ergo plena fuit in Christo a suae conditionis primordio: non ergo crescebat in eo.

4. Item, anima Christi habuit species rerum cognoscibilium; sed qua ratione habuit species unius cognoscibilis, eadem ratione et omnium; sed impossibile est, duas formas eiusdem speciei esse et in eodem et secundum idem [9]: ergo impossibile fuit, quod anima Christi novas formas sive novas species reciperet: ergo non potuit in cognitione proficere.

5. Item, materia non est possibilis ad formam

---

[1] Vers. 8.

[2] Vers. 52. — Glossa, quae ut *ordinaria* invenitur apud Strabum et Lyranum, sumta est ex Beda, in hunc locum, et est secundum Ambros., de incarn. domin. sacram. c. 7. n. 72. Cfr. supra lit. Magistri, d. XIII. circa med., et pag. 282, nota 3, ubi verba Fulgentii.

[3] Damasc., III. de Fide orthod. c. 6. Cfr. supra lit. Magistri, d. II. c. 1. in fine. — Seq. testimon. est Aristot., II. Poster. c. 18. (c. 15.), et I. Metaph. c. 1. — Pro *una experientia* (ἐμπειρία μία) cod. K *unum experimentum*, et pro *experimentis* codd. H Z aa *experientiis*.

[4] Cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1.

[5] Aristot., de Somno et vigilia, c. 2. sensum *communem* describit his verbis: Est autem quaedam et communis potentia sequens omnes [sensus exteriores], qua [animal] et quod videt et audit sentit. Non enim visu quidem videt quod videt, et iudicat utique et potest discernere, quod alia quidem dulcia sunt ab albis, nec gustu, nec visu, nec ambobus, sed quadam communi particula omnium sensoriorum; nam est quidem sensus unus et principale sensorium unum etc. Cfr. II. de Anima, text. 136. seqq. (III. c. 2.). Cfr. etiam ibid. text. 153. seqq. (III. c. 3.), ubi de potentia imaginativa.

[6] Cap. 2, 52. — Pro *Gregorius* edd. substituerunt *Beda*; cfr. supra pag. 274, nota 1. Gregor. Nazian., homil. 20. n. 65. sic ait: Proficiebat enim, inquit, ut aetate, ita etiam sapientia, non quod haec in illo incrementum caperent; quid enim eo quod a principio perfectum erat, perfectius esse possit? sed quod haec paulatim detegerentur et elucerent.

[7] Libr. III. de Fide orthod. c. 22, ubi in textu origin. post *sapientia* plura adiuncta reperiuntur.

[8] Ioan. 1, 14: Plenum gratiae et veritatis.

[9] Cfr. tom. II. pag. 119, nota 8. — De *maiori* vide quaest. praeced.

quam habet in actu, pro eo quod « omne recipiens debet esse denudatum a forma recepti [1] »: ergo si anima Christi a principio habuit in se omnium rerum creatarum speciem et notitiam, videtur, quod amplius non potuerit cognitionem novam recipere, ergo nec in cognitione proficere.

CONCLUSIO.

Anima Christi non secundum cognitionem simplicis notitiae, sed secundum cognitionem experientiae profecit.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod praeter scientiam, quam anima Christi habuit in Verbo, duplicem habuit cognoscendi modum, sicut praedictum fuit [2]: habuit enim cognitionem *simplicis notitiae* in intellectu, et cognitionem *experientiae* in sensu. Cognitio *simplicis notitiae* consistebat in habitibus et speciebus ipsi animae Christi inditis a primordio suae conditionis ex beneficio Conditoris; cognitio vero *experientiae* consistebat in usibus sensuum exteriorum. — Quoniam ergo habitus et species impressae fuerunt ipsi animae Christi in omnimoda plenitudine; hinc est, quod Christus proficere non potuit cognitione *simplicis notitiae*. Quia vero sensus exterior ad aliquid convertebatur de novo, ad quod prius conversus non fuerat; hinc est, quod cognitione *experientiae* proficiebat. — Iuxta quod dicit Ambrosius [3], quod « in eo sensus proficiebat humanus »; et Apostolus dicit, quod *didicit ex his quae passus est, obedientiam;* et Glossa super illud Psalmi: *Qui tribuit mihi intellectum:* « Usque ad mortem erudivit me inferior pars mea, scilicet carnis assumtio, ut experirer tenebras mortalitatis ». — Et sic anima Christi quamvis non proficeret secundum cognitionem *simplicis notitiae*, proficiebat tamen secundum cognitionem experimentalem. Ille autem profectus scientiae experimentalis in Christo in duobus differebat a profectu cognitionis nostrae, in uno videlicet, quod Christus non proficiebat veniendo in notitiam rei prius *incognitae*, sed quod prius cognoscebat [4] uno modo, scilicet per *simplicem notitiam*, cognoscebat alio modo, scilicet per *experientiam*. In alio etiam differebat, quia profectus noster est secundum *existentiam*, profectus vero Christi erat solum secundum *apparentiam*.

Et secundum hoc patet responsio ad quaestionem propositam; patet etiam responsio ad rationes ad utramque partem pro magna parte. Nam rationes, quae ostendunt, quod Christus non proficiebat in cognitione sive scientia, procedunt de profectu non solum secundum *apparentiam*, sed etiam secundum *existentiam*, non solum secundum cognitionem *experientiae*, verum etiam secundum cognitionem *simplicis notitiae*. Et ideo rationes illae sunt concedendae, quia verum concludunt.

1. 2. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium de auctoritate Apostoli et de auctoritate Bedae in Glossa, dicendum, quod utraque auctoritas intelligitur de cognitione *experientiae*.

3. Ad illud quod obiicitur, quod hoc est naturale, videlicet quod ex multis sensibilibus fiat una memoria; dicendum, quod duplex est modus cognoscendi per experientiam: unus, qui est via in *acquisitionem* scientiae; alius vero, qui est via in *exercitium* scientiae, ut quod prius sciebatur *theoretice* postmodum sciatur *practice* [5]. Et primus modus experientiae reperitur in scientiae *inventione*, secundus vero consistit in *usu* scientiae iam adeptae; et in primo est motus *ab incognito ad cognitum*, in secundo vero est via sive processus *a cognito uno modo*, ut cognoscatur *alio modo*. — Et primus modus respicit imperfectionem *naturae lapsae* propter ignorantiam annexam, secundus vero respicit statum *innocentiae*, in quo *habitus* scientiae praecessisset *usum*, et cognitio *simplicis notitiae* praecessisset cognitionem *experientiae;* et iste modus fuit in Christo et non alius, quia, sicut infra [6] patebit de statu naturae lapsae, Christus non debuit assumere defectum ignorantiae. Philosophus autem in praedicto progressu cognitionis procedit secundum statum *naturae lapsae*, quod in Christo non oportet reperiri.

4. Ad illud quod obiicitur, quod intellectus agens in Christo potuit abstrahere; dicendum, quod abstractio speciei a conditionibus materialibus quaedam ordinatur [7] ad *generandum habitum*, quaedam vero consistit in *iudicio eius* quod apprehensum est per sensum, iudicio, inquam, facto ab intellectu. Et *prima* non fuit in Christo, cum intellectus eius haberet habitus et species rerum, illa autem abstractio ordinaretur ad acquisitionem habitus et scientiae nondum adeptae, et ita haberet annexum defectum ignorantiae. *Secunda* vero in Christo fuit, sed ex hoc non sequitur, quod aliquid didicerit de novo, vel in scientia profecerit, sed solum quod aliquid consideravit intellectu excitato a potentia inferiori.

Scientia Christi triplex.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Confirmatur.

Dupliciter differt Christi profectus a nostro.

Ad argumenta.

Solutio oppositorum.

Distinctio notanda.

Notandum.

Notandum.

---

[1] Averroes, III. de Caelo et mundo, text. 67; II. de Anima, text. 67. et III. text. 4.

[2] Quaest. praeced. Cfr. Anselm., I. Cur Deus homo, c. 9. — Paulo inferius ante *Cognitio simplicis* multi codd. ponunt *et*. Deinde pro *conditionis* cod. W substituit *creationis*.

[3] De Incarn. domin. sacram. c. 7. n. 72. Cfr. supra lit. Magistri, d. XIII. circa medium. — Seq. Script. loc. est Hebr. 5. 8. — Glossa subinde allata est *ordinaria* in Ps. 15, 7; sumta est ex August., Enarrat. in hunc loc. et habetur apud Strabum et Lyranum. — Post pauca pro *proficeret* edd. *profecerit*.

[4] Cod. L *sciebat;* edd. 1, 2 cum pluribus codd., omisso *prius* (quod etiam in codd. A H desideratur), *proficiebat;* perperam.

[5] Cfr. Aristot., I. Metaph. c. 1.

[6] Dist. 15. a. 2. q. 1. — Paulo inferius pro *progressu* cod. X *processu*.

[7] Non pauci codd. falso *ordinantur*.

5. Ad illud quod obiicitur, quod sensus eius poterat componere et tenere; dicendum, quod illud non facit profectum in cognitione *speculationis*, sed in cognitione *experimentali*, quoniam illa quae sensus componebat, aut dividebat, apud intellectum erant magis cognita, non solum quantum ad essentias, sed etiam quantum ad comparationes [1], secundum quas compositiones et divisiones possunt formaliter variari. Unde secus est de cognitione rerum in Christo et in quocumque Angelo. Angeli enim potuerunt proficere in cognitione rerum componendo et dividendo et conferendo, etiam cognitione simplicis notitiae, quamvis non reciperent novas species; Christus vero minime, propter cognitionis plenitudinem et perfectionem, quam decuit animam eius habere a principio suae conditionis. Notandum.

SCHOLION.

I. Quod Christus non potuerit proficere in scientia *infusa*, saltem quoad habitum, inter omnes constat; item, quod proficere potuerit secundum scientiam *experimentalem*, quatenus per usum sensuum multa nova expertus sit et intuitive cognoverit. Cum autem intellectus humanus usu sensuum acquirat species intelligibiles, et inde habitum demonstrativum sive cognitionem abstractivam *habitualem*; restat quaestio, utrum Christus talem *habitum* scientiae naturali modo acquisiverit, et sic profecerit. Negative respondent cum S. Bonav. Alex. Hal. (S. p. III. m. 2. circa finem), Petr. a Tar., hic a. 5, Richard. a Med., hic a. 3. q. 2, a. 4. q. 3, Scot., hic q. 3. n. 6, Durand., hic q. 4, quorum ratio principalis est, quod duo habitus scientiae *per accidens* infusae et *acquisitae* sint eiusdem rationis (quod discipuli S. Thomae negant); porro dicunt, etiam adversarios statuere, quod duae formae eiusdem rationis non possint simul esse in eodem subiecto (cfr. 4. fundam.), et quod Christus iam habuerit habitum scientiae omnium rerum per accidens infusum. Huic negativae sententiae etiam S. Thom. prius adhaesit in Comment. (hic a. 3. quaestiunc 5.); sed postea in Sum. (III. q. 9. a. 4.) quaestionem affirmative solvit.

II. Seq. (3.) quaestio, de qua iam egit Magister (hic c. 2.), ab omnibus concorditer solvitur et a nostro Doctore gravibus argumentis probatur. Alex. Hal., loc. cit. q. 14. m. 2. — Scot., III. Sent. d. 16. q. 2. n. 9. seqq. — S. Thom., hic a. 4; S. III. q. 13. a. 1-4. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., hic a. 6. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 1-3. — Durand., hic q. 5. — Dionys. Carth., hic q. 4.

QUAESTIO III.

Utrum Deus communicaverit animae Christi omnipotentiam, sicut communicavit omniscientiam.

Tertio quaeritur, utrum Deus communicaverit animae Christi omnipotentiam, sicut communicavit ei omniscientiam. Et quod sic, videtur.

Ad oppositam. 1. Ad Philippenses secundo [2]: *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen:* ergo si non dedit ei nomen sine re, dedit igitur illi virtutem super omnem virtutem et potentiam super omnem potentiam: ergo dedit ei omnipotentiam.

2. Item, cum tria sint in anima, potentia, scientia et voluntas, ut vult Richardus [3], voluntas praesupponit scientiam, et scientia praesupponit potentiam: ergo natura, quae est capax scientiae, est capax potentiae: ergo quae est capax omniscientiae est capax omnipotentiae; sed anima Christi fuit capax omniscientiae, sicut supra [4] ostensum fuit: ergo fuit capax omnipotentiae.

3. Item, amplioris extensionis est scientia quam potentia — omne enim quod Deus potest, scit, sed non convertitur — sed quod capax est rei maioris est capax rei minoris [5]: ergo si anima Christi fuit capax omniscientiae, fuit etiam capax omnipotentiae: ergo debuit Deus ei communicare omnipotentiam.

4. Item, posse scire unum scibile est potentiae, ergo posse scire duo scibilia est maioris potentiae, et sic procedendo: ergo posse scire infinita scibilia est summae et infinitae potentiae; sed anima Christi potuit scire infinita scibilia [6]: ergo Deus communicavit ei omnipotentiam.

5. Item, artifex materialis non solum communicat filio suo scientiam simplicis notitiae, sed etiam scientiam practicam: ergo multo fortius hoc [7] Deus communicavit animae Christi; sed scientia practica habet operationem coniunctam, et operatio habet potentiam praeviam: ergo si Deus communicavit animae Christi scientiam practicam omnium rerum, communicavit ergo ei omnipotentiam.

6. Item, sicut intellectus animae Christi coniunctus est divinae sapientiae, ita etiam et virtus illius animae iuncta est divinae potentiae — dicimus enim *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* [8] — ergo sicut intellectus animae Christi propter coniunctionem eius ad summam sapientiam est factus omnisciens, ita et virtus propter coniunctionem cum summa potentia debuit fieri omnipotens.

---

[1] Edd. cum multis codd. vitiose *compositiones*. — De naturali cognitione Angelorum vide II. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 1.

[2] Vers. 9.

[3] Libr. VI. de Trin. c. 15, ubi de tribus appropriatis, scil. potentia, sapientia et bonitate, agens ostendit, quod multiplex potentia esse potest, ubi nulla potest esse sapientia, ex. gr. in rebus insensatis et brutis; « econtra autem, ubi nulla potentia est, nulla sapientia inesse potest. Nam posse sapere absque dubio est aliquid *posse*. Dat igitur esse *posse* non sapientia potentiae, sed potentia sapientiae... nulla bonitas inesse poterit, ubi sapientia vel potentia omnino defuerit » etc. Cfr. eius opusc. de Tribus appropriatis Personis in Trinitate.

[4] Art. 2. q. 3.

[5] Regula iuris 35. (V. Sext. Decret. in fine): *Plus* semper in se continet quod est *minus*.

[6] Vide supra a. 2. q. 3.

[7] Edd. *hanc*.

[8] Epist. I. Cor. 1, 24.

Sed contra: 1. Omnis potentia creaturae sequi- Fundamenta. tur ipsam substantiam creaturae; sed omnipotentia praecedit substantiam omnis creaturae, quia potest producere omne ens [1]: ergo nulli creaturae communicari potuit omnipotentia.

2. Item, nihil habens omnipotentiam potest ab aliquo excedi vel superari, quia nihil est maius omnipotente; sed necesse est, omnem creaturam a Deo excedi et superari: ergo impossibile est, alicui creaturae omnipotentiam communicari.

3. Item, « nullius substantiae finitae potest esse virtus infinita », sicut dicit Philosophus [2], et ratio manifestat; sed omnipotentia est virtus infinita: ergo nulli substantiae finitae potest communicari omnipotentia. Sed omnis creatura est substantiae finitae, cum sit creata *in numero, pondere et mensura:* ergo etc.

4. Item, nulla virtus entis creati transcendit *ens* [3]; sed omnipotentia transcendit *ens,* quia potest de *non-ente* facere *ens:* ergo impossibile est, alicui virtuti creatae dari omnipotentiam.

CONCLUSIO.

Nec animae Christi nec alicui creaturae potest omnipotentia communicari ut proprietas ei inhaerens.

Respondeo: Dicendum, quod nec animae Chri- Conclusio. sti nec alicui creaturae potest *omnipotentia* communicari, nisi eatenus, qua communicatur ei nomen et excellentia divinitatis, hoc est per communicationem idiomatum, quae ortum habet ex personali unione — sicut enim possumus dicere, quod homo est Deus, ita possumus dicere, quod homo est omnipotens — et sicut *excellentia divinitatis* nulli communicari potest sicut forma et proprietas eidem inhaerens substantialiter, vel accidentaliter; sic etiam nec *omnipotentia.*

Ratio autem, quare *omnipotentia* communicari non potest alicui creaturae, est, quia omnis crea- Ratio tri- plex. tura eo ipso, quod ex nihilo est, deficit a summa *stabilitate,* unde non *existit* per se ipsam; deficit a summa *simplicitate,* unde non *agit* per se totam; deficit a summa *immensitate,* unde *distare* potest Prima. in ipsa virtus a substantia [4]. Et quoniam *a se* non *subsistit* nec *in se,* nisi sustentetur a divina potentia; ideo impossibile est, ipsam *esse omnipotentem;* Secunda. non enim potest *se ipsam* sustinere. — Rursus, quoniam ex se tota non *agit,* non potest in totam rei substantiam; et ideo non potest esse omnipotens, cum non possit totum producere. — Postremo, quia Tertia. virtus eius *distat* a substantia, tantum potest elongari, quod omnino deficiet, unde non potest in omnia. — Sicut igitur soli Deo convenit summa *stabilitas,* summa *simplicitas,* summa etiam *immensitas;* sic etiam *omnipotentia,* quae necessario requirit ista tria. Et ideo omnipotentia communicari non potest alicui creaturae, nec animae Christi nec alii. — Et rationes, quae hoc ostendunt, sunt concedendae.

1. Ad illud vero quod obiicitur, quod dedit illi Solutio oppositorum. nomen, quod est super omne nomen; dicendum, quod datio illius nominis fuit per communicationem idiomatum, ut homo ille diceretur esse Deus et Dei Filius. De hac autem communicatione non intelligitur ad praesens; ideo auctoritas illa nihil facit ad propositum.

2. Ad illud vero quod obiicitur, quod potentia antecedit scientiam; dicendum, quod *potentia* dicitur Potentia duplex. dupliciter: respectu actus *interioris* et respectu actus *exterioris.* Dicimus enim, aliquem posse *scire* et *velle;* dicimus etiam, posse *operari.* Cum ergo dicimus, quod in creatura potentia antecedit scientiam, hoc verum est respectu actus *interioris,* sed non *exterioris* [5], quia potentia *operativa* consequitur scientiam. Cum autem dicitur omnipotentia esse in aliquo, hoc non intelligitur respectu actus *interioris* tantum, sed etiam respectu *exterioris;* ideo non sequitur, quodsi in aliquo sit omniscientia, quod in eo sit omnipotentia.

3. Ad illud quod obiicitur, quod amplioris extensionis est scientia quam potentia; dicendum, quod esse maioris extensionis est dupliciter: vel respectu Distinctio. *obiecti,* vel respectu *subiecti.* Si loquamur de extensione respectu *obiecti,* maioris extensionis est omniscientia quam omnipotentia, quia respectu plurium est. Si autem loquamur de extensione respectu *subiecti,* maioris amplitudinis est omnipotentia quam omniscientia, quantum est de *propria* ratione utriusque. Nam omnipotentia ponit subiectum suum omnino immensum et infinitum, omniscientia vero non, sicut in praecedentibus [6] fuit ostensum. Et ideo non sequitur, quodsi alicui subiecto naturae creatae possit communicari omniscientia, quod propter hoc possit ei communicari omnipotentia. Communicatio enim omnipotentiae plus respicit amplitudinem *subiecti* quam *obiecti.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod posse scire omne scibile est posse; dicendum, quod cum anima

---

[1] Cfr. supra d. 11. dub. 1. — De *maiori* vide tom. I. pag. 84, nota 6.

[2] Libr. VIII. Phys. text. 78. seqq. (c. 10.). — Testimon. Scripturae est Sap. 11, 21. — Infra pro *est substantiae finitae* cod. K *est substantia finita.*

[3] Quia *esse* habet rationem *effectus communissimi* et transcendentis omne *esse* particulare et participatum et per consequens etiam *virtutem* entis particularis, ut docent Scot. de Rerum principiis, S. Thom. de Potent. q. 3. a. 7, et Bonav. I. Sent. d. 43. q. 1, et II. Sent. d. 1. p. I. a. 2. Cfr. etiam tom. II. p. 14, nota 7.

[4] Cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 2, d. 37. p. I. a. 1. q. 1, d. 43. q. 1, et II. Sent. d. 37. a. 1. q. 2. — Subinde pro *a se non subsistit nec in se,* quae est scriptura cod. N *(nec in se* habent etiam multi alii codd.), edd. *in se non subsistit nec a se.* Pro *nec in se* codd. A D U Y Z bb *nec per se.*

[5] Codd. F G I K L T U V Z aa omittunt *sed non exterioris* pro quo cod. A exhibet *non respectu exterioris.*

[6] Art. 2. q. 3. — Paulo superius pro *maioris amplitudinis* cod. bb *extensionis amplioris.* Versus finem solut. pro *quod propter hoc* codd. E F G I K L T V aa *et propter hoc.*

Notandum. cognoscat in Verbo, *cognoscere* ipsius animae plus est in *recipiendo* ab ipso Verbo quam in *agendo* in ipsum Verbum; et ideo posse scire aliquid scibile in ipso Verbo est potentiae utique *activae* et *passivae*, sed *activae* ex parte Verbi illuminantis, *passivae* vero ex parte animae suscipientis. Cum ergo infertur, quod posse scire infinita sit potentiae infinitae; dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod in creatura sit infinitas potentiae *activae*, sed in ipsa est infinitas potentiae *passivae;* et hoc quidem non repugnat creaturae, licet ei repugnaret infinitas potentiae *activae*. Quoniam ergo posse *facere* infinita dicit infinitatem potentiae *activae*, posse vero *scire* omnia dicit infinitatem potentiae *passivae;* hinc est, quod quamvis alicui creaturae conveniat, ut possit omnia *scire*, non tamen convenit, ut possit omnia *facere*. Et *si tu obiicias*, quod scire non tantum est pati, verum etiam agere; dicendum, quod hoc est verum de scientia *actuali*, quae quidem consistit in actu iudicandi, et illa quidem proprium est solius Dei nec potuit alicui creaturae communicari. Sed non est verum de cognitione *habituali*, sicut in in praecedentibus [1] fuit ostensum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod Deus communicare debuit Christo non tantum scientiam speculativam, verum etiam practicam; dicendum, quod *scientia practica* dicitur duobus modis: uno modo dicitur *scientia practica*, quae est *de opere;* sicut moralis philosophia dicitur de opere, quae est de operibus procedentibus [2] a libera voluntate. Alio modo dicitur *scientia practica*, quae est *de opere* et *in opere;* sicut faber, quando fabricat, dicitur habere cognitionem practicam fabricandi. *Primo* modo communicavit Deus scientiam practicam animae Christi, quia Christus cognitionem habuit omnium operum divinorum; *secundo* modo non communicavit ei, pro eo quod anima Christi in cunctis suis operibus non potuit ei cooperari. Ideo non est simile de artifice et eius filio, quia filius artificis potest aequari in scientia et virtute, non sic autem anima Christi Verbo; simile autem erit, si loquamur de Christo secundum divinam naturam. *Pater* enim *omnia demonstrat Filio, et quaecumque Pater facit, haec omnia et Filius facit*, sicut dicitur in Ioannis quinto [3].

Duplex scientia practica.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod ita unitur virtus virtuti, sicut intellectus sapientiae; dicendum, quod non est simile, sicut iam praedictum est, eo quod operatio *intellectus* est in *suscipiendo*, operatio vero *potentiae activae* magis consistit in *agendo*. Et huius signum est, quia [4] multo excellentioris virtutis est aliquid posse *facere*, quam posse *nosse;* multo enim difficilius est facere unam formicam, quam cognoscere caelum et terram. *Cognoscens* enim, eo ipso quod cognoscens, non influit in ipsum cognitum; *potens* vero, in eo ipso quod potens est, comparatur ad ipsum possibile sicut ad effectum. Et hinc est, quod virtus operativa in Christo non est facta *omnipotens*, sicut intellectus eius factus est *omnisciens* [5].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit, quod *in nullo Creatori creatura aequatur*. Videtur enim falsum in duratione *ex parte post;* sicut enim Deus durat in infinitum, ita et creatura; infinitum autem infinito non est maius [6]. — Item, infertur instantia in numero personarum, quoniam ternarius aequatur ternario, et in multis creaturis contingit ternarium invenire: videtur ergo, quod in aliquo contingat, creaturam Creatori aequari.

Respondeo: Dicendum, quod pensatis conditionibus, in nullo potest creatura Creatori coaequari perfecte, nec est in aliquo ferre instantiam. — Et quod obiicitur de perpetuitate creaturae, non valet, quia perpetuitas creaturae pendet ex perpetuitate Creatoris, et perpetuitas etiam creaturae non est tota simul, sicut perpetuitas Creatoris; et hoc dicit Anselmus [7], tractans illud verbum, quod habetur in Cantico Exodi: *Dominus regnavit in aeternum et ultra*. — Similiter quod obiicit de numero personarum, non valet, quia in divinis personis est vera distinctio cum perfectissima unitate; et huic nihil in creatura potest reperiri perfecte simile vel aequale, licet aliquid reperiatur ibi de similitudine [8].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nemo novit quae sunt Dei, nisi solus Spiritus Dei* etc. Hoc enim videtur esse falsum, quia Filius scrutatur omnia quae sunt Patris: non ergo solus Spiritus. — Item, *perscrutatio* est actus pertinens ad cognitivam: ergo si

---

[1] Art. 1. q. 3. ad 6. et a. 2. q. 3. — Paulo superius pro *proprium* cod. A *propria*.

[2] Cod. F, omisso *quae est de operibus*, substituit *procedente*.

[3] Vers. 19. seq. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Paulo superius post *potest aequari* [cod. N *adaequari*] cod. A supplet *artifici*.

[4] Cod. G *quod*.

[5] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Cfr. supra pag. 279, nota 8. — Subinde pro *infertur* codd. A G I K L Z aa *fertur*.

[7] Proslog. c. 20. Cfr. tom. II. pag. 61, nota 8. — Loc. s. Script. est Exod. 15, 18. — Pro *et hoc* ante *dicit Anselmus* complures codd. *et* tantum, edd. *ut*.

[8] Cfr. I. Sent. d. 3. p. I. q. 4, nec non S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

sapientia appropriatur Filio, potius deberet dici solus Filius perscrutator quam Spiritus sanctus.

Respondeo: Dicendum, quod verbum illud intelligitur *causaliter*. Dicitur enim solus *Spiritus scrutari profunda Dei* [1], quia facit, nos ipsa scrutari; et quia Pater et Filius operantur in nobis per Spiritum sanctum, quem ad nos mittere dicuntur; hinc est, quod quamvis dicatur de solo Spiritu sancto, intelligitur tamen de Patre et Filio; et ideo cum dicitur solus Spiritus sanctus, non excluditur Filius [2].

Notandum.

Ad illud quod quaeritur: quare magis appropriatur Spiritui sancto? dicendum, quod hoc est propter dona gratiarum, quae Spiritui sancto attribuuntur, in quorum collatione Spiritus sanctus dicitur ad nos mitti [3].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non ita clare ac perspicue omnia capit, ut Deus.* Hoc enim videtur esse falsum, quia anima Christi est speculum clarissimum et mundissimum [4]: ergo omne illud, quod in ea resultat, adeo clare videt, ut Deus. — Item, si non ita limpide videt, hoc non provenit nisi propter permixtionem obscurationis; sed obscurationis causa est peccatum: ergo videtur, quod anima Christi habuerit obscurationem peccati; quodsi hoc est falsum, ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod respectu summae lucis omnis creatura tenebra est, sicut dicit Augustinus [5], eo ipso quod ex nihilo est. Unde sicut non potest pervenire ad summam *stabilitatem*, ita non potest venire ad summam *luminositatem*.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod est speculum clarissimum; dicendum, quod non dicitur speculum clarissimum simpliciter, sed respectu aliarum creaturarum, inter quas retinet principatum [6].

Ad illud quod obiicitur, quod causa minoris claritatis est obscuratio, quae quidem est per peccatum; dicendum, quod minor claritas dupliciter potest dici in creatura: vel respectu *Dei*, vel respectu *illius* claritatis, quam creatura nata est habere. Si respectu *illius*, quam nata est habere; sic talis obscuratio est ex peccato, et haec quidem non fuit in Christo. Si respectu *Dei*; sic talis obscuratio venit ex defectu creaturae, eo quod creatura nunquam potest Creatori coaequari. — *Praeterea*, ratio illa non valet: non videt ita limpide, ergo habet aliquam obscuritatem [7]; quia luminare unum dicitur esse minus altero propter minorem accessum ad summum sui generis, quia oppositum eius non est aliqua *natura*, sed *privatio*. Cum autem dicitur, quod maius et minus est per impermixtionem contrarii, hoc intelligitur in oppositis, quorum utrumque per se est aliqua natura [8].

Distinctio.

Notandum.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non est datum ei posse facere omnia.* Hoc enim videtur esse falsum. Quia dicitur Matthaei ultimo [9]: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* — Item, Marci nono: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*: ergo si possibilia sunt credenti, multo magis possibilia sunt animae Christi comprehendenti.

Respondeo: Dicendum, quod est potentia *impetrandi*, et est potentia *praesidendi*, et potentia *faciendi*. Cum ergo dicit Magister, quod «non est datum ei» etc.; intelligitur de potentia *faciendi*. Cum autem dicitur Matthaei ultimo: *Data est mihi* etc.; intelligitur de potentia *praesidendi*; omnibus enim, quae sub Deo sunt, praeest etiam Christus secundum humanam naturam, quae est super Angelos exaltata. Cum autem dicitur Marci nono: *Omnia possibilia sunt credenti*; intelligitur de potentia *impetrandi*; fides enim firma impetrare potest omnia miracula, iuxta illud quod dicitur primae ad Corinthios decimo tertio [10]: *Si habuero fidem* etc. — Et per hoc patet, quod in praedictis nulla est contrarietas.

Triplex potentia.

---

[1] Epist. I. Cor. 2, 10. — August., Enarrat. in Ps. 52. n. 5, illud Apostoli verbum commentans ait: Hinc enim dictum est et illud: *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam altitudinem Dei* (I. Cor. 2, 10.); non quia ille scrutatur, qui novit omnia, sed quia tibi donatus est Spiritus, qui et te scrutari facit; et quod dono ipsius tu facis ille facere dicitur, quia sine illo tu non faceres; ergo Deus facere dicitur, cum tu facis.

[2] Cfr. supra d. 4. dub. 1.

[3] Vide infra d. XXXIV. seq., ubi et in lit. Magistri et in Comment. de donis Spiritus S. agitur. Vide etiam I. Sent. d. 15. p. II. q. 1. seqq. — De hoc dubio cfr. S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

[4] Sap. 7. 26: Candor est enim lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis etc.

[5] Libr. XII. Confess. c. 3. n. 3. seqq.; IV. de Genes. ad lit. c. 23. n. 40; contra Secundin. Manich. c. 26; I. Contra Adversar. Legis et Prophet. c. 7. n. 10. seqq. Cfr. tom. II. pag. 141, nota 5.

[6] Cfr. supra d. 13. a. 1. q. 2. — Paulo inferius pro *potest dici* edd. *dicitur*.

[7] Codd. F U *obscurationem*.

[8] Cfr. I. Sent. d. 17. p. II. q. 2. seq. et II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2, ubi de augmento et diminutione caritatis agitur, quae lumini assimilatur. De hoc dubio vide B. Albert., hic a. 4.

[9] Vers. 18. — Seq. s. Script. loc. est Marc. 9, 22. Codd. hic et infra in solut. erronee citant *Matth. 6.*

[10] Vers. 2. — Paulo ante pro *firma* edd. cum aliquot codd. *summa*.

DISTINCTIO XV.

Cap. I.

De hominis defectibus, quos assumsit Christus.

Illud quoque praetermittendum non est, quod Dei Filius naturam hominis accepit passibilem, animam passibilem, carnem passibilem et mortalem. Ut enim probaretur verum *corpus* habere, suscepit defectus corporis, famem, sitim et huiusmodi; et ut veram *animam* probaretur habere, suscepit defectus animae, scilicet tristitiam, timorem, dolorem et huiusmodi. Omnis autem sensus animae est. Non enim caro sentit, sed anima utens corpore veluti instrumento. Unde Augustinus, super Genesim in libro duodecimo [1]: « Non corpus sentit, sed anima per corpus, quo velut nuntio utitur ad confirmandum in se ipsa quod extrinsecus nuntiatur ». Sicut ergo anima quod foris est per corpus tanquam instrumentum videt vel audit; ita etiam per corpus quaedam sentit mala, quae sine corpore non sentiret, ut famem et sitim et huiusmodi; unde non immerito defectus corporis dicuntur. Quaedam autem non per corpus, immo etiam sine corpore sentit, ut est timor et huiusmodi. Sentit igitur anima dolores, sed quosdam per instrumentum corporis, quosdam vero non. Suscepit autem Christus sicut veram naturam hominis, ita et veros defectus hominis, sed non omnes. Assumsit enim defectus *poenae*, sed non *culpae*, nec tamen omnes defectus poenae, sed eos omnes, quos homini eum assumere expediebat et suae dignitati non derogabat. Sicut enim propter hominem homo factus est, ita propter eum hominis defectus suscepit. Suscepit enim de nostro, ut de suo nobis tribueret et [2] ut nostrum tolleret. Suscepit enim nostram vetustatem, ut suam nobis infunderet novitatem. « *Simplam* accepit ille vetustatem, id est poenae, ut nostram *duplam* consumeret », id est poenae et culpae.

De congruitate horum defectuum.

Augustinus.

Dubium 1.

Tradit auctoritas [3], quod Dominus noster in se suscepit omnia infirmitatis nostrae praeter peccatum; quod nisi accipiatur de illis tantum, quae eum sumere pro nobis oportuit nec dedecuit, falsum esse probabitur. Non enim assumsit ignorantiam aliquam, cum sit ignorantia quaedam, quae defectus est nec peccatum est, scilicet ignorantia invincibilis [4]. Nam vincibilis peccatum est, si tamen de his est, quae nobis expedit scire. Sunt enim quaedam, quorum scientia non affert, vel ignorantia non impedit salutem; et forte talium rerum ignorantia defectus non est. Constat autem, in nobis esse ignorantiam atque difficultatem volendi vel faciendi bonum, quae ad miseriam nostram pertinent. Unde Augustinus in libro tertio de Libero Arbitrio [5]: « Approbare, inquit, falsa pro veris, ut erret invitus, et resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse a libidinosis operibus temperare non est natura instituti hominis, sed poena damnati ». « Ex qua miseria peccantibus iustissime inflicta liberat Dei gratia, quia sponte homo libero arbitrio cadere potuit, non etiam surgere. Ad quam miseriam pertinet ignorantia et difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suae, nec ab isto malo quisquam nisi gratia Dei liberatur ». — Ecce evidenter dicit hic Augustinus, ignorantiam, qua quis invitus falsa pro veris approbat, et difficultatem, qua non potest se temperare a malo, ad miseriam nostram pertinere et poenam esse hominis. Haec autem Christus non habuit. Non igitur accepit omnes defectus nostrae infirmitatis praeter peccatum.

De generalitate defectuum.

Augustinus.

Sed forte aliquis dicet, illa esse peccatum. — Cui obviat quod Augustinus tradere videtur, haec scilicet Deum inculpabiliter ante peccatum in exordio conditionis homini potuisse indere, ut essent ei naturalia, ita in libro Retractationum [6] inquiens: « Ignorantia et difficultas etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset ». Sed si haec homo in primordio naturaliter habuisset, nunquid essent in eo defectus et poenae? Si defectus vel poena ei indita fuisset ante peccatum, iniuste cum eo agi videretur, si ante culpam sentiret poenam. — Ob hoc sane dicimus, illa non fuisse defectus vel poenas, si naturaliter homini infuissent, sicut non fuit homini ante peccatum nondum gratiam adepto defectus sive poena *non posse proficere*. Sed postquam gratiam recepit, per quam proficere potuit et ad tempus etiam [7] profecit, eamque culpa sua post amisit, simulque proficiendi facultatem perdidit; defectus fuit ei et poena *non posse proficere*, scilicet malum declinare et bonum facere. Omnes igitur defectus nostros suscepit Christus praeter peccatum, quos *ei conveniebat* suscipere et *nobis expediebat*. Sunt enim plura aegritudinum genera et corporis vitia, a quibus omnino immunis exstitit. Quos enim defectus habuit, vel ad ostensionem verae humanitatis, ut timorem et tristitiam, vel ad impletionem operis, ad quod venerat, ut passibilitatem et mortalitatem, vel ab immortalitatis desperatione spem nostram erigendam, ut mortem, suscepit. — Hos autem defectus non conditionis suae necessitate, sed miserationis voluntate suscepit. Veros quidem habuit defectus, sicut et nos,

Obiectio solvitur.

Augustinus.

Dubium 2.

De causalitate eorundem.

---

[1] Cap. 24. n. 51. — Cfr. Hugo, Sum. Sent. tr. I. c. 17, ex quo Magister hic multa excerpsit. — Infra post *corpus tanquam* edd., exceptis 1, 8, addunt *per*.

[2] Edd., exceptis 1, 8, omittunt *et*, nec non post *tolleret* addunt *defectum*, quam vocem edd. 1, 8 et omnes codices primitus omiserunt (in codd. A C D secunda manus addidit *defectum*). Sed primitiva lectio nobis visa est magis genuina. — De sequentibus cfr. August., IV. de Trin. c. 3. n. 5. 6; Serm. de Symb. c. 5.

[3] Hebr. 4, 15: Non enim habemus pontificem, qui non possit compati *infirmitatibus* nostris, tentatum autem per *omnia* pro similitudine *absque peccato*. Hic locus Scripturae in aliis edd. non citatur, sed pro eo diversa testimonia Ss. Patrum, praesertim (ut in Hugone) Leonis Epist. 24. (alias 10.) c. 3; et ad marginem habetur: *Qualiter accipiendum sit quod ait Leo Papa.*

[4] Cfr. II. Sent. d. XXII. c. 5.

[5] Cap. 18. n. 52; cfr. I. Retract. c. 9. n. 5, et de Natura et gratia c. 67. n. 81. — Seq. locus est I. Retract. c. 9. n. 6, et de Dono persev. c. 11. n. 27.

[6] Libr. I. c. 9. n. 6, et de Dono persev. c. 11. n. 27. — Paulo superius post *videtur* edd. pro *haec* habent *hoc*; deinde pro *indere* edd. 1, 8 *tradere*.

[7] Edd., exceptis 1, 8, omittunt *etiam*.

sed non ex eadem causa. Nos enim ex peccato originali hos defectus trahimus, sicut Apostolus [1] insinuat dicens: *Corpus quidem propter peccatum mortuum est*, id est, necessitatem moriendi habet in se. Christus autem non ex peccato huiusmodi habuit defectus, quia sine peccato est conceptus et natus *et in terris conversatus*. Sed ex sola miserationis voluntate de nostro in se transtulit veram infirmitatem, sicut accepit veram carnem, quam sine omni infirmitate assumere potuit, sicut absque culpa eandem suscepit.

Confirmatur auctoritatibus.

Sed quia nonnulli [2] de sensu in passione humanitatis Christi male sensisse inveniuntur, asserentes, similitudinem atque imaginem passionis et doloris Christum hominem pertulisse, sed nullum omnino dolorem vel passionem sensisse, auctoritatum testimoniis eos convincentes, indubitabile faciamus quod supra diximus. Propheta Isaias [3] dicit: *Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit.* Et Veritas ipsa in Evangelio ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* ubi etiam legitur: *Coepit Iesus pavere et taedere.* Propheta etiam ex persona Christi ait: *Repleta*

Augustinus.

est malis anima mea; quod exponens Augustinus [4] ait: « Non vitiis et peccatis, sed humanis malis, id est doloribus, repleta fuit anima Christi, quibus ipsa compatitur carni. Non enim dolor corporis potest esse sine anima; dolere autem anima, etiam non dolente corpore, potest. Hos autem humanae infirmitatis affectus, sicut ipsam carnem ac mortem, non conditionis necessitate,

Ambrosius.

sed miserationis voluntate suscepit ». Ambrosius etiam in libro de Trinitate [5] ait: « Scriptum est: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Timet ergo Christus, et dum Petrus non timet, Christus timet. Petrus dixit: Animam meam pono pro te; Christus dicit: A n ma mea turbatur. Utrumque verum est et rationis plenum, quod et ille qui est inferior, non timet; et ille qui superior est, gerit timentis affectum ». Idem in eodem [6]: « Ut *homo* turbatur, ut *homo* flet, ut *homo* crucifigitur »; « per naturam *hominis* et taediavit et resurrexit Christus ». « Non turbatur eius virtus, non turbatur eius divinitas, sed turbatur anima, secundum humanae fragilitatis assumtionem turbatur. Nam qui suscepit animam suscepit etiam animae passionem. Non enim eo, quod Deus erat, aut turbari, aut mori posset ». Idem in eodem: « Suscepit *tristitiam* meam, confidenter *tristitiam* nomino, qui crucem praedico. Ut *homo* habuit *tristitiam*, quam meo suscepit affectu, mihi compatitur, mihi tristis est, mihi dolet. Ergo pro me et in me doluit, qui pro se nihil habuit, quod doeret ». « Doles igitur, Domine Iesu, mea vulnera, non tua, quia tu non pro te, sed pro me doles ». Hieronymus quoque in Explanatione fidei [7] ait: « Nos ita dicimus hominem passibilem a Dei Filio susceptum, ut Deitas impassibilis permaneret. Passus est enim Dei Filius non putative, sed vere omnia quae Scriptura testatur, secundum illud quod pati poterat, scilicet secundum substantiam assumtam. Licet ergo persona Filii susceperit passibilem hominem, ita tamen eius habitatione secundum suam substantiam nil passa est, ut tota Trinitas, quam impassibilem necesse est confiteri ». — His aliisque auctoritatibus perspicuum fit, Christum vere passibilem assumsisse hominem atque in eo defectus et affectus nostrae infirmitatis suscepisse, sed voluntate, non necessitatis conditione.

Hieronymus.

Quaedam tamen reperiuntur in Sanctorum tractatibus, quae praemissis adversari videntur. Nam super illum locum Psalmi: *Clamabo, et non exaudies*, Augustinus [8] tradere videtur, Christum nec vere timuisse nec vere tristatum esse, sic dicens: « Quomodo hoc dicit *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius?* Sed *de nobis*, corpore suo, hoc dicit; corporis enim sui, id est Ecclesiae, gerebat personam, sicut et alibi, cum dixit: *Transeat a me calix iste, pro nobis* loquitur, nisi forte putetur timuisse mori; sed non vere timebat Dominus pati, tertia die resurrecturus, cum arderet Paulus *dissolvi et esse cum Christo.* Non enim fortior est miles quam imperator. Miles ergo [9] coronandus gaudet mori, et Dominus coronaturus timet mortem? Sed infirmitatem nostram repraesentans, pro suis infirmis, qui timent mori, haec dixit. Vox illorum erat ». Hieronymus [10] etiam ait: « Erubescant qui putant, Salvatorem timuisse mortem et passionis pavore dixisse: *Transeat a me calix iste* ».

Dubium 3. Difficultates.

Augustinus.

Hieronymus.

Cap. II.

De propassione et passione timoris, vel tristitiae.

Solvuntur difficultates.

Ne autem in sacris litteris aliqua adversa diversitas esse putetur, harum auctoritatum verba in hunc modum accipienda dicimus, ut non *veritatem* timoris et tristitiae vel *propassionem* [11], sed timoris et tristitiae *necessitatem* et *passionem* a Christo removisse intelligantur. Habuit enim Christus verum timorem et tristitiam in natura hominis, sed non sicut nos, qui sumus membra eius. Nos enim causa peccati nostri his defectibus necessario subiacemus, et in nobis sunt isti defectus secundum *propassionem* et *passionem*, sed in Christo non nisi secundum *propassionem.* Sicut enim

---

[1] Rom. 8, 10, et inferius respicitur Baruch 3, 38. — Superius pro *ex eadem causa* codd. A B C D *eadem causa;* deinde pro *trahimus* edd., exceptis 1, 3, 8, *contrahimus.*

[2] Cfr. August., de Haeresib. n. 21, loquens de Cerdonianis, et n. 46, de Manichaeis, n. 14. de Marcione.

[3] Cap. 53, 4; seq. locus est Matth. 26, 38; tertius Marc. 14, 33; quartus Ps. 87, 4.

[4] Enarrat. in cit. Ps. 87, n. 3, ubi ed. 1 habet: *sine animae dolore. Anima autem, etiam... potest dolere.* Deinde pro *infirmitatis affectus* edd. 1, 8 *infirmitatis defectus.*

[5] Sive II. de Fide, c. 5. n. 43. 44, ubi respiciuntur Matth. 26, 39; Ioan. 13, 37; 12, 21; Luc. 22, 42.

[6] Ibid. c. 7. n. 56; locus secundus c. 8. n. 59; tertius iterum c. 7. n. 56 (ubi post *assumtionem* Vat. et plures edd. omittunt *turbatur);* quartus c. 7. n. 53; quintus c. 7. n. 54. Eadem habet Ambros. in Exposit. in Evang. Luc. (c. 22.) X. n. 56.

[7] Explanat. Symboli ad Damas. (inter opera S. Hieronymi), ubi Vat. cum paucis edd. post *omnia quae* addit *de illo,* et *sed* post *testatur.*

[8] Enarrat. 2. in Ps. (21, 3.) n. 4, secundum sensum. Scripturae loci sunt I. Petr. 2, 22; Isai. 53, 9; Matth. 26, 39; Phil. 1, 23.

[9] Ita codd. B C D E et edd. 1, 8, cod. A *vero*, ed. 6 *etiam,* Vat. cum reliquis *enim.* In fine Vat. et ed. 6 bene addunt *non capitis.*

[10] Comment. in Matth. 26, 1.

[11] De *passione* et *propassione* cfr. Glossa ad Matth. 5, 28, apud Lyranum.

in peccatis gradus quidam notantur *propassio* et *passio*, ita et in his poenalibus effectibus. Afficitur enim quis interdum timore vel tristitia, ita ut mentis intellectus non inde moveatur a rectitudine vel Dei contemplatione, et tunc *propassio* est; aliquando vero movetur et turbatur, et tunc *passio* est. Christus vero non ita fuit turbatus in anima timore vel tristitia, ut a rectitudine vel Dei contemplatione aliquatenus declinaret; secundum quem modum intelligitur, cum dicitur *non timuisse* vel *tristis fuisse*. Unde Hieronymus super Matthaeum [1], ubi legitur: *Coepit contristari et moestus esse;* « ut veritatem, inquit, probaret assumti hominis, vere contristatus est, sed non *passio* eius dominatur animo, verum *propassio* est. Unde ait: *Coepit contristari*. Aliud est enim *contristari*, aliud *incipere contristari* », quod est, aliter contristatur quis per *propassionem*, aliter per *passionem*. Ideoque secundum hanc distinctionem aliquando dicitur Christus non vere timuisse, aliquando vere timuisse, quia verum timorem habuit et tristitiam, sed non secundum *passionem* neque *ex necessitate conditionis*. Unde Augustinus [2], ex his causis volens assumi dictorum intelligentiam, dicit, Christum non vere timuisse vel tristatum esse, et in continenti, veram tristitiam habuisse, his verbis: « *Infirmos* in se praesignans, Dominus ait: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Non enim vere timebat Dominus pati, tertia die resurrecturus, cum arderet Paulus *dissolvi et esse cum Christo.* Iste gaudet coronandus, et tristis est Dominus coronaturus »? Ecce hic videtur tristitiam et timorem a Christo removere. Continuo autem subiunxit: « Sed tristitiam sic assumsit, quo modo carnem. Fuit enim tristis, sicut Evangelium dicit. Si enim non tristis fuit, cum Evangelium dicat: *Tristis est anima mea usque ad mortem* etc., ergo et quando dicit: *Dormivit Iesus*, non dormivit; vel quando dicit manducasse, non manducavit; et ita nihil sanum relinquetur, ut dicatur etiam, quia [3] corpus eius non erat verum. Quidquid ergo de illo scriptum est, verum est et factum est. Ergo et tristis fuit, sed *voluntate* tristitiam suscepit veram, quo modo *voluntate* carnem veram ». — Ecce aperte noscis, eundem sibi in his verbis contradicere, nisi varias dictorum discerneret *causas*, ex quibus intelligentia verborum assumenda est. Si enim discernatur intelligentiae causa praedictorum verborum, nihil occurrit contradictionis [4].

Hieronymus.

Dubium 4.

Augustinus.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XV.

De passibilitate et defectibus a Christo assumtis in generali.

Illud quoque praetermittendum non est etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de plenitudine gratiae et cognitionis in Christo ex parte humanitatis; in hac vero parte intendit agere de defectu passibilitatis. Dividitur autem pars ista in duas partes. In quarum prima agit de defectibus a Christo assumtis in generali. In secunda vero agit de passione doloris in speciali, ibi [1]: *Verumtamen magis movent ac difficiliorem afferunt quaestionem* etc.

Prima pars habet duas. In quarum prima veritatem explanat. In secunda vero veritatem explanatam multiplici auctoritate confirmat, ibi: *Sed quia nonnulli.* Prima pars habet tres partes. In quarum prima agit de defectibus repertis in Christo quantum ad congruitatem, ostendens, quod congruum fuit, Christum tales defectus in se habere. In secunda vero agit quantum ad generalitatem, inquirens, utrum omnes defectus nostros contingat in Christo reperire, ibi: *Tradit autem auctoritas, quod Dominus noster.* In tertia vero determinat quantum ad causalitatem, ostendens, tales defectus in Christo non fuisse a natura, sed a voluntate, ibi: *Hos autem defectus non conditionis suae* etc.

Similiter secunda pars, in qua confirmat praedeterminata, habet partes tres. In quarum prima adducit auctoritates, quae faciunt ad veritatem. In secunda vero adiungit auctoritates, quae videntur esse contra veritatem, ibi: *Quaedam tamen reperiuntur in Sanctorum auctoritatibus* etc. In tertia vero explanando ostendit, in praedictis non esse contrarietatem, ibi: *Ne autem in sacris litteris aliqua adversa diversitas* etc. Subdivisiones autem partium manifestae sunt in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit [2] quaestio circa duo.

Primo enim quaeritur de huiusmodi defectibus assumtis a Christo in generali.

Secundo quaeritur de aliquibus defectibus in speciali.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur de defectibus assumtis a Christo quantum ad condecentiam et congruitatem.

Secundo vero quantum ad generalitatem.

Tertio quaeritur de huiusmodi defectibus quantum ad causalitatem.

---

[1] Cap. 26, 37.

[2] Enarrat. in Ps. 93. n. 19, sed multis a Magistro mutatis, ubi respicitur Phil. 1, 23; Marc. 14, 34.

[3] Ita codd. et edd., Vat. *quod*. Infra ante *tristis* codd. B C E et edd. 1, 2, 4, 9 cum Vat. omittunt *et*.

[4] In codd. et edd., excepta 2, haec distinctio continuatur usque ad c. 3. sequentis dist.: *Hic oritur.*

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Intellige cum edd. 1, 2 *infra dist. 16.*

[2] Codd. U V W Z adiiciunt *hic.*

ARTICULUS I.

De defectibus assumtis a Christo in generali.

QUAESTIO I.

Utrum congruum fuerit, tales defectus in Christo reperiri.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum congruum fuerit, tales defectus in Christo reperiri. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Ad Hebraeos secundo [1]: *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum:* si ergo decebat, Christum in se habere illa quae faciunt ad fidelitatem et misericordiam, et haec sunt illa, in quibus nobis assimilatur secundum statum miseriae, cuiusmodi sunt defectus et poenalitates: ergo huiusmodi in Christo reperiri debent.

2. Item, ad Hebraeos quarto [2]: *Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Ex isto verbo arguitur ita: bonus pontifex debet compati his *qui ignorant et errant;* sed Christus assumsit humanam naturam, ut fieret noster pontifex: ergo debuit ea in se assumere, quae faciunt ad compassionem. Huiusmodi autem sunt defectus et poenalitates nostrae naturae: ergo etc.

3. Item, Christus ad hoc assumsit naturam humanam, ut nobis in illa mereretur vitam aeternam, quam primus parens nobis abstulerat; sed meritum praecipuum consistit in tolerantia passionum et defectuum humanorum: si ergo decuit Christum praecipuo merito mereri, decuit per consequens, huiusmodi defectus et passiones in ipso reperiri [3].

4. Item, ad hoc assumsit Christus humanam naturam, ut eam curaret satisfaciendo, et curando satisfaceret; sed praecipuum, quod facit ad culpae curationem et satisfactionem, est poenalis humiliatio [4]: ergo videtur, quod decuit huiusmodi reperiri in Christo.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Sicut summae iustitiae repugnat defectus culpae, sic summae potentiae repugnat defectus fragilitatis et impotentiae; sed Deum summe iustum non decuit habere defectum culpae, nec in se nec in natura assumta: ergo pari ratione nec defectum poenalitatis et impotentiae.

2. Item, sicut culpa sine poena subsequente est inordinata, sic poena sine culpa praecedente [5]; sed non decet Deum facere aliquid inordinatum circa se nec circa naturam sibi unitam: ergo si nullam habuit culpam, nec in se nec in natura sibi unita; videtur, quod nullos debuit defectus assumere neque passibilitates ad culpam consequentes secundum rectum ordinem.

3. Item, Christus assumsit humanam naturam ad curandum eam non solum a culpa, sed etiam a defectibus et passionibus culpam consequentibus; sed contraria contrariis curantur, tam in corporalibus quam in spiritualibus: ergo magis debuit assumere fortitudinem et impassibilitatem ad curandam nostram debilitatem et infirmitatem quam defectus nostros naturales. Et hoc est quod videtur Propheta petere, Isaiae quinquagesimo primo [6]: *Consurge, consurge; induere fortitudinem brachium Domini.*

4. Item, Christus venit ad pugnandum et devincendum adversarium [7]; sed defectus huiusmodi plus sunt ordinati ad deficiendum quam ad vincendum, maxime cum pugnatur contra fortem adversarium: ergo videtur, quod potius tales defectus debuit Christus reiicere quam in se assumere.

CONCLUSIO.

Congruum fuit, Christum assumere naturam nostram cum defectibus et passibilitatibus.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod absque dubio congruum fuit, Christum assumere naturam nostram cum defectibus et passibilitatibus; et hoc triplici ex causa, principaliter videlicet propter *pretium* nostrae salutis, propter *exemplum* virtutis et propter *fulcimentum* nostrae fragilitatis. Triplex ratio.

Prima. Propter *pretium* nostrae salutis, quia proposuerat nos redimere *non corruptibilibus auro et argento, sed pretioso sanguine suo* [8], et animam suam ponere pro animabus nostris. Ad hoc autem non esset idoneus, nisi naturam deficientem et passibilem assumsisset; et propterea defectus nostros et poenalitates debuit in se ipso habere. — Alia Secunda.

---

[1] Vers. 17.

[2] Vers. 15. — Verba deinde subnexa tangunt eiusdem Epist. c. 5, 1. 2: Omnis namque pontifex ex hominibus assumtus... qui condolere possit iis qui ignorant etc.

[3] Luc. 24, 26: Nonne haec oportuit pati Christum etc. — In *maiori* pro *assumsit* edd. 1, 2 cum nonnullis codd. *sumsit.*

[4] Cfr. infra d. 20. q. 2. seqq. — Pro *praecipuum* Vat. *pretium.*

[5] Vide II. Sent. 36. a. 2. q. 1. seq.

[6] Vers. 9. In textu allegato pro *brachium* codd. F G I L T U V aa bb substituunt *brachii.* — De hoc arg. cfr. supra pag. 261, nota 2.

[7] Cfr. infra lit. Magistri, d. XIX. c. 1, et ibid. Comment. a. 1. q. 3.

[8] Epist. I. Petr. 1, 18. seq. — Ioan. 10, 15: Animam meam pono pro ovibus meis.

etiam ex causa congruum fuit hoc ipsum, videlicet propter *exemplum* virtutis, specialiter autem humilitatis, patientiae et pietatis, quibus mediantibus pervenitur ad caelum, et in quibus Christus voluit nos imitari ipsum, secundum illud Matthaei undecimo [1]: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* — Tertia ratio est propter *fulcimentum* nostrae fragilitatis, ob quam natura rationalis habet in se difficultatem ad *credendum vera*, et irascibilis ad *sperandum ardua*, et concupiscibilis ad *amandum bona*. Et ideo voluit Christus non tantum nobis similari in natura, sed etiam in defectibus et poenalitatibus, ut, manifestando in se *veritatem* humanae naturae, praeberet fulcimentum nostrae rationali ad *credendum;* ostendendo nihilominus immensitatem suae misericordiae per susceptionem nostrae miseriae, praeberet irascibili fulcimentum ad *sperandum;* ostendendo magnitudinem suae benevolentiae, praeberet concupiscibili incitamentum ad *se amandum.* — Et ideo licet incongruum videatur, huiusmodi defectus reperiri in Christo, si per se considerentur; tamen, si ad finem referantur, magna reperitur congruitatis condecentia [2]. — Et ideo concedendae sunt rationes, quae sunt ad partem istam.

Tertia.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod sicut summam iustitiam dedecet [3] iniquitatem, sic summam potentiam dedecet infirmitatem; dicendum, quod huiusmodi similitudo tenet, si comparetur infirmitas et culpa ad naturam *divinam;* in natura enim divina, sicut nulla potest esse iniustitia, sic nulla potest esse impotentia. Si autem comparentur ad naturam *assumtam*, sic non habet veritatem, pro eo quod ipsa *infirmitas* potest esse materia exercendae virtutis; virtus enim *fortitudinis* exercetur potissime in perpessione terribilium, eorum maxime, quae mortem inducunt [4]. *Culpa* vero et iniquitas omnino adversatur iustitiae et vituperabile reddit subiectum, in quo est; *infirmitas* vero reddit magis laudabile, quando coniuncta est interiori virtuti animi secundum statum meriti. Et ideo non est simile hinc et inde.

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod poena sine culpa est inordinata; dicendum, quod est poena *necessitate inflicta*, et est poena *voluntate assumta.* Prima ergo poena *inordinata* est, nisi culpa praecesserit in eo qui punitur; secunda vero *ordinem habet*, sive culpa praecesserit in eo qui punitur, sive in eo, pro quo ipse velit puniri; et sic est in proposito. Nam Christus voluit huiusmodi defectus et poenalitates in se habere pro reparanda humana natura [5].

Poena duplex.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Christus assumsit humanam naturam, ut eam curaret; dicendum, quod verum est. — Quod *obiicit*, quod contraria contrariis curantur; dicendum, quod illud veritatem habet, si fiat comparatio medicinae ad causam et principium aegritudinis; et sic non habet instantiam in proposito, quia principium corruptionis totius humanae naturae fuit delectatio inordinata in esu ligni vetiti. Et ideo defectus et poenalitates nostrae aegritudini contrariantur et adversantur, pensata eius causa et origine [6]. — Aliter potest dici, quod cum dicitur: contraria contrariis curantur, hoc intelligitur quantum ad *prima* curantia, sicut est gratia, quae curat culpam; quantum vero ad *proxima* veritatem non habet, quia dolor est medicina doloris [7]. Sic et in proposito est intelligendum.

Aliter.

4. Ad illud quod obiicitur, quod defectus plus valent ad deficiendum quam ad vincendum; dicendum, quod est *virtus naturalis*, et est *virtus moralis;* et secundum hoc duplex est *pugna*, et duplex est *victoria:* una, quae virtutem *naturalem* respicit; altera, quae virtutem *moralem. Pugna* igitur et *victoria* contra peccatum spectat ad virtutem *moralem.* Christus autem, cum venit ad vincendum adversarium, venit ad expugnandum et devincendum peccatum; et ideo competebat ei virtus *moralis*, ut posset superare. Virtus autem *naturalis* in nullo conferebat ad hanc victoriam, quin potius eius oppositum; maxime enim vincitur et diabolus et peccatum in humilitate et patientia. Propter quod dicitur: *Virtus in infirmitate perficitur*, secundae ad Corinthios duodecimo [8]. — Cum ergo dicitur, quod defectus plus valent ad succumbendum quam ad vincendum; dicendum, quod illud non habet veritatem, nisi intelligatur de pugna et victoria in eodem genere, in quo sunt illi defectus; et ideo non habet locum in proposito, ubi est victoria per fortitudinem iustitiae, non per fortitudinem potentiae. Et de hac fortitudine dicebat Propheta: *Induere fortitudinem brachium Domini.* — Posset tamen intelligi de fortitudine potentiae. Ad fortitudinem enim iustitiae in praesenti in merito subsequitur fortitudo potentiae in praemio, sicut patet in Christo, quia, etsi *passus est ex infirmitate, surrexit tamen ex virtute* [9].

Virtus duplex.

Notandum.

Aliter.

---

[1] Vers. 29. Cfr. supra pag. 263, nota 3.

[2] Cfr. hic lit. Magistri, c. 4. — Cod. U *congruitas et condecentia.* Pro *magna* cod. S *maxima.*

[3] Codd. K M O annectunt *assumere.* Paulo inferius pro *si comparetur* cod. bb *si comparentur*, et deinde pro *Si autem comparentur* codd. G H Z et edd. 1, 2 *Si autem comparetur.* Proxime post pro *assumtam* cod. U *humanam.*

[4] Ut exponit Aristot., III. Ethic. c. 6. seq. — Circa finem solut. pro *interiori* edd. *inferiori*, perperam.

[5] Vide II. Sent. d. 36. a. 2. q. 2. in corp.

[6] Cfr. supra d. 12. a. 1. q. 1. ad 4. — Aliquanto superius pro *medicinae* codd. A H I Z *medicamenti*, nonnulli codd. et edd. 1, 2 *medici.*

[7] Hieronym., Epist. 117. (alias 47.) n. 2: Venena serpentino pelluntur antidoto. Quod satis dolet maiori dolore expellitur. — Paulo superius pro *prima* edd. *praevia.*

[8] Vers. 9. — Paulo superius ante *eius oppositum* cod. Z interserit *ad;* subinde pro *maxime* edd. exhibent *magis.*

[9] Epist. II. Cor. 13, 4: Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. — Post *fortitudo potentiae* cod. S subdit *in futuro.*

SCHOLION.

I. Circa materiam huius et seq. distinctionis errores inter se oppositi exorti sunt, reprobati ab Ecclesia. Nam impium et immanem errorem, qui *negavit*, Christum secundum *divinitatem* fuisse *impassibilem*, ita ut « Dei Filius passionem crucis secundum Deitatem sustinuerit », Nicolaus I. an. 863 in Synodo Romana (can. 8.) exsecratus est. E contrario a pluribus *animae* et *carni* Christi vera passibilitas abiudicata est (cfr. infra d. 16. a. 1. q. 1. et supra pag. 328, nota 2.). Uterque error configitur iam a S. Damaso in Synodo Romana (an. 378 vel 379) 14. anathematismo: « Si quis dixerit, quod in passione crucis dolorem sustinebat Filius Dei *Deus*, et non *caro cum anima*, qua induerat formam servi, quam sibi acceperat, sicut ait Scriptura, a. s. ». — De conclusionibus trium huius articuli quaestionum non potest inter catholicos esse dubium.

II. De 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 5. m. 1. 3. — Scot., III. Sent. d. 7. q. 3. n. 3; Report. ibid. q. 4, et hic q. unica passim. — S. Thom., hic a. 1; S. III. q. 14. a. 1. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. 2. — Durand., de hac et 2. seqq. qq. hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et 2. seqq. qq. hic q. 1. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

III. In solutione seq. (2.) quaestionis a B. Alberto (hic a. 5.) docetur primus modus distinguendi defectus, de quo dicit auctor, quod « habeat calumniam ». Hunc tamen modum vult defendere Dionys. Carth. hac ratione, quod « aegritudines illae causantur potius ex complexionis defectu et corruptione, quam ex ipsa complexione; item causantur ex ea magis concomitanter quam directe causaliter ».

De hac 2. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 2. — Scot., tangit rem in utroque Scripto III. Sent. d. 21. q. unica. — S. Thom., hic a. 2; S. loc. cit. a. 4. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., loc. cit. a. 3.

QUAESTIO II.

Utrum Christus assumserit omnes defectus nostros praeter peccatum.

Secundo quaeritur de huiusmodi defectibus quantum ad generalitatem, et est quaestio, utrum Christus assumserit omnes defectus nostros praeter peccatum. Et quod sic, videtur:

1. Per Damascenum, qui in libro tertio [1] ait sic: « Totus totum assumsit me, ut toti mihi salutem gratificaret »: ergo si omnes defectus nostros venit curare, videtur, quod omnes debuit assumere. Ad oppositum.

2. Item: « Quod fuit inassumtibile fuit incurabile [2] »: ergo si aliqui defectus nostri fuerunt a Christo inassumtibiles, fuerunt incurabiles; si igitur omnes fuerunt curabiles, omnes fuerunt assumtibiles: ergo videtur, quod assumserit omnes.

3. Item, in assumtione nostrorum defectuum manifestatur divina misericordia, ergo in assumtione plurium defectuum ostenditur maior misericordia, et in assumtione omnium ostenditur maxima; sed maxima misericordia Dei ostensa fuit in assumtione nostrarum infirmitatum et defectuum: ergo videtur, quod Christus omnes defectus debuit assumere.

4. Item, in nostrorum defectuum assumtione fuit humiliatio; sed tantum se humiliavit, quantum potuit, secundum quod dicit Bernardus [3]: « Descendit, quantum descendere potuit »: si igitur maior est humiliatio in assumtione plurium defectuum quam paucorum, et in assumtione omnium quam quorundam; videtur, quod Christus assumere debuerit universitatem defectuum nostrorum.

Sed contra: 1. In nobis videmus defectus membrorum et aliquorum sensuum exteriorum, sicut visus et auditus; sed tales Christus non assumsit, nec decuit eum assumere: ergo non decuit ipsum assumere omnes defectus nostros poenales [4]. Fundamenta.

2. Item, in nobis reperiuntur aegritudines contrariae, sicut patet in febribus et aliis infirmitatibus, reperiuntur etiam aegritudines incurabiles: ergo si « contraria non possunt esse simul in eodem [5] », videtur, quod omnes defectus nostros poenales nec potuerit nec debuerit simul assumere.

3. Item, fomes et pronitas ad malum non est culpa, quia potest esse in nobis, omni culpa deleta; sed Christus talem defectum nec habuit nec habere potuit, quia non potuit peccare [6], ergo nec ad peccatum pronitatem habere: et ita redit idem quod prius.

4. Item, obiicitur de difficultate ad bonum, quae est defectus in nobis poenalis; in Christo autem talis defectus non fuit nec esse potuit: quaeritur igitur in generali, quales defectus assumsit, si non omnes assumsit. Quaestio in generali

CONCLUSIO.

Christus assumsit defectus poenales tantum, non vitiosos, nec omnes poenales, sed tantum naturales, non autem personales.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio « Christus non omnes defectus nostros assumsit, sicut dicit Magister in littera [7], sed illos tantum, quos ipsum assumere decuit et nobis expediens fuit ». Sed qui sint isti defectus, adhuc quaestione indiget, sicut et Conclusio 1.

---

[1] De Fide orthod. c. 6. — Vat. sola sententiam Damasc. temere sic ampliavit: *Totus... me, ut totum me curaret aut toti mihi* etc. Cfr. supra lit. Magistri, d. II. c. 1. — In conclus. codd. N Q post *curare* subiungunt *et tollere*.

[2] Damasc., III. de Fide orthod. c. 6. et 18.

[3] Cfr. supra pag. 266, nota 1.

[4] De hoc arg. nec non de seq. vide hic lit. Magistri, c. 1.

[5] De hoc Aristot. verbo vide supra pag. 85, nota 10.

[6] Cfr. supra d. 12. a. 2. q. 1. — De *maiori* vide supra pag. 74, nota 3, et II. Sent. d. 32. a. 1. q. 1. seq.

[7] Hic c. 1. Ibid. et text. seq. — Paulo inferius vocabulum *primum* respicit principalem quaestionem.

primum, et innuit Magister, illos defectus decuisse et expedivisse illum assumere, qui faciunt « vel ad veritatis naturae assumtae ostensionem, vel ad operis propter quod venerat consummationem ». Sed adhuc, qui sunt isti defectus, difficile est discernere.

Opinio 1. Voluerunt autem aliqui dicere, quod isti sunt defectus, quos « *Deus plantavit* in nostra natura [1] ». Quidam enim defectus sunt, qui ortum habent ex absentia gratiae, sicut ignorantia et rebellio carnis ad spiritum et consimilia. Quidam autem sunt, qui non solum ex hoc ortum habent, sed etiam ex compositione partium constituentium, sicut fames, sitis, mors, dolor et consimilia, quae ortum habent non tantum ex culpa, sed ex hoc, quod humana natura est ex contrariis constituta; et tales defectus sunt, qui faciunt ad veritatis naturae assumtae manifestationem et ad operis suscepti consummationem; alii Non placet. vero minime. — Sed illud adhuc habet calumniam, propter hoc quod aegritudines multae ortum habent ex complexione hominis, quas constat Christum non assumsisse. *Praeterea*, omnes defectus nostri poenales magis videntur secuti esse ex nostra transgressione et divina punitione quam ex primaria plantatione.

Et propterea [2] potest alio modo dici, quod quidam sunt defectus, qui sunt *ex culpa*, quidam vero, qui sunt *ex culpa* et *ad culpam*, sicut pronitas ad malum et difficultas ad bonum. Illos autem defectus, qui non tantum sunt *ex culpa*, sed etiam *via ad culpam*, non decuit Christum assumere, quia Christus fuit minister iustitiae, omnino segregatus a peccato [3]. Alios autem defectus decuit ipsum assumere, sed *non omnes*, quia quidam sunt defectus *naturales*, quidam *personales*. Defectus autem *naturales* voco illos qui respiciunt totam naturam humanam universaliter, sicut fames et sitis et defectus consimiles. *Personales* autem defectus sunt qui respiciunt aliquas personas specialiter, sicut diversae aegritudinum species. Quoniam igitur Christus venerat naturam humanam redimere communiter sine personarum distinctione; hinc est, quod defectus *naturales*, non *personales* defectus, *poenales* tantum, non *vitiosos*, debuit in se habere, sicut ostendunt rationes ad hanc partem adductae [4].

Opinio 2 cum sua distinctione. Conclusio 2. Conclusio 3.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium de Damasceno, quod totum assumsit, ut totum curaret; dicendum, quod hoc intelligitur de his quae sunt de *constitutione* naturae, non de his quae pertinent ad *defectum* naturae; et hoc ipsum verbum [5] insinuat. Nam proprie *quod* curatur dicitur natura, morbus vero est illud, *a quo* curatur, quia morbus expellitur, sed natura servatur. — Et per hoc patet responsio ad sequens, quo dicitur, quod inassumtibile est incurabile; hoc enim intelligitur de *natura* et eius *partibus*, quae proprie dicuntur curari, non de *defectibus*, qui potius dicuntur *coassumi* quam *assumi* [6], magis etiam dicuntur *expelli* quam *sanari*. Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur de ostensione misericordiae, dicendum, quod misericordia semper se ostendit, salva rectitudine iustitiae et ordine sapientiae [7]; ideo nullos defectus debuit assumere, qui non essent ordinati ad nostrum profectum et expeditionem nostrae salutis; multi autem sunt, qui potius impedivissent, quam iuvissent, sicut defectus membrorum, vel sensuum et aliorum consimilium. Et ideo non sequitur illud.

4. Ad illud vero quod postremo obiicitur de humiliatione, dicendum consimiliter, quod omnis humiliatio virtuosa et laudabilis ortum habet ex discretione rationis; non enim procedere debet ex impetu [8], sed ex causa rationabili. Et quia de aliquibus defectibus rationabile non erat, ut Christus se per eorum assumtionem humiliaret, quia se potius ex illa humiliatione inutilem quam utilem reddidisset, sicut si fuisset caecus, vel gibbosus et huiusmodi; ideo tales nullo modo debuit assumere, sed illos solum, de quibus supra dictum est, videlicet illos qui respiciunt ipsam naturam et praebent viam ad iustitiam, non ad culpam [9]. Notandum.

---

[1] Damasc., lib. de Fide orthod. c. 6. et 20. Vide supra lit. Magistri, d. II. c. 1. — Paulo ante pro *qui sunt* codd. F G I L aa *qui sint*. Subinde post *difficile est* codd. I L aa interiiciunt *videre et*.

[2] Codd. F L T U V aa *Et praeterea*.

[3] Respicitur illud Gal. 2, 17: « Nunquid Christus peccati minister est? Absit »; et etiam Hebr. 7, 26. Cfr. supra pag. 264, nota 7.

[4] Damasc., lib. de Fide orthod. c. 20: Christum porro naturales minimeque reprehendendas [ἀδιάβλητα] hominis passiones assumsisse confitemur. Nam suscepit totum hominem et quaecumque hominis sunt, excepto peccato. Neque enim istud naturale est neque a Creatore nobis insitum... Naturales porro et inculpatae [ἀδιάβλητα] passiones hae sunt, quae in arbitrio nostro sitae non sunt; quae nimirum in violati praecepti poenam humanae vitae irrepserunt, velut fames, sitis... quae quidem *natura universo* hominum generi conveniunt (ed. Migne).

[5] Cod. O subnectit *assignatum*. Post pauca codd. A F H N X verbo *dicitur* adiungunt *esse*.

[6] Cfr. supra d. 5. a. 2. q. 5. ad 1.

[7] Cfr. supra pag. 267, nota 5. — Circa finem obiect. pro *membrorum* cod. V *morborum*.

[8] De hac dictione cfr. tom. I. pag. 785, nota 2.

[9] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

Utrum defectus in Christo fuerint a natura, an a voluntate.

Tertio quaeritur de huiusmodi defectibus quantum ad causalitatem, et est quaestio, utrum in Christo fuerint a natura, an a voluntate. Et quod non a voluntate, sed a natura, videtur.

Ad oppositum.

1. Sapientiae primo [1]: *Deus mortem non fecit;* si non fecit mortem, ergo pari ratione nec defectum ordinatum ad mortem: ergo si in Christo fuit talis defectus, videtur, quod non fuerit ex voluntate assumentis, sed ex defectu naturae assumtae.

2. Item, defectus non habet causam *efficientem*, sed *deficientem* [2]; sed voluntas assumentis non ponitur causa *deficiens* alicuius: ergo tales defectus non potuerunt esse a voluntate assumentis; et fuerunt ex voluntate assumentis, vel ex conditione naturae assumtae: ergo etc.

3. Item, quod inest alicui a sua naturali origine inest ei per naturam [3]; sed huiusmodi defectus insunt Christo a sua prima origine: ergo videtur, quod insint ei a natura.

4. Item, illud in quo proles assimilatur parenti, est naturale proli, pro eo quod « natura est vis insita rebus, ex similibus similia procreans » [4]; sed Christus in defectu passibilitatis assimilatur Matri suae, a qua traxit originem: ergo videtur, quod huiusmodi defectus et poenalitates sint ei naturales.

5. Item, per naturam prius fuit illud corpus formatum, quam esset unitum [5]; sed corpus illud statim, ut fuit formatum, fuit *passibile*, vel *impassibile;* et constat, quod non *impassibile:* ergo *passibilitatem* prius per naturam habuit, quam uniretur animae Christi, vel ipsi divinitati: ergo videtur, quod talis passibilitas non fuit a voluntate assumentis. *Si tu dicas*, quod hoc fuit a voluntate Spiritus sancti, qui fuit fabricator et sanctificator illius corporis [6]; *obiicitur*, quod gratia Spiritus sancti simul stat cum passibilitate et poena. Si ergo Spiritus sanctus superveniens compatiebatur secum passibilitatem, videtur, quod potius defectum passibilitatis sustinuerit, quam causaverit: igitur defectus huiusmodi in Christo non ex voluntate, sed ex natura fuerunt.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Magister in littera [7]: « Ex sola voluntate miserationis in se transtulit veram infirmitatem, sicut accepit veram carnem »: ergo etc.

2. Item, omnes defectus et poenalitates, quae in Christo fuerunt, per assumtionem fuisse dicuntur; sed *assumere* est actus voluntatis, non naturae [8]: ergo poenalitates illae fuerunt in Christo non naturaliter, sed voluntarie.

3. Item, qualitas corporis principaliter attribuenda est principio effectivo; sed Spiritus sanctus fuit principale principium effectivum corporis Christi: ergo qualitas passibilitatis magis debet attribui Spiritui sancto quam naturae. Sed Spiritus sanctus est operans per voluntatem: ergo tales defectus fuerunt in Christo a voluntate.

4. Item, poenalitas non sequitur secundum legem communem nisi naturam vitiatam et corruptam per culpam; sed caro Christi immunis fuit ab omni foeditate culpae [9]: ergo immunis fuit ab omni defe ctu passibilitatis: ergo si defectus passibilitatis habuit, hoc non fuit a natura, sed a voluntate.

5. Item, quod est in nobis a natura generantium dicitur esse contractum: ergo si huiusmodi defectus essent in Christo a natura generantis, essent ergo in ipso contracti. Si ergo hoc non conceditur [10], Christum defectus tales a natura contraxisse; videtur, quod illos non habuit a natura, sed a voluntate.

CONCLUSIO.

Defectus, qui fuerunt in Christo, non fuerunt ex necessitate contracti, sed ex voluntate assumti, voluntate divina praeveniente, sed non infligente, et voluntate creata concomitante.

Conclusio 1.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Magister in littera [11], ex alia et alia causa sunt isti defectus in *nobis* et in *Christo;* in *nobis* enim sunt ex necessitate contracti, sed in Christo sunt ex voluntate assumti. — Et hoc patet sic. Nos enim istos defectus a parentibus trahimus propter legem propagationis et legem concupiscentiae, quae militat in illis membris [12]; nam passibilis generat passibilem, et habens legem concupiscentiae in membris generat filium subiectum concupiscentiae, ex reatu cuius concupiscentiae insunt proli omnes poenalitates. Et

Explicatur.

---

[1] Vers. 13.

[2] Cfr. II. Sent. d. 34. a. 1. q. 2. Ibid. d. 37. a. 2. q. 1. vide *de minori*, in qua Vat. pro *deficiens* substituit *deficientis*. Paulo inferius Vat. inter *et fuerunt* ponit *tamen*.

[3] Vide supra pag. 108, nota 3.

[4] Cfr. supra pag. 188, nota 1. — Mox pro *in defectu* edd. *ex defectu*. In fine solut. pro *sint* multi codd. *sunt*, cod. F *fuerunt*.

[5] Cfr. supra d. 3. p. II. a. 3. q. 2. ad 4.

[6] De quo supra lit. Magistri, d. III. c. 1. in fine, et d. 4. a. 1. q. 1. — Subinde pro *obiicitur, quod* codd. A G H I L U V Z bb *obiicitur, quia*. Paulo inferius pro *compatiebatur secum passibilitatem* edd. *compatiebatur se cum passibilitate* et pro *causaverit* (aliqui codd. *creaverit*) cum aliquot codd. *curaverit*.

[7] Hic c. 1.

[8] Cfr. supra d. 5. a. 1. q. 1. in corp. — Cod. U pro *poenalitates* semper *passibilitates*.

[9] Ut ostensum est supra d. 3. p. II. a. 2. q. 1. seq.

[10] Vide hic corp. quaest.

[11] Hic c. 1.

[12] Respicitur illud Iac. 4, 1: Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quae militant in membris vestris? Cfr. II. Sent. d. 32. a. 1. q. 2.

propterea dicuntur istae poenalitates in nobis *contractae*, quasi ex concursu duorum tractae, videlicet propagationis naturae et corruptionis concupiscentiae [1]. — In Christo autem secus est; ipse enim neutro modo fuit propagatus, nec secundum propagationem legis naturalis nec secundum corruptionem libidinis; sed Spiritus sanctus, adveniens in ipsam Virginem et ipsam fecundans, carnem eius ab omni foeditate corruptionis purificavit, passibilitatem tamen reliquit. Ex illa autem carne sapientia Patris, scilicet ipse Filius Dei, aedificavit sibi corpus immaculatum [2], et illud corpus univit sibi et animae rationali, quae quidem immunitatem habuit a culpa et in se et in carne coniuncta. Et sicut immunitatem habuit a reatu culpae, sic secundum ordinem divinae iustitiae immunitatem habere debuisset a passibilitate miseriae. Quod ergo in carne illa remansit poenalitas, hoc fuit ex dispensatione [3] ipsius assumentis, concurrente simul acceptione illius animae rationalis, quae in primo instanti suae creationis habuit usum cognitionis, et placuit sibi tali corpori uniri propter salutem generis humani. — Et sic patet, quod tales defectus in Christo fuerunt non necessitate generationis, sed voluntate dispensationis, voluntate, inquam, divina praeveniente, sed voluntate creata concomitante. Dico autem, ipsos fuisse a voluntate divina non tanquam ab *infligente* de novo, sed tanquam a *relinquente* et *acceptante*, cum in eius potestate et arbitrio esset defectus illos excludere. — Unde concedendae sunt rationes, quae sunt ad partem istam.

Aliter in Christo.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod Deus mortem non fecit; patet responsio: quia Deus illum defectum mortalitatis carni Christi non inflixit de novo, sed non abstulit, cum caro haberet illum a suo originali principio. Ideo talis defectus non dicitur esse a voluntate assumentis sicut ab *efficiente*, sed sicut a *suscipiente* [4], cum posset excludere.

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod secundo obiicitur, quod defectus non habet causam efficientem, sed deficientem; similiter patet responsio: quia tales defectus non habent ortum ab actione Dei agentis, sed potius ex defectu naturae ipsius Virginis concipientis. Magis tamen attribuitur voluntati, quam attribuatur naturae, propter hoc quod in illius corporis constitutione plus fuit per virtutem supernaturalem quam per naturalem.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod illud est a natura, quod est a naturali origine; dicendum, quod illud non habet veritatem, nisi intelligatur aliquid esse a naturali origine, ita quod praepositio non solum dicat *concomitantiam*, sed etiam *causam* [5]. Huiusmodi autem defectus infuerunt Christo in principio suae originis, non tamen fuerunt secundum propagationem naturalem. Secundum enim naturalem propagationem tales defectus ortum habent a natura vitiata, in quantum natura illa agit quodam modo *naturaliter*, et quodam modo *vitiose*; hoc autem non habet veritatem in generatione Christi, quae fuit praeter vitium et supra naturam.

4. Ad illud quod obiicitur, quod Christus in passibilitate assimilabatur Matri; dicendum, quod etsi aliquo modo assimilaretur ei, nihilominus tamen in modo et causa reperitur differentia. Nam Virgo passibilitatem habet pro reatu peccati originalis ex necessitate contracto [6]; Christus vero passibilitatem habuit absque aliquo reatu in ipso reperto, ex [7] sola dispensatione divina. Et ideo non dicuntur omnino fuisse in Christo *a natura*, nec tamen fuerunt omnino *praeter naturam*; de natura enim Matris erat talem filium generare.

5. Ad illud vero quod obiicitur, quod illud corpus prius fuit formatum quam unitum; dicendum, quod etsi prius fuerit secundum *naturam* vel secundum ordinem intelligendi, *tempore* tamen simul fuit formatio et unio; utrumque autem, scilicet [8] formationem et unionem, praecessit voluntas Verbi tale corpus formantis et assumentis, et voluntas animae utrumque concomitata est. Et ideo ex hoc non potest concludi, quod defectus passibilitatis in carne praecesserit actum sive imperium voluntatis. Operatio enim ipsius Spiritus sancti in Virgine, quae quidem fuit secundum voluntatem Verbi, fecit ipsam carnis conceptionem et purgationem ab omni foeditate [9] *prius naturaliter*, quam uniretur animae; et cum tali purgatione non debet stare poenalitas secundum legem communem, secundum quam immunis a culpa debet esse immunis a poena. — Unde quod ipse subiungit, quod purgatio simul stat cum passibilitate; dicendum, quod etsi aliqua purgatio simul possit stare cum passibilitate, sicut purgatio, quae est a peccatis prius perpetratis; illa tamen puritas, quae fuit in Christo, stare non potuisset cum poenalitate, nisi intervenisset Dei dispensatio et voluntatis Christi acceptio. Et sic patet responsio ad quaesita.

Notandum.

---

[1] Cod. K addit *quae militant in illis membris.*

[2] Respicitur illud Proverb. 9, 1: Sapientia aedificavit sibi domum. — Mox pro *sibi et animae* edd. *sibi cum anima*, cod. K *sibi et cum anima*, codd. G I L T aa *sibi et anima.*

[3] Cod. W *ex sola dispensatione.*

[4] Cod. U (N a secunda manu) *sustinente.*

[5] Cfr. supra d. 4. a. 2. q. 3. in corp.

[6] De hac falsa opinione vide supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. 2, scholion.

[7] Edd. *sed ex*; cod. A *et ex.*

[8] Edd. et multi codd. perperam *secundum.* Paulo inferius pro *et voluntas animae utrumque concomitata est* multi codd. perperam *et voluntatis animae utrumque communicata est.*

[9] Edd. addunt *immunem.* Pro *purgationem* non pauci codd. *praepurgationem*, edd. 1, 2 *propagationem.* Paulo superius pro *in Virgine* codd. A G H I K L aa *in Virginem.*

SCHOLION.

I. Manifesta est conclusio, quod praedicti defectus « in nobis sunt ex necessitate *contracti*, sed in Christo sunt ex voluntate *assumti* » (hic in corp.). Nam illud proprie dicitur *contrahi*, quod « *simul cum sua causa* ex necessitate trahitur... Et ideo illi proprie dicuntur hos defectus *contrahere*, qui ex debito peccati hos defectus incurrunt » (S. Thom., S. III. q. 14. a. 3.). Nihilominus hi defectus consequebantur naturam humanam et principia eius naturalia, nec fuerunt « a voluntate divina tanquam *infligente* de novo, sed tanquam a *relinquente* » (hic in corp.), « cum caro haberet illum (defectum mortis) a suo originali principio » (hic ad 1. et cfr. ad 2.). Huic doctrinae consentit S. Thom. (loc. cit. a. 3.) docens, Christum assumsisse *necessitatem naturalem* (non *necessitatem coactionis*) his defectibus subiacendi, quatenus « haec necessitas causatur ex principiis carnis humanae ». Plura de hac necessitate patiendi et moriendi vide infra d. 16. a. 1. q. 3.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 5. m. 1. praecipue ad 3. — Scot., in utroque Scripto III. Sent. d. 16. q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 3; S. locc. citt. — B. Albert., hic a. 7. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 1. in principio.

ARTICULUS II.

De defectibus a Christo assumtis in speciali.

Consequenter quaeritur de defectibus a Christo assumtis in speciali. Et circa hoc tria quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum habuerit ignorantiam in rationali.

Secundo, utrum habuerit tristitiam in concupiscibili.

Tertio, utrum habuerit iram in potentia irascibili.

QUAESTIO I.

Utrum Christus habuerit ignorantiam in rationali.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum Christus habuerit ignorantiam in rationali. Et quod sic, videtur:

1. Primo auctoritate Damasceni [1]: « Oportet scire, quod servilem et ignorantem naturam assumsit »; loquitur de Verbo incarnato: ergo natura assumta in Christo fuit ignorans, habuit igitur defectum ignorantiae. Ad oppositum.

2. Item, Ambrosius in libro primo de Spiritu sancto [2]: « Per humanam imprudentiam quod adhuc non didicit ignorat »: ergo habuit ignorantiam.

3. Item, Leo Papa in Homilia de Epiphania [3]: « Adoraverunt infantem, in nullo ab aliorum generalitate discretum »; sed generaliter alii infantes sunt ignorantes: ergo et Christus in sua infantia habuit ignorantiam.

4. Item, *scientia inflat* [4]; sed Christus summe se humiliavit et defectus illos assumsit, qui faciunt ad humilitatem: ergo habuit in se defectum et inopiam scientiae. Sed iste defectus est ignorantia: ergo etc.

5. Item, Christus in sua infantia habuit defectum eloquentiae, quamvis esset Verbum Patris, ut veritatem humanae naturae in se ostenderet [5]: ergo pari ratione, quamvis esset sapientia Patris, secundum humanam naturam debuit habere defectum sapientiae. Sed hic est ignorantia: ergo etc.

6. Item, quamvis Christus esset virtus Patris — iuxta illud quod dicit Apostolus primae ad Corinthios primo [6]: Dicimus *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* — habuit tamen defectum virium iuxta exigentiam humanae naturae: videtur igitur pari ratione, quod habuerit defectum sapientiae.

Sed contra: 1. Assumtio carnis fuit opus divinae sapientiae; sed sapientia, secundum quod huiusmodi, non est principium ignorantiae: ergo Christus non assumsit defectum illum, qui est ignorantia [7]. Fundamenta.

---

[1] Libr. III. de Fide orthod. c. 21. — Mox pro *Verbo incarnato* multi codd. *Verbo increato*, et dein pro *in Christo* fere omnes codd. *in ipso*.

[2] Ita codd. et edd., sed re vera locus cit. invenitur in Ambrosii libro de incarn. domin. sacram. c. 7. n. 74, olim III. *de Spiritu S.* Vide supra pag. 274, nota 7.

[3] Serm. 34. (alias 33.) c. 3: Viderunt et adoraverunt [Magi] puerum, quantitate parvulum, alienae opis indigum, fandi impotem, et in nullo ab humanae infantiae generalitate dissimilem.

[4] Epist. I. Cor. 8, 1.

[5] Cfr. supra d. 3. p. II. a. 3. q. 1. — Mox post *humanam naturam* edd. subdunt *tamen*, et non pauci codd. deinde pro *sed hic* substituunt *sed haec*.

[6] Vers. 24. — Anselm., II. Cur Deus homo, c. 13. hanc profert obiectionem: Quamvis sit immortalis futurus ex divina natura, mortalis tamen erit ex humana. Nam cur non similiter poterit ille homo esse vere ignorans, sicut vere mortalis erit?

[7] Ad hoc et seq. arg. notamus illa verba Anselmi, II. Cur Deus homo, c. 13: Illa, inquit, hominis assumtio in unitatem personae Dei non nisi sapienter a summa Sapientia fiet; et ideo non assumet in homine quod nullo modo utile, sed valde noxium est ad opus, quod idem homo facturus est. Ignorantia namque ad nihilum illi utilis esset, sed ad multa noxia. Quomodo enim tot et tanta opera, quae facturus est, faciet sine summa Sapientia? aut quomodo illi homines credent, si eum scient nescium? Si autem nescient; ad quid erit ei utilis ignorantia illa etc.

2. Item, Christus venerat nos docere; sed ignorantis non est docere [1]: ergo non debuit ignorantiam assumere.

3. Item, nulli nisi scienti credendum est; sed Christus ad hoc venit in carnem, ut crederemus in eum [2]: ergo videtur, quod cum sapientia debuerit venire, non cum ignorantia.

4. Item, anima illa non potuit uniri Verbo, quin esset deiformis [3]; sed deiformitas tollit obscuritatem ignorantiae: ergo videtur, quod impossibile fuerit, Christum secundum humanam naturam defectum ignorantiae in se assumere.

CONCLUSIO.

Christus non habuit defectum ignorantiae.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Magister in littera [4], Christus non habuit defectum ignorantiae.

Ratio duplex.

— Et ratio huius est: quia nec ipsum *decebat*, nec nobis *expediebat*. Ipsum non *decebat*, quia anima eius debuit esse deiformis, ac per hoc repleta luce sapientiae et rectitudine iustitiae; ignorantia autem privatio est scientiae et potest esse via in errorem et obliquationem a rectitudine iustitiae, ac per hoc Christo non competebat. — Nobis etiam non *expediebat*, quos venerat redimere et dirigere. Si enim defectum ignorantiae habuisset, nos redimere nescivisset; dirigere etiam nescivisset, quia et, *si caecus caeco ducatum praebeat, ambo in foveam cadunt* [5]. — Et ideo nec ipsum *decebat*, nec nobis *expediebat*, quod talem defectum assumeret. — Concedendum est igitur, Christum defectum ignorantiae nequaquam in se habuisse. Et rationes ad hoc inductae sunt concedendae.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud vero quod obiicitur de Damasceno, quod assumsit naturam servilem et ignorantem; dicendum, quod *ignorantia* et *servilitas* non attribuitur naturae assumtae ratione illius singularis naturae, quae fuit Verbo copulata in unitatem personae, sed quantum ad alias naturas consimiles in specie, quasi dicat: assumsit naturam nostram, quae est ignorans, non in Christo, sed in nobis [6].

2. Ad illud Ambrosii, quod dicitur, Christum ignorasse quod non didicit; dicendum, quod quaedam est scientia *simplicis notitiae*, quaedam *experientiae*. Ambrosius autem non loquitur ibi de ignorantia, prout dicit privationem *cuiuscumque scientiae*, sed prout dicit privationem *experientiae*, secundum quod in praecedentibus [7] determinatum est.

3. Ad illud quod obiicitur de Leone Papa, quod infans ille in nullo erat ab aliorum generalitate discretus; dicendum, quod Leo Papa loquitur quantum ad ea quae exterius apparebant; nam quantum ad ea quae intrinsecus latebant [8], in multis ab aliis differebat.

Duplex scientia.

4. Ad illud quod obiicitur, quod scientia inflat; dicendum, quod est loqui de scientia, prout est *absque caritate*, vel prout est *caritati coniuncta*. Si, prout est *a caritate divisa*, sic dicit Apostolus, quod inflat. Si autem, prout est *caritati coniuncta*, sic non est via ad inflationem, sed potius ad rectitudinem et aedificationem et humilitatem. Ex cognitione enim sui et Dei consurgit perfectio humilitatis; et hoc secundo modo fuit in Christo [9].

5. Ad illud quod obiicitur, quod in Christo fuit defectus eloquentiae, ergo similiter et sapientiae; dicendum, quod non est simile, quia in defectu eloquentiae, sicut in aliis necessitatibus infantilibus, manifestabatur veritas naturae assumtae; defectus autem sapientiae interius latet; ideo ad nihil valuisset, si in Christo fuisset. Et ideo non est simile.

6. Ad illud quod obiicitur, quod Christus, Dei virtus, habuit defectum virium; dicendum, quod non est simile, tum quia defectus virium exterius apparebat et in carne erat, defectus vero sapientiae interius erat in anima, quae ad unionem sui cum Verbo a primordio debuit esse perfecte disposita; tum etiam, quia defectus virium est materia exercendae virtutis, non sic autem defectus cognitionis, quin potius [10] impedit. Ideo non est simile hinc et inde.

SCHOLION.

I. Circa hanc quaestionem cfr. auctor alibique supra d. 14. per totam. Specialiter de eadem agunt Alex. Hal., S. p. III. q. 5. m. 2. a. 1. § 1, et S. Thom., S. III. q. 15. a. 3.

II. Seq. (2.) quaestio solvitur secundum triplicem distinctionem tristitiae (cfr. hic dub. 4.). Aliis verbis, sed in conformi sententia, distinguit S. Thom. (S. loc. cit. a. 4.) triplicem differentiam, quae est inter passiones nostras atque Christi, scilicet secundum *obiectum*, *principium* atque *effectum*.

De hac quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 2. — Scot., in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic a. 2. quaestiunc.

---

[1] Cfr. supra pag. 286, nota 5.

[2] Codd. G I L T aa et alii ante *ut crederemus in eum* superflue et inepte interserunt *et*; melior et fortasse vera lectio est codd. A N *ut crederemus ei et ut crederemus in eum*.

[3] Vide supra d. 2. a. 3. q. 2. et d. 13. a. 1. q. 1. — Cod. K voci *Verbo* praefigit *cum*.

[4] Hic c. 1.

[5] Matth. 15, 14. Vulgata: ducatum praestet.

[6] Cfr. supra d. 9. a. 1. q. 1. ad 6. et d. 14. a. 3. q. 1. ad 1.

[7] Dist. 14. a. 3. q. 2. De seq. solut. vide ibid. nec non lit. Magistri, d. XIII. — Paulo superius pro *non didicit* cod. A *non didicerat*.

[8] Edd., paulo ante pro *nam* substituto *non*, hic addunt *per quae*, et subinde cod. M solutionem terminat sic: *in multis aliis differebant*.

[9] Cfr. supra pag. 223, nota 1. — In initio solut. post *prout est absque caritate* Vat. addit *et a caritate divisa*, et inferius pro *humilitatem* codd. A T Z substituunt *humiliationem*.

[10] Pro *quin potius* cod. U *quoniam plus*.

1; S. loc. cit. a. 6. — B. Albert., hic a. 8. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 2.

III. Etiam in ultima (3.) quaestione solvenda omnes consentiunt, et conclusio iam sequitur ex doctrina 2. quaestionis, cum ira sit *effectus tristitiae*, ut docet S. Thom. (S. III. q. 15. a. 9. et alibi). Alii Scholastici etiam de passione *timoris* solent specialem quaestionem instituere, de qua S. Bonav. agit hic dub. 3.

De 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 5. — S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 2; S. loc. cit. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 4.

QUAESTIO II.

Utrum in Christo fuerit passio tristitiae.

Secundo quaeritur, utrum in Christo fuerit passio tristitiae. Et quod sic, videtur.

Fundamenta.

1. Matthaei vigesimo sexto[1]: *Tristis est anima mea usque ad mortem:* si ergo veritas falsitatem dicere non poterat, videtur, quod veraciter tristis erat.

2. Item, Christus flevit super Ierusalem, secundum quod dicitur Lucae decimo nono[2]; sed fletus signum est interioris moeroris: ergo si Christus nihil fecit per duplicitatem, veraciter habuit in se affectum tristitiae.

3. Item, Christus amabat et desiderabat nostram salutem; sed qui amat aliquid tristatur de eius amissione[3]: ergo cum Christus videret, multos salutem suam negligere; videtur, quod pro eis verum senserit in se affectum tristitiae.

4. Item, quanto sunt in aliquo maiora viscera pietatis, tanto magis compatitur afflictis; et quanto magis compatitur interius, tanto magis moerore afficitur; sed Christus habuit in se abundantissima viscera pietatis: ergo videtur, quod in aliorum necessitatibus et infirmitatibus veraciter et intense habuit passionem tristitiae[4].

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Isaiae quadragesimo secundo[5]: *Non erit tristis neque turbulentus*, dicitur de Christo: ergo Christus neque turbationem neque tristitiam habuit in se.

2. Item, Proverbiorum duodecimo[6]: *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit;* sed Christus fuit iustissimus: ergo videtur, quod Christus de nullo sibi accidente fuerit contristatus.

3. Item, Seneca[7] probat multiplici ratione, quod « tristitia non cadit in sapientem », et fundamentum suae rationis est, quia « virtutem nihil potest laedere, sicut nihil eam potest auferre »: ergo si Christus vere sapiens fuit et virtutem inconcussam habuit, videtur, quod passionem tristitiae in se non habuerit.

4. Item, nullus tristatur, nisi de eo quod fit contra voluntatem suam[8]; sed contra voluntatem Christi nihil fieri potuit, quia in omnibus impleta fuit: ergo non videtur, quod in se veraciter tristitiam habuerit.

CONCLUSIO.

In Christo fuit vera tristitia, non tamen omni modo, quo in nobis est, sed tantum, secundum quod dictabat ei ratio.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio, sicut dicit Magister in littera[9], et textus etiam evangelicus confirmat, in Christo fuit vera tristitia, non tamen omni modo, quo in nobis est. Est enim quaedam tristitia, quae est *praeter* rationis imperium; et est tristitia, quae est *contra* rationis iudicium rectum; et est tristitia, quae est *subiecta* rationis imperio et iudicio. Et illa tristitia est *praeter* rationis imperium[10], quae consurgit ex quadam necessitate et surreptione, sicut motus primi; et haec quidem communis est sapientibus et insipientibus, et bonis et malis. — Illa vero tristitia est *contra* rationis iudicium rectum, in qua ratio subiicitur sensualitati nec tantum *turbatur*, sed etiam *perturbatur*. — Illa autem est *secundum* rationis imperium et iudicium, quando quis tristatur, ratione dictante et suadente, ipsum tantum et taliter super aliquo debere tristari.

Conclusio 1.

Triplex tristitia.

Dico ergo, quod in Christo fuit tristitia tantum isto *tertio* modo, quia de nullo tristatus fuit, nisi secundum quod dictabat ei ratio. Et hoc idem in-

Conclusio 2.

---

[1] Vers. 38. [2] Vers. 41.

[3] August., XIV. de Civ. Dei, c. 7. n. 2: « Amor ergo... fugiens quod ei adversatur, timor est; idque si acciderit sentiens, tristitia est ». Damasc., II. de Fide orthod. c. 12. cum Nemesio, episc. Emeseno (lib. de Natura hominis, c. 17.), docet, quod « exspectatum malum [constituat] timorem, praesens vero tristitiam » [λύπην].

[4] Cfr. Luc. 19, 41. seqq.

[5] Vers. 4. [6] Vers. 21.

[7] Epist. 86. Idem II. de Clementia, c. 5. ait: Aegritudo autem in sapientem virum non cadit. Serena enim eius mens est, nec quidquam incidere potest, quod illam obducat. Nihil aeque hominem quam magnus animus decet. Non potest autem magnus esse idem, si metus et moeror contundit, si mentem obducit et contrahit etc. Et II. de Tranquillitate vitae ad Serenum, c. 7. ait: Denique validius debet esse quod laedit, eo quod laeditur. Non est autem fortior nequitia virtute. Non potest ergo laedi sapiens etc. Cfr. August., IX. de Civ. Dei, c. 4. n. 1. seqq. et XIV. c. 8. n. 1. seqq.

[8] August., XIV. de Civ. Dei, c. 15. n. 2: Animae dolor, quae tristitia nuncupatur, dissensio est ab his rebus, quae nobis nolentibus acciderunt.

[9] Hic c. 1.

[10] Cod. U *Et istarum prima scilicet praeter rationis imperium etiam consurgit* etc.

nuitur Ioannis undecimo [1], ubi dicitur : *Iesus autem infremuit spiritu et turbavit semetipsum ;* in quo ostenditur, quod turbatio et tristitia rationi non praesidebat, sed subiacebat. Primis autem duobus modis non fuit in Christo tristitia. — Per hoc patet responsio ad rationes ad utramque partem adductas. Nam rationes ad primam partem procedunt de tristitia secundum tertium modum ; rationes vero ad oppositum procedunt secundum primum modum et secundum : et hoc patet discurrenti per singulas.

Ad argumenta.

1. 2. 3. Quod enim dicitur in Isaia : Non erit tristis etc. ; hoc non excludit *quamcumque* tristitiam, sed tristitiam *perturbantem.* — Similiter illud quod dicitur in Proverbiis : Non contristabit iustum etc. ; intelligitur de illa tristitia, quae statum mentis evertit, non de illa tristitia, qua quis tristatur compatiendo alii [2], vel etiam refugiendo aliquod malum illatum sibi. — Similiter illud quod dicit Seneca, intelligendum est. Seneca enim non vult probare, quod

Solutio oppositorum.

tristitia *turbans* non sit in sapiente, sed quod non est in sapiente tristitia *perturbans. Perturbatio* autem dicit deflexionem rationis ab aequitate [3] ; et hoc modo sapiens nec *tristatur* nec *perturbatur.* Non vult autem ostendere Seneca, quod sapiens *nullo modo* turbetur ; hoc enim est quasi impossibile in aliquo reperiri ; et *praeterea,* nec turbari, vel non tristari, de quibus homo debet, id non est sapientiae, sed potius duritiae, cum dicat Apostolus ad Romanos duodecimo [4] : *Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus.*

Quid perturbatio.

Notandum.

4. Ad illud vero quod obiicitur, quod nihil contra voluntatem Christi evenit ; dicendum, quod hoc verum est de voluntate *rationis absoluta,* non autem verum est de voluntate *sensualitatis,* vel de voluntate *conditionata.* Tristitia autem non tantum insurgit ex voluntate rationis *absoluta,* sed etiam secundum alias differentias, sicut melius manifestabitur infra [5], cum agetur de voluntate Christi.

QUAESTIO III.

Utrum in Christo fuerit passio vel affectio irae.

Tertio quaeritur, utrum in Christo fuerit passio vel affectio irae. Et quod sic, videtur.

1. In quocumque est ponere zelum vindictae, est ponere motum irae ; sed in Christo fuit zelus vindictae, sicut patet, quando eiecit ementes et vendentes de templo [6] : ergo videtur, quod habuit in se affectionem irae.

Fundamenta.

2. Item, detestari malum non est aliud quam irasci malo [7] ; sed in Christo fuit mali detestatio perfecta : ergo in Christo fuit passio, quae est ira.

3. Item, sicut rationalis ordinatur ad discutiendum [8], sic irascibilis ordinatur ad irascendum : ergo sicut in Christo ex parte rationalis fuit usus prudentiae, sic ex parte irascibilis fuit affectio irae.

4. Item, plus competit ira statui viae quam statui patriae ; sed Dominus in die iudicii irascetur malis, ut saepe in Scriptura [9] dicitur : ergo multo fortius affectum irae habuit in statu viatoris.

Sed contra : 1. Super illud Iob quinto [10] : *Virum stultum interficit iracundia ;* Gregorius : « Ira per vitium oculum mentis excaecat, ira per zelum turbat » ; sed oculus mentis in Christo nec excaecari potuit nec turbari, cum in ipso esset in continuo usu contemplationis : ergo non videtur, quod in eo aliqua affectio irae fuerit.

Ad oppositum.

2. Item, Damascenus [11] definiens iram dicit, quod « ira est vindex laesae concupiscentiae » ; et iterum, quod « ira est desiderium repunitionis » ; sed in Christo nec fuit laesio concupiscentiae nec amor vindictae : ergo nec in eo fuit passio irae.

3. Item, Christus ita fuit perfecte mitis, sicut et humilis [12] ; sed in Christo ita fuit perfecta humilitas, quod nulla fuit superbia : ergo ita fuit perfecta mansuetudo, quod nulla ira.

4. Item, « ira secundum naturam est accensio sanguinis circa cor, secundum quod vult Philosophus [13] et Damascenus, ex evaporatione fellis » : ergo si hoc dicit passionem foedam, quae habet secum inquietationem et perturbationem coniunctam ; videtur, quod talis passio in Christo non sit ponenda.

---

[1] Vers. 33. Eodem modo hunc loc. explicat August., tr. 49. n. 18. — Pro *Et hoc idem* codd. Q X *Et hoc quidem.*

[2] Edd. cum paucis codd. *aliis.* Edd. 1, 2 subinde omittunt *vel etiam,* cuius loco codd. F I K L N perperam posuerunt *scilicet,* et pro *refugiendo* edd. 1, 2 exhibent *removendo,* codd. G I L T aa *resurgendo.*

[3] Zeno apud Ciceronem, IV. Tuscul. Disput. c. 6, perturbationem sive passionem definit « aversam a recta ratione contra naturam commotionem ». — Pro *Perturbatio autem* cod. A *Perturbatio enim.*

[4] Vers. 15. Cfr. August., IX. de Civ. Dei, c. 4. n. 3. et XIV. c. 8. n. 3. — Paulo ante pro *tristari* codd. G K Z bb *contristari,* et mox pro *duritiae* cod. Z *dementiae.*

[5] Dist. 17. a. 1. q. 3. Cfr. etiam I. Sent. d. 48. a. 2. q. 2. et dub. 4. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Ioan. 2, 17. Cfr. Marc. 11, 15. et Luc. 19, 45. — In principio quaest. pro *Tertio* codd. A N T U X *Tertio loco.*

[7] Cod. G *de malo.*

[8] Codd. I L aa *distinguendum,* cod. bb *discernendum.*

[9] Matth. 7, 23 ; 11, 20. seqq. ; 18, 34. seq. ; 25, 41.

[10] Vers. 2, ubi pro *Virum* Vulgata habet *Vere,* et pro *interficit* codd. G H N U X bb *interficiet.* — Pro *Gregorius,* cuius dictum habetur in V. Moral. c. 45. n. 82, codd. K Y substituerunt *Glossa.* Paulo inferius pro *in ipso esset* cod. K *ipse esset.*

[11] Libr. II. de Fide orthod. c. 16. Cfr. Aristot., II. Rhetor. c. 3. (c. 2.), et I. de Anima, text. 16. (c. 1.).

[12] Matth. 11, 29 : Discite a me, quia mitis sum etc.

[13] Libr. I. de Anima, text. 16. (c. 1.) : « Differenter autem definiet *naturalis* et dialecticus unumquodque ipsorum. Ut *ira* quid est? Hic enim appetitum recontristationis (ἀντιλυπήσεως) aut aliquid huiusmodi ; ille autem fervorem sanguinis aut calidi circa cor ». Cfr. ibid. text. 63. (c. 4.). Damasc., II. de Fide orthod. c. 16. ait : Ira est fervor eius qui circa cor est sanguinis, ex evaporatione fellis.

CONCLUSIO.

In Christo fuit affectus irae, prout dicit affectum detestationis et commotionem partis sensualis, quae tamen subiecta est rationi.

Respondeo: Dicendum, quod ira uno modo dicit *pure affectionem*, et sic dicitur ira affectus detestationis alicuius mali, vel apparentis mali. Alio modo ira dicit *affectum*[1] *cum poena*; et sic ira habet perturbationem et inquietationem annexam. Hoc autem potest esse in triplici differentia: quia aut perturbatio illa solum tangit *potentias inferiores* et nullo modo tangit *oculum mentis*; aut tangit *oculum mentis* ad tempus turbando, sed non *excaecando*[2]; aut *oculum mentis* attingit ipsum *perturbando* et obnubilando. Et secundum hoc motus irae in quadruplici differentia reperitur, secundum quod colligitur ex dictis Sanctorum: uno modo pure dicit affectum detestationis; et hoc modo potuisset esse in Adam in statu innocentiae[3]. — Alio modo dicit motum detestationis cum inquietatione et perturbatione partis sensualis sine aliqua perturbatione mentis, et hoc modo fuit in Christo affectio irae; sicut enim dicit Evangelium[4]: *Infremendo conturbavit semetipsum.* — Tertio modo dicit affectum detestationis cum commotione et perturbatione non solum partis sensualis, sed etiam rationis ad tempus; et hoc modo reperitur ira in viris iustis, qui irascuntur ira per zelum, de quibus dicit Gregorius[5], quod «indo mens perturbata proficit, ut clarescat; sicut oculus per collyrium immissum ad tempus turbatur, ut postmodum clarior efficiatur». — Quarto modo ira dicit affectum detestationis cum commotione sensualitatis et etiam mentis, ita quod commotio illa habet secum perturbationem mentis annexam, vel ad illam est ordinata; et sic est ira per vitium, et reperitur in peccatoribus et prohibetur a Domino[6].

Duplex ira.

Subdistinctio.

Quadruplex ira declaratur.

Et per hanc distinctionem patet responsio ad quaestionem et ad rationes ad utramque partem. *Quodam* enim *modo fuit* in Christo passio irae sive affectio irae, videlicet prout dicit affectum detestationis et commotionem partis sensualis, quae tamen subiecta est rationi. Et sic procedunt rationes ad primam partem inductae probantes, affectionem irae in Christo fuisse, ut aspicienti patet; et ideo sunt concedendae. *Quodam* etiam *modo non fuit*, videlicet prout dicit perturbationem oculi mentalis, et prout dicit affectum repunitionis, in quantum ille affectus est ex libidine vindictae, non ex zelo iustitiae; sic enim est passio perturbans.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

1. 2. Et hoc modo procedunt duae primae rationes ad secundam partem; et propterea secundum illam viam verum concludunt et concedi possunt.

Solutio oppositorum.

3. Ad illud vero quod obiicitur, quod in Christo nulla fuit superbia, ergo nulla debuit esse ira, quia fuit perfectus in mansuetudine sicut in humilitate; dicendum, quod non est simile, quia *superbia* directe nominat vitium, et ideo semper oppositum habet cum humilitate, et propterea non potest stare cum perfecta humilitate. *Ira* autem non semper nominat vitium, immo etiam nominat virtutem; ideo non sic oppositionem[7] habet cum mansuetudine. Et propter hoc non sequitur, quodsi fuit perfectae mansuetudinis, quod propter hoc non habuerit affectionem irae.

4. Ad illud quod obiicitur, quod ira est ex accensione[8] sanguinis circa cor; dicendum, quod illud verum est in nobis, in quibus caro repugnat spiritui, et sensualitas rationi, qui non tantum habemus corruptionem poenalitatis, immo etiam foeditatis; hoc autem non oportet esse in Christo. — Si quis tamen diceret, in Christo fuisse accensionem sanguinis, sed moderate, non videtur esse inconveniens[9].

Alter.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. 1.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Simplam accepit ille vetustatem, ut nostram duplam consumeret.* Videtur enim hoc inconvenienter esse dictum, quia *simile* non consumitur per suum simile, immo augetur[10]: ergo *vetustas* nostra non consumitur per vetustatem Christi assumtam. — *Praeterea*, quod consumit aliud est illo potentius: ergo si *vetustas* Christi consumsit nostram, potius debuit esse dupla respectu *nostrae*, quam nostra dupla respectu *suae*.

---

[1] Cod. K *affectionem*.

[2] Edd. *excedendo*.

[3] August., XIV. de Civ. Dei, c. 19. docet, ante peccatum in paradiso iram ad exercendam iustam coercitionem non fuisse vitiosam.

[4] Ioan. 11, 33. Cod. F cum Vulgata: Infremuit spiritu et turbavit se ipsum. Cfr. q. praeced. in corp.

[5] Libr. V. Moral. c. 45. n. 82: Unde mens turbatur, ne videat, inde proficit, ut ad videndum verius clarescat; sicut infirmanti oculo, cum collyrium immittitur, lux penitus negatur; sed inde cum post paululum veraciter recipit, unde hanc ad tempus salubriter amittit.

[6] Matth. 5, 22. Bernard., Epist. 69. n. 4. scripsit haec: Itaque, dilectissime, irascere et noli peccare. Peccabis autem non minus nimis irascendo, quam omnino non irascendo. Siquidem non irasci, ubi irascendum sit, nolle emendare peccatum est; plus vero irasci, quam irascendum sit, peccatum peccato addere est. — Mox pro *ad utramque partem* cod. K *utriusque partis*.

[7] Ita edd. et complures codd., in aliis *oppositum*.

[8] Codd. F G I L N T V Z *accessione*; cod. U *ira est accensio*.

[9] Vide scholion ad 4. huius articuli quaest.

[10] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 44. seqq. (c. 4.).

— *Praeterea, vetustas* Christi non consumsit nostram nisi per modum meriti; sed meritum debet commensurari [1] praemio: ergo nec simpla nec dupla debuit esse respectu nostrae, sed aequalis.

Respondeo: Dicendum, quod tam poena quam culpa ad *veterem* hominem pertinet, quia in primaria conditione homo fuit creatus absque culpa et poena, et secundum haec duo in nobis est *duplex vetustas;* in Christo autem fuit poena sine culpa, et ideo *vetustas simpla;* fuit enim poena cum gratia. Et propterea per poenam Christi cum gratia nos merebamur liberari a culpa et a poena, ita quod *vetustas poenae*, iuncta *novitati gratiae*, consumit *duplicem vetustatem*, salvata [2] oppositione, salvata nihilominus debita proportione. Ideo verbum Augustini in littera verum est et rationabile.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod *vetustas* non opponitur vetustati; dicendum, quod verum est ratione *sui*, opponitur tamen ratione *novitatis gratiae* coniunctae. — Et per hoc patet sequens, quia ratione gratiae coniunctae illa *vetustas simplex* excedit nostram *duplicem*. Propter hoc enim, quod Christus gratiam habuit non ad mensuram, perfecte nobis meruit liberationem a poena et a culpa [3].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Hos defectus assumsit ad ostensionem verae humanitatis*, quia, si isti defectus non sunt *de veritate* humanae naturae, non faciunt ad verae humanitatis ostensionem. Quod autem non sint *de veritate* humanae naturae, ostendit Anselmus [4] tali ratione: humana natura uno modo est *vera* secundum statum corruptionis et incorruptionis; sed isti defectus non competunt ei secundum statum incorruptionis: ergo non sunt de veritate humanae naturae. — Item, Christus post resurrectionem *veram* humanitatem ostendit, et tamen ipsis Apostolis defectus et poenalitates non ostendit [5]: ergo non videtur, quod huiusmodi defectus facerent ad *veritatis* humanae naturae ostensionem.

Respondeo: Dicendum est, quod est ostendere *veritatem* humanae naturae *simpliciter*, vel *secundum statum;* dico igitur, quod huiusmodi defectus assumti fecerunt ad ostensionem verae humanitatis *secundum statum* corporis animalis, et sic Christus volebat ostendere; voluit enim se nobis conformare; *in similitudinem* enim *hominum factus est*, ut dicit Apostolus [6], *et habitu inventus est ut homo.*

Ad illud ergo quod obiicitur, quod illud non facit ad ostensionem *verae* humanitatis, quod non est de *veritate* humanae naturae; dicendum, quod falsum est. Aliquid enim annexum alicui statui humanae naturae potest esse ostensivum veritatis. « Accidentia enim partem magnam conferunt ad cognoscendum *quod quid est* [7] », quamvis non sint de essentia rei. — Ad ultimum patet responsio per ea quae dicta sunt.

Dub. III.

Item quaeritur de intellectu veritatis istarum auctoritatum, quas adducit in illo capitulo [8]: *Quaedam tamen reperiuntur in Sanctorum tractatibus* etc. Videtur enim, quod illae auctoritates verum dicant, quae dicunt, Christum non timuisse. Scribitur enim primae Ioannis quarto [9]: *Perfecta caritas foras mittit timorem;* sed Christus perfectissimam habuit caritatem: ergo nullus in eo videtur timor fuisse. — Item, Augustinus, libro Octoginta trium Quaestionum [10]: « Signum perfectionis est nullus timor »; sed in Christo fuit summa perfectio: ergo nullus in eo fuit omnino timor. — Item, nullus timet quod potest effugere; sed Christus certus erat, omnem poenam se posse effugere: ergo videtur, quod nihil timebat.

Respondeo: Dicendum, quod timor est in triplici differentia: quidam enim est *gratuitus*, quidam *libidinosus*, quidam *naturalis* quasi inter utrumque medius. — Timor autem *gratuitus* est in triplici differentia: quidam enim est timor *poenae*, quidam est timor *offensae*, quidam *reverentiae*. Prima et secunda [11] non fuit in Christo, pro eo quod *perfecta caritas foras mittit timorem* utrumque; sed secundum tertiam differentiam fuit in Christo, quia sic a perfecta caritate non expellitur, sed potius consummatur, secundum illud Isaiae undecimo [12]: *Replebit eum spiritus timoris Domini;* et secundum illud Psalmi: *Timor Domini sanctus permanet in saeculum saeculi.* — Et per hoc patet responsio ad primum obiectum.

Triplex timor.

Timor gratuitus triplex.

Nota.

Ad 1. obiect.

Est et alius timor *libidinosus*, et iste similiter in multiplici differentia est: quia est timor *mundanus*, et est timor *humanus;* et nullus istorum fuit

Timor libidinosus duplex.

Nota.

---

[1] Ita codd. A bb, non pauci alii codd. *consummari*, nonnulli et edd. *conformari.*

[2] Edd. *salva*, codd. F T *salva tamen.*

[3] Cfr. de hoc dubio S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[4] Libr. II. Cur Deus homo, c. 11: Si pertineret ad veritatem humanae naturae mortalitas, nequaquam posset esse homo, qui esset immortalis; non ergo pertinet ad sinceritatem humanae naturae corruptibilitas sive incorruptibilitas, quoniam neutra facit, aut destruit hominem etc.

[5] Cfr. Luc. 24, 39; Ioan. 20, 20. seqq. — Mox pro *huiusmodi defectus* cod. K *huiusmodi poenalitates.*

[6] Phil. 2, 7. — Paulo superius pro *fecerunt* edd. *fuerunt* et deinde *corruptionis* pro *corporis animalis.*

[7] Ut ait Aristot., l. de Anima, text. 11. (c. 1.). Verbis *quod quid est* (τὸ τί ἐστιν) significatur quidditas sive essentia. — De solut. huius dubii vide Alex. Hal., S. p. III. q. 5. m. 3; B. Albert., hic a. 6; S. Thom., hic circa lit.

[8] Cap. 1. circa finem.

[9] Vers. 18.

[10] Quaest. 36. n. 1.

[11] Edd. cum nonnullis codd. supplent *differentia.*

[12] Vers. 3. Pro *spiritus* codd. G I K L T Z aa bb *spiritu.* — Seq. textus est Ps. 18, 10.

in Christo nec etiam in viro perfecto; et sic intelligitur verbum Augustini, quod « signum perfectionis
Ad 2. obiect. est nullus timor ». — Et per hoc patet responsio ad secundum.

Est iterum timor in tertia differentia, timor sci-
Timor naturalis triplex. licet *naturalis*, et iste est in triplici differentia: quidam [1] est *sensualitatis praevenientis rationem*, quidam *sensualitatis subiacentis rationi*, quidam vero est ipsius *partis rationalis*. Primus timor est naturae corruptae et quodam modo *inordinatae*, similiter et tertius; secundus vero est naturae corruptae, sed tamen *ordinatae*. Quoniam ergo in Christo, quamvis esset defectus passibilitatis, non tamen fuit
Nota. defectus inordinationis et vitiositatis; hinc est, quod fuit in eo timor medio modo, non primo [2] vel
Ad 3. obiect. tertio. — Et per hoc patet tertio obiectum. Patent etiam auctoritates, quae in littera dicuntur. Nam omnes illae auctoritates, quae dicunt, Christum non timuisse, hoc dicunt, non quia velint a Christo omnem timorem removere, cum auctoritas Isaiae dicat contrarium; sed quia non fuit in eo timor, qui *rationem* eius praeveniret, vel rationem eius perturbaret; securissima enim fuit et bene noverat, quod nihil poterat sibi evenire vel inferri, quod ipsa prius non desideraret et vellet [3].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Vere contristatus est, sed non passio eius dominatur animo, verum propassio est.* Ex hoc enim vult dicere, quod in Christo fuerit *propassio*. Sed *contra;* super quinto [4] Matthaei dicit Glossa, quod « propassio est subitus motus, cui ex ratione non consentitur »; sed talis motus est veniale peccatum, secundum quod ibi innuitur, et iste non fuit in Christo: ergo *propassio* non fuit in eo. — Item, subitum est illud quod praevenit iudicium rationis et quod est ex surreptione; sed Christus nihil per surreptionem egit: ergo non habuit in se motum subitum, ergo nec *propassionem*. — Item, Christus timuit mortem non ob aliud, nisi quia praevidit eam; sed non praevidit eam nisi secundum rationem: ergo timuit eo timore, qui est secundum rationem; et iste timor est *passio*, non *propassio:* ergo nulla est responsio Magistri.

Respondeo: Dicendum, quod *propassio* secun- Quid propassio.
dum generalem nominis sui acceptionem dicitur esse passio diminuta; haec autem est illa quae sistit infra rationem, ut ratio est, et ita *propassio* dicit passionem partis sensualis, vel virtutis naturalis; et hoc modo vult dicere Magister [5] et Hieronymus, huiusmodi passiones fuisse in Christo. Erant enim ex horrore sensualitatis, non rationis partis in quantum rationalis.

Ad illud vero quod obiicitur, quod definitur *propassio*, quod est motus subitus; dicendum, quod ibi definitur *propassio*, secundum quod est in nobis, in quibus sensualitas movetur praeter iudicium rationis; in Christo autem non fuit hoc. Et ideo patet responsio ad illa duo, quae primo obiiciuntur.

Ad illud vero quod obiicitur, quod timor mor- Notandum.
tis non potuit esse nisi in ratione; dicendum, quod ratio praevidens mortem instantem fecit imaginationem mortis in ipsa parte sensuali; qua quidem facta, sensualitas mota fuit et horrore mortis concussa. — *Et si tu dicas*, quod hic non est ordo cognitionis, ut deveniatur a ratione in sensualitatem; dicendum, quod hoc est verum in nobis, in quibus est scientia per acquisitionem ab inferiori. In Christo autem aliter esse potuit, qui fuit plenus scientia [6], et in quo fuit obedientia perfecta virium inferiorum respectu superiorum. *Praeterea*, nos ipsi *imaginari* possumus quod volumus, quamvis non possimus, quando volumus, *sentire* exterius [7]. Et ita timor in Christo de morte futura potuit esse in parte sensuali, ut merito secundum Hieronymum et Magistrum possit et debeat dici *propassio* [8].

---

[1] Codd. A I K adiiciunt *enim*.

[2] Non pauci codd. perperam *secundo*.

[3] Cfr. infra d. 34. p. II. dub. 1; Alex. Hal., S. p. III. q. 5. m. 2. a. 1. § 3; B. Albert., hic a. 8; S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 3; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 4; Richard. a Med., hic a. 3. q. 3.

[4] Vers. 28. Glossa apud Strabum et Lyranum sonat sic: Passio dicitur quae est mors in domo. Propassio est animi subitus affectus vel irae vel amoris, passio quaedam animi forma vel deliberatio ex consensu; unde dicitur aliquis iracundus vel amator. — Hieronymus in hunc Matth. loc. ait: Inter passionem et propassionem hoc interest, quod passio reputatur in vitium; propassio, licet initii culpam habeat, tamen non tenetur in crimine... Si vero consenserit... de propassione transivit ad passionem. — Codd. allegant *c. 7*, edd. *c. 26*, ad quem ulteriorem loc. spectat expositio Hieron., quae hic in lit. Magistri, c. 2. affertur.

[5] Hic. c. 2, ubi et Hieronymi verba inveniuntur. — Paulo superius pro *sistit* codd. A H N W *consistit*, edd. *sistitur*. Paulo inferius pro *non rationis* [codd. A K Q bb *rationalis*] *partis in quantum rationalis* edd. *non ratione partis rationalis*.

[6] Cfr. supra d. 14. a. 3. q. 1. seq.

[7] Aristot., II. de Anima, text. 60. (c. 5.): Intelligere in ipso est [i. e. in hominis potestate est], cum vult; sentire autem non est in ipso; necessarium est enim esse [adesse] sensibile. — Edd. *quod volumus sentire* pro *quando volumus, sentire*. Mox pro *in parte* cod. V *ex parte*.

[8] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 9; S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.; Richard. a Med., hic a. 4. q. 4. et circa lit.

DISTINCTIO XVI.

Cap. I.

De quibusdam capitulis Hilarii obscuris, quibus a carne Christi dolores submoveri videntur.

Verumtamen magis movent ac difficiliorem afferunt quaestionem verba Hilarii, quibus videtur tradere, ictus et vulnera et huiusmodi sic in Christum incidisse, ut passionis dolorem non inuterent, sicut telum, tractum per aquam vel ignem vel aëra, ea facit, quae et, cum trahitur per corpora animata, quia perforat et compungit, non tamen dolorem ingerit, quia non sunt illae res capaces doloris. Ita et corpus Christi sine sensu poenae vim poenae excepisse dicit, quia, sicut corpus nostrum non habet talem naturam, ut valeat calcare undas, ita corpus Christi dicit non habuisse naturam nostri doloris, quia non habuit naturam ad dolendum.

Verba Hilarii. — Ait enim in decimo libro de Trinitate [1]: « Unigenitus Deus hominem verum secundum similitudinem nostri hominis, non deficiens a se Deo, sumsit. In quo, quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem haec *impetum* passionis, non tamen *dolorem* passionis inferrent; ut telum aliquod aquam perforans, vel ignem compungens, vel aëra vulnerans, omnes quidem has passiones naturae suae infert, ut perforet [2], ut compungat, ut vulneret, sed naturam suam in hoc passio illata non retinet, dum in natura non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aëra vulnerari, quamvis naturae telli sit et vulnerare et compungere et forare. Passus quidem Christus est, dum caeditur, dum suspenditur, dum moritur; sed in corpus irruens passio nec non fuit passio, non tamen naturam passionis exercuit, dum et poenali ministerio poena desaevit, et virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desaevientis excepit. Habuit sane illud dominicum corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturae habet, ut calcet undas et fluctus desuper eat nec clausae domus obstaculis arceatur. At vero si dominici corporis solum ista natura sit, ut feratur in humidis et sistat in liquidis et structa transcurrat; quid per naturam humani corporis carnem ex Spiritu sancto conceptam iudicamus? Caro illa de caelis est, et homo ille de Deo est, habens ad patiendum corpus, et passus est, sed naturam non habens ad dolendum ». Idem in eodem [3]: « Videamus, an ille passionis ordo infirmitatem in Domino doloris permittat intelligi. Dilatis enim causis, ex quibus metum Domino haeresis ascribit, res ipsas, ut gestae sunt, conferamus. Neque enim fieri potest, ut timor eius significetur in verbis, cuius fiducia contineatur in factis. Timuisse igitur, haeretice, passionem videtur [4]? Sed ob ignorantiae huius errorem Petrus et *satanas* et *scandalum* est. Anne timuit qui armatis obvius prodiit? Et in corpore eius infirmitas fuit, ad cuius occursum consternata persequentium agmina supinatis corporibus conciderunt? Quam igitur infirmitatem dominatam huius corporis credis, cuius tantam habuit natura virtutem? Sed forte dolorem vulnerum timuit? Quem, rogo, o tu dominicae infirmitatis assertor, penetrantis carnem clavi habuit terrorem, qui excisam aurem solo restituit attactu? Producens haec autem manus clavum dolet, et sentit vulnus qui alteri dolorem vulneris non reliquit? Pungendae carnis metu tristis est, cuius in attactu caro post caedem sanatur »? Item [5]: « Collatis igitur dictorum gestorumque virtutibus, demonstrari non est ambiguum, in natura corporis eius infirmitatem corporeae naturae non fuisse, et passionem illam, licet corpori illata sit, non tamen naturam dolendi corpori intulisse; quia, licet forma corporis nostri esset in Domino, non tamen vitiosae infirmitatis nostrae forma erat in corpore, quod ex conceptu Spiritus sancti Virgo progenuit ».

Dubium 1.

Dubium 2.

Explicatio. — Audisti, lector, verba Hilarii, quibus dolorem excludere videtur. Sed si, excussa sensus et impietatis hebetudine, praemissis diligenter intendas atque ipsius scripturae circumstantiam inspicias; dictorum rationem atque virtutem percipere utcumque poteris et intelligentiam arguere non attentabis. Intelligitur enim ea ratione dixisse, dolorem passionis in Christum non incidisse, et virtutem [6] corporis Christi excepisse vim poenae sine sensu poenae, quia *causam* et *meritum* doloris in se non habuit. Quod videtur notasse, ubi ait: « Non habens *naturam* ad dolendum ». Et ideo non iudicanda est caro illius secundum naturam nostri corporis; nec in eo etiam dominium habuit passio; ita etiam non habuit naturam ad timendum, vel tristandum, quia non habuit talem naturam, in qua esset *causa* timoris, vel tristitiae. Itaque *necessitas* timendi non fuit in eo, sicut est in nobis; nec *natura* doloris fuit in eo, sicut est in nobis.

Cap. II.

De tristitia Christi et eius causa secundum eundem.

Tristitiam tamen in eo fuisse, consequenter asserit, sed *causam* eius exstitisse non suam mortem, sed defectum Petri et aliorum Apostolorum. Dicit enim, Christum non *propter* mortem, sed *usque ad* mortem tristem fuisse, his verbis [7]: « Interrogo, quid sit tristem esse *usque ad mortem*. Non enim eiusdem significationis est, tristem esse *propter mortem* et *usque ad mor-*

---

[1] Num. 23.

[2] Codd. *foret*. Infra pro *Passus quidem* edd. 1, 8 *Passus invenitur quidem*, et deinde omittunt *est*. Denique pro *dominicum corpus* edd. 1, 8 cum originali *Domini corpus*, et inferius iterum cum codd. A C E, at contra originale, *Domini corporis*.

[3] Ibid. n. 26. et 27. In textu plura a Magistro omissa sunt.

[4] In originali sic: Timuisse tibi, o haeretice, Dominus gloriae passionem videtur? — Mox respicitur Matth. 16, 23. et Ioan. 18, 6. — Paulo inferius post Anne *timuit* edd., exceptis 1, 8, addunt *mori*, refragante etiam originali.

[5] Ibid. n. 35.

[6] Edd. 1, 8 *virtute;* post *Christi* cod. A et Vat. cum edd. 4, 5, 6, 9 adiiciunt *sibi*.

[7] Ibid. n. 36; in quo textu edd., excepta 1, 8, ante *Non enim* adiiciunt *et tristem esse propter mortem*, refragantibus codd. et originali. Seq. locus est ibid. parum inferius; tertius n. 37. in fine, ubi respicitur Matth. 26, 41.

tem, quia, ubi *propter mortem* tristitia est, illic mors *causa* tristitiae est; ubi vero tristitia *usque ad mortem* est, mors non tristitiae est *causa*, sed *finis*». « Adeo autem non propter mortem suscepta est tristitia, ut sit destituta per mortem». « Non ergo sibi tristis est, sed illis qui in scandalo per infirmitatem carnis erant futuri, quos monet orare, ne *inducantur in tentationem*, qui ante polliciti erant se non scandalizari».

Notula. Hilarius in libro de Synodis [1]: Cum haec passionum genera infirmitate carnis afficiant, Deus tamen, Verbum caro factum, non potuit ad se demutabilis esse patiendo. Verbum enim, quia caro factum est, licet se passioni subdiderit, non tamen demutatum est possi-
Dubium 3. bilitate patiendi. *Pati* potuit, et *passibilis* esse non potuit, quia *passibilitas* naturae infirmae significatio est, *passio* autem eorum est, quae sunt illata, perpessio.

Cap. III.

An in Christo fuerit necessitas patiendi et moriendi, quae est defectus generalis.

Hic oritur quaestio ex praedictis ducens originem. Dictum est enim supra [2], quod Christus in se nostros defectus suscepit praeter peccatum. Est autem hominis quidam generalis defectus, qui peccatum non est, scilicet *necessitas patiendi*, vel *moriendi*. Unde corpus nostrum non tantum *mortale*, sed etiam *mortuum* dicitur, quia non tantum *aptitudinem* moriendi, sed etiam necessitatem habet. Ideo quaeritur, utrum *necessitas* talis in Christi corpore [3] fuerit. De *aptitudine* enim moriendi, quod in eo fuerit, ambiguum non est, quae etiam ante peccatum in homine fuit, quando aliquis in eo non fuit defectus; nec igitur *mortalitas* illa tunc in eo fuit defectus, quia natura ei erat. Unde etiam quidam talem *mortalitatem* in nobis non esse defectum non improbe tradunt, sed *necessitatem* moriendi, vel patiendi, quae etiam *mortalitas* dicitur, vel *passibilitas*. Dicitur enim homo nunc *passibilis*, vel *mortalis*, non modo propter *aptitudinem*, sed etiam propter *necessitatem*. Sed nunquid hic defectus fuit in Christi carne? Anima quoque eius, cum *passibilis* extiterit ante mortem, nunquid *necessitatem* patiendi habuit? Si enim *necessitas patiendi*, vel *moriendi* fuit in Christo, non videtur sola voluntate miserationis defectus nostros accepisse. — Ad quod dici potest, Chri- Determinatio.
stum *voluntate*, non *necessitate* suae naturae hos defectus, sicut alios, suscepisse [4], scilicet necessitatem *patiendi* in anima, simul autem *patiendi* et *moriendi* in carne. Verum hanc necessitatem non habuit ex *necessitate* suae conditionis, quia a peccato immunis, sed ex sola *voluntate* accepit, de nostra infirmitate ponens *tabernaculum suum in sole*, scilicet sub temporali mutabilitate et labore. Unde super Epistolam ad Hebraeos [5] auctoritas dicit, quod « sicut hominibus Glossa.
aliis iure et lege naturae statutum est semel mori, ita et Christus eadem necessitate et iure naturae semel oblatus est, et non saepe». Nec ideo dicit *iure naturae*, quod ex natura suae conditionis hunc defectum traxerit, qui etiam non provenit nobis ex natura, secundum quod prius est instituta, sed ex ea peccato vitiata. Et ideo dicitur hic defectus *naturalis*, quia quasi pro natura inolevit, in omnibus diffusus.

Cap. IV.

De statibus hominis, et quid Christus de singulis acceperit.

Et est hic notandum, Christum de omni statu ho- Dubium 4.
minis aliquid accepisse, qui omnes venit salvare. Sunt enim quatuor status hominis: primus ante peccatum, secundus post peccatum et ante gratiam, tertius sub gratia, quartus in gloria. De *primo* statu accepit immunitatem peccati. Unde Augustinus [6] illud Ioannis Augustinus.
Evangelistae exponens: *Qui desursum venit super omnes est*, dicit, « Christum venisse desursum, id est de altitudine humanae naturae ante peccatum, quia de illa altitudine assumsit Verbum Dei humanam naturam, dum non assumsit culpam, cuius assumsit poenam». Sed poenam assumsit de statu *secundo* et alios defectus; de *tertio* vero gratiae plenitudinem; de *quarto* non *posse peccare* et Dei perfectam contemplationem. Habuit enim simul bona *viae* quaedam et bona *patriae*, sicut et quaedam mala *viae*.

---

[1] Num. 49. — Sequens notula Hilarii in edd. et codd. vel deest, vel ad marginem est posita, sed in diversis edd. non eodem loco. — Cum verbis, quae sequuntur: *Hic oritur*, in codd. aliis et edd. incipit haec d. XVI.

[2] Dist. XV. c. 1.

[3] Ita codd. A C E et edd. 1, 7; in ceteris *carne*. Infra pro *natura ei*, quod habet Vat. et edd. 4, 9, edd. 6, 8 *naturae eius*, in reliquis et codd. *naturae ei*.

[4] Codd. A B C *accepisse*.

[5] Cap. 9, 27, et est Glossa ordinaria apud Lyranum. — Paulo superius respicitur Ps. 18, 6. — Infra pro *traxerit* edd. 1, 8 *contraxerit*, quae simul cum cod. E post *prius est* addunt *nobis*.

[6] Glossa super Ioan. 3, 31, apud Lyranum relata cum nomine Augustini. — De prima huius cap. propositione cfr. Boeth., de Una Persona et duabus naturis etc. c. 8. De quatuor statibus II. Sent. d. XXV. c. 6. et hic in Comment. dub. 4.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XVI.

De passione doloris et passibilitate specialiter.

Verumtamen magis movent ac difficiliorem afferunt quaestionem etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de passionibus in Christo repertis in quadam generalitate. In hac autem parte specialiter descendit ad determinandum de doloris passione et passibilitate. Dividitur autem pars ista in duas. In quarum prima inquirit, utrum passio doloris fuerit in Christo secundum veritatem [1]. In secunda vero, utrum fuerit in eo secundum patiendi necessitatem, ibi: *Hic oritur quaestio ex praedictis* etc., ubi signatur distinctio decima sexta.

Prima pars dividitur in tres partes. In quarum prima ponit Magister dubitationem circa passionem doloris in Christo, quae ex verbis Hilarii habet ortum. In secunda vero subiungit verba Hilarii, quae videntur esse dubia, ibi: *Ait enim sic Hilarius in decimo libro de Trinitate.* In tertia vero illa verba explanat, ibi: *Audisti, lector, verba Hilarii* etc.

Similiter secunda pars, in qua agit de patiendi necessitate, tres habet particulas. In prima movet dubitationem [2]. In secunda vero ponit determinationem illius quaestionis, ibi: *Ad quod dici potest, Christum voluntate* etc. In tertia vero subiungit quoddam dictum notabile ad maiorem praecedentium explanationem, ibi: *Et est hic notandum, Christum de omni statu hominis* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio de passione doloris in Christo, circa quam principaliter quaeruntur duo.

Primo enim inquirendum est de passione doloris, prout respicit animam et carnem communiter.

Secundo vero, prout respicit animam specialiter.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur de doloris veritate.

Secundo vero de doloris acerbitate.

Tertio vero de dolendi sive patiendi necessitate.

ARTICULUS I.

De passione doloris, prout respicit animam et carnem communiter.

QUAESTIO I.

Utrum in Christo fuerit vera passio doloris.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum in Christo fuerit vera passio doloris. Et quod sic, ostenditur.

1. Isaiae quinquagesimo tertio [3]: *Vidimus eum* Fundamenta. *novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem;* sed constat, quod non intelligit Propheta de scientia *simplicis notitiae:* ergo intelligit de scientia *experientiae:* ergo vere expertus est passiones doloris.

2. Item, in persona eius dicitur in Psalmo [4]: *Ego sum pauper et dolens;* sed Christus vere fuit pauper et mendicus temporaliter: ergo vero dolore fuit afflictus.

3. Item, anima coniuncta corpori passibili vere dolet, corpore patiente [5]; sed anima Christi iuncta fuit carni, quae non tantum fuit passibilis, immo etiam passa: ergo verum dolorem fuit perpessa.

4. Item, satisfactio facta est per poenam doloris; sed Christus veraciter satisfecit, quia *vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* [6]: ergo veraciter doluit.

5. Item, non est magnum quid habere patientiam in illa passione, quae nullum infert dolorem; sed patientia Christi multum commendatur in tolerantia passionum [7]: ergo videtur, quod Christus verum dolorem in semetipso persenserit.

---

[1] Edd. cum pluribus codd. perperam exhibent *virtutem*, et mox edd. solae omittunt verba *ubi signatur distinctio decima sexta.* — A verbis *Hic oritur quaestio etc.*, a quibus in nostra editione oritur 3. cap. d. 16, tum apud B. Albertum tum apud S. Thomam incipit d. 16; cfr. supra pag. 344, nota 1.

[2] Edd. *quaestionem.*

[3] Vers. 2. seq. In testimonio allato pro *infirmitatem* plurimi codd. *infirmitates.* — De *minori* vide supra d. 14. a. 3. q. 2. — In fine arg. pro *passiones doloris* codd. E U *passionem doloris*, cod. A *dolores passionis.*

[4] Psalm. 68, 30.

[5] Cfr. supra lit. Magistri, d. XV. c. 1. — Paulo ante pro *coniuncta* codd. A N U Z *iuncta.* In fine arg. cod. K supplet *anima eius.*

[6] Isa. 53, 4. — Subinde post *veraciter* cod. U subiicit *ipse.*

[7] Cfr. Marc. 8, 31; 9, 11; Luc. 9, 22; 24, 26. et 46.

6. Item, aut *vere* patiebatur et dolebat, aut *non*. Si *sic*, habeo propositum; si *non vere* patiebatur, et videbatur pati: ergo seducebat oculos spectantium in sua passione, pari ratione et in qualibet alia sua operatione; et si hoc, totum Evangelium est mendacium, et eius miracula falsa, et fides christiana inanis per omnia [1]: si igitur huiusmodi sunt falsa et erronea, restat etc.

Ad oppositum.

SED CONTRA: 1. Hilarius in decimo libro de Trinitate [2]: «Virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desaevientis excepit»; sed verus dolor non est sine sensu poenae: ergo in Christo non fuit verus dolor.

2. Item, Dionysius ad Ioannem Evangelistam [3]: «Absit, ut ego ita insaniam, ut credam, Sanctos aliquid pati, sed corporis passiones, secundum solum quod eas diiudicent, ipsos sentire credo»: si ergo hoc verum est, Sancti non sentiunt passiones nisi secundum iudicium, non ergo secundum experientiam: ergo patiendo non habent dolorem verum: ergo multo minus nec Sanctus Sanctorum, scilicet Christus.

3. Item, Moyses ieiunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus sine aliqua corporis laesione propter continuam contemplationem [4]: si ergo perfectio contemplationis aufert passionem et sensum famis, pari ratione videtur, quod auferat sensum doloris in carne passibili. Sed in Christo fuit continua contemplatio et perfectissima: ergo videtur, quod nulla fuerit in eo doloris experientia.

4. Item, *ratione* videtur. «Natura agens praestantior est patiente [5]»; et natura assumta praestantior est omni alio: ergo non videtur, quod ab aliqua alia natura possit affligi vel laedi.

5. Item, res, quae est ablativa laesionis et doloris, passioni doloris non est subiecta; sed manus Christi curavit alienos dolores solo tactu [6]: ergo videtur, quod nullum dolorem potuerit perpeti.

6. Item, si anima Petri poneretur in inferno, ab ignibus non cruciaretur, quia non habet in se causam, per quam debeat dolere: ergo si anima Christi nullam causam passionis in se habebat, videtur, quod nullum dolorem sentiebat in carne quantumcumque passibili. Si ergo dolor est passio ipsius animae potius quam carnis, sicut dicit Augustinus [7]; videtur, quod in Christo non fuerit dolor verus.

CONCLUSIO.

Vera doloris passio fuit in Christo.

RESPONDEO: Dicendum, quod absque dubio, sicut Evangelium dicit, et fides catholica sentit, vera doloris passio fuit in Christo. In ipso enim fuit caro passibilis et perforabilis, fuit etiam virtus sentiendi, secundum quam anima compatitur corpori laeso. Quoniam ergo haec duo verum dolorem faciunt, scilicet *vera laesio* et *verus laesionis sensus* [8], et haec duo vere fuerunt in Christo; indubitanter tenendum est, quod in Christo fuit vera doloris passio. — Nam si aliquis aliter dicat, secundum quod quidam haeretici [9] dicunt, et est error antiquus Saracenorum, quod Christus, etsi videretur pati et dolere, non tamen veraciter habuit dolorem et passionis sensum; non solum evacuat fidem Christi et Christi Evangelium, sed etiam evacuat redemptionem nostram et dicit, Christum non esse Christum. Dum enim dicit, ipsum non fuisse veraciter *passum;* dicit, ipsum non satisfecisse, ac per hoc non genus humanum esse redemptum. Dum vero dicit, ipsum *simulasse* se pati; dicit, ipsum esse mendacem, et ita nec vere fuisse Dei Filium nec Dei nuntium, et ita nec mediatorem, sed potius deceptorem. Et propterea qui dicunt, Christum non veraciter doluisse vel passum fuisse; etsi videantur ipsum exterius honorare, secundum veritatem [10] blasphemant ipsum impiissime. — Rationes igitur probantes, ipsum veraciter doluisse, sunt concedendae.

Conclusio.

Duo requiruntur ad dolorem.

Saraceni.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur de auctoritate Hilarii, tripliciter respondetur. Quidam enim dicunt, Hilarium verba illa retractasse. Unde audivi, Parisiensem episcopum Gulielmum referre, se librum illius retractationis vidisse et perlegisse [11]. — Aliter

Solutio oppositorum.

Solutio 1.

Solutio 2.

---

[1] Vide supra pag. 44, nota 4. — In principio arg. pro *Si sic* edd. *Si vere, sic.*

[2] Num. 23. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[3] Epist. 10, ubi textus origin. loco vocis *Sanctos* habet *Vos.* Edd. in hoc testimonio pro *sed corporis passiones, secundum solum* substituerunt *secundum corporis passiones, sed solum.*

[4] Exod. 34, 28, Deut. 9, 18. — Pro *continuam* cod. W *perfectam.* In fine arg. pro *fuerit* multi codd. *fuit.*

[5] Aristot., III. de Anima, text. 19. (c. 5.); verba ipsa videsis tom. II. pag. 748, nota 1; cfr. August., XII. de Gen. ad lit. c. 16. n. 33. De altero enuntiato, scil. quod natura assumta praestantior sit omni alio (edd. *alia),* cfr. supra pag. 266, nota 5.

[6] Matth. 8, 3. et 15; Marc. 6, 5; Luc. 13, 13; 22, 51. Cfr. Hilar., X. de Trin. n. 32. et 46.

[7] Libr. VII. de Gen. ad lit. c. 19. n. 25; XIV. de Civ. Dei, c. 15. n. 2; XXI. c. 3. n. 2. Magister supra in lit. d. XV. c. 1. idem colligit ex August. XII. de Gen. ad lit. c. 24. n. 51. Cfr. de hoc arg. tom. II. pag. 465, nota 2. — In initio arg. pro *Petri* plurimi codd. erronee substituerunt *Christi;* postea in solutione omnes codd. in unum congruunt lectioni *Petri.* Subinde pro *in inferno* multi codd. et edd. 1, 2 *in infernum,* et pro *non habet* cod. K *non haberet.*

[8] Cfr. tom. II. pag. 482, nota 3. — Paulo superius pro *secundum quam anima* cod. U *per quam anima.*

[9] Vide supra d. 2. a. 2. q. 1. — De Saracenis cfr. Damasc., de Haeres. n. 101. Mamed, ut ibi refertur, Christum Dei Verbum esse dicit eiusque spiritum, sed creatum et servum... Hunc cum Iudaei per summum nefas in crucem agere voluissent apprehendissentque, ipsius quidem umbram affixerunt cruci (Sur. 3-4.); Christus vero nec crucem nec mortem subiit. Eum quippe Deus, quia sibi carissimus erat, transtulerat in caelum.

[10] Edd. subiicunt *tamen.* Mox pro *Rationes igitur* non pauci codd. *Rationes vero.*

[11] Huius retractationis mentionem faciunt etiam B. Albert., hic d. 15. a. 10, et S. Thom., hic d. 15. circa lit. Mamertus

potest dici, quod Hilarius in verbo praedicto et in aliis ibidem positis non excludit sensum doloris a Christo secundum *humanam* naturam, sed secundum *divinam;* unde verba illa referenda sunt ad Christi personam. Et hoc quidem confirmatur, quia, sicut dicit idem Hilarius [1], « intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi ». Hilarius enim in verbis praemissis excludere voluit errorem Arii, qui dicebat, Christum secundum se totum passum fuisse.

Solutio 3. — Tertio modo respondetur, quod Hilarius non vult ostendere, Christum non habuisse *verum dolorem*, sed non habuisse *causam doloris;* et hunc quidem modum solvendi innuit Magister in littera [2], et satis est rationabilis, secundum quod in expositione litterae melius apparebit.

2. Ad illud vero quod obiicitur de auctoritate Dionysii, dicendum, quod Dionysius non voluit dicere nec sensit, quod beatus Ioannes et alii Sancti non experirentur dolorem in tormentis, sed vult commendare constantiam mentis, quae [3] non magis commovebatur ex experientia sensus, quam commoveretur ex sola consideratione et iudicio rationis.

3. Ad illud quod obiicitur de Moyse, dicendum, quod etsi dulcedo contemplationis quodam modo ipsum reficeret et a sensibus exterioribus abstraheret, adeo ut naturales virtutes quodam modo consopiret, ut non ita consumerent et cibum requirerent; tamen quod tanto tempore ieiunavit sine aliqua sui laesione, hoc fuit per speciale beneficium et divinum miraculum. Et ideo hoc non habet locum in proposito, quia Christus in passione sua non exercuit miracula potentiae, sed potius usus est armis patientiae.

4. Ad illud quod obiicitur, quod natura agens praestantior est patiente; dicendum, quod illud non oportet intelligi, quod sit verum *simpliciter*, sed solum *secundum aliquam conditionem*. Quia enim lapis laedit pedem, non oportet, quod lapis sit nobilior pede, sed sufficit, quod excedat in aliqua conditione, utpote in duritia et soliditate; et sic est in proposito. Quamvis enim clavus non esset nobilior carne Christi, erat tamen durior et solidior. Et *si tu obiicias* mihi de anima, quod non possit pati; dicendum, quod anima patiebatur *per accidens*, scilicet compatiendo carni. Vel secundum Augustinum in sexto Musicae [4], anima sumit occasionem patiendi ex carne; verumtamen patitur ex se; occasione accepta aliunde. — Potest etiam dici, quod illud verbum habet intelligi secundum institutionem naturae, non secundum dispensationem misericordiae et punitionem iustitiae, quorum primum respicit animam Christi, reliquum animam peccatricem, sicut in quadragesima quarta [5] distinctione libri quarti habetur expresse.

Notandum.

Aliter.

5. Ad illud quod obiicitur, quod manus Christi fuit curativa dolorum; dicendum, quod hoc fuit virtute latentis divinitatis; et secundum illam virtutem, concedo bene, quod pati non poterat nec dolere. Ex hoc tamen non sequitur, quod fuerit doloris expers. Erat enim ibi alia virtus creata, secundum quam dolere poterat, scilicet potentia animae sensitiva.

6. Ad illud quod obiicitur, quod anima Petri non pateretur in inferno; dicendum, quod non est simile, quia anima Petri post purificationem perfectam non est passibilis ex causa propria, nec ex dispensatione divina propter salutem alienam; non autem sic est de anima Christi, quae dispensative et voluntarie passibilitatem habuit, cum carni passibili coniuncta fuit, sicut ex lectione praecedenti [6] habitum fuit.

SCHOLION.

I. Dolorem sensibilem in Christo fuisse, ex ipsis s. Scripturae verbis manifeste sequitur; unde non est verisimile, S. Hilarium contrarium unquam docuisse et postea retractasse, ut hic solut. ad 1. et etiam a S. Thoma (cfr. supra pag. 346, nota 11.) secundum auctoritatem alienam narratur. Alibi enim (in Ps. 53. n. 12.) idem passibilitatem non a natura assumta, sed a « Divinitatis natura » excludit. Vide defensionem Hilarii in editione Maurina, X. de Trin. n. 23. nota b. c. Ipse S. Bonav. hic duos modos verba Hilarii (hic lit. Magistri, c. 1. 2.) sane interpretandi ponit, quibus infra in dub. 3. tertium modum addit, scilicet, quod Hilarius nihil intenderit nisi excludere *necessitatem subiacendi* dolori (cfr. etiam dub. 1.). Similem expositionem habet S. Thom. (S. III. q. 15. a. 5. ad 1.), qui etiam cum nostro auctore duo ad sensibilem dolorem praerequiri docet, nempe laesionem corporis et sensum laesionis. De dolore in sensu *formali* eiusque radicibus plura satis subtiliter disputat (arguendo contra Henricum Gand.) Scot., hic q. unica n. 5. seqq.

De hac et seq. quaestione ceteri commentatores agunt in

Claudianus († 473 aut 474), II. de Statu animae, c. 9. n. 3. ait: Sed quoniam beatus Hilarius opinionis huiusce vitium virtute confessionis abolevit, sic sustinet reprehensionis stylum, quod non patitur detrimenta meritorum.

[1] Libr. IV. de Trin. n. 14, ubi S. Doctor verbis hic allegatis adiungit: Quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus. Cfr. ibid. I. n. 30. — Pro *idem*, quod a codd. A I L aa abest, codd. B E F G K M T U habent *ibidem*, cod. D *ibi*.

[2] Hic c. 1. Vide infra dub. 1-3. circa lit.

[3] Ita codd. A H bb, cod. K *quia*, plures alii codd. nec non edd. 1, 2 *quo*, Vat. *qua*. Mox pro *ex experientia*. codd. A K *experientia* tantum, cod. G *per experientiam;* in pluribus codd. legitur *et experientia sensus, qua* etc.

[4] Cap. 5. n. 8. seqq. Cfr. eiusdem lib. de Quantit. animae, c. 23. n. 41. seqq. et c. 29. n. 56. seqq. — De prima ratione vide Aristot., I. de Anima, text. 62. seqq. (c. 4.). Damasc., III. de Fide orthod. c. 26, dicit, quod anima, « corpore inciso, ipsa non incisa condolet et compatitur corpori ». — Paulo superius pro *non possit* non pauci codd. *non posset*.

[5] Part. II. a. 3. q. 2. — Pro *reliquum* edd. *secundum*.

[6] Dist. praeced. a. 1. q. 3. — Pro *lectione* edd. cum pluribus codd. *locutione*. Cod. bb *habuit cum carne possibili, cui coniuncta fuit* etc., quae lectio explicat mutilam lectionem aliorum codd., qui etiam exhibent *cum carne*, sed omittunt *cui*.

praecedenti distinctione. Praeter locos citt.: Alex. Hal., S. p. III. q. 18. m. 1. et m. 2. a. 1. — S. Thom., d. 15. a. 3. quaestiunc. 1. — B. Albert., d. 15. a. 2. — Petr. a Tar., d. 15. q. 4. a. 1. — Richard. a Med., d. 15. a. 2. q. 1-3. — Durand., d. 15. q. 2. — Dionys. Carth., d. 15. q. 2. — Biel, d. 15. q. unica.

II. De seq. (2.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 5. a. 1. — Scot., loc. cit. n. 18. seqq. — S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 3; S. III. q. 46. a. 6. — B. Albert., hic a. 2. 3. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., loc. cit. a. 4. q. 3. — Durand., loc. cit. q. 3. — Dionys. Carth., loc. cit. q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum in Christo fuerit acerbissimus dolor.

Secundo quaeritur de doloris acerbitate, et est quaestio, utrum in Christo fuerit dolor acerbissimus. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Threnorum primo [1]: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus;* hoc dicitur in persona Christi: ergo videtur, quod nullus alius dolor habeat illi aequari.

2. Item, in Psalmo [2]: *Omnes fluctus tuos induxisti super me,* dicitur in persona Christi; sed non omnes induxit quantum ad varietatem: ergo omnes induxit quantum ad aequivalentiam et acerbitatem.

3. Item, *ratione* videtur. Quanto complexio nobilior est, tanto passio doloris in ea est acerbior; sed Christus nobilissimam habuit complexionem — nobilitas enim complexionis respondet nobilitati animae [3] — ergo cum Christus nobilissimam animam habuerit, habuit ergo in patiendo maximam doloris afflictionem.

4. Item, quanto sensus tactus est vivacior, tanto dolor, qui est secundum sensum, est acutior, unde in illis membris, in quibus viget sensus tactus, est dolor acutissimus; sed in Christo fuit sensus tactus vivacissimus; « prudentissimum enim animalium est homo », ut dicit Philosophus [4], et inter omnes Christus, cum fuerit optime dispositus: ergo dolor, quem sensit, super omnes dolores fuit acutissimus.

5. Item, quanto maius est bonum, quod amittitur, tanto maiorem infert dolorem ei qui cognoscit et habet usum rationis; sed vita Christi erat nobilissima, et passio illa vitam perimebat: ergo dolorem illi animae acutissimum inferebat [5].

6. Item, tanto poena est acerbior, quanto velocius virtutem naturae deiicit, maxime ubi aliquod membrorum principalium non corrumpit; sed Christus in Cruce suspensus adeo cito fuit mortuus, ut etiam miraretur Pilatus [6]: ergo videtur, quod dolor eius gravissimus fuisset.

Ad oppositum. Sed contra hoc 1. Primo obiicitur a parte *generis poenae,* quia poena ignis acutius affligit quam poena ferri; sed Laurentius et Vincentius exusti fuerunt in igne: ergo videtur, quod maiorem dolorem senserint quam Christus.

2. Item, hoc ipsum ostenditur a parte *voluntatis patiendi,* quia, quanto aliquis magis desiderat pati, tanto minus dolet in patiendo; sed Christus vehementer desiderabat pati pro genere humano, sicut dicitur in Lucae duodecimo [7]: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, usque dum perficiatur* etc.: ergo videtur, quod dolor eius valde parum de acerbitate habuit.

3. Item, hoc ipsum ostenditur a parte *adiutorii,* quia quanto homo maiorem habet caritatem, tanto facilius sustinet cruciatum poenae; sed Christus maximae caritatis fuit: ergo facillime tormenta portavit: ergo valde parum doluit.

4. Item, hoc ipsum videtur a parte *boni amissi,* quia, quanto maius est bonum, quod perditur, tanto maior dolor est ei qui amittit; sed peccator perdidit Deum, qui est maius bonum, quam sit vita ista corporalis: ergo videtur, quod acerbior dolor sit in viro contrito et poenitente, quam fuerit in Christo patiente.

5. Item, hoc ipsum ostenditur a parte *recompensationis,* quia, quanto alicui fit maior et melior recompensatio de bono amisso, tanto mitior [8] est do

---

[1] Vers. 12.

[2] Psal. 87, 8. — In *minori* post *varietatem,* pro quo cod. H substituit *numerositatem* et edd. 1, 2 cum aliquot codd. *veritatem,* Vat. addit *seu multitudinem.*

[3] Secundum Aristot., II. de Generat. animal. c. 3. Ipsa verba vide tom. II. pag. 380, nota 1.

[4] Libr. II. de Anima, text. 94. (c. 9.): Certiorem habemus gustum, propterea quod ipse quidam tactus est; hunc autem habet sensum homo certissimum. In aliis enim superatur ab animalibus multis, secundum autem tactum multo quam cetera excellentius percipit; unde et *prudentissimum* animalium est. Lib. II. de Partib. animal. c. 16. asserit, « quod [homo] maxime omnium animalium valet sensu tactus »; et ibid. IV. c. 10. dicit: Anaxagoras igitur hominem *prudentissimum* omnium animalium esse ait, quoniam unus omnium manus obtinet; sed recta ratio exigit, ut quoniam prudentissimus omnium est, ideo manus receperit; manus enim instrumentum sunt... qui enim prudentissimus est, recte plurimis uti instrumentis potest; manus autem esse videtur non unum instrumentum, sed multa etc. — Pro *prudentissimum enim* Vat. substituit *temperatissimus enim* et deinde post *et inter omnes* interiicit *homines temperatissimus fuit.*

[5] Homo virtuosus et probus, ut Aristot., IX. Ethic. c. 4. docet, diligit vitam suam; « probo enim viro *esse* bonum est... At qui multa et gravia scelera perpetrarunt et ob pravitatem odio habentur et vitam fugiunt seque ipsos interficiunt ». — In *maiori* pro *qui cognoscit* codd. F G I K L N U Z aa *quod cognoscit.* In *minori* pro *passio illa vitam* codd. A E bb *passio illam vitam.*

[6] Marc. 15, 44.

[7] Vers. 50.

[8] Pro *mitior* codd. N U V *minor.* Paulo inferius codd. G H I L T Z aa bb omittunt *et* post *dolore passionis,* qua omissione admissa, pro *expositione* legendum erit *ex positione.*

lor; sed Christo pro dolore passionis et expositione vitae suae restituebatur stola gloriae in se et in ceteris membris suis: ergo etc.

6. Item, hoc ipsum ostenditur ex parte *spei*, quia quanto aliquis certius exspectat liberationem, tanto minus affligitur in passione; sed Christus certissimus erat de liberatione proxima: ergo videtur, quod afflictio eius erat valde modica.

CONCLUSIO.

Dolor passionis Christi inter ceteros dolores fuit acerbissimus et acutissimus.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod dolor passionis Christi inter ceteros dolores et passiones fuit acerbissimus et acutissimus. Et hoc patet, si illa considerentur, quae doloris passionem acerbiorem reddunt. Haec autem sunt tria, videlicet *causa passionis* et *modus patiendi* et *conditio patientis*.

Tria augent dolorem.

Causa doloris.

Si consideretur *causa*, ob quam Christus passus est, fuit in eo doloris afflictio magna. Non enim patiebatur pro culpa propria, immo pro aliena; non pro amicis tantum, sed etiam [1] pro inimicis, et etiam pro his quos videbat ingratos. — Si autem consideretur *modus patiendi*, fuit in eo passio doloris acerbior, tum propter generalitatem, quia in omnibus membris affligebatur, tum etiam propter continuitatem, quia suspendium eius continuabatur, et clavi adeo affligebant pendentem, sicut afflixerunt, quando manus eius et pedes confodiebantur, in quibus maxima erat afflictio propter nervos et musculos [2] ibidem concurrentes, in quibus praecipue viget sensus. — Si autem consideretur qualitas sive *conditio patientis*, maxima erat afflictio propter maximam complexionis aequalitatem et propter sensus vivacitatem. Unde quia nullus potuit ei aequari nec in aequalitate complexionis nec in vivacitate sensus, dolor illius omnium dolorum fuit acutissimus [3].

Modus patiendi.

Conditio patientis.

Et ideo rationes, quae hoc ostendunt, concedamus; et ei gratias, quantas possumus et supra quam possumus, referamus, si quo modo donetur nobis, ut tam graviter patienti compatiamur. — Rationes vero, quae obiiciuntur ad contrarium, quae ostendunt mitigationem doloris Christi, non obviant veritati, si recte intelligantur. Contingit enim esse acerbitatem in dolore quantum ad duo, videlicet quantum ad *experientiam sensus* et quantum ad *repugnationem* [4] *rationis*. Licet autem in Christo fuerit maxima doloris afflictio quantum ad experientiam sensus; ratio tamen Christi modicos reputabat omnes illos cruciatus, hoc tamen non auferebat acerbitatem, sed rationis subversionem.

Nota.

Notandum.

2. 3. 5. 6. Et per hoc patet responsio ad illas quatuor rationes, quae sumuntur ex parte voluntatis desiderantis, ex parte caritatis adiuvantis, ex parte recompensationis et ex parte exspectationis.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur ex parte generis poenae, dicendum, quod ratio illa procedit ex insufficienti. Acerbitas enim poenae non tantum pensatur ex parte agentis, quantum ex parte patientis. «Actus enim activorum est in patiente disposito [5]»; et quia qualitas in Christo reddebat ipsum ad maiorem dolorem dispositum, ideo bene concedo, quod clavus ferreus multo plus afflixit Christum, quam ignis Laurentium.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod dolor in contrito excedit dolorem in Christo propter quantitatem boni amissi; dicendum, quod *damnificatio* per se non infert dolorem, sed *sensus damnificationis* [6]; quamvis autem peccator maius bonum amittat, quia tamen non magis sentit, sed minus, non sequitur, quod magis doleat, ut plurimum. Valde enim parum affligitur, quamvis magnam dolendi habeat rationem et causam [7].

Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum Christus assumserit necessitatem patiendi.

Tertio quaeritur, utrum Christus necessitatem assumserit patiendi. Et quod sic, videtur.

Fundamenta.

1. Ad Hebraeos nono [8]: *Quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium, sic et Christus semel oblatus est*; Glossa: «Eadem necessitate et iure naturae»: ergo secundum hoc mortuus est Christus secundum statum naturae; sed qui sic moritur, moriendi habet necessitatem: ergo etc.

2. Item, Augustinus ad Iulianum [9]: «Si talem carnem, qualem habuit Adam in primo statu, assumsit Christus, non solum caro Christi non esset caro peccati, sed nec similis carni peccati»: si ergo Christus fuit similis carni peccati, constat, quod non

---

[1] Cod. U *immo etiam*.

[2] Cod. Z *articulos*.

[3] Cod. K verbo *acutissimus* praemittit *acerbissimus et*.

[4] Cod. T *repugnantiam*, codd. A H K Y (bb a prima manu) *reputationem*. Paulo inferius ante *tamen non* cum codd. A Z bb inseruimus *hoc*, et deinde pro *desiderantis* non pauci codd. substituunt *deficientis*, cod. Z *considerantis*.

[5] Aristot., II. de Anima, text. 24. (c. 2.). Cfr. tom. II. pag. 364, nota 3. — Paulo inferius pro *afflixit* cod. A *afflixerit*.

[6] Sicut generatim dolor non est ipsa passio, sed passionis sensus. Cfr. tom. II. pag. 482, nota 3.

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[8] Vers. 27. seq. — Glossa ut *interlinearis* habetur et apud Petr. Lombard. et apud Lyranum. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3, ubi etiam Glossa *ordinaria* habetur. — Pro *iure naturae* plurimi codd. *iuvamine naturae*. Mox pro *statum* mallemus *statutum*.

[9] Sive contra Iulian. Pelagian., V. c. 15. n. 54. Cfr. IV. Op. imperf. contra Iulian. 79. et VI. c. 33.

assumsit carnem secundum statum naturae institutae, sed secundum statum naturae lapsae. Sed haec caro habet necessitatem moriendi: ergo etc.

3. Item, Boethius in libro de Duabus Naturis et una persona Christi[1] dicit, quod Christus de statu innocentiae assumsit peccati immunitatem, de statu vero naturae lapsae assumsit passibilitatem; sed passibilitas, quae est secundum statum naturae lapsae, est patiendi necessitas: ergo etc.

4. Item, Spiritus sanctus, cuius virtute illud corpus fabricatum fuit de utero Virginis, etsi purificaverit a foeditate corruptionis, non tamen purificavit a defectu passibilitatis[2]: ergo passibilitatem habuit per eum modum, per quem Virgo, quae eum genuit, excepto reatu peccati. Sed Virgo habuit necessitatem moriendi et patiendi: ergo et caro Christi: ergo et Christus.

5. Item, Christi corpus ita fuit passibile, sicut fuit animale et terrestre; sed corpus Christi propter animalitatem et terrestreitatem necessitatem habuit naturalem sumendi cibum et tendendi deorsum, aliter enim stare non potuisset nisi per miraculum: ergo pari ratione propter passibilitatem necessitatem habuit ad patiendum et moriendum.

6. Item, Christus assumsit omnes defectus naturales et generales, exceptis his qui ordinant ad peccatum[3]; sed necessitas patiendi est defectus in nobis naturalis et generalis, nec tamen ordinat ad peccatum: ergo Christus eam assumsit.

Ad oppositum.

SED CONTRA: 1. Ioannis decimo[4]: *Potestatem habeo ponendi animam meam et iterum sumendi eam;* et paulo ante: *Nemo tollet eam a me, sed ego pono eam a me ipso:* ergo pati et mori erat in libertate voluntatis Christi: ergo non videtur, quod Christus aliquam ad hoc necessitatem habuerit.

2. Item, Augustinus super illud Ioannis tertio[5]: *Qui desursum venit super omnes est:* «Desursum venit, quia de altitudine humanae naturae ante peccatum accepit Verbum Dei humanam naturam»; sed in statu illo non habebat humana natura necessitatem ad moriendum: ergo nec prout fuit assumta a Christo.

3. Item, Anselmus in libro *Cur Deus homo*[6]: «Quoniam voluntas Dei nulla necessitate facit aliquid, sed sola potestate; et voluntas Christi fuit voluntas Dei: nulla igitur necessitate mortuus est, sed sola potestate».

4. Item, hoc ipsum ostendit[7] alia ratione tali: «Omnis necessitas aut est *coactio*, aut *prohibitio*, quae duae necessitates convertuntur ad invicem contrariae, sicut *necesse* et *impossibile;* sed in Christo non fuit *coactio* ad mori, vel *prohibitio* ad non mori: ergo in Christo nulla fuit necessitas ad moriendum», et ita nec ad patiendum.

5. Item, quandocumque aliqua proprietas necessario inest alicui subiecto, comparatur ad illud sicut ad *causam* et *subiectum*[8]; sed passio non habuit *causam* in Christo: ergo non fuit necessarium, Christum pati: ergo Christus non assumsit necessitatem patiendi.

6. Item, quod necessario inest alicui inest ei, velit nolit: ergo si in Christo fuit necessitas ad patiendum, passus fuisset, vellet nollet; sed nihil tale est plene voluntarium et meritorium[9]: ergo Christus in patiendo non habuisset plenum meritum. Quodsi hoc est falsum, restat, quod et primum, videlicet quod Christus habuit necessitatem ad patiendum.

CONCLUSIO.

In Christo fuit necessitas patiendi, sed assumta, non contracta.

Modus 1. solvendi.

RESPONDEO: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod ad hoc voluerunt aliqui respondere distinguendo necessitatem secundum quatuor genera causarum. Est enim necessitas secundum causam *formalem*, secundum quam dicitur: necessarium est calidum calere. Est etiam necessitas secundum causam *materialem*, secundum quam dicitur, quod necesse est, calidum in summo converti in ignem. Est etiam necessitas secundum causam *efficientem*, quae dicitur necessitas secundum violentiam et coactionem; et secundum hanc dicimus, quod lapidem fortiter impulsum necesse est moveri. Et est necessitas secundum causam *finalem*, secundum quam dicimus, quod serram necesse est esse dentatam, quia est ad dividendum solida et dura[10]. Secundum hoc, cum quadrupliciter dicatur necessitas, solo *quar-*

Quadruplex necessitas.

---

[1] Cap. 8. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4.

[2] Cfr. supra d. 3. p. II. a. 2. q. 1. seq. — Mox post *per quem Virgo* cod. F supplet *habuit.*

[3] Vide supra d. 15. a. 1. q. 2. — Vat. *ordinantur ad peccatum.*

[4] Vers. 18, ubi et seq. testimonium.

[5] Vers. 31. Vide hic lit. Magistri, c. 4, et August., VI. Op. imperf. c. 22; Serm. 362. (alias 121. de Diversis) c. 14. n. 16.

[6] Libr. II. c. 17.

[7] Libr. II. Cur Deus homo, c. 18., ubi maior propositio hic allata ad verbum habetur, minor tamen et conclusio sententialiter tantum. — Pro *ostendit* edd. et complures codd. *ostenditur.* Pro *ad mori* cod. N substituit *ad moriendum* et dein omittit *ad non mori.*

[8] Cfr. supra d. 4. a. 2. q. 3. in corp.

[9] Alan. ab Insul., Theolog. Regul. regul. 71: Omne meritum est voluntarium aut *voluntate originis*, aut *origine voluntatis.* Omne enim meritum, sive bonum sive malum, aut habet voluntatem praecedentem, aut concomitantem; et ita voluntarium est aut voluntate *a qua*, aut voluntate *cum qua.* — De merito Christi agitur infra d. 18. per totam. — Paulo superius pro *fuit necessitas* cod. A *fuisset necessitas.*

[10] Ut insinuat Aristot., II. Phys. text. 88. et 90. (c. 9.), et I. de Partib. animal. c. 5. Cfr. tom. I. pag. 40, nota 9. De aliis speciebus necessitatis vide Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis;* II. Poster. c. 11. (c. 10.); V. Metaph. text. 6. (IV. c. 5.); XII. text. 38. (XI. c. 7.); V. de Generat. animal. c. 8. et III. Ethic. c. 1.

to modo necessitas patiendi fuit in Christo, videlicet propter nostram redemptionem. Quantum enim in se fuit, necessitatem ad patiendum non habuit, quia nec fuit in eo humanae conditionis corruptio, nec potuit esse coactio; et ideo non potest ei convenire necessitas secundum alia tria genera causarum. — Iudicium de hoc modo. Hic autem modus distinguendi satis rationabilis est in se et ad quaestionem propositam rationabiliter applicatur, si autem [1] quaeratur de necessitate patiendi in Christo, prout necessitas patiendi in Christo non tantum includit tempus *post* assumtionem, sed etiam *ante* assumtionem; hoc est, si quaeratur, utrum necessarium fuerit, Christum nostras poenalitates assumere; tunc enim verum est dicere, quod Solvit quaestionem, ut eam ponit Anselmus. non fuit necessarium nisi necessitate *finis*. Et hoc modo istam quaestionem tractat beatus Anselmus [2].

Sed Magister aliter tractat istam quaestionem Non, ut eam ponit Magister. in littera. Quaerit enim, utrum iste defectus, qui est necessitas patiendi, cum sit in nobis per *contractionem*, fuerit in Christo per *voluntariam assumtionem*. Et ad hanc quaestionem dissolvi non potest per praedictam distinctionem. Et ideo aliter oportet dicere, non quia praedictus modus dicendi sit malus, sed quia non valet ad nostrum propositum. Solutio auctoris et conclusio 1. — Sequentes igitur sententiam Magistri in littera. dicere possumus, quod Christus assumsit istum defectum, qui est necessitas patiendi. Quantum enim erat de lege naturae, corpus illud erat resolubile et mortale; et nisi fuisset conservatum miraculose, aliquando senio defecisset. — Attendendum est tamen, Conclusio 2. quod non *omni* modo fuit necessitas patiendi in Christo, per quem modum est in nobis, sed quodam modo sic, quodam modo aliter. Habet enim Triplex comparatio. necessitas patiendi comparari ad tria, videlicet ad *causam* et ad *subiectum* et ad *virtutem* corporis *regitivam*. Si consideretur per comparationem ad *causam*, sic est in nobis ex duplici causa, videlicet propter *foeditatem corruptionis culpabilis* et propter *qualitatem naturalis compositionis*. Ideo enim habemus necessitatem ad patiendum, quia reatum originalis peccati contrahimus, et quia ex contrariis agentibus et patientibus constituti sumus, ita quod continua in corpore nostro sit resolutio. Christus Conclusio 3. autem necessitatem habuit solum ex *altera* causa; passibilis enim fuit non propter *reatum peccati originalis*, sed propter *modum talis compositionis*. — Similiter per comparationem ad *subiectum*, alio modo est necessitas patiendi in Christo et in nobis. In nobis enim est necessitas patiendi sive per comparationem ad *naturam*, sive per comparationem ad *personam*. In Christo autem necessitas erat ad Conclusio 4. patiendum non per comparationem ad *personam*, quia nulla poterat astringi necessitate, quia *omnia erant ei subiecta* [3], sed per comparationem ad *naturam assumtam*. — Similiter per comparationem ad *virtutem regitivam* aliter est in nobis necessitas patiendi quam in Christo. Est enim in nobis virtus regitiva et a parte *naturae* et a parte *voluntatis* regitivae [4]; et respectu utriusque est necessitas patiendi in nobis. Etenim nec natura nec voluntas potest in nobis passionem prohibere; patimur enim, nolimus velimus. In Christo autem Conclusio 5. necessitas fuit respectu virtutis *naturalis*, sed non respectu *voluntatis*. Nihil enim invitus sustinuit nec sustinere potuit, quia non meruit.

Et sic patet, quod necessitas patiendi assumta Epilogus et corollarium. fuit a Christo et in Christo fuit per *assumtionem*, tamen non eo modo, quo in nobis est per *contractionem* [5]. Ideo Christus quasi medium tenet inter nos et statum naturae institutae. Nam in nobis natura et voluntas passioni subest; in *Adam* vero tam natura quam voluntas passioni praeerat; in *Christo* vero passioni suberat natura, sed praeerat voluntas. Et hoc est quod dicit Damascenus [6], quod « in Christo etsi passiones fiebant secundum legem naturae, non tamen coacte, sed voluntarie ». — Concedendum est igitur, quod in Christo fuit necessitas patiendi et moriendi non contracta, sed assumta. Concedendae ergo sunt rationes et auctoritates, quae sunt ad partem istam.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium Solutio oppositorum. de decimo [7] Ioannis: Ego pono animam meam etc.; dicendum, quod illud est verbum *personae* Filii Dei, cuius non fuit necessitas patiendi vel moriendi; nullus enim ipsum poterat laedere, nisi ipse voluntarie permitteret: unde verbum illud non intelligit *effective*, sed *permissive*, nec excludit necessitatem respectu *naturae*, sed respectu *personae*.

2. Ad illud Augustini quod dicitur, quod assumsit carnem de altitudine humanae naturae; dicendum, quod hoc intelligit Augustinus, sicut exponit Boethius [8] quantum ad peccandi immunitatem, non quantum ad passibilitatem. Dicit enim idem Boethius, Notandum. quod « de omni statu aliquid assumsit; de statu innocentiae peccati immunitatem, de statu gloriae peccandi impossibilitatem, de statu naturae lapsae passibilitatem »; unde secundum passibilitatem plus assimilatur naturae lapsae quam naturae institutae.

---

[1] Ita fere omnes codd. et edd. l. 2 (melius esset *tamen*); sed deest in Vat. et cod. A.

[2] Libr. II. Cur Deus homo, c. 17. seqq. — Sententia Magistri habetur hic in lit. c. 3. — Paulo inferius pro *Et ad hanc quaestionem dissolvi* [Vat. *responderi*] cod. K *Sed haec quaestio dissolvi*, edd. l, 2 *Et ideo hanc quaestionem dissolvere*. Post pauca pro *modus dicendi* codd. N U *modus distinguendi*.

[3] Epist. I. Cor. 15, 27.

[4] Cfr. II. Sent. d. 19. a. 2. q. 1. ad 1. et a. 3. q. 1. — Pro *et a parte naturae* multi codd. *ex parte naturae*. Codd. K Z prosequuntur *et ex parte voluntatis*.

[5] Vide supra d. 15. a. 1. q. 3.

[6] Libr. III. de Fide orthod. c. 20. — Paulo inferius pro *Concedendae ergo sunt* cod. A *Concedendae sunt etiam*.

[7] Vers. 18. — Inferius pro *permitteret* Vat. *permisisset*.

[8] De Una Persona et duab. natur. c. 8. — Paulo inferius pro *peccati immunitatem* edd. *peccandi immunitatem*. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4, et supra d. 12. a. 2. q. 1. ad 4.

3. 4. Ad illud Anselmi de voluntate Christi iam patet responsio; non enim excludit necessitatem simpliciter, sed necessitatem respectu voluntatis divinae. — Et per hoc patet responsio ad sequens, quod obiicitur, quod omnis necessitas aut est prohibitionis, aut coactionis; dicendum enim, quod hoc intelligitur de necessitate, quae *repugnat* voluntati, sicut dicit idem Anselmus[1]; de ea autem necessitate, quae voluntati *subest*, non habet veritatem. Ideo ratio illa non probat, quod nulla fuit in Christo necessitas patiendi, sed quia non fuit aliqua eius voluntati contraria.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod proprietas, necessario inhaerens alicui, comparatur ad illud sicut ad subiectum et causam; responderi potest, quod verum est. Cum autem *assumit*, quod passio non habebat causam in Christo; dicendum, quod causa passionis dupliciter potest determinari: vel in genere *moris*, vel in genere *naturae*. In genere *moris* causa passionis est meritum peccati in nobis; et hoc verum est, quod non fuit in Christo. Causa vero in genere *naturae* est compositio ex contrariis secundum statum pugnae et actionis mutuae, et huiusmodi in Christo fuit mera voluntate; et pro hac causa dicimus in Christo fuisse patiendi necessitatem. Et hinc est, quod patiendi necessitas in Christo voluntatem non excludit, sed potius includit.

Duplex causa passionis.

6. Ad illud quod obiicitur, quod illud quod necessario inest alicui inest ei, velit nolit; dicendum, quod illud non habet veritatem nisi de ea necessitate, quae est *contra* voluntatem, non de ea quae est *ex* voluntate et *subest* voluntati; et talis necessitas non diminuit de ratione meriti, sicut ponit Anselmus[2] exemplum de eo qui voluntarie se obligavit ad opera supererogationis. Et *si obiiciatur*, quod ista duo non possunt simul stare, quod aliquid sit *necessarium* et *voluntarium*, cum *voluntarium* possit sic et aliter se habere, *necessarium* vero minime[3]; dicendum, quod illud verum est de voluntate, quae habet secum annexam vertibilitatem, sed de voluntate invertibili non est verum. Christus enim voluntarie bene fecit, et tamen necessarium fuit, ipsum bene facere; sic et voluntarie passibilitatem nostram assumsit, ita quod impossibile fuit, eum poenitere de hoc, quod assumserat defectum talem.

Notandum.

Notandum.

SCHOLION.

I. Haec quaestio iam tacta est supra d. 15. a. 1. q. 3. De eadem, praecipue quoad necessitatem *moriendi*, pluribus quaestionibus tractant S. Thom. (hic q. 1. a. 1-3.) aliique Commentatores, scilicet utrum necessitas moriendi sit homini ex peccato; utrum haec in Christo fuerit; denique, utrum haec in Christo subfuerit humanae voluntati. Ad hanc ultimam S. Thom. respondet *negative* (dubitantibus, vel contradicentibus aliis); sed in Sum. (III. q. 14. a. 2.) convenientius eam adhibita distinctione resolvit ac negat, in Christo fuisse hanc necessitatem « neque per respectum ad voluntatem *humanam absolute*, prout sequitur voluntatem *deliberantem*, sed solum secundum *naturalem* motum voluntatis, prout scilicet naturaliter refugit mortem et etiam corporis nocumentum ». Quae doctrina bene convenit cum iis, quae a S. Bonav. hic in corp. dicuntur de *virtute regitiva* animae, scilicet quod in Christo necessitas fuerit respectu virtutis *naturalis*, sed non respectu *voluntatis*.

II. Primus modus distinguendi ponitur ab Alexandro Hal. (S. p. III. q. 18. m. 3. a. 1.); at bene observat noster auctor, quod Magister (hic c. 3.) in alio sensu quaestionem hanc intelligit ac Alexander. — Solutio auctoris communiter approbatur; tamen Richard. a Med. respectu *virtutis regitivae* immerito contradicit asserens, in natura Christi *assumta* nullam fuisse virtutem regitivam, nec *naturalem* nec *desuper infusam*, qua se a morte praeservare potuisset.

III. Praeter laudatos: Scot., in utroque Scripto hic q. 1. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1-4. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1-3. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, hic q. unica.

ARTICULUS II.

De passibilitate et dolore animae Christi specialiter.

Consequenter quaeritur de passibilitate et dolore ipsius animae Christi specialiter. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum Christus passus fuerit secundum rationem, an solum secundum sensualitatem.

---

[1] Libr. II. Cur Deus homo, c. 18, ubi inter alia dicit haec: Et si vis omnium quae [Christus] fecit et quae passus est, veram scire necessitatem, scito, omnia ex necessitate fuisse, *quia ipse voluit;* voluntatem vero eius nulla praecessit necessitas etc. Cfr. ibid. c. 5, et de Concord. praesc. Dei cum lib. arb. q. 1. c. 2. Vide etiam infra solut. ad 6. — Paulo inferius pro *quod nulla* codd. G I L N U V Z *quia nulla*, et subinde pro *quia non* edd. *quod non.*

[2] Libr. II. Cur Deus homo, c. 17: Quapropter cum dicimus, quod homo ille [Christus]... non potuit non mori, aut velle non mori... non significatur in illo ulla impotentia servandi aut volendi servare vitam suam immortalem, sed *immutabilitas voluntatis eius, qua se sponte fecit hominem* ad hoc, ut in eadem voluntate perseverans moreretur, et quia nulla res potuit illam voluntatem mutare... Et si... cum aliquis sponte se proponit facturum bonum aliquod, et eadem voluntate postea perficit quod proposuit; quamvis cogi possit, si nolit promissum solvere, non tamen dicendus est *necessitate facere* quod fecit, sed ea qua proposuit libera voluntate; non enim necessitate aut impotentia fieri vel non fieri dici debet aliquid, ubi neque necessitas neque impotentia quidquam operantur, sed voluntas; si, inquam, ita est in homine, multo magis necessitas aut impotentia nequaquam nominandae sunt in Deo etc. — In initio solut. edd. lectionem codd. sic mutarunt: *obiicitur, quod illud necessario inest alicui, quod inest ei* etc.

[3] Aristot., IV. Metaph. text. 25. (III. c. 5.): Necessarium enim non contingit aliter et aliter se habere; quare si quid necessario est, non ita et non ita habebit. — In fine solut. pro *assumserat* codd. F T *assumserit*, cod. V *assumsit.*

Secundo, dato quod passus fuerit secundum rationem, quaeritur, utrum passus fuerit secundum partem inferiorem et superiorem.

Tertio, dato quod [1] secundum utramque, quaeritur, utrum poenalius passus fuerit secundum rationem quam secundum partem sensualem.

QUAESTIO I.

Utrum Christus passus fuerit secundum rationem, an secundum sensualitatem.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum Christus passus fuerit secundum rationem, an tantum secundum sensualitatem. Et quod secundum *rationem* passus fuerit, videtur.

Fundamenta. 1. Anima passa est, patiente corpore, quia unitur corpori sicut perfectio; sed anima rationalis est perfectio corporis non tantum secundum sensualitatem, sed etiam secundum rationem [2]: ergo utroque modo passa fuit, corpore patiente.

2. Item, maior est coniunctio virium animae ad invicem, quam sit animae ad corpus: sed patiente corpore, patitur anima: ergo patiente una potentia, patitur alia: ergo dolore existente in sensualitate, necesse est esse in ratione.

3. Item, maior est unio potentiarum animae in ipsa anima, quam sit membrorum corporis in ipso corpore; sed patiente uno membro, compatiuntur cetera [3]: ergo si patitur potentia sensualis, necesse est, quod compatiatur et rationalis.

4. Item, quod inest animae secundum substantiam suam et essentiam per consequens redundat in omnes potentias; sed anima Christi patiebatur, patiente corpore, propter essentialem unionem ipsius ad corpus: ergo necesse fuit, eam pati secundum se totam: ergo secundum partem sensualem et rationalem.

5. Item, Christus sua passione non tantum nos liberavit a passione, qua patitur coniunctum, sed etiam a passione, qua patitur anima separata; sed anima separata non tantum patitur secundum sensualitatem, sed etiam patitur secundum se totam, praecipue secundum partem intellectualem, cuius habet usum et operationem [4]. Si ergo Christus pro nostra liberatione in se suscepit huiusmodi passiones, videtur, quod non tantum passus fuerit secundum sensualitatem, verum etiam secundum rationem.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Quod nullius partis corporis est actus non patitur, corpore patiente; «anima secundum partem rationis nullius partis corporis est actus», ut dicit Philosophus [5]: ergo nunquam patitur, corpore patiente: ergo anima in Christo, si passa fuit, non fuit passa nisi solum secundum sensualitatem.

2. Item, quod non corrumpitur ad corruptionem alterius non patitur ad passionem alterius, quia passio est via ad corruptionem [6]; sed anima Christi secundum rationem non potuit corrumpi ad corruptionem corporis: ergo nec pati, corpore patiente.

3. Item, quod nullo modo habet contrarium aliquid nec habet aliquid superius non potest pati ab aliquo agente vel laedi [7]; sed anima Christi secundum rationem nec habet aliquid contrarium nec habet aliquid creatum se ipsa superius: ergo nullo modo secundum rationem pati potuit vel affligi.

4. Item, nihil idem et secundum idem de eodem gaudet et tristatur de eodem [8]; sed anima Christi secundum rationem gaudebat de doloribus et passionibus, quas corpus perferebat, alioquin non mereretur: ergo patiente corpore, non patiebatur nec affligebatur.

5. Item, cum passio attingit usque ad rationem, non tantum est *propassio*, immo est *completa* et perfecta *passio*, quae non potest cadere in sapientem, iuxta quod probat Seneca [9] et Hieronymus dicit. Aut igitur Christus sapiens non fuit, aut si fuit, anima eius secundum rationem carni compassa non fuit.

---

[1] Codd. D M O hic repetunt *passus fuerit*. Deinde pro *partem sensualem* [cod. Z *sensibilem*] edd. *sensualitatem*.

[2] De coniunctione animae cum corpore et de coniunctione potentiarum animae inter se cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 3. et d. 3. p. II. a. 1. q. 3.

[3] Epist. I. Cor. 12, 26: Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.

[4] Cfr. IV. Sent. d. 44. p. II. a. 3. q. 2, d. 45. a. 1. q. 1. seq. et d. 50. p. II. a. 2. q. 1.

[5] Libr. II. de Anima, text. 11. (c. 1.) et III. text. 6. (c. 4.). — Mox pro *si passa fuit* cod. K *si passa fuerit*.

[6] Cfr. Aristot., de Longitud. et brevitate vitae, c. 2, ubi haec corruptio vocatur corruptio *secundum accidens* i. e. quae consequitur corruptionem alterius. — Quod passio sit via ad corruptionem, insinuat Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 6.), de quo vide tom. II. pag. 458, nota 1, et I. de Generat. et corrupt. text. 50. seqq. (c. 7.).

[7] Aristot., de Longitud. et brevitate vitae, c. 2: Cui non est contrarium, et ubi non est, impossibile utique corrumpi. Cfr. I. de Generat. et corrupt. text. 50. seqq. (c. 7.) et supra pag. 346, nota 5. — De *minori* vide supra pag. 266, nota 5. — Paulo inferius pro *se ipsa superius* cod. Z *super se, sed ipsa superius est*. In fine arg. pro *vel affligi* cod. W *nec affligi*.

[8] Cfr. supra pag. 205, nota 5.

[9] Vide supra pag. 338, nota 7. Hieron. in Comment. in Eccle. ad 7, 8. annotat: *Calumnia conturbat sapientem* etc. Nunc sapientem in profectu positum accipe... Sapiens quippe *perfectus*... nulla calumnia conturbatur. Cfr. supra lit. Magistri, d. XV. c. 2, ubi propassio et passio verbis Hieronymi describuntur.

CONCLUSIO.

Anima Christi passa est tum dolore, qui inest animae secundum se, tum eo qui ipsi inest ex carne, quatenus ratio consideratur ut natura.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod, sicut dicit Augustinus de Civitate Dei [1], duplex est dolor in anima: unus, qui inest animae *secundum se;* alius, qui inest animae *ex carne.* Et utrumque dolorem constans est in anima Christi fuisse; et de illo quidem dolore, qui inest animae *secundum se,* non est dubium, quin Christus fuerit passus secundum rationem. Compassus enim fuit et doluit pro peccatis nostris; et iste dolor in voluntate rationali erat procedens ex consideratione rationis, videlicet ex recognitione peccatorum nostrorum [2].

Duplex dolor animae.

Conclusio 1.

De alio autem dolore, qui inest animae *ex carne,* non est usquequaque evidens. Distinguunt tamen magistri nostri communiter, quod *ratio* dupliciter habet considerari, videlicet ut *ratio* et ut *natura* [3]. Si consideretur ut *ratio,* sic passiones, quae ei attribuuntur, sunt consequentes ipsam deliberationem; et hoc modo anima Christi corpori patienti non compatiebatur, immo multum gaudebat et gratulabatur; vehementer enim placebat ei pati pro salute generis humani. — Si autem consideretur ratio ut *natura;* sic, cum habeat naturalem appetitum et inclinationem ad corpus, utpote perfectio ad perfectibile, patiebatur, corpore patiente. Anima enim rationalis non tantum est perfectio corporis humani secundum *potentias sensibiles* [4], cum corpus humanum sit ordinatum ad nobiliorem perfectionem, quam sit corpus brutale; sed secundum *se totam,* hoc est, secundum complementum suae essentiae et suarum potentiarum universitatem, est corporis perfectio et habet ad ipsum naturalem appetitum et inclinationem et coniunctionem, ac per hoc delectationem [5] et compassionem. — Concedendum est igitur, quod anima Christi fuerit compassa corpori secundum rationem, secundum quod consideratur ratio ut *natura,* cum passio corporis fuerit acerbissima, sicut ostensum fuit supra [6]. — Unde concedendae sunt rationes, quae sunt ad partem istam.

Ratio dupliciter consideratur.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

Notandum.

1. Ad illud vero quod obiicitur primo in contrarium, quod anima secundum rationem nullius partis corporis est actus; dicendum, quod Philosophus in illo verbo non vult negare *naturalem coniunctionem* ipsius intellectus ad corpus, sed hoc vult dicere, quod intellectus non *determinat sibi organum,* in quantum egreditur in actum proprium [7]. Et ex hoc non potest inferri, quod corpori non compatiatur; compassio enim illa non habet ortum ex determinatione organi, sed potius ex coniunctione vel unione naturali.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nihil compatitur alii patienti, quod non corrumpatur cum illo; dicendum, quod Augustinus negat illud vigesimo primo de Civitate Dei [8] tanquam falsum; instantiam enim habet in spiritu rationali. Unde illud verbum non habet veritatem nisi de illa passione, quae « magis facta abiicit a substantia » patiente, vel compatiente.

3. Ad illud quod obiicitur, quod anima Christi secundum rationem nec habet contrarium nec habet superius; dicendum, quod *habere contrarium* vel *superius* est dupliciter, videlicet *per se,* vel *per accidens.* Quamvis autem nihil adversetur et contrarietur animae Christi *secundum se,* adversatur tamen et contrariatur *ratione uniti corporis;* quod enim laedit perfectibile laedit et per consequens ipsam perfectionem [9].

Distinctio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod anima Christi secundum rationem gaudebat de passionibus corporis; dicendum, quod nihil impedit, quod ratio de aliquo gaudeat ut *ratio,* et contristetur [10] ut *natura,* pro eo quod aliquid potest repugnare voluntati secundum appetitum *naturalem,* et consonare voluntati secundum appetitum *deliberativum.* Frequenter enim *voluntate* liberi arbitrii refugimus quae *natura* appetit, et appetimus quae natura refugit; sic et in proposito habet intelligi.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod passio, quae attingit rationem, non cadit in sapientem; dicendum, quod rationem attingi per modum *rationis* re-

---

[1] Libr. XIV. c. 15. n. 2: Dolor carnis tantummodo offensio est animae ex carne et quaedam ab eius passione dissensio; sicut animae dolor, quae tristitia nuncupatur, dissensio est ab his rebus, quae nobis nolentibus acciderunt.

[2] Vide supra lit. Magistri, d. XV. c. 1. — Pro *recognitione* cod. T *cognitione,* codd. H I K L aa bb *recogitatione.*

[3] Alex. Hal., S. p. II. q. 1. m. 1: « Est enim *cognitio naturae,* scilicet rationis, ut est natura quaedam; et est *cognitio rationis,* ut est ratio, cogitando et pertractando ». Ibid. p. III. q. 18. m. 2. a. 1. § 2: Dicendum sine praeiudicio, quod est considerare rationem dupliciter... vel ut [est] *ratio,* vel ut *natura.* Secundum quod consideratur ut natura, appetit unionem cum suo corpore et refugit separationem. Cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 3, ubi eodem duplici modo *voluntas* consideratur. — Paulo superius pro *tamen,* quod non pauci codd. omittunt, cod. W *autem,* edd. *enim.*

[4] Multi codd. *sensuales.*

[5] In compluribus codd. exstare videtur *dilectionem.* Deinde in conclus. edd. et multi codd. omittunt *corpori,* quod ex codd. A F H (K a secunda manu) P Q Z restauravimus.

[6] Hic a. 1. q. 2. — Subinde post *Unde* codd. A I L T V Z aa subnectunt *et.*

[7] Cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 3. ad 3. — Paulo superius Vat. omittit *naturalem;* paulo inferius pro *compatiatur* codd. A X exhibent *compatiebatur.*

[8] Cap. 3. n. 2. Codd. et edd. allegant *19. de Civ. Dei.* — Verba *magis facta abiicit a substantia* sumta sunt ex Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 6.). Cfr. II. Sent. d. 19. a. 1. q. 1. ad 4, et IV. Sent. d. 44. p. II. a. 3. q. 1. ad 2. et q. 2. ad 6, ubi eadem obiectio solvitur.

[9] Cfr. Aristot., I. de Anima, text. 62. seqq. (c. 4.).

[10] Cod. N, omisso *et,* subiicit *autem.*

pugnat perfectioni sapientiae, non autem [1] attingi per modum *naturae*. Hoc enim est, quod facit hominem cadere a statu et perfectione sapientiae, videlicet quod eius ratio *cedat* et succumbat passionibus, non autem quod *sentiat* passiones; et ita pati per modum *naturae* non aufert rationem *propassionis*. Aliud enim est passionem *experiri*, aliud a passionibus *perturbari*. *Perturbari* enim est subiici, *experiri* autem potest aliquis passiones et eis superferri. Et sic fuit in anima Christi, quae secundum rationem ut *naturam* passiones corporis experiebatur dolore acutissimo, secundum rationem ut *deliberativam* passionibus corporis superferebatur gaudio virtuoso [2].

SCHOLION.

I. Etiam posteriores Scholastici approbant distinctionem inter rationem ut *ratio* et rationem ut *natura* (ut S. Thom., III. Sent. d. 15. q. 2. a. 3. quaestiunc. 2.), et quod anima Christi, quia tota secundum essentiam erat unita corpori ut forma eius, tota secundum omnes potentias patiebatur.

Alex. Hal., S. p. III. de hac et seq. q. q. 18. m. 2. a. 1. § 2. — Scot., de hac et seqq. qq. in utroque Scripto III. Sent. d. 15. q. unica. — S. Thom., III. Sent. d. 15. q. 2. a. 1. quaestiunc. 2.; S. III. q. 15. a. 4, q. 46. a. 7. — B. Albert., III. Sent. d. 15. a. 3. 4. — Petr. a Tar., III. Sent. d. 15. q. 2. a. 2. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., III. Sent. d. 15. a. 2. q. 1. 3. — Durand., de hac et seq. q. III. Sent. d. 15. q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. III. Sent. d. 15. q. 2. 3.

II. Solutio affirmativa ad seq. (2.) quaestionem communiter approbatur contra opinionem Henrici Gand. (Quodl. 8. q. 7, cui favere videtur Caietanus) asserentis: « Gaudium non est in anima ut in *portione*, nisi ut est *superior*; similiter neque tristitia, nisi ut est portio *inferior* ». — Notandum autem est, S. Bonaventuram cum aliis propositionem, quod etiam secundum portionem superiorem anima Christi passa sit, intelligere in hoc sensu, quod ipsa « consideratur per modum *naturae* » (in fine corp., cfr. solut. ad 6.), non ut *ratio*, minime autem, quatenus ordinatur ad suum obiectum primarium, scilicet Deum. Sed Scotus in Oxon. (loc. cit. n. 24.) praeter hoc asserere videtur, tristitiam etiam secundum actum, qui importat *nolle conditionatum*, in superiore portione fuisse. — Notabilia sunt hic tria supposita ad explicandum mysterium, quod in eadem superiore portione gaudium fruitionis potuerit simul esse cum tristitia.

De hac (2.) quaestione: S. Thom. in Comment. loc. cit. a. 3. quaestiunc. 2. — Petr. a Tar., loc. cit. q. 4. a. 1. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., loc. cit. a. 4. q. 2.

III. In solutione 3. quaestionis consentit S. Thom., S. III. q. 46. a. 6. ad 3. De eadem explicite tractat Richard. a Med., III. Sent. hic a. 4. q. 4; alii plerumque rem tangunt in praecedentibus quaest., praecipue ubi inquirunt, utrum Christus habuerit dolorem *compassionis*.

QUAESTIO II.

Utrum anima Christi passa fuerit secundum superiorem portionem rationis.

Secundo quaeritur, utrum anima Christi passa fuerit secundum superiorem portionem rationis. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Christus « assumsit totum hominem, ut totum curaret [3] »; sed totos nos curavit, et quantum ad superiorem portionem rationis et quantum ad inferiorem, et hoc quidem per passionem: ergo passus est quantum ad omnem partem rationis.

2. Item, ubi est culpa, ibi debet esse poena; sed culpa Adae fuit in superiori parte rationis propter completam aversionem [4]: si ergo Christus poenam sustinuit pro culpa Adae, ergo poenam sensit in suprema parte rationis.

3. Item, plus iungitur ratio superior inferiori, quam iungatur inferior sensualitati; sed ratio inferior patitur, patiente sensualitate: ergo ratio superior patitur, patiente inferiori.

4. Item, ratio superior [5] unionem habet ad deitatem et unionem habet ad carnem; sed propter unionem sui ad deitatem, in qua est promptuarium delectationis, necesse est, eam delectari: ergo pari ratione propter unionem sui ad carnem patientem necesse fuit, eam pati.

Ad oppositam. Sed contra: 1. Paulus in raptu suo propter plenam conversionem rationis ad Deum abstractus fuit omnino a passionibus et delectationibus carnis, sicut ipse dicit [6]: *Nescio, utrum in corpore, an extra corpus;* sed superior portio rationis in Christo omnino fuit ad Deum conversa: ergo videtur, quod nihil de afflictione carnis sentiebat.

2. Item, « contraria non possunt esse in eodem et secundum idem [7] »; sed gaudium et dolor sunt affectiones contrariae: ergo si Christus secundum portionem rationis superiorem continue gaudebat, ergo videtur, quod secundum illam dolorem non experiebatur nec sentiebat.

3. Item, « albius est quod est nigro impermixtius [8] »; ergo ubi est summum gaudium, ibi nullus

---

[1] Cod. Z addit *sic*. Proxime post pro *attingi* multi codd. habent *attingit*, quorum complures etiam subinde omittunt *per*.

[2] Cfr. supra d. 15. a. 2. q. 2. — Paulo superius pro *ut naturam* cod. C *ut natura est*, edd. 1, 2 *sensitivam*; in Vat. legitur *non tantum*, et deinde *sed secundum rationem deliberativam* etc.; in edd. 1, 2 et cod. X *secundum rationem vero deliberativam* etc.

[3] Damasc., III. de Fide orthod. c. 6. et 18. Cfr. supra lit. Magistri d. II. c. 1.

[4] Vide II. Sent. lit. Magistri, d. XXII. c. 3. seq., nec non Comment. ibid. a. 1. q. 2. seq. Cfr. etiam lit. Magistri, II. Sent. d. XXIV. c. 4-13, et Comment. ibid. p. I. a. 2. q. 2. ac p. II. per totam. — In fine arg. pro *suprema* edd. *superiori*.

[5] Cod. F perperam *inferior*.

[6] Epist. II. Cor. 12, 2.

[7] Secundum Aristot., de quo vide supra pag. 85, nota 10. — Pro *non possunt esse* edd. *non possunt simul esse*.

[8] Aristot., III. Topic. c. 4. (c. 5.).

est dolor; sed in superiori portione rationis Christi summum gaudium erat, quia perfectissime Deum comprehendebat: ergo videtur, quod nihil de dolore secundum illam partem sentiebat.

4. Item, sicut culpa opponitur gratiae, ita beatitudo opponitur miseriae; sed culpa non potest stare in eodem et secundum idem simul cum gratia: ergo nec beatitudo et miseria secundum eandem animae portionem. Sed beatitudo erat in Christo secundum portionem animae superiorem: ergo impossibile fuit, secundum illam partem inesse Christo aliquem dolorem.

5. Item, potentia illa simplex erat, ergo ad quod se convertebat secundum eandem partem, totaliter ferebatur [1]: si ergo quantum ad superiorem portionem semper erat conversus ad Deum, a quo hauriebat gaudium; videtur, quod secundum illam portionem nullum sentiebat cruciatum.

6. Item, superior portio rationis distinguitur ab inferiori in hoc, quod ipsa aspicit ad superiora, haec ad inferiora: si ergo Christus nullam materiam doloris habebat a superiori, sed solum ab infimo; videtur, quod superior portio rationis nullo modo pateretur in ipso.

CONCLUSIO.

Christus passus est etiam secundum portionem superiorem rationis, quatenus portio illa consideratur per modum naturae.

Respondeo: Dicendum, quod secundum communem sententiam magistrorum passio Christi non solum stetit in sensualitate nec tantum pervenit ad rationem inferiorem, sed extendit se usque ad superiorem portionem. Sicut enim anima nostra ex coniunctione sui ad corpus infectum tota corrumpitur et tota inficitur secundum omnem sui vim et secundum omnem partem, scilicet tam superiorem quam inferiorem [2]; sic anima Christi ex coniunctione sui ad corpus patiens et afflictum tota patiebatur et affligebatur, ut per illam passionem et dolorem illum tota peccatrix anima curaretur. Et sic dolor fuit et passio in Christo secundum supremam rationis partem, quamvis in ea fuerit gaudium fruitionis. — Licet autem hoc teneatur tanquam verum, difficile tamen est ad intelligendum, qualiter in anima Christi secundum eandem potentiam et secundum eundem statum potentiae fuerit dolor et gaudium, nec dolor superveniens discontinuaverit gaudium; immo fuerunt [3] simul; nec *iterum*, quod maius est, dolor intensus valde fecerat, gaudium esse minus perfectum.

Conclusio 1.

Difficile mysterium.

Ad haec autem intelligenda tria oportet suppo- Suppositio 1.
nere, quae sunt vera et probabilia, videlicet quod *gaudium* fruitionis et *dolor* passionis non sunt affectiones *contrariae*, quia non sunt respectu eiusdem nec omnino eodem modo insunt eidem, sed unum inest *per se*, alterum *per accidens*: quia *gaudium* inest propter coniunctionem gratuitam ipsius cum Deitate, sed *dolor* propter naturalem coniunctionem ipsius cum carne; et quia non sunt affectiones contrariae, possunt in anima esse secundum eandem partem.

Altera suppositio est, quod non tantum huius- Suppositio 2.
modi *dolor* et *gaudium* non sunt contraria, sed unum est *materiale* respectu alterius; et ideo simul eidem inesse poterant, sicut in viro [4] poenitente videmus, quod simul dolet et de dolore gaudet. Sic et anima Christi secundum naturam corpori patienti compatiebatur, tamen de illa passione et compassione laetabatur.

Tertia suppositio est, quod Christus simul erat Suppositio 3.
viator et *comprehensor*, ita quod viatoris cognitio non impediebat comprehensoris cognitionem, nec affectio affectionem [5]; et illud fuit in Christo singulare propter officium mediatoris, quo debebat experiri et divina et humana. Unde sicut simul et semel poterat perfecte converti ad Deum et converti ad nos, ita quod una illarum conversionum alteram non impediebat nec retardabat; sic potuit secundum eandem partem animae simul et semel gaudere in Deo et compati corpori suo, ita quod nec dolor a gaudio, nec gaudium a dolore pateretur aliquam diminutionem sive remissionem. — Concedendum est igitur, Christum secundum superiorem portionem doluisse in passione, in quantum tamen ratio illa considera- Conclusio 2.
tur per modum *naturae* [6]. Et concedendae sunt rationes ad hanc partem inductae. Ad rationes vero ad oppositum facile est per ea quae dicta sunt, respondere.

1. Ad illud enim quod primo obiicitur de rap- Solutio oppositorum.
tu Pauli, dicendum, quod non est simile, quia Paulus non sic potuit habere usum viatoris et comprehensoris, secundum quod Christus, qui erat homo et Deus.

2. Ad illud quod obiicitur, quod contraria non possunt inesse eidem; dicendum, sicut dictum est, quod dolor et gaudium in Christo non habebant contrarietatem, immo unum erat *materiale* respectu alterius, quia ex hoc ipso Christus gaudebat in Domino [7], quo sentiebat, se pati et dolere pro Domino.

3. Ad illud quod obiicitur, quod gaudium dolori impermixtum est magis intensum; dicendum,

---

[1] Cfr. supra pag. 311, nota 1. et pag. 299, nota 3. — Mox pro *superiorem portionem* edd. *superiorem partem rationis.*

[2] Vide II. Sent. d. 31. a. 1. q. 2.

[3] Ita codd. E I L N T U V Z aa, cod. K *fuerint*, edd. *fuerit.*

[4] Edd. *vero.* Paulo ante pro *poterant* cod. A *poterat*, codd. E K N V *poterunt*, edd. *potuerunt.*

[5] Cfr. supra d. 14. a. 3. q. 1. seq. — Cod. K sic prosequitur: *et illud fuit in Christo propter singulare officium mediatoris.*

[6] Vide quaest. praeced. in corp.

[7] Respicitur illud Phil. 4, 4: Gaudete in Domino etc. — Paulo superius ante *sicut dictum est* codd. A H I L Z aa bb et edd. 1, 2 interiiciunt *quod.*

quod illud verum est de dolore opposito gaudio; sed de dolore, qui dat occasionem gaudendi [1], non oportet illud habere veritatem; et ideo in proposito non concludit illa ratio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod beatitudo opponitur miseriae, secundum quod [2] gratia culpae; dicendum, quod verum est, quod beatitudo miseriae opponitur secundum legem communem, et non reperitur in aliquo simul gloria cum miseria. Et ratio huius est, quia unusquisque est in uno statu, non in duplici; sed quoniam Christus in duplici statu erat, vel quasi rationem tenebat duplicis personae; sicut in Christo *status* est compossibilis statui sine repugnantia, sic *beatitudo* cum miseria. Nec est simile omnino de gratia et culpa, quia non respiciunt diversos status, sed directe habent oppositionem et incompossibilitatem; nisi forte quis intelligat de culpa veniali, quae in eodem simul potest reperiri cum gratia, quae non habet oppositionem directam; expelleretur autem omnino venialis culpa, cum perficeretur [3] gratia; sic et a Christo ablata fuit passionis miseria, quando consummata fuit eius gloria.

Ratio notanda.

5. Ad illud quod obiicitur, quod potentia illa simplex est; dicendum, quod quamvis per naturam potentia simplex non possit ad diversa converti, tamen per deiformitatem gloriae possibile est adeo ampliari, ut simul possit et ad diversa converti et circa diversa affici; et sic in patria erit aliquando, et intelligendum etiam est fuisse in Christo [4]. Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod ratio superior non dicitur, nisi in quantum convertitur ad superiora; dicendum, quod hoc non est verum, pro eo quod ad superiorem portionem rationis spectat *regere inferiorem*, et penes ipsam residet *regimen* et imperium respectu omnium potentiarum animae, quae sunt aliquo modo rationi obaudibiles [5]; et ita per modum naturae colligatur potentiis aliis et ipsi corpori humano tanquam perfectibili; et ideo pati habet, corpore patiente. Quod autem dicitur, quod ratio superior attenditur secundum aspectum ad superiora; hoc dicitur quantum ad eius *principalem actum*, non quod excludatur conversio et colligantia ipsius ad inferiora [6]. Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum dolor fuerit intensior in parte rationali animae Christi, an in parte sensuali.

Tertio quaeritur, in qua parte animae Christi fuerit dolor intensior, utrum in parte rationali, an in parte sensuali [7]. Et quod in parte *sensuali* videtur.

1. Illud magis patitur ad praesentiam affligentis, quod magis est passibile; sed sensualitas in Christo erat magis passibilis quam ipsa ratio, erat enim [8] fragilior: ergo videtur, quod magis affligebatur anima Christi secundum sensualitatem, quam affligeretur secundum rationem. Argg. pro 1. parte.

2. Item, omne illud, quod magis in patiendo a consolatione elongatur, magis patitur et affligitur; sed sensualitas plus recedebat a gaudio in passione quam ipsa ratio, sicut manifestum est [9]: ergo etc.

3. Item, ubi magis viget passio timoris, ibidem magis intenditur passio doloris; sed Christus plus timebat secundum sensualitatem quam secundum rationem — secundum enim rationem securus erat, licet sensualitas formidaret [10] — ergo pari ratione plus dolebat ex parte sensualitatis quam rationis.

4. Item, sicut gaudium est in coniunctione convenientis cum convenienti, ita dolor est in separatione: ergo ibi est maior dolor, ubi est separatio magis convenientis; sed anima plus convenit cum carne secundum sensualitatem quam secundum rationem, sicut dicit Augustinus in libro de Spiritu et anima [11]: ergo etc.

5. Item, quod magis alligatur alicui et plus indiget illo magis patitur et affligitur in illius corruptione et amissione; sed sensualitas magis alligatur carni et plus indiget carne ad suam operationem exercendam quam ratio: ergo carne patiente, plus affligebatur [12] anima in sensualitate quam in ratione.

Sed contra: 1. Sicut dicit Augustinus de Civitate Dei [13]: « Dolor est testimonium bonae naturae », ergo in meliori natura intensior est dolor; sed melior est natura animae secundum rationem quam secundum sensualitatem: ergo intensior est dolor ex parte rationis quam ex parte sensualitatis. Pro 2. parte.

2. Item, quod ex pluribus causis dolet in-

---

[1] Codd. A K L aa bb *gaudii*.

[2] Pro *secundum quod* cod. O *sicut*. Aliquanto inferius pro *in uno statu* cod. U *in suo statu uno*, et post pauca pro *est compossibilis* idem cod. U *erat compossibilis*.

[3] Edd. cum nonnullis codd. *perficitur*; codd. K bb *perficietur*, qui et paulo ante pro *expelleretur* cum aliquot aliis codd. habent *expelletur*. Cod. A *quia non* pro *quae non*.

[4] Cfr. supra d. 14. a. 2. q. 2. in fine corp.

[5] Cod. M. *obedibiles*.

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Edd. et nonnulli codd. hic et mox *sensibili*. Subinde pro *ad praesentiam affligentis* Vat. *ad potentiam affligentis*.

[8] Ita cod. A; in aliis et edd. male *ergo erat*.

[9] Cfr. quaest. praeced. in corp. et ad. 3. — In *maiori* pro *patiendo* cod. K *compatiendo*.

[10] Vide supra d. XV. lit. Magistri, c. 1. in fine, et ibid. Comment. a. 2. q. 2. — In *maiori* pro *passio timoris* cod. R *ratio timoris*.

[11] Cap. 14. — De *maiori* cfr. Aristot., III. de Anima, text. 29. (c. 7.), et tom. I. pag. 38, nota 4.

[12] Edd. contra codd. A F G H U V *affligitur*.

[13] Libr. XIX. c. 13. n. 2: Et ipse dolor testimonium est boni adempti et boni relicti. Nisi enim bonum relictum esset, bonum amissum dolere non posset... Sicut ergo laetitia deserti boni in peccato testis est voluntatis malae, ita dolor amissi boni in supplicio testis est naturae bonae.

tensius dolet, quam quod ex una tantum; sed dolor erat[1] in sensualitate tantum ex carne, ratio vero non tantum condolebat carni, sed etiam sensualitati et nobis: ergo videtur, quod intensior erat dolor in ratione quam in sensualitate.

3. Item, ubi est intensior amor, ibi est intensior dolor[2]; sed Christus magis diligebat in nobis vitam gratiae, quam in se diligeret vitam naturae: ergo magis dolebat de hoc, quod nos amiseramus vitam gratiae, quam de hoc, quod ipse amittebat vitam naturae. Sed primus dolor erat in ratione, secundus in sensualitate: ergo magis doluit secundum rationem quam secundum sensualitatem.

4. Item, in ea parte intensior est dolor, quae habet maiorem rationem dolendi; sed sensualitas non habebat rationem dolendi nisi propter afflictionem carnis suae, ratio vero habebat rationem dolendi propter dehonorationem maiestatis divinae; sed magis dolendum est de Dei inhonoratione quam de carnis afflictione; et Christus dolebat, secundum quod debebat: ergo intensior dolor erat in Christo quantum ad partem rationalem quam quantum ad partem sensualem.

5. Item, Christus diligebat alios sicut se ipsum, quia perfectam habebat caritatem[3]: ergo tantum dolebat de separatione aliorum a Deo, quantum si ipse separaretur ab ipso; sed constans est, quod omnis anima recta plus doleret de separatione a Deo quam de separatione a corpore proprio: ergo anima Christi plus compatiebatur aliis quam propriae carni. Si ergo compassio respectu aliorum erat in ratione, compassio respectu carnis erat in sensualitate; ergo intensior dolor erat secundum partem rationalem quam secundum sensualitatem.

CONCLUSIO.

Quoad dolorem passionis *Christus magis doluit in parte sensuali, quoad dolorem* compassionis *magis in parte rationali; ipse autem dolor* compassionis *fuit intensior quam dolor* passionis.

Duplex dolor in Christo.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod in Christo duplex dolor fuit, secundum quod dicunt Sancti[4], videlicet dolor *passionis* et dolor *compassionis*, et uterque dolor intensus fuit et acerbus. Multum enim *in se doluit*, et multum *nobis condoluit;* et uterque istorum dolorum et in sensualitate fuit et in ratione, sed ordine permutato. Nam dolor *passionis et carnis* primo attingebat animam secundum sensualitatem, et deinde secundum alias vires. Dolor vero *compassionis* primo erat in ratione, et ex ratione redundabat in sensualitatem. Sicut enim, ratione nostra dolente pro peccatis nostris, gemit sensualitas et lacrymatur; sic et Christus, quia multum pro peccatis nostris doluit, de peccatis nostris flevit[5]. Notandum.

Cum ergo comparamus dolorem sensualitatis ad dolorem rationis, hoc potest esse in duplici genere; et si quidem intelligatur de dolore *passionis*, cum ille primo sensualitatem attingeret; concedendum est, animam Christi secundum partem *sensualem* magis doluisse, sicut ostendunt rationes ad primam partem[6]. — Si vero intelligatur de dolore *compassionis*, quo interius afficiebatur propter scelera nostra; cum ille ortum et originem habeat a ratione, concedendum est, ipsum magis secundum *rationem* doluisse, sicut ostendunt rationes ad partem sequentem inductae. — Et sic patet responsio ad quaestionem propositam, patet etiam responsio ad obiecta. Membra enim huius quaestionis habent se sicut excedentia et excessa, et obiecta verum concludunt secundum diversas vias. Conclusio 1. Conclusio 2. De obiectis.

Si quis autem ulterius quaerat, cum ratio et sensualitas secundum duo genera doloris[7] mutuo se excedant, quis eorum fuerit intensior in Christo, utrum videlicet dolor *passionis*, vel *compassionis;* responderi potest, quod dolor *compassionis* fuit intensior. — Et ratio huius est: quia, quamvis magna causa esset *dolendi* in sensualitate propter separationem ipsius a carne, magna etiam esset dispositio ad dolendum propter optimam complexionem[8]; in dolore tamen *compassionis* amplior erat ratio dolendi propter inhonorationem Dei et separationem nostram a Deo, maior etiam erat dispositio ad dolendum propter dilectionis nimietatem. Secundum enim quod dilectio maior est, secundum hoc sunt plagae compassionis maiores. Unde multo plus *compassio* Christi excessit aliorum compassiones quam *passio* passiones, sicut fuit in eo maior ex- Quaestio connexa. Conclusio 3. Corollarium.

---

[1] Edd. cum nonnullis codd. incongrue *est.*

[2] Cfr. supra pag. 338, nota 3.

[3] Matth. 22, 39; Ioan. 15, 12. — Paulo inferius pro *plus doleret* cod. N *plus dolet.*

[4] Cfr. supra lit. Magistri, d. XV. c. 1, et Bernard. Serm. 3. in Nativ. Domini, n. 3. seq. Vide etiam infra d. 17. a. 1. q. 3, ubi Hugonis sententia affertur, de qua consule I. Sent. d. 48. a. 2. q. 2.

[5] Cfr. Luc. 19, 41. seqq. Codd. L aa verbis *de peccatis* praefigunt *et.*

[6] Edd. supplent *adductae*, et deinde pro *afficiebatur* cum nonnullis codd. substituunt *affligebatur* et pro *habeat a ratione* legunt *haberet in ratione.*

[7] Cod. A *dolorum.*

[8] Cfr. supra a. 1. q. 2. — Inferius pro *nimietatem* codd. K bb *immensitatem.*

cellentia *dilectionis* quam *passionis* respectu aliorum, licet in utroque multum excederet. — Et quod ille dolor intensior fuerit, colligitur ex duplici signo. Unum est, quod maluit animam suam a corpore separari, quam quod nos essemus a Deo separati. Aliud vero signum est, quod flevit pro peccatis nostris, sed non flevit pro poenis corporis sui, sicut Bernardus [1] dicit; planctus autem signum est amaritudinis et doloris. Et ideo hoc eleganter exprimit cancellarius Philippus [2] in quadam prosula valde notabili et devota. Ait enim sic:

Duplex signum.

Homo vide, quid pro te patior!
Ad te clamo, qui pro te morior.
Vide poenas, quibus afficior,
Vide clavos, quibus confodior!
Cum sit tantus dolor exterior,
Interior tamen planctus est gravior,
Tam ingratum dum te experior [3].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et incidit quaestio circa verba Hilarii, quae videntur esse falsa et dubia et erronea; quae si dicamus esse retractata, iuxta quod prius [4] tactum fuit, semota erit omnis calumnia: quia tamen scriptura huius retractationis non est propalata, ideo sunt verba Hilarii, secundum quod possumus, verificanda.

De verbis Hilarii.

Primo enim est dubium de illo verbo, quod dicit: *Passus quidem Christus dum caeditur, dum suspenditur, dum moritur* etc. Videtur enim dicere duo contraria, quod in corpore Christi fuerit vera *passio*, et tamen non fuerit *verus dolor*, quod non videtur esse intelligibile, quod corpus animatum vere patiebatur, et tamen vere non dolebat. — Et si tu velis dicere, quod hoc intelligat quantum ad personam Verbi; hoc nihil est, quia, sicut dolor est alienus a persona Verbi, ita et passio; et Hilarius [5] dicit, quod « passus fuit, licet non doluerit ». — Similiter si tu dicere velis, quod non doluit, id est, non habuit causam et meritum doloris; similiter potes dicere, quod non habuit meritum passionis.

Respondeo: Dicendum, quod ista verba Hilarii, etsi videantur esse contra fidem, tamen pro fide sunt; et hoc patet, si attendatur *causa* dicendi [6]. Contra enim illos loquitur Hilarius, qui dicebant, Christum omnino succubuisse passioni et a passione esse superatum; contra quos dicit Hilarius, quod etsi Christus vere passus fuerit, non tamen doluit, hoc est, passionibus non succubuit. Non enim vult negare *sensum* et *experimentum* passionis, sed *vim* et *dominium* passionis. Et quod iste sit intellectus, patet ex *modo loquendi* et ex *serie verborum* et ex *proprietate verborum:* quia *dolor* dicit comparationem ad voluntatem, secundum quod dicit Augustinus decimo quarto [7] de Civitate Dei, quod « dolor est dissensus ab his rebus, quae nobis nolentibus accidunt ». Quoniam ergo nec voluntas Christi divina nec voluntas creata passionibus succubuit; ideo non concedit Hilarius, Christum doluisse, hoc est, ipsum nolentem passionibus subiacuisse. Unde cum dicit [8]: « Virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desaevientis excepit » etc.; *virtus corporis* dicitur voluntas rationalis, regitiva illius corporis; haec excepit vim poenae sine sensu poenae, hoc est sine dissensu a poena, quia voluit pati. — Et hoc ostendit *series litterae* sequentis. Probat enim, quod corpus illud non potuit dolere, quia « potuit undis superferri ». Constat enim, quod corpus Christi non superferebatur undis per naturam ipsius corporis, quod [9] ponderosum erat, sed per imperium voluntatis. — Hoc ipsum patet per aliam rationem, quam subdit: quia « caro Christi concepta fuit de Spiritu sancto, ideo ille homo fuit habens *corpus ad patiendum*, sed *naturam non habens ad dolendum* ». Ex cuius rationis et litterae intellectu manifestatur, esse verum quod prius dictum est. Quia enim caro illa concepta fuit de Spiritu sancto, ideo passibilitatem habuit, non *contra* voluntatem, sed *ex* voluntate; et hoc est quod dicit: « habens *corpus* ad patiendum, passus est », scilicet ex voluntate; « sed *naturam* non habens ad dolendum », id est ad patiendum contra dissensum voluntatis [10].

Causa dicendi.

Notandum.

Triplex arg.

Primum.

Secundum.

Tertium.

---

[1] Serm. 4. de Adventu Domini, n. 7. et Serm. 3. in Nativ. Domini n. 3. seq. — De seq. propos. idem dicit Serm. in Cantic. serm. 49. n. 7: Alta suspiria testantur tristitiam animorum. August., Serm. 351. (alias Homil. 50.) c. 1. n. 1: Lacrymae sunt testes doloris.

[2] Cod. N addit *Parisiensis*. Boulaeus, Hist. univers. Paris. tom. 3. pag. 154, loquitur de quodam cancellario Philippo, mortuo an. 1237, qui igitur probabiliter est auctor huius carminis. — Fr. Mone, Hymn. lat. etc. tom. 1. pag. 172, inter hymnos Bernardo tributos affert etiam fragmentum cuiusdam carminis, quod prorsus convenit cum versibus hic allatis.

[3] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[4] Supra a. 1. q. 1. ad 1. — Mox pro *semota* codd. I L N T U Z an *remota*.

[5] Libr. X. de Trin. n. 23. — Duplex explicatio verbi Hilarii, quae hic affertur, habetur hic in lit. Magistri, c. 1. seq., nec non in Comment. a. 1. q. 1. ad 1, vide ibi scholion. — Paulo superius pro *non dolebat*, quod habent codd. U Z bb (N a secunda manu) edd. *non doleat*, codd. H K *patiatur* pro *patiebatur*.

[6] Cfr. supra pag. 347, nota 1.

[7] Cap. 6. et c. 15. n. 2. — Vide supra pag. 354, nota 1.

[8] Vide hic lit. Magistri, c. 1, ubi etiam Hilarii verba invenies, quibus probationes subnexae innituntur.

[9] Codd. N U *quia*.

[10] Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 18. m. 1; B. Albert., III. Sent. d. 15. a. 10. seq.; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard., III. Sent. d. 15. hic circa lit. — Locis citatis solvuntur etiam duo dubia seqq.

Dub. II.

Item dubitabile est de hoc quod dicit: *Nec fieri potest, ut eius timor significetur in verbis, cuius fiducia continetur in factis.* Videtur enim contradicere ei quod dicitur Marci decimo quarto[1]: *Coepit Iesus pavere et taedere.* Videtur etiam contradicere aliis Sanctis, qui dicunt, eum vere timuisse. Videtur etiam contradicere sibi ipsi, quia dicit[2], quod «Christus pro Apostolis tristatus fuit usque ad mortem». Si *tristis fuit*, quare non similiter *timuit?*

Respondeo: Dicendum, quod Hilarius non intendit removere timorem a Christo, secundum quod timorem ei attribuit *Scriptura*, et *Sancti*, sed secundum quod attribuebant *haeretici*, qui dicebant, eum timuisse ex defectu securitatis; et talis est timor pusillanimitatis, de quo indubitanter verum est, quod non fuit in Christo. Unde valde attendendum est, quod Hilarius[3] a Christo non removet *tristitiam*, removet tamen *timorem*, quia *timor* consuevit consurgere ex defectu virtutis et pusillanimitate, *tristitia* vero surgit frequenter ex virtute et pietate. — Et quod iste sit intellectus, patet ex probatione sequenti. Probat enim, quod in Christo non fuit *infirmitas*, nec fuit *pusillanimitas*. *Pusillanimitas* non fuit, quia «armatis obvius prodiit»; *infirmitas* non fuit, quia «ad eius occursum consternata persequentium agmina, supinatis corporibus, conciderunt». Unde non excludit a Christo *timorem*[4], sed *timorem obviantem voluntati;* sic etiam *dolorem*, sicut patet aspicienti seriem litterae.

Notandum.

Dub. III.

Item dubitabile est tertio de hoc quod dicit in illa notula tracta de Synodis: *Pati potuit et passibilis esse non potuit.* Videtur enim verbum illud implicare contradictionem in semetipso, quia «cuius est potentia, eius est actus[5]»: ergo si fuit passibilis, potuit pati; et si potuit pati, fuit passibilis. — Praeterea, *passibile* nihil aliud est quam potens pati: ergo videtur, quod in praedicta locutione idem removetur a se[6].

Respondeo: Dicendum, quod praedicta littera exponi potest triplici modo secundum triplicem modum exponendi praecedentia[7]: uno modo, ut illud referatur ad Verbum increatum, de quo concedit Hilarius, quod potuit *pati*, sed non *esse passibile*, quia, «licet passionibus se subdiderit, non tamen est demutatum patiendo[8]». — Alio modo potest exponi, sicut exponit Magister, ut per hoc quod est *passibile*, notetur dispositio consurgens ex *culpae merito*, quam removet Hilarius a Christo, quamvis in eo vere fuerit *passio.* — Tertio modo potest exponi, ut per hoc quod est *passibile*, notetur *plena subiectio* patientis[9] respectu passionis; et huiusmodi in Christo non fuit, cuius mens, ratio et voluntas passionibus superferebatur. Et quod iste sit intellectus, patet per litteram sequentem. Ait enim sic[10]: «*Pati* potuit, *passibilis esse* non potuit, quia *passibilitas* naturae infirmae est significatio, *passio* autem est eorum quae sunt illata perpessio». Et sic vult Christo attribuere passionis sufferentiam et removere subiacentiam.

Triplex expositio. Prima. Secunda. Tertia.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod ultimo dicit, *Christum de omni statu hominis aliquid accepisse;* quia secundum hoc videtur, quod Christus fuit in quadruplici statu. Nos autem non ponimus, Christum fuisse nisi in statu viatoris et comprehensoris. — Item, falsum videtur dicere, cum dicit, quod Christus de tertio statu assumsit plenitudinem gratiae: quia gratia non perficitur nisi per gloriam, iuxta illud quod dicit Apostolus primae ad Corinthios decimo tertio[11]: *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est:* ergo plenitudo gratiae non fuit assumta secundum statum viae, sed secundum statum patriae.

Respondeo: Dicendum, quod ille quadruplex status reduci habet ad duplicem. Sub statu enim *viae* comprehenduntur tres status, scilicet *innocentiae*, *naturae lapsae* et status *sub lege gratiae.* Illos autem quatuor status enumerat Magister ad maiorem declarationem conditionum ipsius naturae assumtae.

Notandum.

---

[1] Vers. 33. — Testimonia Sanctorum de timore Christi habentur supra lit. Magistri, d. XV. c. 1.

[2] Libr. X. de Trin. n. 36. seqq. Vide hic lit. Magistri, c. 2. — Pro *Videtur etiam* non pauci codd. incongrue *Videtur enim.* Subinde post *sibi ipsi* cod. O subiungit *in fine distinctionis* (scil. d. 15.). Vide supra pag. 345, nota 1. Pro *quia dicit* codd. A K bb *qui dicit*, alii codd. *quod dicit.*

[3] Vide hic lit. Magistri, c. 1. et 2, ubi et subnexa tanguntur. — Mox pro *pusillanimitate* Vat. perperam *pusillanimitatis.*

[4] Cod. bb *quemcumque* [a] *Christo timorem*, edd. cum paucis codd. *omnem timorem.* Inferius post *sic etiam* codd. E G I L N T U V X Z aa interserunt *ad*, codd. K H bb *et.*

[5] Aristot., de Somno et vigilia, c. 1.

[6] Edd. *a se ipso.*

[7] In 1. dubio adhibitum. — Edd. cum multis codd. incongrue *exponentium praecedentium.* Nostram lectionem tuentur codd. H (K primitus) M O bb; in cod. A scriptum est *expositivum praecedentia.*

[8] Verba Hilarii sumta sunt ex eius lib. de Synodis, n. 49. Vide hic lit. Magistri, c. 2. — De expositione seq. cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — Paulo inferius et etiam in tertia expositione post *ut per hoc quod* cod. N supplet *dicit.*

[9] Edd. cum uno alteroque cod. *passibilitatis.*

[10] Libr. de Synodis, n. 49. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Pro *infirmae* edd. vitiose *infimae.*

[11] Vers. 10.

Ad illud quod obiicitur, quod plenitudo gratiae non habetur nisi secundum statum gloriae; dicendum, quod est plenitudo gratiae vel *simpliciter*, vel *respectu operis meritorii:* plenitudo gratiae *simpliciter* spectat ad statum gloriae, sicut obiicit; plenitudo vero respectu *operis meritorii* spectat ad statum viae. Et de hac intelligit Magister in littera, sicut patet aperte [1].

DISTINCTIO XVII.

Cap. I.

Si omnis Christi oratio, vel voluntas impleta sit.

Post praedicta considerari oportet, utrum Christus aliquid voluerit vel oraverit, quod factum non sit. Hoc enim aestimari potest per id quod ipse ait [1]: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* vis. Hic namque voluntatem suam a Patris voluntate discernere videtur.

Cap. II.

De voluntatibus Christi secundum duas naturas.

Quocirca ambigendum non est, diversas in Christo fuisse voluntates iuxta duas naturas, *divinam* scilicet voluntatem et *humanam*. Et *humana* voluntas est affectus *rationis*, vel affectus *sensualitatis*, et alius est affectus animae secundum *rationem*, alius secundum *sensualitatem;* uterque tamen dicitur *humana voluntas*. Affectu autem *rationis* id volebat, quod voluntate *divina*, scilicet pati et mori, sed affectu *sensualitatis* non volebat, immo refugiebat. Nec tamen in eo caro contra spiritum, vel contra Deum concupiscebat, quia, ut ait Augustinus [2], « nonnullum est vitium, cum *caro concupiscit adversus spiritum* ». « Caro autem dicta est *concupiscere*, quia hoc secundum ipsam agit anima, sicut anima per aurem audit et per oculum videt. Caro enim nihil nisi per animam *concupiscit;* sed *concupiscere* dicitur, cum anima carnali concupiscentia spiritui reluctatur, habens carnalem delectationem de carne et a carne adversus delectationem, quam spiritus habet. Ipsius autem carnalis concupiscentiae causa non est in anima sola nec in carne sola; ex utroque enim fit, quia sine utroque delectatio talis non sentitur ». Talis igitur rixa talisque concertatio in anima Christi nullatenus esse potuit, quia carnalis concupiscentia ibi esse nequivit. Dei etiam voluntas erat et rationi placebat, ut id secundum carnem vellet, quatenus veritas humanitatis in eo probaretur. Nam qui hominis naturam suscepit quae ipsius sunt subire debuit. Ideoque sicut in nobis duplex est affectus, *mentis* scilicet et *sensualitatis*, ita et in eo debuit esse geminus affectus, ut *mentis* affectu vellet mori, et *sensualitatis* affectu nollet, sicut in viris sanctis fit. Petro enim ipsa Veritas dicit [3]: *Cum senueris, extendes manus tuas, et alius cinget te et ducet, quo non tu vis,* scilicet ad mortem. Quod exponens Augustinus dicit, quod Petrus « ad illam molestiam nolens est ductus, nolens ad eam venit, sed volens eam vicit; et reliquit affectum infirmitatis, quo nemo vult mori, qui adeo est naturalis, ut eum Petro nec senectus abstulerit. Unde etiam Dominus ait: *Transeat a me calix iste;* sed vicit eum vis amoris ». Ergo et in Christo secundum humanitatem et in membris eius geminus est affectus: unus *rationis*, caritate informatus, quo propter Deum quis mori vult; alter *sensualitatis*, carnis infirmitati propinquus et ei [4] coniunctus, quo mors refugitur. Ut enim ait Augustinus [5]: « Pius mentis ratione cupit *dissolvi et esse cum Christo*, sensu autem carnis refugit et recusat. Hoc habet humanus affectus, quoniam diligit vitam, odit mortem ». Secundum istum affectum Christus mori noluit, nec obtinuit quod secundum istum affectum petiit.

Ex affectu igitur humano, quem de Virgine traxit, volebat non mori et calicem transire orabat. Unde Beda [6]: « Orat, transire calicem, quia homo erat, dicens: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Ecce, habes voluntatem humanam expressam. Vide iam rectum cor: *Sed non quod ego volo, sed quod tu* vis. Unde alibi: *Non veni facere voluntatem meam*, quam, scilicet temporaliter, sumsi de Virgine, *sed voluntatem eius qui misit me*, quam scilicet aeternus habui cum Patre ». — Hic aperte dicit, duas in Christo fuisse voluntates, secundum quas diversa voluit. Hieronymus [7] quoque super illum locum: *Spiritus promptus est, caro autem infirma*, dans intelligi, hic duas voluntates exprimi, ait ita: « Hoc contra Eutychianos, qui dicunt in Christo unam tantum voluntatem. Hic autem ostendit *humanam*, quae propter infirmitatem carnis recusat passionem, et *divinam*, quae prompta est perficere

Determinatio praedictae quaestionis iuxta viam communem.

Augustinus.

Augustinus.

Dubium 1.

Dubium 2.

Confirmatur Sanctorum verbis.

Beda.

Hieronymus.

---

[1] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 5; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Matth. 26, 39. — Cfr. de hac dist. Hugo de S. Vict., Sum. Sent. tr. I. c. 17. — Pro *aestimari* solummodo Vat. et ed. 8 bene *existimari*.

[2] Libr. XIX. de Civ. Dei, c. 4. n. 3, ubi locus Scripturae est Gal. 5, 17. Seq. locus ex locis eiusdem, X. de Genesi ad lit. c. 12. n. 20. 21, et de Continentia, c. 8. n. 19, collectus, legitur sic in Glossa *ordinaria* ad Gal. 5, 17. — Immediate ante cod. D post *contra spiritum* addit *vel spiritus contra carnem*.

[3] Ioan. 21, 18, quem locum continuo exponit S. August., tr. 123. n. 5, et est etiam in Glossa ibid. Locus Scripturae est Matth. 26, 39.

[4] Codd. D G et edd. 1, 8 *ideo ei*.

[5] Epist. 140. (alias 120.) c. 6. n. 16. Locus Scripturae est Phil. 1, 23. Pro *Pius*, quod habent codd. B C D et ed. 1 cum originali *(homo pius)*, in aliis *Paulus*. Deinde post *quoniam* Vat. cum codd. A E addit *qui*.

[6] Comment. in Marc. 14, 36, et in Glossa ibid. Locus alter Scripturae est Ioan. 6, 38. — Pro *homo erat, dicens* edd. 1, 6 *homo est, dicens*, ed. 8 *homo est Deus*.

[7] Apud Hieronymum non invenitur, sed haec verba sunt ex Beda, ad hunc locum (Marc. 14, 38.), collecta et praecise inveniuntur in Glossa ibid.

dispensationem». Augustinus[1] etiam duas in Christo
Augustinus. asserit voluntates, dicens: «Quantum distat Deus ab homine, tantum voluntas Dei a voluntate hominis. Unde hominem gerens Christus ostendit privatam quandam hominis voluntatem, in qua et suam et nostram figuravit, qui caput nostrum est, et ad eum sicut membra pertinemus. *Pater*, inquit, *si fieri potest, transeat a me calix iste.* Haec humana voluntas erat, proprium aliquid et tanquam privatum volens. Sed quia rectum vult esse hominem et ad Deum dirigi, subdit: *Non quod ego volo, sed quod tu* vis; ac si diceret: Vide te in me, quia potes aliquid proprium velle, ut Deus aliud velit. Conceditur hoc humanae fragilitati». Idem alibi[2]: Christus in passione duas expressit voluntates in se secundum duas naturas; ait enim: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Ecce, habes hominis voluntatem, quam ad divinam continuo dirigens, ait: *Verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ambro-
Ambrosius. sius etiam in libro secundo de Fide[3]: «Scriptum est: *Pater, si fieri potest, transfer a me calicem hunc.* Verba Christi sunt, sed quo modo et in qua forma dicantur, adverte: hominis substantiam gerit, hominis assumsit affectum. Non ergo quasi Deus, sed quasi homo loquitur». «Suscepit quidem voluntatem meam. *Mea* est voluntas, quam *suam* dixit, cum ait: *Non sicut ego volo, sed sicut tu* vis». «Cum autem dixit: *Omnia quae habet Pater, mea sunt*, quia nihil excipitur, sine dubio, quam Pater habet, eandem et Filius habet voluntatem[4]». «Eadem est Christi voluntas, quae paterna». «Una ergo voluntas est Patris et Filii». «Sed alia voluntas hominis, alia Dei, ut scias, vitam in voluntate hominis esse, passionem autem Christi in voluntate divina, ut pateretur pro nobis». — His testimoniis evidenter docetur, in Christo duas fuisse voluntates; quod quia
Macarius. negavit Macarius archiepiscopus, in Metropolitana[5] Synodo condemnatus est. Et ex affectu humano sensualitatis quidem, non rationis, illud voluit et petiit, quod non impetravit. Nec ideo petiit, ut impetraret, quia sciebat, Deum non esse facturum illud; nec illud fieri volebat affectu rationis, vel voluntate Divinitatis. Ad quid ergo petiit? Ut membris formam praeberet, imminente turbatione, clamandi ad Dominum et subiiciendi voluntatem suam divinae voluntati, ut, si pulsante molestia tristantur[6], pro eiusdem amotione orent; sed si nequeunt vitare, dicant quod ipse Christus. Non ergo ad insipientiam fuit, quod Christus clamans non auditur ad salutem corporalem. Bonum quidem petiit, scilicet ut non moreretur, sed melius erat, ut moreretur; quod et factum est.

Cap. III.

De capitulis quibusdam Ambrosii et Hilarii, ubi de dubitatione et timore Christi agitur.

Ceterum non parum nos movent verba Ambrosii, Verba Ambrosii de dubitatione Christi.
quibus significare videtur, Christum secundum humanum affectum de potentia Patris dubitasse, sic dicens in libro secundo de Fide[7]: «De quo dubitat? de se, an de Patre? De eo utique, cui dicit: *Transfer*, dubitat hominis affectu. Nam Deus de Patre non dubitat nec de morte formidat. Propheta etiam non dubitat, qui nihil *Deo esse impossibile* asserit. Num infra homines constitues Deum? Propheta non dubitat, et Filium dubitare tu credis? Ut homo ergo dubitat, ut Dubium 3.
homo locutus est». — His verbis innui videtur, quod Christus, non in quantum Deus est vel Dei Filius, sed in quantum homo, dubitaverit affectu humano. Quod ea ratione dictum accipi potest, non quia ipse dubitaverit, sed quia modum gessit dubitantis et hominibus dubitare videbatur.

Illud etiam ignorandum non est, quod Hilarius Specialis explanatio quaestionis sec. Hilarium.
asserere videtur, Christum non sibi, sed suis orasse, cum dixit: *Transfer a me calicem hunc*, sicut nec sibi, sed suis timuit; nec eum voluisse, ut sibi non esset passio, sed ut a suis transiret calix passionis, ita inquiens[8]: «Si passio honorificatura eum erat, sicut, Iuda exeunte, ait: *Nunc honorificatus est Filius hominis;* quomodo tristem eum metus passionis effecerat? Nisi forte tam irrationabilis fuerit, ut pati mortem timuerit, quae patientem se glorificatura esset? Sed forte timuisse usque eo existimabitur, ut transferri a se calicem deprecatus sit dicens: *Pater, transfer calicem hunc a me.* Quomodo enim per patiendi metum transferri deprecaretur a se quod per dispensationis studium festinaret implere? Non enim convenit, ut pati nolit quod pati velit; et cum pati eum velle cognosceres, religiosius fuerat hoc confiteri, quam ad id impiae stultitiae prorumpere, ut eum assereres, ne pateretur, orasse, quem pati velle cognosceres». «Non ergo sibi tristis, neque sibi orat transire calicem, sed Dubium 4.
discipulis, ne in eos calix passionis incumbat, quem

---

[1] Enarrat. II. serm. 1. in Ps. 32. (v. 1.) n. 2, in quo textu pro *qui caput* cod. E et ed. 8 cum originali *quia caput.* — Locus Scripturae est Matth. 26, 39. Cfr. I. Sent. d. XLVIII. c. 1, et ibi Comment. S. Bonaventurae.

[2] Verbotenus apud Petrum Lomb. in Glossa ad Ps. 93, 15, excerpta ex August. Enarrat. in illum locum n. 19. — In fine loci Scripturae iam citati post *sicut tu* codd. A D et edd. 1, 8 addunt *vis.*

[3] Cap. 5. n. 41. 42. Seq. locus est ibid. c. 7. n. 53 cum locis Scripturae iam citatis.

[4] Ibid. c. 6. n. 51. Locus Scripturae est Ioan. 16, 15. Seq. locus ibid. parum superius; tertius ibid. n. 50; ultimus ibid. c. 7. n. 52.

[5] Ita codd. et edd. 1, 3, 7; in Vat. et aliis *Archiepiscopus Antiochiae in Constantinopolitana Synodo.* Lectio codd. confirmatur ab Hugone, Sum. Sent. tr. I., c. 17. De Macario, patriarcha Antiocheno, cfr. Anastasius Biblioth., de Vitis Roman. Pontif. n. 81 (S. Agathonis). Quod sequitur convenit cum Comment. Petri Lombardi in Ps. 21, 6.

[6] Cod. E et edd. 1, 8 *turbantur*, cod. C *contristantur.*

[7] Cap. 5. n. 43. 42. Codd. et ed. 1 citant *III. libr. de Trinitate.* Post *asserit* Vat. cum aliis edd., exceptis 2, 3, 7, addit *Omnia quaecumque voluit, fecit* [Ps. 113, 3.]. Sed falso; nam Ambrosius respicit ad Iob 22, 17, qui locus apud ipsum legitur: Impossibile enim tibi nihil est. Vulgata: Quasi nihil posset facere Omnipotens, aestimabant eum.

[8] Libr. X. de Trin. n. 29. 30, ubi respicitur Ioan. 13, 31. In quo textu post *ut pati* originale et codd., exceptis B E et Erf., omittunt *mortem*, insuper edd. 1, 8 omittunt *pati*, refragante etiam originali. Infra pro *ut pati nolit quod pati velit* originale in ed. Maurina: ut pati nollet qui pati vellet; sed ibi additur: «In prius vulgatis: *ut pati* nolit quod pati velit, quod immutamus potiorum mss. auctoritate». Nos autem secuti sumus nostros codd. Vat. cum pluribus edd. *nolit qui pati venit.*

a se transire orat, ne in his scilicet maneat[1]». «Non enim rogat, ne secum *sit*, sed ut a se *transeat*. Deinde ait: *Non sicut ego volo, sed sicut tu* vis. Humanae in se sollicitudinis significans consortium, sed non discernens sententiam sibi communis cum Patre voluntatis». «Pro hominibus ergo vult transire calicem, per quem omnes tentandi discipuli erant; et ideo pro Petro rogatur, ne deficiat fides eius». «Sciens igitur, haec omnia post mortem suam desitura, usque ad mortem tristis est, et scit, hunc calicem non posse transire, nisi biberit; ideo ait: *Pater mi, si non potest transire calix iste, nisi bibam illum, fiat voluntas tua*, sciens, consummata in se passione, metum calicis transiturum, qui, nisi eum bibisset, transire non posset, nec finis terroris, nisi consummata passione, terrori succederet, quia post mortem eius per virtutum gloriam apostolicae infirmitatis scandalum pelleretur». — Intende, lector, his verbis pia diligentia, ne sint tibi vasa mortis.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XVII.

De voluntate et oratione Christi.

Post praedicta considerari oportet etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de natura assumta quantum ad conditiones naturae et quantum ad plenitudinem gratiae et quantum ad defectum passibilitatis. Hic incipit quarta pars, in qua agit quantum ad usum virtutis. Et quoniam usus virtutis comparationem habet ad voluntatem, a qua egreditur, et ad praemium, quod meretur; ideo pars ista habet duas partes. In prima determinat de voluntate Christi. In secunda determinat de merito, ibi[1]: *De merito etiam praetermittendum non est.* Et quoniam affectus voluntatis dignoscitur per petitionem orationis: ideo Magister simul determinat de voluntate Christi et de oratione Christi.

Dividitur autem pars ista in partes tres. In quarum prima movet dubitationem. In secunda eam determinat iuxta viam Sanctorum communem, ibi: *Quocirca ambigendum non est, diversas in Christo* etc. In tertia vero adhuc diligentius quaestionem propositam[2] explanat iuxta expositionem Hilarii specialem, ibi: *Illud etiam ignorandum non est, quod Hilarius* etc. Prima et ultima parte remanentibus indivisis, media dividitur in partes tres. In quarum prima quaestionem praepositam determinat. In secunda vero determinationem suam auctoritatibus Sanctorum confirmat, ibi: *Ex affectu igitur*[3] *humano, quem de Virgine traxit.* In tertia vero quandam auctoritatem dubiam Ambrosii manifestat, ibi: *Ceterum non parum nos movent verba ipsius Ambrosii* etc. Subdivisiones autem partium manifestae sunt in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio circa duo.

Et primo quaeritur de voluntate Christi.

Secundo vero quaeritur de oratione Christi.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum in Christo fuerint plures voluntates.

Secundo vero quaeritur de earum numero et sufficientia.

Tertio quaeritur de illarum voluntatum concordia vel controversia.

ARTICULUS I.

De voluntate Christi.

QUAESTIO I.

Utrum in Christo fuerint plures voluntates.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum in Christo fuerit voluntatum pluralitas. Et quod sic, videtur.

1. Ioannis sexto[4]: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*, ergo alia est voluntas ipsius Christi, alia voluntas mit- Fundamenta.

---

[1] Ibid. n. 37. Seq. locus ibid. paulo superius; tertius ibid. n. 38; ultimus ibid. n. 39. — Pro *ideo pro Petro rogatur*, cod. E cum pluribus edd. *rogat*, refragante etiam originali; respicitur ibi Luc. 22, 32. In fine pro *vasa mortis* edd. 1, 8 *causa mortis*.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Codd. Z bb (K a secunda manu) et edd. 1, 2 adiungunt *dist. 18.* Paulo inferius pro *simul*, quod edd. omittunt, cod. A *similiter*.

[2] Edd. *dubitationem motam.* Paulo inferius pro *parte* edd. exhibent *partibus* et deinde vocem *quaestionem* mutaverunt in *dubitationem.*

[3] Pro *igitur* codd. *Christi*, et pro *traxit* non pauci codd. *attraxit*; sed vide hic lit. Magistri, c. 2.

[4] Vers. 38: Quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam etc. — Plurimi codd. allegant *Matth. 5*, ubi v. 17. legitur: Nolite putare, quoniam veni solvere Legem etc. — Vide hic lit. Magistri, c. 2.

tentis; sed voluntas Christi secundum Divinitatem eadem est cum voluntate mittentis: ergo necesse est, quod Christus habuerit voluntatem secundum humanitatem et secundum Divinitatem: ergo habuit plures voluntates.

2. Item, Damascenus, tertio libro[1]: « Habere eum dicimus in duabus naturis duplicia ea quae sunt duarum naturarum naturalia, duas voluntates naturales, et divinam et humanam ».

3. Item, cuilibet naturae intellectuali respondet voluntas; sed in Christo fuerunt plures naturae intellectuales, sicut in praecedentibus[2] monstratum est: ergo plures voluntates.

4. Item, Christus meruit[3], sed meritum non est nisi secundum voluntatem creatam; Christus etiam omnia creavit, sed creatio non est nisi a voluntate increata: ergo Christus habuit voluntatem increatam et creatam: ergo habuit plures voluntates.

Ad oppositum.

CONTRA: 1. Damascenus, in libro tertio[4]: « Quorum substantia est eadem, horum et voluntas est eadem; et quorum diversa voluntas, horum diversa substantia »; sed divina natura et humana uniuntur in Christo in unitate hypostasis, quae est substantia individua, ita quod in Christo non sunt plures hypostases, sed una: ergo si in Christo non est reperire plures hypostases, nec plures voluntates.

2. Item, voluntas facit volentem, ergo plures voluntates faciunt plures volentes; sed Christus est unicus volens: ergo unicam tantum habuit voluntatem[5].

3. Item, voluntas est illud in homine, penes quod residet regimen et dominium omnium eorum quae aguntur in ipso et per ipsum; hoc autem in Christo non potest esse nisi unum solum, quia non possunt esse plura dominantia in uno et eodem absque controversia[6]: ergo necesse est, in Christo esse voluntatem unam solam.

4. Item, in Christo est tantum una personalitas, quia personalitas dicit nobilissimam conditionem, quae reperitur in substantia rationali[7]; sed voluntas est nobilissimum et supremum substantiae rationalis: ergo sicut in Christo est una tantum personalitas, ita videtur, quod sit tantum una voluntas.

CONCLUSIO.

In Christo plures sunt voluntates.

Conclusio.

RESPONDEO: Dicendum, quod cum in Christo sint plures naturae intellectuales, videlicet divina et humana, necesse est, in Christo plures esse voluntates. — Sicut enim in una natura corporali nobili ista duo se concomitantur, videlicet lux et calor; sic et in natura spirituali perfecta necesse est duo reperiri his duobus correspondentia, videlicet cognitionem et affectionem; sed cognitio est actus rationis, et affectio[8] voluntatis. Cum ergo in Christo sint plures naturae spirituales, necessarium est in Christo ponere plures intellectus et plures voluntates; et hoc manifestat Magister in littera[9] per multimodas Sanctorum auctoritates. — Unde et concedendae sunt rationes ad hanc partem inductae.

Ratio.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud vero quod obiicitur, quod quorum substantia est eadem, et voluntas est eadem; dicendum, quod *substantia* dicitur multipliciter: uno modo dicitur substantia idem quod *essentia* vel *natura*; alio modo dicitur substantia idem quod *suppositum*[10]. Damascenus autem in praedicta auctoritate accipit substantiam pro *essentia* vel *natura*. Argumentum vero in contrarium adductum procedit de *substantia-supposito* sive substantia, quae est individua; et hoc patet per ipsum Damascenum[11]. Ipse enim dicit sic: « Naturales, et non hypostaticas, id est personales, aimus voluntates »; et hoc probat ipse, quia in tribus personis una est voluntas, non propter unitatem in personis, sed propter unitatem in natura.

Substantia multiplex.

2. Ad illud quod obiicitur, quod voluntas facit

---

[1] De Fide orthod. c. 13.

[2] Dist. 2. a. 2. q. 2; d. 14. a. 3. q. 1. seq. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Quod in *maiori* enuntiatur, ab Aristot., IV. Topic. c. 5, nec non III. de Anima, text. 42. (c. 9.) sic exprimitur: In ratiocinativa enim voluntas fit. Cfr. ibid. text. 50. (c. 10.). — Maximus, Disputat. cum Pyrrho, hoc arg. in hunc modum profert: Siquidem igitur natura inest intelligentibus motus liberae potestatis; igitur omne intelligens etiam facultate voluntatis praeditum est... Quodsi omne intelligens etiam natura voluntatis facultate praeditum est, Deusque Verbum vere caro ratione utentium ac intelligentium more animata factus est; plane fit, ut, et qua homo erat, idem substantialiter voluntatis facultate praeditus esset. Cfr. Damasc., III. de Fide orthod. c. 14. et 18. nec non eiusdem opusc. de Duabus in Christo voluntatibus. Cfr. etiam Martini I, Epist. 3. et 4.

[3] Cfr. Infra d. 18. per totam. — De *minori* cfr. supra pag. 350, nota 9.

[4] De Fide orthod. c. 14, pluribus interiectis post *voluntas est eadem*. Cfr. Basil., Epist. 189. (alias 80.) n. 6. et 8.

[5] Maximus, Disputat. cum Pyrrho: « Si igitur unus Christus, tanquam unus omnino etiam volebat. Quodsi tanquam unus volebat, una prorsus est et eius voluntas, non duae... Non potest fieri, quin una cum voluntatibus etiam volentes inducantur ». Huius obiectionis fundamentum est illud axioma: Actiones sunt suppositorum.

[6] Pyrrhus in memorata Disputatione ait: Fieri non potest, ut in una persona duae sint, alia alii compositae, voluntates absque contrarietate (ἄνευ ἐναντιώσεως).

[7] Cfr. supra d. 5. a. 2. q. 2, d. 6. a. 2. q. 1, d. 10. a. 1. q. 2. — De *minori* cfr. II. Sent. d. 25. p. I. q. 6, scholion. — Paulo superius pro *una personalitas* codd. F T *una sola personalitas*.

[8] Edd. hic repetunt *actus*.

[9] Hic c. 2. — Pro *multimodas* cod. Z *multas*.

[10] Vide Aristot., de Praedicam. c. de *Substantia*, et VII. Metaph. text. 7. et 53. (VI. c. 3. et 15.).

[11] Libr. III. de Fide orthod. c. 14. Probatio, de qua fit mentio, est ibidem: Si enim *personales* esse concesserimus, tres sanctae Trinitatis personas diversae inter se voluntatis atque actionis necessario dicemus (ed. Migne). — Voci *individua* Vat. adiicit *natura*. In cod. A scriptum est *sive quae est substantia individua*.

volentem; dicendum, quod hoc, per se loquendo, intelligitur de *natura*, per consequens autem intelligitur de *persona*; et quoniam plures naturae possunt esse in una persona: hinc est, quod ad pluralitatem voluntatum, etsi consequatur pluralitas *naturarum*, non tamen consequitur *personarum* pluralitas. Ideo non sequitur: sunt plures voluntates, ergo plures, qui volunt; sed bene sequitur: sunt plures naturae, secundum quas insunt. Et hoc est quod dicit Damascenus [1]: « Quia duas naturas Christi duas eius naturales voluntates et naturales actus aimus. Quoniam autem una duarum naturarum est hypostasis, unum aimus et volentem et agentem naturaliter secundum ambas ».

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod voluntas dicit illud, penes quod residet regimen et imperium eorum quae sunt in ipso volente; dicendum, quod est imperans et dominans per privationem *coactionis*, et est imperans et dominans per privationem *subiectionis*. Primo modo accipiendo *imperans* convenit ipsi voluntati generaliter [2]; et hoc modo possibile est, plura *imperantia* reperiri in eodem, in quo reperiuntur plura a coactione libera, sicut in Christo est reperire liberum arbitrium secundum divinam naturam et humanam. Si autem dicatur *imperans* et *dominans* per privationem omnis *subiectionis*; sic bene concedendum est, quod necesse est esse unum solum. Sed tale imperium non competit omni voluntati; non enim competit voluntati humanae, quae debet esse subiecta divinae, sed illi voluntati competit, quae nihil habet superius se. Ideo ex hoc non potest argui, quod in Christo non sint plures voluntates, sed quod non sint plures voluntates divinae [3].

Duplex imperium.

4. Ad illud quod obiicitur, quod voluntas est proprietas spectans ad dignitatem, sicut et personalitas; dicendum, quod aliter et aliter dicitur haec proprietas et illa ad *dignitatem spectare*, secundum quod aliquid per superabundantiam dicitur dupliciter: vel *absolute*, sicut dicitur albissimus, id est valde albus; vel *in comparatione*, sicut dicitur albissimus omnium. Et quod dicitur per superabundantiam *absolute* potest pluribus convenire; quod autem dicitur per superabundantiam in *comparatione* convenit uni soli [4]. Dico ergo, quod personalitas accipitur penes dignitatem excellentiae respectu omnium, quae sunt in ipsa persona, et ideo in uno non potest esse nisi una personalitas; voluntas autem non sic, quia dicit potentiam substantiae rationalis nobilem et perfectam. Et ideo sicut plures naturae nobiles possunt se compati in una persona in Christo, sic et plures voluntates.

Notandum.

Duplex superlativus.

SCHOLION.

I. Error Monothelitarum, reprobatus iam a Concilio Chalcedonensi (an. 451), magis explicite a Concilio Constantinopolitano III. (an. 680) damnatur his verbis: « Duas naturales voluntates in eo (Christo) et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum Ss. Patrum doctrinam praedicamus; et duas naturales voluntates non contrarias » etc. (cfr. supra d. 12. a. 2. q. 1, scholion).

II. Alex. Hal., de hac et seq. q. S. p. III. q. 15. m. 1. — Scot., de hac et seq. q. in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic a. 1. quaestiunc. 1; S. III. q. 18. a. 1. — B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 2. 3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., de hac et seq. q. hic a. 1. q. 1. — Durand., de hac et 2. seqq. qq. hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et 2. seqq. qq. hic q. 1. — Biel, hic q. unica.

III. Quoad 2. quaestionem conveniunt magistri in hoc, quod appetitus « sensitivus, qui dicitur sensualitas » (S. Thom., S. III. q. 18. a. 2.), cum pertineat ad perfectionem naturae humanae, fuerit in Christo, et quod hic appetitus vocari possit *voluntas* in sensu largiore et quasi per participationem, quia in homine natus est obedire rationi. — Quadruplicis divisionis voluntatis, hic ex Hugone allatae, alii auctores non faciunt mentionem. Et notandum, quod haec voluntas *pietatis* hic in penultima solutione argg. recte dicitur esse *conditionata*. — Duo actus voluntatis rationalis, qui a Ioanne Damasceno vocantur *thelesis* et *bulesis* (hic arg. 3. ad oppos.) et a Magistro voluntas ut *natura* et voluntas ut *ratio*, ab aliis autem voluntas *naturalis* et *deliberativa*, diffuse explicantur a S. Bonav., II. Sent. d. 24. p. 1. a. 2. q. 3. De eisdem respectu Christi S. Thom. (hic a. 1. quaestiunc. 3; S. loc. cit. a. 3.) cum Petr. a Tar. speciali quaestione tractat (cfr. etiam Scotus, loc. cit. n. 3-5). Communiter docetur, hanc divisionem tantum respicere *actus*, non ipsam *potentiam*.

De 2. quaestione: S. Thom., hic a. 1. quaestiunc. 2; S. loc. cit. a. 2. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. 3.

QUAESTIO II.

De numero et sufficientia voluntatum in Christo.

Secundo quaeritur de voluntatum numero et sufficientia; dividit enim Magister [5] voluntates Christi in tria membra, quorum unum est voluntas divinitatis, aliud voluntas rationis et tertium voluntas carnis seu sensualitatis. Sed quod ista divisio sit *superflua*, videtur:

---

[1] Libr. III. de Fide orthod. c. 14: Quoniam igitur duae Christi naturae sunt, duas proinde eius etc. (ed. Migne). — Maximus, Disputat. cum Pyrrho, argumentum retorquens respondet: Si enim concedatur una cum voluntatibus induci volentes, omnino etiam consentanea reciprocatione cum volentibus inducendae erunt voluntates occurrentque, vestra sententia... Deitatis [in Deo]; idcirco quidem quod eius una voluntas, una quoque hypostasis ac persona, errore Sabellii; quod vero tres personae, tres etiam voluntates, ac proinde tres naturae, errore Arii; siquidem, ut Patrum definitiones habent atque regulae, voluntatum distinctio distinctionem quoque naturarum infert.

[2] Cfr. II. Sent. d. 25. p. II. q. 1. in corp. et q. 4. seq. — Paulo superius pro *regimen* edd. *regnum*.

[3] Maximus, loc. cit., eandem obiectionem paulo aliter solvit.

[4] Sicut docet Priscian., de quo vide tom. II. pag. 399, nota 4. Cfr. etiam Aristot., VII. Topic. c. 1. — Paulo superius pro *omnium* cod. K *hominum*.

[5] Hic in lit. c. 2.

1. Primo auctoritate Damasceni in tertio libro [1]:

Argg. pro parte 1. « Duas, inquit, naturas Christi, duas eius voluntates naturales et naturales actus aimus »: ergo si divisio Damasceni est completa, quae est per duo membra, videtur, quod praedicta divisio sit superflua.

2. Item, Philosophus dicit in tertio de Anima et etiam in Topicis [2], quod « voluntas est in sola rationali »: ergo nulla voluntas videtur esse sensualitatis; et si hoc, tertium membrum praedictae divisionis superfluit.

3. Item, penes voluntatem attenditur liberum arbitrium [3]; sed in Christo non sunt nisi duo libera arbitria: ergo non nisi duae voluntates: ergo etc.

4. Item, voluntas consequitur naturam [4]; sed in Christo sunt tantum duae naturae: ergo tantum duae voluntates.

Sed contra: Quod sint non tantum duae, sed etiam *plures* quam tres, videtur:

1. Auctoritate Hugonis in libello, quem fecit de

Pro parte 2. Voluntatibus Christi [5], ubi ait sic: « Fuit in Christo voluntas Deitatis et voluntas rationis et voluntas pietatis et voluntas carnis »: ergo quatuor differentiae voluntatis.

2. Item, sicut Christus habuit *sensualitatem*, ita habuit *synderesim;* et sicut *sensualitatis* est appetere bonum carnis, ita *synderesis* est appetere bonum honestatis [6]: ergo sicut ponitur aliqua voluntas in Christo secundum *sensualitatem*, ita videtur, quod deberet poni secundum *synderesim*, et ita quatuor voluntatis differentiae.

3. Item, voluntas secundum Damascenum [7] dividitur prima divisione in *thelesim* et *bulesim*, hoc est in *naturalem* et *deliberativam;* istae duae differentiae constat quod fuerunt in Christo, sicut et praedictae: ergo videtur, quod Christus habuerit voluntates plures quam tres.

4. Item, voluntas sequitur cognitionem; sed in Christo est reperire quatuor genera virtutum cognoscitivarum, quia in ipso cognoscebat sensus exterior, cognoscebat sensus interior, cognoscebat intellectus humanus, cognoscebat intellectus divinus [8]: si ergo cuilibet cognitioni respondet affectio, et cuilibet affectioni voluntas; videtur, quod in Christo fuerit quadruplex voluntatis differentia.

Est igitur quaestio de praedictae divisionis suf-

Quaestio generalis. ficientia.

CONCLUSIO.

Secundum duas naturas in Christo sunt duae voluntates, secundum potentias sunt tres, secundum actum volendi vero quatuor.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod voluntas [9] tripliciter habet considerari: aut secundum *naturam*, aut secundum *potentiam*, per quam quis vult, aut secundum *modum volendi*. Et secundum istam triplicem considerationem tripliciter habet dividi voluntas in Christo. — Secundum enim comparationem ad *naturam* dividi habet divisione bimembri. Duplex enim in Christo est voluntas, divina videlicet et humana secundum duas naturas; et sic considerat Damascenus voluntatem Christi, cum eam dividit in duo membra.

Voluntas intelligitur tripliciter.

Conclusio 1.

Si autem consideretur voluntas secundum *potentias* [10], per quas quis vult, sic dividi habet divisione trimembri. Nam in Christo fuit potentia *divina* et potentia *rationalis creata* et potentia *sensitiva*, per quarum quamlibet in actum volendi exibat. Et sic dividit Magister in littera per tria membra, ita quod illa tria habent reduci ad divisiones duas bimembres, quae sunt per differentias immediatas, quia voluntas in Christo fuit aut *divina*, aut *humana;* et si *humana*, aut sequens cognitionem *sensitivam*, aut sequens cognitionem *intellectivam*. Et sic patet sufficientia praedictae divisionis in tria membra.

Conclusio 2.

Per comparationem autem voluntatis ad *modum volendi* habet multiplicari voluntas in Christo divisione quadrimembri; et sic consideravit magister Hugo voluntatem Christi, cum eam per quatuor membra divisit. Ait enim sic [11]: « In Christo fuit voluntas *Divinitatis* et voluntas *rationis* et voluntas *pietatis* et voluntas *carnis:* voluntas *Divinitatis* per iustitiam sententiam dictabat, voluntas *rationalis* per obedientiam veritatem approbabat, voluntas *pietatis* per compassionem in malo alieno suspirabat, voluntas *carnis* per passionem in malo proprio murmurabat ». — Et sic patet secundum [12] diversos modos dividendi voluntatum Christi numerus et sufficientia, quia secundum diversas considerationes multiplicari habet modo divisione bimembri, modo divisione trimembri, modo divisione quadrimembri sine aliqua repugnantia. Et in hoc manifesta est responsio ad

Conclusio 3.

Ad quaestionem.

---

[1] De Fide orthod. c. 14. Vide supra pag. 365, nota 1.

[2] Libr. III. de Anima, text. 42. (c. 9.) et IV. Topic. c. 5. Vide supra pag. 364, nota 2.

[3] Cfr. II. Sent. d. 25. p. I. q. 2. seqq.

[4] Vide supra pag. 364, nota 2.

[5] Cfr. tom. I. pag. 858, nota 6. — In fine arg. post *ergo quatuor* cod. K supplet *sunt.*

[6] Vide II. Sent. d. 39. a. 2. q. 1.

[7] Libr. II. de Fide orthod. c. 22. et III. c. 14. Cfr. tom. II. pag. 565, nota 1.

[8] Ut ostensum est supra d. 14. a. 3. q. 1.

[9] Vat. adiicit *Christi.* Mox pro *secundum naturam*, quam lectionem ut veriorem et subnexis congruentem ex cod. T restituimus, edd. nec non complures codd. *secundum naturalem voluntatem*, alii codd. *secundum naturam voluntatem*, cod. A *secundum voluntatum*, scil. *naturam*, quae vox supplenda erit. Nobis non sine veritatis specie esse videtur, quod librarii vocem *voluntatem* substituerint pro *volentem*, et quod prima lectio fuerit haec: *secundum naturam volentem.*

[10] Cod. X *potentiam, per quam.*

[11] Libell. de Quatuor Voluntat. in Christo. Cod. K cum textu origin. *voluntas rationis* pro *voluntas rationalis.*

[12] Ita codd. A (K a secunda manu) N Q in aliis et edd. *per.*

obiecta, praecipue ad auctoritatem Hugonis et Damasceni.

2. Ad illud vero quod obiicitur de verbo Philosophi, quod voluntas est in sola rationali; dicendum, quod Philosophus accipit voluntatem stricte, videlicet pro appetitu ratiocinativo [1]; Magister autem et Sancti accipiunt voluntatem large ad omnem humanum affectum, sive procedat ex ratione, sive procedat ex sensu.

Ad argg. pro 1. parte.

3. Ad illud quod obiicitur, quod penes voluntatem attenditur liberum arbitrium; consimili modo respondendum est, quod hoc intelligitur de voluntate proprie dicta; et sic verum est, quod in Christo non habet nisi duas differentias; Magister autem accipit nomen *voluntatis* pro appetitu [2].

4. Ad illud quod obiicitur, quod voluntas consequitur naturam; dicendum, quod voluntas consequitur naturam, sicut potentia consequitur substantiam; et quia in una substantia possunt esse plures potentiae, nihil impedit, in Christo reperiri plures voluntates [3] ex parte unius naturae, scilicet naturae humanae, et unam ex parte divinae naturae, et ita in universo tres.

1. 2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod multo plures deberent esse per auctoritatem Hugonis [4] et propter synderesim et thelesim et bulesim; dicendum, quod

Ad argg. pro 2. parte.

ex illis auctoritatibus non potest argui, quod in Christo sint plures voluntates quam tres, nisi accipiatur divisio voluntatis secundum *modos volendi;* per quem modum rationalis voluntas multiplicari habet in voluntatem *rationis* et *pietatis*, hoc est secundum conditionalem et absolutam [5], dividi etiam habet in naturalem et deliberativam. Sed per hoc non potest argui, quod praedicta divisio sit insufficiens, quia accepta est secundum *potentias; uni* enim *potentiae* possunt respondere *plures modi volendi.*

Nota.

4. Ad illud quod obiicitur, quod quadruplex est in Christo cognitio, et ita quadruplex debet esse affectio; dicendum, quod cognitio sensitiva *exterior* non habet perfectionem absque *interiori.* Sicut enim vult Augustinus, non est perfecta visio ex concursu organi et obiecti, nisi adsit interior *intentio* copulans unum cum altero, sicut dicitur in libro de Trinitate undecimo [6]. Illam autem *intentionem* vocat Augustinus *sensualitatem*, dicens, quod sensualitas est illa, « per quam intenditur in corporis sensus »; et penes hanc attenditur appetitus carnis. Et ideo Magister ex parte cognitionis sensitivae unam tantum ponit voluntatem, scilicet voluntatem sensualitatis; si enim acciperet secundum sensus exteriores, iam non una, sed quinque essent voluntates secundum quinque differentias sensuum exteriorum [7].

Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum istae voluntates in Christo fuerint conformes, vel repugnantes.

Tertio quaeritur de illarum voluntatum conformitate et concordia, et quaeritur, utrum istae voluntates fuerint in Christo conformes, vel repugnantes. Et quod sint *repugnantes,* videtur:

1. Ex ipsa dominica oratione, qua dicebat: *Non sicut ego volo, sed sicut tu* vis [8]: ergo aliud volebat Christus, secundum quod homo, et oppositum, secundum quod Deus: ergo voluntas humana non erat conformis divinae.

Ad oppositum.

2. Item, Augustinus, super Psalmum trigesimum secundum [9]: « Quantum distat Deus ab homine, tantum distat voluntas Dei a voluntate hominis; unde gerens hominem, Christus ostendit privatam quandam hominis voluntatem »: ergo si privata voluntas est voluntas repugnans voluntati divinae, videtur etc.

3. Item, Christus flebat de destructione Ierusalem [10], ergo volebat Ierusalem non destrui; et secundum divinam iustitiam volebat, eam destrui: ergo voluntas humana adversabatur divinae.

---

[1] Multi codd. *ratiocinato.*

[2] Appetitus autem sequitur sensum, ut Aristot. docet, II. de Anima, text. 20. (c. 2.) dicens: Si autem sensum [habet], et imaginationem et appetitum; ubi enim sensus est, et dolor et voluptas consequitur; ubi autem haec sunt, ex necessitate et desiderium est.

[3] Post *voluntates* edd., posito commate, inserunt *duas.*

[4] Vat. absque auctoritate codd. et inconvenienter hic subiicit *Damasceni;* inconvenienter, aimus, quippe cum in divisione voluntatis a Damasc. facta non sit sermo de *synderesi.*

[5] Cfr. I. Sent. d. 48. a. 2. q. 2: Voluntate *rationis* debemus etiam velle malum poenae, quod scimus Deum velle; sed voluntate *pietatis* possumus *conditionaliter,* sive quantum est in nobis, si Deo placet, non velle. Nam et ipse Deus, quantum in se est, non vult etc. Vide etiam ibid. dub. 4. — Subinde pro *etiam habet* cod. K *etiam potest.*

[6] Cap. 2. n. 2. seqq. — Definitio sensualitatis deinde ex August. allata invenitur in eius lib. XII. de Trin. c. 12. n. 17: Qui in corporis sensus intenditur sensualis animae motus. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXIV. c. 4. seq. et ibid. Comment. p. II. dub. 3. — Paulo superius pro *interior intentio* edd. 1, 2 *interior attentio,* Vat. *interior attentio seu intentio.* Paulo inferius pro *intentionem* edd. cum non paucis codd. *attentionem.* Inferius etiam post *attenditur* Vat. adiungit *sive intenditur.*

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[8] Matth. 26, 39. — Paulo superius ante *istae voluntates* cod. A interserit *omnes,* et plerique codd. pro *fuerint* substituunt *essent.* Etiam postea pro *sint* codd. A K bb exhibent *essent.*

[9] Vers. 1: Exsultate iusti in Domino, rectos etc., in Enarrat. 2. n. 2. Textus origin. post *Christus* [edd. *homo Christus*] sic prosequitur: et regulam nobis proponens, docens nos vivere, et praestans nobis vivere, ostendit hominis quandam privatam voluntatem. Cfr. lit. Magistri, hic c. 2. — Codd. et edd. falso allegant *Ps. 35.*

[10] Luc. 19, 41.

4. Item, videtur, quod voluntas rationis et sensualitatis adversentur sibi invicem, quia, secundum quod dicit Augustinus de Trinitate [1], voluntates sunt contrariae, quae sunt contrariorum volitorum; sed voluntas rationis volebat mori, voluntas sensualitatis volebat vivere: ergo sensualitatis et rationis erant voluntates contrariae.

5. Item, pavor et securitas sunt affectiones contrariae; sed in voluntate rationis erat securitas, in voluntate sensualitatis erat timiditas [2]: ergo contrario modo afficiebatur voluntas rationalis et voluntas sensualis. Sed tales sunt voluntates sibi invicem adversantes: ergo etc.

6. Item, aut ratio *assentiebat* sensualitati refutanti [3] mortem, aut *repugnabat*. Si *assentiebat:* ergo assentiebat in contrarium voluntati divinae: ergo peccabat mortaliter. Si *repugnabat:* ergo voluntas rationis et sensualitatis fuerunt in Christo repugnantes.

Sed contra: 1. Voluntas humana secundum Fundamenta. rectum ordinem debet esse subiecta divinae: ergo si in Christo repugnabat, videtur, quod in Christo erat inordinatio et culpa.

2. Item, omnis motus, qui adversatur voluntati divinae, est motus ad illicitum, et omnis talis motus est peccatum: ergo si Christus secundum humanam voluntatem aliquid volebat adversum voluntati divinae, ergo in Christo erat peccatum. Sed hoc est falsum: ergo etc.

3. Item, aut voluntas sensualitatis in Christo *subiacebat* omnino rationi, aut *adversabatur*. Si omnino *subiacebat:* ergo nulla erat ibi repugnantia. Si *adversabatur* in aliquo: ergo caro in Christo concupiscebat adversus spiritum. Sed «nonnullum vitium est, cum *caro concupiscit adversus spiritum* [4] »: ergo in Christo fuisset vitium et peccatum.

4. Item, aeque ordinatus vel ordinatior fuit Christus in se ipso, sicut Adam in statu innocentiae; sed in statu innocentiae nulla fuit in Adam repugnantia voluntatum [5]: ergo nec in Christo fuit aliqua repugnantia voluntatis sensualitatis ad rationalem, nec rationis ad divinam: ergo nulla.

CONCLUSIO.

In Christo fuit voluntatum concordia, quamvis ex parte voliti non esset identitas.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod *conformitas* voluntatis ad voluntatem in duobus consistit, videlicet in *volito* et in *ratione volendi*. Conformitatem in *volito* dico, quando diversae voluntates unum et idem volunt. Conformitatem in *ratione volendi* dico, quando idem eodem modo volunt, vel altera earum vult illud eodem modo, quo superior vult eam velle. Cum igitur ad perfectam conformitatem ista duo concurrant, alterum eorum est de necessitate conformitatis, videlicet conformitas in *modo*, alterum vero aliquando *de necessitate*, aliquando *de congruitate*, aliquando *praeter necessitatem et congruitatem*, videlicet conformitas in *volito*. Possibile est enim, quod voluntates sint conformes, ita quod una subsit alteri; et tamen non volunt idem, quia voluntas superior non vult inferiorem velle, quod ipsa vult, sed magis velle contrariūm. Conformitas voluntatum est in duobus. Axioma.

Quoniam igitur conformitas in *ratione volendi* fuit in omnibus voluntatibus Christi, quia sic volebat sensualitas, sicut volebat ratio eam velle; sic volebat etiam ratio Christi, sicut divina voluntas volebat ipsam velle: ideo concedendum est, quod in Christo fuit voluntatum concordia et consonantia, quamvis ex parte voliti non esset identitas, quia unaquaeque voluntas quod suum erat volebat. — Et hoc est quod dicit magister Hugo [6]: « Secundum *divinam* voluntatem quod iustum erat voluit; secundum voluntatem *rationis* iustitiae consensit et iustitiam approbavit; secundum autem voluntatem *pietatis* sine odio intime condoluit miseriae, quemadmodum secundum voluntatem *carnis* iustitiam non accusabat, sed poenam recusabat. Unaquaeque voluntas quod suum erat operabatur, et quod ad se pertinebat sequebatur: voluntas *divina* iustitiam, voluntas *rationalis* obedientiam, voluntas *humanitatis* misericordiam, voluntas *carnis* naturam; neque Conclusio. Confirmatur.

---

[1] Libr. XI. c. 6. n. 10, hoc utens exemplo: « Voluntas videndi fenestram, finem habet fenestrae visionem; altera est enim quae ex ista nectitur voluntas per fenestras videndi transeuntes, cuius item finis est visio transeuntium ». Cfr. II. Sent. d. 38. lit. Magistri, c. 3. Planius de hac re August. loquitur XIV. de Civ. Dei, c. 6: Omnes [motus voluntatis] nihil aliud quam voluntates sunt... Et omnino pro varietate rerum, quae appetuntur atque fugiuntur, sicut allicitur vel offenditur voluntas hominis, ita in hos vel illos affectus mutatur et vertitur. Cfr. etiam 83 Qq. q. 40. Demum lectorem remittimus ad consulendos illos locos, quibus August. refutat sententiam Manichaeorum, qui, ut causam explicarent pugnae inter carnem et spiritum, duas animas in homine statuebant, bonam aliam, et malam alteram; de quo videsis VIII. Confess. c. 10. n. 22. seqq.

[2] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2, et supra d. 15. a. 2. q. 2. nec non dub. 3. — Mox pro *rationalis* et *sensualis* codd. A H K *rationis* et *sensualitatis*. Deinde pro *adversantes* codd. U X *repugnantes*.

[3] Cod. K *recusanti*. Hic lit. Magistri, c. 2. legitur: Sensu autem carnis refugit et recusat. Secundum Du Cange, Glossar. etc., *refutare* idem est ac respuere, reiicere, repellere; in quo sensu occurrit apud S. Thom., hic a 2. quaestiunc. 2. arg. 2.

[4] August., XIX. de Civ. Dei, c. 4. n. 3: Neque enim nullum est vitium, cum, sicut dicit Apostolus (Gal. 5, 17.), *caro concupiscit* etc.

[5] Cfr. II. Sent. d. 30. a. 1. q. 1. — Paulo superius cod. bb *vel etiam ordinatior*.

[6] In libello de Quatuor Voluntat. in Christo. Textus origin. in testimonio allegato post *sine odio* adiicit (etiam cod. U) *iustitiae*, et deinde inferius tum post *contraria erat*, tum post *miseriam non amare* non pauca addit, quae in codd. et edd. desiderantur.

altera alteri contraria erat. Sicut enim *Deitati* natura erat iustitiam non deserere, sic *carni* intererat naturam servare, et *pietati* alienam miseriam non amare. Iustum itaque *carni* erat, quod passionem suam noluit, quia hoc erat secundum naturam; et iustum *Deo* erat, quod passionem illius voluit, quia hoc erat secundum iustitiam ». Et sic patet, quod licet diversa essent volita, voluntates tamen in Christo habuerunt consonantiam. — Concedendae sunt igitur

Epilogus. rationes ostendentes, quod voluntates in Christo non fuerunt repugnantes, nec *humana* voluntas divinae, nec *sensualis* rationali; alioquin sequeretur, in Christo fuisse peccatum transgressionis et vitium corruptionis, sicut obiectum fuit; quorum utrumque est alienum a Christo, in quo fuerunt omnes motus rationales recti, et omnes motus sensualitatis pacati, iuxta illud, quod dicit Augustinus [1] signatum fuisse per animalia, quae fuerunt in arca Noe quieta et pacata.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium de oratione Domini: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis; respondent aliqui [2], quod ex hoc

Solutio 1. non concluditur, contrarietatem voluntatum fuisse in Christo, pro eo quod alius et alius *modus volendi* non inducunt contrarietatem, nisi prout considerantur *secundum idem*. Unde quia alius et alius modus volendi consideratur circa aliam et aliam voluntatem, ideo non inducunt contrarietatem nec repu-

Non sufficit. gnantiam. — Sed iste modus respondendi non sufficit, quoniam, si aliqui duo homines, qui habent diversas voluntates, contrario modo se habeant circa aliquod volitum, dicuntur habere voluntates contrarias.

Et propterea potest aliter dici, quod conformitas

Solutio auctoris. voluntatis ad voluntatem dupliciter attenditur, vel secundum *assimilationem*, vel secundum *subiectionem*. Dominus autem a voluntate *sensualitatis* non requirebat conformitatem *assimilationis*, ut idem vellet, quod ipse vellet; sed conformitatem *subiectionis*, ut id vellet, quod Deus ordinavit eam velle; et Dominus in praedicta petitione tollit conformitatem *assimilationis*, cum dicit: *Non sicut ego* [3], et ponit conformitatem *subiectionis* in hoc, quod ostendit, se velle divinae voluntati subesse. Unde in praedicto verbo insinuatur duplex voluntas in Christo, una videlicet *rationis*, quae erat similis et subiecta divinae voluntati; *altera* vero *sensualitatis*, quam ratio subiiciebat voluntati divinae, licet ipsa sensualitas contrarium appeteret; et ita, quamvis non esset *similis*, erat tamen *subiecta*, ac per hoc non erat contraria.

2. Ad illud Augustini quo dicitur, quod voluntas humana in Christo distabat a voluntate divina; dicendum, quod Augustinus intendit ibi ponere distantiam quantum ad *diversitatem voluntatum* et quantum ad *distantiam volitorum*, non autem quantum ad *subiectionis ordinem* in volendo; et ideo illa distantia non ponit controversiam.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Christus nolebat, Ierusalem destrui, voluntate humana; dicendum, sicut Hugo [4] dicit, quod illa erat voluntas *pietatis*, quae ideo flebat, quia misericordiam diligebat; et quia Deus sic volebat eam velle, ideo divinae voluntati non repugnabat; erat enim ibi conformitas in *ratione volendi*, quamvis non esset in *volito*. Quod enim sic vellet, hoc habebat a Deo, et Deus volebat, eam sic velle.

4. Ad illud quod obiicitur, quod voluntas sensualitatis repugnabat [5] rationi, quia volebat contrarium; dicendum, quod contrarietas ex parte *voliti* non dicit contrarietatem in voluntate, nisi sint tales voluntates, quae non tantum sunt natae conformari per subiectionem, sed etiam per identitatem ex parte voliti.

5. Ad illud quod obiicitur, quod contrariis affectionibus disponebantur, utpote securitate, timore, gaudio et tristitia; dicendum, quod una illarum affectionum subiecta erat alteri et quodam modo *materialis*; sicut dictum fuit supra [6], quod gaudium in Christo non contrariebatur dolori, quia gaudebat de ipso dolore; sic et in proposito intelligendum est.

6. Ad illud quod obiicitur, quod ratio consentiebat sensualitati, aut dissentiebat; dicendum, quod

---

[1] In locis, ubi August. de arca eiusque significatione tractat, scil. I. Quaest. in Pentateuch. q. 4. seqq., XII. contra Faustum, c. 14. seqq., et XV. de Civ. Dei, c. 27, sententia Augustino hic tributa non occurrit. Guliel. Antissiodor., S. p. III. tr. 1. c. 6. q. 1, Alex. Hal., S. p. III. q. 15. m. 2, et S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2, qui etiam Augustinum pro hac sententia allegant, subiungunt *super Genesim*; sed « nec ibi, nec alibi, ut P. Nicolai in ed. Commentarii. S. Thom. observat, occurrit. Insinuat de iustis vetus Glossa ». Cfr. Gregor., II. in Ezech. homil. 4. n. 16. seq. — Post *Augustinus* codd. K O inserunt *hoc*, et pro *signatum* codd. V X exhibent *significatum*.

[2] Guliel. Antissiodor., S. p. III. tr. 1. c. 6. q. 1: Dicimus, quod penes diversitatem vel contrarietatem volitorum attendenda est diversitas vel contrarietas voluntatum, nec tamen quolibet modo nec quarumlibet voluntatum, sed earum tantum, quae sunt *in eodem susceptibili*; sed voluntas rationis, qua Christus voluit mori, erat in vi rationali... voluntas autem sensualitatis erat in vi brutali... Voluntas etiam sensualitatis non proprie dicitur voluntas... unde tales duae voluntates non sunt positae sub *eodem genere proximo*. Praeterea, voluntate sensualitatis vult homo non mori, sive fugit mortem *secundum se*, non propter aliud; voluntate vero rationis vult homo mori *non secundum se*, sed secundum accidens, nec propter se, sed propter aliud... et ideo, quia illarum voluntatum secundum se non sunt contraria secundum se volita, patet, quod non sunt contraria (contrariae?).

[3] Edd., paulo ante pro *petitione* substituta voce *locutione*, cum paucis codd. adiiciunt *volo*. Paulo superius pro *ut id vellet* codd. A H K N bb *ut idem vellet*.

[4] Vide in corp. quaest. — In fine solut. pro *eam sic velle* edd. *eum sic velle*.

[5] Ita codd. A K M O; alii et edd *repugnat*.

[6] Dist. 46. a. 2. q. 2. — Post *materialis* edd. supplent *fuit ad alteram*.

quodam modo *consentiebat*, quodam modo *dissentiebat*, secundum quod aliquis potest alicui dupliciter consentire, aut volendo *idem*, quod ipse vult, aut volendo *ipsum* [1] *velle*. Ratio autem sensualitati *consentiebat* volendo, eam sic moveri, et hoc idem erat licitum sensualitati, unde non volebat nisi licitum; *non* autem *consentiebat* volendo idem ipsum, quod sensualitas, hoc enim esset illicitum voluntati rationis. Et hoc non ponebat, carnem concupiscere adversus spiritum, sive rebellionem sensualitatis ad rationem; illa enim rebellio ponit utrumque dissensum.

De triplici statu quoad consensum et dissensum.

Unde notandum, quod *dissensus* potest esse sensualitatis ad rationem et quantum ad *volitum* et quantum ad *actum volendi;* et hoc idem [2] pertinet ad naturam lapsam per poenam et culpam. Et est ponere *consensum* quantum ad utrumque, ita quod sensualitas subiaceat rationi; et hoc pertinet ad naturam institutam. Et est ponere *medium*, ita quod consentiat ratio sensualitati respectu *actus volendi*, sed non respectu *voliti;* et hoc pertinet ad naturam habentem poenam absque culpa, qualis fuit natura a Christo assumta, quae aliquid habuit de natura instituta, aliquid de natura lapsa [3].

SCHOLION.

I. Quaestio haec procedit de conformitate voluntatum in praecedenti quaestione enumeratarum; et supponitur distinctio inter velle *efficaciter et absolute* et velle *imperfecte* (velleitas) et *sub conditione*. Constat autem, ut supra d. 12. a. 2. q. 1. tactum est, actum *efficacem* voluntatis rationalis in Christo semper fuisse divinae voluntati conformem tum in *ratione volendi* (obiecto formali) tum in *volito* (obiecto materiali). Item constat, quod nec ipse Deus vult, creatam voluntatem semper in *volito* idem actu velle, quod ipse, salva tamen conformitate respectu supremae *rationis volendi* (cfr. I. Sent. d. 48. a. 2. q. 2.); aliis verbis, ut praeclare dicitur (hic ad 1.), Deus vult conformitatem secundum *subiectionem*, sed non semper secundum *assimilationem*. Unde sequitur, quod hoc modo etiam in Christo voluntas *sensualitatis*, voluntas rationalis ut *natura*, voluntas *pietatis* (quae est in comparatione ad sua membra) aliquid aliud velle potuerunt ac Deus, quin tamen simpliciter fuerit contrarietas voluntatum. — In solutione ad 1. primus modus, quem sequuntur Alex. Hal., S. Thom. aliique, non placet nostro auctori nec B. Alberto. S. Thomas (S. III. q. 18. a. 6.) axioma, cui innititur ista solutio, ita exprimit: « Contrarietas non potest esse, nisi oppositio attendatur *in eodem* et *secundum idem;* si autem secundum diversa et in diversis existat diversitas, *non sufficit* hoc ad rationem contrarietatis, sicut nec ad rationem contradictionis ». Tamen in sequentibus idem ita explicat hoc axioma, ut minime neget, posse interdum esse contrarietatem voluntatis, licet agatur de diversis voluntatibus. — Solutio autem S. Bonaventurae bona est, quidquid quidam dixerint, dummodo attendatur mens ipsius, quae est, quod voluntas humana Christi ut *natura* refugiebat *inefficaciter* mortem, sed ut *deliberativa* tum mortem tum horrorem naturalem mortis *efficaciter* acceptabat.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 15. m. 2. — Scot., III. Sent. d. 15. n. 22. seqq., et Report. ibid. n. 8. — S. Thom., hic a. 2. quaestiunc. 1-3; S. loc. cit. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1-3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. 3. 4.

ARTICULUS II.

De oratione Christi.

Consequenter quaeritur de oratione Christi. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum decuerit Christum orare.

Secundo quaeritur, utrum in omni oratione sua fuerit exauditus.

Tertio quaeritur, utrum illa oratio, qua oravit in passione, fuerit sensualitatis, aut rationis.

QUAESTIO I.

Utrum decuerit Christum orare.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum decuerit Christum orare. Et quod sic, videtur.

1. Lucae sexto [4]: *Exivit in montem orare et erat pernoctans in oratione Dei;* sed Christus nihil fecit, nisi quod ipsum decuit: ergo conveniens fuit, ipsum orare. Fundamenta.

2. Item, cui competit sacrificium offerre, eidem competit orare; sed Christo maxime competebat oblatio sacrificii pro salute generis humani: ergo ei maxime competebat orare.

3. Item, nulli magis competit orare, quam ei qui est pontifex et sacerdos; sed Christus fuit pontifex noster et sacerdos, secundum quod dicitur ad Hebraeos [5]: ergo sibi maxime competebat oratio.

---

[1] Id est *actum* volendi. — Edd. hic inserunt voculam *sic*, quam paulo inferius ante *moveri* omittunt. Post pauca pro *volendo idem ipsum, quod* edd. *volito, id est in ipsum, in quod.*

[2] Pro *idem*, quod cod. H omittit, Vat. *quidem.*

[3] Cfr. supra d. 16. a. 1. q. 3. ad 2.

[4] Vers. 12.

[5] Cap. 5, 1. seqq. et 6, 17. seqq. — Subinde pro *ergo sibi* edd. *ergo ei.*

4. Item, oratio spectat ad perfectionem [1] vitae contemplativae; sed decuit Christum habere perfectionem in utraque vita: ergo etc.

5. Item, nullum decet magis orare, quam eum qui est dignus exaudiri et facilius potest impetrare; sed nullus est dignior exauditione quam Christus [2]: ergo videtur, quod sibi maxime convenit orationis usus.

Ad oppositam.

SED CONTRA: 1. Augustinus de Correptione et gratia [3]: « Nemo quaerit ab alio quod per se potest »; sed Christus omnia poterat per se: ergo nihil debebat ab alio petere, ergo nec orare.

2. Item, oratio est actus personae inferioris respectu eius quem orat; sed persona Christi est aequalis Patri: ergo non decuit Christum orationem fundere ad Deum [4].

3. Item, « oratio est ascensus intellectus in Deum [5] »; sed intellectus Christi semper erat sursum, sicut Deo unitus, et in continuo fruitionis actu: ergo non videtur, quod competeret ei usus orationis.

4. Item, « indivisa sunt opera Trinitatis [6] », ergo impletio petitionum spectat ad totam Trinitatem, ergo qui petit aliquid ab una persona, petit et ab omnibus; sed non decet Christum petere aliquid a se — nullus enim se ipsum orat, vel petit aliquid a se ipso — ergo non videtur, quod decuerit Christum aliquid a Patre per orationem impetrare.

5. Item, voluntas Christi hominis erat per omnia conformis voluntati Patris, ergo nihil petebat, nisi quod sciebat Patrem velle: ergo etiam si non peteret, nihilominus quod petebat impleretur: ergo frustra petebat aliquid. Sed nihil decuit Christum frustra facere: ergo non decuit Christum orare.

CONCLUSIO.

Christum absque dubio decuit orare, maxime in diebus carnis suae.

Conclusio.

RESPONDEO: Dicendum, quod absque dubio decens fuit, Christum orare, maxime *in diebus carnis suae* [7]. — Ratio autem huius condecentiae potest quadruplex assignari, videlicet propter *meritum*, propter *virtutis exemplum*, propter *veritatis argumentum* et propter *officium explendum*.

Ratio quadruplex.

Propter *meritum*: quia sua petitione et postulatione merebatur nobis, qui minus idonei eramus ad susceptionem beneficiorum Dei [8]. — Propter *exemplum*, ut scilicet discipulos suos, et per consequens alios invitaret ad orationis studium, in cuius exercitio maxime superatur adversarius; propter quod Dominus dicebat discipulis, Matthaei vigesimo sexto [9]: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* — Propter *veritatis argumentum*, ut ostenderet, se esse verum hominem et vere a Deo missum; propter quod dicitur Ioannis undecimo [10]: *Gratias ago tibi, Domine, quoniam audisti me; ego autem sciebam, quoniam me semper audis; sed propter populum istum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti.* — Propter *officium*, quia Christus habebat dignitatem sacerdotis et pontificis; unde sicut ad ipsius officium pertinebat sacrificium offerre pro peccatis, ita et pro peccatoribus exorare. Unde ad Hebraeos quinto [11]: *Omnis pontifex ab hominibus assumtus pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum;* et post, infra septimo: *Talis decebat ut esset nobis pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior caelis factus.* — His igitur de causis congruum fuit et decens, usum orationis in Christo reperiri; unde et rationes ad hoc inductae sunt concedendae.

Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur, quod nemo petit ab alio, si possit illud implere, quod petit; dicendum, quod illud verum est, secundum quod petitio et impletio attribuuntur eidem ratione eiusdem naturae; sic autem non est in proposito. Nam *petere* et orare competit Christo secundum naturam assumtam; sed *posse implere* debetur ei secundum naturam assumentem [12]. — Vel aliter potest dici, quod sicut motus aliquando est propter supplendam indigentiam *pro-*

Alia solutio.

---

[1] Pro *perfectionem* codd. F H *rationem*, codd. G I L N T V *orationem*. Verbo *spectat* edd. praemittunt *maxime*.

[2] Hebr. 5, 7: Qui in diebus carnis suae... exauditus est pro sua reverentia.

[3] In dicto libro verba allegata non inveniuntur; sententialiter tamen habentur in August. libro de Natura et gratia contra Pelagium, ubi c. 18. n. 20. legitur sic: Nam quid stultius quam orare, ut facias quod in potestate habeas? — Edd. sententiam August. sic exhibent: *Nemo petit ab alio quod per se potest implere.*

[4] August., Enarrat. in Ps. 29. enarrat. 2. n. 1: Quis orat? ad quem orat? quare orat? Orat Deus? orat ad aequalem? Causam autem orandi quam habet semper beatus, semper omnipotens, semper incommutabilis, aeternus et Patri coaeternus?

[5] Damasc., III. de Fide orthod. c. 24, ubi etiam *minor* insinuatur. Cfr. supra pag. 201, nota 7. — Pro *in Deum* codd. I Z aa *ad Deum*.

[6] Vide supra pag. 12, nota 2. — Damasc., III. de Fide orthod. c. 24. orationem definit « petitionem decentium a Deo ».

[7] Hebr. 5, 7. — Cod. O *in carne sua vel in diebus carnis suae*.

[8] Damasc., III. de Fide orthod. c. 24: Quemadmodum enim passiones sustinuit, nobis adversus ipsas victoriam tribuens, ita et orat, nobis viam faciens, ut dixi, ad ascensionem in Deum, et pro nobis omnem iustitiam adimplens.

[9] Vers. 41. — Haec ratio prae ceteris a Ss. Patribus in medium profertur; cfr. Ambros., in Ps. 118, 147; serm. 19. n. 18; V. Expos. Evang. Luc. 5, 18. n. 10. et 6, 12. n. 42. seq.; August., Enarrat. in Ps. 56. n. 5; Damasc. loc. cit. — Paulo ante cod. F: *in cuius exercitio caro superatur et adversarius.*

[10] Vers. 41. seq. — Hilar., X. de Trin. n. 71: « Nobis itaque oravit, ne Filius ignoraretur ». Cfr. Damasc. loc. cit.

[11] Vers. 1. — Seq. Script. locus ibid. 7, 26, quem plurimi codd. et edd. 1. 2 paululum mutilarunt omittentes *sanctus, innocens* et *a peccatoribus*. — August., Enarrat. in Ps. 85. n. 4: Orat [Christus] *pro* nobis ut sacerdos noster; orat *in* nobis ut caput nostrum; oratur *a* nobis ut Deus noster.

[12] August., Enarrat. in Ps. 29. enarrat. 2. n. 1: Ex quo enim [Iesus] homo, ex hoc et infirmus; ex quo infirmus, ex

priam, aliquando propter supplendam indigentiam *alienam;* sic et petitio et oratio. Cum autem aliquis orat propter *propriam* indigentiam supplendam, verum est quod dicit Augustinus: « Nemo petit ab alio quod ipse potest per se implere ». Cum autem petit propter supplendam indigentiam *alienam*, non requiritur defectus potestatis in petente, sed defectus potestatis, aut idoneitatis in eo, pro quo petitur, qui quidem defectus suppletur ex merito ipsius orationis. Cum enim aliquis dignus orat pro indigno, quodam modo acquirit sibi idoneitatem ex suae orationis merito.

2. Ad illud quod obiicitur, quod oratio est actus personae inferioris; dicendum, quod hoc verum est, attribuendo inferioritatem personae secundum eam naturam, secundum quam competit ei oratio. Oratio enim est actus conveniens personae ratione naturae; et sic non habet instantiam in proposito, quia, quamvis persona Christi ratione Divinitatis sit aequalis Patri, secundum tamen humanitatem minor est Patre, iuxta illud Ioannis decimo quarto[1]: *Pater maior me est.*

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod oratio est ascensus intellectus in Deum, secundum Damascenum; dicendum, quod *ascensus* potest dici *large*, vel *stricte*. Secundum quod *large* dicitur, sic potest dici intellectus ascendere in Deum, quando fertur in eum qui supra se est, implorando misericordiam, quae est *supra se*, aut relevando[2] miseriam, quae est *infra se;* et hoc modo accipiendo, non tantum competit nobis, verum etiam Christo; et sic cadit in definitione orationis. *Alio* modo ascensus in Deum dicit *novam* Dei considerationem, prout dicit elevationem intellectus nostri ad Deum, procedentem[r] gradatim a consideratione creaturae ad considerationem Creatoris. Et hoc modo non cadit in notificatione orationis nisi secundum statum viatoris. *Primo* modo accipiendo ascensum, fuit in Christo[3]; *secundo* vero modo accipiendo, *quodam* modo fuit, et *quodam* modo non fuit. Fuit quidem quantum ad hoc, quod Christus in actu orationis se revocabat ab occupatione vitae activae, ut totus esset intentus operationi vitae contemplativae. Quantum autem ad hoc, quod Christus erat continue comprehensor, sive vacaret actioni, sive cessaret ab actione; sic non dicitur fuisse in eo innovatio ascensionis per eum modum, per quem est in nobis.

Ascensus duplex.

Notandum. Distinctio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod postulatio orationis respicit totam Trinitatem; dicendum, quod verum est *ex consequenti*, licet quaedam orationes dirigantur ad Patrem, quaedam ad Filium. — Quod autem subiungitur, quod nemo petit aliquid a se; dicendum, quod verum est in eo qui est unius tantum naturae; sed qui est diversarum naturarum bene potest petere aliquid a se, ita quod secundum unam naturam sit petens, et secundum aliam sit exaudiens. Et sic est in Christo, qui erat Pontifex petens secundum humanam naturam, et erat Rex et Princeps exaudiens secundum divinam[4].

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod Christus nihil petebat, nisi quod sciebat Deum velle; dicendum, quod verum est; sed Christus bene sciebat, quod Deus quaedam volebat, quia sciebat[5], Christum ea nobis impetraturum per suam orationem; et ideo, orando et petendo quod Deus volebat, non frustra orabat, quia hoc ipsum, quod Deus disposuerat, nobis sua oratione impetrabat. Cum enim Deus disponit vel vult aliquid facere, non disponit in omnem eventum, sed praesuppositis congruentibus antecedentibus; sicut disponit nos salvare, si tamen velimus per bona merita salutem acquirere; sic et in proposito intelligendum est[6].

SCHOLION.

Patet, quod Christo ut homini competebat et competit orare pro *aliis*. Etiam *pro se* potuit orare, quatenus erat *viator*, ut aperte constat ex s. Scriptura (cfr. S. Thom., S. III. q. 21. a. 3.). Item, secundum s. Scripturam (Ioan. 14, 16; Hebr. 7, 25.) Christus etiam in *caelis* Patrem pro nobis orat, saltem *interpretative* et tacite, ut nonnulli putant. Sed secundum S. Bonaventuram (hic praesertim ad 1; IV. Sent. d. 11. p. I. dub. 4, d. 45. a. 3. q. 1. fundam. 1. 2.), S. Thomam (IV. Sent. d. 15. q. 4. a. 6. quaestiunc. 2. ad 1.) multosque alios Christus etiam *formaliter* pro nobis orat. Aliud est enim *meritum*, aliud *actus*

---

hoc et orans... Si divinitatem Domini nostri Iesu Christi consideres, quis orat? ad quem orat? quare orat?... Sed... *Et Verbum caro factum est*... habes maiestatem, ad quam ores; habes humanitatem, quae pro te oret. — Paulo inferius pro *Cum autem* (cod. Z omittit *autem*) *aliquis* edd. *Cum enim aliquis*. In fine solut. Vat. omittit *sibi*, scil. indigno.

[1] Vers. 28. — In Glossa *interlineari* (apud Petr. Lombard. et Lyranum) super Hebr. 7, 25. legitur: *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*, repraesentatione sui; ex ea enim natura, qua pontifex est, i. e. humana, quam caelis intulit, interpellat pro nobis. Cfr. Haymo in hunc loc.

[2] Vat. *revelando*, quod nobis, respectu habito ad verba *infra se*, minus conveniens visum est. Si legeretur *intra se*, lectio illa intelligi posset in sensu Dan. 9, 18 expresso et infra pag. 374, nota 10. explicato.

[3] August., Enarrat. in Ps. 34. enarrat. 2. n. 5: *In sinum meum convertetur oratio mea*, hoc intelligo dictum [de Christo], quia in sinu suo habebat Patrem. *Deus* enim *erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (II. Cor. 5, 19.). In se habebat quem deprecaretur; non erat ab illo longe, quia ipse dixerat: *Ego in Patre, et Pater in me est* (Ioan. 14, 10.). Sed quia oratio ad ipsum magis hominem pertinet; secundum enim quod Verbum est Christus, non orat, sed exaudit, et non sibi subveniri quaerit, sed cum Patre omnibus subvenit; quid est: *Oratio mea in sinum meum convertetur*, nisi in me ipso humanitas in me ipso interpellat Divinitatem?

[4] Ambros., III. de Fide, c. 2. n. 8: Quasi Altissimus donat, quasi homo precatur, aliud Creatoris, aliud Redemptoris est. Ibid. c. 4. n. 32: Rogat quasi filius hominis, imperat quasi Dei Filius.

[5] Intellige: praesciebat Deus.

[6] Cfr. supra d. 4. a. 2. q. 1. ad 1. et I. Sent. d. 40. a. 2. q. 2. ad 6. — In hoc ultimo enuntiato cod. A ter substituit *disposuit* pro *disponit*.

impetrandi (IV. Sent. d. 45. a. 2. q. 2. ad 1. 2.); et in nobis virtus *impetrandi* ad plura se extendit quam virtus *merendi*. Non sic autem est in Christo, qui insuper ea quae in *forma servi* merebatur vel impetrabat, ipse idem in *forma Dei* largiebatur sive faciebat.

De hac quaestione: Scot., in utroque Scripto IV. Sent. d. 45. q. 4. — S. Thom., hic a. 3. quaestiunc. 1. 2; S. loc. cit. a. 1. — B. Albert., hic a. 8. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. 2. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum Christus in omni oratione sua fuerit exauditus.

Secundo quaeritur, utrum Christus in omni oratione sua fuerit exauditus. Et quod sic, videtur:

1. Per illud quod dicitur Ioannis undecimo [1]:
Fundamenta. *Ego autem sciebam, quoniam semper audis me;* sed illud audire non est aliud quam exaudire: ergo etc.

2. Item, super illud Psalmi [2]: *Desiderium animae eius tribuisti ei, et voluntate labiorum eius non fraudasti eum;* Glossa: « *Voluntate labiorum*, id est verborum eius, hoc est per verba prolata, *non fraudasti eum;* quidquid enim dixit, factum est »: ergo etc.

3. Item, Christus magis dignus est exaudiri quam membra eius, petentia in nomine eius; sed Ioannis decimo quarto [3] dicitur: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis:* ergo multo fortius, quidquid ipse petiit, obtinuit.

4. Item, voluntas Christi fuit divinae voluntati conformis, ergo nihil desideravit et petiit, nisi quod Deus voluit; sed omne quod Deus voluit, fecit [4] et facit: ergo omne quod Christus petiit, impetravit.

5. Item, quod Christus petiit, petiit pie, perseveranter et ad salutem, nec habuit in aliquo remorsum conscientiae; sed quicumque petit sic, impetrat quod petit [5]: ergo omne quod Christus petiit, obtinuit.

Sed contra: 1. In Psalmo [6] dicitur de Christo:
Ad oppositum. *Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies:* ergo non exaudivit ipsum in eo quod clamavit: non ergo exaudivit ipsum in omni eo, quod petiit.

2. Item, in littera [7] dicitur: « Christus clamans non exauditur ad salutem corporalem; bonum quidem petiit, scilicet ut non moreretur; sed melius erat, ut moreretur »: ergo Christus non fuit in omni eo, quod petiit, exauditus.

3. Item, Christus petiit et oravit, ut calix transiret ab eo [8]; sed calix non transiit ab eo: ergo non in omni eo, quod petiit, fuit exauditus.

4. Item, Christus oravit pro suis crucifixoribus [9]; nec tamen omnes salvati fuerunt: ergo non fuit exauditus in omnibus.

5. Item, Christus oravit pro discipulis suis, ut servarentur a malo, secundum quod dicitur Ioannis decimo septimo [10]: *Non tantum pro eis, sed etiam pro eis qui credituri sunt* etc.; sed non omnes fuerunt servati a malo: ergo non in omnibus quae petiit, exauditus fuit.

CONCLUSIO.

Christus exauditus fuit in omni eo, quod petiit voluntate rationis sive absoluta, non vero in omni eo, quod petiit voluntate pietatis vel carnis.

Respondeo: Dicendum, quod cum oratio sit petitio procedens ex voluntate et desiderio [11]; secundum quod voluntas humana fuit in Christo secundum triplicem differentiam, sic et oratio. Nam quaedam oratio fuit exprimens sive procedens a voluntate *rationis*, quaedam a voluntate *pietatis*, quaedam a voluntate *carnis*. — Oratio procedens a voluntate *rationis* procedebat a voluntate, quae quidem requirebat exaudiri; et talis oratio in omnibus est exaudita, tum propter hoc, quod ista voluntas erat per omnia conformis voluntati divinae; tum etiam, quia adeo petebat digne et sancte, quod in omnibus erat exaudienda *pro sua reverentia* [12] et dignitate. — Oratio autem procedens a voluntate *pietatis* et voluntate *carnis* non fuit in Christo exaudita per omnia, tum quia hac voluntate non conformabatur Deo in omni volito, sicut habitum est prius [13]; tum etiam, quia illa petitio plus ordinabatur ad nostram instru-

Triplex oratio in Christo.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

---

[1] Vers. 42.

[2] Psalm. 20, 3. — Glossa, quae apud Petr. Lombard. nec non apud Lyranum habetur ut *interlinearis*, est secundum Cassiodorum.

[3] Vers. 13. — In fine arg. pro *obtinuit* cod. K *impetravit*.

[4] Psalm. 134, 6: Omnia quaecumque voluit Dominus fecit etc.

[5] Cfr. supra pag. 404, nota 9, et Guliel. Antissiodor., S. p. III. tr. 8. c. 5. q. 3. — Post *Item* codd. F bb (na a secunda manu) omittunt *quod*, et subinde edd. 1, 2 cum codd. F aa et non paucis aliis supprimunt semel *petiit*. In fine arg. pro *obtinuit* codd. A (K primitus) X substituunt *impetravit*.

[6] Psalm. 21, 3.

[7] Hic c. 2. in fine.

[8] Matth. 26, 39. — In *minori* plurimi codd. omittunt *ab eo*.

[9] Luc. 23, 34.

[10] Vers. 20. — Vat. cum paucis codd. post *Non tantum pro eis* supplet *rogo*, quod et in Vulgata habetur.

[11] Cfr. supra pag. 371, nota 6. — De triplici voluntate vide supra a. 1. q. 3. in corp. — Cod. F *ex voluntatis desiderio*.

[12] Hebr. 5, 7. — Pro *exaudienda*, quae scriptura est codd. A F (N U a secunda manu) X bb, alii codd. et edd. *exaudita*.

[13] Art. 1. q. 3. — De secunda ratione vide hic lit. Magistri, c. 2. in fine et c. 3. in fine. — Mox pro *ordinabatur*, quam lectionem ex codd. A K M (N a secunda manu) O U bb restituimus, alii codd. nec non edd. *ordinatur*.

ctionem quam ad divinam exauditionem. Magis enim petebat hac voluntate, ut nos erudiret, quam ut Deum ad suam petitionem inclinaret.

Ex his patet responsio ad quaestionem propositam et ad rationes ad utramque partem. Concedendum est enim, quod Christus exauditus fuit in omni petitione, qua petiit [1], ut exaudiretur, hoc est in omni eo, quod petiit voluntate rationis sive voluntate
Ad argg. absoluta. Unde rationes, quae ad primam partem inducuntur, verum concludunt. Concedendum est nihilominus, quod non in omni eo, quod petiit voluntate carnis vel pietatis, fuit exauditus, sicut rationes ad secundam partem inductae ostendunt. Non enim petebat, ut exaudiretur, sed ut nos erudiremur; sicut petiit, calicem a se transferri, et suis crucifixoribus condonari, *unum* [2] ex voluntate *carnis* ad ostensionem naturae assumtae, *alterum* ex voluntate *pietatis* ad ostensionem benignitatis et misericordiae.

1. 2. Ad illud tamen quod obiicitur de auctoritate Psalmi, dicendum, quod hoc dicitur de capite ratione membrorum, sicut Glossa ibidem [3] exponit; et multa consimilia reperiri consueverunt in Scriptura. Solutio oppositorum.

3. 4. 5. Ad tres rationes sequentes patet responsio per iam dicta, quia non ferunt instantiam pro *quacumque* oratione Christi, sed pro ea solum, quae procedebat ex voluntate *carnis* vel *pietatis*, sicut patet aspicienti.

SCHOLION.

I. Omnes concorditer docent, hanc quaestionem cum distinctione esse solvendam, quod scilicet, si consideratur *materia petita*, non omnis oratio Christi fuit exaudita, quia nec ipsa voluntatis intentio hanc exauditionem volebat; sed si loquimur de *fine intento*, sine dubio omnis eius oratio fuit exaudita. — Quoad solutionem 3. obiecti, scilicet quoad petitionem de translatione calicis, variae sunt expositiones. Opinio Hilarii refertur hic dub. 4; aliorum Sanctorum verba vide apud. S. Thom. (S. III. q. 21. a. 4. ad 1.).

De hac (2.) quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 16. m. 2. — Scot., Report. hic q. 2. — S. Thom., hic a. 3. quaestiunc. 4; S. art. cit. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 4.

II. Eandem solutionem sequentis (3.) quaestionis aliis verbis exhibet S. Thom. in Comment. (loc. cit. quaestiunc. 3.), scilicet quod illa oratio non fuerit a sensualitate ut *principio* eliciente actum orationis, sed ut *obiecto* movente rationem ad proponendum. Cfr. Alex. Hal., loc. cit. m. 1. — Scot., loc. cit. n. 7. — S. Thom., Sum. loc. cit. a. 2. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., loc. cit. q. 3

QUAESTIO III.

Utrum oratio, qua Christus oravit in passione, ut calix transferretur, fuerit a ratione, an a sensualitate.

Tertio quaeritur, utrum illa oratio, qua oravit in passione, ut calix transferretur a se [4], fuerit a ratione, an a sensualitate. Et quod a *sensualitate*, videtur:

1. Auctoritate Magistri in littera [5]: «Secundum
Argg. pro 1. parte. affectum sensualitatis Christus mori noluit, nec obtinuit quod secundum istum affectum petiit»: ergo videtur, quod petitio illa ex voluntate sensualitatis processerit.

2. Item, hoc ipsum ostenditur ex ordine verborum, cum dicit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu* [6]; aut hoc dicit ratione voluntatis *sensualitatis*, aut *rationis*. Quantum ad voluntatem *rationis* non dicit, quia illa erat per omnia divinae voluntati conformis: ergo hoc dicit quantum ad voluntatem *sensualitatis*: ex illa ergo voluntate procedebat postulatio orationis propositae.

3. Item, nullus sapiens petit vel orat contrarium eius quod vult [7]; sed ratio volebat mori: ergo petitio de evasione mortis non erat petitio *rationis*; et erat *rationis*, vel *sensualitatis*: ergo *sensualitatis*.

4. Item, peccatum est alicui petere [8] quod est peccatum appetere; sed appetere non mori peccatum esset ipsi voluntati rationali: ergo si illud petivisset, peccasset. Sed non peccavit: ergo non petiit: ergo petitio illa fuit a voluntate *sensuali*.

Sed contra: 1. Oratio sic definitur [9]; «Oratio
Pro 2. parte. est ascensus intellectus in Deum»; sed sensualitatis non est ascendere in Deum: ergo sensualitatis non est orare: ergo praedicta oratio non potuit esse sensualitatis.

2. Item, alio modo definitur oratio [10]: «Oratio est pius mentis affectus in Deum directus»; sed

---

[1] Non pauci codd. *quam petiit*; cod. A *in omni quod petiit*.

[2] Pro *unum* cod. S *unde hoc fuit*.

[3] His verbis a Petro Lombardo relatis: Dixit enim: *Pacem meam relinquo vobis* (Ioan. 14, 27.); et factum est. Verbum quoque eius impletum est, fugando daemones, sanando infirmos; praedicatio eius quoque recepta est.

[4] Matth. 26, 39.

[5] Hic c. 2. — Pro *nec obtinuit* non pauci codd., discrepantes cum verbis Magistri, *nec optavit*. Deinde pro *ex voluntate sensualitatis* cod. W *ex sensualitate*.

[6] Matth. 26, 39.

[7] Cod. F addit *et quod debet velle*.

[8] Multi codd. et edd. 1, 2 *appetere*. In fine arg. pro *sensuali* codd. G I Z *sensibili*, codd. L aa *sensualitatis*.

[9] A Damasc., III. de Fide orthod. c. 24. Cfr. supra pag. 201, nota 7.

[10] In libro de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 50: Devotio est *pius* et *humilis* affectus in Deum: *humilis* ex conscientia infirmitatis propriae, *pius* ex consideratione divinae clementiae. Oratio est mentis devotio i. e. conversio in Deum per pium et humilem affectum. — In fine arg. pro *orationis* plurimi codd. vitiose *rationis*.

sensualitas non habet ferri in Deum: ergo quantum ad actum sensualitatis non consistit usus orationis.

3. Item, solius rationis est conferre [1]; sed praedicta oratio fuit cum collatione quadam, sicut patet, cum dicitur: *Non sicut ego volo, sed sicut tu:* ergo non processit a *sensualitate*, sed a *ratione.*

4. Item, solius rationis est futura praecognoscere [2]; sed oratio illa, qua petebatur calix futurus transferri, erat ex futurorum praecognitione: ergo non erat *sensualitatis*, sed *rationis.*

CONCLUSIO.

Christi oratio in horto ad Patrem quoad materiam fuit sensualitatis, sed quoad formam fuit rationis.

Distinctio. Respondeo: Dicendum, quod de praedicta oratione est loqui dupliciter: aut quantum ad *materiam*, aut quantum ad *formam.* Si loquamur de ipsa quantum ad *materiam;* cum materia orationis

Conclusio 1. respiciat desiderium petentis, talis petitio fuit petitio *sensualitatis* [3], cuius desiderium erat ad non moriendum. Si autem loquamur de praedicta oratione

Conclusio 2. quantum ad *formam;* sic, cum forma petitionis respiciat discretionem proponentis, et talis modus proponendi sit ad discretionem rationis, concedendum est, quod talis oratio fuerit voluntatis *rationalis.*

Et per hoc patet responsio ad quaestionem pro-

Epilogus et explicatio. positam et etiam ad obiecta; ad quaestionem propositam, quia non est simpliciter concedendum, quod talis oratio fuerit *simpliciter rationis*, vel *simpliciter sensualitatis*, sed *quodam* modo huius, *quodam* modo illius: *sensualitatis* quantum ad *materiam*, sed *rationis* quantum ad *formam;* item, *sensualitatis* ut *moventis*, sed *rationis* ut *proponentis;* item, *sensualitatis* ut *pro quo*, sed *rationis* ut *a quo.* Unde bene et recte consuevit dici, quod ratio fuerit *advocatus* sensualitatis [4]. — Secundum Ad argg. hoc dissolvi possunt rationes ad utramque partem, quoniam procedunt his duabus viis, sicut patet aspicienti.

Sed tunc restat quaestio: cum ratio sciret, sen- Quaest. incidens. sualitatem in hac petitione nec exaudiendam nec [5] dignam exaudiri, utpote quia petebat contrarium divini propositi; quomodo hanc petitionem proposuit et pro ea allegavit? — Et dicendum est ad hoc, quod Ratio triplex. huius fuit ratio triplex [6]. Prima, ad *manifestationem veritatis* naturae assumtae, quae naturaliter refutabat passionem; et in hoc erudivit nostram *fidem.* — Secunda vero, ad *confirmandam* nostram *imbecillitatem*, ut non diffidamus, si passionum pericula exhorremus; et in hoc erexit nostram *spem.* — Tertio, ut ostenderet, *voluntatem* nostram divinae voluntati esse per omnia *subiiciendam*, quod ostendit in conditione apposita, non *sicut ego volo, sed sicut tu;* et in hoc ordinavit in nobis *caritatem* [7], quae affectum nostrum divinae voluntati per omnia conatur subiicere. Unde magis oravit pro nobis in illa oratione, quam oraret pro se. — Et attendendum Notabilis observatio. est, quod ratio [8] in petitione illa servavit formam prudentis et fidelis *advocati*, qui desiderium sensualitatis proponit, servata tamen forma *iuris.* Dictat enim *ius divinum*, quod omnis appetitus debet esse Deo subiectus. — Et per hoc patet determinatio obiectorum, patet etiam praedictae orationis finis et utilitas [9].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicitur: *Reliquit affectum infirmitatis, quo nemo vult mori, qui adeo naturalis est* etc. Hoc enim videtur falsum, quia multi occidunt semetipsos — sicut patet in desperatis — et desiderant mori: non ergo verum est quod dicit. — Item, Augustinus narrat de quodam in libro de Civitate Dei [10], quod « lecto Platonis libro, ubi de immortalitate animae disputavit, se praecipitem dedit de muro, ut de hac vita migraret ad eam quam credidit meliorem ». Ex hoc ipso videtur, quod aliqui sunt, qui mori desiderant.

Respondeo: Dicendum, quod est affectus *natu-* Affectus duplex. *ralis*, et est affectus *deliberativus.* Affectu *naturali*

---

[1] Aristot., III. de Anima, text. 57. (c. 11.): Deliberativa autem in rationalibus [est]; utrum enim aget hoc, an hoc, iam rationis est opus, et necesse est mensurare; maius enim persequitur.

[2] Ut insinuat Aristot., III. de Anima, text. 53. (c. 10.), et de Memoria et reminisc. c. 1.

[3] Codd. N U subiungunt *tantummodo*, pauci codd. et edd. addunt *tantum.* Paulo inferius pro *ad discretionem* edd. cum nonnullis codd. *a discretione.*

[4] Guliel. Antissiodor., S. p. III. tr. 1. c. 6. q. 3: « Dicimus, quod illa petitio fuit *rationis* et fuit etiam *sensualitatis*, sed aliter et aliter. *Rationis* fuit tanquam illa [illam?] proponens; *sensualitatis* fuit, quia vice sensualitatis proposita fuit a ratione. *Ratio* enim inclinata a sensualitate ad hoc proposuit illam tanquam *advocatus* sensualitatis ». Et inferius. « Haec dictio: *si possibile est*, non est de petitione, in quantum proponitur pro *sensualitate*, sed est addita ab ipsa *ratione; ratio* enim ex parte sua illud proponit, sicut *advocatus* multa proponit quandoque, quae nescit ille cuius est advocatus.

[5] Cod. K inserit *esse*, cod. A *esset* (!).

[6] De hac triplici ratione vide hic lit. Magistri, c. 2. et supra d. XV. c. 1.

[7] Respicitur illud Cant. 2, 4: Ordinavit in me caritatem. — Paulo ante pro *Tertio* cod. K *Tertia vero.*

[8] Ita recte codd. A K bb, in aliis et edd. *oratio;* paulo inferius prō *qui* plurimi codd. *quae.*

[9] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[10] Libr. I. c. 22. n. 1. Nomen istius fuit Cleombrotus; a Cicerone, I. Tuscul. Disput. c. 34, cognomine appellatur Ambraciota.

nemo vult mori, immo omnis homo refugit mortem. Affectu autem *deliberativo* potest quis appetere mortem et effugere vitam, non quia haec sit mors, et illa sit vita [1], sed ratione alicuius, quod est annexum, vel existimatur esse annexum; sicut desperati et vehementer in vita confusi propter confusionem annexam refugiunt vitam; sic est etiam de aliis incommodis. Per hunc modum etiam aliqui appetunt mortem, qui post mortem credunt quiescere et gaudere, sicut est in illis, de quibus opponit, in quibus non fertur instantia contra verbum Augustini [2]. Augustinus enim loquitur *per se*, loquitur etiam de appetitu *naturali*, non *deliberativo*.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *pius mentis affectus appetit dissolvi et esse cum Christo*, quia contrarium videtur, secundae ad Corinthios quinto [3]: *Nolumus exspoliari, sed supervestiri.* Si *tu dicas*, quod voluntate *naturali*, sive *sensualitatis* nolebat exspoliari, sed voluntate *rationis* sive deliberativa cupiebat dissolvi; *obiicitur* contra hoc per hoc quod dicitur ad Philippenses primo [4]: *Permanere autem in carne necessarium est propter vos;* sed Apostolus voluntate *deliberativa* id magis appetebat et volebat, quod erat fratribus magis necessarium: ergo illa voluntate videtur quod non appeteret dissolvi, aut simul appetebat duo contraria [5].

Respondeo: Dicendum, quod in carne nostra est duo reperire, videlicet ipsam *naturam* et *infirmitatem* aggravantem animam, secundum quod dicit Augustinus decimo tertio de Civitate Dei [6], quod corpus aggravat animam, non quia corpus, sed quia corruptibile. Cum ergo dicitur: *Nolumus exspoliari* etc., hoc dicitur quantum ad ipsam carnis *naturam*, de qua dicitur ad Ephesios quinto [7]: *Nemo unquam carnem suam odio habuit.* Quantum autem ad *infirmitatem* aggravantem dicitur: *Cupio dissolvi* etc. Et sic nulla est ibi contrarietas.

Duo in carne nostra.

Ad illud vero quod quaeritur, quomodo petebat simul dissolvi et permanere in carne; dicendum, quod est voluntas *absoluta* et voluntas *conditionalis;* et nihil impedit duo opposita velle, ita quod unum velit voluntate *conditionali*, alterum voluntate *absoluta.* Volebat igitur Apostolus in carne permanere propter utilitatem fratrum voluntate *absoluta*, volebat nihilominus dissolvi et esse cum Christo, sed hoc non *absolute*, sed quantum *in se erat;* et sic nulla erat repugnantia, erat tamen quaedam mentis angustia ex hoc duplici desiderio; propter quod dicit: *Coarctor ex duobus: desiderium habens dissolvi et esse cum Christo* [8].

Notandum

Dub. III.

Item quaeritur de illo verbo Ambrosii: *Ut homo dubitat, ut homo locutus est.* Videtur enim esse falsum: quia Christus habuit scientiam omnium futurorum sub certitudine: ergo videtur, quod de nullo potuerit [9] dubitare. — Item, in quemcumque cadit dubitatio, cadere potest ignorantia et error; sed nullum istorum potuit in Christo cadere: ergo videtur, quod non potuerit dubitare.

Respondeo: Dicendum, quod *dubitatio* proprie dicit indifferentiam iudicii rationis respectu utrinsque partis contradictionis, ita quod neutrum praeeligat alteri [10]; et hoc modo accipiendo dubitationem, in Christo non fuit dubitatio. Alio modo dicitur *dubitatio* indifferentia quaedam partis sensibilis ad sequendum affectum naturae inclinantem, vel rationem imperantem; et talis dubitatio potuit esse in Christo; et de hac intelligit Ambrosius, de alia vero currit obiectio [11].

Quid dubitatio.

Dub. IV.

Item quaeritur de illo verbo Hilarii: *Non sibi tristis fuit, nec sibi orat transire calicem, sed discipulis.* Videtur enim hoc esse falsum per ipsam orationis seriem. Ait enim: *Transeat a me calix iste* [12]; si petit, calicem transire a se: ergo videtur, quod pro se oravit. — Item, sic petebat, sicut volebat; sed Christus sentiebat, aliquid se velle, quod non vellet Pater, sicut ipse dicebat: *Non sicut ego volo, sed sicut tu:* si ergo aliqua voluntate sua ca-

---

[1] Sententia est: potest quis mortem appetere, non in quantum mors est, et vitam effugere, non in quantum est vita. — Pro *non quia haec* edd. *non quia illa.* Mox pro *existimatur* codd. A F L aa *existimant,* codd. G H I N T V *aestimant.*

[2] Scil. contra ipsa verba dubii, quae ex August. sumta sunt. — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 6.

[3] Vers. 4. — Mox ante *voluntate naturali* edd. cum aliquot codd. inserunt *ex.*

[4] Vers. 24. In hoc loco non pauci codd. perperam *propter nos.*

[5] Quod est impossibile. Cfr. Aristot., II. Periherm. c. 4. (c. 14.).

[6] Cap. 16 n. 1, ubi arguit contra philosophos, qui animae separationem a corpore non putant esse poenalem: Unde illud est quod de Scripturis nostris in superiori libro commemoravimus: *Corpus enim corruptibile aggravat animam* (Sap. 9, 15.). Addendo utique *corruptibile* non qualicumque corpore, sed quale factum est ex peccato, consequente vindicta, animam perhibuit aggravari. Quod etiamsi non addidisset, nihil aliud intelligere deberemus.

[7] Vers. 29. — Codd. *Eph. ultimo.* — Simili modo explicatur ab August., Epist. 140. (alias 120.) c. 6. n. 16. et Serm. 344. (alias 31. ex Sirmond.) de Amore Dei et amore saeculi, n. 3. seq.

[8] Phil. 1, 23, de quo vide August., III. de Doct. christ. c. 2. n. 4. et Enarrat. in Ps. 93. n. 19. — Cfr. de hoc dubio S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[9] Codd. A K T *poterat.* Paulo superius post *futurorum* edd. subiungunt *et.*

[10] Cfr. Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 6.) — Paulo inferius pro *sensibilis* cod. A *sensualis.*

[11] Cfr. de hoc dub. B. Albert., hic a. 8; S. Thom., hic q. 1. a. 4; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[12] Matth. 26, 39; ibidem et seq. loc. Scripturae.

licem passionis fugiebat, videtur, quod cum petiit, calicem transire a se, *pro se* oraverit.

Respondeo: Dicendum, quod orare pro aliquo contingit dupliciter: aut secundum *formam* orationis, aut secundum *intentionem* orantis. Secundum *formam* orationis Christus orabat *pro se*, id est pro voluntate sua sensuali [1]; secundum autem *intentionem* orantis in illa petitione Christus non *pro se* oravit, sed magis *pro nobis*. Non enim credidit, se in petitione illa aliquid obtenturum pro se, nec ratio voluisset obtinere sibi liberationem a passione, sed potius oravit ob triplicem nostram utilitatem, sicut in praecedentibus [2] tactum est. Hilarius ergo loquitur isto secundo modo; unde sermones sui, qui ponuntur in littera, referendi sunt ad principalem intentionem Christi; omnes autem obiectiones currunt secundum viam priorem.

DISTINCTIO XVIII.

Cap. I.

Si Christus meruit sibi et nobis, et quid sibi et quid nobis.

De merito etiam Christi praetermittendum [1] non est, de quo quidam dicere solent, quod non *sibi*, sed *membris* tantum meruerit. Meruit quidem *membris* redemptionem a diabolo, a peccato, a poena et regni reserationem, ut, amota *ignea romphea*, libere pateret introitus; sed et *sibi* meruit impassibilitatis et immortalitatis gloriam, sicut ait Apostolus [2]: *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Aperte dicit Apostolus, Christum propterea exaltatum per impassibilitatis gloriam, quia est humiliatus per passionis obedientiam; humilitas ergo passionis meritum fuit exaltationis, et exal- Augustinus. tatio praemium humilitatis. Unde Augustinus [3], exponens praemissum capitulum, ait: « Ut Christus resurrectione clarificaretur, prius humiliatus est passione; humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est praemium. Sed hoc totum factum est in forma servi; in forma Ambrosius. enim Dei semper fuit et erit claritas ». Item Ambrosius, idem capitulum tractans, ait: « Quid et quantum humilitas mereatur, hic ostenditur ». — His testimoniis evidens fit, quod Christus per humilitatem et obedientiam passionis meruit clarificationem corporis, nec id solum, sed etiam impassibilitatem animae. Anima enim ipsius ante mortem erat passibilis, sicut caro mortalis; sed post mortem merito humilitatis et anima impassibilis facta est, et caro immortalis. Utrum autem anima facta sit impassibilis, quando caro facta est immortalis, scilicet ipso resurrectionis momento, de auctoritate nobis certum non est; sed vel mox post carnis separationem anima impassibilitate donata est, aut in resurrectione, quando *caro refloruit* [4].

Cap. II.

Quod a conceptu meruit Christus sibi idem, quod per passionem.

Nec solum hóc meruit Christus, quando Patri obediens crucem subiit, sed etiam ab ipsa conceptione, ex quo homo factus est, per caritatem et iustitiam et alias virtutes, in quarum plenitudine fuit secundum hominem conditus, sibi tantum meruit, quantum post per martyrii tolerantiam. Tanta enim plenitudo spiritualium charismatum in eo fuit, quod in eis proficere non potuit; et ideo melior ipsius anima fieri non potuit, quam ab initio suae conditionis exstitit, quia proficere in meritis non valuit. Unde Gregorius [5] ait: « Non habuit Gregorius. omnino Christus iuxta animae meritum, quo potuisset proficere; in membris autem, quae nos sumus, quotidie proficit ». — Non ergo plus meruit sibi per crucis patibulum, quam a conceptione meruit per gratiam virtutum. Non igitur profecit secundum *animae meritum* quantum ad *virtutem meriti*; profecit tamen quantum ad *numerum meritorum*. Plura enim habuit merita in passione quam in conceptione; sed maioris virtutis non exstiterunt in merendo plura, quam ante fuerant pauciora. Meruit ergo a conceptione non modo Dubium 1. gloriam impassibilitatis et immortalitatis corporis, sed etiam impassibilitatem animae. Per quid? Per obedientiam et voluntatem perfectam, quam non tunc *primo* habuit nec *maiorem*, cum pati coepit et mori. Obediens enim perfecte [6] et bonus exstitit secundum hominem, ex quo fuit homo. — Habuit igitur anima illa aliquod bonum in se post mortem, quod non habuit ante. Num igitur *melior* vel *beatior* fuit quam ante? Absit, quod *melior* fuerit, quia non sanctior, non gratia cumulatior; nec etiam *beatior* fuit in Dei contemplatione, in quo praecipue beatitudo consistit. Potest tamen dici in hoc fuisse *beatior*, quia ab omni

---

[1] Pauci codd. *sensibili*, quod etiam in aliis legi potest, cum propter nimiam abbreviaturam scriptura vocis dubia sit. Post pauca pro *in illa petitione Christus non pro se* edd. *nulla petitione Christus pro se*. Voculam *non*, quam multi codd. omittunt, ex codd. F M N O V restituimus.

[2] Hic a. 2. q. 3. in fine corp. — Mox edd. omittunt *secundo*, et subinde post *sermones sui* codd. A K M O addunt *omnes*. — De hoc dubio vide B. Albert., hic a. 9; S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 2; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3. ad 5; Richard. a Med., hic a. 2. q. 2.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Codd. nostri *praetereundum*. — Cfr. de hac distinctione Hugo de S. Vict., Sum. Sent. tr. 1. c. 18. — Infra pro *reserationem* edd. 1, 8 male *resurrectionem*, et pro *libere* ponunt *liber*. — De *ignea romphea* cfr. Gen. 3, 24.

[2] Phil. 2, 8. 9. — Superius post *gloriam* edd. 1, 8 adiiciunt *secundum carnem*.

[3] Tract. 104. in Evang. Ioan. (17, 1.) n. 3. Sequens locus est super Epist. ad Phil. 2, 9. (inter opera Ambrosii).

[4] Psal. 27, 7.

[5] Libr. I. Homil. in Ezech. hom. 6. n. 8; est etiam in Glossa super Exod. 25, 31, ut insinuant cod. E et ed. 1.

[6] Vat. cum pluribus edd. *perfectus*, refragantibus codd. et edd. 1, 3, 7, 8.

miseria immunis; ex quo nequit inferri *simpliciter*, quod beatior fuerit.

Cap. III.

De eo quod scriptum est: Donavit illi nomen, quod est supra omne nomen.

Nec tantum gloriam impassibilitatis et immortalitatis meruit, sed etiam donari sibi *nomen, quod est super omne nomen*, scilicet honorificentiam, quod vocatur *Deus*. Hoc tamen nomen ante mortem habuit. Habuit enim hoc nomen *Dei*, in quantum *Deus* est, ab aeterno per naturam; in quantum vero *homo* factus est, habuit ex tempore per gratiam. Verumtamen Augustinus[1] dicit, «*homini* donatum esse illud nomen, non *Deo*, quia illud nomen habuit, cum in forma Dei tantum erat; sed cum dicitur: *Propter quod illum exaltavit et donavit illi nomen, quod est super omne nomen*, satis apparet, propter *quid* exaltaverit, id est propter obedientiam, et in qua *forma* exaltatus sit. In qua enim *forma* crucifixus est, in ea exaltatus est, et in ea donatum est ei nomen, ut cum ipsa *forma servi* nominetur unigenitus Filius Dei: hoc illi donatum est ut *homini*, quod iam habebat idem ipse *Deus*». Hoc igitur per gratiam accepit, ut ipse ens homo vel subsistens in forma servi, id est in anima et carne, nominetur et sit Deus. — Sed nunquid hoc meruit? Supra[2] enim dictum est, quia hoc tantum bonum homo ille non meruit; quomodo ergo hic dicitur: Propter obedientiam donatum est ei hoc nomen? Secundum tropum illum in Scriptura creberrimum hoc accipiendum est, quo dicitur res fieri, «quando innotescit[3]». Post resurrectionem vero quod ante *erat* in *evidenti positum est*, ut scirent homines et daemones. *Manifestationem* ergo illius nominis donavit ei Deus post resurrectionem, sed illam meruit per obedientiam passionis, qui, eo quod obedivit patiendo, exaltatus est resurgendo, et per hoc manifestatum est nomen. Hoc eodem tropo usus est etiam Dominus post resurrectionem dicens[4]: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*, non quod tunc primo acceperit, sed quam ante habebat, tunc manifestata est potestas. Ceterum Ambrosius[5] dicit, nomen illud donatum esse Deo, non homini, et videtur secundum verborum superficiem oppositus Augustino; sed intelligentia non obviat, licet diversum sapiat. Nam Ambrosius de naturali donatione id dictum intelligit, qua aeternaliter Pater generando dedit Filio nomen, quod est super omne nomen, scilicet esse Deum per naturam, quia genuit ab aeterno Filium plenum et sibi aequalem Deum; quod tamen nomen Apostolus propter passionis obedientiam Christo donatum dicit; sed praemisso locutionis modo accipiendum est.

Dubium 2. Augustinus. Dubium 3. Quaestio solvitur. Simile.

Cap. IV.

Si Christus sine omni merito habere valuit quod merito obtinuit.

Si vero quaeritur, utrum Christus illam immortalitatis et impassibilitatis gloriam et nominis Dei manifestationem sine omni merito habere potuerit; sane dici potest, quia humanam naturam ita *gloriosam* suscipere potuit, sicut in resurrectione exstitit, nomenque suum etiam aliter hominibus manifestare potuit; sed homo *passibilis* esse non potuit, sicut fuit, et ad illam gloriam *sine merito* pervenire. Potuit quidem pervenire ad illam sine *merito passionis*, quia potuit, consumta mortalitate, immortalitatis gloria vestiri, sed non sine *merito iustitiae* et *caritatis aliarumque virtutum*. Non enim Christus homo esse potuit, in quo *plenitudo virtutum et gratiae* non fuerit; nec virtutes ei inesse potuerunt, cilicio mortalitatis induto, quin per eas *mereretur*. Habens igitur has virtutes secundum hominem passibilem ac mortalem, non potuit non mereri gloriam immortalitatis; non igitur potuit, factus mortalis, *sine merito* gloriam impassibilitatis et immortalitatis ac manifestationem Dei nominis consequi. Potuit tamen haec[6] assequi sine merito *passionis*, quia per passionem nil sibi meruit, quod non ante per virtutes meruerit.

Cap. V.

De causa passionis et mortis Christi.

Ad quid ergo voluit pati et mori, si ei virtutes ad merendum illa sufficiebant? Pro te, non pro se. Quomodo pro me? Ut ipsius passio et mors tibi esset *forma* et *causa*: *forma* virtutis et humilitatis, *causa* gloriae et libertatis; *forma* Deo usque ad mortem obediendi, et *causa* tuae liberationis ac beatitudinis. Meruit enim nobis per mortis ac passionis tolerantiam, quod per praecedentia non meruerat, scilicet aditum paradisi et redemptionem a peccato, a poena, a diabolo; et per mortem eius haec nos adepti sumus, scilicet redemptionem et filiorum gloriae adoptionem. Ipse enim moriendo factus est hostia nostrae liberationis. — Sed quomodo per mortem nos a diabolo et a peccato redemit et aditum gloriae aperuit? Decreverat Deus in mysterio, ut ait Ambrosius[7], propter primum peccatum non intromitti hominem in paradisum, id est, ad Dei contemplationem non admitti, nisi in uno homine tanta existeret humilitas, quae omnibus suis proficere posset, sicut in primo homine tanta fuit superbia, quae omnibus suis nocuit. Non est autem inventus inter homines aliquis, qui id posset implere, nisi *leo de tribu Iuda, qui aperuit librum et solvit signacula*, implendo in se *omnem iustitiam*, id est consummatissimam hu-

Confirmatur. Ambrosius.

---

[1] Libr. I. contr. Maximin. c. 5, et II. c. 2, sed verba inde extracta verbotenus leguntur in Glossa ad Phil. 2, 9. — Paulo inferius P. Nicolai in sua editione proprio marte verba *nominetur unigenitus* mutavit in *nominatur, intelligatur unigenitus*. Sed Magister suam sententiam paulo inferius satis explicat.

[2] Dist. VII. c. 2. fere in fine.

[3] Ita Hugo a S. Vict., Quaestion. in Epist. ad Phil. q. 9, unde Magister etiam sequentem propositionem sumsit. — Paulo inferius post *ante erat* cod. B addit *in obscuro*, ed. 6 *obscurum*.

[4] Matth. 28, 18.

[5] Loc. supra cit.

[6] Ita codd. A B D E et ed. 6; in aliis *hoc*. Post *per virtutes* edd. 1, 8 addunt *sibi*.

[7] Comment. in Epist. Rom. 5, 14. (inter opera Ambrosii), secundum sensum. In quo loco post *omnibus suis* pro *proficere* cod. B *sufficere*. Ibi respiciuntur loci Scripturae Apoc. 5, 5; Matth. 3, 15; Gen. 3, 6; denique Colos. 2, 14.

militatem, qua maior esse non potest. Nam omnes alii homines debitores erant, et vix unicuique sua virtus sufficiebat et humilitas. Nullus ergo eorum hostiam poterat offerre sufficientem nostrae reconciliationi. Sed Christus homo sufficiens et perfecta fuit hostia, qui multo amplius est humiliatus, amaritudinem mortis gustando, quam ille Adam superbiit, per esum ligni vetiti noxia delectatione perfruendo. Si igitur illius superbia omnium exstitit ruina, ipsum de paradiso mittens foras aliisque occludens ianuam; multo magis Christi humilitas, qua mortem gustavit, ingressum regni caelestis omnibus suis, impleto Dei decreto, aperire valuit atque *decreti delere chirographum*. Ut enim ait Ambrosius[1]: « Tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus, nisi unigenitus Dei Filius pro nobis moreretur, debitoribus mortis, sed sic dignos nos fecit testamenti et promissae hereditatis ». Quod non ita est intelligendum, quasi non alio *modo* salvare nos potuerit quam per mortem suam, sed quod[2] per aliam *hostiam* non potuit nobis aperiri regni aditus et fieri salus nisi per mortem Unigeniti, cuius tanta fuit, ut dictum est, humilitas et patientia, ut eius merito pateret credentibus in eum aditus regni. Magna ergo in morte Unigeniti praestita sunt nobis, ut liceat nobis redire in patriam, sicut olim in morte summi Pontificis his qui ad civitatem refugii confugerant, secure licebat[3] ad propria remeare. — Ecce, aliquatenus ostensum est, qualiter per Christi mortem aditus regni sit nobis paratus.

Dubium 4.

Ambrosius.

Dubium 5.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XVIII.

De usu voluntatis Christi, qui consistit in exercitio merendi.

De merito Christi etiam praetermittendum non est etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de voluntate Christi. In hac parte agit de usu voluntatis, qui consistit in exercitio merendi. Dividitur autem pars ista in duas partes. In quarum prima agit de merito Christi in se. Secundo vero agit de ipso ad nostram utilitatem ordinato, ibi: *Ad quid ergo voluit pati et mori* etc.

Prima pars dividitur in quatuor partes secundum quatuor quaestiones, quas determinat. In prima determinat Magister, cui meruerit principaliter, ostendens, quod aliquid meruit sibi. In secunda vero determinat, quando mereri incepit, ostendens, quod ab instanti conceptionis, ibi: *Nec solum hoc meruit* etc. In tertia vero determinat, quid meruerit, ostendens, quod non tantum gloriam impassibilitatis, sed etiam exaltationem nominis, ibi: *Nec tantum gloriam impassibilitatis* etc. In quarta vero determinat, qua necessitate meruerit[1], ibi: *Si vero quaeritur, utrum Christus* etc.

Secunda vero pars principalis dividitur in duas partes. In quarum prima proponit efficaciam meriti Christi respectu nostri. In secunda vero multiplici auctoritate confirmat, ibi: *Sed quomodo per mortem nos a diabolo redemit* etc. Subdivisiones[2] partium manifestae sunt in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis, in qua agitur de merito Christi, incidit hic quaestio circa duo.

Primo quaeritur de ipsius merito quantum ad usum sive exercitium.

Secundo vero quantum ad praemium sive fructum.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum Christus meruerit ab instanti conceptionis.

Secundo quaeritur, utrum aliquid meruerit post conceptionem.

Tertio quaeritur, utrum aliquid meruerit in passione.

---

[1] In Glossa ad Hebr. 9, 15. apud Lyranum, sumta ex Alcuino (ibid.), qui, paucis mutatis, eam sumsit ex S. Chrysostomo (ad eundem locum). Ambrosius autem (in Ps. 47. n. 17.) tantum dicit: « Ut sanguine suo mundum lavaret, cuius peccatum nullo alio modo potuisset aboleri ».

[2] Ita codd. A B C E et edd. 1, 8; in aliis *quia*.

[3] Deest in pluribus codd. et edd., refragantibus codd. D E et edd. 1, 8. — Hic respicitur Iosue 20, 6.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Cod. O *In quarta ostendit, quando et qualiter meruerit.*

[2] Codd. A K adiiciunt *autem*.

ARTICULUS I.

De merito quoad usum sive exercitium.

QUAESTIO I.

Utrum Christus meruerit ab instanti conceptionis.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum Christus meruerit ab instanti conceptionis. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Ieremiae trigesimo primo[1]: *Novum faciet Dominus super terram, mulier circumdabit virum*, ergo Christus fuit vir ab instanti conceptionis; sed constat, quod non fuerit vir quantum ad aetatem: ergo fuit vir quantum ad animi vigorem: habuit igitur quantum ad animam virtutem et operationem viri perfecti. Sed haec consistit in merendo: ergo Christus meruit a suae conceptionis primordio.

2. Item, hoc ipsum videtur auctoritate Gregorii et Magistri in littera[2]: « Non solum meruit Christus, quando Patri obediens crucem subiit, sed ab ipsa conceptione, ex quo homo factus est ». Et hoc ipsum potest elici ab auctoritate Gregorii consequente.

3. Item, Christus ab instanti conceptionis suae fuit beatus; sed beatitudo est habitus in actu[3]: ergo a primo instanti conceptionis suae habuit actum gloriosum. Sed qua ratione per gloriam habuit actum gloriosum, eadem ratione per gratiam habuit actum virtuosum: ergo videtur, quod a primordio suae conceptionis Christus meruit.

4. Item, lux propter suam nobilitatem et actualitatem[4] in eodem instanti incipit esse et lucere: ergo si anima Christi multo nobilior et potentior et deiformior est, videtur, quod in instanti eodem, in quo incepit esse, coepit habere operationem sibi debitam. Sed talis est operatio meritoria: ergo etc.

5. Item, sicut animae nostrae se habent ad demeritum, ita anima Christi se habet ad meritum; sed animae nostrae in ipso instanti infusionis habent reatum culpae originalis[5]: ergo anima Christi ab ipso instanti conceptionis et infusionis habuit meritum virtutis.

Sed contra: 1. « Prius est *esse* quam *agere*[6] »: si ergo *mereri* est *agere*, anima Christi prius habuit *esse* completum, quam habuerit meriti usum: ergo non meruit a primordio conceptionis. Ad oppositum.

2. Item, omne quod exit ab otio in actum, prius quiescit, quam agat[7], et omne tale prius est, quam operetur; sed anima Christi incepit mereri: ergo de non operante facta est operans: ergo in merendo exivit ab otio in actum: ergo prius quievit: ergo non meruit ab instanti conceptionis.

3. Item, meritum est a voluntate deliberativa, in quantum deliberativa est; sed ubi est deliberatio, ibi est collatio[8]; ubi autem haec est, ibi est temporis successio: ergo non videtur, quod meritum Christi potuerit esse a suae conceptionis principio.

4. Item, Angelus non peccavit in primo instanti suae creationis; et tamen ita cito usum liberi arbitrii habuit, sicut aliqua anima rationalis, cum creatus esset in cognitionis perfectione[9]: ergo pari ratione videtur, quod nec anima Christi ab instanti conceptionis mereri potuerit.

5. Item, omne illud, quod anima Christi habuit a primordio conceptionis suae, habuit ab alio; sed meritum ortum habuit a libero arbitrio gratia informato: ergo non videtur, quod usum meriti habuit ab ipso conceptionis primordio.

CONCLUSIO.

Christus certo meruit ab instanti suae conceptionis, si loquamur de habitu, et probabiliter etiam quoad actum.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod ad perfectionem meriti duo concurrunt, videlicet ipse *habitus gratuitus* et ipsius Duo concurrunt ad meritum.

---

[1] Vers. 22. Argumentum, quod ex hoc loco deducitur, est secundum Hieron. in hunc loc. et Bernard., Homil. 2. super *Missus est*, n. 9; de quo cfr. supra d. 3. p. I. a. 1. q. 3. in corp. et p. II. a. 3. q. 1. ad 2. — Pro *ergo Christus fuit* edd. *videtur ergo, quod Christus fuerit.* Paulo inferius pro *sed haec consistit* cod. bb *sed haec consistunt.*

[2] Hic c. 2, ubi et verba Gregorii afferuntur.

[3] Vide supra pag. 310, nota 2.

[4] Pro *actualitatem* codd. F I T X bb et alii partim *actuitatem*, partim *activitatem*, codd. G L aa et edd. 1, 2 *acuitatem*, Vat. *actualitatem sive activitatem.* Paulo inferius pro *in instanti* codd. E H T *ab instanti.*

[5] Cfr. II. Sent. d. 30. a. 1. q. 2. — Subinde pro *ab ipso* edd. *a primo.*

[6] Aristot., IX. Metaph. text. 13. (VIII. c. 8.): Semper etenim ex eo quod potentia est, fit actu ens ab actu existente... movens autem actu iam est. Cfr. III. Phys. text. 17. (c. 2.) et tom. I. pag. 84, nota 7. Hilar., XI. de Trin. n. 19. ait: Meruisse aliquid posterius est, quam esse qui possit mereri. Mereri enim eius est, qui sibi ipsi meriti acquirendi auctor existat. — Mox pro *quam habuerit* edd. 1, 2 cum multis codd. *quam habuit.*

[7] Aristot., II. de Anima, text. 45. (c. 4.): Neque faber a materia [ferri patitur], sed ab illo haec; faber autem mutatur solum in actum ex otio.

[8] Vide supra pag. 375, nota 1. — De *maiori* cfr. supra pag. 350, nota 9.

[9] Cfr. II. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 2.

habitus *actus* vel usus[1]. Si ergo loquamur de merito quantum ad *habitum*, qui reddit habentem
Conclusio 1. dignum praemio, sic absque dubio concedendum est, quod a principio suae conceptionis Christus meruit, quia omni bono et praemio dignus fuit propter plenitudinem gratiae, quam Deus animae suae contulit et infudit[2]. Et ab hoc non discordat aliquis doctor catholicus. — Si autem fiat sermo de merito quantum ad virtutis *actum* sive usum, in quo proprie attenditur completa ratio merendi, sic est du-
Opinio 1. plex modus dicendi: unus, quod Christus meruit statim post principium conceptionis, non autem in ipso primo instanti. Et ratio huius est, quia operatio debet sequi *esse* substantiae; ideo necesse fuit, animam Christi prius esse quam agere, praecipue eo actionis genere, quod spectat ad usum voluntatis deliberativae; talis autem est actus meritorius. Et ideo si dicatur alicubi, Christum a primordio suae conceptionis meruisse; dicunt verum esse, secundum quod *a* dicit ordinem ad principium *extra* sumtum, non *intra*[3].

Est et alius modus dicendi, quod Christus quan-
Opinio 2. tum ad virtutis *usum* et actum meruit in ipso conceptionis primordio; hoc enim datum est ei per gratiam perfectissimam, ut in primo instanti, in quo incepit esse, non tantum haberet habitus virtutum, sed etiam actum, unde simul coepit esse et usum comprehensionis habere; et anima Christi in eodem instanti habuit creari et infundi, et gratia informari et exire in actum meriti, qui quidem consistit in motu bonae voluntatis.

Uterque tamen istorum modorum satis est ra-
Conclusio 2. tionabilis, sed primus facilior est et communior et secundum ipsum plana ad obiecta responsio. —
De 1. opinione. Nam quod dicitur Christus ab instanti conceptionis suae fuisse vir, et quod dicitur ab instanti conceptionis suae meruisse; hoc dicitur quantum ad *habitum*; et hoc innuit ipsum verbum Gregorii[4], cum dicit: «Non sibi plus Christus meruit per crucis patibulum, quam ab ipsa conceptione per *gratiam virtutum*». Notabile est, quod dicit «per *virtutum gratiam*», non per *virtutum usum*. Habuit enim *gratiam* a principio, ita quod *in* ipso principio; *usum* vero habuit a principio, ita quod *post* principium. — Et *si tu obiicias* de beatitudine et de luce[5], qui hoc tenent generaliter respondent, quod in omni creatura *esse* praecedit *operari* tam in corporali quam in spirituali, tam in actu naturae quam in actu gratiae, tam etiam in actu gratiae quam in actu gloriae. — Nec obstat illud quod obiicitur[6] de merito animae. Anima enim habet originale peccatum in sua infusione per modum *habitus*, non autem quantum ad *actum*. — Et sic secundum istam viam patet responsio ad omnia obiecta.

Si quis autem velit aliam viam tenere, videli-
De 2. opinione. cet quod Christus in primo instanti suae creationis[7] habuit *usum* liberi arbitrii propter excellentissimum gratiae donum et quantum ad actum *viatoris* et quantum ad actum *comprehensoris;* satis faciliter poterit ad obiecta in contrarium responderi.

1. Ad illud enim quod primo obiicitur, quod
Solutio oppositorum. prius est *esse* quam *agere;* dicendum, quod illud habet veritatem, si intelligatur de prioritate quantum ad ordinem *naturae*. Si autem intelligatur de prioritate quantum ad *durationem*, non habet veritatem, secundum quod expresse dicit Augustinus octavo
Notandum. super Genesim ad litteram[8], ubi dicit, quod in luce corporali *esse* non praecedit *agere;* et in Angelis, de quibus dicit, quod in primo instanti suae conditionis eas res cognoverunt, quae simul cum eis in *esse* prodierunt. Et in sexto de Trinitate[9] dicit, quod «si ignis esset aeternus, splendor ab igne egrediens esset aeternus». Et ideo satis rationabiliter potest dici, quod illud non habet veritatem de ordine *durationis*, sed de ordine *naturae*.

2. Ad illud vero quod obiicitur, quod sub-

---

[1] Alan. ab Insul., Theolog. Regul. regul. 90: Meritum boni consistit penes liberum arbitrium *occasionaliter*, penes virtutem *formaliter*, penes motum virtutis *essentialiter*, penes gratiam *efficaciter*, penes opus *instrumentaliter*. Libertas enim arbitrii occasio est meriti; penes enim liberum arbitrium est velle vel nolle; nec ipsum est efficiens causa, sed ad hoc faciens, non sufficiens. Virtus vero est causa formalis meriti, ex qua tanquam ex forma procedit motus, quo meremur. Ipse autem motus essentialiter meritum est, quia penes ipsum motum proprie consistit meritum. Gratia vero efficit, quod ipse motus est meritum; sine gratia enim nullus motus vel opus erit meritum; et ita penes gratiam consistit meritum efficaciter. Opus exterius est quasi causa instrumentalis meriti, et ita penes ipsum opus consistit ipsum meritum instrumentaliter.

[2] Cfr. supra d. 13. a. 1. q. 1. et 3.

[3] Ita Alex. Hal., cuius verba vide hic in schollo. — Paulo superius post *secundum quod* in Vat. desideratur praepositio *a*, pro qua edd. 1, 2, substituerunt *anima*. Aliquanto inferius pro *habitus virtutum* edd. nec non aliquot codd. exhibent *habitum virtutum*, et proxime post pro *actum* cod. O *actus*.

[4] Vel potius Magistri (hic c. 2.), ex Gregorii verbis hoc inferentis, ut Guilel. Estius in III. Sent. d. 18. § 1. observat dicens: Ex quo [Gregorii verbo] recte infert Magister, Christum non plus meruisse per crucis patibulum, quam a conceptione meruit per gratiam virtutum. Quamvis enim profecerit quantum ad numerum meritorum, prout successu temporis opera alia aliis et quidem maiora accedebant, non tamen proficiebat quantum ad virtutem meriti. Aequalitas enim gratiae aequalitatem meriti omnibus eius operibus conciliabat.

[5] Vide fundam. 3. et 4. — Mox pro *operari* cod. O *operationem*.

[6] In fundam. 5. — Pro *de merito* cod. C conformiter ad fundam. allegat *de demerito*.

[7] Pro *creationis* edd. *conceptionis*, et paulo inferius *respondere* pro *responderi*.

[8] Cap. 12. n. 26. August. verba videsis tom. I. pag. 186, nota 9. Edd. cum multis codd. allegant *lib. 5*, ubi c. 4. n. 10, c. 18. n. 36. et c. 23. n. 46. altera Augustini sententia hic allata invenitur, scil. de Angelorum cognitione, de qua cfr. etiam II. Sent. d. 4. a. 3. q. 1. et d. 13. a. 1. q. 1. — De prioritate naturae et durationis vide supra pag. 94, nota 4. — Paulo inferius pro *quae simul* codd. G H L T V Y aa contra mentem argumenti et sententiam Augustini *non simul*.

[9] Cap. 1. n. 1. Cfr. tom. II. pag. 115, nota 4.

stantia, quae incipit agere, exit ab otio in actum; dicendum, quod illud non habet generaliter veritatem, nisi intelligatur de operatione, sine qua substantia operans potest esse; de alia autem non habet veritatem, pro eo quod creatura simul incipit esse et operari; nec incipit operari, quia exit ab otio in actum, sed quia exit a *non esse* in *esse* [1]. Hoc modo potest intelligi in Christo quantum ad *actum gratiae* et *virtutis*.

3. Ad illud quod obiicitur, quod meritum est a voluntate deliberativa; dicendum, quod quamvis Notandum. secundum *processum naturae* deliberatio indigeat successione et tempore; tamen secundum *plenitudinem gratiae* et *gloriae* possibile est ipsi animae in instanti discernere, quod alias non posset facere « sine continuo et tempore [2] ». Et sic per *deiformitatem gloriae* intellectus potest simul plura intelligere, quamvis per *naturam* non intelligatur nisi unum solum simul et semel. Et quia anima Christi erat in plenitudine gratiae et gloriae; hinc est, quod non indigebat mora temporis ad discernendum, quid eligendum, quid fugiendum, quid amandum, quid odiendum.

4. Ad illud quod obiicitur de Angelo, dicendum, Notandum. quod non est simile; non enim sic poterat simul et semel cognoscere plura, secundum quod anima Christi cum plenitudine gratiae. Praeterea, *peccatum* dicit motum deordinatum et contrarium naturali rectitudini, sed *meritum* dicit naturalis rectitudinis complementum; et licet non decuerit, aliquam substantiam creari cum actu contrario rectitudini naturali, decuit tamen creari in actu et cum actu consonante ipsi naturae et eam complente, maxime illam, in qua Deus a primordio suae conditionis plenissime habitavit, sicut fuit anima Christi [3].

5. Ad illud quod obiicitur, quod illud quod inest a primordio conditionis inest aliunde; dicendum, quod si illud intelligatur praecise, ita quod anima Christi se habeat solummodo per modum suscipientis et nullo modo cooperantis, non habet [4] veritatem. Potuit enim ipsi animae dari, ut cooperaretur Deo statim, cum fuit, et ita quod aliquid haberet in se, quod non tantum esset aliunde, verum etiam a se; et sic potuit esse in actu virtutis et exercitio meriti.

Si quis igitur velit sustinere hunc modum di- Nota. cendi, non videtur multum deviare a probabilitate rationis nec etiam a pietate fidei, quae, quanto plus potest, ipsi Christo gratiae et honoris attribuit.

SCHOLION.

I. In tota hac distinctione multa supponuntur, quae a theologis de merito eiusdemque speciebus et conditionibus solent tractari, et quae etiam a S. Bonav. in I. Sent. d. 41. a. 1. q. 1; II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. et 3. (vide ibi scholion), d. 29. a. 3. q. 2, d. 40. a. 2. q. 1-3, et III. Sent. d. 4. a. 2. q. 1-3. iam explicata, vel saltem tacta sunt. Speciatim autem supponitur, quod omnes conditiones ad merendum requisitae sufficienter fuerint in Christo, et quod de facto meruerit; de quo in seq. quaestione nonnulla dicuntur.

II. Quoad primum instans temporis, in quo incepit actus merendi in Christo, Alex. Hal. (S. p. III. q. 16. m. 2. § 1.) cum B. Alberto et, ut refert Dionys. Carth., Uldarico aliisque antiquis docet primum modum hic in corp. relatum his verbis: « Est principium *extra* sumtum, vel *intra* sumtum. Si dicatur principium *intra* sumtum, non est dicere, quod a principio conceptionis meruerit, quia tunc principium illud dicit illud instans, quo producebatur in *esse* per Spiritum S. Si vero initium vel principium dicatur *extra* sumtum, tunc est dicere, quod Christus meruit a principio conceptionis, quia statim, postquam conceptus est, habuit plenum usum liberi arbitrii » etc. Ratio, cui idem innititur, est 1. arg. ad oppos., quod S. Bonav., saltem quoad Christum, non approbat (ad 1-5), sed tantum quoad *demeritum* Angelorum, ut docetur. hic ad 4. et etiam II. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 2. Durand. (hic q. 2.) sententiam Alexandri censet esse probabilem, immo idem, ulterius progressus, dubitat, anne hoc meritum inceperit posterius et post nativitatem ex utero, contradicentibus omnibus antiquis Scholasticis. — S. Bonav. tamen etiam oppositam opinionem iudicat esse *probabilem* et obiecta contra eam bene solvit; insuper ostendit, in quo sensu, scilicet loquendo de merito quoad *habitum*, secunda opinio sit *certo* vera (in principio corp.).

III. Praeter laudatos: Scot., in utroque Scripto hic q. unica (in Oxon. n. 11. seqq.). — S. Thom., hic a. 3; S. III. q. 34. a. 3. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 2. — Biel, hic q. unica.

QUAESTIO II.

Utrum Christus meruerit aliquid post conceptionem.

Secundo quaeritur, utrum Christus aliquid meruerit post conceptionem. Et quod sic, videtur.

1. Ad Philippenses secundo [5]: *Humiliavit semetipsum usque ad mortem;* et post: *Propter quod* Fundamenta. *et Deus exaltavit illum* etc. Sed humilitas non est causa exaltationis nisi per modum meriti: si ergo

---

[1] Exempla vide in solut. ad 1. — Paulo ante pro *de alia autem* non pauci codd. perperam *de illa autem*.

[2] Aristot., de Memoria et reminisc. c. 1. docet, quod propter dependentiam intellectus nostri in cognoscendo a phantasmatibus, quae respiciunt sensibilia singularia, « non contingit intelligere aliquid sine continuo neque sine tempore, quae non in tempore sunt ». — De propos. seq. cfr. supra d. 14. a. 2. q. 1, et q. 2. fundam. 1. et in fine corp. (resp. ad fundam. 6.). — Subinde pro *Et sic* non pauci codd. *Et sicut*, codd. A I *Sicut*, cod. D *Et sicut patet*. Paulo superius pro *processum naturae deliberatio indigeat* cod. A *processum naturae deliberantem* [deliberativae?] *indigeat ratio*.

[3] Cfr. II. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 2. fundam. 3. et 4.

[4] Multi codd. et edd. 1, 2 *habuit*.

[5] Vers. 8. — Seq. Script. loc. ibid. v. 9.

hoc fuit post conceptionem, ergo Christus post conceptionem aliquid meruit.

2. Item, Augustinus [1], tractans illud verbum praemissum: «Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est praemium»: si ergo humiliatio in Christo subsecuta fuit ipsam conceptionem, necessario etiam sequitur, quod meruerit, postquam conceptus fuerit.

3. Item, in libro de Regulis fidei [2] mereri ita definitur: «Mereri apud Deum dicitur qui nulla necessitate compulsus hoc facit quod facere debet»; sed hoc fecit Christus post suam conceptionem: ergo apud Deum meruit.

4. Item, opera Christi fuerunt multo nobiliora, quam sunt merita aliorum Sanctorum: si ergo opera aliorum Sanctorum sunt digna retributione, videtur, quod multo fortius opera Christi: ergo videtur, quod Christus apud Deum meruerit.

5. Item, si non meruit apud Deum, postquam conceptus fuit: ergo videtur, quod frustra Deo servivit et quod frustra fecit [3], quidquid fecit post conceptionem. Si ergo hoc est impium dicere, necesse est, Christum post conceptionem aliquid meruisse.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Mereri est facere opus de genere laudabilium; sed potentia determinata ad unum tantum non habet laudem in actu illius, sicut patet in omnibus potentiis naturalibus [4]; sed liberum arbitrium Christi ab ipsa conceptione determinatum fuit ad bonum: ergo non potuit exire in opus de genere laudabilium, ergo nec in opus meritorium.

2. Item, mereri est facere [5] opus remuneratione dignum; sed liberum arbitrium, iam existens in statu remunerationis, iam non facit opus ulteriori remuneratione dignum, sicut patet in Beatis; sed tale fuit liberum arbitrium Christi, cum esset in statu comprehensoris: ergo videtur, quod post conceptionem suam nihil omnino mereri potuerit.

3. Item, quicumque [6] meretur, proficit in bonis animae, scilicet in gratia et gloria; sed Christus non potuit proficere supra id quod accepit a conceptione: ergo non videtur, quod post conceptionem mereri potuerit.

4. Item, quicumque meretur aliquid, de *non-suo* facit suum per opus et obsequium, et de eo quod est sibi indebitum, facit debitum; sed Christus non potuit facere de indebito debitum, vel de *non-suo* suum — omnia enim sua erant per gratiam conceptionis, sicut ipse testatur: *Omnia tua mea sunt* [7] — ergo non videtur, quod post conceptionem aliquid meruerit.

5. Item, quod eodem modo se habet nunc et prius natum est consimiles operationes efficere [8]; sed liberum arbitrium in Christo eodem modo se habet post conceptionem et post resurrectionem, et gratia similiter, et haec duo sunt principia merendi: si igitur post resurrectionem non meruit, ergo nec post conceptionem. *Si tu dicas*, quod aliter et aliter se habet, quantum est ex parte carnis; hoc non solvit, quia meritum non respicit statum *carnis*, sed statum *caritatis*: ergo si Christus post conceptionem habuit caritatem patriae aeque nobilem et perfectam, sicut modo habet, nec est eius caritas variata; si modo non habet usum merendi, videtur, quod nec tunc habuerit.

Conclusio.

Christus post conceptionem actu meruit, nobis quidem meruit gratiae infusionem, gratiae provectionem et bonorum operum multiplicationem; sibi autem id quod iam sibi debebatur, fecit debitum alio modo.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod *mereri* contingit tripliciter: uno modo *simpliciter abusive*, alio modo partim *proprie* et partim *improprie*, tertio modo *simpliciter proprie*. — *Simpliciter abusive* mereri dicitur qui facit aliquod opus de genere bonorum, tamen facit illud malo modo, id est mala intentione, sicut ille qui dat eleemosynam cum murmure; talia enim opera aliquando remunerantur a Deo ex immensa sua largitate, sicut innuitur de Nabuchodonosor in Ieremia [9]. — Ille vero meretur partim *proprie*, partim *abusive*, qui facit opus de genere bonorum et bona intentione, verumtamen non ex caritate; sicut aliquis peccator facit opera de genere bonorum et propter Deum, in quibus de congruo se disponit ad gratiam. — Ille vero meretur *simpliciter proprie*, qui facit bonum opus et bona intentione et ex caritate. Et primum quidem meritum dicitur meritum *interpretativum* [10]; secundum dicitur meritum *congrui*; tertium dicitur meritum *condigni*.

Mereri dicitur tripliciter.

Nota.

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 104. n. 3. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — Post *praemissum* Vat. supplet *ait*.

[2] Sive de Articulis cathol. fidei, lib. II. in explicat. theorematis sive propos. 8, ubi textus origin. pro *Mereri* exhibet *Bene mereri* et deinde *compulsus libens facit Deo quod debet* pro *compulsus hoc facit quod facere debet*. Cfr. ibid. theorema 16.

[3] Bene multi codd. *fecerit*. Mox pro *Christum* edd. incongrue *Deum*, cod. bb *ipsum*.

[4] Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 5. — Pro *laudem* cod. K *laudari*.

[5] Ita codd. A H K Q; in aliis deest *facere*.

[6] Pro *quicumque*, quod et in solut. habetur nec non in codd. A K bb, cod. Z *quisquis*, alii codd. et edd. *quidquid*. Post pauca pro *a conceptione* edd. *in conceptione*.

[7] Ioan. 17, 10.

[8] Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 56. (c. 10.): Idem enim et similiter se habens semper idem natum est facere. — In fine arg. pro *habuerit* multi codd. *habuit*.

[9] Cap. 27, 6. seqq. — B. Albert., hic a. 1, exempli causa proponit quod in vita B. Ioannis eleemosynarii de quodam milite, Petro nomine, narratur, qui scilicet «iratus pane, quo proiecerat pauperem, meruit in iudicio Domini, ad quod raptus fuit, prolongationem vitae in poenitentiam».

[10] Quam appellationem Alex. Hal., S. p. III. q. 17. m. 1, sic

Cum igitur quaeritur, utrum Christus meruerit, non quaeritur de primo et secundo modo, sed quaeritur de tertio. Ad hoc igitur respondendum, quod *mereri ex condigno* tribus modis contingit. Uno modo *mereri* est ex *indebito* facere *debitum*, sicut meretur quis in gratiae infusione et motu liberi arbitrii. Alio modo *mereri* est de *debito* facere *magis debitum*, sicut contingit de profectu in profectum, de virtute in virtutem. Tertio modo *mereri* est de *debito uno modo* facere *debitum alio modo*, ut de debito per *habitum* facere debitum per *usum*, et de debito per *alium* actum facere debitum per *unum* aeque bonum.

Omnibus his modis Christus meruit *nobis*. Meruit enim *nobis* gratiae *infusionem*, meruit et gratiae *provectionem*[1], meruit et *bonorum operum multiplicationem*. *Sibi* autem non meruit nisi tertio modo tantum post conceptionem. Ipse enim non potuit facere sibi de indebito debitum, cum omni bono esset dignus. Non potuit facere de debito magis debitum, cum omni gratia ab ipsa conceptione esset plenus[2], sed quod erat debitum *uno modo* fecit debitum *pluribus modis*; et ita meruit secundum tertium modum dicendi meritum solum, non propter imperfectionem a parte meriti, sed propter perfectionem a parte merentis. Et hoc est quod dicitur in littera[3]: «Non profecit Christus secundum meritum quantum ad *virtutem meriti*, profecit tamen quantum ad *numerum meritorum*. Plura enim habuit merita in passione quam in conceptione». — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, Christum post conceptionem usum et exercitium meriti habuisse.

Subdistinctio. Conclusio 1. Conclusio 2. Confirmatur.

1.° Ad illud quod obiicitur, quod potentia determinata ad unum non facit opus de genere laudabilium; dicendum, quod determinatio potentiae ad unum potest esse dupliciter, videlicet per *necessitatem naturae* et per *confirmationem gratiae*. Si sit per *necessitatem naturae*, tunc tollit arbitrii libertatem, ac per hoc tollit dignitatem meriti. Si autem sit determinatio per *confirmationem gratiae*, cum talis confirmatio simul stet cum libera voluntate, sic non tollit ab ipso opere bonitatem moris, cum sit voluntarium, ac per hoc nec qualitatem meriti. In Christo autem fuit liberum arbitrium determinatum ad unum non per *necessitatem naturae*, sed per *confirmationem gratiae*[4].

Solutio oppositorum. Duplex determinatio. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod habens munus gloriae non facit opus remunerabile; dicendum, quod illud verum est, quando aliquis est simpliciter in statu *patriae;* cum autem non tantum est in statu *comprehensoris*, verum etiam in statu *viatoris*, tunc opus eius esse potest remunerabile propter statum *viae;* et sic est reperire in Christo secundum divinam dispensationem. Nam sicut anima Christi propter coniunctionem sui cum Divinitate habet statum *patriae*, sic propter coniunctionem sui cum carne habet statum *viae* et miseriae pro illo tempore. Et ideo, sicut potuit esse in statu *viatoris* simul et *comprehensoris*, sic habuit gloriam ad comprehendendum et gratiam ad merendum. — Et est simile de Angelis, in quibus ponimus vim administrativam et contemplativam, secundum quarum unam merentur, et secundum alteram fruuntur et praemiantur[5].

Notandum. Simile.

3. Ad illud quod obiicitur, quod quicumque meretur, merendo proficit; dicendum, quod proficere est duobus modis: vel *incremento*[6] *habitus*, vel in *multitudine actuum;* vel per alia verba: est proficere quantum ad *virtutem merendi* et quantum ad *numerum meritorum*. Primo modo accipiendo profectum, non competit tertio modo dicendi meritum, secundum quem tertium modum dicitur meruisse Christus. Alio modo accipiendo profectum, competit sibi, sicut patet per supra habitam distinctionem.

Duplex modus proficiendi.

4. Ad illud quod obiicitur, quod mereri est facere de indebito debitum; dicendum, quod illud verum est quantum ad *aliquem* modum merendi, sed non quantum ad *omnes*, sicut prius dictum est; et ideo non habet locum in proposito.

5. Ad illud quod obiicitur, quod liberum arbitrium eodem modo se habet nunc et prius; dicendum, quod verum est per comparationem ad *superius*, scilicet ad Deum; non tamen est verum per comparationem ad *inferius*, scilicet ad carnem passibilem, ex cuius coniunctione tam liberum arbitrium quam gratia ipsum perficiens habet pertinere ad statum *viae*. Unde non valet illud quod obiicit de carne, quod non est principium merendi; hoc enim verum est, per se loquendo, facit tamen ad *meritum*, dum facit ad *statum meriti*, sicut patet in coniunctione animae ad carnem et eius separatione[7]. Anima enim nostra statim, dum a carne separatur, amplius non habet merendi vel demerendi statum.

Notandum.

---

explicat: « Quia Deus retribuit et malos, quam faciat [peccator]; et ideo interpretatur Deus remunerando, ac si ille meruisset ».

De merito *congrui* et *condigni* vide supra d. 4. a. 2. q. 2. in corp. — Paulo inferius pro *et secundo modo* cod. U *nec de secundo modo*.

[1] Edd. cum paucis codd. *promotionem*.

[2] Alan. ab Insul., Theolog. Regul., in exponenda regula 106, ait: Cum mereri sit de non-debito facere debitum, Christo autem a tempore incarnationis deberetur quidquid postea est consecutus, ipse de indebito debitum non fecit et ita sibi non meruit. Aeque enim dignus fuit ab incarnatione omnibus his etc.

[3] Hic c. 2.

[4] Cfr. II. Sent. d. 7. p. 1. a. 2. q. 1. — Aliquanto superius pro *confirmationem* (primo loco) codd. G H L T V aa *consummationem;* cod. K in hac solut. constanter exhibet vocem *conformationis*. Post *sit determinatio* edd. male adiiciunt *meriti*.

[5] Vide II. Sent. d. 11. a. 2. q. 2.

[6] Pro *incremento* edd. et nonnulli codd. substituunt *in merito*, et paulo inferius post *tertium modum* subiiciunt *tantummodo*.

[7] Vat. cum paucis codd. *separationem;* perperam.

SCHOLION.

I. Cum secundum actionem *divinae* naturae non possit esse quaestio de merito, hic praesupponitur, in Christo fuisse etiam actionem *humanam*, vel potius *divino-humanam*, de qua in Concilio Lateranensi, an. 649 sub Martino I. celebrato (can. 15.), docetur: « Si quis secundum scelerosos haereticos *deivirilem* operationem, quam Graeci dicunt θεανδρικήν, unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum Ss. Patres, hoc est divinam et humanam; aut ipsam deivirilis, quae posita est, novam vocabuli dictionem *unius* esse designativam, sed non *utriusque* mirificae et gloriosae unitionis demonstrativam, condemnatus sit ». Haec autem actio humana in Christo dicitur etiam *divina*, « non quia divina sit per *essentiam*, sed per *participationem*, et hoc triplici ratione: primo propter associationem in una *persona agente*; secundo propter associationem aliquam in *modo agendi*, quia perfectius operabatur ceteris operantibus propter unionem, sicut sensualitas in homine perfectius quam in brutis; tertio propter associationem in *uno effectu*, seu opere operato, ut in uno et eodem miraculo, in quo Divinitas operabatur *interius*, sicut leprosum sanando, humanitas *exterius*, sicut leprosum tangendo » (ita Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1; cfr. S. Thom., S. III. q. 19. a. 2; Bonav., supra d. 17. a. 1. q. 1. 2.).

II. Distinctio triplicis *meriti ex condigno* sumta est ex Alex. Hal., S. p. III. q. 17. m. 1, qui ibi quinque species meriti in *genere* distinguit. — Notandum, quod in solutione ad 1. 5. tangitur quaestio, in qua solvenda posteriores theologi multum laboraverunt, scilicet quomodo in Christo fuerit sufficiens *libertas* ad merendum (cfr. hic a. 2. q. 2. et supra d. 12. a. 2. q. 1. 2; II. Sent. d. 7. p. I. a. 2. q. 1.). — Item in solut. ad 2. docetur, quod Christus singularissimo modo fuerit in statu *viae*, extra quem non potest esse meritum (cfr. II. Sent. d. 7. p. I. a. 1. q. 1.), et quod non ratione gloriae et amoris huic statui annexi meruerit (cfr. a. 2. q. 1. fundam. 5. et ad 2.), sed ratione amoris, quem habuit ut viator ex gratia infusa. Consentiunt Alex. Hal. et S. Thom. aliique multi. Scotus autem cum nonnullis vult, Christum etiam per amorem beatificum meruisse. — Denique observandum est, quod in corp. satis clare docetur, Christum nobis etiam *applicationem* sui meriti respectu primae infusionis gratiae sanctificantis meruisse, quod plures antiqui theologi negarunt (cfr. Richard. a Med., hic a. 2. q. 4, et Suarez in III. p. Sum. disp. 41. sect. 2.).

III. Alex. Hal., loc. cit. — Scot., in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic a. 2; S. III. q. 19. a. 3. 4. — B. Albert., hic a. 1. 7. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2, q. 3. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 1.

QUAESTIO III.

Utrum Christus aliquid meruerit in passione.

Tertio quaeritur, utrum Christus aliquid meruerit in passione. Et quod sic, videtur:

1. Primo per textum Apostoli [1]: *Humiliavit semetipsum usque ad mortem, propter quod et Deus exaltavit illum* etc.; quod verbum tractans Magister dicit: « Aperte dicit Apostolus, propterea Christum exaltatum per impassibilitatis gloriam, quia est humiliatus per passionis obedientiam »: ergo meruit in passione. Fundamenta

2. Item, Augustinus [2], exponens verbum praedictum: « Ut Christus clarificaretur resurrectione, prius humiliatus est passione »: ergo videtur, quod per meritum passionis pervenerit ad gloriam resurrectionis.

3. Item, nihil est magis meritorium quam opus patientiae, propter quod dicitur Iacobi primo [3]: *Patientia opus perfectum habet;* sed patientia consistit in tolerantia passionis: ergo videtur, quod Christus in passione multum meruerit.

4. Item, nihil est satisfactorium, nisi quod est meritorium; sed passio Christi fuit satisfactoria, sicut dicunt Sancti [4]: ergo fuit meritoria: ergo Christus meruit patiendo.

5. Item, omnis qui patitur, aut passionem promeruit, aut per passionem meretur, alioquin pateretur sine iustitia, pateretur etiam frustra [5]; sed Christus non meruit passionem, quia immunis fuit a culpa omni: meruit ergo per passionem, alioquin passus esset iniuste et frustra, quod esset magnae impietatis et insaniae.

Sed contra: 1. « Passionibus, sicut dicit Philosophus [6], nec laudamur nec vituperamur »; sed per omne, per quod meremur, laudamur: ergo passionibus non meremur: ergo Christus patiendo non meruit. Ad oppositum.

2. Item, « passio est effectus et illatio actionis [7] »; sed qualis est causa, talis est effectus: si ergo actio passionem inferens non fuerit meritoria, videtur, quod nec ipsa passio meritoria fuerit: ergo Christus in passione non meruit.

3. Item, nihil est meritorium, nisi quod est voluntarium; nihil autem est voluntarium, nisi quod est a principio intrinseco, sicut patet per definitionem voluntarii, quam ponit Philosophus in Ethicis [8]: « Voluntarium est cuius principium est in ipso »; sed passio Christi fuit ab extra, sicut patet: ergo non fuit meritoria.

---

[1] Philip. 2, 8. seq. — Verba Magistri habentur hic in lit. c. 4.

[2] In Ioan. Evang. tr. 104. n. 3. Vide hic lit. Magistri, c. 1. — Post *praedictum* Vat. adiicit *inquit.*

[3] Vers. 4. — Paulo inferius pro *passionis* edd. *passionum.*

[4] Cfr. infra d. XIX. lit. Magistri, c. 1. seqq., et ibid. Comment. a. 1. per totum nec non d. 20. q. 5.

[5] Vide II. Sent. d. 36. a. 2. q. 2.

[6] Libr. II. Ethic. c. 5.

[7] Gilbert. Porret., de Sex Princip. *de Passione.* — De *minori* cfr. Aristot., II. Poster. c. 17. (c. 14.), et II. Phys. text. 38. (c. 3.), ubi docet, causam et effectum debere esse proportionata.

[8] Libr. III. c. 1. Cfr. tom. II. pag. 592, nota 3. — Pro *voluntarii* multi codd. et edd. 1, 2 *voluntatis.*

4. Item, nihil est meritorium, nisi quod est secundum naturam; sed « passio est motus contra naturam », sicut dicit Damascenus [1]: ergo impossibile est passione mereri: ergo etc.

5. Item, omne meritum ortum habet ab aliqua virtute; omnis autem virtus consistit in ratione, ut *ratio* est [2]: ergo omne meritum consistit circa rationem, ut *ratio* est. Sed passio Christi solummodo fuit circa sensualitatem et circa rationem per modum *naturae*: ergo non videtur, quod Christus in passione aliquid meruisset.

CONCLUSIO.

Christus non tantum meruit in actione, sed etiam in passione.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod Christus non tantum meruit in actione, sed etiam in passione. Non enim passus fuit frustra, sed ex rationabili causa; nec passus fuit propter demeritum culpae, sed propter amorem veritatis et iustitiae.

Explicatur distinctione.

Et propterea notandum, quod in passione est duo considerare, videlicet passionis *causam* et passionis *sustinentiam*. Passionis *causa* est a violentia agentis, sed passionis *sustinentia* est a voluntate patientis. Quantum ad primum passio non est *meritoria* nec *demeritoria*, quia est ab extra [3]; quantum ad secundum potest esse *meritoria* et *demeritoria*: *meritoria* autem, si quis eam perferat ex voluntate bona; *demeritoria* autem, si quis eam sustineat impatienter et ex voluntate iniqua. Quoniam igitur Christus passionem pertulit non tantum ex voluntate bona, immo etiam ex voluntate optima; hinc est, quod passio eius fuit meritoria, non solum sicut passiones Sanctorum, sed inter omnia merita tenuit principatum [4]. — Et concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud vero quod obiicitur, quod passionibus nec laudamur nec vituperamur; dicendum, quod verum est, secundum quod sunt *purae* passiones; prout autem coniuncta est eis voluntas bona, vel mala, sic habent sortiri rationem meriti et demeriti, laudis et vituperii. Et sic fuit in passione Christi, qui *oblatus est, quoniam ipse voluit*, et libenter et patienter passionem sustinuit, quoniam *pro transgressoribus exoravit* [5].

2. Ad illud quod obiicitur, quod passio est effectus actionis; dicendum, quod verum est quantum ad efficaciam in genere *naturae*, potest tamen nihilominus esse effectus voluntatis internae [6] quantum ad voluntatis complacentiam, et per hoc habet poni in genere *moris*. Et quoniam voluntas passionem acceptans fuit bona, quamvis voluntas passionem inferens fuerit mala; et hinc est, quod quamvis actio displiceret, passio tamen grata fuit: ideo non sequitur, quodsi actio fuit demeritoria, quod propter hoc passio. Actio enim non erat causa passionis in genere *moris*.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod passio fuit involuntaria; dicendum, quod quamvis hoc sit verum quantum ad *violentiam*, quae est ab extra; non tamen est verum quantum ad *sustinentiam*, quae est ab intra. Et ideo ratio illa non concludit, quod nullo modo passio Christi esset meritoria; non enim tantum erat ab *extra*, sed etiam quodam modo erat ab *intra* per complacentiam et sustinentiam [7].

Distinctio notanda.

4. Ad illud quod obiicitur, quod passio est contra naturam; dicendum, quod *esse contra naturam* est dupliciter [8]: aut quia est contra naturale *dictamen rationis*, aut quia est contra *naturalem appetitum salutis*. Primo modo accipiendo *naturale*, sic illud quod est contra naturam, est vitium, nisi forte sit *supra* naturam, sicut est in assensu fidei. Secundo modo accipiendo *naturale*, sic illud quod est *contra* naturam, potest esse meritorium, quamvis sit poenale; et hoc modo accipit Damascenus, cum dicit, quod « passio est contra naturam ».

Actus rationis triplex.

5. Ad illud quod obiicitur, quod omne meritum consistit circa actum rationis; dicendum, quod verum est. Sed aliquid consistere [9] circa actum rationis contingit tripliciter: vel per modum *elicientis*, vel per modum *imperantis*, vel per modum *acceptantis*. Quamvis autem passio Christi non esset in ratione per modum *elicientis*, vel per modum *imperantis*, erat tamen per modum *acceptantis*; et hoc dabat ipsi passioni rationem meriti, dat etiam passionibus nostris ratione consimili. — Et per haec quae dicta sunt, potest dissolvi illa quaestio, qua quaeritur, utrum passionibus contingat mereri, vel demereri.

Quaestio generalis.

---

[1] Libr. II. de Fide orthod. c. 22.

[2] Aristot., VI. Ethic. c. 13: Virtus enim non tam secundum rectam rationem, quam cum recta ratione habitus est. — De *minori* vide supra d. 16. a. 2. q. 1.

[3] Sive violenta; violentum enim, voluntario contrarium, ab Aristot., III. Ethic. c. 1. definitur « cuius principium extrinsecus est, nihilque ad id confert ille qui cogitur ».

[4] Cfr. supra d. 13. a. 1. q. 2. in corp.

[5] Isai. 53, 7. 12. Pro *exoravit* Vulgata *rogavit*, edd. cum aliquot codd. *oravit*.

[6] Edd. *voluntatis in genere moris*, incongrue propter subnexa. Mox pro *et per hoc* codd. E N T *et pro hoc*, codd. V bb *et secundum hoc*.

[7] Ita codd. A G T; in aliis *sufferentiam*, quod vocabulum non ita bene exprimit *virtutem constantiae* in passione sufferenda, unde auctor etiam alibi passim utitur voce *sustinentia*. Post *quodam modo* codd. L aa supplent *passio*.

[8] Cfr. I. Sent. d. 42. dub. 5, II. Sent. d. 30. a. 1. q. 2. ad 5.

[9] Cod. O *existere*, edd. *esse*. Mox pro *elicientis* cod. Z bis *efficientis*.

SCHOLION.

I. Manifestum est, quod passio in se considerata et quatenus a principio extraneo infligitur, non est meritoria; sed ipsa fit meritoria ex parte *sustinentis*, qui caritate informatus est, quatenus est voluntarie acceptata, ut hic in solutionibus oppositorum explicatur (cfr. infra d. 20. dub. 3. 4.). — Plura alia de passione Christi, de causa, modo et effectibus eiusdem vide apud Alex. Hal., S. p. III. q. 18. et 19, nec non apud S. Thomam, S. III. q. 46-50, et etiam infra d. 19. a. 1. q. 1-4.

II. De hac quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. 17. m. 3. a. 3. — S. Thom., hic a. 5; S. III. q. 47. a. 2, q. 49. a. 1-6. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. — Durand., hic q. 3.

ARTICULUS II.

De merito Christi quoad fructum vel praemium.

Consequenter quaeritur de merito Christi quantum ad fructum sive quantum ad praemium. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum Christus meruerit sibi Dei fruitionem.

Secundo quaeritur, utrum meruerit corporis[1] glorificationem.

Tertio quaeritur, utrum meruerit nobis ianuae apertionem.

QUAESTIO I.

Utrum Christus sibi meruerit Dei fruitionem sive praemium substantiale.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum Christus sibi meruerit Dei fruitionem sive praemium substantiale. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia, sicut se habet gratia ad gloriam, sic se habet meritum ad praemium[2]; sed Christus habuit gratiam ordinatam ad gloriam: ergo habuit meritum ordinatum ad praemium. Sed gloria consistit in Dei fruitione, quae est praemium substantiale: ergo etc.

2. Item, qui meretur ex caritate tanto maius quid meretur, quanto maiorem habet caritatem[3]; sed caritas Christi fuit maxima: ergo ei debebatur maximum praemium. Sed maximum praemium non est nisi praemium substantiale, quod Deus est: ergo etc.

3. Item, gloriosius est habere praemium per merita quam sine meritis[4]; sed Christus in gloria excellit omnes Sanctos: ergo si alii Sancti habuerunt praemium substantiale per merita, multo fortius videtur de Christo.

4. Item, Angeli sancti per merita habuerunt praemium substantiale, secundum communem opinionem omnium; sed Angeli simul habuerunt gratiam et gloriam, sicut in secundo libro[5] ostensum fuit: ergo si non fuit minoris efficaciae gratia in Christo quam in Angelis, videtur, quod Christus substantiale praemium meruerit, quamvis meritum secundum tempus praemium non praecesserit.

5. Item, cum Deus inducit aliquam formam subito, quam creatura acquirit per successionem, nihil omittit Deus de illis dispositionibus, quas natura introduceret successive; sicut patet, si Deus subito de aqua faceret ignem, introduceret in naturam aquae raritatem et siccitatem et caliditatem[6]: ergo si creatura nata est pervenire ad praemium gloriae per merita gratiae, videtur, quod merita non defuerunt Christo, quamvis gloria collata sibi fuerit a suae conceptionis primordio.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Augustinus, decimo tertio libro de Trinitate[7]: «In rebus per tempus ortis illa summa gratia est, qua homo in unitate personae coniunctus est Deo»; et in Enchiridio dicit, quod «nullis praecedentibus meritis, homo ille copulatus est Deo»; sed illa copulatio non potuit esse sine Dei fruitione,

---

[1] Edd. *sui corporis.*

[2] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. in corp. ibid. a. 1. q. 1. seqq. et d. 29. a. 1. q. 2. nec non d. 40. per totam insinuantur principia adhibenda pro solut. huius quaest.

[3] Non enim fructus est bonus, ut ait August., de Spiritu et lit. c. 14. n. 26, qui de caritatis radice non surgit. — Pro *quid*, quod in edd. desideratur, cod. C *quidem.*

[4] August., XI. de Gen. ad lit. c. 6. n. 8: Probatur et exercetur virtus, et est palma gloriosior non consensisse tentatum, quam non potuisse tentari. — Mox pro *excellit* codd. F T V Z *excessit.*

[5] Dist. 5. a. 3. q. 2. Cfr. ibid. d. 4. a. 1. q. 1. seq.

[6] Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 24. (c. 4.), de generatione elementorum agens ait: Generatio enim in contraria et ex contrariis... His enim ambae contrariae [differentiae], ut igni et aquae; illud enim siccum et calidum, hoc autem frigidum et humidum. Cfr. IV. Meteor. text. 1. (c. 1.). Et de *raro* dicit, de Praedicam. c. *de Quali:* Spissum [Densum] enim dicitur, eo quod partes sibi ipsis propinquae sint, rarum vero, eo quod distent a se invicem. — Pro *naturam* Vat. cum paucis codd. *materiam.* Paulo inferius pro *non defuerunt Christo* edd. 1, 2 cum nonnullis codd. perperam *nondum fuerunt in Christo,* Vat. *fuerunt in Christo.*

[7] Cap. 19. n. 24. In textu origin. pro *qua* habetur *quod.* Testimonium seq., ex Enchirid. sumtum, invenitur ibi c. 40. n. 12. Cfr. supra lit. Magistri, d. IV. c. 2.

quae est praemium substantiale: ergo non videtur, quod praemium substantiale habuit Christus per aliquod meritum.

2. Item, Augustinus in Enchiridio [1]: « Facta est quodam modo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum posset admittere peccatum »; sed gratia talis est gratia consummata, quae non est aliud quam gloria sive praemium substantiale: ergo praemium substantiale fuit Christo quodam modo naturale. Sed nihil tale acquiritur per merita: ergo etc.

3. Item, *meritum* naturaliter antecedit praemium; sed *usus* vel actus *virtutis* naturaliter sequitur habitum [2]: cum ergo habitus gratiae et gloriae simul fuerit in Christo, videtur, quod merita subsecuta sunt substantiale praemium: ergo non ordinantur in Christo ad substantiale praemium promerendum.

4. Item, dispositio naturalis antecedit illud, ad quod disponit; sed deiformitas gloriae disponebat animam Christi ad unionem Divinitatis, dispositione, inquam, congruitatis [3]: ergo deiformitas gloriae in Christo naturaliter praecedebat unionem personalem, quamvis simul esset tempore. Sed unio personalis naturaliter in Christo antecedebat meritum et liberi arbitrii usum: ergo in Christo merita sequebantur substantiale praemium secundum ordinem naturae: redit ergo idem quod prius.

5. Item, meritum praemii substantialis potissime consistit in actu et affectu caritatis, secundum quem [4] anima habet in Deum moveri; sed secundum illum affectum Christus non erat in statu viatoris; sed in statu comprehensoris: si ergo non merebatur in quantum comprehensor, sed in quantum viator, non merebatur secundum illum affectum caritatis, in quo consistit meritum praemii substantialis: ergo videtur, quod substantiale praemium non meruerit.

CONCLUSIO.

Christus, proprie loquendo, non meruit sibi praemium substantiale.

Respondeo: Dicendum, quod communiter non
Conclusio. conceditur, quod Christus sibi meruerit substantiale praemium; et hoc Magister innuit in littera [5] satis expresse.

Ratio autem huius est: nam *meritum* dicit or-
Ratio. dinationem ad praemium, sicut dispositio ad complementum, sicut via ad terminum; et ideo necesse est, *meritum* praecedere praemium vel *tempore*, vel secundum ordinem *naturae*. Neutro autem modo debuit in Christo praecedere nec praecessit, propter hoc quod anima Christi non esset ad unionem idonea, nisi esset beatissima et deiformissima, quod quidem fit per gloriae influentiam. Si ergo necesse fuit, unionem illam antecedere omnia merita secundum ordinem *naturae*, necesse etiam fuit, deiformitatem gloriae in Christo praecedere omnem usum gratiae; et ideo gloria [6] in Christo praecessit omnia merita propter summam dignitatem, quae fuit in anima Christi a sua creatione, videlicet propter unionem ipsius ad Verbum. — Et ideo concedendum est, quod Christus, proprie loquendo, non meruit sibi substantiale praemium. Et concedendae sunt rationes, quae ad hoc inductae sunt.

1. Ad illud quod obiicitur, quod sicut gratia Solutio oppositorum. ordinatur ad gloriam, ita meritum ad praemium; dicendum, quod quoad quid est *simile*, quoad quid Distinctio. *non. Simile* enim est quantum ad conditionem disponendi, sed *non est simile* quantum ad originem, pro eo quod tam *gratia* quam *gloria* est habitus infusus divinitus, non a nobis; sed *meritum* est usus procedens a libero arbitrio gratia informato. Ideo in Christo potuit esse ordo *gratiae* ad gloriam, salvo ordine utriusque ad unionem; non sic autem est de ordine *meriti* ad praemium, sicut ostensum est prius.

2. Ad illud quod obiicitur, quod maxima caritas meretur maximum praemium; dicendum, quod illud est verum, si caritas teneat rationem merendi, Notandum. secundum quod *maxima;* sed caritas Christi secundum motum ipsius in Deum, qui erat *maximus* et intensissimus, plus tenebat rationem *praemii* quam *meriti*, immo erat ipsum praemium; ideo cum esset ipsum praemium, non merebatur substantiale praemium.

3. Ad illud quod obiicitur, quod gloriosius est habere praemium per merita; dicendum, quod illud habet veritatem in eis qui solum habent uniri Deo Notandum. per *conformitatem affectionis* — in istis enim est gratia et gloria quasi accidentalis et per modum acquisitionis — et a natura sua nati sunt indifferenter esse boni et mali. Secus autem est de homine assumto a Verbo, qui non tantum unitus est Deo per *conformitatem affectionis*, sed etiam *unione personali*, ut non dicatur *divinus*, sed *Deus;* et pro tanto « isti homini gratia est quodam modo naturalis [7] », et multo gloriosius est ei habere gloriam a sua prima

---

[1] Cap. 40. n. 12. — Paulo inferius codd. I L aa voci *Christo* praefigunt *in*.

[2] Aristot., II. Ethic. c. 6: Dicendum est igitur, omnem virtutem et ipsum id, cuius est virtus, bene affectum reddere et opus eius bene efficere; ex. gr. oculi virtus et oculum ipsum et opus ipsius bonum facit, quippe cum oculi virtute fiat, ut bene inspiciamus. — Pro *naturaliter* edd. 1, 2 cum aliquot codd. *naturale*.

[3] Cfr. supra d. 2. a. 3. q. 2. et d. 13. a. 1. q. 1. 3. et a. 2. q. 2. — Mox pro *naturaliter* codd. G H I L T aa *naturalem*.

[4] Codd. A N *quam*, edd. *quae*.

[5] Hic c. 2.

[6] Cod. A *et ideo illa* [deiformitas] *in gloria*. Idem cod. A cum cod. K in fine corp. *inducuntur* pro *inductae sunt*.

[7] Hoc dictum August. fusius expositum est supra d. 4. a. 2. q. 3. — De solut. obiecti cfr. II. Sent. d. 23. dub. 2. — *Maior* obiectionis infra vocatur *auctoritas;* tamen nihil invenimus nisi locum Augustini non satis aptum, allegatum pag. 387, nota 4. Paulo superius pro *accidentalis* cod. O substituit *accidentaliter* et proxime post edd. omittunt *et* ante *per modum*.

creatione, quam habere eam per acquisitionem; sicut multo gloriosius est esse Deum, quam esse Dei servum. Et ideo auctoritas illa non habet locum circa Christum.

De merito Angelorum. 4. Ad illud quod obiicitur, quod Angeli [1] habuerunt simul gratiam et gloriam, meritum et praemium; dicendum, quod non est simile, quia in Angelis usus liberi arbitrii praecessit infusionem gratiae, et ideo in ipsa infusione gratiae motus liberi arbitrii gratia informatus, in quo consistit meritum, potuit praecedere ipsum praemium ordine *naturae*, quamvis esset simul *tempore*. Secus autem est in Christo, qui prius ordine *naturae* habuit deiformitatem gloriae quam usum voluntatis deliberativae, sicut prius ostensum est.

5. Ad illud quod obiicitur, quod Deus subito faciendo nihil omittit de his quae successive concurrunt in operatione creaturae; dicendum, quod cum creatura [2] inducit aliquam perfectionem vel formam, duo est ibi considerare, videlicet *qualitates* et *dispositiones* a parte suscipientis, et *operationes* a parte agentis et praeparantis. Cum igitur dicitur, quod Deus nihil omittit operando subito de his quae natura introducit; hoc est verum de *qualitatibus* et *dispositionibus* informantibus susceptibile, sed non est verum de *operibus* praeambulis ad illas dispositiones. Et ideo ex ratione hac non potest concludi, quod merita in Christo praecesserunt praemium, cum meritum consistat in opere procedente a voluntate; sed hoc potest concludi, quod in Christo fuit perfectio virtutum et habituum, quae animam habilitant ad gloriam sive ad substantiale praemium. Notandum.

SCHOLION.

I. Guilelmus Antissiodorensis (Sum. aurea III. tr. 1. c. 7.) cum paucis aliis docuit, Christum sibi meruisse « vitam aeternam, *iam habitam* ad similitudinem Angelorum»; quam opinionem etiam B. Albert. (hic a. 4.) censuit esse non improbabilem. Sed alii doctores cum S. Bonav., Alexandro Hal. (S. p. III. q. 17. m. 3. a. 1. ad 2.), S. Thoma et Scoto communius hoc negant tum respectu gloriae essentialis, tum respectu gratiae habitualis, si tamen de *facto* quaeritur; quod etiam in simili quaestione respectu Angelorum (cfr. II. Sent. d. 5. a. 3. q. 2.) docuerunt. Si autem quoad hoc quaeritur de *possibili*, tunc (ut etiam in aliis de *possibili* quaestionibus vulgo fit) dissentiunt auctores, dum nonnulli putant, Christum de potentia *absoluta* sibi gloriam potuisse mereri; cui opinioni favent aliqui loci Scoti (hic q. unica n. 7. 8. 13.) et etiam Alexandri Hal. Alii autem cum Henrico Gandav. (Quodl. 6. q. 6.) et plurimis discipulis S. Thomae dicunt, hoc penitus implicare.

II. De hac quaestione praeter laudatos: S. Thom., hic a. 4. quaestiunc. 4; S. III. q. 19. a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum Christus meruerit sui corporis glorificationem.

Secundo quaeritur, utrum Christus meruerit sui corporis glorificationem. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Auctoritate Magistri in littera [3]: « Merito humilitatis et anima impassibilis facta est et caro immortalis »: ergo Christus meruit immortalitatem carnis, ergo glorificationem corporis.

2. Item, sicut per humilitatem pervenitur ad exaltationem, sic passio via est perveniendi ad impassibilitatem; sed Christus hoc modo pervenit ad impassibilitatem corporis: ergo illam prius promeruit.

3. Item, efficacius meretur quis sibi quam alii — hoc non habet instantiam de his quae sunt nata cadere sub merito — sed Christus meruit aliis resurrectionem et corporis glorificationem [4]: ergo multo fortius meruit sui corporis glorificationem.

4. Item, nihil plus requiritur ad rationem meriti nisi merendi *principium* et *status* et *ordo* meriti ad praemium; sed haec omnia reperiuntur in Christo ex parte glorificationis corporis — habebat enim caritatem, quae erat *principium* boni operis; habebat etiam *statum* merendi ex parte inferiori; *exspectabat* etiam glorificationem corporis de futuro — si ergo omnia illa concurrunt [5], quae requiruntur ad meritum; videtur, quod Christus glorificationem corporis sui merebatur.

Sed contra: 1. Praeminm est excellentius merito, quia Deus remunerat supra condignum; sed caritas Christi superexcedebat [6] glorificationem corporis: ergo opus ex caritate illa procedens dignum erat maiori remuneratione: non ergo ordinabatur ad glorificationem corporis sicut ad praemium. Ad oppositum.

2. Item, anima Christi beatificata fuit absque meritis propter unionem ipsius [7] ad Deitatem: ergo pari ratione videtur, quod corpus Christi absque meritis debuerit effici gloriosum.

3. Item, Christus nunquam habuit debitum mor-

---

[1] Codd. K bb adiiciunt *boni*. Inferius pro *consistit* cod. Z *consideratur*.

[2] Cod. K *natura*. Aliquanto inferius pro *praecesserunt* codd. G I L N U aa bb *praecesserint*. Deinde pro *sed hoc* Vat. *sed ex hoc*.

[3] Hic c. 1, ubi etiam seq. arg. insinuatur.

[4] Cfr. hic lit. Magistri, c. 5, et supra pag. 247, nota 3. — De *maiori* vide tom. II. pag. 661, nota 5.

[5] Edd. et nonnulli codd. addunt *in Christo*. Pro *concurrunt* non pauci codd. *concurrant*. Pro *omnia illa* cod. W *tria illa*.

[6] Codd. A K U *superexcellebat*.

[7] Cod. W *sui*.

tis [1]: ergo videtur, quod ipsi corpori Christi de se deberetur gloria immortalitatis: non ergo videtur, quod eam per merita acquisierit.

4. Item, aut gloriosius erat Christo habere gloriam corporis *sine* meritis, aut *per* merita. Si *sine* meritis, et quod gloriosius est Christo est attribuendum: igitur Christus gloriam illam sibi non meruit. Si *per* merita, pari ratione erit et de gloria animae. Si ergo illam non meruit [2], videtur, quod nec istam.

5. Item, aut *necessarium* erat, Christum mereri gloriam corporis, aut *non*. Si *non* erat *necessarium;* cum Christus nulla fecerit praeter necessaria [3], non videtur, quod Christus gloriam illam acquisierit per merita. Si *necessarium* erat: ergo Christus meritis indigebat ad sui glorificationem. *Sed contra:* Deus parvulos glorificat per solam gratiam absque meritis suis: ergo si multo maior gratia fuit in Christo, non videtur, quod ad sui glorificationem meritis indiguerit.

6. Item, si Christus meruit sibi gloriam corporis sive stolam secundam [4], ergo patiebatur ad utilitatem suam, non ergo solum patiebatur propter indigentiam nostram: et si hoc verum est, tunc non tenemur ei ad tantas gratias agendas, ad quantas teneremur, si nihil sibi meruisset, sed solum pro nobis crucifixus esset.

CONCLUSIO.

Christus sibi meruit glorificationem corporis, non solum in agendo, sed etiam in patiendo.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio Chri-
Conclusio. stus sibi meruit glorificationem corporis non solum in agendo, verum etiam in patiendo, sicut Magister expresse dicit in littera [5].

Ratio autem huius est, quia Christus, Dei et
Ratio ex duplici statu Christi sumta. hominum mediator, simul debuit esse *comprehensor* et *viator: comprehensor* propter suam dignitatem, et *viator* propter nostram necessitatem; et ideo partim debuit esse in *statu gloriae,* partim in *statu miseriae.* In *statu* autem *miseriae* non debuit esse secundum superiorem partem, sed secundum inferiorem, id est secundum carnem. Et ideo secundum divinam dispositionem necessarium fuit, differri corporis Christi glorificationem, ut Christus esset in statu, in quo pro nobis posset mereri et satisfacere. Dum autem Christus nobis merebatur et pro nobis satisfaciebat, faciebat opus Deo placentissimum, et ita remunerabile secundum aliquam partem gloriae. Cum igitur remunerari non posset quantum ad *stolam primam,* sed quantum ad *stolam secundam;* merebatur utique tunc Christus proprii corporis gloriam. — Unde concedendae sunt rationes, quae sunt ad istam partem.

1. Ad illud vero quod obiicitur, quod praemium Solutio oppositorum. est excellentius merito; dicendum, quod illud non habet semper veritatem; etsi enim [6] hoc verum sit de praemio *substantiali,* quo Deus remunerat hominem supra condignum, non tamen oportet, quod *ubique* Solutio prima. habeat locum; maiori enim bono potest mereri homo minus bonum. Et ideo non valet ista ratio in merito, quod [7] respicit *secundam stolam.* — Posset Secunda. tamen aliter dici, quod praemium est excellentius merito, secundum quod fit comparatio ad *statum* et ad *opus,* per quod quis meretur; et sic non habet instantiam in proposito. Nam *status* corporis fuit nobilior post glorificationem quam ante; gloria etiam corporis excedebat in bono *labores* corporis, quos Christus sustinuit. — Posset etiam tertio modo dici, Tertia. quod illud habet veritatem de merito, quod ordinatur ad praemium *finaliter* et cum praecisione; sic autem non est in proposito. Nam Christus principaliter [8] non merebatur propter corporis sui glorificationem, sed propter humani generis reparationem.

2. Ad illud quod obiicitur, quod anima sine meritis habuit stolam primam; dicendum, quod non est simile; quia unio divinae naturae ad humanam potius patitur imperfectionem ex parte carnis quam ex parte animae, propter hoc quod est ibi carentia minoris boni, ut melius potest haberi ex his quae habita fuerunt in praecedentibus [9]; ideo, quamvis gloria *animae* praecesserit omnia merita, gloria tamen *corporis* potuit sequi, ac per hoc mediantibus meritis acquiri.

3. Ad illud quod obiicitur, quod corpus illud [10] non habebat debitum mortis; dicendum, quod ex hoc non potest concludi, quod Christus gloriam corporis non meruerit, nisi eo modo dicendi meritum, quo quis dicitur de indebito facere debitum. Hoc autem modo Christus sibi non meruit, sicut prius [11] dictum fuit, sed alio modo dicendi, videlicet quo quis de debito uno modo facit debitum alio modo.

---

[1] Plerique codd. *tributum mortalitatis*, edd. *debitum mortalitatis;* codd. A bb *debitum mortis,* cui lectioni a nobis receptae infra in solut. fere omnes codd. assentiunt.

[2] Ut ostensum est in quaest. praeced.

[3] Cfr. supra pag. 277, nota 1. — Pro *praeter* cod. bb *nisi.* Circa finem arg. pro *fuit* multi codd. *fuerit,* edd. *fuerat.*

[4] Quae distinguitur a gloria animae sive stola prima. Cfr. infra d. 26. dub. 5.

[5] Hic c. 1. seq. — Paulo inferius pro *simul debuit* edd. 1, 2 cum multis codd. quidem, sed incongrue, *simul debet.*

[6] Edd. cum pluribus codd. omittunt *enim,* cod. H habet *autem.*

[7] Pro *quod* fere omnes codd. et edd. 1, 2 minus bene *quia,* cum manifeste quae sequuntur nullo modo exhibeant *rationem* assertionis; pro *quod* cod. K *et.* Inferius pro *gloria etiam* idem cod. K *gloria enim,* codd. W X *gloria autem.*

[8] Pro *principaliter* cod. X *finaliter principatum,* et paulo superius *et alio modo* pro *tertio modo.* De ratione ipsa hic adducta cfr. hic lit. Magistri, c. 4. seq.

[9] Dist. 15. a. 1. q. 2. et a. 2. q. 1. ad 6.

[10] Cod. bb *corpus Christi.* Post pauca pro *mortis* edd. *mortalitatis.* Deinde pro *meruerit* complures codd. *meruit.*

[11] Art. 1. q. 2. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4.

Et ideo, licet immortalitas deberetur Christo, nihilominus tamen immortalitas potuit cadere sub eius merito, isto modo accepto.

4. Ad illud quod quaeritur, si erat magis gloriosum habere per merita quam sine meritis glorificationem corporis; dicendum, quod hoc [1] erat maxime gloriosum, quia conveniebat Christo in quantum redemptor et mediator; quod quidem est officium magnae gloriae et excellentiae, videlicet ut per humilitatem passionis perveniret ipse cum membris suis ad sublimitatem resurrectionis. Et ideo non est simile ex parte *animae*, quia non sic decet mediatorem Dei et hominum habuisse statum viatoris secundum partem *superiorem* animae, sicut ex parte *carnis*.

5. Ad illud quod obiicitur, si erat necessarium mereri gloriam corporis; dicendum, quod *necessarium* ad praesens dici potest dupliciter, videlicet ex *indigentia* et ex *sufficientia* [2]: ex *indigentia*, sicut dicitur, necessarium est alicui comedere ad hoc, quod possit vivere; et isto modo non fuerunt necessaria merita Christo, quasi eis indigeret, sed sunt necessaria nobis. Alio modo dicitur *necessarium* ex *sufficientia*, sicut necessarium est, lucem copiosam diffundi per partes diversas; et hoc modo necessarium fuit, Christum mereri, quia, cum esset confirmatus in bono et esset in statu, in quo poterat mereri, necessarium erat, ipsum tunc facere quae essent Deo placita et remuneratione digna [3]. Ideo patet, quod non est simile de parvulis, qui propter imperfectionem et impotentiam assequuntur gloriam per merita aliena, utpote per merita Christi, sicut contrahunt culpam propter peccatum primi parentis.

Duplex necessarium.

6. Ad illud quod obiicitur, quodsi meruit [4] sui corporis glorificationem, quod passus est pro se; dicendum, quod *pati pro se* potest aliquis dupliciter: aut ita quod utilitas propria dicat finem *principaliter moventem;* et hoc modo, si Christus passus fuisset pro se, minus liberaliter passus esset, minusque essemus ei obligati ad gratiarum actiones. Alio modo *pati pro se* potest dicere utilitatem propriam, *non principaliter* moventem, sed quodam modo *concomitantem* et *consequentem*; et hoc modo non diminuit de liberalitate beneficii. Et sic Christus passus fuit pro se, quia patiendo aliquid meruit sibi, licet non pateretur propter commodum suum, sed propter meritum nostrum. Sine passione enim Christus nihilominus fuisset gloriosus, non solum in anima, sed etiam in corpore; nos vero sine passione defectum habuissemus non solum ex parte animae, verum etiam ex parte corporis, nisi Deus alio modo subvenisset [5].

Distinctio notanda.

SCHOLION.

I. *Glorificatio corporis* praeter quatuor dotes corporis, quae ab Apostolo (I. Cor. 15, 41. seqq.) commemorantur et a S. Bonaventura (IV. Sent. d. 49. p. II. a. 1. 2.) explicantur, comprehendit etiam resurrectionem et ascensionem et ipsius *animae* impassibilitatem (cfr. hic dub. 1, et S. Thom., hic a. 4. quaestiunc. 2.). *Nominis exaltatio*, de qua hic dub. 2. aliqua dicuntur, comprehendit etiam iudiciariam regiamque potestatem (cfr. S. Thom., S. III. q. 59. a. 3.). Utrumque autem sibi Christum sic meruisse, ut hic in solut. ad 3. explicatur, constat auctoritate s. Scripturae, contradicente Calvino; nec Scot. ab aliis doctoribus dissentit nisi in modo loquendi, cum dicit (hic q. unica n. 15.): « Quamvis non meruerit directe impassibilitatem utriusque, meruit tamen amotionem impedimenti ».

De hac quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 17. m. 4. a. 1. — S. Thom., hic a. 4. quaestiunc. 1-3; S. III. q. 19. a. 3. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 2-5. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. — Durand., hic q. 3.

II. Conclusio seq. (3.) quaestionis est manifesta. *Ianua* paradisi caelestis dicitur *clausa*, « in quantum est aliquod obstaculum prohibens ab introitu paradisi. Obstaculum autem potest esse duplex: unum ex parte *personae*, quod est per peccatum actuale; aliud ex parte *naturae*, quod est per peccatum originale.... Et hoc quidem obstaculum auferri non potuit, nisi per eum cuius operatio in totam naturam potuit, scilicet Christum... et quantum ad hoc *apertionem* ianuae meruit » (S. Thom., hic a. 6. quaestiunc. 2. 3; cfr. S. III. q. 52. a. 5.).

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. 18. m. 6. a. 4. — B. Albert., hic a. 12. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 3. — Dionys. Carth., III. Sent. d. 19. q. 1. in fine.

QUAESTIO III.

Utrum Christus meruerit nobis ianuae apertionem.

Tertio quaeritur, utrum Christus meruerit nobis ianuae apertionem. Et quod sic, videtur:

1. Auctoritate Augustini super Epistolam ad Hebraeos [6]: « Per aliam hostiam non potuit nobis aperiri aditus et fieri salus nisi per mortem Unigeniti, cuius tanta fuit humilitas et patientia, ut eius merito pateret credentibus in eum aditus regni ».

Fundamenta.

2. Item, hoc videtur auctoritate Magistri in lit-

---

[1] Scil. habere per merita. Cfr. hic lit. Magistri, c. 5. — In initio solut. pro *quaeritur* codd. A F X *obiicitur*, et subinde pro *si erat* cod. O *si esset*.

[2] Cfr. Aristot., V. Metaph. text. 6. (IV. c. 5.).

[3] Vide hic lit. Magistri, c. 4. seq. — Paulo inferius voci *imperfectionem* cod. K praemittit *suam*.

[4] Cod. K hic inserit *sibi*. Paulo inferius pro *moventem* codd. E N U Z *inducentem*.

[5] Vide hic lit. Magistri, c. 5.

[6] In cod. N adiectum invenimus *et habetur in littera*, ubi a Magistro (hic c. 5.) verba, quae hic Augustino tribuuntur, allata sunt ad illustrandum testimonium *Ambrosii* (re vera est Alcuini, in Hebr. 9, 15.) ibi adductum. Cfr. August., XIII. de Trin. c. 10. n. 13. seqq., de quo etiam infra agetur d. 20. q. 6. In testimonio allegato pro *cuius tanta* edd. cum non paucis codd. contra text. origin. *cui tanta*.

tera [1]: « Christi humilitas, qua mortem gustavit, ingressum regni caelestis omnibus suis, impleto Dei decreto, aperire valuit »; quod si verum est, redit idem quod prius.

3. Item, nullus introibat in caelum, antequam Christus pateretur et moreretur, sed descendebat ad limbum, sicut patet per vetus Testamentum [2]; sed modo ascendunt: ergo videtur, quod modo aperta sit ianua per Christi meritum.

4. Item, si aliter quam per Christi merita potuissemus introire in gloriam paradisi, ergo sine morte et passione Christi possemus salvari; et si hoc: *ergo Christus mortuus esset gratis* [3]. Quodsi hoc est inconveniens, constat, quod non fuit aperta ianua paradisi nisi per merita Christi.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Si Christus meruit nobis apertionem ianuae paradisi, aut ergo paradisi *terrestris*, aut *caelestis*. Paradisi *terrestris* non, quia morientes non ingrediuntur illuc; et praeterea, Henoch et Elias ingressi fuerunt ante Christi adventum [4]. Paradisi *caelestis* non, quoniam in caelo nulla posita fuit custodia vel clausura; homo enim non fuit de eo eiectus: ergo non videtur, quod per merita Christi sit aperta ianua alicuius paradisi.

2. Item, si Christus aperuit nobis ianuam meritis suis, aut ergo merito *actionum*, aut merito *passionum*. Si merito *actionum:* ergo videtur, quod frustra fuerit passus, ex quo actiones suae sufficiebant quantum ad meritum. Si *passionibus:* ergo videtur, quod Christus profecerit quantum ad meritum [5].

3. Item, omne meritum consistit in radice caritatis, et caritas in Christo non crevit, ergo omne quod Christus meruit, ab initio meruit; sed aditum regni ab initio nobis non meruit, alioquin non oportuisset ipsum pati [5]: ergo nunquam videtur, quod aditum illum potuisset nobis deinceps mereri.

4. Item, aut *iustum* erat, nobis ianuam aperiri, aut *iniustum*. Si *iustum:* ergo circumscriptis meritis Christi, debebat nobis patere aditus regni. Si *iniustum;* sed Christus nihil meruit nisi iustum: ergo Christus non meruit nobis apertionem.

5. Item, caritas meretur gloriam ex condigno; sed Abraham habuit caritatem, sicut nos habemus: aut igitur Deus cum eo iniuste egit, aut eum in gloriam introduxit; et si hoc, aditus regni patuit ante adventum Christi: non ergo aperta fuit ianua per merita eius.

6. Item, fides Christi ante adventum Christi ita introducebat hominem a statu culpae in statum gratiae, sicut et post adventum: ergo et pari ratione sic debuit introducere a statu viae in statum gloriae tunc, sicut nunc: ergo si nunc fidelibus morientibus patet ingressus in caelum, videtur, quod et ante adventum Christi: ergo ianua caeli non fuit aperta per eius merita.

CONCLUSIO.

Christus per suam satisfactionem meruit nobis paradisi caelestis apertionem.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod est paradisus *terrestris*, et est paradisus *caelestis*, et Adam peccante, utriusque ianua clausa fuit. Clausio autem ianuae paradisi *terrestris* signum fuit clausionis ianuae paradisi caelestis [7]. Est autem paradisus *caelestis* aperta visio Dei [8]; clausio autem huius ianuae fuit impossibilitas videndi Deum *facie ad faciem*, quae impossibilitas consurgebat ex merito peccati Adae et ex decreto divinae sententiae, quo scilicet Deus decreverat neminem ad sui aspectum admittere, nisi facta esset sibi emenda et satisfactio pro illo peccato. Et quoniam emenda et satisfactio facta est ei per Christum, sicut melius infra [9] manifestabitur; hinc est, quod per meritum Christi patuit nobis ingressus in caelum. — Unde concedendae sunt rationes et auctoritates, quae hoc ostendunt.

Duplex paradisus.

Conclusio.

1. Ad illud vero quod obiicitur de paradiso caelesti et terrestri; dicendum, quod per meritum Christi patuit nobis aditus in paradisum *caelestem*, cuius ianuae clausio facta fuit nobis per divinam sententiam, sicut praedictum est, et Magister recitat in littera [10]. Propter hoc ratio inducta procedit per suppositionem falsi.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod quaeritur, utrum meruerit nobis apertionem ianuae actione, vel passione; dicen-

---

[1] Hic c. 5. — In dicto Magistri pro *aperire valuit*, quod et originale exhibet, maior pars codd. nec non edd. *aperire voluit.*

[2] Cfr. IV. Sent. d. 45. a. 1. q. 1, ubi specialiter de limbo tractatur et in testimonium eius ex vet. Test. afferuntur illa verba Iacob, Gen. 37, 35: « Descendam ad filium meum lugens in infernum »; nec non illa eiusdem, ibid. 42, 38: « Deducetis canos meos cum dolore ad inferos »; et verba Iob 17, 13: Si sustinuero, infernus domus mea est. — Post pauca pro *ianua* codd. A K *porta.*

[3] Gal. 2, 21. Cfr. supra pag. 66, nota 7.

[4] De Henoch vide Eccli. 44, 16. Cfr. Gen. 5. 24, et Hebr. 11, 5. De Elia vide IV. Reg. 2, 11; Eccli. 48, 9. et 13; I. Mach. 2, 58. — Paulo inferius pro *de eo*, quod habent edd., codd. *de ea* [clausura?], codd. A K *de illa.*

[5] Magister hic in lit. c. 4: Per passionem nil sibi meruit quod non ante per virtutes meruit.

[6] Luc. 24, 26: Nonne haec oportuit pati Christum etc. — De *maiori* cfr. supra pag. 387, nota 3.

[7] Secundum August., XI. de Gen. ad lit. c. 40. n. 55. Cfr. II. de Gen. contra Manich. c. 22. n. 34. — In propositione seq. respicitur illud I. Cor. 13, 12: Videmus... tunc autem facie ad faciem. — In eadem propositione pro *decreverat* edd. exhibent *determinaverat*, et pro *admittere* cod. X *venire.*

[8] Cfr. IV. Sent. d. 49. p. I. q. 5, ubi in solut. ad 1. etiam explicatur, quod sensu *visio* Dei vocetur *tota merces.*

[9] Dist. 19. a. 1. q. 1. seqq. et d. 20. q. 5.

[10] Hic c. 5. Vide fundam. 2. — Subinde pro *inducta* codd. U X *praeinducta.*

dum, quod per *passionem*. Per passionem enim satisfecit et pretium persolvit; nec sequitur propter hoc; quod in merito profecerit, quia non sibi, sed nobis meruit; et ideo non potest concludi ex hoc, quod ipse profecerit, sed quod nos profecerimus [1].

3. Ad illud quod obiicitur, quod meritum totum consistit in radice caritatis; dicendum, quod est meritum *adeptionis vitae aeternae*, et est meritum *dimissionis poenae*. Meritum *vitae aeternae* consistit in radice caritatis, meritum autem *remissionis poenae* non tantum consistit in caritate, sed etiam in passionis acerbitate. Apertio autem ianuae principaliter consistebat quantum ad meritum *dimissionis poenae*, pro eo quod illa apertio fieri habebat per opus satisfactionis; satisfactio autem fit maxime per opera poenalia [2]. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod aut erat iustum, aut iniustum, nobis ianuam aperiri; dicendum, quod ante satisfactionem, reatu manente, *iustum* erat, ianuam nobis claudi; sed satisfactione iam facta, *iustum* erat, nobis ianuam aperiri. Unde Christus satisfaciendo fecit nobis de indebito debitum, ac per hoc vere et proprie nobis meruit aperiri caelum. Unde cum [3] dicitur, quod Christus nihil meruit nisi iustum; dicendum, quod illud habet veritatem, si intelligatur, quod illud retineat rationem iniustitiae post meritorum interventionem; sic autem non est hic, sicut visum est.

5. Ad illud quod obiicitur, quod caritas meretur gloriam aeternam ex condigno; dicendum, quod post lapsum hominis caritas non meretur nisi praeambulo motu fidei; fides autem absoluta non suffi- Notandum.
cit, nisi sit fides Creatoris et Mediatoris, sine qua nemo potest iustificari [4]; ideo efficacia omnis meriti fundata est super merita Christi. Et propterea non sequitur, quod caritas mereatur gloriam, circumscriptis meritis Christi, vel introducat in ipsam, pro eo quod meritum caritatis nostrae non excludit merita Christi, sed potius includit.

6. Ad illud quod obiicitur, quod fides Christi ante passionem introducebat in gratiam, ergo pari ratione et in gloriam; dicendum, quod non est simile, quia status *gratiae* bene compatitur secum obligationem ad poenam; non sic autem status *gloriae*, qui excludit omnem imperfectionem poenae et culpae. Ideo, quamvis Dominus daret *gratiam* propter satisfactionem promissam [5], non tamen debuit dare *gloriam*, nisi satisfactione soluta. Et ideo non patebat ingressus in regnum, nisi prius interveniret passio Christi, per quam solveretur pretium satisfactorium, et nos non tantum liberaremur a culpa, sed etiam absolveremur a reatu. Haec autem melius inferius [6] manifestabuntur.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Meruit a conceptione non modo gloriam impassibilitatis* [7] *corporis, sed etiam impassibilitatem animae;* quia « ubi unum propter alterum, ibi unum tantum [8] »; sed *immortalitas* non est in corpore nisi per animam, sicut nec vita; *passibilitas* etiam non est in anima nisi per corpus, cum anima sit substantia incorporalis: restat ergo, quod idem est omnino mereri impassibilitatem corporis et impassibilitatem animae. — Praeterea, corpore existente impassibili, necesse est, animam esse impassibilem: ergo non videtur, quod impassibilitas corporis debeat connumerari impassibilitati animae.

Iuxta hoc quaeritur: cui per prius inest impassibilitas? Et quod *carni*, videtur, quia impassibilitas est dos corporis; quod autem *animae*, videtur, quia gloria [9] est per influentiam animae in carnem. Quaestio connexa.

Respondeo: Dicendum, quod in anima passibili duplex est genus passionum: unum, quod patitur *in se* per affectiones; aliud, quo compatitur *corpori* propter corporis laesiones [10]. Ad hoc autem, quod anima efficiatur perfecte impassibilis, necessarium est, quod ab utraque passione efficiatur perfecte immunis; et ita duplex impassibilitas reperitur in anima: una, quae est *proprie ipsius animae;* altera, quam *communicat cum corpore*. Et istas duas intendit Magister in littera connumerare. Et sic patet responsio ad primo quaesitum.

Ad illud vero, quod quaeritur secundo, cui per Ad quaestionem connexam.

[1] Cfr. hic lit. Magistri, c. 5.

[2] Cfr. infra d. 19. a. 1. q. 4.

[3] Pro *cum* non pauci codd. *quod*. Subinde pro *nisi iustum* Vat. *iniustum*. Paulo inferius pro *iniustitiae* codd. A I K Z bb falso *iustitiae*. Nam immediate praecedens vox *illud* significat *apertionem* ianuae caelestis.

[4] Vide supra pag. 236, nota 10. — In initio solut. pro *gloriam aeternam* cod. K *vitam aeternam*. Paulo inferius post *omnis meriti* codd. A K bb subdunt *nostri*. Circa finem solut. pro *non excludit* codd. G I L N T U V Z aa *non excludat*.

[5] Edd. verbo *promissam* praemittunt *nobis*.

[6] Dist. 19. a. 1. q. 2. et 4. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Magister hic in lit. addit *et immortalitatis*, ad quod in sequentibus respicitur.

[8] Aristot., III. Topic. c. 2. Cfr. tom. II. pag. 639, nota 2. — Mox pro *per animam* codd. A K *propter animam*.

[9] Cod. O supplet *corporis;* cfr. IV. Sent. d. 49. p. II. a. princip. I. a. 1. q. 2. — Paulo superius pro *inest impassibilitas* cod. T *inest passibilitas*.

[10] Cfr. supra pag. 354, nota 1. — Paulo superius pro *unum, quod patitur* codd. H K N bb *unum, quo patitur*. Inferius pro *una, quae est proprie* cod. A *una, quae est propria*, codd. G I L T aa *una, quae est improprie*. Subinde pro *altera, quam* cod. A *altera, in qua*, cod. K *altera, cum qua*.

prius insit *impassibilitas*[1]; dicendum, quod per prius inest *animae*, sicut et *passibilitas* quantum ad causam primam, utpote in homine *primo*, in quo per corruptionem animae facta est corruptio corporis; quamvis in *aliis* anima efficiatur passibilis propter coniunctionem sui cum carne corrupta; e contrario vero est gloria *impassibilitatis*, quae quidem est a superiori, et magis inest corpori ratione animae quam e converso. — Quod ergo obiicit, quod *impassibilitas* est dos *corporis*; dicendum, quod dos *corporis* est, sed non sic praecise est *corporis*, quod non sit animae; dicitur tamen magis esse dos *corporis*, quia anima habet dotes secundum se multo excellentiores[2].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Meruit etiam sibi donari nomen, quod est super omne nomen.* Hoc enim videtur esse falsum, quia nomen illud, quod est super omne nomen, habuit ab aeterno[3]. *Si tu dicas*, quod meruit illius nominis manifestationem in humana natura; hoc videtur esse falsum, quia daemones in Evangelio frequenter dicebant, ipsum esse Filium Dei, sicut colligitur ex multis locis[4]: ergo iam nomen eius ante passionem erat manifestatum. — Item, in Lege promissus erat Filius Dei, sicut dicit Isaias nono[5]: *Vocabitur admirabilis, consiliarius, Deus, fortis.* — Item, primae ad Corinthios secundo: *Si cognovissent;* dicit Glossa, quod maiores Iudaei sciverunt, quod esset Christus: ergo videtur, quod nomen eius ante passionem fuerit manifestatum. — Sed contra hoc est quod dicitur primae ad Corinthios secundo[6]: *Si cognovissent, nunquam Filium Dei crucifixissent;* et Anselmus in libro *Cur Deus homo* dicit, quod tantum scelus, sicut est Filii Dei occisio, nunquam per poenitentiam expiassent, nisi ignorantia excusasset.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio Christus per passionem suam meruit sui nominis clarificationem. Clarificatio autem nominis ipsius Christi in hoc consistit, ut communiter homines noverint, illum qui in humana natura apparebat, esse Filium Dei et redemptorem mundi.

Ad illud vero quod obiicitur, quod illud iam notum erat; dicendum, quod est notitia *certa*, et est notitia per quandam *coniecturam;* et Christus ante passionem cognitus fuit habere nomen, quod est super omne nomen, notitia *coniecturali*, sed notitia *certitudinali* non nisi post passionem. Et per hoc dissolvi possunt rationes et auctoritates ad utramque partem[7]. — Vel aliter. Est notitia *universalis*, et est notitia *particularis;* quamvis autem Christus esset notus *aliquibus*, quod esset vere Christus; tamen non fuit *universaliter* cognitus usque[8] post passionem. — Vel aliter. Est notitia nominis duplex, quantum ad *vocem* et quantum ad *imponendi rationem:* quantum ad *vocem*, cum cognoscitur, quod aliquis sic vocetur; et sic multi cognoverunt, Christum vocari Iesum ante passionem; sed *rationem*, quare sic vocaretur, videlicet quia venerat salvare *populum a peccatis eorum*[9], non cognoverunt usque post passionem.

Duplex notitia. Solutio 1. Secunda. Tertia.

Et sic clarificatio nominis Christi est manifestatio cognitionis habitae de Christo, qua cognoscitur esse *Dei Filius* et *Christus* et *Iesus;* et quodlibet istorum est nomen super omne nomen. Nam *Filius Dei* nominat personam in *una* natura; *Christus* autem et *Iesus* nominant personam in *duabus* naturis; sed *Christus* nominat personam in *humana* natura relata[10] ad divinam, quia dicitur *unctus. Iesus* autem nominat personam in divina natura relata ad humanam, quia *Iesus* dicitur Salvator esse; et ideo in nomine *Iesu* Christi debet omne genu curvari[11], sicut in nomine *Filii Dei.*

De nominibus Christi et Iesu.

---

[1] Ita cod. X, quae lectio respondet ipsi obiectioni nec non subnexis; alii codd. et edd. *passibilitas.* Cfr. II. Sent. d. 19. a. 2. et 3. atque Alex. Hal., loco infra cit. — Paulo inferius pro *corruptio corporis* cod. O *corruptio carnis.*

[2] Scil. visionem, dilectionem et comprehensionem (sive tentionem vel fruitionem), quae respondent tribus partibus animae: rationali, concupiscibili et irascibili, nec non tribus virtutibus theologicis. Cfr. infra d. 26. a. 1. q. 3. in corp., et IV. Sent. d. 49. p. I. q. 5. in corp. — De solut. dubii cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 17. m. 4. a. 1. § 2; B. Albert., hic a. 8; S. Thom., hic a. 4. quaestiunc. 2; Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. quaestiunc. 5; Richard. a Med., hic circa lit.

[3] Ut dicit Ambrosius, qui a Magistro hic in lit. c. 3. allegatur.

[4] Matth. 8, 29; Marc. 5, 7; Luc. 8, 28. — Mox pro *manifestatum* codd. G H L T V aa bb *manifestum.* Eandem lectionem variantem paulo inferius exhibent codd. F G H.

[5] Vers. 8. — Seq. Script. locus est I. Cor. 2, 8. Glossa, quae est *ordinaria*, apud Strabum et Lyranum sic sonat: «*Si enim cognovissent* vel minores, illum esse Messiam in Lege promissum, vel maiores, Deum esse vel Filium Dei, *nunquam Dominum gloriae crucifixissent*». Quibus verbis Petrus Lombard., in hunc loc., praemittit haec: Vel de Iudaeis potest accipi, quorum quidam cognoverunt Christum, alii vero non cognoverunt... Maiores vero, ut principes sacerdotum, scribae et pharisaei, cognoverunt, ipsum esse qui in Lege promissus erat, sed Deum esse vel Filium Dei nescierunt. Et ideo de utrisque sic potest accipi. Cfr. Quaest. ex novo Testam. (inter opera August.) p. I. q. 66, nec non II. Sent. d. 40. dub. 3.

[6] Vers. 8. — Anselmi sententia habetur loc. cit. lib. II c. 15.

[7] Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum ad Matth. 8, 29. observat (secundum Hilar. Comment. in Matth. c. 3.): Magis suspicati quam nosse credendi sunt [scil. daemones scivisse, Iesum esse Filium Dei].

[8] Codd. A K N bb *nisi.*

[9] Matth. 1, 21.

[10] Vat. cum uno alteroque cod. *relatam.* Subinde post *quia* edd. repetunt *Christus.* Paulo inferius ante *ad humanam* [naturam] auctoritate codd. A K bb substituimus *relata*, pro *relatam*, quod est in edd. et aliis codd. Nostra lectio comprobatur his verbis Alexandri Hal. (S. p. III. q. 17. m. 4. a. 1. § 3.): Potest signari *persona* Christi dupliciter: vel ratione *divinae* naturae in comparatione ad humanam, secundum quam dicitur *Iesus*, id est salvator, Verbo enim in humana natura convenit salvare; vel ratione *humanae* naturae in comparatione ad divinam; et hoc modo nominatur *Christus*, quod dicitur ratione humanae naturae per unionem ad divinam.

[11] Respicitur Phil. 2, 10. — August., XIII. de Trin. c. 10. n. 14: Qui est Hebraice Iesus, Graece σωτήρ, nostra autem locutione Salvator.

Epilogus ad quaestionem.

Et per hoc patet responsio ad quaestionem propositam, quia nomen Filii Dei tripliciter dicitur clarificari secundum triplex eius nomen, sive quantum ad *certificationem*, sive quantum ad *diffusionem*, sive quantum ad *rationis nominandi expressionem*, ita quod *certificatio* respicit notitiam nominis Filii Dei, *diffusio* notitiam nominis Christi, *expressio rationis nominandi* notitiam nominis Iesu. — Patet etiam responsio [1] ad obiecta, quia Christus secundum haec tria nomina fuit cognitus *quodam* modo, fuit etiam *quodam* modo ignoratus. Secundum eum modum, secundum quem ignoratus fuit, meruit, nomen suum per passionem clarificandum esse [2].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *In qua enim forma crucifixus est, in ea forma exaltatus est;* quia exaltatio Christi est ad aequalitatem Patris, sicut dicitur in Psalmo [3]: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis;* sed non est aequalis Patri secundum formam servi, sed secundum formam Divinitatis: ergo secundum eam exaltatus fuit. — Item, ei competit exaltatio, cui *omne genu flectitur caelestium, terrestrium et infernorum* [4]; sed hoc est divina natura: ergo etc. — Sed contra hoc est, quia eius est exaltari, cuius est humiliari; sed « divina natura non potuit humiliari », sicut dicit Anselmus in libro de Incarnatione Verbi [5]: ergo nec exaltari. — Praeterea, quod est altissimum quomodo potest exaltari? Si igitur divina natura est huiusmodi, videtur etc.

Respondeo: Dicendum, quod sicut *nominatio* debetur personae ratione alicuius naturae, sic etiam [6] *exaltatio*. Sed attendendum, quod *exaltatio* dupliciter habet intelligi circa Christum: aut secundum *rem*, aut secundum *nostram cognitionem*. Exaltatio Christi secundum *rem* est sublimatio Christi de statu praesentis vitae ad dexteram Patris; et haec quidem fuit in ascensione [7], et haec quidem exaltatio convenit ei secundum humanam naturam, quae fuit elevata in caelum; et sic *exaltari ad dexteram Patris* est sublimari ad potiora bona Patris. — Alio modo est *exaltatio* secundum *nostram cognitionem;* et sic dicitur Christus exaltari in cordibus nostris, quando credimus eum aequalem Patri; et sic *exaltari ad dexteram Patris* est exaltari ad aequalitatem Patris; et hoc modo exaltatio convenit Christo secundum eam naturam, secundum quam habet aequari ipsi Patri [8].

Distinctio notanda.

Et secundum hanc distinctionem patet determinatio controversiae apparentis inter Augustinum et Ambrosium [9], patet etiam responsio ad obiecta. Augustinus enim loquitur de exaltatione *reali*, et sic currunt rationes ad secundam partem; Ambrosius vero de exaltatione secundum *cognitionem nostram*, et sic currunt rationes ad primam partem [10].

Notandum

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nam alii homines debitores erant, et vix unicuique sua virtus sufficiebat.* Obiicitur enim contra hoc per hoc quod dicit Anselmus in libro *Cur Deus homo* [11]: « Nullatenus potest homo magis honorem dare Deo, quam cum se tradit morti ad illius honorem ». Si ergo servitia, quanto magis debita, tanto minus grata; videtur, quod homines non sunt debitores mortis. — Item, quilibet est debitor omnis eius quod est et quod potest, quia totum a Deo accepit: ergo videtur, quod nullus possit aliquid apud Deum mereri nec moriendo nec aliquid faciendo. — Item, Christus debebat obedire Patri; sed Pater praecipiebat, quod moreretur [12] pro salute humani generis: ergo videtur, quod Christus esset debitor mortis.

Respondeo: Dicendum, quod est debitum ex *caritate*, et est debitum ex *necessitate*. Debitum ex *caritate* non tollit perfectionem meriti; debitum vero ex *necessitate* quodam modo diminuit. Quoniam ergo omnes alii debitores erant morti [13] debito *necessitatis*, quae quidem provenit ex reatu et obligatione culpae; ideo dicit Magister, quod nullus po-

Duplex debitum.

---

[1] Cod. V *solutio*.

[2] Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 17. m. 4. a. 1. § 3; B. Albert., hic a. 9; S. Thom., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 3; Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. quaestiunc. 2. 3.

[3] Psalm. 109, 1. Apud Petr. Lombard. habetur in hunc loc. Glossa haec: *Sede a dextris meis* i. e. conregna coaequalis mihi, ut per dextram accipiatur aequalitas, quam habet Christus cum Patre.

[4] Phil. 2, 10. — Subinde multi codd. *sed haec* pro *sed hoc*.

[5] Sive de Fide Trin., ex cuius libri c. 4. et 5. elici posset. Lector melius delegaretur ad l. Cur Deus homo, c. 8: Divinam enim naturam absque dubio asserimus impassibilem, nec ullatenus posse a sua celsitudine humiliari etc. — Pro *non potuit* edd. *non potest*.

[6] Codd. F G H I N U *sic est*.

[7] Marc. 16, 19: Et Dominus quidem Iesus... assumtus est in caelum et sedet a dextris Dei. — Glossa *ordinaria* (apud Strabum et Lyranum) in Ps. 109, 1: *Sede a dextris meis* i. e. in potioribus meis bonis et occultis ». Haymo in hunc locum: « *Sede a dextris meis* i. e. expleta militia tua et peracta obedientia, quiesce in potioribus bonis meis ». August., Enarrat. in Ps. 137. n. 14; de Fide et Symbolo, c. 7. n. 14; de Agone christian. c. 26. n. 28; contra Serm. Arian. c. 12. n. 9. illud sedere ad dextram Patris idem esse interpretatur ac summa felicitate frui et beatitudine nec non iudiciaria potestate. Cfr. Athanas. de Incarnat. Verbi, n. 3. seqq., et Anselm., l. Cur Deus homo, c. 9.

[8] De hac secunda exaltatione cfr. August., Serm. 380. (alias 6. ex Vignerian.) n. 6, et in Ioan. Evang. tr. 14. n. 5.

[9] Cfr. hic lit. Magistri, c. 3. — Paulo inferius pro *reali* cod. Z *secundum rem*.

[10] Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 24; B. Albert., hic a. 10; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[11] Libr. II. c. 11. — Secunda ratio insinuatur ibid. l. c. 20; tertia ibid. l. c. 8. in fine.

[12] Edd. *debebat mori*.

[13] Edd. *mortis*.

terat Deum *placare*, quamvis voluntarie perferendo
Notandum. mortem posset Deo *placere*. Christus autem, quia sine debito mortis pertulit mortem, et *placere* potuit et *placare*: *placere*, quia ex bona voluntate; *placare* vero, quia praeter necessitatem.

Ad illud vero quod primo obiicitur de Anselmo, dicendum, quod, sicut patet ex ipsa serie textus; Anselmus loquitur ibi de Christo; attamen, esto quod illud de aliis intelligeretur, non sequitur propter hoc, quod homo non sit debitor mortis, quia potest homo facere per bonam voluntatem de necessitate virtutem. — Praeterea, aliquis est moriendi modus, ad quem non sumus necessario obligati.

Et per hoc patet sequens, quia debitum non tollit meritum *simpliciter*, sed meritum illius *perfectae* placationis, qua Deus reconciliatus est toti humano generi [1].

Ad illud quod obiicitur de obedientia, iam patet responsio per ea quae dicta sunt [2].

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit Ambrosius: *Salvari non possemus, nisi unigenitus Dei Filius moreretur pro nobis debitoribus mortis. Contra:* nullus debitor mortis est dignus vita: ergo si Abraham fuit debitor mortis, non ergo fuit dignus vita. — Item quaeritur: de qua morte intelligitur? aut de morte *corporali*, aut de morte *spirituali*. Si de morte *spirituali*, falsum [3] est, quia viri iusti non sunt digni morte spirituali; si de morte *corporali:* aut *naturali*, aut *violenta*. De *violenta* non est verum, quia non omnes debitores sumus talis mortis. Si de *naturali*, tunc videtur, quod nihil faciat ad propositum, quia mors illa naturalis non impedit meritum, nec aliquis ab illa liberatur per Christum; omnes enim moriuntur.

Respondeo: Dicendum, quod *mors* dicitur multipliciter. Est enim mors separatio animae a *corpore;* et est mors separatio animae a *Deo* propter peccatum; et est mors separatio animae a *visione Dei in perpetuum;* et est mors separatio animae a *visione Dei ad tempus* [4]. Cum ergo dicit Ambrosius, quod « Christus mortuus est pro debitoribus mortis »; accipitur *mors* primo et quarto modo. Omnes enim sumus debitores mortis primo modo; et omnes debitores erant mortis quarto modo; et nos ipsi debitores essemus, nisi pretium solutum esset. Mors dicitur quadrupliciter.

Et per hoc patet responsio ad ea quae obiiciuntur, quia debitum talis mortis non opponitur dignitati vitae aeternae. Patet etiam, cuius mortis sumus debitores. Et si *obiicit*, quod mors naturalis non tollit perfectionem meriti; dicendum, sicut prius [5] dictum fuit, quod non tollit perfectionem *cuiuscumque* meriti, sed meriti *perfectae* satisfactionis pro salute generis humani.

DISTINCTIO XIX.

Cap. I.

Qualiter a diabolo et a peccato redemit nos Christus per mortem.

Nunc igitur quaeramus, quomodo per mortem ipsius a diabolo et a peccato et a poena redempti sumus. — A diabolo igitur et a peccato per Christi mortem liberati sumus, quia, ut ait Apostolus [1], *in sanguine ipsius iustificati sumus*, et in eo, quod sumus iustificati, id est a peccatis soluti, a diabolo sumus liberati, qui nos vinculis peccatorum tenebat. Sed quo-
Dubium 1. modo a peccatis per eius mortem soluti sumus? Quia per eius mortem, ut ait Apostolus, *commendatur nobis caritas Dei*, id est, apparet eximia et commendabilis caritas Dei erga nos in hoc, quod *Filium suum tradidit in mortem* pro nobis peccatoribus. Exhibita autem tantae erga nos dilectionis arrha, et nos movemur accendimurque ad diligendum Deum, qui pro nobis tanta [2] fecit; et per hoc iustificamur, id est soluti a peccatis, iusti efficimur. Mors igitur Christi nos iustificat, dum per eam caritas excitatur in cordibus nostris. — Dicimur quoque et aliter per mortem Christi Aliter.
iustificari, quia per fidem mortis eius a peccatis mun- Dubium 2.
damur. Unde Apostolus [3]: *Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi;* et ibidem: *Quem Deus proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius*, id est per fidem passionis, ut olim aspicientes in serpentem aeneum, in ligno erectum, a morsibus serpentum sanabantur. Si ergo recte fidei intuitu in illum respicimus, qui pro nobis pependit in ligno, a vinculis diaboli solvimur, id est a peccatis, et ita a diabolo liberamur, ut nec post hanc vitam in nobis inveniat quod puniat. « Morte Augustinus.
quippe sua uno verissimo sacrificio quidquid culparum erat, unde nos diabolus ad luenda supplicia detinebat, Christus exstinxit [4] », ut in hac vita tentando

---

[1] Cfr. infra d. 20. q. 3. seq. et Anselm. locc. citt.

[2] Cod. M addit: quoniam est debitum bonitatis sive caritatis, et debitum necessitatis. Primum non est obnoxitas, sed mera liberalitas; tale fuit in Christo. Secundum debitum fuit in nobis, non in ipso. — Hoc dubium solvunt etiam B. Albert., hic a. 13; S. Thom., hic circa lit.

[3] Cod. F praemittit *sic.*

[4] Cfr. August., XIII. de Civ. Dei, c. 2.

[5] Dubio praeced. — De hoc dubio vide Alex. Hal., S. p. III. q. 18. m. 6. a. 4; B. Albert., hic a. 14; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Rom. 3, 24. 25. Seq. locus est Rom. 5, 8. 9. Tamen hi loci Scripturae sicut et seqq. aliquatenus contracti sunt, vel a Vulgata differunt.

[2] Codd. B C D E et edd. 1, 3, 7 *tantum.*

[3] Rom. 3, 22. 25. Respicitur Numer. 21, 9.

[4] August., IV. de Trin. c. 13. n. 17, ubi etiam quae sequuntur insinuantur. Verba Augustini sunt etiam in Glossa ad Colos. 2, 12, apud Lyranum. Paulo inferius respicitur Luc. 22, 56. seqq. (de negatione Petri) et Luc. 11, 22 (de forti armato), denique Ps. 68, 5.

nobis non praevaleat. Licet enim nos tentet post Christi mortem, quibus modis ante tentabat, non tamen vincere potest, sicut ante vincebat. Nam Petrus, qui ante Christi mortem, voce ancillae territus, negavit, post mortem, ante reges et praesides ductus, non cessit. Quare? quia *fortior*, id est Christus, veniens *in domum fortis*, id est in corda nostra, ubi diabolus habitabat, *alligavit fortem*, id est, a seductione compescuit fidelium, ut tentationem, quae ei adhuc permittitur, non sequatur seductio. Itaque in Christi sanguine, qui *solvit quae non rapuit*, redempti sumus a peccato, et per hoc a diabolo. Nam, ut ait Augustinus[1], « in ipso vincuntur inimicae nobis invisibiles potestates, ubi vincuntur invisibiles cupiditates ». « Fuso enim sanguine sine culpa, omnium culparum chirographa deleta sunt, quibus debitores, qui in eum credunt, a diabolo ante tenebantur; unde: *Qui pro multis effundetur* ». Per illum ergo redempti sumus, in quo *princeps mundi* nihil invenit. Unde Augustinus[2], causam et modum nostrae redemptionis insinuans, ait: « Nihil invenit diabolus in Christo, ut moreretur, sed pro voluntate Patris mori Christus voluit; non habens mortis causam de peccato, sed de obedientia et iustitia, mortem gustavit, per quam nos redemit a servitute diaboli. Incideramus enim in principem huius saeculi, qui seduxit Adam et servum fecit, coepitque nos quasi vernaculos possidere; sed venit Redemptor, et victus est deceptor. Et quid fecit Redemptor captivatori nostro? Tetendit ei muscipulam crucem suam, posuit ibi quasi escam sanguinem suum. Ille autem sanguinem fudit[3] non-debitoris, per quod recessit a debitoribus. Ille quippe ad hoc sanguinem suum fudit, ut peccata nostra deleret. Unde ergo nos diabolus tenebat, deletum est sanguine Redemptoris. Non enim tenebat nos nisi vinculis peccatorum nostrorum; istae erant catenae captivorum. Venit ille, *alligavit fortem* vinculis passionis suae; intravit in *domum eius*, id est in corda eorum, ubi ipse habitabat, et *vasa* eius, scilicet nos, eripuit, quae ille impleverat amaritudine sua. Deus autem noster vasa eius eripiens et sua faciens, fudit amaritudinem et implevit dulcedine », per mortem suam a peccatis redimens et adoptionem gloriae filiorum largiens.

De deletione chirographorum Augustinus.

Dubium 3.

Cap. II.

Cur Deus homo et mortuus.

Factus est igitur homo mortalis, ut moriendo diabolum vinceret. « Nisi enim homo esset, qui diabolum vinceret, non iuste, sed violenter homo ei tolli videretur, qui se illi sponte subiecit. Sed si eum homo vicit, iure manifesto hominem perdidit. Et ut homo vincat, necesse est, ut Deus in eo sit, qui eum a peccatis immunem faciat. Si enim per se homo esset, vel Angelus in homine, facile peccaret, cum utramque naturam per se constet cecidisse[4] ». Ideo Dei Filius hominem passibilem sumsit, in quo et mortem gustavit; quo caelum nobis aperuit et a servitute diaboli, id est a *peccato* — servitus enim diaboli peccatum est — et a *poena* redemit.

De liberatione a potestate diaboli.

Cap. III.

Quomodo a poena Christus nos redemit.

A qua *poena?* Temporali et aeterna: ab *aeterna* quidem relaxando debitum, a *temporali* vero penitus nos liberabit in futuro, *quando novissima mors inimica destruetur*[5]. Adhuc enim *exspectamus redemptionem corporis*, secundum *animas* vero iam redempti sumus ex *parte*, non ex *toto*: a *culpa*, non a *poena*, nec *omnino* a culpa. Non enim ab ea sic redempti sumus, ut non *sit*, sed ut non *dominetur*.

De absolutione peccati.

Cap. IV.

Quomodo poenam nostram portavit.

Peccata quoque nostra, id est poenam peccatorum nostrorum, dicitur *in corpore suo super lignum portasse*[6], quia per ipsius poenam, quam in cruce tulit, omnis poena temporalis, quae pro peccato conversis debetur, in *baptismo* penitus relaxatur, ut nulla a baptizato exigatur, et in *poenitentia* minoratur. Non enim sufficeret illa poena, qua poenitentes ligat Ecclesia, nisi poena Christi cooperaretur, qui pro nobis solvit. Unde peccata iustorum, qui fuerunt ante adventum, in *sustentatione Dei* fuisse usque ad Christi mortem, dicit Apostolus, *ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempore*[7]. — Ecce, a parte expositum est, *quomodo* et *quid* Christus per mortem nobis meruit et impetravit.

Cap. V.

Si Christus solus redemptor, ut mediator, debet dici.

Unde ipse vere dicitur *mundi redemptor* et *Dei hominumque mediator*. Sed *mediator* in Scriptura dicitur solus Filius[8], *redemptor* vero aliquando etiam Pater, vel Spiritus sanctus, sed hoc propter usum potestatis, non propter exhibitionem humilitatis et obedientiae. Nam secundum potestatis simul et obedientiae

Dubium 4.

Dubium 5.

---

[1] De Agone christiano, c. 2. n. 2. Seq. locus est II. de Peccator. meritis et remiss. c. 30. n. 49, ubi alluditur ad Matth. 26, 28. et in fine ad Ioan. 14, 30. Haec verba omnia leguntur in Glossa ad Colos. 2, 15, apud Lyranum.

[2] Ita verbotenus in Glossa ad Hebr. 2, 14. (apud Lyranum), quam Beda (ibid.) sumsit ex August., Serm. 130. n. 2, et II. de Peccator. meritis etc. c. 31. n. 51.

[3] Vat. cum paucis edd. addit *suum*, refragantibus codd. B C D E et edd. 1, 3, 7, 8; ed. 6 addit *istum*. In August. citato sermone legitur plenius: Ille autem (scil. diabolus) potuit sanguinem istum fundere, non meruit bibere. Et in eo quod fudit sanguinem non-debitoris, iussus est reddere debitores. Fudit sanguinem innocentis, iussus est recedere a nocentibus. Ille quippe etc. — Infra pro *eripuit* et *eripiens* in originali *arripuit* et *arripiens*. Hic respicitur Matth. 12, 29; Marc. 3, 27.

[4] Glossa ad Hebr. 2, 11, apud Lyranum. Quae sequuntur sunt ibid. sententialiter.

[5] Epist. I. Cor. 15, 26. Mox respicitur Rom. 8, 23.

[6] Epist. I. Petr. 2, 24.

[7] Rom. 3, 26. — Immediate post pro *Ecce*, *a parte* Vat. multaeque edd. *Ecce, aperte*, refragantibus codd. et edd. 1, 8.

[8] Epist. I. ad Tim. 2, 5; Gal. 3, 20; Isai. 41, 14.

usum Filius proprie dicitur *redemptor*, quia et in se explevit per quae iustificati sumus, et ipsam iustificationem est operatus potentia Deitatis cum Patre et Spiritu sancto. Est igitur redemptor, in quantum est *Deus*, potestatis usu, et in quantum *homo*, humilitatis effectu. Et saepius dicitur redemptor secundum humanitatem, quia secundum eam et in ea suscepit et implevit illa sacramenta, quae sunt causa nostrae redemptionis. *Proprie* igitur Filius dicitur redemptor.

Dubium 6.

Cap. VI.

De mediatore.

Qui solus dicitur *mediator*, non Pater, vel Spiritus sanctus. De quo Apostolus[1]: *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus*, id est, per hominem quasi in medio *arbiter* est ad componendam pacem, id est ad reconciliandum homines Deo. «Hic est *arbiter*, quem Iob desiderat: *Utinam esset nobis arbiter*». *Reconciliati enim sumus Deo*, ut ait Apostolus[2], *per mortem Christi;* «quod non sic est intelligendum, quasi nos ei sic reconciliaverit Christus, ut inciperet amare quos oderat, sicut reconciliatur inimicus inimico, ut deinde sint amici, qui ante se oderant; sed iam nos diligenti Deo reconciliati sumus. Non enim, ex quo ei reconciliati sumus per sanguinem Filii, nos coepit diligere, sed ante mundum, priusquam nos aliquid essemus». Quomodo igitur diligenti nos Deo sumus reconciliati? «Propter peccatum cum eo habebamus inimicitias, qui habebat erga nos caritatem, etiam cum inimicitias exercebamus adversus eum, operando iniquitatem». «Ita ergo inimici eramus Deo, sicut iustitiae sunt inimica peccata; et ideo, remissis peccatis, tales inimicitiae finiuntur, et reconciliantur iusto quos ipse iustificat». Christus ergo dicitur *mediator*, eo quod *medius* inter Deum et homines ipsos reconciliat Deo. Reconciliat autem, dum offendicula hominum tollit ab oculis Dei, id est, dum peccata delet, quibus Deus offendebatur, et nos inimici eius eramus. — Sed cum peccata deleat non solus Filius, sed et Pater et Spiritus sanctus, quorum deletio est nostra ad Deum reconciliatio, quare solus Filius dicitur *mediator?* Nam de Patre legitur, quod reconciliaverit sibi mundum. Ait enim Apostolus[3]: *Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians.* Cum igitur reconciliet, quare non dicitur *mediator?* — Quia nec *medius* est inter Deum et homines nec in se habuit illa sacramenta, quorum fide et imitatione iustificamur, id est reconciliamur Deo. Reconciliavit igitur nos tota Trinitas *virtutis usu*, scilicet dum peccata delet, sed Filius solus *impletione obedientiae*, in quo patrata sunt secundum humanam naturam, per quae credentes et imitantes iustificantur.

Quare solus Filius mediator.

Resp.

Cap. VII.

Secundum quam naturam sit mediator.

Unde et *mediator* dicitur secundum *humanitatem*, non secundum Divinitatem. «Non est enim mediator inter Deum et Deum, quia unus est Deus; sed inter Deum et hominem, quasi inter duo extrema, quia medius esse non potest nisi inter aliqua[4]». Mediator est igitur, in quantum *homo;* nam in quantum Deus, non mediator, sed aequalis Patri est, hoc idem quod Pater, cum Patre unus Deus. Mediat ergo inter homines et Deum-Trinitatem secundum hominis naturam, in qua suscepit illa, per quae reconciliamur Deo-Trinitati; et secundum eandem habet aliquid simile Deo et aliquid simile hominibus; quod mediatori congruebat, ne per omnia similis *hominibus* longe esset a Deo, aut per omnia *Deo* similis longe esset ab hominibus, et ita mediator non esset. Verus igitur mediator Christus inter mortales peccatores et immortalem iustum apparuit *mortalis* cum hominibus, *iustus* cum Deo; per *infirmitatem* propinquans nobis, per *iustitiam* Deo. Recte igitur *mediator* dictus est, quia inter Deum immortalem et hominem mortalem est Deus-homo, reconcilians hominem Deo, in tantum mediator, in quantum est *homo;* in quantum autem *Verbum*, non est medius, quia unus cum Patre Deus. — Si ergo Christus secundum vos, o haeretici, unam tantum habet naturam, unde *medius* erit? Nisi ita sit medius, ut Deus sit propter naturam Divinitatis et homo propter humanitatis naturam; quomodo humana in eo reconciliantur divinis[5]? Nam ipse veniens prius in se humana sociavit divinis per utriusque naturae coniunctionem in una persona; deinde omnes fideles per mortem reconciliavit Deo, dum sanati sunt ab impietate, quicumque humilitatem Christi, credendo dilexerunt et diligendo imitati sunt. — Ecce, hic aliquatenus insinuatur, *quare* Christus solus dicitur mediator Dei et hominum; et secundum *quam naturam* mediet, scilicet humanam; et *cui* mediet, scilicet Deo-Trinitati. Trinitati enim nos reconciliavit per mortem, per quam etiam nos redemit a servitute diaboli. Nam, ut Petrus ait in canonica Epistola[6], *non corruptibilibus auro vel argento redempti sumus, sed pretioso sanguine Agni immaculati.*

---

[1] Loc. cit. ad Tim. 2, 5. — Sequitur locus August., Enarrat. in Ps. 103. Serm. 4. n. 8, ubi respicitur Iob, 9, 33, secundum Septuaginta. Vulgata: Non est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus.

[2] Rom. 5, 10. Sequitur locus August., in Evang. Ioan. tr. 110. n. 6. Seq. locus est ibid.; tertius locus est eiusdem, XIII. de Trin. c. 16. n. 21.

[3] Epist. II. Cor. 5, 19.

[4] August., Expos. in Epist. ad Galatas (3, 19.) n. 24., in quo loco post *quia* edd., excepta 1, addunt *tantum*, refragante etiam originali. — Quae sequuntur secundum sensum, retentis pluribus verbis, Magister contraxit ex August., X. Confess. c. 42. 43. n. 67. 68. Inveniuntur etiam in Glossa ad I. Tim. 2, 5, apud Lyranum. Cfr. August., I. de Consensu Evangelist. c. 35. n. 53.

[5] Quae praecedunt sumta esse videntur ex Vigilio Tapsensi, V. contra Eutycheten, n. 15.

[6] Id est I. c. 1, 18. 19.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XIX.

De redemptione nostra, facta per passionem Christi, quoad efficaciam et utilitatem.

Nunc igitur quaeramus, quomodo per mortem ipsius etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de Christi incarnatione et de his, secundum quae incarnatio habebat ordinari ad nostram reparationem. In hac vero parte agit de redemptione nostra, quae facta est per passionem. Dividitur autem ista pars in duas partes. In quarum prima agit de Christi passione. In secunda de morte, quae consecuta est passionem, distinctione vigesima prima: *Post praedictu considerandum est, utrum in morte* etc. Prima pars dividitur in duas partes. In quarum prima agitur [1] de efficacia eius et utilitate. In secunda vero agitur de congruentia et necessitate, infra distinctione vigesima: *Si vero quaeritur, utrum alio modo possit* etc.

Prima pars, quae continet praesentem distinctionem, dividitur in duas partes. In quarum prima agitur de efficacia passionis. In secunda vero agitur de persona redemptoris, ibi: *Unde ipse vere dicitur mundi redemptor.* Prima pars dividitur in quatuor partes. In prima ostendit efficaciam passionis in remissione peccatorum. In secunda vero in deletione chirographorum, ibi: *Itaque in Christi sanguine, qui solvit quae non rapuit* etc. In tertia vero in liberatione a potestate diaboli, ibi: *Factus est igitur homo mortalis.* In quarta in absolutione peccati [2], ibi: *A qua poena? Temporali et aeterna.*

Similiter secunda pars principalis quatuor habet partes. In quarum prima determinat Magister, quare [3] dicitur redemptor. In secunda, quare dicitur mediator, ibi: *Qui solus dicitur mediator* etc. In tertia vero, quare solus Filius dicitur mediator, ibi: *Sed cum peccata deleat non solus Filius* etc. In quarta, secundum quam naturam dicitur mediator, ibi: *Unde et mediator dicitur secundum humanitatem.* Subdivisiones autem partium in littera satis apparent.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio circa duo.

Primo enim quaeritur de efficacia passionis.

Secundo vero quaeritur de persona redemptoris et mediatoris.

Circa primum quaeruntur quatuor iuxta ea quae prius [4] tacta sunt.

Primo quaeritur, utrum per passionem fiat peccatorum remissio.

Secundo vero quaeritur, utrum fiat chirographorum deletio.

Tertio quaeritur, utrum per ipsam fiat liberatio a potestate diaboli.

Quarto quaeritur, utrum per ipsam fiat absolutio a poena peccati.

ARTICULUS I.

De efficacia passionis Christi.

QUAESTIO I.

Utrum per passionem Christi fiat remissio peccatorum.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum per passionem Christi fiat remissio peccatorum. Et quod sic, videtur.

1. Apocalypsis primo [5]: *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*; sed *peccata abluere* non est aliud quam *peccata remittere* sive iustificare: ergo a passione est peccatorum remissio et iustificatio. Fundamenta.

---

[1] Cod. G hic, et in seqq. cum cod. G etiam alii codd. *agit.*

[2] Edd. *in solutione pretii.*

[3] Edd. supplent *Christus* et paulo inferius pro *solus Filius* exhibent *solus Christus.*

[4] In divisione textus huius dist. — Mox voci *passionem* edd. adiungunt *Christi.*

[5] Vers. 5. — In *minori* pro *abluere* cod. U *lavare,* codd. G H I L T V Z aa *absolvere.*

2. Item, ad Hebraeos nono [1]: *Omnia pene mundantur in sanguine, et sine sanguinis effusione non fit remissio* peccatorum; et ibidem: *Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis;* sed opera mortua sunt peccata: ergo per passionem Christi fit emundatio a peccatis.

3. Item, in Canone Missae dicitur et trahitur de Evangelio [2]: *Hic est calix novi et aeterni Testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

4. Item, Sacramenta iustificant [3]; sed omnia Sacramenta iustificationem habent a passione Christi: ergo multo fortius Christi passio est efficax in iustificando.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Ad Romanos quarto [4]: *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram*: ergo videtur, quod iustificatio sit a resurrectione, non a passione.

2. Item, Isaiae quadragesimo tertio [5]: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me*: ergo deletio peccatorum nostrorum est a solo Deo, non ergo a passione Christi.

3. Item, iustificatio a culpa est per gratiae infusionem; sed solus Deus est, qui potest gratiam infundere, sicut in primo libro et in quarto [6] ostenditur: ergo solus Deus potest culpam delere et hominem iustificare: ergo culpae deletio et iustificatio non est a passione.

4. Item, nihil corporale influit iustitiam in rem spiritualem [7]; sed passio Christi fuit corporalis: ergo non potest animam iustificare sive a peccato mundare.

5. Item, necesse est, iustificans esse coniunctum iustificato; sed passio Christi est extra animam: ergo non potest iustificare animam.

6. Item, si passio Christi est causa iustificationis animae, aut ergo per modum causae *materialis*, aut per modum *formalis*, aut *efficientis*, aut *finalis*. Non *materialis*, hoc constat, quia passio non est materia iustificationis; non *formalis*, quia illud est gratia; non *efficientis*, quia illud est Deus; non *finalis*, quia illud est gloria aeterna: ergo etc. *Si tu dicas*, quod *passio* dicitur iustificare, id est *Christus patiens*, eadem ratione et ambulatio et praedicatio diceretur nos iustificare et peccata nostra delere, quia Christus ambulans et praedicans nos iustificavit et peccata nostra delevit; quod tamen non conceditur.

Quaestio incidens de modo iustificationis et de resurrectione.

Est igitur quaestio, qualiter Christi passio est causa nostrae iustificationis. Et *si tu dicas*, quod per modum *meriti;* tunc est quaestio, qualiter *resurrectio* potest esse causa nostrae iustificationis, cum Christus non meruerit resurgendo [8]. Et si utraque est causa, scilicet tam *passio* quam *resurrectio;* quaeritur, cui per prius conveniat et principalius.

CONCLUSIO.

Iustificatio nostra attribuitur passioni *Christi per modum meriti intervenientis, exempli provocantis et exemplaris dirigentis;* resurrectioni *autem tribuitur per modum termini quietantis, exempli provocantis et exemplaris dirigentis.*

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod nostra iustificatio attribuitur tam *passioni* quam *resurrectioni*, sicut habetur in textu [9] et Glossa in pluribus locis. Unde ad Romanos quarto dicitur super illud: Mortuus *est propter nostra delicta* etc.: « Utraque, scilicet mors et resurrectio Christi, delicta nostra tollunt et utraque iustificant ». Conclusio 1.

Attamen neutri, id est nec *resurrectioni* nec *passioni*, attribui potest *proprie* causalitas iustificationis sive deletio culpae, quia non invenitur ibi proprie aliquod genus causae, sicut in opponendo [10] ostensum est. Conclusio 2.

Habent tamen nihilominus aliquam causalitatem in hoc, quod habent aliquam *causae proprietatem*. Conclusio 3.

Quadruplex causalitas.

Attribuitur enim his iustificatio nostra per modum *meriti intervenientis*, quod quidem habet dispositionis rationem et reduci habet ad causam *materialem;* per modum *exempli provocantis* et excitantis, quod quidem habet reduci ad causam *moventem* et *efficientem;* per modum *exemplaris regulantis*, quod quidem habet reduci ad causam *formalem;* per modum *termini quietantis*, quod quidem habet reduci ad causam *finalem*. Et ita his duobus [11] attribuitur iustificatio secundum proprietatem cuiuslibet generis causae.

---

[1] Vers. 22. — Seq. Scripturae locus ibid. v. 14.

[2] Matth. 26, 28; Marc. 14, 24; Luc. 22, 20.

[3] Vide IV. Sent. d. 1. p. I. q. 4. seq. — De *minori* cfr. infra d. 20. q. 4. in fine corp.; tom. II. p. 433, nota 4, et IV. Sent. d. II. lit. Magistri, c. 1.

[4] Vers. 25.

[5] Vers. 25.

[6] Libr. I. d. 14. a. 2. q. 2; IV. d. 1. p. I. q. 4, ibid. d. 17. p. I. a. 1. q. 1. videsis de *maiori*.

[7] Semper enim, ut Aristot., III. de Anima, text. 19. (c. 5.) ait, honorabilius est agens patiente. — Mox pro *potest* edd. *potuit*.

[8] Cfr. supra lit. Magistri, d. XVIII. c. 1. seqq., ubi meritum attribuitur actionibus et passionibus pro tempore vitae mortalis.

[9] Scil. Evangelii, ex quo supra in argg. complura testimonia allata sunt. — Glossa super Rom. 4, 25, quae hic allegatur, habetur apud Petr. Lombard. in hunc loc. Cfr. August., I. in Pentateuch. q. 169. et Serm. 236. (alias 88. de Diversis) n. 1. Alia Glossa huic similis habetur apud eundem Petr. Lombard. in illud Phil. 3, 10: *Ad cognoscendum illum et virtutem resurrectionis eius* etc., quae Glossa est secundum August., Serm. 169. (alias 15. de Verbis Apostoli) c. 10. n. 12. seqq. et sic sonat: Ex illius enim resurrectione iustificamur, tanquam enim a petra circumcidamur. Resurrexit enim Christus propter iustificationem nostram, i. e. ut iustos nos faciat. Et agnoscam socios passionis eius i. e. fructum, qui venit ex societate passionum eius etc.

[10] In ultimo arg.

[11] Pro *duobus* codd. A K *modis*.

Attamen ratio *merendi* iustificationem attribuitur soli *passioni*, non resurrectioni; ratio vero *terminandi* et quietandi attribuitur *resurrectioni*, ad quam ordinatur iustificatio, non passioni; duo vero intermedia, scilicet *excitatio* et *regulatio*, attribuuntur[1] utrique. — Nam *passio* excitat nos ad Dei dilectionem, et ulterius insinuat nobis, qualiter mori debeamus peccatis; et ita est *exemplum provocans* et *exemplar regulans*. Et quod sit *exemplum*, habetur ex primae Petri secundo[2]: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*. Quod sit *exemplar*, habetur ad Romanos sexto: *Si complantati sumus similitudini mortis ipsius* etc. — Similiter et *resurrectio* habet rationem *exempli provocantis* et *exemplaris dirigentis*. *Provocat* enim nos ad iustitiam, per quam acquiramus illam gloriam, quam credimus Christum habuisse in sua resurrectione, ut talia sint corpora nostra, quale Christus in sua resurrectione monstravit, sicut dicitur in quadam Glossa[3]. *Dirigit* etiam nos, dum ad eius exemplar conamur ambulare in novitate vitae, iuxta illud quod dicitur ad Romanos sexto[4]: *Quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus*.

Conclusio 4.

Explicatur de passione.

De resurrectione.

Et sic tam passio quam resurrectio habet rationem excitantis et regulantis respectu nostrae iustificationis secundum duo, quae in nostra iustificatione habent considerari, scilicet *ablatio mali* et *collatio boni*; et *ablatio mali* appropriatur ipsi passioni, *collatio* vero *boni* ipsi resurrectioni. Et hoc est quod dicitur in Glossa[5]: *Traditus est propter delicta nostra* etc.: « Mors Christi sola interitum vitae veteris significat, et in sola resurrectione nova vita significatur ».

Corollarium.

Ex his igitur, quae dicta sunt, patet responsio ad quaestionem propositam, videlicet qualiter nostra iustificatio sive culpae deletio sit a passione Christi. Est enim ab ea per modum meriti et per modum exemplaris et signi. Patet etiam, qualiter sit a resurrectione.

Ad quaest. incidentem.

1. Et per hoc manifesta est responsio ad primum obiectum de auctoritate Apostoli, qua dicebatur, quod nostra iustificatio est a resurrectione. Est enim a resurrectione et passione sine aliqua contradictione, ut prius ostensum est.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod solus Deus est, qui delet iniquitates etc.; dicendum, quod verum est per modum *efficientis*; per hoc tamen non excluditur, quod alii non possit convenire per modum *merentis* et *excitantis*, sicut dictum est convenire passioni Christi.

3. Ad illud quod obiicitur, quod iustificatio est per gratiam, quae infunditur[6] a solo Deo; dicendum, quod etsi gratia a solo Deo habeat infundi, nihilominus tamen Christus per suam passionem potuit eam nobis promereri; et sic dicimur a passione *iustificari*.

4. Ad illud quod obiicitur, quod nullum corporale influit iustitiam in spirituale; dicendum, quod quemadmodum caro Christi per se non est cibus animae, in se tamen est cibus ex unione ipsius ad divinam naturam[7]; sic et passio Christi, etsi non habeat potentiam iustificandi, in quantum est passio corporalis, habet tamen, in quantum a voluntate optima procedebat eius tolerantia, et habebat fieri circa personam dignissimam, quae est omnis iustitiae et sanctitatis principium et causa.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod iustificans debet esse coniunctum iustificato[8]; dicendum, quod aliquid *coniungi alii* potest dupliciter, videlicet per *substantiam* et per *effectum*. Quamvis autem passio Christi nobis non coniungatur per *substantiam*, coniungi tamen potest per *efficaciam*. Et *si tu obiicias*, quod non videtur, quod possit coniungi per *efficaciam*, nisi aliquo modo coniungatur per *substantiam*; dicendum, quod non est necesse, eam coniungi per *substantiam*, sed sufficit, quod coniungatur mediante *fide* per dilectionem. Et hoc est quod dicitur ad Romanos tertio[9]: *Quem praeposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius*; Glossa: « Fidem et passionem simul iungit, quia neutrum sine altero valet ».

Duplex coniunctio.

6. Ad illud quod quaeritur, in quo genere causae passio Christi sit principium nostrae iustificationis;

---

[1] Multi codd. *attribuitur*.

[2] Vers. 21. — Seq. Script. locus est Rom. 6, 5.

[3] Libr. IV. Sent. d. 43. a. 1. q. 6. S. Doctor exponens, quomodo resurrectio Christi sit causa nostrae resurrectionis, dicit: Alio modo [dicitur causa exemplaris], in quo res inchoatur et exemplificatur; et sic est resurrectio Christi [exemplaris causa nostrae resurrectionis], quia, ut dicit Augustinus, de Civ. Dei [IX. c. 15. n. 2, XIII. c. 23. et XXII. c. 15. seqq.], « talia erunt corpora nostra, quale Christus sua resurrectione monstravit ». Unde est quasi exemplum, in quo nostra resurrectio est inchoata, tanquam membrorum in capite, sicut dicitur Eph. 2, 5: *Convivificavit nos Christo et resuscitavit* etc. Cfr. ibid. d. 49. p. II. a. 2. princip. a. 2. q. 2. fundam. 1, et Glossa in Ps. 29, 6, supra pag. 247, nota 3. allegata. — Pro *quale* edd., annuentibus plurimis codd., sed refragantibus codd. K M O, minus congrue substituerunt *qualia*, cod. Z qualiter.

[4] Vers. 4. — Paulo inferius voci *passio* cod. N adtexit *Christi*.

[5] Super Rom. 4, 25. Glossa, quam iam Rabanus in hunc loc. affert, habetur ut *ordinaria* apud Strabum et formata est ex verbis August., Serm. 236. (alias 88. de Diversis) n. 1.

[6] Cod. X *quod iustificatio per gratiam habet infundi*.

[7] Cfr. verba August., supra pag. 223, nota 1. relata — Pro *ipsius* edd. *sui*.

[8] Cod. A bene *iustificando*.

[9] Vers. 25, ubi Vulgata nunc pro *propitiatorem* (sic ed. Vulg. an. 1590 et Petr. Lombard. tam hic in lit. c. 1, quam in Comment. super hunc loc.) exhibet *propitiationem*. Glossam, quae est *ordinaria*, praeter Petr. Lombard. afferunt Strabus et Lyranus. — Paulo superius pro *per dilectionem* codd. A K *et dilectione*.

iam patet responsio ex his quae dicta sunt. Non enim est causa *proprie*, licet aliquo modo habeat proprietatem causae, sicut prius explanatum est in principio responsionis, ubi etiam determinatum est, qualiter differenti modo iustificatio nostra passioni et resurrectioni Christi habeat[1] attribui.

SCHOLION.

I. In hac et seq. distinctione agitur de reparatione generis humani, facta a Christo per modum *satisfactionis*. Differt autem ratio *meriti* a ratione *satisfactionis*. *Meritum* enim dicit ordinem ad praemium, *satisfactio* vero compensationem vel illatae *iniuriae*, vel *damni* (cfr. infra d. 20. a. 1. q. 3.); tamen secundum rem Christus eadem actione et meruit et satisfecit pro genere humano. *Satisfactio*, generaliter sumta, definitur a Scoto (IV. Sent. d. 15. q. 1. n. 3.) sic: « Satisfactio est redditio voluntaria aequivalentis alias indebiti. Primum, scilicet *redditio*, patet, quia non est absoluta *datio;* nam hoc quod est *satis* dicit commensurationem ad aliquid praecedens correspondentem. Quod dicitur *voluntaria*, patet, quia, si esset involuntaria, non esset *satisfactio*, sed *satispassio*... Quod etiam sit *aequivalentis*, patet, quia hoc importat illa particula *satis*. Quartum, scilicet *alias indebiti*, patet, quia si esset alias debitum, non satisfaceret pro isto; nam non esset correspondens isti secundum iustitiam, sed alii ». — Distinguit autem S. Bonav. (infra d. 20. q. 4.) satisfactionem *plenam* et *semiplenam*, alii aliter *perfectam* et *imperfectam*. — Insuper nota, quod passio Christi secundum diversas comparationes habet effectus diversis nominibus vocatos, ut docet S. Thom. (S. III. q. 48. a. 6. ad 3.): « Passio Christi, secundum quod comparatur ad Divinitatem eius, agit per modum *efficientiae;* in quantum vero comparatur ad voluntatem animae Christi, agit per modum *meriti;* secundum vero quod consideratur in ipsa carne Christi, agit per modum *satisfactionis*, in quantum per eam liberamur a *reatu poenae;* per modum vero *redemptionis*, in quantum per eam liberamur a *servitute culpae;* per modum autem *sacrificii*, in quantum per eam reconciliamur Deo ». Cfr. de his hic dub. 1-5, et praecipue Alex. Hal., S. p. III. q. 18. m. 6. a. 2. § 3.

II. Contra Socinianos et Rationalistarum turbam docet Concilium Trident. (Sess. VI. c. 7.), quod nostrae iustificationis causa *efficiens* est « misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat, signans et ungens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae; *meritoria* autem dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui... sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit » (cfr. Sess. V. can. 3.).

III. Dum S. Bonav. hic quatuor modos causandi commemorat, S. Thom. (S. III. q. 49. a. 1.) tantum tres affert, quorum unus a S. Bonav. omittitur. S. Thom. autem quatuor illarum causarum duas omittit commemorare (quin tamen eas neget), scilicet tum eam, quae est per modum *exemplaris* regulantis, tum quae est per modum termini *quietantis* (quae a S. Bonav. attribuitur speciali modo *resurrectioni*); convenit autem cum nostro auctore in causa *meritoria*, sive per modum redemptionis, et etiam in causa per modum *exempli provocantis et excitantis*. Sed hanc ultimam ipse non reducit, ut Bonav., ad causam *efficientem*, sed ad *disponentem* (hic a. 1.). Tertio loco Angelicus passioni Christi tribuit aliam quandam causalitatem, scilicet « per modum *efficientiae*, in quantum caro, secundum quam Christus passionem sustinuit, est instrumentum Divinitatis, ex quo eius passiones et actiones operantur in virtute divina ad expellendum peccatum ». Et ibid. ad 2. dicit, quod « passio Christi, licet sit corporalis, sortitur tamen quandam *spiritualem virtutem* ex Divinitate, cui caro eius unita est ut instrumentum, secundum quam quidem virtutem passio Christi est causa remissionis peccatorum ». — Haec verba, quae *physicam* quandam ad opera supernaturalia vim humanae naturae Christi tribuunt, et quae pluribus testimoniis Ss. Patrum et ecclesiasticorum decretorum, loquentibus de carne Christi *vivifica*, roborari possunt, humano intellectui non exiguam praebent difficultatem et discipulis Angelici occasionem dederunt tentandi diversos modos explicandi; de quibus consulantur recentiores auctores. De hac autem causalitate theologi disputant praecipue in quaestione adhuc magis intricata, quomodo Sacramenta sint causa gratiae. S. Bonav. de hac re agens (IV. Sent. d. 1. q. 4.) concludit: « Utrum autem (Sacramenta) plus habeant (quam efficientiam vulgo dictam *moralem*), nec volo affirmare nec negare ».

IV. Observatione dignum est, quod *resurrectio* Christi quaedam *consummatio* redemptionis esse docetur, quod convenit s. Scripturae et sensui Ecclesiae, toties in libris liturgicis expresso; vide etiam infra q. 4. ad 1; Alex. Hal., S. p. III. q. 20. m. 2. a. 1-6; S. Thom., S. III. q. 56. a. 2.). Haec doctrina media via incedit inter duos errores, scilicet errorem Socinianorum, qui opus redemptionis incipere dicunt non a passione Christi, sed a *resurrectione* (scil. quatenus Christus pro nobis interpellat), et oppositam aliorum Protestantium opinionem, qui solum passionem, nullatenus resurrectionem, ad nostram redemptionem concurrere volunt.

V. Alex. Hal., S. p. III. q. 17. m. 4. a. 2. § 1, q. 18. m. 6. a. 1. — Scot., in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic a. 1; S. III. q. 49. a. 1. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic q. 1. a. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, hic q. unica.

QUAESTIO II.

Utrum per passionem Christi facta fuerit chirographorum deletio.

Secundo quaeritur, utrum per passionem Christi facta fuerit chirographorum deletio. Et quod sic, videtur:

1. Primo auctoritate Apostoli ad Colossenses se-
Fundamenta. cundo[2]: *Donans nobis delicta et delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.*

2. Item, hoc ipsum videtur auctoritate Augustini, quam Magister ponit in littera[3]: « Fuso sanguine sine culpa, omnium culparum chirographa deleta sunt ».

3. Item, omnia merita et demerita scribuntur a iusto iudice, iuxta illud quod dicitur Ieremiae decimo septimo[4]: *Peccatum Iudae scriptum est stylo*

---

[1] Edd. 1, 2 cum non paucis codd. *habebat.*

[2] Vers. 13. seq. Vulgata: donans *vobis omnia* delicta; delens.

[3] Hic c. 1.

[4] Vers. 1. — In *minori* respicitur Matth. 3, 7. et Luc. 3, 7.

ferreo in ungue adamantino; sed passio Christi nos liberavit *ab ira ventura:* ergo delevit nostrarum culparum chirographa.

4. Item, ante adventum Christi etiam sancti Patres iuste detinebantur in limbo; hoc autem non erat nisi propter peccatum Adae, quod praecesserat [1]: ergo peccatum illud adhuc remanebat in memoria tanquam in scriptura. Sed post passionem Christi non detinebantur: ergo videtur, quod scriptura illa, per quam obligati fuerunt, deleta fuit. Restat igitur, quod Christus in passione sua delevit culparum nostrarum chirographa.

Ad oppositum.

SED CONTRA: 1. Adhuc sunt aliqua peccata, per quae diabolus detinet homines hic et in futuro ad luenda supplicia: ergo si tenentur propter alicuius culpae memoriam, videtur, quod per passionem Christi non sunt deleta omnium culparum chirographa [2].

2. Item, si per passionem deleta sunt omnium culparum chirographa [3]: ergo superfluunt omnia alia remedia; quod si hoc est falsum, restat etc.

3. Item, crucifigentes Christum et passionem eius procurantes in ipsa passione graviter peccaverunt: ergo non videtur, quod per passionem deleta sunt culparum ipsarum [4] chirographa, sed potius inscripta et roborata. *Si tu dicas,* quod deleta fuerunt quantum ad meritum per passionem; *contra:* tantum malum fuit occisio Christi, quantum bonum fuit vita Christi: ergo malitia occidentium aequabatur solutioni pretii: ergo non videtur, quod per passionem Christi posset scriptura culpae ipsorum deleri.

4. Item, chirographum decreti aut est *culpa,* aut est *poena.* Si *culpa:* ergo idem est delere chirographum et delere culpam: ergo male distinguit Apostolus, ad Colossenses secundo [5], inter haec duo, dicens: *Donans nobis delicta et delens quod adversum nos erat chirographum.* Si *poena; contra:* chirographum obligat, sed poena non obligat: ergo videtur, quod chirographum non possit stare pro *poena,* vel pro *culpa.* Si igitur passio Christi non est nisi contra *culpam,* vel contra *poenam,* per passionem Christi non habent deleri culparum nostrarum chirographa.

5. Item, chirographum illud aut habebatur a *Deo,* aut a *nobis,* aut a *diabolo.* Si a *Deo,* ergo videtur, quod delere non poterat, quia a nullo potest superari divina iustitia nec infringi divina sententia. Si a *nobis* habebatur: ergo videtur, quod non esset adversum nos. Si a *diabolo; contra:* diabolus nullum ius acquisierat in nobis [6]: ergo nullum adversum nos habebat chirographum.

Quaestio incidens.

Item, quaeritur iuxta hoc, quae sit differentia inter *chirographum decreti* et *chirographum culpae,* cum uno nomine nominet Augustinus, et alio nomine nominet Apostolus [7]; et quae sit illa *scriptura,* et qualiter per passionem Christi *affixa sit cruci.*

CONCLUSIO.

Christus per passionem suam delevit chirographa culparum, quia per passionem suam impetravit remissionem culparum quoad maculam et quoad reatum.

Praenotandum.

RESPONDEO: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod sermo iste est metaphoricus, quo dicitur, per passionem Christi deleri chirographa culparum. Dicitur enim *chirographum* a *chiros* [8], quod est manus, et *graphia,* quod est scriptura, quasi scriptura manu facta. Quae autem sit ista scriptura, quae dicitur *chirographum decreti* et *chirographum culpae,* diversimode potest assignari secundum diversas expositiones, quae innuuntur super secundum ad Colossenses [9].

Quid chirographum.

Secundum tamen expositionem, quae magis consonat verbo Apostoli et dicto Augustini, sciendum est, quod *chirographum culpae* dicitur esse memoriale, quo anima tenetur astricta et obligata alicui poenae, sicut aliquis, quando obligat se alteri, facit ei chirographum; et hoc innuit Augustinus in littera [10], cum dicit: «Culparum chirographa deleta

---

[1] Cfr. supra d. 18. a. 2. q. 3. — Circa finem arg. pro *nostrarum* cod. Y *ipsarum.*

[2] Glossa *ordinaria* super Colos. 2, 14. apud Strabum: Quia, nisi hoc [peccatum Adae] et alia tolleret, non liberaremur a morte et inferno.

[3] Cod. F *Item, si sunt deleta omnia culparum chirographa;* Vat. *Item, deleta sunt culparum nostrarum chirographa per passionem Christi: videtur ergo quod* etc. Non pauci codd. et edd. 1, 2 omittunt prorsus verba *Item, si per... chirographa,* et conclusionem, quae sequitur, conclusioni praecedenti continuo annectunt, sed perperam, ut palam est. Nostra lectio nititur auctoritati codd. K M P Q (in cod. Q desideratur *omnium* tantum) bb.

[4] Pro *ipsarum,* quod a codd. I L aa abest, codd. E bb *ipsorum,* cod. O *ipsa,* edd. *nostrarum.* Paulo inferius post *occidentium* cod. Y subdit *Christum.*

[5] Vers. 13. seq.

[6] Ut ostendit Anselm., I. Cur Deus homo, c. 7. et Meditat., medit. 11. de redemptione humana, quo ulteriore loco dicit: Nam non peccavit [homo] adversus diabolum, sed adversus Deum; nec homo diaboli erat, sed et homo et diabolus Dei erant. Sed et quod diabolus vexabat hominem, non hoc faciebat zelo iustitiae, sed nequitiae; nec iubente Deo, sed permittente, non diaboli, sed Dei iustitia exigente. Cfr. infra dub. 3. — Paulo superius pro *quod delere* [scil. passio Christi chirographum], quae lectio communis est codd., nonnulli codd. et edd. *quod deleri.*

[7] Vide hic fundam. 1. et 2.

[8] Graece χείρος (genitiv. vocis χείρ); graphia, Graece γραφή.

[9] Vers. 13. seq., quem locum Petr. Lombard. sic exponit: *Delens chirographum decreti,* scilicet legis i e. memoriam transgressionis, quae erat ex decreto i. e. ex lege, *quod* chirographum *erat adversum nos,* et conscientia enim nostra et diabolus ad accusandum nos erat memor transgressionis illius, et ita haec memoria erat adversum nos, scilicet nocens nobis et nos crucians... Et non solum chirographum decreti erat adversum nos, sed etiam ipsum decretum i. e. vetus Lex; unde subdit *quod erat* etc.

[10] Hic c. 1. — Paulo ante pro *quando obligat se* cod. U *qui se obligat,* cod. W legit *qui alteri obligatur.*

sunt, quibus debitores ante a diabolo tenebantur ». Et dicitur illud *chirographum culpae* et *chirographum decreti*, quia talis obligatio consurgit ex *nostra culpa* tanquam ex merito, et ex *divina sententia* tanquam ex decreto. Et sic chirographum illud dicitur esse memoriale illud, quo quidem peccatum manet quantum ad *reatum*, ratione cuius *divina iustitia* habet nos *punire*, *diabolica malitia* potest *accusare* et *detinere*, et *conscientia nostra* potest
Notandum. contra nos *remurmurare*. Et illud chirographum adversum nos habet inscribi non solum pro peccatis nostris *actualibus*, sed etiam pro peccato *primi parentis;* et ratione huius diabolus habet in nos aliquam potestatem vel *simpliciter*, vel *ad tempus*.

Quoniam igitur Christus per passionem suam
Conclusio. non solum impetravit nobis remissionem culpae quantum ad *maculam*, sed etiam quantum ad *reatum* [1]; hinc est, quod dicit Apostolus, et Augustinus, quod Christus per passionem suam delevit chirographa
Corollarium. culparum. — Sed Apostolus dicit *singulariter* delens *chirographum decreti*, quia loquitur de memoriali transgressionis primi parentis; Augustinus vero *pluraliter*, quia loquitur de remissione omnium peccatorum quantum ad reatum, ut perfectum exprimat ipsius passionis effectum. — Concedendum est igitur, quod per passionem Christi delentur chirographa culparum. Concedendae sunt etiam rationes, quae hoc ostendunt.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in con-
Solutio oppositorum. trarium, quod diabolus multos detinet ad luenda supplicia; dicendum, quod dupliciter est loqui de
Distinctio. efficientia [2] passionis Christi; aut quantum ad *sufficientiam*, aut quantum ad *efficaciam*. Quantum ad *sufficientiam*, sic se extendit ad omnes homines et ad omnes culpas. Si vero quantum ad *efficaciam*, sic se extendit solummodo ad eos qui baptizantur in nomine eius, qui absolvuntur a reatu originalis et actualis, ita quod a diabolo non possunt amplius teneri, nisi forte se ei voluntarie subiiciant, et nova contra eos scribantur chirographa.

2. Ad illud quod obiicitur, quodsi deleta sunt culparum chirographa per passionem, quod superfluunt alia remedia; dicendum, quod illud non sequitur, quia alia remedia a passione habent efficaciam [3]; nec passio delet efficienter huiusmodi chirographa, nisi interveniant illa remedia.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non sunt deleta crucifixorum chirographa, sed potius scripta; dicendum, quod deleta fuerant in ipsis crucifixoribus quantum ad *sufficientiam* et quantum ad *meritum:* licet in pluribus eorum non sint deleta quantum ad *efficaciam* et quantum ad *actum*, propter eorum negligentiam. Et *si tu obiicias*, quod quantitas transgressionis eorum aequabatur quantitati satisfactionis; dicendum, quod excusabantur per ignorantiam, sicut dicit Anselmus [4]; *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* — Aliter etiam Aliter.
potest dici, quod nunquam illi crucifixores ex tam mala voluntate Christum occidebant, ex quam bona voluntate Christus passionem sustinebat; et ideo longe potentior erat passio Christi ad satisfaciendum, quam esset illorum culpa ad obligandum.

4. Ad illud quod quaeritur, utrum chirographum decreti sit culpa, vel poena; dicendum, quod Notandum.
proprie loquendo, nec est *culpa* nec est *poena;* sed est *reatus* consequens culpam, qui est obligatio ad poenam, quae quidem dicitur *chirographum*, in quantum tenet obligationem respectu poenae et rationem memorialis respectu culpae praeteritae. « Culpa enim frequenter transit actu et remanet reatu [5] », sicut patet in sanctis Patribus, qui detinebantur in limbo, in quibus deletum erat originale quantum ad *culpam*, sed adhuc remanebat in eis *reatus*, propter quem ianua erat eis clausa.

5. Ad illud quod quaeritur: quis habebat illud chirographum? dicendum, sicut tactum fuit, quod et *Deus* et *homo* et *diabolus* habebat, sed *Deus* ut Notandum.
iudex, *homo* ut reus, *diabolus* ut accusator. Et sicut latro fert insigne contra se, sic [6] homo contra se ipsum ferebat chirographum, nec per illud chirographum acquirebatur aliquod ius diabolo. Quamvis enim homo iuste detineretur, ipse tamen iniuste detinebat. Nec in illius deletione factum est aliquod praeiudicium divinae iustitiae, sed potius satisfactum est ei per beneficium misericordiae Redemptoris.

Ad illa vero, quae quaerebantur ultimo, patet Ad quaest. incidentem.
responsio per ea quae dicta sunt in huius responsionis principio, sicut planum est pertractanti.

---

[1] De distinctione inter maculam et reatum peccati vide II. Sent. d. 42. dub. 1. Vide etiam hic solut. ad 4.

[2] Plerique codd. et edd. 1, 2 erronee *efficacia;* Vat. *efficientia vel effectu.* — Cfr. infra lit. Magistri, d. XX. c. 5. — Circa finem solut. pro *teneri* codd. A G K U bb *detineri*, cod. F *retineri.*

[3] Cfr. supra pag. 400, nota 3. — Mox pro *efficienter* codd. A W *efficaciter.*

[4] Libr. II. Cur Deus homo, c. 15. Vide supra d. 18. dub. 2. — Loc. Scripturae, qui sequitur, est I. Cor. 2, 8. — Paulo inferius pro *ex quam bona* cod. bb *ex quanta bona*, codd. A K U X et edd. 1, 2 *ex qua bona.*

[5] Secundum August., I. de Nuptiis et concupisc. c. 26. n. 29. Cfr. II. Sent. d. XXXII. lit. Magistri, c. 1, et Comment. a. 1. q. 1. et dub. 4. — De seqq. cfr. supra d. 18. a. 2. q. 3. — Post pauca pro *in eis reatus* cod. E *in eis quantum ad reatum.*

[6] Cod. N *sic et.* In fine solut. pro *misericordiae* Vat. *misericordis*, et subinde pro *Redemptoris* codd. A F N V *redemptionis*, cod. U *nostrae redemptionis.*

SCHOLION.

I. *Chirographum* apud iuris peritos *proprie* vocatur scriptum, quo quis sua manu alicui promittit aliquid, vel creditoribus suis cavet; hic ab Apostolo sumitur *metaphorice*, ut auctor bene explicat. — Notanda est in solut. ad 1. communis et necessaria distinctio *effectus* passionis secundum *sufficientiam* et *efficaciam*; item in solut. ad 4. id quod de *poena*, *culpa* et *reatu* dicitur.

Explicite hanc quaestionem tractant Alex. Hal., S. p. III. q. 18. m. 6. a. 4. § 1; B. Albert., hic a. 3, et Dionys. Carth., hic q. 1. (qui tantum refert solutionem S. Bonav.). Alii Scholastici eam omittunt; tamen S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit. Magistri, paucis verbis ipsam tangunt.

II. Quoad seq. (3.) quaestionem propositio Abaelardi, « quod Christus non assumsit carnem, ut nos a iugo diaboli liberaret », reprobata est a Concilio Senonensi (an. 1140), approbante Innocentio II, et refutata a S. Bernardo (Tract. de erroribus Abaelardi c. 5. seqq.), et ab omnibus posterioribus Scholasticis; qui tamen in explicatione aliquatenus inter se differunt. — De duplici manu diaboli loquitur etiam Petr. a Tar. eodem modo, ut auctor noster. Paulo aliter duplicem manum diaboli designat iam Guliel. Antissiodorensis (Sum. aurea, III. tr. 1. c. 8. in fine) his verbis: « Et ideo *dicitur* diabolus habuisse duas manus: manum *attrahentem*, qua trahebat omnes ad inferos, quae amputata est ei quantum ad bonos; et manum *flagellantem*, quae debilitata est, quoniam non habet tantam potestatem *intrandi in corpora* hominum et eos vexandi, sicut solebat; *vexat* tamen bonos ad exercitium, ut prius ».

De hac (3.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 3. — Scot., IV. Sent. d. 47. q. 1. n. 8; III. Sent. d. 20. q. unica n. 6. — S. Thom., hic a. 2; S. III. q. 49. a. 2. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seq. hic q. 1.

III. Quaestio 4. agit simul de poena aeterna et de poena temporali, dum plures antiqui commentatores Lombardi de utraque speciatim tractant atque simili modo, adhibitis tamen variis distinctionibus, solvunt. Supponitur autem in solutionibus obiectorum distinctio inter *sufficientiam* et *efficaciam* passionis, insuper quoad poenam *temporalem*, quod alia sit poena *naturalis*, sive toti naturae propter peccatum originale inflicta, quae *de facto* non tollitur nisi in futura vita beata; alia *personalis*, debita propter peccatum actuale; alia *poenitentialis*; alia poena *oppressiva* et *promotiva*. — De solutione ad 1. et causalitate passionis et resurrectionis vide supra q. 1.

De hac 4. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. 17. m. 4. a. 2. § 2. 3. — Scot., in utroque Scripto IV. Sent. d. 14. q. 1. 4. — S. Thom., hic a. 3. quaestunc. 1. 2; S. loc. cit. a. 3. — B. Albert., hic a. 6. 7. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. 3. — Durand., hic q. 1.

QUAESTIO III.

Utrum per passionem Christi liberati simus a potestate diaboli.

Tertio quaeritur, utrum per passionem liberati simus a potestate diaboli. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Apocalypsis vigesimo[1]: *Vidi Angelum descendentem de caelo, et apprehendit draconem, qui est diabolus*; sed per istum Angelum, sicut Sancti exponunt, intelligitur Christus: si ergo ab isto Angelo diabolus est religatus in eius passione, videtur, quod amiserit super nos *posse*.

2. Item, Ioannis duodecimo[2]: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras*: si ergo diabolus foras per Christum est eiectus, videtur, quod a potestate eius liberati simus.

3. Item, Christus, dux noster, vicit diabolum[3]; sed victoria ducis est victoria totius exercitus: ergo videtur, quod diabolus a toto genere humano sit superatus, et ita videtur, quod per passionem Christi amiserit suum *posse* respectu generis humani.

4. Item, quando diabolus superavit primum hominem, per consequens superavit totum genus humanum[4]: ergo pari ratione videtur, quod cum superatus est a Christo, superatus sit a toto genere humano: ergo per passionem Christi totum genus humanum liberatum fuit a potestate diaboli.

Sed contra: 1. Ad Ephesios sexto[5]: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, Ad oppositum *sed adversus mundi rectores tenebrarum harum*: ergo adhuc daemones nos impugnant et huic mundo principantur: ergo a potestate diaboli liberati non sumus.

2. Item, secundae ad Timotheum tertio[6] dicitur, quod in *novissimis diebus instabunt tempora periculosa*, et hoc ipsum dicitur secundae ad Thessalonicenses, et in Daniele et in Apocalypsi, quod in tempore antichristi habebit diabolus maximam potestatem ad tentandum et vexandum: ergo non videtur, quod per passionem amiserit *posse* super genus humanum.

3. Item, potestas diaboli maxime in duobus consistit, videlicet in obsessione corporum et excaecatione mentium; sed post Christi passionem adhuc multi a diabolo fuerunt obsessi, multi etiam fuerunt gravissime excaecati: ergo videtur, quod potestas diaboli non sit in aliquo diminuta per passionem Christi. Quod autem diabolus multorum *corpora* obsideat, docet experientia; quod iterum multorum *mentes* excaecet, probatur per illud quod dicitur secundae ad Corinthios quarto[7]: *Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium.*

---

[1] Vers. 1. seq. — De expositione huius loci cfr. August., XX. de Civ. Dei, c. 7. n. 1. seqq. et Beda, in hunc loc. — In *minori* post *sed* multi codd. nec non edd. 1, 2 inserunt *potius*.

[2] Vers. 31.

[3] Edd. addunt *per illud Apoc. 5.* (5.): *Vicit leo de tribu Iuda.* In fine arg. pro *amiserit* codd. A F I L V aa *amisit.*

[4] Cfr. II. Sent. d. 30. a. 1. q. 2.

[5] Vers. 12.

[6] Vers. 1. — Seqq. Script. loci sunt II. Thess. 2, 3-10; Daniel 12, 1; Apoc. 12, 12.

[7] Vers. 4.

4. Item, potestas diaboli vel est ad *nocendum*, vel est ad *tentandum;* sed nunquam potuit nocere nisi permissus, nunquam etiam potuit in peccatum praecipitare, nisi praeberetur ei voluntas consensus [1]; et hoc ipsum potest modo: si ergo ab initio nihil potuit amplius, videtur idem quod prius.

CONCLUSIO.

Per passionem Christi liberati sumus a potestate diaboli, omnes quidem quoad sufficientiam, sed tantum membra Ecclesiae quoad efficaciam.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Magi-
Conclusio. ster in littera [2], « per passionem Christi sumus a potestate diaboli liberati », omnes quidem quantum ad *sufficientiam*, sed *illi soli*, qui sunt de eius corpore, quod est Ecclesia, quantum ad *efficaciam*.

Et hoc patet sic. Diabolus enim ante passionem
Duplex manus diaboli. Christi habebat duplicem manum, videlicet *attrahentem* et *impellentem* [3]: manus *attrahens* erat potestas trahendi ad limbum etiam iustos et sanctos; manus *impellens* erat potestas praecipitandi in malum vel per *fallaciam*, vel per *violentiam*, quia tentabat ut *draco*, tentabat ut *leo* [4]. Et prima ma-
Notandum. nus, scilicet *attractiva*, erat tantae potentiae, ut nullus posset ei resistere; et haec fuit ei omnino amputata per passionem. Iam enim nullum iustum potest ad limbum trahere, quia per passionem Christi deletum est chirographum peccati Adae [5]. — Manum autem *impellentem* habebat ita fortem, ut cum magna difficultate posset quis ei resistere. Et ideo in multis regnabat, immo fere in omnibus; omnes enim
Dupliciter impugnat diabolus. vel superabat per *fraudulentiam*, vel per *violentiam*. Et haec potestas debilitata est per passionem,
Duplex remedium. per quam *lumen veritatis* aperitur contra diabolicam *fraudulentiam*, et *adiutorium virtutis* tribuitur contra diabolicam *violentiam*. Apparuit autem *lumen veritatis* et interius per divinam inspirationem et exterius per humanam instructionem. Iam enim fere omnibus est veritas propalata, et ideo destructa est idololatria, quae prius regnabat [6]. — *Adiutorium* etiam *virtutis* tribuitur per *gratiae infusionem*, quae reprimit concupiscentiam, et per *angelicam protectionem*, quae comprimit et reprimit potestates adversas; et hoc idem [7] virtute passionis, merito cuius mittitur nobis Spiritus sanctus, mittuntur etiam et ipsi angelici spiritus, ut superetur adversarius. Unde Notandum. diabolus super omnia abhorret memoriam passionis et figuram crucis, per quam sumus a potestate eius liberati. — Rationes igitur hoc ostendentes concedendae sunt.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod ad- Solutio oppositorum. huc restat nobis adversus mundi rectores colluctatio; dicendum, quod quamvis nobis incumbat pugna, non tamen elongamur a victoria, nisi interveniat nostra negligentia, secundum quod dicitur primae ad Corinthios decimo [8]: *Fidelis Deus, qui non patietur, vos tentari* etc., *sed faciet cum tentatione proventum;* et ideo ex illa auctoritate non potest haberi, quod nobis praesideat potestas diabolica, quamvis nos exercere non desistat.

2. Ad illud quod obiicitur, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa; dicendum, Notandum. quod quamvis per passionem sit potestas diabolica superata; tamen in nobis est vires dare hosti et nos subiugare potestati diaboli. Et quia in novissimis diebus *abundabit multorum perversitas, et refrigescet caritas* [9]; vires sumet diabolica potestas, et iusto Dei iudicio permittetur amplius ad malum impellere, quam permissus fuerat in tempore praecedenti.

3. Ad illud quod obiicitur, quod adhuc potest in vexationem corporum et excaecationem mentium; dicendum, quod hoc non potest modo, nisi quis ei ex culpa sua vires tribuat, sicut sunt illi qui Sacramenta Christi contemnunt; qui vero humiliter et devote Sacramentis et sacramentalibus se subiiciunt, quae a passione Christi habent virtutem, non formidant diabolicam potestatem. Tanta est enim virtus Notandum. Sacramentorum Ecclesiae, ut etiam se extendat usque ad infideles; unde non tot hodie diabolus obsidet, quot diabolus consueverat obsidere. Scribit enim Gregorius in Dialogo [10] de quodam Iudaeo, qui cum vellet dormire in loco deserto, munivit se signo crucis, et daemones supervenientes, cum vellent ipsum offendere, a signo crucis repulsi sunt et dixerunt, ipsum esse vas vacuum, sed signatum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod nihil poterat nisi per Dei permissionem, ante sicut et nunc; dicendum, quod Deus ipsum amplius permittebat ex iusto suo iudicio, et consensus noster amplius ei subiacebat ex vitio nostro, per hoc quod regnabat

---

[1] Cfr. August., Enarrat. in Ps. 61. n. 20. — Codd. W bb *voluntatis consensus*, edd. *voluntas et consensus*.

[2] Hic c. 1. Cfr. etiam infra d. XX. c. 5.

[3] Vide scholion.

[4] August., Enarrat. in Ps. 90, 13, serm. 2. n. 9: *Conculcabis leonem et draconem*... leo aperte saevit, draco occulte insidiatur; utramque vim et potestatem habet diabolus. Cfr. tom. II. pag. 511, nota 6.

[5] Cfr. quaest. praeced. et d. 18. a. 2. q. 3.

[6] Sicut praedixit Isai. 2, 17. 18.

[7] Cod. F melius *et hoc quidem*.

[8] Vers. 13. — In testimonio allato pro *patietur* multi codd. et edd. 1, 2 contra Vulgatam exhibent *permittit* (cod. bb *permittet*).

[9] Matth. 24, 12: Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum. — In fine solut. pro *fuerat* plurimi codd. minus bene *fuerit*.

[10] Libr. III. Dialog. c. 7: Quadam vero die Iudaeus quidam ex Campaniae partibus Romam veniens, Appiae carpebat iter; qui ad Fundanum clivum perveniens, cum iam diem vesperascere cerneret et quo declinare posset, minime reperiret, iuxta Apollinis templum fuit, ibique se ad manendum contulit. Qui ipsum loci illius sacrilegium pertimescens, quamvis fidem crucis minime haberet, signo tamen se crucis munire curavit... Quem maligni spiritus pergentes et subtilius intuentes crucis mysterio signatum viderunt mirantesque dixerunt: Vae, vae, vas vacuum et signatum. — Pro *deserto* codd. I L S aa cc *secreto*.

ignorantia, regnabat etiam concupiscentia, deficiebat etiam veritas, deficiebat et gratia; sicut enim dicitur Ioannis primo [1]: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* — Et sic patet, qualiter per passionem Christi liberamur a potestate diaboli [2].

QUAESTIO IV.

Utrum per passionem Christi absolvamur a poena peccati.

Quarto quaeritur, an per passionem Christi absolvamur a poena peccati. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Primae Petri secundo [3]: *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum;* quod exponens Magister in littera dicit, quod « portare peccata nostra, hoc est portare poenam peccatorum nostrorum ». Et hoc confirmatur per illud Isaiae quinquagesimo tertio [4]: *Vere languores nostros ipse tulit, et infirmitates nostras ipse portavit.*

2. Item, Zachariae nono [5]: *Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua:* si ergo educi de lacu sine aqua est liberari a poena, videtur, quod per sanguinem Christi liberemur a poena peccati.

3. Item, passio Christi maxime fuit poenalis et Deo placita, et pro nobis etiam fuit soluta; sed quod talis conditionis est maxime habet liberare [6] a poena: ergo etc.

4. Item, tolerantia poenae plus ordinatur ad relaxationem poenae quam ad deletionem culpae: si ergo per passionem Christi fit iustificatio, sicut supra [7] ostensum est, multo fortius fit poenarum relaxatio.

Ad oppositum. Sed contra: 1. « Resurrectio Christi est causa nostrae resurrectionis », sicut dicitur in Glossa, primae ad Corinthios decimo quinto [8]; sed per resurrectionem nostram habemus liberari a poena et a miseria: ergo videtur, quod Christi resurrectio, non passio, liberet nos a poena.

2. Item, Christus patiendo dedit nobis exemplum et materiam compatiendi: si ergo poena consistit in passione et compassione, videtur, quod passio Christi potius sit causativa poenae quam liberativa a poena.

3. Item, poenitentia omnis poenalis est — nam poenitere est poenam tenere [9] — si ergo per passionem Christi liberati sumus a poena, videtur, quod iam non sit opus poenitentia; sed hoc est falsum: ergo et primum.

4. Item, si passio Christi liberat a poena, aut ergo a *temporali*, aut *aeterna*. A *temporali* non, quia eisdem poenis temporalibus subiacemus nunc, quibus subiacebant illi qui erant ante passionem. Ab *aeterna* non, quia nullus, qui esset [10] in inferno damnatus, fuit per passionem Christi liberatus: videtur ergo, quod mediante Christi passione non sumus ab aliqua poena liberati.

CONCLUSIO.

Passio Christi nos liberavit a poena peccati temporali, aeterna et inter utramque media.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod passio Christi nos liberavit a poena *temporali* et ab *aeterna* et ab ea quae est inter utramque *media*. — A poena, in- Explicatur sec. tria membra. quam, *temporali* nos liberat, dum virtute illius condonantur nobis peccata, non solum quantum ad culpam et reatum poenae aeternae, sed etiam quantum ad dimissionem poenae satisfactoriae, sicut habet fieri in Sacramento baptismi. — A poena *aeterna* nos liberat liberando a culpa. Dum enim per passionem Christi nobis gratia impetratur, per quam culpa dimittitur, nobis debitum poenae aeternae mortis relaxatur. — Liberat etiam a poena, quae quodam modo est inter utramque istarum poenarum *media*, quae quidem fuit [11] carentia visionis divinae ex merito peccati Adae; et illa quidem, etsi fuerit *ad tempus* propter gratiam repertam in eis qui detinebantur in limbo, deberet tamen habere *aeternitatem*, habito respectu ad culpam Adae — unde quantumcumque passio dilata esset, divina praesentia fuisset ei [12] subtracta — nisi Deus adinvenisset aliam viam. Et ab hac poena liberati sumus per passionem Christi; et sic patet, quod per omnem modum verum est, passionem Christi efficacem esse ad liberandum nos a poena peccati [13]. — Et rationes, quae hoc ostendunt, concedendae sunt.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod resurrectio Christi nos liberat a poena

---

[1] Vers. 17. — In initio solut. pro *ante sicut et nunc* Vat. *sicut tunc ita et nunc.*

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Vers. 24. — Expositio Magistri habetur hic c. 4.

[4] Vers. 4.

[5] Vers. 11.

[6] Edd. falso *liberari.*

[7] Quaest. 1. — Non pauci codd. bis *sit* pro *fit.*

[8] Vers. 12. Vide supra pag. 247, nota 3.

[9] Isidor., II. de Offic. eccles. c. 17. (alias c. 16.) n. 2: Poenitentia nomen sumsit a poena, qua anima cruciatur et caro mortificatur. Cfr. VI. Etymolog. c. 19. n. 71.

[10] Edd. *est.*

[11] Edd. *est.*

[12] Vat. (simul cum alia interpunctione) *eis*, refragantibus codd. et edd. 1, 2, et post pauca pro *aliam viam* cum edd. 1, 2 *aliquam viam.*

[13] Cfr. hic lit. Magistri, c. 3. et supra d. XVIII. c. 5.

magis quam passio; dicendum, quod sicut supra [1] dictum fuit de iustificatione, quod *iustificatio* potest attribui *passioni* ratione termini *a quo*, scilicet ratione amotionis mali, et *resurrectioni* ratione termini *ad quem*, scilicet ratione collationis boni. Sic etiam *glorificatio*, quae est liberatio a *poena* et *miseria*, utrique potest attribui; ratione vero liberationis a *poena* potius attribuitur *passioni*.

2. Ad illud vero quod obiicitur, quod passio Christi praebet nobis exemplum patiendi [2]; dicendum, quod etsi passio Christi liberet a *poena*, non tamen ab *omni poena* liberat. Liberat enim a poena *oppressiva*, sed non liberat a poena *promotiva*. Et quoniam poena, in qua exercetur patientia et misericordia sive pietas, est promotiva; ideo passio Christi ab illa non liberat, sed ad illam animat et animando facit, ut poena illa non possit opprimere nec praevalere; et isto modo posset dici quodam modo liberare ab illo genere poenae, non ut non affligat, sed ut non praevaleat [3]. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod passio Christi non liberat a poena poenitentiae; dicendum, quod immo liberat, quantum est de se; quia, secundum quod dicitur in littera [4], « in baptismo omnis poena, quae pro peccato debetur, penitus relaxatur »; sed cum homo peccata iterat, reddit se indignum tanto beneficio, et ideo per passionem non remittitur ei tota poena, sed « minoratur », secundum quod dicit Magister in littera, quantum decet et expedit, salva divina iustitia. Notandum.

4. Ad illud vero quod obiicitur, quod non liberat a poena temporali nec a poena aeterna; dicendum, quod ratio illa peccat *secundum consequens* [5]. Non enim sequitur, quodsi *hoc* modo non liberat a poena temporali et aeterna, quod propter hoc *nullo* modo. Quamvis enim non liberet a poena aeterna eos qui sunt in malo *obstinati*, liberat tamen eos qui volunt et possunt ad Christum converti. *Rursus*, quamvis non liberet a poena temporali in *praesenti*, ut a fame et a siti, liberabit tamen in *futuro*, quando *novissima omnium destruetur inimica mors* [6]. Liberat etiam ab *aliquibus* poenis temporalibus, ad quas essemus obligati merito peccatorum nostrorum, nisi interveniret passio Christi [7]. Notandum.

ARTICULUS II.

De persona redemptoris et mediatoris.

Consequenter quaeritur de persona redemptoris et mediatoris, per quem [8] facta est reconciliatio. Et circa hoc quaeruntur duo.

Primum est, utrum solus Filius sit redemptor, an etiam Pater et Spiritus sanctus.

Secundum est, secundum quam naturam est mediator.

QUAESTIO I.

Utrum solus Filius sit redemptor, an etiam Pater et Spiritus sanctus.

Circa primum sic proceditur et ostenditur, quod *solus Filius* sit redemptor.

Argg. pro 1. parte. 1. Apocalypsis quinto [9]: *Redemisti nos, Deus, in sanguine tuo ex omni tribu et lingua* etc.: ergo si solus Filius pro nobis sanguinem fudit, solus Filius nos redemit.

2. Item, ille solus nos redemit, qui pro nobis satisfecit; sed solus Filius pro nobis satisfecit: ergo etc.

3. Item, redemptio nostra facta est per passionem, ergo ad illam solam personam spectat redemptio, ad quam spectat passio; sed solus Filius est passus: ergo etc.

4. Item, Christus redemit nos, aut ergo secundum *divinam* naturam, aut secundum *humanam* naturam. Si secundum *divinam:* ergo frustra ad hoc assumsit [10] humanam naturam. Si secundum *humanam;* sed solus Filius humanam naturam assumsit: ergo solus Filius nos redemit.

Sed contra: 1. « Opera Trinitatis sunt indivi- Pro 2. parte.

---

[1] Quaest. 1.

[2] Edd. 1, 2 *compatiendi*, Vat. *patiendi et compatiendi.*

[3] De poena *oppressiva* sive *suffocante* vitalem spiritum gratiae, et de poena *promotiva* sive *promovente* ad exercitium virtutis vide II. Sent. d. 32. dub. 1. — Circa finem solut. pro *posset dici* codd. G H L N T U V Z aa *possit dici.*

[4] Hic. c. 4. Ibid. invenitur et seq. dictum Magistri. — Paulo superius edd. verbo *liberat* praemittunt *nos.*

[5] Cfr. supra pag. 99, nota 7. — Paulo inferius post *nullo modo* edd. addunt *liberet a poena temporali et aeterna.*

[6] Epist. I. Cor. 15, 26. — Paulo superius post *in praesenti* edd. cum codd. F G I L U V Z aa adiungunt *vita* (codd. H T *via*), et subinde edd. solae pro *ut* substituunt *scilicet* (dum dicti codd. *ut* simpliciter omittunt) et post *liberabit tamen* supplent *a poena.* In fine solut. pro *interveniret* cod. N *intervenisset*, cod. U *interveniat.*

[7] Vide scholion ad 2. huius articuli quaest.

[8] Edd. ac complures codd. *quam.* Post pauca cod. A voci *Filius* addit *Dei*, et post *naturam* edd. ex ipsa quaest. (infra) supplent *Christus.*

[9] Vers. 9, ubi Vulgata (iuxta textum graecum) et edd. 1, 2 pro *Deus* exhibent *Deo*, Vat. *Domine Deus.* — In edd. haec quaestio sic orditur (omissis verbis solitis *Circa primum sic* etc. et pluribus adiectis): *Utrum solus Filius sit Redemptor, aut etiam Pater et Spiritus sanctus. Et ostenditur, quod solus Filius sit Redemptor* etc.

[10] Non pauci codd. *sumsit.*

sa[1] »: ergo si redimere est opus conveniens Filio, necesse est, quod conveniat Patri et Spiritui sancto.

2. Item, illius est *redimere*, cuius est pro re empta pretium dare; sed Pater dedit Unigenitum suum pro salute generis humani, secundum quod dicitur Ioannis tertio[2]: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret:* Pater igitur nos redemit: non ergo solus Filius est redemptor.

3. Item, illius est *redimere*, cuius est redemptos possidere; sed tota Trinitas nos possidet: ergo tota Trinitas nos redemit.

4. Item, hoc ipsum videtur auctoritate Magistri in littera[3]: « Redemptor aliquando etiam Pater et Spiritus sanctus dicitur in Scriptura »: ergo si Scriptura non dicit nisi verum et catholicum, *redimere* non spectat ad solum Filium.

CONCLUSIO.

Christus solus est noster redemptor quoad exsecutionem et auctoritatem, licet quoad auctoritatem Pater et Spiritus sanctus etiam nos redemerint.

Respondeo: Dicendum, quod redemptionis *opus* Distinctio. dupliciter potest alicui attribui, aut sicut *principali* Conclusio 1. *auctori*, aut sicut *exsequenti*. Et utroque modo competit Christo: Christo, inquam, *Deo* competit sicut *auctori*, Christo vero *homini* competit sicut *exsequenti*. — Cum ergo dicitur aliquis *redemptor*, hoc dupliciter potest dici: aut ab *auctoritate* redemptionis, aut ab *auctoritate simul et exsecutione*. Si ab *auctoritate*, sic non tantum competit Filio, immo Conclusio 2. etiam Patri et Spiritui sancto, pro eo quod « indivisa sunt opera Trinitatis ». Si autem ab *exsecutione*, sic respicit *humanitatem*, quae assumta est a solo Verbo; et hoc modo competit soli Filio, et hoc est Conclusio 3. quod Magister dicit in littera[4]: « Redemptor aliquando Pater et Spiritus sanctus dicitur, sed hoc propter usum potestatis, non propter exhibitionem humilitatis. Nam secundum potestatis simul et obedientiae usum Filius proprie redemptor dicitur »; et post concludit: « Est igitur redemptor, in quantum Deus, *potestatis usu;* in quantum homo, *humilitatis effectu* ».

Ex his patet, qualiter esse redemptorem convenit Filio, et secundum quam naturam. Quodam enim Corollarium. modo convenit ei secundum *humanam* naturam, quodam modo secundum *divinam;* et primo modo competit soli Filio, secundo modo competit Filio una cum Patre et Spiritu sancto. — Et per hoc patet responsio ad quaestionem propositam. Patet etiam respon- Ad argg. sio ad rationes ad utramque partem; procedunt enim secundum has duas vias, sicut aspicienti apparet[5].

SCHOLION.

1. S. Scriptura meritum et satisfactionem Christi non raro exprimit per metaphoram *emptionis*, vel accuratius *redemptionis*, quia Christus se ipsum obtulit Patri quasi in pretium, quo genus humanum liberaret ab obligatione, qua obstrictum erat tum ad servitutem sub iugo peccati tum ad reatum poenae (cfr. I. Petr. 1, 18. 19; Gal. 3, 13; et infra d. 20. q. 6. ad 4; IV. Sent. d. 5. a. 3. q. 2. ad 2; S. Thom., S. III. q. 48. a. 4.). — Ipse titulus quaestionis indicat, auctorem hic, utrum alii sint redemptores, inquirere tantum respectu Patris et Spiritus S., non respectu hominum vel Angelorum; de hac altera quaestione infra d. 20. q. 3. agitur. — In solutione omnes conveniunt.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 17. m. 4. a. 2, q. 18. m. 6. a. 2. § 3. — S. Thom., hic a. 4. quaestiunc. 1. 2; S. loc. cit. a. 5. — B. Albert., hic a. 8. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. 2. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 2.

QUAESTIO II.

Secundum quam naturam Christus sit mediator.

Secundo quaeritur, secundum quam naturam Christus sit mediator. Et quod secundum *humanam*, ostenditur:

1. Auctoritate Augustini, in nono de Civitate Fundamenta. Dei[6]: « Mediatorem inter nos et Deum mortalitatem oportuit habere transeuntem et beatitudinem permanentem »; sed utrumque horum competit Christo secundum humanam naturam: ergo etc.

2. Item, hoc ipsum ostenditur auctoritate Magistri in littera[7]: « Mediator dicitur secundum humanitatem, non secundum Divinitatem ».

3. Item, *medium* debet esse inter extrema, ergo *mediator* Dei et hominum debet esse infra Deum et supra homines; sed Christus secundum divinam naturam non est inferior Deo: ergo secundum divinam naturam non potest esse mediator: est igitur solum mediator secundum naturam assumtam.

4. Item, medium debet habere differentiam cum[8] extremis; sed Christus secundum Divinitatem est omnino unum cum Patre: ergo non videtur, quod secundum Divinitatem habeat rationem mediatoris.

---

[1] Cfr. supra pag. 12, nota 2.

[2] Vers. 16.

[3] Hic c. 5.

[4] Hic c. 5, ubi et altera sententia. In primo textu post *humilitatis* in lit. Magistri additur *et obedientiae*.

[5] Cfr. supra d. 1. a. 1. q. 2, ubi principia huius quaest. insinuantur, nec non August., Serm. 130. n. 2.

[6] Cap. 15. n. 1. — Pro *Mediatorem* multi codd. *Mediator*. Subinde edd. inter *Deum* et *mortalitatem* inserunt *et*, quod et in textu origin. habetur.

[7] Hic c. 7. Ibid. et duo seqq. argg. insinuantur.

[8] Vat. *ab*.

5. Item, una est offensa totius Trinitatis, sicut una est maiestas[1]; sed ei fit satisfactio, cui facta est offensa: ergo necesse est, quod satisfactio fiat toti Trinitati; et si hoc, ita fit satisfactio Filio, sicut Patri. Sed constat, quod alterius et alterius naturae est satisfactionem *offerre* et satisfactionem *suscipere:* si ergo Christus satisfacit, secundum quod homo, et eo ipso est mediator, quo satisfacit; videtur, quod sit mediator solum secundum humanam naturam.

Ad oppositum.

1. Sed contra hoc est auctoritas, quam Magister adducit in littera[2]: «Si Christus secundum vos, o haeretici, unam tantum habet naturam, unde *medius* erit. Nisi ita sit *medius*, ut Deus sit propter naturam Divinitatis, et homo propter naturam humanitatis»: ergo esse mediatorem competit Christo secundum utramque naturam.

2. Item, Christus est mediator non per *privationem*, sed per *positionem;* sed *medium per positionem* est medium per participationem utriusque[3]: ergo Christus non potest esse mediator Dei et nostri nisi per hoc, quod est Deus et homo: ergo mediator est secundum utramque naturam.

3. Item, nunquam *medium* iungit extrema nisi per hoc, quod habet coniunctionem[4] cum utroque: ergo Christus nunquam nos reconciliaret Deo, nisi esset Deus et homo: redit ergo idem quod prius.

4. Item, nihil tenet rationem *medii*, secundum id quod[5] tenet rationem *extremi;* sed Christus tenet rationem *extremi* secundum humanam naturam, quia humana natura reconciliata est Deo: ergo non est mediator praecise secundum illam.

5. Item, si Christus est mediator secundum humanam naturam, hoc non potest esse, nisi quia[6] in quadam proprietate communicat nobiscum, in quadam cum Deo; sed Angeli boni et angeli mali in aliqua proprietate nobiscum conveniunt, in aliqua cum Deo: ergo possunt dici mediatores inter nos et Deum. Si ergo *mediatores* non dicuntur, videtur, quod mediatio non conveniat Christo secundum convenientiam proprietatum, sed secundum participationem duarum naturarum: ergo ita convenit Christo esse mediatorem secundum divinam naturam, sicut secundum humanam.

CONCLUSIO.

Christus est medius *vel ratione utriusque naturae, vel ratione humanitatis; sed* mediator *est secundum naturam humanam.*

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod differt dicere esse *medium* et esse *mediatorem. Medium* namque dicit communicantiam[7] cum extremis. *Mediator* autem non tantum dicit communicantiam, sed etiam dicit *officium* reconciliationis. Aliter igitur respondendum est, cum quaeritur, qualiter Christus sit *medius* inter humanam naturam et divinam; aliter, cum quaeritur, qualiter[8] sit *mediator.*

Differunt medium et mediator.

Si enim quaeratur, qualiter sit *medius;* responderi potest, quod medium inter duas naturas potest aliquid dici tripliciter: aut ita, quod in eo concurrant duae naturae, sicut in *natura*[9] *tertia;* aut ita, quod in eo concurrant duae naturae, sicut in *persona;* aut ita, quod in eo concurrant *proprietates* duabus naturis conformes. — *Primo* modo accipiendo *medium,* nihil potest esse medium inter humanam naturam et divinam, nec Christus nec aliud, quia non potest ex humana natura et divina constitui aliquod tertium. *Secundo* modo accipiendo *medium,* sic Christus est medium inter humanam naturam et divinam, in quantum est una persona in duabus naturis, non ratione humanae naturae tantum, nec ratione divinae, sed ratione *utriusque*[10]. *Tertio* modo accipiendo *medium,* Christus est medium inter Deum et homines secundum *humanitatem,* in quantum habet *mortalitatem* simul et *beatitudinem: mortalitatem,* inquam, in qua communicat cum hominibus; *beatitudinem,* inquam, in qua communicat cum Deo[11].

Medius accipitur tripliciter.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

Si vero quaeratur, qualiter et secundum quam naturam Christus sit *mediator;* cum *mediator* dicat officium reconciliationis, et *mediator* debeat differre ab illis quos reconciliat, et Christus secundum *divinam* naturam sit ille cui fit reconciliatio, dicendum, quod non potest esse mediator secundum divinam naturam, sed secundum *humanam,* in qua potest reconciliare secundum diversas *proprietates,* in quibus

Conclusio 4.

---

[1] Cfr. supra d. 9. dub. 2. — In conclus. arg. pro *satisfacit* codd. A H K T bis *satisfecit.*

[2] Hic c. 7, et sumta est ex Vigilio Taps., V. contra Eutycheten n. 15.

[3] Vide dictum Aristot., supra pag. 19, nota 6. allegatum. — Edd. plenius *utriusque extremi,* et subinde *potuit* pro *potest.* Mox pro *nostri* codd. A G H K L T aa *noster,* cod. Z *nostrum.*

[4] Edd. *communicationem.*

[5] Edd. *secundum illud, secundum quod.*

[6] Ita codd. A K Z bb, in aliis et edd. deest *quia.*

[7] Edd. cum nonnullis codd. hic et paulo inferius *convenientiam.*

[8] Cod. F *quo modo.* Paulo inferius pro *si enim quaeratur* cod. A *si autem quaeratur.*

[9] Vat. *in una natura,* et paulo post cum edd. 1, 2 pariter *in una persona.* Pro *in natura tertia* edd. 1, 2 *in una materia.* Infra codd. G H V bis *accipiendi* pro *accipiendo.*

[10] Cfr. supra d. 6. a. 2. q. 1. — Post *divinae* edd. repetunt *tantum.*

[11] Vide hic fundam. 1. et infra solut. ad 1. — Edd., omisso *inquam,* verbo *communicat* praemittunt *maxime.*

communicat cum Deo et cum homine[1]. Habebat enim *iustitiam* et innocentiam, in qua communicat cum Deo, et *mortalitatem*, in qua communicat cum homine; et dum mors coniungitur iustitiae, in eodem confoederatur homo peccator et mortalis Deo iusto et immortali. *Reconciliati* enim *sumus Deo per mortem* hominis innocentis[2]. — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod Christus est mediator secundum humanam naturam.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud vero quod obiicitur, quod Christus est medius propter naturam Divinitatis et humanitatis; iam patet responsio per ea quae dicta sunt. Non enim est idem dicere esse *mediatorem* et esse *medium;* verumtamen *mediator* esse non posset, nisi esset *medius*. Quod enim simul et semel sit *beatus* et *mortalis*, hoc habet, quia *homo* et *Deus;* utraque tamen istarum duarum proprietatum convenit ei secundum *humanam* naturam, ita quod *mortalitas* convenit humanae naturae in se, et *beatitudo* competit ei, in quantum est unita divinae.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod mediator debet participare naturam utriusque extremi; dicendum, quod et *medium* et *mediator* non dicitur solum per *participationem utriusque naturae*, sicut prius dictum est, sed etiam per *convenientiam in proprietate*. Et Christus secundum humanam naturam habet proprietates convenientes divinae naturae pariter et humanae.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod medium non iungit extrema nisi per convenientiam, quam habet cum eis; dicendum, quod iam patet responsio, quia convenientia secundum *proprietatem* est illa quae potest extrema conciliare, maxime quando extrema coniungi habent per illud medium et perduci ad conformitatem *voluntatis*, non ad conformitatem *naturae*. Per Christum enim homo reconciliatur Deo, ut sit *beatus*, et ita, ut fiat de mortali *immortalis*, de peccatore *iustus*, de misero *beatus*, non ut[3] reconciliatus fiat *Deus*, quamvis ipse Christus sit Deus.

4. Ad illud quod obiicitur, quod Christus est extremum secundum naturam humanam; dicendum, quod falsum est; nam humana natura in Christo nunquam indiguit reconciliatione; unde non erat *reconciliata*, sed *reconcilians*, secundum quod dicitur secundae ad Corinthios quinto[4]: *Deus erat in Christo sibi reconcilians mundum*. Alterius enim conditionis erat natura humana in aliis hominibus, alterius in Christo; in aliis enim erat peccatrix, in Christo erat immunis ab omni culpa.

Notabilis locus Augustini.

5. Ad illud quod obiicitur, quodsi mediator dicitur propter convenientiam in proprietatibus, quod daemon debet dici mediator; dicendum, quod non est simile, quia non habet proprietates mediatori convenientes, secundum quod exponit Augustinus in libro de Civitate Dei nono[5] aliquantulum prolixe, sed tamen utiliter. Ait enim sic: « Mediatorem inter Deum et hominem *mortalitatem* oportuit habere *transeuntem* et *beatitudinem permanentem*, ut per id quod *transit*, congrueret morituris, et ad id quod *permanet*, transferret ex mortuis. Boni igitur Angeli inter miseros et mortales et beatos et immortales medii esse non possunt, quia illi quoque beati et immortales sunt; possunt autem medii esse mali angeli, quia immortales sunt cum ipsis et miseri cum istis. His contrarius est mediator bonus, quia adversus horum immortalitatem et miseriam et mortalis ad tempus existere voluit et beatus in aeternitate persistere potuit ». — Et quod sint contrarii, hoc ipse ostendit amplius consequenter[6]: « Ad hoc interponit se medius immortalis et miser, ut ad immortalitatem beatam transire non sinat. Ad hoc autem se interponit mortalis et beatus, ut, morte transacta, ex mortuis faceret immortales ». — Et sic patet, quomodo convenientia proprietatum in Christo faciat ad officium boni mediatoris, in daemone vero faciat ad contrarium. Et sic patet responsio ad quaesita.

SCHOLION.

1. Nomen *mediatoris* proprie respicit *officium* reconciliationis, quo quis inter dissidentes intercedit; unde bene dicit auctor, quod differat esse *medius*, scilicet secundum *substantiam*, et esse *mediator*, scilicet secundum *operationem*. Vulgo tamen eodem nomine *mediatoris* utrumque in Christo significatur (cfr. S. Thom., S. III. q. 26. a. 1. 2.) — Fide constat, Christum esse Dei et hominum mediatorem, et quidem ipsum *solum* esse perfectum mediatorem, « in quantum per suam mortem humanum genus Deo reconciliavit... Nihil tamen prohibet, aliquos alios *secundum quid* dici mediatores inter Deum et homines, prout

---

[1] August., X. Confess. c. 43. n. 68: In quantum enim homo, in tantum mediator; in quantum autem Verbum, non medius, quia aequalis Deo et Deus apud Deum et simul cum Spiritu sancto unus Deus. Idem dicit in Enarrat. Ps. 103. serm. 4. n. 8.

[2] Rom. 5, 10: Reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius. Cfr. supra pag. 42, nota 8.

[3] Codd. A K P Q bb hic repetunt *homo*. In initio solut. pro *iungit* codd. I L aa *coniungit*.

[4] Vers. 19. — Paulo ante pro *reconciliata* cod. Z *reconcilianda*. In fine solut. cod. U *in Christo vero erat*, codd. F G I L N T V Z aa *in Christo enim erat*.

[5] Cap. 15. n. 1. In exposit. August. Vat. cum textu origin. pro *inter miseros et mortales et beatos et immortales* habet *inter miseros mortales et beatos immortales*, et paulo inferius *qui adversus* pro *quia adversus*. — Aliquanto superius versus initium solut. edd. voci *mediatori* praefigunt *bono*.

[6] Loc. cit. n. 2, ubi textus origin. post *transire non sinat* sic prosequitur: quoniam persistit quod impedit, id est ipsa miseria. Ad hoc autem se *interposuit* mortalis et beatus, ut *mortalitate* transacta etc..— In fine testimonii post *faceret immortales* edd. ex August. addunt: quod in se resurgendo monstravit, et ex miseris beatos, unde nunquam ipse discessit. Alius est ergo medius malus, qui separat amicos; alius bonus, qui reconciliavit [ed. oper. August. reconciliat] inimicos. — Ante testimon. Aug. pro *hoc ipse* codd. A K Z *hoc ipsum*.

scilicet cooperantur ad unionem hominum cum Deo *dispositive*, vel *ministerialiter* » (S. Thom., loc. cit. a. 1.).

II. Ariani, ipsum Filium Dei esse minorem Patre asserentes, Christum secundum *personam divinam* medium et mediatorem esse blasphemabant. Saeculo XVI. occasione cuiusdam controversiae inter Stancarum et Osiandrum, Regiomontanae universitatis professores, duo alii extremi errores inter Protestantes acri certamine defensi sunt. Stancarus enim docuit, Christum non nisi secundum *humanam* praecise naturam esse mediatorem; pro qua sententia profert testimonia (sed male intellecta) Petri Lombardi et aliorum Scholasticorum, quos mirifice exaltat super omnes suae aetatis theologos. Sed adversarii eius, inter quos fuit Calvinus, in oppositum abrepti sunt errorem, docentes, Christum fuisse mediatorem secundum *utramque naturam*, vel etiam secundum quod est *aeternum Verbum* (de hac controversia cfr. Petavius, XII. de Incarnat. c. 3. 4.). Sed Catholici concorditer docent, neque humanitatem in abstracto neque Divinitatem, neque Verbum aeternum in se, neque Christum praecise ratione *divinae naturae* dici posse mediatorem, sed tantum prout Christus est *hic homo*, coniunctus Deo in persona Verbi, vel etiam, ut aliqui dicunt, prout divina persona dicitur composita, id est subsistens in utraque natura.

III. Alex. Hal., S. p. III. q. 18. m. 6. a. 2. § 1. 2. — Scoti locos collectos vide apud Hieron. de Montefortino t. IV. q. 26. a. 1. 2. — S. Thom., hic a. 5. quaestiunc. 2. 3; S. locc. citt. — B. Albert., hic a. 10. — Petr. a Tar., hic q. 5. a. 4. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. 4.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *A peccatis per eius mortem soluti sumus, quia per ipsius mortem commendatur nobis caritas Dei.* Videtur enim ratio illa nulla esse, quia, cum per beneficia Dei commendetur nobis caritas Dei, sicut per passionem Christi; videtur, quod per beneficia Dei iustificemur a peccatis, sicut per passionem Christi. — Item, Martyres patiendo excitant nos ad credendum et ad amandum Deum [1]: ergo si passio Christi dicitur nos iustificare, quia nos accendit ad caritatem, pari ratione et passio aliorum Martyrum. — Item, si hoc verum est, tunc videtur, quod iustificatio non conveniat passioni Christi nisi solummodo per accidens, videlicet ratione caritatis nostrae.

Respondeo: Dicendum, quod Magister in praedicta ratione non tangit causam iustificationis *totam*, sed partem causae. Praesupponit enim in ipsa passione rationem *meriti*, per quod passio Christi est fons nostrae salutis; per illam enim plenitudo gratiae Christi in nos redundat. Et illa praesupposita, adiungit aliam rationem, videlicet rationem *exempli provocantis* et excitantis; et haec quidem bona ratio est et sufficiens, priori praesupposita; per se autem non sufficit. Et ideo omnes illae rationes procedunt ex insufficienti. — Et per hoc patet responsio ad illas tres obiectiones [2].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod subiungit: *Dicimur per mortem Christi iustificari, quia per fidem mortis eius a peccatis mundamur.* Hoc enim videtur falsum, quia multi sunt articuli praeter [3] articulum passionis, sine quorum fide non possumus iustificari: ergo sicut *passio* Christi dicitur nos iustificare, in quantum est credita, pari ratione et *ascensio* et *adventus ad iudicium*. — Item, sicut fides et caritas requiruntur ad iustificationem, ita etiam et aliae virtutes: ergo sicut dicimur iustificari per fidem et caritatem passionis, ita et per humilitatem et alias virtutes, quibus assimilamur Christo patienti.

Iuxta hoc quaeritur, cum Magister [4] assignet adhuc tertiam rationem, quare dicimur iustificari per *passionem*, videlicet quod passio iustificat per modum *sacrificii oblati;* penes quid sumitur sufficientia et distinctio illarum trium rationum? Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod nec istam rationem assignat Magister tanquam principalem, sed ad istam praesupponit illam, qua passio dicitur *iustificare* per modum *meriti;* et illam assignat, cum dicit, quod « Christus morte sua tanquam uno verissimo sacrificio, quidquid culparum erat in nobis, destruxit »; et ita tres rationes innuit, secundum quas passio Christi dicitur *iustificare*. Iustificat enim ut *hostia oblata*, ut *credita*, ut *amata*. — Et istae tres rationes reducuntur ad illas tres, quae superius [5] dictae sunt, videlicet quod passio Christi iustificat per modum *meriti disponentis*, et per modum *exempli excitantis*, et per modum *exemplaris dirigentis*, ut sit in ea *meritum* in quantum hostia oblata, *directio* in quantum credita, et *excitatio* in quantum amata [6], secundum triplex genus causae. Et sic passio dicitur *iustificare* nos per fidem et caritatem, quia mediantibus his duabus virtutibus unimur ipsi passioni tanquam fonti salutis. Notandum. Ad quaest. incidentem.

Et sic patet responsio ad illa tria obiecta. Primum enim obiectum procedit ab insufficienti; secundum vero dissolvitur per defectum similitudinis;

---

[1] In edd. deest *Deum*.

[2] Cfr. supra a. 1. q. 1, et de ipso dubio Richard. a Med., hic circa lit.

[3] Edd. *post*.

[4] Hic c. 1: Morte quippe sua uno verissimo sacrificio, quidquid culparum erat... Christus exstinxit. — Paulo inferius pro *sufficientia et distinctio* edd. *sufficiens distinctio*.

[5] Art. 1. q. 1. in corp.

[6] Edd. verba male sic permutarunt: *excitatio, in quantum credita, et directio, in quantum amata*.

non enim est simile de fide et caritate et aliis virtutibus; illud vero [1] quod tertio quaerebatur, manifestum est.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Incideramus in principem huius saeculi, qui seduxit Adam et coepit nos quasi vernaculos possidere.* Hoc enim videtur falsum, quia «fraus et dolus nemini debent patrocinari [2]»: ergo si diabolus hominem decepit, videtur, quod ei non debuerit dominari. — Item, diabolus nullum ius habebat in nobis: ergo non videtur, quod aliquo iure nos possederit [3]. — Item, nos eramus servi Dei: ergo non erat in potestate nostra facere nos servos diaboli. Si igitur nec *Deus* facit nos servos diaboli, nec *nos* potuimus nos facere, nec *diabolus* potuit nos subiugare; non videtur, verbum auctoritatis praedictae verum esse.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio homo
Notandum. iuste detinebatur; sed diabolus nullo eum iusto titulo detinebat nec possidebat, quoniam malae fidei possessor fuit; sed Deus, qui est iustus iudex, iusto iudicio suo hoc permisit. Iustum enim erat, ut ille qui se voluntarie subiecerat suggestioni per *culpam*, eidem involuntarie subderetur per *poenam* [4].

Quod ergo obiicit, quod diabolus non potuit possidere, quia nullum ius habebat; dicendum, quod non valet, quia multi possident iniusto titulo, quorum diabolus princeps et dux est, qui est caput fraudis et malitiae. Nec fraus et dolus ei patrocinabatur, quia ad malum suum eum detinebat, sicut fures et latrones ad tempus ea possident, quae furantur.

Ad illud quod obiicitur, quod homo non potuit se facere servum, cum esset in alterius iurisdictione constitutus; dicendum, quod Deus reliquerat hominem *in manu consilii sui* [5], et sicut ei permittebat, ut posset se inducere in servitutem peccati, sic etiam ei permittebat, ut posset semetipsum ducere in servitutem diaboli.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Unde ipse vere dicitur mundi redemptor.* Videtur enim esse falsum, nemo enim emit quod suum est; si ergo Deus dominium super homines non amiserat, videtur, quod ad eum redemptio hominis non spectabat. — Item quaero: a quo et per quem redemit? *Si tu dicas*, quod redemit a diabolo; *sed contra:* ei solvit pretium, a quo redemit; sed redemit nos pretio sanguinis sui [6]: ergo videtur, quod pretium sui sanguinis solverit diabolo. *Si tu dicas*, quod redemit a Deo; *contra:* nullus redemit vel emit aliquid a se ipso [7].

Respondeo: Dicendum, quod homo *venundatus erat, ut faceret malum in conspectu Domini* [8], et se ipsum fecerat servum peccati et supplicii; in his autem omnibus detinebatur auctoritate divinae sententiae et iustitiae. Et ideo pretium redemptionis ei oportebat offerri, qui damnum et iniuriam passus erat; et quoniam hic est Deus, ideo Christus in offerendo sanguinem suum Deo, redemit nos a servitute diaboli, peccati et supplicii, ita quod manus mi- Notandum.
sericordiae redemit hominem de manu severitatis [9] et iustitiae. Transierat enim homo per culpam suam de una manu ad aliam. — Et per hoc patet responsio ad obiecta [10].

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Redemptor dicitur Pater et Spiritus sanctus propter usum potestatis.* Si enim Deus ab aeterno habuit potestatem, videtur, quod ab aeterno fuerit noster redemptor. — Item, Augustinus [11] dicit, quod in nostra redemptione

---

[1] Pro *vero* codd. F G H I L N U V Z aa *enim*. — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 2; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[2] Vide II. Decretal. Gregor. tit. 14. c. 2. *Ex litteris*, et IV. tit. 11. c. 2. *Si vir*. Cfr. ibid. I. tit. 3. c. 20. *Super litteris*.

[3] Vide supra pag. 403, nota 6. — Pro *possederit* permulti codd. et edd. I. 2 *possedit*, cod. G *possidet*.

[4] Sic August., XIII. de Trin. c. 12. n. 16; verba eius videsis infra d. XX. lit. Magistri, c. 2. Similiter Anselm., I. Cur Deus homo, c. 7: Quamvis enim homo iuste a diabolo torqueretur, ipse tamen illum iniuste torquebat. Homo namque meruerat, ut puniretur, nec ab ullo convenientius, quam ab illo cui consenserat, ut peccaret. Diaboli vero meritum nullum erat, ut puniret; immo hoc tanto faciebat iniustius, quanto non ad hoc amore iustitiae trahebatur, sed instinctu malitiae impellebatur etc. Cfr. Iren., V. de Haeres. c. 1. n. 1. et c. 2. n. 1; Bernard., Capitula haeres. Petri Abaelardi, n. 4, et Tract. de errorib. Abael. (alias Epist. 190.), c. 5, ubi Abaelardi sententia refellitur, quod Christus non incarnatus esset, ut hominem liberaret de potestate satanae. — In principio solut. post *sed diabolus nullo* codd. I L aa inserunt *modo*, et mox post *Iustum enim* cod. W subiungit *iudicium*. Subinde pro *eidem* (cod. O *eidem etiam*) *involuntarie* edd. *eidem in voluntate*. Aliquanto inferius pro *qui est caput* codd. A K *quia est caput*.

[5] Eccli. 15, 14. Cfr. Serm. 103. (alias 47. de Tempore) in Appendice serm. August. n. 3. seqq. — Proxime post edd. omittunt *sicut ei permittebat... peccati*, et subinde post *sic* voculam quoque *etiam*. — Cfr. de hoc dubio Richard. a Med., hic circa lit.

[6] Cfr. I. Petr. 1, 18. seq., et Apoc. 5, 9. — Mox pro *pretium* non pauci codd. *per pretium*.

[7] His similes obiectiones etiam Sociniani fecerunt (cfr. Socinus, lib. de Christo Salvatore) contendentes, redemptionem per Christum factam non fuisse nisi *metaphoricam*.

[8] Libr. III. Reg. 21, 25. — Subinde pro *fecerat* codd. I L O U aa *faceret*, cod. G *fecerit*.

[9] Pro *severitatis* codd. A K O Y *servitutis*, et pro *iustitiae* cod. Y *miseriae*.

[10] Cfr. Anselm., I. Cur Deus homo, c. 23; nec non S. Thom., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 1; Petr. a Tar., hic q. 4. a. 2; Richard. a Med., hic a. 2. q. 1.

[11] Libr. XIII. de Trin. c. 13. n. 17: Non autem diabolus potentia Dei, sed iustitia superandus fuit.

non erat utendum potestate, sed potius iustitia: ergo non videtur ratio illa recte assignata.

Respondeo: Dicendum, quod in redemptione et fuit usus *potestatis* et usus *humilitatis;* sed usus *humilitatis* apparuit in primordio, usus *potestatis* apparuit in fine. Vicit enim mortem et auctorem mortis patiendo et resurgendo [1]; et licet passio *infirmitatis* attribuatur soli Christo, tamen operatio virtutis debetur toti Trinitati. Et ideo dicit Magister, quod tota Trinitas est redemptor usu potestatis.

Ad illud quod obiicitur, quod potestas in Deo fuit ab aeterno; dicendum, quod Magister non dicit, quod fuerit redemptor ex *potestate,* sed ex *usu potestatis;* et hunc quidem non habuit ab aeterno, sed ex tempore [2].

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Redemptor dicitur secundum humanitatem; quia in ea suscepit illa Sacramenta, quae sunt causa nostrae redemptionis.* Sed *contra:* poenitentia et confirmatio et extrema unctio faciunt ad nostram redemptionem; et tamen Christus ea in se non suscepit.

Respondeo: Dicendum, quod *sacramenta* hic vocantur non illa quae sunt signa et vasa, in quibus confertur gratia, sicut sunt septem Sacramenta Ecclesiae, sed *sacramenta* hic dicuntur *sacra mysteria* sive *sacra* [3] *secreta,* quae ordinata sunt ad nostram redemptionem, sicut Christi incarnatio, nativitas, passio et resurrectio.

DISTINCTIO XX.

Cap. I.

Quod alio modo potuit liberare.

Si vero quaeritur, utrum alio modo posset Deus
Augustinus. hominem liberare quam per mortem Christi; « dicimus, et alium modum fuisse possibilem Deo, cuius potestati cuncta subiacent; sed nostrae miseriae sanandae con-
De congruentia passionis ratio 1. venientiorem modum alium non fuisse nec esse oportuisse. Quid enim mentes nostras tantum erigit et ab immortalitatis desperatione liberat, quam quod tanti nos fecit Deus, ut Dei Filius immutabiliter bonus, in se manens quod erat, et a nobis accipiens quod non erat, dignatus nostrum inire consortium, ut mala nostra moriendo perferret [1] »?

Cap. II.

Quare isto modo potius.

Est et alia ratio, quare isto potius modo quam
Ratio 2. ex Augustino. alio liberare voluit: « quia sic et *iustitia* superatur diabolus, non *potentia* [2] ». « Et quomodo id factum sit, explicabo, ut potero ». « Quadam *iustitia* Dei in potestatem diaboli traditum est genus humanum, peccato primi hominis in omnes originaliter transeunte et illius debito omnes obligante; unde omnes homines ab origine sunt sub principe diabolo. Unde Apostolus [3]: *Eramus natura filii irae, natura,* scilicet ut est *depravata peccato,* non ut est *recta creata* ab initio. Modus autem ille, quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam Deus hoc *fecerit* aut *fieri iusserit,* sed quod tantum *permiserit,* iuste Dubium 1. tamen. Illo enim deserente, peccantem peccati auctor illico invasit. Non tamen Deus *continuit in ira sua miserationes suas* nec hominem a lege suae potestatis amisit, cum in diaboli potestate esse permisit, quia nec diabolus a potestate Dei est alienus, sicut nec a bonitate. Nam qualicumque vita diabolus vel homo non subsisteret, nisi per eum qui vivificat omnia ». Non ergo Deus hominem deseruit, ut non se illi exhiberet Deum, sed inter mala poenalia etiam malis multa praestitit bona; et tandem hominem, quem *commissio* peccatorum diabolo subdidit, *remissio* peccatorum, per Dubium 2. sanguinem Christi data, a diabolo eruit, ut sic *iustitia* vinceretur diabolus, non *potentia.*

Cap. III.

Qua iustitia sit victus diabolus.

« Sed qua *iustitia?* Iesu Christi. Et quomodo vi- Augustinus.
ctus est ea? Quia in eo nihil dignum morte inveniens, occidit eum tamen. Et utique iustum est, ut debitores, quos tenebat, liberi dimittantur, in eum credentes, quem sine ullo debito occidit [4] ». « Ideo autem *potentia* vincere noluit, quia diabolus vitio perversitatis suae amator est *potentiae* et desertor oppugnatorque *iustitiae;* in quo homines magis eum imitantur, qui, neglecta vel etiam perosa *iustitia, potentiae* magis student eiusque vel adeptione laetantur, vel cupiditate inflammantur. Ideoque placuit Deo, ut non *potentia,* sed

---

[1] Cfr. August., XIII. de Trin. c. 14. n. 18, de quo vide lit. Magistri, d. XX. c. 3. — Subinde cum codd. A K verbo *licet* praefigimus *et,* ac mox edd. omittunt *debetur.*

[2] Vide I. Sent. d. 30. per totam. — De hoc dubio cfr. B. Albert., hic a. 8.

[3] Pro *sacra* edd. *facta.* Proxime ante pro *sacra mysteria* codd. V Z *pura mysteria.* — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 9; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] August., XIII. de Trin. c. 10. n. 13, sed non paucis a Magistro omissis.

[2] Ibid. c. 13. n. 17; seq. locus ibid. c. 14. n. 15. Quae sequuntur sunt ibid. c. 12 n. 16, sed interpolata a Magistro.

[3] Eph. 2, 3; seq. locus Scripturae est Ps. 76, 10. (Vulgata: aut *continebit* in ira sua etc. — Paulo superius ante *deserente* codd. et ed. 1 omittunt *enim,* refragante etiam originali. Deinde post *potestatis* Vat. cum edd. 2, 6, 8 *emisit* pro *amisit,* refragante etiam originali.

[4] August., XIII. de Trin. c. 14. n. 18. Verba *nihil dignum morte inveniens* respiciunt Luc. 23, 15. Seq. locus ibid. c. 13. n. 17; tertius ibid. c. 14. n. 18; quartus ibid. parum superius.

iustitia vincens, hominem erueret, in quo homo eum imitari disceret ». « Post vero in resurrectione secuta est *potentia*, quia revixit mortuus, nunquam postea moriturus ». « Sed nonne iure aequissimo vinceretur diabolus, si *potentia* tantum Christus cum illo agere voluisset? Utique, sed postposuit Christus quod *potuit*, ut prius ageret quod *oportuit* ». — *Iustitia* ergo humilitatis hominem liberavit, quem sola *potentia* aequissime liberare potuit.

Cap. IV.

De causa inter Deum et hominem et diabolum.

Alio modo Deus redimere potuisset, ex Hugone.

« Si enim tres illi in causam venirent, scilicet Deus, homo et diabolus, diabolus et homo quid adversus Deum dicerent, non haberent. Diabolus enim de iniuria Dei convinceretur, quia servum eius, scilicet hominem, et fraudulenter abduxit et violenter tenuit. Homo etiam iniurius[1] Deo convinceretur, quia praecepta eius contempsit et se alieno dominio mancipavit. De hominis etiam iniuria convinceretur diabolus, quia illum et prius fallaci promissione decepit et post mala inferendo laesit. Iniuste igitur diabolus, quantum ad se, tenebat hominem, sed homo iuste tenebatur; quia diabolus nunquam meruit potestatem habere super hominem, sed homo meruit per culpam pati diaboli tyrannidem[2] ». Si igitur Deus, qui utrique praerat, *potentia* hominem liberare vellet, sola iussionis virtute hominem poterat rectissime liberare, sed ob causam praemissam *iustitia humilitatis* uti voluit. Qui dum in carne mortali crucifixus est, iustificati sumus, id est per remissionem peccatorum eruti de potestate diaboli, et ita a Christo *iustitia* diabolus victus est, non *potentia*. Quomodo autem in eius sanguine nobis peccata sint dimissa, supra[3] expositum est.

Cap. V.

De traditione Christi facta a Iuda, a Deo, a Iudaeis.

A quo sit passio Christi.

Christus ergo est sacerdos, idemque hostia et pretium[4] nostrae reconciliationis, qui se in ara crucis non diabolo, sed Deo-Trinitati obtulit pro *omnibus* quantum ad pretii sufficientiam, sed pro *electis* tantum quantum ad efficientiam, quia praedestinatis tantum salutem effecit. De quo et legitur, quod sit *traditus a Patre*, et quod se *ipsum tradidit*, et quod Iudas eum tradidit, et Iudaei. *Ipse* se tradidit, quia sponte ad passionem accessit; et *Pater* eum tradidit, quia voluntate Patris, immo totius Trinitatis passus est; *Iudas* tradidit prodendo, et *Iudaei* instigando. — Et fuit actus Iudae et Iudaeorum malus, et actus Christi vel Patris bonus; opus Christi et Patris bonum, quia bona Patris et Filii voluntas; malum fuit opus Iudae et Iudaeorum, quia mala fuit intentio. Diversa fuerunt ibi facta sive opera, id est diversi actus, et una res sive factum, scilicet passio ipsa. Ideoque[5] doctores aliquando uniunt in facto illo Patrem, Filium, Iudam, Iudaeum; aliquando disiungunt. Respicientes enim ad *passionem*, unum opus illorum dicunt; attendentes *intentiones* et *actus*, facta diversa discernunt. Unde Augustinus[6]: « Facta est, inquit, traditio a Patre, facta est traditio a Filio, facta est traditio a Iuda: una res facta est. Quid ergo discernit inter eos? Quia hoc fecit Pater et Filius in caritate, Iudas vero in proditione. Videtis, quia non *quid* faciat homo, sed *qua voluntate*, considerandum est. In eodem facto invenimus Deum, quo Iudam; Deum benedicimus, Iudam detestamur; quia Deus cogitavit salutem nostram, Iudas cogitavit pretium, quo vendidit Dominum, Filius pretium, quod dedit pro nobis. Diversa ergo intentio diversa facta facit, cum tamen sit una res diversis ». — Ecce unam rem dicit ibi fuisse et diversa facta, quia una ibi fuit passio, sed diversi actus; et actus quidem Iudae ac Iudaeorum mali, quibus operati sunt Christi passionem, quae bonum est et opus Dei est.

Dubium 3.

Dubium 4.

Cap. VI.

Utrum Christi passio sit opus Dei, vel Iudaeorum.

Passio ergo Christi et *opus Iudaeorum* dicitur, quia ex actibus eorum provenit, et opus *Dei*, quia eo auctore, id est eo volente, fuit. Unde Augustinus[7]: « Nemo aufert animam Christi ab eo, quia *potestatem* habet *ponendi* eam et *sumendi*; ecce habes auctorem operis. *Ponet animam*; ecce habes opus auctoris. Et ut generaliter concludam, quoties in carne Christus aliquid patitur, opus auctoris est; quia enim[8] sua voluntate, non alio cogente, perpetitur, ipse auctor est operis ». — Cum autem passio Christi opus Dei sit, et ideo bonum, eamque operati sint Iudas et Iudaei; quaeritur, an concedendum sit, eos operatos ibi esse bonum. Hic distinguendum est: potest enim dici, quod operati sunt bonum, quia ex actibus eorum bonum provenit, id est passio Christi; et item, quod operati non sunt bonum, sed malum, quia actio eorum non fuit bona, sed mala.

Quaestio connexa.

---

[1] Edd. 1, 8 *iniuriosus*.

[2] Ita Hugo a S. Vict., l. de Sacram. p. VIII. c. 4. — Paulo inferius ante *rectissime* pro *poterat* Vat. cum cod. E et pluribus edd. *potuit*.

[3] Dist. XIX. c. 1.

[4] Cfr. Ps. 109, 4; Hebr. 9. 26; Rom. 5, 9. Inferius respicitur Rom. 8, 32; Isai. 53, 7; Gal. 2, 20; Eph. 5, 2; Matth. 26, 25. 47; 27, 18. — Quoad sequentia cfr. August., Enarrat. in Ps. 93. n. 28, et lit. Magistri, l. Sent. d. XLVIII. c. 2.

[5] Codd. et ed. 1 *Ideo*. Deinde pro *Iudaeum* Vat. et edd. 1, 5, 8 *Iudaeos*.

[6] In Epist. I. Ioan. (4, 4.) tr. 7, n. 7. in quo textu post *Quid ergo* codd. A B C E *discrevit* pro *discernit*; deinde post *in caritate* edd. 1, 8 addunt *ex caritate*. Vat. in fine post *diversis* addit *intentionibus*.

[7] De Unitate Trinit. contr. Felician. c. 14. (inter opera August., sed probabilius et communiter attribuitur Vigilio). — In isto loco respicitur Ioan. 10, 18. — Paulo superius ante *volente* codd. omittunt *eo*.

[8] Sola Vat. *Sed quia*, ed. 8 *Quia vero*, originale *Sed quia id ipsum, sua potestate, non alio cogente* etc. Nos sequimur codd. et ceteras edd.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XX.

De Christi passionis congruentia.

Si vero quaeritur, utrum alio modo etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de passionis efficacia. In hac vero parte agit de passionis congruentia. Dividitur autem ista pars in duas partes. In quarum prima comparat passionem Christi ad causam, propter quam passus est. In secunda vero comparat ipsam ad causam, a qua fuit passio in ipso, ibi: *Christus ergo sacerdos, idemque hostia* etc.

Prima pars dividitur in duas partes, in quarum prima ostendit, quod modus iste redimendi, scilicet per passionem, valde fuit congruus et rationabilis, ostendens, quare isto modo, scilicet per passionem, genus humanum redimere voluit. In secunda parte ostendit, quod alio modo, si voluisset, redimere potuit, ibi: *Si enim illi tres in causam veniant* etc.

Similiter secunda pars dividitur in duas partes. In quarum prima inquirit, a quo sit passio Christi, ostendens, quod traditus fuit a Patre, a se ipso, a Iuda et a Iudaeis. In secunda vero inquirit [1], utrum fuerit bona, vel mala, ibi: *Et fuit actus Iudae et Iudaeorum malus, actus vero Christi et Patris bonus.* Sive, ut melius dicatur, inquirit causarum illarum differentiam penes bonitatem et malitiam. Subdivisiones autem partium manifestae sunt in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio de congruentia nostrae redemptionis factae per passionem Christi. Et circa hoc sex dubitabilia possunt quaeri.

Primo enim quaeritur, utrum congruum fuerit, reparari humanam naturam.

Secundo vero quaeritur, utrum magis congruum fuerit, reparari humanam naturam per satisfactionem quam per aliam viam.

Tertio quaeritur, utrum aliqua creatura satisfacere potuerit Deo pro humano genere.

Quarto quaeritur, utrum purus homo possit [2] satisfacere pro se.

Quinto quaeritur, utrum Deus satisfactionem per mortem Christi debuerit acceptare.

Sexto et ultimo quaeritur, utrum alio modo genus humanum potuerit liberare.

ARTICULUS UNICUS.

De congruentia nostrae redemptionis factae per passionem Christi.

QUAESTIO I.

Utrum congruum fuerit, humanam naturam a Deo reparari.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum congruum fuerit, humanam naturam a Deo reparari.

Suppositiones 4. Et quod sic, videtur per quatuor suppositiones manifestas, quae elici possunt ex dictis Anselmi in secundo *Cur Deus homo* [3]. Prima est haec: nullatenus decet summam stabilitatem permittere suum propositum infirmari. — Secunda est haec: nullatenus decet summam benignitatem pro peccato unius hominis totam posteritatem eius [4] sempiternaliter damnari. — Tertia est haec: nullatenus decet summam sapientiam nobilissimam creaturam permittere universaliter fine suo fraudari. — Quarta est haec: nullatenus de-

---

[1] Edd. *In secunda vero agit de differentia causarum passionis Christi, utrum* etc. — Paulo inferius pro *Sive, ut melius* edd. *Sive, ut aliter*, et deinde pro *differentiam* non pauci codd. perperam *dominium*.

[2] Codd. B C D K L aa *potuerit*, codd. F G H I N U V *potuit*, sed infra in ipsa quaestione omnes *potuisset*.

[3] Cap. 4, ubi tres priores suppositiones insinuantur his verbis: Ex his est facile cognoscere, quoniam aut hoc de humana natura perficiet Deus, quod incepit, aut in vanum fecit tam sublimem naturam ad tantum bonum. At si nihil pretiosius agnoscitur Deus fecisse quam rationalem naturam ad gaudendum de se, valde alienum est ab eo, ut ullam rationalem naturam penitus perire sinat. Ibid. I. c. 4: « Genus humanum, tam scil. pretiosum opus eius, omnino perierat, nec decebat, ut quod Deus de homine proposuerat, penitus annihilaretur ». Quoad quartam suppositionem cfr. ibid. I. c. 7. et c. 22. seq. nec non II. c. 16, ubi docetur (quod infra in 4. fundam. tangitur), ianuam paradisi omnibus clausam fuisse; de quo cfr. supra pag. 66, nota 7, et Damasc., III. de Fide orthod. c. 1.

[4] Vat. hic inserit *permittere*.

cet summam virtutem permittere, servum suum ab alio in sempiternum iniuste detineri.

Fundamenta. 1. Ex prima arguitur ita: si non decet Dei propositum infirmari; et Deus proposuerat [1] hominem perducere ad beatitudinem, et perduci non habet, quamdiu manet in statu ruinae: ergo indecens est, hominem in tali statu relinqui: ergo *ab oppositis* decens est, ipsum reparari et relevari.

2. Ex secunda arguitur sic: non decet [2] totam posteritatem sempiternaliter damnari pro peccato unius hominis; sed tota sempiternaliter damnaretur, nisi reparatio interveniret: ergo congruum fuit et decens, ut Deus hominem repararet.

3. Ex tertia arguitur sic: non decet summam sapientiam permittere, universaliter nobilissimam creaturam fine suo fraudari; sed nisi reparatio interveniret, omnes homines fine suo essent fraudati, et ita *vane* omnes *filii hominum essent constituti* [3]; quod divinae sapientiae non congruit, quae nihil incongruum facit: ergo restat, quod valde congruum fuit, genus humanum reparari.

4. Ex quarta arguitur sic: non decet summam virtutem permittere, servos suos iniuste et violenter ab adversario detineri; sed nisi reparatio intervenisset, multi servi Dei et Sancti detinerentur in limbo: ergo congruum fuit et decens, per reparationis beneficium subveniri generi humano.

Ad oppositam. SED CONTRA hoc obiicitur sic: 1. Si indecens fuisset, genus humanum non reparari, et inconveniens; et « quodlibet minimum inconveniens, sicut dicit Anselmus in primo *Cur Deus homo* [4], Deo est impossibile »: ergo fuit impossibile, Deum genus humanum non reparare. Et ex hoc elicitur duplex inconveniens: unum, quod Deus non reparavit genus humanum propter *misericordiam*, sed potius propter vitandam indecentiam; aliud, quod non reparavit ex *liberalitate*, sed ex necessitate. Quod si verum est, non tenemur ei ad tantas gratiarum actiones; quod impium et crudelissimum est dicere [5].

2. Item, nobilior creatura est Angelus quam homo, et propter beatitudinem est facta, sicut homo; sed non decuit Deum relevare angelum a suo lapsu [6]: ergo nec decuit reparare genus humanum.

3. Item, sicut decet divinam sapientiam et bonitatem relevare cadentem, sic etiam decet sustentare stantem; sed non decuit Deum tenere genus humanum, ne laberetur [7]: ergo videtur, quod non decuit ipsum relevare post ipsum lapsum.

4. Item, non decet Deum [8] facere contra suam iustitiam; sed homo, cum peccavit, meruit a Deo in aeternum separari: si ergo per reparationem Deo habet coniungi, videtur, quod nunquam decuit, genus humanum reparari.

5. Item, sicut homo meruit per peccatum mortem carnis, ita etiam meruit mortem sempiternae damnationis; sed non decuit Deum sic reparare genus humanum, ut non moreretur morte carnis [9]: ergo non decuit sic reparare, ut non moreretur morte sempiternae damnationis.

6. Item, non decet Deum facere contra dispositionem suae sapientiae; sed Deus talem fecerat hominem, ut, si vellet stare, staret, et si vellet cadere, caderet: ergo sicut non decet Deum facere de stante, ut cadat, ita non decet ipsum facere de cadente, ut resurgat: ergo non decet eum reparare humanam naturam [10].

CONCLUSIO.

Genus humanum reparari, congruum et decens est tum ex parte Dei, tum ex parte hominis.

Conclusio. RESPONDEO: Dicendum, quod absque dubio congruum est et decens, reparari genus humanum; congruum, inquam, est et decens non solum ex parte *Dei*, sed etiam ex parte *hominis*. Ex parte *Dei*, quia decet Dei potentiam, sapientiam et misericordiam, sicut in opponendo monstratum est supra [11]. — Ex parte vero *hominis* congruentia est similiter, si consideretur *dignitas hominis* conditi et *modus labendi* et *status lapsi*. — *Dignitas* namque *hominis* tanta erat, ut propter ipsum facta sunt uni-

Congruentia ex parte Dei.

Ex parte hominis.

Prima.

[1] Codd. C L U aa *proposuit*, codd. B D G H I M N O T V *proposuerit*.

[2] Cod. R supplet *summam clementiam*.

[3] Psalm. 88, 48: Nunquid enim vane constituisti omnes filios hominum?

[4] Cap. 20. Cfr. ibid. c. 10, et de Fide Trin. c. 5. Pro *Deo*, quam lectionem fide codd. D F K M conservavimus, textus origin. *in Deo*, edd. *erga Deum*. — Subinde pro *ergo fuit impossibile* cod. B *ergo decuit*, et pro *reparare* multi codd. et edd. 1, 2 vitiose *reparari*.

[5] Hoc duplex inconveniens tangit Anselm., II. Cur Deus homo, c. 5. dicens: Sed si ita est, videtur quasi cogi Deus necessitate vitandi indecentiam, ut salutem procuret humanam. Quomodo ergo negari poterit, plus hoc propter se facere quam propter nos? At si ita est, quam gratiam illi debemus pro eo quod facit propter se? Quomodo etiam nostram imputabimus salutem eius gratiae, si nos salvat necessitate?

[6] Vide Anselm., II. Cur Deus homo, c. 21, et supra d. 2. a. 1. q. 2.

[7] Cfr. II. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. seq. — Pro *ne laberetur* edd. 1, 2 *ante lapsum*, quae verba Vat. verbis *ne laberetur* adiungit. Mox pro *post ipsum lapsum* codd. A K Z bb et edd. 1, 2 *post lapsum*.

[8] Pro *Deum* multi codd. *ipsum*.

[9] August., II. de Peccat. merit. et remiss. etc. c. 31. n. 50: Poterat autem etiam hoc donare credentibus, ut nec istius experirentur corporis mortem, sed si hoc fecisset, carni quaedam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo... Quid enim magnum erat, videndo, non mori eos qui crederent, credere, se non moriturum? Quanto est maius, quanto fortius, quanto laudabilius ita credere, ut se speret moriturus sine fine victurum? etc. Vide etiam Anselm., de Concord. praesc. Dei cum lib. arb. q. 3. c. 9. — Post pauca pro *sic reparare* non pauci codd. *sic reparari*.

[10] Cod. Y *genus humanum*.

[11] Hic in fundam. Cfr. etiam supra d. 1. a. 2. q. 1. — De rationibus *ex parte hominis* cfr. supra d. 2. a. 1. q. 2, et II. Sent. d. 21. a. 3. q. 2.

versa [1]. Si ergo homo careret suo fine, iam omnia
Secunda. essent suo fine defraudata. — *Modus* vero *labendi* fuit, quod humana natura totaliter cecidit, *alio peccante,* et *alio suggerente;* et ideo decens fuit, ipsam per *alium* relevari, ut, sicut filii peccaverunt in *parente,* et parens peccavit, *diabolo* suggerente, sic etiam homo repararetur, *Domino* relevante. —
Tertia. *Status* etiam hominis *lapsi* reparationi congruit, quia in illo statu simul fuit *poenitentia* cum *miseria;* et *poenitentia* quodam modo placabat divinam iustitiam, *miseria* vero provocabat misericordiam.

Et sic patet, quod per omnem modum congruum fuit, reparari genus humanum, congruum, inquam, ex parte *opificis,* et congruum ex parte
Corollarium. *operis.* Sed congruitas ex parte *operis* pura *congruentia* est, ita quod non ponit necessitatem. Congruitas vero ex parte *opificis* ponit *necessitatem,*
Duplex necessitas. *necessitatem,* inquam, non *inevitabilitatis,* quae dividitur in coactionem et prohibitionem, sed necessitatem *immutabilitatis,* quae consurgit ex stabilitate et immutabilitate divinae dispositionis. Haec autem non arctat divinam potentiam ad oppositum, sed eam determinat ad tale propositum. Unde Anselmus in secundo *Cur Deus homo* [2]: « Cum dicimus, Deum aliquid facere *necessitate,* intelligendum est, quod hoc facit necessitate *servandi honestatem,* quae necessitas non est aliud quam *immutabilitas honestatis* ».

Ex his quae dicta sunt, patet responsio ad pro-
Epilogus. positam quaestionem. Si enim quaeratur, utrum *congruum* sit, reparari genus humanum; concedendum est *simpliciter,* quod verum est. Si vero quaeratur, utrum sit *necessarium;* non est simpliciter respondendum, sed distinguendum. Est enim necessarium ex parte *Dei,* non ex parte *nostri*; et ex parte *Dei* [3] non quacumque necessitate, sed necessitate *immutabilitatis,* quae non opponitur libertati voluntatis, ac per hoc nec gratiae nec liberalitati.

1. Et per hoc patet responsio ad primum obie-
Solutio oppositorum. ctum; non enim sequitur, si Deus reparat necessitate suae *immutabilitatis,* quod propter hoc non reparet ex liberalitate suae benignitatis; haec enim simul possunt stare [4].

2. Ad illud quod obiicitur, quod creatura angelica nobilior est etc.; dicendum, quod quamvis An-
Notandum. gelus nobilior sit creatura [5], non tamen est adeo ad reparationem idoneus, sicut homo, propter *modum labendi* et *statum hominis lapsi.* Homo enim poenituit, angelus vero obstinatus fuit; homo *totaliter,* angelus *particulariter* cecidit; homo per *alium,* angelus per *se ipsum;* et haec sunt quae faciunt angelum ad reparationem minus idoneum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non decuit Deum tenere hominem, ne caderet; dicendum, quod si homo voluisset stare, nunquam Deus dereliquisset Nota. eum, ut caderet; sed quia stare noluit, non debuit ipsum conservare invitum; sed quia homo post lapsum voluit resurgere, ideo decuit Deum sibi manum porrigere, ita quod manus ista ad illos se extendit, qui voluntarie resurgunt [6], non ad eos qui nolunt resurgere.

4. Ad illud quod obiicitur, quod non decet Deum facere contra suam iustitiam; dicendum, quod verum est. Decet tamen aliquid ipsum facere praeter rigorem iustitiae, quia reparatio humani generis non repugnat divinae iustitiae. Concurrunt enim in illa simul *misericordia* et *veritas,* sicut videbitur infra [7]. Unde quod dicitur, quod homo meruit per peccatum in aeternum separari a Deo; hoc verum est, quantum est *de se;* possunt tamen alia merita intervenire, quae infringent illam obligationem, et in quibus servabitur ordo iustitiae divinae.

5. Ad illud quod obiicitur, quod per peccatum meruit homo ita puniri poena sempiternae damnationis, sicut poena mortis; dicendum, quod non est simile, quia de poena *mortis* statim fuit sententia Notandum. lata, de poena vero sempiternae *damnationis* adhuc differtur sententia. Et quia divina sententia est irrevocabilis, postquam *lata* est — licet mutari possit sententia *per prophetiam praedicata,* sicut patet in Iona [8] — antequam feratur, potest remedium inveniri; ideo reparari potuit genus humanum, ut non incurreret poenam *damnationis* sempiternae in aliqua eius parte, quamvis non fuerit liberatum, ut non incurreret poenam *mortis.* — *Et si tu quaeras,* quare sententia ista fuit lata, et illa dilata, cum homo meruisset utramque de se; dicendum, quod prima est *via* poenitentiae, secunda vero *aufert* locum poenitentiae; ideo non debebat secunda sententia inferri contra hominem, quamdiu erat in statu viae.

6. Ad illud quod obiicitur, quod non decebat Deum facere contra ordinem suae sapientiae; dicendum, quod genus humanum reparando contra sapientiam suam non fecit, quia ex sapientia sua fecerat ipsum reparabilem, praevidens eius lapsum. Nec valet illud quod obiicit: nec decuit facere de stante, ut caderet: ergo nec decuit de labente, ut resurgeret; quia, quamvis « nullo sapiente fiat homo deterior [9] », aliquo tamen sapiente potest fieri melior. Et licet non deceat Deum de bono facere malum, decet tamen de malo facere bonum.

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 15. a. 2. q. 1. — Voci *hominis* edd. adtexunt *conditi.*

[2] Cap. 5, ubi textus origin. post *necessitate,* cui voci praefigit *quasi,* addit *vitandi inhonestatem, quam utique non timet, potius.* Cfr. supra pag. 350, nota 7. et pag. 352, nota 2.

[3] Vat. subiicit *necessarium quidem.*

[4] Cfr. Anselm., II. Cur Deus homo, c. 5. — Pro *reparet* multi codd. *reparat.*

[5] Edd. addunt *quam homo.*

[6] Edd. *qui volunt resurgere.*

[7] Quaest. seq.

[8] Cap. 3, 4. seqq. — Pro *licet mutari* cod. O *licet aliquo modo mutari;* inferius pro *debebat* cod. A *decebat.*

[9] August., 83 Qq. q. 3. — De ult. propos. solutionis cfr. I. Sent. d. 46. q. 2. seqq. — Paulo superius ante *de labente* supple: *facere.*

SCHOLION.

I. In quaestionibus huius distinctionis solvendis Scholastici sequuntur praecipue S. Anselmi librum *Cur Deus homo*, cum quadam tamen restrictione, de qua vide infra q. 6. — Solutione huius 1. quaestionis illustratur doctrina supra d. 2. a. 1. q. 2. (de congruentia incarnationis) et II. Sent. d. 7. p. I. a. 1. q. 1. (de obstinatione daemonum) explicata; nec circa conclusionem dubium esse potest. A *congruentia* auctor in responsione transit ad *necessitatem* quandam incarnationis, quam secundum S. Anselmum et Alexandrum Hal. nominat necessitatem *immutabilitatis*. Sed istud vocabulum sumitur hoc loco non in sensu *absoluto*, ut alibi, sed *conditionato*, ut ipsa verba auctoris hic manifestant et magis infra q. 6. Bene dicit Alex. Hal. (S. p. III. q. 1. m. 3.): « Secundum Anselmum *proprie* dicitur necessitas, quae est *coactionis* et *prohibitionis*; necessitas autem immutabilitatis *proprie* non debet dici, sed *improprie* ». Eadem necessitas a S. Thoma (hic a. 1. quaestiunc. 3; cfr. S. III. q. 46. a. 2.) vocatur necessitas *ex suppositione*, quam distinguit a necessitate *coactionis* et *necessitate absoluta*, et addit, quod non sit necessitas « *ex suppositione finis*, quia non est dubium, quin Deus ad aliquem finem possit inducere multis aliis viis... sed ex suppositione alicuius, quod *est in ipso*, scilicet praescientiae, vel voluntatis, quae mutari non possunt; secundum quem modum dicitur, quod necessarium est, praedestinatum salvari. Et haec dicitur *necessitas immutabilitatis* a quibusdam. Et per hunc modum necessarium fuit ex parte Dei, humanam naturam repararì ». — De hac et aliis necessitatis speciebus cfr. S. Bonav., I. Sent. d. 6. q. 1. et scholion, d. 38. a. 2. q. 1. et scholion; II. Sent. d. 7. p. II. a. 1. q. 3, d. 25. p. II. q. 2. 3; III. Sent. d. 11. a. 1. q. 3. ad 4, d. 16. a. 1. q. 3. — Verba in solut. ad 3. non nimis premenda sunt, quasi sine gratia praeveniente Christi homo lapsus voluerit resurgere, at homo innocens noluerit stare. Sed ibi respicitur haec veritas, quod gratia Christi *de facto* non salvat *adultos*, nisi *volentes resurgere*, dum protoparentes de facto noluerunt stare.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 2. 3, et q. 18. m. 3. a. 1. — Scot., de hac et seqq. qq. in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic a. 1. quaestiunc. 1. 3; tangitur etiam S. III. q. 46. a. 1, praesertim ad 3, et q. 1. a. 3. — Petr. a Tar., hic a. 1. 2. — Richard. a Med., hic q. 1. 2. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 1. — Biel, hic q. unica.

II. In seq. (2.) quaestione Seraphicus egregie explicat rationes congruentiae pro conclusione, de qua inter Christianos non potest esse controversia.

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 4, et q. 18. m. 4. a. 1. — S. Thom., hic a. 1. quaestiunc. 2; cfr. S. III. q. 46. a. 1. 3. — B. Albert. tangit quaestionem hic a. 1. 3. — Petr. a Tar., hic a. 4. — Richard. a Med., hic q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum magis congruerit, genus humanum reparari per satisfactionem quam per aliam viam.

Secundo quaeritur, utrum magis congruat, genus humanum reparari per satisfactionem quam per aliam viam. Et quod sic, ostenditur per quatuor suppositiones[1]; quarum prima est haec: illa via magis conveniens fuit ad reparationem humani generis, in qua magis servatur ordo divinae iustitiae. — Secunda est haec: illa via magis congruit reparationi humani generis, in qua magis servatur ordo divinae sapientiae. — Tertia est haec: illa via magis convenit reparationi humani generis, in qua magis servatur praesidentia divinae potestatis. — Quarta est haec: illa via magis convenit reparationi humani generis, in qua magis servatur honorificentia divinae maiestatis.

Suppositiones 4.

1. His praesuppositis, arguitur sic: magis servatur ordo divinae iustitiae, cum malum punitur, quam cum relinquitur impunitum; sed cum peccator reparatur per satisfactionem, malum punitur; cum sine satisfactione, relinquitur impunitum: ergo magis servatur ordo divinae iustitiae in reparatione per satisfactionem quam sine satisfactione: ergo per primam suppositionem via ista magis convenit reparando generi humano[2].

Fundamenta.

2. Item, secundo arguitur sic: ordinatio peccantium in suppliciis, sive peccati in poena, manifestat decorem divinae sapientiae, quae non patitur, universum ex aliqua sui parte turpari; sed cum peccator relevatur per satisfactionem, ad culpam sequitur poena; cum vero sine satisfactione, culpa non ordinatur per poenam: ergo reparatio generis humani *per* satisfactionem plus convenit divinae sapientiae quam *sine*: ergo per secundam suppositionem via ista reparandi magis est congrua et idonea in se[3].

3. Item, tertio arguitur sic: si malum non puniretur et relinqueretur sine aliqua satisfactione, iniustitia nulli legi subiaceret; et si hoc, divina po-

---

[1] Quae elici possunt ex August., III. de Lib. Arb. c. 9. n. 24. seqq.; de Vera Relig. c. 40. n. 74. seqq.; de Natura boni, c. 7. seqq.; XIII. de Trin. c. 10. n. 13. seqq.; et ex Anselm., I. Cur Deus homo, c. 12. seqq.

[2] Anselm. loc. in praeced. nota cit. dicit: Dimittere peccatum non est aliud quam non punire; et quoniam recte ordinare peccatum sine satisfactione non est nisi punire, si non punitur, inordinatum dimittitur... Deum vero non decet aliquid in suo regno inordinatum dimittere. Cfr. tom. II. pag. 458, nota 6. et pag. 967, nota 3. — In *minori* pro *peccator reparatur* cod. U *peccatum reparatur*, cod. F *peccator vel peccatum reparatur*, edd. *peccata reparantur*.

[3] Anselm. loc. cit. c. 15. ait: Ipsa namque perversitatis spontanea satisfactio, vel a non satisfaciente poenae exactio; excepto hoc, quod Deus de malis multimodis bona facit; in eadem universitate locum tenent suum et ordinis pulcritudinem. Quas si divina sapientia, ubi perversitas rectum ordinem perturbare nititur, non adderet, fieret in ipsa universitate, quam Deus debet ordinare, quaedam ex violata ordinis pulcritudine deformitas, et Deus in sua dispositione videretur deficere. Quae duo quoniam, sicut sunt inconvenientia, ita sunt impossibilia; necesse est, ut omne peccatum satisfactio, aut poena sequatur. Cfr. tom. II. pag. 760, nota 1.

testas non omnibus praesideret; sed cum pro peccato satisfactio exigitur, peccator subditur poenae auctoritate divinae iustitiae: ergo in modo reparandi genus humanum per satisfactionem magis praelucet praesidentia divinae potestatis quam per aliam viam: igitur per tertiam suppositionem via ista magis est congrua[1].

4. Item, quarto arguitur sic: peccator, cum peccat, *per praevaricationem Deum inhonorat*[2]: si ergo peccatum dimittitur sine satisfactione, peccatum relinquitur absque honoris ablati recompensatione; cum autem satisfactio redditur, honor recompensatur: ergo in modo reparandi hominem per satisfactionem magis servatur honorificentia divinae maiestatis quam per alium modum: igitur per quartam suppositionem hac via reparationis magis congruit genus humanum reparari.

Ex his eisdem rationibus non solum potest con- Nota. cludi, quod haec via sit magis congrua, sed etiam, quod alia non potest esse congrua; verumtamen non sunt ita efficaces ad probandum secundum, sicut ad probandum primum, quia praeter has[3] congruentias possunt et aliae reperiri, licet istae sint magis excellentes.

Sed contra: 1. Magis decet Deum facere quod Ad oppositum. magis facit ad ostensionem suae benignitatis et misericordiae; sed dimittere peccata omnia absque aliqua satisfactione poenae, hoc est maioris misericordiae quam exigere ab illis poenam: si ergo Deus est misericordissimus et benignissimus, adeo ut benignior cogitari non possit; videtur ergo, quod modus ille reparandi, qui est praeter satisfactionem, magis conveniat divinae excellentiae[4].

2. Item, modus ille magis convenit reparationi humani generis, qui magis est ostensivus divinae sufficientiae; sed si sic Deus genus humanum repararet, quod nullam requireret satisfactionem, magis appareret divina sufficientia — ostenderetur enim tunc, quod emendarum nostrarum et bonorum nostrorum non indiget[5] — ergo modus reparandi absque omni satisfactione magis esset conveniens humano generi.

3. Item, ille modus magis convenit reparationi humanae, qui magis est ostensivus divinae potentiae, pro eo quod reparatio est quaedam recreatio[6]; sed si Deus absque omni satisfactione solo verbo reparasset genus humanum, sicut fabricavit mundum, maior esset ibi divinae virtutis ostensio: ergo magis convenit iste modus humano generi reparando.

4. Item, modus ille magis convenit reparationi generis humani, in quo homo magis astringitur ad amandum et laudandum Deum; sed si Deus culpam homini reliquisset absque omni satisfactione et poena, esset magis amandus et laudandus ab homine, homo enim plura a Deo percepisset: ergo talis modus reparationi humanae magis congrueret.

5. Item, modus ille magis congruit reparationi generis humani, in quo magis eruditur homo ad executionem divini mandati et imitationem Dei; sed homo debet remittere et condonare alii culpam et poenam[7]: ergo si Deus homini debuit dare exemplum perfectionis, videtur, quod magis Deum decuerit reparare genus humanum totum relaxando quam satisfactionem aliquam exigendo.

6. Item, ille modus reparandi magis decet Deum, qui est a Deo immediate, quam qui est a Deo mediante adiutorio creaturae — quoniam sicut decuit Deum magis per se ipsum creare, sic magis videtur esse decens per se ipsum recreare[8] — sed reparatio per satisfactionem est mediante creatura satisfaciente: ergo videtur, quod magis decuerit Deum reparare genus humanum absque omni satisfactione per se ipsum, quam mediante satisfactione per creaturae adiutorium.

CONCLUSIO.

Magis fuit congruum et ex parte Dei et ex parte nostra, genus humanum reparari per satisfactionem.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio ma- Conclusio. gis congruum fuit, genus humanum reparari per satisfactionem quam per aliam viam, secundum quod dicit Anselmus, et Augustinus[9]. Et ratio huius est ex Duplex ratio. parte *Dei* et ex parte *nostra*. Ex parte, inquam, *Dei*, quia *universae viae Domini misericordia et* Prima. *veritas*[10], cum ipse sit summe iustus et misericors.

---

[1] Anselm., loc. cit. c. 12. dicit, quod, si peccatum dimitteretur impunitum, etiam haec tria inconvenientia sequerentur, scil. quod « similiter erit apud Deum peccanti et non peccanti, quod Deo non convenit »; peccatum nulli legi subiaceret, « liberior igitur est iniustitia, si sola misericordia dimittitur quam iustitia, quod valde inconveniens videtur »; et iniustitia esset similis Deo, « quia sicut Deus nullius legi subiacet, ita et iniustitia ». — Pro *praelucet* codd. A K P Q bb *relucet*.

[2] Respicitur illud Rom. 2, 23: Qui in Lege gloriaris per praevaricationem Legis Deum inhonoras. — Anselm., loc. cit. c. 13: Necesse est ergo, ut aut ablatus honor solvatur, aut poena sequatur; alioquin aut sibi ipsi Deus iustus non erit, aut ad utrumque impotens erit, quod nefas est vel cogitare.

[3] Vat., omisso *quia*, hic addit *etiam*.

[4] Anselm., loc. cit. c. 12, graviores ex obiectionibus hic propositis breviter complectitur his verbis: Cum Deus sic sit liber, ut nulli legi, nullius subiaceat iudicio; et sit ita benignus, ut nihil benignius cogitari queat; et nihil sit rectum aut decens, nisi quod ipse vult: mirum videtur, si dicimus, quia nullatenus vult aut non ei licet iniuriam suam dimittere, a quo etiam de his quas aliis facimus, solemus indulgentiam petere. — In *minori* pro *ab illis* edd. *pro illis*. Deinde pro *praeter satisfactionem* codd. P Q *praeter omnem satisfactionem*.

[5] Respicitur illud Psalm. 15, 2: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. — Edd. *indigeret*.

[6] Cfr. supra pag. 30, nota 5.

[7] Vide Matth. 6, 12. seqq. — Subinde in codd. desideratur *Deum*. In fine arg. pro *exigendo* cod. F *exhibendo*.

[8] Cfr. supra pag. 28, nota 2. — Cod. D *reparare* pro *recreare*.

[9] Anselm., l. Cur Deus homo, c. 12. seqq.; August., XIII. de Trin. c. 10. n. 13. seqq. Cfr. etiam Bernard., Tract. de erroribus Abaelardi, c. 6. n. 15. seq.

[10] Psalm. 24, 10.

Et ideo in reparatione generis humani, quae est excellentissima viarum Dei, congruum est, ut simul currat *misericordia* cum *iustitia*. Et ideo decens fuit, ut Deus ab homine satisfactionem exigeret pro iniuria sibi facta, et si homo non posset, tunc misericordia divina subveniret dando sibi mediatorem, qui pro eo satisfaceret. Et iste modus magis fuit congruus quam alius. Nam si Deus culpam non dimisisset, sed vindictam exegisset; non manifestaretur eius *misericordia;* si vero omnino dimisisset nec satisfactionem exegisset, non manifestaretur *iustitia*. Si ergo istae duae conditiones sunt in Dei opere servandae praecipue [1], magis congruebat, humanam naturam reparari per satisfactionem quam per aliam viam, ex parte *Dei* reparantis.

Secunda. Magis etiam congruebat ex parte *nostri*, pro eo quod reparatio nostra ad hoc erat, ut nos reduceret a culpa ad *iustitiam*, a miseria ad *gloriam*. Sicut ergo, cum genus humanum cecidit per culpam, Deum inhonoravit per praevaricationem et inordinatam delectationem; sic, cum redit a culpa ad *iustitiam*, decens est, ut Deum honoret sustinendo poenam, et in hoc magis reparatur ad normam *iustitiae*. *Rursus*, sicut gloriosius est acquirere vitam aeternam per merita quam sine meritis [2], sic gloriosius est reconciliari Deo per satisfactionem quam sine. — Modus igitur reparandi per satisfactionem plus convenit nostrae *iustificationi* et nostrae *glorificationi*. Si igitur haec duo principaliter considerantur in reparatione generis humani, planum est, quod hic modus reparandi magis conveniens est tam ex parte *Dei reparantis*, quam ex parte humani *generis reparati*. — Unde rationes, quae hoc ostendunt, concedendae sunt.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod obiicitur de manifestatione benignitatis et misericordiae, dicendum, quod summa *benignitas* et misericordia in Deo non excludunt *iustitiam*, et ideo non sic debuit manifestari [3] in opere reparationis, quod iustitia non haberet locum; sed ita debuit manifestari divina *misericordia*, quod simul cum hoc ostenderetur divina *iustitia*. Et hoc idem factum est, cum Deus reparavit genus humanum per mortem Filii sui, ubi fuit maxima *aequitas* in exigendo tantae satisfactionis pretium, et maxima *benignitas* in tradendo unigenitum Filium suum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod magis manifestaretur [4] divina sufficientia, si non exigeret satisfactionem; dicendum, quod sicut Deus exigit a nobis mandatorum suorum observantiam non propter suam indigentiam, sed propter ordinationem nostram, qua debemus ei tanquam Domino obedire; sic et peccatorum exigit emendam, non propter hoc, quod indigeat, sed ut nos reducat ad ordinationem debitam. Et ideo obiectio illa procedebat ex *suppositione falsi*, cum dicebatur, magis sine satisfactione divinam sufficientiam manifestari.

3. Ad illud quod obiicitur, quod modus alius magis manifestaret divinam potentiam; dicendum, quod etsi in omni opere Dei ostendatur divina *potentia*, in opere tamen reparationis magis manifestatur *benignitas* et misericordia, et per consequens ipsa *iustitia* eis annexa. Et ideo, cum posset uno verbo genus humanum reparare, maluit tamen reparare cum difficultate et poenalitate, quia magis opportunum erat, ibi ostendi *misericordiam* quam *potentiam*. *Potentia* enim satis claruerat in rerum eductione; sed adhuc latebat *misericordia*, quam ostendebat Deus in hominis reparatione [5].

Notandum. 4. Ad illud quod obiicitur, quod reparatio, praetermissa satisfactione, magis astringeret nos ad laudandum et amandum Deum; dicendum, quod hoc falsum est; plus enim nos astringit ad amorem et laudem Dei hoc, quod dedit Unigenitum suum pro nobis, quam si absque hoc condonasset nobis et poenam et culpam. Multo enim maius fuit, quod Deus pro nobis mortem subiret, quam peccata nostra condonaret; multo etiam maius fuit dando nobis Filium peccata condonare, quam si simpliciter peccata condonasset. *Qui enim proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia nobis cum illo donavit?* sicut dicitur ad Romanos octavo [6]. Et sic patet illud, quod procedebat ex *suppositione falsi*.

5. Ad illud quod obiicitur, quod si satisfactionem non exegisset, magis praebuisset formam imitandi se; dicendum, quod etsi debeamus Deum imitari in aliquibus, non tamen nostrum est imitari in omnibus. Ad Deum enim spectat quaerere gloriam et vindictam, secundum quod dicitur ad Romanos duodecimo [7]: *Mihi vindicta, et ego retribuam;* ad nos autem non pertinet, quia nostrum non est *iudica-*

---

[1] Cfr. Anselm., Proslog. c. 11, et IV. Sent. d. 46. a. 2. — Paulo ante edd. voci *iustitia* praefigunt *eius*. Paulo inferius pro *ex parte nostri* cod. V *ex parte nostra*.

[2] Vide supra pag. 387, nota 4. — Vat. hic supplet *eam acquirere*.

[3] Cod. O hic repetit *misericordia*. — De principio, cui S. Anselm. innititur solvens obiectionem, vide supra pag. 267, nota 5.

[4] Non pauci codd. *manifestatur*. Aliquanto inferius pro *sic et peccatorum* cod. Z *sic et a peccatore*.

[5] Cfr. Bernard., Serm. 1. in Nativ. Domini, n. 2, ubi inter alia egregie dicta: Apparuerat ante potentia in rerum creatione; apparebat sapientia in earum gubernatione; sed benignitas misericordiae nunc maximi apparuit in humanitate; Serm. in fer. IV. hebdom. sanctae, n. 13; Serm. 29. de Diversis, n. 3; Serm. 11. in Cantic. n. 7.

[6] Vers. 32. — Paulo superius pro *quam peccata* codd. A Z bb *quam quod peccata*.

[7] Vers. 19. — Anselm., I. Cur Deus homo, c. 12: Deus hoc [dimittere peccantibus in nos] praecipit nobis, ut non praesumamus quod solius Dei est. Ad nullum enim pertinet vindictam facere, nisi ad illum qui Dominus est omnium; nam cum terrenae potestates hoc recte faciunt, ipse facit Deus, a quo ad hoc ipsum sunt ordinatae. — Paulo superius pro *non tamen nostrum est* codd. M O *non tamen necesse* [edd. 1, 2 *necessarium*] *est*.

re, sed *iudicari;* et ideo in hoc non debuit dare formam imitandi se. — Aliter posset dici, quod Deus exigendo satisfactionem magis praebuit nobis formam, quam si non exegisset. Praebuit enim exemplum et *subditis* et *praelatis : subditis* in hoc, quod remisit et pepercit; *praelatis* vero in hoc, quod emendam requisivit, ut decor iustitiae servaretur, quod spectat ad eos qui iudicant terram, secundum illud Sapientiae primo [1]: *Diligite iustitiam qui iudicatis terram.*

Alia solutio.

Notandum.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod decentius fuisset reparare genus humanum sine adiutorio humano, et ita sine satisfactione [2]; dicendum, quod hoc falsum est. Summae enim bonitatis est communicare creaturae operationes nobiles, secundum quod ipsa nata est suscipere; et creatura aliquid potest facere in reparatione, quamvis solius Dei sit operari in primaria rerum productione, ubi non est operatio in aliquam materiam praeiacentem [3].

Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum aliqua creatura pura potuerit satisfacerè pro toto genere humano.

Tertio quaeritur, utrum aliqua creatura pura potuerit satisfacere pro toto genere humano. Et quod sic, videtur.

1. Una creatura pura potuit totum genus humanum inficere per culpam suam [4]: ergo si gratia est principium satisfaciendi, sicut culpa principium inficiendi; videtur, quod aliqua pura creatura per suam gratiam potuerit satisfacere pro toto genere humano.

Ad oppositum.

2. Item, non plus exigitur in iusta poena, quam commissum fuit in culpa: si ergo genus humanum lapsum fuit per transgressionem purae creaturae, videtur, quod pura creatura potuerit satisfacere pro genere humano.

3. Item, diabolus iuste perdidit genus humanum, quia extendit manum suam in innocentem [5]: ergo si potuit esse aliqua pura creatura omnino innocens, quae se pro salute generis humani exponeret, et diabolus manum in eam extenderet; videtur, quod aliqua pura creatura redimere potuisset genus humanum de diabolica potestate, et ita satisfacere pro eodem.

4. Item, plus pensat Deus vitam et animam unius iusti quam vitam et animam innumerabilium peccatorum [6]: si ergo aliqua pura creatura innocens et sancta se Deo et Patri obtulisset pro peccatoribus hostiam, facta esset recompensatio iusta, ergo et satisfactio debita.

5. Item, esto quod Christus fuisset pura creatura et mortuus fuisset in cruce, sicut mortuus fuit; quaero tunc: aut fuisset *detentus* in limbo, aut *non*. Constat, quod in limbo *detentus non* fuisset, quia non habuit reatum peccati originalis: ergo apertum fuisset ei caelum: meruisset ergo Christus apertionem ianuae. Si ergo ianua non habuit aperiri nisi per sufficientem satisfactionem, videtur, quod pura creatura satisfacere potuisset pro toto genere humano.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Si pura creatura esset, aut esset *homo*, aut *non-homo*. Si esset purus *homo*, ergo esset peccator et debitor: ergo non potuisset esse mediator et reconciliator, cum ipse indigeret reconciliatione. Si esset *non-homo;* sed pro homine non debet satisfacere nisi homo, quia ad eum pertinet satisfactio, in quo fuit transgressio: ergo si nec purus homo nec non-homo potuit satisfacere pro toto genere humano, videtur, quod nulla pura creatura potuerit [7].

2. Item, satisfactio debet proportionari offensae et iniuriae; sed tanta est offensa et iniuria, quantus est ille cui infertur: cum igitur Deus sit infinitus, offensa et iniuria Dei est infinita. Sed nulla creatura nec eius operatio est infinita: ergo nulla pura creatura potest satisfacere pro offensa et iniuria Deo illata. Sed talis fuit iniuria Adae et posteritatis suae, quia Deum contempsit [8]: ergo etc.

3. Item, nullus satisfacit, nisi restituat tantum et amplius, quantum abstulit; sed nulla pura creatura valet totum genus humanum, quod per peccatum Adae fuit Deo subtractum, restituere: ergo nulla pura creatura potest satisfacere pro ipso [9].

4. Item, nullus potest satisfacere pro omni homine, nisi posset influere in omnem hominem iustitiam, sicut primus parens transmisit culpam; sed nulla pura creatura potest aliis influere iustitiam vel dare gratiam, sicut ostensum fuit in primo libro [10]: ergo nulla pura creatura potest satisfacere pro toto genere humano.

5. Item, non minus obligamur Deo pro bene-

---

[1] Vers. 1.

[2] Edd. *satisfactore*. — Cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 2. q. 2. ad 1.

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Cfr. II. Sent. d. 30. a. 1. q. 2.

[5] Vide supra d. 19. dub. 3.

[6] Cfr. Gen. 18, 24. seqq.

[7] Fulgent., II. ad Trasim. c. 2. probat, hominem nec per solum hominem, nec etiam per Angelum potuisse reparari.

[8] Vide Anselm., I. Cur Deus homo, c. 21. et II. c. 6.

[9] Hoc arg. insinuatur ab Anselm., I. Cur Deus homo, c. 23. et II. c. 14. Vide supra pag. 265, nota 1. — In *maiori* pro *quantum* non pauci codd. *quam*.

[10] Dist. 14. a. 2. q. 2. Cfr. Fulgent., II. ad Trasim. c. 3: Inquirendus ergo fuit unus, cuius esset reformanda *munere*, informanda *lumine*, confirmanda *virtute*, ut aequalitas aeterna iustificaret impiam, instrueret insciam veritas, virtus firmaret invalidam etc. — Mox verbo *satisfacere* cod. K adiicit *Deo*.

ficio recreationis quam pro beneficio creationis: si ergo pura creatura genus humanum redemisset, tantum essemus sibi obligati, quantum nostro Creatori: ergo tantum teneremur diligere creaturam quantum Creatorem. Si ergo impossibile est, nos ad hoc obligari [1]; impossibile fuit, puram creaturam satisfacere pro toto genere humano.

CONCLUSIO.

Nulla pura creatura potuit satisfacere pro toto genere humano, nec respectu iniuriae nec respectu damni; nec decuisset, alterius generis creaturam ad hoc a Deo assumi.

Satisfactio fit pro duobus.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

Corollarium.

Respondeo: Dicendum, quod de duobus consuevit fieri satisfactio et requiri, videlicet de *iniuria* et de *damno*. Si igitur Deus requirit satisfactionem ab humano genere; aut requirit pro *utroque*, aut pro *altero* horum. Si pro *utroque*, planum est, quod impossibile est, aliquam puram creaturam Deo satisfacere pro humano genere, pro eo quod tam gravis est *iniuria*, quae infertur Deo ob excellentissimam eius dignitatem, quod nulla pura creatura potest recompensare aliquid illi aequale. Si vero exigat satisfactionem de solo *damno*, condonando iniuriam; nec sic potest pro toto genere humano satisfacere aliqua pura creatura. Aut enim illa creatura esset *homo*, aut *non* esset *homo*. Si esset *homo*, cum unus purus homo non possit aequivalere toti generi humano, talis homo, offerendo se ipsum Deo, nunquam recompensaret *damnum*, quod Adam intulit, corrumpendo totum genus humanum. Si esset *non-homo;* nec sic adhuc posset damnum recompensare, si pura creatura esset; aut si posset, non tamen satisfaceret, quia ad illud genus spectat satisfactio, ad quod spectavit transgressio [2]. Aut si hoc posset, non tamen deceret, quia naturam humanam in statum pristinum non revocaret; esset enim ex hoc subiecta alii generi creaturae.

Et ex hoc habetur, quod non solum pura creatura non posset Deo satisfacere, si esset *alterius* generis, sed etiam, nec si esset a Deo *assumta*, conveniret, ut pro humano genere satisfaceret. — Et ideo, cum pura creatura non posset pro toto genere humano satisfacere, nec alterius generis creaturam deceret ad hoc assumi; oportuit, ut persona satisfacientis esset Deus et homo [3]. — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod nulla pura creatura posset satisfacere pro toto genere humano.

Solutio oppositorum.

Notandum.

Notandum.

Notandum.

Notandum.

1. Ad illud quod primo obiicitur in contrarium, quod pura creatura potuit totum genus humanum inficere; dicendum, quod non est simile: quia aliqua pura creatura potuit esse principium totius generis humani secundum *propagationem carnalem*, per quam genus humanum corrumpitur et inficitur; sed nulla pura creatura potuit esse principium totius generis humani secundum *regenerationem spiritualem* [4].

2. Ad illud quod obiicitur, quod non plus exigitur in iusta poena, quam commissum est in culpa; dicendum, quod culpa non solum aggravatur ex parte *conditionis peccantis* [5], sed etiam ex parte eius, *in quem* peccatur; et licet peccans fuerit pura creatura, ille tamen, in quem peccavit, fuit Creator. Ideo, cum exigitur, quod satisfaciens non sit pura creatura, hoc non est supra id quod commissum est in culpa; oportet enim, quod persona satisfaciens pro peccati gravitate satisfaciat secundum *omnes* conditiones, secundum quas habet aggravari.

3. Ad illud quod obiicitur, quod diabolus iuste amisit genus humanum, quia extendit manum in eum, in quem non habebat ius; dicendum, quod in hoc non exprimitur sufficiens ratio satisfactionis, sed modus vincendi diabolum. Et bene verum est, quod aliqua pura creatura innocens potuisset diabolum vincere; sed tamen ex hoc non sequitur, quod posset [6] Deo satisfacere. Longe enim plus est recompensare Deo illatam iniuriam quam vincere diabolicam fraudem.

4. Ad illud quod obiicitur, quod plus pensat Deus animam iusti [7] quam animas innumerabilium peccatorum; dicendum, quod Deus in satisfactione non quaerit recompensationem de genere humano, secundum quod est in statu peccati, sed secundum quod fuisset, si non peccasset; et hoc modo nullius puri hominis vitam Deus tantum appretiatur, sicut totam generationem humanam.

5. Ad illud quod quaeritur, si Christus fuisset pura creatura, utrum moriens introisset in caelum; dicendum, quod sic; ex hoc tamen non sequitur, quod [8] meruisset ianuae apertionem, quia caelum nunquam fuerat sibi clausum, hoc posito, quod non habuisset peccati originalis reatum. Alii vero, qui reatum peccati originalis habebant, propter hoc non fuissent in caelum introducti; et ita adhuc remansisset ianua clausa, pro eo quod non fuisset sufficiens satisfactio persoluta.

---

[1] Cfr. August., de Quant. animae, c. 34. n. 78, ex quo loco unam sententiam allatam invenis tom. II. pag. 28, nota 6. — Paulo ante pro *sibi obligati* edd. *ei obligati.*

[2] Cfr. supra d. 12. a. 1. q. 1, ubi videsis et de seq. ratione, quae ex Anselmo delibata est. — Paulo ante pro *aut si posset* codd. B D G H L T U V X aa *ac* [codd. I P Q et edd. 1, 2 *at*, cod. C *et*] *si posset;* deinde pro *spectavit* cod. U *spectat.*

[3] Pulcre Basil., in Ps. 48. n. 3, ad verba illa: *Frater non redimit, redimit homo*, observat: Neque igitur fratrem in redemptionem quaere, sed aliquem, qui tuam excedat naturam; neque hominem nudum, sed hominem-Deum, Iesum Christum, qui solus pro nobis omnibus dare potest placationem etc.

[4] Cfr. II. Sent. d. 33. a. 1. q. 2. — In initio solut. pro *pura creatura* cod. A *aliqua pura creatura.* Deinde pro *quia aliqua* cod. K *quia licet aliqua*, et paulo inferius pro *sed* idem cod. K *tamen.*

[5] Cfr. tom. II. pag. 750, nota 5.

[6] Edd. *potuisset.*

[7] Cod. A accuratius *unius iusti.*

[8] Edd. subiungunt *sic*, et mox pro *posito* substituunt *supposito.* Paulo ante edd. verbis *pura creatura* praefigunt *sola.*

SCHOLION.

I. In hac et seq. (4.) quaestione S. Bonav. cum Alexandro Hal. et Richardo sequitur modum dicendi S. Anselmi, cuius argumenta Scot. (hic q. unica n. 3. seqq.) restringere vel evertere nititur; qui insuper contendit, quod *purus* homo i. e. non unitus hypostatice Deo, at plenitudine gratiae repletus, satisfacere potuerit pro genere humano, et quidem de condigno. Tamen Scot. explicite loquitur non de *potentia ordinaria*, quae respicit leges et decreta in praesenti providentia stabilita, sed de *potentia absoluta*, qua Deus secundum ipsum potest facere quidquid in se non implicat contradictionem. Concorditer igitur doctores tenent, quod secundum *praesentem* divinam dispositionem incarnatio fuit necessaria, supposito quod Deus voluerit habere satisfactionem *perfectam* (de condigno), sive quae est ad aequalitatem iustitiae. De potentia *absoluta* loquendo, vulgo distinguitur inter satisfactionem *imperfectam*, quae, licet non sit condigna, *acceptatur* tamen ab eo cui illa debetur (cfr. hic q. 4.), et satisfactionem *perfectam* sive condignam. Respectu satisfactionis *imperfectae* facile conceditur, creaturam, Deo adiuvante, eam praestare, Deumque, si vellet, eam acceptare posse ut *sibi sufficientem*. Quod eadem autem posset acceptari etiam ut *perfecta* et *condigna*, docent Scot., Durand. et Nominales, refragantibus schola S. Thomae aliisque multis.

S. Bonav. in hac quaestione solvenda non loquitur de potentia Dei *absoluta*, sed arguit ex principiis, quae in *praesenti providentia* rata sunt. Hoc iam observavit Brulifer (ad hanc quaest.), unde concludit, S. Bonaventuram non contradicere Scoto. Haec interpretatio confirmatur infra quaestione 6, ubi in fine auctor dicit, se quoad redemptionem alio modo possibilem nihil velle determinare, scilicet « quia temerarium est, cum de divina potentia agitur, terminum praefigere ». — Nihilominus auctor hic plura dicit, quae a Scoto non probantur (cfr. etiam IV. Sent. d. 15. p. I. q. 1. seqq.).

II. In 2. fundam. arguitur ex quadam *infinita* gravitate et malitia peccati, de qua *infinitate* scholae non eodem loquendi modo utuntur. Plurimi enim discipuli S. Thomae defendunt, peccatum in ratione moralis offensae esse *simpliciter* et *intrinsecus* infinitum, dum Scotus cum suis multisque aliis non admittit nisi infinitatem *obiectivam* et *extrinsecam*. Sed in ipsa schola S. Thomae non desunt, qui S. Thomam pro secunda sententia stare asserant, ut P. Nicolai O. Pr., qui in sua editione Commentarii S. Thomae in Sententias (hic a. 2, nota marginal.) annotat: « Ubi ergo praetexta *simplex* et *intrinseca* infinitas, quam praeter perpetuam et uniformem S. Thomae doctrinam gratis aliqui fingunt et affingere illi non dubitant, pro *extrinseca* tantum et *respectiva*, ex obiecto sumta et vocabulo diminuto [scil. *quandam*] significata, quam agnoscit »? In hoc altero sensu etiam S. Bonav. debet intelligi, cum ipse duplex distinguat infinitum, scilicet *absolute in se* et in *comparatione ad aliud* (I. Sent. d. 43. q. 1, III. Sent. d. 13. a. 1. q. 2.), et pluries, ut in scholio ad II. Sent. d. 35. a. 1. q. 3. iam notatum est, peccato infinitatem tribuat in *comparatione*, scilicet ad bonum divinum *in se* infinitum. — Aliud principium, quod Scot. pro sua opinione hic urget, respicit ipsum *valorem* meriti Christi, quatenus dependeat ab *acceptatione* divina, de quo cfr. infra q. 5, scholion.

III. De hac 3. quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 1. m. 6. a. 1. 2. — Scot., loc. cit. et Report. q. unica. — S. Thom., de hac et seq. q. hic a. 2. et d. 1. q. 1. a. 2. ad 9; S. III. q. 1. a. 2. ad 2. — B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 6. 7. — Petr. a Tar., hic a. 3. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., III. Sent. d. 1. q. 1.

IV. Etiam quoad seq. (4.) quaestionem Scot. cum suis et Nominalibus a S. Bonav. et ceteris antiquis doctoribus discedit, ita tamen, ut loquatur non de potentia Dei ordinaria, sed *absoluta*. Quidam autem Nominales, ulterius progressi, dicunt, satisfactionem purae creaturae et viribus pure *naturalibus* factam ex acceptatione Dei extrinseca, si Deus velit, posse esse sufficientem. Scotus autem (IV. Sent. d. 15. q. 1. n. 7.) explicite requirit ad talem satisfactionem auxilium et statum gratiae.

De hac 4. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 5. a. 1. 2. Scot., loc. cit. — Richard., hic q. 5.

QUAESTIO IV.

Utrum aliquis, adiutus gratia, potuisset satisfacere pro se ipso.

Quarto quaeritur, utrum aliquis, adiutus gratia, potuisset satisfacere pro se ipso. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia tres sunt partes poenitentiae: contritio, confessio et satisfactio[1]; sed homo, adiutus gratia, potest de peccato suo conteri et ipsum confiteri: ergo potest satisfacere pro se ipso. *Si tu dicas*, quod potest de *actuali*, sed non de *originali*; *contra*: maius est *actuale* quam *originale*, quia maior est ibi improbitas voluntatis, et gravius etiam quis punitur pro *actuali* quam pro *originali*[2]: si ergo per adiutorium gratiae potest satisfacere pro suo *actuali*, multo fortius videtur, quod pro suo *originali*.

2. Item, « satisfacere, secundum quod dicit Anselmus[3], est honorem debitum Deo impendere »; sed quilibet homo, adiutus gratia, potest honorem debitum Deo impendere: ergo quilibet potest Deo pro peccato suo satisfacere. *Si tu dicas*, quod non potest impendere honorem, quem debet pro iniuria prius facta; *contra*: nulla iusta potestas exigit ab homine plus, quam potest — « anathema enim sit, qui dicit, Deum praecepisse impossibile[4] » — ergo nullum honorem debet Deo reddere, quem non possit.

3. Item, homo existens in gratia potest mereri summum bonum, quod Deus est[5]: ergo si multo maius est mereri summum bonum quam reconciliari sibi et confoederari, videtur, quod multo magis pro quolibet peccato suo possit satisfacere, non solum *actuali*, sed etiam *originali*.

---

[1] Cfr. IV. Sent. d. 16. et 17.

[2] Vide II. Sent. d. 33. a. 3. q. 1. seq.

[3] Libr. I. Cur Deus homo, c. 11. et 20.

[4] Hoc dictum invenitur in opusculo Hieronymo ascripto, quod inscribitur Symboli explanatio ad Damasum; cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXXVI. c. 6. — Pro *anathema enim sit* codd. A K *anathema enim est*. Mox post *debet* edd. supplent *homo*.

[5] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3.

4. Item, existens in gratia aut non erat [1] dignus aliqua poena, aut temporali sola: si ergo debitor poenae temporalis potest illam poenam solvere, videtur, quod homo pro quolibet peccato, quod habet, possit satisfacere: ergo pro originali.

5. Item, gratia adveniens in animam aeque bene delet culpam *originalem*, sicut *actualem*; sed sicut se habet gratia secundum essentiam ad culpae deletionem, ita se habet secundum opera ad satisfactionem; sed gratia, adveniens in animam, liberat eam ab omni culpa, tam *originali* quam *actuali*: ergo movens animam [2] potest satisfacere pro omni culpa prius deleta: ergo quilibet homo potest satisfacere pro se ipso.

Sed contra: 1. Si quilibet homo posset satisfa- Fundamenta. cere pro se ipso, *ergo Christus gratis mortuus esset* [3]: si ergo hoc est inconveniens et absurdum, restat, quod et illud, ex quo sequitur.

2. Item, sicut iniuria peccati totius generis humani est infinita ratione eius, contra quem est, sic et illa quae est in quolibet peccato singulari: ergo si aliquis purus homo non potuit satisfacere pro toto genere humano [4], pari etiam ratione videtur, quod non possit satisfacere pro se ipso.

3. Item, impossibile est, quod aliquis satisfaciat pro culpa, quamdiu manet in eo radix et causa culpae — « satisfacere enim est, sicut dicit Augustinus [5], causas peccatorum excidere » — sed vitium humanae originis nunquam separatur a carne peccati: ergo videtur, quod nullus homo, qui originale peccatum habuit, possit satisfacere pro originali. *Maior* manifesta est per Augustinum, sed *minor* manifestatur per hoc, quod quilibet generat filium habentem originale peccatum.

4. Item, ad hoc, quod fiat satisfactio, necessarium est, quod fiat damni recompensatio; sed propter peccatum originale quilibet habet necessitatem moriendi, et *corpus mortuum est propter peccatum*, sicut dicit Apostolus [6]: ergo si quis debet satisfacere pro originali peccato, tenetur reddere *animam pro anima*. Sed quilibet est mortis debitor pro originali peccato: ergo non videtur, quod aliquis, qui originale peccatum contraxit, possit unquam satisfacere pro illo.

5. Item, quod originale peccatum sit *culpa*, hoc habet, quia processit a voluntate Adae: si ergo requiritur satisfactio de ipso [7], secundum quod *culpa*, nullus potest pro originali satisfacere, nisi satisfaciat pro *culpa Adae*. Sed pro *culpa Adae* nullus potest satisfacere, secundum quod originalis est, nisi satisfaciat pro toto genere humano: ergo *a primo*, nullus potest satisfacere pro peccato originali alicuius hominis, nisi satisfaciat pro toto genere humano. Sed hoc non potest aliquis purus homo: ergo nullus potest satisfacere pro originali suo.

CONCLUSIO.

Nullus, quantumvis gratia adiutus, potuit pro culpa originali satisfacere, ne semiplene quidem; nec pro suo proprio peccato plene, sed tantum semiplene.

Respondeo: Dicendum, quod est satisfactio *plena*, Duplex satisfactio. et est satisfactio *semiplena* [8]. Satisfactio *plena* est, quando simul fit satisfactio de *iniuria* et de *damno*; satisfactio vero *semiplena* est, quando, remissa *offensa*, satisfactio fit pro *damno*. Intelligendum igitur est, quod pro nullo peccato, in quo fit aversio a Conclusio 1. Deo, potest satisfacere aliquis purus homo satisfactione *plenaria*, nec pro se ipso nec pro aliis, propter hoc quod offensa et iniuria illa superexcedit puram creaturam. — Si vero loquamur de satisfactione *semiplena*, illa videlicet, in qua, remissa *offensa*, requiritur emenda de *damno*; sic dicendum, Conclusio 2. quod homo potest satisfacere pro suo *actuali* [9], sed non pro *originali*.

Ratio autem huius est, quia peccatum *actuale* Ratio. dicit depravationem *voluntatis*, sed *originale* dicit depravationem *naturae*. In hoc autem differt depravatio *naturae* a depravatione *voluntatis*, quod corruptio *voluntatis* respicit ipsam personam, ut est *individuum*, sed corruptio *naturae*, ut est *alterius principium*. — Item, quia *voluntas* est vertibilis, et corruptio in ea existens est *facile mobilis*; quia vero natura uno modo movetur [10], corruptio in ea existens est *difficile mobilis*. Quoniam igitur deordinatio voluntatis, introducta per *actuale*, est *personae singularis* et *facile mobilis*, recompensari potest per usum gratiae gratum facientis, quae respicit personam singularem; quia vero depravatio *naturae* est respiciens propagationem, et ita *naturam communem*, et ulterius *eradicari non potest* omnino: ideo pro *damno* illato [11] nemo potest satisfacere per gra- Differentia duplex inter originale et actuale.

---

[1] Vat. *est*.

[2] Scil. ad operandum sive ad exercenda opera satisfactionis.

[3] Gal. 2, 21, ubi Vulg. et etiam edd. *est* pro *esset*. — Paulo ante pro *posset* edd. *potest*.

[4] Vide quaest. praeced.

[5] Verius *Gennadius*, de Eccles. Dogmat. c. 24. (alias c. 54.). Cfr. IV. Sent. d. 15. p. II. a. 1. q. 1. — De *minori*, in qua pro *carne peccati* (Rom. 8, 3.) cod. U substituit *carne peccatrice*, cfr. II. Sent. d. 32. a. 1. q. 2.

[6] Rom. 8, 10. Locutio, quae sequitur, *reddere animam pro anima*, sumta est ex Exod. 21, 23. — Voci *peccatum* edd. addunt *originale*.

[7] Cod. R *pro ipso*. In fine arg. edd. omittunt *suo*, et addunt *peccato*.

[8] Alii distinguunt *perfectam*, quae per se et intrinsecus aequivalet debito, et *imperfectam* sive de se insufficientem.

[9] Edd. hic et subinde post *originali* subdunt *peccato*. Paulo superius ante *illa videlicet* codd. L aa inserunt *de*.

[10] Aristot., Mechanicae, c. 1: Natura etenim eundem semper habet modum. Cfr. IX. Metaph. text. 3. et 10. (VIII. c. 2. et 5.). — Paulo ante pro *Item* codd. G Q Z aa *Iterum*. Paulo inferius pro *per actuale* edd. cum uno alteroque cod. *pro actuali*. Post pauca pro *usum gratiae* cod. N *donum gratiae*.

[11] Codd. A K hic adiungunt *pro originali peccato*.

tiam singularis personae. Illa enim non tollit omnino originalis peccati *radicem* ab eo in quo est, nec per se nec per usum suum; et ideo non potest omnino tollere reatum et obligationem. Impossibile igitur fuit, quod aliquis pro peccato originali alicuius hominis satisfaceret, nisi omnino a peccato originali *mundus* esset, nisi etiam haberet *gratiam communem*, hoc est gratiam *capitis*, cuius plenitudo nata est in alios redundare. Talis autem non potuit esse nisi homo et Deus, qui esset aliorum caput, sicut in praecedentibus [1] fuit ostensum, quia nullus nisi Deus potest influere aliis motum et sensum.

Et sic patet, quod pro minimo peccato *originali*, nec quantum ad satisfactionem *plenariam* nec quantum ad satisfactionem *semiplenam*, potuit satisfacere nisi Christus, id est homo et Deus. De *actuali* vero potest quidem purus homo, adiutus gratia, satisfacere, sed satisfactione *semiplena*, quae supplet ionem et complementum recipit a passione Christi. Christus enim satisfaciens pro omni offensa, omnibus impetravit gratiam quantum ad *sufficientiam:* et merito illius satisfactionis homo suscipiens gratiam satisfacit postea Deo pro laesione, quam intulit sibi actualis culpa [2].

Conclusio 3.

Et ex hoc patet, quomodo passio Christi influit in Sacramenta, et quare amplius influit in Sacramentum *baptismi*, quod est remedium contra *originale*, quam in Sacramentum *poenitentiae*. Et hoc est fundamentum multorum, quae in quarto libro [3] determinantur et supponuntur ab hoc libro. — Concedendum est igitur, quod nullus, adiutus gratia, satisfacere potuit pro se ipso. Concedendae sunt etiam rationes, quae hoc ostendunt.

Corollarium.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur, quod satisfactio est pars poenitentiae; dicendum, quod ipsa poenitentia, sicut ostensum est, efficaciam habet a passione Christi, non solum post passionem, sed etiam ante; quia [4] Christus per passionem suam omnibus impetravit gratiam poenitentialem, et Deus praecedentibus Patribus dedit gratiam propter satisfactionem passionis promissam, sequentibus vero propter solutam. Et sicut nos iustificamur in fide passionis *praeteritae*, ita ipsi iustificabantur in fide passionis *futurae*. Unde et qui *praeibant, et qui sequebantur clamabant: Hosanna filio David* [5]. Unde ex hoc non habetur, quod aliquis sufficienter possit satisfacere pro se. — Praeterea, ratio illa non concludit de *originali*, sed solum de *actuali*. Poenitentia enim non est contra *originale*, sed contra *actuale*. — Nec valet quod *obiicit*, quod gravius est *actuale* quam *originale;* dicendum enim, quod etsi originale in posteris sit minus quam actuale, tamen quantum ad suam originem peccatum originale valde fuit grave, cum totam naturam humanam infecerit. Satisfactio autem peccati *originalis* respicit ipsam originem; et ideo dico, quod difficilius fuit satisfacere pro *originali* quam pro *actuali*, quia non potest fieri satisfactio pro *uno originali*, quin fiat pro *omnibus;* non sic autem est in peccatis *actualibus* [6].

Solutio oppositorum.

Notandum.

Alia ratio.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod satisfacere est honorem debitum Deo reddere; dicendum, quod est debitum, quo tenemur Deo *iure conditionis*, et est debitum, quo obligamur Deo *reatu praevaricationis*. Dico ergo, quod debitum, quod cadit in notificatione satisfactionis, est debitum *secundo* modo dictum, et hoc quidem non potest solvere per se ipsum; ipse enim se reddidit impotentem, et ideo, nisi succurreret ei divina misericordia, salvari non posset. Et ideo non obligatur ad impossibile; quamvis enim sit ei impossibile *per se*, est tamen ei possibile *per divinum adiutorium* [7].

Duplex debitum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod homo existens in gratia potest mereri summum bonum; dicendum, quod non est simile, quia gratia *singularis* [8] bene habet ordinationem ad hoc, quod faciat, hominem mereri summam beatitudinem, sed non ad hoc, quod faciat, hominem satisfacere pro culpa originali, sicut prius ostensum fuit.

4. Ad illud quod obiicitur, quod existens in gratia non mereretur nisi poenam temporalem; dicendum, quod verum est; sed tamen nulli peccatori datur gratia nisi merito satisfactionis et passionis Christi. Unde gratiae collatio satisfactionem originalis non facit, sed praesupponit; ideo non sequitur, quod aliquis per gratiam possit satisfacere pro originali culpa.

5. Ad illud quod obiicitur, quod gratia aequaliter delet omnem culpam, ergo aequaliter satisfacit pro omni culpa deleta; dicendum, quod non est simile propter hoc, quod deletio culpae attenditur in imaginis reformatione et conversione ad Deum; et quia per conversionem ad Deum [9] deletur omnis aversio, una gratia delet omnem culpam; satisfactio vero respicit obligationem ad poenam, et possibile est, quod una obligatio ad poenam solvatur, altera remanente. Ideo non sic indifferenter comparatur gratia ad satisfaciendum pro omni culpa, sicut ad delendum omnem culpam [10].

---

[1] Dist. 13. a. 2. q. 1. seqq. — Aliquanto superius pro *alicuius hominis* cod. W *cuiuslibet hominis.*

[2] Cfr. supra d. 19. a. 1. q. 2. seqq. et dub. 1. et 2. — Aliquanto superius pro *potest quidem* codd. B C D G *potest quidam*, cod. O *potest quilibet*, et deinde pro *omni offensa* codd. A K *omnium offensa.* Inferius pro *quomodo passio* cod. Q *qualiter passio.*

[3] Dist. 9. p. 1. a. 1. q. 1. — Pro *in Sacramentum poenitentiae* non pauci codd. *in Sacramento poenitentiae*, post quae verba cod. O subiungit *quod est remedium contra actuale.* Deinde post *nullus* codd. A K interiiciunt *etiam.*

[4] Plurimi codd. *tamen quia.*

[5] Matth. 21, 9. Cfr. supra d. 13. a. 2. q. 3. ad 6.

[6] Vide II. Sent. d. 21. a. 3. q. 3. et d. 33. a. 1. q. 2.

[7] Cfr. Anselm., I. Cur Deus homo, c. 20. et 24.

[8] Edd. supplent *personae.* Mox pro *faciat* edd. *facit.*

[9] Verba *et quia per conversionem ad Deum*, quae ab edd. absunt, restituimus ex codd. A F K (L a secunda manu) M O P R S aa bb cc. Mox pro *una gratia* edd. absque auctoritate codd. exhibent *una ergo gratia*, et deinde ante *possibile est* omisso *et*, post haec verba iterum, codd. obnitentibus, ponunt *ergo.* Paulo inferius pro *comparatur* Vat. substituit *operatur.*

[10] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO V.

Utrum Deus debuerit modum satisfaciendi per passionem Christi acceptare.

Quinto quaeritur, utrum Deus debuerit modum satisfaciendi per passionem Christi acceptare. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Debitum mortis nullo modo melius solvitur quam per mortem gratuitam; sed omnes eramus debitores mortis: ergo optime satisfactum est Deo per mortem illius qui non erat debitor mortis [1].

2. Item, nullo modo melius emendatur peccatum, quod commissum est per suavitatem, quam per supplicii acerbitatem: si ergo peccatum humani generis commissum fuit per gustum et suavitatem ligni vetiti, videtur, quod decentissimus modus satisfaciendi fuit per supplicium crucis [2].

3. Item, convenientissimus modus satisfaciendi est per difficultatem pro peccato, quod quis commisit multa facilitate; sed facillimum fuit primo homini abstinere a peccato: ergo difficillimus modus satisfaciendi fuit illi peccato convenientissimus. Sed hoc est sustinendo mala usque ad mortem: ergo et hoc modo satisfecit Christus [3]: ergo etc.

4. Item, decentissimus modus satisfaciendi de elatione est per abiectionem et vilificationem; sed nulla maior vilificatio fuit, quam quae fuit in sustinentia opprobrii crucis [4]: ergo talis modus satisfaciendi maxime conveniebat nostrae infirmitati: ergo decuit, ipsum a summo medico acceptari.

Ad oppositum. 1. Sed contra: 1. Maximae crudelitatis est hominem iustissimum morti tradere; sed Christus fuit iustissimus: ergo crudelissimum fuit ex quacumque causa tradere ipsum morti: ergo talis modus satisfaciendi nullatenus debuit a Deo acceptari. *Si tu dicas*, quod non tradidit ipsum morti; *contra* hoc est quod dicitur ad Philippenses secundo [5]: *Factus est obediens usque ad mortem;* et in multis aliis locis dicitur illud idem.

2. Item, maximae perversitatis et iniustitiae est damnare innocentem, ut absolvatur nocens; sed *nos omnes sicut oves erravimus*, ipse vero *peccatum non fecit:* ergo videtur, quod iniuste fecerit Dominus, cum *in eo posuit iniquitates omnium nostrum* [6].

3. Item, *Deus mortem non fecit nec delectatur in perditione vivorum* [7]: si ergo Deus delectatur in satisfactione et non delectatur in alicuius morte: non videtur, quod debuerit acceptare mortem Christi pro satisfactione.

4. Item, multo melior est vita Christi, quam esset mors: ergo si mors Christi potuit Deo satisfacere pro nobis, multo magis vita eius debuit satisfacere: ergo magis debuit acceptare vitam ad satisfaciendum quam mortem.

5. Item, non est modus ordinatus satisfaciendi, in quo *additur peccatum super peccatum* [8]; sed Christus occidi non poterat sine gravissimo peccato: ergo inordinatus modus satisfaciendi videtur esse per mortem Christi.

6. Item, gravius fuit peccatum occidentium Christum, quam esset peccatum Adae: ergo si non potuit fieri satisfactio pro peccato Adae, nisi Christus semel moreretur; videtur, quod non potuerit satisfactio fieri pro peccato occidentium Christum, nisi Christus secundo occideretur; pari ratione nec de occisione illa, nisi occideretur tertio, et sic in infinitum: ergo non videtur, quod talis modus satisfaciendi sit completus nec a Deo acceptandus [9].

CONCLUSIO.

Modus nostrae satisfactionis, factae per Christum, fuit congruentissimus et maxime a Deo acceptandus.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod modum istum ultra ceteros debuit Deus acceptare, quia nobilissimus est inter omnes, qui possent esse vel excogitari. Ratio quadruplex. Fuit enim *acceptabilissimus* ad placandum Deum, *congruentissimus* ad curandum morbum, *efficacis-*

---

[1] Cfr. dictum Anselmi, infra in corp. quaest. allatum.

[2] Anselm., II. Cur Deus homo, c. 11: Si homo per suavitatem peccavit, an non convenit, ut per asperitatem satisfaciat? — In *maiori* pro *melius* cod. R *decentius vel iustius.*

[3] Anselm., loc. cit.: Et si tam facile victus est a diabolo, ut Deum peccando exhonoraret, ut facilius non posset; nonne iustum est, ut homo, satisfaciens Deo pro peccato, tanta difficultate vincat diabolum ad honorem Dei, ut maiori non possit? — Multi codd. *satisfacit Christus.*

[4] August., de Praedest. Sanct. c. 15. n. 31: Pro nobis ipsa Divinitas, quousque se deponeret humilius, non habuit, quam suscepta natura hominis cum infirmitate carnis usque ad mortem crucis. Similiter Petr. Lombard. exponit Ps. 21. 7, illis verbis: *Clamabo, et non exaudies, et* hoc *non* erit *ad insipientiam mihi,* haec adtexens: « sed ut sapienter meo sanguine genus humanum liberetur. Nullus enim fuit convenientior modus nostrae liberationis, ut homo, qui per superbiam cecidit, per humilitatem resurgat ». — Anselm., loc. cit., hanc affert rationem: An non, ait, est dignum, quatenus qui se sic abstulit Deo peccando, ut se plus auferre non posset, sic se det Deo satisfaciendo, ut magis se non possit dare? — Pro *maior vilificatio* codd. G H I N T U Z *minor vilificatio.*

[5] Vers. 8. Cfr. Rom. 8, 32; Ioan. 14, 31; 18, 11. — Hoc arg. nec non seq. inveniuntur in Anselm., I. Cur Deus homo, c. 8.

[6] Isai. 53, 6, et I. Petr. 2, 22. 25.

[7] Sap. 1, 13, ubi Vulgata *laetatur* pro *delectatur.* — Anselm., I. Cur Deus homo, c. 10: Mirum enim est, si Deus sic delectatur aut eget sanguine innocentis, ut nonnisi interfecto eo parcere velit aut possit nocenti.

[8] Isai. 30, 1: Vae filii desertores... ut adderetis peccatum super peccatum.

[9] Anselm., II. Cur Deus homo, c. 15: Si tam malum est eum [Christum] occidere, quam bona est vita eius, quomodo potest mors eius superare et delere peccata eorum qui eum occiderunt? — Pro *acceptandus* codd. V Z *accipiendus,* et proxime ante pro *completus* edd. *competens.*

simus ad attrahendum genus humanum, *prudentissimus* ad expugnandum generis humani inimicum.

Prima. *Primum* quidem fuit *acceptabilissimus* ad placandum Deum; propter quod dicit Anselmus secundo *Cur Deus homo*, capitulo undecimo: «Nihil asperius et difficilius potest homo pati ad honorem Dei sponte et non ex debito quam mortem. Et nullatenus magis potest se ipsum dare homo Deo, quam cum se morti tradit ad honorem ipsius». Et hoc est quod dicitur ad Ephesios quinto [1]: *Tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.*

Secunda. *Secundo* etiam fuit *congruentissimus* ad curandum morbum. Primus enim homo peccaverat per superbiam et gulam et inobedientiam, sicut dicit Gregorius [2], et in secundo libro fuit ostensum; voluit enim assimilari Deo per scientiae sublimitatem, gustare ligni suavitatem et transgredi praecepti divini limitem. Et quoniam curatio habet fieri per contrarium; ideo modus satisfaciendi congruentissimus fuit per abiectionem, humiliationem et divinae voluntatis impletionem. Et haec omnia satis relucent in ipsa passione; et de his dicit Apostolus ad Philippenses secundo [3]: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Tertia. *Tertio* autem fuit *efficacissimus* ad attrahendum genus humanum. His enim solis passio ad salutem valebat, qui mera voluntate per amorem Deo adhaerebant. Non enim decrevit Deus aliter genus humanum salvare nisi libero [4] voluntatis arbitrio; et nullo alio modo, salvo voluntatis arbitrio, Deus hominem magis potuit attrahere ad amorem suum, quam sustinendo pro eo crucis patibulum; propter quod dicitur Ioannis duodecimo [5]: *Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Et Hugo, de Arrha sponsae «: Ut ostenderet tibi, quantum te diligeret, non nisi moriendo a morte te liberavit, ut non tantum pietatis impenderet beneficium, verum etiam caritatis monstraret affectum».

Quarta. *Quarto* etiam fuit ad vincendum adversarium *prudentissimus*. Decebat enim, ut Christus sua prudentia superaret diabolum, sicut diabolus sua astutia decepit hominem primum. Propter quod dicitur Iob vigesimo sexto [6]: *Prudentia eius percussit superbum;* et quadragesimo: *Ninquid poteris capere leviathan hamo?* Propter quod dicitur distinctione praecedenti, capitulo primo «: Venit Redemptor, et victus est deceptor, tetendit illi muscipulam crucem suam, posuit ei quasi escam sanguinem suum».

Ex his quatuor rationibus satis apparet, quod modus iste satisfaciendi pro nobis fuit *congruentissimus* et a Deo *maxime acceptandus*. Et concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod magnae crudelitatis fuit hominem iustissimum tradere morti; dicendum, quod Deus eum non tradidit *infligendo* mortem, vel *praecipiendo* aliis, quod ipsi eum traderent, sed *permittendo* et voluntatem ipsius *acceptando;* et ideo nulla fuit in Deo crudelitas, quia non sanguinem Christi sitivit, sed voluntatem eius optimam acceptavit; haec est summa responsionis Anselmi in libro *Cur Deus homo* [7]. Unde si dicatur aliquando Pater eum tradidisse morti, vel voluntate Patris passus esse, et aliquod consimile, modo praemisso intelligendum est: non quia Pater eum coegerit invitum, sed quia suscepit voluntarium et devotum. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur secundo, quod impium est damnare innocentem et nocentem absolvere; dicendum, quod illud verum est, si innocens damnatur invitus; sed si innocens velit se offerre et exponere [8] pro salute nocentis, nihil prohibet, quin oblatio eius debeat acceptari. Et isto modo in proposito intelligendum est fuisse, quia Christus non coacte, sed voluntarie pro salute nostra sustinuit passionem.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Deus non delectatur in perditione alicuius; dicendum, quod verum est, quod Deus non delectatur in poena, secundum quod est afflictiva et naturae corruptiva; delectatur tamen, et placet sibi optima voluntas, per quam poena sustinetur et ad honorem Dei ordinatur et ad absolutionem hominis rei.

4. Ad illud quod obiicitur, quod melior fuit vita Christi quam mors; dicendum, quod absque dubio verum est; tamen non sequitur, quod non magis debuerit satisfacere per mortem quam per vitam [9], duplici ex causa: primum quidem, quia satisfactio debet esse poenalis, et maxima satisfactio maxime poenalis; secundo vero, quia maioris perfectionis est velle mori ad honorem Dei quam velle vivere, et ex maiori caritate procedit et terminos naturae magis excedit; et ideo ratio illa non cogit. Ratio duplex.

---

[1] Vers. 2.

[2] Libr. IX. Moral. c. 5. n. 5; XXXI. c. 1. n. 1, et I. Homil. in Evang. homil. 16. n. 2. — In II. Sent. vide d. 22. a. 1. q. 1. seq. et d. 33. dub. 1.

[3] Vers. 8. — Paulo superius pro *abiectionem* Vat. *afflictionem.* Paulo inferius pro *Tertio autem* codd. A K P Q *Tertio etiam.*

[4] Cod. A *nisi in libero*, Vat. *nisi liberae.* Paulo ante pro *decrevit Deus* codd. G K *decuit.* Paulo inferius pro *sustinendo* edd. *suscipiendo.*

[5] Vers. 32. — In testimonio ex Hugone, de Arrha animae, allato textus origin. pro *liberavit* exhibet *liberare voluit.*

[6] Vers. 12. — Alterum testimon., ex Iob 40. (edd. 1, 2 cum codd. *ultimo)* allegatum, habetur ibi v. 19. seq. et in Vulgata sic sonat: In oculis eius quasi hamo capiet eum... An extrahere poteris leviathan hamo etc. — Circa finem corp. pro *a Deo* cod. Q *ideo.*

[7] Libr. I. c. 9. et 10, nec non II. c. 11. Cfr. infra dub. 3. — Superius pro *traderent morti* cod. bb *occiderent.*

[8] Codd. A K U V addunt *morti.*

[9] Codd. et edd. 1, 2 omittunt *per mortem quam per vitam* et etiam *non* ante *magis debuerit,* in qua lectione saltem supplendum est *per vitam.* Secuti sumus Vat.

5. Ad illud quod obiicitur, quod non est ordinatus modus satisfaciendi, ubi peccatum additur super peccatum; dicendum, quod verum est, quando peccatum additur super peccatum ex parte eius qui debet satisfacere; sic autem non est in proposito. Nam Christus moriendo non peccavit, sed quantum in se fuit, omnia peccata delevit. Et *si tu dicas*, quod talem modum eligere debuit, in quo nec ipse nec alius peccaret; dicendum, quod illud non oportet. In hoc enim manifestatur summa sapientia Dei, quod scit de malis non tantum elicere bona, verum etiam optima; quod maxime fecit in morte Christi pretiosissima [1].

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod gravius fuit peccatum occidentium Christum etc.; dicendum, quod quidquid sit de gravitate, quia de hoc ad praesens non est quaestio [2]: tamen esto, quod gravius fuisset, non oportebat propter hoc secundo Christum pati. Nam unica passio Christi non solum sufficiebat ad satisfaciendum pro peccato Adae, sed etiam pro omni peccatorum multitudine. Unde mors Christi ipsis occidentibus valebat, si vellent ad Christum converti; in infinitum enim fuit maius meritum Christi patientis, quam esset delictum Iudae tradentis, Iudaei instigantis et gentilis crucifigentis, secundum quod Christus plus habebat de bonitate, quam illi haberent de malitia. *Praeterea*, sicut dicit Anselmus [3], excusabat eos ignorantia aliquo modo, sicut dictum est supra; et ideo non oportebat, pro peccatis eorum Christum iterum pati, sed, sicut dicit Apostolus ad Hebraeos decimo [4]: *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

Infinitum meritum Christi.

SCHOLION.

I. Haec quaestio proprie agit de *congruentia modi*, quo Christus patiendo pro nobis satisfecit; simul autem, praesertim in solut. ad 6, tangitur controversia de *valore* eiusdem satisfactionis, quae procul dubio fuit non tantum sufficiens, copiosa et condigna, sed etiam *superabundans*. Sed hoc supposito, adhuc circa *tria* inter posteriores Scholasticos agitabantur controversiae, quas breviter referre iuvat, ut melius perspiciatur doctrina seraphici Doctoris de Christi *gratia* (supra d. 13.), de *merito* (d. 18.) et de *satisfactione* (hac d. 20.). Dissensus igitur circa *valorem satisfactionis* Christi (et similiter iudicandum de *merito*) erat in his: 1. Utrum et quomodo iste valor dependeat ab *acceptatione* Dei. 2. Utrum et qua ratione sit *infinitus*. 3. Utrum satisfactio Christi sit secundum *rigorem iustitiae commutativae*. Ex eadem autem radice illa triplex opinionum differentia ortum habuit.

II. Respectu 1. quaestionis Nominales et plurimi Scotistae docebant, *valorem* operum satisfactoriorum dependere *solummodo* ab acceptatione Dei. Nominales enim generatim proclamabant hoc principium: « Meritum quodcumque tantum et pro tantis potest acceptari *passive*, quantum et pro quantis vult tota Trinitas *active* » (ita Gabriel Biel, III. Sent. d. 19. nota 3.). Alii pauci volebant, talem acceptationem *nihil* conferre ad rationem satisfactionis. Communior autem sententia, media via incedens, tenet, acceptationem hanc non quidem ad *essentiam* meriti et satisfactionis requiri, sed ad eius *complementum*, quatenus scilicet in ipsa importetur quaedam *obligatio iustitiae*, quae sane nullatenus ex parte Dei retribuentis concipi potest, nisi supposita spontanea ipsius promissione. Licet autem Scoto communiter et etiam a discipulis ipsius opinio Nominalium imposita sit; tamen alii eiusdem scholae, ut Mastrius, Hauzeur, Frassenius, Henno, rectius quaedam ipsius verba aequivoca ex aliis locis interpretantur (cfr. III. Sent. d. 19. n. 9.), mentemque eius esse dicunt, quod haec satisfactio antecedenter ad acceptationem divinam iam ex se sit condigna in *actu primo*, tamen ex *acceptatione Dei*, ad debitum remittendum promissione se obligantis, fiat condigna in *actu secundo*. De hac Scoti interpretatione discipulus S. Thomae, Gotti (Theol. scholastico-dogmat. t. III. tr. 1. q. 3. dub. 4. § 3. n. 17.), dicit: « Haec si ita sunt, facile cum Scoto et Scotistis conveniemus ».

S. Bonaventuram communiori sententiae suffragari, colligitur ex eo quod generatim de *merito condigni* et de *acceptatione* Dei docet II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3, et d. 29. a. 1. q. 1. seqq. (cfr. etiam IV. Sent. d. 45. a. 2. q. 2. in corp.), ubi duplicem distinguit acceptationem divinam, quarum altera (habitualis et intrinseca) fundatur in ipsa gratia adoptionis, dignificante operantem eiusque opus, altera vero (quasi extrinseca) ex promissione divina oritur, et ipsa cadit super ipsum actum meritorium. Haec doctrina quoad substantiam applicari potest etiam ad meritum et satisfactionem *Christi* respectu utriusque acceptationis. Attamen observandum est, magnopere differre acceptationem in utroque casu. Nam fundamentum acceptationis operum a pura creatura factorum est *gratia adoptionis*, quae est in persona *extranea*; in Christo autem est *gratia unionis hypostaticae*, et ipse etiam ut *hic homo* est Filius Dei naturalis, verus Deus et acceptanti Deo minime extraneus (cfr. supra d. 10. a. 2. q. 1. et scholion). Ipsa igitur unio hypostatica eminentissimo modo iam continet acceptationem satisfactionis perfectissimam.

III. Quoad 2. controversiam Ss. Patres et quaedam decreta Sum. Pontificum (cfr. Constitut. *Unigenitus* Clementis VI.) satisfactionem Christi praedicant esse *infinitam*. Hoc Nominales volunt ita explicare, ut meritum Christi secundum se sit *finitum simpliciter*, acceptum tamen a Deo ut sufficiens pro infinitis Adae filiis, si futuri essent. Similiter Scotistae solent dicere, hoc meritum non fuisse *formaliter* et *intrinsecus infinitum*, sed *secundum quid* et *extrinsecus*, tum ob sanctitatem personae divinae, tum ob acceptationem divinam. Sed discipuli S. Thomae cum plurimis aliis dicunt, illud fuisse *simpliciter* et *intrinsecus* infinitum. Hoc autem intelligunt non respectu *entitatis physicae* operum meritoriorum, quae procul dubio est creata et finita, nec secundum actuum bonitatem *specificam et essentialem*, quam sumunt ex *obiecto*, sed respectu valoris in *genere moris*, quatenus in se ipsis et intrinsecus infinite dignificantur a persona Verbi. Licet enim actiones meritoriae procedant immediate ab humana Christi natura, ut est *principium quo*; haec tamen non extrinsecus, sed *intrinsecus* unita est cum persona infinita, cui, ut est *principium quod*, actiones illae tribuuntur et a qua intrinsecus contrahunt valorem infinitum. Revera non est paritas, ut quidam dicunt, inter infinitatem *obiectivam* et *extrinsecam*, quae communiter tribuitur peccato mortali ratione relationis ad obiectum, contra quod offendit (quod certo est actioni *extrinsecum*), et infinitatem, de qua sermo est, cum *relatio* humanae Christi naturae eiusque operationis ad personam Christi sit prorsus singularis et penitus differat ab illa, qua actio peccaminosa refertur ad sive potius *contra* Deum.

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 46. q. 6. — Pro *elicere* edd. cum nonnullis codd. *eligere*.

[2] Vide II. Sent. d. 21. a. 3. q. 3. in corp. et d. 33. dub. 2.

[3] Libr. II. Cur Deus homo, c. 15. Vide supra d. 18. dub. 2. et d. 19. a. 1. q. 2. ad 3.

[4] Vers. 14. — Pro *in sempiternum* codd. *in semetipsum*.

In hac re controversa bene conveniunt verba S. Bonaventurae cum doctrina S. Thomae, et etiam sententiam eius ab eadem non discrepare, nobis persuasum est, quidquid dicat Barth. de Barberiis (Cursus theolog. p. III. disp. 10. q. 7.), qui S. Bonav. ad opinionem Scotistarum trahere nititur. Nam S. Doctor non tantum pluries meritum Christi dicit esse infinitum (cfr. hic ad 6, q. 6. ad 4.), sed etiam hanc infinitatem semper repetit ab infinita dignitate personae Verbi (cfr. supra d. 13. a. 1. q. 2, praesertim ad 3.); sed posito, quod *dignitas* personae operantis concurrat ad dandum valorem operi, et quod *maior* dignitas det maiorem valorem; sane *infinita* dignitas etiam valorem augere debet in infinitum. Loci autem, quos urget praefatus auctor in contrarium, loquuntur tantum de gratia creata Christi *in se*, et de actibus meritoriis Christi secundum eorum *physicam*, vel *specificam* entitatem. Eandem sententiam tenet Alex. Hal., cum cuilibet actioni, etiam uni guttae sanguinis Christi, ob dignitatem personae tribuit sufficientiam ad omnem satisfactionem (S. p. III. q. 18. m. 3. a. 2. ad 3, cfr. q. 17. m. 3.). Etiam in schola Scoti sunt nonnulli, ut Hauzeur et Vulpes, qui Scoto diversam, ac ipsius verba sonant, mentem attribuunt, adductis aliis ipsius testimoniis. Praesertim Hauzeur (Collatio totius theologiae etc. t. II. q. 12. col. 378 seqq.), secutus cl. nostrum Vega (VII. de Iustificat. c. 7-10.), inter alios locos profert hoc principium Scoti (III. Sent. d. 13. ad 2. quaest. n. 9.): « In commendando Christum malo excedere quam deficere a laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat in alterum incidere ». Tandem Hauzeur concludit, respiciendum potius « ad illam eius intentionem, quam serpere per eius sensum litteralem ». Idem auctor (loc. cit. col. 376) bene observat, quod passio Christi, qua se ipsum, scilicet proprium corpus et sanguinem, animam et vitam personae divinae in sacrificium Deo obtulit, infiniti valoris sit « *duplici titulo: offerentis* et *oblati infiniti;* qualibet alia actione solo titulo *agentis infiniti.* Nec offerebat haec ut finita et seorsim, sed coniunctim cum persona infinita » etc.

IV. Tertia controversia, quae est de quaestione, utrum Christus secundum *totum rigorem iustitiae commutativae* satisfecerit, quod Nominales, Scotistae aliique negant, affirmantibus Thomistis cum non paucis, in se minoris est momenti quam praecedentes, cum supponatur ab omnibus, rationem *iustitiae commutativae* ad Deum non applicari nisi secundum analogiam. Unde in hac controversia incidit aliquatenus lis circa nomen. Facile tamen conceditur, quod haec satisfactio large dici possit *rigorosa,* licet ei non conveniant in stricto sensu omnes conditiones, quae inter homines in actibus iustitiae commutativae requiruntur ad talem rigorem.

V. Praeter locos citatos: Alex. Hal., S. p. III. q. 18. m. 4. a. 1. § 1. 2. — S. Thom., hic a. 4; S. III. q. 46. a. 1. 3, q. 50. a. 1. — B. Albert., hic a. 9. — Petr. a Tar., hic a. 46. — Richard. a Med., hic q. 3. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 1.

QUAESTIO VI.

Utrum alio modo potuerit Deus genus humanum salvare.

Sexto et ultimo quaeritur, utrum alio modo potuerit Deus genus humanum salvare. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Primo per illud quod dicit Leo Papa in quodam sermone in ramis palmarum[1]: « Omnipotentia Filii Dei, quae propter eandem essentiam est aequalis Patri, potuisset liberare genus humanum solo imperio voluntatis suae, nisi divinis operibus maxime congruisset, ut nequitiae hostilis adversitas eo quem vicerat, vinceretur ».

2. Item, hoc ipsum dicit Augustinus de Trinitate, et habetur in littera[2]: « Dicimus, alium modum possibilem Deo fuisse, cuius potestati cuncta subiacent; sed nostrae miseriae sanandae convenientiorem alium non fuisse ».

3. Item, hoc ipsum ostenditur expressius auctoritate Gregorii, vigesimo in Moralibus[3]: « Qui nos fecit existere ex nihilo revocare etiam sine morte et passione sua potuit ».

4. Item, hoc ipsum ostenditur per deductionem ad inconveniens: quia, si non potuisset nos alio modo liberare, ergo tunc fuisset divina potentia limitata, et persona Christi passioni subiecta; quod omnino est absurdum: ergo et illud, ex quo sequitur[4].

Ad oppositum. Contra: 1. Super illud ad Hebraeos secundo[5]: *Decebat auctorem salutis eorum per passionem consummari;* Glossa «: Nisi Christus moreretur, homo non redimeretur, et non redemptus periret, et frustra essent omnia facta »: si ergo hoc est impossibile, restat, quod *primum* est impossibile, scilicet Christum non mori pro salute generis humani. Et si hoc, impossibile fuit, alio modo genus humanum liberari quam per mortem Christi.

2. Item, Anselmus in libro *Cur Deus homo*[6]: « Non potuit transire calicem, nisi biberet, non quia non posset vitare mortem, si vellet, sed, sicut dictum est, impossibile fuit aliter salvare mundum »: redit ergo idem quod prius.

---

[1] Serm. 63. (serm. 12. vel 14. in Passione Domini) c. 1: Omnipotentia... potuisset humanum genus *a dominatu diaboli* solo imperio suae voluntatis *eruere,* nisi... adversitas *de* eo *quod* vicerat, vinceretur.

[2] Hic c. 1. — Paulo inferius pro *sed nostrae* edd. 1, 2 cum non paucis codd. *et nostrae.*

[3] Cap. 36. n. 69. In textu origin. sic legitur: Qui nos... revocare videlicet etiam sine sua morte potuit a passione.

[4] Etiam Bernard., Tract. de errorib. Abaelardi, c. 8. n. 19, de hoc inconvenienti ait: Porro ratio huius facti fuit dignatio facientis. Quis negat, Omnipotenti ad manum fuisse alios et alios modos nostrae redemptionis, iustificationis, liberationis? — Ante *passioni subiecta* cod. aa (L a secunda manu) interiicit *necessario,* cod. K *et* (i. e. etiam).

[5] Vers. 10. — Glossa est *ordinaria.* Apud Strabum nec non apud Petr. Lombard., in hunc loc. Tamen ibi post *periret* omisso *et,* eiusque loco posito puncto, sic pergitur: *Quod si esset, frustra facta essent omnia* etc. Cfr. testimonium supra lit. Magistri, d. XVIII. c. 5. sub Ambrosii nomine allegatum. — Paulo inferius inter *Et si hoc* et *impossibile fuit* edd. interiiciunt *est impossibile.*

[6] Libr. I. c. 10: Non autem *potuisse* calicem transire, nisi biberet illum, *dixit:* non quia... sed *quoniam,* sicut dictum est, mundum erat impossibile aliter *salvari.* — Pro *Non potuit* Vat. *Non voluit,* et dein pro *non posset* cod. D *non potuisset,* cod. U *non potuit.* Lectio *transire calicem* (Matth. 26, 42: hic calix transire) est in codd. et ex citatis verbis Anselmi fluxisse videtur.

3. Item, sicut dicit Augustinus [1]: « Nullus alius modus fuit isto congruentior »: si ergo « optimi est optima adducere », sicut boni est bona facere; videtur, quod necessarium fuit, summam bonitatem istum modum eligere. Si ergo necessarium fuit eligere istum modum, impossibile fuit alio modo salvari.

4. Item, Deus, cum sit summe iustus, *negare se ipsum non potest* [2]: ergo si debet reparare genus humanum, necesse est, quod reparet per viam iustitiae; sed reparatio per viam iustitiae non potest esse nisi per satisfactionem, sicut supra fuit ostensum; satisfacere autem pro toto genere humano non potest nisi Deus et homo; modus satisfaciendi sufficiens esse non potest, nisi ut solvatur anima pro anima, et detur vita pro vita: ergo *a primo*, impossibile fuit, quod Deus humanum genus repararet alia via.

CONCLUSIO.

Genus humanum ex parte Dei reparantis et liberantis potuit alia via quam per mortem Christi reparari; licet ex parte generis humani reparati non potuit salvari nisi hac via a Deo determinata.

Quaestio inelligi potest upliciter.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Respondeo: Dicendum, quod cum quaeritur, utrum alio modo genus humanum potuerit reparari, quam per mortem Christi, potest quaeri vel de potentia *Dei reparantis*, vel ex parte *generis humani reparati*. Si ex parte *Dei reparantis*, sic absque dubio aliter potuit genus humanum liberare et reparare, sicut Sancti dicunt; et magister Hugo de sancto Victore alium modum assignat in Libro de Sacramentis [3], et Magister recitat in littera. Non enim est limitanda divina potentia, immo etiam, sicut solo nutu mentis et imperio voluntatis potuit creare, ita etiam potuit reparare. — Si autem quaeratur de potentia ex parte *generis humani reparati* et liberati; sic dicendum, quod *determinatum* fuit sibi [4] *posse* ad hanc viam; et isto modo intelligendo concedi potest, quod genus humanum non potuit aliter reparari; sicut conceditur, quod nullus homo potest salvari, nisi credat in Christum. Non enim patet nobis alia via salutis, *nec est aliud nomen sub caelo, in quo oporteat nos salvos fieri* [5]. Potuisset tamen Deus, si voluisset, aliud nomen dare, in quo salus nostra consisteret. — Concedendae sunt igitur rationes ad primam partem, quoniam ostendunt, alium modum nostrae salutis Deo fuisse possibilem, quantum est ex parte divinae potentiae.

Solutio oppositorum.

1. 2. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium de Glossa et de Anselmo, dicendum, quod auctoritates illae intelliguntur, quantum est ex *parte nostra*, praesupposita dispositione divina, qua nos sic, et non alio modo, liberare decrevit. Per hunc etiam modum intelligenda est auctoritas Ambrosii, quae posita fuit supra distinctione decima octava, capitulo ultimo. « Tantum, inquit, fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus, nisi unigenitus Dei Filius moreretur pro nobis debitoribus mortis »; hoc, inquam, intelligendum est, quia Deus nos aliter non decrevit salvare. Per hunc etiam modum intelligendae sunt auctoritates consimiles.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod optimi est optima adducere [6]; dicendum, quod est optimum *simpliciter* et optimum in *genere*. Et optimum in *genere* potest esse magis et minus bonum; et Deus adducit optima in genere, et ideo sic facit optima, ut etiam possit facere meliora et minus bona. Ideo quamvis iste modus esset nostrae miseriae convenientior, non tamen oportuit, quod ita eligeret istum modum, quod non posset eligere alium modum.

Duplex optimum.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod Deus non potest facere contra suam iustitiam, et iustitia non potest praeter satisfactionem culpam dimittere; responderi potest *per interemptionem* [7] *duarum propositionum*, quas proponit; quarum prima est haec, quod non potuit liberari genus humanum nisi per viam *iustitiae*, potuit enim liberare per viam *misericordiae;* nec in hoc fuisset factum praeiudicium *iustitiae*, si hoc facere voluisset. Potuisset enim omnia *demerita delere* et hominem in priori statu constituere; nec remansisset aliquid inordinatum in universo nec etiam impunitum. Peccatum enim fert secum poenam suam, per quam ordinatur [8]; et ita si sine satisfactione genus humanum liberasset, non propter hoc contra iustitiam fecisset. — Potest etiam responderi *per interemptionem illius*, quod nullo alio modo potuit satisfacere nisi per mortem. Quamvis enim hoc esset magis congruum, fortassis modicum supplicium in tam nobili persona suffecisset ad humani generis reparationem; sed Dominus in liberando supererogavit, propter quod dicitur: *Co-*

Alia solutio.

---

[1] Libr. XIII. de Trin. c. 10. n. 13. Vide hic lit. Magistri, c. 1. — Seq. testimonium est Dionysii, de Div. Nom. c. 4. § 19. Cfr. tom. II. pag. 113, nota 7. — Deinde cod. A bis *elicere* pro *eligere*.

[2] Epist. II. Tim. 2, 13. — De *minori* vide supra q. 2. seq. — Paulo inferius post *modus* codd. A K V subdunt *autem*, Vat. *etiam*. Subinde pro *esse non potest* cod. U *non est*.

[3] Libr. I. p. VIII. c. 10. — Magistri sententia invenitur hic in lit. c. 4; cfr. supra d. XVIII. c. 4. seq. — Paulo superius codd. omittunt *aliter*, pro quo solus cod. Z subsituit *aliquo* (alio?) *modo;* et subinde edd. passive *liberari* et *reparari*.

[4] Cod. U *determinavit sibi*, cod. A *determinatum supra fuit*, scil. quaest. 2.

[5] Act. 4, 12. Cfr. supra pag. 236, nota 10. — Paulo inferius pro *quoniam* codd. K L aa *quae*.

[6] Plurimi codd. *producere*. — Eodem modo explicatur hoc dictum Dionysii etiam I. Sent. d. 44. a. 1. q. 2. ad 4, et II. Sent. d. 23. a. 4. q. 4. ad 4.

[7] Sive negationem. Cfr. tom. I. pag. 87, nota 4. — Post pauca pro *quod non potuit liberari* cod. K *quia non potuit liberare*.

[8] Vide II. Sent. d. 36. a. 2. q. 4.

piosa apud eum redemptio[1]. Esto tamen, quod non alio modo potuisset satisfieri pro genere humano, nec genus humanum aliter *redimi*, sicut multi concedunt; tamen ex hoc non sequitur, quod alio modo non potuerit *liberari*. De *liberatione* enim firmiter credo, quod alio modo potuit liberare; de *redemptione* vero nec nego nec audeo affirmare, quia temerarium est, cum de divina potentia agitur, terminum ei praefigere. Amplius enim potest, quam nos possumus[2] cogitare.

De redemptione.

De liberatione.

SCHOLION.

I. Communiter antiqui doctores cum Alexandro Hal. et S. Bonav. (hic ad 4.) distinguunt *redemptionem* stricte *sumtam*, cui proprium est, ut fiat iusto pretio soluto, a *liberatione* quocumque modo facta, at sine solutione pretii. Simplicem *liberationem* generis humani sine incarnatione fieri potuisse, si Deo placuisset, omnes confitentur; etiam verba Anselmi aliorumque Patrum, quae contrarium asserere videntur, iidem cum nostro Doctore (hic ad 1. 2.) mitius interpretantur, scilicet quod Anselmus loquatur de eadem, quantum est ex parte *nostra*, supposita Dei ordinatione (S. Thom., hic a. 4. ad 2.). Item communiter conceditur, ut supra (qq. 3. 4.) dictum est, etiam redemptionem per satisfactionem *imperfectam* alia via fieri potuisse. Sed quoad redemptionem per *condignam* satisfactionem et secundum potentiam Dei *absolutam*, communius oppositum tenetur; cui responsioni *negativae* contradicitur a Nominalibus et etiam a Scoto, ut supra dictum est in scholiis ad qq. 3. 4. 5. — Ex parte autem *hominis* alius modus vel *redemptionis*, vel simplicis *liberationis* non fuit possibilis, nisi quem Deo placuit hominibus providere.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 18. m. 3. a. 2. — Scot., hic q. unica n. 7. seqq., et Report. hic q. unica n. 4. seq. — S. Thom., hic a. 4; S. III. q. 46. a. 2. — B. Albert., hic a. 1. 2. 3. — Petr. a Tar., hic a. 5. — Richard. a Med., hic q. 4. — Durand., hic q. 1.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Iuste illo deserente, peccantem peccati auctor illico invasit.* Hoc enim videtur inconvenienter dictum. Sicut enim Adam peccavit in[3] consentiendo, ita diabolus peccavit seducendo: ergo sicut fuit iustum, hominem tradi in potestatem diaboli, ita iustum fuit, diabolum tradi in potestatem hominis. — Item, gravius peccavit peccati auctor quam consentiens in peccatum: ergo multo fortius debuit tradi diabolus in potestatem hominis, quam homo in potestatem diaboli.

Respondeo: Dicendum est ad hoc, quod tam diabolum quam Adam invasit sententia iudicis condemnantis; uterque enim punitus fuit, sicut scribitur tertio[4] Genesis; sed tamen magis decebat secundum ordinem divinae iustitiae, hominem subiugari, quam e converso, propter hoc quod homo sponte subiecit se illi consentiendo[5].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Remissio peccatorum, per sanguinem Christi data, a diabolo eruit, ut sic iustitia vincatur diabolus, non potentia.* Videtur enim secundum hoc, quod Deus posset facere per *iustitiam* aliquid et non per *potentiam*, et e converso. Sed *contra* hoc est, quod[6] est summe iustus et summe potens: ergo nihil potest facere nisi iuste et potenter. — Item, esto quod Deus fuisset usus *potentia* in liberatione hominis; cum diabolus nullum ius haberet in eo, nullam iniuriam fecisset diabolo.

Respondeo: Dicendum, quod in auctoritate praemissa non separatur *iustitia* a *potentia*, ita quod una sit sine altera in operatione divina; sed in hoc[7] innuitur, quod aliquod est opus, in quo *per excellentiam* manifestatur *iustitia;* aliquod, in quo *per excellentiam* manifestatur *potentia;* et Deus illum modum elegit, in quo manifestatur *iustitia*, ut nobis daret imitandi formam. — Ad illud quod quaeritur, utrum si liberasset per *potentiam*, fuisset ibi *iustitia;* dicendum, quod sic; sed tamen non fuisset ita manifesta[8].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Legitur, quod Christus traditus sit a Patre, et quod semetipsum tradidit.* Hoc enim videtur falsum. Si enim Deus tradidit eum in mortem, videtur, quod Iudaei eum occiderunt auctoritate Dei: ergo Deus particeps fuit in illo homicidio. *Si tu dicas*, quod tradidit eum,

---

[1] Psalm. 129, 7. — Mox pro *satisfieri* codd. A U *satisfacere.*

[2] Codd. A H L aa bb *possimus.* Paulo superius pro *potuit liberare* edd. *potuit liberari.*

[3] Codd. A K omittunt *in*, quam praepositionem edd. subinde praefigunt verbo *seducendo.*

[4] Vers. 14. seqq. — Mox codd. C D L N X aa verbo *subiugari* praemittunt *diabolo.*

[5] Cfr. supra d. 19. dub. 3. — De hoc dubio cfr. B. Albert., hic a. 8; S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

[6] Supple cum cod. V *Deus.* — De obiect. seq. cfr. supra d. 19. dub. 3.

[7] Edd. *sed hic*, cod. W *sed ex hoc*, alii codd. *sed hoc.* Nostra lectio sumta est ex codd. A K. — Paulo inferius pro *in quo manifestatur*[cod. V *manifestaretur*] *iustitia* cod. K *in quo manifestaret iustitiam.* Subinde pro *imitandi* cod. M *vivendi*, cod. O *vincendi.*

[8] Edd. *manifestata.* — Cfr. de hoc dubio supra q. 6; B. Albert., hic a. 9; Petr. a Tar., hic circa lit.

quia permisit, eum occidi; similiter posset dici de quolibet, qui occiditur, quia quemlibet, qui occiditur, permittit Deus occidi. — Item, qui potest alium liberare ab occisione, et non liberat, dicitur eum occidere *interpretative*: ergo cum Deus Pater potuerit liberare Filium, ut non occideretur; videtur, quod saltem *interpretative* debet dici eum occidisse.

Respondeo: Dicendum, quod *mors* est privatio vitae, et haec [1] habet comparationem ad *inferentem*, et ad eum qui *sustinet*. Et secundum hoc aliquis potest dupliciter tradere alium in mortem: aut quia facit, ut *alii inferant* ei mortem, aut quia facit, ut *ipse sustineat* mortem. Quoniam ergo *sustinentia* mortis fuit a Deo Patre et fuit a Christo, quia Deus Pater voluit, quod ipse sustineret mortem, et ipse voluntarie sustinuit; hinc est, quod traditus dicitur a *Patre*, traditus etiam dicitur a *se*. *Rursus*, quia Iudas et Iudaei procuraverunt, ut alii inferrent ei mortem; hinc est, quod traditus dicitur a *Iuda* et a *Iudaeis*. Et quoniam sustinentia mortis fuit laudabilis, illatio autem fuit vituperabilis; hinc est, quod traditio Dei et Christi laudatur, traditio Iudae et Iudaeorum vituperatur. Et sic patet, quod mors a parte sustinentis fuit Deo placita et accepta, sed a parte infligentium fuit tantum permissa [2]. — Et per hoc patet responsio ad primum obiectum.

Duplex modus tradendi aliquem.

Notandum.

Ad illud vero quod obiicitur, quod permittens alium occidi, cum possit prohibere, est particeps homicidii; dicendum, quod illud fallit in Deo, qui potest peccata omnia prohibere, et non prohibet; hoc enim spectat ad regimen suae providentiae, sicut in primo et in secundo libro fuit ostensum [3].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Actus Iudae et Iudaeorum mali, quibus operati sunt passionem, quae est bonum.* Videtur enim implicare duo opposita. Si enim actus recipit denominationem a termino [4]; et passio Christi fuit bona: videtur ergo, quod actus eorum fuerunt boni. — Item, mors et vita opponuntur; sed Christi vita et generatio fuit bona: ergo mors et corruptio fuit mala. — Item, iuxta hoc quaeritur, utrum simpliciter dicendum sit, quod passio Christi fuit bona, vel mala. Cum enim habeat auctorem bonum et malum, sicut supra [5] dictum est; non est maior ratio, quare magis debeat ab hoc quam ab illo denominari. — Quaeritur etiam, dato quod passio sit bona, utrum concedendum sit, quod Iudaei operati sint bonum.

Quaest. incid. prima.

Secunda.

Respondeo: Dicendum, quod cum quaerimus de bonitate passionis, non quaerimus de bonitate vel malitia in genere *naturae*, sed in genere *moris* [6]. De hac igitur bonitate absque dubio est concedendum, quod passio Christi fuit *simpliciter* bona. Si enim *pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius* [7], multo magis mors Christi fuit pretiosissima. — Triplici autem ex causa debet dici mors Christi simpliciter bona: una est *strenuitas* virtutis ex parte *sustinentis*. Sustinebat enim illam passionem virtuosissime, quia patientissime et constantissime. — Secunda est *utilitas* redemptionis ex parte *humani generis*, quia per illam totum genus humanum est liberatum. — Tertia est *honestas causae moriendi*. Mortuus enim fuit pro veritate dicenda; unde Pilatus scripsit super eum causam: Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum [8]. — Quamvis autem passio Christi sit bona *simpliciter*, tamen actio Iudaeorum fuit mala simpliciter, quia ex mala voluntate et radice processit; nec propter bonitatem passionis, quae exinde secuta est, bona dicenda est; hoc enim fuit praeter intentionem ipsorum per operationem divinam, per quam Deus de multis malis elicit multa bona [9].

Notandum.

Ratio triplex.

Et per hoc patet responsio ad obiecta. Primum enim patet, quod non est ibi implicatio incompossibilium, sicut iam ostensum est. — Secundum etiam patet, quod mors et vita non opponuntur in genere *moris*, sed in genere *naturae*. — Tertium etiam patet, quare passio Christi dicitur simpliciter bona. *Passio* enim dicitur, ut est in *patiente* [10]; et ideo magis dicitur passio esse bona, ut est a bona voluntate patientis, quam mala, ut est a mala voluntate inferentis.

Ad 1. quaestionem.

Ad illud quod ultimo quaeritur, utrum concedendum sit, quod Iudaei operati sint bonum, dicendum, quod est opus *operans* et est opus *operatum* [11]. Cum ergo quaeritur, utrum Iudaei operati sint bonum; *bonum* potest dicere bonitatem circa opus *operans*, vel circa opus *operatum*. Si circa opus *operans*, simpliciter est negandum, quia tale opus in Iudaeis simpliciter fuit malum. — Si circa opus *operatum*, quod quidem fuit mors et passio Christi, hoc dupliciter potest intelligi: aut *primo* et *per se*; et sic falsum est [12], quod Iudaei operati sunt bo-

Ad 2. quaestionem.

Duplex opus.

Subdistinctio.

---

[1] Cod. K *et in hoc*, alii codd. *et hoc*.

[2] Cfr. hic lit. Magistri, c. 5. seq.

[3] Libr. I. d. 47. q. 3. Cfr. ibid. d. 46. q. 2. seqq., et II. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. — Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 18. m. 7; B. Albert., hic a. 14; S. Thom., hic q. 1. a. 5; Petr. a Tar., hic a. 8; Richard. a Med., hic q. 6.

[4] Cfr. supra pag. 174, nota 5. et pag. 192, nota 2.

[5] Dub. praeced. — Paulo superius pro *fuit bona* non pauci codd. *fuerit bona*. Paulo inferius post *dato quod passio* codd. L aa supplent *Christi*.

[6] Cfr. II. Sent. d. 36. dub. 5.

[7] Psalm. 115, 6.

[8] Matth. 27, 37, et Ioan. 19, 19.

[9] Cfr hic lit. Magistri, c. 5. seq. — Mox pro *ibi implicatio* edd. *multiplicatio*. Subinde pro *quod mors* edd. cum pluribus codd. *quia mors*. Demum pro *Tertium etiam* cod. P *Tertium autem*.

[10] Ut insinuat Aristot., III. Phys. text. 19. (c. 3.), nec non Gilbertus Porret., de Sex Princip. c. *de Passione*.

[11] Vel aliis verbis: ipsa agentis operatio et effectus actionis. Cfr. I. Sent. d. 43. q. 3. ad 1. et II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. ad 2.

[12] Codd. A K P Q V bb addunt *adhuc*.

num. Illud enim opus operatum bonitatem non habuit ex intentione Iudaeorum. Si autem intelligatur *per accidens* et *ex consequenti*, sic habet veritatem. Iudaei enim fuerunt operati passionem Christi, quae quidem fuit maximum bonum et saluberrimum toti mundo [1].

DISTINCTIO XXI.

Cap. I.

Si in Christi morte separata fuit anima, vel caro a Verbo.

Post praedicta considerandum est, utrum in morte [1] a Verbo sit separata anima, vel caro. — Quidam putaverunt, carnem, sicut ab anima, ita a Divinitate in morte fuisse divisam. Si enim, inquiunt, anima media Divinitas carnem sibi univit, sicut superius [2] praetaxatum est: ergo quando divisa est caro ab anima, divisa est etiam a Divinitate, quia non potuit ab anima seiungi, per quam Verbo erat unita, quin a Verbo divideretur. Fuit autem divisa ab anima in morte, alioquin vera mors ibi non fuisset, quia, ut ait Augustinus [3], « mors, quam timent homines, separatio est animae a carne; mors autem, quam non timent, separatio est animae a Deo. Utraque vero diaboli suasu homini propinata est ». Si ergo in Christo homine vera mors fuit, divisa est ibi anima ac per hoc Divinitas a carne. Huic suae probabilitati addunt auctoritatis testimonium. Ambrosius [4] enim, tractans de Christi derelictione, qui in cruce, voce magna clamans, dixit: *Deus, Deus meus! ut quid me dereliquisti?* ait: « Clamat homo separatione Divinitatis moriturus. Nam cum Divinitas mortis libera sit, utique mors ibi esse non poterat, nisi vita discederet, quia Divinitas est ». — Hic videtur tradi, quod Divinitas separata sit in morte ab homine, quae nisi discessisset, homo ille mori non posset. Quod illi ad *carnem* referunt, quam dicunt a Deo separatam. — Quibus respondemus, illam *separationem* sic esse accipiendam, sicut intelligitur *derelictio*, quae illis verbis significatur: *Ut quid me dereliquisti?* Quomodo igitur Christus *derelictus* erat a Patre, cum in cruce se derelictum clamabat? Non recesserat Deus ab homine, ita quod esset soluta unio Dei et hominis. Alioquin fuit quoddam tempus, quando Christus, adhuc vivus, *homo* erat et non *Deus;* quia, adhuc vivus, se *derelictum* clamabat, non *derelinquendum*. Si ergo illa derelictio unionis intelligatur *solutio*, ante facta fuit solutio Dei et hominis, quam Christus mortuus esset; sed quis hoc dicat? Fateamur igitur, Deum quodam modo illum hominem in morte deseruisse, quia potestati persequentium eum exposuit ad tempus, non suam potentiam exercendo illum defendit, ut non moreretur. Separavit se Divinitas, quia *subtraxit protectionem*, sed *non solvit unionem;* separavit se *foris*, ut non adesset ad defensionem, sed non *intus* defuit ad unionem. Si non ibi cohibuisset potentiam, sed exercuisset; non moreretur Christus. Mortuus est Christus, Divinitate recedente, id est effectum potentiae in defendendo non exhibente. Hic est hircus apopompaeus, qui, altero hirco immolato, in solitudinem mittebatur, ut legitur in Levitico [5]. « Duo enim hirci humanitas et Divinitas Christi intelliguntur. Humanitate igitur immolata, Divinitas in solitudinem abiit, id est in caelum. Unde Hesychius super Leviticum: In solitudinem, id est in caelum, tempore passionis Divinitas abiisse dicitur, non locum mutans, sed quodam modo virtutem cohibens, ut possent impii consummare passionem. *Abiit* ergo, id est, virtutem cohibuit, et *portavit iniquitates nostras*, non ut haberet, sed ut consumeret. *Deus* enim *ignis consumens est* ». — Ex his satis ostenditur, praemissa verba Ambrosii sic esse accipienda, ut praediximus.

Alii quoque auctoritati innituntur, qui asserunt, Divinitatem in morte recessisse ab homine secundum carnem. Ait enim Athanasius [6]: « Maledictus, qui totum hominem, quem assumsit Dei Filius, denuo assumtum vel liberatum, tertia die a mortuis resurrexisse non confitetur. Fiat, fiat ». Si, inquiunt, denuo assumtus est homo in resurrectione, quem assumserat in incarnatione; deposuit ergo eum in morte: separata ergo fuit Divinitas in morte ab humanitate. — Quibus respondemus, quod si in his verbis assumtio talis intelligatur, quae sit [7] secundum *unionem;* non carnem tantum, sed totum hominem, id est animam et carnem, denuo sibi univit in resurrectione, quia non simpliciter *hominem*, sed *totum hominem assumtum* dicit. Totum igitur hominem in morte deposuit, id est animam et carnem. Sed quis, nisi hostis veritatis, dicat *animam* a Verbo depositam? Et tamen, nisi hoc fateantur, quod *totus* homo sit assumtus, non pro eis facit illa auctoritas, quae *totum* dicit assumtum. Sciendum est igitur, Athanasium id dixisse contra illorum perfidiam, qui resurrectionem Christi negabant putantes, morte detineri qui solus *inter mortuos liber* [8] est. Ideo illum maledicit, qui non confitetur, *totum* hominem, denuo assumtum, resurrexisse, id est, Christum animam denuo corpori coniunxisse et in illis duobus, denuo coniunctis in resurrectione, vere secundum ho-

Opinio falsa. Augustinus. Ambrosius. Determinatio vera. Obiicitur. Athanasius. Respondetur.

---

[1] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 12. seq.; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Vat. cum aliquibus edd. hic addit *Christi*, et infra post *putaverunt* adiicit *tunc*. — Cfr. de hac dist. Hugo de S. Vict., Sum. Sent. tr. 1. c. 19.

[2] Dist. II. c. 2. — Pro *praetaxatum* edd. 1, 8 *praetactum*.

[3] Enarrat. in Ps. 48. serm. 2. n. 2. — In quo textu edd. 1, 8 pro *suasu* habent *suasionibus*, originale vero *persuasione*. — Infra post *ibi anima* Vat. et edd. 2, 6, 7 addunt *a carne*.

[4] In Evang. Lucae X. n. 127, ubi respicitur Matth. 27, 46.

[5] Cap. 16, 6-10. Apopompaeus (ἀποπομπαῖος) est *emissarius*. Quae sequuntur sunt in Glossa ad praetactum locum apud Lyranum et apud Hesychium ad eundem locum, sed mutato propositionum ordine. Ibi respicitur Isai. 53, 11; Deuter. 4, 24.

[6] Apud Vigilium Taps. VI. de Trin., cuius VI. libri titulus est *de Beatitudine fidei et de proscriptione sectae pessimae*. Exhibetur ibi haeretico respondens Athanasius, in cuius tamen operibus excusis haec verba non inveniuntur. Magister ista transcripsit ex Hugone loc. cit., qui tamen cum Alexandro Hal. falso nominat *Anastasium* pro *Athanasio*.

[7] Vat. et edd., exceptis 4, 8, cum cod. E *fit*.

[8] Psalm. 87, 6.

minem vixisse, sicut ante mortem. Nam in morte separata est *anima* a *carne* — unde vere dicitur Christus mortuus — sed *neutrum* separatum est a *Verbo Dei;* sicut Augustinus super Ioannem [1] docet, tractans illud Domini verbum: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam et iterum sumendi eam.* Hic animam dicit *emissam.* A quo emissa est? A *se ipsa* non est emissa, quia se ipsam non posuit; nec *Verbum* animam posuit, vel carnem. *Caro* ergo animam posuit, sed potestate in se manentis Deitatis. Potentia ergo Deitatis anima divisa est a carne, sed neutrum a Verbo Dei. Unde Augustinus [2]: « Verbum, ex quo suscepit hominem, id est carnem et animam, nunquam deposuit animam, ut esset anima a Verbo separata, sed caro posuit animam, quando exspiravit, qua redeunte surrexit. Mors ergo ad tempus carnem et animam separavit, sed neutrum a Verbo Dei. *Caro* igitur ponit et sumit animam, non potestate sua, sed potestate inhabitantis carnem Deitatis ». — Hic evidenter traditur, nec animam nec carnem a Verbo Dei in morte esse divisam, ut aliquo modo soluta fuerit unio. Unde Augustinus contra Felicianum [3]: « Absit, ut Christus sic senserit mortem, ut, quantum in se est, vita vitam perdiderit. Si enim hoc ita esset, vitae fons aruisset. Sensit igitur mortem participatione humani affectus, quem sponte susceperat; non naturae suae perdidit potentiam, per quam cuncta vivificat. Sic in sepulcro carnem suam commoriendo non deseruit, sicut in utero Virginis connascendo formavit. Mortuus est ergo, non discedente vita; sicut passus est, non pereunte potentia. Nemo tollit animam eius ab eo, quia potestatem habet ponendi et sumendi ». — Ecce et hic habes, Christum non deseruisse carnem in morte, et vitam non discessisse a mortuo, et quod sponte tradidit spiritum, non alius extorsit. Unde Ambrosius [4]: « *Emisit* Christus spiritum, et tamen quasi arbiter exuendi suscipiendique corporis *emisit* spiritum, non *amisit;* pendebat in cruce et omnia commodebat ». « Sed unde emisit? Ex carne. Quo emisit? Ad Patrem ».

Confirmatur vera sententia. Dubium 1. Augustinus. Dubium 2. Augustinus. Ambrosius. Hugo.

Cap. II.

Qua ratione dicitur Christus mortuus vel passus.

« Recedente vero anima, mortua est caro Christi; et quia caro mortua est, mortuus est Christus. Sicut enim mortuus dicitur Deus, quando mortuus est homo; ita mortuus dicitur homo, quando mortua est caro. Separatio animae mors carnis fuit ». — Propter carnem ergo unitam Verbo, quae mortua est, dicitur Deus *mortuus,* et propter carnem et animam, quae utraque dolorem sensit, dicitur Deus *passus,* cum Divinitas omnis doloris exors existeret. Unde Augustinus [5]: « Verbum caro factum est, ut per carnem panis caelestis ad infantes transiret; et secundum hoc ipsum Verbum crucifixum est, sed non est mutatum in hominem; homo in illo mutatus est, ut melior fieret, quam erat. Per id ergo quod *homo* erat, mortuus est Deus, et per id quod Deus erat, homo excitatus est et resurrexit. Quidquid passus est homo, non potest dici non passus Deus, quia *Deus* erat homo. Quomodo potes dicere, te non esse passum iniuriam, si vestis tua conscindatur, quamvis vestis tua non sis tu? Multo magis ergo, quidquid patitur caro unita Verbo, debet dici pati Deus, licet Verbum nec mori nec corrumpi nec mutari potuerit. Sed quidquid horum passus est, in carne passus est ». De hoc etiam Ambrosius in libro tertio de Spiritu sancto [6] ait: « Quod Verbi caro patiebatur, manens in carne Verbum in se, pro corporis assumtione referebat, ut *pati* diceretur, quia caro patiebatur, sicut scriptum est: *Christo in carne passo* ». — Hic docetur, qua ratione Deus vel Dei Filius *passus* vel *mortuus* dicitur, non quia mortem senserit, in quantum Deus est, sed quia caro ei unita mortua est. Secundum quam rationem dicit Augustinus [7]: « Si quis dixerit atque crediderit, Filium Dei Deum passum, anathema sit ». Cuius dicti causam, ex qua intelligentia sumenda sit, aperiens in eodem subdit: « Si quis dixerit, quod in passione dolorem sentiebat Filius Dei Deus, et non caro tantum cum anima, quam sibi acceperat, anathema sit ». — Sane igitur dici potest, quod mortuus est Deus et non mortuus, passus est Dei Filius et non passus, passa est tertia [8] persona et non passa, crucifixum est Verbum et non crucifixum: secundum alteram naturam passus est, secundum alteram impassibilis. Unde Ambrosius [9]: « Generalis ista est fides, quia Christus est Dei Filius et natus ex Virgine, quem quasi *gigantem* Propheta describit, eo quod biformis geminaeque naturae unus sit, consors Divinitatis et corporis ». « Idem ergo patiebatur et non patiebatur, moriebatur et non moriebatur, sepeliebatur et non sepeliebatur, resurgebat et non resurgebat; resurgebat secundum *carnem,* quae mortua fuerat, non secundum *Verbum,* quod apud Deum semper manebat ».

De separatione animae a carne. Hugo. Augustinus. Ambrosius. Dubium 3.

---

[1] Tract. 47. n. 11, sententialiter, sed magis ad verbum apud Hugonem, II. de Sacram. p. I. c. 11. Verba Scripturae sunt Ioan. 10, 17. 18.

[2] Ibid., sed ad verbum apud Lyranum Ioan. 10, 17.

[3] De Unitate Trin. c. 14. (inter opera August.).

[4] De Incarnat. dominicae sacram. c. 5. n. 39. In quo loco codd. A B C D et edd., exceptis 4, 8 et Vat., perperam habent *eruendi suspendendique* pro *exuendi suscipiendique,* quod habet originale. — Seq. locus est Hugonis a S. Vict., II. de Sacram. p. I. c. 11, qui excurrit in sequens capitulum.

[5] Enarrat. in Ps. 130. n. 10. In quo textu post *resurrexit* sola Vat. cum originali adiicit *et ascendit in caelum.*

[6] Nunc inscripto *de Incarnat. dominicae sacram.* c. 5. n. 44, ubi respicitur I. Petr. 4, 1.

[7] Serm. 233. (alias 129. de Temp.) n. 2, nunc invenitur in appendice. — Pro *sumenda sit,* codd. B C D E et edd. 1, 7, 8 *sumenda est.* — Seq. locus ibid. n. 3.

[8] Cfr. pag. 299, nota 2.

[9] De Incarnat. dominicae sacram. c. 5. n. 35, ubi respicitur Ps. 18, 6. Seq. locus est ibid. n. 36.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXI.

De ipsa pretiosissima morte Christi.

Post praedicta considerandum est etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de sacratissima Christi [1] passione. In hac parte agit de pretiosissima eius morte, quae consistit in separatione animae a carne. Dividitur autem ista pars in duas partes. In quarum prima determinat de ipsa separatione. In secunda agit de consequentibus ipsam separationem, infra distinctione vigesima secunda: *Hic quaeritur, utrum in illo triduo* etc.

Prima pars dividitur in duas partes. In quarum prima agit de separatione animae a carne in comparatione ad Deitatem. In secunda agit de separatione animae a carne secundum comparationem, quam habent ad invicem, ibi: *Decedente* [2] *vero anima, mortua est caro Christi.* Prima pars dividitur in duas partes. In quarum prima inquirit, utrum in morte anima, vel caro sit separata a Verbo, determinans veritatem. In secunda parte hoc confirmat per auctoritatem, ibi: *Sicut Augustinus docet super Ioannem.* Prima pars dividitur in quatuor partes. In quarum prima proponit Magister quaestionem et opponit ad partem falsam [3]. In secunda vero subiungit determinationem, ibi: *Quibus respondemus, illam separationem* etc. In tertia vero resumit obiectionem partis adversae, ibi: *Alii quoque auctoritati innituntur* etc. In quarta vero et ultima ponit determinationem et expositionem auctoritatis inductae, ibi: *Quibus respondemus, quod si in his verbis* etc. — Subdivisiones autem illarum [4] partium satis manifestantur in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio circa duo.

Primo enim quaeritur de ipsa separatione, quae facta est in morte per comparationem ad unionis vinculum.

Secundo per comparationem ad effectum ipsius separationis.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum in morte fuerit anima separata a Deitate.

Secundo vero, utrum Deitas fuerit separata a carne.

Tertio quaeritur, utrum Verbum fuerit unitum carni et animae duplici unione.

ARTICULUS I.

De separatione, facta in morte, per comparationem ad unionis vinculum.

QUAESTIO I.

Utrum in morte anima Christi separata fuerit a Deitate.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum in morte anima separata fuerit a Deitate. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum. 1. Ioannis decimo [5]: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam;* sed ponere ibi animam non est aliud quam deponere: ergo si iste sermo est personae Filii Dei, videtur, quod Filius Dei animam deposuerit in morte: ergo in morte anima fuit separata a Verbo.

2. Item, unio facit communicationem idiomatum [6]; sed in morte idiomata Dei non communicabantur animae: ergo in morte non mansit unio animae ad Deitatem.

---

[1] Codd. G H I L T U V Z aa bb *Dei.*

[2] Cod. K cum Magistro *Recedente.*

[3] Edd. *oppositam.*

[4] Pro *illarum*, quod codd. H T omittunt, multi codd. *aliarum*, subinde pro *manifestantur* cod. X *manifestae sunt.*

[5] Vers. 18.

[6] Cfr. supra pag. 14, nota 3. — In *minori* pro *communicabantur animae* edd. *communicantur animae ad Deitatem.* Edd. 1, 2 omittunt conclusionem. Deinde et in seqq. codd. inter se differunt scribentes vel *Deitas* vel *Divinitas*, nec singuli sibi constant, unde non potuimus bene determinare primitivam lectionem.

3. Item, in morte dividuntur quae in nativitate coniunguntur; sed Divinitas iuncta est ipsi animae Christi in ipsius conceptione et nativitate in utero [1]: ergo separata fuit ab ea in morte.

4. Item, Divinitas non potuit animae esse unita, quin anima ipsa frueretur et delectaretur in ea; sed in morte remota fuit delectatio ab anima, quam habebat in ipsa Divinitate: ergo separata fuit omnino ab anima. *Maior* propositio per se manifesta est; *minor* probatur per illud quod dicitur Matthaei vigesimo sexto [2]: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* Glossa: « Remota delectatione aeternae Divinitatis, taedio humanae calamitatis afficitur »: ergo secundum istam Glossam delectatio removebatur: ergo unio solvebatur.

Sed contra: 1. Augustinus [3] et Damascenus: Fundamenta. « Anathema sit qui dicit, Verbum deposuisse quod semel assumsit »: si ergo animam assumsit, nunquam deposuit animam.

2. Item, Filius Dei dicitur descendisse ad inferos post mortem [4]; sed constat, quod secundum Divinitatem non potest dici nec secundum carnem: ergo oportet, quod dicatur secundum animam: ergo anima post mortem fuit sibi unita, non ergo in morte fuit separata.

3. Item, si anima fuit separata in morte a Verbo; cum non haberet gloriam fruitionis nisi per unionem sui ad Divinitatem, ergo anima Christi desiit esse beata; et si desiit esse beata, nunquam fuit beata, quia beatitudo est bonum, quod nunquam potest amitti [5]: si igitur hoc est inconveniens, anima non fuit separata a Divinitate.

4. Item, si separata fuit, aut *volens*, aut *nolens*. Si *nolens;* cum hoc non meruisset, facta fuit sibi iniuria. Si *volens;* sed velle separari a Deo non potest homo nisi iniuste: ergo anima illa fuit iniusta: cum igitur hoc sit falsum et impium, restat etc.

conclusio.

Anima Christi in morte a Verbo non fuit separata.

Respondeo: Dicendum, quod in morte [6] non fuit Conclusio. anima separata a Verbo. Et ratio huius est: quia nec *Deum decebat*, nec *nobis expediebat*, nec illi *animae congruebat*. — *Deum non decebat*, quia in- Ratio 1. dissolubili matrimonio sibi eam coniunxerat. Unde sicut non decet virum relinquere uxorem, sic non decuit Verbum Dei ab anima separari [7]. — *Nobis* Ratio 2. *non expediebat*, quia, si facta fuisset separatio, anima illa nec habuisset *potentiam* ad eripiendum genus captivum nec *mediatricis officium* ad reconciliandum; et neutrum erat nobis expediens, sed potius eius oppositum [8]. — *Animae* etiam illi *non con-* Ratio 3. *gruebat*, tum quia *innocentissima*, tum etiam quia *beatissima*. Quia *beatissima* erat, non poterat *velle* separari a Verbo; quia *innocentissima* erat, non poterat *contra voluntatem* suam separari ab eo. — Et ideo concedendum est, quod in morte anima a Verbo separata non fuit. Nam si quis contrarium diceret, Corollarium. iniuriam faceret *Deitati* et *nobis* et *animae Christi*, et ideo dignus esset anathematizari. Et ideo hoc [9] dicit Damascenus, quod quicumque hoc dixerit, anathema sit. — Concedendae sunt igitur rationes, quae sunt ad partem istam.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in con- Solutio oppositorum. trarium, dicendum, quod, sicut dicit Augustinus [10], verbum illud est personae Filii Dei ratione carnis assumtae. Et *si tu obiicias*, quod carni non competit ponere animam, cum non habeat *posse* super ipsam; dicendum, quod hoc attribuitur ipsi carni Notandum. ratione « manentis in se Deitatis ». Unde attendendum est, quod est ibi *deponens*, et *unde deponit* [11]; *deponens* est virtus divina; *unde* vero *deponit* est caro assumta. Voluit enim Christus, animam suam separari non a se, sed a carne sua; et sicut dictum est de depositione, ita intelligendum est de resumtione.

2. Ad illud quod obiicitur de idiomatum com- Notandum. municatione, dicendum, quod unio facit, idiomata communicari non *partibus* rei unibilis, sed magis ipsi *rei naturae*, quae nominat totam naturam, ut in supposito; unde idiomata Filii Dei non communicantur ipsi *animae*, sed communicantur ipsi *homini;* et quoniam anima unitur ipsi Verbo ut *pars* humanae naturae, ideo non oportet ipsi idiomata communicari [12].

3. Ad illud quod obiicitur, quod illa dividuntur in morte, quae coniuncta sunt in nativitate; dicendum, quod est coniunctio *naturalis*, et est con-

---

[1] Cfr. supra d. 3. p. II. a. 3. q. 2.

[2] Vers. 38. — Glossa habetur apud Bedam super Marc. 14, 36, et delibata est ex Ambros., X. Exposit. Evang. Luc. 22, 42. seq. n. 56: Sequestrata delectatione Divinitatis aeternae, taedio meae infirmitatis afficitur. — In *minori* pro *remota* codd. U W *separata*. In conclus. pro *omnino*, quod e cod. A restituimus, alii codd. et edd. 1, 2 perperam *caro*, Vat. *Divinitas*.

[3] Sententialiter in Ioan. Evang. tr. 47. n. 10. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1, ubi de *assumtione* similis formula invenitur.; vide pag. 434, nota 6. De Damasceno cfr. supra pag. 138, nota 8.

[4] Ut ostenditur infra d. 22. q. 4. — In *minori* post *dici* cod. K addit *quia eius non est descendere vel ascendere;* cfr. Fulgent., II. ad Trasim. c. 10.

[5] Vide August., XIII. de Trin. c. 8. n. 11.

[6] Cod. U adiicit *Christi*. Inferius pro *matrimonio* codd. H bb (K a secunda manu) *vinculo*.

[7] Cfr. supra d. 6. a. 2. q. 2. seq.

[8] Cfr. infra d. 22. q. 4. seq. — Paulo superius voci *genus* Vat. apponit *humanum*.

[9] Cod. W *Et propter hoc*.

[10] In Ioan. Evang. tr. 47. n. 11. seqq., cuius sententiae summa habetur etiam hic in lit. Magistri, c. 1. circa finem. — Post *verbum illud* cod. R addit *potestatem habere* scil. ponendi animam.

[11] Fere omnes codd. *deponens*. Circa finem solut. plurimi codd. omittunt *de* ante *depositione;* tunc legendum *de positione*.

[12] Vide supra d. 6. a. 1. q. 1. ad 6. — Paulo superius post *Filii Dei* cod. K subiicit *omnino*.

iunctio *supernaturalis*. Quando ergo dicitur, quod illa in morte dividuntur, quae in nativitate coniuncta sunt, hoc intelligitur de unione *naturali*. Unio autem Divinitatis ad animam non erat *naturalis*, sed *supernaturalis;* et ideo de ista unione verbum illud non habet intelligi.

4. Ad illud quod obiicitur, quod remota est delectatio in morte ab anima; dicendum, quod sicut *lux* potest dupliciter offuscari: vel *in se*, vel *in sua irradiatione;* sic et *delectatio* potest dupliciter removeri ab anima rationali: aut quia ipsa desinit *in se* delectari, aut quia desinit *redundare* in partem inferiorem. Cum ergo dicitur, quod delectatio Deitatis remota fuit in morte ab anima Christi, hoc non intelligitur ea ratione, quod mens eius desineret frui Divinitate, sed quod dispensative subtracta fuit redundantia in partem sensibilem et exposita fuit passioni acerbissimae. Propter quod clamat in passione; *Deus meus, Deus meus! ut quid dereliquisti me*[1]? quod non intelligitur, quia dereliquerit solvendo vinculum unionis, sed exponendo ad supplicium passionis.

Distinctio duplex.

Notandum.

SCHOLION.

I. De hac et seq. (2.) quaestione nulla inter catholicos est controversia. Ad rem et ad mentem S. Bonaventurae dicit Petr. a Tar. (hic q. 1. a. 2.): « Divinitas coniuncta fuit illi animae triplici vinculo: per gratiam inhabitationis, per gloriam fruitionis, per gratiam unionis personalis; et prima fuit dispositio secundae, et utraque tertiae. Unde cum prima non fuerit separabilis, quia solum peccatum separat eam, nec secunda fuit separabilis nec tertia » etc. — Arg. 1. ad oppositum eodem modo solvitur etiam a S. Thoma (S. III. q. 50. a. 3. ad 1.) aliisque. Tamen multi interpretes s. Scripturae cum S. Ioan. Chrysostomo volunt, quod *anima* hoc loco, iuxta usum loquendi in in sacris libris non rarum, significet *vitam corporalem;* qua interpretatione evanescit tota difficultas. Haec solutio aliquatenus insinuatur etiam ab auctore nostro, hic dub. 2.

De hac (1.) quaestione: Alex. Hal., de hac et seq. q. S. p. III. q. 19. m. 1. — Scot. hanc et seq. q. tangit hic q. unica, et d. 16. q. 2. arg. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2; S. art. cit. — B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 1. — Petr. a Tar., loc. cit. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 1. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

II. De seq. (2.) quaestione praeter citatos: S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1; S. loc. cit. a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum in morte Christi Divinitas sit separata a carne.

Secundo quaeritur, utrum in morte[2] Divinitas sit separata a carne. Et quod sic, videtur.

1. Soluto medio, solvuntur extrema; sed « Verbum unitur carni mediante intellectu », sicut dicit Damascenus, et habitum est supra distinctione secunda[3]: si ergo in morte separata fuit anima a carne, restat, quod Divinitas separata fuit ab eadem.

Ad oppositum.

2. Item, destructo priori, destruitur posterius[4]; sed unio carnis ad animam prior est naturaliter, quam sit unio carnis ad Divinitatem, quia prima est *naturalis*, secunda *gratuita*, et *natura* prior est quam *gratia:* ergo soluta unione animae ad carnem, necesse est, solvi unitatem carnis ad Deitatem.

3. Item, Divinitas non est unibilis naturae insensibili et irrationali[5]; sed caro post separationem animae facta est insensibilis: ergo non videtur fuisse idonea tunc, ut uniretur Divinitati: videtur igitur, quod in morte unio illa fuerit soluta, quae erat Divinitatis ad carnem assumtam.

4. Item, omnis unio terminatur ad aliquod unum: si ergo caro unita erat Deitati, aut ergo ista unio faciebat unum in *natura*, aut unum in *persona*. In *natura* non, hoc constat[6]; in *persona* non, ut videtur, quia non est dicere, quod Filius esset persona carnis: ergo non videtur, quod aliquo genere unionis in morte Divinitas unita fuerit carni.

Sed contra: 1. Leo Papa[7]: « Tanta est unio Dei et hominis, ut nec supplicio posset dirimi nec morte disiungi »; sed de integritate humanae naturae est non tantum anima, verum etiam caro: ergo in morte non fuit separata caro a Verbo. Hoc ipsum dicit Augustinus contra Felicianum, cuius auctoritas habetur in littera[8].

Fundamenta.

2. Item, *ratione* videtur. Christus in triduo di-

---

[1] Matth. 27, 46. — De expositione, quae his verbis a S. Bonav. annectitur, vide hic lit. Magistri, c. 1. — Pro *solvendo vinculum* plurimi codd. *solummodo vinculum*. Paulo superius pro *partem sensibilem* cod. A *partem sensualem*.

[2] Edd. addunt *Christi*.

[3] Art. 3. q. 1. Vide hic lit. Magistri, c. 1. — In fine arg. pro *ab eadem* codd. D bb *a carne*.

[4] Cfr. Aristot., VII. Metaph. text. 54. et XI. c. 1. (VI. c. 15. et X. c. 1.), nec non Porphyr., de Praedicab. c. *de Communitatibus et differentiis generis et speciei*, ex quo cap. nonnulla transcripsimus tom. II. pag. 95, nota 2. In fine arg. pro *solvi unitatem* mallemus *solvi unionem;* sed nihil mutavimus, refragantibus et codd. et edd.

[5] Vide supra d. 2. a. 1. q. 1. — In fine arg. pro *assumtam* Vat. *assumtio*.

[6] Cfr. supra d. 6. a. 2. q. 1.

[7] Serm. 68. (alias 66.) sive 17. de Passione, c. 1. Cfr. supra pag. 162, nota 2. — Pro *disiungi* multi codd. et edd. *distingui*.

[8] Hic c. 1. in fine.

citur iacuisse in sepulcro; sed hoc non dicitur nisi ratione carnis coniunctae[1]: ergo in triduo caro fuit coniuncta Divinitati.

3. Item, quandocumque[2] aliqua duo unita separantur, aut elongantur secundum *dissimilitudinem*, aut secundum *positionem;* sed caro Christi non fuit elongata a Verbo secundum dissimilitudinem — talis enim elongatio est peccati — nec fuit elongata secundum *positionem*, quia Verbum Dei est ubique: ergo in morte non fuit soluta unio Divinitatis ad carnem.

4. Item, nihil unitum carni per passionem separabatur a carne, quod non pateretur, carne patiente; sed Deitas, patiente carne, non patiebatur: ergo per passionem et mortem ab ea non separabatur[3].

CONCLUSIO.

In morte Christi Deitas a carne non fuit separata.

Respondeo: Dicendum, quod in morte[4] non Conclusio. fuit Deitas separata a carne. Et ratio huius triplex est, videlicet *liberalitas* ex parte assumentis, *dignitas* ex parte assumtibilis, *utilitas* ex parte assum- Ratio 1. tionis. — *Liberalitas*, inquam, ex parte assumentis, quia, cum Deus dat aliquod donum, non subtrahit illud sine culpa; si ergo nulla culpa intervenit, non decuit divinam liberalitatem carnem, quam sibi Ratio 2. liberaliter unierat, separare a se. — *Dignitas* etiam ex parte assumtibilis fuit in causa, quare ista unio non debuit separari. Caro enim illa non debuit videre corruptionem, secundum illud quod dicitur in Psalmo[5]: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem;* sicut ergo nunquam decuit, ipsam incinerari, sic nunquam decuit, ipsam a Verbo separari. Ratio 3. — *Utilitas* autem ex parte assumtionis ad hoc ipsum faciebat. Ad hoc enim fiebat illa unio Divinitatis ad humanam naturam et carnis ad animam, ut procuraretur nostra salus. Et quoniam separatio carnis a Divinitate in nullo faceret ad nostram salutem, pro eo quod non potest per eam fieri satisfactio[6], cum Divinitas non possit sentire dolorem et poenam in separatione ipsius a carne; hinc est, quod non erat conveniens, carnem separari a Divinitate. Unde nec passio habebat ad hoc aliquem ordinem. — Concedendae sunt igitur rationes inductae ad istam partem.

1. Ad illud quod obiicitur, quod soluto medio, Solutio oppositorum. solvuntur extrema; dicendum, quod illud habet veritatem de medio *necessitatis*[7], non autem de me- Notandum. dio *congruitatis;* anima autem non erat medium *necessitatis*, sed *congruitatis; praeterea*, non solum erat medium ratione coniunctionis secundum *actum*, sed etiam secundum *habitum*. Et licet anima non esset unita carni in morte, erat tamen ei unibilis, et per hoc caro etiam unibilis Divinitati.

2. Ad illud quod obiicitur, quod destructo priori, destruitur posterius; dicendum, quod illud verum est, ubi posterius *dependet essentialiter* a Notandum. priori; ubi vero aliquid praecedit alterum sicut *dispositio congrua*, non oportet, quod habeat veritatem; et sic est in proposito. Nam unio Divinitatis ad carnem sive carnis ad Divinitatem[8] non dependet *essentialiter* sive dependentia *necessitatis* ab unione illorum duorum ad invicem, sed si illam praesupponit, hoc est quaedam *congruitatis* convenientia.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Divinitas non est unibilis naturae irrationali et insensibili; dicendum, quod si[9] caro Christi tunc careret et ratione et sensu, habebat tamen ordinem ad animam, quae rationem et sensum in se habet. Et *si tu obiicias*, quod illud non sufficiat, quod aliquid sit possibile ad unionem animae rationalis, ad hoc quod congruum sit uniri cum Divinitate; dicendum, quod Notandum. absque dubio hoc non suffecisset in primordio incarnationis, immo simul decuit Divinitatem uniri carni et animae ut coniunctis[10]; secus autem est in mysterio nostrae redemptionis, quod quidem debuit consummari per mortem; et ratione cuius congruum fuit, ut illa quae prius valde coniuncta erant, non minus congrue essent ad tempus divisa, caro videlicet et anima; et pro isto tempore bene sufficiebat ipsi carni unibilitas ad animam loco congruitatis reddentis eam idoneam ad unionem cum Divinitatis natura.

---

[1] Cfr. infra d. 22. q. 1.

[2] Multi codd. perperam *quantumcumque*. Subinde pro *unita* codd. A aa *iuncta*, cod. K *coniuncta*. Mox et paulo inferius pro *dissimilitudinem* cod. A *disiunctionem* et similiter bis *potentium* pro *positionem*.

[3] Gregor. Nyss., Epist. 3. ad Eustathiam et Ambrosiam: In morte ut corpus ab anima separaretur, per dispensationem fecit; at Deitas, quae divisionem nullam admittit, ubi semel ei subiecto cohaesit, neque a corpore neque ab anima unquam fuit divulsa.

[4] Edd. supplent *Christi*.

[5] Psalm. 15, 10, quem versum August. (Enarrat. in hunc Ps. n. 10.) sic interpretatur: Neque sanctificatum corpus, per quod et alii sanctificandi sunt, corrumpi patieris. — Post pauca pro *incinerari* cod. V *corrumpi*. Subinde pro *Utilitas autem* codd. A V *Utilitas etiam*.

[6] Cfr. supra d. 20. q. 3. — Paulo inferius pro *aliquem ordinem* codd. R U *aliquam ordinationem*.

[7] Id est illud, sine quo coniunctio extremorum esse nequit; quod medium supra d. 2. a. 3. q. 1. vocatur *medium colligantiae*. — Paulo inferius pro *non solum... sed etiam* Vat. exhibet tantummodo *non... sed* et deinde inter verba *Et licet* interiicit *ideo*.

[8] Pro *Divinitatem* codd. et edd. 1, 2 *animam*. Fortasse prima codd. scriptura fuit *sive Divinitatis ad animam* pro *sive carnis ad Divinitatem*. Etiam in fine huius solut. edd. habent lectionem variantem, hanc scilicet: *sed si illa supponit, hoc est quadam congruitatis convenientia*. Codd. A N T X *haec est* pro *hoc est*.

[9] Edd., pro *si* substituto *etsi*, subinde omittunt *tunc*.

[10] Vide supra d. 3. p. II. a. 3. q. 2. — Mox pro *mysterio* edd. cum aliquot codd. *ministerio*. Inferius pro *sufficiebat* cod. B *satisfaciebat*.

4. Ad illud quod obiicitur, quod unio terminatur ad aliquod unum; dicendum, quod verum est. Talis enim unio terminatur ad unum in persona; nam caro unitur divinae naturae in unitate hypo- Notandum. stasis et personae Filii Dei. Sed attendendum, quod aliter dicitur illa hypostasis *carnis* et [1] hypostasis *hominis*. Hypostasis enim *hominis* dicitur non solum in *obliquo*, sed etiam in recto; est enim hypostasis, quae est *homo*. Sed hypostasis *carnis* intelligitur in *obliquo*, non quia *esset* caro, sed quia *habebat* carnem; unde illa poterat dici *caro Verbi*. Et hoc est quod dicit Damascenus [2]: « Si mortuus est ut homo, et sancta illa anima ab eius corpore divisa est; Divinitas tamen inseparabilis ab utroque permansit, neque ita una hypostasis in duas divisa est; etenim corpus et anima a principio in Verbi hypostasi habuerunt sustinentiam, et in morte a se invicem divisa manserunt, singulum autem eorum unam hypostasim Verbi habens. Neque enim corpus neque anima propriam habuit hypostasim praeter hypostasim Verbi ». Et sic patet illud [3].

QUAESTIO III.

Utrum Verbum unitum fuerit carni et animae duplici unione.

Tertio quaeritur, utrum Verbum unitum fuerit carni et animae duplici unione. Et quod sic, videtur.

1. Unio numeratur per extrema unibilia [4]; sed Ad oppositum. caro et anima sunt diversa unibilia, hoc enim est corporale, et illud spirituale: ergo si uniuntur Verbo, pluribus unionibus uniuntur.

2. Item, si aliquod unum unitur aliquibus alterutrum divisis, unitur eis diversis unionibus; sed hypostasis Verbi unita fuit in morte carni et animae alterutrum divisis: ergo uniebatur eis unionibus diversis. Sed eodem modo unita fuit Divinitas carni et animae in incarnatione et in morte et post mortem, quia illa unio non fuit variata: ergo si post mortem uniebatur diversis unionibus, necessario sequebatur, quod et in ipsa incarnatione.

3. Item, ubicumque est ordo prioris ad posterius, ibi est numeratio et distinctio; sed per prius unitur anima ipsi Verbo quam caro, caro enim unitur mediante anima [5]: ergo si in huiusmodi unionibus est ordo, ibi est distinctio: ergo pluribus unionibus uniuntur.

4. Item, anima unitur Divinitati et unitur carni; nec unitur unione unica, sed duplici [6]: ergo pari ratione videtur, quod hypostasis Verbi, cum unitur carni et animae, duplici unione unitur. *Si tu dicas*, quod non est simile, quia ex Deitate et carne non fit unum, sicut fit ex carne et anima; tunc *obiicitur*: esto quod ex carne et anima non fiat unum, sicut fuit in morte; videtur tunc, quod illa iam non sit una unio, sed duae.

Sed contra: 1. Unio terminatur ad unum; Fundamenta. sed caro et anima uniuntur ipsi Verbo in unam personam [7]: ergo videtur, quod uniantur ei unione unica.

2. Item, unio facta est per assumtionem [8], ergo ubi est una assumtio, ibi est una unio; sed Verbum assumsit totam naturam humanam unica assumtione: ergo univit sibi carnem et animam unica unione.

3. Item, sicut totus homo componitur ex carne et anima, ita totum corpus componitur [9] ex partibus organicis: ergo si essent diversae uniones carnis et animae ad naturam divinam, pari ratione essent diversae uniones manus et pedis ad eandem, et aliorum membrorum. Quodsi hoc est inconveniens, restat, quod carnis et animae una est unio ad Deitatem.

4. Item, cum caro et anima uniuntur unione *naturali*, una unione uniuntur: ergo pari ratione, quando uniuntur [10] unione *personali*, cum ita bene sit unum illud quod est unum in persona, sicut illud quod est unum in natura; sed caro et anima uniuntur Verbo unione personali: ergo uniuntur unione unica, non unione multiplici.

---

[1] Codd. R Z *et aliter*.

[2] Libr. Iii. de Fide orthod. c. 27: Si mortuus... et in morte a se invicem divisa, *singulum eorum mansit*, unam hypostasim Verbi habens. *Quam ob rem una Verbi hypostasis, et Verbi et animae et corporis erat hypostasis.* Neque enim corpus etc. — In testimonio allato pro *sustinentiam* cod. A *subsistentiam* (ὑπαρξιν). Paulo inferius pro *habens*, quod fide codd. A Q restituimus, alii codd. partim *habent*, partim *habet*; etiam edd. exhibent *habet*. Demum pro *habuit* codd. G H L aa cc *habuerunt*, codd. A Q U *habent*.

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Nam unio est *relatio*, quae respectum habet ad terminum. Cfr. supra pag. 193, nota 4.

[5] Cfr. supra d. 2. a. 3. q. 1. — De *maiori* cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Priori*, et I. Sent. d. 20. a. 2. q. 1. — Cod. V post *anima* supplet *ipsi*, et post *ordo* codd. A K *restat quod*.

[6] Vide supra lit. Magistri, d. V. c. 3.

[7] Ut habetur supra d. 6. a. 2. q. 1.

[8] Cfr. supra d. 5. a. 1. q. 1. in corp.

[9] Cod. A *ita corpus hominis componitur*.

[10] Cod. K supplet *Verbo*. Paulo inferius pro *unum in natura* plurimi codd. *unum natura*. — Duae hae uniones, licet sint bene distinguendae, non sunt accidentales, sed *substantiales*, quia substantia « dupliciter dicitur: uno modo pro *essentia* sive natura, alio modo pro *supposito* sive hypostasi » (S. Thom., S. III. q. 2. a. 6. ad 3.).

CONCLUSIO.

Loquendo de unione in sensu activo *et* passivo, *unica unione caro et anima fuerunt unitae Verbo; loquendo de unione ut* relatione, *ante mortem fuerunt unitae unica unione in actu et pluribus in potentia, post mortem autem pluribus in actu.*

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est Triplex unio. notandum, quod unio dicitur tribus modis: uno modo dicitur unio *actio* unientis, alio modo dicitur *passio* unibilis, tertio modo dicitur *relatio* unitorum. Cum ergo quaeritur, utrum anima et corpus uniantur ipsi hypostasi Verbi unione duplici; respondendum Conclusio 1. est, quod si loquamur de *unione-actione*, non est ibi nisi unica unio. Unica enim unione univit sibi Verbum carnem et animam, sicut unica assumtione assumsit corpus et animam. Similiter, si loquamur Conclusio 2. de unione *passive* [1], non fuit ibi nisi unica unio. Caro enim et anima non fuerunt unita ipsi Verbo in unionis primordio ut divisa, sed ut coniuncta in unam substantiam et naturam; ideo assumta et unita fuerunt assumtione et unione unica. — Si autem loquamur de unione, secundum quod est *relatio* unibilium; sic dicendum est, quod cum relatio numeretur per extrema [2], eo modo habet multiplicari, quo habet plurificari ipsum unibile. Quoniam igitur unibile ex parte humanae naturae fuit unum in *actu* et plura in *potentia* — quia extremum illud erat humana natura, constans ex corpore et anima, quae concurrebant in *unum* secundum actum et poterant Conclusio 3. esse divisa [3] et distincta — hinc est, quod quamdiu corpus et anima fuerunt coniuncta, unica unione uniebantur Verbo, unica, inquam, in *actu*, sed pluribus Conclusio 4. in *potentia;* quando vero ab invicem in morte fuerunt separata, uniebantur unionibus pluribus. Caro enim dicebatur unita Verbo et unita anima; et haec relatio ex parte *carnis* et *animae* erat alia et alia. Intellecto enim, quod *caro* non esset unita, adhuc posset intelligi esse unita *anima*.

Et secundum hoc patet responsio ad quaestio- Epilogus. nem propositam. Uno enim modo concedi potest, quod caro et anima uniantur Divinitati multiplici unione, secundum illud quod consuevit dici [4], quod Triplex unio. triplex fuit ibi unio: una Divinitatis ad carnem, alia Divinitatis ad animam, alia animae ad carnem. Et secundum istam viam procedunt rationes, quae ostendunt, ibi fuisse uniones plures. — Aliis autem modis dicendum est, quod ibi fuit una tantum unio; et secundum hanc viam procedunt rationes ad oppositum. Et sic patet totum. Sed quoniam aliquae de Nota. rationibus ad primam partem inductis sophisticae sunt et concludunt etiam, unionem plurificari *simpliciter;* ideo ad eas oportet respondere.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod Solutio oppositorum. caro et anima sunt diversa unibilia, quia unum spirituale, alterum corporale; dicendum, quod licet caro et anima diversitatem habeant inter se, sunt tamen partes constituentes unum in essentia et na- Notandum. tura; et quia in unam naturam concurrunt, hinc est, quod in illa unione, qua Dei Filius humanam naturam assumsit, rationem tenent unius extremi.

2. Ad illud quod obiicitur, quod in morte Verbum unitum erat duobus diversis et divisis; dicendum, quod etsi illa essent localiter divisa, erant tamen Ratio 1. secundum naturalem inclinationem ad invicem [5] ordinata, et ratione illius ordinis caro erat idonea, ut esset unita Deitati. *Praeterea*, esto quod plures essent Ratio 2. uniones post mortem, secundum quod unio nominat *relationem*, non tamen sequitur, quod similiter essent in vita, quia, quamvis unio manserit uniformiter et immutabiliter quantum ad vinculum, facta est tamen quaedam immutatio in altero extremorum, scilicet in humana natura, cuius principia constituentia fuerunt in morte seiuncta, cum tamen essent unita in vita.

3. Ad illud quod obiicitur, quod est ibi ordo, ergo distinctio; dicendum, quod quidam est ordo, Duplex ordo. qui ponit simpliciter distinctionem, quando est ordo, qui attenditur secundum *positionem* et *gradum* inter res consimilis generis; sed quando aliqua sic ordinantur, quod ibi est unum *propter alterum* [6]; non oportet, ibi esse numerationem; sicut si teneam Exemplum. equum per frenum, per prius teneo frenum quam equum, quia equum teneo mediante freno; non tamen duplici tentione teneo utrumque, sed unica. Et sic patet, quod non cogit illa ratio. Non tamen est omnino simile de huiusmodi tentione et de unione; sed hoc inductum est ad illius rationis dissolutionem.

4. Ad illud quod obiicitur, quod anima unitur Divinitati et carni duplici unione etc.; dicendum, quod non est simile, quia Divinitas et caro non cedunt in unam naturam, immo naturaliter et essentialiter sunt distincta; non sic autem est de carne et anima, quia [7] unam naturam constituunt; et ideo non oportet, quod Deitas eis diversis unionibus uniatur.

---

[1] Edd. *passione.*

[2] Vide supra d. 8. a. 2. q. 2. — Paulo ante pro *relatio numeretur per,* quam lectionem tuentur codd. A K (N a secunda manu) bb, Vat. *relatio non numeretur nisi per,* alii codd. *relatio non uniretur per,* edd. 1, 2 *relatio non uniatur.*

[3] Pro *divisa* codd. B C D F M N O T *diversa.* Inferius pro *ab invicem* edd. et plures codd. *ad invicem.* Subinde post *separata* edd. repetunt *in morte.*

[4] Vide supra lit. Magistri, d. V. c. 3.

[5] Pro *ad invicem* cod. bb *in unionem*, codd. A K *in unione.*

[6] Respicitur illud Aristot., III. Topic. c. 2: « Ubi unum propter alterum, ibi tantum unum ». Cfr. supra pag. 222, nota 9. Cfr. etiam I. Sent. d. 20. a. 2. q. 1. — Vat. *sed aliqua sic ordinantur, quod ubi est unum propter alterum.* Paulo superius pro *quando* [cod. Q *sicut*] *est ordo* edd. *quidam est ordo.*

[7] Pro *quia* codd. A K bb *quae.*

SCHOLION.

I. Triplex hic distinguitur sensus vocabuli *unionis*, sicut supra d. 2. a. 3. q. 2. ad 6. distincta est triplex *gratia unionis*. De aliis modis et speciebus unionis cfr. loci supra d. 1. a. 1. q. 1. in scholio citati. — Responsio ad hanc quaestionem supponit principia supra d. 2. a. 3. q. 1. explicata. Conclusiones approbat et ultimas explicat S. Thom. (hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2. ad 5.) his verbis: Relationes secundum rem [i. e. reales] multiplicantur secundum multiplicationem eorum, supra quae fundantur relationes; unde contingit, quod relatio ex parte unius extremi est una, quae ex parte alterius multiplicatur, sicut de illo qui una paternitate ad multos filios refertur, qui ad ipsum multis filiationibus referuntur. Ita etiam est hoc, quia ex parte ipsius Filii Dei est *una* tantum, quamvis non sit ex parte ipsius relatio realis, sed rationis tantum. Ex parte autem assumtorum, quae divisa sunt, sunt *duae* uniones *in actu post mortem; ante* autem erat *una in actu* et *multae in potentia*. Unde non oportet, quod aliqua unio fiat ibi de novo, sicut nec in divisione continui etc. (cfr. S. Bonav., hic solut. ad 2.). — Notanda est doctrina in solut. ad 1. 2. 4. tradita, qua solvitur etiam difficultas, a Richardo a Med. (hic a. 1. q. 2. ad 2.) sic expressa: « Verbum non remansit unitum carni post separationem animae ut cuidam *toti*, sed ut *parti* humanae naturae. Et ideo, sicut de hypostasi Ioannis non praedicatur *pars* humanae naturae... ita a simili aliqualiter dico, quod post separationem animae a carne Christi, *caro* non potuit vere praedicari de Verbo ». Idem docet S. Bonav. supra q. 1. ad 2, q. 2. ad 4. et infra a. 2. q. 3. ad 2. Consentit S. Thom., in Comment. loc. cit. ad 3. 4. 6, et S. III. q. 50. a. 2. ad 2, a. 3. ad 3.

II. Specialem quaestionem de eadem re habent Petr. a Tar. (hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 2.) et Richard. a Med. (hic a. 1. q. 4.). Alii ipsam tangunt in praecedentibus duabus quaestionibus, vel III. Sent. d. 2, praesertim in quaestione, utrum totum assumserit mediantibus partibus (S. Thom., ibi q. 2. a. 1. quaestiunc. 3; Scot., ibi q. 2.).

ARTICULUS II.

De effectu illius separationis.

Consequenter quaeritur de effectu illius separationis. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum post instans separationis anima Christi impassibilis fuerit effecta.

Secundo, utrum ex ipsa separatione caro fuerit mortua.

Tertio quaeritur, utrum propter mortem carnis mors sit ipsi personae Verbi attribuenda.

QUAESTIO I.

Utrum post instans separationis anima Christi impassibilis effecta sit.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum post instans separationis anima Christi impassibilis sit effecta. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Anima Christi non fuit passibilis nisi propter unionem sui ad corpus[1]: ergo statim, dum fuit separata, amisit passibilitatem: ergo facta fuit impassibilis.

2. Item, nihil patitur nisi secundum ordinem *naturae*, sicut contrarium patitur a contrario[2]; vel secundum ordinem *divinae iustitiae*, sicut peccator patitur ab aliquo afflictionem; vel secundum dispensationem *divinae misericordiae*, sicut Redemptor passus est pro sanando nostro morbo; sed nullo istorum modorum post separationem passio potuit inesse ipsi animae Christi — non enim habuit *contrarium* nec habuit *peccatum*, et *consummatum* erat nostrae redemptionis mysterium, sicut dicitur Ioannis decimo nono[3]: *Consummatum est* — ergo nullo modo pati poterat: restat ergo, quod statim impassibilis est effecta.

3. Item, animae Sanctorum, quando non habent aliquem reatum, statim efficiuntur impassibiles: ergo si anima Christi multo velocius digna erat omni glorificatione quam omnis alia anima, videtur, quod statim impassibilis est effecta.

4. Item, nulla passio potuit esse in Christo, quae vacaret merito[4]; sed anima Christi statim post separationem amisit potentiam sive statum merendi: ergo statim amisit potentiam patiendi: ergo statim facta est impassibilis.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Sicut passibilitas inerat animae Christi praeter peccati debitum, ita et carni[5]: ergo sicut velociter collata est impassibilitas animae, ita velociter debuit conferri ipsi corpori; sed impassibilitas non est collata ipsi corpori usque ad triduum, quo resurrexit: ergo similiter videtur quod nec animae ante tempus illud.

2. Item, ponatur, quod anima iterum uniretur corpori illi secundum statum, in quo ipsum deseruit; tunc arguitur sic: si anima passibili corpori uni-

---

[1] Cfr. supra d. 16. a. 1. q. 1. ad 4, ubi etiam videsis de *maiori* arg. seq. — Mox pro *passibilitatem* Vat. perperam *impassibilitatem*.

[2] Vide Aristot., l. de Generat. et corrupt. text. 50. seqq. (c. 7.). — Post pauca pro *peccator* cod. G *reus*.

[3] Vers. 30.

[4] Cfr. supra d. 18. a. 1. q. 3.

[5] Vide supra d. 16. a. 1. q. 3. — Mox voci *animae* cod. U praefigit *ipsi*.

retur, esset passibilis; sed anima Christi poterat uniri illi corpori ante glorificationem, quia nihil eam impediebat: ergo adhuc poterat pati: non ergo erat impassibilis.

3. Item, nihil novum collatum est animae in ipso instanti separationis a corpore: ergo si prius non habebat impassibilitatem, videtur, quod nec tunc habuit [1] ante diem resurrectionis.

4. Item, anima, quae impassibilitatem habet, statim cum a corpore recedit, evolat [2]; sed anima Christi non statim evolavit nec ascendit statim ad caelos, sed descendit ad inferos: ergo non statim post instans separationis facta est impassibilis.

CONCLUSIO.

Valde probabile est, quod anima Christi statim post separationem a corpore fuerit facta impassibilis.

Conclusio 1.

Respondeo: Dicendum, quod ex certitudine auctoritatis non est nobis omnino determinatum, utrum anima Christi statim post separationem impassibilis fuerit effecta, sicut Magister tangit supra distinctione decima octava [3]. Unde sine periculo fidei potest quis utrumque horum sentire, vel quod impassibilis effecta est statim post separationem, vel in ipsa corporis glo-

Conclusio 2.

rificatione. Verumtamen probabilitati rationis magis consonare videtur, quod statim post separationem habuerit impassibilitatem. Si enim non patiebatur anima Christi nisi dispensative [4] et propter nostram salutem; si iam non erat tempus et locus merendi, iam anima Christi non debebat nec poterat pati. — Unde

Corollarium.

non solum de anima Christi probabile est, quod statim post separationem a corpore facta sit impassibilis, sed etiam de qualibet anima viri sancti, in qua non reperitur reatus alicuius peccati. — Ideo rationes, quae ad partem istam sunt, satis rationabiliter possunt concedi.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod corpus non statim impassibilitate fuit dotatum; dicendum, quod non est simile, duplici ex causa:

Causa duplex.

primum quidem, quia anima propinquior erat gloriae quam caro; erat enim beata secundum aliquam sui partem [5]; *secundo* vero, quia dilatio impassibilitatis in carne faciebat ad fidei nostrae confirmationem, videlicet ut ostenderetur Christus veraciter passus et mortuus fuisse; non sic dilatio impassibilitatis in anima: ideo magis dilata fuit impassibilitas corporis quam impassibilitas animae ex dispensatione divina.

2. Ad illud quod obiicitur, quod anima illa iterum uniri poterat corpori passibili; dicendum, quod quaedam animae separantur a corpore separatione definitiva sive finali, quaedam vero separantur a corpore ad tempus propter gloriae Dei manifestationem; sicut est in illis qui resuscitantur ad statum vitae praeteritae, sicut fuit in Lazaro [6] et in aliis mirabiliter suscitatis. Quae primo modo separantur ingrediuntur novum statum; quae vero secundo modo separantur secundum divinam dispositionem adhuc a statu suo retardantur. Unde primae, nisi obstet reatus peccati, statim efficiuntur impassibiles nec unibiles sunt corpori passibili, quamvis secundae per divinum miraculum aliquando habeant coniungi. Et primo modo anima Christi separata fuit, quoniam Deus non decreverat [7], eam ulterius uniri carni passibili; et ideo positio illa nulla est. Non enim poterat carni passibili uniri, non quia aliquid creatum illud impediret, sed quia divina iustitia illud non permitteret. Distinctio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod nihil collatum est animae; dicendum, quod illud non constat, quamvis non legatur; nec etiam [8] cogit. Anima enim Christi per illud quod habebat ex sola separatione a carne passibili, iam caruit aptitudine patiendi, et ita reddita est impassibilis; nec oportet, propter hoc aliquid novi sibi conferri; satis enim sufficiebat, passionis et passibilitatis causam sibi auferri.

4. Ad illud quod obiicitur, quod animae, quae statim post separationem efficiuntur impassibiles, statim evolant; dicendum, quod illud veritatem habet nunc post Christi ascensionem, sed ante non habebat veritatem. Differebatur enim aliquarum animarum evolatio, scilicet sanctorum Patrum, propter primi peccati obligationem [9]; animae vero Christi differebatur propter hominum eruditionem et nostrae fidei confirmationem et rectificationem et carnis propinquam glorificationem.

---

[1] Non pauci codd. *habuerit.*

[2] Sive venit in caelum. — Paulo inferius pro *separationis*, quam lectionem e codd. A K Y bb recepimus, alii codd. et edd. perperam *resurrectionis.*

[3] Cap. 1. Innocent. III, Serm. 20. de Temp. dicit: Puto, quod anima Christi mox, ut exivit a corpore, facta est impassibilis, cum illico fuerit ab omni causa passionis immunis; quoniam tunc nec alieno consortio nec ex delicto nec ex propria pati poterat natura, nisi forsitan illud videatur obsistere, quod sicut corpus et anima Christi simul incipiens passibilitati subesse, quoniam illud fuit corpus simul et formando animatum et animando formatum, ita et corpus et anima Christi simul impassibilitatem acceperunt, ut anima reddita corpori simul fuerit glorificata cum illo.

[4] Cod. U *ex dispensatione*, plures codd. *dispensatione.* In Vat. desideratur *nisi* ante *dispensative.* Mox pro *si iam* cod. R *et iam.* Paulo inferius post *separationem* cod. O subiicit *animae.*

[5] Scilicet secundum partem superiorem. Cfr. supra d. 16. a. 2. q. 2.

[6] Ioan. 11, 4: Audiens autem Iesus (Lazarum infirmari) dixit eis: Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei etc. — Paulo inferius pro *dispositionem* codd. N U *dispensationem.*

[7] Cod. U *determinavit*, edd. *determinaverat.* Subinde pro *uniri* codd. G I K L Z aa bb *unire*, et paulo post pro *poterat* quod habent codd. A K L aa bb in aliis *potuerat.*

[8] Cod. U inserit *ratio.* In fine solut. pro *causam sibi auferri*, quod habent codd. F Z, edd. *rationem* (cod. S a secunda manu *occasionem) sibi auferri;* alii multi loco horum terminorum falso nihil habent; sed in codd. A K P Q U legitur *sufficiebat, passiones et passibilitates sibi auferri.*

[9] Cfr. supra d. 18. a. 2. q. 3. — In initio solut. pro *post separationem*, quod habent codd. A K M O T, alii *per separationem.* Paulo post pro *rectificationem* cod. Z expresse *rectitudinem;* alii codd. sunt dubiae lectionis.

SCHOLION.

I. Magister supra d. XVIII. c. 1. tetigit hanc quaestionem, sed non solvit. Commentatores multi ibi specialem ponunt quaestionem non (ut hic) de *tempore*, quando incepit haec impassibilitas, sed utrum Christus sibi impassibilitatem animae *meruerit*. Sed hic tantum in dubiis supra lit. aliqui, ut Petr. a Tar. et Richard. a Med., cum nostro Doctore docent, quod anima Christi probabilius statim post separationem a corpore facta sit impassibilis. Suarez autem asserit, hanc doctrinam esse omnino certam.

II. Sequens (2.) quaestio ita exprimitur a Petr. a Tar.: utrum caro viveret per Deitatem sibi unitam. Quod autem ex unione Divinitatis ad carnem non resultet *vita carnis*, quamvis Divinitas sit essentialiter *vita* et *causa vitae;* manifestum est. « *Vita* enim est actus et perfectio naturae; Divinitas vero non unitur carni in unitate naturae » (ita Alex. Hal., S. p. III. q. 19. m. 2. ad ult.), sive Deus creaturis est *fons vitae* effective, non formaliter.

De eadem quaestione praeter Alexandrum: S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. ad 3; S. III. q. 50. a. 2. ad 3. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. ad 3.

III. Solutio 3. quaestionis et argumentorum ad oppos. procedit secundum regulas de communicatione idiomatum. Ea enim, « quae solum ad *naturam* pertinent, simpliciter et sine determinatione de Christo dici possunt » (S. Thom., hic q. 1. a. 3; cfr. supra a. 1. q. 3, scholion). — Magister hic (c. 2.) docet: « Sane dici potest, quod *mortuus* est Deus et *non mortuus* »; haec verba explicantur hic dub. 3; quae interpretatio, brevius contracta, refertur etiam a Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3.

Praeter citatos de hac quaestione agunt: Alex. Hal., loc. cit. m. 2. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 4.

QUAESTIO II.

Utrum ex illa separatione caro Christi fuerit mortua, an post eam habuerit vitam.

Secundo quaeritur, utrum ex illa separatione caro fuerit mortua, an post eam habuerit vitam. Et quod vitam habuerit, videtur.

Ad oppositum.

1. Omne quod est unitum vitae, vivit per participationem; sed caro Christi post separationem erat unita ipsi vitae, scilicet Verbo Dei [1]: ergo ab ipso vivificabatur. *Si tu dicas*, quod hoc est verum de vita creata, non de increata; *obiicitur contra:* potentior est vita increata in vivificando quam vita creata, quoniam ipsa est *fons vitae* [2]: si ergo anima nulli corpori potest uniri, quin det ei vitam; multo fortius videtur, quod nec persona divina possit uniri carni, nisi tribuat ei vitam.

2. Item, impossibile fuit, *animam* Christi uniri Verbo, quin reciperet vitam ab ipso: ergo si suo modo *caro* erat vivificabilis, impossibile fuit uniri Verbo, quin reciperet vitam ab eo.

3. Item, nobilior est substantia vivens substantia non vivente [3]; sed nulla caro erat nobilior carne Christi, etiam post separationem animae: ergo si vita reperitur in alia carne, necesse est, quod caro Christi viveret, etiam anima separata.

4. Item, caro illa non poterat videre corruptionem [4], ergo necesse erat, eam ab aliquo vegetari; sed non nisi a Deitate: ergo eam ita vegetabat, sicut anima. Sed anima eam vegetando dabat ei vitam: ergo pari ratione caro illa vivebat per Divinitatem influentem in ipsam.

Fundamenta.

Sed contra: 1. In Symbolo [5] dicitur, quod Christus « mortuus est et sepultus »; sed hoc non dicitur nisi ratione carnis: ergo caro Christi fuit mortua, anima separata.

2. Item, omnis vita est ab aliquo informante [6]; sed caro post separationem animae non uniebatur alicui vivificanti per modum formae: ergo post separationem animae caro non habebat vitam.

3. Item, omne quod vivit, habet aliquem usum vitae, utpote uti alimento, vel sensu, vel motu, vel intellectu [7]; sed nullum istorum caro Christi habebat post separationem animae: ergo non vivebat.

4. Item, nihil vivum suscitatur vel resurgit, quia suscitatio et resurrectio non est nisi mortui; sed caro Christi resurrexit et suscitata fuit: ergo post separationem animae vitam non habuit.

CONCLUSIO.

Caro Christi post separationem ab anima vere mortua fuit.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio caro Christi post separationem animae mortua fuit; caruit enim usu et complemento vitae. Res enim corporalis non est nata vivificari nisi ab aliqua forma spirituali, ipsam complente et sibi proportionali. Quoniam ergo in ipsa separatione animae caro Christi caruit huius-

Notandum.

---

[1] Vide supra a. 1. q. 2. — Pro *Dei* cod. U *divino*, codd. G H I T V *Deo*.

[2] Psalm. 35, 10: Apud te est fons vitae. Cfr. verba August. contra Felicianum directa, quae hic in lit. Magistri, c. 1. circa finem habentur. — Paulo superius post *obiicitur contra* codd. A N subdunt *quod*.

[3] Aristot., II. de Generat. animal. c. 1. docet, quod « anima sit corpore melior, animatumque inanimato praestet propter animam, et *esse* quam *non-esse*, et vivere quam non vivere melius sit ». — Paulo inferius pro *in alia carne* cod. U *in aliqua carne*.

[4] Respicitur illud Ps. 15. 10: Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

[5] Apostolorum.

[6] Aristot., II. de Anima, text. 24. (c. 2.): Quoniam « anima id est quo vivimus et sentimus et movemur et intelligimus primo, anima utique ratio quaedam erit et forma ». — Vat. hic addit *vivificante*.

[7] Aristot., II. de Anima, text. 13. (c. 2.) dicit, quod si alicui « unum aliquod horum insit solum, vivere ipsum dicimus, ut intellectus et sensus et motus et status secundum locum, adhuc autem motus secundum alimentum et augmentum et decrementum ». — Pro *vivit* cod. Z *vivificatur*.

modi forma, ideo vere fuit mortua; et quamvis haberet Divinitatem unitam, non tamen ab ea vivificabatur, non propter defectum a parte *vivificantis*, sed propter improportionem a parte *vivificabilis*. — Rationes igitur, quae ad hanc partem inducuntur, concedendae sunt.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod unitum vitae vivit; iam patet responsio. Hoc enim veritatem habet, quando unitur ei sicut perfectibile suae perfectioni; sic autem non unitur caro personae Verbi: et ideo non est simile de ipsa anima et de persona divina.

Notandum. 2. Ad illud quod obiicitur, quod anima non potuit uniri ipsi Verbo, quin vivificaretur ab ipso, ergo nec caro; dicendum, quod non est simile, pro eo quod ipsa anima, cum sit imago Dei et immediate nata ferri in Deum, « capax eius est et particeps esse potest [1] »; et ita immediate habet ab illo et in illo vivere per cognitionem et amorem. Non sic autem est de carne; non enim est nata Deum cognoscere vel amare.

3. Ad illud quod obiicitur, quod nobilior est substantia vivens substantia non vivente; dicendum, quod verum est, ceteris aliis paribus; sed caro Christi, licet careret [2] vita, erat tamen Divinitati unita, et hoc quidem praeponderat multis aliis dignitatibus. *Praeterea*, cum dicitur, quod nobilior est substantia vivens substantia non vivente; hoc intelligitur de substantia, quae caret vita *simpliciter*; caro autem Christi non carebat vita *simpliciter*, sed *ad tempus*. Unde sicut nobilior est filius regis captus [3] et incar- Simile. ceratus filio rustici in libertate sua constituto; sic etiam intelligendum est de carne Christi, quae modico tempore caruit complemento vitae, ut postea nobilissimam vitam resumeret.

Notandum. 4. Ad illud quod obiicitur, quod caro illa non potuit incinerari [4]; dicendum, quod divina virtus ipsam conservabat; sed tamen illa conservatio non erat vivificatio nec operatio vitae. Conservatio enim et vegetatio, quae est operatio vitae, procedit a forma completiva, operante per modum naturae [5]; sed illa conservatio, quae erat in carne Christi, ne corrumperetur, erat a virtute divina, operante super naturam; et ideo non cogit illa ratio [6].

QUAESTIO III.

Utrum propter mortem carnis sit mors personae Verbi attribuenda.

Tertio quaeritur, utrum propter mortem carnis sit mors personae Verbi attribuenda. Et quod sic, ostenditur.

Fundamenta. 1. Dicitur enim in Symbolo [7]: « Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus »; hoc autem dicitur de Filio Dei unigenito. Et hoc ipsum dicit Ambrosius expresse, et habetur supra distinctione decima octava [8]: « Tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus, nisi unigenitus Dei Filius moreretur pro nobis debitoribus mortis ».

2. Item, hoc ipsum videtur *ratione*. Carne nascente et concepta, Filius Dei *natus* dicitur et *conceptus*: ergo pari ratione, carne mortua, Filius Dei debet dici mortuus [9].

3. Item, satisfactio pro peccato nostro fuit per passionem et mortem; sed nullus potuit pro peccato nostro satisfacere, nisi esset Deus [10]: ergo si pro peccatis nostris per mortem illam satisfactum est, vere Filius Dei fuit mortuus.

4. Item, unio illa facit communicationem idiomatum; sed propter separationem animae a carne verum et necessarium fuit, illum hominem mori: ergo vere et convenienter potest mors attribui Dei Verbo, ut dicatur Filius Dei *mortuus* et *sepultus* pro nobis [11].

Ad oppositum. Sed contra: 1. Augustinus dicit, et habetur in littera ultimo capitulo: « Si quis dixerit atque crediderit Deum passum, anathema sit »; sed cui non potest attribui *passio*, non potest attribui *mors*: si igitur non est credendum, Filium Dei *passum*, sicut dicit; non est credendum neque dicendum, Filium Dei fuisse *mortuum*.

2. Item, idiomata *partis* non communicantur personae Verbi [12] — quamvis enim *caro* fuerit separata ab anima, non tamen propter hoc *Filius Dei* separatus fuit ab illa anima, quam assumsit — ergo si per passionem Christi non est mortua nisi sola caro, quia anima semper vixit; non videtur, quod Filio Dei vere possit attribui *mors*; aut si attribuitur ei *mors*, tunc est quaestio: quare non similiter attribuitur ei *separatio*?

3. Item, propter repugnantiam idiomatum non recipitur communiter: Filius Dei est creatura; sed multo magis repugnat vitae *mors*, quam intentio

---

[1] August., XIV. de Trin. c. 8. n. 11. Cfr. II. Sent. d. 16. a. 1. q. 1. — Paulo superius ante *imago Dei* edd. 1, 2 interserunt *opus et*.

[2] Edd. et multi codd. *careat*.

[3] Codd. A K *captivus*. Paulo ante pro *caro autem* codd. I L aa *caro enim*.

[4] Cod. K *videre corruptionem*.

[5] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 46. seqq. (c. 4.).

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Scilicet Apostolorum.

[8] Cap. 5.

[9] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[10] Ut ostensum est supra d. 20. q. 3.

[11] Vide supra pag. 14, nota 3.

[12] Cfr. supra d. 6. a. 1. q. 1. ad 6. et d. 7. a. 1. q. 1. ad 2. — Paulo inferius Vat. omittit *Dei*, et cod. K pro *ab illa anima* exhibet *ab ipsa anima*.

creaturae intentioni Creatoris: ergo si Filius Dei est ipsa vita [1], videtur, quod nullo modo sit mors ei attribuenda.

4. Item, quicumque diceret, summe sapientem esse stultum, blasphemaret; similiter qui diceret, summe bonum esse iniquum: ergo pari ratione qui dicit, summe potentem esse infirmum; sed hoc dicit qui dicit, Filium Dei esse mortuum: ergo qui hoc dicit [2] blasphemat Deum.

CONCLUSIO.

Concedendum est, Filium Dei pro nobis fuisse mortuum secundum humanam naturam, et quidem per idiomatum communionem.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio con-
Conclusio. cedendum est, Filium Dei pro nobis fuisse mortuum; et hoc quidem sibi vere attribuitur non secundum naturam *divinam*, sed secundum *humanam*, non per *essentiam*, aut per *inhaerentiam* [3], sed per *idiomatum communicantiam*. Et hoc in nullo *derogat* divinae *dignitati* et multum *consonat pietati*. Nullum enim verbum maioris dignationis resonare potest in auribus cordis nostri, quam quod unigenitus Dei Filius mortuus fuerit pro nobis debi-
Notandum. toribus mortis. Et ideo non tantum est hoc credendum et asserendum tanquam verum, sed etiam frequentissime recolendum. — Et concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

1. Ad illud vero quod obiicitur de auctoritate Augustini, satis convenienter respondet Magister in littera [4]. Non enim intendit removere passionem a persona Verbi *simpliciter*, sed secundum *divinam naturam*.

2. Ad illud quod obiicitur, quod idiomata par- Notandum.
tis non communicantur personae Verbi; dicendum, quod *mori* non tantum convenit carni, sed etiam toti homini assumto. In separatione enim animae a carne non solum moritur *caro*, sed etiam totus *homo*. Et ideo ratio illa procedit ex suppositione falsi [5].

3. Ad illud quod obiicitur, quod non communicantur idiomata, ubi est repugnantia; dicendum, quod verum est, ubi est talis repugnantia, quae Notandum.
non tollitur mediante convenientia; sic autem non est in proposito. *Mors* enim dat praeintelligere humanitatem, quae sine repugnantia potest dici de persona Christi; unde Filius Dei dicitur fuisse mortuus, quia fuit *homo*, in quo fuit passio mortis.

4. Ad illud quod obiicitur, quod blasphemia est dicere, Filium Dei esse mortuum; dicendum, Notabilis doctrina.
quod hoc videtur auribus infidelium, secundum quod dicitur primae ad Corinthios primo [6]: *Praedicamus Iesum Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Et ratio huius est: quia non credunt ipsius *humanationis* Filii Dei benignissimam *dignationem*, nec intelligunt illius *humiliationis* altissimam *rationem*. Si enim haec intelligerent, viderent, quod illud *quod infirmum est Dei, fortius est hominibus;* et illud quod *stultum est Dei, sapientius est* omnibus *hominibus*. His igitur duobus pensatis, videlicet ipsa Verbi *incarnatione* et *ratione*, ob quam incarnatus est, non est blasphemia, immo laus, dicere, quod Filius Dei pro nobis fuit mortuus secundum naturam assumtam. Per hoc enim decentissime, sicut in praecedentibus [7] est ostensum, reparatum est genus humanum. Nec est simile de stultitia et malitia; non enim valebant ad nostram redemptionem, sicut passionis et mortis tolerantia. — Et per hoc patent quaesita [8].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Nemo tollit animam meam, sed ego pono eam a me ipso.* Si ergo nemo potuit animam suam tollere, nemo potuit eum per violentiam occidere: ergo ipse non fuit mortuus per alienam violentiam, sed per propriam potentiam: ergo fuit homicida sui ipsius.

Respondeo: Dicendum, quod Dominus in isto verbo non vult excludere violentiam crucifigentium respectu *naturae*, sed respectu *voluntatis divinae*. Et in hoc vult ostendere, quod nemo posset ipsum occidere, nisi ipse vellet mortem sustinere secundum dispositionem voluntatis suae. Unde *ponere animam* ibi non est per exsecutionem, sed per voluntariam permissionem. Et sic patet illud [9].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Caro animam posuit, quando exspiravit.* Videtur enim, quod

---

[1] Cfr. Ioan. 1, 4. et 14, 6. — De *maiori* vide supra d. 7. a. 2. q. 1. ad 2. et d. 11. a. 2. q. 1. — In *maiori* edd. verbis *non recipitur* praemittunt *haec*.

[2] Cod. D *diceret*, et dein idem cod. D cum codd. G I L V aa *blasphemaret Deum*.

[3] Cfr. supra d. 7. a. 1. q. 1. — Mox pro *dignitati* edd. *maiestati*, et deinde pro *cordis nostri* Vat. *cordis hominis*.

[4] Hic c. 2, ubi et solutio seq. obiect. innuitur.

[5] Scil., quod solummodo *corpori*, quod est *pars* hominis, *mors* tribuatur (cfr. supra a. 1. q. 3, scholion).

[6] Vers. 23. — Seq. testimonium ibid. v. 25. — Inferius pro *Si enim haec* edd. cum plurimis cod. *Si enim hoc*.

[7] Dist. 20. q. 2. et 5. — Paulo superius pro *ob quam* edd. *ob quam causam*, et pro *fuit mortuus* codd. A H I L T V aa *fuerit mortuus*.

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaestionem.

[9] Cfr. supra d. 20. dub. 3. — Huius dubii solutionem habes etiam apud B. Albert., hic a. 2, apud S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

potius deberet dicere e converso, quod *anima* posuit *carnem*, quia plus habet virtutem anima super carnem, quam caro super animam. — Item, in resurrectione potius dicitur anima resumsisse carnem, quam caro animam: ergo in morte potius deberet dici *anima* [1] posuisse *carnem*, quam e converso.

Respondeo: Dicendum, quod magis dicitur de *carne*, quod posuerit *animam*, quam e converso, non quia *caro* virtutem habuit [2] super animam, sed
Notandum. quia, carne remanente, anima a carne discessit; et quia per *animam* intelligitur *vita*, quae magis habet rationem pretii; et quoniam etiam anima praesidebat carni: ideo magis de *carne* dicitur deponi, quam e converso.

Et per hoc patet responsio ad obiecta. Non enim dicitur *caro* posuisse animam, quasi hoc [3] caro propria virtute fecerit; sed quia virtus divina aderat unita carni, sine cuius permissione anima non poterat deponi de carne [4].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Idem patiebatur et non patiebatur, moriebatur et non moriebatur.* Hoc enim videtur falsum: quia principium primum est in Prima Philosophia [5], quod « impossibile est, simul et semel de uno et eodem dici duo contradictorie opposita »: ergo si haec est vera: Christus moriebatur, haec simpliciter erit falsa: Christus non moriebatur. *Si tu dicas*, quod non est ibi contradictio, quia hoc attribuitur ei secundum diversas naturas, et ad hoc, quod sit contradictio, oportet, quod opposita non solum attribuantur eidem, sed etiam secundum idem [6]; hoc non solvit, quia si aliquis diceret, Petrum esse album, quia est albus secundum corpus, et non esse album, quia non est albus secundum animam; nihil diceret. Prima enim esset simpliciter vera, secunda simpliciter falsa: ergo si haec est vera secundum humanitatem: Christus est mortuus; ista erit simpliciter falsa: Christus non est mortuus. — Item, haec absque dubio est vera: Christus homo est passus et mortuus; si ergo est communicatio idiomatum, haec erit vera: Deus est mortuus: ergo Christus, homo et Deus, est mortuus. Si igitur haec est vera omni modo: Christus est mortuus, erit opposita eius simpliciter falsa.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio illud quod convenit Christo secundum *naturam* humanam Notandum. et [7] secundum divinam, simpliciter et vere potest ei attribui. Unde vere dicitur: Christus est creator omnium, Christus natus est de Virgine; vere etiam dicitur: Christus est mortalis, Christus est immortalis. Quamvis autem aliquid conveniat Christo secundum naturam assumtam, quod non convenit ei secundum naturam divinam; non potest tamen *simpliciter removeri* ab eo, quia plus tollit negatio, Nota. quam ponat affirmatio [8]. Et ideo affirmativae concedendae sunt tanquam verae; negativae vero negandae sunt tanquam falsae, nisi proponantur vel intelligantur cum *addita determinatione*. Unde haec est vera: Christus non est mortuus secundum Deitatem; haec autem *simpliciter* prolata: Christus non est mortuus, falsa est. — Ambrosius [9] autem et Magister praedictas locutiones intelligunt cum *determinatione adiuncta*, quod patet per finem auctoritatis. *Praeterea*, ex hoc ipso quod proponit istas simul: « moriebatur et non moriebatur », arctatur pars affirmativa ad humanam naturam et negativa ad divinam. Ideo non est ibi contradictio, quia non est secundum idem. — Et per hoc patet satis responsio ad obiecta [10].

DISTINCTIO XXII.

Cap. I.

Si Christus in morte fuit homo.

Hic quaeritur, utrum in illo triduo mortis Christus
Sententia 1. fuerit homo. — Quod non videtur quibusdam, quia *mortuus* erat, et *homo mortuus* non est *homo*. Addunt etiam, quod si tunc erat *homo*, vel *mortalis*, vel *immortalis*. Sed *mortalis* non, quia *mortuus;* nec *immortalis*, quia tantum post resurrectionem [1]. — Quibus re- Resp. Magistri. spondemus, quia, licet homo mortuus fuerit, erat tamen in morte Deus-homo, nec *mortalis* quidem nec *immortalis*, et tamen vere erat *homo*. Illae enim et huiusmodi argutiae in creaturis locum habent, sed fidei sacramentum a philosophicis argumentis est liberum. Unde Ambrosius [2]: « Aufer argumenta, ubi fides quae- Ambrosius. ritur. In ipsis gymnasiis suis iam dialectica taceat; piscatoribus creditur, non dialecticis ». Dicimus ergo, in

---

[1] In cod. N adiectum est *Christi*, in edd. *ipsa*.

[2] Codd. A G H L T V *habuerit*. Paulo superius pro *posuerit* edd. cum aliquot codd. *posuit*.

[3] Pro *quasi hoc* edd. *propter hoc quod*. In fine edd. habent *deponi a carne*, codd. C X *deponere carnem*.

[4] Cfr. supra a. 1. q. 1. ad 1, et Richard. a Med., hic d. 16. q. 4; Petr. a Tar., hic circa lit.

[5] Vide Aristot., IV. Metaph. text. 9. seqq. (III. c. 3. seqq.), ubi principium contradictionis monstratur.

[6] Cfr. supra pag. 205, nota 5.

[7] Edd. *etiam*, perperam. Mox pro *ei* cod. W *eidem*.

[8] Cfr. supra d. 11. a. 2. q. 2. ad 3. et 4. nec non q. 3. ad 4. — Pro *ab eo* edd. *ab ea*.

[9] Ex quo textus huius dubii (in lit. Magistri, c. 2.) sumtus est. — Paulo inferius pro *Praeterea* edd. *primo*.

[10] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 4; S. Thom., hic q. 1. a. 3. ad 4; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3. et circa lit.; Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Cod. E et edd. 1, 8 adiiciunt *ergo non erat homo;* paulo superius post *immortalis, quia* cod. D bene addit *hoc*. — Cfr. Hugo de S. Vict., II. de Sacram. p. I. c. 11, ex quo Magister multa excerpsit.

[2] Libr. I. de Fide, c. 13. n. 84, qui locus sub nomine S. Hieronymi allegatus est in Prooemio ad I. libr. Sent. q. 2. arg. 6. ad oppositum; vide tom. I. pag. 10, nota 5.

morte Christi Deum vere fuisse *hominem*, et tamen *mortuum*. Et hominem quidem nec *mortalem* nec *immortalem*, quia unitus erat animae et carni seiunctis. Alia enim ratione dicitur Deus homo, vel homo Deus, quam Martinus vel Ioannes. Homo enim dicitur Deus et e converso propter susceptionem hominis, id est
Augustinus. animae et carnis. Unde Augustinus [1]: « Talis erat illa susceptio, quae Deum hominem faceret, et hominem Deum ». Cum ergo illa susceptio per mortem non defecerit, sed Deus homini et homo Deo, sicut ante, unitus erat vere; et tunc Deus erat *homo* et e converso, quia unitus animae et carni; et *homo mortuus* erat, quia anima a carne divisa erat. Propter separationem animae a carne *mortuus* [2], sed propter utriusque secum unionem *homo*. Non autem sic erat homo, ut ex anima et carne simul iunctis subsisteret, ex qua ratione dicitur aliquis alius *homo*. Et ipse forte *ante mortem* hoc etiam modo erat homo [3], et *post resurrectionem* fuit; in morte vero *homo* erat tantum propter animae et carnis secum unionem, et *mortuus* propter inter illa duo divisionem.

Cap. II.

Si Christus, ubicumque est, sit homo.

Hic quaeritur, si Christus in morte *alicubi* erat homo; et si, *ubicumque* est, homo sit. — Ad quod dicimus, quia non, *ubicumque* erat, homo erat, nec modo, *ubicumque* est, homo est; quia *ubique* est secundum Deitatem, nec ubique *homo*, quia non [4] ubique homini unitus; sed ubicumque est secundum *hominem*, ibi homo est. Tempore autem mortis et *ubique* erat secundum *Deum*, et in *sepulcro* secundum *hominem*, et in *inferno* secundum *hominem*; sed in inferno secundum *animam*, et in sepulcro secundum *carnem* tantum. In sepulcro ergo erat homo, quia humanitati erat unitus, etsi non toti, quia carni tantum; et in inferno erat homo, quia humanitati unitus, sed non toti, quia animae tantum. Sed si in inferno animae tantum et in sepulcro carni tantum unitus erat; ergo nec in inferno unitus erat animae et carni nec in sepulcro. Quomodo ergo hic vel ibi homo esse dicitur? Quae est ratio dicti? Quia una eademque unione unitus erat animae in inferno et carni in sepulcro; et sic erat illis duobus tunc separatis unitus, sicut ante se-
Opponitur. parationem, id est ante mortem. — Ad hoc autem opponitur: si Christus animam tantum, vel carnem tantum assumsisset, non fuisset verus homo; sed propter utriusque assumtionem verus homo fuit: sic ergo, ubi carnem et animam sibi unitam non habebat, verus homo ibi non erat [5]. Sed tempore mortis nusquam illa duo unita habebat, quia nec in sepulcro nec in inferno nec alibi: nusquam ergo erat homo. — Ad quod dicimus, Resp. quia Christus utique verus homo non fuisset, si carnem et animam non assumsisset; sed tamen, quia ex quo assumsit, neutrum deposuit, sed cum utroque eandem unionem indesinenter tenuit, quam assumendo contraxit: ideo non incongrue, ubicumque animae vel carni vel utrique unitus est, ibi homo esse dicitur, quia ibi humanatus est. Ergo et in sepulcro erat homo et in inferno erat homo, quia utrobique humanatus erat Christus et unam eandemque cum anima et carne, licet separatis, habebat unionem, et uno eodemque tempore in sepulcro iacuit Christus et ad infernum descendit; sed in sepulcro iacuit secundum solam carnem et in infernum descendit secundum solam animam. Unde Augustinus [6]: « Quis non est derelictus in inferno? Augustinus. Christus, sed in anima sola. Quis iacuit in sepulcro? Christus, sed in carne sola; quia in his singulis Christus est: Christum in his omnibus et in singulis confitemur ». — Ex his evidenter ostenditur, quod carni iacenti in sepulcro unitus erat Christus, sicut animae in inferno; alioquin, si carni mortuae non esset unitus, non in ea diceretur iacuisse in sepulcro. Anima igitur ad infernum descendit, caro in sepulcro iacuit, Sapientia cum utroque permansit, quae « in inferno positis, Ambrosius. ut ait Ambrosius [7], lumen vitae fundebat aeternae. Radiabat illic lux vera Sapientiae, illuminabat infernum, Dubium 1. sed in inferno non claudebatur. *Quis enim locus est Sapientiae?* de qua scriptum est: *Nescit homo vias eius, nec inventa est inter homines;* de qua *abyssus dicit: Non est in me; mare dicit: Non est mecum:* ergo nec in tempore nec in loco Sapientia est, cui nec mors tribuenda est ». « In ligno enim caro, non illa operatrix omnium substantia divina, pendebat ». — Confitemur tamen, Christum pependisse in ligno et iacuisse in sepulcro, sed in carne; et fuisse in inferno, sed in anima sola.

Cap. III.

Quod Christus ubique totus est, sed non totum; ut totus est homo vel Deus, sed non totum.

Et utique totus eodem tempore erat in inferno, Dubium 2. totus in caelo, totus ubique. Persona enim illa aeterna non maior erat, ubi carnem et animam simul unitam [8] sibi habebat, quam ubi alterum tantum; nec maior erat, ubi utrumque simul, vel alterum tantum unitum habebat, quam ubi erat neutrum habens unitum. Totus ergo Christus et perfectus ubique erat. Unde Augusti- Augustinus. nus [9]: « Non dimisit Patrem Christus, cum venit in Virginem, ubique totus, ubique perfectus. Uno igitur

---

[1] Libr. I. de Trin. c. 13. n. 28.

[2] Edd. I, 8 praefigunt *homo;* inferius solae edd., exceptis I, 8, post *utriusque* addunt *semper*.

[3] De hac falsa opinione cfr. supra d. VI, et Comment. S. Bonav. ibid. post *divisionem textus*. Cod. Erf. hic addit: De hac materia Hugo, II. de Sacram. p. I. c. 11, et I. Sent. c. ult., et Gandolphus, libro III. c. 108.

[4] Edd. I, 8 *nec;* eaedem infra post *in inferno* legunt *secundum animam* et omittunt verba *sed in inferno secundum animam*. — Verba ista excerpta sunt ex Fulgentio, de Fide ad Petrum, c. 2. n. 11.

[5] Edd. I, 9 *existebat;* inferius post *illa duo* Vat. cum plurimis edd. addit *vere*.

[6] In Evang. Ioan. (14, 28.) tr. 78. n. 3.

[7] De Incarnat. dominic. sacramento, c. 5. n. 41. 42, ubi locus Script. est Iob 28, 12. seqq. Seq. locus ibid. c. 6. n. 50.

[8] Codd. *unita*, quo loquendi modo utitur Bonav. pag. 441.

[9] De Unitate Trinit. contra Felician. c. 14. (videtur esse opus Vigilii Taps.). Seq. locus ibid. c. 16, in quo pro *sed tamen* codd. habent *sed tantum*. Sed in originali aliter legitur: Ergo, inquis, mortem Dei Filius et in anima non *pertulit* et in maiestate non *sensit?* Quid ergo dicebas esse quod pertulit? *Sensit* prorsus et pertulit, sed participatione morbi alieni, non proprietate vulneris sui.

eodemque tempore totus erat in inferno, totus in caelo. Erat apud inferos resurrectio mortuorum, erat super caelos vita viventium; vere mortuus, vere vivus, in quo et mortem susceptio mortalitatis excepit, et vitam Divinitas non perdidit». «Mortem igitur Dei Filius et in anima non pertulit et in maiestate non sensit; sed tamen participatione infirmitatis Rex gloriae crucifixus est». — Ex his apparet, quod Christus eodem tempore totus erat in sepulcro, totus in inferno, totus ubique, sicut et modo totus est, ubicumque est, sed non totum. Dubium 3. Nec in sepulcro nec in inferno *totum* erat, etsi *totus;* sicut Christus totus est Deus, totus homo, sed non totum, quia non solum est Deus vel homo, sed et Deus et homo. *Totum* enim ad naturam refertur, *totus* autem ad hypostasim, sicut *aliud* et *aliquid* ad naturam, *alius* vero et *aliquis* ad personam referuntur. Damascenus. Unde Ioannes Damascenus[1]: «*Totus* Christus est Deus perfectus, non autem *totum* Deus est. Non enim solum Deus est, sed et homo; et *totus* homo perfectus, non autem *totum* homo, non enim solum homo, sed et Deus. *Totum* enim naturae repraesentativum est, *totus* autem hypostaseos; sicut *aliud* quidem est naturae, *alius* autem hypostaseos». Sic et huiusmodi.

CAP. IV.

Si ea quae dicuntur de Deo vel de Filio Dei, possint dici de homine illo vel de filio hominis.

Solet etiam quaeri, si congruenter dici possit *filius hominis*, vel *ille homo* descendisse de caelo, vel ubique esse, sicut dicitur *Filius Dei* vel *Deus* de caelo venisse, vel ubique esse.

Ad quod dicimus, si ad *unitatem personae* referatur dicti intelligentia, sane dici potest; si vero ad *distinctionem naturarum*, nullatenus concedendum est. Resp. Unde Augustinus[2]: «Una persona est Christus, Augustinus. Deus et homo. Ideo dicitur: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo*, etc. Si ergo attendas *distinctionem substantiarum*, Filius Dei descendit, et filius hominis crucifixus est; si vero *unitatem personae*, et filius hominis descendit, et Filius Dei est crucifixus. Propter hanc unitatem personae non solum filium hominis *descendisse de caelo*, sed etiam dixit *esse in caelo*, cum loqueretur in terra». «Propter hanc eandem dicitur *Deus gloriae crucifixus*, qui tamen ex forma servi tantum crucifixus est, non secundum hoc, quod *Deus gloriae* est et secundum quod glorificat suos; et tamen dicitur *Deus gloriae crucifixus*, recte quidem non ex virtute Divinitatis, sed ex infirmitate carnis. *Quid* ergo, *propter quid*, et quid *secundum quid* dicatur, prudens et diligens et pius lector intelligat».

Dubium 4.

Haec de corrigia[3] calceamenti dominici dicta sufficiant, ne ossa regis Idumaeae consumantur usque in cinerem. Dubium 5.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXII.

De consequentibus ad separationem in morte Christi.

Hic quaeritur, utrum in illo triduo etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de separatione facta in morte Christi. In hac vero parte agit de consequentibus ad separationem. Dividitur autem pars ista in tres partes. In quarum prima inquirit Magister, utrum Christus fuerit homo in triduo. In secunda vero, ubi fuerit[1] in illo triduo, ibi: *Hic quaeritur, si Christus in morte alicubi erat homo.* In tertia vero ad maiorem explanationem inquirit, utrum concedendum sit, illum hominem descendisse de caelo, ibi: *Solet etiam quaeri, si congruenter dici possit* etc.

Prima pars, in qua inquirit, utrum Christus in triduo fuerit homo, dividitur in duas partes. In quarum prima opponit. In secunda dissolvit, ibi: *Quibus respondemus, quia, licet homo mortuus fuerit* etc.

Secunda vero pars principalis, in qua inquirit, ubi fuerit homo[2], similiter habet duas. In quarum prima inquirit, ubi fuerit secundum humanitatem. In secunda vero inquirit, ubi fuerit secundum sui totalitatem, ibi: *Et ideo*[3] *totus eodem tempore erat* etc.

Similiter tertia pars, in qua inquirit, utrum filius hominis descenderit de caelo, habet duas partes. In quarum prima quaestionem praedictam determinat. In secunda vero praedeterminata in totali parte ista epilogat, ibi: *Haec quidem de corrigia calceamenti* etc. Quae quidem pars dividi potuit contra totam partem praecedentem, sed sub aliis partibus diffusioribus[4] comprehensa fuit ad vitandam divisionis confusionem.

---

[1] Libr. III. de Fide orthod. c. 7.

[2] Libr. II. contra Maximin. c. 20. n. 3. Locus Scripturae est Ioan. 3, 13. Seq. locus est I. de Trin. c. 13. n. 28, ubi respicitur I. Cor. 2, 8.

[3] Respicitur Ioan. 1, 27, et deinde Amos 2, 1, de quibus cfr. Bonav., Comment. hic dub. 5.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Non pauci codd. nec non edd. 1, 2 minus recte *fuit.*

[2] Pro *fuerit homo* edd. 1, 2 *fuerit in illo triduo*, Vat. *fuerit illo triduo.* Deinde edd. 1, 2 cum bene multis codd. bis *fuit* pro *fuerit.*

[3] In textu Magistri *Et utique*, cod. 1 *Et utique ideo;* sed infra in dub. 2. omnes codd. et edd. pro *ideo* recte *utique.*

[4] In edd. desideratur *diffusioribus*, pro qua voce cod. M substituit *difficilioribus.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidunt hic sex dubitabilia.

Primo quaeritur, utrum Christus in triduo fuerit homo.

Secundo quaeritur, utrum secundum quod homo, fuerit in loco determinato.

Tertio quaeritur de requietione corporis in sepulcro.

Quarto quaeritur de descensu animae ad inferos.

Quinto quaeritur de liberatione animarum de inferno.

Sexto et ultimo quaeritur de traductione animarum ad caelos.

ARTICULUS UNICUS.

De his quae mortem Christi consequuntur.

QUAESTIO I.

Utrum Christus in triduo fuerit homo.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum Christus fuerit homo in triduo. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Augustinus[1]: «Talis fuit illa susceptio, quae faceret Deum hominem et hominem Deum»; sed susceptio non mutata mansit in triduo, sicut prius ostensum est: ergo Christus in triduo fuit homo.

2. Item, magister Hugo de sancto Victore[2]: «Quid stultius, quam quod homo tunc *esse desinat*, quando *vere esse incipit*»! Ex hoc arguit ita: cum ergo homo sanctus incipiat esse beatus, quod est *esse verissimum*, stultissimum est dicere, quod tunc *desinat esse*: ergo de quolibet homine post mortem verum est dicere, quod sit homo: ergo multo fortius hoc debet concedi et dici de Christo.

3. Item, omne habens humanam naturam est homo; sed Christus in triduo erat habens humanam naturam: ergo Christus in triduo erat homo[3]. *Maior* et *minor* per se manifestae sunt.

4. Item, quotiescumque anima et corpus uniuntur in unam hypostasim, faciunt hominem; sed in triduo anima et corpus uniebantur in unam hypostasim in Christo: ergo Christus in triduo erat homo.

5. Item, haec est vera: Christus in triduo iacebat in sepulcro; aut ergo secundum quod *Deus*, aut secundum quod *homo*; sed non secundum quod Deus: ergo secundum quod homo: ergo Christus in triduo erat homo[4].

6. Item, Christus in triduo non desiit esse sacerdos: ergo Christus in triduo non desiit esse homo. *Prima* patet per hoc quod dicitur in Psalmo[5]: *Tu es sacerdos in aeternum;* et ad Hebraeos septimo: *Christus habet sempiternum sacerdotium.* Necessitas illationis in hoc ostenditur, quod sacerdos erat, secundum quod homo.

7. Item, Christus propter assumtionem animae rationalis, rationalis erat rationalitate creata; sed Christus in triduo habuit animam rationalem sibi unitam: ergo Christus in triduo erat rationalis rationalitate creata: ergo erat *Angelus*, vel *anima*, vel *homo*. Sed non erat *Angelus*, vel *anima:* ergo erat homo.

Fundamenta.

Sed contra: 1. «*Mortuus* diminuit de ratione *hominis*[6]»: ergo quicumque est homo mortuus, est deficiens a completa ratione hominis; sed completum non praedicatur de diminuto: ergo si Christus in triduo erat homo mortuus, haec est falsa: Christus in triduo erat homo.

2. Item, secundum naturalem philosophum homo est compositum ex anima rationali et carne; sed Christus in triduo non erat compositum ex anima rationali et carne[7]: ergo Christus in triduo non erat homo vere.

3. Item, nulla forma praedicatur de toto, quia *forma*, sed quia est *forma consequens* totum com-

---

[1] Libr. I. de Trin. c. 13. n. 28. — De *minori* cfr. supra d. 21. a. 1. q. 1. seq. et hic lit. Magistri, c. 1.

[2] Libr. II. de Sacram. p. I. c. 11, ubi post verba hic allata Hugo sic prosequitur: Et tanto utique verius est, quanto est verius in quo esse incipit! Non, inquiunt, sed figura est, quando Sancti cum Christo esse dicuntur. Bene. Quando vobiscum sunt, veritas est, et quando cum Christo sunt, figura est. In hoc vobis credite. Nos enim non credimus. Nos scimus, quia Christus veritas est. Qui ad Christum vadunt, non ad figuram vadunt, sed ad veritatem vadunt et figuram evadunt etc. — Proxime post testimon. allatum Vat. cum aliquot codd. pro *arguit* exhibet *arguitur*, et deinde sola omittit conclusionem *ergo de quolibet... quod sit homo.*

[3] Recte dicimus, ait Hugo a S. Vict. loc. cit., quod Verbum, ex quo homo factum est, nunquam postea homo esse desiit, quia se nec in morte carnis suae ab assumta humanitate unquam divisit.

[4] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[5] Psalm. 109, 4. — Seq. Scripturae loc. est Hebr. 7, 24, ubi edd., Vulgatam sequentes, post *Christus* addunt *eo quod maneat in aeternum.* — Subinde pro *Necessitas illationis* edd. *Veritas illationis.*

[6] Verba sunt Petri Hisp., de quibus videsis supra pag. 258, nota 2. — Pro *diminuit* codd. B C D W Y *deficit.* Subinde pro *deficiens* edd. *diminutus.*

[7] Cod. U *non erat talis, ergo,* Vat. *non erat huiusmodi, ergo.* Pro *compositum* codd. F N P Q *compositus.* Edd. 1, 2 omittunt *minorem.*

positum: si ergo homo praedicatur de Christo, necesse est, quod nominet formam consequentem totum compositum; sed in Christo soluta erat compositio in triduo: ergo in triduo non poterat dici homo. *Maior* propositio manifesta est per inductionem et per auctoritatem Avicennae [1], qui eam ponit, et per auctoritatem Boethii, qui dicit, quod « species est totum *esse individui* ».

4. Item, corrupto superiori essentiali, necesse est, corrumpi inferius; sed *esse vivum* superius est ad *esse hominem* et est ei essentiale, quia « *vivere* est *esse* viventis [2] »: ergo si Christus in triduo desiit esse vivus, Christus in triduo desiit esse homo: non ergo Christus in triduo erat homo.

5. Item, Christus in triduo nec videre poterat nec audire nec loqui: ergo si erat homo, erat homo caecus, surdus et mutus; sed hoc est absurdum dicere de Christo: ergo falsum est dicere, quod Christus in triduo fuerit homo [3].

6. Item, sicut unio divinae naturae et humanae facit, Deum esse *hominem*, ita unio animae ad carnem facit, esse *animatum*: ergo cessante unione animae ad carnem, cessat esse *animatum*; et si cessat esse animatum, cessat esse *animal*; et si cessat esse animal, necessario cessat esse *homo* [4]: ergo *a primo*, cum in Christo fuerit separatio animae a carne in triduo, Christus desiit esse homo in triduo: non ergo fuit homo in triduo.

7. Item, ad hoc ipsum sunt rationes Magistri in littera [5], quae super hoc fundantur: omnis homo aut est *mortalis*, aut *immortalis*, omnis etiam homo est *alicubi* homo; sed Christus in triduo nec erat *mortalis* nec erat *immortalis* nec erat *alicubi* homo — quia non in *sepulcro*, cum non esset ibi nisi corpus; non in *inferno*, cum non esset ibi nisi anima — ergo Christus non fuit homo in triduo.

CONCLUSIO.

Christus in triduo non fuit homo, si loquamur de praedicatione simpliciter actuali.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc fuit triplex modus dicendi. — Primus est, quod non solum vere *Christus* in triduo possit dici homo, sed etiam hoc potest dici de *quolibet* homine mortuo. — Secundus vero modus dicendi est, quod hoc non debet concedi de *aliis*; potest tamen concedi de Christo. — Tertius vero modus dicendi est, quod illud non debet concedi de *Christo* nec de *aliis* hominibus. Et primum modum dicendi tenuit magister Hugo de sancto Victore; secundum modum tenuit Magister Sententiarum; tertium vero tenet communis opinio doctorum Parisiensium.

Triplex opinio.

Nota.

Si quis autem velit diligenter considerare, quilibet modorum praedictorum habet aliquid de veritate. Cum enim dicitur *hoc* de *hoc* [6], tripliciter potest dici: aut secundum *esse actuale*, aut secundum *esse aptitudinale*, aut partim secundum *esse actuale*, partim secundum *aptitudinale*. Praedicatum enim aut dicit *essentiam subiecti*, aut *actum subiecti*. Tunc est praedicatio secundum *esse actuale*, quando subiectum est ens in actu, et forma praedicati actu inhaeret subiecto et est eius actus; sicut, homine existente, dicitur: homo est animal. — Tunc autem est praedicatio secundum *esse aptitudinale*, quando nec subiectum est actu, nec forma praedicati actu inhaeret subiecto, sed necessaria est *ordinatio* unius ad alterum, fundata super principia naturae; sicut, nulla rosa existente, conceditur, quod rosa sit flos. — Tunc autem est praedicatio partim secundum *esse aptitudinale*, partim secundum *esse actuale*, quando *suppositum* est in actu, *forma* vero praedicati non inest ei secundum actum, sed secundum necessariam ordinationem, fundatam super principia naturae.

Triplex praedicatio explicatur.

Cum ergo quaeritur, utrum Christus sit homo in triduo; si loquamur de praedicatione secundum *esse aptitudinale*, non tantum est verum de ipso, sed etiam de omni homine mortuo, quia secundum veritatem fidei nostrae et scientiam theologiae, quando homo moritur, remanent principia eius, in quibus salva est *ordinatio* non solum respectu *formae hominis*, sed etiam *huius hominis*; alioquin non esset vera resurrectio [7]. — Si autem loquamur de praedicatione partim *actuali*, partim *aptitudinali*; sic potest concedi de *Christo*, quod fuerit homo in triduo, quia erat *persona in actu*, quamvis *forma* humanitatis servaretur in *aptitudine* coniunctionis animae et carnis; sed hoc non potest dici de aliquo alio homine [8]. — Si autem loquamur de praedicatione *simpliciter actuali*, nec de *Christo*, nec de *alio* homine est verum dicere, quod sit *homo*, quamdiu est anima separata a carne. Nihil enim facit, hominem esse actu, nisi actualis coniunctio animae cum carne [9].

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

Si igitur isti tres modi dicendi intelliguntur secundum tres praedictos modos praedicandi, sic in omnibus reperitur veritas, et nulla est inter eos

De 3 opinionibus.

---

[1] In Metaph., tr. 5. c. 3. 5. 7. Ratio, cui Avicenna innititur, est, quia forma ut forma est pars; « impossibile est autem, ipsam partem praedicari de toto ». — De sententia Boethii vide supra pag. 48, nota 7.

[2] Aristot., II. de Anima, text. 37. (c. 4.). — De *maiori* cfr. supra pag. 438, nota 3. — Mox pro *vivus, Christus in* edd. *vivens, ergo in.*

[3] Hoc arg. proponitur etiam a Praepositivo, S. p. III.

[4] Vide verba Porphyrii, tom. II. pag. 93, nota 2. allegata.

[5] Hic c. 1. seq.

[6] Pro *dicitur hoc de hoc* codd. G I K L T aa *dicitur hic de hoc*, codd. M O *dicitur homo.*

[7] Cfr. IV. Sent. d. 43. a. 1. q. 4.

[8] Vide supra d. 5. a. 2. q. 3. et d. 21. a. 1. q. 3.

[9] Codd. A N *ad carnem* et subinde cum codd. K U *intelligantur* pro *intelliguntur.*

contrarietas; et verum sensit Hugo de sancto Victore, et verum dixit Magister, si intellexerunt [1] iuxta praeassignatos modos, et verum tenet communis opinio. Et per hoc ad omnes rationes ad utramque partem adductas satis potest patere responsio.

De reali sententia Hugonis.

Verumtamen, si verba Hugonis velimus amplius considerare, invenimus, eum sensisse, Christum fuisse hominem in triduo, et quemcumque alium hominem mortuum, non solum quantum ad *esse aptitudinale*, sed etiam quantum ad *esse actuale*. Posuit enim, quod post mortem salvaretur *esse* hominis; et quod *anima separata* esset *persona;* et quod iterum multo fortius deberet *homo* dici *anima* quam *corpus*, si hoc admitteret usus. Unde arguit in hunc modum [2]: cum homo ex anima et corpore constet, tamen propter unam partem, quae est *corpus*, dicitur homo *corpus*, multo ergo magis propter partem illam, quae est *anima*, debet dici *anima*. — Et in hoc dicto magister Hugo communiter non sustinetur. Nec enim *anima separata* est *persona*, sicut ostensum fuit supra [3]; nec *homo* est *anima sua;* nec verius est homo, cum moritur, quam cum vivit, quantum ad *esse* naturae, licet fortassis possit augeri in eo *esse* gratiae; nec *corpus*, secundum quod est pars integralis hominis, praedicatur de homine: et ideo non sine causa opinionem magistri Hugonis communis opinio non approbat in parte ista.

Non approbatur.

De reali sententia Magistri.

Magister autem Sententiarum non solum voluit dicere, quod Christus in triduo fuisset homo praedicatione partim *actuali*, partim *aptitudinali*, immo [4] *vere et actualiter*. Et volunt aliqui hoc imponere ei, quod hoc dixit, quia fuit de *tertia* opinione, quae dixit Christum hominem secundum *habitum*. Unde volebat dicere, quod actu esset homo, quia actu *habebat* naturam humanam. — Sed hoc non est imponendum Magistro, quia error est, sicut in praecedentibus [5] ostensum fuit; nec ex verbis Magistri potest expresse haberi, sed alia de causa hoc dixit. Intellexit enim, in Christo duas fuisse uniones et vere, videlicet unionem animae ad carnem, et unionem divinae naturae et humanae. Et unio *divinae naturae et humanae* faciebat, Christum esse hominem, iuxta illud quod dicit Augustinus: « Talis fuit illa susceptio, ut faceret Deum hominem ». Unio vero *animae ad carnem* faciebat, hominem illum *vivere*. Quia ergo in triduo mansit unio *Divinitatis ad humanitatem*, et soluta fuit unio *animae ad carnem;* hinc est, quod posuit Magister, quod Christus in triduo non desiit *esse homo*, sed desiit *vivere;* ideo verum est secundum ipsum dicere de Christo, quod fuit *homo* in triduo, et quod fuit *homo mortuus*, quamvis non possit dici de aliquo alio. — Et in hoc etiam Magister defecit, quia ad hoc, quod aliquis sit homo, necessario praeexigitur et coexigitur unio animae ad carnem, cum *homo* dicat formam totius sive consequentem totum compositum. Unde nequaquam illa susceptio fecisset Deum hominem et hominem Deum, nisi Deus assumsisset corpus et animam, ut coniuncta ad invicem. — Et propter hoc positio Magistri communiter non sustinetur in parte ista, nec positio etiam magistri Hugonis, non quia omni modo [6] sit falsa locutio praedicta: Christus in triduo fuit homo, sed quia falsitatem habet intelligendo de praedicatione secundum *esse actuale*, secundum quam praedicationem versatur inquisitio circa praedictam locutionem; et isto modo videtur eam tractasse magister Hugo et Magister Sententiarum et communis opinio magistrorum, et secundum istum modum currit praesens inquisitio. — Ideo rationes ostendentes, locutionem praedictam esse falsam, concedendae sunt; procedunt enim secundum hanc viam.

Improbatur Magister.

De utraque positione.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod talis fuit [7] illa susceptio etc.; dicendum, quod hoc fuit, non quia assumsit corpus et animam tantum, sed etiam, quia assumsit corpus et animam unita; et ideo desiit esse homo, non quia sit mutata unio Divinitatis ad carnem, sed quia soluta fuit unio animae et carnis ad invicem.

Solutio oppositorum.

2. Ad illam auctoritatem Hugonis, qua dicitur, quod nemo desinit esse [8], quando verius esse incipit; dicendum, quod nihil prohibet, quod veritas *esse moralis* augeatur cum diminutione veritatis *esse naturalis;* sicut videmus, quod in debilitatione virtutis naturalis frequenter fortificatur virtus moralis. Et ideo non oportet, quodsi homo incipit esse *beatus* secundum animam, quod propter hoc non desinat esse *homo*.

---

[1] Ita codd. A I K L M N T, codd. B O *intellexerit;* edd. *intelligunt*. Paulo inferius pro *potest patere* codd. A K *posset patere*.

[2] Libr. II. de Sacram. p. I. c. 11: Omnis homo est animal, et omne animal est corpus: igitur omnis homo est corpus. Nullam contradictionem hic esse putas. Auctoritas enim hoc dicit... Dic ergo, hoc *totum* quare magis dicis esse corpus quam animam, cum ex anima simul et corpore constet? Si propter partem unam, quia corpus est, *totum* ipsum corpus dicitur, nonne multo magis dicendum est anima propter partem alteram, quae anima est? Si enim a parte *totum* naturam et nomen trahere dicitur, ab illa procul dubio parte, quae melior est et dignior, rectius et naturam et nomen trahere dicetur. Sed non habet usus loquendi, inquis, ut homo anima dicatur. Ecce, concedo secundum usum loquendi... Usus loquendi ab hominibus inventus est etc.

[3] Dist. 5. a. 2. q. 3. — Paulo superius pro *Nec enim* codd. A K *Nec etiam;* paulo inferius pro *possit* multi codd. *posset*.

[4] Codd. P Q subiiciunt *quod*. Edd. sibi indulserunt quae sequuntur sic depravare: *immo quod hoc dixerit vere et actualiter, volunt aliqui hoc imponere ei, quia fuit* etc. Pro *hoc dixit* codd. E P Q X *hoc dixerit*.

[5] Dist. 6. a. 1. q. 3. et dub. 2. — De seqq. vide lit. Magistri, hic c. 1. seq. et supra d. V. c. 3. — Paulo inferius edd. omittunt *et vere*.

[6] Pro *omni modo* codd. A U *omnino*.

[7] Codd. B C D M O X *fuisset*. — Paulo inferius pro *unita* multi codd. *unitam*.

[8] Codd. M O supplent *homo*. Mox pro *moralis* plurimi codd. *moris*, et subinde pro *diminutione veritatis* codd. A K U bb *diminutione virtutis*.

3. Ad illud quod obiicitur, quod habens humanam naturam est homo; dicendum, quod nomine Notandum. *humanae naturae* aliquando intelliguntur *principia constituentia* hominem; aliquando intelligitur *forma* hominis *completiva*, quae dat ipsi supposito complementum et operationem debitam illi speciei, secundum illud quod dicit Boethius[1]: « Natura est unamquamque rem informans specifica differentia ». Si ergo accipiatur natura primo modo, locutio est falsa; si secundo modo, locutio est vera; sed isto modo non habuit Christus humanam naturam in triduo: et ideo non sequitur, quod fuerit homo.

4. Ad illud quod obiicitur, quod quando anima et corpus uniuntur in eandem hypostasim, faciunt hominem; dicendum, quod uniri animam et corpus Duplex unio in hypostasi. in eandem hypostasim, hoc potest esse dupliciter: aut ita, quod illa hypostasis sit *ex eis constituta*, et sic talis hypostasis, quae sit *hic et nunc*[2]; et isto modo non possunt uniri in eandem hypostasim, quin uniantur ad invicem, ac per hoc quin faciant hominem. Alio modo possunt uniri in eandem hypostasim, ita tamen, quod illa hypostasis ex eis *non constituitur*, immo unitur eis etiam localiter separatis; et hoc modo uniri in eandem hypostasim non necessario facit *hominem*, quia non est ibi unio per constitutionem naturae tertiae, qualis est unio materiae et formae, qualis etiam requiritur ad hominis *esse*. Et quia isto modo unita erant anima et corpus in Christo in triduo, non modo praemisso; ideo non sequitur, quod Christus in triduo fuerit homo.

5. Ad illud quod obiicitur, quod Christus in triduo iacebat in sepulcro; dicendum, quod talis locutio est vera *per synecdochen*[3]. Dicitur enim Christus iacuisse in sepulcro, quia *pars* humanitatis eius iacuit in sepulcro. Unde nec iacuit ibi secundum quod *homo* nec secundum quod *Deus*, sed secundum *aliquid hominis*. Sicut ergo non sequitur: Petrus est in tumulo, ergo Petrus est homo; sic etiam intelligendum est in proposito. Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod Christus in sempiternum fuit sacerdos; dicendum, quod sacerdotium Christi dicitur fuisse sempiternum, non quia semper fuerit sacerdos in actu, sed quia illi sacerdotio nullum aliud successit[4]. Notandum.

7. Ad illud quod obiicitur, quod Christus in triduo habebat animam rationalem sibi unitam, ergo erat rationalis; dicendum, quod hoc non sequitur, nisi intelligatur *per synecdochen*, pro eo quod idiomata partium hominis non communicantur hypostasi Verbi nisi mediante toto coniuncto, communicatione propria[5]. Et quoniam Christus tunc non erat homo, ideo nec poterat dici *albus* ratione corporis, nec *rationalis* ratione animae, nisi *per synecdochen*, videlicet quod habebat corpus album et animam ratiocinantem. Quod ergo dicit: quod[6] habet animam rationalem sibi unitam est rationale; dicendum, quod hoc habet veritatem, si intelligatur de unione, quae est formae ad materiam; hoc autem modo non uniebatur anima Christi Christo in triduo. Unde non sequitur, quod fuisset homo in triduo. Notandum.

SCHOLION.

I. Solutio huius quaestionis dependet a duobus principiis, iam supra contra aliter sentientes stabilitis. Primum eorum est, quod Christus assumsit animam et corpus ita unita, ut inde resultaret *una natura*, nempe humana (vide supra d. 6. *praenotata* post *divisionem textus* et ibid. a. 1. q. 1, scholion). Secundum est, quod anima *separata* non est *persona*, quod negarunt Hugo a S. Vict. et Magister (cfr. supra d. 5. a. 2. q. 3.), diversis tamen ducti rationibus. Idem confessi quidem sunt dogma fidei, quod Christus secundum humanam naturam vere in triduo illo fuerit mortuus; nihilominus tenuerunt, eum tunc fuisse *hominem* « secundum actualem praedicationem ». Sed haec doctrina ab omnibus posterioribus dicitur esse falsa in se et orta ex falsis principiis philosophicis. Hugo enim putabat, *animam* per se esse *personam* et *hominem*; Magister vero opinabatur, in *Christo* propter divinum suppositum coniunctionem animae et corporis non fuisse necessariam, ut esset homo; immo idem, secundum Alexandrum, Henricum Gand. aliosque, putabat, nec *ante* mortem Christi animam et corpus fuisse ad invicem formaliter unita; a quo tamen errore S. Thomas aliique eum alienum fuisse dicunt. S. Thom. (locc. infra citt.) dicit, Hugonem et etiam Magistrum in hac quaestione verba quidem habuisse erronea, non tamen sensum erroris *in fide*, sed falsa principia in philosophia. S. Bonav. etiam docet, quo sano sensu (alieno tamen a mente utriusque magistri) dici possit, Christum in triduo fuisse hominem. Idem fere repetunt Petr. a Tar. et Richard. a Med. — Scotus hic multis rationibus *philosophicis* opinionem praedictam utriusque impugnat; sed de his rationibus non omnes conveniunt.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 19. m. 3. — Scot., *in utroque* Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. III. q. 50. a. 4. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Henr. Gand., Quodl. 1. q. 3. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, hic q. unica.

---

[1] De Una Persona et duab. natur. c. 1. Cfr. supra d. 5. a. 2. q. 1. arg. 4. ad oppos. — Circa finem solut. codd. B D U omittunt *non* ante *habuit;* perperam.

[2] Vel aliis verbis: et sic talis sit hypostasis, quae sit particularis sive singularis. Dictio etenim *hic et nunc* opponitur locutioni *semper et ubique*, qua universale designatur. Vide Aristot., I. Poster. c. 24. (c. 31.), quem locum iam tom. I. pag. 642, nota 4. allegavimus. — In hac solut. cod. A pro *in eandem hypostasim* constanter exhibet *in eadem hypostasi*. Paulo inferius post *ex eis* edd. subdunt *unitis*, et subinde cum uno alteroque cod. pro *constituitur* habent *constituatur*. Circa finem solut. pro *ad hominis esse* codd. A T *ab hominis esse*.

[3] Vide supra pag. 259, nota 8, et tom. II. pag. 519, nota 5.

[4] Cfr. Hebr. 7, 11. seq.

[5] Vide supra d. 21. a. 1. q. 1. ad 2. — Paulo inferius pro *videlicet quod* codd. A N *videlicet quia*.

[6] Post *quod* cod. bb subiicit *omne quod*, et subinde pro *habet* edd. 1, 2 cum pluribus codd. *habebat*.

QUAESTIO II.

Utrum Christus, secundum quod homo, fuerit in loco determinato, an ubique.

Secundo quaeritur, utrum Christus, secundum quod homo, fuerit in loco determinato, an ubique. Et quod fuerit in loco determinato, videtur:

Fundamenta. 1. Quia Christus, secundum quod homo, non fuit, nisi ubi fuit anima eius, vel caro; sed anima eius, vel caro non fuit nisi in loco determinato: ergo nec Christus, secundum quod homo [1].

2. Item, Christus, secundum quod homo, « assumsit humanam naturam in atomo [2] »; sed humana natura in atomo est humana natura in individuo, et individuum est necessario *hic et nunc*, et ita in loco determinato: ergo Christus, secundum quod homo, est in loco determinato.

3. Item, cuicumque convenit moveri secundum locum, convenit ei esse in loco determinato; sed Christus, secundum quod homo, descendit ad inferos et ascendit ad caelos [3]: ergo etc.

4. Item, quod Christus sit in pluribus locis, secundum quod homo, hoc non habet, nisi quia sub Sacramento [4]: si ergo tunc sub Sacramento non erat, ergo in aliquo loco ipsum existere oportebat.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Quaecumque sunt unita inseparabiliter, ubicumque unum est, et reliquum [5]; sed humana natura unita est inseparabiliter et erat tunc Verbo Dei unita, quod est ubique: ergo si Verbum est ubique, et humana natura in Verbo.

2. Item, quaecumque sunt idem in supposito, ubicumque est unum, et reliquum — si enim aliqua duo accidentia uniantur in uno subiecto, impossibile est, unum esse alicubi, ubi non sit reliquum — sed humana natura et divina uniuntur in una hypostasi [6]: si ergo *divina* natura est ubique et non in loco determinato, necessario sequitur, quod et *humana* natura in Christo.

3. Item, haec est vera: iste homo est Filius Dei ubique, ergo *a simplici conversa* [7]: Filius Dei est ubique homo; sed ubicumque est homo, ibi est eius humanitas: ergo etc.

4. Item, demonstretur quicumque locus, Christus est ibi; aut ergo est ibi homo, aut non-homo — homo enim et non-homo opponuntur immediate — sed non est ibi non-homo: ergo est ibi homo: ergo Christus est ubique homo: igitur secundum humanam naturam non est in loco determinato nec fuit in triduo.

5. Item, bene sequitur: hoc est, et non est homo, ergo est non-homo: ergo similiter bene sequitur: Christus fuit ubique, et non fuit ubique homo, ergo fuit ubique non-homo; sed haec est falsa: ergo aliqua praemissarum; sed non nisi ista: Christus non fuit ubique homo: ergo eius opposita vera: Christus fuit ubique homo: ergo idem quod prius.

6. Item, « quidquid convenit Filio Dei per naturam, convenit illi homini per gratiam [8] »: cum ergo haec sit vera: Filius Dei est ubique; haec similiter erit vera: iste homo est ubique; sed bene sequitur: homo albus est ubique, ergo est ubique homo, et est ubique albus: ergo similiter bene sequitur: iste homo est ubique: ergo est ubique homo: redit ergo idem quod prius, scilicet quod Christus secundum humanitatem nec nunc nec in triduo fuit in loco determinato.

CONCLUSIO.

Christus, secundum quod homo, non fuit ubique, sed in loco determinato.

Quaestio intelligitur dupliciter. Respondeo: Dicendum, quod quaestio ista potest esse de *re*, et potest esse de *sermone*. Tunc est quaestio de *re*, quando quaeritur, utrum humanitas Christi fuerit, ubicumque fuit Divinitas; et ad istam quaestionem de plano respondendum est, quod non; Conclusio 1. quia divina natura est immensa et infinita, unde nullum locum sibi determinat; sed humana natura, cum sit creata et finita, locum sibi determinat. Unde non erat, ubicumque Divinitas erat, sed vel in sepulcro ratione corporis, vel in inferno ratione animae, sicut dicit Magister in littera [9]. — Et nunc similiter Corollarium. ratione humanitatis, quantum est *de se*, in uno tantum loco est; quod vero sit in pluribus, hoc est *sub Sacramento*, secundum quod dicit Innocentius [10],

---

[1] Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[2] Ut dicit Damascenus, III. de Fide orthod. c. 11. Cfr. supra pag. 15, nota 4, et d. 5. a. 2. q. 1. arg. 4. ad oppos. in fine. — De *minori* cfr. supra pag. 453, nota 2.

[3] Vide hic lit. Magistri c. 2. et 4. — Sententia *maioris* ab Aristot., V. Phys. text. 8. (c. 1.) sic exprimitur: « Omne quod movetur, in loco est ». Damascen., IV. de Fide orthod. c. 1: Ascendere e terra in caelum et rursus descendere actiones sunt circumscripti corporis. *Sic enim*, inquit, *rursus veniet ad vos, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum* (Act. 1, 11.).

[4] Cfr. IV. Sent. d. 10. p. I. q. 3. — Mox codd. A K N verbis *in aliquo loco* adiungunt *determinato*.

[5] Codd. A K U *ubicumque est unum, est et reliquum*. In fine arg. cod. S addit *ubique;* ante *humana* in edd. et codd. deficit *et*.

[6] Cfr. supra d. 6. a. 2. q. 1.

[7] Vide supra pag. 175, nota 10.

[8] Haec propositio a Scholasticis modo Ambrosio tribuitur (cfr. supra lit. Magistri, d. XIV. c. 2.), modo Augustino (cfr. supra lit. Magistri, d. IV. c. 2. et d. VI. c. 2.).

[9] Hic c. 2. Cfr. Athanas., Oratio de incarnat. Verbi, n. 17; Hilar., X. de Trin. n. 16; Fulgent., II. ad Trasim. c. 17. seq. — Proxime post edd. omittunt *Et nunc*.

[10] Libr. IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 8, ubi haec quaestio ponitur: licet autem corpus dominicum sit in loco [scil. in caelo] *locale*, quaeritur tamen, utrum *in Sacramento* sit locatum localiter etc. Cfr. ibid. c. 27. Vide etiam IV. Sent. d. X., ubi ex III. Decret. de Consecrat. d. 2. c. 44. illud Augustini (in Ioan. Evang. tr. 30. n. 1.) affertur: « Donec saeculum finiatur,

scilicet quod Christus dicitur esse alicubi *sacramentaliter*, alicubi *personaliter*, alicubi *localiter*: *localiter* est in caelo, *sacramentaliter* est in altari, *personaliter* ubique. Et sic humana natura in Christo habet, ut sit in loco determinato; et si de *re* fiat quaestio, satis plana est responsio.

Quaestio de locutione. Si autem fiat quaestio de *sermone*, hoc est, si quaeratur de veritate istius: iste homo est ubique, et iste est ubique homo; hic respondendum est, quod Distinctio. iste terminus *homo* potest *subiici*, vel *praedicari*. Conclusio 2. Quando *subiicitur*, tunc est locutio vera. Et ratio huius est: quia cum dicitur: iste homo est ubique, hoc pronomen *iste* potest demonstrare *personam* Christi, vel *singulare* hominis [1]. Si *personam* Christi, sic absque dubio vera est: iste homo est ubique. Si vero *singulare* hominis, adhuc vera est, sed non per propriam naturam, sed per communicationem idiomatum, quia « quod convenit Filio Dei per naturam convenit isti homini per gratiam. »

Si autem ponatur ex parte *praedicati*, tunc Conclusio 3. est locutio falsa, quia iste terminus *homo* praedicatur ratione formae, et hoc adverbium *ubique* determinat praedicatum; et ita significatur per hoc, quod forma humanitatis se extendat ad omnem locum in Christo; et hoc quidem falsum est, eo [2] quod habet locum determinatum. Unde sicut haec est falsa: Christus *semper* fuit homo, quia significatur ex hoc, quod humanitas Christi non habuit principium in tempore; ita similiter haec est falsa: Christus est *ubique* homo, quia ex hoc significatur, quod humana natura Christi sit ubique. — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod humana natura Christi sit in loco determinato et fuerit in triduo.

1. Ad illud quod obiicitur, quod quaecumque Solutio oppositorum. sunt unita inseparabiliter, extendunt se ad omnem locum aequaliter; dicendum, quod illud habet veri- Notandum. tatem, quando aliqua duo unibilia sic uniuntur, quod unum non excedit reliquum. Quando autem unum est maioris ambitus quam reliquum, non habet veritatem; et sic est in proposito; natura enim divina est immensa, sed natura humana est limitata. Et Simile. est simile: quia *animal* inseparabiliter praedicatur de homine, et tamen alicubi est *animal*, ubi non est *homo* [3].

2. Ad illud quod obiicitur, quod illa quae sunt unum in supposito, concomitantur [4] se in omni loco Distinctio notanda. inseparabiliter; dicendum, quod *quoddam* est suppositum, quod *non excedit* formam suam; et de tali supposito habet veritatem sermo praemissus. *Quoddam* vero est suppositum, quod *excedit* aliquam formam, cuius est suppositum, sicut hypostasis Christi se habet respectu humanae naturae, quia primum *esse* non habet a natura humana, sed a natura divina [5]; et de tali supposito non habet veritatem.

3. Ad illud quod obiicitur, quod haec est vera: iste homo est Filius Dei ubique, ergo *conversa* est vera: Dei Filius est homo ubique; dicendum, quod Notandum. haec, si quis attendat, non est eius *conversa*; et hoc patet, quia in *conversione* alicuius propositionis quod determinabat praedicatum debet fieri determinatio ex parte *subiecti*, alioquin non fiet recta conversio, sicut patet aspicienti. Et ideo, cum in hac locutione: homo est Filius Dei *ubique*, adverbium illud determinat praedicatum ratione istius attributi, quod est esse *Filius Dei*; eius *conversa* non est haec: Filius Dei est homo *ubique*, secundum quod *ubique* determinat hoc attributum, quod est *esse hominem*; sed haec: Filius Dei, existens *ubique*, est homo; et haec quidem est vera, unde quamvis in ratione praedicta videatur arguere a *simplici conversa*, non tamen arguit.

4. Ad illud quod obiicitur, quod si Christus est hic et non est homo, ergo est hic non-homo; dicendum, quod illud tenet in his quae sunt unius naturae tantum, ratione cuius sunt, ubicumque sunt. In Christo vero non tenet, quia non solum habet naturam humanam, sed divinam, per quam potest esse alicubi, ubi non est per humanam. Unde in processu illo est peccatum *secundum consequens* [6]: non est hic homo, ergo est hic non-homo. Ista enim habet tres causas veritatis: non est hic homo: aut quia non est Tres causae veritatis. *hic*, aut quia non est *homo*, aut quia est *hic* et est *homo*, sed tamen *humanitas* eius non est in isto loco; et in isto sensu habet locutio veritatem. Et si *obiiciat*, quod *homo* et *non-homo* opponuntur immediate; dicendum, quod verum est, quantum est de se, sed non est verum, *addita determinatione*. Haec enim duo non opponuntur immediate: albus *homo* et albus *non-homo*, quia neutrum horum vere praedicatur de homine nigro [7].

5. Ad illud quod obiicitur, quod bene sequitur: est, et non est homo, ergo est non-homo, ergo similiter bene sequitur: est hic, et non est hic homo, ergo est hic non-homo; dicendum, quod non est si-

---

sursum est Dominus; sed tamen etiam hic nobiscum est veritas Domini. Corpus enim, in quo resurrexit, in uno loco esse oportet; veritas autem eius ubique diffusa est ». Item illud: « Una persona est Deus et homo, ubique per id quod est Deus, in caelo per id quod homo est » (August., Epist. 187. alias 57. c. 3. n. 10.).

[1] Cfr. supra d. 11. a. 2. q. 2, ubi ad solvendam huic similem quaestionem (ad quam infra circa finem corp. spectatur) pronomen *iste* in similem modum distinguitur.

[2] Codd. A K N *pro eo quod*. Paulo inferius pro *non habuit* codd. G H I L aa *non habuerit*, cod. K *non habet*.

[3] Aliud exemplum est ipse homo, in quo, licet corpus et anima intime sint coniuncta, tamen anima tota est in toto corpore et tota in singulis eius partibus, quod de corpore non valet.

[4] Cod. T *concomitant*, plures codd. inepte vel *communicant* vel *communicantur*.

[5] Cfr. supra d. 6. a. 1. q. 1. ad 4.

[6] Vide supra pag. 99, nota 7. De seqq. cfr. supra pag. 252, nota 7. — In initio solut. pro *et non est homo* edd. *et non est hic homo* et subinde *illius naturae* pro *unius naturae* nec non paulo post *sed etiam divinam* pro *sed divinam*. Circa finem solut. pro *quantum est de se* edd. *quantum est de re*.

[7] Cfr. Aristot., II. Periherm. c. 1. (c. 10.).

mile, quia *pluribus* de causis potest ista verificari de aliquo: iste non est *hic homo*, quam ista: iste non est *homo*, propter determinationem adiunctam. Et ideo in praedicto processu est deceptio *secundum consequens*, a pluribus causis veritatis ad unam [1].

6. Ad illud quod obiicitur, quod haec est vera: iste homo est ubique, ergo iste est ubique homo; dicendum, quod non sequitur, quia in prima attribuitur ei *esse ubique* ratione *divinae* naturae, in secunda ratione *humanae*. Nec est simile de hoc quod *obiicit* de homine albo, quia suppositum istius termini *album*, cum sit *hic et nunc*, non se extendit ad aliquem locum, ad quem non extendit se eius proprietas; non sic autem est de persona Verbi et de natura humana.

SCHOLION.

I. Ubiquistarum error, ex Eutychetis fontibus, vel ex male intellecta doctrina de communicatione idiomatum manans et olim inter Protestantes late diffusus, reprobatus est iam an. 787 a Synodo oecumenica VII. (Sess. 8.) hoc anathematismo: « Si quis Christum, Deum nostrum, circumscriptum (περιγραπτόν) non confitetur secundum humanitatem, a. s. ». — Argumentum primarium Ubiquistarum explodituur hic in solut. ad 1. — Quaestio autem principalis Scholasticorum hoc loco versatur tantum circa veritatem *sermonis* sive quarundam locutionum huc spectantium. Conveniunt autem iidem in hoc, quod falsa sit locutio: Christus est *homo ubique* sive *ubique homo;* vera autem: iste homo *est ubique*. S. Thom. (hic a. 2.) etiam locutionem: Christus, secundum quod homo, est ubique, non penitus reprobat, scilicet quatenus *veritatem suppositi* importat, non autem, quatenus importat *veritatem naturae*. — *Ratio*, quam hic S. Bonav. affert, a Petr. a Tar. (hic q. 1. a. 2.) sic exprimitur: « Terminus *homo* a parte *subiecti* supponit pro *persona*, a parte *praedicati* pro *natura*, quia in praedicato est locus formae ratione inhaerentiae praedicati ad subiectum ». — Solutio ad 2. confirmatur a S. Thoma (S. c. Gent. IV. c. 49. ad 3. obiect.): « Hypostasis non extenditur extra terminos illius naturae, *ex qua subsistentiam habet*. Non autem Verbum Dei subsistentiam habet ex natura humana, sed magis naturam humanam ad suam subsistentiam vel personalitatem trahit; non enim *per illam*, sed *in illa* subsistit. Unde nihil prohibet, Verbum Dei esse ubique, licet humana natura, a Verbo Dei assumta, ubique non sit » (cfr. hic dub. 3. in fine). — De communicatione idiomatum et de regula, quod attributa unius naturae non possint praedicari de altera in abstracto sumta, cfr. supra d. 6. a. 1. q. 1, praesertim ad 6, d. 7. 8. passim, d. 11. a. 2. q. 1; S. Thom., S. III. q. 16. a. 4-6.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 19. m. 5. — S. Thom., hic a. 2; cfr. S. III. q. 16. a. 5. ad 3, et q. 52. a. 1-3. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., loc. cit. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 2.

III. Quoad seq. (3.) quaestionem multi antiqui Scholastici conveniunt in opinione, quod intercesserint horae 40 a morte Christi ad momentum resurrectionis (cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 23. m. 5. q. incid.); alii cum S. Bonav. computant horas 36; item docent, quod Salvator probabilius non prius resurrexerit quam in aurora. De diversis circa hanc rem opinionibus antiquorum vide hic pag. 457, nota 9; de difficultatibus exegeticis respectu harum aliarumque quaestionum, quae tempus passionis et resurrectionis respiciunt, consule etiam auctores recentiores.

De hac 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. 20. m. 3. a. 1-3. — S. Thom., III. Sent. d. 21. q. 2. a. 1. 2; S. III. q. 53. a. 2. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., III. Sent. d. 21. q. 3. a. 1. 2. — Richard. a Med., III. Sent. d. 21. a. 3. q. 2. — Durand., hic q. 5. — Dionys. Carth., hic q. 3. — Biel, hic q. unica.

QUAESTIO III.

Utrum corpus Christi per triduum fuerit in sepulcro.

Tertio quaeritur de quiete corporis in sepulcro, et est quaestio, utrum corpus Christi per triduum fuerit in sepulcro. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Matthaei duodecimo [2]: *Sicut Ionas fuit tribus diebus et tribus noctibus in ventre ceti, sic filius hominis erit tribus diebus et tribus noctibus in corde terrae:* ergo corpus eius fuit tribus diebus et tribus noctibus in sepulcro.

2. Item, Ioannis secundo [3]: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud;* et subiungit Evangelista, quod hoc intellexit *de templo corporis sui:* ergo redit idem quod prius.

3. Item, in Symbolo [4]: « Tertia die resurrexit a mortuis »: ergo corpus eius iacuit per triduum in sepulcro.

4. Item, hoc ipsum probatur per communem Ecclesiae observantiam, quae mortem eius in die Veneris celebrat et resurrectionem in die tertia [5], scilicet in die dominico: si ergo iacuit in sepulcro a morte usque ad resurrectionem, patet etc.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Figura debet respondere veritati; sed resurrectio Christi praefigurata fuit in Samsone, de quo legitur Iudicum decimo sexto [6], quod *dormivit usque ad medietatem noctis*, et tulit portas

---

[1] Vide solut. ad 4.

[2] Vers. 40.

[3] Vers. 19. Seq. Script. loc. est ibid. v. 21. — Paulo inferius pro *intellexit* edd. cum Vulgata *dicebat*.

[4] Scil. Apostolorum.

[5] Cfr. August., Epist. 55. (alias 119.) c. 13. n. 23. et Serm. 169. (alias 15. de Verbis Apostoli) c. 2. n. 3. nec non Serm. 280. (alias 251. de Tempore), in appendice operum S. Augustini. Vide etiam libr. de Divin. Officiis (inter opera Alcuini), c. 27. — Post *die tertia* edd. addunt *sequenti*.

[6] Vers. 3. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 21. n. 7: Quem nisi Redemptorem nostrum Samson ille significat?... Samson vero media nocte non solum exiit, sed etiam portas tulit, quia Redemptor noster, ante lucem resurgens, non solum liber de inferno exiit, sed et ipsa etiam inferni claustra destruxit etc.

civitatis etc.: ergo videtur, quod Christus usque ad tertium diem in sepulcro non requieverit.

2. Item, Actuum secundo[1]: *Quem Deus suscitavit* a mortuis, *iuxta quod impossibile erat, detineri eum*; sed si non potuit detineri: ergo videtur, quod statim resurrexerit, alioquin detentus fuit.

3. Item, opus nostrae redemptionis statim post mortem consummatum fuit: ergo glorificatio corporis Christi iam non debuit amplius differri, et ita corpus Christi non debuit in sepulcro per triduum relinqui.

4. Item, anima Christi in illo triduo aut *appetebat* uniri suo corpori, aut *non*. Si *non appetebat*: ergo non habebat naturam aliarum animarum; si *appetebat*: ergo retardabatur a contemplatione perfecta, si corpus eius non reddebatur ei. Sed hoc est inconveniens: ergo videtur, quod statim corpus eius debuerit suscitari.

Est igitur quaestio de tempore et hora resurrectionis. Nam aliquae Glossae[2] videntur dicere, quod Christus surrexit in media nocte, aliquae vero, quod in mane. — Rursus, quaestio est: quare Christus praevenit resurrectionem aliorum mortuorum, et corpus eius non fuit nisi per triduum in sepulcro, cum corpora aliorum hominum exspectent usque ad diem extremum?

Quaestio 1. incidens.

Quaestio 2. incidens.

CONCLUSIO.

Christus requievit per triduum in sepulcro; sed triduum *intelligitur secundum synecdochen.*

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod non conveniebat, corpus Christi statim post mortem suscitari; nec tamen conveniebat, suscitationem eius usque ad generalem resurrectionem differri.

Ad 2. quaest. incidentem.

Et ratio huius est, quia nostrae fidei certitudo, qua credimus nos resurrecturos, fundata est supra veram resurrectionem Christi[3]. Ad hoc autem, quod constet nobis de veritate resurrectionis, duo concurrunt: primum est, quod opportunum est, quod constet de veritate *mortis*; secundum est, quod oportet, quod constet de veritate *coniunctionis iteratae animae et carnis*. Veritas *mortis* non constitisset nobis, si Christus statim resurrexisset, sed potuisset aliquis suspicari, ipsum finxisse se mortuum. — Veritas *iteratae coniunctionis* non constitisset, si Christus adhuc non resurrexisset, immo[4] potius posset quis desperare quam exspectare; immo certe, si non resurrexisset, fides in Apostolis omnino defecisset, nec aliquis fuisse Christum Deum crederet, sed hominem purum. Necesse igitur fuit propter nostrae fidei veritatem et firmitatem, resurrectionem Christi accelerari, nec tamen adeo accelerari, quin manifestaretur veritas mortis. Ideo usque ad tertium diem distulit et non amplius, quia per tempus illud vere poterat manifestari fuisse mortuus.

Ratio.

Duo requiruntur ad probandam resurrect.

Requievit igitur, sicut dicit fides nostra, per triduum in sepulcro, non tamen per tres dies integros et completos, sed per ultimam partem diei Veneris et per primam partem dominicae diei et per totam diem sabbati, ita quod requietio illa per triduum intelligenda est *per synecdochen*[5]. Et in hoc omnes Sancti concordant, licet de hora temporis videatur esse controversia. Nam quidam videntur dicere, quod surrexit in *media nocte*, quidam vero, quod surrexit in *aurora*[6].

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Ad 1. quaest. incidentem.

Ratio autem huius diversitatis est, pro eo quod considerant diversimode in illa dilatione congruentiam quantum ad numerum horarum. Nam aliqui incipiunt tempus computare ab hora sexta, qua crucifixus est, et *tenebrae factae sunt super universam terram*[7]; et isti protendunt tempus usque ad mediam noctem inter diem sabbati et diem dominicam; et sic computant triginta sex horas, quia tunc erat aequinoctium vernale, quando Christus Dominus passus est. — Aliqui inceperunt computare a sero, in quo positus fuit in sepulcro, et protendunt tempus usque ad diluculum dominicae diei; et tam isti quam illi eandem considerant congruentiam tantae dilationis. Ideo enim Dominus distulit per triginta sex horas, ut in hoc significetur, quia liberatio et victoria est *perfecta*. Ille enim numerus est ex se-

Explicantur 3 opiniones.

Congruentia 1.

---

[1] Vers. 24.

[2] Ambros., X. super Luc. 24, 1. n. 151: « Non ergo vesperante die, sed noctis vespere resurrexit. Denique Graecus *sero* dixit... Est et *sero* tempus noctis profundum, ut si dicas: Sero ad lucubrandum surrexit, id est non vespertino tempore, sed profunda nocte surrexit ». Quod autem Christus *mane* resurrexit, Glossa dicit, quam supra pag. 247, nota 3. allegavimus. Cfr. etiam Lyran. in Matth. 28, 1.

[3] Cfr. I. Cor. 15, 12. seqq., et supra pag. 44, nota 4. — Mox voci *resurrectionis* Vat. adiicit *Christi*.

[4] Pro *immo* cod. C *sed*, edd. *ergo*. Paulo inferius pro *nec aliquis fuisse* cod. aa (L a secunda manu) *nec aliquis fuisset qui*.

[5] August., III. de Consensu Evang. c. 24. n. 66: Nam et ipsum triduum, quo Dominus mortuus est et resurrexit, nisi isto loquendi modo, quo a parte totum dici solet [synecdoche], recte intelligi non potest etc.

[6] Petr. Comestor, Histor. scholast. in Evang. c. 185. trium Sanctorum de hac re opiniones inter se discordantes recenset: Hieronymi, qui Epist. 120. (alias 150.) ad Hebidiam, c. 3. scripsit: « Aut enim non recipimus Marci testimonium, quod in paucis fertur Evangeliis... aut hoc respondendum, quod uterque verum dixerit: Matthaeus, quando Dominus surrexerit *vespere sabbati*, Marcus autem, quando eum viderit Maria Magdalene, id est mane prima sabbati ». — Ambrosii asserentis: « Non vesperante die, sed *noctis vespere* » — et Augustini, qui, ut Comestor refert, « dixit [III. de Consensu Evang. c. 24. n. 65.], eum *diluculo* surrexisse, cui consentit auctoritas illa [Glossa scil. *ordinaria* in I. Mach. 3, 39, sumta ex Raban. in hunc loc., et a Rabano formata ex August. IV. Trin. c. 6. n. 10.], quae dicit, Dominum 40 horis fuisse mortuum et totidem diebus post moratum in terra ante ascensionem; quia horis 4 vespertinis parasceves et 36 duarum noctium et unius diei. Ecclesia quoque assentire videtur, quae matutinas laudes pro Christi resurrectione celebrat ».

[7] Matth. 27, 45.

nario numero in se ducto, qui quidem numerus est primus numerus perfectus secundum arithmeticum [1].

Congruentia 2. — Est et alia congruentia, quia in triginta sex horis sunt duae noctes et unus dies, ita quod salva est ibi proportio « simpli ad duplum », ut dicit Augustinus, in quo significatur, quod Christus una simpla sua vetustate abstulit duas nostras vetustates, quae quidem intelliguntur per duas noctes; et hanc rationem assignat Augustinus in libro de Trinitate [2]. Haec eadem ratio assignatur super illud Lucae vigesimo quarto: *Oportuit Christum pati;* Glossa: « Merito una die et duabus noctibus in sepulcro iacuit, quia lucem, id est gratiam suae mortis, quae tantum in carne erat, tenebris nostrae duplae mortis, quae in carne et anima erant, opponit ». Et hoc ipsum dicit super illud ad Romanos sexto [3]: *Hoc scientes, quia vetus homo* etc.; Glossa: « Quievit in sepulcro uno die et duabus noctibus, quia nostram duplam vetustatem sua simpla consumsit ».

Conciliantur 2 opiniones. Et ideo licet videantur differre in temporis *hora*, conveniunt tamen in assignando temporis *congruentiam*. Nec tamen in *hora* sibi contradicunt, quia dupliciter dicitur res fieri: aut quando *fit* secundum veritatem, aut quando *innotescit* [4]. Et illi qui horam *mediam noctis* assignant resurrectioni, tempus determinant, quando primo fuit; qui vero *mane* assignant, tempus determinant, quando innotuit. — Vel certe resurrectio fuit *inter* horam mediae noctis et mane diei dominicae; et quia *medium* denominatur ab extremis, ideo aliqui dicunt, fuisse in media nocte, aliqui in mane sine aliqua contradictione. — Concedendum est igitur, quod Christus requievit per triduum in sepulcro, ita quod per synecdochen hoc intelligatur. Concedendae sunt nihilominus rationes, quae hoc ostendunt.

1. Ad illud quod primo obiicitur de Samsone, iam patet responsio: quia, esto quod media nocte resurrexit, non tamen ex hoc sequitur, quod Christus non quieverit per triduum in sepulcro, quia media illa nox fuit pars diei dominicae, et *per synecdochen* per mediam illam noctem intelligitur [5] tota dies sequens; computatur enim nox cum die sequenti post Christi resurrectionem. — *Praeterea,* non oportet, quod veritas in omnibus respondeat figurae, quia nulla figura est ita similis veritati, quin sit ex aliqua sui parte dissimilis.

Solutio oppositorum.

Alia ratio.

2. Ad illud quod obiicitur, quod impossibile fuit, eum detineri; dicendum, quod detentio dicit violentiam; Christus autem distulit resurgere usque ad tertiam diem non propter violentiam, sed propter meram voluntatem: et ideo non erat detentio, sed rationalis exspectatio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod iam opus nostrae redemptionis consummatum erat; dicendum, quod licet consummatum esset secundum veritatem, non tamen nobis innotuerat. Ad hoc autem, quod nobis *valeret,* necesse erat, quod nobis *innotesceret;* ad hoc autem, quod nobis certitudinaliter *innotesceret,* necesse erat differre: ideo non absque causa, sed propter salutem nostram resurrectionem distulit in diem tertium [6].

4. Ad illud quod obiicitur, quod anima Christi, si appetebat uniri corpori, retardabatur a perfectione contemplationis; dicendum, quod hoc non oportebat propter unionem ipsius ad Verbum et tantam plenitudinem gratiae, quae in ipsa [7] erat, ut non solum separata a corpore, verum etiam existens in corpore passibili, non retardaretur a contemplatione divina. Non sic autem est in aliis animabus reperiri; nec est mirandum, si illa anima inter alias animas habuit privilegium singulare [8].

QUAESTIO IV.

De descensu animae Christi ad inferos.

Quarto quaeritur de descensu animae Christi ad inferos. Et quod anima Christi illuc descenderit, ostenditur:

1. Primo per illud quod dicitur Actuum secundo [9]: *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni* etc.: ergo videtur, quod in inferno fuerit anima eius.

Fundamenta.

2. Item, in Symbolo Apostolorum: « Descendit

---

[1] Vide I. Sent. d. 2. q. 4. scholion. — Paulo superius ante *distulit* edd. supplent *resurgere.* Subinde ante *liberatio* codd. A K L U Z aa bb omittunt *quia,* et post *victoria* cum nonnullis aliis codd. etiam *est.* Mox post *numero in se ducto* cod. F (U a secunda manu) addit *quia scilicet est sexies sex.* Denique paulo inferius pro *simpli ad duplum* plures codd. et edd. I, 2 *a simpli* [alii codd. *a simplici*] *ad duplum.*

[2] Libr. IV. c. 3. n. 5. seq. Ibid. c. 6. n. 10: Refertur autem ad illam rationem simpli ad duplum, ubi est coaptationis maxima consonantia. Duodecim enim ad viginti quatuor simplo ad duplum conveniunt et fiunt triginta sex: nox tota cum die toto et nocte tota, neque hoc sine illo sacramento, quod supra memoravi. Non absurde quippe spiritum diei comparamus, corpus autem nocti. Dominicum enim corpus in morte ac resurrectione et spiritus nostri figuram et corporis gerebat exemplum etc. Cfr. supra lit. Magistri, d. XV. c. 1, et Comment. dub. 1. — Scripturae locus, qui subinde affertur, est Luc. 24, 46. In Glossa, quae *ordinaria* est, a Strabo et Lyrano (in v. 7.) pro *id est gratiam suae mortis* exhibetur *suae simplae mortis* et deinde *opposuit* pro *opponit.*

[3] Vers. 6. Glossa, quae est *ordinaria,* refertur iam a Strabo.

[4] Vide supra pag. 293, nota 5. — Non multo post pro *fuit* edd. *fuit facta.*

[5] Pro *intelligitur,* quod in pluribus codd. desideratur, codd. B C D N *computatur.*

[6] Codd. F I L N T U V aa bb *in die tertia.*

[7] Plurimi codd. male *ipso.* Circa finem solut. codd. G H I T bb omittunt *alias,* codd. A L aa *animas.*

[8] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[9] Vers. 24.

ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis »; nihil hoc expressius dici potest.

3. Item, Damascenus [1]: « Descendit ad inferna anima deificata, ut, quemadmodum his qui in terra sunt, ita et his qui in inferno sunt et *in tenebris et in umbra mortis sedent*, superlucescat »: ergo descendit ad inferos.

4. Item, sicut Christus nos docuit per adventum suum in carnem, ita etiam detentos in inferno liberavit per egressum suum a carne; sed adveniendo in terris nobiscum conversatus est et vixit [2]: ergo moriendo ad inferna descendit.

Ad oppositum.

SED CONTRA: 1. Augustinus ad Dardanum [3] et etiam super Genesim ad litteram: « Non facile in Scripturis nomen *inferni* in bono invenitur »: si ergo Christo nihil mali attribuendum est, videtur, quod Christus ad inferna non descenderit.

2. Item, optimo debetur optimus locus [4]; sed anima Christi erat optima, et infernus erat locus vilissimus: ergo nunquam videtur fuisse conveniens, quod anima Christi descenderet ad inferna.

3. Item, maioris potestatis est liberare subditos de manu adversarii sola voluntate et virtute quam praesentia [5] corporali: ergo si Christus iam triumphaverat in cruce de diabolo, videtur, quod non oportebat, ipsum ad infernum descendere ad liberandum suos.

4. Item, per mortem Christi illi qui prius descenderant ad infernum, merebantur ascendere in caelum: ergo si idem non est causa oppositorum [6], videtur, quod Christus moriendo non descenderit ad inferos.

CONCLUSIO.

Christi anima descendit ad inferos propter victorum in limbo consolationem et propter adversariorum confutationem.

Infernus dupliciter accipitur et descensus.

RESPONDEO: Dicendum, quod nomine *inferni* aliquando intelligitur *poena*, aliquando *locus poenae*; et secundum hoc dupliciter potest aliquis dici [7] descendere ad inferos: aut quia descendit ad *poenam*, aut quia descendit ad *locum poenae*. Primo modo non convenit Christo; in eo enim nec fuit poena *damni*, nec fuit poena *sensus*; secundo vero modo competit Christo. Descendit enim quantum ad illam partem, in qua erant iusti, qui detinebantur merito peccati primi parentis, quae quidem pars consuevit *limbus* appellari [8]; ad illam, inquam, partem descendit, non compulsus necessitate, sed sua voluntate et potestate. Conclusio 1. Conclusio 2.

Ratio autem, quare voluit descendere ad eripiendos illos qui tenebantur ibi compediti, cum etiam posset facere hoc non descendendo, fuit duplex, videlicet propter *consolationem victorum* et propter *confutationem* [9] *adversariorum*. Propter *consolationem victorum*, quia magna fuit eis consolatio de praesentia ipsius animae Iesu Christi, et maximae fuit dignationis ostensio in hoc, quod ipse personaliter voluit descendere ad eos. Propter hoc dicit Damascenus, quod « descendit, ut his *qui in tenebris et in umbra mortis sedent*, superlucescat », sicut in sua nativitate descendit, « ut luceret his qui erant in terris ». — Propter *confutationem adversariorum*, ut ipsi daemones confunderentur ex sua praesentia; et sicut vicerat eos in terra in natura assumta, sic anima eius de eisdem triumpharet apud inferos, ipsos invitos exspoliando [10]. — Concedendae sunt igitur rationes et auctoritates, quae inducuntur ad hoc. Conclusio 3.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod *inferni* nomen non de facili invenitur in bono; dicendum, quod verum est, quia ad infernum nullus descendit praeter solum Christum nisi ad poenam *damni*, vel ad poenam *sensus*; ideo dicit, ipsum non de facili inveniri in bono, quia hoc convenit soli Christo.

2. Ad illud quod obiicitur, quod optimo debetur optimus locus; dicendum, quod verum est de loco, qui debetur alicui pro *remuneratione*; Christus autem non descendit ad infernum tanquam ad locum remunerationis sibi debitum, sed potius descendit ad ipsum frangendum et exspoliandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod maius est

---

[1] Libr. III. de Fide orthod. c. 29, ubi textus origin. post *qui in terra sunt* adiungit *ortus est sol iustitiae* [Malach. 4, 2.] et dein pro *in inferno* substituit *sub terra*. Verba *in tenebris et in umbra mortis sedent* occurrunt, ut scis, in Isai. 9, 2. et Luc. 1, 79. Pro *his qui* (τοῖς) multi codd. et edd. bis *his quae*.

[2] Baruch 3, 38: Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est. — In *maiori* pro *in carnem* codd. A N *in carne*.

[3] Epist. 187. (alias 57.) c. 2. n. 6, et XII. de Gen. ad lit. c. 33. n. 64.

[4] Cfr. tom. II. pag. 73, nota 3. et pag. 336, nota 12.

[5] Vat. *potentia*.

[6] Cfr. supra pag. 226, nota 2. et pag. 383, nota 8.

[7] Codd. A K N Z omittunt *dici*.

[8] August., XII. de Gen. ad lit. c. 34. n. 66: *Inferi*, eo quod *infra* sint, Latine appellantur. Sicut autem secundum *corpus*, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora, ita secundum *spiritum* inferiora sunt omnia tristiora; unde et in Graeca lingua origo nominis, quo appellantur inferi, ex eo quod nihil suave habeant [ἀώδη], resonare perhibetur. Nec ipsam tamen rerum partem noster Salvator mortuus pro nobis visitare contempsit, ut inde solveret, quos esse solvendos secundum divinam secretamque iustitiam ignorare non potuit etc. Cfr. Fulgent., III. ad Trasim. c. 30. et IV. Sent. d. 45. a. 1. q. 1.

[9] Edd. et nonnulli codd. hic et infra *confusionem*. Inferius pro *maximae* non pauci codd. vel *maxima* vel cum edd. 1, 2 *magna*.

[10] Cfr. Colos. 2, 15. Vide etiam Serm. 160. (alias 257. de Tempore vel 52. in appendice) in appendice serm. August. Huc spectant et verba illa Damasc., III. de Fide orthod. c. 29: Sicut his qui in terra evangelizaverat pacem, captivis remissionem, caecis visum, et credentibus factus est causa salutis aeternae, incredulis autem confutatio [ἔλεγχος] infidelitatis: sic etiam his qui in inferno [respicitur I. Petri 3, 19.]; *ut ipsi omne genu flecteretur caelestium, terrestrium et infernorum* [Phil. 2, 10.].

triumphare in absentia quam in praesentia; dicendum, quod licet hoc non sit ostensivum tantae *virtutis*, tamen est ostensivum maioris *dignationis*. Christus autem in liberatione nostra potius intendebat nobis ostendere *dignationis* affectum quam *virtutis* imperium; malebat enim, quod haberemus spiritum dilectionis et amoris quam spiritum servitutis et timoris [1].

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod mors Christi merebatur ascensum ab inferis; dicendum, quod est descensus *ordinatus ad ascensum;* et hoc modo descendit Christus, quia descendit, ut faceret alios ascendere; et iste descensus non est contrarius ascensui nec est ex causa contraria. Est et alius descensus, qui venit ex *impotentia ascendendi;* et hic descensus repugnat ascensui; et de hoc descensu opponit, et hoc [2] concedi potest, quod isto modo Christus ad inferos non descendit, sed modo alio, sicut praedictum est.

SCHOLION.

I. Christum descendisse ad inferos, docent cum s. Scriptura antiqua Ecclesiae Symbola; constat etiam, quod hic articulus fidei intelligi nequeat nec cum Calvino de *doloribus* inferni, quos ipsa anima Christi passa sit, nec ita, ut nihil dicat, nisi quod mortuus sit, ut alii multi Protestantes volunt. Erronea et reprobata a Concilio Senonensi est etiam Abaelardi propositio 18: « Quod anima Christi *per se* non descendit ad inferos, sed per *potentiam* tantum »; in quem errorem etiam Durand. (hic q. 3.) incidit docens, animam Christi non secundum aliquam rationem *motus*, sed tantum secundum *effectum* descendisse ad inferos. Durand. autem ad hanc opinionem sectandam motus est falsa sua doctrina de praesentia Angeli vel animae separatae in loco, quam defendit I. Sent. d. 37. q. 1, et cuius mentionem fecimus II. Sent. d. 2. p. II. a. 2. q. 1, in scholio. Vera sententia stabilitur etiam verbis Concilii Lateran. IV. (an. 1215, adversus Albigens. c. 1.): « Descendit *in anima* et resurrexit in carne ».

II. Triplicem distinctionem inferni, quatenus dicit locum, facit S. Bonav. infra q. 5. ad 1; sed S. Thom. (hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 2.) exhibet quadruplicem infernum, distinguendo etiam *limbum puerorum*, qui in solo peccato originali mortui sunt; tamen de quarto S. Bonav. in fine 5. quaestionis pauca dicit. Quaeri igitur potest tum de *praesentia* Christi quoad memorata loca (limbum, purgatorium, infernum damnatorum et limbum puerorum), tum de *effectu* sive *efficacia* erga ibi detentos (de quo cfr. etiam hic dub. 1.). — Quoad *limbum* communiter tenetur, ibi Christum fuisse praesentia animae *reali*, eumque sanctis antiquorum Patrum animis contulisse gloriam visionis beatificae, licet nondum aperta fuerit caeli porta. — Item, communiter docetur, eundem non adiisse *reali* praesentia *locum damnatorum* (refragantibus tamen paucis recentioribus), nec eduxisse ullum damnatum nec ullum ex *limbo puerorum*. — Respectu autem *purgatorii* res remanet dubia tum quoad *praesentiam realem* (quam S. Bonav., q. 5. ad 1, negat cum aliis non paucis), tum quoad *effectum*, si praescindimus ab iis animis, quae iam sufficienter purgatae erant. Nam « cum istius quaestionis non inveniatur aliqua pars affirmata a Sanctis, non mihi tutum videtur aliquam partem asserere » (ita Richard. a Med., hic a. 3. q. 2.). Quidam autem probabile esse volunt, *omnes* has animas tunc speciali applicatione satisfactionis Christi fuisse liberatas; alii vero, *nullam* hoc modo; alii denique, media via incedentes, putant, probabile esse, *aliquas* sic liberatas esse. His favet S. Thom. (hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 4.), de his animabus dicens: « Et ideo non decebat, ut per solam Christi passionem a purgatorio liberarentur, nisi dicatur, quod in vita sua hoc meruerunt, ut per passionem Christi liberarentur, vel hoc ex speciali gratia fuit, quod illi qui in purgatorio inventi fuerunt, absoluti sint per passionem Christi, quamvis nunc illi qui sunt in purgatorio, non consequantur effectum plenae liberationis ex sola passione Christi ». Similiter idem in Sum. III. q. 52. a. 8. rem aliquatenus in incerto relinquit.

III. De hac (4.) quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 19. m. 4. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1. 2; S. loc. cit. a. 1-5. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1-3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. 2. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. 6.

IV. De limbo puerorum (hic in fine q. 5.) speciali quaestione et idem sentientes agunt S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 3; S. loc. cit. a. 7, et Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 3.

De ipsa 5. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. incid. — S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 1. 2. 4; S. loc. cit. a. 6. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 1. 2. 4. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. 2. — Durand., hic q. 4.

V. Ultima quaestio ab aliis passim tangitur, quando tractant de ascensione ipsius Christi; ita Alex. Hal., S. p. III. q. 23. m. 7. a. 2. § 1. — S. Thom., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 3. ad 3; S. III. q. 57. a. 6. — B. Albert., hic a. 10. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 4. ad 2. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1. ad 2.

QUAESTIO V.

Utrum Christus in descensu ad inferos omnes animas liberaverit.

Quinto quaeritur de liberatione animarum ab inferno et est quaestio, utrum omnes animas, quae in inferno erant, liberaverit. Et quod sic, videtur.

1. Iob decimo septimo [3]: *In profundissimum infernum descendent omnia mea;* sed constat, quod Christus eripuit Iob de inferno: ergo eripuit aliquos de inferno profundissimo, multo fortius de parte superiori inferni: ergo videtur, quod totum infernum exspoliaverit.

Ad oppositum.

2. Item, in Psalmo [4]: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori;* aut hoc dicitur in persona *Christi*, aut in persona alicuius *alterius;* sed quo-

---

[1] Respicitur illud Rom. 8, 15: Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore etc. Cfr. etiam supra lit. Magistri, d. XX. c. 3. — In initio solut. post *triumphare* Vat. addit *sola voluntate et virtute.*

[2] Pro *et hoc*, codd. A Z bb, substituunt non pauci alii codd. nec non edd. *et de hoc*, cod. N *et de isto.*

[3] Vers. 16. Vat. *descendet anima mea.*

[4] Psalm. 85, 13, quem locum August. exponens (n. 17.)

cumque modo intelligatur, aliqui eruti sunt de loco inferiori, quia Christus non descendit nisi ad locum illum, unde animas eruit: ergo multo fortius erutae sunt de inferno superiori: ergo de toto inferno.

3. Item, Zachariae nono [1]: super illud: *In sanguine testamenti tui eruisti vinctos de lacu* etc.; Glossa: « Eos qui tenebantur vincti carceribus, ubi nulla misericordia eos refrigerabat, quam dives ille petebat, tu liberasti »; sed tales erant damnati in inferno: ergo videtur, quod illos liberavit: ergo omnes eduxit.

4. Item, si solos bonos de inferno liberavit et malos reliquit; cum plures essent mali quam boni, videtur, quod Christus non plenam, sed semiplenam victoriam de diabolo obtinuit.

5. Item, Christus pro omnibus passus est in cruce; sed ad illos liberandos ad inferna descendit, pro quibus passus fuit: ergo videtur, quod omnes eduxerit de inferno. *Si tu dicas*, quod non est passus quantum ad *efficaciam* nisi pro bonis, licet quantum ad *sufficientiam* pro omnibus; *contra* hoc est quod dicitur ad Romanos quinto [2]: *Christus pro impiis passus est;* et constans est, quod multi peccatores merito passionis Christi liberantur de potestate et laqueis diaboli: ergo videtur, quod multo fortius illi fuerunt liberati, qui fuerunt ibi a Christo inventi.

Sed contra: 1. Isaiae ultimo [3] dicitur de damnatis: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur:* ergo videtur, quod reprobos et malos Christus ab igne inferni non liberaverit. Fundamenta.

2. Item, Lucae decimo sexto [4]: *Chaos magnum firmatum est inter nos et vos* etc., ergo multo fortius inter Christum et damnatos: ergo non videtur, quod Christus descenderit ad illos liberandos. Si enim alii Sancti non *compatiebantur* damnatis propter severitatem iustitiae, multo fortius nec ipse Christus, qui est *iustus iudex. Transitus* enim ille, sicut dicit Gregorius, intelligitur « de *compassione* ».

3. Item, Iudas et alii in peccato mortali decedentes [5] damnati erant per sententiam definitivam; sed Deus nunquam sententiam suam definitivam retractat: ergo etc.

4. Item, passio Christi non tollit liberum arbitrium, ergo nec merita liberi arbitrii: ergo si aliqui erant ibi damnati per demerita sui liberi arbitrii, videtur, quod nunquam merito passionis Christi deberent [6] inde erui et liberari.

5. Item, aut isti peccatores, qui modo moriuntur in peccato, *liberantur* de inferno, aut *non*. Si *liberantur:* ergo nihil est de rigore divinae iustitiae; si *non liberantur*, et illi fuerunt liberati: ergo peioris conditionis sunt illi qui secuti sunt passionem Christi, quam illi qui praecesserunt. Sed hoc est falsum: ergo nulli reprobi liberati fuerunt.

Est igitur quaestio, quos liberaverit, et in quem infernum descenderit; et specialiter dubium est de parvulis, qui decesserunt in puro [7] originali. Si enim illi non habent aliud peccatum nisi peccatum Adae, et pro illo satisfecit Christus, et merita Christi valent illis qui non utuntur libero arbitrio; videtur, quod eos eripuerit de inferno; aut si non eripuit, quaeritur, quare non eripuerit. Quaestio incidens.

CONCLUSIO.

Christus in suo descensu ad inferos quoad efficaciam non liberavit nisi animas electorum suorum, et eorum qui erant membra ipsius.

Respondeo: Dicendum, quod Dominus in inferno [8] non liberavit nisi animas electorum suorum, et eorum qui erant membra ipsius. Quamvis enim passio Christi omnibus suffecerit, non tamen influit nisi in eius membra; et ideo soli per passionem Christi salvati sunt, qui vel erant eius membra, quando passus est, vel futuri erant per conversionem ad ipsum. Quoniam igitur multi erant in inferno, qui nec membra Christi erant nec membra Christi futuri erant, quia non erant in statu merendi; ideo non omnes Dominus eripuit de inferno, sed tantum electos. Et hoc est quod dicit Gregorius in quadam homilia infra octavam Paschae [9]. Ait enim sic: « Quod ante passionem suam dixit in resurrectione sua Dominus implevit: *Si exaltatus fuero a terra, omnia* Conclusio.

---

ait: Intelligimus, tanquam duo inferna esse, superius et inferius. Nam unde infernum inferius, nisi quia est infernum superius? Aliud non diceretur infernum, nisi in comparatione illius superioris partis... Ergo aut ipsius [Filii Dei] vox est hic: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, aut nostra vox per ipsum Christum, Dominum nostrum, quia ideo ille pervenit usque ad infernum, ne nos remaneremus in inferno.

[1] Vers. 11. Glossa, quae ut *interlinearis* penes Lyranum habetur, sumta est ex Hieron. exposit. in hunc loc., ubi legitur sic: In sanguine passionis tuae eos qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non est ulla misericordia, tua clementia liberasti.

[2] Vers. 6. — De vi passionis quantum ad *sufficientiam* et quantum ad *efficaciam* vide supra d. 19. a. 1. q. 2. ad 1. et q. 3. in corp.

[3] Vers. 24.

[4] Vers. 26, quem locum Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 7. exponens ait: Sicut transire reprobi ad electos cupiunt, id est a suppliciorum suorum afflictione migrare; ita ad afflictos atque in tormentis positos transire iustorum est mente ire per misericordiam, eosque velle liberare. Sed qui volunt... non possunt, quia iustorum animae, quamvis in suae naturae bonitate misericordiam habeant, iam tunc auctoris sui iustitiae coniunctae, tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur etc. — Deinde Christus *iustus iudex* nominatur, auctore Apostolo, II. Tim. 4, 8. — In conclus. ante *multo fortius* codd. K Z interserunt *ergo*.

[5] Multi codd. *descendentes*.

[6] Codd. H K Z bb *debeant*.

[7] Pro *puro originali* edd. cum nonnullis codd. *peccato originali*. In fine arg. codd. A K N Z omittunt *eripuerit*.

[8] Codd. A K U Z *de inferno*. Post pauca pro *ipsius* codd. A K Z substituunt *eius*, et deinde pro *suffecerit* cum cod. N *sufficeret*. Mox pro *soli* cod. U *illi soli*.

[9] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 22. n. 6; in quo loco post *utique electa* textus origin. addit: « Neque etenim infide-

traham ad me. Omnia enim traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit; omnia abstulit, utique electa. Unde etiam recte per Osee dicit: *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne.* Quia enim in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis exstitit. Quia vero ex inferno partem abstulit et partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum ». — Concedendum est igitur, quod Christus in suo descensu ad inferos non omnes liberavit de inferno. Concedendae sunt etiam rationes, quae inducuntur ad hoc.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium de verbo Iob, quod dicebat, se descensurum in profundissimum infernum; dicendum, quod *profundissimus infernus* potest dici vel secundum statum inferni inferioris, qui est *sub terra,* vel respectu ad infernum, qui est *supra terram.* — Si primo modo dicatur, tunc in profundissimum infernum descendunt impii et damnati, quoniam in loco illo inferiori est quidam locus deputatus his qui puniendi sunt poena *damni* et poena *sensus;* quidam vero deputatus his qui puniendi sunt solum *ad tempus,* sive sit poena *damni,* sive poena *sensus,* sicut ille, in quo erant sancti Patres et alii, qui decesserant cum gratia; et vocatur *limbus* sive sinus Abrahae. — Dico ergo, quod Christus solum ad *limbum* descendit, unde sanctos Patres eripuit et ita ad *superiorem* partem, non autem ad *mediam,* vel *ultimam.*

Quid sit profundissimus infernus.

Primus modus.

Ad quaest. incidentem.

Alius modus. Alio modo accipitur profunditas inferni respectu inferni, qui est *supra terram,* sicut respectu aëris caliginosi, qui est infernus daemonum, qui dicitur *profundus* respectu caeli empyrei; locus vero terrae dicitur *profundior;* locus vero infra terram respectu horum dicitur *profundissimus.* — Et hoc modo dicebat Iob, se in profundissimum infernum descensurum [1].

2. Et per hoc patet responsio ad sequens. Quod enim dicitur: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori,* hoc dicitur respectu ipsius *terrae,* respectu cuius infernus ille dicitur *inferior,* non autem respectu *status inferni,* quia in parte inferiori nulla est redemptio [2].

3. Ad illud quod obiicitur de Glossa Zachariae nono, dicendum, quod Glossa illa satis est *impropria;* potest tamen exponi, ut per hoc quod dicitur: « nulla eos misericordia refrigerabat », non intelligitur locus inferni quantum ad partem illam, ubi [3] erant liberandi, sed quantum ad partem illam, ubi non erant liberandi, quasi dicat: emisit vinctos de inferno, ubi erant compediti cum malis, quos scilicet malos nulla refrigerabat misericordia. — Potest etiam vis fieri in hoc, quod dicitur *misericordia:* quia in limbo non erat misericordia *liberans,* quamvis esset misericordia *relaxans;* et de illa misericordia intelligitur, non de alia.

Notandum.

Aliter.

4. Ad illud quod obiicitur, quodsi non eripuit nisi bonos, quod semiplenam habuit victoriam; dicendum, quod falsum est. Mali enim per peccatum quasi nihil facti sunt et ad *non-esse* tendunt [4]; et ideo ipsorum defectus in nihilum computatur, et propterea in nullo minuitur plenitudo victoriae, si ipsi non liberantur, sicut in nullo diminuta est plenitudo civitatis supernae per absentiam malorum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod illos liberavit, pro quibus passus est; dicendum, quod, sicut dicebatur [5], hoc verum est de illis, pro quibus patiebatur quantum ad *efficaciam,* et isti soli erant electi, qui erant in inferno. Et *si tu obiicias:* Christus non solum pro electis, sed etiam pro impiis mortuus est; dicendum, quod hoc intelligitur de impiis, qui erant in statu *viae,* non autem de illis qui erant *damnati* per definitivam sententiam, quales erant illi qui erant in profundissimum infernum demersi.

Ad illud quod ultimo quaerebatur de parvulis, quod debuerunt liberari; dicendum, quod nec ipsi potuerunt liberari, quia non erant in statu, in quo essent capaces gratiae Christi; nec merita Christi poterant eis suffragari, nec satisfactio eius pro peccato Adae ad eos habebat extendi. Ad illos enim se extendit, qui membra eius efficiuntur per fidem, vel per aliquod Sacramentum fidei. Unde sicut parvuli decedentes in originali carent in perpetuum vita beata [6], sic et illi qui iam in inferno erant detrusi. — Alia vero, quae quaerebantur, per ea quae dicta sunt, satis possunt manifestari [7].

Ad quaest. incidentem quoad parvulos.

---

les quosque et pro suis criminibus aeternis suppliciis deditos ad veniam Dominus resurgendo reparavit; sed illos ex inferni claustris rapuit, quos suos in fide et actibus recognovit ». Et dein post *morsus tuus ero, inferne,* textus origin. sic prosequitur: Id namque quod occidimus, agimus, ut penitus non sit. Ex eo etenim, quod mordemus, partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo in electis suis etc. — Loci ex s. Script. allegati sunt Ioan. 12, 32. et Osee 13, 14. — Circa finem textus edd. cum multis codd. *Quia vero in inferno* pro *Quia vero ex inferno.*

[1] Hoc secundo modo infernum inferius accipit Gregor., XIII. Moral. c. 48. n. 53, et August., Enarrat. in Ps. 85, 13. n. 17.

[2] Offic. defunct. in Brev. Roman. III. Noct. Resp. ad lect. 7: Quia in inferno nulla est redemptio.

[3] Cod. A *unde.* Paulo inferius pro *Potest etiam* edd. 1, 2 cum pluribus codd. *Potest enim;* perperam.

[4] Ut August. docet, cuius verba invenis tom. II. pag. 640, nota 8. et pag. 838, nota 9. Cfr. etiam ibid. pag. 814, nota 2. — Ad enuntiatum seq. notamus illud Aristot., II. Rhetor. c. 3. (c. 2.): Quae vero nihil aut admodum parva sunt, pro nihilo habenda esse putamus. — Pro *defectus in nihilum computatur* Vat. *defectu in nihilum computantur.*

[5] Scil. in ipsa obiectione. — In fine solut. pro *demersi* Vat. *detrusi.*

[6] Cfr. II. Sent. d. 33. a. 3. q. 1. seq. — Paulo ante pro *decedentes* codd. G H bb *descendentes.* Paulo inferius pro *detrusi* cod. U *demersi,* alii codd. *descensi.* Pro *erant detrusi* cod. C *definitiva sententia detenti.*

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO VI.

Utrum Christus statim post mortem introduxerit animas liberatas in caelum.

Sexto et ultimo quaeritur de traductione animarum, quas liberavit de inferno, ad caelos, et est quaestio, utrum statim post mortem introduxerit eas in caelum. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Per illud quod dicitur Lucae vigesimo tertio [1]: Dixit Dominus ad latronem: *Hodie mecum eris in paradiso;* et constat, quod illud non intelligitur de paradiso terrestri, quia non magnum esset illi animae esse in illo paradiso: ergo intelligitur de caelesti.

2. Item, statim post mortem Christi aperta fuit ianua, et nihil fuit omnino retardans [2]: ergo videtur, quod anima Christi cum aliis animabus statim in caelum evolaverit.

3. Item, locus superior competit statui gloriae, sicut inferior competit statui culpae: ergo sicut animae damnatae statim descendunt in infernum, ita animae beatae statim debent evolare in caelum; sed statim post mortem Christi animae illae, quae fuerunt in inferno, fuerunt luce supernae veritatis irradiatae [3]: ergo statim debuerunt in caelum traduci.

4. Item, nulla anima purior fuit quam anima Christi; sed animae sanctorum Martyrum, qui modo moriuntur, statim evolant [4]: ergo anima Christi statim evolavit in caelum. Sed non ascendit caput sine membris: ergo aliae animae post mortem Christi statim ad caelum fuerunt perductae.

Fundamenta

Sed contra: 1. Michaeae secundo [5]: *Ascendit pandens iter ante eos,* dicitur de Christo; sed Christus non ascendit in caelum usque ad quadragesimum diem post resurrectionem: ergo nec animae aliorum Sanctorum, quae erant in limbo.

2. Item, resurrectio debuit praecedere ascensionem; sed non resurrexit statim post mortem [6]: ergo videtur, quod nec anima ipsius nec aliae animae ascenderunt in caelum ante diem tertium.

3. Item, in quadam collecta [7] in die Resurrectionis dicitur: « Deus, qui aeternitatis nobis aditum, devicta morte reserasti »: ergo videtur, quod ante diem resurrectionis non fuerunt animae eductae de limbo inferni.

4. Item, Christus cum resurrexit, dicitur ab inferis redire [8] ad superos; sed si anima eius statim post mortem alias animas duxisset in caelum, non ab inferis rediret ad superos, sed potius de supernis descenderet ad inferiora: ergo non videtur, quod animae Sanctorum statim post mortem Christi perductae fuerint in caelum.

CONCLUSIO.

Animae Sanctorum statim post mortem Christi non sunt perductae in caelum quoad locum, tamen statim factae sunt beatae.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod animae Sanctorum non statim post mortem Christi perductae sunt in caelum quantum ad *locum;* statim tamen post resolutionem animae a corpore in Christi descensu ad inferos viderunt lumen aeternum et beatae factae sunt, et patefactum est caelum eis quantum ad *praemium.* Unde in loco etiam infernali existentes, habuerunt paradisum et apertam Dei visionem, quae non est aliud quam vita aeterna [9].

Ratio.

Licet autem beatitudinem statim post mortem Christi haberent, non tamen locum beatitudinis statim adeptae sunt; quoniam ipse Christus debuit in omnibus *primatum tenere* et *primogenitus esse in multis fratribus* tanquam *caput* omnium [10]. *Resurrectio* autem Christi et eius *ascensio* differri debuit propter nostrae fidei confirmationem. Ideo enim dilata fuit *resurrectio,* ut ostenderetur, quod vere Christus mortuus fuerit. Et ideo etiam dilata fuit *ascensio,* ut per multa argumenta ostenderetur, quod vere resurrexerit, secundum quod dicitur Actuum primo [11]: *Praebuit semetipsum in multis argumentis, apparens eis* etc. Quoniam ergo nulla anima in caelum debuit ascendere ante Christum,

---

[1] Vers. 43.

[2] Cfr. supra d. 18. a. 2. q. 3.

[3] Respiciuntur verba Ambrosii hic in lit. Magistri, c. 2, allata, quae deinde infra dub. 1. explicantur. — Paulo superius pro *beatae* edd. *liberatae.*

[4] Cod. D supplet *in caelum.*

[5] Vers. 13. Pro *Ascendit* Vulgata *Ascendet*, complures codd. *Ascendens.* — De *minori* cfr. Act. 1, 3. seqq.

[6] Cfr. supra q. 3.

[7] Quae iam in Gregorii lib. Sacramentar. in die Paschae exhibetur hodieque et in Missali et in Breviario Roman. invenitur.

[8] Vat. habet *rediisse* et deinde cum edd. 1, 2 pro *rediret... descenderet* substituit *rediisset.. descendisset.* In fine arg. pro *fuerint* non pauci codd. cum edd. 1, 2 *fuerunt*, cod. U *sint.*

[9] Ad Marc. 15, 33. Glossa *ordinaria* apud Strabum (sumta ex Beda) observat: Rationis ergo, immo divinae pietatis ordo poscebat, ut eodem temporis articulo, quo tunc Adae praevaricanti occluserat, nunc latroni Dominus poenitenti ianuam paradisi reseraret, et qua hora primus Adam peccando mortem huic mundo invexerat, eadem hora secundus Adam mortem moriendo destrueret.

[10] Colos. 1, 18: Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Rom. 8, 29: Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. — De propos. seq. cfr. supra q. 3.

[11] Vers. 3, ad quem versum Glossa *ordinaria* apud eundem Strabum (vide pag. 457, nota 6.) annotat: Quadraginta horis mortuus fuerat, quadraginta diebus se vivere confirmat.

et Christi ascensio propter nostram salutem debebat differri; hinc est, quod animae Sanctorum nec statim fuerunt de limbo eductae nec statim in caelesti paradiso fuerunt locatae, divina dispensatione hoc faciente ad nostram salutem.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Domini in Luca, dicendum, quod, sicut dicit Augustinus [1] hoc verbum exponens, *paradisus* ibi dicitur non locus empyrei nec locus paradisi terrestris, sed ipsa Dei visio. Ubicumque enim homo sit, dum tamen Deum aperte videat, potest dici esse in paradiso.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod statim ianua fuit aperta, et nihil erat retardans; dicendum, quod statim in *morte* ianua fuit aperta quantum ad *meritum*, sed in *resurrectione* quantum ad *egressum de limbo*, in *ascensione* vero quantum ad *ascensum in caelum*. Unde in omnibus his tribus dicitur ianua fuisse aperta, ratione tamen alia [2]. *Praeterea*, quod dicitur, quod nihil erat retardans; hoc verum est, quod nihil erat retardans quantum ad violentiam, erat tamen aliquid retardans ex rationabili causa, videlicet dilatio ascensionis Christi, quae differri habebat ex causa supra dicta.

3. Ad illud quod obiicitur, quod locus superior competit statui gloriae; dicendum, quod verum est; attamen, sicut Angeli beati ex causa mittuntur deorsum ad nostrae salutis procurationem, quamvis, in quantum beati sunt, eis competat locus sursum [3]; sic etiam locus gloriae differri poterat ex causa illis animabus ad tempus.

4. Ad illud quod obiicitur, quod animae aliorum Sanctorum nunc statim evolant; iam patet responsio: quia caput eorum [4] est supra, nec est aliquid ex parte ipsarum, vel ex parte nostra, quod eas debeat retardare; et ideo non est simile [5].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Lux verae Sapientiae illuminabat infernum.* Videtur enim hoc esse falsum, quia, sicut obscuritas repugnat caelo empyreo [6], sic luminositas repugnat inferno: ergo sicut caelum empyreum nunquam habet obscurari, sic videtur, quod infernus nunquam habeat illuminari. — Item, damnati debuerunt carere omni consolatione et maxime consolatione, quae est in aspectu lucis aeternae: ergo si lux illa corporalis non erat, quia sine corpore ad inferna descendit, sed magis spiritualis; videtur, quod in inferno irradiare non debeat [7].

Notandum.

Respondeo: Dicendum, quod secus est de irradiatione lucis *materialis* et lucis *spiritualis*. Nam irradiatio lucis *materialis* immutat visum *naturaliter*, irradiatio vero lucis *spiritualis* immutat *voluntarie*; unde nullus eam videt, nisi cui se ostendit voluntarie. Et ideo lux ista splendere dicitur in inferno et infernum illuminasse, quia aliquos de inferno irradiabat, non tamen omnes, quia nec omnes volebat illuminare, nec omnes habebant oculos proportionales.

Ad illud vero quod obiicitur de empyreo, dicendum, quod non est simile: quamvis enim sit bonum omnino impermixtum malo [8], non tamen oportet, quod sit malum omnino impermixtum bono. Et propterea decebat Deum eos qui erant in tenebris illuminare, non tamen eos qui erant in lumine obscurare [9].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Utique totus eodem tempore erat in inferno.* Hoc enim videtur falsum, quia aut hoc quod est *totum* refertur ad *naturam*, aut ad *personam*. Ad *naturam* non, quia Christus secundum totam naturam non erat simul in caelo et in inferno. Si ad *personam*, adhuc videtur falsum, quia supra distinctione sexta [10] dictum est, quod persona Christi componitur ex tribus substantiis et duabus naturis; et est illa compositio inexplicabilis: ergo si totus Christus erat in caelo et in inferno, videtur, quod illae duae naturae simul essent in caelo et in inferno; quod falsum est et absurdum. — Item, differentiam contingit assignari inter hoc signum *omne* et hoc signum *totum*, quia *omne* distribuit pro partibus subiectivis, et *totum* pro partibus integralibus [11]: ergo si Christus non habebat partes integrales nisi secundum humanam na-

---

[1] Epist. 187. (alias 57.) c. 3. n. 7.

[2] Codd. K U *alia et alia.* Mox pro *hoc verum est, quod nihil erat retardans* edd. substituerunt *intellige.*

[3] Cfr. II. Sent. d. 10. a. 1. q. 1. seq.

[4] Cod. K *earum.* Deinde pro *eas* cod. A *eos.*

[5] Vide scholion ad 4. quaestionem.

[6] Cfr. II. Sent. d. 2. p. II. a. 1. q. 1.

[7] Cod. H *debuit*, codd. K N Z *debebat*, cod. S *debuerat.*

[8] Cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 2. q. 1. et d. 34. a. 1. q. 1.

[9] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 5; S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1; Richard. a Med., hic a. 2. q. 1.

[10] Lit. Magistri, c. 3. et Comment. a. 1. q. 2. Ibid. a. 2. q. 2. ostenditur etiam, compositionem illam esse specialem. — Codd. allegant *dist. 7*, ubi Magister quaestionem in dist. 6. inceptam exsequitur et habet verba: inexplicabilis est istius unionis... ratio (c. 2.). Cfr. ibid. dub. 1.

[11] Petr. Hispan., Summul. tr. *de Distributione:* Signorum distributivorum substantiae, alia sunt distributiva partium integralium, ut *totus;* alia sunt signa distributiva partium subiectivarum [sive inferiorum v. gr. speciei respectu generis], ut *omnis, nullus.* Cfr. Aristot., V. Metaph. text. 31. (IV. c. 26.). — Paulo superius pro *contingit* edd. *convenit*, cod. A exhibet *consuevit.*

turam; cum dicitur, quod totus Christus fuit in caelo et in inferno; implicatur hoc de Christo secundum *naturam humanam*, quod simpliciter est falsum pro tempore illo.

Totum dicitur dupliciter.

Respondeo: Dicendum, quod hoc nomen *totus* aliquando tenetur ut *signum* [1], aliquando ut *adiectivum*. Secundum quod tenetur ut *signum*, sic distribuit in aliquas partes, ut cum dicitur: totus Petrus est albus. Secundum quod accipitur ut nomen *adiectivum*, sic *totum* uno modo dicitur idem quod *perfectum*, alio modo idem quod *habens partem et partem* [2]. Cum ergo dicit Magister, quod Christus erat totus in caelo, *totus* ibi dicitur *perfectus*, quia persona Christi perfectissima simul erat in caelo et in terra et in inferno.

Ad illud quod obiicitur, quod persona illa erat composita; dicendum, quod nec *proprie* erat composita, nec hoc nomen *totus* accipitur ibi *collective*, vel *distributive*; quia non significat collectionem, aut divisionem, sed potius perfectionem [3]. — Et per hoc patet responsio ad sequens.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Totus est ubicumque est, sed non totum.* Videntur enim illa duo esse incompossibilia, quia *totus* et *totum* idem significant: ergo si *totus* erat in caelo et in inferno, necessario sequitur, quod *totum*. — Item, ubicumque ego sum, necesse est, me esse totum: ergo pari ratione videtur de Christo, quia, ubicumque est aliquid, necesse est, esse omne illud, quod naturaliter est in eo.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut Magister subiungit, « *totus* refertur ad personam, sed *totum* ad naturam [4] ». Et ratio huius est *discretio* sexus importata per genus masculinum, et *confusio* per neutrum; et quoniam *persona* Christi secundum se totam, ubicumque erat, tota erat, cum sit unica et simplicissima; *natura* vero cum non solum sit in Christo simplex, utpote divina, sed etiam composita, utpote humana, nec illa possit esse ubique: ideo concedit Magister, quod *totus* erat ubique, sed non *totum*, quia *totus* refertur ad Divinitatem, *totum* autem ad Divinitatem et humanitatem.

Ratio.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod *totus* et *totum* idem significant; dicendum, quod verum est, quantum est de *impositione prima*, sed ratione *discretionis*, importatae per generis consignificationem, in ratione [5] usus unum consuevit referri ad personam, et alterum ad naturam.

Ad illud quod obiicitur, quod ubicumque ego sum, necesse est, me esse totum; dicendum, quod non est simile, quia in me *persona* non se extendit ultra naturam; sic autem non est in Christo, sicut in praecedentibus [6] dictum fuit.

Notandum.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo.* Videtur enim hoc esse falsum, quia, si solus Christus descendit de caelo: ergo solus Christus ascendit in caelum, et nullus alius; quod est haereticum dicere. — Item, hoc videtur falsum alia ratione, cum dicitur descendisse de caelo: aut enim hoc dicitur secundum naturam *divinam*, aut secundum *humanam*. Secundum *divinam* non, quia secundum illam non mutat locum; secundum *humanam* non, quia secundum illam non fuit in caelo.

Respondeo: Dicendum, quod *ascendere* uno modo idem est quod propria virtute scandere sine adminiculo virtutis alienae; et hoc modo soli Christo convenit. Alio modo *ascendere* idem est quod sursum scandere; et hoc modo convenit aliis Sanctis [7]; in praemissa autem auctoritate accipitur primo modo. — Vel aliter: est ascendere in caelum *empyreum*, et est ascendere in caelum *Trinitatis* [8]. Cum ergo dicitur: Nemo ascendit etc.; hoc non dicitur quantum ad ascensum in *empyreum*, sed quantum ad ascensum in caelum *Trinitatis*; et iste ascensus non est ascensus ad locum, sed potius ad dignitatem et aequalitatem Patris. Nec est secundum acquisitionem novae dignitatis in Christo, sed propter manifestationem eius quod [9] habuit ab aeterno. Unde sicut dicitur *descendisse* non propter hoc, quod in eo *fuerit* Divinitas minorata, sed propter hoc, quod in assumtione humanitatis *apparuit* minorata; sic etiam dicitur *ascendisse*, quia in ascensione eius sublimitas est manifestata. Unde iste *descensus* et *ascensus* conveniebat divinae personae secundum divinam naturam, relatam tamen ad humanam. — Et per hoc patet responsio ad utramque obiectionem prius factam; utraque enim currit de ascensu et descensu *locali* [10].

Alia solutio notanda.

---

[1] Cfr. supra pag. 142, nota 5. — Subinde codd. A K Z bb vocabulo *adiectivum* praefigunt *nomen*, et post pauca pro *in aliquas* [cod. O *alias*] *partes* Vat. substituit *in omnes partes*. In rem esse ducimus ex Petri Hispani Summul. tr. *de Distributione* (§ de hoc signo *totus*) afferre haec: totus Socrates est albus; est enim sensus: Socrates secundum quamlibet sui partem est albus. Unde ad istam: totus Socrates est albus, immediate sequitur ista: Socrates secundum quamlibet sui partem est albus, ad quam sequitur: quaelibet pars Socratis est alba etc.

[2] Cfr. Aristot., III. Phys. text. 63. (c. 6.), et V. Metaph. text. 31. (IV. c. 26.), ubi duplex haec acceptio *totius* proponitur.

[3] Vide supra d. 5. dub. 3. — Huius dubii solutionem invenis etiam apud B. Albert., hic a. 3, et apud Petr. a Tar., hic circa lit.

[4] Hic c. 3.

[5] Cod. A *et ratione*.

[6] Quaest. 2, ubi etiam in scholio addito alii auctores nominantur, qui de hoc dubio tractant.

[7] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 12. n. 8. seq., et Serm. 263. (alias 174. de Tempore et 90. de Diversis) n. 3.

[8] Sive ad celsitudinem Divinitatis; de quo vide II. Sent. d. 2. p. II. dub. 2.

[9] Codd. A Z bb perperam *quam*.

[10] Cfr. supra lit. Magistri, d. XVIII. c. 3. et Comment. dub.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Haec de corrigia calceamenti* etc.: quid intelligitur per *corrigiam?* et quid per *calceamentum?* et quid per *regem Idumaeae?* et quid per *ossa eius?*

Respondeo: Dicendum, quod *calceamentum* est humanitas Christi, tegens pedem Divinitatis. *Corrigia* vero calceamenti est unio Divinitatis et humanitatis. *Rex Idumaeae* est Christus ratione naturae mortalis assumtae, iuxta illud quod dicitur in Psalmo[1]: *In Idumaeam extendam calceamentum meum. Ossa regis* Idumaeae sunt sacramenta Christi occulta et difficiliora ad perscrutandum. Haec *usque ad cinerem consumuntur*, quando per ignem curiositatis adeo vult quis ea penetrare usque ad minima, ut devotio exstinguatur. — Et hoc quidem dicit Magister non esse faciendum, quia, cum loquimur de Christo quantum ad eius incarnationem et passionem, vel etiam cogitamus, repleri debemus devotione, ne, dum tam magna et immensa beneficia corde arido cogitamus, per elationem inflemur et per ingratitudinem arescamus. — Sed quis ad haec tam idoneus? Ideo sanum consilium reputo dicere cum Ioanne: *Non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamentorum eius*[2]. Credo enim, quod huius calceamenti alligatura, quanto curiosius et audacius eam quis solvere voluerit, tanto strictius alligatur. Ideo sequendo Magistrum, finis imponatur circa sermonem de Christo quantum ad incarnationis et passionis mysterium, quod *exsuperat omnem sensum*[3].

Notandum. Notandum.

DISTINCTIO XXIII.

Cap. I.

Si Christus habuerit fidem, spem, ut caritatem.

Cum vero supra[1] perhibitum sit, Christum plenum gratia fuisse, non est supervacuum inquirere, utrum fidem et spem, sicut caritatem, habuerit. Si enim his caruit, non videtur plenitudinem gratiarum habuisse. Ut autem haec quaestio valeat apertius explicari, de his singulis aliqua in medium proferenda sunt; et primum de fide, secundum *mensuram cuius* praecipit Apostolus *unicuique sapere.*

Cap. II.

Quid sit fides.

« Fides est virtus, qua creduntur quae non videntur[2] »; quod tamen non de omnibus quae non videntur, accipiendum est, sed de his tantum, quae credere, ut ait Augustinus, « ad religionem pertinet ». Multa enim sunt, quae si Christianus ignoret, nihil metuendum est, quia non ideo a religione deviat.

Dubium 1. Augustinus.

Cap. III.

Quot modis dicitur fides.

Accipitur autem *fides* tribus modis, scilicet pro eo *quo* creditur et est virtus; et pro eo *quo*[3] creditur et non est virtus; et pro eo *quod* creditur, quod *aliud* est ab eo quo creditur. Unde Augustinus[4] inquit: « Aliud sunt ea *quae* creduntur, aliud *fides, qua* creduntur; *illa* enim in rebus sunt, quae vel esse, vel fuisse, vel futurae esse dicuntur; *haec* autem in animo credentis est, ei tantum conspicua, cuius est ». Et tamen nomine *fidei* censetur utrumque, et illud scilicet *quod* creditur, et id *quo* creditur. Id *quod* creditur

Dubium 2.

---

2. seq. Cfr. etiam Alex. Hal., S. p. III. q. 23. m. 4. et 6; B. Albert., hic a. 7. seqq.; S. Thom., hic q. 3; Petr. a Tar., hic q. 3; Richard. a Med., hic a. 4. q. 2.

[1] Psalm. 59, 10. Gregor., l. Homil. in Evang. homil. 7. n. 3: Quis enim nesciat, quod calceamenta ex mortuis animalibus fiunt? Incarnatus vero Dominus veniens quasi calceatus apparuit, quia in Divinitate sua morticina nostrae corruptionis assumsit. Unde etiam per Prophetam dicit: *In Idumaeam extendam calceamentum meum.* Per *Idumaeam* quippe gentilitas, per *calceamentum* vero assumta mortalitas designatur. In Idumaeam ergo Dominus calceamentum suum se extendere asserit, quia, dum per carnem gentibus innotuit, quasi calceata ad nos Divinitas venit. Sed huius incarnationis mysterium humanus oculus penetrare non sufficit... *Corrigia* ergo *calceamenti* est ligatura mysterii. Ioannes itaque solvere corrigiam calceamenti eius non valet, quia incarnationis eius mysterium nec ipse investigare sufficit, qui hanc per prophetiae spiritum agnovit. Quid est ergo dicere: *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti eius* (Marc. 1, 7.), nisi aperte et humiliter suam ignorantiam profiteri? — Hieronym., exponens illud Amos 2, 1: *Eo quod incenderit ossa regis Idumaeae usque ad cinerem*, ait: Sic ossa regis Idumaeae comburere non debemus et in cinerem favillamque dissolvere. Iudaei transferunt intelligentiam spiritualem in carnes Idumaeas, sensumque regium, qui versatur in littera et est solidissimus atque firmissimus, genealogiis quibusdam et traditionibus superfluis enervant atque comminuunt et in pulverem redigunt; et non solum illi hoc faciunt, sed omnes haeretici etc.

[2] Marc. 1, 7; Ioan. 1, 27. — Paulo ante edd., pluribus omissis, *sed sanum consilium reputet dicere cum Ioanne;* cod. C *cum quis* [quidem?] *ad hoc nullus sit idoneus, ideo sanum* etc. Paulo inferius pro *strictius* cod. Y *fortius*, edd. *arctius*, quae et subinde pro *Magistrum* exhibent *medium.*

[3] Phil. 4, 7. — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 11; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Dist. XIII. c. 1. — Inferius respicitur Rom. 12, 3. Pro *praecipit* Vat. cum cod. D et paucis edd. *praecepit.*

[2] Ad verbum est in Glossa ad Rom. 1, 18, apud Lyranum; cfr. August., Enchirid. c. 8. n. 2; II. Quaestion. Evang. c. 39. n. 1. — Verba *ad religionem pertinet* sunt in Enchirid. c. 9. n. 3. — Cod. E post *videntur* adiungit: Unde Augustinus in libro de Praedest. Sanctor.: Credere ipsum nihil est aliud quam cum assensione cogitare; quod tamen etc. Quae verba in aliis codd. et ed. 1. alibi, nempe in cap. 4, ponuntur.

[3] Ita cum ed. 1 (quae tamen omittit *creditur*) legendum esse putamus; in aliis edd. et codd. *quod creditur.* Intelligitur autem a Magistro *fides informis*, quae ab ipso aliisque antiquis non vocatur *virtus*, scil. *perfecta.*

[4] Libr. XIII. de Trin. c. 2. n. 5. — Pro *futurae esse dicuntur* Vat. cum pluribus edd. *futura creduntur*, refragante originali.

Symbolum. dicitur fides, sicut ibi [1]: « Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit ». Fides autem, *qua* creditur, si cum caritate sit, *virtus* est, quia « caritas, ut ait Am-
Ambrosius. brosius [2], mater est omnium virtutum », quae omnes informat, sine qua nulla *vera* virtus est. Fides ergo *operans per dilectionem* virtus est, qua non visa creduntur. Haec est *fundamentum*, quod mutari non potest, ut ait Apostolus, quae posita in fundamento ne-
Augustinus. minem perire sinit. Unde Augustinus [3]: « Fundamentum est Christus Iesus, id est Christi fides, scilicet quae *per dilectionem operatur*, per quam Christus *habitat in cordibus*, quae neminem perire sinit; alia vero non est fundamentum. Fides enim sine dilectione inanis est, fides cum dilectione Christiani est, alia daemonis est. Nam et *daemones credunt et contremiscunt* ». « Sed multum interest, utrum quis credat *Christum*, vel *Christo*, vel *in Christum*. Nam ipsum esse *Christum*, daemones crediderunt, nec tamen *in Christum* crediderunt ».

Cap. IV.

Quid sit credere Deo, vel Deum, vel in Deum.

« Aliud est enim credere *in Deum*, aliud credere
Dubium 3. *Deo*, aliud credere *Deum*. Credere *Deo* est credere, vera esse quae loquitur; quod et mali faciunt, et nos credimus *homini*, sed non *in hominem*. Credere *Deum* est credere, quod ipse sit Deus; quod etiam mali faciunt. Credere *in Deum* est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhaerere et eius mem-
Ambrosius. bris incorporari [4] ». Per hanc fidem « iustificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari ». Ea enim sola bona opera dicenda sunt, quae fiunt per dilectionem Dei. Ipsa enim dilectio opus fidei dicitur. Fides igitur, quam daemones et falsi Christiani habent, qualitas mentis est, sed informis, quia sine caritate est. Nam et malos fidem habere, cum tamen caritate careant, Apostolus [5] ostendit dicens: *Si habuero omnem fidem, caritatem autem non habuero* etc.; quae fides etiam donum Dei dici potest, quia et in malis quaedam Dei dona sunt.

Cap. V.

De informi qualitate mentis, quae in malo Christiano est.

Si vero quaeritur, utrum illa informis qualitas, qua malus Christianus universa credit, quae bonus Christianus, accedente caritate, remaneat et *fiat virtus*, an ipsa eliminetur, et alia qualitas succedat, quae *virtus* sit; utrumlibet sine periculo dici potest; mihi tamen Nota. videtur, quod qualitas illa, quae prius erat, remaneat et accessu caritatis *virtus* fiat.

Cap. VI.

Quomodo dicatur una fides.

Cumque diversis modis dicatur fides, fatendum est tamen, *unam* esse fidem, ut ait Apostolus [6]: *Unus Dominus, una fides.* Sive enim accipiatur fides pro eo *quod* creditur, sive pro eo *quo* creditur, recte dicitur fides *una*. Si pro eo *quod* creditur accipiatur, ex hac intelligentia dicitur *una fides*, quia idem iubemur credere, et unum idemque est, quod creditur a cunctis fidelibus. Unde fides *catholica* dicitur, id est universalis. Si vero accipitur fides pro eo *quo* creditur, ea ratione dicitur *una* esse *fides*, non quia sit una *numero* in omnibus, sed *genere*, id est similitudine. Unde Augustinus [7] libro decimo tertio de Trinitate: Augustinus. « Fides, quam qui habent fideles vocantur, et qui non habent, infideles, communis est omnibus fidelibus, sicut pluribus hominibus facies communis esse dicitur, cum tamen singuli suas habeant. Non enim fides *numero* est una, sed *genere*, quae, cum sit in uno, est et in aliis, non ipsa, sed similis, et propter similitudinem magis *unam* dicimus esse quam *multas*. Sicut idem volentium dicitur voluntas *una*, cum tamen cuique sit *sua* voluntas; et duorum simillimorum dicitur facies *una* ».

Cap. VII.

Quod fides est de his quae non videntur, proprie, ipsa tamen videtur ab eo, in quo est.

Notandum quoque est, quod fides proprie de non apparentibus tantum est. Unde Gregorius [8]: « Apparen- Gregorius. tia non habent fidem, sed agnitionem ». Idem: « Cum Paulus dicat: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*; hoc veraciter dicitur *credi*, quod non valet *videri*. Nam *credi* iam non potest, quod *videri* potest ». « Thomas aliud vidit, et aliud credidit: hominem vidit et Deum confessus est dicens: *Deus meus et Dominus meus* ». De hoc etiam Augustinus. Augustinus [9] ait: « Fidem ipsam videt quisque in corde Dubium 4. suo esse, si credit, vel non esse, si non credit; non sicut corpora, quae videmus oculis corporis, et per ipsorum imagines, quas memoria tenemus, etiam ab-

---

[1] Symbolum Athanasianum.

[2] In Epist. ad Rom. 14, 1. (vide hic in Comment. dub. 6.), et apud Lyranum in Glossa ad Rom. 14, 5, et I. Cor. 8, 2. — Inferius respicitur Gal. 5, 6, et deinde I. Cor. 3, 11.

[3] De Fide et operibus, c. 16. n. 27, ubi respicitur Eph. 3, 17: Christum habitare per fidem in cordibus vestris; et deinde Iac. 2, 19. — Seq. locus est August., Serm. 144. (alias 61. de Verbis Domini) c. 2. n. 2.

[4] August., serm. de Symb. (alias 181. de Temp.) c. 1, et Enarrat. in Ps. 77. n. 8, et in Evang. Ioan. tr. 29. n. 6. Eadem sententia ad verbum est in Glossa ad Rom. 4, 5, et Iac. 2, 23, apud Lyranum. — Quae sequuntur sunt apud August., Enarrat. in Ps. 67. n. 41.

[5] Epist. I. Cor. 13, 2.

[6] Eph. 4, 5.

[7] Cap. 2. n. 5. — In fine pro *simillimorum* edd. 1, 2, 3, 7, 8 *simili modo*, contra codd. et originale.

[8] Libr. II. in Evang. homil. 26. n. 8; seq. locus est IV. Dialog. c. 6; tertius in Evang. loc. cit. Locus S. Pauli est Hebr. 11, 1. Vulgata: Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Deinde respicitur Ioan. 20, 28.

[9] Libr. XIII. de Trin. c. 1. n. 3. — Pro *oculis corporis* originale cum Vat. et paucis edd. *corporeis*, refragantibus etiam codd. Pro *non vidimus* codd. B C D E et edd. 2, 3, 4, 7, 8 *videmus*, refragante originali. Denique pro *cogitatione* cod. E et Vat. cum edd. 1, 4, 5, 6, 9 *cogitationem*.

sentia cogitamus; nec sicut ea quae non vidimus, et ex his quae vidimus, cogitatione utcumque formamus et memoriae commendamus; nec sicut hominem, cuius animam, etsi non videmus, ex nostra coniicimus, et ex motibus corporis hominem, sicut videndo didicimus, intuemur etiam cogitando: non sic videtur fides in corde, in quo est, ab eo cuius est, sed eam tenet certissima scientia. Cum igitur ideo credere iubemur, quia id quod credere iubemur, videre non possumus; ipsam tamen fidem, quando est in nobis, videmus in nobis, quia et rerum *absentium praesens* est fides, et rerum, quae *foris* sunt, *intus* est fides, et rerum, quae *non videntur, videtur* fides; et ipsa temporaliter fit in cordibus hominum, et si ex fidelibus infideles fiunt, perit ab eis». His verbis evidenter traditur, fidem ipsam in corde hominis ab ipso homine videri non corporaliter, non imaginarie, sed intellectualiter; et ipsam tamen absentium et eorum quae non videntur, esse. Ut enim Augustinus [1] alibi ait: «Credimus, ut cognoscamus; non cognoscimus, ut credamus. Quid est enim fides, nisi credere quod non vides? *Fides* ergo est quod non vides credere; *veritas* quod credidisti videre». Unde recte fides dicitur *argumentum* — vel *convictio* — rerum non apparentium, quia, si fides est, ex eo convincitur et probatur, aliqua esse non apparentia [2], cum fides non sit nisi de non apparentibus.

Augustinus.

Cap. VIII.

Descriptio fidei.

Ait enim Apostolus: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum* — vel convictio — *non apparentium*, quia per fidem subsistunt in nobis etiam *modo* speranda et subsistent in *futuro* per experientiam. Et ipsa est *probatio* et *convictio* non apparentium, quia, si quis de his dubitet, per fidem probantur, ut adhuc probatur *futura* resurrectio, quia ita crediderunt Patriarchae et alii Sancti; vel probatio est et certitudo, quod *sint* aliqua non apparentia, ut supra dictum est. Proprie autem fides dicitur *substantia rerum sperandarum*, quia sperandis substat et quia *fundamentum* est bonorum, quod nemo mutare potest.

Dubium 5.

Si vero quaeritur, an haec descriptio *spei* conveniat; sane concedi potest *utrumlibet*. Si autem dicatur *convenire*, sunt et alia plura, quibus differunt fides et spes [3]. Sed non improbe dici potest, *soli fidei* convenire, non spei; quia fides sola *fundamentum* dicitur, non quia fides-*virtus* possit esse sine spe et caritate.

Convenientia assignationis.

Unde Augustinus [4]: «*Fides operans per dilectionem* utique sine spe non potest esse, nec *amor* sine spe, nec sine amore *spes*, nec utrumque sine *fide*; et fides sine amore *nihil prodest*». Potest tamen *credi* aliquid, quod non speratur, nihil autem potest *sperari*, quod non creditur. Ideoque *credere*, quod est actus fidei, naturaliter praecedit *sperare*, quod est actus spei, quia, nisi aliquid credatur, non potest sperari. Creditur autem [5] quod non speratur. Inde est, quod in Scriptura plerumque reperitur, quod fides praecedit spem, et spes sequitur fidem; non quod *virtus* fidei praecedat virtutem spei tempore vel causa, sed quia *actus* fidei *naturaliter* praecedit actum spei; quod etiam quidam concedunt de ipsa *virtute* fidei, ut *naturaliter* praecedat spem, non *tempore*.

Augustinus.

Fides praecedit spem.

Cap. IX.

Quare sola fides dicitur fundamentum.

Unde et recte ea sola dicitur *fundamentum* omnium virtutum et bonorum operum. Non autem fundamentum est *caritatis*, quia non ipsa caritatis, sed caritas ipsius virtutis fidei causa est. Caritas enim causa est et mater omnium virtutum, «quae si desit, frustra habentur cetera; si autem adsit, habentur omnia [6]». Caritas enim Spiritus sanctus est, ut in superioribus [7] praetaxatum est. Ipsa est ergo causa omnium virtutum, non ipsius aliqua virtutum causa est, quia omnia munera excellit. Unde Augustinus [8]: «Respice ad munera Ecclesiae, et universis excellentius caritatis munus cognosces», «quae, ut oleum, non potest premi in imo, sed superexsilit». Non ergo eius causa vel fundamentum fides est. — Gregorius tamen super Ezechielem [9] dicit, «quia, nisi prius fides teneatur, nullatenus ad spiritualem amorem attingitur. Non enim *caritas* fidem, sed *fides* caritatem praecedit, quia nemo potest amare quod non crediderit», sicut nec sperare. — Sed hoc accipi potest dictum de fide, quae *virtus* non est; ipsa enim spem et caritatem frequenter praecedit; vel de *actu* fidei, qui forte *naturaliter* actum caritatis praecedit, sicut actum spei; quod verba praemissa diligenter notata innuunt et ea etiam, quae addit dicens: «Nisi ea, inquit, quae audis, credideris, ad amandum ea quae audis, non inflammaberis»; quae tantum de non visis est, ut ante diximus. Unde Ioannes Chrysostomus [10]: «Fides in anima nostra facit subsistere ea quae non videntur, de quibus proprie fides est; de visis enim non est fides, sed agnitio».

Augustinus.

Dubium 6.

Chrysostomus.

---

[1] In Evang. Ioan. tr. 40. n. 9. — Vocabulum *convictio* est alia antiqua versio termini ἔλεγχος (Hebr. 11, 1.), de quo cfr. August., Enchirid. c. 8. n. 2, et XIII. de Trin. c. 1. n. 3.

[2] Edd. 1, 8 adiiciunt: *quia si quis de eis dubitet, per fidem probantur.*

[3] Cfr. infra in d. XXVI.

[4] Enchirid. c. 8. n. 2. Respicitur hic Gal. 5, 6, et I. Cor. 13, 3.

[5] Vat. cum paucis edd. *enim aliquid, quod.*

[6] August., in Evang. Ioan. tr. 9. n. 8.

[7] Libr. I. Sent. d. XVII.

[8] Enarrat. in Ps. 103. serm. 1. n. 9; seq. locus est in Evang. Ioan. tr. 6. n. 20. Pro *superexsilit* Vat. *superebullit*, refragantibus codd. cum pluribus edd.; edd. 1, 8 *superexcellit vel superexsilit*; originale *exsilit* et *in ima* pro *in imo*.

[9] Libr. II. hom. 4. in Ezech. n. 13. Seq. locus ibid. — Superius post *accipi potest* edd. 1, 8 *quia forte* pro *qui forte*.

[10] Hom. 21. in Epist. ad Hebr. n. 2, sententialiter.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXIII.

De fide, et quidem quoad eius essentiam.

Cum vero supra habitum sit, Christum etc.

DIVISIO TEXTUS.

Sicut a principio dictum fuit, in hoc libro intendit Magister determinare, qualiter Deus, qui est *dives in misericordia, convivificavit nos Christo*[1]; et quoniam hoc idem fecit per Christum assumentem vitam naturae nostrae et dantem nobis vitam gratiae; ideo totus iste liber a principio dividebatur in duas partes generali divisione. In quarum prima agit Magister de vita, quam Christus pro nobis assumsit, quam etiam pro salute nostra morti exposuit. In secunda vero agit de vita gratiae, quam nobis contulit. — Prima parte determinata[2], quae durat a principio libri usque huc, hic incipit secunda pars, quae durat ab hoc loco usque in finem. Et quoniam perfectio vitae gratiae in duobus consistit, videlicet in multitudine habituum gratuitorum et in impletione divinorum mandatorum; ideo pars ista dividitur in duas partes principales. In quarum prima agit Magister de habitibus gratuitis. In secunda vero agit de praeceptis decalogi, infra distinctione trigesima septima: *Sed iam distributio*[3] *decalogi* etc. — Et quoniam habitus gratuiti distinctionem habent et connexionem; ideo prima pars dividitur in duas. In quarum prima agit de habitibus gratuitis, in quantum ab invicem distinguuntur. In secunda agitur de eisdem, in quantum ad invicem connectuntur, infra distinctione trigesima sexta: *Solet etiam quaeri, utrum virtutes sint sibi coniunctae.* — Et quoniam habitus gratuiti sunt in triplici differentia: quidam namque sunt, qui ordinant in finem, ut sunt virtutes theologicae; quidam vero in ea quae sunt ad finem, ut sunt virtutes cardinales; quidam vero expediunt in utrisque, sicut dona septiformis gratiae; ideo ista pars[4] dividitur in tres. In quarum prima agitur de virtutibus theologicis. In secunda agitur de cardinalibus, infra distinctione trigesima tertia: *Post praedicta de quatuor virtutibus.* In tertia vero de septem donis Spiritus sancti, infra distinctione trigesima quarta: *Nunc de septem donis Spiritus sancti.* — Et quia virtutes theologicae sunt tres, scilicet fides, spes et caritas; ideo pars prima dividitur in tres. In quarum prima agitur de fide. In secunda vero de spe, infra distinctione vigesima sexta: *Est autem spes virtus* etc. In tertia vero de caritate, infra distinctione vigesima septima: *Cum autem Christus fidem et spem non habuerit* etc.

Et quoniam fidem est tripliciter considerare, scilicet quantum ad suam *essentiam* et quantum ad *obiectum* sive materiam et quantum ad *sufficientiam;* ideo prima pars dividitur in tres partes secundum tres distinctiones. In quarum prima agit Magister de fide quantum ad eius *essentiam.* In secunda quantum ad eius *obiectum* sive materiam, infra distinctione proxima: *Hic quaeritur, si fides tantum de non visis est* etc. In tertia de eius *sufficientia*, infra distinctione vigesima quinta: *Praedictis adiiciendum est de sufficientia fidei* etc.

Prima pars, quae continet praesentem distinctionem, dividitur in partes tres. In quarum prima dicta dicendis continuat. In secunda vero fidem definit sive notificat, ibi: *Fides est virtus, qua creduntur* etc. In tertia vero definitionem explanat, ibi: *Accipitur autem fides tribus modis* etc. Primis duabus partibus indivisis remanentibus, tertia pars subdividitur in duas, secundum duas partes illius definitionis, quas explanat. Primo enim intendit explanare, qualiter fides sit virtus. Secundo vero, qualiter per fidem creduntur quae non videntur, quod est in illa definitione loco differentiae, ibi: *Notandum quoque est, quod fides de non apparentibus* etc.

Prima pars dividitur in tres partes. In quarum prima explanat, qualiter veritatem habeat quod dictum est: fides est virtus. Cum enim fides dicatur multipliciter, proprie ibi accipitur pro *habitu,* et hoc[5] non pro qualicumque, sed pro *habitu gratia informato.* In secunda vero, cum fidem contingat esse informem et formatam, comparat unam istarum ad alteram, ibi: *Si vero quaeritur, utrum illa informis qualitas* etc. In tertia vero, cum dictum sit[6], fidem dici multipliciter, Magister ostendit, eam esse unicam, ibi: *Cumque diversimode dicatur fides* etc.

---

[1] Eph. 2, 5. seq. Vide huius libri prooemium et divisionem textus d. 1. — Pro *Sicut a principio* edd. *Sicut supra in huius tertii principio.*

[2] Codd. G I L V aa *terminata.* Paulo inferius pro *ab hoc loco* codd. L aa *ab hoc capitulo.*

[3] Codd. *distinctio.* Post pauca pro *agit* codd. K Z *agitur,* et subinde pro *de habitibus gratuitis* codd. G I L V aa *de virtutibus gratuitis.*

[4] Codd. A K Z *ideo pars prima.*

[5] Cod. bb omittit *hoc,* codd. G L aa omittunt *et hoc.*

[6] Pro *cum dictum sit* codd. M O *cum contingat;* edd. brevius sic: *cum fides dicatur multipliciter, ostendit* etc.

Similiter illa secunda pars, in qua explanat, qualiter fide creduntur quae non videntur, habet tres partes. In quarum prima ponit illius membri explanationem. In secunda vero explanationem suam confirmat per definitionem Apostoli, qua [1] fidem notificat, ibi: *Ait enim Apostolus: Fides est substantia rerum sperandarum* etc. In tertia vero inquirit de illa descriptione, utrum sit convenienter assignata, ibi: *Si vero quaeritur, an haec descriptio spei conveniat* etc. Subdivisiones autem partium manifestae sunt in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio circa duo.

Primo enim quaeritur de ipsa fide simpliciter dicta sive formata.

Secundo quaeritur de fide quodam modo diminuta sive informi.

Circa primum quaeruntur quinque.

Primo quaeritur, utrum fides sit virtus proprie dicta.

Secundo quaeritur, utrum sit in parte animae cognitiva, vel [2] affectiva.

Tertio quaeritur, utrum sit virtus una.

Quarto quaeritur, utrum sit tantae certitudinis, quantae certitudinis est scientia.

Quinto quaeritur de notificatione eius ab Apostolo assignata.

ARTICULUS I.

De fide simpliciter dicta sive formata.

QUAESTIO I.

Utrum fides sit virtus.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum fides sit virtus; et loquimur hic de fide, qua quis credit *in Deum*. Et quod sic, ostenditur.

1. Quod est principium nostrae salutis habet rationem virtutis; sed fides est huiusmodi, secundum quod saepe dicitur in Evangelio [3]: *Fides tua te salvum fecit:* ergo fides est virtus. Fundamenta.

2. Item, quod est principium purificationis cordis habet rationem virtutis — sicut enim cor non inquinatur nisi per vitium, sic non purificatur nisi per virtutem — sed fides est principium purificationis cordis, secundum quod dicitur Actuum decimo quinto [4]: *Fide purificans corda eorum:* ergo etc.

3. Item, omnis habitus, qui est principium divinae acceptionis, habet rationem virtutis, maxime cum respicit determinatum genus operis; sed fides est huiusmodi, secundum quod dicitur ad Hebraeos undecimo [5]: *Sine fide impossibile est placere Deo:* ergo fides plenam et perfectam in se continet rationem virtutis.

4. Item, quod directam habet contrarietatem ad vitium et peccatum virtus est; sed fides est huiusmodi, quoniam directe opponitur haeresi et infidelitati, quae sunt vitia et peccata: ergo fides est virtus proprie dicta; et hoc ipsum potest probari expresse per auctoritatem Augustini in littera [6].

Sed contra: 1. «In eodem genere sunt extrema et medium», pro eo quod medium participat naturam extremorum; sed fides est media inter opinionem et scientiam, sicut dicit magister Hugo in libro de Sacramentis [7], ubi dicit, quod «fides est certitudo de rebus absentibus, supra opinionem et infra scientiam constituta»: si igitur nec opinio nec scientia est in genere virtutis, necessario sequi videtur, quod nec fides in genere virtutis contineatur. Ad oppositum.

2. Item, «habitus distinguuntur per actus, et actus per obiecta»; in hoc autem distinguitur virtus et scientia secundum Philosophum [8], quod «virtus est in bonum, et scientia est in verum»; sed fides est in verum sub ratione veri: ergo fides non est

---

[1] Codd. L aa *quae*. Paulo inferius pro *de illa* cod. A *de prima*, et subinde pro *convenienter* cod. Z *congruenter*.

[2] Pro *vel* codd. A K Z *an in*.

[3] Marc. 10, 52; Luc. 17, 19; 18, 42. Cfr. Matth. 9, 22; Marc. 5, 34; Luc. 7, 50; 8, 48. — De *maiori* huius nec non seqq. argg. vide infra corp. quaest.

[4] Vers. 9. — In *maiori* codd. I L V aa voci *cordis* adiungunt *nostri*.

[5] Vers. 6. — In *maiori* pro *acceptionis* cod. bb *acceptationis*.

[6] Hic c. 2. seq. — Cod. X *Magistri in littera*.

[7] Libr. I. p. X. c. 2. — De *maiori*, cuius sententia sumta est ex Aristot., X. Metaph. text. 22. seq. (IX. c. 7.), cfr. supra pag. 170, nota 2. In dicta proposit. pro *naturam* codd. G I L V aa exhibent *rationem*. Paulo inferius pro *sequi videtur* codd. A K *sequitur*.

[8] Qui II. Ethic. c. 6. docet, virtutem esse habitum, «ex quo et bonus homo ipse efficietur et bene opus suum reddet». Ibid. VI. c. 2: Contemplativae autem cogitationis, et non activae neque effectivae, bene et male *esse* est verum et falsum. Et II. Metaph. text. 3. (I. brevior, c. 1.): Speculativae etenim finis veritas, practicae autem opus. — In *maiori* post *et actus* codd. A F H K N T U Z bb repetunt *distinguuntur;* propositio ipsa insinuatur ab Aristot., II. Ethic. c. 1. et II. de Anima, text. 33. (c. 4.). Cfr. tom. II. pag. 561, nota 3. et pag. 653, nota 6.

in genere virtutis, sed magis in genere scientiae. Quod autem fides sit in verum sub ratione veri, patet, quoniam fidei est assentire primae Veritati propter se et super omnia.

3. Item, vituperabile est homini habenti usum rationis *velle* aliquid sine ratione, ergo pari ratione vituperabile erit ei *credere* sine ratione; sed fides, qua credimus in Deum, non inquirit rationem [1]: ergo talis fides vituperabilis est. Sed nihil, quod est vituperabile, habet rationem virtutis: ergo ubi est fides, non potest esse virtus in nobis.

4. Item, quanto actus aliquis est rationabilior, tanto est virtuti proximior [2], ergo credere per rationem cogentem plus spectat ad virtutem quam credere absque ratione: si igitur credulitas, quam quis habet per violentiam rationis, nec est virtus nec actus virtutis, multo fortius videtur, quod ipsa fides, quae rationem non sequitur nec rationi innititur, careat perfectione virtutis.

CONCLUSIO.

Fides, qua in Deum credimus, non tantum est virtus, verum etiam auriga virtutum.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio ipsa Conclusio. *fides*, qua in Deum credimus, non tantum est *virtus*, verum etiam *auriga* virtutum, sicut de *prudentia* dicit Bernardus ad Eugenium [3]. — *Virtus* Est virtus. quidem est, quoniam in ea consistit rectitudo vitae Notandum. secundum regulam iustitiae. Iustum enim est, ut intellectus noster ita captivetur et subiaceat summae Veritati, sicut affectus noster debet subiacere summae Bonitati; nec potest esse anima recta, nisi intellectus summae Veritati propter se et super omnia assentiat, et affectus summae Bonitati adhaereat. Hanc autem rectitudinem non habet quis nolens, sed *volens*. Nemo enim plus credit Deo quam sibi, nisi per hoc, quod *vult* intellectum suum captivare *in obsequium Christi* [4]. Si ergo captivatio intellectus in obsequium summae Veritatis spectat ad rectitudinem vitae, voluntas, qua quis vult sic se captivare, est voluntas recta, et habitus, quo mediante ad hoc expeditur et adiuvatur, facit ad voluntatis rectitudinem. — Si igitur *iustitia* non est aliud quam « voluntatis rectitudo [5] »; et *fides* non est aliud nisi habitus, quo intellectus noster voluntarie captivatur *in obsequium Christi:* restat, quod habitus fidei spectat ad rectitudinem vitae secundum regulam iustitiae; et ideo habet in se rationem virtutis vere et proprie.

Nec solum habet in se rationem *virtutis* vere [6], Est auriga. sed etiam *aurigae* virtutum quarumlibet, tam theologicarum videlicet quam cardinalium. Sine fide Ratio 1. enim non est cognitio summi et veri Boni; sine cognitione autem summi et veri Boni non potest esse veri Boni *exspectatio et dilectio*. Cognitio enim praeambula est et dirigit affectum ad exspectandum et ad desiderandum; et ita necessario fides spem et caritatem praecedit tanquam regula et auriga ipsarum [7]. *Rursus,* sine cognitione summi Boni non po- Ratio 2. test esse *recta intentio* — hoc solum fit recta intentione, quod fit ad gloriam et honorem Dei — sine vero recta intentione nullus actus virtutis recte incedit. Quoniam igitur habitus fidei est, quo mediante summum Bonum a mentibus nostris agnoscitur; hinc est, quod « fides dirigit nostram intentionem [8] », et per hoc regula est omnis operationis bonae et omnis virtutis meritoriae. Et ideo non tantum debet dici *virtus gratuita*, sed etiam *virtutum gratuitarum regula et auriga*. — Et concedendae sunt auctoritates et rationes, quae sunt ad istam partem.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in con- Solutio oppositorum. trarium, quod fides tenet medium inter scientiam et opinionem; dicendum, quod fides assignatur quasi medium inter scientiam et opinionem ab Hugone, non quia *conficiatur* ex illis duobus, sicut medium conficitur ab extremis, sed quia medium locum te- Notandum. net quantum ad *gradum certitudinis;* est enim magis certa quam opinio, et minus quam scientia, sicut videbitur infra [9]; de hoc autem medio non est

[1] Bernard., Epist. 338. (alias 369.) n. 1: Fides piorum credit, non discutit. Sed iste [Abaelardus], Deum habens suspectum, credere non vult, nisi quod prius ratione discusserit. — Edd. substituunt *requirit* pro *inquirit* et paulo superius, pro *homini* posito *omni*, omittunt *ergo pari ratione... sine ratione*.

[2] Vide supra pag. 386, nota 2.

[3] Sive l. de Consider. c. 8. n. 9. et 11, sententialiter. In Serm. 49. in Cantic. n. 5. ait: Est ergo discretio non tam virtus, quam quaedam moderatrix et auriga virtutum, ordinatrixque affectuum et morum doctrix. Tolle hanc, et virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur exterminiumque naturae. — Definitionem virtutis habes II. Sent. d. 27. dub. 3.

[4] Epist. II. Cor. 10, 5: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Cfr. supra pag. 217, nota 3. et 5.

[5] Anselm., de Concept. virg. et orig. pecc. c. 3. et Dialog. de Veritate, c. 12: Iustitia est rectitudo voluntatis propter se servata.

[6] Cod. O addit *et proprie*. Subinde pro *sed etiam* edd. substituunt *sed magis,* et paulo inferius ante *veri Boni exspectatio* repetunt *summi et*.

[7] Cfr. hic lit. Magistri, c. 8. seq. Cicero, V. de Finib. bonor. et malor. c. 6. ait: Summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est. — De altera ratione, petita ex necessitate agendi cum recta intentione, ad quod Apostolus exhortatur illis verbis I. Cor. 10, 31: *Omnia in gloriam Dei facite*, cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXXVIII, d. XL. et d. XLI. nec non Comment. ibid. — Paulo inferius post *hoc* edd. subiiciunt *enim*.

[8] August., Enarrat. in Ps. 31. enarrat. 2. n. 4: Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. — Subinde ante *regula est* cod. A inserit *recta*. Paulo superius idem cod. A pro *habitus fidei* substituit *actus fidei*, et pro *agnoscitur* cum cod. K *cognoscitur*.

[9] Quaest. 4. Cfr. etiam d. 24. a. 2. q. 2. seq. — Paulo ante pro *ex illis duobus* codd. A K Z *ab illis duobus*, Vat. *illis duobus* tantum; et pro *conficitur ab extremis* cod. X *componitur ex extremis*. Deinde post *et minus* codd. G I L V aa cc repetunt *certa*.

necesse, quod sit in eodem genere proximo cum extremis. — Posset etiam dici, quod hoc non habet necessitatem in moribus, pro eo quod medium reperitur in genere virtutis, et extrema sunt in genere vitiorum [1].

Aliter.

2. Ad illud quod obiicitur, quod scientia distinguitur in hoc a virtute, quod ipsa est in verum, et virtus in bonum; dici potest, quod Philosophus [2] loquitur ibi de virtute *consuetudinali*, quae consistit circa actiones et passiones, de qua dicit, quod «virtus est in passionibus et operationibus optimorum operativa»; et huiusmodi virtus ordinat in his quae sunt *ad finem*. De virtute autem *intellectuali*, cuiusmodi est sapientia et intelligentia, quae ordinant in *ipsum finem*, non habet veritatem; et hoc modo fides est virtus, non modo praemisso. — Sed hic modus dicendi videtur esse calumniabilis in hoc, quod non tantum de virtute *consuetudinali*, verum etiam de *omni alia* virtute sub ratione virtutis videtur posse haec differentia assignari respectu scientiae.

Solutio 1.

Non probatur.

Et propterea dicendum est, quod aliter *verum* est obiectum *fidei*, aliter obiectum *scientiae: scientiae*, inquam, obiectum est, quia est verum *visum; fidei* autem est obiectum, quia est verum [3], verum inquam, *non visum*, sed *salutiferum*. Quia enim est *non visum*, requiritur ad ipsum cognoscendum alius habitus, quam sit habitus scientiae; quia *salutiferum*, ideo habitus ille ad salutem ordinat et ad vitam beatam, et ideo habet rationem virtutis *completam*. Et sic patet, quod nihil impedit, quin fides possit esse *in verum*, et tamen nihilominus esse *virtus*, pro eo quod alio modo est in verum quam *scientia*, secundum duplicem conditionem praeassignatam. Est enim in veritatem *non visam* et veritatem *salutiferam*. Quia enim *non visa* est, creditur *voluntarie;* quia autem non solum *non visa*, sed etiam *salutifera*, creditur *voluntarie* et *meritorie*, quae duo aliena sunt a speculatione scientiae. Unde et veritas, in quam est fides, est veritas *secundum pietatem* [4], quae quidem nota est Catholicis, sed ignota fuit philosophis.

Solutio auctoris notanda.

3. Ad illud quod obiicitur, quod credere sine ratione est vituperabile; dicendum, quod illud verum est, ubi auctoritas non supplet locum rationis. Ubi vero auctoritas locum supplet rationis, non est vituperabile, sed valde commendabile. Sic autem est in fide, quoniam, etsi non adsit intellectui ipsius credentis ratio, propter quam debeat veritati assentire; adest tamen summae Veritatis auctoritas, quae cordi suo suadet; quam etiam summam Veritatem scimus mentiri non posse, et ideo impium est ei non credere. Propterea hoc non tollit, immo potius confert fidei esse virtutem.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod quanto aliquid magis est rationabile, tanto magis consonat virtuti perfectae; dicendum, quod *rationabile* dicitur aliquid dupliciter: aut quia consonum est rationi elevatae et illustratae a lumine Veritatis supernae, aut quia consonum est rationi conversae ad cognitionem sensibilem [5]. Si primo modo dicatur *rationabile*, non habet instantiam. Si secundo modo dicatur *rationabile*, falsitatem habet, quoniam frequenter ratio ad sensibilia conversa iudicat esse *vera* quae sunt falsa, et esse *bona* quae sunt mala, et e converso. Unde multa [6] videntur sibi irrationabilia, quae sunt valde rationabilia, sicut patet: quia multa videntur irrationabilia philosophis, quae tamen videntur valde rationabilia Christianis, ut omnino continere et omnino mendicare et similia. Et quantum praecellit iudicium viri iudicium pueri, tantum praecellit iudicium viri christiani iudicium unius philosophi, et iudicium rationis sursum conversae iudicium rationis ad inferiora depressae. Et ideo hoc non impedit, fidem esse virtutem, quia credit aliqua, quae videntur esse irrationabilia homini animali — sunt enim rationabilia homini spirituali [7] — immo hoc facit ad rationem virtutis, ut credat sine ratione. Si enim crederet per rationem cogentem, illa credulitas non esset voluntaria, sed necessaria, et sic non esset virtuosa nec meritoria; sicut melius manifestabitur infra [8].

Duplex rationabile.

Notandum.

---

[1] Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 6. seqq. — Pro *necessitatem* codd. G I L V aa bb *veritatem*.

[2] Aristot., II. Ethic. c. 1. duplicem distinguit virtutem, *intellectivam* et *moralem*: «*Intellectiva* ut plurimum ex doctrina habet et generationem et incrementum... *moralis* vero ex more, id est, assuetudine acquiritur, unde etiam nomen habuit» etc. Ibid. c. 6. ait: De *morali* [virtute] loquor; haec enim circa affectus [πάθη] et actiones versatur, in quibus excessus et defectus et medium est, ut et timeat et confidat aliquis... ac demum laetetur et doleat magis et minus, atque utraque haec non bene; nam quando oportet, et ob quae, et erga quos, et cuius causa, et ut oportet haec facere, medium est atque optimum; id quod est ipsius virtutis. Simili modo circa actiones est excessus et defectus et medium etc. — De virtutibus *intellectualibus* agitur ibid. VI. c. 2. seq. — Paulo inferius pro *optimorum* Vat. *suppositorum*.

[3] Cod. O adiicit *creditum*. Non ita multo ante pro *dicendum est* codd. E F G I L N T V aa bb *addendum est*, cod. H *attendendum est*. Paulo inferius pro *et ad vitam* codd. A K *id est ad vitam*.

[4] Epist. ad Tit. 1, 1: Et [secundum] agnitionem veritatis, quae secundum pietatem est. Cfr. quaest. seq. — Aliquanto superius pro *et veritatem* edd. male *sed veritatem*, et post pauca pro *in quam est fides* cod. O *in quantum est fidei*, edd. *in qua est fides*.

[5] Cfr. II. Sent. d. 24. p. II. a. 1. q. 1. in corp.

[6] Pro *multa* edd. hic et paulo inferius *nonnulla*.

[7] Epist. I. Cor. 2, 14: Animalis autem homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei etc. — Pro *sunt enim* codd. M O *sunt tamen*, Vat. *sunt autem;* edd. 1, 2, omisso proxime ante *animali*, sic prosequuntur: *aliquando enim sunt rationabilia* etc. Mox pro *immo hoc facit* edd. *et hoc facit*.

[8] Quaest. 2. et 4. nec non d. 24. dub. 1. Cfr. ibid. a. 2. q. 3.

SCHOLION.

I. In hac et duabus seqq. distinctionibus S. Bonav. agit *de fide*, et quidem omnino ad mentem Concilii Vaticani (c. 3. *de Fide*), immo hanc catholicam doctrinam optime explicat et illustrat; eadem etiam ac S. Thomas principia scientifica tenet, nec ab ipso nisi in paucis minoris momenti rebus aliquatenus discrepat, praesertim in quadam propositione infra d. 24. a. 2. q. 3. tractata. — De variis *sensibus* vocabuli *fides* vide hic dub. 2. — Plures *definitiones* fidei exhibentur hic dub. 1, et ea quam S. Paulus (Hebr. 11, 1.) dat, praeclare explicatur infra q. 5. Breviter hae notificationes in hac et seq. quaestione sic exprimuntur: Fides est habitus (sive virtus), per quem intellectus voluntarie captivatur in obsequium Christi et innititur primae Veritati propter ipsam et super omnia. Aliis verbis idem dicit definitio Concilii Vatic. (loc. cit.): « Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter *auctoritatem ipsius Dei revelantis*, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides, testante Apostolo (Hebr. 11, 1.), sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium ». Eadem Synodus quasi ultimum fundamentum fidei assignat his verbis: « Cum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo *intellectus et voluntatis obsequium* fide praestare tenemur ». Idem iam hic in corp. dicitur: « Iustum enim est, ut *intellectus* noster ita captivetur et subiaceat summae *Veritati*, sicut *affectus* noster debet subiacere summae *Bonitati*; nec potest esse anima recta, nisi intellectus summae *Veritati* propter se et super omnia assentiat, et affectus summae *Bonitati* adhaereat ».

II. Ut facilius perspiciatur tota tanti momenti doctrina de fide, iuvat breviter praemittere principaliora principia, quibus innititur theoria auctoris nostri, quae in summa est communis antiquorum doctorum sententia.

1. Duplex est certitudo. « Est enim certitudo *speculationis*, et est certitudo *adhaesionis*; et prima quidem respicit intellectum, secunda vero respicit ipsum affectum » (infra q. 4; cfr. q. 5. ad 6, d. 26. a. 1. q. 5.). Consentit cum aliis antiquis S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1. et 3, ubi exponit triplicem modum, quo intellectus determinatur ad assensum, scilicet aut ex ipsa praesentia intelligibilis et *evidentia obiecti moventis*, ut in *intellectu* primorum principiorum; aut *virtute medii moventis*, ut in *scientia* conclusionum; aut *imperio voluntatis moventis* (cum voluntas moveat omnes vires ad actus suos), ut in *fide*. Deinde prosequitur (loc. cit. quaestiunc. 1.): « Et haec quidem voluntas determinat intellectum ad aliquid, quod neque per se ipsum videtur, neque ad ea quae per se videntur, resolvi posse determinat, ex hoc quod dignum reputat, illi esse adhaerendum, propter aliquam rationem, qua *bonum* videtur ei illi rei adhaerere, quamvis illa ratio ad intellectum terminandum non sufficiat propter *imbecillitatem intellectus*, qui non videt per se hoc cui assentiendum ratio iudicat ». Ibidem (quaestiunc. 3.) asseritur: « Certitudo, quae est in *scientia* et in *intellectu*, est ex ipsa *evidentia* eorum quae certa esse dicuntur; certitudo autem *fidei* est ex firma *adhaesione* ad id quod creditur » (cfr. de Verit. q. 14. a. 1. ad 7.). — Constat autem, quod haec certitudo *adhaesionis* per fidem naturalem in vita sociali immensum campum necessario occupat. Cum enim in cognoscendis pluribus rebus, praesertim particularibus, unicuique deficiat proprii intellectus scientia, *adhaerendum* est mediante fide naturali intellectui alieno rem scienti, ut sic, dum quis alienam scientiam suam facit, quasi per substitutionem suppleat defectum et indigentiam. Ab hac autem fide naturali fides theologica specie differt (supra d. 9. a. 2. q. 4. ad 2.).

2. Obiectum *scientiae* est verum *visum*, obiectum *fidei* est verum *non visum*, sed salutiferum, ut explicatur hic ad 2; vel aliis verbis: « Fides est de invisibilibus, secundum quod sunt invisibilia » (infra d. 26. dub. 3.); est enim « argumentum non apparentium » (Hebr. 11, 1; cfr. infra q. 5.). « Lumen fidei habet aenigma annexum; et ex hoc oritur, quod intellectus inclinatur ab affectu et dirigit hominem ad cognoscendum non visum » (infra d. 31. a. 2. q. 1. ad 6; cfr. ibid. corp. in fine).

3. Hinc « *auctoritas* supplet locum *rationis*... etsi non adsit intellectui ipsius credentis *ratio*, propter quam debeat veritati assentire, adest tamen summae Veritatis *auctoritas*, quae *cordi suo suadet*; quam etiam summam Veritatem *scimus* mentiri non posse; et ideo *impium* est ei non credere » (hic ad 3.). — Haec *auctoritas* non est qualiscumque, sed *suprema*; infallibilis in *testificando*, quia prima Veritas est summe obstringens ad *obedientiam fidei*, quia Deus solus Dominus. Hinc Veritas *dictat* (infra q. 3. et d. 25. a. 2. q. 3), quod « intellectus noster plus credat summae Veritati quam sibi, et quod se redigat in obsequium Christi; ac per hoc, quod non solum credat quae sunt *secundum rationem*, verum etiam quae sunt *supra rationem* et *contra sensuum experientiam*. Quod si recusat, non exhibet summae Veritati *debitam reverentiam*, dum iudicium industriae propriae praefert *dictamini* lucis aeternae; quod esse non potest absque tumore superbiae et elationis improbandae » (Breviloq. p. V. c. 7.). Confirmatur haec doctrina a Concilio Vat. can. 1. *de Fide*: « Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo *imperari* non possit, a. s. ».

4. Quamquam fides dicit « certitudinem in intellectu » (II. Sent. d. 43. dub. 3.) et « essentialiter respicit actum rationis » (q. 2. in corp.), tamen etiam respicit actum voluntatis ut *sibi essentialem*; ergo et circa ipsam habet « *essentialiter* consistere »; « et ipsum *velle credere* est *essentiale* ipsi fidei (ibid.), quod magis explicatur infra d. 24. dub. 1. et d. 31. a. 2. q. 1. in fine corp. Consentit S. Thomas (de Verit. q. 14. a. 3. ad 10.): « Fides non est in intellectu, nisi secundum quod imperatur a voluntate... Unde quamvis illud quod est ex parte voluntatis, possit dici *accidentale intellectui*, est tamen *essentiale fidei* ». Ibid. in corp.: « Credere... non habet assensum nisi ex imperio voluntatis; unde *secundum id quod est*, a voluntate dependet ». Hinc fides potest esse virtus et recte vocatur *veritas secundum pietatem* (hic ad 2.) et « *doctrina secundum pietatem* » (infra q. 5. in corp.; cfr. d. 24. dub. 1.), et « non [proprie] probatur, sed probat » (hic dub. 5.). Confirmatur haec doctrina communis reprobatione facta ab Innocentio XI. (an. 1749) sequentis propos. (19.): « Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam meretur pondus rationum ad assensum impellentium ».

5. Ultima *ratio obiectiva* et *intrinseca*, quae movet ad assensum fidei, est « ipsa summa Veritas [sive auctoritas Dei revelantis], cui ipsa fides innititur propter se et super omnia » (q. 3. in corp.). « Fides autem *unicam* intuetur rationem, secundum quam omnia credibilia credit » (ibid. ad 2.), et « tam circa creata et increata versatur secundum *dictamen Veritatis aeternae* » (ibid. ad 3.). — Hoc principium constat inter Catholicos et probatur testimonio Concilii Vat. supra n. I. allegato. Sed de *viu ac modo*, quo huic formali obiecto fidei ex parte hominis assentitur, subtilissimae in scholis catholicis aetate subsequenti exortae sunt controversiae, de quibus nonnulla dicentur infra q. 5, in scholio.

6. Fide divina sive infusa, qua quis innititur primae Veritati super omnia, credi non potest, nisi « ratio *super se elevetur* » per illustrationem et inspirationem divinam (infra a. 2. q. 2. in corp. et q. 1. fund. 3.); unde ipsa donum Dei est supernaturale, ut bene explicatur II. Sent. d. 3. p. II. a. 3. q. 1. ad 3; cfr. infra d. 24. dub. 2. — Hoc fide constat, cum definitum sit a Concilio Vat. (cfr. infra a. 2. q. 2, scholion). Ab hac fide divina differt omnino fides naturaliter acquisita, quae interdum nullius virtutis est (a. 2. q. 2. et 3.).

7. Eadem igitur Veritas prima, ut est ratio obiectiva assensus, irradiat super mentem et in *visione beatifica* et mediante *fide,* sed alio modo; videlicet in patria *plene* et omni ex parte *immediate,* in fide *semiplene* et ita, ut maneat *speculum et aenigma* (infra q. 4. ad 3; cfr. infra d. 35. a. 1. q. 3. et dub. 2.). Unde id quod est *materiale* in fide, communicatur *per verbum exterius revelatum* et exterius per auditum, sed « quantum ad suum formale est per infusionem, non per auditum »; « ita unum per auditum cordis, et aliud per auditum corporis » (d. 24. dub. 2.). Adhaeret enim fides alicui testimonio, in quo est prima Veritas, et ita adhaeret ipsi primae Veritati, *transcendendo* proprii intellectus veritatem. Ad rem S. Thom. (de Verit. q. 14. a. 8. ad 3.): « Prima Veritas est obiectum visionis patriae ut in sua *specie apparens,* fidei autem ut *non apparens;* unde etsi idem *re* sit utriusque actus obiectum, non tamen est idem *ratione;* et sic formaliter differens obiectum diversam speciem actus facit ». — « Fides est perfectio potentiae non qualiscumque, sed secundum statum imperfectionis, in quo intellectus *potest aberrare* a veritate et *in via captivari* » (infra d. 31. a. 2. q. 1. ad 1.). « Fides velamen dicit futurae contemplationis et visionis; et tamen hoc velamen potius est illuminans quam obscurans » (IV. Sent. d. 3. p. I. a. 1. q. 3.).

8. Nihilominus, ut fides sit *rationabile* obsequium, multiplex actus rationis *praecedit* fidem, quibus testimonium Dei cognoscitur *credibile* et *credendum;* de quibus motivis credibilitatis multa docet Concilium Vat. c. 2. 3. 4; et vide infra scholion ad 5. quaestionem.

III. In hac 1. quaestione agitur de fide ut caritate *formata,* uti dicunt theologi, quae certe *completam rationem* virtutis perfectae, supernaturalis et meritoriae habet. Sed infra a. 2. q. 1. 2. eadem quaestio recurrit respectu fidei *informis.* — Praeter plura alia notanda observatu dignum est quod in solut. ad 4. docetur de *duplici rationabili,* scilicet secundum rationem vel *elevatam* superno lumine, vel ad sensibilia conversam et ad inferiora *depressam.*

IV. Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 3. — S. Thom., hic q. 2. a. 4; S. II. II. q. 4. a. 5; de Verit. q. 14. a. 3. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 4. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 2. — Durand., hic q. 6. — Dionys. Carth., hic q. 2. — Biel, hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum fides sit in parte animae cognitiva, an affectiva.

Secundo quaeritur, utrum fides sit in parte animae cognitiva, an affectiva. Et quod sit in parte *cognitiva,* videtur:

Argg. pro 1. parte.

1. Primo per Augustinum, qui sic definit *credere* in libro de Praedestinatione Sanctorum[1]: « Credere est cogitare cum assensione », ad illam igitur vim pertinet *credere,* ad quam pertinet *cogitare;* sed *cogitare* est potentiae cognitivae: ergo et *credere.* Si igitur in illa potentia est fides, cuius actus est *credere;* videtur, quod fides sit in parte animae cognitiva.

2. Item, ad Romanos decimo[2]: *Fides* est ex *auditu;* ibi Gregorius: « Dat intellectum, dum de auditis mentem illustrat »: si ergo fides est *per auditum,* et fides *illuminat* mentem, et tam *audire* quam *illuminari* spectat ad partem animae cognitivam; videtur, quod fides sit in in parte animae cognitiva.

3. Item, reformatio imaginis fit per tres virtutes theologicas; sed imago non tantum consistit in potentia affectiva, verum etiam in potentia cognitiva[3]: ergo necesse est, quod aliqua virtus theologica reformet potentiam cognitivam. Non est autem aliam dare nisi fidem; si ergo virtus est in ea potentia, quam reformat; videtur, quod fides sit in potentia cognitiva.

4. Item, in eadem vi est virtus gratuita et dos illi succedens in gloria; sed visio, quae succedit fidei[4], est in potentia cognitiva, sicut manifestum est: ergo etc.

5. Item, in illa potentia animae est virtus tanquam in subiecto, circa cuius actum explicat difficultatem — habitus enim in ea potentia collocatur, ad cuius opus habilitat — si ergo per fidem captivatur *intellectus in obsequium Christi*[5], ergo fides expedit actum ipsius potentiae intellectivae: est igitur in ipsa tanquam in subiecto.

Pro 2. parte.

Sed contra: 1. Tullius[6] definiens virtutem dicit, quod « virtus est habitus *voluntarius* »: ergo si fides est virtus, est habitus voluntarius; sed habitus voluntarius est in voluntate tanquam in subiecto: ergo et fides.

---

[1] Cap. 2. n. 5. In testimonio allato pro *assensione,* quod et in textu origin. habetur, edd. 1, 2 cum multis codd. *assertione.* Idem mendum in hac et seqq. distinctionibus pluries apud eosdem redit. In fine arg. pro *cognitiva* complures codd. *cognitivae.*

[2] Vers. 17. — Sententia Gregorii, quam etiam supplementum ad Sum. Alex. Hal., coll. 34. a. 1. affert, addito tamen *Deus* post *dat,* sumta videtur ex II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 3, ad quem locum etiam infra d. 24. dub. 2. in fine respicitur. Vide etiam XI. Moral. c. 9. n. 12, ubi sic legitur: Mutum est os omne... si ille [Deus] interius in corde non clamet, qui aspirat verba, quae audiuntur. Cfr. ibid. XXIX. c. 24. n. 49. Pro *Gregorius* edd. auctoritate nonnullorum codd. substituerunt *Glossa;* sed neque apud Strabum neque apud Lombardum neque apud Lyranum talis Glossa in loc. cit. invenitur. — Paulo inferius pro *ad partem animae cognitivam* [codd. T Z *cognitivae*] codd. G I L V aa *ad cognitionem animae.*

[3] Cfr. de his duab. proposit. II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3.

[4] Cfr. infra d. 31. a. 2. q. 1.

[5] Epist. II. Cor. 10, 5. — Respectu *maioris* dicit Aristot., II. Ethic. c. 3: Signum autem habituum sit vel voluptas, vel aegritudo [molestia], quae facta [opera] consequitur.

[6] Libr. V. de Finib. bonor. et malor. c. 13, ubi duo genera virtutum distinguit: « unum earum quae ingenerantur suapte natura appellanturque *non voluntariae,* alterum earum quae *in voluntate positae* magis proprio nomine *virtutes* appellari solent ». Cfr. II. Sent. d. 27. dub. 3, ubi aliae definitiones virtutis afferuntur, etiam illa Aristot., II. Ethic. c. 6: Virtus est habitus voluntarius [electivus] in medio consistens, recta ratione determinatus, prout sapiens determinabit.

2. Item, Augustinus de Moribus Ecclesiae [1], virtutem definiens dicit, quod «*virtus* non est aliud quam amor ordinatus»: ergo si omnis virtus est amor, essentialiter loquendo, omnis virtus est in ea potentia, cuius est amare; sed hoc est potentiae affectivae, non cognitivae: ergo omnis virtus est in potentia affectiva.

3. Item, Magister Hugo in libro de Sacramentis [2] dicit, quod «in affectu fidei substantia reperitur»; sed in ea potentia est virtus tanquam in subiecto proprio, in quo reperitur eius substantia: si ergo haec est potentia affectiva, videtur etc.

4. Item, in nulla potentia est virtus fidei, quae possit cogi, quia, sicut dicit Augustinus [3], «cum cetera possit homo nolens, credere non potest nisi volens»; sed potentia cognitiva potest cogi: ergo fides non potest esse in potentia cognitiva; et est in potentia cognitiva, vel affectiva: ergo etc.

5. Item, in illa potentia est virtus sicut in subiecto, quae est principium actus et operationis illi virtuti debitae [4]; sed nullus assentit veritati non visae, nisi quia vult: ergo si principium actus credendi habet ortum a voluntate, necesse est, fidem esse in ea tanquam in subiecto proprio. *Si tu dicas*, quod simul est in intellectu et affectu; *contra* hoc est, quia unus habitus simplex non potest esse in duabus potentiis; sed cognitiva et affectiva sunt diversae potentiae, sicut ostensum est supra in secundo libro [5]: ergo si fides est habitus unus, non potest esse simul et semel in illis potentiis duabus. Et *iterum*, per hoc non solvitur, quia adhuc restat quaestio, in qua illarum potentiarum sit *primo* et principaliter, quia quodcumque horum detur, videntur obviare rationes, quae sunt ad oppositam partem.

CONCLUSIO.

Fides, ut est virtus *et principium meriti, est in* libero arbitrio *ut subiecto; ut est* habitus, *respicit quodam modo intellectum* speculativum, *quodam vero modo intellectum* extensum *sive practicum, et ipsum* affectum *eiusque actum.*

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc diversi diversa senserunt.

Quidam enim dicere voluerunt, quod fides est in potentia cognitiva et in intellectu *speculativo*, secundum quod speculativus. — Et ratio eorum est ista, quia intellectus speculativus dicitur esse ille qui tendit in verum sub ratione veri [6]; fides autem facit intellectum credere articulos, non quia bonos, sed quia veros; ita enim quis credit damnationem malorum, sicut glorificationem bonorum. Et *iterum*, caritas et fides distinguuntur in obiecto quantum ad rationem motivi; et quoniam caritas tendit in Deum sub ratione *boni*, necesse est, quod fides tendat in Deum sub ratione *veri;* unde assentit summae Veritati, non quia *bonitas*, sed quia *veritas*. Quoniam igitur intellectus speculativus respicit verum sub ratione *veri;* hinc est, quod dixerunt, fidem esse in intellectu speculativo, in quantum est *speculativus*. — Nec obviant his verba philosophorum [7], quia ipsi de virtute fidei nihil intellexerunt. Opinio 1. Ratio.

Aliis autem aliter videtur esse dicendum, videlicet quod fides est in intellectu *practico*. Intellectus enim *practicus* dicitur esse intellectus *extensus*, secundum quod vult Philosophus [8], quod «intellectus speculativus extensione fit practicus». Contingit autem, intellectum extendi tripliciter: vel per coniunctionem sui cum *affectione*, a *qua inclinatur;* vel per coniunctionem sui cum *affectione, ad quam inclinat;* vel per coniunctionem sui cum *operatione, quam dirigit* et regulat. — Omnibus autem his modis contingit fidem poni in intellectu extenso sive practico secundum varios ipsius fidei status. Nam fides *simpliciter dicta*, sive sit informis sive formata [9], quae facit, hominem credere Deo in his quae non videt, est in ipso intellectu, in quantum *inclinatur ab ipsa voluntate;* non enim crederet, nisi vellet. — Fides autem *formata*, qua quis credit in Deum, est in ipso intellectu, in quantum *inclinat affectum*. Ad hoc enim, quod aliquis credat in Deum per fidem formatam, oportet, ut in ipsum amando tendat, secundum quod habetur in littera [10]. — Fides autem *perfecta*, de qua dicit Apostolus, quod est operans per dilectionem, illa quidem est in ipso intellectu, in quantum mediante affectu *dirigit opus*. Et sic patet, quod secundum istos fides est in intellectu *practico* sive extenso secundum diversos ipsius fidei status, sive intellectus practicus dicatur *communiter*, Opinio 2.

---

[1] Libr. I. c. 15. n. 25, ubi non quidem virtutem generatim sic definit, ut hic in Comment. asseritur, attamen docet, quatuor virtutes cardinales «ex ipsius amoris vario quodam affectu» dici. Melius fuisset lectorem delegare ad Civ. Dei, ubi XV. c. 22. S. Doctor sic dicit: Unde mihi videtur, quod definitio brevis et vera virtutis: ordo est amoris. — In fine arg. cod. K addit *non cognitiva*. [2] Libr. I. p. X. c. 3.

[3] In Ioan. Evang. tr. 26. n. 2: Intrare quisquam ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere Sacramentum potest nolens, credere non potest nisi volens. Cfr. supra pag. 217, nota 5.

[4] Vide supra pag. 388, nota 2.

[5] Dist. 24. p. I. a. 2. q. 1. — Paulo ante pro *habitus simplex* cod. bb *habitus simul*.

[6] Cfr. supra pag. 470, nota 8. — Superius pro *ratio eorum* cod. A *ratio eius;* paulo inferius pro *bonorum* Vat. cum aliquot codd. *beatorum*.

[7] Quippe qui virtutem in intellectu practico ponunt, ut in seqq. tangitur. — Subinde pro *de virtute fidei* edd. *de veritate fidei*.

[8] Libr. III. de Anima, text. 34. et 49. (c. 7. et 9.). Cfr. tom. II. pag. 558, nota 2. — Post pauca pro *a qua inclinatur* codd. A G (H I a prima manu) L T V aa bb perperam *ad quam inclinatur*.

[9] Cfr. infra a. 2. q. 1. seqq. — De differentia inter *credere Deo* et *credere in Deum* vide hic lit. Magistri, c. 4. et infra dub. 3. — Mox pro *in his* cod. F *de his*, et deinde codd. G I L aa cc voci *intellectu* addunt *practico*.

[10] Hic c. 4. — Verba Apostoli, quae hic respiciuntur, sunt illa Gal. 5, 6: Fides, quae per caritatem operatur.

sive *proprie*, sive *magis proprie*, secundum quod
Ratio. magis et magis habet extendi. — Ratio autem, quae movet istos hoc ponere, non solum est verbum Philosophi, qui dicit[1], quod *virtutes* sunt in intelligentia *practica*, sed etiam ipsa ratio recta, quae dicit, quod virtus non potest esse nisi habitus voluntarius, cum circa ipsam consistat laus et meritum; et ideo impossibile est, quod virtus fidei sit in intellectu, nisi in quantum intellectus iungitur affectui. Intellectus autem affectui iunctus et ipsi permixtus dicitur esse intellectus *extensus* vel intellectus *practicus;* et ideo dixerunt isti, fidem esse in *practico* intellectu.

Restat adhuc tertius modus dicendi, videlicet
Opinio 3. quod fides nec est omnino in potentia *cognitiva* nec omnino in potentia *affectiva*, sed quodam modo in *hac*, quodam modo in *illa*. Et hoc est quod dicit magister Hugo de sancto Victore in libro de Sacramentis[2]: «Duo, inquit, sunt, in quibus fides consistit, *cognitio* videlicet et *affectio*. In *affectu* quidem *substantia* fidei reperitur, in *cognitione* vero *materia*».
Ratio. — Ratio autem, quae movet ad hoc ponendum, est, quod actus *voluntatis* est *essentialis* ipsi fidei; nunquam enim esset virtuosum credere, nisi esset voluntarium. Unde et Augustinus dicit, quod «virtus non est aliud quam amor ordinatus». Si ergo fides est virtus, respicit actum voluntatis ut sibi essentialem: ergo et circa illam habet essentialiter consistere. *Rursus*, quia ipsi fidei *cognitio* essentialis est et illuminatio, per quam intellectus dirigitur[3] in summam Veritatem et ei subiicitur; ideo ipsa fides essentialiter respicit actum rationis. Et propterea dicunt illi, qui sunt huius positionis, fidem esse non tantum in *ratione*, sed etiam in *voluntate*, cum utrumque actum respiciat essentialiter. Quia vero actus rationis respectu actus voluntatis est *materialis*, cum ratio inclinetur a voluntate; ideo etiam dixerunt, quod in *ratione materia* fidei reperitur, in *affectione* vero *substantia*.

Omnes autem hi modi dicendi a magnis clericis sumserunt principium, et quilibet eorum habet
Conciliatio trium opinionum. satis rationabile fundamentum. Et si quis recte intelligat[4], inveniet, quemlibet eorum habere aliquid veritatis. Ut autem hoc planius fiat, ascendendum
Subiectum virtutis in genere. est altius ad videndum subiectum *virtutis in generali;* quod quidem intueri possumus satis plane, quibusdam praesuppositis. — *Virtus* enim est, secundum quam consistit laus et meritum, sicut *culpa*, secundum quam attenditur[5] vituperium et demeritum. *Virtus* etiam est habitus reddens potentiam facilem respectu alicuius actus. Si ergo virtus est principium laudis et meriti, necessarium est, eam poni in illa potentia animae, quae est principium *primum* operis laudabilis et meritorii. Nam si poneretur in potentia inferiori, tunc virtus potentiae naturalis imperaret virtuti gratuitae. Si ergo *liberum arbitrium* principium est meriti et demeriti[6], necesse est, omnem virtutem in libero arbitrio poni. *Rursus*, cum *habitus* sit in ea potentia, circa cuius actum explicat difficultatem, et *virtus* sit habitus; necesse est, eam reperiri in ea potentia sicut in subiecto, quam ad opus habilitat. Quoniam igitur quaedam virtutes explicant actus *rationalis*, quaedam actus *concupiscibilis*, quaedam actus *irascibilis;* ideo quasdam necesse est poni in *rationali*, quasdam in *concupiscibili*, quasdam in *irascibili*[7].

Quid sit virtus.

His praesuppositis, facile est videre, quod est[8] subiectum *fidei*. Si enim fides *virtus* est, circa quam consistit laus et meritum, necesse est, quod ipsa in *libero arbitrio* ponatur. *Rursus*, si fides *habitus* est, per quem intellectus captivatur *in obsequium Christi* et innititur primae Veritati propter se; et hoc modo dicitur intellectus quodam modo *speculativus:* necesse est, quod habitus fidei quodam modo sit in intellectu, secundum quod habet rationem *speculativi*. — Et quoniam intellectus non habilitatur ad assentiendum ipsi Veritati primae secundum suum iudicium, sed secundum voluntatis imperium; ideo fides non respicit intellectum tanquam *pure speculativum*, sed necessarium est, quod ipsa sit in ipso intellectu, secundum quod est quodam modo *extensus* et ab affectu *inclinatus*. — *Rursus*, quoniam ipsum *velle credere* est essentiale ipsi fidei, hinc est, quod habitus ille[9] non tantum respicit intellectum, ut *speculatur* summam Veritatem, nec etiam ut *inclinatur* ab affectu, sed etiam *ipsum affectum*.

Subiectum fidei. Conclusio 1.
Conclusio 2.
Conclusio 3.
Conclusio 4.

Ex his patet, quod non est repugnantia inter praedictas positiones, si quis recte intelligat, immo ex omnibus quasi colligitur una veritas integra: quoniam fides, ut *virtus* est et principium meriti, respicit *liberum arbitrium* ut subiectum; in quantum vero *habitus* est, quodam modo respicit intellectum *speculativum* et eius actum, qui est credere verum, quia verum[10]; quodam modo intellectum *extensum*

---

[1] Fusius II. Ethic. c. 1-7. et VI. c. 1-4. — Ibid. I. c. 12. seq. et II. c. 5. nec non III. c. 1. insinuatur etiam ratio, subinde allata et petita ex merito atque laude. — Superius pro *intellectus practicus* codd. I L V aa *intellectus extensus;* deinde plurimi codd. et edd. primo loco ponunt minus bene *proprie*, secundo loco *communiter*, refragantibus codd. A K, et paulo post pro *magis et magis* cod. A *magis et minus*. Aliquanto inferius pro *cum circa ipsam* codd. N O *cum circa ipsum*.

[2] Libr. I. p. X. c. 3.

[3] Codd. G I L V aa *quae dirigit intellectum*. Mox post *ideo* memorati codd. omittunt *ipsa fides*, et post *essentialiter* codd. A K Z subiiciunt *etiam*.

[4] Codd. A K *inspiciat*.

[5] Pro *attenditur* codd. G I L V aa *consistit*. Infra post *tunc virtus* codd. G I L (aa primitus) omittunt *potentiae*.

[6] Cfr. supra pag. 381, nota 1.

[7] Vide Aristot., I. Ethic. c. 13.

[8] Edd. et nonnulli codd. *quid est*, et mox pro *circa quam* codd. G I L V aa *secundum quam*.

[9] Codd. G I L V aa *habitus fidei*.

[10] Cod. F adiicit *dicit* (i. e. respicit). Vat. deinde sola sic prosequitur: *Quia vero est habitus operans per dilectionem et dirigens opus mediante affectu, respicit quodam modo intellectum* etc.

et eius actum, qui est credere *voluntarie* sive credendo tendere in Deum; quodam modo ipsum *affectum* et eius actum, qui est *velle assentire* ei, ad quod ratio ex se non potest attingere.

Obiicitur. *Si tu obiiceres*[1], quod ista non possunt simul stare, quia, cum fides sit habitus simplex, et unus habitus simplex sit in una potentia tanquam in subiecto, non videtur, quod possit omnes illas potentias tanquam unum subiectum respicere; ad hoc dicendum, quod nihil impedit dicere, unam et eandem *virtutem* esse simul in *libero arbitrio* et *ratione* et *voluntate:* quia, sicut in secundo libro[2] ostensum fuit, *liberum arbitrium* non dicit potentiam distinctam a ratione et voluntate secundum *rem* et *essentiam*, immo, secundum quod vult beatus Augustinus, *liberum arbitrium* complectitur tres potentias, scilicet irascibilem, concupiscibilem et rationalem. Et ideo nullum inconveniens est, quod unaquaeque virtus, quae reponitur *in unaquaque* illarum[3] potentiarum secundum quod *habitus*, in *libero arbitrio* reponatur secundum quod *virtus* et meriti principium. — Similiter nullum est inconveniens ponere, unum *habitum* esse in ratione et voluntate, ita quod unam illarum potentiarum respiciat quantum ad actum *materialem*, alteram quantum ad actum *formalem;* sicut patet, quod habitus *scientiae* quoad quid respicit *memoriam*, scilicet quoad retentionem speciei, et quoad quid[4] *intelligentiam*, scilicet quoad facilitatem conversionis; et tamen dicitur *unus habitus simplex*. Quamvis enim potentiae distinctae sint, nihilominus tamen continuari habent in uno subiecto, ratione cuius potest esse in eis unitas proprietatis, sicut *una sanitas* ponitur esse in multis membris corporis interius[5], et *una honestas* in multis exterius.

Resp. notanda de virtute.

Item de habito.

Ex his potest elici et haberi generaliter, quid sit subiectum *cuiuslibet virtutis*, et quid sit etiam subiectum *cuiuslibet vitii* sive peccati[6]. Potest etiam haberi determinatio propositae quaestionis, videlicet quid sit subiectum *fidei*. Nam licet in quantum virtus *meritoria* dicenda sit esse in *libero arbitrio*, in quantum tamen *habitus* reddens potentiam facilem ponenda est quodam modo in potentia *cognitiva*, sicut ostendunt rationes ad primam partem: quoniam ad fidem pertinet *cogitare*, ad fidem[7] pertinet *illuminare* et *rationem reformare* et *intellectum captivare*, ipsi etiam *fidei* succedit *videre;* quae omnia respiciunt *cognitionem*. Ideo rationes ad partem illam inductae sunt concedendae.

Epilogus.

Ad argg. pro 1. parte.

Nec eis obviant rationes ad oppositum: quoniam, licet fides respiciat actum potentiae *cognitivae*, non tamen ipsum respicit omnino *pure*, sed in quantum habet *affectionem concomitantem* et quodam modo *praesidentem*[8]. Et ideo etiam necesse est ponere, quod fides quodam modo sit in *affectione*, sicut dicit magister Hugo de sancto Victore; et hoc, quia est habitus *voluntarius* et *amor ordinatus*, et talis naturae est actus eius, quod ad ipsum nemo potest *cogi invitus*. Et ideo concedi possunt rationes, quae sunt ad partem sequentem.

Ad argg. pro 2. parte

Quod autem rationes sibi invicem non obvient, sed utraeque verum concludant, satis clare potest videre[9], si quis potest capere, quod ad *esse* fidei virtutis concurrit actus *rationis* simul et *voluntatis*, quod bene innuit Apostolus[10] in ipsa notificatione fidei, cum dicit, fidem esse *substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium*, tangens quod est in ea *cognitionis*, et quod est *affectionis*. Nunquam enim fides esset *virtus*, quantumcumque intellectum illuminaret, nisi etiam voluntatem quodam modo rectificaret[11]; sicut patet in dono *prophetiae:* quia illuminat intellectum ad eadem, ad quae illuminat fides, et tamen non ponitur esse *virtus*, quoniam in illa illuminatione non cooperatur *voluntas*, secundum quod cooperatur in fidei assensu et actu. — Ex his patere possunt ea quae obiecta sunt et consimilia, quae circa hoc obiici possunt.

Non sibi obviant argg.

Prophetia non est virtus.

SCHOLION.

I. S. Thom. (de Verit. q. 14. a. 4.) arguit contra eos qui docebant, vel fidem esse in voluntate et intellectu simul et *ex aequo*, vel in *voluntate principaliter* (ut Hugo), vel in *intellectu practico;* econtra asserit, quod eadem « est in *intellectu speculativo*, quamvis sit ut occasio remota aliquid operandi; unde sibi non attribuitur operatio nisi mediante dilectione. Sciendum tamen, quod non est in intellectu speculativo *absolute*, sed secundum quod *subditur imperio voluntatis* ». Eandem sententiam

---

[1] Codd. F G L P Q V Z aa *obiicias*, cod. I *obiicis*. Paulo inferius pro *dicendum*, cui verbo codd. H N P Q T U addunt *est*, cod. A *dicimus*.

[2] Dist. 25. p. I. q. 2. seqq. — Ibid. q. 3. fundam. I: Cum de libero arbitrio loquimur, non de parte animae loquimur, sed de tota (ex III. Hypognost. [inter opera August.] c. 5.).

[3] Edd. *in una istarum*.

[4] Codd. G I L V Z aa hic repetunt *respicit*. Mox post *dicitur* codd. A K N inserunt *esse*.

[5] Hoc exemplum invenitur etiam in August. Epist. 187. (alias 57.) c. 4. n. 13. Vide tom. I. pag. 171, nota 10; II. Sent. d. 26. q. 5. et d. 27. a. 1. q. 2. idem dicitur de *gratia*. — Pro *unitas proprietatis* codd. A Z *veritas proprietatis*, et deinde pro *ponitur esse* codd. G I L V Z aa *potest esse*.

[6] In hac nec non in seq. propositione fere omnes codd. pro *quid sit* minus recte exhibent *quod sit*.

[7] Pro *ad fidem* edd. *ad fidei proprietates;* in pluribus codd. desunt verba *cogitare, ad fidem pertinet*. Subinde pro *reformare* codd. G I L V aa *informare*.

[8] Vocabulum *praesidentem* restituimus e codd. A K M N O U Z bb; eius loco codd. F L T Y aa et edd. 1, 2 habent *possidentem*, alii codd. *possibilitatem*, Vat. *post sequentem;* in codd. G V legitur *affectionem concordantem et possidentem*.

[9] Cod. V *patet* pro *potest videre*.

[10] Hebr. 11, 1. Cfr. infra q. 5.

[11] Codd. T bb *regularet*, codd. I L V aa *recuperaret*. Post pauca pro *quia illuminat* codd. A K U Z *quod illuminat*.

tenet hic q. 2. a. 3, et S. I. II. q. 56. a. 3, et consentit Guilelm. Antissiod. (Sum. p. III. tr. 3. c. 1. q. 2.). Quod autem fides sit in *intellectu practico*, tenet B. Albert. (hic a. 6. quaestiunc. 2.), Petr. a Tar. (hic q. 3. a. 3. quaestiunc. 2.) et favet etiam Richard. a Med., hic a. 6. q. 2. Sed Alex. Hal. (S. p. III. q. 68. m. 3.) vult, fidem *materialiter* consideratam esse in intellectu *speculativo*, sed *formaliter* consideratam in intellectu *practico*. — S. Bonav. hic pro more suo sapienter tres sententias in concordiam redigere conatur. Ut autem eius doctrina recte intelligatur, respiciendum est ad ipsius modum loquendi de libero arbitrio, qui aliquatenus recedit a via S. Thomae, ut dictum est II. Sent. d. 25. p. I. q. 2. in scholio. Insuper notandum, quod S. Thom. intellectum practicum in sensu arctiore accipit ac S. Bonav. aliique. Dicit enim (de Verit. loc. cit.): « Sola *extensio ad opus* facit, aliquem intellectum esse *practicum*. Relatio autem ad *affectionem* vel antecedentem, vel consequentem non trahit ipsum extra genus *speculativi* intellectus ». — Sententia autem S. Bonaventurae (loquendo de ipsa fide *in se* considerata) a discipulo eiusdem, Fr. Matthaeo de Aquasparta (in anecdota quaest. disputata de fide), sic exponitur: « Fides est in intellectu *formaliter*, sed in voluntate *causaliter*; in intellectu sicut in *subiecto*, in voluntate sicut in *causa*; in intellectu sicut in potentia, a qua eius actus *elicitur*, sed in voluntate tanquam in potentia, a qua eius actus *imperatur* ». — Bene notanda sunt verba (in corp.), quod habitus fidei non tantum respicit intellectum, « ut inclinatur ab affectu, sed etiam *ipsum affectum* », quia includit actum obedientiae, plenum intellectus et voluntatis obsequium Deo libere praestantis. — Verba autem (circa finem corp., secundum lectionem a nobis reformatam): habet affectionem concomitantem et quodam modo *praesidentem*, approbantur a S. Thoma (S. c. Gent. III. c. 40.): « In cognitione fidei *principalitatem habet voluntas*; intellectus enim assentit per fidem his quae sibi proponuntur, *quia vult*, non autem ex ipsa veritatis evidentia necessario tractus ».

II. Praeter locos citatos: Alex. Hal. loc. cit. m. 8. a. 1. — Durand., hic q. 8. — Dionys. Carth., hic q. 2. — Hoc loco iuvat notare, quod eadem quaestio tractatur etiam in *Supplemento* ad Summam Alexandri Hal., de quo famoso libro diffuse egimus in I. tom. Prolegomena pag. LIX-LXII. Ibi enim (collatio 34. a. 1.) primo loco verbotenus referuntur fere omnia, quae habentur in Summa Alexandri loc. cit. m. 8. a. 1. Deinde sequitur: « Ad maiorem declarationem adhuc obiicitur sic » etc.; et tunc transcribuntur argg. a S. Bonav. hic posita, uno alterove omisso, et deinde etiam tota responsio usque ad verba: Ut autem hoc planius fiat etc. (ubi in corp. conciliantur opiniones). Omittens quae sequuntur, compilator sic concludit: « Et forte in hoc conveniunt omnes, quod fides non est in intellectu antecedenter se habente ad voluntatem, sed consequenter, sicut tactum est supra in illo problemate, utrum fides sit virtus ».

QUAESTIO III.

Utrum fides sit virtus una.

Tertio quaeritur, utrum fides sit virtus una. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Ad Ephesios quarto[1] dicitur: *Unus Deus, una fides, et unum baptisma;* sed baptisma unitatem habet secundum speciem, quod quidem est Sacramentum fidei: ergo videtur multo fortius, quod et ipsa fides.

2. Item, primae ad Corinthios decimo tertio[2]: *Nunc manent fides, spes, caritas, tria haec;* sed spes et caritas habent unitatem secundum speciem: ergo et fides.

3. Item, fides nulli assentit nisi propter summam Veritatem; et summa Veritas tantum una est: ergo ratio credendi est una. Sed habitus diversificatur secundum formam et speciem a parte rationis *motivae et inclinativae*[3]: si ergo ratio credendi est una, necesse est, virtutem fidei, qua creditur, unam esse specie.

4. Item, qui credit Deo, non iudicatur esse fidelis, nisi credat in omnibus articulis; sed fides-virtus facit unumquemque esse fidelem: ergo non est vera fides-virtus, nisi per ipsam omnia credibilia credantur et in unum colligantur. Sed non colligerentur in unum per fidem, nisi fides esset virtus una[4]: ergo necesse est, quod fides una sit respectu omnium credibilium.

5. Item, non est alia obedientia secundum speciem, qua obedio Deo in mandatis primae tabulae et in mandatis secundae, licet mandata primae tabulae ordinent ad Deum, mandata vero secundae ordinent ad proximum[5]: ergo pari ratione, non erit alia fides, qua assentitur primae Veritati in articulis respicientibus Divinitatem et in articulis respicientibus humanitatem. Et non est dare aliud, secundum quod fides plurificetur et diversificetur: ergo necesse est, fidei virtutem esse unam secundum speciem.

Ad oppositum. Sed contra: 1. « Habitus diversificantur per actus, et actus per obiecta[6] »; sed obiectum fidei non solum est verum increatum, utpote quod Deus sit trinus et unus, sed etiam verum creatum, utpote quod Christus sit natus et passus: si ergo creatum et increatum nihil habent commune, immo differunt essentialiter et formaliter; necesse est ponere, quod fides, qua credimus Divinitatem, et fides, qua credimus humanitatem, sit alia et alia secundum speciem.

2. Item, sicut *voluntas* se habet ad volita, et *scientia* ad scibilia, sic se habet *fides* ad credibilia; sed voluntates diversificantur et numerantur secundum diversitatem volitorum, similiter *scientiae* secundum diversitatem scibilium[7]: videtur ergo ratione consimili, quod *fides* diversificari habeat se-

---

[1] Vers. 5. Cfr. hic lit. Magistri, c. 6. — In *minori* pro *quod quidem* codd. A K U *quae quidem*.

[2] Vers. 13. — De *minori* cfr. infra d. 26. a. 1. q. 2. et d. 27. a. 1. q. 2.

[3] Ita bene cod. N; in aliis et edd. *intellectivae*. Cfr. Aristot., VI. Ethic. c. 3. seqq., et supra d. 14. a. 2. q. 1. in corp.

[4] Nam multitudo non reducitur ad unitatem nisi per unum. Cfr. tom. II. pag. 26, nota 11. in fine, et pag. 355, nota 3. — Proxime ante pro *per fidem* edd. cum pluribus codd. *perfecte*.

[5] Cfr. infra d. 37. a. 1. et 2. — Superius pro *qua* [codd. G I L aa *secundum quam*] *obedio* edd. *qua obeditur*.

[6] Vide supra pag. 470, nota 8. — De *minori* cfr. infra d. 24. a. 1. q. 2.

[7] Aristot., III. de Anima, text. 38. (c. 8.): « Secatur igitur

cundum diversitatem credibilium; et sic redit idem quod prius.

3. Item, donum *sapientiae* et *scientiae* sunt diversa dona, et hoc non ob aliud, nisi quia unum est de aeternis, et aliud est de temporalibus[1]: si ergo *fides* est de istis et de illis, videtur, quod et ipsa habeat formaliter diversificari.

4. Item, *timor* et *spes* sunt affectiones formaliter differentes, et hoc, quia *timor* est de futuris malis, *spes* autem de futuris bonis[2]; sed *fides* non tantum est de futuris bonis, utpote de gloria aeterna, sed etiam de futuris malis, utpote de supplicio aeterno: ergo videtur, quod *fides* de his et de illis habeat formaliter diversificari.

5. Item, nulla virtus habet plenam rationem virtutis, nisi eam concomitetur recta intentio respectu finis; sed « fides est, quae dirigit intentionem[3] »: ergo necesse est, quod fides omnes virtutes circumeat quantum ad earum fines: ergo si virtus, quae omnes virtutes circuit, non est virtus specialis, sed virtus generalis ad omnes; videtur ex hoc posse colligi, fidem non esse virtutem unam secundum speciem.

CONCLUSIO.

Fides, sive sit in eodem, sive in diversis, est una virtus secundum speciem, quamvis in diversis diversificetur secundum numerum.

Respondeo: Dicendum, quod fides, sive in eo- Conclusio. dem, sive in diversis, una est secundum *speciem*, pro eo quod non dividitur in species[4], quamvis in diversis diversificetur secundum numerum. — Et hu- Ratio. ius ratio est, quoniam unitas virtutis attenditur secundum unitatem *actus principalis*; unitas autem *actus principalis* attenditur secundum unitatem *obiecti primi*; et quoniam *obiectum primum* fidei unum est: hinc est, quod necesse est, virtutem fidei esse Exemplum. unam. — Hoc autem planius fit per exemplum in consimili. Sicut enim videmus in habitu videndi, quod virtus visiva habet obiectum *per accidens*, sicut dicimur videre equum et hominem; habet etiam obiectum *per se*, sicut dicimur videre album et nigrum; habet etiam obiectum non solum *per se*, sed etiam *primo*, sicut dicimur videre lucidum[5] — et quamvis obiectum *per accidens* sive obiectum *materiale* ipsius visus diversificetur in specie, sicut equus differt specie ab homine, et etiam obiectum *per se* specie differat, sicut album specie differt a nigro; non tamen *habitus* videndi secundum speciem diversificatur, quia ratio obiecti primi, videlicet ipsa ratio luminositatis, una est in omni visibili — sic et in proposito intelligendum est, quod licet fides habeat multa obiecta *per accidens*, sicut omnia quae consequuntur ad articulos, multa etiam obiecta *per se*, sicut[6] ipsos articulos plures et distinctos; quia tamen una est *ratio credendi* in omnibus, videlicet ipsa summa Veritas, cui ipsa fides innititur propter se et super omnia: ideo ipsa fides est specie una, quantacumque reperiatur in credibilibus[7] differentia. — Et est simile: si ego crederem alicui Simile. homini veraci, quia verax est, eadem credulitate, qua crederem, ipsum esse veracem, crederem, omnia esse vera, quae dicit, quantumcumque[8] de diversis materiis loqueretur. Per hunc modum in proposito intelligendum est. — Et idcirco concedendae sunt rationes ostendentes, fidem habere unitatem secundum speciem.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur, quod Solutio oppositorum. actus diversificantur per obiecta; iam patet responsio, quoniam hoc non intelligitur de quocumque obiecto, Notandum. sed de obiecto, quod est obiectum *per se* et *primo*, quod quidem non tantum habet rationem *materialis*, sed etiam rationem *activi et motivi*; hoc autem modo non est obiectum fidei, nisi ipsa Veritas summa, sicut infra[9] melius patebit, cum de obiecto fidei inquiretur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod sic se habet fides ad credibilia, sicut voluntas ad volita, et scientia ad scibilia; dicendum, quod non est simile, quo- Notandum. niam *scientia* in diversis scibilibus diversas intuetur rationes et diversa media, per quae illa cognoscit[10]; similiter *voluntas* in diversis volitis diversa intuetur appetibilia, propter quae illa appetit. Ideo tam *voluntas* quam *scientia* diversificatur penes illa quae appetit et cognoscit. *Fides* autem unicam intuetur rationem, secundum quam omnia credibilia

---

scientia et sensus in res » (pro quo in versione Arabico-Latina sic legitur: Dicamus igitur, quod *scire* et *sentire* dividuntur secundum divisionem entium). De diversitate voluntatis vide supra pag. 368, nota 1. — Vat., pro *sed voluntates* posito *sed scientiae*, omittit deinde *volitorum, similiter scientiae secundum diversitatem.*

[1] Vide infra lit. Magistri, d. XXXV. c. 1. seqq., et Comment. ibid. q. 1. seq.

[2] Cfr. infra d. 26. dub. 2. et d. 34. p. II. dub. 1.

[3] Ut dicit August., supra pag. 471, nota 8. allegatus. — Codd. G I (L a prima manu) V voci *intentionem* praefigunt *rectam.*

[4] Codd. G I L V aa *non diversificatur secundum species.* Cfr. hic lit. Magistri, c. 6.

[5] De hoc triplici obiecto vide Aristot., II. de Anima, text. 63. seqq. (c. 6.) nec non de Sensu et sens. c. 2. seqq. — Superius pro *in habitu videndi* codd. A K Q Z *in actu videndi.*

[6] Non pauci codd. nec non edd. post *sicut* adiiciunt *etiam*, quod recte omittunt codd. II bb et etiam codd. G I L V aa, qui insuper omittunt *ipsos.*

[7] Pro *credibilibus*, quod auctoritate codd. A C D M O W Z posuimus, alii codd. *credentibus*, edd. *credendis.*

[8] Codd. L aa *quandocumque*, et paulo inferius pro *idcirco* cum codd. G I V *ideo.*

[9] Dist. 24. a. 1. q. 2.

[10] Cfr. Aristot., IV. Metaph. text. 1. seqq. et XI. c. 1. (III. c. 1. seq. et X. c. 1.). — Pro *diversis scibilibus* Vat. *diversis speciebus scibilibus.* Paulo inferius pro *propter quae* edd. cum nonnullis codd. *per quae.* Subinde pro *unicam* cod. U *magis.*

credit. Et ideo propter diversitatem credibilium non habet diversificari.

3. Ad illud quod obiicitur, quod donum sapientiae et scientiae diversificatur; dicendum, quod non est simile: quia *sapientia* negotiatur circa aeterna secundum rationes aeternas, et *scientia* circa temporalia secundum rationes temporales; et ideo diversificantur, quia negotiantur secundum rationes alias et alias. Fides autem non sic, immo tam circa creata quam circa increata versatur secundum dictamen Veritatis aeternae; et ideo non sic habet diversificari.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod timor et spes diversificantur, quia sunt de bonis et malis; dicendum, quod non est simile: quia *timor* respicit malum, secundum quod malum, et *spes* bonum, secundum quod bonum, et ita secundum rationes diversas. *Fides* autem bona et mala non considerat, nisi in quantum cadunt sub dictamine[1] Veritatis, et ita sub ratione una. Ita enim credit, malos puniri, sicut bonos praemiari; ita enim est verum unum, sicut et reliquum, et ita dictat Veritas unum, sicut alterum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod fides dirigit omnes virtutes; dicendum, quod ex hoc non sequitur, quod fides sit virtus *generalis*, pro eo quod contingit, virtutes se ipsas circumincedere, et obiectum unius virtutis bene potest esse *materiale* alterius virtutis, et tamen ab invicem distinctae sunt, quia distinguuntur penes obiecta *propria*, quae non tantum habent *rationem materialis*, verum etiam rationem *motivi*. Obiectum enim *materiale* nec facit convenientiam in specie nec differentiam. — Et propter hoc non sequitur, quod fides sit communis aliis virtutibus, quia respicit earum[2] obiecta et fines. Respicit enim illa solummodo per modum *materiae*, circa quam versatur; obiectum tamen *proprium* et *primum* habet distinctum ab aliis virtutibus, secundum cuius obiecti unitatem est ponere, fidem esse unam secundum speciem, sicut in praecedentibus ostensum est.

Notandum de virtutibus in genere.

De fide.

SCHOLION.

I. Quaestio haec ab aliis etiam sic proponitur: utrum fides sit *una* virtus, *specialis*, vel *generalis*. Distinguitur enim triplex unitas: *numerica*, *specifica*, *generica* (cfr. 5. arg. ad oppos.). Quoad *numericam* unitatem patet, quod fidei habitus pluificetur secundum numerum subiectorum credentium. Restat igitur dubium, utrum fides (sicut diversae scientiae) habeat tantum unitatem *genericam*, an potius *specificam*. Haec autem, ut omnes docent, dependet non ab eius obiecto *materiali*, sed a *formali*. — In scholis nunc passim distinguitur obiectum *formale quod* et obiectum *formale quo*. Obiectum *formale quod* est illud, de quo agitur *primo* et *per se* et de aliis, ut *ordinantur* ad illud; quod vocatur hic in corp. *obiectum primum*. Obiectum *formale quo* est ratio formalis motiva, *sub qua* sive *qua mediante* attinguntur obiectum *formale quod* et omnia obiecta *materialia*, sive, ut auctor dicit (ad 1.), quod « habet rationem activi et motivi ». — Tamen est notandum, quod in fide divina idem *re* est obiectum *formale quod*, scilicet prima Veritas *obiectiva*, quae primo et per se cognoscitur (unde etiam dici potest *primum et principale* obiectum *materiale*); et obiectum *formale quo*, scilicet prima Veritas *formalis*, sive ratio motiva, propter quam intellectus tendit in obiectum (cfr. de hoc infra d. 24. a. 1. q. 2.). Hinc vulgo obiectum *formale quo* etiam vocatur obiectum *formale quod*, sive potius utrumque hoc uno vocabulo significatur. — Observandum etiam, quod usus loquendi et modus dividendi fidei obiectum in diversis auctoribus minime est conveniens et constans; unde saepe eorum positiones magis apparenter quam realiter sunt diversae. Circa ipsam conclusionem nulla est opinionum diversitas.

II. Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 4. — Scot., III. Sent. d. 25. q. 2. — S. Thom., hic q. 3. a. 4. quaestiunc. 2; S. III. q. 4. a. 6. — B. Albert., hic a. 12. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 4. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO IV.

Utrum fides sit certior quam scientia.

Quarto quaeritur, utrum fides sit certior quam scientia. Et quod sic, videtur.

1. Augustinus[3]: « Nihil est certius homini sua fide »: ergo videtur, quod fides maiorem, vel saltem aequalem certitudinem habeat quam scientia.

Argg. pro parte affirmativa.

2. Item, Philosophus[4]: « Virtus est certior omni arte »; sed fides ponitur in genere virtutis, scientia autem et ars sunt eiusdem generis: ergo maior est certitudo in fide, quam sit in habitu scientiae.

3. Item, certius cognoscitur quod cognoscitur in lumine Veritatis primae, quam quod cognoscitur in lumine veritatis creatae[5]; sed quod cognoscitur fide cognoscitur in lumine Veritatis primae, quod autem scientia, cognoscitur in lumine veritatis crea-

---

[1] Pro *dictamine* codd. G I (L a prima manu) V *ratione*. Post pauca pro *bonos* edd. cum aliquot codd. *beatos* et subinde *ita etiam* pro *ita enim*; denique pro *dictat* cod. Z *indicat*.

[2] Pro *earum* cod. Q *eadem*.

[3] Libr. XIII. de Trin. c. 1. n. 3, sententialiter; cfr. hic lit. Magistri, c. 7.

[4] Libr. II. Ethic. c. 6. De *scientia* et *arte* cfr. ibid. VI. c. 4. et 6.

[5] Aristot., I. Poster. c. 20. (c. 24.): Scientia, « quae magis ex principio, ea quae minus est, certior est ». Et I. Metaph. c. 2: Scientiarum autem illae certiores sunt, quae maxime *primorum* sunt.

tae cognoscitur: ergo maior est certitudo fidei quam scientiae.

4. Item, certius est illud, in quo non cadit error, quam circa quod contingit errare [1]; sed fidei non permiscetur error, cognitioni autem philosophorum multi errores permiscentur: ergo maior est certitudo fidei, quam sit certitudo alicuius scientiae philosophicae.

5. Item, certior scientia certius habet fundamentum; sed quanto aliqua scientia nobilior et perfectior est, tanto certior est; sed scientia theologiae est omnino scientia altissima et nobilissima [2]: ergo certissima. Si ergo fides est fundamentum totius scientiae theologicae, necesse est, ipsam esse certissimam: est igitur in ea maior certitudo quam in aliqua alia scientia.

Pro parte negativa.

Sed contra: 1. Hugo de sancto Victore [3]: «Fides est certitudo quaedam animi de rebus absentibus, supra opinionem et infra scientiam constituta»: ergo minor est certitudo in ipsa fide quam in habitu scientiae.

2. Item, certius cognoscitur id, de quo non potest dubitari, quam id de quo potest dubitari; sed quod quis cognoscit scientiali cognitione, sic novit, quod de eo dubitare non potest [4]; qui autem novit aliquid cognitione fidei, potest de eo dubitare, sicut patet: ergo maior est certitudo scientiae quam fidei.

3. Item, certius cognoscitur quod cognoscitur aperta visione, quam quod cognoscitur sola credulitate; sed per scientiam cognoscitur aliquid aperta visione, per fidem sola credulitate: ergo certior est scientia quam fides.

4. Item, quanto aliquid cognoscitur clarius, tanto cognoscitur certius; sed fides cognoscit *per speculum in aenigmate*, scientia autem *revelata facie* [5]: ergo maior est certitudo, quam habet scientia, quam illa, quam habet fides.

5. Item, certius cognoscitur quod potest probari, quam quod non potest probari; sed quod quis cognoscit habitu scientiae potest probare alii quantumcumque adversanti et eum convincere necessario, ita quod non potest contradicere [6]; non sic autem est de fide: ergo fides non habet tantam certitudinem, quantam habet habitus scientiae.

CONCLUSIO.

Certitudo fidei superatur a scientia, quae est visio Dei aperta, superat vero scientiam, quae est cognitio credibilium secundum statum viae, et interdum etiam scientiam *aliorum cognoscibilium quoad certitudinem* adhaesionis, *non vero* speculationis.

Respondeo: Dicendum, quod cum comparamus certitudinem fidei ad certitudinem scientiae, potest intelligi dupliciter. Nam uno modo *scientia* potest dici aperta et certa visio Dei in patria; et hoc modo non est quaestio nec dubium, quin *scientia* isto modo [7] praecellat in certitudine ipsam fidem, sicut gloria praecellit gratiam, et status patriae statum viae. — Alio modo dicitur *scientia* cognitio, quam quis habet in via; et ista potest esse dupliciter: aut respectu illorum, respectu quorum est *fides;* aut respectu *aliorum cognoscibilium*. Si respectu illorum, respectu quorum est *fides*, sic, simpliciter loquendo, certior est fides quam scientia. Unde si aliquis philosophorum cognovit aliquem articulorum ratiocinando, utpote Deum esse creatorem, vel Deum esse remuneratorem; nunquam ita certitudinaliter cognovit per suam scientiam, sicut cognoscit verus fidelis per suam fidem.

Distinctio. Scientia gloriae. Conclusio 1. Subdistinctio. Conclusio 2.

Si autem loquamur de scientia, secundum quod est cognitio *aliorum cognoscibilium*, sic quodam modo certior est fides quam scientia, et quodam modo e contrario. Est enim certitudo *speculationis*, et est certitudo *adhaesionis;* et prima quidem respicit *intellectum* [8], secunda vero respicit ipsum *affectum*. — Si loquamur de certitudine *adhaesionis*, sic maior est certitudo in ipsa fide, quam sit in habitu scientiae, pro eo quod vera fides magis facit adhaerere ipsum credentem veritati creditae, quam aliqua scientia alicui rei scitae. Videmus enim, veros fideles nec per argumenta nec per tormenta nec per blandimenta inclinari posse, ut veritatem, quam credunt, saltem oretenus negent; quod nemo sciens sanae mentis faceret pro aliquo, quod cognoscit, nisi in quantum doctrina fidei dictat, non esse mentiendum. Stultus enim [9] esset geometra, qui pro

Duplex certitudo. Conclusio 3.

---

[1] Aristot., IV. Metaph. text. 8. (III. c. 3.), proprietates primi philosophiae principii recensens ait: Omnium autem certissimum principium est, circa quod impossibile est mentiri. — De *minori* cfr. infra d. 24. a. 1. q. 1.

[2] Quia theologia, ut S. Bonav. in fine prooemii Brevil. ait, tanquam scientia et doctrina omnia resolvit in Deum, tanquam in principium primum et summum. — August., Enchirid. c. 5: Certum vero propriumque fidei catholicae fundamentum Christus est. *Fundamentum enim aliud*, ait Apostolus (I. Cor. 3, 11.) *nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* — De nobilitate scientiarum cfr. Aristot., I. Metaph. c. 2. et III. text. 3. (II. c. 2.). — In fine arg. codd. partim omittunt *aliqua*, partim *alia*.

[3] Libr. I. de Sacram. p. X. c. 2.

[4] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 26. (c. 33.).

[5] Respicitur illud I. Cor. 13, 12: Videmus nunc per speculum in aenigmate etc., et illud II. 3, 18: Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes etc. — Pro *cognoscit* multi codd. falso *cognoscitur*, nisi pro *fides* substituatur *fide*.

[6] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 2. et 6. seqq.

[7] Verba *isto modo* absunt a codd. G I L V aa.

[8] Godd. G I L V aa *ipsum intellectum*. Mox ante *affectum* dicti codd., excepto cod. aa, omittunt *ipsum* et paulo post pro *quam sit in habitu scientiae* substituunt *quam in ipsa scientia*.

[9] Pro *enim* (sic codd. A K P Q) alii codd. nec non edd. *etiam*. Non ita multo post pro *philosophicam* quod habent codd. L Z aa bb (alii codd. dubiae sunt lectionis), edd. *physicam*. Mox post *ignorare* Vat. subiungit *vel negare*.

quacumque certa conclusione geometriae auderet subire mortem. Unde verus fidelis, etiam si sciret totam scientiam philosophicam, mallet totam illam scientiam perdere, quam unum solum articulum ignorare; adeo adhaeret veritati creditae. De certitudine igitur *adhaesionis* verum est, fidem esse certiorem scientia philosophica, et haec certitudo respicit veritatem et doctrinam *secundum pietatem*[1]; et de hac certitudine concludunt rationes ad primam partem inductae.

Si autem loquamur de certitudine *speculationis*, quae quidem respicit ipsum intellectum et nudam
Conclusio 4. veritatem; sic concedi potest, quod maior est certitudo in aliqua scientia quam in fide, pro eo quod aliquis potest aliquid per scientiam ita certitudinaliter nosse, quod nullo modo potest de eo dubitare nec aliquo modo discredere nec in corde suo ullo modo contradicere, sicut patet in cognitione dignitatum[2] et primorum principiorum. Et hoc modo procedunt rationes ad partem sequentem, sicut pertractanti patet. — Et per hoc patet responsio ad
Ad argg. quaestionem propositam; patet etiam responsio ad obiecta. Procedunt enim secundum diversas vias. Nam rationes ad primam partem adductae concludunt de certitudine *adhaesionis;* rationes vero ad oppositum de certitudine *speculationis*. Verumtamen rationes ad primam partem adductae videntur concludere de certitudine *speculationis*, quod[3] illa certitudine sit fides certior scientia, quod falsum est. Ideo tentandum est eas dissolvere.

Solutio ad argg. pro parte affirmativa. 1. Ad illud verbum Augustini, quo dicitur, quod nihil est homini certius sua fide; dici potest, quod nihil facit ad propositum, quia non loquitur de certitudine, quam quis habet *per fidem*, sed quam quis habet *de fide*, quam habet in mente; et illa est certitudo scientiae, scit enim homo fidelis, se habere fidem[4].

2. Ad illud Philosophi, quod virtus est certior omni arte; dicendum, quod ipse loquitur de *virtute* et *arte*, secundum quod comparantur ad *idem*. Multo enim melius scit aliquis invenire medium et obiectum per habitum *virtutis* quam per habitum *purae cognitionis*. Non est autem generaliter intelligendum, quod *virtus* sit certior circa proprium obiectum, quam aliqua *scientia* circa suum[5].

3. Ad illud quod obiicitur, quod certius videtur quod videtur in lumine Veritatis increatae, quam quod videtur in lumine veritatis creatae; dicendum, Notandum. quod illud verum est, quando lumen Veritatis increatae irradiat *plene*, sicut erit in patria. Quando autem *semiplene* irradiat, non est necesse, quod habeat veritatem; sicut patet, quia certius potest homo videre ad lumen candelae quam ad lumen solis, ubi sol non plene irradiat; sic et in proposito intelligendum est. Licet enim fiat irradiatio mediante fide ab ipsa Veritate aeterna, non tamen est irradiato *plena*, quoniam[6] manet *speculum* et *aenigma*.

4. Ad illud quod obiicitur, quod certior est cognitio, cui non permiscetur error; dicendum, quod verum est; sed sicut *fidei* non permiscetur error, ita etiam nec *scientiae*, in quantum scientia, sed hoc est solum ex defectu a parte cognoscentis. Sic etiam contingit in ipsa fide a parte credentis, sicut patet in fideli[7], qui propter distorsionem intellectus a cognitione fidei labitur in haeresim, dum credulitati verae intermiscet se credulitas falsa. Unde ex hoc non potest concludi, quod fides sit certior quam scientia. Istud tamen verum est, quod doctrina fidei Notandum. magis veraciter est tradita, quam aliqua scientia philosophica, quia Spiritus sanctus et ipse Christus, qui docuerunt veritatem fidei et sacrae Scripturae, in nullo falsum dixerunt nec in aliquo possunt reprehendi; quod de nullo philosopho arbitror vere posse dici in traditione alicuius doctrinae, immo inveniuntur veris multa falsa permiscuisse.

5. Ad illud quod obiicitur, quod quanto scientia nobilior est, tanto certior; dicendum, quod illud non habet veritatem. Nam, sicut dicit Philosophus[8],

---

[1] Epist. ad Tit. 1, 1: Et agnitionem veritatis, quae secundum pietatem est.

[2] Graece ἀξίωμα. Cfr. Aristot., I. Poster. c. 2, quem locum B. Albert., tr. 1. c. 4, exponens ait: Illam enim propositionem immediati principii, quam necesse est habere apud se per naturalem habitum eum qui est docendus, et non accipit eam per doctrinam, dicimus *dignitatem* vel *maximam* propositionem, quae, ut dicit Boethius [in libr. de Hebdom.], communis animi conceptio est, quam scilicet cognitis terminis quilibet probat auditam. Haec autem *dignitas* vocatur, quia omnibus dignior est, eo quod omnibus influit cognitionem et veritatem; *maxima* dicitur, eo quod virtute influentiae lucis et veritatis omnia excedit immediata principia etc. Cfr. III. Metaph. text. 4. (II. c. 2.).

[3] Multi codd. et edd. 1, 2 *quia*, cod. K *et*.

[4] Cfr. hic lit. Magistri, c. 3. et infra dub. 4.

[5] S. Thom., in II. Ethic. c. 6. (lect. 6.) ait: Unde et boni artifices... operantur respicientes ad medium. Sed virtus est *certior* omni arte et etiam *melior*, sicut et natura. Virtus enim moralis agit inclinando determinate ad unum, sicut et natura. Nam consuetudo in naturam vertitur. Operatio autem artis est secundum rationem, quae se habet ad diversa. Unde *certior* est virtus quam ars, sicut et natura. Similiter etiam virtus est *melior* quam ars, quia per artem est homo potens facere bonum opus, non tamen ex arte est ei, quod faciat bonum opus; potest enim pravum opus agere, quia ars non inclinat ad bonum usum artis, sicut grammaticus potest incongrue loqui. Sed per virtutem aliquis non solum *potest* bene operari, sed etiam *est* bene *operans;* quia virtus inclinat ad bonam operationem, sicut et natura; ars autem sola facit cognitionem solam bonae operationis. Unde relinquitur *a minori*, quod virtus, quae est melior arte, sit conjectatrix medii.

[6] Codd. M O *quamdiu*.

[7] Edd. et multi codd. perperam *in infideli*.

[8] Non expresse, sed sententialiter in Metaph. II. text. 16. (l. brevior, c. 3.), ubi dicit: « Certitudinem vero sermonis mathematicam non oportet in cunctis quaerere, sed in his quae non habent materiam ». Quibus verbis secundum commentatores (Averroem, B. Albert., S. Thom., Scotum) docetur, de iis quae materiam habent consideranturque a physica, eo quod motui et transmutationi subiecta sint, certitudinem omnimode non posse haberi; neque de immaterialibus, licet sint certissima in se, scientiam plane certam haberi posse propter defectum intellectus nostri; de mathematicis autem rebus, utpote a materia abstractis et intellectum nostrum non excedentibus, haberi

Notandum. « maior est certitudo mathematicae scientiae quam divinae » — et tamen nobilior est divina quam mathematica — hoc autem est propter defectum a parte intelligentis; quia, sicut dicit Philosophus [1], « sicut se habet oculus noctuae ad lucem, ita intellectus noster ad manifestissima naturae »; unde illa quae sunt certissima in se, cognoscit aliquando dubie. Et tamen illa cognitio minus certa magis est nobilis et perfecta, quoniam est de re nobiliori. Melius est enim vel modicum quid de Deo scire, quam caelestium vel terrestrium notitiam habere. — Ra- Nota. tiones vero ad oppositam partem concedendae sunt; concludunt enim de certitudine *speculationis*, sicut satis clarum est et pertractanti apparet.

SCHOLION.

I. « Fides habet maiorem certitudinem quantum ad firmitatem *adhaesionis*, quam sit certitudo scientiae vel intellectus, quamvis in scientia et intellectu sit maior *evidentia* eorum quibus assentitur » (S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 3.). « Certitudo *scientiae* consistit in duobus, scilicet in *evidentia* et in *firmitate adhaesionis*; certitudo autem *fidei* consistit in uno tantum, scilicet in firmitate *adhaesionis*; certitudo vero *opinionis* in *neutro*; quamvis certitudo fidei... quantum ad illud unum sit vehementior quam certitudo scientiae quantum ad illa duo » (ibid. ad 1.). « Credens secundum firmitatem adhaesionis magis recedit [a dubietate], quam sciens secundum illa duo » (ibid. ad 2.). — Haec dicta sunt quoad certitudinem ex parte *subiecti credentis*. Excepto Durando (hic q. 7.), qui hic in multis a communi via recedit, idem ab aliis antiquis doctoribus docetur, licet non iisdem verbis: v. g. auctor noster certitudini *adhaesionis* opponit non, ut S. Thom., *evidentiam*, sed *certitudinem speculationis*; et secundum hanc non negat maiorem certitudinem in scientia esse posse, cum certitudo fidei non excludat motus dubitationis, immo nec quod possit quis retractare assensum, ut manifestum est. — Aliter autem dicendum est de certitudine fidei ex parte *suae causae obiectivae* (hic arg. 3. pro parte affirm. et solut. ad 4.), cum fides innitatur primae Veritati infallibili et lumini supernaturali infuso, quae certitudine obiectiva omnino excedunt creatum rationis lumen (cfr. S. Thom., S. III. q. 4. a. 8.). Tota responsio magis confirmatur infra d. 24. a. 1. q. 1.

II. Praeter laudatos: Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 9. a. 1, et in *Supplemento* ad Summam Alexandri (collatio 35.) primo transcripta sunt omnia ab Alexandro dicta et deinde quaestio haec S. Bonaventurae, ut iam supra in scholio ad 2. quaest. observatum est. — Scot., hic q. unica n. 19. — B. Albert., hic a. 17. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., hic a. 7. q. 1. — Dionys. Carth., III. Sent. d. 24. q. unica.

QUAESTIO V.

De definitione fidei ab Apostolo assignata.

Quinto quaeritur de descriptione fidei ab Apostolo assignata, quoniam ipsa inter ceteras est magis authentica. Definit autem Apostolus fidem sic, ad Hebraeos undecimo [2]: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Ostenditur autem ista descriptio inconvenienter assignata propter quadruplicem defectum, qui videtur esse in ea, videlicet propter defectum *veritatis*, propter defectum *convertibilitatis*, propter defectum *evidentiae* et propter defectum *sufficientiae*. — Quod autem sit in ea defectus *veritatis*, ostenditur:

Definitio fidei. Notatur quadruplex defectus. Defectus 1.

1. Primo in hoc, quod dicit, fidem esse *substantiam*; aut enim ibi accipitur substantia *proprie*, aut *communiter*. Si accipitur ibi *proprie*, cum *substantia* dividatur contra *accidens* [3], et fides sit *accidens*, falsum est, fidem esse substantiam. Si autem *substantia* ibi accipitur *communiter* pro essentia, et essentia uniuscuiusque non differt ab eo, cuius est essentia, fides autem differt a rebus sperandis; impossibile est, fidem esse substantiam rerum sperandarum.

2. Item, videtur *falsa* esse in hoc, quod dicit, fidem non tantum esse *substantiam*, sed etiam *argumentum*, quoniam nulla *virtus* est *argumentum*, nec e converso: si ergo fides est *virtus*, non ergo potest esse *argumentum*. *Si tu dicas*, quod *argumentum* sumitur ibi *transsumtive*; videtur, quod nec *transsumtive*, nec *proprie* debeat dici fides *argumentum non apparentium*. Si enim proprietas argumenti est, quod arguit ipsam mentem et convincit eam de eo ad quod est, faciens illud esse clarum et apertum [4]; videtur, quod sit ibi implicatio dupli-

---

posse scientiam certissimam. — Nomine scientiae *divinae* ab Aristot., I. Metaph. c. 3, intelligitur *metaphysica*: « Nam et illa, quam maxime Deus habeat, divina scientiarum est, et si qua est, quae divinorum sit ». Ibid. et III. text. 3. nec non XI. c. 6. (II. c. 2. et X. c. 7.). metaphysica dicitur scientia « principalissima et honorabilissima, et cui ceteras scientias tanquam ancillas non contradicere decet ». — Edd. 1, 2 in hac solut. pro vocabulo *mathematicae* perperam substituerunt vocem *metaphysicae*.

[1] Libr. II. Metaph. text. 1. (I. brevior, c. 1.). — Paulo inferius pro *dubie* codd. G I L V *dubitative*, et post pauca pro *notitiam habere* iidem codd. *cognitionem habere*. Ultima propositio: *Rationes vero* etc. deest in dictis codd.

[2] Vers. 1. — Paulo inferius pro *ista descriptio inconvenienter* codd. G I L V *ista definitio non bene*.

[3] Cfr. Aristot., VII. Metaph. text. 2. (VI. c. 1.). Ibid. text. 14. (c. 4.) docetur, quod essentia « uno quidem modo substantiam et *quod quid* significat, alio vero singula eorum, quae praedicantur, quantitatem, qualitatem et quaecumque cetera talia sunt », i. e. uno modo essentia idem est ac substantia, alio modo etiam accidentibus convenit. Hoc secundo modo paulo inferius accipitur, ut secundi membri arg. suppositio sit: fides est accidens, cuius essentia consistit in rebus sperandis.

[4] Boeth., I. Comment. in Topic. Cicer. ait: Argumentum namque est, quod rem arguit, id est probat (ed. Migne, Patr. lat. tom. 64. col. 1048). Isidor., VI. Etymolog. c. 8. n. 16: Argumentum vero dictum quasi *argutum* vel quasi *argute inventum* ad comprobandas res. — Mox pro *contradictionis* cod. F *oppositionis*. In fine arg. pro *de defectu* Vat. *ob defectum*.

cis contradictionis, cum dicit, fidem esse *argumentum non apparentium.* Quae enim habent *argumentum,* hoc ipso quod habent argumentum, *apparent* esse vera; quae etiam habent *argumentum,* hoc ipso quod habent argumentum, *convincuntur* esse vera: igitur ratio *argumenti* repugnat tam rei *non apparenti* quam ipsi *habitui fidei:* ergo est ibi implicatio oppositorum in praedicta descriptione: videtur igitur, quod praedicta definitio redargui possit de defectu *veritatis.*

3. Item, videtur, quod possit reprehendi ob de- Defectus 2. fectum *convertibilitatis* [1]. Nam haec descriptio potest convenire ipsi *spei.* Spes enim est *substantia rerum sperandarum,* et etiam *argumentum non apparentium,* quia per spem certificamur, nos esse habituros res, quas non videmus: ergo videtur, quodsi tota ista descriptio convenit *spei,* quod non convertatur cum ipsa *fide.*

4. Item, credere, poenam aeternam esse futuram, hoc pertinet ad ipsam fidem, ergo credulitas poenae aeternae fides est; sed credulitas poenae aeternae non est *substantia rerum sperandarum,* sed potius timendarum: ergo videtur, quod ista descriptio generaliter non conveniat ipsi fidei: ergo nec omni nec soli: videtur ergo posse reprehendi propter defectum *convertibilitatis.*

5. Item, videtur posse reprehendi ob defectum Defectus 3. *evidentiae,* quia non debet prius definiri per posterius, nec ignotum per ignotius [2]; sed fides prior est quam spes, fides etiam, quae est in corde, notior est, quam ea quae non apparent: ergo male definitur fides per *res sperandas,* et per *res non apparentes.*

6. Item, ad *evidentiam* definitionis spectat, quod priora praemittantur posterioribus: si ergo cognitio praecedit affectionem, et fides, in quantum *argumentum,* respicit cognitionem, in quantum vero *substantia* rerum sperandarum, respicit affectionem; videtur, quod praedicta definitio assignata sit sicut per posterius et confuse: et ita redargui posse videtur propter defectum *evidentiae.*

7. Item, reprehensibilis videtur propter defe- Defectus 4. ctum *sufficientiae,* quia fides non tantummodo est de futuris, verum etiam de praesentibus et praeteritis, ut dicit Augustinus [3]: si ergo speranda solummodo sunt futura, videtur, quod insufficienter definiatur, cum definitur solummodo per res sperandas.

8. Item, fides non tantummodo est fundamentum spei, immo etiam caritatis et totius aedificii spiritualis: ergo ita est *substantia* vel fundamentum caritatis et rerum diligendarum, sicut spei et sperandarum: videtur ergo insufficienter dixisse, cum dixit, eam esse fundamentum rerum *sperandarum.* Cum enim nobilior sit caritas quam spes [4], magis deberet definiri fides per res *diligendas* quam per res *sperandas.* — Et ita propter quatuor dictos defectus praedicta descriptio videtur esse penitus abiicienda et repudianda.

CONCLUSIO.

Fidei definitio data ab Apostolo est convenienter et secundum artem assignata.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod tunc definitio sive notificatio est recte assignata, quando nihil continet *superfluum,* nihil etiam *diminutum* [5]. Et hoc est, quando per Tria requisita ad definitionem. ipsam notificationem ipsius definiti *essentia plene indicatur* et *aperte manifestatur* et ab omnibus aliis *separatur;* hoc autem est reperire in proposito, si quis attendat.

Nam ipsa fides secundum *essentiam* suam ali- Indicatur essentia. quid respicit ex parte *intellectus* et aliquid ex parte *affectus* [6]. Habet enim *affectum stabilire* et *intellectum illuminare.* Et in quantum *affectum stabilit,* dicitur *substantia* sive fundamentum; in quantum autem *intellectum illuminat,* dicitur *argumentum.* Ut ergo plene fidei *essentia* explicaretur, oportuit eam definiri sive notificari, ut diceretur esse *substantia* simul et *argumentum;* debet enim definitio totam essentiam definiti in se claudere.

Debet etiam nihilominus *aperte notificare;* et Notificatur eadem. quoniam habitus virtutis dupliciter notificari habet, videlicet per *finem ultimum* et per *suum obiectum* [7]; *finis* autem ipsius fidei consistit in *aeterna beatitudine,* quam speramus, et ita in *rebus sperandis; obiectum* autem consistit in *veritate non visa,* et ita in *rebus non apparentibus:* ideo opportunum fuit, fidem definiri per *res sperandas* et *non appa-*

---

[1] Boeth., I. Dialog. in Porphyr. c. *de Genere* circa finem: Quascumque definitiones convertere potes, illae verae atque pares sunt; quascumque convertere non potes, aut maiores aut minores sunt, pares inveniri non possunt. — De *minori* cfr. hic lit. Magistri, c. 8. — Codd. A K Z verbo *reprehendi* praemittunt *etiam.*

[2] Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 4.) ostendit, definitionem faciendam esse per *notiora,* et adiungit, quod unus locus probandi, definitionem non factam esse per notiora, sit, « quod [si definitio] per posteriora, priora indicat ». De *minori* vide supra q. 1. in corp. et q. 4. ad 1. — Mox ante *spes* codd. A K inserunt *sit.*

[3] Enchirid. c. 8. n. 2: Est etiam fides et praeteritarum rerum et praesentium et futurarum.

[4] Epist. I. Cor. 13, 13: Fides, spes, caritas, tria haec, maior autem horum est caritas. — Quomodo fides *fundamentum* sit fabricae spiritualis, exponit Gregor., XXVIII. Moral. c. 9. n. 20. — Superius post *sicut spei et* codd. F U supplent *rerum.*

[5] Cfr. Aristot., VI Topic. c. 1. seq., et VII. Metaph. text. 43. (VI. c. 12.), ubi etiam aliae proprietates definitionis infra occurrentes tanguntur.

[6] Cfr. supra q. 2. — Paulo inferius pro *stabilit* [Hebr. 13, 9: Optimum est enim gratia stabilire cor] plurimi codd. et edd. 1, 2 *stabilitat.*

[7] Vide Aristot., I. Ethic. c. 1. et 7. seqq.; II. c. 1, et II. de Anima, text. 33. (c. 4.). Cfr. tom. II. pag. 561, nota 3. et pag. 653, nota 6. — Pro *et quoniam* edd. *quoniam ergo.*

rentes, ut sic notificatio fidei non solum *essentiam* definiti explicaret plene per *intellectum* et *affectum*, sed etiam manifestaret aperte per *finem* et *obiectum*.

Separatur eadem ab aliis.

Debet etiam definitio definitum ab omnibus aliis *separare*. Et quoniam *fides formata* distingui habet a *fide informi*, distingui etiam habet ab habitu cuiuslibet *alterius virtutis*; a fide, inquam, *informi* distinguitur, in quantum *sustentat* totam fabricam spiritualem, ab *aliis* autem *virtutibus*, in quantum *veritati non visae* facit adhaerere: ideo quantum ad haec duo dicitur *substantia rerum sperandarum*, ut distinguatur a *fide informi*, et *argumentum non apparentium*, ut distinguatur ab habitibus *aliarum virtutum*.

Et sic patet, quod praedicta notificatio nihil continet *superfluum*, nihil *diminutum*; nec est in ea clausula nec dictio, immo etiam nec syllaba otiosa.

Conclusio.

Fatendum est igitur, ipsam esse convenienter et secundum artem assignatam, ita quod in se habet *veritatem*, *convertibilitatem*, *evidentiam* et *sufficientiam* adeo perfecte et complete, ut nec peritissimi philosophorum possent eam artificialius et completius assignare.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod *falso* dicitur fides esse substantia; dicendum, quod *substantia* dicitur dupliciter, scilicet *proprie* et *transsumtive*. *Proprie* quidem dicitur quatuor modis, scilicet substantia-materia, substantia-forma, substantia-compositum, substantia, quae est essentia uniuscuiusque [1]. *Transsumtive* dicitur *substantia* illud quod habet aliquam proprietatem substantiae dictae aliquo istorum modorum. Cum autem dicitur: fides est substantia, hoc non dicitur, secundum quod hoc nomen *substantia* sumitur in significatione *propria*, sed secundum quod sumitur in significatione *transsumtiva*. Dicitur enim *substantia*, quia est fundamentum fabricae spiritualis ad similitudinem materiae, quae praebet fulcimentum formis et accidentibus. Et quod ita accipiatur, patet per notificationem Damasceni [2], qui loco eius quod dicit Apostolus: *Fides est substantia*, dicit *hypostasis*. Ait enim sic: « Fides est eorum quae sperantur, *hypostasis*, et redargutio earum rerum, quae non videntur »:

Substantia proprie est quadruplex.

Substantia transsumtive.

2. Ad illud quod obiicitur, quod *falso* etiam dicitur esse argumentum; dicendum similiter, quod *argumentum* dicitur dupliciter, videlicet *proprie* et *transsumtive*. *Proprie* quidem *argumentum* accipitur secundum quadruplicem acceptionem. Nam uno modo dicitur argumentum *ratiocinatio*, secundum quod dividitur in quatuor species, videlicet in *syllogismum*, *inductionem*, *enthymema* et *exemplum* [3]. Alio modo dicitur argumentum prolixae sententiae *brevis collectio*. Tertio modo dicitur argumentum ipsum *medium*, in quo consistit tota vis argumentationis. Quarto modo dicitur argumentum ipsa *maxima propositio*, in qua consistit firmitas totius illationis. In omnibus autem his acceptionibus *argumentum* dicitur, quia mentem arguit et illuminat ad aliquid intuendum et ei firmiter adhaerendum. — Et secundum hanc proprietatem potest *transsumtive* dici *argumentum* quidquid illud sit, quod mentem arguit et illuminat ad videndum aliquid occultum. Et hoc modo fides dicitur esse *argumentum rerum non apparentium*, quoniam ita facit intellectum eis assentire, sicut argumentum verum facit assentire conclusioni probatae. — Et per hoc patet responsio ad illa quae arguebant praedictam definitionem ob defectum *veritatis*.

Argumentum proprie est quadruplex.

Argumentum transsumtive.

3. Ad illud vero quod obiicitur, quod in praeassignata definitione est defectus *convertibilitatis*; dicendum, quod praedicta notificatio non convenit *spei*, quoniam, etsi ipsa *spes* aliquo modo possit dici *substantia* rerum sperandarum, non tamen potest dici *fundamentum*, sicut fides, quia non est prima virtutum. Licet autem hoc aliquo modo possit ei attribui, tamen sequens pars definitionis, quae est *argumentum non apparentium*, convenit soli *fidei*, quae intellectum facit assentire ipsi Veritati; hoc autem nec *spei* competit nec *caritati*, licet eis competat quoddam genus certitudinis experimentalis, maxime ipsi spei [4].

4. Ad illud quod obiicitur, quod credulitas suppliciorum non est substantia rerum sperandarum,

---

[1] Ut docet Aristot., VII. Metaph. text. 7. (VI. c. 3.). Cfr. ibid. V. text. 15. (IV. c. 8.) et II. de Anima, text. 2. (c. 1.).

[2] Libr. IV. de Fide orthod. c. 10. Vide infra dub. 1. — Paulo ante pro *praebet* codd. G I L T V aa *pluribus*, quae lectio mutila integrari posset addito verbo *praestat*, quod cod. F post *accidentibus* exhibet.

[3] De his agit Aristot., I. Prior. c. 1. et II. c. 23. seqq. (c. 25. seqq.) nec non Boeth., II. de Different. topic. — Quod ad secundum modum attinet, quo *argumentum* sumitur, dicit Quintilian., V. Institut. orat. c. 10: Sed argumentum quoque plura significat. Nam... et orationum Ciceronis velut thema ipse exponens Pedianus, « argumentum, inquit, tale est ». — Quoad tertium modum nota illud Boeth., I. Comment. in Topic. Cicer. (ed. Migne, Patrol. Lat. tom. 64. col. 1050.): Quoniam igitur extremi termini medii interpositione copulantur, eoque modo quaestionis inter se membra conveniunt, adhibitaque probatione solvitur dubitatio, nihil est aliud *argumentum* quam *medietatis inventio*; haec enim vel coniungere, si affirmatio defendatur, vel disiungere, si negatio vindicetur, poterit extremos. — Ibid. etiam quarta acceptio *argumenti* profertur. Definitis enim *maximis* propositionibus, scil. « quae et universales sunt et ita notae atque manifestae, ut probatione non egeant eaque potius quae in dubitatione sunt probent », auctor, diversas argumentationis et argumenti acceptationes recensens ait: Aut *argumentatio* quidem vocabitur tota contextio syllogismi cum sententia, sed *argumentum* maxima propositio etc. (col. 1053). Cfr. II. de Different. topic. — Paulo superius pro *accipitur* cod. A *sumitur*, cod. U *dicitur*. In fine solut. cod. O plura addit, quae propter varias lacunas etc. non digna sunt commemoratu.

[4] Vide hic lit. Magistri, c. 8. seq. — In prima solutionis propos. pro *aliquo modo possit* codd. A H K *aliquo modo posset*.

sed magis timendarum; dicendum, quod fides dici-
Notandum. tur esse substantia rerum sperandarum non tanquam *subiecti*[1], sed tanquam *finis*, sicut praedictum est. Quamvis autem credulitas suppliciorum sit rerum timendarum per modum *obiecti*, est tamen rerum sperandarum per modum *finis*. Ideo enim quis credit aeterna supplicia, ut assequatur bona speranda.

5. Ad illud quod obiicitur, quod est ibi defectus evidentiae, quia fides definitur per posteriora et ignota; dicendum, quod falsum est; definitur enim per *finem* et *obiectum*, sicut prius visum est.
Notandum. Licet autem *finis* ipsius fidei, qui consistit in rebus sperandis, sit posterior ipsa fide quantum ad *assecutionem*, est tamen prior quantum ad *intentionem*[2]. Licet etiam *obiectum* ipsius fidei, quod consistit in veritate non apparente, sit homini infideli incognitum, nihilominus cognitum est homini fidem habenti; quamvis etiam sit incognitum, *quale* sit, notum tamen est, ipsum *non apparere*. Et sic patens est, quod praedicta notificatio non est per posterius et incognitum, immo per prius et notius.

6. Ad illud quod obiicitur, quod in ea est praeposteratio, quia prius deberet dici argumentum quam fundamentum ob hoc, quod intellectus prae-
Notandum. cedit affectum; dicendum, quod etsi actus intellectus *praecedit* actum affectus, nihil tamen impedit, quin intellectus aliquando *sequatur* affectum, utpote quando inclinatur ad assentiendum alicui rei secundum imperium voluntatis. Et hoc modo dictum est superius[3] se habere in actu fidei, quae ideo habet rationem virtutis, quia assensus ille est a principio voluntatis; et ideo Apostolus rectissime ordinavit, quando illud fidei, quod respicit affectivam, praemisit ei quod respicit cognitivam.

7. 8. Ad illud quod obiicitur de defectu *sufficientiae*, quia deberet definiri per diligenda, sicut per speranda, ita per praeterita, sicut per futura; iam patet responsio: quia, quamvis[4] fides sit de praeteritis et futuris, sive etiam de sperandis et amandis, de solis *sperandis* est tanquam de *fine*, ad quem tendit; et per hoc, quod definitur hic fides per comparationem ad finem et complementum totius aedificii spiritualis, datur per consequens intelligi eiusdem aedificii tota fabrica. Et per hoc patent illa duo obiecta. Patet etiam, quare magis dicitur esse fundamentum rerum *sperandarum* quam *credendarum*, vel *timendarum*. Per hoc enim, quod dicitur *sperandarum*, magis datur intelligi *finis virtutis*, qui est ipsa beatitudo exspectata, quam per hoc, quod dicitur credendum, vel amandum, vel timendum. Nam isti actus non tantummodo sunt in finem, sed etiam in ea quae sunt ad finem.

SCHOLION.

I. Ut notat S. Thom. (locc. infra citt.), quidam asserebant, S. Paulum in verbis propositis intendere tantum ostendere, quid fides caritate formata *faciat*, non quid *sit*. Sed communiter antiqui doctores docent, « quod haec fidei notificatio sit *completissima* eius *definitio*, non ita quod sit secundum debitam *formam* definitionis tradita, sed quia in ea sufficienter tanguntur omnia quae exiguntur ad fidei definitionem » (S. Thom., de Verit. q. 14. a. 2.), ut ibi et brevius in Sum. et in Comment. exponitur. Quae omnia dicta sunt ad mentem S. Bonaventurae, in hac quaestione ingeniose et copiose expositam, licet hic dicat, hanc definitionem etiam *secundum artem* convenientissime esse assignatam, id est, si spectatur *substantia*, non autem vulgo tradita *forma*. Unde S. Thom. (de Verit. loc. cit.) sensum verborum Apostoli hac formula exprimit: « Fides est habitus mentis, quo inchoatur vita aeterna in nobis, faciens intellectum non apparentibus assentire ».

II. De *obiecto* fidei, quod hic tangitur, plura vide infra d. 24. a. 1. per totam; passim autem repetitur, hoc obiectum esse primam Veritatem *non visam, non apparentem;* quod intelligendum est non tantum de obiecto *materiali*, sed etiam de *formali;* et recte hic subiungitur, quod in hoc (fides) « distinguitur ab aliis virtutibus, in quantum veritati *non visae* facit adhaerere », quod etiam S. Thom. passim docet. Sed veritas *non visa* non determinat vel « movet intellectum ex propria virtute, sed *ex inclinatione voluntatis* » (S. Thom. de Verit. q. 14. a. 2, ad 13.). Unde primae Veritati sive obiecto formali fidei adhaeremus ex *pio voluntatis affectu*. Hinc recte dicitur, quod *voluntas* in fide quodam modo « *praesidet* » (S. Bonav.), vel, ut verbis S. Thomae utamur, « principalitatem habet », quod iam supra in scholio ad 2. quaest. notavimus.

Iuvat autem hic in fine 1. articuli pauca commemorare, quae in scholis tractantur de analysi actus fidei et de ratione, qua *obiectum formale* eius a mente attingitur, ut credendo assentiamur ipsi primae Veritati in se et super omnia. In qua subtili quaestione plura sunt certa, alia cadunt in controversiam.

1. Certum est, quod *ratio obiectiva* assensus fidei divinae est *auctoritas Dei revelantis;* quod expresse docet Concil. Vatican. (c. 3. *de Fide*) dicens, nos credere vera esse, quae divinitus revelantur *propter auctoritatem Dei revelantis*.

2. Communiter etiam distinguitur prima Veritas tripliciter: in *essendo* (quasi *ultima* ratio omnium), *in cognoscendo* et in *dicendo* (veracitas), quae tria, quatenus sunt aliquid Deo *intrinsecum* et *in re* unum idemque, ad obiectivam fidei rationem spectant, licet *veritas in cognoscendo primario* et *formalissime* sit *ratio assensus* in fide theologica. Revelatio autem externe et in tempore facta, qua interna Veritas divina manifestatur (per se considerata), item motiva credibilitatis et ipsa *Ecclesiae auctoritas* (sive in se consideratur, sive quatenus divinam locutionem integrat), haec omnia non sunt ipsa *ratio motiva*, sed potius *conditio quaedam, dispositio*, vel etiam *medium*, quo obiectum formale *applicatur* sive cum obiecto materiali connectitur. Attamen nonnulli cum celeberrimo theologo cardinali Lugo *actum externum* revelationis et motiva credibilitatis volunt esse *partiale* et *secundarium* motivum fidei. S.

---

[1] Sive, quod in idem redit, *obiecti*, quam lectionem exhibent codd. B C D (K primitus) M O P R cc. In edd. legitur: *dicendum, quod verum est, quod non est substantia rerum sperandarum tanquam subiecti* etc.

[2] Finem priorem esse secundum intentionem, docet Aristot., II. de Generat. animal. c. 4. (c. 6.); IX. Metaph. text. 15. (VIII. c. 8.) et III. Ethic. c. 3. nec non VI. c. 9. — Pro *assecutionem* codd. A H K L Z *exsecutionem*. Mox codd. M O voci *veritate* praefigunt *ipsa*.

[3] Quaest. 2. — Paulo superius pro *impedit, quin* multi codd. et edd. *impedit, quod*.

[4] Cod. U *quamvis enim*.

Bonav. (infra d. 24. dub. 2.) dicit, verbum externum, per *auditum* receptum, tantum ad *materiale* fidei spectare.

3. Item concorditer docetur, in actu fidei implicari multos actus et intellectus et voluntatis: imprimis ipsum *velle* credere sive *voluntatem imperantem assensum;* hunc autem *actum voluntatis* iterum praecedere *motivum*, id est aliquod *bonum cognitum ut appetendum*, et *iudicium*, quod omnia revelata sint *credibilia* et *credenda*. In hoc iudicio iam supponitur vel implicatur, tum quod *Deus sit* et sit *prima Veritas* et *suprema Auctoritas*, tum quod de *facto revelaverit* credenda et *fidei obedientiam* imperaverit. Motiva autem credibilitatis aliquo modo *sciri* possunt et debent, antequam voluntas possit rationabiliter imperare fidem. Denique hi actus intellectus et voluntatis non possunt esse *dispositio proxima* ad fidem supernaturalem, nisi, Deo illuminante et inspirante, eliciantur. — Haec omnia *praecedunt* actum fidei eumque *comitantur*, sed ut *conditio*, vel *dispositio*, non ut *causa* proprie dicta, saltem principalis (cfr. infra d. 24. dub. 3.). Nihil autem obstat, quin praedicta motiva credibilitatis et ipsa Dei auctoritas et revelatio sub alia ratione etiam sint *obiectum materiale* fidei (cfr. supra q. 3. ad 1.).

4. Assensus in *materiale obiectum* fidei, v. g. quod Deus est trinus, totam suam rationem habet in *obiecto formali*, scilicet in auctoritate Dei revelantis; unde recte dicitur: credo, Deum esse trinum, *quia* prima Veritas hoc revelavit. In tali igitur actu simul attingitur et auctoritas Dei et eius revelatio (cfr. supra q. 3. in fine corp.).

III. Sed si ulterius quaerimus, quae sit *ratio, propter quam* in fide theologica assentimur ipsi divinae auctoritati revelanti; iam ab aetate Scoti inter doctissimos theologos est dissensus; et praecipue notandae sunt duae oppositae opiniones cardinalis Lugo S. I. et eximii Suarez. Remittentes lectorem ad recentiores auctores, obiter tantum notamus quasdam principales eorum assertiones. Cardinalis Lugo putat, nos assentiri formali obiecto fidei, prout post cognita praeambula fidei auctoritas Dei et revelatio Dei ex *terminorum apprehensione sunt immediate notae;* motiva autem extrinseca esse partim *rationem formalem fidei saltem partialem*, partim vero esse tantum conditionem; assensum autem in obiectum materiale non tantum in *praeparatione* ad actum fidei, sed etiam in *ipso actu* fundari in discursu logico (sive formali sive virtuali) ex auctoritate Dei et ex facto revelationis, quo discursu obiectum materiale cum formali nectitur, ita tamen, ut bonitas illationis, supernaturaliter et immediate in ipso formali assensu fidei cognita, sit tantum *partiale* motivum assentiendi obiecto revelato. — Econtra Suarez cum plurimis aliis vult, auctoritatem Dei revelantis eatenus esse *obiectum formale*, quatenus *per se ipsam creditur* ut revelata in *actu exercito*, eodem modo, quo obiectum *materiale*, revelatum in *actu signato*, creditur ob *obiectum formale*. — Tertia sententia, quam nuperrime propugnat cl. Professor C. Mazzella S. I. in tertia sua editione tractatus de *Virtutibus infusis*, reformans praecedentium editionum doctrinam, non parum restringit praedictam Suarezii doctrinam, ut progressus in infinitum vel circulus vitiosus manifeste evitetur; ipse autem, allatis multis locis, S. Thomae doctrinam (§ VI.) ita explicat: « Supposito iudicio certo de existentia et credibilitate revelationis, quo totum obiectum credendum fit menti praesens, immerito quaeri, arbitramur, novam ex parte *intellectus* obiectivam rationem, ob quam Dei revelantis auctoritati assentiamur: cum assensus in veritates revelatas unice in eius obsequium praestitus, « quem *concomitatur*, sed cuius non est *causa* cognitio (S. Thom., Qq. disp. q. 14. de Fide a. 1. ad 6.), a voluntate determinatur (S. II. II. q. 2. a. 1. ad 3.); et illud cui assentitur intellectus, non moveat intellectum ex propria virtute, sed ex inclinatione voluntatis » (Qq. disp. 9. 14. de Fide a. 2. ad 13.) etc. — Eandem fere sententiam diffuse et subtiliter propugnat cl. Prof. Dr. I. Scheeben (Handbuch der Katholischen Dogmatik. Friburgi tom. I. 1873, libr. I., praesertim n. 633-652, 684-700). — Quidquid autem sit de veritate vel probabilitate harum sententiarum, exploratum est, nec S. Thomam nec Bonaventuram nec alios antiquos Scholasticos primam et secundam opinionem, saltem explicite, docere. — Quoad analysim fidei S. Bonav. haec satis clare docet: si loquimur de fidei causa *formali*, fides resolvitur ultimo in primam Veritatem revelantem et dictantem; si vero de causa *efficiente*, haec ex parte *Dei* est « per *infusionem* vel *divinam illustrationem* » (infra a. 2. q. 2.), sive « per *doctrinam Spiritus sancti* loquentis per *aurem cordis* » (infra d. 24. dub. 2.), ex parte *credentis* est per imperium et adhaesionem voluntatis; si de causa *materiali et disponente* agitur, haec est per *auditum locutionis exterioris*, scilicet per verbum Dei in s. Scriptura et traditione cum magisterio Ecclesiae (cfr. locc. citt.), per *motiva credibilitatis*, et praecipue per *Ecclesiam proponentem*, « quae per se ipsam... magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile » (Concil. Vatican. c. 3. *de Fide*), quae etiam credenda infallibiliter discernit a non credendis eaque proponit (cfr. infra d. 25. a. 1. q. 1; IV. Sent. d. 8. p. II. a. 1. q. 2. in corp., d. 40. p. II. q. 3. ad ult.; Hexaëm. Serm. 1. et 9.).

III. De ipsa definitione Apostoli: Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 5. a. 2. — S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. III. q. 4. a. 1; de Verit. loc. cit. — B. Albert., hic a. 18. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1.

ARTICULUS II.

De fide informi.

Consequenter quaeritur de fide informi, circa quam quaeruntur quinque.

Primo quaeritur de eius genere.

Secundo quaeritur de eius origine.

Tertio quaeritur de eius subiecto.

Quarto quaeritur de eius duratione.

Quinto et ultimo quaeritur de eius informatione.

QUAESTIO I.

Utrum fides informis sit in genere virtutis, an non.

Circa primum sic proceditur et quaeritur de fide informi quantum ad genus suum, utrum videlicet sit in genere virtutis, an non. Et quod sit in genere virtutis, videtur:

Fundamenta.

1. Primo per illud quod dicit Augustinus in libro, qui intitulatur ab aliquibus *de Vera Innocentia*[1]: « Cum ceterae virtutes possint bonis et malis esse communes, sola dilectio est propria et specialis

[1] Ab aliis: Prosperi Aquit. sententiae ex August. delibatae (quarum prima incipit: *Innocentia vera est* etc.). Sententia hic allata est n. 7. estque formata ex dict. August., Enarrat. in Ps. 103. serm. 1. n. 9. in textu origin. pro *sola dilectio* habetur *dilectio Dei* et *proximi*.

virtus piorum atque Sanctorum »; ergo fides virtus est communis bonis et malis; sed in malis non reperitur nisi fides informis: ergo fides informis est virtus.

2. Item, secundum quod vult Philosophus [1], circa difficilia et ardua necessaria est ipsi menti rationali ars et virtus: ergo cum articuli fidei difficiles sint ad credendum, ad hoc quod facile credantur, necessaria est ars, vel virtus; sed fides informis facit, articulos facile credi, sicut patet in multis peccatoribus: ergo fides informis vel est ars, vel virtus; sed non est ars nec scientia: ergo videtur, quod sit virtus.

3. Item, maioris difficultatis est credere articulos fidei, quam continere ab actu libidinis, quoniam illud potest ratio non elevata, hoc autem, scilicet credere, non potest, nisi super se elevetur; sed continere, caritate circumscripta, est actus virtutis: ergo et credere. Sed illud credere est fidei informis: ergo etc.

4. Item, quod directe opponitur vitio et peccato virtus est [2]; sed habitus fidei informis directe opponitur ipsi haeresi et infidelitati, quae sunt vitia et peccata, nec potest cum eis stare: ergo necesse est, fidem informem esse virtutem.

5. Item, humilitas, qua quis humiliat se vel affectum suum sub mandatis divinae Maiestatis, habet rationem virtutis: ergo pari ratione et illa humilitas, qua quis se humiliat sub regulis divinae Veritatis, etiam praeter caritatem habet rationem virtutis; sed fides informis est huiusmodi, per quam captivatur *intellectus in obsequium Christi* [3] ad assentiendum ei in omnibus articulis: ergo fides informis est in genere virtutis.

Sed contra: 1. Iacobi secundo [4]: *Fides sine operibus mortua est;* sed nihil, quod est mortuum, habet in se rationem virtutis: si ergo fides sine gratia et caritate caret operibus fructuosis et sic mortua est, iam ergo non habet rationem virtutis. Ad oppositam.

2. Item, sicut dicit Augustinus, et habitum est supra in secundo libro, distinctione vigesima septima [5]: « Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur »; sed fide informi non recte vivitur, et multi male utuntur: ergo fides informis sub genere virtutis non continetur.

3. Item, omnis virtus aut est cardinalis, aut theologica [6]: si ergo fides informis est virtus, aut est cardinalis, aut theologica; sed non est theologica, cum non tendat in Deum, non est cardinalis, cum non sit circa bonum creatum: ergo non est in genere virtutis.

4. Item, quando unus haereticus credit decem articulos et alios discredit, quamvis illi articuli sint supra rationem, tamen fides, qua credit illos, non dicitur virtus esse [7]: ergo si eadem fide, qua creduntur decem articuli, possunt etiam omnes credi, videtur, quod fides informis in malis Christianis nullo modo teneat rationem virtutis.

5. Item, cum discipulus credit et assentit magistro in his quae sibi non videntur et sunt supra suum intellectum, quamvis assentiat in his quae sunt supra se, non tamen illa credulitas dicitur esse virtus: ergo pari ratione videtur, quod homo non indigeat aliqua virtute ad hoc, quod ipsi [8] primae Veritati assentiat; sed fides informis nihil aliud facit, nisi quod facit assentire primae Veritati propter se et super omnia: ergo videtur, quod fides informis non sit virtus.

CONCLUSIO.

Fides informis est in genere virtutis communiter dictae.

Respondeo: Dicendum, quod virtus dupliciter consuevit accipi, cum dicimus, aliquem habitum esse virtutem, *proprie* videlicet et *communiter*. *Proprie* namque dicitur *virtus* recta ratio perducens in finem [9]; et hoc modo virtus est principium operis meritorii et dicitur solummodo de habitu gratia informato, sine quo non contingit pervenire ad finem gloriae. Alio modo dicitur virtus *communiter* habitus *rectificans* potentiam aliqua rectitudine iustitiae et *vigorans* eam circa opus difficile, quamvis non perducat eam in finem [10]. Et hoc modo accipiendo virtutem, habitus *politici informes* dicuntur esse virtutes; hoc etiam modo *fides informis*, quae quidem est in malis Christianis, habet esse in genere virtutis. — Per illum enim habitum quodam modo *rectificatur* intellectus hominis, dum captivatur *in obsequium Christi* ad assentiendum primae Veritati propter se et super omnia; *vigoratur* etiam, ut cre- Virtus dicitur dupliciter. Conclusio. Ratio.

---

[1] Libr. II. Ethic. c. 3: Praeterea voluptati repugnare difficilius est quam irae, ut Heraclitus inquit; at circa id quod difficilius est, semper et ars et virtus versatur etc. — Infra codd. A K bis *faciliter* pro *facile*.

[2] Vide Aristot., X. Metaph. text. 16. (IX. c. 4.) et VII. Ethic. c. 1.

[3] Epist. II. Cor. 10, 5.

[4] Vers. 26. — *Minor* illustratur illis verbis August., Enarrat. in Ps. 57. n. 20: Quare autem non dixit viventes, sed *tanquam viventes*, nisi quia falsa est haec vita impiorum? Neque enim vivunt, sed vivere sibi videntur. Cfr. etiam supra pag. 213, nota 5.

[5] In lit. Magistri, c. 5, et in Comment. dub. 3.

[6] Vide infra d. 33. q. 1.

[7] Siquidem haereticus infidelis est i. e. virtute fidei privatus. — Paulo ante post *decem articulos* edd. subdunt *fidei*.

[8] Edd. *ipse*.

[9] August., I. Soliloq. c. 6. n. 13: Haec est vere perfecta virtus: ratio perveniens ad finem suum, quam beata vita consequitur. Cfr. II. Sent. d. 27. dub. 3. — Paulo inferius post *pervenire* cod. U interiicit *aliquem*.

[10] Praeter verba Aristot., paulo superius nota 1 allata, cfr. etiam pag. 388, nota 2. De habitibus *politicis* vide infra d. 33. dub. 5. — Paulo superius post *potentiam* cod. F addit *vel animam*. Pro *potentiam aliqua rectitudine* cod. U *potentiam aliquam rationem*.

dat vera *non apparentia* et vitet erronea et phantastica; sicut apparet in multis Christianis carentibus caritate, qui libenter et humiliter audiunt verba spectantia ad doctrinam fidei et constanter et viriliter abhorrent haereticam pravitatem. Et sic concedi potest, quod fides informis sit in genere virtutis, secundum quod nomen virtutis accipitur *large* et extenditur ad habitum rectificantem et vigorantem potentiam in his actibus, circa quos consistit via iustitiae [1]. — Et quia hoc modo procedunt rationes ad partem primam, ideo concedendae sunt.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur, quod fides sine operibus mortua est; dicendum, quod non dicitur *mortua*, quia careat [2] omni utilitate et efficacia, sed quia caret vita gratuita, quae est vita perfecta; et ideo ex hoc non potest concludi, quod non sit *simpliciter* virtus, sed quod non sit virtus *proprie* dicta.

2. Ad illud quod obiicitur, quod virtus est bona qualitas mentis etc.; dicendum, quod Augustinus ibi definit virtutem *proprie* dictam, scilicet virtutem gratuitam; et hoc modo concedendum est, fidem informem non contineri sub virtutis genere. Ex hoc tamen non sequitur, nullo modo eam contineri [3], secundum quod virtus *large* accipitur: immo est ibi locus sophisticus *consequentis*.

3. Ad illud quod obiicitur, quod omnis virtus aut est cardinalis, aut theologica; dicendum, quod illa divisio est virtutis *formatae*, secundum quod *proprie* accipitur virtus cardinalis et theologica; et sic fides informis non continetur sub genere virtutis.

Aliter.

— Posset tamen dici, quod sicut fides [4] habet rationem virtutis incompletae, sic habet rationem virtutis theologicae, quia quodam modo in Deum dirigit, licet semiplene.

4. Ad illud quod obiicitur de haeretico, qui credit decem articulos; dicendum, quod etsi *haereticus* habeat aliquam illuminationem respectu illorum articulorum verorum, quos credit, et aliquam habilitatem ad illos credendos; illa tamen habilitas et credulitas non debet dici *virtus*, quia nec potentiam *rectificat* nec *vigorat:* non *rectificat* potentiam, quia non captivatur intellectus eius plene in obsequium Veritatis summae; non *vigorat*, quia per illam non respuit falsitatem oppositam veritati. Et haec duo requirebantur ad hoc, quod habitus sortiretur nomen et rationem *virtutis*. — Non sic autem est de fide informi, quae est in *malis Christianis*, quia ipsi assentiunt et adhaerent primae Veritati propter se et super omnia, ita quod in illo habitu est rectificatio et vigor, et ex hoc quaedam perfectio [5]. Unde sola illa fides informis est in genere virtutis, qua creduntur *omnes* articuli vel explicite, vel implicite, qua etiam respuuntur *omnes* errores. *Haec* enim sola est, quae habet in se quandam perfectionem rectitudinis et vigoris.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur de discipulo assentiente magistro, quod non indiget habitu virtutis; dicendum, quod non est simile, quia credulitas illa, qua discipulus assentit magistro, ita potest esse via in falsitatem, sicut in veritatem, pro eo quod magister eius potest vera et falsa asserere. Non sic autem est de credulitate, qua quis assentit primae Veritati, quae nullo modo potest esse via nisi in veritatem et rectitudinem. Et propter hoc, quia de se est [6] rectificativa mentis; et credulitas, qua Christianus assentit Deo, est via salutis, ita quod nullo modo de se ordinatur ad oppositum: ideo magis sortitur rationem *virtutis* quam illa credulitas, qua discipulus assentit magistro, quae quidem potest esse erroris occasio.

Notandum.

SCHOLION.

I. Haec et duae seqq. quaestiones intime cohaerent; conclusiones confirmantur doctrina in Concilio Vatic. (c. 3. *de Fide*) exposita, ubi dicitur: « Hanc fidem... Ecclesia catholica profitetur *virtutem esse supernaturalem* ». Et inferius: « Quare fides ipsa in se, etiam si per caritatem non operetur, *donum Dei* est, et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo *liberam* praestat ipsi Deo *obedientiam*, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando ». Et in can. 5. (*de Fide*) anathemati subiiciuntur qui dicunt: « Ad solam fidem *vivam*, quae per caritatem operatur, gratiam Dei necessariam esse ».

Non nisi in modo loquendi antiqui doctores a recentioribus recedunt, cum passim, Augustini vestigia secuti, per nomen *virtutis* non nisi virtutem *perfectam* et aeterna retributione dignam intelligunt; secundum quem sensum cum Magistro aliisque S. Thom. (S. II. II. q. 4. a. 5.) dicit: « Fides autem informis *non* est virtus »; sed simul haec verba ita explicat, sicut S. Bonav. in hac quaestione. Hic autem etiam bene distinguit duplicem effectum huius virtutis, quod scilicet intellectum *rectificat* respectu *Dei* per debitam subiectionem, et *vigorat* tum ad vera non apparentia credenda, tum ad falsitatem apparentem respuendam.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 64. m. 3. — Scot., hic q. unica n. 14. seq. — S. Thom., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 2. 3; S. loc. cit.; de Verit. q. 14. a. 6. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 2. — Durand., hic q. 6. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. 3. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. 2.

II. Quoad seq. (2.) quaestionem notandum est id quod in Concilio Arausic. II. (an. 529) can. 5. contra Semipelagianos, initium fidei et *pium affectum* naturalibus viribus attribuentes, decretum est quoad « *initium* fidei ipsumque *credulitatis affe-*

---

[1] Cfr. infra d. 33. dub. 1.

[2] Codd. A L U V aa bb *caret*. Subinde pro *utilitate* cod A *virtute*, et pro *quae est* codd. A K *id est*.

[3] Edd. supplent *sub virtutis genere*. — De sophismate *consequentis* vide supra pag. 92, nota 2.

[4] Edd. cum nonnullis codd. clarius *fides informis*. Inferius *incompletae* scribi posset etiam *incomplete*.

[5] Virtus enim, secundum Aristot., VII. Phys. text. 17. (c. 3.), est dispositio perfecti ad optimum. Cfr. II. Sent. d. 27. dub. 3. — Pro *perfectio* cod. K *rectitudo*.

[6] Edd. 1, 2 *de se non est*, quam falsam lectionem Vat., absque tamen auctoritate codd., correxit, post *quia* addendo: *credulitas illa, qua discipulus assentit magistro*. Pro *quia* codd. A U *quod*. Mox pro *Christianus* cod. A *quis*.

ctum », scilicet quod fides, etiam sic considerata, est « per gratiae donum, id est per inspirationem Spiritus sancti corrigentem *voluntatem* ab infidelitate ad fidem » etc. Eo magis quoad *intellectum* in ipso formali actu fidei tenendum est, « quod nemo evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque *illuminatione et inspiratione* Spiritus sancti » (Vatic. c. 3.). — Non defuerunt Scholastici, praesertim ex schola Scoti, qui illum *pium affectum* voluntatis voluerunt esse quidem supernaturalem, sed secundum *modum*, non secundum *substantiam*, quod communius non approbatur, nec principiis S. Bonaventurae est conforme. — Notanda est hic duplex distinctio inter obiectum *materiale* fidei et *formale*, inter fidem simpliciter *acquisitam* virtutisque expertem et *infusam*. Idem docet S. Thomas. — Quoad solutionem ad 1. cfr. infra d. 24. dub. 2.

De eadem 2. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 2. — S. Thom., hic q. 3. a. 2; S. II. II. q. 6. a. 1. — B. Albert., hic a. 5. ad 5. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 7. q. 2.

III. In responsione ad 3. quaestionem communiter docetur, in daemonibus esse *fidem informem* in sensu *largiore*, ita ut includat intellectus assensum ad non apparentia, per evidentiam probationis extortum. Ad rem non inepte Alex. Hal. (loc. cit. m. 7. ad 2.) distinguit *sentire* veritatem, *assentire* veritati, *consentire* veritati et subiungit: « Fides *daemonis* in suo *credere* habet *sentire*, sed non *assentire*, vel *consentire*; fides *informis* habet *sentire* et *assentire*; fides vero *formata* habet *sentire*, *assentire* et *consentire* » etc.

De eadem 3. quaestione praeter Alexandrum: S. Thom., hic q. 3. a. 3. quaestiunc. 1; S. II. II. q. 5. a. 2. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 6. q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 3.

QUAESTIO II.

An fides informis sit infusa, an acquisita.

Secundo quaeritur de fide informi quantum ad originem, et quaeritur, utrum fides informis sit infusa, an acquisita. Et quod *infusa*, videtur:

Fundamenta. 1. Primae ad Corinthios duodecimo [1]: *Alii datur fides in eodem Spiritu* etc.; et constat, quod Apostolus ibi loquitur de donis gratiae gratis datae: ergo loquitur de fide, circumscripta caritate; et haec est fides informis: ergo fides informis est a Spiritu sancto.

2. Item, primae ad Corinthios decimo tertio [2]: *Si habuero fidem, ita ut montes transferam;* ibi Glossa: « Quae fides donum Dei dici potest, quia in malis quaedam dona Dei sunt »: si ergo illa est fides informis: ergo fides informis est a dono Dei.

3. Item, ad Romanos octavo [3]: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore;* Glossa: « Est timor servilis et filialis, et uterque est a Spiritu sancto »: si ergo timor servilis est donum Spiritus sancti, et timor servilis oritur ex fide informi: ergo fides informis est donum Spiritus sancti.

4. Item, per nullum habitum *naturalem*, vel *acquisitum* elevatur intellectus supra se; sed per habitum fidei informis elevatur intellectus supra se [4], ut assentiat primae Veritati propter se et super omnia: ergo habitus fidei informis non est *acquisitus*, vel *innatus;* et est *acquisitus*, vel *innatus*, vel *infusus:* ergo est habitus *infusus*.

5. Item, quod potest in ea quae sunt *contra* naturam nec est *a natura* nec est ab *acquisitione;* sed habitus fidei informis potest in miracula facienda, sicut patet per Evangelia, quod mali faciunt miracula, et expresse dicitur Matthaei septimo [5] et primae ad Corinthios decimo tertio: igitur fides informis nec est *innata* nec *acquisita:* sequitur ergo, quod sit *infusa*.

Ad oppositam. Sed contra: 1. Ad Romanos decimo [6]: *Fides est ex auditu;* sed quae novimus audiendo ab aliis novimus per *acquisitionem:* ergo si fidem habemus per auditum, fidem habemus per *acquisitionem*.

2. Item, Augustinus [7]: « Quod credimus, debemus auctoritati; quod intelligimus, rationi »; sed doctrina, quae auctoritati alienae innititur, ab alio acquiritur: si ergo cognitio fidei innititur auctoritati, videtur, quod per *acquisitionem* habeat in nobis oriri.

3. Item, alias virtutes informes possumus habere per *acquisitionem*, sicut continentiam et iustitiam: ergo pari ratione videtur, quod et fidem informem per *acquisitionem* similiter possumus habere.

4. Item, aliquis transiens de infidelitate [8] ad haeresim credit aliquos articulos fidei, et hoc quidem sine aliqua infusione habitus, cum Deus non infundat haeresim, sed per solam *acquisitionem* doctrinae; sed qua ratione potest cognoscere unum articulum, eadem ratione potest cognoscere alterum: ergo si per *acquisitionem* potest cognoscere aliquos, eadem ratione videtur, quod possit cognoscere omnes: ergo videtur, quod fides informis de omnibus articulis per *acquisitionem* possit haberi.

5. Item, si fides informis est habitus *infusus*,

---

[1] Vers. 9. — Mox pro *datae* codd. G I K V *datis*.

[2] Vers. 2. Verba, quae hic (et etiam a S. Thom., hic q. 3. a. 2.) *Glossae* appellatione notantur, Alex. Hal., S. p. III. q. 64. m. 2, ipsi Magistro tribuere videtur, cum dicat: *quod probat Magister Sententiarum*. Et revera exstant etiam hic in lit. Magistri, c. 4. exhibentque summam illorum testimoniorum (Glossae ordinariae et praesertim S. Augustini), quae Magister in suo Commentario in s. Scripturam super hunc locum affert. Cfr. August., Serm. 95. n. 7. — In fine arg. Vat. addit *vel donum Dei*.

[3] Vers. 15. De Glossa, quae est *ordinaria* et plenius quam hic a Strabo exhibetur, vide infra lit. Magistri, d. XXXIV. c. 4. seqq., et Comment. ibid. p. II. a. 1. q. 1. seqq.

[4] Verba *sed per habitum fidei informis elevatur intellectus supra se* desiderantur in edd.

[5] Vers. 22. Seq. Script. locus est I. Cor. 13, 2. (iam in 2. arg. allat.). — Codd. E H I N T U V X et edd. 1, 2 bis *mirabilia* pro *miracula*.

[6] Vers. 17.

[7] De Utilitate credendi, c. 11. n. 25. Cfr. I. Retract. c. 14. n. 3. — In fine arg. pro *oriri* cod. U *originem*.

[8] Plurimi codd. et edd. 1, 2 hic perperam *fidelitate*, dum infra in solut. fere omnes recte exhibent *infidelitate*.

cum habitus infusi ita infundantur parvulis, sicut adultis, ita erit habitus fidei informis in parvulo baptizato, sicut est in Christiano iam provecto; sed in Christiano iam provecto, si peccet mortaliter, nihilominus tamen remanet in eo fides informis, esto quod nihil ultra addiscat: ergo pari ratione parvulus, si peccet, cum ad adultam aetatem pervenerit, fidem informem habebit, si [1] nihil ab aliis doceatur; et hoc est manifeste falsum, quia si talis poneretur inter Saracenos, antequam aliquid didicisset, nihil plus haberet de fide, quam si nunquam baptizatus fuisset.

CONCLUSIO.

Fides informis quoad suum formale, et ut est virtus, est donum divinum et habitus infusus.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum *credere*, sicut dicit Augustinus [2], sit « cogitare cum assensione », ad hoc quod habitus fidei *plene* et *integre* habeatur, necesse est, quod intellectus *instruatur* de credibilibus, ut possit illa cogitare, et *inclinetur*, ut possit illis assentire; et primum quidem est *materiale* in fide, secundum vero est *formale*, et utrumque reperitur tam in fide *informi* quam in fide *formata* [3]. Non enim dicitur *informis*, quia careat *omni* forma, sed quia caret forma *gratiae* gratum facientis.

Duo ad habitum fidei requiruntur.

Materiale et formale in fide.

Cum ergo quaeritur, utrum fides sit habitus *acquisitus*, vel *infusus;* respondendum est, quod si loquamur de fide quantum ad illud quod est *materiale* in ea, videlicet quantum ad cognitionem illam, qua cognoscimus, qui sunt articuli fidei, et scimus, « quid est quod per nomen dicitur [4] »: sic concedendum est, quod fides est per *auditum* et per *acquisitionem* secundum legem communem. Nemo enim scit, qui et quot sint articuli fidei, nisi didicerit legendo vel audiendo, nisi forte hoc habeat per privilegium speciale.

Conclusio 1.

Si autem loquamur de fide quantum ad *formale*, videlicet quantum ad illud quod facit assentire; sic dicendum est, quod *quaedam* fides informis est per *acquisitionem*, *quaedam* per *infusionem*. Nam quidam assentiunt veritati auditae, *moti humana persuasione*, utpote propter amorem et reverentiam dicentis, vel propter miracula [5], vel propter rationes et argumenta; et talis fides est *simpliciter acquisita* nec dicenda est habere rationem *virtutis*, quia nullius est vigoris nec roboris, sublata de medio ipsa humana ratione. — Quidam autem assentiunt veritati fidei *propter divinam illustrationem*, sicut illi qui innituntur primae Veritati super omnia et propter se, sicut multi Christiani, qui caritatem non habent; et in talibus fides est *per infusionem*. Voluntarie enim assentiunt, concomitante divina illuminatione, illuminatione, inquam, quae rationem elevat in his quae sunt supra ipsam. — Unde sicut illuminationem ad *futura praecognoscenda* dicimus esse infusam propter hoc, quod in ipsa elevatur anima supra ea quae sunt ei naturalia; sic intelligendum est etiam in parte ista [6]. — Concedendum est igitur, fidem informem, secundum quod virtus est, esse donum divinitus collatum et habitum infusum. Unde concedendae sunt etiam rationes, quae hoc ostendunt.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

Conclusio 4.

Simile.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod fides est ex auditu; dicendum, quod illud dicitur de fide, non ratione eius quod est *formale* et completivum, sed ratione eius quod est *materiale*, utpote ratione illius cognitionis, qua cognoscitur [7], « quid est quod per nomen dicitur », quae communiter non habetur nec in fide formata nec in informi nisi *per acquisitionem*. — Aliter etiam videtur aliquibus esse dicendum, quod illud verbum Apostoli intelligitur de fide informi, quae innititur *humanae rationi*, quae quidem non habet in se rationem virtutis. Sed primus modus dicendi rationabilior esse videtur, considerato intellectu Apostoli.

Solutio oppositorum.

Notandum.

Aliter.

2. Ad illud quod obiicitur, quod credere debetur auctoritati; dicendum, quod credere, secundum quod est actus fidei-virtutis, debetur auctoritati, non cuilibet, sed auctoritati divinae, cui quidem auctoritati nemo assentit propter se et super omnia, nisi per divinam illuminationem; et sic talis credulitas non est acquisita, sed infusa. Illa vero credulitas, quae innititur rationi *creatae principaliter*, non spectat ad ipsam fidem, secundum quod fides est *virtus;* et de hac verum est, quod potest esse per acquisitionem. — Unde attendendum est, quod dupliciter potest aliquis per fidem suam inniti sacrae Scripturae: aut quia credit, sacram Scripturam a Spiritu sancto fuisse inspiratam et editam, iuxta quod dicitur secundae Petri primo [8]: *Spiritu san-*

Notandum.

De fide in Scripturam.

---

[1] Edd. non bene *etiam si*. Mox pro *et hoc* codd. A K Z *sed hoc;* in fine arg. pro *fuisset* cod. A *esset*.

[2] De Praedest. Sanctor. c. 2. n. 5. — Pro *assensione* codd. A H I N Z et alii, sicut supra, pag. 474, nota 1, iam monuimus, *assertione*.

[3] Cfr. supra a. 1. q. 2. in corp. De seq. propos. cfr. d. 36. q. 6. — Subinde ante *informis* codd. A K Z bb supplent *fides*, et proxime post pro *quia careat* codd. A G U exhibent *quia caret*. Mox pro *sed quia caret* edd. cum non paucis codd. *sed quia careat*.

[4] His verbis Aristot., II. Poster. c. 7. et 10. (c. 9.), describit vim *definitionis nominalis*.

[5] Edd. 1, 2 et aliquot codd. *mirabilia*.

[6] Damasc., IV. de Fide orthod. c. 10: Fides duplex est; est enim *fides ex auditu* (Rom. 10, 17.); audientes enim divinas Scripturas credimus doctrinae Spiritus sancti... Est autem rursus fides eorum quae sperantur hypostasis, rerum redargutio, quae non videntur, vel est indistabilis et iniudicabilis spes eorum quae a Deo nobis annuntiata sunt... Prior mentis nostrae est, secunda charismatum Spiritus. Cfr. infra dub. 1. et 5.

[7] Edd. *cognoscit*.

[8] Vers. 21. — Mox pro ad *fidem-virtutem* edd. cum cod. A *ad fidei virtutem*.

cto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines, et sic talis credulitas spectat ad fidem-virtutem; aut ideo credit sacrae Scripturae, quia patres sui crediderunt, a quorum semitis non vult recedere, et hoc modo humanam respicit rationem, nec est talis credulitas *fidei-virtutis,* sed potius cuiusdam assuetudinis.

3. Ad illud quod obiicitur, quod aliae virtutes informes habentur per acquisitionem; dicendum, Notandum. quod non est simile, pro eo quod actus aliarum virtutum concordant ipsi rationi secundum naturale dictamen. Unde iustitia naturalis dirigit ad opera virtutum politicarum [1]; non sic autem est de fide, quae dirigit ad aliqua credenda, quae sunt *praeter* et *contra* et *supra* iudicium rationis; ideo non sic subiacet nostrae acquisitioni, secundum quod aliae virtutes morales.

4. Ad illud quod obiicitur, quod aliquis de infidelitate transiens ad haeresim acquirit cognitionem aliquorum articulorum; dicendum, quod non est si- Simile notabile. mile, quia, sicut idem ipsum potest amari amore divinitus infuso et amore etiam innato et libidinoso, et multum refert, utrum aliquid sic vel sic ametur: sic etiam intelligendum est in cognitione, quod idem ipsum aliter et aliter potest credi: vel ex *persuasione veritatis humanae,* vel ex *illustratione Veritatis aeternae.* Et haeretici quidem, si cognoscunt aliquos articulos, hoc est ex quadam *persuasione humanae rationis,* immo fictionis suae; et si secundum illam omnibus articulis fidei assentirent, adhuc tamen virtutem fidei non haberent, cuius est *intellectum in Christi obsequium captivare* [2]. Ideo non est simile de cognitione articulorum in viro fideli et in viro infideli; et pro tanto non sequitur, quodsi illa cognitio in *haereticis* est *acquisita,* quod propter hoc in *fidelibus* non sit *infusa.* — Si quis tamen Alius casus. de fideli et Catholico fiat haereticus et remaneat sibi cognitio alicuius articuli; non habet eam *omnino* per acquisitionem; nec tamen dicendus est habere *virtutem,* quia ibi illuminatio prior permixta est quodam modo falsitati erroris, et ideo non habet perfectionem competentem virtuti.

5. Ad illud quod obiicitur de parvulo, qui cadit de gratia [3], antequam aliquid de fide acquirat; dicendum, quod parvulus habet habitum fidei quan- Notandum. tum ad illud quod est in ea *formale;* habet enim aliquid quo promptus erit et facilis ad assentiendum omnibus articulis fidei, si ei proponantur, cum ad adultam aetatem pervenerit. Caret tamen ea cognitione, quae est *materialis* respectu fidei, sine qua, etsi illud *formale* possit in animam parvuli *infundi,* non tamen potest *radicari* et stabiliri. Et propterea, si, cum ad adultam aetatem pervenerit, proponatur ei error sub ratione credibili, facillime expellitur habitus fidei, et ita de facili assentit, ac si habitum fidei nunquam habuisset, propter hoc quod *liberum* Duplex ratio. *arbitrium* propter inassuetudinem nescit illo uti, et ille *habitus* non fuit in potentia radicatus, quamvis esset in ea infusus. De hoc autem in quarto libro [4] habetur sufficientius [5].

QUAESTIO III.

Utrum fides informis sit in daemonibus.

Tertio quaeritur de subiecto fidei informis, et est quaestio, utrum fides informis sit in daemonibus. Et quod sic, videtur.

1. Iacobi secundo [6]: *Daemones credunt et con-* Ad oppositum. *tremiscunt:* si ergo fides, quae est principium timoris, haec est fides, quae est virtus informis; videtur, quod fides, secundum quod est virtus, sit in daemonibus.

2. Item, super illud ad Romanos primo [7]: *Iustitia Dei revelatur ex fide in fidem;* Glossa: «Fides daemonum est et nominetenus Christianorum»; sed in Christianis, qui sunt nominetenus Christiani, est fides informis tanquam in subiecto: ergo et in daemonibus.

3. Item, Marci primo [8]: *Quid nobis et tibi, Iesu Nazarene?* et saepe in Evangelio daemones clamabant, Christum esse Filium Dei; sed constat, quod eius *Divinitatem* non poterant intueri, et hoc est super rationem, quod Deus *fieret homo*: ergo videtur, quod hoc non noverant nisi cognitione fidei: ergo videtur, quod habuerunt fidem.

4. Item, cognitio Trinitatis et Unitatis supra rationem est, sicut in primo libro [9] ostensum fuit; sed daemones cognoscunt, Deum esse trinum et unum;

---

[1] Cfr. infra d. 33. dub. 1. et 5. — Paulo inferius pro *praeter et contra* edd. *praeter naturam.* Mox post *non sic* [cod. A *sic non*] *subiacet* cod. O supplet *fides informis.*

[2] Epist. II. Cor. 10, 5. — Pro *assentirent* et *haberent* multi codd. *assentiret* et *haberet.* Paulo superius pro *illustratione* cod. Z *illuminatione.* Paulo inferius edd. 1, 2 bis *in vero* pro *in viro,* et deinde pro *quod propter hoc* cum Vat. *quod haec.*

[3] Codd. A K (N a secunda manu) P Q *a gratia.* Subinde pro *in ea* cod. F *in eo.* Aliquanto inferius pro *sine qua* (deest in codd. B C D O et edd. 1, 2) cod. H *suae.* In hac solut. edd. cum nonnullis codd. pro *proponere* perperam exhibent *praeponere.*

[4] Dist. 4. p. II. a. 2. q. 2. — Pro *propter hoc quod* plurimi codd. et edd. 1, 2 *propter quod,* cod. bb *sed propter quod.*

[5] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Vers. 19. — De propos. seq. cfr. infra d. 34. p. II. a. 1. q. 1.

[7] Vers. 17. — Glossa apud Petr. Lombard. in hunc loc. sic sonat: Haec [fides cum caritate] fideles facit et vere Christianos. Alia vero daemonum est et nominetenus Christianorum; nam *et daemones credunt et contremiscunt* (Iac. 2, 19.). Haec est informis qualitas mentis, quae dicitur informis, quia sociam non habet caritatem, quae est forma omnium virtutum. Cfr. August., in Epist. Ioan. tr. 10. n. 1; Serm. 53. (alias 14. ex Paris.) c. 10. n. 10. seq., nec non hic lit. Magistri, c. 3.

[8] Vers. 24. Cfr. ibid. 5, 7; Matth. 8, 29; Luc. 4, 34; 8, 28.

[9] Dist. 3. p. I. q. 4.

et talis cognitio, qua cognoscitur Deus esse trinus et unus, vel est cognitio *fidei*, vel est cognitio *comprehensionis*: cum ergo daemones non habeant cognitionem *comprehensionis* de ipsa Trinitate, habent ergo cognitionem *fidei*.

Fundamenta. SED CONTRA: 1. Super illud secundae ad Corinthios sexto [1]: *Quae conventio Christi ad Belial?* dicit Glossa: « Sicut Christus omnia bene, sic diabolus omnia male »; sed *credere* fidei informis est actus virtutis et actus bonus: ergo si daemonis est omnia male facere, videtur, quod ad ipsum non spectet ipsum *credere*, ergo nec habere fidem informem.

2. Item, fides informis est habitus infusus et donum Dei [2]: si ergo daemones habent fidem, aut infusa est eis *ante* lapsum, aut *post*; *ante* lapsum non, quia tunc non erant in statu, in quo esset eis fides opportuna; *post* lapsum non, quia obstinati sunt, ut dona Dei non possint suscipere: ergo si nunquam habuerunt habitum fidei infusum, et fides informis est per infusionem; non ergo habent fidem informem.

3. Item, *credere*, quod est actus fidei informis, est voluntarium, quia, « cum cetera possit homo *nolens*, credere non potest nisi *volens* [3] »; sed daemones, quantum est ex parte voluntatis suae, repugnant omni veritati et omni bono: si igitur ipsa fides informis facit credere voluntarie, videtur, quod daemones non habeant ipsam.

4. Item, fides informis est principium timoris servilis, et timor servilis facit peccatum fugere [4]: si ergo fides informis esset in daemonibus, esset in eis fuga alicuius peccati: si ergo nullum peccatum fugiunt, videtur, quod habitus informis in eis non reperiatur.

CONCLUSIO.

In daemonibus est aliqua fides informis, prout tamen caret non tantum forma virtutis gratuitae, sed etiam forma habitus virtuosi, infusi et voluntarii.

RESPONDEO: Dicendum, quod sicut ex praecedentibus [5] patet, fides informis dicitur duobus modis: Duplex fides informis. *quaedam*, quae innititur *primae Veritati propter se*, quamvis in ipsam non tendat amando; alia est fides informis, quae innititur ipsi *veritati articulorum propter aliquam rationem creatam*. Et *prima* quidem dicitur *fides informis*, non quia careat *forma fidei*, secundum quod est *virtus*, sed solum secundum quod est *virtus gratuita*; et de hac dictum est prius [6], quod est habitus virtuosus et habitus infusus. *Secundo* vero modo dicitur *fides informis*, quia caret *forma fidei*, et secundum quod *virtus* est, et secundum quod *gratuita* est. Nam illa credulitas, qua quis assentit articulis propter rationem creatam principaliter, non solum caret intentione habitus *gratuiti*, sed etiam intentione habitus *virtuosi*. Nullius enim virtutis videtur esse [7] credere, cum quis credit innitendo persuasioni, quam videt. Notandum.

Si igitur hoc *secundo* modo accipiatur informis fides, sic concedi potest, eam reperiri in daemonibus. Habent enim aliquam notitiam et credulitatem de articulis et credibilibus, quae quidem *fides* potest dici sive credulitas, propter hoc quod non est in eis *visio aperta*. — Et illa quidem cognitio partim fuit eis indita a *prima conditione*, partim est ex *acquisitione*. A prima enim *conditione* sua habuerunt cognitionem aliquam de articulis pertinentibus ad *Trinitatem*, quae etsi tunc non mereretur [8] dici *fides*, immo potius *cognitio contemplationis*, propter absentiam aenigmatis, peccato tamen superveniente et aenigmate subsequente, illa cognitio meruit dici *fides*, cum sit cognitio aenigmatica de his quae spectant ad divina. — Quantum autem ad articulos spectantes ad *humanitatem* est in eis cognitio *acquisita* per multa miracula et experimenta et quasi extorta necessitate quadam. Dum enim daemones vident aperte, eos qui Christum [9] credunt et ei conformantur, non posse damnari; manifesta ratione coguntur credere, fidem credentium in Christum veram esse; ac per hoc per consequens credunt, omnia esse vera, quae Christiani credunt; et ex hoc etiam perterrentur, propter quod dicit beatus Iacobus, quod *credunt et contremiscunt*. Conclusio 1. Corollarium. Quoad articulos de Deo. Item de humanitate.

Si vero loquamur de fide informi, secundum quod accipitur *primo* modo, videlicet prout est habitus *virtuosus* et habitus *infusus* et etiam *voluntarius*; hoc modo, etsi reperiatur in christianis viatoribus, non tamen potest reperiri in daemonibus, tum quia ipsi non sunt apti ad suscipiendos habitus infusos, tum quia voluntas eorum magis prona est ad impugnandum veritatem *secundum pietatem* [10], quam ad assentiendum ei. — Unde concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt. Conclusio 2.

---

[1] Vers. 15. Glossa invenitur apud Petr. Lombard. in hunc locum; apud Strabum et Lyranum habetur in Matth. 12, 35. Cfr. tom. II. pag. 178, nota 1. In Glossa Petrus Lombard. post *bene* supplet *agit*, Vat. *facit*. — De *minori* cfr. supra q. 1.

[2] Cfr. quaest. praeced.

[3] Ut dicit August., in Ioan. Evang. tr. 26. n. 2. Cfr. supra pag. 475, nota 3.

[4] Vide infra lit. Magistri, d. XXXIV. c. 4.

[5] Quaest. praeced. — Codd. A I K L Z *in praecedentibus*. Mox post *quaedam* cod. F addit *enim est fides informis*.

[6] Quaest. 1. seq. — Paulo ante pro *careat forma fidei* cod. O *careat omni forma*.

[7] Pro *videtur esse* codd. A K *est*.

[8] Cod. U *merebatur*, edd. *meretur*. Paulo superius pro *habuerunt* cod. A *habet*. — S. Thom. (S. II. II. q. 5. a. 1.) Angelis ante confirmationem et lapsum attribuit *donum gratiae* et per consequens *fidem*; de hac controversia cfr. II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. et scholion.

[9] Cod. aa *Christo*, Vat. cum nonnullis codd. (codd. N T a secunda manu) *in Christum*.

[10] Epist. ad Tit. 1, 1.

1. 2. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium de auctoritate Iacobi, et de Glossa, quod informis qualitas est in daemonibus [1]; dicendum, quod in utrisque reperitur fides, sed tamen aliter et aliter, sicut prius dictum est. Christiani enim nominetenus *voluntarie* assentiunt, et illa fides potest eis esse *via* ad virtutem, et quodam modo *rectificat* eorum mentem, etsi *non plene;* non sic autem est in daemonibus, quia ipsi credunt *coacti* et quasi cum quodam murmure.

Solutio oppositorum.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod confitebantur, Christum esse Filium Dei; dicendum, quod sicut dicit Augustinus in libro de Civitate Dei [2], « ipse Christus innotuit daemonibus non per id quod est veritas et lux, sed per quaedam suae virtutis effecta ». Unde quia ipsi videbant miram Christi virtutem in suis effectibus, cui nullatenus possent resistere; cognoscebant, ipsum non purum hominem, sed etiam Deum esse. Illa tamen credulitas non erat fides informis, secundum quod fides informis est *virtus*, quia non adhaerebant ipsi primae Veritati propter se.

4. Ad illud quod obiicitur, quod cognoscebant, Deum esse trinum et unum; dicendum, quod illa cognitio in daemonibus erat derelicta ex cognitione, quam habuerunt ex prima sui conditione. Secundum enim quod dicit Dionysius in libro de Divinis Nominibus, capitulo quarto [3]: « Data daemonibus dona nequaquam ipsa mutata esse dicimus, sed sunt integra et splendidissima, quamvis ipsi non videant, claudentes in se boni inspectivas virtutes ». Et sic non oportet in daemonibus ponere habitum fidei *infusae*, cum talem notitiam habuerint a prima naturali sua conditione, licet eam habeant quodam modo minus perfecte propter suarum mentium obcaecationem [4].

QUAESTIO IV.

Utrum fides informis expellatur per adventum gratiae.

Quarto quaeritur de ipsius fidei informis duratione, et est quaestio, utrum fides informis omnino expellatur per adventum gratiae. Et quod sic, videtur.

1. Maior est convenientia fidei formatae ad gloriam, quam sit fidei formatae ad fidem informem, pro eo quod gloria non est aliud quam gratia consummata; sed gloria superveniens evacuat habitum fidei formatae, sicut vult Apostolus [5]: ergo superveniente fide formata, tollitur fides informis et evacuatur.

Ad oppositum.

2. Item, maius lumen absorbet minus lumen: ergo si lumen gratiae gratum facientis superexcellit incomparabiliter lumen gratiae gratis datae, videtur ergo, quod fides informis per gratiam supervenientem habeat expelli [6].

3. Item, fides informis nunquam est nisi in peccatore, nam in omni iusto est fides formata; sed gratia gratum faciens nunquam potest esse cum peccato: ergo nunquam potest esse cum fide informi: ergo necessario eam in adventu suo expellit.

4. Item, omnes virtutes simul infunduntur [7], ergo cum infunditur caritas, infunditur fides formata; sed impossibile est, duo accidentia eiusdem speciei esse in eodem subiecto: ergo impossibile est, duas fides esse in eadem anima: ergo necesse est, fidem informem expelli ad adventum gratiae.

5. Item, aut lumen gratiae gratum facientis *sufficit* ad credendum, aut *non;* si *non:* ergo gratia gratum faciens non sufficit ad promerendum salutem; si *sufficit*, et superfluum est facere per plura, quod potest fieri per pauciora [8]: ergo videtur, quod superveniente gratia gratum faciente, superfluat habere fidem informem.

Fundamenta.

SED CONTRA: 1. Gratia non expellit nisi *culpam*, vel *consequens ad culpam;* sed fides informis nec est *culpa* nec *consequens ad culpam:* ergo fides informis non expellitur a gratia superveniente.

---

[1] Necessario ex Glossa hic supplendum erit: et in nominetenus Christianis. — Paulo inferius pro *ad virtutem* codd. A U *ad veritatem.*

[2] Libr. IX. c. 21: Innotuit ergo daemonibus non per id quod est vita aeterna et lumen incommutabile, quod illuminat pios, cui videndo per fidem, quae in illo est, corda mundantur, sed per quaedam temporalia suae virtutis effecta et occultissimae signa praesentiae etc. — Inferius pro *possent* cod. bb *possunt*, edd. 1, 2 *potuerunt*, Vat. *poterant.*

[3] Paragr. 23. In textu Graeco ultima huius testimonii verba sic sonant: κἂν αὐτοὶ μὴ ὁρῶσιν, ἀπομύσαντες αὐτῶν [in aliis edd. ἑαυτῶν] τὰς ἀγαθοπτικὰς δυνάμεις; quae verba S. Thom. in suo Comment. lect. 19. ita interpretatur: Sed quod ipsi non vident, hoc provenit ex hoc, quod ipsi per liberum arbitrium clauserunt « suas virtutes inspectivas boni », id est, averterunt voluntarie suum intellectum non a consideratione veri, sed ab inspectione boni, in quantum est bonum, quia scilicet nolunt illud sequi. — Pro *inspectivas* plures codd. *in speculativis*, alii et edd. *speculativas.* Vat. pro *virtutes* substituit *veritates*, omisso prius cum edd. 1, 2 *boni.*

[4] Vide scholion ad 1. huius art. quaestionem.

[5] Epist. I. Cor. 13, 10. seqq.

[6] Guliel. Antissiod., S. p. III. tr. 19. q. 3. ait: Sicut enim, sole lucente, cessat lumen lunae et stellarum, sic, lucente in microcosmo sole iustitiae per veram fidem, cessat lumen omnium virtutum informium, quae sunt ad modum stellarum aliquantulum lucentium in nocte peccati. — Paulo ante pro *ergo si* cod. U *sed.*

[7] Cfr. infra d. 36. q. 1. — Quod impossibile sit, plura accidentia eiusdem speciei esse in eodem subiecto, monstratum est tom. II. pag. 119, nota 8. Cfr. Aristot. V. Phys. text. 35. seqq. (c. 4.). — In codd. hoc quartum arg. exhibetur quinto loco.

[8] Vide supra pag. 277, nota 1. — Paulo ante pro *si sufficit* codd. U V et alii *si sufficeret* et dein pro *superfluum est* codd. U V soli *superfluum esset;* cum codd. A K Z ante *superfluum est* supplevimus *et.* Paulo inferius pro *superfluat* codd. A K U *superfluum est* [cod. K *sit*].

2. Item, sicut se habet actus ad actum, ita se habet habitus ad habitum; sed gratia gratum faciens facit *credere in Deum*, gratia vero gratis data facit *Deo credere* [1]: si igitur *credere in Deum* non expellit *credere Deo*, sed potius praesupponit; videtur, quod gratia gratum faciens non expellat fidem informem.

3. Item, magis conveniunt dona infusa cum infusis, quam infusa cum acquisitis; sed gratia gratum faciens, cum infunditur, non expellit habitus acquisitos [2]: ergo multo fortius non expellit habitum fidei informis, qui est infusus.

4. Item, sicut se habet culpa ad fidem formatam, ita se habet gratia ad fidem informem; sed culpa, cum superinducitur, etsi expellat *formam* fidei [3], non tamen expellit *ipsam fidem*, quia iam faceret hominem infidelem: ergo pari ratione gratia gratum faciens, cum superinducitur, etsi tollat informitatem fidei, non tamen tollit substantiam habitus.

5. Item, si habitus fidei informis tollitur in iustificatione impii, ergo cum aliquis recidivat in peccatum, aut efficitur infidelis, aut datur ei novus habitus fidei; sed infidelis non efficitur, sicut patet, nec novus habitus datur, quia non decet, ut peccanti in ipso actu peccati infundatur donum [4] gratis datum: ergo non videtur, quod habitus fidei informis per gratiam supervenientem habeat expelli.

CONCLUSIO.

Fides informis per gratiae adventum non expellitur quoad habitum et usum, sed tantum quoad defectum.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum dico *fidem informem*, dico Tria in fide informi. tria, videlicet *habitum* et ipsius habitus *usum* et *defectum annexum*; et quantum ad haec tria potest tripliciter intelligi, quod fides informis expellatur sive evacuetur per gratiam supervenientem. Et secundum hunc triplicem modum intelligendi tres fuerunt circa hoc opiniones.

Quidam namque dicere voluerunt, quod a gra- Opinio 1. tia superveniente fides informis expellitur non solum quantum ad informitatis *defectum*, sed etiam quantum ad *usum* et quantum ad *habitum*. Et hoc quidem dixerunt propterea, quia gratia superveniens secum fert omnes virtutes; et quia non est opportunum nec [5] est possibile, in uno et eodem esse duas fides; cum fides formata superinducatur cum gratia et quantum ad *formae complementum* et quantum ad *usum* et quantum ad *habitum:* ideo ad eius ingressum fides informis omnino expellitur. Et sic ponunt, eam expelli propter incompossibilitatem et inutilitatem [6]. Et *si tu obiicias* eis, quod tunc per culpam efficitur homo infidelis; respondent breviter, quod Deus sua gratuita bonitate, quia non permittit, hominem totaliter cadere, infundit ei habitum fidei informis, ne omnino pereat in eo fundamentum spiritualis aedificii; unde sicut ex malis eliciuntur bona, sic contingit, in culpae transgressione alicui infundi habitum informem.

Sed quia illud non videtur multum rationabile, quod Deus dona gratiae ipsi peccanti et se [7] a se avertenti infundat in ipsa aversione; ideo alius mo- Opinio 2. dus est dicendi, quod sicut per peccatum non introducitur habitus fidei informis, sed introducitur defectus et alius credendi modus; sic etiam per gratiam non excluditur ipsius fidei informis *habitus*, sed solum *usus* et *defectus*. Et *si tu obiicias*, quod frustra erit habitus sine usu; respondent, quod non frustra est, pro eo quod cedit [8] in dispositionem respectu fidei formatae; et praeterea remanet, ut homo utilitatem habeat de eo in tempore opportuno. — Sed Non probatur. quoniam *actus* et *usus* fidei informis est credere et assentire primae Veritati in omnibus articulis, et iste usus potissime competit usui gratiae; cum aliquid non tollatur nisi per suum oppositum, non videtur rationabile usquequaque dicere, quod per adventum gratiae tollatur *usus* fidei informis, cum potius videatur in ea perfici et compleri.

Et propterea est tertius modus dicendi, qui vi- Opinio auctoris et conclusio. detur probabilior esse praedictis, quod fides informis per adventum gratiae excluditur quantum ad solum *defectum*, salvo *habitu* et *usu;* et hoc quidem videtur satis rationabile, cum gratia opponatur habitui illi infuso solum ratione informitatis, sicut habitus opponitur privationi [9]. — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, habitum fidei informis per supervenientem gratiam non expelli.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in con- Solutio oppositorum. trarium, quod maior est convenientia fidei formatae ad gloriam quam informis ad gratiam; dicendum, quod maior convenientia dupliciter potest attendi: Distinctio notanda. aut secundum comparationem aliquorum in *genere gratuiti*, aut secundum ordinationem *habitus ad*

---

[1] Cfr. hic lit. Magistri, c. 4. et infra dub. 3. — In fine arg. pro *expellat* multi codd. *expellit.*

[2] Vide infra d. 33. q. 1. et 5.

[3] Scil. caritatem. Cfr. infra d. 36. q. 6.

[4] Codd. A K T adiungunt *gratiae.*

[5] Codd. A K U Z adtexunt *etiam.*

[6] Edd. 1, 2 omittunt *et inutilitatem.* Pro *inutilitatem* cod. G substituit *inunibilitatem*, Vat. *unitatem.* Mox pro *efficitur* edd. 1, 2 *fit*, Vat. *fieret.* Subinde pro *respondent* codd. A K *respondetur*, cod. Z *respondebunt*, qui cod. etiam proxime post omittit *breviter.* Paulo inferius pro *quia* edd. *qua.*

[7] Codd. non habent *se*, quod edd. non male suppleverunt; tamen, teste Forcellini, accusativus *se* interdum omittitur. Inferius pro *credendi modus* Vat. *credendi motus.*

[8] Pro *cedit* codd. A P Q *cadit.* Paulo inferius pro *utilitatem* codd. N (K a secunda manu) aa *necessitatem*, quod et in cit. *Supplemento* ad Sum. Alex. Hal., collat. 38. a. 3, habetur. Deinde pro *competit* complures codd. *competat.*

[9] Quomodo habitus opponatur privationi, exponit Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis*, et X. Metaph. text. 15. seqq. (IX. c. 4.).

actum. Si *primo* modo; sic maior est convenientia fidei formatae ad gloriam quam [1] ad fidem informem, quia utrumque est gratiae gratum facientis. Si *secundo* modo; sic maior est convenientia fidei formatae ad informem, quam fidei formatae ad gloriam, pro eo quod actus fidei informis non habet oppositionem cum actu fidei formatae, sed actus fidei formatae, qui quidem est credere non apparentia et videre *per speculum* et *in aenigmate* [2], magnam repugnantiam habet cum statu gloriae; ideo non sic evacuat, sicut evacuatur. Hoc autem infra melius manifestabitur, cum de evacuatione fidei agetur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod maius lumen absorbet minus lumen; dicendum, quod illud non Notandum. intelligitur de luminibus, quae sunt ad invicem *ordinata*, sed de his quae habent quandam *oppositionem* et repugnantiam, nisi intelligatur *absorbere* quantum ad apparentiam. Et quoniam lumen fidei informis *ordinem* habet ad lumen gratiae, *non oppositionem;* hinc est, quod ab ipso non absorbetur, sed magis in *esse* salvatur [3].

3. Ad illud quod obiicitur, quod fides informis non est nisi in peccatoribus et cum peccato; dicendum, quod hoc verum est ea ratione, qua fides informis nominat *defectum formae*, non secundum quod nominat *habitum*. Et ideo ex hoc non potest concludi, quod per gratiam advenientem tollatur fidei informis habitus, sed solum quod tollatur informitatis defectus.

4. Ad illud quod obiicitur, quod omnes virtutes simul infunduntur; dicendum, quod verum est quan- Notandum. tum ad illud quod est in eis *formale;* quantum autem ad *materiale* sive ad habitum substratum, non habet veritatem, nisi quando non invenit habitum in subiecto, quem informet [4]; et ideo cum gratia adveniens invenit habitum fidei informis, non oportet, quod superinducatur nova fides. — *Praeterea,* ratio Alia ratio. illa in alio deficit, quia gratia gratum faciens cum gratia gratis data non est eiusdem speciei; et ita procedit ex falsa suppositione.

5. Ad illud quod obiicitur, quod lumen gratiae gratum facientis debet sufficere ad credendum; dicendum, quod sufficit gratia gratum faciens, cum praesuppositione tamen gratiae gratis datae. Dona Notandum. enim gratiae gratum facientis non excludunt dona gratiae gratis datae, immo magis illa in suo adventu complent et perficiunt, et quodam modo ab eis vigorantur et perficiuntur. Ideo non sequitur, quod adveniente gratia gratum faciente, superfluat habitus fidei informis; nec remanente habitu informi, propter hoc lumen gratiae gratum facientis sit insufficiens. Unumquodque enim donum Dei sufficiens est secundum id, ad quod habet ordinem [5].

SCHOLION.

I. Haec et seq. (5.) quaestio intime cohaerent earumque solutio dependet a principiis, quae ponuntur in quaestione generali, quomodo caritas sit forma virtutum, vel in speciali quaestione, « utrum fides formata et informis specie differant » (S. Thom., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 3.). — Hanc 4. quaestionem S. Thom. (S. II. II. q. 4. a. 4.) aliique etiam hac formula exprimunt: Utrum eadem numero sit fides formata et informis. — Primam in corp. relatam opinionem tenuit Guliel. Antissiodorensis (Summa aurea, p. III. tr. 5. c. 1. q. 4.), cum explicite doceat, fidem informem, adveniente fide formata, perire tum quoad *actum* tum quoad *habitum*. Fundamentalis ratio ipsius est eiusdem assertio, quod utriusque fidei habitus *essentialiter* differant, quia secundum ipsum fides *informis* « innititur testimoniis Scripturarum et miraculorum »; fides *gratuita* vero est per illuminationem, qua « anima assentit primae Veritati propter se et super omnia ». Sed hoc ipsum fundamentum primae opinionis a S. Bonav. aliisque reprobatur; econtra communiter tenetur: « Fides formata et informis non distinguuntur sicut diversi habitus, sed sicut habitus perfectus et imperfectus » (S. Thom., de Verit. q. 14. a. 4.). Hoc dicitur de isto habitu in genere *moris*, sed in genere *naturae* hi « habitus sunt penitus idem » (idem hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 3.). Denique cum S. Bonav. communiter docetur, quod caritas est fidei forma non *intrinseca* et *essentialis*, sed *extrinseca* et *accidentalis* (S. Thom., S. II. II. q. 4. a. 3. ad 3.; cfr. infra d. 36. q. 6, praesertim ad 3.).

De hac 4. quaestione: Alex. Hal. (de hac et seq. q.), S. p. III. q. 64. m. 6. — S. Thom., locc. citt. et hic q. 3. a. 4. quaestiunc. 1-3. — B. Albert., hic a. 9. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 4. quaestiunc. 1. 3. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 3. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 8. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 3.

II. De seq. (5.) quaestione, quae est maioris momenti, cfr. hic dub. 3, infra d. 25. dub. 4, d. 27. a. 1. q. 1, praesertim ad 3, q. 3. ad 3; II. Sent. d. 41. dub. 1. — *Informatio* fidei aliarumque virtutum, quae fit per gratiam vel caritatem sive, ut dicit S. Thom. (hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 1. ad 3.), a gratia mediante caritate, intelligitur secundum quandam *analogiam*, quam habet cum informatione intrinseca et proprie dicta, qua in rebus naturalibus ex materia et forma fit *unum per essentiam*. Ex caritate autem et fide non fit unum essentialiter, sed unum « secundum quandam ordinationem et directionem in finem » (hic ad 4.), dum gratia superveniens communicat fidei tum in ordine ad *meritum* tum in recte *intendendo fine* ultimo (vide finem corp.) eandem perfectionem et rectitudinem, quae caritati est *essentialis*. Sed fidei extrinsecus haec perfectio advenit, ut explicatur exemplo lucis, quae superfunditur coloribus. Sed de hoc et de solutione ad 6. cfr. II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. et scholion et praecipue infra d. 36. q. 6.

De hac 5. quaestione: S. Thom., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 1; S. III. q. 4. a. 3. — B. Albert., hic a. 10. 11. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 4. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 1.

---

[1] Cod. Z subdit *gratiae*.

[2] Epist. I. Cor. 13, 12. Codd. Z bb cum Vulgata omittunt *et* post *speculum*. — De evacuatione fidei cfr. infra d. 31. a. 2. q. 1.

[3] Cfr. supra pag. 320, nota 5.

[4] Ita codd. A K L; in aliis et edd. *informat*.

[5] Cod. K *ordinare*.

QUAESTIO V.

Utrum fides informis fiat formata, adveniente gratia.

Quinto et ultimo quaeritur de ipsius fidei informis formatione, et est quaestio, utrum, adveniente gratia, fides informis fiat formata. Et quod sic, videtur.

1. Antequam aliquis peccet, non habet nisi fidem formatam, cum autem peccat, tunc incipit habere fidem informem: si ergo in peccando non infunditur ei nova fides, necesse est, quod per peccatum fides formata fiat informis. Si ergo fides informis ante fuit formata, videtur, quodsi aliquis restituatur in gradum pristinum per adventum gratiae, quod fides informis fiat formata.

2. Item, gratia adveniens informat naturam: si ergo fides informis plus approximat gratiae quam ipsa natura, videtur per locum *a minori* [1], quod fides informis habeat per gratiam informari.

3. Item, plus convenit habitus infusus cum gratia, quae est infusa, quam habitus acquisiti; sed habitus acquisiti per adventum gratiae informantur — quod patet, quia in eorum exercitio et usu homo meretur [2] — ergo multo fortius habitus fidei informis formatur per ipsam gratiam supervenientem.

4. Item, opera mortificata per adventum gratiae vivificantur, secundum quod communiter dicitur [3], ergo pari ratione et habitus mortuus: si ergo fides informis est huiusmodi, videtur, quod per adventum gratiae habeat informari.

5. Item, nihil aliud est dicere, habitum vivum esse, quam per illum vitam aeternam mereri posse; sed *credere* fidei informis, quod est assentire primae Veritati propter se et super omnia, superveniente caritate, habet omne quod necessarium est ad meritum: ergo videtur, quodsi actus eius est meritorius, quod habitus sit vivificatus. Quod autem habeat omne quod necessarium est ad meritum, planum est, cum ipsum opus de se sit bonum et rectum et sit [4] a caritate imperatum.

6. Item, omne illud, quod dicitur esse mortuum ex solo defectu alicuius, illo superveniente, vivificatur; sed fides informis dicitur esse mortua ob defectum gratiae et operationis fructuosae: ergo ipsis supervenientibus, reviviscit. Sed cum reviviscit, formatur: ergo fides informis potest fieri formata. Et hoc est quod habetur in Glossa super illud Iacobi secundo [5]: *Fides sine operibus mortua est;* Glossa: « Reviviscit ex operibus fides »; sed si fides ex operibus reviviscit: ergo ex adventu operum habet vitam et formam.

Sed contra: 1. Nullum peccatum potest fieri formatum [6], ergo nulla virtus potest fieri informis, ergo fides formata non potest fieri informis: pari ratione nec informis potest fieri formata. Ad oppositum.

2. Item, nullum opus mortuum potest fieri vivum — opera enim, quae in peccato facta sunt, nunquam revivificantur per gratiam, ut sint digna remuneratione vitae aeternae [7] — ergo si fides informis mortua est, videtur, quod per gratiam non habeat vivificari, ergo nec informari.

3. Item, nullum accidens potest alterari, secundum quod vult Boethius [8]; sed fides informis est accidens: ergo alterari non potest. Sed omne quod de informi fit formatum, alteratur: ergo impossibile est, fidem informem fieri formatam.

4. Item, ex his quae sunt diversa genere, non potest fieri unum per essentiam [9]; sed fides formata dicit habitum unum per essentiam: ergo impossibile est, ipsam constare ex gratia gratum faciente et gratia gratis data. Si ergo fides informis est donum gratiae gratis datae, videtur, quod impossibile sit, ipsam fieri formatam, superveniente gratia.

5. Item, fides informis per adventum gratiae non transmutatur nisi accidentaliter: ergo si per adventum gratiae efficitur virtus formata, accidit fidei, quod sit formata: si ergo nullum genus accidit speciei [10], fides non est species virtutis proprie dictae. Quodsi hoc est falsum: ergo et illud, ex quo sequitur, videlicet quod habitus fidei informis per adventum gratiae formetur.

6. Item, sicut se habet anima ad potentias suas,

---

[1] Vide tom. I. pag. 835, nota 5.

[2] Cfr. infra d. 36. q. 6.

[3] Et fusius exponitur IV. d. 14. p. II. a. 2. q. 3.

[4] Edd. 1, 2 cum pluribus codd. *et sic.*

[5] Vers. 26. Glossa allegata sumta est ex Bedae exposit. in v. 17: Mortua est enim in semetipsa sine operibus caritatis, quibus reviviscat et animetur. — Subinde pro *sed si* plurimi codd. et edd. 1, 2 *sed contra si,* cod. bb *sed tunc si,* codd. H N T *sed contra,* omisso *si.*

[6] Bonum est enim, ut August., de Vera Relig. c. 18. n. 36, ait, esse formatum. Nonnullum ergo bonum est et capacitas formae. Cfr. II. Sent. d. 35. a. 2. q. 1.

[7] Cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. XIV. — Pro *revivificantur* codd. A G N *reviviscunt,* cod. aa *reviviscuntur.*

[8] Libr. I. Comment. in Categorias (seu Praedicam.) Aristot., ubi circa finem illa verba: « maxime vero substantiae proprium esse videtur, cum unum et idem numero sit, contrariorum susceptibilem [ideoque et alterabilem] esse », commentans ait: Hoc enim in nullis aliis invenitur; namque in qualitate qualitas non erit eadem neque uno numero contrariorum susceptiva; idem enim et unum numero non erit album atque nigrum, cum album fuerit et post in nigrum vertitur, tota qualitatis species permutatur, et non erit unum atque idem numero quod contrarium est, sed *diversum* etc.

[9] Vide Aristot., V. Metaph. text. 16. et 33. (IV. c. 10. et 28.) et X. text. 11. seqq. (IX. c. 3.).

[10] Quod, aliis testimoniis praetermissis, Aristot. ostendit in IV. Top. c. 1. circa initium, ubi docet, genus non esse assignatum, « si non in eo *quod quid est* [essentialiter] praedicatur, sed ut accidens ».

sic se habet gratia ad virtutes; sed quotiescumque anima infunditur, fert secum potentias suas: ergo quotiescumque infunditur gratia, fert secum virtutes suas [1]: ergo cum infunditur gratia, infunditur simul fides formata: ergo fides formata non est eadem cum illa quae prius erat in anima. Et si hoc, restat, quod fides informis per adventum gratiae non formetur.

CONCLUSIO.

Fides informis formatur per ipsius gratiae adventum, ita ut ex utraque fiat unum per quandam ordinationem et relationem.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod praeter illas positiones, quae dicebant, fidem informem ad adventum gratiae excludi [2], secundum illos qui dicunt, ipsum habitum fidei informis remanere cum gratia superveniente, triplex

Triplex opinio.

est adhuc modus dicendi. — Quidam enim dixerunt, quod habitus fidei informis non formatur a gratia superveniente nec ab aliquo, quod sit *a gratia*, vel *cum gratia*. — Alii vero dixerunt, quod quamvis non formetur *a gratia*, formatur tamen ab aliquo, quod infunditur simul *cum gratia*. — Tertii vero dixerunt, quod ipse habitus fidei informis formatur *ab ipsa gratia*.

Ratio autem huius diversae positionis est propter diversum modum intelligendi infusionem gratiae

Opinio 1. explicatur.

et virtutum. Quidam enim voluerunt dicere, quod sicut *anima* est *totum potentiale* respectu suarum virium [3], et cum infunditur anima, simul secum portat suas potentias, et cum egreditur, simul trahit; sic et de *gratia* dicere voluerunt, quod gratia simul secum fert virtutes ipsas, quibus informantur potentiae, simul etiam secum trahit. Unde nulla virtus formata efficitur informis, nec aliqua [4] informis efficitur formata; infunditur enim quaelibet virtus plene et integre cum ipsa gratia, ita quod nihil extrinsecus intrat eius essentiam, nec quantum ad *ma-*

Non probatur.

teriale nec quantum ad *formale*. — Sed quoniam experimento videmus, aliquam virtutem, quantum ad id quod est in ea *materiale*, minime infundi, ut contingit videre in parvulo baptizato, qui post gratiae infusionem indiget adhuc articulis fidei erudiri ad hoc, quod in actum fidei exeat; non videtur iste modus intelligendi infusionem gratiae et virtutum omnino esse conveniens, videlicet quod *cum ipsa gratia* virtutes infundantur quantum ad ipsarum *totalitatem* et integritatem, hoc est, quantum ad id quod est in eis *materiale* et *formale*.

Et propterea alius modus est intelligendi infu-

Opinio 2. explicatur.

sionem gratiae [5], quod *cum ipsa gratia* infunditur *formale* omnium virtutum in genere gratuiti, quod quidem *essentialiter differt* ab ipsa gratia, sicut potentia animae essentialiter differt ab eius substantia. Et illud quidem *formale* virtutis cuiuslibet, infusum cum gratia, potens est suum *materiale* educere de potentia in actum, si non sit adhuc in actum eductum; si vero iam est in actum eductum, potest ipsum facere gratuitum et vivum. Et isti dicunt et sentiunt, quod habitus fidei informis formetur per ipsam *virtutem fidei*, quae simul cum gratia infunditur, et similiter efficitur informe, quando illud quod *formale* fuit in fide, simul cum gratia recedit et expellitur. Et secundum hanc positionem gratia, qua *virtus* dicitur gratuita, differt ab ea, qua *anima* dicitur Deo grata.

Sed quoniam in una anima una sola est gratia gratum faciens, secundum quod in secundo libro [6] ostensum fuit, per quam accepta est Deo anima et eius potentia; ideo est adhuc tertius modus dicendi

Opinio 3. probabilior explicatur.

et intelligendi infusionem gratiae et virtutum, qui videtur esse probabilior et facilior quam praedicti, videlicet quod ipsa gratia gratum faciens compara-

Simile, sed differt quoad esse primum.

tur ad habitus virtutum substratos, sicut comparatur lux ad colores. In hoc tamen est differentia, quod *lux* ista corporalis non *ita efficaciter* potest colores educere de potentia in actum quantum ad *esse*, quod habet color in genere *coloris*, secundum quod [7] ipsa *gratia* existens in ipsa anima potest facere germinare habitus virtutum. Ipsa enim *gratia*, adveniens in animam carentem habitibus virtutum, se habet quasi originale principium illorum quantum ad *esse primum*. Unde sicut pluvia infusa terrae habenti in se seminarium facit eam germinare, donec veniat ad fructum completum; sic intelligendum est de gratia respectu habituum ipsarum virtutum quantum ad ipsorum *esse primum* [8]. Non sic autem potest facere lux superinfusa exterius respectu colorum. — Sed si comparemus colores ad lucem

Quoad esse secundum est perfecta similitudo.

et habitus virtutum ad gratiam gratum facientem quantum ad *esse secundum*, utpote quantum ad *esse colorum* in genere *lucidi*, et *habituum* in genere *gratuiti*; tunc est similitudo expressa: ut, sicut multi *colores* in una domo tenebrosa existentes efficiuntur *luminosi* per unam luminositatem super-

[1] Cfr. infra d. 36. q. 1. — In *minori* post *potentias* non pauci codd. omittunt *suas*, et in fine arg. cum edd. 1, 2 pro *formetur* substituunt *formatur*.

[2] Vide quaest. praeced.

[3] Cfr. tom. II. pag. 600, nota 1.

[4] Codd. A K repetunt *virtus*.

[5] Cod. O addit *et virtutum*.

[6] Dist. 26. q. 5. et d. 27. a. 1. q. 1. seq.

[7] Pro *secundum quod* Vat. *sed*.

[8] Cassiodor., in Ps. 12. in initio sit: Caritas enim Dei quaedam vernalis est pluvia virtutum, sub qua et beata voluntas germinat et operatio sancta fructificat. Petr. Pictav., III. Sent. c. 1: Ros infunditur terrae, qui infusus [si] invenit fecunditatem in terra, illam excitat; ex qua excitata et ex rore procreatur germen, ex germine fructus. Ros est divina gratia; terrae fecunditas sive terra liberum arbitrium; germen motus interior; fructus actio exterior. Nam gratia infunditur menti huius hominis. Illa statim excitat liberum arbitrium, et procreatur motus caritatis, scilicet diligere. Statim diligit homo, et ille motus exteriorem procreat etc.

venientem et ab illa informantur et decorantur et
Conclusio 1. venustantur; sic habitus virtutum informes, existentes in anima venustantur et decorantur ab una gratia superveniente. — Et secundum hunc modum intelligendi infusionem gratiae et virtutum facile est intelligere, qualiter habitus fidei informis formetur per ipsius gratiae adventum: dicitur enim formari, sicut color tenebrosus formatur ad luminis ingressum. Et sicut ex colore et lumine superinfuso non fit *unum per essentiam*, sed *unum per ordinatio-*
Conclusio 2. *nem* quandam; sic nec ex gratia gratum faciente et informi fide intelligitur fieri unum nisi secundum quandam *ordinationem et relationem*, quia fides informis per adventum gratiae incipit complete ordinari in finem et in Deum tendere et eidem complacere [1]. — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, fidem informem fieri formatam per adventum gratiae.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in con-
Solutio oppositorum. trarium, quod nullum peccatum efficitur formatum, ergo etc.; dicendum, quod non est simile. Facilius
Notandum. enim est, aliquid *deformari* quam *informari*, quia plura exiguntur ad bonum quam ad malum [2]; ideo non sequitur, quodsi habitus substratus virtutis possit *obliquari*, quod peccatum et vitium possit *rectificari*. Et ex eadem causa non sequitur, quodsi peccatum non potest fieri formatum, quod virtus
Alia solutio. non potest fieri informis. — Aliter etiam potest dici, quod *peccatum* dupliciter potest accipi, videlicet *abstracte* et *concrete* [3]. Si *abstracte* accipiatur, impossibile est, peccatum posse formari, cum sit malitia pura; si autem accipiatur *concrete*, ut dicatur peccatum aliqua habilitas animae, in qua est deformatio malitiae — utpote cum aliquis abstinet propter vanam gloriam, ipsa abstinentia efficitur ei culpa — hoc modo ratione talis habitus substrati, qui deformatur a culpa, potest informari a gratia. Et per hunc modum dicimus virtutem formatam effici informem, ratione videlicet habitus substrati, qui indifferens est ad statum culpae et gratiae.

2. Ad illud quod obiicitur, quod opus mortuum non potest fieri vivum; dicendum, quod non est simile. *Opus* enim transit nec manet nisi in sua radice; ideo impossibile est, aliquod opus vivificari, quod a radice vivente ortum non sumserit. Et pro tanto dicimus, opera facta in caritate posse revivi-scere, quae autem extra caritatem facta sunt, vivificari non posse; gratia enim illa non posset attingere, cum simpliciter cesserint in praeteritum [4]. Non sic autem est de *habitibus virtutum informium*, quae manent in anima post ipsius gratiae adventum et per ipsam gratiam possunt venustari et decorari et in finem ordinari.

3. Ad illud quod obiicitur, quod nullum acci-
Notandum. dens potest alterari; dicendum, quod hoc verum est secundum *propriam* mutationem; sed nihil prohibet intelligere, alterationem fieri in accidente ratione [5] alterationis factae in *subiecto*; sicut *albedo* modo est clara, modo obscura ratione alterationis factae in *subiecto proprio*; et *color* modo est tenebrosus, modo est luminosus ratione transmutationis factae in *perspicuo sibi coniuncto*. Sic fides modo est informis, modo formata ratione alterationis factae in *anima*, quae modo habet gratiam, modo privatur ipsa per culpam.

4. Ad illud quod obiicitur, quod ex his quae sunt diversorum generum, non fit unum per essentiam; iam patet responsio; quoniam, sicut praedictum fuit, *informatio* habitus informis virtutis a
Duplex informatio. gratia non est per *essentialem unionem*, sed magis secundum quandam *ordinationem* et directionem in finem. Nam proprie loquendo, accidentia non habent materiam et formam [6]; sed quod dicitur *habitus informis* esse *materia* fidei, et illud quod *superinducitur*, esse *forma*, hoc est secundum quandam comparationem, sicut prius dictum est de lumine et colore. Unde sicut, quando dico *colorem illuminatum*, dico duo, tamen per modum unius, propter hoc quod ordinantur ad unum actum, videlicet ad movendum visum; sic, quando dico *fidem formatam*, duo dico, videlicet *fidem* et *gratiam*, tamen per modum unius, propter hoc quod ordinantur ad unum opus meritorium, scilicet ad credendum *in Deum*.

5. Ad illud quod obiicitur, quod fides informis
Notandum. non transmutatur nisi accidentaliter; dicendum, quod transmutatio *accidentalis* in genere *naturae* potest esse *essentialis* in genere *morum*; sicut patet de aliquo actu, qui per *privationem* alicuius circumstantiae accidentalis est in genere vitii, et per *positionem* est in genere virtutis. Per hunc modum est intelligendum in proposito. Quamvis enim illi habitui *accidat* esse cum gratia, vel sine gratia; *essentiale* tamen est ei esse cum gratia, prout est principium *meriti*. *Praeterea*, ipse habitus fidei informis, etiam gratia circumscripta, tenet rationem *virtutis* [7]; ideo

---

[1] Cfr. infra d. 36. q. 6.

[2] Aristot., VII. Topic. c. 3. (c. 4.): Quemadmodum in aliis corrumpere quam facere facilius, sic et in his destruere quam construere. Cfr. II. Ethic. c. 6, et Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 31.

[3] De quo fusius agitur II. Sent. d. 34. a. 2. q. 3. — Paulo superius pro *Aliter etiam* non pauci codd. *Aliter enim*; paulo inferius pro *formari* edd. *informari* et in fine solut. *quoniam indifferens* pro *qui indifferens*.

[4] Cfr. IV. Sent. d. XIV. lit. Magistri et Comment. p. II. a. 2. q. 3. — Pro *cesserint* edd. 1, 2 cum plurimis codd. perperam substituunt *cesserit*, pariterque perperam aliquanto superius dictae edd. cum Vat. omittunt *nisi* post *nec manet*. Infra pro *quae manent* edd. *qui manent*.

[5] Pro *ratione* codd. A U *respectu*. Post pauca pro *obscura* edd. *obscuratur*.

[6] Cfr. Aristot., VII. Metaph. text. 8. seq. (VI. c. 3.). — In seqq. respicitur illud Aristot., III. Topic. c. 2: Ubi unum propter alterum, ibi tantum unum. Cfr. tom. II. pag. 639, nota 2.

[7] Cfr. supra q. 1.

ex hoc non potest concludi, quin fides sit sub genere *virtutis* tanquam sub proprio genere.

6. Ad illud quod obiicitur, quod sicut se habet anima ad suas potentias, sic se habet gratia ad virtutes; dicendum, quod ista non est *omnimoda similitudo*, pro eo quod non est tanta diversitas ipsius gratiae ad virtutes quantum ad earum principium formale, sicut animae ad suas vires, quemadmodum in secundo libro [1] ostensum fuit, ubi fuit haec quaestio pertractata. *Virtutes* enim non dicuntur esse virtutes ipsius gratiae, per quas ipsa *gratia operetur*, sicut anima operatur per suas potentias. — Nec est intelligendum, quod gratia et virtus [2] sint in *diversis subiectis*. Haec enim ducunt in imaginationem falsam, in hanc videlicet, quod gratia *omnino* ita veniat in animam et eius potentias, sicut anima venit in corpus et eius organa. Tunc enim necessario oporteret, quod gratia abeunte per peccatum, expellerentur omnes habitus virtutum, quos secum defert; quod ex ipsa experientia planum est esse falsum. Et ideo ratio illa non concludit, quia accipit pro simili quod valde est dissimile.

Haec similitudo deficit.

Potest autem accipi *simile* de *infusione* gratiae et virtutum in pluvia et terra seminata; sicut de *informatione* virtutum a gratia accipitur in lumine et colore. Si enim una pluvia adveniat in terram, in qua sunt plantata diversa semina, quae non [3] germinaverunt, facit illam germinare et secundum diversitatem seminum diversas plantas producere. Si vero iam alias germinavit, sed propter defectum aquae iam arefactae sunt plantae; tunc pluvia denuo veniens facit illas plantas virescere. Sic gratia adveniens in animam, in qua sunt seminaria habituum virtutum, facit ipsam germinare, ita quod, ipsa habita, habentur per consequens et virtutes, et continue facit illa germina [4] crescere, quousque perducat usque ad perfectionem. Et si contingat merito peccati, humorem gratiae auferri, habitus illi virtutum efficiuntur quasi aridi; et postmodum, si restituatur pluvia et humor gratiae, non oportet, quod anima iterum de novo germinet; sed illa quae germinavit, per humorem gratiae advenientem iterum reviviscunt [5]. — Sic satis aperte intelligi potest, qualiter *gratia* cum *virtutibus simul* infundatur in animam, et quare aliquando *simul* dicitur infundi cum *habitibus substratis*, aliquando vero *minime*, cum tamen gratia, quantum est de se, infundatur semper uniformiter.

Alia similitudo de infusione.

Epilogus.

Quod autem seminaria virtutum quantum ad *habitus substratos* sint plantata in natura mentis rationalis, expresse potest haberi ab Augustino in multis locis [6], et a Bernardo in decimo capitulo de Amore Dei, et in libro de Collationibus sanctorum Patrum, et in aliis locis pluribus. Quidquid tamen sit de hoc, quia quaestio ista alibi [7] habet locum, ad praesens tantum sufficiat dixisse de quaestione proposita, quod iuxta sententiam et opinionem Magistri illa positio videtur esse verior, quae dicit, quod fides informis per advenientem gratiam fiat formata, sive formetur ab ipsa gratia *mediate*, sive *immediate* [8].

De habitibus virtutum innatis.

---

[1] Dist. 27. a. 1. q. 2.

[2] Verba *et virtus*, quae in edd. desunt, supplevimus ex codd. A K N Z bb.

[3] Pro *non* codd. A K U Z melius *nondum*. Subinde pro *illam germinare* edd. cum aliquot codd. non bene *illa germinare*. Inferius pro *denuo* cod. K *de novo*.

[4] Ex odd. A K Z bb adiunximus *germina*.

[5] Ita codd. G H; in aliis *reviviscant*, edd. *reviviscat*. Paulo superius pro *germinavit* cod. A *germinaverunt;* paulo inferius pro *cum virtutibus* codd. A K *in virtutibus*. Subinde pro *in animam* multi codd. *in anima*, ac pro *et quare* Vat. *et qualiter*.

[6] Libr. II. de Lib. Arb. c. 10. n. 29; III. c. 20. n. 56. Cfr. tom. II. pag. 901, nota 2. nec non pag. 903, nota 9. In Serm. 117. (alias 38. de Verbis Domini) c. 8. n. 11. S. Doctor dicit: Voluit enim Deus inseminare omni animae initia intellectus, initia sapientiae. Et in Libr. de Spiritu et anima (inter opera August.) c. 4. legitur: Habeatque anima per exercitium virtutes, quarum facultates habet per naturam. — Bernard., de Diligendo Deo, c. 2. n. 6, postquam virtutem munus Dei significavit, adiungit: « Clamat nempe intus ei *innata* et non ignorata rationi iustitia, quia ex toto se illum diligere debeat » etc. Expressius etiam haec sententia profertur in Epist. ad Fratres de Monte Dei (inter opera Bernardi, sed auctore Guigone Carthus.), II. c. 2. n. 7, ubi praemisso, quod « virtus omnis homini naturalis est » et quod « naturae res est », quaeritur: « Quid est virtus »? et respondetur: « Filia rationis, sed magis gratiae. Vis enim quaedam est ex natura; ut autem virtus sit, habet ex gratia. Vis est ex iudicio approbantis rationis, virtus autem ex appetitu illuminatae voluntatis. Virtus enim est voluntarius in bonum assensus » etc. Et in Tract. de gratia et lib. arb. c. 6. n. 17. legitur: Simplices namque affectiones insunt naturaliter nobis, tanquam ex nobis; additamenta ex gratia. Nec aliud profecto est, nisi quod gratia ordinat quas donavit creatio, ut nihil aliud sint virtutes nisi ordinatae affectiones. — Cum codd., quos sequuntur edd., retinuimus scripturam *cap. 10. de Amore Dei.* — Ex Cassiani libro de Collationibus, cuius hic mentio fit, afferimus sententiam hanc, collat. 13. c. 12: « Dubitari ergo non potest, inesse quidem omnia animae naturaliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta »; sed simul observamus, quod Cassianus aliter accipit *semina virtutum* quam August., scil. ut semina verae pietatis, cuiusmodi sunt bonae cogitationes, pia desideria, initia etiam fidei et aliarum virtutum, quibus homo se praeparet ad gratiam, et quorum intuitu conferatur illi gratia. Quam acceptionem sive sententiam impugnat S. Prosper in libro contra Collatorem, c. 13. n. 37. seqq. — Ex aliis Patribus sufficiat hic memorare Basil., in Hexaëm. homil. 9. n. 3, et Regul. fusius tract., interrog. 2. n. 2; Chrysost., in Epist. ad Eph. homil. 2. n. 3; Damasc., III. de Fide orthod. c. 14. circa finem; Hieronym., in Gal. 1, 15. — Mox pro *pluribus* codd. G T *plurimis*.

[7] Infra d. 33. q. 5. — Sententia Magistri habetur hic in lit. c. 5. — Paulo inferius pro *quae dicit* cod. Q *qua dicitur*.

[8] Vide scholion ad praecedentem quaestionem.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de illa notificatione, quam Magister ponit: *Fides est virtus, qua creduntur quae non videntur.* Videtur enim ista definitio minus recte assignari, quia *Ioannis vigesimo* [1] dictum est Thomae: *Quia vidisti me, credidisti;* constat, quod Thomas credidit vera fide: ergo ista definitio non convenit omni fidei universaliter. — Item, quaeritur iuxta hoc de diversitate notificationum ipsius fidei, quae a diversis doctoribus assignantur. Videtur enim, quod minus recte, quia, cum « unius rei unum sit *esse* » ; et « definitio est ratio indicans *quid est esse* » ; videtur, quod fidei unica tantum debet assignari definitio [2]. Quaeritur ergo, penes quid, et quomodo differenter assignantur?

Quaestio de definitionibus fidei.

Respondeo: Dicendum, quod virtus fidei, secundum quod multipliciter habet considerari, habet diversimode notificari. Consideratur enim fides quantum ad *genus proprium;* et sic definitur ab Augustino [3]: « Fides est virtus, qua creduntur quae non videntur ».

Definitio 1.

Consideratur secundo quantum ad *finem ultimum;* et sic definitur ab Apostolo [4]: « Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium » ; et haec definitio explanatur a Damasceno in libro suo: « Fides est eorum quae sperantur hypostasis, rerum redargutio, quae non videntur ».

Definitio 2.

Consideratur tertio quantum ad *obiectum* et *principium motivum*: et sic definitur ab Augustino ad Consentium [5]: « Fides est illuminatio mentis ad summam Veritatem ».

Definitio 3.

Consideratur nihilominus quantum ad *actum proprium;* et sic definitur a Damasceno [6]: « Fides est non inquisitus consensus » circa primam Veritatem; vel secundum alios *affirmative:* « inquisitus consensus », quia in diversis translationibus utrumque reperitur; et utrumque potest intelligi vere, quia, quamvis videantur dicere oppositum, una tamen explanat alteram. Cum enim dicitur fides *consensus inquisitus,* hoc est dicere, id est consensus *non quaesitus;* et tunc *in* tenetur *privative* et tantum valet quantum *consensus non inquisitus,* hoc est assensus, quo quis libere assentit Veritati, non innitens alicui rationi.

Definitio 4.

Consideratur etiam in ordine ad *subiectum;* et sic definitur a Dionysio in libro de Divinis Nominibus, capitulo septimo [7]: « Fides est unicum credentium fundamentum, eos collocans Veritati ».

Definitio 5.

Consideratur etiam in comparatione ad *habitus alios* quantum ad *assentiendi modum;* et sic definitur ab Hugone in libro de Sacramentis [8]: « Fides est certitudo quaedam de rebus absentibus, supra *opinionem* et infra *scientiam* constituta ».

Definitio 6.

Ex his patet, quod fides habet diversimode notificari, secundum quod habet diversimode considerari, videlicet in comparatione ad *genus proprium,* ad *finem ultimum,* ad *obiectum,* ad *actum proprium,* ad *subiectum* et ad *habitum disparatum.*

Ad illud quod primo obiicitur de Thoma, quod et vidit et credidit: dicendum, quod aliud *credidit,*

---

[1] Vers. 29.

[2] Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 4.), propositis locis, ex quibus videre est, num quis « definiverit et dixerit, *quid est esse* » [τὸ τί ἦν εἶναι], l. c. definiverit *quidditatem* sive *essentiam* (cfr. supra pag. 341, nota 7.), ait: Manifestum igitur, quod qui non per huiusmodi [scil. per priora et notiora] definivit, non definivit; si enim definivit, plures erunt eiusdem definitiones. Nam manifestum, quod et qui per priora ac notiora, iterum melius definivit; quare utraeque erunt definitiones eiusdem. Tale autem non videtur; nam unicuique eorum quae sunt, unum est *esse id ipsum quod est;* quare si plures erunt eiusdem definitiones, idem erit definito *esse,* quod quidem secundum utramque definitionem significatur; haec [*esse* sive essentiae] autem non eadem sunt, eo quod definitiones diversae etc. Cfr. II. Poster. c. 10. (c. 9.), et V. Metaph. text. 15. (IV. c. 8.), ac VII. text. 11. seqq. (VI. c. 4.), ubi illa *definitionis* notio allata invenitur, quae I. Topic. c. 4. etiam ad *terminum* (ὅρος) *definitioni* (ὁρισμός) respondentem applicatur, illa scilicet: « Oratio [λόγος] *quid erat esse* significans ». — Plurimi codd. habent *ratio, indicans quid est esse,* pro quo edd. fide paucorum tantum codd. substituerunt *oratio indicans, quid est esse rei.*

[3] Libr. II. Quaest. evang. q. 39. n. 1; in Ioan. Evang. tr. 79. n. 1. Cfr. ibid. tr. 40. n. 9. Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[4] Hebr. 11, 1. Explanationem Damasc. (IV. de Fide orthod. c. 10.) videsis supra a. 1. q. 5. ad 1.

[5] In Epist. 120. (olim in edd. in duas divisa et sub num. 222. et 85. exhibita), ubi tamen non ad verbum habetur definitio allata, sed eruitur ex iis quae S. Doctor ibi c. 1-4. n. 4-18. profert ostendens, nos per fidem, Deo intus adiuvante et illuminante, pervenire « non solum ad tantam intelligentiam rerum incorporearum et incommutabilium, quanta in hac vita capi non ab omnibus potest, verum etiam ad summitatem contemplationis, quam dicit Apostolus *facie ad faciem* » (I. Cor. 13, 12.). Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 5. a. 1. ait: Quaedam [cognitio] vero est ex lumine gratiae infuso, elevante ipsum intellectum supra se ad assentiendum Veritati primae propter se et super omnia, secundum quem modum dicit Augustinus: « Fides est illuminatio mentis ad summam Veritatem ». Et secundum hunc modum definitur a Ioanne Damasc. (IV. de Fide orthod. c. 10.): « Indistabilis et iniudicabilis spes [ἀδίσταχτος καὶ ἀδιάκριτος ἐλπίς] eorum quae a Deo nobis annuntiata sunt ». Cfr. infra d. 24. a. 1. q. 1. — Pro *ad Consentium* edd. *ad Constantium.*

[6] Libr. IV. de Fide orthod. c. 11: Πίστις δέ ἐστιν ἀπολυπραγμόνητος [i. e. carens omni inquisitione] συγκατάθεσις. Similiter dicit Basil., in Ps. 115. n. 1: Fides prae cunctis rationalibus methodis animam trahens ad consensum; fides, quae non necessariis geometricis probationibus, sed Spiritus sancti operatione gignitur. — Non ita multo post complures codd. omittunt *tamen,* et deinde pro *quantum consensus non inquisitus* edd. substituunt *quantum assensus non quaesitus.*

[7] Paragraph. 4, secundum versionem Scoti Erig. — Pro *Veritati* Vat. *in Veritate.*

[8] Libr. I. p. X. c. 2.

scilicet Divinitatem, et aliud *vidit*, videlicet humanitatem. Sed hoc melius infra [1] determinabitur, cum agetur de obiecto fidei.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *fides accipitur tribus modis.* Videtur enim, quod insufficienter distinguat ipsam fidem; videmus enim, *fidem* aliquando accipi pro ipsa *conscientia,* secundum quod dicitur ad Romanos decimo quarto [2]: *Omne quod non est ex fide, peccatum est;* quod non continetur sub aliquo praedictorum. — Iuxta hoc quaeritur, quot modis fides dicatur.

Quaestio de multis sensibus vocis fidei.

Respondeo: Dicendum, quod fides invenitur accipi decem modis. — Aliquando enim accipitur pro *sponsione;* prima ad Timotheum quinto [3]: *Primam fidem irritam fecerunt.* — Aliquando pro *fidelitate;* Ieremiae septimo: *Periit fides et Sanctus de terra.* — Aliquando pro *conscientia;* ad Romanos decimo quarto: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* — Aliquando pro *Sacramento fidei,* secundum quod dicit Augustinus ad Bonifacium [4], quod non est aliud parvulos habere fidem quam habere fidei *Sacramentum.* — Aliquando pro *acceptatione* conclusionis per rationem probatae, secundum quod dicit Boethius [5]: « Argumentum est ratio rei dubiae faciens fidem ». — Aliquando pro *cognitione comprehensionis,* secundum quod dicitur ad Romanos primo [6]: *Iustitia Dei revelatur ex fide in fidem;* Glossa: « in fidem speciei », quae dicitur *fides,* quia fidentissima et certissima est. — Aliquando pro *habitu fidei informis;* Iacobi secundo [7]: *Fides sine operibus mortua est.* — Aliquando pro *habitu fidei formatae;* ad Romanos primo: *Iustus ex fide vivit.* — Aliquando pro *actu fidei,* secundum quod dicit Augustinus [8]: « Fides est credere quod non vides ».

Sensus primus. Secundus. Tertius. Quartus. Quintus. Sextus. Septimus. Octavus. Nonus. Decimus.

— Aliquando pro ipso *obiecto fidei,* secundum quod dicitur in Symbolo Athanasii: « Haec est fides catholica » etc.

De omnibus autem his modis contingit dicere fidem secundum quandam *analogiam,* pro eo quod in omnibus reperitur quaedam ratio assensus et credulitatis [9] cuiusdam, licet non uniformiter. De his autem decem modis Magister solum tres assumit, quia illi sunt, qui faciunt ad suum propositum principale, videlicet ad praemissae definitionis explanationem [10].

Notandum.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Aliud est credere in Deum, aliud credere Deo, aliud credere Deum.* Si enim habitus distinguuntur per actus [11], videtur, quod non sit unius fidei omnia ista facere, sed diversarum; quod falsum est, quia una fide omnia haec tria facimus. — Item, videtur, quod male definiat *credere in Deum,* cum dicit, quod *credere in Deum est credendo amare* etc. Si enim *credere* et *amare* sunt actus disparati [12], videtur, quod unus per alterum non habeat definiri. — Item, videtur esse inculcatio verborum, cum dicit: *credendo amare, credendo in eum ire* [13], *credendo incorporari;* idem enim videtur per verba illa dici.

Respondeo: Dicendum, quod sicut dicit Magister, aliud et aliud est sive alius et alius modus credendi: *credere Deo* et *Deum* et *in Deum.* Et isti quidem actus possunt ad diversos habitus pertinere, possunt etiam pertinere ad eundem, quoniam non sunt sic diversi, quin habeant ad invicem ordinem. Nam *credere Deum* respicit divinam Veritatem ut *obiectum; credere Deo,* ut *motivum; credere in Deum,* ut *finem ultimum.* Et istae tres comparationes circa eundem habitum reperiri habent. Et quoniam fides non perfecte tendit in Deum tanquam in *finem* [14], nisi prout est iuncta caritati; ideo actus *cre-*

Notandum.

---

[1] Dist. 24. a. 2. q. 1. — Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 5. a. 1; in *Supplemento,* coll. 31. a. 1; item B. Albert., hic a. 3; S. Thom., hic q. 2. a. 1. ad 8; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 2; Richard. a Med., hic a. 4. q. 1.

[2] Vers. 23.

[3] Vers. 12. — Seq. Scripturae locus est Ier. 7, 28; tertius deinde Rom. 14, 23.

[4] Epist. 98. (alias 23.) n. 9: Sicut ergo secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est... ita Sacramentum fidei fides est. Nihil est autem aliud credere quam fidem habere. Ac per hoc, cum respondetur parvulus credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur, fidem habere propter fidei Sacramentum etc.

[5] Libr. I. Comment. in Topic. Cicer., et I. de Differ. topic., quo posteriore loco verbis hic allatis addit: Non vero idem est *argumentum* et *argumentatio;* nam vis sententiae ratioque ea, quae clauditur oratione, cum aliquid probatur ambiguum, *argumentum* vocatur; ipsa vero argumenti elocutio *argumentatio* dicitur. — Pro *acceptatione* edd. *assensione.*

[6] Vers. 17. Penes Petrum Lombard. Glossa in hunc loc. sic sonat: « Vel transeundum fore intelligat de fide *verborum* et *spei* in fidem *rerum* et *speciei* ». Ipsa delibata est ex August., II. Quaest. evang. q. 39. n. 1. seq. Cfr. Enarrat. in Ps. 109. n. 8. et n. 12. seqq. — Edd. perperam *in fidem spei.*

[7] Vers. 26. — Seq. locus Scripturae est Rom. 1, 17.

[8] In Ioan. Evang. tr. 40. n. 9, et Serm. 43. (alias 27. de Verbis Apostoli) c. 1. n. 1. — Mox pro *ipso obiecto fidei* edd. *obiecto ipsius fidei.*

[9] Edd. *ratio et assensus credulitatis.* Paulo inferius pro *quia illi sunt* codd. A G K *qui illi sunt,* edd. *et illi sunt.*

[10] Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 64. m. 1; B. Albert., hic a. 4; S. Thom., hic circa lit.; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 2.

[11] Cfr. supra pag. 470, nota 8. — Subinde pro *unius fidei* cod. Z *eiusdem fidei.*

[12] Vide supra pag. 226, nota 1. — Mox pro *habeat* cod. Z *debeat.*

[13] Codd. Z bb *credendo ei adhaerere.* Proxime post cod. Z verbo *incorporari* adiicit *eius membris.* In textu Magistri (hic c. 4.) legitur: « credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhaerere et eius membris incorporari », qui quatuor actus etiam circa finem solut. enumerantur.

[14] Edd. supplent *ultimum.* Post pauca pro *genus actus* cod. Z *genus actuum.*

dendi in Deum definitur per actum amandi, non tanquam per actum *proprium*, sed tanquam per actum *annexum*. — Et iterum, qúia quadruplex genus actus annexum est ipsi fidei, secundum quod iungitur caritati, secundum quadruplicem comparationem; ideo quatuor ponit in eius notificatione. Fides enim, prout iuncta est caritati, ordinat ad *amandum Deum*, ad *faciendum bonum*, ad *sustinendum*[1] *malum*, ad *diligendum proximum*. Et iuxta haec quatuor, quatuor ponit actus in illa notificatione, videlicet credendo *amare* quantum ad affectum, credendo *ire* quantum ad bonum opus, credendo ei *adhaerere* quantum ad tolerantiam mali, credendo *incorporari* membris quantum ad dilectionem proximi. — Et sic patet responsio ad illa quae quaerebantur[2].

Actus 4 annexi fidei.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus: *Fidem ipsam videt quisque in corde suo esse.* Si enim virtutes ad invicem connexae sunt, et aliquis scit, se habere fidem; videtur per consequens, quod sciat, se habere caritatem; cuius contrarium in primo libro ostensum fuit distinctione decima septima[3]. — Item, si fides videtur et certissime cognoscitur, eo quod essentialiter sit in anima, cum caritas et gratia essentialiter sint in anima; est quaestio, quare non cognoscatur certissime ab his, a quibus habentur.

Quaestio incidens 1.

Iuxta hoc etiam quaeritur de *modis visionis*, quos assignat Augustinus in littera[4]; videtur enim illa divisio esse superflua, cum super Genesim ad litteram in libro duodecimo et in Glossa secundae ad Corinthios duodecimo non distinguantur nisi tria genera visionum.

Quaestio incidens 2.

Respondeo: Dicendum, quod secundum verbum Augustini[5], *fides* essentialiter existens in anima cognoscitur per sui *essentiam*; et hoc communiter omnes tenent.

Notandum de fide.

De *caritate* autem quidam dicunt, quod videtur *essentialiter*, et scit homo, se habere caritatem, qui habet; sed nescit, utrum in ea perseveret[6]. Dicunt enim, hoc esse generaliter verum, quod de omnibus, quae sunt *essentialiter* in anima, habet anima certam scientiam, quia cognoscit ea per eorum *essentiam*, sive sit habitus gratiae, sive caritatis, sive alterius virtutis. — Sed haec responsio contrariatur ipsi cognitioni experimentali. Multa enim sunt in nobis, quae nos latent; et multae animae sunt deformes, quae suas deformitates nullo modo noverunt; et multa sunt in nobis, quae patent[7]. Et propterea non est dicendum, quod *omnia* quae sunt in anima *essentialiter*, teneantur visione et cognitione certa. Et de caritate et gratia satis est planum, quia pauci vel nulli sunt, qui sciant certitudinaliter, se esse in gratia; et hoc melius scitur, si inquiratur a viris sanctis et bonis.

De caritate opinio 1.

Improbatur.

Ideo aliter dicunt alii, quod dupliciter scitur aliquid, videlicet scientia *notitiae* et scientia *discretionis*, secundum quod traditur ab Augustino in libro de Trinitate[8], quod aliud est rem *nosse*, aliud co-

Opinio 2.

---

[1] Pro *sustinendum* edd. exhibent falso *fugiendum*, et paulo inferius *ad effectum* pro *ad affectum*. Subinde pro *credendo ire* cod. Z (II a secunda manu) *credendo in eum ire*.

[2] De hoc dubio cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 64. m. 5. a. 1; B. Albert., hic a. 7; S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 2; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 2.

[3] Part. I. q. 3. — De *connexione* virtutum vide infra d. 36. q. 1. seqq.

[4] Hic c. 7, ubi *sex* modi visionis distinguuntur. Libr. XII. de Gen. ad lit. c. 6. n. 15. seqq. *tria* tantum genera visionum distinguuntur, scil. visio *corporalis* sive sensitiva, *spiritualis* sive imaginativa, et *intellectualis*. Glossa ut *ordinaria* habetur apud Lyranum et etiam apud Petr. Lombard. in II. Cor. 12, 2, ubi Apostolus ad tertium caelum se raptum esse refert, cui relationi Glossa annectit expositionem de triplici caelo, et huic respondentem commemorat triplicem ab Augustino assignatam visionem. — Paulo ante pro *non cognoscatur* [supple: hoc] codd. K T bb *non cognoscitur*, cod. A *non sequitur cognosci*.

[5] Vide hic lit. Magistri, c. 7.

[6] Praepositivus, S. p. III. quaestionem solvens, sciatne aliquis se habere caritatem, ait: Quidam dicunt, quod nemo scit, se habere caritatem; in praedictis auctoritatibus (Rom. 8, 38: Certus sum enim, quia neque mors etc.; II. Cor. 13, 3: An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Christus etc.; I. Cor. 7, 40; 11, 28; et August. VIII. de Trin. c. 8. n. 12: Magis enim novit dilectionem, qua diligit, quam fratrem, quem diligit etc.) accipitur *scio* pro *credo*. Nobis autem videtur, quod aliquis scit, se habere caritatem, ut Martinus, qui dixit: «Quid hic astas, cruenta bestia? Nihil in me funesti reperies»; et Apostolus, qui dicit: «Scio, quod Spiritum Dei habeam». Aliqui credunt, se habere, et non habent, ut pharisaeus, qui dicebat: Gratias tibi ago, Domine, quia non sum sicut ceteri homines (Luc. 18, 11.). Aliqui credunt, se non habere, et habent, ut qui conteritur, tamen non credit, illam contritionem esse sufficientem. Et alii credunt, se habere, et habent, ut humiles, qui credunt, se satisfecisse. Quod ergo dicit Iob (14, 21.: «Sive nobiles fuerint filii eius, sive ignobiles, non intelliget»; et 9, 21: «Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea»); dicimus, quod non loquitur in persona sua, sed in persona hominis generaliter; ita et de Paulo: Nihil mihi conscius etc. (I. Cor. 4, 4.). In auctoritate Augustini (Nemo scit, utrum dilectione dignus sit, an odio) intelligitur: *finaliter* nemo scit. — Dicit Praepositivus etiam (quae verba hic notentur ad enuntiatum seq.): Item, dilectio est *motus animi* ad fruendum Deum propter se et proximum propter Deum; ergo potest scire, se habere caritatem. — Paulo superius post *qui* [Vat. *quam*] *habet* codd. M O supplent *eam*; paulo inferius pro *habet anima* codd. A U *habet suam*.

[7] Edd. *quae non patent*. Paulo ante pro *et multa* cod. K *et etiam multa*.

[8] Libr. X. c. 5. n. 7. seqq., ubi quaestio proponitur: Ut quid ergo ei [animae sive menti, quae sibi ipsi praesens est et se totam cognoscit] praeceptum est, ut se ipsam cognoscat? Quam quaestionem tractans S. Doctor, praemisso hoc, quod «aliud sit non se *nosse*, aliud non se *cogitare*; neque enim multarum doctrinarum peritum ignorare grammaticam dicimus, cum eam non cogitat, quia de medicinae arte tunc cogitat»; et ostenso, quod error animae de se non inde veniat, quod ipsa sit absens, sed quod rerum sensarum imagines non secernat anima a semetipsa — concludit dicens: Cognoscat ergo semetipsam, nec quasi absentem se quaerat, sed intentionem voluntatis, qua per alia vagabatur, statuat in semetipsam, et se cogitet...

gitare et *distinguere*. Dicunt ergo, quod omnia quae essentialiter sunt in anima, certissime sciuntur scientia *notitiae;* qua quidem scientia dicit Augustinus [1], quod anima non potest se ipsam ignorare; et sic cognoscuntur tam fides quam caritas quam etiam alia. Sed si de scientia *discretionis* loquamur, sic non habet veritatem, pro eo quod ea quae essentialiter sunt in anima, etsi scientia *notitiae* cognoscantur, tamen ab aliis non semper *discernuntur,* sicut dicit Augustinus [2] de ipsa anima, quod etsi non possit se ipsam non *nosse,* nescit tamen aliquando se ab aliis *discernere;* sicut patet de illis qui posuerunt, animam esse corpus, vel aquam, vel ignem. Et hoc modo non habet quis notitiam de caritate, quae est in se, nec de gratia gratum faciente, quia nescit eam discernere a dono gratiae gratis datae, propter ipsius mentis obnubilationem ex phantasmatum in-
Non sufficit. volutione [3]. — Sed nec adhuc istud sufficit, quia non solum cognoscit quis habens fidem ipsum habitum scientia *notitiae,* sed etiam *discretionis* et cognitionis; discernit enim ipsum ab aliis habitibus virtutum.

Et propterea aliter dicendum, quod cognitio,
Opinio et solutio auctoris. qua anima cognoscit illud quod habet in se, est cognitio cuiusdam *experientiae;* per hoc enim cognoscit aliquis, se habere fidem, dum ad se ipsum introrsus ingrediens experitur, utrum sit promptus ad credendum; sic de aliis habitibus virtutum et aliis omnibus, quae latent introrsus. Quoniam igitur anima non potest habere *experientiam,* nisi de eo quod est in potestate sua, et de eo quod respicit actum animae, cum *experientia* dicat usum alicuius poten-
Distinctio. tiae [4]; hinc est, quod quando aliqua sic sunt in anima, quod reddunt eius potentiam *habilem ad aliquod opus,* vel circumstant alicui operi interiori, talia possunt cognosci ab ipsa anima *certitudinaliter.* Unde si aliquis est habilis ad aliquod opus, certissime se novit habere illum habitum, sicut fidelis habitum credendi, et amans habitum amandi, et sic de ceteris. Quando vero aliqua sic sunt in anima, quod ipsa principaliter *non respiciunt usum alicuius potentiae,* sicut character, vel sicut deformitas culpae praeteritae, vel quae sunt supra potestatem ipsius animae, sicut gratia, in quantum reddit acceptum Deo, et caritas similiter; quia de talibus non potest habere anima experientiam, non potest habere certam notitiam. Ideo cum dicitur, quod illa quae sunt essentialiter in anima, *certitudinaliter* cognoscuntur; hoc intelligitur de illis, de quibus potest sumere anima *certum experimentum;* de his autem, de quibus non potest sumere experimentum [5] nisi *per coniecturam,* non cognoscit nisi coniecturando. Et quoniam de fide, secundum quod reddit *habilem ad credendum,* certissima potest haberi *experientia;* secundum autem quod suum *credere* est *Deo acceptum,* certa *experientia* haberi non potest, sed solum *coniectura:* hinc est, quod fides quantum ad
Solutio ad 1. quaest. *habitum substratum* certissime videtur ab anima; in quantum autem est *formata,* non cognoscitur nisi per *coniecturam;* et sic est aliis connexa. — Et per hoc patet responsio ad illud quod obiicitur de caritate et gratia.

Ad illud quod obiicit de sufficientia illorum mo-
Ad 2. quaest. dorum, dicendum, quod *modi videndi* possunt dupliciter distingui: vel a parte *virtutis cognoscentis,* vel
Distinctio. a parte *medii.* Si a parte *virtutis cognitivae* [6], cum illa sit triplex, scilicet *sensitiva exterior, imaginativa* et *intellectiva;* sic triplex distinguitur *visio,*
A parte potentiae est triplex visio. videlicet *corporalis, imaginativa* et *intellectualis.* — Si autem a parte *medii,* tunc sex sunt differen-
A parte medii sex modi videndi. tiae, quarum sufficientia patet sic. Omne enim, quod videtur ab anima, aut videtur per sui *essentiam,* aut videtur per sui *speciem,* aut videtur per *rem aliam,* ab ipsa *simpliciter differentem.* Si per sui *essentiam*
Modus sextus. videtur, sic est unus modus, qui ponitur sexto loco [7]. Si per sui *speciem,* hoc potest esse tripliciter: nam illa species aut est *omnino concreta materiae,* aut *abstracta,* aut *partim concreta, partim abstracta. Concreta* est, prout apprehenditur a sensu exteriori, licet sit ibi aliqua abstractio [8]; *simpliciter abstracta,* prout apprehenditur ab intellectu; *medio modo,* prout apprehenditur ab imaginatione; et sic
Modi 1. 2. 3.

Non itaque velut absentem se quaerat cernere, sed praesentem se curet discernere. Nec se, quasi non norit, cognoscat; sed ab eo quod alterum novit, dignoscat etc. (c. 8. n. 11. seq.). Cfr. ibid. XV. c. 14. n. 25.

[1] Libr. X. de Trin. c. 3. n. 5. seqq., et VII. de Gen. ad lit. c. 21. n. 28. Ratio, cui S. Doctor innititur, est, quia anima sibi ipsi sit praesens. — Mox pro *et sic cognoscuntur,* quae verba in non paucis codd. desiderantur, in aliis autem, ut in bb, habentur, edd. *et sic cognoscitur,* cod. H (a secunda manu) *de quorum numero sunt.*

[2] Libr. X. de Trin. c. 9. n. 13. seqq. — Paulo inferius pro *posuerunt* codd. A K *ponunt.*

[3] Hanc opinionem profitetur B. Albert., hic a. 15. De secretione caritatis Guliel. Antissiod., S. p. III. tr. 6. c. 6. q. 5, dicit: Istae [dilectio naturalis et gratuita] habent tantam affinitatem et coniunctionem inter se, quod non potest aliquis *discernere,* utrum suum *diligere* sit motus naturalis dilectionis, vel caritatis. Cfr. I. Sent. d. 17. p. I. q. 3. ratio 2.

[4] Cfr. dictum Aristot., supra d. 14. a. 3. q. 2. arg. 3. ad oppos. allatum. — Paulo superius pro *et de eo* edd. *et ideo de eo.* Paulo inferius pro *quod reddunt* codd. H aa bb *quae reddunt,* omissa proxime ante vocula *sic.*

[5] Edd. voci *experimentum* male praefigunt *certum.*

[6] Codd. E M P Q *cognoscentis.* Loco verborum *vel a parte medii. Si a parte virtutis cognitivae* edd. substituerunt solam vocalem *et.*

[7] Hic in lit. Magistri, c. 7. — De triplici modo videndi a parte animae cfr. I. Sent. d. 17. p. I. q. 4. et II. d. 23. a. 2. q. 3. circa finem corp. Vide etiam August., Epist. 147. (alias 112.) c. 16. n. 38. — Paulo ante pro *differentem* edd. *differente.*

[8] Aristot., II. de Anima, text. 121. (c. 12.): Oportet autem universaliter de omni sensu accipere, quod sensus est id quod est susceptivum formarum sine materia, ut cera anuli sine ferro et auro recipit signum etc. — De imaginationis et intellectus specie vide ibid. text. 156. seqq. et III. text. 6. ac 37. seqq. (III. c. 3. 4. 8.). — Aliquanto inferius pro *aut in ratione* codd. A K *aut sub ratione.*

sunt tres primi modi. — Si autem res habet cognosci per rem ab *ipsa differentem*, hoc potest esse dupliciter: aut quia comparatur ad ipsam sub ratione *similis*, aut in ratione *effectus*. Et sic duo sunt modi, videlicet quartus et quintus. Et *si tu obiicias*, quod aliquid potest comparari ad alterum in ratione *disparati*, vel in ratione *contrarii*; dicendum, quod nec *disparatum* nec *contrarium* facit cognoscere aliquid, nisi in quantum innuit aliquem modum in ratione *similis*. Unde qui cognoscit, quod «album *disgregat*», per consequens cognoscit, quod «nigrum *congregat*», quia «similiter se habet oppositum ad oppositum, sicut propositum ad propositum [1]».

Modi 4. 5.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Probatur futura resurrectio, quia ita crediderunt Patriarchae et alii Sancti*, et propter hoc vult dicere, quod fides dicatur *argumentum*. Hoc enim videtur potius ad oppositum quam ad propositum. Si enim *probatur* istud quod creditur per auctoritatem Patrum, tunc videtur, quod fides non sit *argumentum*, immo potius *conclusio*: ergo si fides est *argumentum*, videtur, quod non recte dicat, quod resurrectio probatur per fidem Patrum. — Item, si locus *ab auctoritate* est incertissimus [2], et *fides* trahit fundamentum a loco ab *auctoritate*: ergo videtur, quod fides sit incertissima.

Respondeo: Dicendum, quod secundum aliquos [3] verbum Magistri intelligitur hic de fide, quae est *acquisita* ex inspectione Scripturarum, non autem de illa, quae est *inspirata* et quae numeratur inter spiritualia charismata. — Sed illud non satisfacit, quia Magister hoc dicit ad exponendam illam definitionem, quam Apostolus [4] assignat; et constat, quod Apostolus loquitur de fide *formata*.

Solutio aliorum non probata.

Et propterea dicendum est aliter, quod secundum quod Magister [5] dicit, illud quod creditur per fidem, «per ipsam fidem probatur». Ipsum enim, quod creditur, probatur per auctoritatem; auctoritas autem nullius est efficaciae in probando nisi per fidem: et ita tota firmitas argumenti ad fidem redit. Unde si aliquis quaerat, utrum resurrectio sit futura, probatur ei [6] per auctoritates sacrae Scripturae et per verba Prophetarum, qui ita dixerunt. Sed si quaerat ulterius, ut probem ei, quod ipsi verum dixerunt; respondebitur ei, quod scimus, *ipsos* verum dixisse, quia a Spiritu sancto illuminati fuerunt [7], et ita certificati fuerunt per fidem, quam a Deo acceperunt; et *nos* certificamur de eorum certificatione per fidem, quam ab ipso Deo accipimus. — Et sic patet, quod expositio Magistri bona est, quia per hoc non vult dicere, quod fides *probetur*, sed magis, quod fides *probet*, ita quod vere et proprie dicatur ab Apostolo «argumentum [8]».

Solutio auctoris.

Notandum.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *fides caritatem praecedit*. Hoc enim videtur esse falsum, quia, sicut dicit Ambrosius [9], «caritas est mater virtutum» et caput; et mater praecedit illud cuius est mater. — Item, Glossa super illud Psalmi [10]: *Noli aemulari*, dicit, quod «spes est introitus ad fidem»: ergo videtur, quod fides non sit prima inter virtutes theologicas, secundum quod dicitur in littera. — Item, omnes virtutes simul infunduntur [11]: ergo non videtur, quod reperiatur in illis aliquis ordo.

Respondeo: Dicendum, quod est loqui de fide et aliis virtutibus dupliciter, scilicet quantum ad *ha-*

Distinctio.

---

[1] Aristot., IV. Topic. c. 4: Si oppositum in opposito, et propositum in proposito erit. — De exemplo *albi* et *nigri* cfr. tom. II. pag. 643, nota 9. — Aristot., III. de Anima, text. 25. (c. 6.): Similis ratio in aliis est, ut quomodo malum cognoscit [anima], aut nigrum; contrario enim quodammodo cognoscit. — Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 61. m. 7. a. 3; B. Albert., hic a. 15; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[2] Locus ab auctoritate, qui inter locos recensetur *extrinsecos* (i. e. in quibus argumentum sumitur ab eis quae omnino separata sunt a substantia rei) et locus *a iudicio* (sapientis) vocatur, a Cicerone, Topic. c. 19, describitur sic: «Haec ergo argumentatio, quae dicitur artis expers, in testimonio posita est. Testimonium autem nunc dicimus omne quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem». Cfr. Boeth., VI. Comment. in Topic. Cicer. circa finem. Idem in II. de Different. topic. *maximam* huius arg. assignat dicens: «Quod omnibus vel pluribus vel sapientibus hominibus videtur, ei contradici non oportere». In Petri Hispan. Summul. tr. *de Locis topicis extrinsecis* habetur haec *maxima*: Unicuique experto in sua scientia credendum est.

[3] Quibus assentitur B. Albert., hic a. 19. — De fide *acquisita* et *inspirata* vide supra a. 2. q. 2. in corp. — Pro *intelligitur hic* edd. substituunt *intelligi potest*, et subinde post *de fide* omittunt cum non paucis codd. *quae est*.

[4] Hebr. 11, 1: Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Cfr. supra a. 1. q. 5. — Mox pro *formata* Vat. *inspirata*.

[5] Hic c. 8.

[6] Pro *ei*, quod in codd. A H K invenimus, codd. M O *ita ei*, alii codd. *enim*, edd. *quod sic*.

[7] Epist. II. Petri 1, 21: Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. — Paulo inferius pro *certificatione* non pauci codd. *certitudine*; subinde pro *accipimus* codd. A H K (N primitus) T U Z bb *accepimus*.

[8] Cfr. supra a. 1. q. 5. ad 2. — Cfr. de hoc dub. Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 1. a. 2; B. Albert., hic a. 19.

[9] In Comment. in I. Cor. 8, 2. (inter opera Ambrosii) caritas dicitur «mater omnium bonorum»; in Comment. in Rom. 14, 1. «quasi mater animarum», in Precat. II. pro praeparat. ad Missam, n. 5. «fundamentum omnium virtutum et bonorum». Vide hic lit Magistri, c. 3. et 9.

[10] Psalm. 36, 1. Glossa, quae hic allegatur, spectat ad v. 3: *Spera in Domino* etc. Habetur apud Lombard. et sumta est ex Cassiodoro, qui verba illa commentans ait: Hoc [scil. sperare] introitus fidei, hoc initium salutis est. — Sententia Magistri habetur hic in lit. c. 8. seq.

[11] Ut ostendetur infra d. 36. q. 1.

bitum et quantum ad *actum*. Si quantum ad *habitum*, sic est ibi simultas; si quantum ad *actum*, sic est ibi naturalis ordo, pro eo quod actus fidei praeambulus est ad actum spei et caritatis. Nemo enim aliquid sperat, vel amat, nisi illud cognoscat et aliquo modo credat [1].

Ad illud ergo quod obiicitur, quod caritas est *mater;* dicendum, quod illud intelligitur quantum ad rationem *merendi. Praeterea*, caritas dicitur esse *mater virtutum*, non quia illas generet, sed quia illas fovet et nutrit, ut perveniant ad statum perfectionis [2].

Ad illud quod obiicitur de Glossa, dicendum, quod fides non accipitur ibi pro fide-virtute, vel eius actu, sed pro illo quod *fidei succedit*, videlicet pro ipsa beatissima visione [3].

DISTINCTIO XXIV.

Cap. I.

Quomodo intelligitur quod scriptum est: Ut, cum factum fuerit, credatis.

Hic quaeritur, si fides tantum de *non visis* est: quomodo Veritas Apostolis ait [1]: *Nunc dico vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis?* ubi innui videtur, quod fides illis fuerit de *factis et visis*. — Augustinus. Super quo Augustinus movet quaestionem et absolvit, ita inquiens: «Quid sibi vult: *ut, cum factum fuerit,* Dubium 1. *credatis?* Haec est laus fidei, si quod creditur non videtur. Nam et Thomas, cui dictum est: *Quia vidisti me, credidisti,* non hoc credidit, quod vidit. Cernebat enim et tangebat carnem viventem, quam viderat morientem, et credebat Deum in carne ipsa latentem. Credebat ergo mente quod non videbat per hoc, quod sensibus corporis apparebat. Si vero dicuntur credi quae videntur, sicut dicit unusquisque oculis suis credidisse; non ipsa est quae in nobis aedificatur fides, sed ex rebus, quae videntur, agitur in nobis, ut ea Epilogus. credantur, quae non videntur». — Ex his aperte intelligitur, quod proprie fides *non apparentium* est; nec illa est fides, qua in Christo aedificamur, qua dicimus usitata locutione, nos ea credere, quae videmus. Augustinus. Alibi tamen dicit Augustinus [2], fidem esse de rebus *praesentibus;* quod erit in futuro, cum per speciem Deum praesentem contemplabimur; quae tamen *non proprie* dicitur *fides*, sed *veritas*. «Est, inquit, fides, qua creduntur ea quae non videntur; sed tamen est etiam fides rerum, quando non verbis, sed rebus ipsis praesentibus creditur; quod erit, cum per speciem manifestam se contemplandam Sanctis praebebit Dei sapien- Explicatur. tia». — Sed *non proprie* haec dicitur *fides*, immo *fidei merces*, ad quam credendo pervenietur [3], ut ex fide *verborum* transeat iustus in fidem *rerum*.

Cap. II.

Si Petrus habuit fidem passionis, quando vidit, hominem illum pati.

Si vero quaeritur, utrum Petrus fidem passionis habuerit, cum hominem Christum oculis pati cernebat; dicimus, eum fidem passionis habuisse, non in eo quod credebat, *hominem* pati, quia hoc videbat, sed in eo quod credebat, *Deum* esse qui patiebatur. Non enim virtus fidei erat, quod credebatur *homo* pati et mori, quod Iudaeus cernens credebat; sed quod credebatur *Deus* esse qui patiebatur. Unde Augustinus [4] super Augustinus. illum Psalmi locum: *Respondit ei in via virtutis suae:* «Laus fidei est, non quia credit hominem illum mortuum, quod et paganus credit, sed quia credit eum glorificatum et verum Deum». Credit igitur fides *Deum* mortuum, et *hominem* glorificatum. Non igitur fuit Petro fides credere, *hominem* illum mori, quod [5] oculis cernebat, sed credere, *Deum* esse qui moriebatur. Nec nobis etiam fides in hoc meretur, quod credimus hominem illum mortuum, quod et Iudaeus credit, sed quia credimus, hominem-Deum mortuum esse.

Cap. III.

Si aliqua sciuntur, quae creduntur.

Post haec quaeri solet, cum fides sit de *non apparentibus* et *non visis*, utrum etiam sit de *incognitis* tantum. Si enim de *incognitis* tantum est, de his videtur esse tantum, quae ignorantur. — Sed sciendum est, quod cum visio alia sit *interior*, alia *exterior*, Duplex visio. non est fides de subiectis *exteriori visioni;* est tamen de his quae visu *interiori* utcumque capiuntur. Et quaedam utique [6] sic capiuntur, ut intelligantur, etsi

---

[1] Cfr. supra a. 1. q. 1. in corp. et infra d. 26. a. 2. q. 3.

[2] Vide infra d. 36. q. 6. — Paulo superius voci *virtutum* cod. A praemittit *omnium*.

[3] Plurimi codd. *videlicet* [cod. aa omittit *videlicet*] *per ipsam beatissimam visionem*. — Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 9. a. 3; B. Albert., hic a. 21; S. Thom., hic q. 2. a. 5; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 4. quaestiunc. 3. et circa lit.; Richard. a Med., hic a. 3. q. 3.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Ioan. 14, 29. Super quem locum dicit August., in tr. 79. n. 1, quae sequuntur, multis a Magistro omissis, vel transpositis. Locus alius Scripturae est Ioan. 20, 29. — Pro *absolvit* Vat. et ed. 2 *solvit*, et infra ante *credidisse* sola Vat. addit *se*.

[2] Libr. II. Quaestion. evangelic. q. 39. n. 1.

[3] Cod. B, Vat. et plures aliae edd. *pervenitur*.

[4] Enarrat in Ps. 101. (v. 24.) serm. 2. n. 7.

[5] Codd. C D *quem*.

[6] Edd., exceptis 1, 8, omittunt *utique;* edd. 1, 8 addunt *hic* ante *sic*. Inferius Vat. et edd. 2, 5 ante *interiori* addunt *etiam*.

non, ut in futuro; quaedam autem non, quia, cum
Dubium 2. fides sit *ex auditu* non modo *exteriori*, sed *interiori*, non potest esse de eo quod omnino ignoratur; quae ipsa ad sensum corporis non pertinet, ut Augusti-
Augustinus. nus in tertio decimo libro de Trinitate [1] tradit dicens: « Quamvis *ex auditu* fides in nobis sit, non tamen ad eum sensum *corporis* pertinet, qui dicitur *auditus*, quia non est sonus; nec ad *ullum* sensum *corporis*, quoniam *cordis* est res ista, non *corporis* ». Quaedam ergo fide creduntur, quae intelliguntur naturali ratione; quaedam vero, quae non intelliguntur. Unde Propheta [2]: *Nisi credideris, non intelliges.* Quod
Dubium 3. Augustinus [3] aperte distinguit: « Alia sunt, inquit, quae nisi intelligamus, non credimus; alia, quae nisi credamus, non intelligemus ». Nemo tamen potest *credere* in Deum, nisi aliquid *intelligat*, cum fides sit ex au-
Augustinus. ditu praedicationis. Idem in libro de Trinitate [4]: « Certa fides utcumque inchoat cognitionem; cognitio vero certa non perficitur nisi post hanc vitam ». Ambrosius [5]
Ambrosius. quoque ait: « Ubi fides, non statim cognitio; ubi cognitio est, fides praecedit ». — Ex his apparet, aliqua credi, quae non intelliguntur vel sciuntur, nisi prius credantur; quaedam vero intelligi aliquando, etiam antequam credantur. Nec tamen sic intelliguntur modo, ut in futuro scientur; et nunc etiam per fidem, qua mundantur corda, amplius intelliguntur, quia, nisi per fidem diligatur Deus, non mundatur cor ad eum sciendum. Unde Augustinus in octavo libro de Trinitate [6]: Augustinus.
« Quid est Deum scire, nisi eum mente conspicere firmeque percipere? Sed et priusquam valeamus perspicere et percipere Deum, sicut percipitur a mundis cordibus; nisi per fidem diligatur, non poterit cor mundari, quo ad eum videndum sit aptum ». — Ecce hic aperte habes, quia non potest sciri Deus, nisi prius credendo diligatur [7]. — Supra autem dictum est, quod nemo potest credere in Deum, nisi aliquid intelligatur. Unde colligitur, non posse sciri et intelligi credenda quaedam, nisi prius credantur; et quaedam non credi, nisi prius intelligantur; et ipsa per fidem amplius intelligi; nec ea quae prius creduntur, quam intelligantur, *penitus* ignorantur, cum fides sit ex auditu; ignorantur tamen *ex parte*, quia non sciuntur. Creditur ergo quod ignoratur, sed non penitus, sicut etiam amatur quod ignoratur. Unde Augustinus [8]: « Sciri aliquid, et non diligi Augustinus.
potest; diligi vero quod nescitur, quaero, utrum possit. Si non potest, nemo diligit Deum, antequam sciat ». Ubi autem sunt illa tria: fides, spes, caritas, nisi in animo credente quod nondum scit, et sperante et amante quod credit? Amatur ergo et quod ignoratur, sed tamen creditur. Dubium 4.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXIV.

De fide quoad eius obiectum et materiam.

Hic quaeritur, si fides tantum de non visis est etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de fide quantum ad eius essentiam. In hac parte agit de ea quantum ad eius obiectum et materiam; unde inquirit, utrum fides sit de his solum, quae sunt supra nostram cognitionem, an de his quae sunt nostrae cognitioni [1] subiecta. Et quoniam duplex est cognitio nostra, videlicet sensitiva et intellectiva; ideo pars ista dividitur in duas partes. In quarum prima inquirit Magister, utrum fides sit de his quae sensu percipiuntur. In secunda, utrum sit de his quae intellectu cognoscuntur, ibi: *Post haec quaeri solet, cum fides sit de non apparentibus* etc.

Prima pars dividitur in tres partes. In quarum prima movet principalem quaestionem, subiungens determinationem. In secunda vero epilogat ad removendum incidentem dubitationem, ibi: *Ex his aperte intelligitur* etc. In tertia vero exemplificat in speciali ad maiorem explanationem, ibi: *Si vero quaeritur, utrum Petrus fidem passionis habuerit* etc.

Secunda vero pars principalis potest dividi in tres partes. In quarum prima movet quaestionem et determinat. In secunda auctoritate Augustini confirmat, ibi: *Ut Augustinus tradit dicens.* In tertia vero elicit quandam divisionem circa ipsa credibilia, ibi: *Ex his apparet, aliqua credi, quae non intelliguntur* etc.

---

[1] Cap. 2. n. 5, et respicitur Rom. 10, 17.

[2] Isai. 7. 9, secundum Septuaginta; Vulgata: Si non credideritis, non permanebitis.

[3] Enarrat. in Ps. 118. (v. 73.) serm. 18. n. 3, ubi in originali pro *non intelligemus* legitur *non intelligimus*.

[4] Libr. IX. c. 1. n. 1, in quo textu post *cognitio* codd. omittunt *vero*.

[5] In Ps. 118. (v. 76.) serm. 10. n. 31.

[6] Cap. 4. n. 6. — Pro *quo ad* edd. 1, 8 *ut ad*, cod. D *ut quo*.

[7] Codd. et edd., exceptis 4, 6, 9 et Vat., *diligendo credatur*, quae lectio, licet minus respondeat verbis Augustini, bene connectitur cum sequentibus. — Verbis *Supra autem dictum est* notatur hoc idem capitulum.

[8] Libr. VIII. de Trin. c. 4. n. 6.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Vat. perperam *quae sunt naturae cognitionis*.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis incidit hic quaestio de obiecto fidei. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur de obiecto fidei secundum rem.

Secundo quaeritur de ipso in comparatione ad nostram cognitionem.

Tertio quaeritur de ipso obiecto secundum nominis rationem.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum fides sit circa verum tantum, an fidei possit subesse falsum.

Secundo quaeritur, utrum fides sit circa verum creatum, an circa increatum tantum.

Tertio quaeritur, utrum sit circa complexum, an circa incomplexum.

ARTICULUS I.

De obiecto fidei secundum rem.

QUAESTIO I.

Utrum fidei obiectum sit ita verum, quod ei non possit subesse falsum.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum fidei obiectum sit ita verum, quod ei non possit subesse falsum. Et quod fidei possit subesse falsum, videtur.

Ad oppositum.

1. Cuicumque subest contingens, potest subesse falsum, quia omne contingens potest esse falsum [1]; sed fidei subest verum contingens: ergo fidei potest subesse falsum. *Maior* propositio per se manifesta est; *minor* probatur: quia fides fuit de passione Christi et incarnatione; et utrumque fuit contingens — non enim erat necessarium, Christum interfici, nec Dei Filium incarnari, cum alio modo posset genus humanum liberari — restat igitur, quod conclusio est vera.

2. Item, habitus conformatur obiecto suo, circa quod versatur [2]: si ergo habitus fidei versatur circa credibile, habet illi conformari; sed aliquod credibile, utpote Christum esse passurum, potuit falsificari, cum esset contingens: ergo habitus fidei, quo illud credebatur, falsificari potuit: potest igitur fidei subesse falsum.

3. Item, simus in medio tempore post mortem Abrahae et ante incarnationem Christi; in illo tempore *necessarium* est, Abraham credidisse, Christum esse passurum, *possibile* etiam erat, Christum non pati; sed possibile compatitur se cum omni necessario [3]: ergo ista duo poterant simul stare, videlicet quod Abraham credidisset, Christum esse passurum, et quod Christus non esset passurus; et si hoc, tunc fidei subesset falsum: si ergo possibile fuit, fidei subesse falsum tunc, videtur pari ratione, quod et nunc. — Quod autem pro illo tempore *possibile* esset, Christum non pati, manifestum est, quia contingens erat, eum pati, cum penderet ex voluntate interficientium; et regula est, quod oppositum contingentis est contingens. Quod iterum *necessarium* esset, quod Abraham credidisset, manifestum est, quia omne dictum affirmativum de praeterito est necessarium. *Si tu dicas*, quod hoc verum est, quando non pendet ex futuro; ostenditur, sic esse in proposito: quia « *credere* non est aliud quam cogitare cum assensione [4] »; et postquam Abraham *cogitavit* de hoc dicto: Christum esse incarnandum, necessarium fuit de eo cogitasse; et postquam *assensit*, necessarium fuit, ipsum assensisse; et postquam exivit in actum fidei, necessarium fuit, ipsum exisse: ergo videtur, quod simpliciter necessarium fuit, ipsum credidisse: *necessarium* igitur videtur, quod fidei Abrahae potuit subesse falsum.

4. Item, omne quod subest spei, subest etiam fidei [5]; sed spei potest subesse falsum, ut patet, cum aliquis praescitus in gratia existens sperat, se habiturum vitam aeternam: ergo necessario sequitur, quod fidei aliquando subest falsum.

5. Item, actus caritatis praesupponit actum fidei; sed actui caritatis potest subesse falsum: ergo et

---

[1] Aristot., I. Prior. c. 12: Dico autem contingere et contingens, quo non existente necessario, posito autem in *esse*, nihil erit propter hoc impossibile. — De *minori* cfr. supra d. 20. q. 6.

[2] Cfr. supra pag. 214, nota 3. — Pro *obiecto suo* edd. cum multis codd. *subiecto suo*. Paulo inferius pro *esse passurum* codd. A K *fuisse passurum*.

[3] Vide tom. I. pag. 677, nota 6. et pag. 678, nota 1, ubi et illa logica regula tangitur, cuius mentio fit aliquanto inferius. — Post pauca pro *si ergo possibile fuit, fidei* etc., quam lectionem vere concinnam cod. F nobis tradidit, alii codd. minus congrue *ergo possibile fuit, fidei* etc., omisso *si* (solus cod. Z ad corrigendam propositionis structuram postea ante *videtur* interserit *ergo)*; edd., etiam omisso *si*, sic: *ergo cum possibile erat tunc, fidei* etc. Vocula *tunc* invenitur etiam in nonnullis aliis codd.

[4] August., de Praedest. Sanct. c. 2. n. 5. — Subinde pro *cogitavit* plurimi codd. *cognovit*, et pro *cogitasse* non pauci codd. *cognovisse;* quae lectio varians etiam infra recurrit in solut. huius obiect., ubi edd. expresse exhibent *cognovisse*, dum multi codd. verbum *cognovisse* habere saltem videntur (sunt dubiae lect.); codd. F Y X pro *cogitasse* substituerunt *cognoscere*.

[5] Cfr. supra d. 23. a. 1. q. 1. circa finem corp., ubi et *maior* seq. arg. insinuatur. — In fine arg. cod. I addit *ergo et actui fidei*.

actui fidei. *Maior* manifesta est, *minor* probatur per hoc, quod Apostolus [1] ex caritate voluit ire ad Hispanos, qui non ivit; et ego ex caritate volo, proximum meum esse bonum, qui tamen non est bonus: et sic actui caritatis potest subesse falsum.

6. Item, actus adorationis est ab actu fidei [2], ergo quod substernitur adorationi substernitur ipsi fidei; sed contingit aliquando, adorationi alicuius fidelis subesse falsum, sicut quando adorat hostiam non consecratam pro consecrata, adhibita debita diligentia, et talis adoratio meritoria est, et ita ortum habet a fide et caritate: ergo si ei subest falsum, videtur, quod et fidei.

Sed contra: 1. Illius solius est fides in via, Fundamenta cuius erit visio in patria; sed visioni in patria non potest subesse falsum: ergo nec fidei in via.

2. Item, sicut se habet caritas ad bonum, ita se habet fides ad verum; sed caritas nunquam appetit nisi bonum [3]: ergo fides nunquam facit credere nisi verum: ergo fidei non subest falsum.

3. Item, fides assentit primae Veritati propter se et super omnia in credendo; sed prima Veritas non potest ei dictare nisi verum: ergo ipsa non potest assentire nisi vero: ergo ei non potest subesse nisi verum.

4. Item, cuicumque cognitioni subest falsum, illa cognitio potius est principium deceptionis quam illuminationis; sed fides est illuminatio mentis, sicut dicit Augustinus [4]: ergo fidei falsum non potest subesse.

5. Item, « virtus est certior omni arte [5] » atque scientia; sed scientiae non potest subesse falsum: si ergo fides virtus est, videtur etc.

6. Item, fides, quae innititur principiis scientiarum, non potest falsificari: ergo multo magis illa, quae innititur Principio principiorum; et haec est fides catholica: ergo nullo modo potest ei subesse falsum.

Conclusio.

Fidei non potest subesse falsum, quia non possunt simul stare falsitas in credito et veritas in credente sive in fide.

Respondeo: Dicendum, quod cum habitus fidei ipsam mentem illuminet ad assentiendum veritati creditae secundum illustrationem [6] divinae praescientiae; et divinae praescientiae non possit subesse falsum, quia ipsa non potest falsificari: necesse est Conclusio 1. ponere, quod ipsi habitui fidei nec falsum subsit nec subesse possit. — Quemadmodum enim *divina praescientia*, quia ex rebus non pendet, certissime cognoscit non solum ea quae ventura sunt necessario, sed etiam contingentia, ita quod circa ea decipi non potest, sicut in primo libro [7] ostensum fuit; sic et *fides*, quae cognitioni divinae praescientiae innititur, a qua etiam illuminatur et dirigitur, certam credulitatem et illuminationem habet de futuris etiam contingentibus, ita quod, licet [8] *illa*, quantum est de se, possint non evenire, *fides* tamen nec potest decipi nec potest errare. Sicut enim de eo quod praescitum Notandum. est evenire a Deo, concedi potest, quod ipsum possibile sit non evenire *per se* [9] et absolute, non est tamen *compossibile cum praevisione sui oppositi* — quia haec duo non possunt simul stare, quod Deus praeviderit unum, et quod eveniat oppositum; tunc enim falleretur divina praescientia — per hunc modum intelligendum est in assensu fidei, qui [10] innititur divinae praevisioni. Unde quamvis *creditum contingens* in se possit non evenire, haec tamen duo non possunt simul stare, quod *non eveniat*, et quod *sit creditum*. Et propterea concedendum est, quod fidei non potest subesse falsum, quia non possunt simul Conclusio 2. stare falsitas in credito et veritas in credente sive in fide. — Et concedendae sunt rationes, quae sunt ad istam partem.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, Solutio oppositorum. quod cuicumque subest contingens, potest subesse falsum, quia omne contingens potest esse falsum; respondendum est *per interemptionem* [11], quia divi- Notandum. nae praevisioni subesse potest verum contingens, falsum tamen subesse non potest; praevidet enim Deus vera contingentia, sed tamen illa quae praevidet, nunquam sunt falsa. Et sicut hoc habet instantiam in divina praecognitione, sic et in illuminatione, quae ab ea procedit, qualis est habitus fidei, sicut praedictum est.

2. Ad illud quod obiicitur, quod habitus cognoscendi debet conformari ipsi cognoscibili; dicendum, quod istud habet veritatem, quando habitus Notanda distinctio. cognoscendi *pendet ab ipso cognoscibili* secundum existentiam in proprio genere, sicut est scientia acquisita secundum causas et rationes inferiores; sed de eo genere cognitionis, quod *non pendet ab ipsa*

---

[1] Rom. 15, 24. et 28. — Mox pro *qui non ivit* edd. et pauci codd. *quo tamen non ivit.*

[2] Vide supra d. 9. a. 2. q. 3. — Pro *est ab actu fidei*, quam lectionem tuentur codd. A K P Q bb, alii codd. et edd. *est actus fidei.* Inferius pro *adhibita debita* edd. 1, 2 *adhibita vera*, Vat. *adhibita vera et debita.*

[3] Vide infra d. 27. a. 1. q. 4. August., In Epist. Ioan. tr. 7. n. 8: Dilige, et quod vis fac... radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice nisi bonum existere.

[4] Epist. 120. ad Consentium. Cfr. supra pag. 501, nota 5.

[5] Aristot., II. Ethic. c. 6. Vide supra pag. 482, nota 5. — De *minori* cfr. Aristot., I. Poster. c. 2. (ubi et *maior* seq. arg. tangitur) et c. 26. (c. 33.); VI. Ethic. c. 2. seq.

[6] Codd. F N U *illuminationem.* Inferius pro *quia ex rebus* edd. *quae ex rebus.*

[7] Dist. 38. a. 2. q. 2; d. 39. a. 1. q. 2. ad 3; ibid. a. 2. q. 2. et d. 40. a. 2. q. 1.

[8] In edd. et plerisque codd. omittitur *licet* (codd. I K Z bb et N a secunda manu *quamvis*).

[9] Pro *per se* edd. *in se* codd. M O bb *simpliciter.* Superius cod. T omittit *evenire a Deo.* Paulo inferius pro *praeviderit* cod. U (N a secunda manu) *praevideat.*

[10] Ita codd. A H N Z, codd. K U bb *quae*, sed in aliis et edd. minus bene *quod.*

[11] Sive negationem. Cfr. tom. I., pag. 87, nota 4. — Inferius pro *Et sicut* cod. U *Unde sicut.*

re cognita, non est necesse, quod conformetur ipsi cognoscibili secundum existentiam sui *in se*, sed secundum existentiam sui *in causa*[1]. Et talis est cognitio fidei et prophetiae et cuiuslibet revelationis divinae, quae non pendet ab eo quod creditur vel quod revelatur, sed ab illo lumine, per quod ad hoc cognoscendum illuminatur. Et quia illud lumen certum est etiam de re contingente; hinc est, quod cum habitus fidei conformetur ei, a quo dependet, quod non potest falsificari nec vacillare propter contingentiam crediti.

3. Ad illud quod obiicitur, quod contingens[2] potest stare cum quolibet necessario; dicendum, quod verum est. Attamen ad illud quod subiungit, quod oppositum alicuius articuli est contingens, sicut ante incarnationem contingens erat, Christum
Solutio 1. non incarnari et non pati; respondent aliqui *per interemptionem*, pro eo quod de incarnatione et passione non est articulus quantum ad *eventum*, quod ita eveniat, sed quantum ad *ordinem*, quod ita congruat. Unde Abraham non credidit, Christum *incarnari*, sed Christum *esse incarnandum*, ut fiat vis in verbo; quia *incarnari* dicit *eventum*, sed *esse incarnandum* dicit *ordinem* congruum. Et quamvis Christum incarnari sit contingens quantum ad *eventum*, tamen quantum ad *congruentiam* necessarium est; impossibile est enim, hoc non esse decens et
Improbatur. congruum. — Sed hic modus dicendi stare non potest, quia sic fideles crediderunt, sicut Prophetae praedixerunt; et Prophetae praedixerunt, non solum esse *congruum*[3] incarnari, sed etiam *eventum futurum*. Et *rursus*, sicut nos credimus Christum incarnatum de praeterito, ita ipsi crediderunt Christum incarnandum de futuro.

Et ideo aliter dicunt alii, quod licet ipsum *cre-*
Solutio 2. *ditum* possit esse contingens in se, tamen habito respectu ad divinam praescientiam, quae immutabiliter praevidit, *necesse* est, ipsum evenire; et ideo *oppositum* eius non potest stare nec cum actu divi-
Non sufficit. nae praescientiae nec cum actu fidei nostrae[4]. — Sed nec illud solvit, quia non est aliquod contingens, quod Deus non praeviderit, si eventurum est; nec per praevisionem suam aufertur sibi aliquid de contingentia sua: ergo quantumcumque Deus praeviderit aliquid, necesse est ponere, quod *contingens* cum quolibet *necessario* possit stare. Si enim non posset stare cum necessario, impossibile esset, ipsum evenire.

Et propterea est adhuc tertius modus dicendi, Solutio 3. et auctoris.
qui concedit, quod *contingens* potest stare cum *necessario*, et quod *oppositum* alicuius articuli est vel fuit *contingens*. Sed illud quod opponitur tertio loco[5], negat, videlicet quod *necessarium* fuit, Abraham credidisse, Christum esse passurum. Et *si tu obiicias*, quod omne dictum de praeterito est necessarium; respondendum est ad hoc, quod verum est de eo Notandum.
dicto, quod transit *omnino* in praeteritum; sed illud dictum *connotat futurum contingens*; et quia omne dictum, quod claudit in se contingens, *contingens* est: ideo illud *totale dictum*, Abraham credidisse Christum passurum, *contingens* est. Licet enim *principalis* compositio[6] sit de praeterito, *connotatum* tamen est de futuro.

Et hoc patet sic: quia *credere* dicit actum li- Explicatur.
beri arbitrii secundum directionem luminis conformantis intellectum nostrum divinae praescientiae — unde sensus est: Abraham credidit, Christum esse passurum, hoc est: Abraham illuminatus fuit, ut assentiret[7] et videret hoc quod Deus praeviderat evenire — et quia in praevisione eventus *contingentis* clauditur sive connotatur futurum *contingens*: hinc est, quod in illo dicto de praeterito clauditur eventus futuri contingentis, et ideo totum dictum iudicandum est esse contingens. Et *si tu obiicias*, quod necessarium est simpliciter, Abraham *cogitasse* de hoc et *assensisse* huic, ergo necessarium est simpliciter, Abraham credidisse; dicendum, quod verum est, quod necessarium est, Abraham *cogitasse* de hoc; sed non est necessarium, ipsum *assensisse* huic credito contingenti, et hoc assensu fidei. *Fides* enim sic in eo *assentiebat*, sicut *Deus praevidebat*; sed divina praevisio sic praevidet, quod quamvis Notandum.
actus divinae praecognitionis sit *in se* necessarius, tamen *comparatio* ipsius ad futurum contingens non est necessaria, sed contingens. Per hunc etiam modum intelligendum est, quod licet necessarium sit, postquam Abraham credidit, liberum arbitrium fuisse motum secundum regulam et[8] dictamen fidei; et necessarium sit, illum motum fuisse meritorium; *ordinatio* tamen ipsius ad futurum contingens contingens fuit, sicut est ordinatio divinae praescientiae,

---

[1] Libr. de Causis, propos. 12: Causatum ergo in causa est per modum causae, et causa in causato per modum causati. Cfr. supra d. 14. a. 2. q. 1; I. Sent. d. 36. a. 2. q. 2. et d. 39. a. 2. q. 3; ex quibus locc. etiam apparet, nos recte fecisse substituentes ter *existentiam* pro *exigentiam*, quam vocem edd. exhibent cum non paucis codd., dum alii codd. sunt dubiae lectionis. Pariter infra in solut. ad 5. lectionem correximus. — Paulo inferius pro *quod creditur* codd. G H I L N T U V aa bb *quod* [cod. aa a secunda manu *qui*] *credit*, cod. A *quod credit quod revelatur* etc. Subinde pro *sed ab illo* cod. G *sed ab ipso*. Demum verbis *a quo dependet* codd. A K praemittunt *tanquam*.

[2] Edd. *possibile*. Aliquanto inferius pro *ad eventum* codd. A K aa *ad adventum*, et subinde pro *ad ordinem* cod. Z *ad rationem*.

[3] Cod. U supplet *Christum*.

[4] Anselm., II. Cur Deus homo, c. 17. (alias 18.), necessitate distincta in *praecedentem* (absolutam, consequentis) et in *sequentem* (relativam, consequentiae), ait: Hac *sequenti* et nihil efficienti necessitate, quoniam vera fuit fides vel prophetia de Christo, quia ex voluntate, non ex necessitate moriturus erat, necesse fuit, ut sic esset etc. — Paulo ante pro *praevidit* codd. A aa *praevidet*.

[5] In ipsa obiectione.

[6] Scil. verbum *credidisse*. — Pro *principalis* edd. *principalior*.

[7] Codd. A K bb adiungunt *et crederet*.

[8] Pro *et* cod. O *iuxta*.

cui est conformis. Et quia vocabulum *credendi* et *assentiendi* claudit in se illam *ordinationem* secundum conformitatem ad divinam praevisionem; hinc est, quod sicut contingens est, Deum praevidisse aliquod futurum contingens, sic [1] contingens est, Abraham *credidisse* futurum contingens; contingens est etiam, ipsum *assensisse;* contingens est etiam, aliquem Prophetam *prophetasse.* In omnibus enim his una est responsio, quae fundatur super hoc, quod licet *actus* transeant in praeteritum, dicunt tamen *ordinationem ad contingens futurum;* et ita connotant eventum futuri contingentis, et ex illa connotatione necesse est dictum totum indicare contingens, sicut in primo libro [2] ostensum fuit per tres regulas infallibiles in quaestione de praescientia.

4. Ad illud quod obiicitur, quod spei subest falsum; dicendum, quod spei, secundum quod virtus est et virtuose movetur, falsum non subest. Cum Notandum. enim spes sit certitudo « proveniens ex gratia et meritis [3] », nullus sperat, se habiturum vitam aeternam, nisi cum praesuppositione meritorum; et quia efficacia meriti includit finalem perseverantiam: hinc est, quod in actu spei implicatur conditio perseverantiae finalis. Omnis enim, qui recte sperat, sic vitam aeternam exspectat, si usque in finem perseveraverit in gratia; et hoc quidem verum est. et fides nostra dictat [4]. Et ita respondendum est ad illam rationem *per interemptionem minoris,* quia praescitus non exspectat vitam aeternam *simpliciter,* sed *sub conditione.* Quodsi aliquis praeter divinam revelationem absque omni conditione speret, se habiturum vitam aeternam; hic non est motus pertinens ad fidem et spem, sed ad falsam aestimationem.

5. Ad illud quod obiicitur, quod actus caritatis praesupponit actum fidei; dicendum, quod verum est, quod praesupponit actum fidei ut *regulantis* et Notandum. dirigentis eius actum, sed non oportet, quod praesupponat actum fidei ut *concurrentis* super illud obiectum. Omne enim, quod caritas *appetit,* fides *dictat* appetendum esse, et ita dirigit eius actum. Non tamen omne quod caritas *appetit,* fides *credit,* quia de pluribus contingit dicere, quod sint *bona;* falsum tamen est dicere, quod sint *vera. Bonum* enim Quid bonum et verum. dicit aptitudinem et ordinationem [5] habitualem, sed *verum* dicit inhaerentiam et existentiam actualem. Unde bonum erat, Apostolum ire ad Hispanos, quamvis non esset verum; et ideo erat *appetibile,* quamvis non esset *credibile.* Quamvis enim *falsitas* possit stare cum obiecto *caritatis,* quia aliquid potest esse falsum et bonum; non tamen potest stare cum obiecto *fidei,* quia non potest idem simul esse falsum et verum [6].

6. Ad illud quod obiicitur, quod adorationi potest subesse falsum; dicendum, quod adorationi factae secundum directionem et regulam fidei nunquam [7] subest falsum, pro eo quod fides dicit, nihil adorandum esse pro certo, nisi de quo habetur certa cognitio; de eo autem, de quo non habetur certitudo, dicit adorandum esse, praesupposita conditione. Unde omnis fidelis recte adorans hostiam consecratam, adorat sub ea conditione, si perfecta sunt circa ipsam ea quae ad consecrationem sunt necessaria secundum institutionem divinam; et sic nunquam decipitur nec errat [8].

SCHOLION.

1. Principia principalia ad solvendam hanc quaestionem iam supra d. 23. a. 1. q. 4. tacta sunt. In fundam. et in responsione insinuatur duplex ratio conclusionis principalis, altera scilicet ex parte *obiecti formalis,* quae est prima Veritas, quae « cognoscit contingentia infallibiliter, mutabilia immutabiliter, futura praesentialiter, temporalia aeternaliter, dependentia independenter, creata increate, alia a se, in se et per se » (Breviloq. p. I. c. 8.). Altera est ex parte ipsius *habitus infusi,* qui est *virtus intellectualis* et *lumen ab ipso Deo immediate infusum.* — Tota fere quaestio versatur in diluenda hac difficultate, qua ratione *contingentia* plurium ad fidem spectantium obiectorum componatur cum *certitudine* eiusdem. Solutio autem innitur distinctioni inter obiectum fidei *in se* consideratum et idem, quatenus est *creditum* sive relatum ad fidem, prout scilicet stat sub obiecto formali fidei. Primo modo obiectum contingens potest esse, vel non esse, et assertio de eo potest falsificari; sed non secundo modo. Attamen fides, sicut ipsa divina praescientia, non immutat rerum naturas nec aufert eis contingentiam nec imponit necessitatem absolutam, quae dicitur *consequentis,* sed tantum *relativam* (conditionatam) et *consequen-*

---

[1] Cod. U *sic etiam.* Mox ante *contingens est etiam* codd. A K repetunt *sic.*

[2] Dist. 38. a. 2. q. 2, ubi (in fundam.) tres regulae proponuntur. — Pro *indicare* cod. M *iudicari.*

[3] Ut dicitur infra in lit. Magistri, d. XXVI. c. 1. (cfr. ibid. Comment. dub. 2.), ubi spes describitur. — Paulo inferius pro *efficacia* cod. U *sufficientia.*

[4] Matth. 10, 22: Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. — De seqq. cfr. I. Sent. d. 40. a. 2. q. 2. ad 4. et 6. — Circa finem solut. pro *motus* cod. Q *modus.*

[5] Codd. A G H T *ordinem.*

[6] Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 7. a. 4. ad eandem obiectionem sic respondet: Dicendum, quod non est simile de caritate et fide, quia caritas non respicit rationem veri et falsi, sed boni et mali, et potest esse caritas circa bonum, *quod non est,* volendo illud. Cum enim dicitur: bonum est, Apostolum ire ad Hispanos, non sequitur: quia si bonum est, et verum est; quia hoc verbum *est* non est ibi copula praesentialitatis, sed tantum enuntiationis, hoc est dicere, non copulat *actu* et simpliciter, sed *habitu* et conditionaliter, ut cum dicitur: Pascha est pulcherrimum tempus; omnis homo timet in mari, et huiusmodi. Cfr. IV. Sent. d. 21. p. II. a. 1. q. 2, ubi differentia, quae est inter *mentiri* et *falsum dicere,* his verbis tangitur: Falsum vero dici potest frequenter *meritorie,* cum mens decipitur, et ita credit esse, ut loquitur, sicut dixit Apostolus, se in Hispaniam profecturum.

[7] Codd. A G H I L T V (aa primitus) bb *nunquam tamen.* Post pauca pro *dicit* cod. F *dictat.*

[8] Cfr. supra d. 9. a. 1. q. 6. in corp.

tiae, ut explicatum est I. Sent. d. 38. a. 2. q. 1. et 2. (ubi in scholio quaedam controversia notatur) nec non d. 40. a. 2. q. 1. ad 4. Eadem differentia opinionum, quae in scholio citato indicata est, revertitur hic in solut. ad 3, videlicet inter patronos secundae et tertiae solutionis, qui tamen concorditer primam solutionem tanquam falsam respuunt. Secunda enim opinio concedit *maiorem*, nempe hoc dictum: *necesse est* (post factum), Abraham credidisse Christum incarnandum; sed eadem, distinguens *minorem: possibile* fuit, Christum non incarnari, quia scilicet futurum erat et contingens, dicit, quod *incarnari contingens* erat, si sermo est de *re* secundum suam naturam sive in sensu *diviso*, sed idem *necessarium* erat necessitate *consequentiae* (id est *conditionate*, non absolute), si consideratur ipsum *dictum*, vel *incarnatio* ut relata ad fidem, sive in sensu *composito* et coniunctim; quia non potuit simul esse, ut Abraham hoc crediderit, et tamen non eveniat. Haec solutio respondet modo loquendi S. Thomae et est probabilis. — Sed tertia solutio, quam tenet S. Bonav., negat *maiorem*, scilicet quod *necesse est*, Abraham credidisse Christum incarnandum. Haec sententia concedit quidem, quod omne dictum de praeterito est necessarium, dummodo *totum* dictum sit de praeterito; sed hoc negat, quando *sic* est de *praeterito*, ut simul connotet aliquid de *futuro*, a quo dependet, quia, si dictum complectitur simul necessarium et contingens, totum iudicatur *contingens*, ut hic et I. Sent. locc. citt. magis declaratur. — Alia difficultas, quae hic solet opponi, et quae sumitur ex differentia temporis et falsa eius determinatione, dum quis credidit Christum *incarnandum*, qui eo momento iam erat *incarnatus*, solvitur infra q. 2. ad 3. et q. 3. in fine corp. et ad 1. et 5; cfr. d. 25. a. 1. q. 2, et S. Thom., S. III. q. 1. a. 3. ad 2.

H. Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 7. a. 1. — Scot., III. Sent. d. 23. q. unica n. 9. seqq. n. 14. seq., et Quodl. 14. n. 3. seqq. — S. Thom., hic a. 1. quaestiunc. 3; S. art. cit. — Petr. a Tar., hic a. 1. — Richard. a Med., hic q. 3. — Durand., hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum fides sit circa verum creatum et increatum, an circa increatum tantum tanquam obiectum proprium.

Secundo quaeritur, utrum fides sit circa verum creatum et increatum, an circa increatum tantum tanquam circa obiectum proprium. Et quod solum sit circa verum increatum, videtur:

Fundamenta. 1. Primo per hoc, quod fides est virtus theologica. Omnis enim virtus theologica habet idem pro obiecto et fine: si ergo finis virtutum[1] non est quid creatum, sed increatum, videtur etc.

2. Item, hoc ipsum videtur per hoc, quod[2] est virtus una: quia unica virtus unum debet habere obiectum: si ergo fides virtus una est, et creatum et increatum sunt diversa omnino; igitur si fides habet esse circa Verum increatum, non habet esse circa verum creatum sicut circa obiectum.

3. Item, hoc ipsum videtur per hoc, quod fides est virtus evacuanda per obiecti sui praesentiam et apertam notitiam; sed sola visio Veri increati est illa, quae virtutem fidei evacuat — fides enim non evacuatur in via[3] — ergo videtur, quod fides solum sit in Verum increatum tanquam in obiectum.

4. Item, fides est virtus, qua assentitur ipsi credito propter se et super omnia; sed nulli vero est propter se et super omnia assentiendum, nisi quod est summum Verum et Verum increatum: ergo solummodo circa illud consistit fidei obiectum.

5. Item, hoc ipsum videtur per definitionem articuli a Richardo datam[4], qua dicit, quod «articulus est indivisibilis veritas de Deo, arctans nos ad credendum»: ergo si articulus est fidei obiectum, videtur, quod fides solum sit circa verum increatum et circa Deum.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Circa veritatem in Symbolo contentam[5] consistit fides tanquam circa obiectum proprium; sed in Symbolo non solum sunt articuli spectantes ad Deitatem, immo etiam spectantes ad humanitatem: ergo si humanitas est quid creatum, fides non solum consistit circa Veritatem increatam, verum etiam circa creatam.

2. Item, tantae amplitudinis est fides, sicut et caritas, vel maioris; sed caritas non tantummodo diligit Bonum increatum, sed etiam creatum, quia non tantummodo diligit Deum, sed etiam proximum[6]: ergo fides non tantum est in Verum increatum sicut in obiectum, verum etiam in verum creatum.

3. Item, nullum verum futurum est verum increatum, quia Verum increatum est verum aeternum; sed fides nostra est circa verum futurum, quia credimus «carnis resurrectionem[7]», quae nec est nec fuit, sed futura est: ergo videtur, quod fides non tantum sit circa Verum increatum, sed etiam circa creatum.

4. Item, si quis pertinaciter assereret, esse falsum quod sacra Scriptura dicit esse verum, esset haereticus: ergo videtur, quod obiectum fidei extendatur ad omnia quae in sacra Scriptura scribuntur; sed in sacra Scriptura multo plura scribuntur de temporalibus quam de aeternis, de creatis quam de increatis, sicut quod *Abraham genuit Isaac*[8], et con-

---

[1] Scil. theologicarum. — Paulo ante pro *idem* Vat. non apte *Deum*, edd. 1, 2 et cod. V *fidem*.

[2] Supple: fides. Cfr. supra d. 23. a. 1. q. 3. — Subinde pro *unum* edd. et nonnulli codd. *unicum*.

[3] Vide infra d. 31. a. 2. q. 1. — Cod. bb *non evacuatur nisi in ea*, plures codd. *non evacuatur in ea*. Paulo ante pro *virtutem fidei* edd. nec non pauci codd. *veritatem fidei*; perperam.

[4] De qua fusius infra a. 3. q. 1. — Subinde pro *qua dicit* codd. A Z *quae dicit* [cod. A *duxit*].

[5] Ex codd. A K L N P Q (aa a secunda manu) bb supplevimus *contentam*.

[6] Vide infra d. 28. q. 6.

[7] Symbol. Apostolorum.

[8] Gen. 21, 3; Matth. 1, 2.

similia: ergo videtur, quod obiectum fidei magis consistat in vero creato quam in increato.

5. Item, illuminatio fidei sequitur, vel concomitatur illuminationem prophetiae; sed prophetia maxime et praecipue consistit circa verum creatum, cum sit praenuntiatio futurorum [1]: ergo pari ratione videtur, quod et ipsa fides.

CONCLUSIO.

Fidei obiectum proprie dictum sive formale, *quod habet rationem motivi, est Verum increatum; obiectum vero* communiter *dictum est verum tum increatum, cui assentitur* propter se, *tum creatum, cui assentitur* propter aliud *et quod habet rationem* materialis.

Respondeo: Dicendum, quod *obiectum* alicuius habitus cognitivi dupliciter habet determinari: aut *communiter*, aut *proprie*, sive *per se* et *per accidens*. Illud autem vocatur obiectum *commune*, quod habet [2] communem acceptionem; et obiectum *per accidens*, quod quidem habet rationem *materialis*; illud autem dicitur obiectum *proprie* et *per se*, quod quidem habet rationem *motivi* [3].

Duplex obiectum.

Secundum hanc duplicem acceptionem dupliciter contingit loqui de obiecto fidei. Nam *uno* modo potest dici *obiectum fidei*, circa quod ipsa fides versatur, tanquam circa illud quod credit esse verum, sive illi assentiat *propter se*, sive *propter aliud*. Et hoc modo non tantummodo est circa Verum increatum, verum etiam circa verum creatum, quia fides non tantum credit ipsi divinae Veritati *in se*, sed etiam in his quae sibi ab ea *dictantur*, quae sunt multa vera creata. — Si autem loquamur de obiecto fidei secundum *propriam* acceptionem, prout dicitur obiectum, quod habet rationem *motivi*; sic obiectum fidei est Verum increatum. — Et sicut contingit intelligere in visu, quod lucidum dupliciter movet visum, vel prout est *absolutum*, vel prout est terrenae materiae *incorporatum* [4]; sic ipsa divina Veritas dupliciter movet ipsum intellectum per fidem illuminatum: vel *per se*, sicut in articulis spectantibus ad ipsum Deum secundum Divinitatem, vel ut est *unita creaturae*, sicut in illis articulis respicientibus ipsum Deum in sua humanitate assumta, vel in operatione ab ipso creata, sicut in creatione, reparatione et glorificatione. — Concedendum igitur est, quod obiectum fidei *proprium*, secundum quod habet rationem motivi, est Verum increatum; et quia hoc probant rationes ad primam partem inductae, ideo concedendae sunt.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Subdistinctio.

Conclusio 3.

1. Ad illud quod primo obiicitur in contrarium, quod quidam articuli respiciunt humanitatem, sicut quidam Divinitatem; iam patet responsio, quia illi articuli, qui sunt de humanitate et circa humanitatem, enuntiantur de divina persona, circa quam consistit Veritas increata, et ex illa parte habent rationem *movendi* [5]. Nam ex illa parte, qua consistunt circa veritatem creatam, habent solum rationem *materialis*. Unde sicut una est persona in duabus naturis, creata videlicet et increata; sic una est *Veritas movens*, quae tenet rationem *obiecti*, sive in articulis, qui respiciunt Divinitatem, sive in his qui respiciunt humanitatem, quae quidem est Veritas increata.

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod ad tot se extendit fides, ad quot se extendit caritas; dicendum, quod etsi caritas videatur esse circa Bonum increatum et circa bonum creatum tanquam circa obiectum proprium, tamen obiectum eius *proprium*, sicut infra [6] manifestabitur, non est nisi circa Bonum increatum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod fides est de vero futuro; dicendum, quod resurrectio carnis futura non est obiectum fidei *proprium*, nisi in quantum comparatur ad divinam virtutem et iustitiam, quae corpora resuscitabit, ut retributio fiat secundum merita; et sic ratione Veri increati implicati [7] habet rationem *obiecti*; quod quidem Verum increatum, quantum est de se, abstrahit a ratione praeteriti et futuri, licet praeteritio et futuritio notetur circa eius effectum, qui, quantum est de se, habet solum rationem materialis in comparatione ad fidei assensum, secundum quod in praecedentibus fuit tactum.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod haereticus iudicaretur qui pertinaciter negaret quae in sacra Scriptura dicuntur; dicendum, quod hoc non est, quia omnia quae in sacra Scriptura continentur, teneant rationem obiecti *proprii* et *motivi* respectu ipsius fidei; sed hoc est, quia *consequuntur* ad eius obiectum proprium. Quia enim sacra Scriptura edita est ab ipsa Veritate increata et a Spiritu sancto [8]; qui contradiceret sacrae Scripturae contradiceret ei cui fides assentit propter se, videlicet ipsi summae

Notandum.

---

[1] Cassiodor., Praefat. in Psalter. c. 1: « Prophetia est aspiratio divina, quae *eventus* rerum aut per facta aut per dicta quorundam immobili veritate pronuntiat ». Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 1. n. 1: Cum ideo prophetia dicta sit, quod *futura praedicat*, quando de praeterito vel praesenti loquitur, rationem sui nominis amittit etc.

[2] Exceptis codd. A U, edd. et codd. *secundum* pro *quod habet;* superius pro *et per* cod. aa *aut per*, cod. bb *sive per*. — De subdistinctione *sive per se* etc. cfr. scholion.

[3] Cfr. supra pag. 479, nota 5.

[4] Scil. in coloribus. II. Sent. d. 13. a. 2. q. 2: Sicut lux *incorporata* est principium coloris in ipso corpore terminato, qui quidem color est accidens et passibilis qualitas et sensu percipitur; sic etiam *lux in corpore luminoso* est principium cuiusdam fulgoris, qui ad modum coloris est accidens. — Paulo ante pro *absolutum* edd. *abstractum*.

[5] Ita codd., edd. *motivi*.

[6] Dist. 27. a. 1. q. 2.

[7] Edd. *implicari*.

[8] Vide supra pag. 505, nota 7. De propositione praecedenti cfr. infra a. 3. q. 1, d. 25. a. 1. q. 1.

Veritati. Et ideo ex hoc non potest concludi, quod fides circa verum creatum habeat versari sicut circa obiectum *proprium*.

5. Ad illud quod obiicitur de illuminatione prophetica, dicendum, quod prophetia non habet pro *principali* obiecto et *motivo* ea quae propheta praenuntiat, sed solum habet pro obiecto *materiali*, circa quod ipsa prophetia versatur. Unde Propheta non assentit ei quod praenuntiat, propter se, sed propter Veritatem ipsum illuminantem et erudientem; et ex hoc non potest concludi, quod fides sit circa vera creata, nisi tanquam circa obiecta *materialia*. — Posset tamen dici, quod non est simile de fide et prophetia, quia *fides* in suo obiecto, cui assentit, requirit aliquid, quod habeat rationem *motivi;* sed *prophetia* nihil tale requirit in prophetato, sed totam rationem suae cognitionis sumit ab inspirante [1]. Ideo non sequitur, quodsi *prophetia* est de aliquo, quod de illo debeat esse *fides* sicut de obiecto. Alia solutio.

SCHOLION.

I. Observandus est modus loquendi hic a S. Bonav. usurpatus. Obiectum *proprium* fidei significat id quod vulgo dicitur *obiectum formale;* sed hoc iterum sumitur dupliciter, scilicet vel ut habet rationem *motivi* et est « obiectum proprie et per se » *(obiectum formale quo)*, vel ut id, circa quod fides versatur assentiendo ei *per se*. Quod distinctius Petr. a Tar. (hic a. 2.) sic exprimit: « Obiectum *per se* (iterum) dicitur dupliciter: vel *formaliter*, id est illud, ad quod actus terminatur *primo et per se*, vel *materialiter*, ad quod terminatur *per se*, sed non *primo* ». — Vera autem creata semper habent rationem obiecti *materialis* (ad 1.), et eadem, quatenus ut conclusiones consequuntur ad obiectum primum et respectu articulorum fidei vel antecedunt, vel comitantur vel sequuntur, sunt obiectum *per accidens*. Similiter hic S. Thom. (hic a. 1. quaestiunc. 1.) distinguit triplex alicuius potentiae obiectum: *formale, materiale, accidentale*, ut S. Bonav. supra d. 23. a. 1. q. 3. (ubi et de obiecto *fidei per accidens);* qui etiam eodem modo (ibi ad 3.) solvit 4. arg. ad oppos.

De hac (2.) quaestione praeter citatos locos: Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 7. a. 6. — S. Thom., S. III. q. 1. a. 1; de Verit. q. 14. a. 8. — Richard. a Med., hic a. 1. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 1.

II. In seq. (3.) quaestione de opinionibus in corp. memoratis sic loquitur Petr. a Tar. (hic a. 3.): « Quidam, ut cancellarius Parisiensis, dixerunt, quod *res*, et non *enuntiabilia*, sunt articuli, de quibus est fides; quia *res* arctat semper et *per se* ex natura propria ad credendum, enuntiabilia *per accidens* ex divulgatione. — Alii vero, ut magister Altissiodorensis [Autissiod.], quod *enuntiabilia determinata*, et non *res*, sunt articuli, et quamvis variata sint enuntiabilia, non tamen articuli, quia tria enuntiabilia secundum tres differentias temporum non sunt nisi unus articulus, sicut tres voces unum nomen: albus, alba, album. — Alii dicunt melius, quod *res* non sunt articuli nisi *materialiter*, sed *enuntiabilia indeterminata*, quae se habent communiter ad quamlibet temporis differentiam, ut Christum incarnari aut incarnandum fuisse; *enuntiabilia* vero *determinata* non sunt articuli nisi *per accidens*, quia credere sub hac vel illa differentia accidit saluti... Est ergo fides simpliciter de vero *complexo;* sed tamen complexio duplex est: quaedam *indeterminata*, ut Christum incarnari, quaedam *determinata*, ut Christum incarnatum esse. Fides ergo *per se* est de vero complexo primo modo, sed *per accidens* de vero complexo secundo modo ». — Idem sentit S. Bonav., et etiam S. Thom., qui in Comment. de patronis primae opinionis dicit, quod « propriam vocem ignoraverunt », sed in Summa mitius de his iudicat et distinguens dicit, quod ex parte ipsius *rei creditae* obiectum fidei est aliquid incomplexum, sed ex parte *credentis* aliquid complexum per modum enuntiabilis. Consentiunt B. Albert. et Richard. a Med.

De hac (3.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 5. — S. Thom., hic a. 1. quaestiunc. 2; S. loc. cit. a. 2. — B. Albert., hic a. 5. — Richard. a Med., hic q. 2.

QUAESTIO III.

Utrum fides sit circa complexum, an circa incomplexum.

Tertio quaeritur, utrum fides sit circa complexum, an circa incomplexum. Et quod sit circa complexum, videtur.

1. « *Credere* enim, sicut dicit Augustinus [2], est cogitare cum assensione »; sed assensus rationis non est supra incomplexum, sed supra complexum: videtur ergo, quod fides sit circa complexum, sicut circa proprium obiectum. Fundamenta.

2. Item, fides credit aliquid, quia verum, et respuit, quia falsum; sed verum et falsum sunt circa complexionem [3]: ergo videtur, quod et habitus fidei ipsum complexum sive enuntiabile respiciat ut obiectum.

3. Item, *fides* est media inter *opinionem* et *scientiam*, secundum quod vult Hugo [4]; sed tam *opinio* quam *scientia* est circa complexum: ergo cum medium suscipiat naturam extremorum, videtur similiter, quod et *fides*.

4. Item, fides est opposita errori; sed nullus errat nisi ex hoc, quod attribuit aliquid alicui, quod

---

[1] Cod. U subdit *Deo*.

[2] De Praedest. Sanct. c. 2. n. 5. — *Minorem* explicat Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 7. a. 5. (ubi idem arg.) sic: Sed *cogitare* est conferre unum alteri, *consentire* (assentire?) vero sententiam super illud inferre; et hoc non fit super incomplexum. — Pro *supra* nonnulli codd., ut G K Y aa, substituunt *circa*.

[3] Cfr. Aristot., I. Periherm. c. 1. seqq.; III. de Anima, text. 21. seqq. (c. 6.), et VI. Metaph. text. 8. (V. c. 4.). — Pro *complexionem* edd. *complexum*.

[4] Libr. I. de Sacram. p. X. c. 2. Eius verba, quibus Richard. quoque a S. Vict. utitur, Declarat. ad Bernard. (circa finem), vide supra d. 23. a. 1. q. 1. arg. 1. ad oppos. Ibid. etiam videsis de ratione (ex Aristot. sumta), quae hic in fulcimentum conclus. adducitur. — De *minori* cfr. Aristot., I. Poster. c. 26. (c. 33.). — In conclus. pro *suscipiat* codd. A K Z bb *sapiat*.

non est attribuendum, vel removet quod non est removendum; hoc autem non fit nisi in complexione: ergo omnis error circa complexionem consistit. Si igitur « opposita nata sunt consistere circa idem [1] », videtur similiter, quod et fides verum complexum habeat pro obiecto.

3. Item, si ipsum verum incomplexum est obiectum fidei, cum ergo Iudaei credulitatem habeant de incarnatione, Iudaei fidem haberent incarnationis; quod est manifeste falsum, immo errant circa articulum illum; similiter illi qui crederent resurrectionem iam factam, haberent fidem de resurrectione, quos tamen circa resurrectionem constat errare: restat igitur, quod aliquid incomplexum non habet esse ipsius fidei obiectum; et est complexum, vel incomplexum: ergo complexum.

Sed contra: 1. Super illud primae ad Corin- Ad oppositum.
thios decimo [2]: *Omnes eundem potum spiritualem biberunt;* Glossa Augustini: « Tempora sunt mutata, sed tamen non est fides variata »: si igitur non est fides variata, nec obiectum fidei: cum ergo enuntiabilia, quae creduntur, variata sunt, quia illi credebant, Christum esse *passurum*, nos, *passum* esse; illi, *incarnandum*, nos, *incarnatum* esse: restat igitur, quod fides non est circa enuntiabile sive circa complexum tanquam circa obiectum.

2. Item, obiectum fidei est Verum increatum, sicut prius [3] fuit ostensum — unde Richardus de sancto Victore dicit, quod « articulus est veritas de Deo » — si ergo Deus est simplicissimus, et in simplici nulla cadit complexio vel compositio; videtur, quod obiectum fidei non sit verum complexum, sed incomplexum.

3. Item, de eodem et circa idem est fides, circa quod est visio futura; sed visio est circa verum incomplexum et per modum incomplexionis — erit [4] enim visio simplex intuitus summae lucis — ergo videtur, quod fides similiter consistat circa verum incomplexum per modum incomplexi.

4. Item, spes et caritas sunt circa res incomplexas et per modum incomplexionis, quia spes exspectat beatitudinem, et caritas amat Deum: ergo cum virtutes theologicae idem habeant pro obiecto secundum rem, videtur, quod et ipsa fides circa verum incomplexum consistat.

5. Item, si fides consistat circa verum complexum; cum tempore passionis paucissimi scirent, Christum pati, et in tempore incarnationis paucissimi scirent, Christum incarnari, paucissimi habuissent fidem; Cornelius etiam fidem non habuisset, qui nesciebat, Christum esse incarnatum nec passum, et tamen de illo legitur, quod eleemosynae eius placuerunt Deo — *sine fide autem*, ut dicitur ad Hebraeos undecimo [5], *impossibile est placere Deo* — si igitur ista inconvenientia essent, inconveniens est ponere, quod fides consistat circa complexionem.

CONCLUSIO.

Fides proprie consistit circa verum complexum.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hanc quaestionem diversi diversimode senserunt [6].

Quidam enim dicere voluerunt, quod fides con- Opinio 1.
sistit circa *incomplexum*, sicut circa *proprium* obiectum; et isti dixerunt, quod articuli fidei non sunt *enuntiabilia*, sed *res*, utpote incarnatio, passio et resurrectio; et ista quidem omni tempore sunt eadem, sicut et ipsa fides. Quod autem actus fidei transit super ipsum credibile sicut super complexum, hoc est *propter defectum intellectus*, qui non potest totum simplici aspectu intueri, sed primo hoc intuetur et postea illud, componens unum alteri.

Sed quoniam ipse assensus fidei est *proprie* super complexionem; et ad perfectionem fidei non tantum oportet *cogitare* de incarnatione, sed etiam oportet *credere*, incarnationem iam fuisse: ideo di- Opinio 2.
xerunt alii, quod articuli sunt *enuntiabilia*, et quod fides consistit circa *complexum*, maxime cum fides quantum ad aliquos articulos simul respiciat increatum et creatum, et de nullo creato possit esse,

---

[1] Aristot., de Praedicam. c. de *Oppositis*, et II. Topic. c. 3. (c. 7.). De praecedentibus cfr. Aristot., IX. Metaph. text. 21. seq. (VIII. c. 10.). — Pro *consistere* codd. A K *fieri*.

[2] Vers. 4. — Glossa August. invenitur in Enarrat. Ps. 50, 14. n. 17. et in Ioan. Evang. tr. 45. n. 9. — Paulo inferius post *enuntiabilia* cod. U adiicit *fidei*.

[3] Quaest. praeced. — De definitione *articuli* vide infra a. 3. q. 1. — Pro *Richardus* cod. aa *Hugo*.

[4] Cod. A K V bb *est*. In fine arg. pro *incomplexi* cod. Z *incomplexionis*.

[5] Vers. 6. — De *Cornelio* vide Act. 10, 31. seqq. — Paulo superius pro *qui nesciebat... nec passum* cod. aa *quia nesciebat... et passum*.

[6] De quo Praepositivus, S. p. III. q. de articulis fidei, tradit haec: Quidam respondent, quod noti [?] sunt articuli fidei, ut Christum esse natum... Alii respondent, quod totum hoc est articulus fidei: Christum esse natum, vel nasci, vel nasciturum esse... Alii dicunt, quod nomina non sunt articuli, sed eventus sunt articuli, ut nativitas, passio... Alii dicunt, quod haec sunt articuli fidei, scilicet credere nativitatem, credere passionem, credere unitatem essentiae, credere trinitatem personarum, et his similia. Contra quos sic: credere est motus mentis, quo quis movetur ad credendum; alius est motus mentis istius, alius illius... ergo alius est articulus istius et alius articulus illius... Item secundum istos non est concedendum: iste credit articulos fidei; quia credere passionem est articulus fidei, et iste credit credere passionem; hoc nihil est dicere. Concedunt, quod nemo credit articulos fidei, sed ea quae subsunt articulis, ut nativitatem, passionem... Sunt alii qui fere idem dicunt; dicunt enim, quod fides est de nativitate, fides de passione, fides de Trinitate, fides de unitate et similia sunt articuli fidei. Translatum est enim hoc nomen *articulus* ab articulis digitorum; sicut enim articuli digitorum sunt quaedam distinctiones digitorum, ita fides de passione, fides de resurrectione quaedam particulae fidei sunt... Penultimae viae, ut diximus, magis consentimus etc. — Pro *senserunt* cod.d A K *sentiunt*, ex quibus codd. nec non ex cod. bb (H a secunda manu) non ita multo post supplevimus *sicut* ante *et ipsa fides*.

nisi secundum quod componitur ipsi increato, secundum quod prius[1] habitum est: si ergo *intellectus* illud non capit nisi per modum complexionis, rationabilius videtur illud ponere et dicere, quod fides sit circa verum *complexum* sive sub ratione complexi. Et quoniam errans circa verum complexum quantum ad differentiam temporis simpliciter iudicatur haereticus, sicut si aliquis crederet resurrectionem iam factam, vel incarnationem futuram; ideo non solum dixerunt, fidem esse circa verum
Nota. complexum[2], sed etiam circa verum complexum *sub determinata differentia temporis*. Et *si tu obiicias* eis de mutatione fidei propter mutationem istorum
Explicatio Nominalium. enuntiabilium; respondent secundum Nominales, quod *enuntiabilia* non sunt mutata, quia te *esse cursurum*, te *currere*, te *cucurrisse*, in diversis temporibus prolata, idem significant, et unum est enuntiabile, quia una est *res*, quam significant, et unum est *tempus*, pro quo proferuntur; et ideo unum sunt secundum *rem* et veritatem, quamvis
Alia explicatio. videantur vocaliter esse diversa. — Aliter etiam respondent. Esto quod ista enuntiabilia sint *diversa*, quia tamen una est Veritas, cui fides assentit principaliter, et ratione cuius ista enuntiabilia credit, quae quidem non mutatur secundum diversitatem temporis, licet ipsa enuntiabilia diversificentur; non propter hoc fides mutatur et diversificatur, immo in diversis temporibus fides non mutata consistit.

Sed quia positio illa Nominalium, quae dicebat,
Non probantur hi modi. enuntiabilia diversorum temporum esse unum, communiter non approbatur, immo falsa est, sicut in primo libro[3] fuit ostensum; similiter nec alius modus dicendi sufficit, quod ad immutabilitatem fidei sufficiat immutabilitas rationis credendi — si enim articuli sunt enuntiabilia et dicuntur *immutabiles* propter rationem credendi immutabilem, pari ratione omnes dicerentur *unus* articulus propter unicam ra-
Opinio 3. tionem credendi, quae est in eis — ideo est tertius modus dicendi, quod cum fidei habitus faciat mentem assentire credibili sive credito; et assensus animi[4] non feratur supra incomplexum, sed supra
Conclusio 1. complexum: ponere oportet, quod ipsum obiectum fidei, secundum quod supra illud fertur fides, habet rationem *complexi*. Et quia dupliciter contingit, fidem ferri in obiectum suum, scilicet aut *implicite*, aut *explicite*; ideo secundum duplicem modum dicitur complexum esse obiectum fidei, sive fides consistere circa complexum. Nam fides quantum ad
Conclusio 2. suam *substantiam* respicit complexum sive enuntiabile, non concernendo *determinatam temporis differentiam*, immo aliquod dictum, quod est *commune* et indifferens ad omne tempus, sicut Christum fuisse passurum. Fides autem *explicita* respicit complexum
Conclusio 3. sub *differentia temporis determinata*, sicut nunc oportet credere, incarnationem fuisse, et resurrectionem futuram esse. Sicut ergo *explicatio* accidit fidei nec mutat essentiam fidei[5]; sic et *variatio* tem-
Conclusio 4. poris determinati non variat fidem, ut sit alia et alia secundum speciem. — Et hic quidem modus dicendi satis est probabilis. Hunc igitur sustinendo dicere possumus, quod fides *proprie* consistit circa verum complexum. — Et concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

1. Ad illud quod primo obiicitur de enuntiabi-
Solutio oppositorum. lium mutatione, iam patet responsio: quia *enuntiabile*, quod non concernit determinatam temporis dif-
Notandum. ferentiam, in diversis temporibus non mutatur, et hoc est, circa quod habet *fides* consistere, secundum quod *fides*; sed *illa enuntiabilia* solum variantur, quae concernunt determinatam temporis differentiam, et circa hoc consistit *fides*, secundum quod *explicita*. Et ex hoc non potest concludi, quod *fides* sit alia et alia, sed[6] quod fidei *explicatio* sit variata in diversis temporibus.

2. Ad illud quod obiicitur, quod fides est circa Verum increatum, circa quod nulla est complexio; dicendum, quod sicut in primo libro[7] dictum fuit, quamvis Deus sit *simplicissimus*, tamen circa ipsum
Notandum. vere contingit enuntiare hoc de hoc per modum *complexionis*, pro eo quod illam complexionem non ponit intellectus circa rem, sed circa se ipsum intelligentem; nec tamen errat, quia non potest simplicitatem divini *esse* nisi sub tali compositione et collatione capere. Et per hunc modum intelligendum est in fide. — *Praeterea*, fides non tantum est de
Alia ratio. Vero increato in se, sed etiam prout comparatur ad veritatem creatam, sicut dictum est supra[8]; et illa comparatio sub quadam *complexione* est, et propterea illa ratio non cogit.

3. Ad illud quod obiicitur, quod de eodem est fides in via et visio in patria; dicendum, quod unum et idem potest apprehendi per modum *incomplexi* et per modum *complexi*, sicut patet in apprehensione sensus et intellectus. Sensus enim, dum appre-
Notandum. hendit rem albam, apprehendit per modum cuiusdam *incomplexionis*, quia non novit sensus exterior componere nec dividere[9]; sed intellectus, dum illud idem apprehendit, quod sensus apprehendebat, sub modo *complexionis* accipit, praedicans hoc de hoc, componens hoc illi et dicens, hoc esse album; et

---

[1] Quaest. praeced. — Pro *componitur* cod. Z *comparatur*. Inferius pro *videtur illud* cod. A *videtur idem*.

[2] Non pauci codd. nec non edd. 1, 2 perperam (quia contra mentem huius opinionis) *incomplexum*.

[3] Dist. 41. a. 2. q. 2. in corp. — Mox pro *immutabilitatem* codd. G (II a secunda manu) I L (bb a prima manu) *immutationem*.

[4] Vat. omittit *animi*, pro quo edd. 1, 2 *cum*. Inferius post *duplicem* codd. A K addunt *istum*.

[5] Vide infra d. 25. a. 2. q. 1.

[6] Edd. 1, 2 et complures codd. *secundum*.

[7] Dist. 27. p. I. q. 3; d. 34. q. 1. in corp.; d. 41. a. 2. q. 1. — Paulo superius pro *nulla est* cod. V *nulla consistit*, et paulo inferius idem cod. V post *circa rem* adiicit *intellectam*.

[8] Quaest. praeced.

[9] Nec etiam super se reflectere (I. Sent. d. 17. p. I. q. 2. ad 4.). Aliter autem se habet sensus *communis*, de quo vide supra d. 14. a. 3. q. 2. ad 5.

ita *complexum* et *incomplexum* non faciunt diversitatem a parte *rei comprehensae*, sed a parte *modi comprehendendi*, quia unum et idem potest apprehendi sub modo *complexionis* et *incomplexionis* [1]. Et propterea non sequitur, quod si visio est de eodem, de quo est fides, et visio non est sub ratione complexionis, ergo et fides; immo est ibi *figura dictionis*, vel etiam *accidens*, quia proceditur ab unitate *rei* ad unitatem *modi*. Et *si tu quaeras*, quare fides non assentit obiecto suo per modum incomplexi, sicut visio; satis plana est responsio: quia *visio patriae* uno et simplici aspectu faciet, videri et cognosci multa propter perfectionem gloriae [2]; non sic autem est de cognitione secundum *statum viae*, quem quidem statum respicit ipsa fides.

4. Ad illud quod obiicitur de spe et caritate, dicendum, quod non est simile: quia proprie *intellectus* est negotiari circa *complexum*, sed *affectus* est negotiari circa ipsam *rem*; et quia res in se ipsa habet rationem *incomplexionis*, sed prout est in intellectu, habet rationem *complexionis* [3]: hinc est, quod quamvis virtutes respicientes *affectum* sint circa obiectum suum praeter rationem *complexionis*, non tamen propter hoc *fides* [4], quae est regula *intellectus*. — Nec valet, quod si idem est obiectum virtutum theologicarum, propter hoc, in quantum est *fidei*, careat *complexione*, sicut in quantum est *aliarum*. *Complexum* enim et *incomplexum* non dicunt variationem a parte *rei*, sed solum a parte *modi*, sicut prius visum est; et quamvis virtutes theologicae habeant idem obiectum secundum *rem* et substantiam, habent tamen differens secundum *rationem* et *modum*.

Notandum.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur de Cornelio, iam patet responsio: quia Cornelius habebat fidem *implicitam*, et ideo non credebat incarnationem vel passionem [5] sub *differentia temporis determinata*; et propterea non errabat, sed explicatio fidei sibi deerat, ad quam faciendam misit Dominus Ecclesiae architectum [6].

ARTICULUS II.

De obiecto fidei in comparatione ad nostram cognitionem.

Consequenter quaeritur de obiecto fidei in comparatione ad nostram cognitionem, et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum fides sit de his, de quibus habetur visio sensibilis.

Secundo, utrum sit de his, de quibus habetur opinio probabilis.

Tertio, utrum sit de his, de quibus habetur cognitio scientialis.

QUAESTIO I.

Utrum fides sit de his, de quibus habetur visio sensibilis.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum fides sit de his, de quibus habetur visio sensibilis. Et videtur, quod sic.

1. Ioannis vigesimo [7]: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*; sed constat, quod Thomas veram habuit fidem de Domino Iesu, quem vidit et tetigit: ergo simul de eodem erat fides interior et visio exterior.

Fundamenta

2. Item, primae Ioannis primo [8]: *Quod vidimus et audivimus et perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae*: si ergo de Verbo vitae habebant Apostoli fidem, hoc est de Christo, et de eodem habebant sensibilem cognitionem; redit idem quod prius.

3. Item, Apostoli viderunt Christum patientem [9] et Christum ascendentem, et constat, quod Christum esse passum et ascendisse, sunt articuli: si ergo Apostoli fidem et meritum quantum ad hos articulos non amiserunt, videtur, quod circa idem possit esse fides et visio exterior.

4. Item, beata Virgo sensibili experimento novit, se concepisse de Spiritu sancto absque virili semine; sed constans est [10], quod propter conceptionem Filii Dei nihil demptum est fidei suae: ergo

---

[1] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 152. seqq. et III. text. 21. seqq. (III. c. 3. et 6.) — De fallacia *figurae dictionis* et *accidentis* vide supra pag. 151, nota 3. et pag. 179, nota 1.

[2] Cfr. supra d. 14. a. 2. q. 2. ad fundam. 6.

[3] Vide Aristot., VI. Metaph. text. 8. (V. c. 4.), ubi etiam actuum intellectus et voluntatis diversitas inter se respectu obiecti in eo reponitur, quod *bonum* et *malum* sint in *rebus*, *verum* autem et *falsum* in *anima*. Cfr. tom. I. pag. 562, nota 10. — Superius pro *complexum* cod. G *complexionem*.

[4] Cod. A supplet *est*; sensus completus huius propos. est: non tamen propter hoc etiam fides est circa obiectum incomplexum. — Proxime post pro *quae est* edd. *quia est*. Aliquanto inferius pro *variationem* codd. A K *varietatem*.

[5] Pro *passionem* edd. cum bene multis codd. *resurrectionem*, cod. bb *passionem vel resurrectionem*.

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Vers. 29. — Paulo inferius post *Iesu* Vat. addit *quia credidit Iesum*.

[8] Vers. 1.

[9] Codd. L T *pati*, edd. *passum*. Paulo inferius eaedem edd. voci *articuli* praefigunt *duo*.

[10] Cod. V *sed constat*.

simul stabant in ea cognitio fidei et cognitio sensibilis experimenti.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Super illud Ioannis decimo quarto [1]: *Vado parare vobis locum;* Glossa Augustini: « Eat Dominus et paret locum: eat, ne videatur; lateat, ut credatur »: si ergo ad *credere* necessarium est *latere*, videtur, quod impossibile sit, visionem corporalem circa idem stare simul cum fide.

2. Item, Augustinus definiens fidem dicit: « Fides est credere quod non vides »; et in praecedenti distinctione [2] habitum est, quod « fides est virtus, qua creduntur quae non videntur »; et Gregorius in quadam homilia Paschali: « Quae videntur fidem non habent, sed agnitionem »: ergo non videtur, quod de eisdem possit esse fides interior et sensus exterior.

3. Item, visio patriae evacuat fidem et eius meritum propter manifestationem veritatis creditae [3]; sed visio corporalis Christi ita manifestat eius humanitatem, sicut visio patriae eius Divinitatem: ergo sicut fides Divinitatis non potest esse circa visum visione gloriosa; sic videtur, quod fides humanitatis non potest esse circa visum visione sensitiva.

4. Item, actus credendi, secundum quod ad virtutem spectat, est quid difficile et voluntarium [4]; sed credere quod homo videt oculis exterioribus, hoc est facile et necessarium: ergo non videtur, quod aliquid possit esse simul et semel exterius visum et interius creditum.

CONCLUSIO.

Fides et visio sensibilis possunt esse simul circa unum, quamvis non secundum idem.

Respondeo: Dicendum, quod quaedam sunt, Distinctio. quae subiiciuntur sensui exteriori *simpliciter et totaliter;* et *illa videre* est clare et perfecte cognoscere, et circa talia non potest simul et semel esse habitus sive cognitio *fidei* cum *visione exteriori*, pro eo quod visio sive cognitio illa excludit omne aenigma et cognitionem aenigmaticam [5]. — Quaedam autem sunt, quae sic subiacent sensui secundum *aliquid* sui, ut secundum *aliquid* sui lateant ipsum sensum; et circa talia bene potest simul et semel esse *visio* secundum unum, et *credulitas fidei* secundum aliud: *visio* secundum id, secundum quod *patent; credulitas fidei* secundum id, secundum quod *latent.*

Et hoc modo est in Christo intelligere. Nam Applicatur ad Christum. Christus secundum naturam assumtam et corpoream Apostolorum sensibus apparebat, secundum autem divinam naturam omnem sensum latebat; et eadem persona et hypostasis secundum diversas naturas simul erat *visui cognita* et *incognita* [6]; ideo simul poterat esse *visa* et *credita.* — Et illud est satis facile intelligere, si quis attendat: quoniam circa idem potest esse *certitudo* et *dubitatio* secundum diversas naturas et diversos respectus et diversas conditiones. Esto enim, quod hic sit Christus coram oculis meis; etsi visu cognoscam, ipsum esse *hominem*, nunquam tamen per visum cognoscam, ipsum esse *Filium Dei;* ideo alius habitus necessarius est ad hoc, quod cognoscam, ipsum esse Deum. Et hoc est quod Dominus dixit Petro, quando dixerat: *Tu es Christus, Filius Dei vivi: Caro et sanguis non revelavit tibi* [7] etc. — Concedendum est igitur, quod Conclusio. fides et visio possunt esse circa unum et eundem, quamvis non secundum idem. — Et hoc est quod dicit Confirmatur. Augustinus [8] et Gregorius de Thoma, quod « aliud vidit, et aliud credidit, hominem vidit, et Deum confessus est dicens: *Dominus meus et Deus meus* ». Et sicut de Thoma dicitur, ita etiam de ceteris Apostolis et de beata Virgine, quae, quamvis certitudinali experientia sciverit, se concepisse sine virili semine; tamen se concepisse personam Verbi novit mediante fide. Et breviter: quia in omnibus articulis implicatur aliquid divinum; quia « articulus est veritas de Deo [9] », et illud quidem latet: ideo concedendae sunt rationes ostendentes, quod visio corporalis fidem non excludit. Epilogus.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod fidei necessaria est latentia; dicendum, quod latentia *Divinitatis* haec est, quae necessaria est fidei; sed latentia *humanitatis* non est de fidei necessitate, facit tamen ad maiorem actus fidei puritatem. Purius enim Apostoli moti sunt motu fidei et motu dilectionis in Christum post eius ascensum vel abscessum, quam in eius praesentia. Et Dominus, Ioannis vigesimo [10], magis laudat fidem eorum Solutio oppositorum. Notandum.

---

[1] Vers. 2. — Glossa August., a Strabo et Lyrano ut *ordinaria* exhibita, invenitur in S. Doctoris expos. in Ioan. Evang. tr. 68. n. 3; in ea pro *ne videatur* non pauci codd. et edd. 1, 2 perperam *ut videatur*.

[2] In lit. Magistri, c. 2. Ibid. c. 7. etiam affertur Augustini (in Ioan. Evang. tr. 40. n. 9.) nec non Gregorii (II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 8.) definitio fidei. — In conclus. post *non videtur, quod* cod. Z adiicit *simul,* et deinde post *fides interior* addit *et visio exterior sive.*

[3] Vide infra d. 31. a. 2. q. 1. — Pro *propter* codd. A K *per*.

[4] Cfr. supra d. 23. a. 1. q. 1. seq. et a. 2. q. 1. — Paulo inferius pro *necessarium* codd. A Z perperam *voluntarium*.

[5] Cognitio aenigmatica essentialis est fidei. Cfr. I. Cor. 13, 12. — Inferius post *patent* in codd. A K N U Z additur *et*.

[6] Cod. Z *ignota*. Cod. U *visui manifesta et fidei cognita*.

[7] Matth. 16, 16. seq. — Paulo inferius pro *et eundem* codd. K W Z bb *et idem*.

[8] In Ioan. Evang. tr. 79. n. 1; Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 8. Cfr. hic lit. Magistri, c. 7. Loc. Script. est Ioan. 20, 28.

[9] Cfr. infra a. 3. q. 1.

[10] Vers. 29. — Seq. Scripturae locus est I. Petr. 1, 8. Verba Glossae hic memoratae habentur in obiect., ad quam hic respondetur. — Paulo ante codd. partim omittunt cum edd. 1, 2 *vel abscessum*, partim *ascensum vel;* cod. bb ponit tantum *absentiam*. Superius cod. P omittit *haec est, quae*.

qui non viderunt et crediderunt, quam fidem Thomae; et beatus Petrus in primae Canonicae primo commendat eos qui Christum non viderunt, et tamen in eum crediderunt; et hoc est quod vult illa Glossa dicere, quod Domini absentia corporalis faceret ad fidei promotionem: et ex hoc non sequitur, quod corporalis visio tollat ipsam fidem.

2. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Augustini et Gregorii, dicendum, quod verba Augustini et Gregorii sunt intelligenda *per se*. Quod enim dicitur fides esse de *non apparentibus* et *non visis*, hoc dicitur, quia fides de illis est secundum eam naturam, secundum quam non apparent; et eo ipso est de ipsis, quae non apparent, quia secundum aliquid sui latent. Sed ex hoc non excluditur, quin quasi *per accidens* et *per concomitantiam* possit [1] dici, quod fides sit de aliquibus, quae apparent, pro eo quod unum et idem, sicut prius ostensum est, potest simul apparere et latere.

3. Ad illud quod obiicitur, quod visio patriae tollit fidem Divinitatis; dicendum, quod non est simile, pro eo quod *visio patriae* excludit omne aenigma et aufert omnem latentiam; non sic *visio viae*. Quamvis enim Christus appareret quantum ad naturam humanam [2], latebat tamen quantum ad personam. Unde Christo demonstrato, istum pati, erat *visum* et *creditum: visum*, in quantum demonstrat suppositum humanae naturae, sed *creditum*, in quantum demonstrat personam sive hypostasim divinae naturae.

4. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod credere est difficile et voluntarium; dicendum, quod visio corporalis, sicut dictum est, quia non tollit latentiam, ideo non tollit *difficultatem;* nec tollit *arbitrii libertatem* ex ea parte, ex qua latet. Cum enim dicit, quod non est *difficile* nec *voluntarium* credere quod quis videt; dicendum, quod verum est secundum id, secundum [3] quod videt; sed tamen totus Christus secundum omnem sui naturam visioni non subiacebat; et ideo ratione illius naturae et personae *voluntarium* et *difficile* erat credere. Facile enim erat credere, quod ille homo pateretur, ab his qui videbant Christum pati; sed difficillimum erat credere, quod Deus esset qui pateretur; nec hoc credebat aliquis, nisi qui volebat, et quem illuminatio fidei adiuvabat.

SCHOLION.

I. Cum manifestum sit, quod unum et idem secundum aliquid potest patere sensibus et secundum aliquid latere; communiter approbatur propositio (hic in corp.), quod *fides* et *visio* possunt esse circa unum, quamvis non secundum idem.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 7. a. 2. — Scot., hic q. unica n. 21. — S. Thom., S. II. II. q. 1. a. 4. ad 1. — Petr. a Tar., hic a. 4. — Richard. a Med., hic q. 4. — Dionys. Carth., de hac et 2. seqq. qq. hic q. unica.

II. Quoad seq. (2.) quaestionem plura notanda sunt. — S. Thom., (S. II. II. q. 1. a. 4; et de Verit. q. 14. a. 9. ad 6.), Scot. (hic q. unica n. 17. seqq.) et Richard. a Med. (hic q. 6.) aliique non admittunt distinctionem duplicis *opinionis probabilis*, sed hanc vocem accipiunt tantum in primo sensu ab auctore nostro relato, scilicet pro assensu cum dubitatione et formidine alterius partis; et inde recte concludunt, quod *actus opinionis* non possit componi cum *actu fidei*. Admittunt tamen iidem *rationes probabiles* pro fide, sed hae tunc solummodo generant *opinionem probabilem*, si quis in assentiendo eis innititur *principaliter;* si quis autem, ut fit in vere fideli, principaliter innititur Deo revelanti, tunc secundum ipsos non generatur opinio probabilis. Remota hac de *nomine* differentia, cum sententia communi S. Thom. (S. II. II. q. 2. a. 10.) de « rationibus inductivis ad ea quae sunt fidei », et quae ad voluntatem credentis se consequenter habent, idem docet, quod hic dicit S. Bonav. de opinione sumta in secundo sensu. Duplicem sensum *opinionis probabilis* admittit etiam Petr. a Tar. — De fide quaerente intellectum et de utilitate scientiae theologicae plura praeclare docet S. Bonav. I. Sent. prooem. q. 2. — Tota haec doctrina confirmatur a Concilio Vat. (c. 4. *de fide et ratione)* his verbis: « Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum quae naturaliter cognoscit analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt » etc. Quoad ultima verba a Concilio (ibid. can. 1.) definitum est: « Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, a. s. ». Qua definitione eliditur error tum Abaelardi, egregie a S. Bernardo (Epist. 190. c. 1.) confutatus, tum aliorum antiquorum et recentiorum auctorum (cfr. infra dub. 3.).

III. Non tantum scientiae theologicae, sed etiam « omnium supernaturalium illuminationum, quamdiu peregrinamur a Domino, (ipsa fides est) et fundamentum stabiliens et lucerna dirigens et ianua introducens, secundum cuius etiam mensuram necesse est mensurari sapientiam nobis divinitus datam, ne quis sapiat *plus, quam oportet sapere* » etc. (Rom. 12, 3; ita S. Bonav. Breviloq. prooem. § 1.). Porro Henr. Gand. (Quodl. 12. q. 2, Quodl. 8. q. 14, et Sum. p. I. a. 13. q. 7.) praeter lumen naturale rationis triplex distinguit lumen, scilicet lumen *gloriae*, lumen *fidei* et aliud quasi *medium*, quo « clarior haberi possit notitia credibilium quam per fidem ». Contra ipsum fuse arguit Scot. (loc. cit. n. 5. seqq.); qui etiam generaliter negat, cum fide posse stare scientiam proprie dictam; unde theologiae hoc nomen proprie convenire negat. Minime autem diffitetur, praeter fidem a Deo puris animis dari alias supernaturales illuminationes per dona Spiritus S., vel gratias gratis datas. Quod autem S. Bonav. (infra dub. 4. et aliis locis ibi citt.) docet de dono sapientiae et scientiae, hoc ab antiquis doctoribus communiter tenetur. Dionys. Carth. (hic q. unica paulo ante finem), licet non omnia dicta Henrici approbet, ad rem dicit: « Ceterum ponere lumen illud *clarius* lumine simplicis fidei, approbavi, et a doctore illo Solemni idonee comprobatur; immo ponere illud iuxta modum nunc introductum apertissime consonat Augustino in sermonibus variis de resurrectione et alibi, et in libro de Civitate Dei, atque in libro

---

[1] Ita codd. A K T; in aliis *posset*.

[2] In codd. et edd. 1, 2 desideratur *humanam*, quam vocem Vat. bene supplevit.

[3] Vat. hic male omisit *secundum* et paulo superius pro *arbitrii libertatem* gratis substituit *arbitrium liberum*. Pro *dicit* codd. A K *dicitur*.

de Trinitate, et super Ioannem; et in hoc concordant doctores praecipui: Alexander, Thomas, Albertus, Bonaventura [qui infra ab eodem vocatur *devotus ac dulcis doctor*], Gulielmus Parisiensis, Antissiodorensis, Petrus, Uldaricus et alii multi ». Praeter hos allegat varios locos Dionysii Areopag., Augustini, Bernardi et ipsius Platonis et Aristotelis. Addit plura de luce illa contemplationis, qua « menti illuminatae, unctae, succensae nihil rationabilius, nihil sapientialius, nihil verius neque divinius videatur, quam christianae fidei tenor, theoria, evangelizatio. Hanc lucem negare, irrisorie examinare et tanquam fictum quid reputare non est aliud quam propriam ignorantiam demonstrare » etc.

IV. De hac 2. quaestione praeter locos citatos: Alex. Hal., S. p. I. q. 1. m. 4. a. 1. 2. — B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 9. — Petr. a Tar., hic a. 5. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic q. 6.

QUAESTIO II.

Utrum fides sit de his, de quibus habetur opinio probabilis.

Secundo quaeritur, utrum fides sit de his, de quibus habetur opinio probabilis. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Primae Petri tertio[1]: *Parati omni poscenti reddere rationem de ea quae est in nobis fide et spe;* sed ratio probabilis est generativa opinionis: si ergo fides compatitur secum probabilem *rationem*, compatitur ergo et probabilem *opinionem*.

2. Item, Petrus, archiepiscopus Ravennas[2]: « Non est tutum credere sine ratione »; ergo *ratio* probabilis facit ad fidei utilitatem et securitatem: si igitur *opinio* generari habet ex probabili *ratione*, videtur etc.

3. Item, donum scientiae, intellectus et sapientiae simul potest stare cum fide; sed « quod credimus, debemus auctoritati, quod intelligimus, rationi[3] »: ergo ratiocinatio potest simul stare cum fide. Sed cum quocumque stat probabilis ratiocinatio, stat etiam et opinio: ergo etc.

4. Item, doctrina theologiae stat simul cum fide, cum sit fidei explicativa, et circa ea est, circa quae fides consistit: si ergo in doctrina theologiae multae fiunt probabiles *rationes*, videtur, quod *rationis* probabilitas simul cum fide maneat[4]: ergo pari ratione et probabilitas *opinionis* ex rationibus generatae poterit esse in eodem et respectu eiusdem, in quo et respectu cuius est ipsa fides.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Ad Hebraeos undecimo[5]: *Fides est argumentum rerum non apparentium;* sed ea, de quibus habetur opinio probabilis, sunt apparentia — « probabile enim est quod videtur omnibus, vel pluribus » — ergo videtur, quod opinio probabilis et fides circa idem simul esse non possunt.

2. Item, acceptio opinionis probabilis colligitur ex humana ratiocinatione; sed, sicut dicit Gregorius[6], « fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum »: ergo videtur, quod probabilis acceptio auferat meritum ipsi fidei: ergo non potest se compati cum habitu ipsius fidei.

3. Item, « opinio est acceptio unius partis cum formidine alterius[7] », igitur ubi est *opinio*, ibi est *vacillatio;* sed fides excludit omnem *vacillationem*, dum facit firmiter adhaerere: ergo fides non potest simul stare cum opinione.

4. Item, opinio adhaeret rationi[8] propter se, unde deficiente probabilitate *rationis*, deficit probabilitas *opinionis;* sed fides adhaeret ipsi Veritati propter se et super omnia: ergo fides et opinio habent repugnantiam: ergo non videtur, quod simul possint esse in anima circa eandem materiam.

CONCLUSIO.

De eodem potest esse fides et opinio probabilis, non quatenus habet dubitationem annexam, sed quatenus dicit acceptionem generatam et derelictam ex rationibus probabilibus.

Duplex opinio probabilis. Respondeo: Dicendum, quod *opinio probabilis* dupliciter consuevit accipi: uno modo dicitur *opinio* « acceptio unius partis cum formidine alterius »; alio modo dicitur *opinio* acceptio animae generata ex rationibus probabilibus, secundum quod consuevit dici, quod syllogismus *dialecticus* generat opinionem, syllogismus vero *demonstrativus* generat scientiam[9].

Si igitur *opinio* dicatur *primo* modo, prout

---

[1] Vers. 15. — De *minori* cfr. Aristot., I. Poster. c. 26. (c. 33.) et I. Topic. c. 1.

[2] Scil. S. Petrus Chrysologus. Eius sententia hic allata erui potest ex eius Serm. 79. n. 6. seq., ubi, defendens Apostolos, qui mulieribus resurrectionem Christi annuntiantibus non crediderunt, dicit: Decipi non potest qui non est facilis [auditor]... Sic Adam novus cito cecidit, dum cito credidit, et dum facile dat aures ad mulieris auditum, se suosque posteros pessimo addixit inimico etc. — Pro *Ravennas* cod. aa *Rhemensis*, Vat. *Ravennensis*, edd. 1, 2 *Levonensis*.

[3] August., de Utilit. credendi, c. 11. n. 25. — De *maiori* cfr. infra d. 34. p. I. a. 1. q. 1. seqq. — Inter *sed* et *quod credimus* cod. A interiicit *quia*.

[4] Cfr. I. Sent. prooem. q. 2. — Pro *fiunt* codd. A K bb *sunt*, cod. Z *fuerunt*.

[5] Vers. 1. — Definitio termini *probabilis* sumta est ex Aristot., I. Topic. c. 1: Probabilia autem sunt quae videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus etc. Cfr. supra pag. 505, nota 2.

[6] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 1. — Vat. tam in hoc arg. quam in seqq. pro *acceptio* constanter exhibet *assensio*.

[7] Avicenna, lib. de Anima (qui dicitur Sextus naturalium), p. V. c. 1: *Opinio* vero est conceptio, ad quam acceditur cum formidine alterius partis. Aristot., I. Poster. c. 26. (c. 33.) dicit, quod *opinio* « est *acceptio* immediatae propositionis et non necessariae ». — Subinde pro *igitur* edd. *sed*, et mox cod. A voci *vacillationem* praemittit *formidinem et*.

[8] Vat. subdit *probabili*.

[9] Cfr. Aristot., I. Prior. c. 1; I. Poster. c. 2, et I. Topic. c. 1.

Conclusio 1. habet secum annexam formidinem et vacillationem, sic non potest simul stare cum habitu *fidei* circa eandem materiam, pro eo quod fides facit plene consentire in alteram partem, ita quod omnino reputat eius oppositum falsum et erroneum, nec propter aliquam rationem supervenientem posset ad oppositum inclinari; et ideo, quia tollit fluctuationem opinionis, isto modo dicendi opinionem *opinio* simul cum *fide* non potest se compati [1]. — Si autem Conclusio 2. *opinio* dicatur secundo modo, scilicet acceptio derelicta ex rationibus probabilibus; sic dicendum est, quod circa idem simul et semel potest esse *opinio* et *fides*, quoniam multi fideles habent ad ea quae credunt, multas verisimiles rationes et multas probabiles, quae habent generare *opinionem* quantum ad *secundum* modum dicendi opinionem; et illa quidem acceptio generata fidei non repugnat, immo Notandum. subservit et famulatur. Est enim in fidei *fomentum* quantum ad infirmos et in *oblectamentum* quantum ad perfectos.

Ex his patet responsio ad quaestionem propo- Epilogus. sitam, patet etiam responsio ad obiecta. *Opinio* enim *probabilis* secundum *unum* modum dicendi potest stare simul cum fide, sicut rationes ad primam partem ostendunt; immo multum confert fidei probabilitas rationum, sicut dictum fuit in principio primi libri [2]. Secundum *alium* modum dicendi, in quantum sonat in imperfectionem, videlicet prout dicit vacillationem et innitentiam ipsius assensus super probabilitatem rationis principaliter, sic habet repugnantiam cum fide; et sic procedunt rationes ad secundam partem, maxime duae ultimae, quarum Ad argg. 3. 4. una sumta est ex ipsius opinionis *incertitudine*, altera vero ex ipsius opinionis *fulcimento*, quia principaliter innititur rationi probanti [3].

1. Ad illud vero quod primo obiicitur de verbo Solutio oppositorum. Apostoli, quod fides est argumentum non apparentium; dicendum, quod Apostolus removet ibi a credibili apparentiam non *quamcumque;* non enim removet apparentiam *probabilis opinionis*, sed *certitudinalis apprehensionis*, sicut apparet Deus Beatis [4].

2. Ad illud quod obiicitur de verbo Gregorii: Fides non habet meritum etc.; dicendum, quod hoc intelligit Gregorius, quando credulitas fidei *omnino* innititur experimento rationis probabilis; et hoc modo *fides* vera non stat cum *opinione*, ita quod innitatur *opinioni* tanquam *fundamento*, immo multo magis acceptio illa probabilis, ex rationibus acquisita, de qua dictum est, quod potest *opinio* dici, innititur ipsi *fidei* tanquam firmiori. Et huius signum Notandum. est, quia multae rationes videntur nobis probabiles et valde rationabiles circa fidem, quae videntur esse abusiones quaedam hominibus infidelibus. Ideo magis illa acceptio innititur *fidei* quam e converso, licet aliquo modo illa fidem foveat et delectet, sicut dictum est [5].

3. 4. Ad duas ultimas rationes non oportet respondere; quia procedunt de ipsa opinione secundum alterum modum dicendi, secundum quem non potest simul stare cum fide, sicut prius tactum est [6].

QUAESTIO III.

Utrum fides sit de his, de quibus habetur cognitio scientialis.

Tertio quaeritur, utrum fides sit de his, de quibus habetur cognitio scientialis. Et quod sic, videtur tali ratione.

1. Philosophus aliquis sciens rationibus cogen- Fundamenta. tibus, Deum esse unum, creatorem [7] omnium, potest venire ad fidem, ita quod non obliviscatur illarum rationum; sed sciens illas rationes habet scientiam: ergo videtur, quod possit de eodem simul habere fidem et scientiam.

2. Item, aliquis cognoscens aliquid per demonstrationem *quia* sive per *effectum*, si incipiat nosse per *causam* sive per demonstrationem *propter quid*, non propter hoc amittit priorem cognitionem, quamvis haec secunda sit nobilior illa [8]: ergo duae cognitiones possunt haberi de eodem, quarum una nobilior est quam alia, et una non expellit aliam nec evacuat. Et si hoc verum est, tunc videtur, quod simul possit aliquid cognosci ratiocinatione acquisita et illuminatione infusa: ergo de eodem simul potest haberi fides et scientia.

---

[1] Bernard., V. de Consider. c. 3. n. 6: *Fides* est voluntaria quaedam et certa praelibatio necdum propalatae veritatis. *Intellectus* est rei cuiuscumque invisibilis certa et manifesta notitia. *Opinio* est quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias. Ergo, ut dixi, fides ambiguum non habet; aut si habet, *fides* non est, sed *opinio*. — Paulo superius pro *posset* (sic codd. A K et bb a secunda manu) alii codd. *possit*, edd. *potest*. Mox pro *derelicta* cod. Z *relicta*.

[2] Prooem. q. 2. — Subinde post *Secundum* cod. G subiungit *autem*.

[3] Codd. G H M O *probabili*, codd. I bb et edd. 1, 2 *probabiliori;* Cod. Z *innititur rationis probabilitate*. Pro *quia* cod. F *et*.

[4] Cfr. supra d. 23. a. 1. q. 3. ad 2. — Codd. M O W *apparet de Beatis*. Pro *apprehensionis* codd. A K *comprehensionis*. Superius post *non apparentium* edd. supplent *rerum*.

[5] Vide I. Sent. prooem. q. 2. ad 6. — Pro *fidem* edd. perperam *fides*. Cod. F voci *fidei* praefigit *ipsi*.

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Cod. V hic inserit *esse*.

[8] Vide Aristot., I. Poster. c. 10. (c. 13.) et II. c. 1. seqq. Demonstratio, quae hic distinguitur in demonstrationem *quia* et demonstrationem *propter quid*, si *stricte* accipitur, non est idem ac demonstratio *a priori* et *a posteriori*, siquidem omnis demonstratio *propter quid* est *a priori*, sed non vice versa, cum demonstratio *propter quid* sit illa tantum, in qua causa *immediata* affertur. — Pro *nobilior* edd. 1, 2 *notior*, Vat. *notior vel nobilior*.

3. Item, cognitio intellectiva superadveniens non tollit cognitionem sensitivam, licet una illarum sit dignior et perfectior et nobilior altera[1]: ergo pari ratione videtur de fide et scientia, quod simul possunt haberi de eodem et circa idem.

4. Item, «experientia est principium scientiae»; sed de uno et eodem potest haberi fides et experientia: ergo de uno et eodem potest haberi fides et scientia. *Maior* probatur per Philosophum[2]; *minor* probatur in beata Virgine Maria, quae fide et experientia cognovit, se concepisse de Spiritu sancto.

Sed contra: 1. Sicut caritas diligit Deum propter se et super omnia, sic fides assentit primae Veritati propter se et super omnia; sed quia caritas diligit Deum super omnia et propter se, impossibile est, quod ipsa compatiatur secum dilectionem, qua quis diligit Deum propter terrena principaliter: ergo pari ratione impossibile erit, quod fides secum compatiatur cognitionem, quae principaliter adhaeret ratiocinationi acquisitae. Sed talis est cognitio scientiae: ergo impossibile est, fidem circa idem esse cum scientia simul et semel[3]. Ad oppositum.

2. Item, visio patriae tollit fidem propter certitudinem et evidentiam in cognoscendo: si igitur quod cognoscitur per scientiam est certum et apertum, videtur, quod impossibile sit, aliquid esse simul scitum et creditum.

3. Item, animus noster nullo modo potest dissentire ab eo quod novit habitu scientiae — non enim potest non credere, quod triangulus non habeat tres angulos aequales duobus rectis, si scit illud demonstrare[4] — sed quae fide creduntur voluntarie creduntur, et sicut possunt credi, ita et possunt discredi: ergo videtur, quod notitia scientiae non possit simul stare circa idem cum ipsa fide.

4. Item, quae scientia cognoscuntur *subiacent* rationi; sed quae fide creduntur sunt *supra* rationem, quoniam fides est illuminatio rationem elevans supra se[5]: ergo si idem non potest esse *infra* rationem et *supra* rationem, non videtur, quod possit simul cognosci per scientiam et fidem.

CONCLUSIO.

Scientia apertae comprehensionis non compatitur secum fidem; sed scientia, quae est a manuductione ratiocinationis, simul stat cum fide, ita ut fides sit principale et scientia subserviens.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod duplex est cognitio[6], scilicet *apertae comprehensionis* et *manuductione ratiocinationis*. — Si loquamur de scientia *apertae comprehensionis*, quo modo cognoscitur Deus in patria; sic non compatitur secum fidem, ut simul idem sit scitum et creditum, pro eo quod talis cognitio simpliciter excludit aenigma; et hoc melius apparebit infra[7], cum agetur de evacuatione virtutum, quare videlicet et qualiter fidei actus per visionem excludatur et evacuetur. Et de hac scientia Sanctorum auctoritates dicunt, et communis opinio magistrorum tenet, hoc esse verum, quod idem non potest esse simul scitum et creditum. Duplex cognitio. Conclusio 1.

Si autem loquamur de scientia, quae est a *manuductione*[8] *ratiocinationis*, sic voluerunt quidam dicere, adhuc esse verum, quod non potest simul stare cum fide, quia per talem scientiam assentit intellectus ipsi rei cognitae *propter ipsam rationem principaliter*, assentit etiam *necessario*, assentit etiam sicut rei, quae est *infra* se; cuius contrarium reperitur in fide, quae assentit *primae Veritati propter se* et *voluntarie*, elevando rationem *super se*. Et ideo dixerunt, *habitum* fidei et scientiae mutuo sese excludere, secundum quod caritas illum amorem excludit, quo quis amat Deum propter temporalia principaliter. Opinio 1.

Aliorum vero positio est, quod de uno et eodem simul potest haberi scientia *manuductione ratiocinationis* cum habitu fidei, iuxta quod dicit Augustinus decimo quarto[9] de Trinitate, exponens illud Apostoli: *Alii datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae:* «Huic scientiae tri- Opinio 2.

---

[1] Aristot., III. de Anima, text. 30. (c. 7.): Nunquam sine phantasmate intelligit anima. Et ibid. text. 39. (c. 8.): Qui non sentit aliquid, nihil utique addiscet nec intelliget. Et cum speculetur, necesse est, simul phantasma aliquod speculari etc.

[2] Vide supra d. 14. a. 3. q. 2. arg. 3. ad oppos.

[3] Guliel. Antissiod., S. p. III. tr. 3. c. 1. q. 4. hoc significatum esse vult illis verbis Samaritanorum, Ioan. 4, 42: *Et mulieri dicebant: quia iam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus et vidimus.* « *Samaritana*, inquit, significat rationem naturalem, *Samaritani* [significant] venientes ad fidem noviter; quoniam venientes ad fidem noviter dicunt rationi naturali: iam non propter te credimus, sed quia ipsi vidimus per fidem ». Iste locus Script. respicitur etiam infra in solut.

[4] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 4. seqq. — Paulo inferius pro *notitia scientiae* edd. *scientia notitiae*.

[5] Vide supra pag. 501, nota 5.

[6] Vat. addit *scientialis de Deo*, et deinde cum edd. 1, 2 bis substituit *a parte* pro *apertae*.

[7] Dist. 31. a. 2. q. 1, ubi hoc ex auctoritate Augustini, Gregorii probatur.

[8] Cod. bb (a secunda manu) *per manuductionem;* reliqui codd. *manuductione* tantum, omissis verbis praecedentibus *quae est a*.

[9] Cap. 1. n. 3, ubi, secundum verbum allegatum Apostoli (1. Cor. 12, 8.) distinguens *sapientiam* (i. e. rerum divinarum scientiam) a *scientia* (scil. rerum humanarum), docet, *sapientiae* non esse tribuendum quidquid sciri ab homine possit in rebus humanis, « sed illud tantummodo, quo fides salubberrima... qua scientia non pollent fideles plurimi, *quamvis polleant ipsa fide plurimum* ». — Pro *quo fides* multi codd. et edd. 1, 2 perperam *quod fide*.

buo illud quo fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur; qua scientia non pollent plurimi fideles, licet habeant fidem». Et Richardus de sancto Victore[1] dicit, quod «ad ea quae fidei sunt, non tantum possunt haberi rationes probabiles, sed etiam necessariae, licet eas interdum contingat nos latere». Unde aliquis credens, Deum esse unum, creatorem omnium, si ex rationibus necessariis *incipiat* ipsum idem nosse, non propter hoc desinit fidem habere; vel si etiam *prius* nosset, fides superveniens talem cognitionem non expelleret, sicut per experientiam patet.

Conclusio 2.

Ratio autem, quare talis scientia simul potest esse de eodem cum ipsa fide, ita[2] quod una cognitio alteram non expellat, est, quia scientia *manuductione ratiocinationis*, licet aliquam certitudinem faciat et evidentiam circa divina, illa tamen certitudo et evidentia non est *omnino clara*, quamdiu sumus *in via*. Quamvis enim aliquis possit rationibus necessariis probare, Deum esse, et Deum esse unum; tamen *cernere* ipsum divinum *esse* et ipsam Dei unitatem, et qualiter illa unitas non excludat personarum pluralitatem, non potest, nisi «per iustitiam fidei emundetur[3]». Unde illuminatio et certitudo talis scientiae non est tanta, quod habita illa, superfluat illuminatio fidei, immo valde est cum illa pernecessaria. — Et huius signum est, quia, licet aliqui philosophi de Deo sciverint multa vera, tamen, quia fide caruerunt, in multis erraverunt, vel etiam defecerunt. — Unde sicut in praecedentibus[4] dictum est, quod fides potest stare cum *visione exteriori*, quia illa habet coniunctam latentiam circa personam Christi; sic intelligendum est circa habitum fidei et talem modum sciendi, quod possunt se simul in eodem et respectu eiusdem compati. — Unde concedendae sunt rationes, quae sunt ad istam partem.

Ratio.

Confirmatur.

Conclusio 3.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod caritas non compatitur secum dilectionem, quae principaliter adhaeret alii rei; responderi potest, quod non est simile: quoniam *amare Deum* propter creaturam *finaliter* pertinet ad amorem iniquum et libidinosum, qui habet repugnantiam ad amorem rectum; sed *assentire* alicui vero probato propter rationem probantem, dum illatio sit vera et necessaria, nec hoc[5] dicit peccatum nec dicit errorem, et ideo non sic habet repugnantiam ad fidem; propterea non est simile. — Sed adhuc illud non solvit plene, quia, quidquid sit de caritate, ista duo non videntur simul se posse compati, quod aliquis assentiat veritati creditae *propter se*, et quod assentiat ei *propter aliud*. — Propter quod notandum, quod haec praepositio *propter* dupliciter potest accipi: uno modo, prout notat *causam finalem;* alio modo, prout dicit *rationem moventem*[6]. Si prout dicit *causam finalem*, sic non potest unum et idem *credi* propter se et propter aliud, sicut *amari* non potest propter se et propter aliud. Si dicat *rationem moventem*, cum plures possint esse *rationes moventes* ad assentiendum uni et eidem, sicut potest una conclusio probari *per causam* et *per effectum*, potest etiam probari per *aliquid extrinsecus* et per *aliquid intrinsecus;* sic non est inconveniens, quod aliquis assentiat alicui veritati propter se et propter aliud, diversis tamen habitibus et considerationibus. — Sed nec adhuc illud plene solvit, quia dicitur Ioannis quarto[7], quod dixerunt Samaritani credentes: *Iam non propter verbum tuum credimus;* quod est verbum fidei, et ita videtur, quod assensus fidei non compatiatur secum assensum scientiae, qui *principaliter* innititur rationi. — Et propterea voluerunt aliqui dicere, quod etsi non tollatur cognitio quantum ad *habitum*, tollitur tamen quantum ad *actum*, quia non habet iam illius usum, nec motum. — Istud tamen non oportet dicere, nec videtur esse conveniens, quod aliquis habet *habitum*, et non possit habere *usum*, maxime cum non habeat potentiam ligatam per aliquod impedimentum.

Solutio oppositorum.

Solutio 1.

Non sufficit.

Solutio 2.

Non plene solvit.

Solutio 3.

Improbatur.

Et propterea potest dici, quod quando aliquis simul est *sciens* et *credens*, habitus fidei tenet in eo principatum; et ideo talis[8] assensu fidei assentit ipsi Veritati propter se, ita quod *propter* dicit rationem principaliter moventem. Assensu etiam scientiae assentit eidem propter rationem, ita quod *propter* non dicit rationem principaliter ipsum moventem. Quamvis autem non possit unum et idem credere propter se et propter aliud, ita quod sic et sic credat *principaliter;* tamen *propter se* et *propter aliud*[9] bene possunt se compati ad invicem, ita quod unum sit *principale*, et aliud sit *subserviens*. Unde illud

Solutio auctoris.

---

[1] Libr. I. de Trin. c. 4, quod testimonium, hic abbreviatum, integrum habetur I. Sent. prooem. q. 2. fundam. 2.

[2] Pro *ita* edd. *et*.

[3] Secundum August., I. de Trin. c. 2. n. 4, prout eius verba a Magistro referuntur I. Sent. d. II. c. 1.; cfr. ibid. Comment. dub. 1. et 2. — Pro *emundetur* edd. 1, 2 cum pluribus codd. *emendetur*. Paulo inferius codd. A K Z omittunt *cum* ante *illa pernecessaria*.

[4] Quaest. 1. — Circa finem corp. Vat. post *compati* adiungit *quamvis non secundum idem*.

[5] Pro *nec hoc* codd. A K *hoc non*. Paulo ante pro *dum* Vat. *ilum modo*. Paulo inferius non pauci codd. omittunt *simul* ante *se posse compati*.

[6] Cfr. II. Sent. d. 38. a. 1. q. 3. ad 1.

[7] Vers. 42, ubi Vulgata pro *verbum tuum* exhibet *tuam loquelam*, quam lectionem et infra circa finem solut. S. Bonav. recepit. — Non ita multo post pro *aliqui dicere* cod. K *aliqui ostendere*. Subinde multi codd. omittunt *quod* ante *etsi* et mox pro *tollitur tamen* scriptum habent *tollitur autem*.

[8] Ita codd. H I L T etc.; codd. A G K Z bb nec non edd. 1, 2 *talis assensus*. Vat. cum paucis codd. *tali assensu*.

[9] Vat. tamen *propter se principaliter et propter aliud minus principaliter*. In fine solut. edd. addunt *Et per hoc patet responsio ad primum argumentum*. — Haec solutio in re non differt a 2. solutione, quae in hoc deficit, quod obiectum locum Scripturae (cfr. pag. 522, nota 3.) non solvat.

quod dixerunt fideles: *Iam non propter loquelam tuam credimus;* intelligendum est *principaliter.*

2. Ad illud quod obiicitur de visione patriae, quod tollit fidem; dicendum, quod non est simile: quia, cum[1] omnem excludit latentiam, iam credulitas fidei non est necessaria: non sic autem est de scientia, quae habetur per rationem manuductivam.

3. Ad illud quod obiicitur, quod sciens non potest dissentire ab eo quod scit; dicendum, quod verum est quantum ad id quod de eo *cognoscit,* Notandum. quantum tamen ad id quod *latet,* ex illo dissentire potest; et ratione illius est necessaria sibi credulitas fidei, sicut aliquis philosophus sciens probare, Deum esse unum, ratione necessaria, ab hoc[2] non potest dissentire; dissentiret tamen ab hoc, si quis diceret, quod illa unitas potest compati secum pluralitatem; quod quidem eum latet et excedit vires cognitionis suae et scientiae.

4. Ad illud quod obiicitur, quod fides est de his quae sunt supra rationem, et scientia de his quae sunt infra; dicendum, quod sicut nihil impedit, unum et idem esse *latens* et *patens;* sic nihil Notandum. impedit, unum et idem secundum alium et alium cognoscendi modum esse *infra* et *supra;* et ita *scitum* et *creditum.* Licet enim *sempiterna virtus et Divinitas* nosci possit per scientiam acquisitam, vel etiam innatam, *in se*[3]*;* tamen prout *comparatur* ad pluralitatem personarum, vel ad humilitatem humanitatis nostrae, quam Deus assumsit, omnino *supra rationem* est et *supra scientiam.* Si quis enim iudicio rationis et scientiae innitatur, nequaquam crederet possibile, quod summa Unitas secum compatiatur pluralitatem personarum; nec quod summa Maiestas uniri possit cum nostra humilitate; nec quod summa Virtus de *non operante* fiat *operans* sine sui mutabilitate, et cetera consimilia, quae videntur repugnare communibus animi conceptionibus secundum philosophiam. Unde valde parum attingit scientia cognitionem divinorum, nisi fidei innitatur; quia in una et eadem re apertissimum est fidei quod occultissimum est scientiae; sicut patet de altissimis et nobilissimis quaestionibus, quarum veritas latuit philosophos, scilicet de creatione mundi, de potentia et sapientia Dei, quae latuerunt philosophos et nunc manifestae sunt Christianis simplicibus. Propter quod dicit Apostolus[4], *stultam fecisse Deum sapientiam huius mundi;* quia omnis sapientia de Deo in via absque fide magis est stultitia quam vera scientia. Deprimit enim perscrutantem in errorem, nisi dirigatur et iuvetur per fidei illuminationem; unde per ipsam non expellitur, sed magis perficitur.

Mysteria fidei sunt supra rationem.

Confirmatur.

Nota.

SCHOLION.

I. Quod nec *actus* transiens visionis beatificae cum actu fidei componi possit, nec *habitus* eiusdem cum actu et habitu fidei, manifestum est (cfr. infra d. 31. a. 2. q. 1.). Utrum autem *scitum* « manuductione ratiocinationis » possit esse obiectum fidei, in utramque partem disputatur. S. Thom. constanter negativam sententiam tenet; unde etiam asserit, *existentiam* Dei ut auctoris naturae non esse obiectum fidei nisi *per accidens,* scilicet quoad eos, qui demonstrationem huius veritatis non capiunt. Consentiunt Scot. cum sua schola multique alii. Tamen etiam opposita sententia S. Bonaventurae, quod in statu viae *scitum* de divinis possit generatim esse *creditum,* sed secundum alium et alium modum, multis antiquis et recentioribus placet; quam profitentur Alex. Hal., B. Albert., Richard. a Med., Durand. et Petr. a Tar., qui breviter argumentum principale sic proponit: « Scientia *viae* de divinis propter admixtam *obscuritatem* ex improportione intellectus nostri ad obiectum et frequentem *obnubilationem* phantasmatum non excludit fidem; scientia vero *patriae* dupliciter potest haberi; vel *habitualiter* in perpetuum, sic excludit fidem; vel *actualiter* ad tempus, ut in raptu Pauli, sic non excludit fidem ». Ceterum ex solutione argumentorum ad oppos., praesertim ad 3. 4, apparet, dissensum inter Angelicum et Seraphicum non esse tam gravem, ut vulgo putatur. — Satis clare auctor noster cum Scoto aliisque plurimis docet, refragantibus nonnullis recentioribus, quod obscuritas obiecti materialis fidei non spectet ad *rationem formalem* fidei, sed sit tantum *conditio concomitans* actum eius (cfr. infra d. 31. a. 2. q. 1. ad 4. 6.).

II. De hac quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 7. a. 3. — Scot., hic q. unica n. 17. — S. Thom., hic a. 2. quaestiunc. 2; S. II. II. q. 1. a. 5; de Verit. q. 14. a. 9. — B. Albert., III. Sent. d. 15. a. 9. — Petr. a Tar., hic a. 5. q. 1. — Richard. a Med., hic q. 5. — Durand., hic q. 1. — Biel, hic q. unica.

ARTICULUS III.

De obiecto fidei quoad nominis rationem.

Consequenter quaeritur de obiecto fidei quantum ad nominis rationem; consuevit enim nomine *articuli* censeri. Et circa hoc duo quaeruntur secundum duplicem rationem articuli.

Primo quaeritur de ratione articuli, quae assignatur a Richardo.

Secundo de illa, quae assignatur ab Isidoro.

---

[1] Cod. F supplet *visio ista.* Paulo inferius pro *manuductivam* edd. 1, 2 *manuductione,* Vat. *manuductione ratiocinationis.*

[2] Codd. plurimi *ad hoc,* sed cod. A hic, et paulo post cum cod. A etiam codd. C O bb *ab hoc,* Vat. bis *ab hac.* Edd. 1, 2 in secundo loco pro *ad hoc* posuerunt *adhuc.*

[3] Respicitur illud Rom. 1, 19. 20: Quia quod notum est Dei manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius... conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus et Divinitas etc. Cfr. I. Sent. d. 3. p. 1. q. 1. seq. et II. Sent. d. 39. a. 1. q. 2. — Paulo superius post *et supra* Vat. supplet *rationem.*

[4] Epist. I. Cor. 1, 20: Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? — Paulo superius pro *latuerunt* edd. *latuit,* complures codd. *latuerit.*

QUAESTIO I.

De definitione articuli, quam ponit Richardus.

Circa primum sic proceditur et quaeritur de illa ratione Richardi [1], quam ponit de articulo, definiens sic articulum: « Articulus est indivisibilis veritas de Deo, arctans nos ad credendum ». Contra istam rationem obiicitur primo ratione *primae partis*, videlicet ratione huius, quod dicitur *indivisibilis veritas de Deo.*

Definitio Richardi.

Opponitur contra partem 1.

1. Nullum enim verum complexum est verum indivisibile; sed articulus est verum complexum, ut enuntiabile, sicut in praecedentibus [2] fuit ostensum: ergo non est veritas indivisibilis.

2. Item, una tantum est veritas indivisibilis circa Deum [3]: ergo si articulus est veritas indivisibilis de Deo, unus tantum est articulus; sed hoc est falsum: ergo et illud, ex quo sequitur.

3. Item, nihil quod est ipse Deus, est veritas de Deo; sed obiectum fidei est ipse Deus: ergo obiectum fidei non est veritas de Deo. Sed articulus est obiectum fidei: ergo inconvenienter dicitur articulus [4] veritas de Deo.

4. Item, resurrectionem esse futuram, est articulus; et hoc non est verum de Deo, sed est verum de carne: ergo illud non convenit generaliter [5]: ergo non videtur, quod primum membrum praedictae definitionis conveniat ipsi articulo generaliter nec vere.

Contra *secundam* partem notificationis, qua dicitur *arctans* [6] *ad credendum*, opponitur sic.

Contra partem 2.

5. Nihil quod est supra rationem et occultum rationi, arctat eam ad credendum; sed articulus latet rationem et est supra rationem: ergo non videtur, quod arctet eam.

6. Item, ad nihil, ad quod mera voluntate inclinamur, per aliquid arctamur; sed ad credendum mera voluntate inclinamur [7]: ergo per nihil arctamur ad credendum: ergo articulus non arctat nos.

7. Item, sicut se habet obiectum fidei ad actum credendi, sic se habet obiectum caritatis ad actum amandi; sed obiectum caritatis non arctat nos ad amandum: ergo nec obiectum fidei ad credendum.

8. Item, sicut articuli ordinantur ad actum credendi, ita praecepta ordinantur ad effectum [8] obediendi; et sicut arctamur ad credendum credibilia, ita arctamur ad exsequendum mandata: ergo sicut *credibile* dicitur articulus, ita *praeceptum* debet dici articulus: si ergo *praeceptum* non sortitur nomen *articuli*, videtur similiter, quod nec ipsum obiectum fidei debeat dici articulus.

CONCLUSIO.

Definitio articuli a Richardo assignata est conveniens.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod *articulus*, quantum est de se ratione sui nominis, dicitur ab *arctando* [9]; hoc autem dupliciter habet intelligi, *active* videlicet et *passive*. Dicitur enim *articulus*, quia est quid *in se arctatum*; et dicitur *articulus*, quia *alios arctat*. Prout *passive* dicitur *articulus* quid in se arctatum [10], est *terminus resolutionis*; prout autem *active* dicitur, est *principium distinctionis* et discretionis. — Et primo quidem modo accipitur in *scientia naturali*, in qua dicuntur *articuli* membra sive partes, quae non resolvuntur in alias, sed in eis stat resolutio, sicut dicuntur articuli digitorum [11]. In quantum vero articulus dicitur *principium distinctionis*, consuevit

Nominis etymologia cum distinctione.

Articulus in scientia naturali.

---

[1] Definitio articuli hic proposita et (ut communiter a Scholasticis) Richardo tributa, in dicti magistri operibus non occurrit; quod observavit P. Nicolai in ed. Comment. S. Thomae, III. Sent. d. 25. a. 1. S. Thom., II. II. q. 1. n. 6. arg. 3. ait: « Sicut a *quibusdam* dicitur, articulus est indivisibilis » etc. Doctoribus hoc docentibus annumerandus est Guliel. Antissiod., qui S. p. III. tr. 3. c. 2. q. 1. dicit: « Articulus dicitur ab arctando, quia arctat nos ad se credendum », et « tria exiguntur ad hoc quod aliquid sit articulus, scil. quod sit de Deo, quod in nobis secundum se et directe generet timorem, vel amorem Dei, quoniam per timorem Dei vitamus malum, per amorem facimus bonum, in quibus duobus consistit perfecta iustitia, quam facit in nobis fides » etc.

[2] Art. 1. q. 3. — Superius pro *Contra istam rationem* edd. *Contra istam definitionem;* et deinde non ita multo post pro *verum complexum*, quam lectionem codd. A K P V et edd. 1, 2 tuentur, alii codd. *complexum* tantum, Vat. *mentis complexum*. In conclus. post *ergo* codd. A K supplent *articulus*.

[3] Immo, ut Anselm., Dialog. de veritate, c. 13. vult, est una tantum veritas, i. e. rectitudo sola mente perceptibilis, in omnibus veris.

[4] Codd. A V supplent *est*.

[5] Vel aliis verbis: illud, scil. articulum esse veritatem de Deo, non convenit omnibus articulis. — Pro *ergo illud non convenit generaliter*, quam conclusionem edd. 1, 2 omittunt, Vat. *ergo articulus non est generaliter indivisibilis veritas de Deo.*

[6] Edd. cum nonnullis codd. adiiciunt *nos*.

[7] Vide supra pag. 475, nota 3.

[8] Pro *effectum* edd. *actum*.

[9] Isidor., XI. Etymolog. c. 1. n. 82: « *Artus*, quibus colligantur membra, ab *arctando* dicti »; et n. 84: *Artus* dicti, quod colligati invicem nervis arctentur i. e. stringantur, quorum diminutiva sunt *articuli*. Nam *artus* dicimus membra maiora, ut brachia; *articulos* minora membra, ut digitos. — Paulo ante pro *quantum est de se ratione* etc. edd. *quantum est de ratione* etc.

[10] Edd. *articulus quod in se arctatum est.*

[11] Cfr. Aristot., I. de Histor. animal. c. 15, et de Lineis insecab., ubi circa finem discrimen ostenditur, quod interest inter punctum et articulum. B. Albert. in VI. Phys., circa finem, laudatum opusc. de Lineis insecab. commentans, *articulum* (in ult. cap.) sic definit: Articulus enim dicitur minimum in corpore composito, in quo diversa articulantur et quasi colliguntur.

Item in scientia sermocinali. accipi in scientia sermocinali, ut in grammatica et rhetorica. *Articulus* enim in grammatica est aliquid distinctum, faciens discretionem quantum ad genera et quantum ad casus et quantum ad supposita[1]; et in rhetorica *articulus* appellatur distinctio, quae fit in sententia et in prolatione.

Quoniam igitur aliae scientiae deserviunt theologiae, sumit et ipsa proprietatem suorum vocabulorum iuxta illud, quod invenit in aliis scientiis recte dictum. Quoniam ergo fides nostra dicit plurium cognitionem, et illa quidem cognitio *terminata* est et *distincta*; necesse est[2], circa ipsum obiectum fi-

In theologia artic. implicat duo. dei, quod est creditum, reperiri aliqua, ad quae reducantur omnia credenda tanquam ad illa, in quibus stet *resolutio* omnium credendorum, et tanquam ad illa quae sunt *principia directiva* in omnibus quae creduntur; et illa sunt, quae principaliter fides credit, et quae proprie sunt obiectum fidei. Et pro ista duplici ratione debent censeri nomine *articuli*, videlicet quia sunt *terminus resolutionis*, et quia *principium distinctionis*.

Et propterea Richardus ipsum *articulum* defini-

Explicatur definitio ista. ens vel describens notificat ab hac duplici proprietate. Nam in hoc quod dicit primo: «articulus est veritas indivisibilis[3] de Deo», insinuatur, quod articulus est *terminus resolutionis;* resolutio enim stat ad indivisibile. In hoc vero quod subiungitur: «arctans nos ad credendum», insinuatur, quod est *principium discretionis* et directionis; arctat enim sicut regula directiva respectu omnium eorum quae communiter[4] sunt credenda. — Et sic ista notificatio

Conclusio. recte est assignata, quia non tantum est *realis descriptio*, sed etiam *nominis interpretatio*.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in con-

Solutio oppositorum. trarium, quod nulla veritas complexa est indivisibilis; dicendum, quod *indivisibile* dictum de articulo non privat *omnem* divisionem, sed privat *eam* divisionem, quae quidem consistit in credibilium distinctione, quia articulus non distinguitur in alios

Alia solutio. articulos, ibi enim status est. — Potest etiam aliter dici, quod ipsi complexioni subiacet veritas indivisibilis. Sicut enim dictum fuit prius[5], intellectus circa ea quae Dei sunt et in Deo, quae sunt omnino simplicia, negotiatur et intelligit sub complexione quadam; et quamvis totum, quod est Deus, sit ipse Deus, tamen *intellectus*, dum intelligit aliquid de Deo, intelligit illud in ratione *subiecti* et attribuit ei aliquid in ratione *praedicati*. Et quia diversas ei attributiones facit, hinc est, quod ipsam Veritatem primam, quae una est, multis modis intelligit et multis modis enuntiat.

2. 3. Et per hoc patet responsio ad duo sequentia: licet enim indivisibilis Veritas sit una, tamen articuli sunt plures, quia articulus non solum est ipsa Veritas *in se*, sed prout *comparatur* ad aliquam attributionem, respectu cuius Deus est in ratione subiecti, sicut Deum esse creatorem, Deum esse trinum, Deum esse unum. Et ratione huius dicitur esse veritas[6] de Deo et plures articuli, quia plura enuntiabilia sunt de Deo et circa Deum, quae necessarium est credere ipsi fidei.

4. Ad illud quod obiicitur, quod carnis resurrectio non est de Deo; dicendum, quod immo, in quantum tenet rationem *articuli;* sic enim compa- Notandum. ratur resurrectio nostra et carnis resuscitatio ad virtutem divinam. Unde credere *carnis resurrectionem* non est aliud quam credere, quod Deus corpora nostra resuscitabit, exigente hoc sua iustitia, et faciente sua potentia.

5. Ad illud quod obiicitur contra secundam partem, quod articulus non arctat rationem, cum sit supra eam; dicendum, quod articulus definitur hic in comparatione ad intellectum non *quemcumque*, sed intellectum *informatum*[7] *fide;* et hoc notatur, cum dicitur *arctans nos*, scilicet fideles. Quamvis autem articulus sit *occultus* intellectui, qui quidem non habet fidem, et etiam *supra* ipsum; non tamen est *supra* intellectum, in quantum fide illuminatur et elevatur.

6. Ad illud quod obiicitur, quod credere est per meram voluntatem, et ita non per arctationem; dicendum, quod est *arctatio*, quae repugnat *libertati*, Duplex arctatio. et est arctatio, quae repugnat *ambiguitati;* et cum dicitur articulus, quia *arctat* ad credendum, hoc non dicitur per *coactionem voluntatis*, sed hoc dicitur per *remotionem ambiguitatis*, quia in ipsa veritate articuli determinate figitur mens credentis, ut nullatenus ad partem aliam inclinetur. Unde sicut Simile. dicitur *vox articulata*, quae ad significandum aliquid est determinata, cum prius in se indifferens

---

[1] Priscian., XVII. Grammat. c. 4: *Articulus* secundam notitiam suppositorum demonstrat. Si enim dicam: ἄνθρωπος ἦλθεν [homo venit], primam notitiam ostendo; sin ὁ ἄνθρωπος ἦλθεν, secundam. — Cicero, IV. Rhetor. ad Herenn. c. 19. articulum in rhetorica sic definit: *Articulus* dicitur, cum singula verba intervallis distinguuntur caesa oratione, hoc modo: acrimonia, voce, vultu adversarios perterruisti etc. — Mox pro *in sententia* Vat. *in scientia*.

[2] Multi codd. hic inepte inserunt *quod*, et subinde non pauci codd. nec non edd. omittunt *ipsum* ante *obiectum*. Aliquanto inferius pro *et illa sunt, quae* Vat. *et illa, quae sunt*, et post pauca cum edd. 1, 2 *dicuntur* pro *debent* ac *termini* pro *terminus*.

[3] Vat. *veritas mentis indivisibilis*.

[4] Pro *communiter* in codd. T V et aliis etiam legi posset *consequenter*. Guliel. Paris., de Fide, c. 2. dicit, quod *communiter* credenda «usualiter articuli fidei vocantur».

[5] Art. 1. q. 3. ad 2. — Paulo superius pro *quia* cod. H *qua*, Vat. *quoniam*. Infra pro *intellectus circa ea* codd. Q U *intellectus est circa ea*, et subinde pro *et in Deo* codd. F U *et ideo*. Post pauca pro *in ratione subiecti* codd. A K U *sub ratione subiecti*.

[6] Edd. cum paucis codd. subiungunt *indivisibilis*. Mox pro *enuntiabilia* cod. A et edd. 1, 2 *essentialia*.

[7] Codd. A G K bb *formatum*.

esset ad significandum diversa [1]; sic articulus dicitur, quia ipsum oportet determinate credere et ei assentire, omni remota ambiguitate et vacillatione.

7. 8. Ad illud quod obiicitur de obiecto aliarum virtutum, et etiam de praecepto, quod arctat ad obediendum; dicendum, quod non est simile: quia, sicut prius dictum est, articulus non tantum dicitur, quia arctat *obligando*, sed quia arctat *distinguendo* et discernendo, et quia ad ipsum stat *resolutio;* et quoniam hoc proprie convenit ipsi fidei, quae est virtus perficiens ipsum intellectum, ad quem spectat principium et regula discretionis [2]: hinc est, quod solum obiectum fidei vindicat sibi nomen *articuli*.

SCHOLION.

1. Alii antiqui commentatores Magistri una quaestione solent absolvere quae in hac et seq. quaest. de duabus *articuli* definitionibus disputantur; insuper, duce Alexandro Hal., ipsi duabus hic notatis definitionibus tertiam Hugonis a S. Vict. adiungunt: « Articulus est natura cum gratia »; quam Petr. a Tar. (III. Sent. d. 25. q. 1. a. 1.) sic interpretatur: « Duo in quolibet articulo simplici inveniuntur: unum quasi *formale*, scilicet Veritas prima; alterum quasi *materiale*, scilicet aliquod attributum temporale, quod Deo attribuitur vel per *inhaerentiam*, ut in articulis de humanitate, vel per *causam*, ut in articulis de Divinitate ». De opinionibus circa ipsam rem cfr. supra pag. 515, nota 6. — Etymologiam nominis *articuli*, quam S. Bonav. sumsit ex Latino, S. Thomas derivat ex Graeco vocabulo ἄρθρον (S. II. II. q. 1. a. 6.), et in Comment. (III. Sent. d. 25. q. 1. a. 1. quaestiunc. 1.) dicit: *Articulus* nomen Graecum est et importat *indivisionem;* unde membra, quae non dividuntur in alia, *articuli* dicuntur ». Sed in Summa dicit de eodem secundum B. Albertum: « significat quandam coaptationem aliquarum partium distinctarum »; et ibid. vult, credibilia fidei distingui in articulos, « in quantum in quasdam partes dividuntur, habentes aliquam coaptationem ad invicem ». Ibid. ad 3. de definitione Richardi dicit, quod « datur magis secundum quandam etymologiam nominis, prout habet derivationem latinam, quam secundum eius veram significationem, prout a Graeco derivatur ». In Comment. idem docet: « Illud quod habet specialem difficultatem in fide, et cuius suppositio non dependet ab alio supposito, proprie dicitur articulus fidei ». — Plura de articulis fidei vide infra d. 25. a. 1. q. 1.

2. De hac et seq. quaestione praeter laudatos: Alex. Hal., S. p. III. q. 69. m. 1; in *Supplemento* coll. 39. a. 1-4. (artt. 1-3. partim ex Alexandro, partim ex Bonav. transcripti sunt). — B. Albert., hic a. 4, et d. 25. a. 4. — Richard. a Med., III. Sent. d. 25. a. 1. q. 1. — Durand., III. Sent. d. 25. q. 2.

QUAESTIO II.

De definitione articuli, quam ponit Isidorus.

Secundo quaeritur de notificatione Isidori [3], quae talis est: « Articulus est perceptio divinae Veritatis tendens in ipsam ». Contra partem *primam* definitionis opponitur sic.

Definitio Isidori.

Opponitur contra partem 1.

1. Nulla veritas est sua perceptio; sed articulus est divina Veritas: ergo haec est falsa: articulus est perceptio divinae Veritatis.

2. Item, fides est perceptio divinae Veritatis [4]? ergo si articulus est perceptio divinae Veritatis, fides est articulus.

3. Item, visio gloriae est perceptio divinae Veritatis: ergo videtur, quod visio gloriae sit articulus fidei; quod simpliciter est absurdum.

4. Item, in articulis non tantum exprimitur divina Veritas, sed etiam divina Bonitas et Christi humanitas: ergo non videtur, quod primum membrum definitionis omni articulo generaliter [5] conveniat.

Contra *secundam* partem definitionis opponitur sic.

Contra partem 2.

5. Nihil quod est ipsa divina Veritas, tendit in divinam Veritatem; sed articulus est ipsa Veritas divina: ergo non est tendens in ipsam Veritatem.

6. Item, articulus communis est respectu fidei bonorum et malorum; sed mali, quamvis percipiant primam Veritatem, non tamen tendunt in ipsam [6]: ergo tendere in divinam Veritatem non est commune omni articulo.

7. Item, aliqui philosophi habuerunt cognitionem de Deo cum quadam dilectione, ergo [7] habuerunt simul divinae Veritatis perceptionem cum qua-

---

[1] Cfr. tom. II. pag. 509, nota 2. — Paulo superius post *cum prius* codd. B C inserunt *etiam*.

[2] Vide supra d. 23. a. 1. q. 1. in corp. et q. 2.

[3] Auctorem definitionis hic allatae invenire nequivimus. Dum Alex. Hal., S. p. III. q. 69. m. 1. hanc articuli definitionem *Hugoni* tribuit, B. Albert., hic a. 4. ait: « *Isidorus* autem *dicitur* sic definire: Articulus est perceptio etc. Quidam etiam magistrorum *Hugoni* attribuunt istam: « Articulus est natura cum gratia », quae tamen, ut proponitur, in libro suo non invenitur (sententialiter continetur, ut ipse B. Albert. in fine art. dicit, in I. de Sacram. p. X. c. 5.). P. Nicolai in ed. Comment. S. Thomae in lib. Sent., hic d. 25. a. 1, observat: « Quod *Isidori* nomine subiungitur, ut et paulo post ex *Hugone*, apud neutrum occurrit ». Si rem spectas, non verba, ista definitio insinuata videtur a Praepositivo, qui, ut ex nota 6. supra pag. 515 adiecta liquet, illi sententiae adhaerebat, quae vult, articulos fidei esse *credere nativitatem* etc. Cfr. Anselm., Monolog. c. 75. seq. Guliel. Paris., de Fide c. 2. ait: Manifestum igitur est, certas esse et determinatas numero *apprehensiones* de his quae pertinent ad fundamentum religionis. Quare et ipsa *apprehensa*. Haec autem sunt quae vocantur articuli fidei.

[4] Cfr. supra a. 1. q. 1.

[5] Codd. A K *naturaliter*.

[6] Vide supra lit. Magistri, d. XXIII. c. 4, et Comment. a. 2. q. 1. ac dub. 3. — Pro *primam veritatem* cod. U *divinam veritatem*.

[7] Edd. *ergo si*.

dam tendentia in ipsam; et tamen nec fidem nec fidei articulos habuerunt: ergo non videtur, quod praedicta notificatio de articulo recte assignetur.

8. Item, cum unius rei una sit definitio [1], videtur, quod ad notificationem articuli sufficiat notificatio sive definitio Richardi: superfluit ergo ista Isidori. — Quaeritur ergo, quae sit diversitas inter utramque.

Quaestio connexa.

CONCLUSIO.

Definitio articuli ab Isidoro assignata conveniens est, prout est fidei formatae.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod ista descriptio in tribus differt a descriptione ipsius Richardi. Nam illa descriptio Richardi est quasi quaedam *nominis interpretatio*, haec autem est *realis notificatio*. — Secundo vero differt in hoc quod, cum *articulus* dupliciter habeat considerari: et prout est *in se* et prout est *apud animam* [2], notificatio ipsius Richardi respicit ipsum articulum, prout est *in se*; notificatio ipsius Isidori respicit ipsum articulum, prout est ens *apud animam*; ideo dicit, ipsum esse *perceptionem divinae Veritatis*. — Tertia differentia est: quia, cum dupliciter contingat loqui de *fide*, videlicet de fide in sua *generalitate* et de fide *formata*, dupliciter etiam contingat *articulum* considerari: aut prout est obiectum *fidei generaliter*, aut prout est [3] *fidei formatae*; Richardus definit articulum, prout est obiectum *fidei generaliter*, et ideo dicit, quod est «arctans nos ad credendum»; Isidorus autem definit ipsum, prout est obiectum *fidei formatae*; et ideo dicit, quod est «perceptio veritatis tendens in Deum». Et quoniam fides formata respicit intellectum pariter et affectum [4], quia intellectum illuminat ad credendum et affectum excitat ad tendendum in Deum; hinc est, quod Isidorus definit articulum *primo* per comparationem ad actum *intellectus*, cum dicit: «Articulus est perceptio divinae Veritatis»; *secundo* per comparationem ad actum affectus, cum subiungit: «tendens in ipsam». Et quia [5] ad utrumque actum comparatur in ratione *motivi*, hinc est, quod praedicta definitio intelligenda est dari secundum *praedicationem causalem*, ut sit sensus: «articulus est perceptio» etc., id est, articulus est illud quod illuminat nos ad divinam Veritatem percipiendam, et quod excitat nos ad tendendum in ipsam. Unde dicitur *perceptio tendens*, quia facit nos *percipere* et *tendere*, et movet nos ad *percipiendum* et *tendendum*. — Et per hoc patet responsio fere ad omnia quae obiiciuntur [6].

Differt a prima tripliciter. Primo. Secundo. Tertio cum distinctione. Conclusio. Est definitio per causam.

1. Ad illud enim quod primo obiicitur, quod nulla veritas est sua perceptio; patet responsio: quia verum est *praedicatione essentiali* [7], sed non est verum *praedicatione causali*.

Solutio oppositorum.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod fides est perceptio et etiam visio gloriae; dicendum, quod non est simile: quia illud dicitur *praedicatione formali*, sed illud dicitur *praedicatione causali*. *Fides* enim et *visio* est perceptio sicut *habitus perceptivus*; sed *articulus* est perceptio sicut *obiectum motivum* virtutis percipientis. — Posset etiam dici, quod sicut *intellectus* aliquando nominat *potentiam*, aliquando *habitum*, aliquando *actum*, aliquando *obiectum*, sicut manifestum est in diversis auctoritatibus [8]; sic et *perceptionis* nomen potest extendi ad *habitum*, *actum* et *obiectum*. Ideo aliter dicitur de *fide*, aliter de *articulo*.

Notandum. Aliter.

4. Ad illud quod obiicitur, quod articuli non tantum spectant ad veritatem, sed etiam ad bonitatem, nec tantum ad Veritatem divinam, sed etiam ad humanam; dicendum, quod etsi articulus concernat aliquo modo *bonum*, concernat etiam aliquid *creatum*, secundum illud tamen non habet rationem *motivi*, sed eo ipso, quod habet in se rationem *veri* et *Veri summi*, cui fides propter se et super omnia assentit. Et quia definitur hic *articulus*, in quantum est motivus ipsius fidei, ideo sufficit tangere hic in eius notificatione Veritatem divinam, a qua est tota et principalis ratio movendi [9].

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur de tendentia, patet responsio: quia praedicatio illa *causaliter* est intelligenda. Articulus enim *terminando* [10] *facit tendere*; terminat enim in quantum *finis*, et movet in quantum *obiectum*; et ideo *facit tendere*.

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur de fide malorum, dicendum, quod hic definitur articulus in comparatione ad fidem *formatam*, licet etiam fides malorum

---

[1] Cfr. supra pag. 501, nota 2. — De definitione articuli a Richardo data vide quaest. praeced.

[2] De duplici consideratione entis, prout est in anima (mente seu ratione) et extra animam, cfr. Aristot., Vi. Metaph. text. 8. (V. c. 4.) — Pro *prout est* [codd. K Z subdunt *ens*] *in se* complures codd. *prout est in re*, Vat. hic et paulo post *prout est in se et in re*.

[3] Edd. cum nonnullis codd. repetunt *obiectum*. Paulo superius pro *etiam contingat* edd. *etiam contingit*.

[4] Vide supra d. 23. a. 1. q. 2. — Subinde pro *quia intellectum* edd. *et intellectum*.

[5] Simul audi: articulus, vel etiam Veritas divina. Cfr. supra d. 23. a. 1. q. 3. in corp. et ad 1. — De praedicatione *causali* August., l. de Gen. contra Manich. c. 22. n. 34. dicit: Talibus locutionibus etiam abundat nostra consuetudo, cum dicimus laetum diem, quia nos laetos facit, et pigrum frigus, quia nos pigros facit etc.

[6] Complures codd. et edd. abunde *ad omnia obiecta, quae obiiciuntur*, nonnulli codd. *ad omnia obiecta* tantum.

[7] Cfr. supra pag. 171, nota 1.

[8] Vide supra pag. 214, nota 4.

[9] Cfr. supra a. 1. q. 2. — Codd. G I L V omittunt *movendi*, cui verbo cod. N adiicit *vel credendi*. Edd. 4, 2 pro *movendi* substituerunt *fidei*, Vat. *fidei, et credendi*.

[10] Codd. A K *determinando*, et subinde cod. A etiam *determinat* pro *terminat*.

in Deum actu non tendat, tamen reddit quodam modo habilem ad tendendum, licet *semiplene* [1].

7. Ad illud quod obiicitur, quod cognitio philosophorum erat perceptio cum tendentia; dicendum, quod non erat illa tendentia, quae est ex *fide;* nunquam enim per illam cognitionem poterant pervenire ad salutem; ideo, ut verius loquamur, potius *iacebant*, quam *tenderent* [2].

8. Ad illud quod obiicitur, quod unius unica est definitio; dicendum, quod verum est secundum unicam comparationem et considerationem; sed secundum quod aliquid multipliciter habet considerari, multipliciter habet notificari. Ideo Richardus et Isidorus diversimode notificaverunt, quia diversimode consideraverunt; diversitas autem eorum fuit quantum ad tria, sicut ostensum est supra [3]. Ad quaest. connexam.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Haec est laus fidei, si quod creditur non videtur.* Sed *contra:* carere lumine potius est ad vituperium quam ad laudem, secundum illud Psalmi [4]: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est* etc.: ergo videtur, quod privatio visionis potius reddat fidem vituperabilem quam commendabilem. — Item, si in hoc consistit laus fidei, quia credit quod non videt; cum in gloria nihil credatur, nisi illud quod videtur, videtur, quod laudabilior sit fides in via, quam gloria in patria [5], quod absurdum est dicere. — Item, si in hoc consistit laus fidei, quia credit quod non videt; sed omnis, qui stulte et falso credit, credit quod non videt: ergo qui stulte credit, laudandus est.

Respondeo: Dicendum, quod privatio visionis facit ad laudem credulitatis, praesupposita tamen rectitudine in ipsa credulitate; et hoc ex duplici causa: primo, propter *humiliationem* et captivationem intellectus, quae admodum est laudanda, sicut *superbia* intellectus admodum est vituperanda; secundo, quia talis credulitas est a mera *voluntate*, non ab aliqua necessitate. Nullus enim cogitur credere quod non videt; et quia laus et vituperium consistunt circa opera voluntaria: hinc est, quod Augustinus [6] dicit, quod laus fidei est credere quod non vides; non propter *privationem* visionis tantum, sed propter *positionem* humilitatis et libertatis: humilitatis ex parte *intellectus*, et libertatis ex parte *voluntatis.* — Et per hoc patet responsio ad illud quod obiicitur primo. Ratio duplex.

Ad illud quod obiicitur secundo de gloria, similiter patet responsio: quia [7] Augustinus non loquitur de laude *quacumque*, sed de laude *meriti;* et haec laus est in statu viae, non patriae, et circa actus viae, non circa actus patriae. — Similiter patet ultimum: quia hoc non dicitur de *quacumque* credulitate, sed de credulitate *recta* et vera, non stulta et falsa [8].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Cum fides sit ex auditu non modo exteriori, sed etiam interiori.* Videtur enim hoc inconvenienter dici, quia, cum sensus *visus* plurimas rerum differentias nobis ostendat et nobilior sit [9], videtur, quod magis fides debeat esse ex *visu* quam ex *auditu.* — Item, fides Apostolorum fuit ex *visu* ita, sicut ex *auditu:* ergo si omnis fides subsequentium derivata fuit a fide Apostolorum, videtur, quod magis debeat dici ex visu quam ex auditu. — Item, cum fides sit habitus *infusus*, videtur, quod nullo modo habeat ex *auditu* esse.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Philosophus [10], dupliciter contingit aliquid addiscere, videlicet per *inventionem* et per *doctrinam.* Et sensus quidem *visus* maxime deservit illi modo addiscendi, qui est per *inventionem;* sensus vero *auditus* illi modo, qui est per *doctrinam.* Quoniam igitur ea quae fide novimus, non cognoscimus per *inventionem*, sed magis per *doctrinam*, per doctrinam, inquam, non solum *praedicatoris* loquentis per aurem *corporis*, sed etiam *Spiritus sancti* loquentis per aurem *cordis;* hinc est, quod in littera dicitur, quod fides non tantum est ex *auditu exteriori*, sed etiam *interiori.* Et quamvis Apostoli multa didicerint *videndo* Christum, multo tamen plura didicerunt *audiendo* ipsum qui [11] loqueretur *exterius*, et qui lo- Duplex modus discendi. Duplex doctrina et auditus.

---

[1] Cfr. supra d. 23. a. 2. q. 1.

[2] Cfr. Rom. 1, 21. seqq. — Edd. *tendebant.*

[3] Hic in corp. quaest. — In initio solut. pro *quod unius* edd. cum aliquot codd. *quod unius rei.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Psalm. 48, 13.

[5] Cod. aa *quam in gloria et in patria.*

[6] In Ioan. Evang. tr. 79. n. 1, unde et textus huius dubii sumtus est. — De duplici causa, ex qua privatio visionis facit ad laudem credulitatis, cfr. supra d. 23. a. 1. q. 1. seq. — Paulo inferius pro *positionem* codd. A K (N a prima manu) U X Y aa *rationem.*

[7] Codd. A K *nam.*

[8] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 2; S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 2; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 6.

[9] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 162. (III. c. 3.), de Sensu et sens. c. 1, I. Metaph. c. 1. — Paulo inferius pro *derivata fuit* codd. A K *derivata sit.*

[10] Libr. III. de Anima, text. 8. (c. 4.). Cfr. tom. II. pag. 206, nota 2. Quod sensus visus maxime deservit ad addiscendum per inventionem, insinuat Aristot., de Sensu et sens. c. 1, et I. Metaph. c. 1. — Pro verbo *addiscere* edd. hic et inferius substituerunt verbum *scire.*

[11] Hic et proxime post pro *qui* codd. A N exhibent *quid.*

queretur eis *interius* per Spiritum sanctum. — Et per hoc patet responsio ad primum et secundum obiectum.

Ad illud vero quod obiicitur, quod fides est per infusionem, non per auditum; dicendum, quod fides quantum ad suum *formale* per *infusionem* est, sed quantum ad *materiale*, videlicet quoad notitiam illam, qua cognoscitur, « quid est quod per nomen dicitur [1] », est per *auditum*, ita quod unum est per auditum *cordis*, et aliud per auditum *corporis*. Ideo generaliter dicit Apostolus, fidem *ex auditu* esse, magis principaliter ratione auditus *interioris* quam *exterioris*. Et sic dicit Gregorius [2], quod in vanum laborat sermo praedicatoris, nisi adsit illustratio doctoris interioris.

Notandum.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Alia sunt quae, nisi intelligamus, non credimus; alia quae, nisi credamus, non intelligimus.* Primo videtur, quod ista divisio sit *insufficiens*, quoniam ipse Augustinus in originali [3] addit tertium membrum, videlicet quod « quaedam sunt, quae creduntur et nunquam intelliguntur »: ergo videtur Magister *insufficienter* ponere divisionem credibilium. — Item, videtur *implicare falsum*, quod quaedam sunt, quae prius creduntur, quam intelligantur. Si enim « *credere* est cogitare cum assensione [4] », et *cogitare* est intelligere; videtur, quod omne *credere* praecedat *intelligere*. *Si tu dicas*, quod Augustinus intelligit de intellectu, qui innititur *rationi*; tunc videtur, quod falsum dicat, quod quaedam sunt, quae prius intelliguntur, quam credantur, quia dicitur Isaiae septimo [5] secundum aliam translationem: *Nisi credideritis, non intelligetis*: ergo illud *intelligere* semper sequitur ipsum *credere*.

Iuxta hoc etiam quaeritur, quae sunt illa credibilia, de quibus dicit Augustinus, quod « creduntur et nunquam intelliguntur », cum videamus, quod omnia credibilia per rationes satis probabiles affirmentur [6].

Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod *intelligere* dicitur dupliciter, secundum quod Magister innuit in littera [7]. Uno modo *intelligere* dicitur *large* nosse, « quid est quod dicitur per nomen »; et illud *intelligere* semper praecedit assensum fidei, nec aliquid creditur, quin isto modo prius intelligatur. Alio modo *intelligere*, hoc est ratione praevia cogitare; iuxta quod dicit Augustinus [8]: « Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus, auctoritati ». Et de isto intelligit Augustinus, cum dicit, quod quaedam sunt, quae prius creduntur et postea intelliguntur, sicut sunt *articuli* fidei, qui sunt supra rationem. Quaedam sunt, quae non prius creduntur, quam intelligantur, sicut sunt *antecedentia* ad fidem, et ea quae sunt de dictamine iuris naturalis, sicut Deum esse, Deum esse bonum. Quaedam sunt, quae creduntur et nunquam intelliguntur, quia non possunt ratione probari, « sicut est historia, humana gesta percurrens [9] ». Nemo enim probare potest per rationem, quod Abraham genuit Isaac, sed solum per auctoritatem. — Et sic patet, quod *intelligere* aliquando *praecedit* fidem, aliquando *sequitur* secundum *istum* modum accipiendi [10], quamvis secundum *primum* semper praecedat.

Intelligere dupliciter dicitur.

Explicantur tria ab August. dicta.

Ad quaest. incidentem.

Et per hoc patet responsio ad omnia quaesita. Nam quod primo obiicitur de insufficientia divisionis, dicendum, quod Magister non intendit hic dividere credibilia, sed ostendere, quomodo fides et intellectus circa idem possunt se compati, et qualiter circa idem habeant ordinari. — Ad aliud similiter patet responsio, quia procedit de *intelligere*, secundum quod *primo* modo accipitur. — Ultimum similiter patet [11].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quid est Deum scire, nisi eum mente conspicere firmiterque percipere?* Hoc enim videtur falsum, quia aut loquitur de conspectu mentis, qui est per *speciem*, aut de eo qui est *per speculum* et *in aenigmate* [12]. Si de eo qui est per *speculum*, videtur falsum, quia hoc non est *scire*, sed potius *credere*. Si de eo qui est per *speciem*, hoc videtur similiter falsum, quia tunc

---

[1] De his verbis Aristot. cfr. supra pag. 491, nota 4. — Paulo superius post *per infusionem est* edd. subiungunt *non per auditum*. Inferius respicitur Rom. 10, 17.

[2] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 3: Nisi idem Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligit, quia, nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Cfr. supra pag. 474, nota 2. — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 12; S. Thom., hic circa lit.

[3] B. Albert., hic a. 10: « Quia [ab Augustino] in originali, scilicet in libro 83 Qq. (q. 48.), ponitur adhuc unum credibile » etc. In textu originali legitur: Alia sunt quae *semper* creduntur etc.

[4] August., de Praedest. Sanct. c. 2. n. 5. Sicut supra, pag. 474, nota 1, ita et hic pro *assensione* multi codd. exhibent *assertione*. — Paulo superius pro *falsum, quod* Vat. perperam *falsum, quoniam* [edd. 1, 2 *quia*].

[5] Vers. 9; verba sunt secundum translationem factam a Septuaginta interpretibus. In Vulgata legitur: Si non credideritis, non permanebitis.

[6] Codd. K N W aa *asseruntur*; codd. A G T V *afferuntur* nonnulli codd. *afferantur*.

[7] Hic c. 3. — De definitione *nominali* cfr. supra pag. 491, nota 4. Cfr. August., de Praedest. Sanct. c. 2. n. 5.

[8] De Utilitate credendi, c. 11. n. 25, et I. Retract. c. 14. n. 3. — Post *Alio modo* cod. Z supplet *dicitur*. Subinde pro *cogitare* codd. A K N aa bb *cognoscere*.

[9] August., 83. Qq. q. 48: Sicut est omnis historia, temporalia et humana gesta percurrens.

[10] Scil. quatenus importat *ratione praevia cogitare*.

[11] Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 6; B. Albert., hic a. 10; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[12] Epist. I. Cor. 13, 12, ubi Vulgata et codd. Z bb post *per speculum* omittunt *et*.

non sciretur Deus nisi in patria; Damascenus [1] autem dicit, quod cognitio existendi Deum omnibus est inserta. — Item dicit Augustinus duodecimo de Civitate Dei [2], quod « quidquid scitur, scientis comprehensione finitur »: ergo si Deus nullo modo scientis comprehensione finitur, videtur, quod nullo modo possit sciri. — Item Dionysius [3] dicit, secundum illud Psalmi, quod *Deus posuit tenebras latibulum suum:* igitur videtur impossibile Deum mente conspicere.

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus hic loquitur de cognitione *experimentali,* quam quis habet de Deo sive in *patria,* sive in *via:* in *patria* quidem perfecte, sed in *via* imperfecte; neutra tamen habetur nisi a *mundis corde.* Unde haec scientia *sapientia* est, quia secum habet iunctum saporem; et per hanc illuminatur *intellectus,* et stabilitur *affectus* [4]. Et ideo dicit, quod *Deum scire* non est aliud quam *mente conspicere firmiterque percipere.*

Cognitio experimentalis duplex.

Notandum.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod non potest intelligi de cognitione viae nec de cognitione patriae [5]; dicendum, quod immo de cognitione *viae* intelligi potest. — Sed cognitio viae multos habet gradus. Cognoscitur enim Deus in *vestigio,* cognoscitur in *imagine,* cognoscitur et in *effectu gratiae,* cognoscitur etiam per *intimam unionem* Dei et animae, iuxta quod dicit Apostolus [6]: *Qui adhaeret Deo unus spiritus est.* Et haec est cognitio excellentissima, quam docet Dionysius, quae quidem est in ecstatico amore et elevat supra cognitionem fidei secundum statum communem; et de hac intelligit hic Augustinus et Magister.

Multi gradus cognitionis.

Notandum.

Ad illud quod obiicitur, quod scire est comprehendere; dicendum, quod Augustinus definit ibi *scire,* secundum quod competit Deo; et Deus, quidquid scit, scit scientia comprehensionis, quia totam rem plene cognoscit; hoc autem modo non scitur Deus a nobis [7].

Ad illud Dionysii similiter patet responsio, quia vult dicere, quod Deus non conspiciatur in via in claritate suae essentiae, sed quod conspicitur in effectu gratiae et experientia suavitatis suae per ipsam anagogicam unitionem [8].

DISTINCTIO XXV.

Cap. I.

De fide antiquorum.

Praedictis adiiciendum est de sufficientia fidei ad salutem. Illis [1] qui praecesserunt adventum Christi, et qui sequuntur, videtur profecisse *fides* secundum temporis processum, sicut profecit *cognitio.* Fides quippe *magna* dicitur *cognitione* et *articulorum quantitate,* vel *constantia* et *devotione.* Est autem quaedam fidei mensura, sine qua nunquam potuit esse salus. Unde Apostolus [2]: *Oportet, accedentem ad Deum credere, quia est, et quod remunerator est sperantium in se.* Sed quaeritur, utrum hoc credere ante *adventum,* vel ante *Legem* ad salutem suffecerit. Nam tempore *gratiae* constat certissime hoc non sufficere; oportet enim universa credi, quae in Symbolo continentur. Sed nec ante *adventum* nec ante *Legem* videtur hoc suffecisse, quia sine fide Mediatoris nullum hominem, vel ante, vel post fuisse salvum, Sanctorum auctoritates contestantur. Unde Augustinus ad Optatum [3]: « Illa fides sana est, qua credimus, nullum hominem, sive maioris sive parvulae aetatis, liberari a contagione mortis et obligatione peccati, quod prima nativitate contraxit, nisi per *unum mediatorem Dei et hominum, Iesum Christum;* cuius hominis eiusdemque Dei saluberrima fide etiam illi iusti salvi facti sunt, qui, priusquam veniret in carnem, crediderunt in carnem venturum. Eadem enim fides est et nostra et illorum ». « Proinde cum omnes iusti, sive ante incarnationem sive post, nec vixerint nec vivant nisi ex fide incarnationis Christi; profecto quod scriptum est, *non esse aliud nomen sub caelo, in quo oporteat salvari nos,* ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est ».

Dubium 1.

Augustinus.

---

[1] Libr. I. de Fide orthod. c. 1. et 3. — Pro *inserta* edd. 1, 2 *incerta,* Vat. *certa.*

[2] Cap. 18. Vide supra pag. 299, nota 8.

[3] De Mystica Theolog. c. 1. § 2. Sententia Davidica, quae affertur, habetur Ps. 17, 12.

[4] Cfr. infra d. 35. q. 1; I. Sent. prooem. q. 3. et d. 2. dub. 2. — Paulo superius post *sed in via* non pauci codd. incongrue subiiciunt *quidem,* cod. bb *autem.*

[5] Edd. *intelligi nec cognitione viae nec patriae.*

[6] Epist. I. Cor. 6. 17. — De diversis gradibus cognitionis viae cfr. I. Sent. d. 3. p. 1. q. 2. ad 4. et q. 3; II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. in corp. et ad 6, nec non illud S. Bonav. opusc., quod intitulatur Itinerarium mentis in Deum, ubi isti diversi gradus miro modo explicantur, simulque (in ult. cap.) secundum Dionysium (de Mystica Theolog. c. 1; cfr. de Div. Nom. c. 4. § 13.) excessus mentalis et mysticus describitur.

[7] Cfr. supra d. 14. a. 1. q. 2, et I. Sent. d. 3. p. 1. q. 1. ad 1. — Paulo ante pro *totum rem* cod. C *totum esse,* Vat. *totam rationem.*

[8] Cfr. tom. II. pag. 543, nota 5. et pag. 546, nota 6. nec non Itinerar. mentis in Deum, c. 1. et 7. — In hac ultima propos. codd. minus recte particulam *non,* e loco suo ante *conspiciatur* sublatam, transposuerunt ante *vult dicere* (quibus verbis nonnulli codd. adiungunt *Dionysius,* plurimi codd. perperam *Augustinus*). Deinde in Vat. legitur sic: *sed non vult dicere, quod non conspiciatur in effectu gratiae et experientia suavitatis suae per ipsam unionem.* — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 11.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Edd., exceptis 1, 8, adiiciunt *enim.* — Duo prima capitula huius dist. Magister excerpsit ex Hugone a S. Vict., Sum. Sent. tr. 1. c. 3.

[2] Epist. ad Hebr. 11, 6. Codd. et paucae edd. hic et infra omittunt *ad Deum.*

[3] Epist. 190. (alias 157.) c. 2. n. 5. 6, in quo textu respicitur I. Tim. 2, 5. Seq. locus ibid. n. 8, ubi respicitur Act. 4, 12.

Augustinus. Idem [1]: « Nemo liberatur a damnatione, quae facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi ». Idem: « Eadem fides Mediatoris, quae nos salvat, salvos iustos faciebat antiquos, pusillos cum magnis, quia, sicut credimus, Christum in carne *venisse*, ita illi *venturum*; et sicut nos *mortuum*, ita illi *moriturum*; et sicut nos *resurrexisse*, ita illi *resurrecturum*; et nos et illi, ad Gregorius. iudicium vivorum et mortuorum *venturum* ». Gregorius super Ezechielem [2]: « *Et qui praeibant et qui sequebantur clamabant dicentes: Hosanna filio David* etc., quia omnes electi, qui in Iudaea esse potuerunt, sive qui nunc in Ecclesia sunt, in Mediatorem Dei et hominum crediderunt et credunt ». — His aliisque pluribus testimoniis perspicue docetur, nulli unquam salutem esse factam nisi per fidem Mediatoris. *Oportet ergo, accedentem ad Deum credere* quae supra dixit Apostolus, sed non sufficit.

Cap. II.

De fide simplicium.

Quid ergo dicetur de illis simplicibus, quibus non erat revelatum mysterium incarnationis, qui pie credebant quod eis traditum fuit? — Dici potest, nullum fuisse iustum vel salvum, cui non esset facta revelatio vel *distincta*, vel *velata*, vel in *aperto*, vel in *mysterio: distincta*, ut Abrahae vel Moysi [3] aliisque maioribus, qui distinctionem articulorum fidei habebant; *velata*, ut simplicibus, quibus revelatum erat, ea esse credenda, quae credebant illi maiores et docebant, sed eorum distinctionem apertam non habebant. Sicut et in Ecclesia aliqui minus capaces sunt, qui articulos Symboli distinguere et assignare non valent, omnia tamen credunt, quae in Symbolo continentur; credunt enim quae ignorant, habentes fidem velatam in mysterio: ita et tunc minus capaces ex revelatione sibi facta maioribus credendo inhaerebant, quibus fidem suam quasi committebant. Unde Iob [4]: *Boves arabant, et asinae pascebantur iuxta eos.* Simplices et minores sunt *asinae pascentes iuxta boves*, quia, humilitate maioribus adhaerendo, in mysterio credebant quae et illi in mysterio docebant, qualis forte fuit vidua Sareptana.

Cap. III.

Quae ante adventum credere sufficiebat.

Sed quaeritur, cum sine fide Mediatoris antiquis non fuerit salus, sicut nec modernis, utrum oportuerit illos credere omnia illa de Mediatore, quae nunc credimus. — Quibusdam videtur, quod suffecerit illis quatuor tantum credere, scilicet nativitatem, mortem, resurrectionem et adventum ad iudicium; quod ex praemissis verbis Augustini colligunt, ubi ista quatuor posuit. — Aliis autem videtur, habita fide Trinitatis, id de mysterio incarnationis fidei suffecisse, ut Dei Filius crederetur nasciturus de homine et iudicaturus; qui de Ioanne Baptista documentum huius rei assumunt, qui de morte Christi et descensu ad inferos in Evangelio dubitasse videtur, secundum expositionem Gregorii [5], quando interrogavit per discipulos: « *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* quasi: Es tu per te ipsum descensurus ad infernum, an alium ad haec sacramenta missurus es »? — Quidam tamen dicunt, eum non dubitasse de *ignorantia*, sed de *pietate*, id est, dubitare se ostendisse, non quia ignoraverit, sed pietatis affectu compassum esse Christo et eius humilitatem admirando insinuasse.

Dubium 2. Alia opinio. Dubium 3. Gregorius. Alia expositio.

Cap. IV.

De fide Cornelii.

Solet etiam quaeri de Cornelio, utrum fidem incarnationis habuerit, cum dictum est ei per Angelum [6]: *Acceptae sunt eleemosynae tuae, et exauditae sunt orationes tuae.* Si enim fidem incarnationis non habebat; tunc ergo sine fide incarnationis erat ei *iustitia*, quia de illo scriptum est, quod *iustus erat* et *timens Deum.* Si vero fidem incarnationis habebat; ad quid ergo missus est ad eum Petrus? — Sane dici potest, eum, sicut fidem Trinitatis [7], ita et incarnationis habuisse Dei revelatione, sed incarnatum iam esse Dei Filium, ignorasse; et ideo missus est ad eum Petrus, ut iam natum Dei Filium ei annuntiaret et Sacramentum regenerationis ei conferret. Habebat igitur fidem incarnationis, sed an facta, an futura esset, non noverat; et ita per fidem venit ad opera, et per opera amplius solidatus est in fide. « Per fidem enim, ut ait Gregorius [8], venitur ad opera ». Cornelius etiam per fidem venit ad opera; Deum enim unum credebat, sed Filium eius nesciebat incarnatum; per fidem placuerunt Deo opera eius: *Sine fide enim impossibile est placere Deo.* Augustinus [9] vero dicit, « Cornelio dictum esse per Angelum: *Acceptae sunt eleemosynae tuae et orationes tuae*, antequam in Christum crederet; nec tamen sine aliqua fide donabat et orabat. Nam quomodo *invocabat in quem non credebat?* sed si posset sine fide Christi esse salus, non ad eum mitteretur architectus Ecclesiae, Petrus ». — Attende, quod ait, sine fide Christi non posse esse salutem, et tamen Cornelium exaudi-

Resp. Gregorius. Augustinus.

---

[1] De Corrept. et gratia, c. 7. n. 11. Seq. locus est II. de Nuptiis et concupisc. c. 11. n. 24, et habetur etiam I. Sent. d. XLI. c. 3.

[2] Libr. II. hom. 5. n. 2. Locus Scripturae est Marc. 11, 9. 10.

[3] Gen. 22, 18, et Ioan. 8, 56; Exod. 33, 2.

[4] Cap. 1, 14; de vidua Sareptana vide III. Reg. 17, 10. seqq. Similem expositionem loci Iob habet Gregor., II. Moral. c. 46. n. 72; et est etiam in Glossa (ibid.).

[5] Libr. I. in Ezech., hom. 1. n. 5, et I. in Evang. hom. 6. n. 1. Locus Scripturae est Matth. 11, 3; Luc. 7, 19. Seq. sententia insinuatur ab Ambros., V. in Luc. (c. 7, 19.) n. 98. — Post *quasi* Vat. cum pluribus edd. *diceret.*

[6] Act. 10, 4, et seq. locus ibid. v. 22.

[7] Codd. et edd., exceptis 5, 6 et Vat., *Unitatis.* Cod. Erf. annotat: Alii *Unitatis.*

[8] Libr. II. in Ezech., hom. 7. n. 9. — Inferius respicitur Hebr. 11, 6.

[9] De Praedest. Sanctor. c. 7. n. 12; ubi respicitur locus iam cit. Act. 10, 4, et Rom. 10; 14. — Pro *esse salus* ed. 1 cum originali *salvus.* Inferius pro *quod ait* Vat. cum pluribus edd. *quid ait.*

tum, antequam crederet in Christum; quod ita potest intelligi, scilicet antequam sciret Christum incarnatum, in quem credebat in mysterio.

Cap. V.

De aequalitate fidei, spei, caritatis et operis.

Illud etiam non est praetermittendum, quod fides, spes, caritas et operatio secundum aliquid aequalia sunt in praesenti. Unde Gregorius [1]: « Fidem, spem, caritatem atque operationem, dum in hac vita vivimus, aequales sibi esse apud nos invenimus, quia quantum credimus, tantum amamus; et quantum amamus, tantum de spe praesumimus. Quisque enim fidelis tantum credit, quantum sperat et amat; et tantum operatur, quantum credit et amat et sperat ». « Sed tamen maior fide et spe caritas dicitur, quia, cum ad Dei speciem pervenitur, spes et fides transit, sed caritas permanet », et quia « caritas mater est omnium virtutum »; quae non ideo post fidem et spem ponitur, quod ex eis oriatur, sed quia post illa remanebit aucta; *caritas enim nunquam excidit* [2]. Praemissa autem aequalitas proprie secundum interiorum actuum intentionem consideranda est. — Huic vero, quod hic et superius dictum est, scilicet quod caritas non est ex fide, spe, sed e converso, videtur obviare quod ait Apostolus [3]: *Finis praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta;* quod exponens Augustinus, *cor* accipit pro intellectu, et *conscientiam* pro spe. « Qualis, inquit, caritas est *finis praecepti, procedens de corde puro*, id est de puro intellectu, ut nihil nisi Deus diligatur; *et conscientia*, id est de spe bona, *et fide non ficta*, id est non simulata ». — Non igitur caritas fidem vel spem, sed fides et spes caritatem praecedere videntur. Hoc ergo ea ratione traditum intellige, non quod fides et spes causa, vel tempore caritatem, omnium bonorum matrem, praecedant; sed quia caritas sine illis in aliquo esse non potest, sed illa sine caritate possunt esse, quamvis non sit pia fides vel spes sine caritate. Ideo igitur ex fide et spe procedere dicitur caritas, quia nulli provenit sine istis.

Dubium 4. Gregorius. Augustinus.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXV.

De fidei sufficientia.

Praedictis adiiciendum est de sufficientia fidei etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de fidei essentia et de eius obiecto et materia. In hac tertia parte agit de eius sufficientia. Dividitur autem pars ista in duas partes. In quarum prima determinat de fidei sufficientia. In secunda vero ipsam fidem comparat ad virtutes alias, ibi: *Illud etiam* [1] *non est praetermittendum, quod fides, spes, caritas* etc.

Prima pars, in qua determinat de sufficientia fidei, dividitur in partes duas. In quarum prima inquirit de sufficientia fidei in quadam generalitate. In secunda inquirit descendendo ad speciales differentias personarum, ibi: *Quid ergo dicetur de illis simplicibus* etc.

Prima pars dividitur in tres partes. In quarum prima determinat Magister, quid est illud de fide, sine quo [2] nunquam potuit esse salus. In secunda determinat, quantum suffecit credere, ibi: *Sed quaeritur, utrum hoc credere ante adventum* etc. In tertia vero pluribus auctoritatibus confirmat, ibi: *Unde Augustinus ad Optatum: Illa fides* etc.

Similiter secunda pars, in qua descendit ad speciales differentias personarum [3], habet tres. In prima inquirit, quid vel quantum suffecerit credere simplicibus, qui praecesserunt Christi adventum. In secunda vero inquirit de provectioribus, utrum necesse fuerit, eos credere omnia quae modo creduntur, ibi: *Sed quaeritur, cum sine fide Mediatoris* etc. In tertia vero inquirit de fide Cornelii, quae fuit ante Evangelium promulgatum [4], ibi: *Solet etiam quaeri de Cornelio* etc. Subdivisiones autem partium manifestae sunt in littera.

---

[1] Libr. II. in Ezech. hom. 10. n. 17. Seq. locus ibid. paulo superius. Verba *caritas mater est* sumta sunt ex Hieron., Epist. 82. ad Theophilum, n. 11; cfr. supra pag. 467, nota 2.

[2] Epist. I. Cor. 13, 8. Mox verbo *superius* citatur d. XXIII. c. ult.

[3] Epist. I. Tim. 1, 5; locus August. est I. de Doctr. christian. c. 40. n. 44, et Enchirid. c. 121. n. 32, et verbotenus in Glossa Lyrani in illum locum.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Cod. V *autem*, in aliis codd. deest *etiam*.

[2] Edd. *sine qua*. Paulo inferius post *confirmat* edd. adiungunt *determinata*.

[3] Edd. adiiciunt *credentium*, et post pauca pro *suffecerit* exhibent *sufficiat*.

[4] Edd. *promulgata*. Deinde pro *manifestae* codd. A K *satis planae*.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis secundum ea quae Magister tangit, incidit hic quaestio circa duo, et primo quaeritur de fidei sufficientia.

Secundo vero quaeritur de fidei profectu.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur de fidei sufficientia quantum ad continentiam Symboli apostolici.

Secundo quaeritur de sufficientia eiusdem quantum ad notitiam eorum qui praecesserunt adventum Christi.

Tertio quaeritur de sufficientia eiusdem quantum ad illos qui eius adventum fuerunt secuti.

ARTICULUS I.

De fidei sufficientia.

QUAESTIO I.

Utrum in Symbolo apostolico sufficienter contineantur omnia illa, quae opportunum est credere ad salutem.

Circa primum sic proceditur et quaeritur de sufficientia fidei quantum ad continentiam Symboli apostolici, et est quaestio, utrum sufficienter contineantur ibi omnia illa, quae opportunum est credere ad salutem. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Primo per verba Cassiani ad Leonem Papam, libro sexto [1]: «*Symbolum* Latine ideo *collectio* nominatur, quia, collecta in unum ab Apostolis Domini totius catholicae legis fide, quidquid per universum divinorum voluminum corpus immensa funditur copia, totum in Symbolo colligitur brevitate perfecta».

2. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione,* quoniam tota fides versatur circa Deum sicut circa obiectum [2]; sed non contingit pluribus modis Deum cognoscere quam quantum ad divinam naturam et humanam: ergo si utroque modo in Symbolo Apostolorum traditur notitia de Deo, videtur, quod fides ibi contineatur in integritate perfecta.

3. Item, non contingit habere notitiam de divina substantia nisi per aliquam eius operationem, quamdiu sumus in via [3]; sed omnis divina operatio continetur sub aliqua istarum trium, videlicet sub opere creationis, vel reparationis, vel glorificationis: si ergo Deus in Symbolo Apostolorum ab hac triplici operatione notificatur, quia ostenditur ibi Deus esse creator et reparator et glorificator; videtur, quod tota fides ibi contineatur.

4. Item, hoc ipsum ostenditur ex *perfectione auctorum.* Si enim ad Symbolum illud componendum convenit coetus Apostolorum, qui repleti fuerant Spiritu sancto et plenam et integram notitiam fidei habuerunt [4]; dicere, quod in Symbolo illo contineatur fides insufficienter, non est aliud quam dicere, quod Spiritus sanctus et magistri totius Ecclesiae insufficientes fuerunt. Si ergo hoc dicere est impium et absurdum, necesse est ponere, fidem ibi contineri integre et plene.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Sicut a doctoribus catholicis traditur, Symbolum illud fuit compositum tantum a duodecim Apostolis, ita quod quilibet posuit ibi suam particulam [5]: si ergo ultra duodecim fuit Barnabas et Paulus, qui fuit specialissimus et maximus fundator et doctor, et ipsi non posuerunt ibi suam particulam; videtur, quod in Symbolo illo non fuerit fides sufficienter tradita; vel saltem videtur, quod ad illius compositionem non sufficienter convenerit universitas apostolica.

2. Item, videtur, quod insufficienter contineatur ibi fides a parte *credendorum.* Si quis enim non crederet, fornicationem vel adulterium esse peccatum mortale, iudicaretur haereticus; si quis etiam non crederet, Deum esse, et multa talia [6], quae in Symbolo non continentur, iudicaretur haereticus: ergo non videtur, quod sufficienter contineantur ibi illa quae fidei christianae sunt necessaria.

3. Item, hoc ipsum ostenditur a parte *ipsorum articulorum:* quia credere, quod corpus Christi sit in altari, et quod panis convertatur in corpus Christi, hoc est maximae difficultatis, et in quo fides habet maximum meritum: ergo videtur, quod illud credibile in doctrina fidei fuit potissime explicandum: videtur ergo, cum ibi non explicetur, quod Symbolum illud sit defectivum.

4. Item, hoc ipsum ostenditur ex parte *divinarum conditionum et operationum:* quia, sicut

---

[1] Scil. VI. de Incarnat. c. 3. Circa finem huius testimonii textus origin. pro *Symbolo* exhibet *Symboli.*

[2] Cfr. supra d. 24. a. 1. q. 2.

[3] Vide supra d. 14. a. 1. q. 3. in fine corp. Cfr. etiam I. Sent. d. 3. p. 1. q. 1. seqq., et II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. — Paulo inferius pro *sub opere* multi codd. *sub operatione*, et deinde pro *ab hac triplici* codd. I L *sub hac triplici.*

[4] Vide Rufin. Aquileiens. Commentar. in Symbol. Apost. n. 2.

[5] Vide hic corp. quaest. et scholion.

[6] Cod. A *multa alia.*

Deus est omnipotens, ita etiam est immensus, ita aeternus, bonus et sapiens; et sicut creavit, ita distinxit, ornavit et conservavit; sicut etiam Christus incarnatus est, ita etiam inter homines conversatus est[1]; sicut resurrexit, ita et post resurrectionem apparuit; et de omnibus his nihil tangitur in doctrina Symboli: ergo videtur in ea fides insufficienter contineri, cum omnia haec oporteat credi, et ad omnia haec arctemur, sicut ad articulos ibi expressos.

5. Item, hoc ipsum ostenditur ex *additione aliorum Symbolorum*, scilicet Athanasii et Nicaeni Concilii. Si enim in Symbolo Apostolorum fides sufficienter traditur, ergo alia Symbola superfluunt; quodsi non superfluunt: ergo in illo fides insufficienter exprimitur.

Quaestiones incidentes.

Iuxta hoc quaeritur ultimo de diversitate illorum Symbolorum quantum ad *continentiam* et quantum etiam ad *recitationem*[2] et quantum ad *alias differentias*, quae sunt inter illa.

CONCLUSIO.

In Symbolo apostolico sufficienter contineri fidei principia principalia et propria, monstratur tum ex parte auctorum componentium, tum ex parte articulorum constituentium.

Notanda distinctio.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod doctrina fidei quaedam habet *antecedentia*, quaedam *consequentia*, quaedam *principalia sua obiecta*. Sicut in aliis scientiis videmus esse quaedam *principia communia*, quae supponuntur, sicut dignitates; quaedam vero sicut *principia propria* illarum scientiarum, ut sunt intrinseca principia suarum demonstrationum; quaedam vero sunt sicut *consequentia*, sicut sunt conclusiones corollariae[3]: per hunc etiam modum in doctrina fidei *antecedentia* sunt illa quae sunt de dictamine iuris naturalis; *principalia* vero sunt illa, ad quae fidei illuminatio directe dirigit, et ista dicuntur articuli; *consequentia* sunt illa quae ex illis articulis possunt elici et ad illos articulos habent sequi.

Antecedentia, principalia, consequentia in fide.

Cum ergo quaeritur, utrum doctrina fidei sufficienter contineatur in Symbolo apostolico; dicendum est, quod si loquamur de doctrina fidei quantum ad ea quae sunt in ea *principalia et propria*, sicut sunt ipsi articuli, sufficienter in illo Symbolo continentur. — Potest autem ipsius sufficientia ex *duplici* parte monstrari, videlicet ex parte ipsorum *auctorum componentium*, et ex parte *articulorum constituentium*.

Conclusio.

Duplex probatio.

Ex parte *auctorum componentium*, quia universitas ibi Apostolorum convenit, quam[4] non est dubium aliquid non potuisse latere de his quae pertinent ad fidei complementum. Et ut maiorem haberent firmitatem, singuli posuerunt ibi suas partes, et omnes insimul singulas approbaverunt, ut una Ecclesia, quae super Apostolos fundari debebat, unam fidei credulitatem et confessionem haberet, quae quidem diceretur *fides catholica*, hoc est fides *universalis: universalis*, inquam, quia universis data, et ab universis Apostolis, qui erant fundamentum universalis Ecclesiae, constituta[5].

Sufficientia a parte auctorum.

Fides catholica.

Unde Petrus primo posuit particulam suam dicens: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae.*

Secundo Andreas subiunxit: *Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum.*

Tertio Ioannes addidit: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.*

Quarto intulit Iacobus maior: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.*

Quinto adiunxit Thomas: *Descendit ad inferos*[6], *tertia die resurrexit a mortuis.*

Sexto addidit Iacobus minor: *Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.*

Septimo adiecit Philippus: *Inde venturus est iudicare vivos et mortuos.*

Octavo intulit Bartholomaeus: *Credo in Spiritum sanctum.*

Nono subiunxit Matthaeus: *Sanctam Ecclesiam catholicam;* et est sensus: credo in Spiritum sanctum, sanctificantem universalem Ecclesiam[7].

Decimo addidit Simon Chananaeus: *Sanctorum communionem, remissionem peccatorum*, quia in Sanctorum communione fit peccatorum remissio.

Undecimo superaddidit Iudas Thaddaeus: *Carnis resurrectionem;* et est sensus, quod Deus resuscitabit ipsam carnem.

Duodecimo Mathias consummavit: *Vitam aeternam. Amen.*

Et sic Apostoli in numero duodenario pleno et integro composuerunt illud Symbolum, quando erant insimul congregati; in quo quidem numero significatur superabundans perfectio. — Et illud praefigura-

Praefiguratum.

---

[1] Baruch 3, 38: Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est. — De triplici opere Dei, scil. creationis, distinctionis et ornatus cfr. II. Sent. d. 12. a. 1. q. 2. ad 4. — Paulo inferius multi codd. omittunt *fides* ante *insufficienter contineri*, et deinde pro *credi* cod. Z substituit *credere*.

[2] Vat. abundantius *et quantum etiam ad ratiocinationem, et quantum ad frequentationem, et quantum ad recitationem.*

[3] Ut docet Aristot., I. Poster c. 8. (c. 10.). Cfr. etiam supra pag. 482, nota 2. — Superius pro *principalia sua obiecta* edd. *principia sive obiecta* et infra bis *principia* pro *principalia*.

[4] Codd. A U bb *quos*. Paulo inferius pro *haberent* codd. G H I K L Z aa *haberet*.

[5] Eph. 2, 20: Superaedificati super fundamentum Apostolorum. — Pro *constituta*, quod habent plurimi codd., edd. *constituti*. Paulo inferius post *Andreas* edd. inserunt *audiens*.

[6] Edd. cum non paucis codd. hic et infra *inferna*.

[7] Edd. omittunt verba *et est sensus... Ecclesiam*, et post pauca etiam verba *remissionem peccatorum*, quibus verbis cod. O adiungit *id est in unitatem ecclesiasticam*. Paulo inferius pro *resuscitabit* codd. A K N Z *suscitabit*.

tum fuit Iosue quarto [1], ubi dicitur, quod *duodecim viri* portaverunt de medio Iordanis alveo *duodecim lapides* et posuerunt in loco, in quo castrametati sunt. Per *duodecim* namque *viros* de singulis tribubus praefigurantur duodecim Apostoli. Per *duodecim* vero *lapides* praefigurantur duodecim partes Symboli, quae sunt firmae et immutabiles, ex quibus unicum Symbolum constituitur, quod ideo Symbolum appellatur, quia ex pluribus Apostolorum sententiis fuit constitutum. Dicitur enim Symbolum a *syn*, quod est simul, et *boule*, quod est sententia: unde *Symbolum* quasi plurium sententia simul constituta [2]. Et sic sumitur sufficientia contentorum in Symbolo a parte auctorum componentium.

Etymologia Symboli.

Potest etiam nihilominus sumi a parte *articulorum constituentium*. Cum enim omnes articuli sint de Deo, aut secundum quod est in natura *propria*, aut secundum quod est *unitus humanae naturae* [3]; necesse est, quosdam articulos esse spectantes ad *Divinitatem*, quosdam ad *humanitatem*.

A parte articulorum constituentium.

Illi autem, qui spectant ad *Divinitatem*, aut respiciunt divinam *essentiam in se*, aut respiciunt *divinae essentiae personas* et hypostases, aut respiciunt eius *operationes*. Si respiciunt ipsam divinam *essentiam in se;* sic est unus articulus, secundum quod unica et simplex est divina essentia. Et hoc insinuatur, cum dicitur: *Credo in Deum.*

Articuli de Divinitate in se.

Si autem respiciant *divinae essentiae personas* sive hypostases, secundum quod tres sunt personae, tres sunt articuli. Quorum unus est: *Credo in Patrem omnipotentem;* alius vero notatur, cum dicitur: *Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum;* alius, cum dicitur: *Credo in Spiritum sanctum.*

Quoad personas divinas.

Si autem respiciant *divinae essentiae operationes;* hoc potest esse tripliciter, secundum quod triplex est eius operatio, quarum una est in collatione naturae, et haec est creatio; altera in collatione gratiae, et haec est sanctificatio; tertia in collatione gloriae, et haec est gloriosa resuscitatio. Et secundum hoc [4] sunt tres articuli, quorum unus notatur, cum dicitur: *Credo in Creatorem caeli et terrae;* alter notatur, cum dicitur: *Sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum;* alius vero, cum dicitur: *Carnis resurrectionem, vitam aternam. Amen.* Et sic septem sunt articuli circa Divinitatem respicientes ipsam divinam essentiam in se et in personis et in operationibus suis [5]; et patet eorum sufficientia, quia non habet ipsa pluribus modis considerari.

Quoad operationes divinas.

Articuli 7 de Divinitate.

Similiter circa humanitatem non est reperire nisi septem articulos principales secundum septem actus [6] Christi Redemptoris, qui ordinantur ad nostram reparationem. Quorum primus est incarnari; et de hoc est unus articulus: *Qui conceptus est de Spiritu sancto.* — Secundus est nasci; et de hoc est alius articulus: *Natus ex Maria Virgine.* — Tertius est pretium pro nobis solvere; et de hoc est alius articulus: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.* — Quartus est infernum exspoliare; et de hoc est alius articulus: *Descendit ad inferos.* — Quintus est de morte triumphare; et de hoc est alius articulus: *Tertia die resurrexit a mortuis.* — Sextus est caelestia transcendere; et de hoc est alius articulus: *Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* — Septimus est ad iudicium venire; et de hoc est alius articulus: *Inde venturus est iudicare vivos et mortuos.*

Articuli 7 de humanitate.

Et sic patet, quod septem sunt articuli spectantes ad Divinitatem, et septem spectantes ad humanitatem, in quibus universitas fidei continetur, secundum quod significatur in primo Apocalypsis [7], ubi dicit Ioannes, se vidisse *septem candelabra, et in medio septem candelabrorum similem Filio hominis, et ille habebat ad dexteram septem stellas.* Per *septem* namque *stellas* luminosas, quae sunt de natura caelesti, intelliguntur septem articuli respicientes Divinitatem; per *septem* autem *candelabra* aurea, quae sunt de terrena materia, verumtamen optima et depurata, intelliguntur septem articuli respicientes humanitatem; et ideo dicit, quod in medio illorum vidit *similem Filio hominis.* — Quoniam igitur isti quatuordecim articuli continentur in Symbolo apostolico; hinc est, quod ipsa fides continetur in illo Symbolo sufficienter et plenarie quantum ad illa quae principaliter sunt credenda. — Et ideo concedendae sunt rationes ad istam partem.

Epilogus.

Figura horum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod Paulus et Barnabas nihil ibi posuerunt; dicendum,

Solutio oppositorum.

---

[1] Vers. 2. seq. et 8. — Innocent. III., II. de Sacro Altaris mysterio, c. 50: Est autem [duodenarius] numerus *superabundans*, constans ex duobus senariis [senarius numerus perfectus, quia eius partes 1, 2, 3, in quas dividi potest, simul ductae faciunt 6], signantibus *perfectionem* cogitationis et operis, sive mentis et corporis; ex ternario multiplicato per quaternarium, et quaternario per ternarium, signantibus fidem individuae Trinitatis et quatuor Evangeliorum doctrinam, sive tres virtutes theologicas et quatuor virtutes politicas. Hic numerus [duodenarius, cuius partes sunt 1, 2, 3, 4, 6] ex suis partibus aggregatis *excrescit* in sedenarium, qui constat ex denario et senario, mandatorum exsecutionem significans; quia decem sunt Legis mandata, quae sex diebus exsequimur, excrescentes in caritatis perfectionem, quae secundum Apostolum 16 proprietates habere dignoscitur. *Caritas*, inquit (I. Cor. 13, 4-8.), *patiens est* etc. Cfr. IV. Sent. d. 47. a. 1. q. 1. in fine.

[2] Alii verbum symboli ductum esse putant a σύν (simul) et βόλος (iactus) eique vim compositionis tribuunt (cfr. supra fundam. 1.). — Pro *boule* codd. et edd. scribunt *bole*. Pro *quasi* et *simul*, quibus verbis codd. A K praemittunt *id est*, edd. *est*.

[3] Cfr. supra d. 24. a. 1. q. 2.

[4] Edd. et codd., exceptis A K Z bb, addunt *tunc*.

[5] Ita codd. K Z (A primitus), alii *operibus suis*, edd. *operibus eius*.

[6] Codd. A K adiiciunt *principales*. Mox pro *reparationem* edd. *redemptionem*.

[7] Vers. 12. 13. 16, ubi Vulgata *candelabra aurea... candelabrorum aureorum... habebat in dextera sua stellas septem.*

quod Paulus et Barnabas electi fuerunt post divisionem Apostolorum ad praedicandum, sicut patet in Actibus Apostolorum [1]. Et quoniam Symbolum debuit constitui ab omnibus insimul congregatis, ut sic singula essent a singulis per expressionem, et totum a quolibet per approbationem; hinc est, quod nihil ibi apponitur, quod Paulo et Barnabae approprietur. Nec tamen ex hoc arguitur insufficientia, quia alii fuerunt in numero completo et perfecto, in quanto numero Deus elegerat suos Apostolos [2]. *Praeterea*, multitudo condentium non facit ad maiorem *perfectionem* Symboli conditi, quamvis faciat ad maiorem *auctoritatem*; ita enim potuisset unus Apostolus in aliqua verborum serie enarrare fidem sufficienter, sicut omnes fecerunt in illo Symbolo per concordiam edito. Magis tamen sic facere voluerunt, sicut praedictum fuit, propter maiorem fidei unitatem servandam et propter maiorem eiusdem fidei firmitatem.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod multa sunt credenda, quae in Symbolo non continentur; dicendum, quod verum est de *antecedentibus*, sicut est hoc quod est *Deum esse*, et de *consequentibus*, sicut sunt multa alia, quae de ipsis articulis elicit sacra Scriptura et doctrina theologica, sicut Christum a sui conceptione habuisse plenitudinem gratiae [3], et consimilia. Nullum tamen est credibile a fide, quod non possit reduci ad articulos in Symbolo contentos sicut ad principia dirigentia et stabilia fundamenta.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de insufficientia ipsorum articulorum, quod credere corpus Christi in altari, hoc videtur pertinere ad articulum [4] fidei; dicendum, quod iste non est articulus principalis, sed sub aliquo articulo continetur, sicut et alia Sacramenta. — Volunt autem quidam dicere, quod reducitur ad articulum de *omnipotentia*; alii, quod reducitur ad articulum de *passione*, quia istud est memoriale passionis. Sed melius est ipsum reducere ad articulum de *unitate Ecclesiae* et *peccatorum remissione*, sicut et fides respectu aliorum Sacramentorum. In ipsis enim Sacramentis fit peccatorum remissio; in ipsis etiam attenditur totius Ecclesiae Sanctorum unio. Unde in Symbolo Nicaeno additur: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum*. Unde sicut dico de hoc Sacramento, quod reducitur ad aliquem articulum principalem, sic intelligendum est de aliis Sacramentis.

Opinio 1, 2.

Opinio 3.

4. Ad illud vero quod obiicitur ex parte divinarum conditionum et operationum; dicendum, quod *conditiones* respicientes divinam essentiam non faciunt novos articulos distinctos ab articulo, qui est de unitate essentiae divinae. In hoc enim, quod credo, ipsum esse Deum unum, credo, ipsum esse immensum et simplicem et aeternum, omniscientem et omnipotentem, et similia; alioquin, si unum de istis deesset, non esset Deus. — Similiter non de omnibus *operationibus* debent esse articuli, sed de operationibus principalibus, maxime de his quae ad nostram reparationem et salutem ordinantur, ad quam dirigit fides nostra. Possunt tamen omnes operationes Dei reduci ad illas tres: omnis enim operatio aut respicit *esse* naturae, aut *esse* gratiae, aut *esse* gloriae. Unde *conservatio* potest reduci ad *creationem*, similiter distinctio, ornatus; *punitio* vero potest reduci ad *iudicium*; vel potest dici, quod non est secundum principalem intentionem, quia non est secundum voluntatem *antecedentem*, sed secundum voluntatem *consequentem* [5]. — Similiter operationes Christi, ut *conversationis* et *apparitionis*, ad illas possunt reduci, quia *apparitio* ordinatur ad manifestationem veritatis resurrectionis, et *conversatio* ad manifestandam veritatem incarnationis.

Notandum.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur de additione aliorum Symbolorum; dicendum, quod alia Symbola duo, videlicet Athanasii et Nicaeni Concilii, addita sunt ad fidei maiorem explanationem et ad haeresum confutationem. Sed Symbolum Athanasii, doctoris praecipui, maxime ordinatum fuit contra errorem Arii; et ideo ibi maxime exprimit unitatem essentiae et distinctionem personarum, et quoniam [6] Christus est « aequalis Patri secundum Divinitatem, minor Patre secundum humanitatem ». — Symbolum vero Nicaeni Concilii conditum fuit ad confutationem multimodarum haeresum pullulantium; unde adduntur aliqua ad maiorem expressionem, per quae possunt haereses confutari. Et propterea ad elidendam haeresim Manichaei non tantum dicitur: *Credo in Deum*, sed *credo in unum Deum*; nec tantum *Creatorem caeli et terrae*, sed etiam *visibilium et invisibilium*. — Ad confutationem vero haeresis Arianae non tantum dicitur: *Credo in Iesum Christum, Dominum nostrum*, sed etiam additur: *Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum*, usque ibi: *Per quem omnia facta sunt*. — Ad confutationem vero haeresis Eutychis et Nestorii [7], qui

De 2 aliis Symbolis.

---

[1] Cap. 13, 2. seqq.

[2] Matth. 10, 1. seqq.; Marc. 3, 14. seqq.; Luc. 6, 13. seqq. — Circa finem solut. pro *unitatem* codd. A K *veritatem*.

[3] Cfr. supra d. 13. a. 1. q. 3. — Paulo inferius pro *stabilia* cod. W bene *stabilientia*, ut in Breviloq. Prooem. § 1, vide scholium ad d. 24. a. 2. q. 1. n. 3.

[4] Codd. A F *articulos*. Inferius pro *alii, quod reducitur* edd. *alii autem reducunt*. Versus finem solut. pro *Unde sicut dico* cod. M *Unde sicut dicit* [scil. Symbol. Nicaen.], edd. *unde sicut dicitur*.

[5] Cfr. 1. Sent. d. 46. q. 1. — Aliquanto superius cod. A bis *operibus* pro *operationibus*.

[6] Pro *et quoniam* Vat. *quo modo* et paulo superius *Quia Symbolum Athanasii* pro *Sed Symbolum Athanasii*. Paulo inferius pro *multimodarum* codd. A K U Z *multarum*. In hac solut. nec non in seq. nonnulli codd. et edd. 1, 2 pro *confutationem* interdum exhibent *confusionem*.

[7] Scilicet in Concilio Constantinopolitano I. (an. 381) contra Eunomianos aliosque Pneumatomachos. Cfr. Gennad., de Ecclesiast. Dogmat. c. 4: Nihil creatum aut serviens in Trinitate credendum, ut vult Dionysius, fons Arii... nihil extraneum, et officiale alteri, ut [vult] Macedonius. Cfr. Leo I, Serm. 75. (alias 73.), 1. de Pentecoste, c. 4.

dixerunt, Spiritum sanctum esse servum Patris et Filii, non tantum dicitur: *Credo in Spiritum sanctum*, sed additur: *Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit;* et Latini addiderunt: *Filioque*, propter errorem Graecorum [1]. — *Qui cum Patre et Filio simul adoratur* etc., et additur: *Qui locutus est per Prophetas*, ad destructionem erroris quorundam [2], qui dixerunt, quod Prophetae locuti sint sicut fanatici.

Et sic patet, quod ista Symbola non superfluunt; nec tamen Symbolum Apostolorum fuit diminutum, quia, quamvis in illo fides sufficienter contineatur quantum ad propriam et simplicem fidei confessionem, opportunum tamen fuit, aliquid addi ad explanationem propter confutandam haereticam pravitatem.

Ad quaestion. incidentes.

Ad illud quod quaeritur ultimo de diversitate istorum Symbolorum quantum ad continentiam et frequentationem, iam patet responsio pro magna parte ex his quae dicta sunt. Nam Symbolum Apostolorum pauciora continet quam aliud, quia est ad praecisam articulorum expressionem; alia vero duo Symbola sunt ad haereticorum confutationem. Unde etsi in aliis addatur quantum ad *expressionem* quorundam articulorum, non tamen *articuli* exprimuntur magis plene; immo etiam in Symbolo Nicaeni Concilii omittitur articulus de *descensu ad inferos*, sive quia circa hoc pauci vel nulli erraverunt, sive quod ex ipsa confessione descensus Christi ad inferos posset oriri error; ideo maluerunt illum subticere et implicite illum intelligere in *resurrectione* [3].

De continentia Symbolorum.

Corollarium.

Et inde est, quod Symbolum Apostolorum dicitur esse *maius*, non quantum ad continentiam verborum, sed quantum ad continentiam articulorum et quantum ad auctoritatem componentium. Maioris enim auctoritatis est illud Symbolum quam alia duo.

Plura de frequentatione ipsorum.

Hinc est etiam, quod quia Symbolum Apostolorum continet ipsum fidei fundamentum, *quotidie recitatur* in Ecclesia et frequentatur; alia vero duo, quae sunt ad haeresum confutationem, non recitantur nisi in diebus solemnibus, quando ad ecclesias convenit populus. — Hinc est etiam, quod Symbolum Apostolorum *dicitur submisse*, quia est ad propriae conscientiae securitatem; alia vero dicuntur *alte*, quia sunt ad compescendam haereticorum garrulitatem. — Hinc est etiam, quod Symbolum Apostolorum dicitur *bis in die*, mane videlicet et sero, quia fides est bonarum operationum principium et scutum ad victoriam tentationum; et operationes bonae potissime fiunt in die, et tentationes insurgunt de nocte [4]. Alia vero duo Symbola dicuntur *de die solum*, et praemittitur Symbolum Athanasii et dicitur *hora prima;* Symbolum sanctorum Patrum dicitur *in Missa*, pro eo quod plures ibi haereses eliduntur et maioris fuit auctoritatis. Compositum enim fuit a trecentis decem et octo Patribus, qui praefigurati sunt per trecentos decem et octo vernaculos Abrahae, quos numeravit, quando prostravit quinque reges, qui Loth cum substantia eius captivaverant [5]. Ideo autem magis dicitur *in Missa* quam in alia hora, quia tunc populus magis convenit; et dicitur *post Evangelium*, ut ostendatur esse tractum de Evangelii veritate; dicitur etiam *ante communionem*, ut per ipsam fidem praeparentur corda fidelium, qui volunt corpus Domini suscipere, ut possint digne manducare sacramentaliter, vel saltem manducent [6] spiritualiter. — Et sic patet, qualiter Symbola diversificantur in *frequentia* et *continentia*, quae tamen concordant in *sufficientia*.

Figura.

SCHOLION.

I. Communiter docetur, quod « doctrina fidei quaedam habet antecedentia, quaedam consequentia, quaedam principalia sua obiecta » (hic in corp.), et quod, sicut in aliis scientiis sunt quaedam principia, ad quae alia reducuntur, articuli fidei exhibent ea dogmata, « ad quae reducantur omnia credenda tanquam ad illa, in quibus stet resolutio omnium credendo-

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 11. q. 1.

[2] B. Albert., hic d. 24. a. 6. ait: Montanus autem, haereticus quidam [auctor Cataphrygum], et Porphyrius postea discipulis suis dixerunt, Prophetas fanatico spiritu locutos fuisse etc. Cfr. Tertull., de Praescript. c. 52, et de Velandis Virgin. c. 1; Basil., II. contra Eunom. n. 34; August., de Haeres. n. 26; X. de Civ. Dei, c. 32, nec non lib. contra Adversar. Legis et Prophet., quem librum S. Doctor, ut ipse profitetur (II. Retract. c. 58.), scripsit contra quendam haereticum (sive Marcionistam) asserentem, quod « nec Deus Legis, quae data est per Moysen, et Prophetarum ad eandem Legem pertinentium verus sit Deus, sed pessimus daemon ».

[3] Ratio, quare in Symbolo Nicaeno Christi descensus ad inferos explicite non memoretur, secundum Innocentium III. (qui de hac re ad Archiepiscopum quendam scripsisse perhibetur tum ab Alex. Hal., S. p. III. q. 69. m. 5. a. 2, tum a B. Alberto, hic d. 24. a. 6.) est, quia tunc temporis error non parum divulgatus erat, Christum descendisse ad inferos, sed non rediisse nec fuisse *inter mortuos liberum* (Ps. 87, 6.). Quare (secundum Innocentium) placuit Patribus quasi exsufflare illam haeresim per hoc, quod de hoc tacerent et includerent in resurrectione. Si enim resurrexit, oportebat animam redire ab inferis, sicut corpus a sepultura. — Paulo superius pro *circa hoc* edd. *circa hunc*, et pro *posset oriri*, quod habent codd. A K Z, alii et codd. et edd. *possit oriri*.

[4] Quoad morem ecclesiasticum recitandi *submisse* Symbolum Apostol. Alex. Hal., S. p. III. q. 69. m. 2. dicit, per hoc repraesentari statum primitivae Ecclesiae, « quando Apostoli et fideles non audebant fidem Christi confiteri in manifesto usquequaque ». Aliam deinde consuetudinem recitandi Symbolum Apostol. in Prima et in Completorio deductam esse vult ex admonitione illa Augustini, de Symbolo ad catechum. c. 1. n. 1: Accipite, filii, regulam fidei, quod Symbolum dicitur. Et cum acceperitis, in corde scribite et quotidie dicite apud vos; antequam dormiatis [supple in Completorio], antequam procedatis [supple in hora prima], vestro Symbolo vos munite.

[5] Gen. 14, 14. seqq. — Leo I, Epist. 162. (alias 78. vel 132.) c. 1: Hoc etiam apud Nicaenam *mysticus* ille Patrum numerus definivit.

[6] Edd. *manducare*.

rum » etc. (supra d. 24. a. 3. q. 1.); vel, ut dicit S. Thom. (S. II. II. q. 1. a. 6. ad 1.), articuli sunt ea « credibilia, de quibus est fides *secundum se* », dum ex altera parte « aliqua sunt credibilia, de quibus non est fides *secundum se*, sed solum in ordine ad alia ».

II. Plura hic dicuntur de Symbolis, de nominis etymologia, de ratione, qua compilatum est Symbolum apostolicum, et de eius sufficientia. A parte *auctorum* Symboli distinguuntur duodecim articuli, a parte vero *articulorum constituentium* sunt quatuordecim; scilicet septem circa Divinitatem, septem circa humanitatem Christi; quod confirmat S. Thom. (loc. cit. a. 8.). Tamen idem addit: « Quidam tamen distinguunt duodecim articulos fidei, sex pertinentes ad Divinitatem et sex pertinentes ad humanitatem. Tres enim articulos trium personarum comprehendunt sub uno... Articulum vero de opere glorificationis distinguunt in duos, scilicet resurrectionem carnis et gloriam animae. Similiter articulum conceptionis et nativitatis coniungunt in unum ». — In Breviloq. p. V. c. 7. eadem doctrina repetitur.

III. De Symbolo apostolico tanquam regula fidei iam locuti sunt S. Irenaeus, I. contra Haeres. c. 10. n. 1; Tertullianus, advers. Praxeam c. 2, de Praescriptionibus c. 13, et passim posteriores Patres. Quod singuli Apostoli auctores singulorum articulorum fuerint, dicit S. Leo, Epist. 31. (alias 27.) ad Pulcheriam c. 4, a quo hoc Symbolum vocatur « brevis et perfecta confessio, quae duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis ». Modus autem distincte et nominatim Apostolis singulos articulos attribuendi, quem cum S. Bonav. communiter Scholastici tenent, invenitur in duobus sermonibus antiquitus Augustino attributis (nunc in Append. serm. 240. et 241.), et apud Venantium Fortunatum, Rufinum Aquileiensem, Alcuinum aliosque. Cfr. Baronius, I. Annal. ecclesiast. ad an. 44. n. 17, et Alardi Gazaei Comment. in Ioan. Cassiani libr. VI. de Incarnat. Christi c. 3. — In solut. ad 5. et ad quaestiones incidentes sermo est de aliis Symbolis, de quibus et de diversis apostolici Symboli formulis cfr. Denzinger, Enchyridion Symbolorum et definitionum pag. 1. seqq. Doctissimum librum de Symbolo scripsit Ven. P. Angelus del Pas O. Min.: *Expositiones in Symbolum Apostolorum*, Romae 1614, duo vol. in fol.

IV. Alex. Hal., S. p. III. q. 69. m. 2. — Scot., hic q. 1. n. 4. 5. — S. Thom., hic q. 1. a. 2; S. loc. cit. — B. Albert., III. Sent. d. 24. a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2, a. 2. q. 1. 2. — Durand., hic q. 2. — Biel, hic q. unica.

QUAESTIO II.

Utrum eis qui praecesserunt adventum Christi, suffecerit ad salutem credere ea tantum, quae spectant ad Divinitatem.

Secundo quaeritur de fidei sufficientia quantum ad eos qui praecesserunt adventum Christi, et quaeritur, utrum eis suffecerit ad salutem credere ea tantum, quae spectant ad Divinitatem. Et quod sic, videtur.

Ad oppositam.

1. Ad Hebraeos undecimo[1]: *Oportet accedentem credere, quia est, et quia remunerator est:* si ergo Apostolus determinat sufficienter illud quod erat fidei opportunum, videtur, quod illud sufficiebat eis credere. Sed totum illud credi poterat nihil credendo de humanitate Christi: ergo videtur, quod tunc temporis ad salutem sufficiebat sola fides Divinitatis.

2. Item, fides, quae sufficienter dirigit ad sperandum et amandum, sufficit ad salutem[2]; sed fides, qua quis credit Deum creatorem et remuneratorem suum, sufficienter dirigit ipsum ad sperandum et amandum: ergo videtur, quod omni fide humanitatis exclusa, fides solius Divinitatis ad salutem sufficiebat.

3. Item, multi salvati sunt sine fide passionis Christi — paucissimi enim praecesserunt in veteri Testamento, qui crederent[3], Filium Dei esse crucifigendum pro salute generis humani — si ergo salvari potuerunt sine fide passionis, eadem ratione sine fide incarnationis: ergo et sine fide Mediatoris.

4. Item, nullus homo tenetur nosse quod ignorant Angeli; sed ante Christi adventum ignorabant Angeli Christi incarnationem: ergo homines non tenebantur illam credere. *Maior* propositio in se manifesta est; *minor* probatur per illud quod dicitur Isaiae sexagesimo tertio[4]: *Quis est iste qui venit de Edom?* ibi Glossa: « Aperte declaratur, quod quidam Angeli, donec impleretur, mysterium incarnationis non cognoverunt ». Et ad Ephesios tertio dicitur: *Ut innotescat Principatibus et Potestatibus in caelestibus;* et ex aliis pluribus locis potest haberi. Unde Chrysostomus in Homilia prima super Ioannem: « Multum honorati sumus, quod nobiscum Angeli per vocem Ioannis didicerunt »; et idem habetur in Glossa super illud ad Ephesios tertio: *Quae sit dispensatio mysterii absconditi a saeculis in Deo.*

5. Item, qui implet in Lege evangelica quod est de dictamine eius, pervenit ad salutem, et similiter de Lege Mosaica: ergo pari ratione qui implebat, quae erant de dictamine Legis naturae, ad salutem perveniebat, secundum quod innuit Apostolus ad Romanos secundo[5]: ergo tempore Legis naturae non oportebat credere ad salutem, nisi quod erat de dictamine naturae. Sed Deum incarnari et Mediatorem futurum esse non erat de dictamine Le-

[1] Vers. 6: Credere enim oportet accedentem *ad Deum*, quia est et *inquirentibus se* remunerator sit. — In fine arg. pro *temporis ad salutem* codd. A K *ipsis*.

[2] Cfr. supra lit. Magistri, d. XXIII. c. 3. seq., et Comment. a. 1. q. 1. ac dub. 3. — Post *amandum* edd. suppleni *Deum*.

[3] Edd. *crediderunt*.

[4] Vers. 1. — De Glossa, quae est *ordinaria* et sumta ex Hieronymo, vide supra pag. 57, nota 7. — Seq. Scripturae locus est Eph. 3, 10. — Verba Chrysostomi habentur in homil. allegata (codd. et edd. *homilia 3.*) n. 2. — Glossa, quae deinde affertur super Eph. 3, 9, apud Petr. Lombard. sic sonat: Et videte, quantum hoc est, quia per hoc aliquid accrevit Angelis, qui multa secreta in his didicerunt. Strabus hanc Glossam exhibet ad vers. 10. — Pro *mysterii* Vat. et nonnulli codd. *ministerii*, Vulgata *sacramenti*.

[5] Vers. 14. seq. — In initio arg. edd. pro *in Lege* posuerunt *de Lege*, et infra *nisi quod erat de dictamine Legis naturae* pro *nisi quod erat de dictamine naturae*. Deinde circa finem arg. edd. post *quod oportebat* inseruerunt *hoc*.

gis naturae: ergo non videtur, quod oportebat illo tempore credere.

6. Item, nullus tenetur operari illud, ad quod non potest se erigere virtus sua operativa: ergo nullus tenebatur credere illud cuius notitiam non poterat acquirere nec per *inventionem* nec per *doctrinam* [1]. Si ergo tempore legis naturae cognitionem de Mediatore non poterant per se invenire, nec erat qui exterius doceret, nec adhuc erant revelationes propheticae; videtur, quod tunc temporis nihil tenebantur credere de Mediatore: ergo sine fide Mediatoris pervenire poterant ad salutem.

Fundamenta. CONTRA hoc sunt *auctoritates* multae, quas Magister adducit in littera [2], et hoc ipsum ostenditur *ratione.*

1. Christus est caput totius Ecclesiae, ergo nullus potest salvari, nisi fiat membrum Christi; sed membrum Christi non potest fieri, nisi credat in Christum: ergo sine fide Mediatoris nullus unquam salvari potuit.

2. Item, nullus potuit ingredi in caelum, nisi aperta ianua; sed ianua non potuit aperiri nisi per passionem Christi: ergo nullus potuit salvari nisi merito passionis Christi. Sed meritum passionis Christi non valet nisi eis, in quibus habitat Christus: si ergo Christus habitat per fidem et caritatem, quae habetur ad ipsum [3]; impossibile fuit, aliquem salvari sine fide Mediatoris.

3. Item, nullus potest salvari sine remissione peccati originalis; sed originale peccatum non potest remitti nisi per fidem, vel per aliquod fidei Sacramentum, quod sit ipsius Mediatoris signum [4]: ergo nullus potuit pervenire ad salutem ante adventum Christi, qui non crederet Mediatorem.

4. Item, nullus potest pervenire ad salutem, nisi qui sperat; nullus recte sperat, nisi qui credit, ad salutem se perventurum per merita, quia spes procedit « ex gratia et meritis [5] »: si ergo illi qui praecesserunt Christi adventum, salvabantur, credebant, se per merita salvari: aut ergo credebant, merita *propria* sibi sufficere, aut meritis *alienis* indigere. Si credebant, *propria* sibi sufficere: ergo efferebantur et decipiebantur, ergo non salvabantur; si credebant, se *alienis* meritis indigere: ergo habebant fidem de Mediatore: ergo nullus salvari potuit post lapsum absque fide Redemptoris.

CONCLUSIO.

Nullus post lapsum salvari potuit absque Mediatoris fide saltem implicita.

Conclusio. RESPONDEO: Dicendum, quod, sicut multis auctoritatibus probat Magister in littera [6], post lapsum Adae nullus salvari potuit absque fide Mediatoris. Nullus enim ab illo peccato poterat liberari, nisi in illum Mediatorem crederet, vel *ipse* pro se, si esset adultus, vel *alius* pro ipso, si esset parvulus.

Ratio. Et ratio huius est: quia, cum *gratia et veritas per Iesum Christum facta* sit [7], et liberatio ab illo peccato sit per merita Christi, et merita Christi non se extendant nisi ad illos qui efficiuntur eius membra et ei copulantur per fidem; sicut impossibile est, nunc aliquem salvari, nisi eidem copuletur vel per fidem, vel per fidei Sacramentum: sic et impossibile fuit, post lapsum aliquem pervenire ad salutem, qui *aliquo modo* in Christum mediatorem non crederet. Ideo autem dico *aliquo modo*, quia fides Mediatoris potest haberi dupliciter, videlicet *implicite*, vel *explicite*: *explicite*, ut si quis crederet, Filium Dei assumturum nostram humanitatem, nasciturum de Virgine, passurum in Cruce, resurrecturum tertia die etc. Et hoc modo *explicite credere* non erat omnibus opportunum, sed his solum, quibus a Deo erat revelatum, sicut sanctissimis Patribus [8]. — *Implicite* vero *credere* est *exspectare redemptorem futurum*, qualiter autem et quomodo hoc debeat esse, *credere* secundum quod illi credebant, quibus a Domino est revelatum; et hoc quidem erat omnibus opportunum.

Distinctio.

Confirmatur per Hugonem. Et hoc est quod dicit magister Hugo de sancto Victore in libro de Sacramentis [9]: « Haec sunt, inquit, quibus ab initio nihil minus recta fides unquam habere potuit, credere videlicet, unum esse Deum, creatorem omnium et rectorem universorum;

---

[1] Vide supra pag. 529, nota 10. — *Maior* innititur regulae 6. iuris (libr. V. Sexti Decret. in fine): Nemo potest ad impossibile obligari.

[2] Hic c. 1. Cfr. etiam supra pag. 236, nota 10. — De arg. seq., in cuius *minori* edd. post *non potest* subdunt *quis*, vide supra d. 13. a. 2. q. 3.

[3] Vide supra lit. Magistri, d. XXIII. c. 3. De praecedentibus cfr. supra d. 18. a. 2. p. 3; d. 19. a. 1. q. 1. seqq. nec non ibid. dub. 2.

[4] Cfr. supra d. 20. q. 4.

[5] Ut Magister ait infra d. XXVI. c. 1. Cfr. ibid. dub. 2.

[6] Hic c. 1. — Utrum fides parentum sufficiat ad delendum originale peccatum in parvulis, an non; haec quaestio fusius tractatur IV. Sent. d. 1. p. II. a. 1. q. 1. seq. — Inferius Vat. bis voci *peccato* adiungit *originali.*

[7] Ioan. 1, 17. — Paulo inferius pro *nunc aliquem* plurimi codd. et edd. 1, 2 *nunc aliter* (cod. K a secunda manu *nunc aliquem*). Deinde post *sic et impossibile fuit* edd. inserunt *tunc.*

[8] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2, ubi etiam seq. propos. explicatur, quam Vat., a codd. recedens, sic immutavit: *Implicite vero credere, est credere Redemptorem venturum taliter et eo modo, qualiter et quo modo illi credebant* etc. Etiam edd. 1, 2 hanc propos. aliquantulum mutarunt. Etenim post *Redemptorem futurum* posito puncto, sic prosequuntur: *Quaeritur autem, qualiter et quomodo debeat esse hoc credere; dico, quod hoc credere esse debet, secundum quod illi credebant* etc. Post *hoc debeat* [codd. AK *debebat*] *esse* cod. C interiicit *sufficiebat*, cod. bb *est.* Subinde pro *secundum quod* codd. AQ (N a secunda manu) *scilicet quod*, et post pauca pro *est revelatum* cod. AK *erat revelatum.* In lectione codd. *exspectare* etc. et *credere secundum* etc. sunt membra coordinata.

[9] Libr. I. p. X. c. 7. In textu origin. post *suffecisse credimus* plura inveniuntur, quae hic desunt; simulque ibi pro *ascensionis suae* habetur *ascensionis eius*, et locus sic terminatur: et scientibus *haec* fide et devotione *sub spe et exspectatione eiusdem redemptionis* adhaeserunt.

ipsum quidem non esse mali auctorem, eorum tamen, qui in malis suis misericordiam eius quaererent et exspectarent futurum redemptorem. Hoc simplicium fidei in initio suffecisse credimus; et tamen fidem nativitatis eius, passionis et resurrectionis et ascensionis suae in hoc eos verissime habuisse dicimus, quia credentibus et scientibus hoc fide et devotione adhaeserunt ». — Sic igitur concedendum est, quod nullus post lapsum salvari potuit absque fide Mediatoris; qua quia philosophi caruerunt, suis meritis et virtutibus inhaerentes, ideo tanquam superbi et a Christi membris et meritis separati, exclusi sunt a gaudiis paradisi [1]. — Concedendae sunt igitur rationes ad istam partem adductae.

Epilogus.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur de auctoritate Apostoli, dicendum, quod Apostolus praecise non intendit determinare totum, quod est ad salutem necessarium, sed illud, sine quo non potest esse salus. Dicit enim, quod hoc est *opportunum*, sed non dicit, quod hoc sit *sufficiens*. Tangit autem illa duo potissime, quia necessaria erant omni statui naturae, non solum statui naturae lapsae, sed etiam statui innocentiae [2].

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod fides Creatoris et Remuneratoris sufficienter dirigit ad sperandum et amandum; dicendum, quod falsum est secundum statum naturae *lapsae*, quia, cum spes procedat ex meritis, sicut in opponendo [3] tactum est, si quis speraret salvari ex meritis propriis, sine meritis Mediatoris, non recte speraret, sed potius praesumeret. Ideo spes non sufficienter dirigitur per fidem Creatoris et Remuneratoris; similiter nec caritas, quia non tantum debemus amare, quia Creator et Remunerator, sed magis quia Redemptor.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod multi salvati sunt sine fide passionis; dicendum, quod si loquamur de fide *explicita*, verum est; si de fide *implicita*, non est verum. Omnes enim salvandi exspectaverunt Redemptorem futurum, et etiam in suis sacrificiis et oblationibus hoc praefigurabant, in quibus omnibus significatur Christus offerendus. Unde quodam modo profitebantur *facto* occulte, quamvis *verbo* non proferrent manifeste [4]. Similiter non oportebat incarnationem *explicite* credere, sed sufficiebat credere, quod aliquis veniret, qui genus humanum redimere posset, sciret et vellet.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod homines non tenentur nosse quod ignorant Angeli; dicendum, quod etsi Angeli mysterium incarnationis non cognoverunt ad plenum, tamen nullus fuit Beatorum [5], qui nesciret, genus humanum esse redimendum; et ideo ex hoc non concluditur, quod non oportuit fidem habere de Mediatore, sed quia non oportuit credere explicite, sed sufficiebat credere implicite.

5. Ad illud quod obiicitur, quod omni tempore suffecit implere quod fuit de dictamine Legis illius, quae erat in illo statu; dicendum, quod hoc est verum, secundum quod hoc intelligitur de Lege *naturae* vel de Lege *Scripturae*, secundum quod est adiuta a dono gratiae. Sine enim dono gratiae in nulla Lege contingit ad salutem pervenire [6]. Quamvis autem Lex naturae, destituta auxilio gratiae, non possit aliquid dictare de ipso Mediatore; prout tamen est adiuta per gratiam, dum sentiebat infirmitatem suam et miseriam et advertebat Dei iustitiam et misericordiam, satis dictare poterat, quod homo reparatore indigebat, et quod divina bonitas dare disponebat. Unde semper fuerunt aliqui famosi Dei cultores ab initio mundi, qui haec profiterentur suis oblationibus, ad quorum aspectum et exemplum alii poterant erudiri.

Notandum.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod non poterant illud scire per inventionem et doctrinam; iam patet responsio: quia divina gratia omnibus praesto erat, et natura ad hoc manuducere poterat ex consideratione suae miseriae et curvitatis et ex eruditione quadam generali, quam accipere poterant a viris, qui erant in cultu Dei famosi. Unde cum non esset tunc prophetia nec revelatio aperta; non tenebantur omnino ad fidem explicitam. Indubitanter tamen verum est, quod eis praesto erat notitia Mediatoris, quanta opportuna erat secundum exigentiam temporis, tum ex dictamine naturae tum ex aliena instructione tum etiam ex Dei inspiratione, qui se offert omnibus qui eum requirunt humiliter [7].

Notandum.

---

[1] August., Epist. 164. (alias 99.) c. 2. n. 4: Quae quidem omnia [parcimonia, continentia etc.], quando non referuntur ad finem rectae veraeque pietatis, sed ad fastum inanem humanae laudis et gloriae, etiam ipsa inanescunt quodam modo sterilisque redduntur; veruntamen quadam indole animi ita delectant, ut eos, in quibus haec fuerunt, vellemus vel praecipue vel cum ceteris ab inferni cruciatibus liberari, nisi aliter se haberet sensus humanus, aliter iustitia Creatoris.

[2] Alex. Hal., S. p. III. q. 69. m. 3. a. 1. ad eandem obiectionem respondet sic: Dicendum, quod Apostolus ista duo ponit sicut principia ad omnes articulos, scil. oportet credere, *quia est* et *quia remunerator est*; omnes enim articuli reducuntur ad fidem, qua creditur *α et ω, principium et finis* (Apoc. 1, 8.). Et haec duo sunt, quae propinquiora sunt nobis quantum ad cognitionem, et per quorum cognitionem manuducimur et elevamur ad cognitionem aeternorum, sicut patet conferenti singulos. Hinc ergo est, quod Apostolus ponit hos principaliter *quia est*, id est principium conditionis, et *quia est remunerator*, hoc est finis beatitudinis.

[3] In fundamento 4. Cfr. supra d. 24. a. 1. q. 1. ad 4. — Paulo inferius pro *et Remuneratoris* edd. 1, 2 cum multis codd. perperam *et Mediatoris*.

[4] Cfr. IV. Sent. d. 1. p. II. a. 1. q. 3. — Aliquanto superius pro *si de fide* codd. A F H I K L T V aa bb *sed de fide*, et deinde pro *significatur* codd. A N U *significabatur*, edd. *figuratur*.

[5] Codd. H I L Z *bonorum*.

[6] Cfr. II. Sent. d. 29. a. 1. q. 1. seq. — Mox pro *possit* codd. A K U *posset*. — Aliquanto inferius pro *famosi* cod. Z *famosissimi*.

[7] Psalm. 144, 18: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum etc.

SCHOLION.

I. In hac et seq. quaestione nec non in toto 2. articulo multa dicuntur de *explicatione fidei;* quae ut facilius intelligantur, opportunum videtur commemorare quasdam communiter receptas distinctiones. Sicut « *occultum* aliquid dicitur dupliciter: vel a parte *cognoscentis,* vel a parte *rei cognitae* » (infra a. 2. q. 2. ad 2.); ita etiam *explicatio* fidei considerari potest vel ex parte *credentis,* vel ex parte *obiecti crediti* sive articulorum. De explicatione fidei sumta in sensu secundo quaeritur infra a. 2. q. 1, utrum scilicet fides creverit quoad credendorum multitudinem; de eadem in primo sensu agitur infra a. 2. q. 2. 3. et etiam, licet alia ratione, in hac et seq. quaestione. Porro duplici modo aliquis potest fidem habere *implicite:* vel ita, ut implicetur cognitio alicuius articuli in *alio articulo* explicite cognito, quemadmodum in principiis universalibus scientiae implicantur conclusiones; vel ita, ut habeat scientiam implicatam in cognitione *alterius scientis,* ut discipulus respectu magistri, a quo per *doctrinam* potest scientiam accipere. Et bene observat S. Thom. (hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 4. ad 1.), quod in hoc « non est simile de scientia et fide, quia non sunt nobis innata aliqua *principia naturalia,* ad quae possint reduci articuli fidei, sed tota determinatio fidei est in nobis *per doctrinam;* et ideo oportet in *cognitione hominis* habere fidem implicitam ». Hoc principio respectu fidei simplicium utitur S. Bonav., hic in corp., et q. 3. praesertim ad 6.

II. In hac 2. quaestione S. Bonav. distinguit statum ante lapsum a statu naturae lapsae; et cum antiqui doctores communius principalem incarnationis rationem a peccato Adami sumerent, multi etiam docebant, quod ante peccatum « sine Mediatore esset devenire in finem, scilicet Deum; ideo sufficiebat regula dirigens in *finem,* non in Mediatorem. Ad dirigendum vero in finem duo erant necessaria: scire, quod essemus *ab ipso,* et quod *ad ipsum;* ideo sufficiebat de Creatore omnium bonorum cum articulo de Remuneratore omnium bonorum. Sed post peccatum non est devenire in finem nisi per Mediatorem; ideo requirebatur regula dirigens in ipsum: oportuit ergo ex tunc, unum esse de Mediatore vel Redemptore articulum » (Pet. a Tar., hic q. 3. a. 1.). — Idem docet S. Thom., in Comment. (hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 2.). Sed in Sum. (II. II. q. 2. a. 7. 8.) ipse cum Scoto tenet, Adam ante peccatum habuisse fidem explicitam incarnationis, quatenus ordinabatur ad consummationem gloriae, non ad liberationem a peccato. — Observatione dignae sunt graves rationes, a nostro Doctore hic contra Naturalismum et Rationalismum allatae.

Praeter laudatos: Alex. Hal., de hac et seq. q. S. p. III. q. 69. m. 3. a. 1. 2. — Scot. hic q. 1. — B. Albert., hic a. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. 2. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. unica. — Biel, de hac et seq. q. hic q. unica.

III. Respectu seq. (3.) quaestionis notandum, quod recentiores theologi communiter distinguunt credenda necessitate *medii* et necessitate *praecepti;* sed inter se controvertunt, utrum etiam necessitate *medii* post promulgatum Evangelium requiratur fides *explicita* mysterii Trinitatis et incarnationis. De sententia *affirmativa* dicit S. Alphonsus (Theolog. Moral. libr. II. n. 2.): « Est communior et videtur probabilior »; sed satis probabilem censet etiam *negativam* sententiam multorum et insignium theologorum, qui docent, fidem de hoc non nisi *implicitam* necessitate *medii* requiri. Ss. Bonav. et Thom. cum aliis antiquis sustinent quidem necessitatem *explicite* credendi saltem quatuor principales articulos de redemptione, quos Magister (hic c. 3. et cfr. hic dub. 2.) commemorat; sed non loquuntur praecise de necessitate *medii;* insuper potius respiciunt simplices Christianos, non eos quibus Evangelium non est praedicatum; respectu quorum verba eorum interpretari licet de fide implicita, ut insinuare videtur S. Thom., S., II. II. q. 2. a. 7. ad 3.

De hac (3.) quaestione praeter supra laudatos cfr. S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 3. 4; S. III. q. 69. a. 4. ad 2. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1. 2.

QUAESTIO III.

Utrum omnes teneantur credere omnes articulos explicite post adventum Christi.

Tertio quaeritur de sufficientia fidei quantum ad eos qui adventum Christi sunt subsecuti, et est quaestio, utrum omnes teneantur credere omnes articulos explicite post adventum Christi. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Deuteronomii vigesimo septimo [1] praecipitur, quod Lex lucide et aperte scribatur super lapides; et ibi dicit Glossa, quod « laici et simplices sunt lapides »: ergo si Scriptura illa est per cognitionem, videtur, quod laici tenerentur Legem cognoscere lucide et aperte: ergo multo fortius videtur, quod in Novo tenentur cognoscere doctrinam fidei catholicae.

2. Item, Levitici decimo quarto [2] dicitur de leproso, ut offerat sextarium pro emundatione; ibi Glossa: « Sextarius est verissima fidei confessio, ubi si plus est, effunditur, si minus est, deficit »: ergo videtur ad hoc, quod aliquis possit a peccatis purificari, quod necesse est habere plenam mensuram fidei: ergo videtur, quod omnibus sit necessarium nosse omnes articulos explicite et distincte.

---

[1] Vers. 8: Et scribes super lapides omnia verba Legis huius plane et lucide. — Verba Glossae, quae *ordinaria* est et sumta ex Isidori exposit. in Iosue, c. 9, secundum Rabanum sic sonant: « Omnes ergo, qui in Christum Iesum credunt, *lapides* dicuntur *vivi.* De quibus ait Apostolus (I. Petr. 2, 5.): Vos estis lapides vivi aedificati, domus spiritualis ». Fere eadem verba habentur apud Lyranum in Glossa *interlineari* super Iosue 8, 31. seq. (ubi ad locum illum e Deuteronomio allegatum spectatur). — Paulo inferius pro *tenerentur* codd. Z bb *teneantur,* edd. *tenentur.* Mox post *in Novo* edd. cum paucis codd. supplent *Testamento.*

[2] Vers. 10. — Glossa, quae ex Hesychio, in hunc loc., sumta est, apud Strabum, qui eam ut *ordinariam* exhibet, sic sonat: *Olei sextarium:* quia fide intelligitur et agitur unumquodque praedictorum. *Sextarius* namque mensura est [Isidor., XVI. Etymol. c. 26. n. 6: *Sextarius* duarum librarum est] nec plus nec minus capietis; quod enim plus est, effunditur; si minus est, non est *sextarius.* Sic fides ad mentis nostrae mensuram datur nec capit plus aut minus, quam a Deo distribuitur; quod enim plus est, aut minus, extra fidem est. — Pro *effunditur* edd. *effundit.*

3. Item, sicut se habet obedientia respectu praeceptorum, ita fides respectu articulorum; sed non est vera obedientia, nisi obediat omnibus praeceptis: ergo nec vera fides, nisi distincte et explicite assentiat omnibus articulis. *Minor* probatur per illud quod dicitur ad Galatas quinto [1]: *Testificor omni homini circumcidenti se, quod sit debitor omnis Legis faciendae;* et Iacobi secundo: *Si totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

4. Item, sicut se habet caritas ad diligibilia, sic se habet fides ad credibilia; sed caritas, quantumcumque sit parva et in quocumque sit, facit amare omne quod est amabile — necessarium est enim cuilibet ad salutem, quod diligat Deum, proximum et se ipsum [2] — ergo pari ratione necessarium est fidei quantumcumque parvae, omnes articulos credere distincte.

5. Item, non vitatur malum nisi cognitum; sed quilibet quantumcumque simplex tenetur vitare errorem contra quemlibet articulum: ergo tenetur scire et credere quemlibet articulum. Quod autem teneatur quilibet vitare errorem contra quemlibet articulum, manifestum est, quoniam, si ignorantia non excusat in *agendis*, pari ratione videtur, quod nec excusare debeat in *credendis* [3]. Esto etiam, quod aliqua simplex et vetula audiat sacerdotem praedicantem errorem et contra aliquem articulum fidei et credat ei; constat, quod ista non excusatur, quia, si ad praedicationem sui sacerdotis committeret adulterium, vel homicidium, nequaquam excusaretur; sed constat, quod illum errorem, quem praedicat sacerdos, vitare non potest, nisi cognoscat, oppositum illius erroris esse verum: redit igitur illud quod prius inferebatur, scilicet quod omnes articulos fidei distincte credere cuilibet sit necessarium.

6. Item, omnes articuli aequaliter arctant ad *assentiendum*, omnes etiam indifferenter se habent ad hoc, ut *per auditum* manifestentur [4]: si ergo aequaliter obligant quantum ad *assensum* et aequaliter obligant quantum ad *auditum*, videtur, quod eodem modo omnes articuli se habeant ad fidem credentis: ergo vel *omnes* tenetur credere, vel *nullum*. Sed non *nullum* credere tenetur, quia tenetur credere *aliquem:* ergo tenetur credere *omnes* et singulos.

CONTRA: 1. Super illud Ioannis sexto [5]: *Colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant;* ibi Glossa dicit: « *Fragmenta* sunt secreta mysteria, quae populus communis capere non potest »: ergo si ista secreta mysteria sunt maxime ea quae spectant ad articulos fidei christianae, videtur, quod populus non teneatur ad ea cognoscenda. Fundamenta.

2. Item, ad hoc quod aliquid sciatur scientia demonstrativa, sufficit, quod sciatur in *universali*, et non oportet, quod sciatur in *particulari* [6]: si ergo cognitio fidei contenta est minori certitudine, quam sit certitudo scientiae demonstrativae; videtur, quod non teneatur quis per fidem credere omnes articulos explicite.

3. Item, pauci sunt, nisi sint bene periti in theologia, qui sciant articulos Symbolorum bene distinguere et numerare: si ergo omnes tenerentur omnes [7] articulos fidei scire distincte et explicite, pauci salvarentur; quod est valde crudele dicere.

4. Item, si omnes tenerentur nunc scire omnes articulos fidei explicite, cum in veteri Testamento non tenerentur, sicut supra [8] probatum est; videtur, quod multo gravior sit Lex evangelica quam Mosaica: si ergo inconveniens est hoc dicere, restat, quod non tenentur omnes ad credendum singulos articulos explicite et distincte.

CONCLUSIO.

Omnes Christiani tenentur credere omnes articulos, et quidem quosdam explicite, quosdam saltem implicite, quod sufficere potest simplicibus.

RESPONDEO: Dicendum, quod omnes Christiani post adventum Christi tenentur credere omnes articulos. Hoc autem tripliciter potest esse: aut *omnes* credere *implicite*, aut *omnes* credere *explicite*, aut *quosdam explicite, quosdam implicite.* — Credere *omnes implicite* est fidei *diminutae.* Non enim suf- Conclusio 1. Triplex modus. Conclusio 2.

[1] Vers. 3: Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae Legis faciendae. — Seq. Script. locus est Iac. 2, 10: Quicumque autem totam Legem etc.

[2] Cfr. Marc. 12, 29. seqq. — In *maiori* pro *diligibilia* edd. *diligenda.*

[3] Secundum quod Augustinus, Enchirid. c. 17. n. 5, dicit, quod « error, quanta possumus cura, cavendus sit non solum in maioribus, verum etiam in minoribus rebus ». Et in Regula 13. iuris (in fine V. Sexti Decret.) proponuntur haec: Ignorantia facti, non iuris excusat. — Mox post *simplex* edd. cum aliquot codd. omittunt *et.* Circa finem arg. pro *redit igitur illud* codd. A K *redit igitur idem.*

[4] Cfr. supra d. 24. a. 3. q. 1. et dub. 2. — Circa finem arg. auctoritate cod. K quater restituimus *tenetur* pro *tenentur*, quod in aliis codd. et edd. legitur.

[5] Vers. 12. — Glossa non quidem ad verbum, sed sententialiter apud Lyranum habetur ut *ordinaria* et ut *interlinearis;* delibata et formata esse videtur ex Bedae exposit. in Script. loc. cit. Cfr. Beda, in Matth. 14, 20. et Marc. 6, 43. — Pro *superaverunt* codd. partim cum edd. 1, 2 *superfuerunt*, partim *supersunt.*

[6] Aristot., I. Poster. c. 10. (c. 13.): Hi enim [mathematici] habent causarum demonstrationes et frequenter nesciunt ipsum *quia* [cfr. supra pag. 521, nota 8.], sicut illi universale considerantes saepe quaedam singularia nesciunt, propter id quod non intendunt. Et I. Metaph. c. 2: Opinamur, sapientem maxime omnia, ut possibile est, scire, non habentem singulariter eorum scientiam. — De *minori* cfr. supra d. 23. a. 1. q. 4. — In *maiori* pro *ad hoc quod* cod. Z *esto quod.*

[7] Codd. G H I L V Z aa omittunt *omnes;* edd. voci *omnes* praemittunt *nunc* et paulo ante pro *Symbolorum* substituunt *Symboli.*

[8] Quaest. praeced.

ficit modo alicui, qui habet usum rationis, in generali credere Redemptorem et Remuneratorem; adeo enim notitia quorundam articulorum manifesta est, quod nullus habens usum rationis illos[1] ignoret, nisi omnino negligat et contemnat Dei cultum et salutem suam.

Conclusio 3.

Credere autem *quosdam implicite, quosdam explicite*, hoc est fidei *ad salutem necessariae;* potest enim fidei simplicium sufficere. Ad illos enim tenentur *explicite* credendos, quos manifestat eis non solum praedicatio, sed etiam ecclesiasticus usus et consuetudo: sicut est de Unitate et Trinitate, quam possunt nosse ex ipso actu consignationis, consignant enim se in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; sicut est de nativitate, passione, resurrectione et peccatorum remissione, quos cognoscere possunt ex ipsis solemnitatibus, quas Ecclesia celebrat, et actibus sacerdotum. Ideo ab horum cognitione et notitia nullus ratione utens excipitur; nec ignorantia excusatur, quia non potest esse talis ignorantia sine negligentia et contemptu. — Alios etiam articulos non ita manifestos tenentur utique credere *implicite*. *Implicite* autem voco *credere*, ut *in generali* credant universaliter omne quod credit sacrosancta mater Ecclesia, ita quod *in particulari* a nullo illorum dissentiant nec aliquem articulorum discredant.

Conclusio 4.

Credere autem omnes articulos *explicite* et *distincte* est *fidei iam provectae*. Hoc enim non est de generali fidei necessitate; sed, si necessarium est alicui, illis est necessarium, qui in cognitione fidei profecerunt, et illis potissime, qui fidem aliis explicare et manifestare tenentur, vel etiam qui officium docendi et praedicandi assumunt, sicut sunt habentes curam animarum et praedicatores verbi Dei et doctores sacrae Scripturae et alii, quorum conversatio[2] versatur circa fidei veritatem. — Hoc tamen non credo esse opportunum omnibus qui salvantur. Multi enim sunt boni simplices, qui, quamvis sint parvae cognitionis, sunt tamen magnae devotionis; et tales pium est credere ad salutem pervenire. — Et

Epilogus.

propterea concedendum est, quod licet opportunum sit omnibus non solum credere omnes articulos *implicite*, sed etiam quosdam *explicite* post adventum Christi; non tamen est necessarium omnibus, maxime simplicibus, credere omnes *explicite*. — Unde concedendae sunt rationes, quae sunt ad istam partem.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in *contrarium*, quod super lapides debebat scribi Lex lucide; dicendum, quod illud mandatum non erat datum laicis, sed illis qui debebant eos Legem docere. Unde ex hoc non potest concludi, quod simplices teneantur credere omnes articulos fidei, sed quod illi qui habent curam animarum ipsorum, tenentur fidem manifestare[3] lucide et aperte.

2. Ad illud quod obiicitur, quod *sextarius* fidei consistit in plena confessione ipsius; dicendum, quod sextarius ille, qui significat confessionem fidei, impleri habet plenitudine *sufficientiae* et plenitudine[4] *copiae*. Tunc impletur plenitudine *sufficientiae*, quando quis omnes articulos credit, ita quod nullum discredit; aliquos tamen credit implicite et aliquos explicite, ita quod in credulitate sua, sive in istis quos credit implicite, sive in his quos credit explicite, nihil addit nec minuit de his quae credit sancta Ecclesia et dicit sancta Scriptura; et hunc sextarium sic impletum debent omnes offerre. Tunc autem est plenitudo *copiae*, quando quis distincte et explicite novit et credit ea quae spectant ad articulos fidei, et ea quae ad ipsos consequuntur; et haec mensura non est omnium, sed magis capacium.

Duplex plenitudo.

3. 4. Ad illud quod obiicitur tertio et quarto, quod sicut se habet obedientia respectu praeceptorum, et caritas respectu diligendorum, sic et fides respectu credendorum; responderi potest dupliciter: Solutio 1.

primo dicendo, quod *non est simile:* quia, cum *fides* consistat in cognitione[5], et *cognitio* potest scire aliquid in *universali*, ita tamen quod non sciat in *particulari*, et ita scire uno modo et ignorare alio modo; potest et ipsa *fides* aliquid credere *implicite*, quamvis non credat *explicite*. Non sic autem est de *obedientia*, quae consistit in mandatorum exsecutione; non enim potest mandatum impleri in *universali*, quin impleatur in *particulari*. Similiter ea quae *caritas* diligit, ita sunt manifesta, quod non possunt latere. — Aliter potest responderi, quod Solutio 2.

quodam modo sit simile: quia *obedientia* non tenetur omnia mandata exsequi in opere nisi pro loco et tempore, sed sufficit, quod promptum reddat[6] et voluntarium ad exsequendum omnia, cum fuerit locus et tempus. Similiter nec *caritas* specialiter diligit unumquemque, sed omnes communiter amplectitur, illum autem specialiter diligit, quem specialiter cognoscit. Ideo ex hoc non potest concludi, quod aliquis per fidem teneatur omnes articulos *explicite* credere, sed *implicite; explicite* autem, cum se offert opportunitas, utpote quando aliquis articulus illi praedicatur et explicatur ab eo cui debet credere.

---

[1] Ex Vat. retinuimus *illos*, quam voculam codd. nec non edd. 1, 2 male omittunt. Paulo inferius pro *hoc est fidei ad salutem necessariae* edd. *hoc est ad fidei salutem necessarium* et subinde *Ad illos autem* pro *Ad illos enim*. Mox pro *credendos* codd. L aa *credentes*.

[2] Cod. A *intentio*.

[3] Edd. *tenentur credere et scire fidem* [Vat. adiicit *et ipsam*] *manifestare*.

[4] Edd. 1, 2 cum nonnullis codd. pro *plenitudine* hic et proxime ante *plenitudinem*, et paulo superius pro *impleri* dictae edd. solae *in plurali*. Aliquanto inferius cod. V omittit *sic impletum*, et mox plurimi codd. omittunt *quis* post *quando*.

[5] Cfr. supra d. 23. a. 1. q. 2.

[6] Cod. Z hic subiicit *animum* et paulo superius pro *Aliter potest* [edd. addunt *etiam*] substituit *Aliter posset*.

5. Ad illud quod obiicitur, quod non vitatur malum nisi cognitum; dicendum, quod verum est. Duplex modus cognoscendi. Sed *cognitum* potest esse aliquid dupliciter: vel *in se*, vel *in alio* [1]; et secundum hunc duplicem modum potest aliquis vitare malum, vel per notitiam *propriam*, vel per notitiam *alienam*. Ille autem, qui habet fidem implicitam de aliquo articulo, quamvis errorem contra illum articulum non possit omnino vitare per notitiam *propriam* potest tamen vitare per notitiam *alienam*; innititur enim his qui credunt articulos explicite. Notandum. Unde aliquis simplex homo vel vetula, cum audit aliquid novum praedicari, non debet statim assentire, quousque noverit, illud universaliter ab Ecclesia teneri. Unde praeter remedium *divinae inspirationis* et *orationis*, ad quod semper recurrendum est, habent simplices remedium *humanae instructionis*, ad quod possunt confugere [2], ut errores valeant declinare. Semper enim Deus habuit et habebit aliquos iustos et famosos, qui veritatem fidei non solum in se, sed etiam in simplicibus conservarent, dum simplices innituntur eis et credunt.

6. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod omnes articuli se habent aequaliter ad assensum et auditum; dicendum, quod etsi indifferenter se habeant omnes articuli ad ipsam fidem quantum ad *assentiendi promptitudinem*, non tamen aequaliter se habent quantum ad *instructionem*. Distinctio notanda. Quod enim frequentius versatur ante oculos et in auribus rudium et simplicium melius ab illis capitur et retinetur; et aliqui articuli sunt huiusmodi, qui ita frequentantur, sicut est de nativitate Christi et passione et similibus, quod non possunt ignorari sine culpa negligentiae [3]. Non sic autem est de omnibus aliis, et ideo non oportet, omnes aequaliter explicite credi. Quamvis enim *habitus* fidei sit per *infusionem*, *explicatio* tamen est per *doctrinam* et instructionem, ad quam non omnes articuli se habent uniformiter [4].

ARTICULUS II.

De profectu fidei secundum diversitatem temporum.

Consequenter quaeritur de profectu fidei secundum diversitatem temporum. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum fides creverit quantum ad credendorum multitudinem.

Secundo, utrum creverit quantum ad luminis plenitudinem.

Tertio quaeritur, utrum profecerit quantum ad cognitionis [5] certitudinem.

QUAESTIO I.

Utrum fides creverit quoad credendorum multitudinem.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum fides creverit vel profecerit quantum ad credendorum multitudinem. Et quod sic, videtur.

1. Exodi sexto [6]: *Nomen meum Adonai non indicavi eis*; Fundamenta. igitur ex hoc textu patet, quod aliquid cognoverunt Patres sequentes, quod non cognoverunt praecedentes, quia revelavit Dominus Moysi, quod non revelavit Patribus: ergo videtur, quod fides nostra aliquid cognoscat nunc, quod fides Patrum non cognoscebat: crevit igitur fides quoad credibilia.

2. Item, sicut Lex evangelica se habet ad Legem Mosaicam quantum ad *moralia*, sic fides Legis novae ad fidem veteris Legis quantum ad *credibilia*; sed Evangelium super Legem veterem addit multa consilia [7]: ergo videtur, quod fides Legis novae se extendat ad plura credibilia quam fides Legis veteris.

3. Item, incarnatio Christi, passio, resurrectio et ascensio et huiusmodi proponuntur omnibus credenda, qui sunt in nova Lege; sed haec non proponebantur illis qui erant in Lege Mosaica [8]: ergo etc.

4. Item, aliquid cognovit Ecclesia post adventum Christi, quod latebat Angelos, ergo multo fortius cognoscit aliquid et credit, quod latebat homines puros: videtur ergo, quod fides creverit quantum ad ea quae per ipsam creduntur et cognoscuntur. *Prima* manifestatur per hoc quod dicitur ad Ephesios tertio [9]: *Ut innotescat Potestatibus et Principatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.*

Sed contra: 1. Tota fides christiana continetur in Lege nova, et tota Lex nova continetur in veteri, quia *rota est in rota*, secundum quod dicitur Ezechielis primo [10]: si ergo fides primorum Patrum praeAd oppositum.

[1] Vide II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. circa finem corp., ubi de diversis modis cognoscendi Deum agitur.

[2] Cod. A *refugere* et mox pro *et habebit* cum cod. K *et habet*.

[3] Cfr. supra d. 9. a. 1. q. 2. in corp. — Pro *quod non possunt* cod. A *quae non possunt*.

[4] Cfr. supra d. 24. dub. 2. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[5] Pro *cognitionis* cod. Z *assensus*, quae lectio infra in ipsa (3.) quaest. communis est.

[6] Vers. 3. Codd. G H I L T W aa *Nomen unum, Adonai* etc.

[7] Cfr. Matth. 5, 17, seqq. et 19, 21.

[8] Vide supra a. 1. q. 2.

[9] Vers. 10. Cfr. supra pag. 539, nota 4.

[10] Vers. 16: *Quasi sit rota in medio rotae*; de quibus verbis Gregorius (I. Homil. in Ezech. homil. 6. n. 12.) dicit: Quid est hoc... nisi quod in Testamenti veteris littera Testamentum novum latuit per allegoriam? Unde et rota eadem, quae iuxta animalia apparuit, *quatuor* facies habere describitur etc. — Mox pro *primorum*, quod ab edd. abest, codd. A K bb *priorum*, et subinde pro *Legis veteris* et *Legis novae* cod. Z *in Lege veteri* et *in Lege nova*.

cedentium adventum Christi claudebat in se, quidquid erat Legis veteris, claudebat et per consequens, quidquid erat Legis novae: videtur ergo, quod fides secundum tempora diversa non creverit quantum ad credibilia.

2. Item, mutato obiecto, mutatur habitus: ergo si fides secundum diversa tempora haberet aliquod obiectum novum, videlicet si aliquid crederet, quod prius non credidisset, secundum diversa tempora mutata esset; sed « fides secundum diversa tempora non est mutata », secundum quod dicit Augustinus [1], et habetur in littera: ergo videtur, quod non profecit quantum ad credibilia.

3. Item, omne quod est verum *modo* de praeterito, *aliquando* fuit verum de futuro: ergo sicut *modo* verum est, Christum esse incarnatum, natum et passum; ita verum erat in *praeterito*, Christum esse incarnandum, nasciturum et passurum; et qua ratione nunc est credibile de praeterito, eadem ratione erat tunc credibile de futuro: ergo non videtur, quod creverit fides quantum ad numerum credibilium [2].

4. Item, quamvis caritas profecerit aliquo modo secundum intensionem et fervorem, non tamen profecit quantum ad diligendorum multitudinem — tot enim fuerunt diligibilia in veteri Lege, quot et in nova [3] — ergo consimili ratione videtur et circa fidem et credibilia, quod etiam proficiente fide, credibilia propter hoc non sint multiplicata.

CONCLUSIO.

Fides processu temporis profecit, non quidem novorum articulorum additione, sed implicitorum explicatione.

Duplex modus multiplicandi articulos.

Conclusio bimembris.

Respondeo: Dicendum, quod credibilia multiplicari dupliciter potest intelligi: vel quantum ad *novorum articulorum additionem*, vel quantum ad *implicitorum explicationem* [4]. Si *primo* modo intelligatur, sic non est concedendum, fidem profecisse quantum ad credendorum multitudinem; si secundo modo, sic profecit secundum processum temporis, quia quod uno tempore credebatur implicite et quasi uno articulo, processu temporis explicatum est et quasi distinctum in multa credibilia; sicut supra [5] dicebatur, quod sufficiebat aliquo tempore credere Redemptorem futurum; nunc autem circa ipsum Redemptorem septem articuli explicantur, et multa ex illis consequentia et eis annexa manifestantur. — Et hoc est quod dicit magister Hugo de sancto Victore in libro de Sacramentis [6]: « *Ante Legem*, inquit, Deus Creator credebatur, et ab eo salus et redemptio exspectabatur; per quem autem et quo modo eadem salus implenda et perficienda foret, exceptis paucis, quibus hoc scire singulariter in munere datum erat, a ceteris fidelibus non cognoscebatur. *Sub Lege* autem persona Redemptoris praedicabatur mittenda; quae autem ipsa persona foret, hoc est homo, vel Angelus, vel Deus, nondum manifestabatur; soli enim hoc cognoverunt, qui per Spiritum illuminati fuerunt. *Sub gratia* autem manifeste iam ab omnibus praedicatur et creditur et modus redemptionis et qualitas personae Redemptoris ». — Et sic patet, quod fides profecit [7] quantum ad credibilium multitudinem, non nova addendo, sed quodam modo implicita explicando. Qualitas enim personae Redemptoris et modus redemptionis sciri non potest aperte, nisi sub quadam articulorum multitudine et distinctione. — Concedendae sunt igitur rationes ad primam partem inductae, quae ostendunt, fidem aliquo modo profecisse secundum credibilium multitudinem.

Confirmatur.

Epilogus.

Solutio oppositorum.

Notandum.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod Lex nova est in veteri, sicut rota in rota; dicendum, quod rota non habet esse in rota nisi secundum implicationem quandam, quia quod in Lege nova est explicite in veteri Lege erat implicite. Unde ex hoc non sequitur [8], quod fides in Lege nova non profecerit secundum articulorum *multitudinem, explicando* per multos quod in uno continebatur implicite; sed quod non crevit *addendo aliquid extraneum*, quod quidem in Lege veteri nec explicite nec implicite fuisset contentum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod mutato obiecto, mutatur habitus; iam patet responsio: quia ista multiplicatio [9] articulorum, secundum quam dicimus fidem profecisse, non mutat obiectum *secundum substantiam*, sed solum *secundum accidens*, quia implicitum explicat; et ideo ex hoc non potest inferri, quod fides essentialiter sit mutata.

3. Ad illud quod obiicitur, quod omnia quae credimus de praeterito, fuerunt credibilia de futuro; dicendum, quod verum est; sed licet omnia illa,

---

[1] Vide supra pag. 515, nota 2. Cfr. etiam hic lit. Magistri, c. 1, ubi asseritur, *eandem* esse fidem Patrum et nostram. — De *maiori* cfr. supra pag. 214, nota 3. et pag. 470, nota 8. in fine.

[2] Cfr. supra d. 24. a. 1. q. 3. circa finem corp. atque ad 1. et 5.

[3] Vide infra d. 28. q. 6. — Paulo superius post *fervorem* codd. A B K addunt male *diligendorum*. In fine arg. pro *non sint* complures codd. *non sunt*.

[4] Cfr. supra a. 1. q. 1. ad 5. — Pro *explicationem* edd. *explanationem*. Paulo inferius pro *multitudinem*, quam lectionem e codd. A G K V restituimus, edd. (et infra circa finem corp. bis etiam nonnulli codd.) *multiplicationem*.

[5] Art. 1. q. 2. et d. 24. a. 1. q. 3. in fine corp. — Septem articulos de Redemptore videsis supra a. 1. q. 1. in fine corp. — Paulo superius pro *processu temporis explicatum* codd. A K *in processu temporis explicitum*.

[6] Libr. I. p. X. c. 6. circa finem. In testimonio allato textus origin. pro *praedicabatur* exhibet *praedicebatur*, deinde verbo *illuminati* praemittit *singulariter* [codd. A K voci *Spiritum* adiungunt *sanctum*] et mox omittit *ab* ante *omnibus praedicatur*.

[7] Codd. A G (H primitus) K L T U V aa *proficit*. Inferius pro *non potest* edd. *non potuit*.

[8] Pro *non sequitur* codd. A G K *non potest concludi*. Mox pro *multitudinem* multi codd. *multiplicationem*, et deinde pro *crevit* codd. K bb *creverit*, edd. 1, 2 cum pluribus codd. falso *credit*.

[9] Codd. A K *multitudo*.

quae nos modo[1] credimus, ab *aliquibus* personis ex speciali munere Dei cognoscerentur et crederentur explicite, *universitati* tamen populi non proponebantur credenda nisi implicite; unde et populus communiter exspectabat Messiam sive Redemptorem, nihil cogitantes de Filii Dei incarnatione, vel passione, vel resurrectione. Nunc autem omnia haec sunt explicata, nec tantum sunt *credibilia*, immo *actu credita* et ad credendum proposita; et quantum ad hoc dicimus ea esse multiplicata, licet quantum ad veritatem rei non sint augmentata.

4. Ad illud quod obiicitur, quod caritas non profecit quantum ad numerum; dicendum, quod si loquamur de isto modo proficiendi, concedi potest eo modo de caritate, sicut concessum est de fide: quoniam in Lege veteri non praecipiebatur diligere inimicum nisi implicite, sed hoc in Lege evangelica explicatur[2]; sic et in fide suo modo est intelligendum, sicut prius tactum est. Loquimur enim hic de profectu fidei et caritatis per comparationem ad *communem* populi statum, non quantum ad *privilegium speciale* quarundam personarum.

SCHOLION.

1. Insinuatur a. S. Bonav. hic et in seqq. quaestionibus duplex modus, quo aliquid in articulo continetur, scilicet vel ita, ut in uno articulo virtualiter contineantur alii *articuli*, postea determinate proponendi, ut passio et mors Christi in mysterio redemptionis; vel ita, ut in articulo contineatur non quidem alius articulus, sed aliquid, quod ut *conclusio* in eo contineatur (Cfr. S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1. ad 5.). Substantia igitur fidei semper remanente eadem, per *explicationem* crevit etiam numerus articulorum credendorum; sed haec explicatio, sive *primo* modo sumta, *completa* fuit in Evangelio; ast *alio* sensu sumta explicatio fidei proficere potest et in singulis hominibus et in tota Ecclesia. Hoc docet Concil. Vatican. (c. 4 *de fide et ratione*): « Crescat igitur et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia » (Vinc. Lirin. Commonit. n. 28.). Cfr. hic q. 2. 3. et dub. 1.

S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1; S. II. II. q. 1. a. 7. — B. Albert., hic q. 1. — Petr. a Tar., hic q. 5. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 1, a. 4. q. 2.

II. In praecedentibus agitur de profectu fidei quoad *obiecta*, in seqq. (nempe 2. et 3.) quaestionibus de profectu quoad *actus*, de quo etiam occurrit sermo hic dub. 1. Supposita doctrina antea explicata, facile haec intelliguntur; ab aliis autem Lombardi commentatoribus vel tantum tanguntur vel breviter expediuntur.

De utraque (2. et 3.) quaestione: S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1; S. loc. cit. q. 5. a. 4. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 5. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 2. — Dionys. Carth., hic q. unica, circa finem.

QUAESTIO II.

An fides profecerit quoad illuminationis plenitudinem.

Secundo quaeritur, utrum fides profecerit quantum ad illuminationis plenitudinem. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Primo auctoritate Gregorii in quadam Homilia super illud Lucae[3]: *Beati oculi, qui vident quae vos videtis;* ibi Gregorius: « Secundum incrementa temporum crevit scientia Sanctorum et spiritualium Patrum; et quanto adventui Salvatoris viciniores exstiterunt, tanto mysterium salutis plenius perceperunt »: ergo pleniori lumine cognoverunt; sed non cognoverunt nisi fide: ergo crevit fides quantum ad luminis plenitudinem.

2. Item, secundum profectum temporum crevit prophetia quantum ad illuminationis plenitudinem: ergo consimili ratione videtur hoc debere reperiri in ipsa fide. *Prima* probatur per hoc quod dicit David propheta[4]: *Super senes intellexi;* et iterum: *Super omnes docentes me intellexi;* et Actuum secundo dixit Petrus: *Non, sicut aestimatis, hi ebrii sunt, sed hoc est quod dicitur per prophetam Ioel: Et erit in novissimis diebus, effundam* etc. Si ergo secundum maiorem Spiritus effusionem crescit mentis illuminatio, videtur, quod ipsa fidei cognitio secundum temporis diversitatem creverit quantum ad luminis plenitudinem.

3. Item, clarius videtur unumquodque ad praesentiam lucis quam ad praesentiam umbrae; sed in nova Lege fuit ipsius veritatis exhibitio, in veteri vero

[1] Pro *nos modo*, quam scripturam invenimus in cod. X, codd. M O U Z *quae modo*, alii codd. minus congrue *quae nunc modo*, edd. *quae nunc*. Inferius pro *nihil cogitantes* edd. *nihil cogitans*.

[2] Levit. 19, 18; Matth. 5, 43. seq. — Pro *diligere inimicum* edd. *diligi inimicus*.

[3] Cap. 10, 23. — Sententia Gregorii, quam Hugo a S. Vict. in I. de Sacram. p. X. c. 6. fere eisdem verbis affert, ac hic S. Bonav., in Gregorii II. Homil. in Ezech. homil. 4. n. 12, unde sumta est, sic sonat: Per incrementa temporum crevit scientia spiritualium Patrum. Plus namque Moyses quam Abraham, plus Prophetae quam Moyses, plus Apostoli quam Prophetae in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt. Fallor, si haec ipsa Scriptura non loquitur: *Pertransibunt*, inquit, *plurimi, et multiplex erit scientia* (Dan. 12, 4.)... Certe Veritas dicit: *Multi reges et Prophetae voluerunt videre quae videtis, et audire quae auditis, sed non viderunt* (Luc. 10, 24.). Plus ergo [Apostoli] quam Prophetae de divina scientia noverunt etc. — Superius pro *illuminationis* edd. *luminis*.

[4] Psalm. 118, 100; seq. testimonium ibid. v. 99; tertium Act. 2, 15, ubi respicitur Ioel 2, 28. — In initio arg. pro *profectum* Vat. *processum;* in fine arg. pro *plenitudinem* cod. F *claritatem*.

fuit ipsius veritatis umbratilis praefiguratio[1]: ergo secundum tempus novae Legis maior fit in cognitione fidei luminis plenitudo.

4. Item, maior illuminatio fidei habet ortum a duplici principio, videlicet a *gratia* interius inspirante et ab *instructione* exterius manuducente[2]; sed tempore Legis novae abundantior est *gratiae effusio* in Sacramentis et *clarior instructio* in evangelicis et apostolicis documentis: ergo videtur, quod in ipsa fide secundum tempus gratiae maior sit plenitudo luminis.

Ad oppositum.

SED CONTRA: 1. Quod est supra tempus non mutatur nec proficit nec deficit in tempore; sed illuminatio fidei innititur primae Veritati propter se et super omnia, quae est omnino supra tempus[3]: ergo videtur, quod fidei cognitio secundum temporis diversitatem nec proficiat nec deficiat quantum ad luminis plenitudinem.

2. Item, videtur, quod fides non solum non profecerit quantum ad luminis plenitudinem, immo potius decreverit, quia maior est illuminatio, quae revelat magis occultum, quam quae revelat magis manifestum; sed fides ante adventum Christi faciebat cognoscere Redemptorem et Mediatorem, et hoc quidem multo magis erat occultum quam post adventum ipsius: videtur ergo, quod ipsa fides ampliori et perfectiori lumine tunc temporis perfunderet mentem.

3. Item, maior est illuminatio, quae facit praecognoscere futura, quam quae facit rememorari praeterita; sed fides in antiquis Patribus faciebat futura praecognoscere, in nobis facit praeterita rememorari: ergo amplioris et perfectioris luminis erat tunc quam nunc.

4. Item, tanto amplior est illuminatio et maior, quanto lumen suum magis communicat; sed fides sequentium confirmatur per fidem Patrum praecedentium[4]: ergo cum priores communicant illuminationem suam posterioribus, non e converso; videtur, quod maior fuerit in eis luminis plenitudo.

CONCLUSIO.

Fides secundum temporum diversitatem crevit quoad luminis plenitudinem, considerata fide secundum statum communem.

Conclusio.

RESPONDEO: Dicendum, quod secundum diversitatem temporum crevit fides quantum ad luminis plenitudinem, intelligendo de fide secundum statum *communem*. — Hoc autem non est propter ipsorum *temporum transmutationem* primo et principaliter, sed propter *veritatis exhibitionem*, propter maiorem[5] *gratiae diffusionem*, propter planiorem *instructionem*. Ideo enim credentes clarius nunc ea quae credunt, cognoscunt, quam antiquitus cognoscebant, quia iam est *veritas* exhibita per Christum, iam etiam *gratia* Spiritus sancti amplius diffunditur in Sacramentis novae Legis propter Christi meritum et pretium iam solutum; iam etiam nunc fides *apertius praedicatur* et docetur, probatur et defenditur per evidens discipulorum Christi et eius sequacium documentum. — Unde concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

Confirmatur triplici ratione.

1. Ad illud vero quod obiicitur, quod illuminatio fidei et ipsa fides est supra tempus; dicendum, quod licet sit supra tempus quantum ad *rationem moventem*, quia innititur primae Veritati propter se; tamen quantum ad ipsum *intellectum credentem* et assentientem voluntarie respicit statum viae, et ita quodam modo temporis varietatem, quia status viae secundum diversa tempora variari habet. Et ideo, sicut videmus, quod in uno homine fides crescit et proficit paulative, secundum quod homo magis ac magis se disponit ad fidei susceptionem; sic etiam in diversis temporibus proficit fides secundum statum *communem*, quia secundum profectum temporum efficiebantur[6] homines magis idonei ad percipienda et intelligenda sacramenta fidei.

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod maior est illuminatio, quae manifestat magis occulta; dicendum, quod illud habet veritatem *ceteris paribus;* sed aliqua illuminatio adeo potest illuminare ad videndam rem manifestam, quod excedit illam quae illuminat ad cognoscendam rem occultam, sicut visio patriae excedit fidem. — Potest etiam aliter dici, quod occultum aliquid dicitur dupliciter: vel a parte *cognoscentis*, vel a parte *rei cognitae*. Cum ergo dicitur, quod maior est illuminatio, quae facit cognoscere magis occultum; si intelligatur a parte *cognoscentis* et a parte *rei cognitae*, tunc habet veritatem, utpote si illud quod erat occultum, faciat magis manifestum. Et hoc modo non habet veritatem in proposito[7], quia fides praecedentium adventum Christi non faciebat de magis occulto magis manifestum, immo quod erat occultum in se remanebat occultum ipsi cognoscenti.

Alia solutio notanda.

---

[1] Ioan. 1, 17: Quia Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Hebr. 10, 1: Umbram enim habens Lex futurorum bonorum etc. — Pro *umbratilis*, quod fide codd. K U Z restauravimus, codd. N W *umbrantis*, alii codd. *umbratis*, edd. 1, 2 *obumbrantis*, Vat. *obumbrans*. Mox pro *fit* codd. A K U *fuit*.

[2] Cfr. supra d. 24. dub. 2.

[3] Vide supra pag. 501, nota 5.

[4] Ut dicit Magister supra d. XXIII. c. 8: Probatur futura resurrectio, quia ita crediderunt Patriarchae et alii Sancti. — Paulo superius edd. verbo *confirmatur* praefigunt *magis*.

[5] Codd. A K *maioris*. Mox pro *planiorem* codd. K Z aa bb *pleniorem*. Non ita multo post pro *propter* cod. K *per*.

[6] Codd. A K *profectum temporis efficiuntur*. — Cfr. August., Epist. 102. (alias 49.) n. 12, ubi concludit: Aliis tunc nominibus et signis, aliis autem nunc; et prius occultius, postea manifestius... una tamen eademque religio vera significatur et observatur.

[7] In edd. legitur sic: *Cum ergo dicitur... magis occultum; dicendum, quod si intelligatur a parte rei cognitae... magis manifestum. Si vero a parte cognoscentis, hoc modo non habet veritatem; et sic est in proposito.* In principio solut. pro *occulta*, quod in edd. desideratur, cod. F *occultum*.

3. Ad illud quod obiicitur, quod maior est illuminatio, quae facit praecognoscere futura, quam quae facit rememorari praeterita; dicendum, quod illud verum est de illis praeteritis, quae *subiacent* humanae considerationi; de his autem, quae sunt *supra* rationem, veritatem non habet. De talibus enim consuevit dici, quod non solum est prophetia *futurorum*, sed etiam *praeteritorum*, sicut prophetavit Moyses [1], cum dixit: *In principio creavit Deus caelum et terram;* et Elisabeth Lucae primo: *Beata quae credidisti* etc.; et respectu talium est fides. Per fidem enim creditur, quod Deus fuit passus et mortuus et quod resurrexit tertia die; et hoc excedit naturale iudicium, nec ad huius cognitionem pervenire potest homo per ea quae sensu cognovit, sed per ea quae Deus inspiravit. Unde quamvis fides nostra sit praeteritorum, potius debet dici divina illuminatio, quam dicatur praeteritorum rememoratio.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod illuminatio praecedentium magis communicatur quam illuminatio sequentium; dicendum, quod hoc *accidit*, sicut lucerna posita super candelabrum magis illuminat, quam si multae ponerentur sub modio [2]. Per hunc modum patientia Iob et Tobiae plures movet et dirigit ad veritatem quam patientia multorum aliorum, quorum virtus plus claruit apud Deum. Et secundum istum modum illuminatio Patrum praecedentium magis derivatur quam illuminatio sequentium, quia sequentes a prioribus accipiunt exemplum bene vivendi et credendi, non e converso; sicut discipulus doctrinam accipit a magistro; qui si bonus est, potest dicere cum David [3]: *Super omnes docentes me intellexi* etc.

QUAESTIO III.

Utrum fides creverit quoad assensus certitudinem.

Tertio quaeritur, utrum fides creverit quantum ad assensus certitudinem. Et quod sic, videtur.

Argg. pro parte affirmativa.

1. Certius assentitur ei quod clarius cognoscitur; sed fides secundum diversitatem temporum profecit in claritate cognoscendi: ergo in certitudine assentiendi.

2. Item, certius assentitur rei, quanto certior est in se; sed necessarium certius est quam contingens: ergo fides, quae est de necessario, certior est quam fides, quae est de contingenti. Sed fides, qua credimus, Christum esse passum, est de necessario; fides, qua crediderunt, Christum esse passurum, fuit de contingenti [4]: ergo certior est fides post adventum Christi quam ante.

3. Item, certius [5] est aliquid, quanto pluribus testibus confirmatur; sed fides Ecclesiae pluribus testibus confirmata est, quam fuerit fides Synagogae, sive quantum ad mirabilia, sive quantum ad martyria, sive quantum ad Prophetarum oracula.

4. Item, quanto fides firmius adhaeret, tanto certior est, sed quanto fides est devotior, tanto firmius adhaeret; sed secundum diversitatem temporum crevit fidei devotio: ergo crevit ipsius fidei certitudo. Quod autem secundum diversitatem temporum fidei devotio creverit, manifestum est: quia devotionem ipsius Ecclesiae admiratur Synagoga in Canticis quasi per totum, secundum quod Glossae [6] exponunt; et hoc ipsum expresse videri potest in choris Martyrum, Virginum et Confessorum, qui amplius abundant post Christi adventum quam ante.

Pro parte negativa.

Sed contra: 1. Tota certitudo ipsius fidei pendet ex divina Veritate dictante [7]; sed ipsi divinae Veritati dictanti nulla omnino potest accrescere certitudo: ergo pari ratione nec ipsi fidei assentienti.

2. Item, cognitio fidei est conformis divinae praescientiae, a qua recipit illuminationem [7]; sed divina praescientia aeque certa est de futuro, antequam eveniat, sicut et de praeterito, postquam evenit:

---

[1] Gen. 1, 1. — Seq. testimonium est loc. cit. v. 45. — Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 1. n. 1, alt: Prophetiae tempora tria sunt, scilicet praeteritum, praesens et futurum... Prophetia de *futuro* est: *Ecce, Virgo concipiet et pariet filium* (Isai. 7, 14.). Prophetia de *praeterito: In principio creavit Deus caelum et terram* (Gen. 1, 1.). De illo enim tempore dixit homo, quo non erat homo. Prophetia de *praesenti* est, quando Paulus Apostolus dicit: *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus; occulta enim cordis eius manifesta fiunt... pronuntians, quod vere Deus in vobis sit* (I. Cor. 14, 24. seq.). — Paulo superius cod. G verbo *futurorum* praefigit *respectu*, et paulo inferius edd. verbis *passus et mortuus* praemittunt *homo;* ibidem pro *Deus fuit* edd. et plures codd. *Deus fuerit.* Post pauca pro *nec ad huius cognitionem* cod. U *nec ad hanc cognitionem.* Deinde codd. F U (N primitus) omittunt *sensu*, et circa finem solut. post *potius* edd. inserunt *tamen.*

[2] Respicitur illud Matth. 5, 15: Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat etc. — Mox pro *veritatem* cod. U *virtutem.*

[3] Psalm. 118, 99. — Aliquanto superius pro *derivatur* edd. *communicatur.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Cfr. quaest. praeced., et supra d. 24. a. 1. q. 1. ad 3. — In *maiori* pro *certius* edd. *tanto certius*, et pro *assentitur rei*, quam lectionem e codd. A G Z bb in textum intulimus, alii codd. et edd. *assentitur ei.*

[5] Edd. *tanto certius.* Paulo inferius pro *mirabilia* codd. K T *miracula.*

[6] Exempli gratia illa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum in Cantic. 6, 9: Ecclesia gentium ita firmiter instituta... illis novissimis temporibus iam intuens Synagoga tam bene operatam operantemque ipsam sanctam Ecclesiam tam diffusam, tot sapientissimos sine schismate sequi unam fidem, praeterea vivorum et mortuorum miracula et multa alia christianae fidei argumenta, iam convicta, poenitens et compuncta dicit admirative: *Quae est ista* etc. — Codd. Z bb *Glossa exponit.* Post *Synagoga* edd. subiiciunt *ut patet.*

[7] Cfr. supra d. 23. a. 1. q. 3. in corp. et q. 4. — In conclus. post *ergo pari ratione* cod. Z addit *videtur, quod.*

[8] Vide supra d. 24. a. 1. q. 1. in corp.

ergo videtur, quod fides Patrum praecedentium adventum Christi habebat tantam certitudinem, quantam habet fides eorum qui sunt subsecuti.

3. Item, aeque certa est ipsa fides de eo quod cognoscit, sicut et prophetia; sed «prophetia est divina inspiratio, rerum eventum immobili veritate denuntians [1]», quae adeo est certa de futuro, sicut et de praeterito — unde et futura frequenter annuntiat per modum praeteriti — ergo pari ratione videtur, quod et fides in Patribus praecedentibus adventum Christi aeque certa fuerit, sicut et in consequentibus.

4. Item, sicut in fide nostra nullus cadit error, nulla dubitatio, sic nec in fide praecedentium Patrum: si ergo «*albius* dicitur quod est nigro impermixtius [2]», et *certius* quod remotum est ab omni dubitatione; et aeque erat remota fides antiquorum Patrum ab errore et dubitatione, sicut et nostra: ergo aequaliter erat certa: ergo fides non crevit quantum ad certitudinem.

CONCLUSIO.

Fidei certitudo in comparatione ad Veritatem dictantem non crevit, licet in comparatione ad ipsum credentem crescere possit.

Duplex comparatio fidei.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

RESPONDEO: Dicendum, quod de certitudine fidei est loqui dupliciter secundum duplicem comparationem. Habet enim fides comparari ad ipsam *Veritatem dictantem,* habet etiam comparari ad ipsum *intellectum assentientem.* Si loquamur de certitudine fidei per comparationem ad *Veritatem dictantem,* sic eius certitudo nec habet minui nec augeri, quia, cum ipsa Veritas divina certissima sit et falli non possit; quantum est ex parte *rationis dictantis,* in fide quacumque, qua assentit divinae Veritati propter se et super omnia, status est certitudinis, nec habet ex illa parte fides proficere in certitudine, sicut ostendunt rationes ad secundam partem inductae. — Si autem loquamur de certitudine fidei [3] per comparationem ad *ipsum credentem,* sic concedi potest, quod fides crescit quantum ad certitudinem, tum propter *clariorem cognitionem* tum propter *maiorem devotionem.* Illa enim fides certior est, quae apertius *cognoscit* et devotius *acquiescit.* Et quantum ad haec duo fides secundum diversitatem temporum crescit, secundum quod dicit magister Hugo de sancto Victore in libro de Sacramentis [4]: «Duo, inquit, sunt, secundum quae fides crescere dicitur, *cognitio* et *affectus.* Secundum *cognitionem* fides crescit, quando eruditur ad scientiam; secundum *affectum* vero, quando ad devotionem excitatur et roboratur ad constantiam». Et utroque modo crevit fides secundum diversitatem temporum. Quod enim creverit quantum ad *devotionem,* satis ostendunt Martyrum passiones; quod quantum ad *scientiam,* satis ostendunt Doctorum eruditiones. — Unde Hugo [5] dicit, quod illud signatum fuit in Numerorum decimo tertio de botro, qui portabatur in vecte, de quo ait sic: «Botrus siquidem in vecte Christus in cruce est, cuius mysterium in sacramento duo populi portant. Qui *praecesserunt* portaverunt, sed non viderunt; quia praecedentes adventum eius sacramenta passionis ipsius portaverunt, sed non omnes per cognitionem intelligere valuerunt. *Secundi* autem portant et vident, quia fideles post adventum Christi sacramentum passionis eius per fidem suscipiunt et per revelatam cognitionem iam aperte cognoscunt». Sic igitur patet, quod etsi certitudo fidei a parte *Veritatis dictantis* non habet incrementum, habet tamen proficere ex parte *ipsius credentis.*

Confirmatur per Hugonem.

Figura.

Et secundum hoc patet responsio ad quaestionem propositam. Patet etiam responsio ad obiecta: quia rationes ad primam partem procedunt secundum unam viam, et rationes ad secundam partem procedunt per aliam, sicut manifestum est pertractanti.

Ad argg.

Patet etiam generaliter ex praedictis, quis sit modus proficiendi in ipsa fide. Proficit [6] enim fides quodam modo *extensive* quantum ad articulorum explicationem; proficit etiam *intensive* quantum ad clariorem illuminationem; proficit etiam *radicative* quantum ad certitudinis et devotionis adhaesionem; et hoc dico respiciendo ad statum *communem.* — Et per consimilem modum proficere habet in *eodem homine* et etiam in *diversis hominibus,* qui sunt sub eadem Lege, sese gradatim excedentibus secundum fidei profectum. Et hoc est quod dicit Hugo de sancto Victore [7]: «Secundum incrementa fidei diversa genera hominum inveniuntur. Quidam enim fideles sunt, qui sola pietate credere eligunt, sed

Corollarium de profectu fidei triplici.

Confirmatur.

---

[1] Ut Cassiodorus ait, de quo vide supra pag. 513, nota 1. — Circa finem arg. pro *in Patribus* edd. *in pluribus Patribus.*

[2] Aristot., III. Topic. c. 4. (c. 5.). — Subinde verbo *remotum* Vat. praemittit *magis.*

[3] Cod. Z *divinae fidei.*

[4] Libr. I. p. X. c. 4, ubi textus origin. post *et affectus* addit: id est constantia vel firmitas credendi.

[5] Libr. I. de Sacram. p. X. c. 7, qui locus in textu origin. habetur sic: Botrus... sacramenta passionis eius omnes quidem per fidem portaverunt, sed non omnes per cognitionem quod portaverunt intelligere meruerunt. Sequentes autem et portant et vident, quia fideles, qui post adventum eius in carne subsequuntur, sacramentum passionis eius et per fidem suscipiunt et per revelatam iam cognitionem agnoscunt. Cfr. supra d. 13. a. 2. q. 3. ad 6. — Testimonium Scripturae est Num. 13, 24. — Pro *signatum fuit* cod. H *figuratum fuit.*

[6] Codd. A K hic et in seqq. constanter *Profecit.* Deinde pro *extensive* cod. G *extensione* et similiter *intensione* pro *intensive,* pariterque post pauca codd. I Z (H a prima manu) *radicatione* pro *radicative.*

[7] Libr. I. de Sacram. p. X. c. 4: Secundum incrementum

utrum credendum sit, vel non credendum, ratione non comprehendunt. Alii vero ratione approbant quod fide iam credunt. Alii vero quod fide credunt et ratione approbant purificatae mentis intelligentia experiuntur. In primis *sola fides* facit electionem; in secundis ratio *adiungit approbationem;* in tertiis *puritas intelligentiae* apprehendit certitudinem». — Et sic patet responsio ad propositam quaestionem [1].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Fides magna dicitur cognitione et articulorum quantitate, vel constantia et devotione.* Videtur enim primo hic esse superfluitas, quia magister Hugo [2] non ponit nisi duo, secundum quae attenditur profectus fidei, videlicet *cognitionem* et *affectionem;* Magister vero ponit hic quatuor: ergo videtur, quod ille sit diminutus, vel ipse superfluus. — Item, eadem fide, qua creditur unus articulus, creduntur et ceteri [3]: ergo non videtur, quod dicatur *magna* ab articulorum quantitate.

Respondeo: Dicendum est ad hoc, quod fides duplicem habet magnitudinem: unam per comparationem *ad obiectum;* et haec attenditur in articulorum quantitate, et vocatur hic articulorum *quantitas* ipsorum articulorum dignitas; articuli enim non sunt de quacumque veritate, sed de Veritate summa [4]. Et penes hoc *quantitas* fidei aequalis est secundum diversitatem temporum, aequalis est etiam secundum pluralitatem articulorum, quantum ad id quod est in eis *principale*, scilicet quantum ad ipsam primam Veritatem; quantum vero ad *connotatum* bene posset concedi, quod unus articulus est dignior alio, ut illi qui sunt de Divinitate, digniores sunt, quam illi qui sunt de humanitate [5].

Duplex magnitudo fidei.

Prima.

Habet etiam magnitudinem per comparationem *ad subiectum;* et quia fides respicit subiectum secundum triplicem vim, videlicet secundum potentiam *intellectivam* et secundum potentiam *affectivam* et secundum potentiam *interpretativam* [6]; secundum hoc attenditur in fide *magnitudo* secundum triplicem modum, videlicet per comparationem ad *intellectivam* dicitur magna *cognitione*, per comparationem ad *affectivam* dicitur magna *devotione*, per comparationem ad *interpretativam* dicitur magna *constantia.* Tunc enim fides constans est, quando aliquis libere *confitetur* quod credit [7]. Et sic patet praedictorum quatuor numerus et sufficientia.

Secunda.

Subdistinctio

Aliter potest dici et magis secundum intentionem Magistri, quod cum fides respiciat *intellectum* et *affectum*, secundum quod supra [8] habitum est, magnitudo eius sumitur tam ex parte huius quam ex parte illius. A parte autem *intellectus* dupliciter potest attendi *maior magnitudo* in fide: aut quia *clarius* cognoscit ipsum creditum, aut quia cognoscit ipsum *in pluribus* sive distinctius. Primo modo dicitur fides magna *cognitione;* secundo, *articulorum quantitate*, quia articulos novit melius distinguere. — Similiter ex parte *affectus* dupliciter attenditur magnitudo: aut quia *firmius* adhaeret, aut quia *intensius.* Primo modo dicitur esse magna *constantia*, secundo modo dicitur magna *devotione.* Et sic ista quatuor reducuntur ad illa duo, quae ponit magister Hugo. — Et per hoc patet responsio ad obiecta; patet etiam, quod non est aliqua contrarietas, nec est superfluitas [9].

Alia solutio convenientior.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quibusdam videtur, quod suffecerit illis quatuor tantum credere, scilicet nativitatem et mortem et resurrectionem et adventum ad iudicium.* Cum enim isti articuli ita bene essent ignoti, sicut alii; videtur, quod non magis tenerentur cognoscere istos quam alios. — Quaeritur ergo: quare magis debebant ista credere de Mediatore quam alia?

Quaestio.

Respondeo: Dicendum, quod ista quatuor principaliter debebat habere fides illorum, quibus innitebatur [10] tanquam magis opportuna. Nam primum quidem credebant tanquam ipsius *fidei* Mediatoris fundamentum, videlicet ipsam *nativitatem.* — Secundum vero, videlicet ipsam *passionem*, ut provocaret ad *amorem.* — Tertium vero, scilicet ipsam *resurrectionem*, ut sublevaret ad *spem.* — Quartum

Notandum.

---

fidei tria genera credentium inveniuntur. Quidam enim fideles... eligunt, quod tamen, utrum sit credendum, an non credendum sit, ratione non comprehendunt. Alii ratione approbant quod fide credunt. Alii puritate cordis et munda conscientia interius iam gustare incipiunt quod fide credunt. In primis sola pietas facit electionem etc. — Circa initium testimonii cum edd. recepimus *diversa* (pro *tria* in textu origin.), quod in codd. desideratur.

[1] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[2] Libr. I. de Sacram. p. X. c. 4. Vide supra a. 2. q. 3. in corp.

[3] Cfr. supra d. 23. a. 1. q. 3.

[4] Vide supra d. 24. a. 3. q. 2. — Paulo superius pro *hic articulorum quantitas*, sola Vat. *haec articulorum quantitas*, refragantibus codd. et aliis edd.

[5] Cfr. supra d. 24. a. 1. q. 2.

[6] Sive sermocinalem, vel loquendi. Cfr. opuscul. de Reductione artium ad theolog. — Subinde pro *secundum hoc* Vat. *secundum haec;* cod. aa *hoc modo attenditur etiam fidei magnitudo* etc.

[7] Rom. 10, 10: Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

[8] Dist. 23. a. 1. q. 2. — Inferius post *secundo* cod. X repetit *modo.*

[9] Vide supra a. 2. q. 3. — Cfr. de hoc dubio B. Albert. hic a. 5.

[10] Cod. K *innitebantur.*

vero, scilicet *adventum ad iudicium*, ut gubernaret per *timorem*. Et quia omnibus erat necessarium ad salutem recte *credere*, *amare*, *sperare* et *timere*; ideo oportuit, aliquos[1] quatuor istos articulos credere explicite, ut alii qui innitebantur credendo implicite, salvari possent.

Alia solutio.

Vel aliter. Quia nullus poterat merito suo liberari a contagione vel obligatione peccati originalis, oportuit, quod crederent, se per meritum Christi posse salvari et per satisfactionem eius. In merito autem est ista[2] quatuor considerare, videlicet *personam* satisfacientis et *modum* satisfaciendi et eius *praemium* et *praemiandi modum*. Quantum ad *personam* satisfacientis, oportebat credere *nativitatem*; quantum ad *modum* satisfaciendi, oportebat credere *passionem*; quantum ad *praemium*, oportebat credere *resurrectionem*; quantum ad *modum*[3], oportebat credere *adventum ad iudicium*.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit de Ioanne Baptista, quod *de morte Christi et descensu ad inferos dubitasse videtur*. Si enim *mori* et ad *inferos descendere* est articulus, et Ioannes de hoc dubitavit: ergo fuit infidelis. Sed constat, Ioannem non fuisse infidelem, cum Dominus laudet eum ibi, Matthaei undecimo[4]: ergo non dubitavit. — Item, Ioannes ei perhibuerat testimonium et aliis notum fecerat Christum: ergo non videtur, quod ipse dubitaverit, cum misit discipulos suos ad Christum. Et hoc est quod dicit Chrysostomus super undecimum[5] Matthaei: « Ioannes, qui a Spiritu sancto didicerat, quidquid audierat, qui ceteris praedicaverat, qui testimonium perhibuerat, qui columbam viderat, quare sic quaerit? Si ignorat, quomodo testis fuit Ioannes? Tu ante signa divulgaveras; modo post mortuos suscitatos, cum iam omnibus quasi notus est, nunquid tibi non notus? Absit ». *Si tu dicas*, quod non dubitavit, sed ad modum dubitantis se habuit; *obiicitur* contra hoc auctoritate Ambrosii super Lucam[6], ubi sic ait: « Ioannes novit Dei Filium, sed non ipsum ad inferos descensurum ». Item, Lucae septimo[7] in Glossa: « Poterat pius vates, quem venturum praedixerat, non moriturum credidisse ». Hoc ipsum dicit Gregorius in quadam Homilia, et tangitur in littera.

Opinio duplex.

Respondeo: Dicendum, quod sancti Doctores in hac quaestione dissentire videntur. Nam quidam videntur velle, ipsum *non dubitasse*; alii vero videntur velle dicere, ipsum *dubitasse*. Et ex hac ipsa contrarietate quidam haeretici sumserunt occasionem errandi, ut dicerent, Ioannem damnatum esse, quia in fine dubitavit in fide[8]. Sed certe ab hoc discordat textus evangelicus, in quo praecipue laudatur Ioannes; discordant etiam omnes doctores catholici, et etiam universalis Ecclesia, quae Ioannem non tantum *sanctum*, sed etiam *sanctissimum* praedicat et in eius nativitate et decollatione solemnizat[9]. — Ideo, licet sancti Doctores videantur sibi dissentire, idem tamen sentiunt secundum rem.

Opinio haeretica.

Triplex modus dubitandi.

Propter quod intelligendum est, quod triplex est modus dubitandi. Est enim quaedam dubitatio proveniens ex *infidelitate*, sicut dubitaverunt Iudaei; et est dubitatio proveniens ex *tarditate*, sicut dubitaverunt discipuli, quibus dicitur Lucae ultimo[10]: *O stulti et tardi corde ad credendum*; et est dubitatio proveniens ex *pietate*, sicut aliquis ex com-

---

[1] In edd. desideratur *aliquos*, pro quo codd. A K posuerunt *omnes*; sed cfr. supra a. 1. q. 2, q. 3. ad 5.

[2] Edd. *In merito autem isto est quatuor.*

[3] Codd. U Z bb supplent *praemiandi*. — Cfr. de hoc dubio supra a. 1. q. 2; B. Albert., hic a. 6; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[4] Vers. 11.

Vers. 3. — Verba Chrysostomi, hic abbreviata, habentur in eius homil. 36. (alias 37.) super Matth. n. 1. — In omnibus fere codd. scriptum est (perperam) *super 11. Ioannis*; in edd. legitur *Augustinus super 11. Ioannis*. Cfr. August., Serm. 66. n. 3. seq.

[6] Alex Hal., S. p. III. q. 69. m. 3. a. 2, haec verba Ambrosio non simpliciter tribuit, sed ea affert ut verba *Glossae*, ex Ambrosio delibata (« dicit Ambrosius *in Glossa* »). S. Bonav. in Comment. super Luc. 7, 19. ait: « Ambrosius vero vult, quod dubitaverit non ex infidelitate aut tarditate, ut discipuli, sed quadam pietate, sicut dicitur in Glossa ». Cui sententiae revera concordare videntur illa verba Ambrosii, V. in Luc. 7, 19. n. 93: « Non cadit igitur in talem prophetam tanti erroris suspicio. Itaque si intellectus simplicis forma compugnat, *spiritualem* quaeramus figuram. Et quia supra iam diximus (in Luc. c. 3.), in Ioanne typum esse Legis, quae praenuntia fuit Christi, recte Lex... plenum exitum testimonii dominicae dispensationis sine Evangelii nequit astipulatione perferre ». Quibus verbis idem Ambros. deinde n. 98. (unde Glossa *ordinaria*, quae paulo post affertur, sumta est) adiungit recensionem dictorum nonnullorum, qui asserebant, Ioannem non *fide*, sed *pietate* dubitasse; de quo videsis etiam hic lit. Magistri, c. 3. Haec hactenus de Ambrosio. Nobis locus ille Ambrosio ascriptus magis Bedae esse videtur, qui in Luc. 7, 19. pariterque in Matth. 11, 3. dicit: « Et est sensus: Manda mihi, quia interficiendus ab Herode et ad inferna descensurus sum, utrum te et in inferis debeam nuntiare, qui nuntiavi superis, an non conveniat Filio Dei, ut gustet mortem, et alium ad haec sacramenta missurus es ». Eadem verba habentur apud Hieronymum in Matth. 11, 3. Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 6. n. 1, et I. Homil. in Ezech. homil. 1. n. 5.

[7] Vers. 19. — Glossa, ut iam in annotatione praecedenti observavimus, sumta est ex Ambros. in hunc loc. n. 98. dicente: Nonnulli etiam de ipso Ioanne sic intelligunt, magnum quidem ita prophetam, ut Christum agnosceret, annuntiaret remissionem peccatorum futuram, sed tamen non tanquam dubium, sed tanquam *pium* vatem, quem venturum crediderat, non credidisse moriturum. Non igitur fide, sed pietate dubitavit etc. — Pro *pius vates* edd. et multi codd. (alii sunt dubiae lectionis) *prius vates*. — De Gregor. vide hic lit. Magistri, c. 3.

[8] B. Albert., hic a. 7: Ego puto, quod temeritas sit dicere, Ioannem dubitasse, et initium haeresis Manichaeorum, qui dicunt, eum dubitasse, et ideo eum esse damnatum. — Edd. omittunt *in fine*.

[9] Die 24. Iunii et 29. Augusti. — Mox post *sancti Doctores* edd. subdunt *catholici*.

[10] Vers. 25. — Paulo inferius pro *sicut* edd. *sicut cum*.

passione magna et admiratione ad modum dubitantis se habet. — Dicendum est igitur, quod primo et secundo genere dubitationis Ioannes nullo modo
Notandum. dubitavit, dubitaverunt tamen discipuli eius; et sic intelligunt Sancti [1], qui dicunt, eum non dubitasse, sed dubitationi discipulorum consuluisse. Ideo enim eos misit ad Christum, ut videntes mirabilia, quae faciebat, converterentur ad ipsum. Si autem loquamur de *tertio* genere dubitationis, sic dixerunt alii Sancti, Ioannem dubitasse non dubitatione *vacillationis*, sed potius cuiusdam *admirationis* et *compassionis*, quae facit, hominem se habere ad modum dubitantis; et hoc est quod dicit Glossa, Lucae septimo et Matthaei undecimo [2]: « Non *fide*, sed *pietate* dubitavit ». Et sic patet, quod nulla est contrarietas inter auctoritates praemissas.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Fides, spes, caritas et operatio secundum aliquid aequalia sunt.* Sed *contra:* contingit, aliquem habere habitus virtutum et non operationem [3]: ergo videtur, quod operatio non aequetur ipsis habitibus. — Item, primae ad Corinthios decimo tertio [4]: *Si habuero fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero* etc.: ergo videtur, quod aliquis possit habere magnam fidem, ita quod nullam habeat caritatem.

Respondeo: Dicendum breviter, quod illa quatuor aequalia sunt, secundum quod dicitur super illud Apocalypsis vigesimo primo [5], quod latera civitatis erant *aequalia*. Dicitur enim ibi, quod « latera civitatis sunt fides, spes, caritas et operatio ». De modo autem aequalitatis ipsarum *virtutum* dicetur infra [6] planius, ubi est quaestio et sermo specialis. Ad praesens autem tantum dixisse sufficit, Notandum.
quod haec quatuor sunt aequalia secundum rationem *merendi*, quando sunt informata gratia. Tantum enim ipsa *caritas* est meritoria in suo actu, quantum et *fides*, in uno et eodem homine. Similiter tantum meretur *operatio* procedens ab habitu, quantum placet ipse habitus. Quia enim una est gratia gratum faciens, quae facit, animam Deo placere per habitus et operationes; hinc est, quod necesse est, ista quatuor esse aequalia secundum divinam [7] acceptionem, ac per hoc secundum efficaciam merendi.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod habitus possunt esse sine operibus; dicendum, quod non assignatur hic aequalitas habituum ad operationes in omnibus, sed in his qui habent habitus simul cum ipsis operationibus ab ipsis egredientibus. *Praeterea*, non intelligit de operibus [8] exterioribus, immo de operationibus interioribus, quae consistunt in motu et usu liberi arbitrii. Et ille quidem usus bonitatem habet iuxta mensuram habitus virtutis gratuitae; illa enim praecipue est, « quae habentem perficit et opus eius bonum reddit [9] ».

Ad illud quod obiicitur, quod magna fides potest haberi sine caritate; dicendum, quod Apostolus ibi loquitur de fide *informi;* sed littera ista intelligi habet de fide *formata*. — Et ista sufficiant circa litteram; nam illa quae praemittuntur [10] de fide Cornelii, satis per se sunt plana.

DISTINCTIO XXVI.

Cap. I.

De spe, quid sit.

Est autem spes virtus, qua spiritualia et aeterna
Dubium 1. bona sperantur, id est cum fiducia exspectantur [1]. Est enim spes certa exspectatio futurae beatitudinis, ve- Dubium 2.
niens ex Dei gratia et ex meritis praecedentibus vel ipsam *spem*, quam natura praecit caritas, vel *rem speratam*, id est beatitudinem aeternam. Sine meritis enim aliquid sperare non spes, sed praesumtio dici potest.

---

[1] Hilar., Comment. in Matth. c. 11. n. 2: Tali igitur Ioannes exemplo non suae, sed discipulorum ignorantiae consulit etc. Cfr. Chrysost. et August., locis supra citt., nec non Qq. ex Novo Testam. (inter opera August.) p. II. q. 10; Ambros., V. in Luc. n. 95. — Cod. V *intelligunt quidam Sancti.* Paulo inferius pro *mirabilia* codd. A K *miracula.*

[2] Luc. 7, 19; Matth. 11, 3. — Glossam vide supra pag. 552, nota 7. — Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 69. m. 3. a. 2; B. Albert., hic a. 7; S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 3. ad 1; Petr. a Tar., hic circa lit.; Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. ad 5.

[3] Quod accidit e. gr. in parvulis baptizatis. Cfr. supra d. 23. a. 2. q. 2. ad 5. et dub. 2. — Edd. 1, 2 cum bene multis codd. *operationum.*

[4] Vers. 2.

[5] Vers. 16: Et civitas in quadro posita est, et longitudo eius tanta est, quanta et latitudo. — Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum: Quatuor latera, fides, spes, caritas, operatio, quae sunt aequalia; quia quantum quis credit, tantum sperat; quantum sperat, tantum diligit; quantum diligit, tantum operatur. Cfr. hic lit. Magistri, c. 5.

[6] Dist. 36. q. 5. — Mox pro *sufficit* codd. A K N Z *sufficiat.*

[7] Pro *divinam* edd. *dictam*, et paulo inferius *assimilatur* pro *assignatur*, et deinde *quae habent* pro *qui habent.*

[8] Non pauci codd. atque edd. *operationibus;* mox pro *operationibus* complures codd. *operibus.*

[9] Est definitio virtutis data ab Aristot., II. Ethic. c. 6. Cfr. supra pag. 470, nota 8. — De solut. seq. cfr. supra d. 23. a. 2. q. 1. seq.

[10] Hic in lit. Magistri, c. 4. — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 9; S. Thom., hic circa lit.; Petr. a Tar., hic q. 5. a. 2. quaestiunc. 2.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Haec et plura, quae sequuntur, sumta sunt ex Hugone a a S. Vict., Sum. Sent. tr. 4. c. 2.

CAP. II.

De quibus sit spes.

Et sicut fides, ita et spes est de invisibilibus. Unde
Dubium 3. Augustinus [1]: « Fidem appellamus earum rerum, quae non videntur. De spe quoque dicitur: *Spes, quae videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat*»? Quod attinet ad *non videre* vel quae creduntur, vel quae sperantur, fidei speique commune est.

CAP. III.

Quo differant fides et spes.

Distinguitur tamen fides a spe, sicut vocabulo,
Haymo. ita rationabili differentia. « Est enim fides *malarum* rerum et *bonarum*, quia et bona creduntur et mala, et hoc fide bona, non mala. Est etiam fides et *praeteritarum* rerum et *praesentium* et *futurarum*. Credimus enim mortem Christi, quae iam praeteriit; credimus sessionem, quae nunc est; credimus venturum ad iudicandum, quod futurum est. Item fides et *suarum* rerum est et *alienarum*. Nam et se quisque credit esse, coepisse nec fuisse utique sempiternum, et alia atque alia non modo de aliis *hominibus* multa, quae ad religionem pertinent, verum etiam de *Ange-*
Dubium 4. *lis* credimus. Spes autem non nisi *bonarum* rerum est nec nisi *futurarum* et ad *eum* pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur [2] ».

CAP. IV.

Si in Christo fuit fides et spes.

Post haec superest investigare, utrum fides et spes in Christo fuerint; unde tractatus iste sumsit exordium.
Dubium 5. Quibusdam non indocte videtur, fidem-virtutem et spem in eo non fuisse, sicut in Sanctis iam beatificatis vel in Angelis non sunt; et tamen Sancti credunt et sperant resurrectionem futuram, et Angeli eandem credunt; nec tamen in eis fides vel spes virtus est, quia et Deo per speciem contemplando fruuntur et in Dei Verbo resurrectionem futuram sive iudicium non *per speculum in aenigmate* [3], sed praeclarissime inspiciunt. Si enim, quia credunt resurrectionem *futuram*, ideo verum est, eos fidem habere: ergo ea consummata, post iudicium similiter et fidem habere dicentur, quia credent eam *praeteritam*. Sed sicut *tunc* credent, nec tamen fidem, quae fideles facit, habebunt — quia non credent absque scientia, quae non erit aenigmatica, sed per speciem — ita et *modo* credunt et sperant resurrectionem; nec tamen fidem habent, quia credendo cognoscunt. Venit enim eis quod *perfectum est, et evacuatum est quod ex parte est;* venit enim *cognitio*, et evacuata est *fides;* venit *species*, et desiit *spes*. Ita et Christus, in quo fuerunt bona patriae, credidit quidem et speravit resurrectionem tertia die futuram, pro qua et Patrem oravit; nec tamen fidem-virtutem vel spem habuit, quia non aenigmaticam et specularem, sed clarissimam de ea cognitionem habuit, quia non perfectius eam cognovit praeteritam, quam intellexit futuram. Speravit tamen Christus, sicut in Psalmo [4] ait: *In te, Domine, speravi;* nec tamen fidem vel spem-virtutem habuit, quia per speciem videbat ea quae credebat.

CAP. V.

Si iusti in inferno fidem et spem habuerunt.

De antiquis vero Patribus, qui apud inferos usque Dubium 6.
ad passionem tenebantur, non incongrue dici potest, quod fidem et spem-virtutem habuerint, quia credebant et sperabant, se visuros Deum per speciem, qualiter eum tunc non videbant; quia non patuit eis cognitio Dei per speciem ante passionem Christi, qua consummata, a fide transierunt ad speciem.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXVI.

De spe.

Est autem spes virtus etc.

DIVISIO TEXTUS.

In praecedentibus determinavit Magister de prima virtutum theologicarum, videlicet de fide. In hac parte intendit agere de secunda, videlicet de spe. Dividitur autem pars ista in duas partes. In quarum prima determinat Magister de ipsa spe secundum considerationem *absolutam*, ostendens, quid ipsa sit definitione [1]. In secunda vero determinat de ipsa secundum considerationem *relatam*, ibi: *Et sicut fides, ita et spes* etc.

Prima pars posset dividi in duas secundum duas notificationes, quas ponit. Prima ponitur ibi: *Est autem spes virtus;* secunda ibi: *Est enim spes certa exspectatio* etc.

Secunda vero pars principalis dividitur in par-

---

[1] Enchirid. c. 8. n. 2, ubi citatur Rom. 8, 24. — Pro *quid sperat* cod. D (et etiam Erf.) *quomodo sperat.*

[2] Haec verbotenus apud Haymonem, II. de Varietate librorum, c. 16, qui hoc sumsit ex August., Enchirid. c. 8. (sententialiter).

[3] Respicitur I. Cor. 13, 12. — Pro *habere dicentur* codd. C D *habere dicuntur*, quam lectionem notat etiam Erf. — Inferius respicitur I. Cor. 13, 10.

[4] Psalm. 30, 1.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Pro *definitione*, quod edd. omittunt, codd. A K *definitive*. Mox pro *relatam* cod. Z *relativam*.

tes duas. In quarum prima determinat de ipsa spe per comparationem ad alterius virtutis habitum. In secunda determinat de ipsa in comparatione ad proprium subiectum, ibi: *Post haec superest investigare* etc. In prima parte duo facit. Primo comparat spem ad ipsam fidem secundum convenientiam, secundo vero secundum differentiam, ibi: *Distinguitur tamen fides a spe.* Similiter et in parte reliqua duo facit. Primo inquirit, utrum spes et fides [1] fuerit in Christo. Secundo inquirit, utrum fuerit in illis Patribus, qui fuerunt in limbo, ibi: *De antiquis vero Patribus, qui apud inferos* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio de virtute spei. Et circa ipsius inquisitionem dupliciter procedendum est secundum processum ipsius Magistri.

Primo enim quaeritur de ipsa spe secundum considerationem absolutam.

Secundo quaeritur de eadem secundum considerationem relatam.

Circa primum quaeruntur quinque.

Primo quaeritur, utrum spes sit virtus gratuita.

Secundo quaeritur, utrum spes sit virtutis genus, an species specialissima.

Tertio quaeritur, utrum spes sit virtus cardinalis, an theologica.

Quarto quaeritur, utrum aliquando sit virtus informis, an semper formata.

Quinto quaeritur, utrum in actu suo sit certitudinalis, an dubia.

ARTICULUS I.

De spe secundum considerationem absolutam.

QUAESTIO I.

Utrum spes sit virtus gratuita.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum spes sit virtus gratuita. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Ad Romanos octavo [2]: *Spe salvi facti sumus;* quod autem nos facit pervenire ad salutem, illud praecipue tenet rationem virtutis gratuitae: si ergo spes est huiusmodi, ergo est virtus gratuita.

2. Item, in Psalmo [3]: *Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia eius;* sed quod reddit acceptum Deo vel est *virtus gratuita,* vel habitus excellentior ipsa, sicut habitus *doni,* vel *beatitudinis:* si ergo spes non computatur inter habitus *donorum* et *beatitudinum,* necesse est, eam computari inter habitus *virtutum* gratuitarum.

3. Item, habitus directe repugnans culpae habet in se rationem virtutis gratuitae; sed spes undique repugnat culpae, quia repugnat praesumtioni et desperationi [4]: ergo etc.

4. Item, sicut difficile est *credere* quod est supra rationem, sic difficile est *exspectare* quod est supra omnem aestimationem; sed per spem *exspectatur* illud bonum, quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* [5]: ergo sicut *fides* est virtus, qua creduntur invisibilia; sic videtur, quod *spes* est virtus, qua exspectantur inaestimabilia, hoc est bona spiritualia et aeterna.

5. Item, quod maxime firmat animam et rectificat et delectat, illud potissime habet rationem virtutis gratuitae — virtus enim est habitus potentiae regulativus et confirmativus, qui facit ipsam animam gaudere circa ea quae recta sunt, secundum quod vult Philosophus [6] — sed spes est huiusmodi — ipsa enim confirmat et delectat, secundum quod dicitur ad Hebraeos sexto: *Fortissimum habemus solatium, per quod confugimus ad propositam nobis spem, quam sicut ancoram* etc.; et ad Romanos duodecimo: *Spe gaudentes* — videtur igitur manifeste, quod spes sit in genere virtutis gratuitae.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Nulla passio est virtus; spes est una de quatuor passionibus, secundum quod dicit Boethius de Consolatione [7]: ergo spes non est virtus. *Prima* probatur per illud quod dicit Philo-

[1] In plurimis codd. desunt verba *et fides,* in cod. bb verba *spes et.*

[2] Vers. 24.

[3] Psalm. 146, 11. — De *minori* cfr. infra d. 34. p. I. a. 1. q. 1. seqq.

[4] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[5] Epist. I. Cor. 2, 9. — De fide vide supra d. 23. a. 1. q. 1.

[6] Vide I. Rhetor. c. 20. (c. 9.); I. Ethic. c. 8; II. c. 3-6. et IV. c. 1. ac de Virtutibus, in fine. — Seq. Scripturae locus est Hebr. 6, 18; alter Rom. 12, 12. — In *maiori* pro *animam* codd. A F H K N U bb *animum*, codd. G I L V aa *animus.*

[7] Libr. I. metr. 7:

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit.

Aristot. sententia invenitur II. Ethic. c. 5.

sophus, quod « cum tria sint in anima: *potentiae, passiones* et *habitus*, virtus non est in genere *passionis*, sed in genere *habitus* ». Si ergo spes non est *virtus*, constat, quod nec *virtus gratuita.*

2. Item, sicut contingit exspectare futura, sic contingit rememorari praeterita [1]; sed rememoratio de praeteritis non est virtus, nec circa eam consistit aliqua virtus specialis: ergo nec circa exspectationem futurorum aliqua virtus consistit. Sed exspectatio futurorum vel est ipsa spes, vel procedit ab ipsa: ergo videtur, quod ipsa spes non habeat esse virtus.

3. Item, sicut contingit *sperare* recte et non recte, sic contingit etiam *timere* recte et non recte; sed habitus, qui dirigit animam in *timendo*, non reponitur in genere virtutis, utpote timor [2]: ergo nec habitus, qui dirigit in *sperando*: ergo spes, etiam secundum quod nominat *habitum*, non est in genere virtutis.

4. Item, « omnis virtus moralis consistit circa bonum et difficile », ut vult Philosophus [3], ergo multo fortius gratuita; sed in exspectatione bonorum promissorum nulla est difficultas: ergo cum spes non consistat circa difficile, non videtur esse in genere virtutis gratuitae.

5. Item, nulla virtus gratuita in suo actu repugnat perfectioni meriti; sed spes in suo actu perfectioni meriti repugnat — ex imperfectione enim procedit, quod quis servit Deo propter retributionem futuram, quia, secundum quod dicit Bernardus [4], « caritas praemium non intuetur » — si ergo spes facit exspectare retributionem futuram, videtur perfectioni meriti repugnare: ergo non est in genere virtutis gratuitae.

CONCLUSIO.

Spes est virtus gratuita, immo gratuitarum virtutum ancora et sustentamentum.

Respondeo: Dicendum, quod nomine *spei* potest intelligi *affectio* animae, iuxta illud quod philosophi et Sancti [5] dicunt, quatuor esse animi affectiones, videlicet *gaudium* et *dolorem*, *spem* et *timorem*. Potest etiam nomine spei intelligi ipsa *res exspectata*, iuxta illud ad Titum secundo [6]: *Exspectantes beatam spem.* Potest nihilominus sumi pro *habitu*, qui dirigit animae motum et affectum in illud quod exspectandum est. Et isto tertio modo dicendi spes non tantum est *virtus gratuita*, immo etiam virtutum gratuitarum *sustentamentum* et *ancora*. — *Virtus* quidem *gratuita* est, quoniam in hoc, quod facit, animam exspectare ea quae sunt supra omnem [7] aestimationem humanam et ea quae promisit largitas divina, facit omnino *confidere* et *inniti* summae et immensae largitati, sicut fides facit assentire primae Veritati, et caritas facit adhaerere summae Bonitati; et dum anima ipsi immensae largitati innititur propter se et super omnia, *rectificatur* et *super se elevatur* et *Deo accepta* efficitur. Necesse est ergo, quod habitus, quo mediante fit illud, rationem habeat *virtutis gratuitae.* — Et quia, cum anima innititur ei qui non potest deficere, quamvis ipsa in se sit deficiens et vacillans, fundatur tamen per spem quasi super firmam petram [8]; et propterea dixi, quod spes non tantummodo est in genere *virtutum gratuitarum*, sed etiam est earum *ancora* et *sustentamentum.* — Unde concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

Spes dicitur tripliciter.

Conclusio.

Probatur.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod spes est passio; iam patet responsio: quia nomen *spei* aequivoce accipitur, videlicet pro ipsa *affectione* et pro *habitu* regulante illius affectionis motum. Unde spes, secundum quod est *virtus*, est *habitus*, qui est principium motus, qui est *ab anima* [9]; *passio* autem magis est *ad animam*; et secundum quod motus exspectationis sive spei *ab anima est*, sic potest fieri recte et non recte, secundum imperium liberi arbitrii. Et quantum ad hoc habet circa ipsum attendi perfectio virtutis, vel deformatio vitii.

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod sicut se habet

---

[1] Aristot., de Memoria et reminisc. c. 1: Est enim praesentis quidem sensus, futuri vero spes, facti autem memoria.

[2] Secundum philosophos timor est *affectus* sive *passio*, quae regitur a fortitudine (cfr. Aristot., II. Ethic. c. 5. et III. c. 6.); secundum theologos autem est donum Spiritus S. (cfr. infra d. 34. p. I. a. 2. q. 1. et p. II. per totam).

[3] Libr. II. Ethic. c. 3. Cfr. supra pag. 488, nota 1. Paulo inferius pro *non consistat* cod. C *non consistit nisi.*

[4] De Diligendo Deo, c. 7. n. 17: Non enim sine praemio diligitur Deus, etsi absque praemii intuitu diligendus sit. Vacua namque vera caritas esse non potest, nec tamen mercenaria est, quippe *non quaerit quae sua sunt* (I. Cor. 13, 5.)... Verus amor praemium non requirit, sed meretur etc. Cfr. Serm. 83. in Cantica, n. 4. seq. — Paulo ante pro *servit* cod. A *serviat.*

[5] Sic, ut unum sanctum auctorem afferamus, dicit Hieronymus, I. in Ezech. 1, 7: Audisse me memini quatuor perturbationes, de quibus plenissime Cicero in Tusculanis [libr. III. et IV.] disputat: gaudii, aegritudinis, cupidinis et timoris, quorum duo praesentia, duo futura sunt... de quibus et Virgilius breviter [Aen. VI. 733.]: Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque. Cfr. August., XIV. de Civ. Dei, c. 8, ubi Stoicorum de hac re sententia exponitur. Horat., I. Epist. epist. 6, canit: Gaudeat, an doleat, cupiat metuatve, quid ad rem? — Pro *animae* edd. *animi.*

[6] Vers. 13. — Paulo inferius pro *affectum* codd. A K *affectionem.*

[7] Pro *omnem* codd. A U V *communem.* Aliquanto inferius pro *et Deo accepta* codd. A G U *et ideo accepta*, et mox pro *fit illud* cod. F *anima innititur.*

[8] Respicitur illud Matth. 7, 24: Omnis ergo, qui audit verba mea haec et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram etc. — August., Enarrat. in Ps. 64. n. 3: Iam desiderio ibi [in caelis] sumus, iam spem in illam terram quasi ancoram praemisimus, ne in isto mari turbati naufragemus etc. — Pro *et propterea dixi*, quod habent codd. et edd., in *Supplemento* Summae Alex. Hal., congruentius legitur *ideo dicitur.*

[9] Cfr. supra pag. 388, nota 2. — Paulo ante edd. voci *habitus* adiungunt *gratuitus.* In fine solut. pro *vel deformatio* codd. A K *et deformatio.*

exspectatio ad futura, sic[1] rememoratio ad praeterita; dicendum, quod non est usquequaque simile de *rememoratione* praeteritorum et de *exspectatione* futurorum. Non enim sic consistit rectificatio et obliquatio animae principaliter circa ea quae sunt praeterita, sicut circa ea quae sunt futura, nisi ex consequenti. Virtus enim proprie magis ordinat ad id quod *agendum* est, quam ad id quod *actum* est. — Praeterea, alia dissimilitudo est, quia *rememoratio* respicit actum cognitivae, *exspectatio* autem motum affectivae[2]; rectitudo autem virtutis non sic attenditur penes ea quae sunt cognitionis, sicut penes ea quae sunt affectionis. Unde etiam *rememorationi*, secundum quod iungitur *affectioni*, annectitur actus virtutis, utpote prudentiae, vel poenitentiae, vel caritatis sive benevolentiae: secundum quod recordatur praeteritorum *factorum*, ut futura melius agat, vel praeteritorum *malorum*, ut doleat, vel[3] praeteritorum *beneficiorum*, ut gratias agat. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod timor non est in genere virtutis etiam in quantum habitus, ergo nec spes; dicendum, quod non est simile, quia affectio ipsius *timoris* consistit in quadam resilitione, sed affectio *spei* consistit in quadam protensione; et ideo affectio *timoris* plus habet de *passione*, affectio vero *spei* plus habet de *actione*. Et quoniam habitus virtutum dirigunt animam in *actibus*, in quibus consistit rectitudo vitae, iuxta illud quod dicitur, quod «virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur[4]»; hinc est, quod *spes* magis est in genere virtutis quam *timor*. Notandum.

Et ex hac eadem causa patet, quare magis circa affectionem *spei* consistit habitus virtutis, quam circa aliquam *aliarum* trium affectionum. *Gaudium* enim et *dolor*, quia habent obiecta sibi coniuncta, magis sunt in suscipiendo; affectio vero *spei* inter ceteras est, quae plus habet de ratione agendi et quae magis dicit motum *ab anima*; quamvis et ipsa secundum aliquid sui dicat *passionem* circa animam; et secundum illud non habet circa ipsam consistere habitus virtutis, sed magis secundum quod dicit rationem *motus* et protensionis ipsius animae in ipsam rem speratam. Quaestio incidens solvitur.

4. Ad illud quod obiicitur, quod exspectare bonum non est difficile; dicendum, quod sicut credere quod videtur non habet difficultatem, credere tamen firmissime quod non videtur habet magnam difficultatem; sic intelligendum est, quod quamvis sperare bona praesentia, quae aliquo modo videntur in se, vel in suo simili, non est multum difficile; bona tamen invisibilia et aeterna, quae *oculus non vidit*[5], exspectare certa fiducia et pro illis temporalia bona contemnere et his omnibus, quae videntur, superferri, hoc magnam habet difficultatem et magnam dignitatem. Et ideo indubitanter verum est, spem esse in genere virtutis gratuitae. Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod spes in suo actu impedit meriti perfectionem; dicendum, quod falsum est, imo, sicut ostendit Apostolus[6], consurgit ex perfectione meriti; quanto enim aliquis maiora et meliora habet merita, tanto firmius et certius sperat. — Et *si obiiciatur*, quod «caritas praemium non intuetur»; dicendum; quod illud intelligitur de praemio *creato;* de praemio autem *increato* non habet veritatem, quia maxima caritas maxime desiderat uniri Deo et habere Deum. *Spes* autem *perfecta* magis aspicit mercedem *increatam*, de qua dixit Dominus Abrahae, Genesis decimo quinto[7]: *Ego merces tua*, quam creatam. Eum enim exspectat quis per spei habitum tenere in patria, cui per caritatem in via uniri desiderabat. — Alius est etiam modus respondendi distinguendo in mercimonia, qua quis servit Deo propter praemium, quod exspectat: quia *quaedam* est mercimonia, quae constituit finem in proprio commodo; et ista est mercimonia mala et non procedit a spe recta et formata[8]. *Quaedam* etiam est, quae non constituit finem in proprio bono, sed totum confert et ordinat ad Bonum summum; et hanc mercimoniam facit spes, quae est virtus gratuita; et haec merito non repugnat. — Primus tamen modus dicendi videtur esse rationabilior, quia spes stare potest, exclusa omni intentione dile- Notandum. Alia solutio. Nota.

---

[1] Hic codd. A K N repetunt *se habet*.

[2] Cfr. infra a. 2. q. 5.

[3] Pro *vel*, quod in codd. I L desideratur, plurimi codd. et edd. 1, 2 *ita*.

[4] Secundum August., II. de Lib. Arb. c. 19. n. 50. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXVII. c. 5, et Comment. dub. 3. — De discrimine, quod inter *timorem* interest et *spem*, vide infra a. 2. q. 1. et d. 34. p. II. dub. 1. — Quomodo *gaudium*, *dolor* et *spes* inter se differant, vide infra a. 2. q. 4. — Inferius pro *suscipiendo* edd. *sustinendo*.

[5] Epist. I. Cor. 2, 9. Quae S. Bonav. hic profert, non aliena sunt ab illa sententia, quae habetur in Comment. Epist. ad Rom. 5, 3, olim Ambrosio tributo: Contemnere enim praesentia et quae oblectamento sunt, et in pressura non cedere spe futurorum magni meriti est apud Deum. — Paulo ante pro *tamen* codd. A K N T aa et edd. 1, 2 *autem*. Mox pro *et his omnibus* cod. A *et ex his omnibus*, et deinde pro *hoc* [Vat. *hic*] *magnam habet* cod. C *haec magnam habent*.

[6] Praeter locc. supra in fundam. 1. et 5. citt. vide Rom. 5, 4. seqq.: Patientia autem probationem [operatur], probatio vero spem, spes autem non confundit etc. Ibid. 15, 4: Ut per patientiam... spem habeamus; et v. 13: Deus autem spei repleat vos... ut abundetis in spe etc. Vide infra a. 2. q. 2. — Pro *ostendit* edd. *dicit*.

[7] Vers. 1. — Mox edd. omittunt *quam creatam*.

[8] Guliel. Antissiod., S. p. III. tr. 5. q. 4: Talis [mercenarius] ponit Deum viam, non finem. De tali dicitur in Evangelio (Ioan. 10, 12.): Mercenarius videns lupum venientem fugit. Est etiam mercenarius, qui servit Deo propter regnum caeleste habendum sive propter beatitudinem habendam. Et talis motus non est peccatum, quia tali motu quaerit homo utilitatem suam in Deo, ubi est. De tali mercenario dicitur in Evangelio (Luc. 15, 17.): Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus etc. Hoc modo est spes mercenaria, tamen nihilominus est virtus. Cfr. infra d. 27. a. 2. q. 2. in corp. — Pro *mercimonia* (qua voce in eodem sensu utitur loc. cit. etiam Summa Gulielmi Antissiod.) Vat. constanter *mercenaria*.

ctionis mercenariae. Quantumcumque enim amor sit perfectus [1] in via, est sibi virtus spei coniuncta. Unde simpliciter dicendum est, quod exspectatio boni aeterni non est mercenaria nec minuit meritum nec facit ad imperfectionem caritatis vel meriti, nisi in quantum mens hominis multum affectuose et intense aspicit ad commodum proprii boni. Multi autem sunt qui beatitudinem exspectant, et tamen parum de se et multum de Deo curant.

SCHOLION.

I. Spes in genere, ut est quaedam *affectio* animi, « de ratione sua dicit extensionem appetitus in aliquod arduum, quod non omnino excedit facultatem sperantis » (S. Thom., hic q. 2. a. 2.). De spe, ut est *virtus*, dicit S. Bonav. (infra q. 3. ad 4.): « Exspectatio spei consistit in quadam protensione ad bona aeterna, quae quidem consurgit ex confidentia, qua anima innititur ipsi Deo ex tota virtute sua ». — Tres spei definitiones vide infra dub. 2. — De obiecto *materiali* et *formali* spei cfr. infra dub. 1-4. et a. 2. q. 4. — Quoad obiectum *materiale*, quod ab aliis etiam vocatur *formale quod* sive terminativum, communiter dicitur, quod est sive ipse Deus, sive beatitudo aeterna, scilicet futura. Sed observandum est, quod *beatitudo* distinguitur in *formalem* et *obiectivam;* prima est quid creatum et consistit in actu visionis et fruitionis; altera est ipse Deus, sive ut possessus, sive ut possidendus. Durand. (hic q. 2), a communissima aliorum sententia recedens, tenet, quod « *immediatum* obiectum spei non sit ipse Deus, sed beatitudo formalis », ita quod Deus sit quidem obiectum spei principale, sed *mediatum*. Hoc autem intelligit « de obiecto, quod est res sperata, quia, si obiectum spei dicatur id, a quo speramus beatitudinem, tunc ipse Deus est obiectum *immediatum* ». Ceteri doctores concorditer docent, ipsum Deum esse *immediatum* et *primarium* obiectum spei; bona vero creata, quae ad beatitudinem conducunt, vel ipsi annexa sunt, esse ipsius obiectum *secundarium* (cfr. infra q. 3. ad 3. et dub. 1.). Tamen circa relationem beatitudinis *formalis* ad *obiectivam* est duplex modus dicendi. Schola Scoti vult, obiectum materiale primarium non esse nec solum Deum nec solam eiusdem fruitionem, sed duo simul, scil. Deum possidendum; econtra multi ex schola S. Thomae dicunt, illud esse tantum Deum, at cum connotatione possessionis, ita ut possessio sive consecutio Dei non sit obiectum nec pars obiecti, sed solummodo *conditio* obiecti. Quidquid sit de his, manifesta est doctrina S. Thomae (S. I. II. q. 11. a. 3. ad 3.), quod, cum finis dicatur dupliciter: uno modo *ipsa res*, alio modo *adeptio rei*, haec « non sunt duo fines, sed unus finis in se consideratus et alteri applicatus... Sicut igitur non est alius finis *Deus* et *fruitio Dei;* ita eadem ratio fruitionis est, qua fruimur Deo, et qua fruimur divina fruitione. Et eadem ratio est de beatitudine creata, quae in fruitione consistit ». — In assignando *obiecto formali quo* plures sunt opiniones, de quibus nonnulla referuntur infra in scholio ad a. 2. q. 4.

II. Quod spes est virtus *vere* et *proprie*, praeclare hic probatur; a qua conclusione solus Durand. (hic q. 1.) recedit contendens, quod spes, sicut et fides, sit quidem virtus, sed non nisi « *largo modo* accipiendo virtutem ». — Notanda est solutio ad 5, qua S. Bonav. contra illos Protestantes, qui operari ex spe praemii volebant esse rem vilis mercenarii, iam anticipavit doctrinam Concilii Trid. (Sess. VI. can. 31.): « Si quis dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, a. s. »; et can. 27: « Si quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerint facta, exspectare et sperare aeternam retributionem a Deo per eius misericordiam et Iesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, a. s. » (cfr. infra a. 2. q. 2. et praecipue d. 27. a. 2. q. 2.). — Verba (ibid.): « Maxima caritas maxime desiderat uniri Deo et habere Deum » etc., elidunt etiam celeberrimi Fénélon errorem, reprobatum ab Innocentio XII. an. 1699, quo, sub praetextu amoris purissimi, actus sperandi mercedem aeternae fruitionis a statu perfectionis videbatur excludi.

III. De hac quaestione praeter Durandum: Scot. (de hac et seqq. qq.), in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. II. II. q. 17. a. 1. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic a. 2. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. unica. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

IV. Quoad seq. (2.) quaestionem constat, spem esse virtutem *specialem* a fide et caritate aliisque virtutibus distinctam. Hoc disertis verbis docet Scotus (hic q. unica n. 10.), licet (n. 2.) referat aliam opinionem quorundam, quod scilicet duae virtutes theologicae sufficiant, de qua dicit: « Tamen si *auctoritas* contemneretur, innitendo rationi naturali tantum... negaretur, spem esse virtutem distinctam a fide et caritate »; pro qua falsa opinione affert plura argumenta, at concludit: « Via illa non placet, quia videtur obviare auctoritatibus Sanctorum innitentibus dicto Pauli.

De hac quaestione: S. Thom., hic q. 2. a. 3; S. loc. cit. a. 6. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., hic a. 3. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 3. — Durand., hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum spes sit genus virtutis, an species specialissima.

Secundo quaeritur, utrum spes sit genus virtutis, vel species specialissima. Et quod species specialissima, videtur.

1. Una est virtus ab unitate obiecti; sed in uno
Fundamenta. solo sperandum est, videlicet in Deo, iuxta illud quod saepe dicitur in Scriptura [2], quod in Domino sperandum est, non in aliqua creatura: ergo videtur, quod spes sit virtus unica, nullo modo plurificata.

2. Item, merces omnium una est, et omnes unum et summum Bonum exspectant, in quo non cadit diversitas secundum speciem sive secundum formam [3]: ergo si spes est exspectatio aeternae mercedis, videtur, quod exspectatio illa nullo modo habeat formaliter diversificari: ergo spes non habet sub se alias species differentes: ergo habet in se unitatem speciei specialissimae.

---

[1] Codd. A K *perfectionis*. Circa finem solut. pro *Multi autem* cod. A *Multi enim*.

[2] Libr. IV. Reg. 17, 21; Iob 8, 13; Ps. 2, 13; 72, 28; Ier. 17, 5. et 7. — De *maiori* cfr. supra pag. 214, nota 3.

[3] Gen. 15, 1: Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis. — De propos. seq. cfr. hic lit. Magistri, c. 1, et infra dub. 2. — In fine arg. pro *unitatem* codd. A K *veritatem*.

3. Item, pauciora sunt speranda, quam sint credenda — credimus enim praemia et supplicia, sed non speramus nisi tantum praemia[1] — ergo *maior* videtur esse unitas in spe quam in fide, vel etiam *tanta;* sed fides est una unitate speciei specialissimae: ergo et spes.

4. Item, spei succedit perfecta tentio, sicut fidei succedit visio[2]; sed perfecta tentio summi Boni est una secundum speciem in omnibus Beatis nec habet diversificari per alias dotes specie differentes: ergo nec spes habet subdividi in alias virtutes: igitur spes est virtus specialis et habet in se unitatem speciei specialissimae.

Sed contra: 1. Diversorum actuum diversi sunt habitus; sed *confidere* et *exspectare* sunt actus formaliter differentes: si ergo ad spem pertinet *confidere,* secundum quod dicimur sperare in Domino[3]; ad spem etiam pertinet *exspectare,* secundum quod dicimur sperare futuram gloriam: videtur ergo, quod spes habeat diversificari formaliter et ita subdividi in alias species. Ad oppositum.

2. Item, «spes est exspectatio futurae beatitudinis», secundum quod dicit Magister in littera[4], et habetur in Glossa ad Romanos quinto; sed «beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus»: ergo spes exspectat omne bonum. Sed exspectatio diversificari habet secundum diversitatem boni exspectati, et spes non tantum exspectat unum bonum, immo congregationem omnium bonorum: ergo videtur, quod ipsa includit in se universitatem omnium virtutum.

3. Item, omnis virtus meritoria facit, hominem tendere ad finem suum assequendum, quem tamen nondum habet[5]; sed spes est virtus illa, qua quis exspectat praemium omnium meritorum: ergo videtur, quod virtus spei communis sit ad omnes virtutes: ergo non habet unitatem speciei specialissimae.

4. Item, sicut se habet gaudium respectu boni praesentis, sic se habet spes respectu boni futuri[6]; sed gaudium, quo quis gaudet de actu virtutis praesentis, non habet distingui ab ipsa virtute, immo est omnibus virtutibus generale — castus enim est qui continet et hoc ipso gaudet — ergo pari ratione videtur, quod spes de futuro bono sit communis ad omnes virtutes: ergo virtus spei non habet unitatem speciei specialissimae.

Conclusio.

Spes est una virtus et unitatem habet speciei specialissimae.

Respondeo: Dicendum, quod quemadmodum fides, licet sit circa multa credibilia, una tamen virtus est, quia una est principaliter ratio movendi in omnibus credibilibus[7]; sic et virtus spei, quotcumque et quantacumque bona exspectet, una virtus est et unitatem habet speciei specialissimae, quia una est ratio, cui innititur in exspectando. — Sicut enim fidei virtus, assentiendo primae Veritati propter se et super omnia, omnia illa credit, quae sibi summa Veritas dictat esse credenda; sic ipsa spes, confidendo et innitendo immensae et indeficientissimae largitati divinae, omnia illa exspectat, quae sibi Deus promittit esse in futuro retribuenda. Et quemadmodum fidei virtus omnia quaecumque credit, principaliter non solum credit *Deo,* sed etiam *de Deo* et *circa Deum;* sic et ipsa spes omnia quae exspectat, non solum exspectat *a Deo,* sed etiam exspectat illa obtinere *in ipso Deo,* ut habendo Deum habeat omne bonum[8]. — *Rursus,* quemadmodum fides credit Deo tanquam *rationi moventi* et circa ipsum versatur tanquam circa *obiectum* et in ipsum tendit tanquam in *finem proprium;* sic et ipsa spes. Et quoniam unitas virtutis attenditur penes unitatem *rationis moventis* et *obiecti principalis* et *finis proprii;* et haec omnia reperire est in virtute spei sicut et in virtute fidei: concedendum est, ipsam spem esse unam unitate speciei specialissimae. — Et rationes, quae inducuntur ad hanc partem, sunt concedendae. Conclusio. Ratio.

1. Ad illud quod obiicitur, quod diversorum Solutio oppositorum.

---

[1] Vide hic lit. Magistri, c. 3. — Quod fides sit virtus *una,* ostensum est supra d. 23. a. 1. q. 3. — Mox pro *vel etiam* cod. Z *vel saltem.*

[2] Cfr. infra q. 3. in corp. et supra pag. 394, nota 2. — Vat. sic prosequitur: *sed perfecta visio summi Veri est una* etc.

[3] Psalm. 4, 6: Sperate in Domino. Ps. 36, 3: Spera in Domino et fac bonitatem. — De *maiori* vide supra pag. 470, nota 8. in fine.

[4] Hic c. 1. Secundum S. Bonav. (infra dub. 2.) haec definitio sumta est ex Haymonis Exposit. in Epist. ad Rom. 5, 4. seq., unde in Glossam *ordinariam* transiit. Plenius quam alibi habetur apud Petr. Lombard. in Comment. super Rom. 5, 4. — Definitio beatitudinis, quae deinde datur, et in qua cod. bb cum textu originali *congregatione* pro *aggregatione,* est Boethii et invenitur in eius III. lib. de Consol. prosa 2. — In fine arg. Vat. *omnium bonarum virtutum.*

[5] Cfr. supra pag. 488, nota 9. — Pro *habet* edd. *videt.* Paulo inferius cod. U voci *meritorum* praemittit *virtutum et,* cod. aa *virtutum* tantum.

[6] Vide infra a. 2. q. 4. in corp. — Quae in *minori* proponuntur, insinuantur ab Aristot., II. Ethic. c. 3: Signum autem habituum sit vel voluptas, vel aegritudo, quae facta subsequitur. Nam qui a corporis voluptatibus abstinet, si eo ipso gaudet, temperans [Averroes hic *castus*], si dolet, intemperans est existimandus. Et I. Ethic. c. 8: Qui bonis actionibus non delectatur bonus minime est; neque enim vel iustum quempiam dixeris, qui iuste agendo non delectetur etc. — Mox pro *praesentis* non pauci codd. *praesente.*

[7] Vide supra d. 23. a. 1. q. 3. — Pro *principaliter* codd. M O *principalis.* Post pauca edd. ante *bona* inserunt *et quaecumque.*

[8] Bernard., Serm. 9. in Ps. (90.) *Qui habitat,* n. 8: Ceterum quod dicit: *Tu es, Domine, spes mea* (v. 9.), forte amplius aliquid sonat et sublimius, quod videlicet non modo *in eo* speret, sed *eum.* Convenientius siquidem spes nostra dicitur quod speramus, quam in quo speramus. — Voci *Deum* cod. aa praefigit *ipsum.*

actuum diversi sunt habitus; dicendum, quod ve-
Notandum. rum est, quando illi actus sunt *principales* respectu habituum; sed quando sic est, quod *unus* principaliter respicit habitum virtutis, et *alius* habet ad illum ordinem et connexionem et consequentiam naturalem, non oportet, habitum diversificari propter illorum actuum diversitatem. Et sic est in proposito reperire. Ideo enim spes exspectat magna bona promissa, quia confidit de immensa largitate promittentis; unde quia unus istorum actuum est ratio alterius, hinc est, quod non pertinent ad diversos habitus, sed ad unum. Unde unus est habitus, quo speramus *in Domino* et quo speramus *habere Dominum*, sicut unus, quo credimus *Deo* et quo credimus *Deum* [1].

2. Ad illud quod obiicitur, quod spes est respectu omnis boni, cum sit respectu beatitudinis;
Notandum. dicendum, quod sicut *fides* credit, iustos assecuturos beatitudinem, et *caritas* illam [2] beatitudinem cum bonorum universitate desiderat; et tamen *fides* una virtus est, quia non fertur super beatitudinem et ea quae ad beatitudinem spectant, nisi sub ratione una; sic etiam et *spes* in exspectando summam beatitudinem, et quidquid boni in ipsa est, non recedit ab unitate habitus et virtutis, quia una est in ipsa spe *ratio exspectandi*, in hoc videlicet, quod immensae et indeficienti innititur largitati. — *Praeterea*, quod dicitur, quod « beatitudo est status omnium bonorum aggregatione [3] perfectus »; hoc non dicitur per bonorum *multitudinem* et *varietatem*, sed hoc dicitur per *aequivalentiam*, quia tantum erit illud unicum bonum, quod exspectatur, quod aequivalebit omni bono; per quem modum dixit Dominus Moysi, Exodi trigesimo tertio [4], cum peteret, ut ostenderet ei faciem suam: *Ego*, inquit, *ostendam tibi omne bonum:* et ideo ex hoc non sequitur, virtutem spei diversificari, quia exspectat perfectam beatitudinem.

3. Ad illud quod obiicitur, quod omnis virtus tendit et ordinat ad finem suum assequendum; dicendum, quod tendere in finem potest esse dupli- Notandum.
citer: aut *promerendo* et habilitando, aut *exspectando*. *Primus* modus tendendi est communis omnibus virtutibus, sed *alius* modus proprius est ipsi spei. Nulla enim virtute *exspectamus* beatitudinem nisi mediante ipsa spe, quamvis omni virtute ipsam beatitudinem *mereamur*. Potest quidem alia virtus actum exspectandi *imperare* [5], sed nulla virtus nisi spes potest *elicere*, quia illius virtutis est actus, loquendo formaliter.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod sicut se habet *gaudere* de bono praesenti ad ipsas virtutes, sic *exspectare* bonum futurum; dicendum, quod
non est simile: quia *gaudium* surgit ex complacen- Notandum.
tia boni praesentis; omnis autem virtus, in quantum huiusmodi, cum consistat in plena voluntate, quae quidem voluntas complacet sibi in *obiecto*, vel *actu suo*, habet quoddam gaudium sibi adiunctum, sicut sibi essentiale. Et hoc est quod vult Philosophus [6], quod nullus est vere castus, nisi complaceat sibi illius virtutis actus et usus; et si complacet sibi, hoc ipso gaudet, cum illum actum exercet. Secus autem est de *exspectatione* boni futuri; possunt enim *virtutes* in suos actus exire, nihil cogitando de remuneratione. *Praeterea, exspectatio* futuri boni actus est differens ab actibus ipsarum virtutum; sed *complacentia* ipsius actus virtutis est ipsius actus virtuosi complementum [7]. Ideo non sic distinguitur gaudium ab aliis speciebus virtutum, secundum quod ipsa spes; nec spes est omnibus communis et generalis, secundum quod gaudium [8].

QUAESTIO III.

Utrum spes sit virtus cardinalis, an theologica.

Tertio quaeritur, utrum spes sit virtus cardinalis, an theologica. Et quod theologica, videtur.

1. Primae ad Corinthios decimo tertio [9]: *Nunc*
Fundamenta. *manent fides, spes, caritas, tria haec:* igitur ab Apostolo spes numeratur inter virtutes theologicas: si ergo vere et proprie, necesse est, spem reperiri in genere virtutis theologicae.

2. Item, illa virtus est theologica, quae habet finem cardinalium virtutum pro obiecto [10]; sed spes habet finem omnium virtutum pro obiecto — exspectat enim summam beatitudinem et perfectam remunerationem — ergo est virtus theologica.

3. Item, virtus, quae maxime subservit contemplationi et facit sursum tendere, est virtus theo-

---

[1] Vide supra d. 23. a. 1. q. 3. ad 1. et dub. 3. — Paulo superius pro *sed ad unum* cod. A *sed etiam ad unum.*

[2] Cod. Z *per illam* [simul audi *fidem*]. Aliquanto inferius ante *non recedit* Vat. interiicit *ideo.*

[3] Pro *aggregatione* plurimi codd. *congregatione*, quemadmodum etiam in textu origin. legitur. Mox pro *per* edd. *propter.* Subinde pro *aequivalentiam* codd. U Z *aequipollentiam*, cod. A *aequalitatem.*

[4] Vers. 19.

[5] Ut fides, vel caritas. Cfr. quaest. seq. ad 5. — In initio solut. pro *ordinat* edd. *ordinatur.*

[6] Vide supra pag. 559, nota 6. — Circa initium solut. post *futurum* Vat. addit *ad ipsas.*

[7] Cfr. infra a. 2. q. 4.

[8] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[9] Vers. 13.

[10] Cfr. infra d. 33. q. 1, praecipue ad 3. Ibid. ad 4. videsis de *maiori* arg. seq.

logica; sed spes est huiusmodi, quoniam, sicut dicit Apostolus ad Hebraeos sexto [1], spes incedit *usque ad interiora velaminis:* ergo spes est virtus theologica.

4. Item, spirituale aedificium per virtutem theologicam inchoatur, utpote per fidem, et per virtutem theologicam consummatur, utpote per caritatem: ergo per virtutem theologicam habet erigi, quia « eiusdem naturae debet esse medium cum extremis [2] ». Si ergo erigitur per spem, restat, quod spes est virtus theologica.

5. Item, imago *creationis* reformatur per imaginem *recreationis:* si ergo imago *creationis* necessario requirit tres potentias naturales, videtur similiter, quod imago *recreationis* necessario requirat tres virtutes. Ergo si imago habet reformari per virtutes theologicas, necesse est, virtutes theologicas esse tres; sed non est aliam dare praeter fidem et caritatem nisi ipsam spem: ergo spes est virtus theologica [3].

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Nulla virtus, circa cuius actum contingit reperire excessum, est virtus theologica, immo potius cardinalis [4] — quod patet, quia impossibile est nimis credere, impossibile est etiam nimis amare — sed circa actum spei contingit reperire excessum, sicut patet in eo qui praesumit et plus sperat, quam merita sua exigant: ergo videtur, quod spes sit virtus cardinalis, non theologica.

2. Item, virtus, quae est medium duarum malitiarum, est virtus cardinalis [5], non theologica; sed spes est media inter duas malitias, videlicet inter desperationem et praesumtionem: ergo spem non est reducere ad virtutem theologicam, sed magis ad cardinalem.

3. Item, consuevit multipliciter spes distingui, videlicet spes *veniae*, spes *gratiae* et spes *gloriae* [6]; sed *venia* et *gratia* sunt bona ordinata ad finem, virtus autem cardinalis consistit circa ea quae sunt ad finem: si ergo spes consistit circa talia, spes est virtus cardinalis, non theologica.

4. Item, sustinere et exspectare sunt actus longanimitatis et patientiae; sed « habitus distinguuntur per actus [7] »: ergo cum exspectare sit proprius actus ipsius spei, longanimitas et spes sunt habitus iidem et in eodem genere virtutis habent reponi. Sed longanimitas reponitur sub genere virtutis cardinalis; ponitur enim et assignatur esse pars fortitudinis: ergo videtur, quod et ipsa spes sit virtus cardinalis.

5. Item, ad fortitudinem cardinalem spectat recte ordinare et fortificare contra affligentia et contra deterrentia; sed spes est huiusmodi, quia facit hominem in tribulatione gaudere et stabilem esse [8]: ergo videtur, quod spes sit pars fortitudinis cardinalis: ergo non est in genere virtutis theologicae.

CONCLUSIO.

Spes est in genere virtutis theologicae.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio spes est in genere virtutis theologicae. — Et ratio huius sumitur ex parte *obiecti* et ex parte *subiecti*: ex parte quidem *obiecti*, quoniam, sicut fides in credendo assentit ipsi Deo ut dictanti vera, sic spes ei innititur ut promittenti magna. Unde sicut obiectum ipsius fidei, quod habet rationem *motivi*, est quid increatum, quod Deus est, ratione cuius etiam fides ponitur esse in genere virtutis theologicae; sic etiam dicendum est et intelligendum de ipsa spe [9]. — Sumi etiam potest ratio ex parte *subiecti:* quia, cum anima secundum *superiorem faciem* reformari habeat per virtutes theologicas, et spes sit una de virtutibus, faciens ad reformationem imaginis et perfectionem animae secundum *partem superiorem*, necesse est, spem esse virtutem theologicam. — Unde

Ratio ex parte obiecti.

Ex parte subiecti.

---

[1] Vers. 19.

[2] Secundum Aristot. Cfr. supra pag. 470, nota 7. — Paulo superius pro *utpote per caritatem*, quod habent codd. A K, in aliis *ut per caritatem*. Paulo inferius pro *erigitur* Vat. *erigit*.

[3] Principia huius arg. vide I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1, et II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3.

[4] Cfr. supra pag. 217, nota 2, et tom. II. pag. 671, nota 9. — *Minor* insinuatur hic in lit. Magistri, c. 1. — Paulo inferius ante *nimis amare* edd. cum nonnullis codd. omittunt *etiam*.

[5] Vide Aristot., II. Ethic. c. 6. seqq. — Mox pro *media* cod. V *medium*.

[6] August., Enarrat. in Ps. 118. serm. 15. n. 2: Sed aeternorum est spes ista praemiorum; est et alia spes, quae in humilitate tribulationis plurimum consolatur, quae Sanctis data est in verbo Dei adiutorium gratiae pollicentis, ne quisque deficiat etc. Bernard., Serm. 45. de Diversis (alias 1. ex Parvis), n. 5: Est igitur fides alia praeceptorum, alia signorum, alia promissorum, id est, qua credimus in Deum, qua credimus Deum, qua credimus Deo... Similiter quoque spes triplex est et procedit de praedicta triplici fide. Nam de fide praeceptorum oritur spes *veniae*, de fide signorum spes *gratiae*, de fide promissorum spes *gloriae*. Caritas itidem ternario numero colligitur *de corde puro et de conscientia bona et fide non ficta* (I. Tim. 1, 5.). Puritatem debemus proximo, conscientiam nobis, fidem Deo. — Pro *multipliciter* edd. cum pluribus codd. *multiplex*.

[7] Secundum Aristot. Cfr. supra pag. 470, nota 8. in fine. — Duo sunt actus principales *fortitudinis*, scil. *aggredi* et *sustinere*. Aristot., III. Ethic. c. 7: « Qui igitur ea quae oportet, et cuius causa oportet, et ut oportet, *sustinet* ac timet et simili etiam modo confidit, fortis est; quippe cum pro dignitate, et sicut ratio praescribit, fortis vir et *patiatur* et *agat*... confidere enim bene sperantis hominis est ». Cicero, II. Rhetor. c. 54: Fortitudo est considerata *periculorum susceptio* [aggredi] et *laborum perpessio* [sustinere]. Eius partes [integrales]: magnificentia, fidentia [haec duo respiciunt actum *aggrediendi*], patientia, perseverantia [pro actu *sustinendi*]... Patientia est honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac *diuturna* [qua notione significatur *longanimitas*, de quo vide S. Thom., S. II. II. q. 136. a. 5.] perpessio.

[8] Rom. 12, 12: Spe gaudentes. Col. 1, 23: Si tamen permanetis in fide fundati et stabiles et immobiles a spe Evangelii etc.

[9] Cfr. quaest. praeced. in corp. — De ratione seq. cfr. infra d. 33. q. 1. ad 3.

Corollarium. quemadmodum in patria tres erunt dotes secundum tres animae vires, quarum una reformabit et consummabit *rationalem*, videlicet ipsa *visio*, alia *concupiscibilem*, videlicet *dilectio*, tertia *irascibilem*, videlicet ipsa perfecta *tentio*[1]; sic et in via necesse est ponere circa virtutes theologicas, quibus dotes habent correspondere.

Et sic tam ex parte *subiecti* quam ex parte *obiecti* colligitur, quod spes sub genere virtutis theologicae debet reponi. Theologicae enim virtutes Deum habent pro *obiecto*, et *superiorem partem* animae pro *subiecto*. — Concedendae sunt ergo rationes, quae sunt ad istam partem.

1. Ad illud quod obiicitur, quod circa actum spei Solutio oppositorum. contingit reperire excessum; dicendum, quod circa actum spei nunquam contingit reperire excessum Duplex excessus. propter nimietatem et intensionem *ipsius actus;* nemo enim potest nimis confidere in Domino; sed si habet excessum, hoc est propter defectum alicuius *conditionis*, quae requiritur[2] in actu sperandi, utpote si, neglectis meritis, omnino praesumit de misericordia Dei. Sed hoc non facit, ipsam spem esse in genere virtutis cardinalis; quia, quod dicitur virtus theologica differre a cardinali in hoc, quod non est in theologica reperire *excessum*, sicut in cardinali, intelligitur de *illo excessu*, qui quidem consistit in *actus intensione*, non de eo qui est in *debitae conditionis omissione*. Nam huiusmodi excessus, Notandum. secundo[3] dictus, repugnantiam habet cum omni virtute; primus vero non habet repugnantiam cum virtute theologica, quae habet obiectum infinitum, ita quod nec potest nimis amari nec nimis desiderari; sed repugnantiam habet cum virtute cardinali, cuius obiectum est bonum creatum et finitum et limitatum; ac per hoc exigitur, quod in actu sit *modus determinatus*, ultra quem si procedat, egreditur limitem sibi secundum determinationem virtutis statutum[4].

2. Ad illud quod obiicitur, quod spes est media duarum malitiarum; dicendum, quod aliqua virtus potest dici esse medium duarum malitiarum dupli- Medium est dupliciter. citer: aut sicut utriusque *eliminativa* et destructiva, aut sicut *ex utrisque constituta* quantum ad ea quae sunt in eis bona. Si sit media sicut *constituta*, quemadmodum *largitas* habet aliquid de *avaritia* in hoc, quod tenet tenenda, et aliquid de *prodigalitate* in hoc, quod dat danda[5]; sic est in genere virtutis cardinalis. Si autem sit media solum sicut *eliminativa;* sic non oportet, eam esse virtutem cardinalem; et hoc modo media est spes inter desperationem et praesumtionem. Liberat enim ab illo duplici malo, sicut fides de Trinitate et Unitate liberat ab errore Arii et ab errore Sabellii[6]. Et ideo non cogit illa ratio, quod spes non sit virtus theologica.

3. Ad illud quod obiicitur, quod spe non tantum speratur gloria, sed etiam gratia et venia; dicendum, quod non determinatur genus vel species Notandum. ipsius virtutis penes obiectum *quodcumque*, sed penes illud obiectum, quod habet rationem *motivi*. Quamvis autem spes versetur circa bona creata, quae exspectat; *ratio* tamen *movens* non est aliquod creatum, sed aliqua immensitas[7] illius summi Boni increati, cui innititur. Et ideo, quamvis per spem exspectat quis gratiam plenam et veniam perfectam, quia ad ipsam comparatur spes tanquam circa *materiam;* propter illa non oportet eam reponi in genere virtutis cardinalis, sicut in praecedentibus[8] habitum est de fide. — Et *si tu obiicias*, quod *obedientia* ponitur esse virtus cardinalis, et etiam *latria*, quia non tantummodo considerant obiectum increatum, sed etiam aliquid creatum concernunt, videlicet *obedientia* praeceptum, et *latria* cultum debitum, ac per hoc, quod ita debeat esse in spe; dicendum, quod non est simile, quia tam *latria* Notandum. quam *obedientia* concernit aliquod creatum tali modo, quod ratione illius respiciunt *actum exteriorem*[9]. Non sic autem est de *spe;* spes enim solummodo consistit in affectu interiori, qui praecipuam *movendi rationem* sumit ex parte superiori, videlicet ex parte obiecti increati.

4. Ad illud quod obiicitur, quod longanimitatis est exspectare, secundum quod spei; dicendum, quod alia est exspectatio *longanimitatis*, quae est pars Duplex exspectatio. fortitudinis, quam sit expectatio *spei*. Nam *exspectatio spei* consistit in quadam *protensione* ad bona aeterna, quae quidem consurgit ex *confidentia*, qua anima innititur ipsi Deo ex tota virtute sua[10]. Sed *exspectatio longanimitatis* est, qua anima constantia mentis et robore animi exspectat de omnibus affligentibus et deterrentibus triumphare; et sic actus

---

[1] Vide IV. Sent. d. 49. p. I. q. 5. — Inferius pro *debet reponi* cod. V *habet reponi*.

[2] Cod. K *quae reperitur*, cod. V *qui reperitur*.

[3] Vat. adiicit *modo*.

[4] Cfr. infra d. 27. a. 2. q. 5. in corp. — Paulo superius pro *exigitur* cod. A *exegi*, et dein cum cod. K *procedit* pro *procedat*.

[5] Aristot., II. Ethic. c. 7: Circa donationem acceptionemque pecuniarum mediocritas est liberalitas; excessus et defectus prodigalitas et illiberalitas seu avaritia, in quibus contrario modo excedunt et deficiunt homines. Prodigus enim in largiendo excedit, in accipiendo deficit; avarus contra excedit in accipiendo, in dando deficit. Cfr. ibid. IV. c. 1. seqq. — Pro *de prodigalitate* edd. *de largitate*.

[6] Cfr. supra d. 5. a. 2. q. 2. in fine corp.

[7] Verbi gratia: immensa potentia, immensa clementia etc. — Paulo superius post *vel species ipsius virtutis* codd. A K minus bene addunt *cardinalis*.

[8] Dist. 24. a. 1. q. 2. — De obedientia cfr. infra d. 33. q. 4. ad 4. et d. 37. per totam; de latria vide supra d. 9. a. 2. q. 3. — Mox pro *obedientia ponitur* edd. *obedientia potest*, et aliquanto inferius pro *concernit* codd. H Z *concernunt*. Deinde circa finem solut. pro *qui praecipuam movendi rationem* edd. *quae praecipuam modificandi rationem*.

[9] Scil. ut obiectum *materiale*, non ut *formale;* nec ut dicit *habitum*, de quo cfr. II. Sent. d. 27. dub. 3.

[10] Respicitur illud Marc. 12, 30: Et diliges Dominum Deum tuum... ex tota virtute tua.

longanimitatis, secundum quod est fortitudinis, differt ab actu spei et quantum ad *obiectum circa quod* et quantum ad *motivum*. Et ideo non sequitur, quodsi longanimitas est in genere virtutis cardinalis, quod propter hoc virtus spei debeat sub eodem genere reponi.

5. Ad illud quod obiicitur, quod spes fortificat contra affligentia; dicendum, quod aliquis actus potest esse alicuius virtutis tripliciter: vel sicut *elicientis*, vel sicut *imperantis*, vel sicut *adminiculantis*. Fortiter autem perferre terribilia est ipsius virtutis *fortitudinis* sicut *elicientis;* sed *fidei* est sicut *imperantis* et dictantis, iuxta illud quod dicitur ad Hebraeos undecimo [1] de viris sanctis, quod *per fidem vicerunt regna* et *fortes facti sunt in bello;* sed ipsius *spei* et *caritatis* est sicut *adminiculantis*. Amor enim Dei et certa exspectatio futurae beatitudinis multum adiuvant virtutem fortitudinis, ut possit omnia mala perferre, iuxta illud beati Gregorii [2]: « Spes praemii minuit vim flagelli ».

Virtus tripliciter producit actum.

Notandum.

SCHOLION.

1. Responsio ad hanc et seq. quaestionem non est controversiae exposita. Observatione digna est secunda ratio (hic in corp. et fundam. 5.), sumta ex parte *subiecti* secundum superiorem faciem animae, quae etiam in Breviloq. p. V. c. 4. exponitur. — Qua ratione aliquis possit aliquatenus sperare in homine, docetur I. Sent. d. 1. dub. 9, et IV. Sent. d. 5. dub. 4, et consentit S. Thom., S. II. II. q. 17. a. 4. — Argg. 1. et 2. ad oppos. eodem modo solvuntur a S. Thom. (S. I. II. q. 64. a. 4, et II. II. q. 17. a. 5. ad 1.), scilicet quod spes non habeat *medium* et *extrema* ex parte principalis et proprii obiecti, sed tantum *per accidens* ex parte *modi*, quo fit actus, sive ut dicit S. Bonav., propter defectum alicuius conditionis, nempe ex parte subiecti sperantis. Aliis verbis idem dicit Scotus (hic q. unica n. 24.).

De hac quaestione: S. Thom., hic q. 2. a. 2; S. II. II. q. 17. a. 5. — Petr. a Tar., hic a. 2. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. — Durand., hic q. 2.

II. Ad seq. quaestionem solvendam serviunt eadem principia, quae de fide informi, supra d. 23. a. 2. q. 1-4, applicata sunt. — De solutione ad 1. cfr. infra a. 2. q. 2.

De hac (4.) quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 65. m. 1. 2. — S. Thom., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 2, et tangitur in S. loc. cit. a. 8. ad 2. 3. — B. Albert., hic a. 5. — Dionys. Carth., hic q. unica.

QUAESTIO IV.

Utrum virtus spei aliquando sit informis, an semper sit formata.

Quarto quaeritur, utrum virtus spei aliquando sit informis, an semper sit formata. Et quod semper formata, videtur:

1. Primo per definitionem spei [3]: « Spes est certa exspectatio futurae beatitudinis proveniens ex gratia et meritis »; sed impossibile est, definitum separari a definientibus: ergo impossibile est, spem separari a meritis et gratia. Sed quando cum his est, semper est formata: ergo impossibile est, spem virtutem esse informem.

Ad oppositam.

2. Item, hoc ipsum ostenditur per illud quod dicit Magister in littera [4]: « Sine meritis aliquid sperare non spes, sed praesumtio dici potest »; sed praesumtio est vitium oppositum spei: ergo meritis absentibus, immediate subintrat vitium ipsi spei oppositum. Sed vitium oppositum virtuti non tantum excludit eam quantum ad eius *formale*, sed etiam quantum ad *habitum substratum:* ergo videtur, quod absentibus meritis, nihil remaneat de virtute spei: ergo non potest fieri informis.

3. Item, fides consistit partim in *affectu*, partim in *intellectu*, caritas autem consistit simpliciter in *affectu* [5]; sed facta deordinatione in *affectu* per peccatum, simpliciter tollitur caritas, quamvis non simpliciter tollatur fides, cum aliquid habeat ex parte intellectus — unde caritas non potest esse informis, quemadmodum fides potest esse informis — ergo si spes se totaliter tenet ex parte *affectus*, sicut et caritas, videtur etc.

4. Item, virtus fidei tunc est formata, quando non tantum credit *Deo*, sed etiam *in Deum* — quando enim credulitas iuncta est cum tendentia, tunc fides est virtus formata [6] — sed impossibile est, quod aliquis speret, quin tendat in rem speratam — nam ipsum sperare tendere est — ergo videtur, quod spes semper sit virtus formata.

---

[1] Vers. 33. seq. — Cfr. infra d. 27. a. 1. q. 1. ad 1; d. 28. q. 1. in corp. et d. 36. dub. 3. — Subinde pro *quod* cod. A *qui*.

[2] Libr. VI. Moral. c. 22. n. 39: Spes quippe in aeternitatem animum erigit, et idcirco nulla mala, exterius quae tolerat, sentit. Ibid. VIII. c. 8. n. 14: Cum mentis oculos ad aeternae patriae considerationem tendunt [electi adversis gravati], ex comparatione praemii, quam sit leve quod patiuntur, inveniunt. Cfr. IV. c. 13. n. 16.

[3] Hic in lit. Magistri, c. 1, et infra dub. 2. — Subinde in *minori* pro *definientibus* [scil. partibus] codd. A H U et edd. 1, 2 *definitionibus*, cod. N *definitione* [in *Supplemento* Summae Alex. Hal. collat. 56. a. 1: impossibile est, definitionem separari a definito]. De ipsa *minori* cfr. Aristot., VI. Topic. c. 1. — Paulo superius post *Et quod* edd. cum paucis codd. interserunt *sit*.

[4] Hic c. 1. — Inferius pro *eius formale* edd. *eius formam*.

[5] Cfr. supra d. 23. a. 1. q. 2. et infra d. 27. a. 1. q. 3. circa finem corp. Ibid. q. 4. ostenditur, caritatem non posse esse informem. De fide informi vide supra d. 23. a. 2. q. 1. seqq. — Quod spes se teneat ex parte affectus, docetur hic a. 2. q. 5.

[6] Vide supra lit. Magistri, d. XXIII. c. 4, et Comment. dub. 3.

Sed contra: 1. Augustinus in libro de Vera Fundamenta. Innocentia [1]: « Cum ceterae virtutes sint bonis et malis communes, dilectio Dei et proximi proprie bonorum est atque piorum »: ergo virtus spei potest esse communis bonis et malis; sed mali non habent virtutem *cum* gratia, sed *sine;* et tales sunt virtutes informes: ergo etc.

2. Item, sicut se habet fides formata ad spem formatam, ita se habet fides informis ad spem informem; sed fides formata generat spem formatam: ergo fides informis generat spem informem [2].

3. Item, sicut spes consurgit ex fide praemiorum, sic timor consurgit ex fide suppliciorum; sed timor potest esse informis et formatus [3]: ergo et spes.

4. Item, multi sunt peccatores, qui sperant, se adhuc acturos poenitentiam et assecuturos veniam et perventuros ad gloriam; constat, quod illud non est malum, immo potius ordinat ad bonum et excludit malum, videlicet desperationem; sed si hoc esset cum gratia, esset actus virtutis formatae: ergo cum sine gratia possit illud remanere, ut aliquis per merita speret se perventurum ad gloriam; videtur, quod ipsa virtus spei possit esse informis [4].

CONCLUSIO.

Virtus spei potest esse informis.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio vir- Conclusio. tus *spei* potest esse informis. — Potest enim aliquis Ratio 1. sperare vitam aeternam sine gratia gratum faciente, Ratio 2. sicut manifeste apparet. Et *iterum,* ille actus sperandi ab aliquo habitu procedit, qui quidem habitus *bonus* est et tenet etiam quodam modo rationem *virtutis,* pro eo quod potentiam, quam perficit, Potentiam rectificat. quodam modo *rectificat* et *vigorat. Rectificat* quidem, dum aliquam inclinationem et ordinem [5] tribuit ad gloriam tanquam ad finem ultimum, ubi Item vigorat. standum et in quo quiescendum. *Vigorat* etiam in hoc, quod elevat potentiam ad aeterna bona exspectanda et quandam stabilitatem ei tribuit, ne per desperationem succumbat. Et ideo, sicut *fides* absque caritate virtus informis est, quia tribuit animae quandam *rectitudinem* et *vigorem,* qui compleri habet et perfici per gratiae infusionem; sic intelligendum est et circa ipsam *spem.* Unde et cetera, quae dicta sunt de fide informi [6], possunt spei informi applicari. — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, spei virtutem posse fieri informem.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium, Solutio opquod spes procedit ex meritis; dicendum, quod positorum. *quadrupliciter* potest aliquis exire in actum spe- Quatuor modi sperandi. randi. Aut enim sperat habendo merita in *proposito* et in *radice* et in *effectu,* sicut homo iustus, qui diu Deo servivit. Aut sperat habendo merita in *proposito* et in *radice, non* tamen in *effectu,* sicut ille qui ante bonum usum virtutum, postquam suscepit gratiam, exspectat aeternam beatitudinem. Aut sperat habendo merita in *proposito* tantum, non in *radice* nec in *effectu,* sicut ille qui peccator est, qui proponit multa bona facere et per illa salvari. Aut sperat non habendo merita nec in *effectu* nec in *radice* nec in *proposito,* sicut ille qui faciendo mala et in malis proponens perseverare, per solam Dei misericordiam credit, se assecuturum gloriam, neglecta divina iustitia. *Primus* actus est spei forma- Determinantur. tae et iam exercitatae; *secundus* actus est spei formatae et primo infusae; *tertius* actus est spei informis; et *quartus* est ipsius praesumtionis [7]. Cum ergo dicitur, quod spes procedit ex gratia et meritis; dicendum, quod aut definitur ibi *spes,* prout est virtus *formata,* et sic nulla est obiectio de spe *informi;* aut si definitur ibi *spes generaliter,* secundum quod est virtus, dicitur procedere ex gratia et meritis, quae quidem vel habentur in *re,* vel habentur in *proposito;* et sic non est instantia de spe informi.

2. Ad illud quod secundo obiicitur, iam patet responsio per illud quod nunc dictum est. Quod enim dicit Magister, quod *sperare sine meritis* est *praesumere;* hoc intelligit, quando aliquis sperat sine meritis non solum in *re,* sed etiam in *proposito;* et hoc modo sperare non pertinet ad spem informem, sed ad praesumtionem.

3. Ad illud quod obiicitur, quod fides ideo potest fieri informis, quia habet aliquid ex parte intellectus et aliquid ex parte affectus; dicendum, quod Notandum. ista non est *tota* ratio, sed haec est ratio, quia habitus *fidei* habet aliquam rectitudinem et vigorem in hoc, quod facit credere omnia credibilia et excludit errorem et infidelitatem, qui quidem vigor potest esse absque gratia gratum faciente; et hoc est reperire in *spe,* quae facit *vitare* praesumtionem et desperationem et *exspectare* omnia exspe-

---

[1] Num. 7. Cfr. supra pag. 487, nota 1. — Circa finem arg. post *sed sine* codd. F T supplent *gratia.*

[2] Vide verba Bernardi, supra pag. 561, nota 6.

[3] Cfr. infra lit. Magistri, d. XXXIV. c. 4. seqq., et Comment. p. II. per totam.

[4] Vide August., Enchirid. c. 117. n. 31.

[5] Edd. *ordinationem et inclinationem,* sed codd. H K *inclinationem et ordinationem.*

[6] Supra d. 23. a. 2. q. 1. seqq. — Paulo superius pro *rectitudinem* codd. Z bb *rectificationem,* et subinde pro *qui* edd. *quae.*

[7] Alex. Hal., S. p. III. q. 65. m. 1. ad 4. sic distinguit: Spe igitur formata confidit quis ex meritis existentibus *actu vel habitu;* spe informi confidit quis sine meritis existentibus actu vel habitu, existentibus tamen *in potentia;* quamvis enim non habeat merita actu vel habitu, tamen confidit, quia potest habere; praesumtio vero confidit sine meritis *omnino* vel actu, vel habitu, vel in potentia existentibus. — Paulo superius Vat. omittit *et primo infusae,* quae verba habentur in codd. A K M U Z, dum in aliis codd. et in edd. 1, 2 legitur *et post infusae,* quibus verbis cod. C addit *et non exercitatae.*

ctanda. Et quia ista ratio reperitur communis utrobique, ideo potest spes esse informis, sicut et ipsa fides; secus autem est de caritate, sicut infra [1] videbitur suo loco. Ideo ratio non concludebat, quia non-causam accipiebat pro causa.

4. Ad illud quod obiicitur, quod spes semper habet secum adiunctam tendentiam; dicendum, quod tendentia duplex est. Quaedam enim est tendentia *plena;* et ista est a gratia operante et cooperante, et haec facit, virtutem esse formatam. Quaedam autem est tendentia *exilis* et *semiplena*, sicut dicitur de pigro, quod *vult et non vult piger* [2]. Et ista quidem tendentia potest dare aliquam *rectitudinem* et *vigorem* ipsi voluntati et sortitur nomen virtutis *generaliter acceptae*, non virtutis *gratuitae;* et ideo tenet rationem virtutis informis, non rationem virtutis formatae. Cum autem dicitur, quod tendentia in Deum facit credulitatem esse formatam; hoc intelligitur de tendentia, quae est a voluntate *plenaria*. Haec autem non potest esse nec in spe nec in fide sine gratia [3].

Duplex tendentia.

QUAESTIO V.

Utrum spes in suo actu sit certitudinalis, an dubia.

Quinto quaeritur, utrum spes in actu suo sit certitudinalis, an dubia. Et quod sit certitudinalis, videtur:

1. Primo per illud quod dicitur ad Romanos octavo [4]: *Certus sum, quia neque mors neque vita neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei;* sed Apostolus non erat de hoc certus certitudine *comprehensionis:* ergo certus erat certitudine *exspectationis* sive confidentiae ipsius spei: ergo spes in actu suo reddit hominem certum.

Fundamenta.

2. Item, hoc ipsum ostenditur per definitionem spei, quam Magister ponit in littera [5]: « Spes est certa exspectatio futurae beatitudinis »: si ergo exspectatio est circa actum ipsius spei, spes in suo actu est certitudinalis.

3. Item, quod removet haesitationem sive vacillationem tribuit certitudinem; sed haesitatio, quae facit hominem vacillare, removetur per confidentiam spei [6]: igitur spes dat certitudinem ipsi speranti: ergo in actu suo est certitudinalis.

4. Item, sicut impossibile est, summam Veritatem fallere et decipere sibi credentem, sic impossibile est, ipsam deserere quemquam in se confidentem: ergo sicut credens in Deum certus est de veritate credita, sic sperans in ipsum certus est de salute exspectata [7]: ergo videtur, quod circa actum ipsius spei certitudo consistat.

5. Item, si « virtus est certior omni arte [8] », ancora omnium virtutum debet esse certissima: cum ergo spes ipsa ad ipsas virtutes se habeat quasi quaedam ancora, videtur ergo, quod ipsa spes in actu suo sit valde certa.

Sed contra: 1. Spes secundum suum actum procedit ex habitu, vel consideratione gratiae et meritorum [9]; sed nullus certus est, utrum habeat gratiam, an non: ergo videtur, quod spes in actu suo nullam habeat certitudinem.

Ad oppositum

2. Item, nihil pendens a vertibilitate voluntatis habet certitudinem; sed spes est in libero arbitrio, et actus eius et meritum pendet a vertibilitate voluntatis; similiter et praemium, quod exspectat: ergo videtur, quod nullam habeat certitudinem.

3. Item, nullus est certus de assecutione illius rei, ad quam nunquam perveniet; sed multi sunt, qui habent fidem, spem et caritatem, qui finaliter reprobi efficiuntur: ergo in talibus virtus spei non habet certitudinem. Sed qua ratione in talibus non habet, nec in aliis, cum in omnibus sit conformiter et uniformiter: igitur in nullo certitudinem habet.

---

[1] Dist. 27. a. 1. q. 4. — De fallacia non-causa ut causa cfr. Aristot., l. Elench. c. 4. (c. 5.). — Paulo ante pro *et hoc est* edd. *et hunc est*. In initio solut. pro *fides ideo potest* codd. A U *fides non potest*.

[2] Prov. 13, 4. — De gratia *operante* et *cooperante* cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXVII. c. 1, et Comment. ibid. a. 1. q. 1. atque dub. 1. — Alex. Hal., S. p. III. q. 65. m. 1. ad 3: Respondendum, quod est voluntas *plena* et voluntas *semiplena* sive imperfecta. Voluntas *imperfecta* designatur per optativum modum, ut cum dicitur *vellem;* voluntas *perfecta* per indicativum, ut cum dicitur *volo, desidero*. Voluntas *imperfecta* sive semiplena concomitatur spem informem, voluntas vero *perfecta* spem formatam. Inde est, quod proprie non potest dici de existenti in peccato mortali, quod *vult* tendere in beatitudinem, sed quod *vellet;* secundum quem modum dicitur Prov. 13. de pigro: *Vult et non vult piger; anima autem operantium* etc. — Circa finem solut. cod. Y verbo *formatam* praemittit *perfectam et*, cod. W *perfectam*, sine *et*.

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Vers. 38. seq., ubi Vulgata post *neque vita* addit *neque Angeli neque Principatus neque Virtutes neque instantia neque futura neque fortitudo neque altitudo neque profundum neque creatura alia* etc.

[5] Hic c. 1. In definitione spei hic allata multi codd. et edd. 1, 2 omittunt vocem *certa*. — Subinde pro *si ergo exspectatio* Vat. *Si ergo certitudo*.

[6] Cfr. supra pag. 561, nota 8.

[7] Psalm. 30, 1. et 70, 1: In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

[8] De hac sententia Aristot. vide supra pag. 480, nota 4. et pag. 482, nota 5. In seqq. respicitur illud Hebr. 6, 19: Quam [spem] sicut ancoram habemus animae tutam ac firmam etc.

[9] Respicitur definitio spei, hic in lit. c. 1. a Magistro proposita. — *Minor* innititur verbis illis Eccle. 9, 1: Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.

4. Item, quia fides certa est, impossibile est, quod aliquis in actu vel motu fidei fallatur vel decipiatur [1]: ergo si spes habet certitudinem in actu suo, impossibile est, quod aliquis fallatur et frustretur ab eo quod sperat; sed hoc est manifeste falsum: ergo spes non habet certitudinem circa suum actum. *Si tu dicas*, quod nullus sperans fallitur, pro eo quod spes non facit *simpliciter* exspectare, sed *sub conditione*, videlicet si *perseveraverit usque in finem* [2]; *contra*: spes pertinet ad actum potentiae irascibilis, cuius non est conditionem apponere; et iterum, esto quod conditio illa apponatur, cum illa conditio sit valde dubia, totum reddit dubium: ergo sive absolute, sive cum conditione speret quis; videtur, quod circa actum spei nulla sit certitudo.

5. Item, certitudo opponitur dubitationi: ergo cum dubitatio pertineat ad potentiam cognitivam, et «opposita nata sint fieri circa idem» [3]; certitudo solum spectat ad potentiam cognitivam. Sed spes non est in cognitiva, sed in affectiva: ergo videtur, quod in actu suo non habeat certitudinem aliquam.

CONCLUSIO.

Virtus spei in suo actu habet certitudinem distinctam a certitudine fidei.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod absque dubio, secundum quod Conclusio 1. auctoritates et rationes ostendunt, virtus spei in suo actu habet certitudinem. Cuiusmodi autem sit illa certitudo, difficile est definire.

Quidam namque dicere voluerunt, quod certi- Opinio 1. de modo huius certitudinis. tudo spei non est sibi ipsi propria neque diversa a certitudine fidei, immo spes omnem certitudinem suam trahit a fide, sicut scientia in *particulari* trahit certitudinem a scientia in *universali*. Ideo enim quis novit, quod haec mula est sterilis, quia novit de omni mula in universali [4]. Et sic dicunt se habere *spem* ad *fidem*, sicut se habet scientia in *particulari* ad scientiam in *universali*. Sicut enim dicit Augustinus, et Magister recitat in littera [5], per *fidem* credit homo, omnes finaliter bonos esse salvandos, et de hoc habet quandam certitudinem; per *spem* autem confidit, se esse salvandum; unde quod credens generaliter credebat, sperans per spem sibi appropriat. Et quoniam non est certitudo circa singularia, nisi in quantum referuntur ad universale [6]; ideo spes non appropriat certitudinem fidei sibi *absolute*, sed *sub conditione*. Unde recte sperans non sperat, se omnino esse salvandum, sed sub hac conditione, videlicet si *perseveraverit usque in finem*. Dicunt igitur, quod certitudo fidei non differt a certitudine spei, nisi quia illa est in *universali*, ista in *particulari*; illa autem [7] *absoluta*, et ista *conditionata*. Unde certitudo *fidei* dicitur esse certitudo *fidelitatis*, certitudo autem *spei* est certitudo *confidentiae*. *Confidentia* autem non est aliud, ut dicunt, quam quaedam fidelitas ad se conversa. Ille enim confidit de aliquo, qui credit aliquid obtinere. — Sed iste modus dicendi, licet videatur esse pro- Non sufficit. babilis, non sufficit, pro eo quod — sicut dicitur in Glossa, ad Romanos quinto [8] super illud: *Probatio operatur spem*, id est certitudinem spei — spes, ut ibi innuit Glossa, habet *propriam* certitudinem; et aliter certificatur homo de salute obtinenda per ipsam *fidem*, aliter certificatur per ipsam *spem*. Alioquin, si solum differret sicut scientia in *particulari* a scientia in *universali* certitudo spei a certitudine fidei, iam [9] non esset habitus distinctus contra ipsam fidem, immo eidem deberet subalternari tanquam particulare sub universali, vel speciale sub generali.

Et propterea est alius modus dicendi, quod Opinio 2. ipsa spes certitudinem habet, non solum eam, quam mendicat [10] a fide, sed etiam *propriam*, quae distin- Conclusio 2. guitur a certitudine fidei. Et illa distinctio cognosci potest per duplicem differentiam, videlicet ratione Duplex differentia. *obiecti*, circa quod habet illa certitudo versari, et ratione *oppositi*, cui habet contrariari. Ratione *obiecti*, Differentia 1. quia *fides* et eius certitudo fertur supra ipsam complexionem ratione *totalis compositionis*. Est enim circa verum et falsum, et verum est circa compositionem, ut dicit Philosophus [11]. Unde et in praecedentibus ostensum fuit, quod enuntiabile complexum

---

[1] Vide supra d. 24. a. 1. q. 1.

[2] Matth. 10, 22: Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. — De formula: «potentiae irascibilis non est conditionem apponere», cfr. supra pag. 375, nota 1. 2. et 4.

[3] Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis*, et II. Topic. c. 3. (c. 7.). Idem Philosophus dicit VI. Topic. c. 3. (c. 6.): Dubitationis videbitur effectivum esse contrariarum aequalitas *ratiocinationum*; quandocumque enim ad utraque *ratiocinantibus* nobis similiter videntur omnia secundum utrumque fieri, dubitabimus, utrum agamus. — De *minori* vide infra a. 2. q. 5. — Pro *ad potentiam cognitivam*, quam lectionem optimam exhibent codd. A K N bb, alii codd. et edd. *ad ipsam cognitivam* [codd. G H *cognitionem*].

[4] Aristot., II. Prior. c. 21. (c. 23.) eodem exemplo utitur ad ostendendam relationem, quae est inter cognitionem particularem et universalem, his verbis: Quoniam omnis mula sterilis, et haec mula.

[5] Supra d. XXIII. c. 3.

[6] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 20. (c. 24.); III. Metaph. text. 12. (II. c. 4.), et VI. Ethic. c. 3.

[7] Pro *autem* codd. U V *est*. Aliquanto inferius Vat. verbo *obtinere* praefigit *ab eo*.

[8] Vers. 4. — Apud Strabum et Petr. Lombard. haec Glossa, quae est *ordinaria*, sonat sic: *Spem*, id est certitudinem gloriae futurae [Petr. Lombard. addit: Spes enim est certa exspectatio futurae gloriae], quae humanae rationi vana videtur, sed testimonio virtutis, id est patientiae vel miraculorum, firmatur. — Pro *non sufficit* edd. *non tamen sufficit*.

[9] Edd. supplent *spes*. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

[10] Pro *mendicat*, sicut scriptum invenimus in codd. A F H N T V, alii codd. *vindicat*, edd. 1, 2 *accipit*, Vat. *accepit*.

[11] Cfr. supra pag. 514, nota 3. — Quod fides sit circa complexum, et in complexo consistat articulus, ostensum est supra d. 23. a. 1. q. 3. Cfr. ibid. a. 2. q. 2. — Paulo ante Vat. omittit *et falsum*, et subinde pro *et verum est* cod. A habet *et falsum est*.

est articulus. *Spes* autem et eius certitudo non est circa complexionem ratione *totius*, sed ratione *rei attributae*. Unde cum dicitur: spero, me habiturum vitam aeternam, non speratur ibi hoc *dictum totale*, sed speratur *vita aeterna*; et ita certitudo *spei* respicit ipsam *attributionem* vel rem attributam, sed certitudo *fidei* ipsam *complexionem*. — Differentia 2. Ratione etiam *oppositi*, cui habet contrariari, cadit ibi distinctio. Nam certitudo *fidei* repugnat *errori* et *dubitationi*; certitudo autem *spei* repugnat *diffidentiae* et *haesitationi*. Licet autem istae duae certitudines sint diversae, tamen in hoc communicant, quod utraque est firmitas quaedam. Fides enim firmat [1] intellectum, ne discredat; spes autem firmat affectum, ne diffidat. — Et ex hoc colligitur tertia diversitas, qua differt certitudo fidei a certitudine *spei*, quia non solum differt ratione *obiecti* et ratione *oppositi*, sed etiam ratione *subiecti*, quoniam una est circa *intellectum*, altera vero circa *affectum* [2]. — Sed attendendum est, quod certitudo circa *intellectum* habet esse duobus modis. Quaedam enim est, quae facit intellectum *potentem* ad vincendum errorem et excludendum dubitationem; et talis certitudo est certitudo viae. Quaedam autem est certitudo, quae reddit intellectum *impossibilem* ad errorem; et haec est certitudo patriae. — Per hunc etiam modum intelligendum est et in certitudine *affectus*. Nam quaedam sic firmat affectum, ut *possit* diffidentiam superare; quaedam sic firmat, ut *non possit* ullatenus commoveri [3] vel haesitare. Prima est spei in via, secunda est tentionis in patria.

Notandum. Differentia 3. additur. Duplex certitudo circa intellectum. Similiter in affectu

Sic igitur patet, quod virtus spei habet certitudinem in actu suo; patet etiam, quae et qualis est illa certitudo; quoniam est differens a certitudine fidei et minor est quam certitudo gloriae; non enim est certitudo *perpetuae confirmationis* [4], sed cuiusdam *virilis adhaesionis*. — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod spes in suo actu habet certitudinem.

Epilogus.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod nulla certitudo habetur de meritis et gratia, ex qua procedit spes; dicendum, quod quamvis de meritis non habeatur certitudo per *scientiam necessariam*, haberi tamen potest certitudo per *probabilem coniecturam* et per quandam ipsius bonae voluntatis *confidentiam*, quae consurgit ex conscientia bona [5]. Puritas enim conscientiae, quae introducitur per expulsionem culpae, dat ipsi animae quandam securitatem et certitudinem de merito iam inchoato, et per consequens certitudinem de praemio assequendo.

Solutio oppositorum. Distinctio certitudinis.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nihil pendens ex vertibilitate voluntatis habet certitudinem; dicendum, quod verum est, si consistat in ipsa voluntate, secundum quod voluntas innititur *sibi*; sed si consistat in ipsa voluntate, in quantum voluntas innititur *Deo*, qui est firmitas nostra, secundum quod dicit Augustinus in libro Confessionum [6]; hoc modo potest habere robur et certitudinem; et tali modo habet spes consistere in nostra voluntate. Facit enim nos summae firmitati innitendo in ipsa et de ipsa confidere, ac per hoc nobis quandam certitudinem tribuit de assequenda salute. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod nullus est certus de assecutione illius rei, ad quam nunquam perveniet; dicendum, quod est certitudo *ordinis* et certitudo *eventus* [7]. Cum ergo dicitur, quod spes habet certitudinem in suo actu; dicendum, quod hoc verum est de certitudine *ordinis*, quia efficaciter et infallibiliter vera spes ordinat ad salutem. Sed cum ipse obiicit, quod nullus est certus de eo quod non assequitur; obiectio currit de certitudine secundum aliam differentiam, quae quidem est certitudo *eventus*. Et ideo non cogit illa ratio. Alia distinctio certitudinis.

4. Ad illud quod obiicitur, quod si spes certa esset, non posset falli, sicut nec fides; dicendum, quod sicut duplex est *necessitas*, scilicet absoluta et conditionata [8], sic duplex est *certitudo*. Si loquamur de certitudine *conditionata*, sic est in spe certitudo *necessitatis* et infallibilitatis; certus est enim unusquisque infallibiliter, quod si perseveraverit usque in finem in gratia et bonis meritis, ad salutem perveniet. Si autem loquamur de certitudine *absoluta*, sic est in ipsa spe certitudo *probabilitatis*; qui enim bonam habet conscientiam atque propositum, probabiliter potest esse certus, quod opera ex tali voluntate procedentia sint apud Deum meritoria, et per hoc confidere, se assecuturum vitam aeternam. Unde quod ipse ostendit [9] de illa conditione, quod est dubia, et quod eam non apponit spes; dicendum, quod etsi spes non apponat eam per se, apponit eam tamen per regulam fidei dirigentis. Et licet etiam non sit omnino certa illa conditio certitudine *manifestae scientiae*, est tamen Tertia eiusdem distinctio.

[1] Cod. V hic et paulo post *confirmat*. Mox edd. verba sic transposuerunt: *qua differt certitudo spei a certitudine fidei*.

[2] Cfr. infra a. 2. q. 5. et supra d. 23. a. 1. q. 2. — Paulo inferius pro *ad vincendum errorem* cod. O *ad vitandum errorem*.

[3] Cod. H *moveri*, edd. *amoveri*, quae etiam subinde pro *haesitare* cum multis codd. *haesitari*. Superius cod. Z bis *confirmat* pro *firmat*.

[4] Pro *confirmationis* cod. M *affectionis*, edd. *consummationis*. Subinde pro *virilis* cod. Z *particularis*.

[5] Epist. II. Cor. 1, 12: Nam gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae etc. Cfr. supra d. 23. dub. 4. — Paulo superius codd. B D verbo *haberi* praefigunt *bene*.

[6] Libr. XI. c. 30. n. 40: Et stabo atque solidabor in te, in forma mea, veritate tua. — Mox post *certitudinem* cod. S addit *et fortitudinem*.

[7] Cfr. supra d. 24. a. 1. q. 1. ad 3. — Inferius pro *obiectio currit* cod. Z *oppositio est*.

[8] Vide supra pag. 510, nota 4, et I. Sent. d. 38. a. 2. q. 1. in corp. et d. 40. a. 2. q. 2. ad 5, ubi distinguitur certitudo *necessitatis* et infallibilitatis.

[9] Edd. *obiicit*.

certa certitudine cuiusdam *confidentiae*, sicut praedictum est.

3. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod certitudo spectat ad cognitivam; iam patet responsio per ea quae sunt praedicta; nam certitudo non solum respicit intellectum, verum etiam affectum.

SCHOLION.

I. Responsio ad hanc quaestionem confirmatur doctrina Concilii Trident. (Sess. VI. c. 13; cfr. c. 9.), ubi primo dicitur de perseverantia, quod « nemo sibi *certi* aliquid *absoluta* certitudine polliceatur »; deinde additur: « tametsi in Dei auxilio *firmissimam spem* collocare et reponere *omnes* debent ». Porro in can. 13. 14. 15. 16. reprobatur praesumtio eorum qui docent, vel « omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat *certo* et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa »; vel « hominem a peccatis absolvi ac iustificari ex eo, quod se absolvi et iustificari *certo credat* »; vel « iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero praedestinatorum »; vel talem certitudinem perseverantiae a quoquam haberi posse, « nisi hoc ex speciali revelatione didicerit ». Cfr. I. Sent. d. 17. p. I. q. 3, d. 40. a. 2. q. 2, d. 41. a. 1. q. 2.

II. Opinio prima in corp. relata reiicitur etiam a S. Thoma aliisque communiter, qui simul docent, spem habere suam propriam certitudinem, distinctam ab ea quae est in fide. Certitudo enim in genere sumta, primo et essentialiter est in *intellectu*, secundario et participative etiam in *affectu*. — De differentia, quae est inter certitudinem fidei et spei, idem docet S. Thom. (hic q. 2. a. 4. in fine, cfr. S. II. II. q. 18. a. 4.) dicens: « Certitudo spei et fidei in quatuor differunt: primo in hoc quod certitudo fidei est intellectus, certitudo autem spei est affectus. Secundo, quia certitudo fidei non potest deficere, sed certitudo spei per accidens deficit. Tertio, quia certitudo fidei est de complexo, certitudo autem spei est de incomplexo, quod est appetitus obiectum. Quarto, quia certitudini fidei opponitur dubitatio, certitudini autem spei opponitur diffidentia vel haesitatio ».

III. Praeter S. Thomam: Petr. a Tar., hic a. 4. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 2. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. unica.

ARTICULUS II.

De spe secundum considerationem relatam.

Consequenter quaeritur de spe secundum considerationem relatam. Et circa hoc quaeruntur quinque.

Primo quaeritur de ipsa spe per comparationem ad timoris donum.

Secundo per comparationem ad meriti usum.

Tertio quaeritur de ipsa per comparationem ad caritatis habitum.

Quarto quaeritur de eadem per comparationem ad proprium obiectum [1].

Quinto et ultimo quaeritur de ea per comparationem ad suum subiectum.

QUAESTIO I.

Utrum timor et spes sint unus et idem habitus, an diversi.

Circa primum sic proceditur et quaeritur de spe per comparationem ad donum timoris, et est quaestio, utrum timor et spes sint unus et idem habitus, vel diversi. Et quod sint idem habitus, videtur posse ostendi:

Ad oppositum.

1. Primo per simile in *naturalibus:* quoniam unum et idem pondus est, per quod corpus recedit ab una differentia positionis et accedit ad alteram; sed hoc est affectio in spiritibus, quod est pondus in corporibus, ut vult Augustinus [2]: ergo unus et idem habitus affectivus est, quo quis recedit a malo et quo tendit in bonum. Sed per timorem omnis recedit a malo, per spem tendit in bonum: ergo timor et spes sunt unus et idem habitus.

2. Item, hoc ipsum videtur per simile in *disciplinalibus;* quia « oppositorum eadem est disciplina, ut recti et curvi, sani et aegri [3] »: ergo si habitus virtutis est quaedam ars, videtur, quod unus et idem habitus possit ordinare habentem et dirigere ad opposita: ergo si spes dirigit animam in comparatione ad bonum, et timor in relatione ad malum; videtur, quod spes et timor sint unus habitus directivus.

3. Item, hoc ipsum videtur per simile in *moralibus;* quoniam duarum extremitatum medietas est una [4]; sed inter desperationem et praesumtionem est medietas, quae est spes; et inter haec eadem est medietas, quae est timor: ergo spes et timor sunt unus habitus.

4. Item, hoc ipsum videtur per simile in *theo-*

---

[1] Codd. hic *subiectum*, et subinde in fine ultimae propositionis *obiectum* pro *subiectum;* sed haec lectio non respondet ordini quaestionum, quae infra tractantur.

[2] Libr. XIII. Confess. c. 9. n. 10; XI. de Civ. Dei, c. 28; VI. de Trin. c. 10. n. 12. Cfr. supra pag. 289, nota 5. — In seqq. respicitur illud Ps. 33, 15: « Diverte a malo et fac bonum », et illud Prov. 3, 7: « Time Deum et recede a malo ». — Superius pro *Et quod sint idem* edd. *Et quod sint unus et idem.*

[3] Aristot., I. Prior. c. 1. 37. (c. 33.) 40. (c. 38.); II. c. 26. (c. 28.); I. Topic. c. 12, ubi Philosophus propositionem: « Contrariorum eadem disciplina [ἐπιστήμη] », ut *rationalem* (λογικήν) i. e. ad logicam pertinentem significat.

[4] Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 6. seqq.

logicis virtutibus; quoniam fides, quae est virtus theologica, una et eadem est, sive per ipsam credantur bona, sive per ipsam credantur mala: ergo si spes et timor generantur ab ipsa fide, et genitum debet assimilari generanti [1]; videtur ergo, quod sicut fides est unus habitus theologicae virtutis, sic et spes et timor sint unus habitus directivus affectionis.

5. Item, hoc ipsum videtur per simile in *peccatis actualibus*. Sicut enim per virtutem declinat homo a malo et tendit in bonum, sic per peccatum actuale divertitur a bono incommutabili et convertitur ad commutabile; sed in peccato unus et idem actus est et una et eadem culpa, qua quis avertitur a Deo et convertitur ad commutabile bonum [2]: ergo similiter erit ex parte virtutis. Si ergo per spem tendit quis in bonum et per timorem declinat a malo; videtur, quod spes et timor sint unus habitus.

Fundamenta. SED CONTRA: 1. Secundum Sanctos et philosophos [3] quatuor consueverunt affectiones animi numerari, videlicet gaudium et dolor, spes et timor: si ergo vere quatuor sunt, necesse est, spem et timorem ab invicem differre, secundum quod sunt affectiones. Sed habitus spei dirigit illam affectionem, quae dicitur spes, et habitus timoris aliam: ergo videtur, quod sint habitus diversi.

2. Item, sicut se habent affectiones de praesenti malo et bono ad invicem, sic se habent affectiones de futuro bono et malo [4]; sed affectiones de praesenti bono et de praesenti malo non solum distinguuntur, sed etiam formaliter opponuntur, ut gaudium et dolor: ergo cum spes sit de futuro bono, timor de futuro malo; videtur, quod spes et timor non solum distinguantur, sed etiam opponantur ad invicem.

3. Item, plus differt habitus virtutis ab habitibus donorum, quam habitus virtutum ad invicem; sed habitus timoris computatur inter dona, habitus spei inter virtutes, secundum quod dicit Gregorius in Moralibus [5]: ergo si spes differt ab aliis virtutibus, videtur multo fortius, quod differat a timore.

4. Item, quandocumque duo habitus sic se habent, quod unus evacuatur et alter non, illi formaliter distinguuntur; sed *timor Domini sanctus permanet in saeculum saeculi* [6], spes autem evacuatur, secundum quod dicit Magister in littera, et infra habetur: ergo spes et timor essentialiter differunt.

5. Item, quorum effectus sunt ad invicem disparati, et ipsa sunt disparata [7]; sed *esse securum* et *esse pavidum* opponuntur — spes reddit securum, timor reddit pavidum — ergo spes et timor formaliter distinguuntur.

CONCLUSIO.

Spes et timor, sive nominent habitus, sive nominent affectiones animae, diversitatem habent ad invicem.

Conclusio. RESPONDEO: Dicendum, quod timor et spes, sive nominent *habitus*, sive nominent *affectiones* animae, diversitatem habent ad invicem. Diversitas enim *habituum* attenditur penes diversitatem *actuum* principalium [8]; quoniam igitur *spes* consistit in quadam confidentia et erectione, *timor* vero in quadam fuga et resilitione: hinc est, quod timor et spes habent ad invicem diversitatem ratione suorum actuum. Diversitas autem ipsorum *actuum* venit ex parte *obiecti*, in quantum habet rationem *motivi*. Cum enim anima apprehendit aliquid nondum praesens, sed futurum in ratione *convenientis*, afficitur affectione *spei*, si adsit potestas assequendi; cum autem apprehendit in ratione *disconvenientis*, afficitur affectione *timoris*, si possit ab illo superveniri [9]. — Et sic patet, quod spes differt a timore ratione differentiae repertae in actu proprio et etiam in obiecto. Et concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

Axioma 1.

Axioma 2.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur per simile in *naturalibus*, quod idem est pondus, quod facit recedere ab uno oppositorum et accedere ad alterum; dicendum, quod non est *omnino simile* in voluntario amore et in naturali pondere: quoniam motus *naturalis*, maxime localis, necessario duos habet terminos, videlicet terminum *ad quem* et terminum *a quo*; nec potest aliquod corpus recedere a termino *a quo*, nisi tendendo ad terminum *ad quem*; unde ad unum et eundem actum requiruntur illa duo extrema, ita quod unum est in ratione *principii*, et alterum in ratione *termini*. Et propterea in *naturalibus* unum est pondus, per quod

Notandum.

---

[1] Vide supra pag. 186, nota 10. et pag. 188, nota 1. — De *maiori* cfr. hic lit. Magistri, c. 3, et supra d. 23. a. 1. q. 3. — Pro *debet* cod. Z *habet*.

[2] Cfr. II. Sent. d. 42. a. 3. q. 2. — Pro *avertitur a Deo* edd. *convertitur a Deo*.

[3] Vide supra pag. 556, nota 5. — Circa finem arg. post *aliam* Vat. addit *quae dicitur timor*.

[4] Damasc., II. de Fide orthod. c. 12. (Ipse sequitur Nemesium episc. Emesen., de Natura hominis, c. 17.): Oportet scire, quod rerum hae quidem sunt bonae, hae vero malae. Exspectatum bonum concupiscentiam [ἐπιθυμίαν] constituit, praesens vero laetitiam. Similiter exspectatum malum, timorem; praesens vero tristitiam. Cfr. Ioan. de Rupella, Sum. de Anima, p. II. c. 10.

[5] Libr. I. c. 27. n. 38, ubi illud Iob 1, 2: *Natique sunt ei septem filii et tres filiae*, interpretans docet, septem filios Iob totidem significare dona Spiritus sancti (in quibus est etiam *timor*), tres vero filias tres virtutes: spem, fidem, caritatem. — Circa initium arg. pro *habitus virtutis* cod. Z *habitus virtutum*, et subinde pro *habitus virtutum* edd. cum nonnullis codd. *habitus virtutis*.

[6] Psalm. 18, 10. — De propos. seq. cfr. hic lit. Magistri, c. 4. et infra d. XXXI. lit. Magistri, c. 4, nec non Comment. a. 2. q. 2.

[7] Cfr. supra pag. 226, nota 1, et tom. II. pag. 826, nota 9.

[8] Vide supra d. 23. a. 1. q. 3.

[9] Pro *superveniri* edd. *superari*.

mobile recedit ab uno situ et appropinquat ad alium; in *voluntariis* autem secus est. Quando enim sunt duo opposita, anima potest affici circa unum, nihil considerans de altero; potest enim affici circa bonum, nihil considerans de malo, et e converso circa malum nihil considerans de bono; et ideo diversis affectibus et motibus habet moveri circa opposita. Et propterea non sequitur, quod unicus sit affectus sive habitus affectivus, qui dirigit respectu oppositorum, sicut in naturalibus unum est pondus [1].

2. Ad illud quod obiicitur, quod in *disciplinalibus* una est scientia oppositorum; dicendum, quod
Ratio 1. non est simile, duplici ratione. *Prima* quidem ratio est, quia *voluntas* separat ea quae naturaliter sunt coniuncta; unde aliquis vult antecedens, et tamen nollet consequens; *cognitio* autem non separat ea quae naturaliter sunt coniuncta; unde qui novit antecedens quodammodo novit et consequens. Quoniam ergo per *consequentiam in ipso* [2] ad opposita sequuntur oppositae proprietates, per quas habent cognosci — ut si album disgregat, nigrum congregat — hinc est, quod unus potest esse habitus *cognitivus* oppositorum, quamvis non sit habitus unus
Ratio 2. *affectivus*. — *Alia* etiam dissimilitudo est, quia potentia *cognitiva* consimili actu et consimili ratione negotiari potest super utrumque oppositorum; iudicat enim de recto et obliquo per rationem ipsius recti [3]; sed *affectiva* non sic, immo si appetit unum oppositorum, reliquum respuit; si amat unum, re-
Notandum. liquum odit, per se loquendo. Et ratio huius est, quia *affectiva* magis unit ipsi affectibili, quam *cognitiva* cognoscibili — unde « amor transformat amantem in amatum [4] » — et propterea non sequitur, quod si una possit esse *cognitio* oppositorum, secundum quod sunt opposita, propter hoc oppositorum habeat esse *affectio* una, vel etiam una virtus affectionis directiva.

3. Ad illud quod obiicitur per simile in *moralibus*, quod duarum extremitatum una est medietas; dicendum, quod verum est, quod una est medietas *punctalis;* sed *large* accepta medietate, non habet Notandum.
veritatem: quoniam inter duo extrema multum distantia plures possunt esse medietates, ita quod una appropinquat uni extremo, et altera alii. Et sic potest esse in timore et spe respectu praesumtionis et desperationis, quia timor magis approximat ad extremitatem desperationis, spes autem ad extremitatem praesumtionis [5]. — Aliter etiam potest Solutio 2.
dici, quod istud intelligitur de medietate, quae conficitur ex *utroque* extremo, sicut largitas inter prodigalitatem et avaritiam dicitur esse medietas. Spes autem et timor non sunt huiusmodi medietates, sicut ex praecedentibus patet. — Posset etiam respon- Solutio 3.
deri *per interemptionem* [6]: quia timor et spes non sunt medietates extremitatum earundem, sed diversarum. Spes enim medium tenet inter desperationem et praesumtionem, sed timor inter temeritatem et timiditatem sive pusillanimitatem; et sic non oportet, quod timor et spes conveniant in medietate virtutis, vel unitate affectionis.

4. Ad illud quod obiicitur per simile in *fide*, dicendum, quod non est simile, pro eo quod, licet fides sit malorum et bonorum, tamen est sub unica ratione, videlicet sub ratione veri [7]. *Praeterea*, est habitus spectans ad *cognitionem*, qui non diversificatur propter obiectorum contrarietatem; spes autem et timor sunt habitus *affectivi*, qui non respiciunt bonum et malum sub una ratione, sed spes respicit sub ratione convenientis, timor sub ratione disconvenientis: ideo non est simile hinc et inde. *Si tu obiicias*, quod principiatum debet assimilari suo principio [8]; dicendum, quod illud est verum in generatione *univoca*. Quod autem dicitur fides generare spem et timorem, hoc non est secundum *uni-*

---

[1] Ratio, quare in motibus naturalibus non sit nisi una virtus, faciens accessum et recessum mobilis, secundum opinionem Averrois, IV. Phys. text. 43, est, quia quiescens quiescit propter *similitudinem* continentis [loci], et movetur propter *privationem* similitudinis inter ipsum et continens.

[2] Aristot., II. Topic. c. 3. (c. 8.) *consequentiam in ipso* vocat illam, quae fit directo ordine. Cfr. tom. I. pag. 822, nota 1. De exemplo allato: « ut si album disgregat » etc., vide tom. II. pag. 643, nota 9. — Pro *per consequentiam in ipso* edd. atque complures codd. *per consequentia in ipso* et paulo superius *non vult* pro *nollet*.

[3] Aristot., I. de Anima, text. 85. (c. 5.): Sufficiens enim est altera pars contrarietatis, se ipsam diiudicare et oppositam; recto enim et ipsum et obliquum cognoscimus; iudex enim utrorumque regula; obliquum autem neque sui ipsius, neque recti. Cfr. I. Sent. d. 36. a. 3. q. 1, d. 38. a. 1. q. 2. ad 4. 5.

[4] Secundum Hug. a S. Vict., cuius verba videsis tom. II. pag. 4, nota 8. Cfr. ibid. pag. 124, nota 4.

[5] Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 8. — De solut. seq. vide supra a. 1. q. 3. ad 2. et d. 23. a. 1. q. 1. ad 1. — Pro *approximat* codd. I L U *appropinquat*.

[6] Sive per negationem. Cfr. tom. I. pag. 87, nota 4. — In fine solut. ante *unitate* (quod codd. M O omittunt et cod. Z mutavit in *in medietate)* auctoritate codd. A K M O Z bb supplevimus *vel*.

[7] Vide supra d. 23. a. 1. q. 3. ad 4. — In *Supplemento* Summae Alex. Hal. collat. 55. a. 1, ubi eadem quaestio occurrit, his verbis additur: Fides enim est principaliter circa primam Veritatem, cum credit de futuris bonis et futuris malis, sive de poenis et praemiis; spes autem respicit aliud in Deo, aliud timor; quia spes largitatem Dei respicit, timor iustitiam, et ita diversa in Deo respiciunt sive Deum secundum diversas rationes. Una enim est ergo ratio quantum ad *cognitionem*, sed non est una ratio quantum ad *affectionem*. — De ratione seq. vide infra q. 5. et supra d. 23. a. 1. q. 2. — Post *Praeterea* edd. nec non memoratum *Supplementum* Sum. Alex. Hal. supplent *fides*. Subinde pro *qui non diversificatur* edd. 1, 2 cum multis codd. *quia non diversificatur*.

[8] Sive, ut supra in ipsa obiectione habetur: genitum debet assimilari generanti. — Circa finem solut. pro *generat affectum Supplementum* Sum. Alex. Hal., loc. cit., rectius, ut nobis videtur, *generat affectivum*. Idem Supplement. etiam haec in fine addit: Notandum est ergo, quod habitus *cognitivus* respicit contraria materialiter, sive ut *materialia* sunt, sed affectio, ut *formalia* sunt. Unde opinio est de malo et bono praesenti et futuro, non in quantum bonum vel malum

vocationem, sed hoc est per quandam *dispositionem*, per quam dicimus, quod habitus cognitivus generat affectum, quia ad ipsum praeparat et disponit.

5. Ad illud quod obiicitur per simile in *conversione et aversione*; dicendum, quod aversio et conversio uno modo nominant *actus*, alio modo nominant *circumstantias* circa actum. Secundum quod nominant *actum*, sic sunt diversi motus; alia enim est affectio *contemptus*, qua anima avertitur ab uno, et affectio *appetitus*, qua convertitur ad reliquum. Secundum autem quod nominant *circumstantias* sive relationes circa actum, sic possunt esse circa unum et eundem actum et circa idem peccatum, quia unum et idem potest simul et semel ad diversa comparari et diversis relationibus ad illa referri [1]. Et sic non est simile de affectione timoris et spei, quia non potest simul et semel *potentia* una nec uno *actu* circa diversa et contraria affici. Propterea non sequitur, quodsi aversio et conversio possunt esse circa unam actionem et formam, quod similiter timor et spes habeant esse circa unam et eandem affectionem.

Notanda distinctio.

SCHOLION.

I. De *timore* eiusque essentia et speciebus, praesertim quatenus est *habitus* et *donum Spiritus S.*, diffuse tractatur infra d. 34. p. II. per totam. De eodem, ut est *passio*, disputat S. Thom., S. I. II. q. 41. seqq. et hic q. 1. a. 3; ut est *donum*, ibid. II. II. q. 19. a. 9; et de hac quaestione hic q. 1. a. 3.

Praeter S. Thomam: Petr. a Tar., hic a. 1. quaestiunc. 2.

II. Sequenti (2.) quaestioni occasionem dederunt verba Magistri, hic in 2. arg. affirm. relata. Ad mentem Seraphici breviter respondet S. Thom. (hic q. 2. a. 1. ad 3; cfr. S. II. II. q. 17. a. 1. ad 2.) his verbis: « *Habitus* spei, quae est *virtus*, ex meritis non procedit, sed *obiectum*, id est ipsa res sperata, pro meritis redditur, et ideo etiam *actus* spei in suum obiectum tendit ex praesuppositione meritorum; et secundum hoc dicitur *ex meritis provenire* ratione sui actus ».

Praeter S. Thom.: Petrus a Tar., hic a. 4. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 3. ad 3.

III. Quoad 3. quaestionem communis est doctrina, quod in via *generationis* spes sit prior caritate; licet verum sit, quod spes et omnis motus appetitionis ex *amore* proveniat, qui tamen non est amor caritatis, ut in solut. ad 2. 3. explicatur.

De hac 3. quaestione: S. Thom., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 2; S. loc. cit. a. 8. — Petr. a Tar., hic a. 3. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. (de spe, ut est passio).

QUAESTIO II.

Utrum spes ex bonis meritis habeat ortum.

Secundo quaeritur de spe per comparationem ad meriti usum, et est quaestio, utrum spes ex bonis meritis habeat ortum. Et quod sic, videtur.

Argg. pro parte affirmativa.

1. Ad Romanos quinto [2]: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem*: ergo si in ipsa probatione consistit meritum, videtur, quod spes ex meritis habeat ortum.

2. Item, hoc ipsum ostenditur per definitionem Magistri, quae ponitur in littera [3]: « Spes est certa exspectatio futurae beatitudinis, proveniens ex gratia et meritis ».

3. Item, nullus habet virtutem spei, nisi qui in sperando sequitur dictamen fidei; sed fides dicit, nullum adultum salvari posse absque meritis [4]: ergo nullus recte sperat beatitudinem, nisi cui suppetunt merita: videtur ergo, quod spes ex meritis procedat.

4. Item, sicut se habet desperatio ad demerita, sic se habet spes ad bona merita; sed sic se habet desperatio ad demerita, quod nullus desperat nisi propter aliquam culpam commissam — mala enim conscientia est illa quae inducit in desperationem — ergo videtur, quod similiter spes ex bonis meritis habeat ortum [5].

Pro parte negativa.

SED CONTRA: 1. Augustinus [6]: « Virtus est bona qualitas mentis, quam Deus in nobis sine nobis operatur »: ergo si spes virtus est, sicut ostensum est in praecedentibus, Deus eam in nobis operatur sine nobis: ergo non habet ortum ex meritis nostris.

2. Item, nihil quod est principium meritorum,

---

praesens vel futurum, sed in quantum verum; semper enim est de vero vel falso, et ita semper sub eadem ratione cognoscuntur. *Motivus* autem habitus respicit bonum et malum praesens et praeteritum (futurum?) sub diversis rationibus; ideo unus habitus *motivus* non potest esse de bono et malo praesenti et futuro; *cognitivus* autem potest. Inde est etiam, quod habitus *motivus* sive affectio denominatur a bono vel malo, habitus autem *cognitivus* sive cognitio non, sed a vero vel falso.

[1] Cfr. II. Sent. d. 42. a. 3. q. 2. — Guliel. Mara, hic q. 4. eandem obiectionem sic solvit: Dicendum, quod [si] *aversio* et *conversio* dicunt eundem motum per relationes ad terminum *a quo* et *ad quem*, non consignificant principium movens; et quia sunt in omni motu et eodem, ideo unum motum [constituunt]. *Spes* autem et *timor* dicunt accessum et terminum cum principio movente alio et alio, et ideo motus alius et alius, quia, sicut dicitur in fine IV. (? potius VIII. text. 49. et 82.) Physicorum: Non est unus motus, qui non est ab uno motore. — Vel dicendum, quod aversio et conversio sunt *uno* modo tantum nomina diversarum relationum sive rationum circa eundem motum, et tunc sunt ab eodem principio; *alio* modo nomina diversorum motuum, et tunc sunt a diversis principiis, sicut et spes et timor.

[2] Vers. 3. seq.

[3] Hic c. 1.

[4] Matth. 5, 20: Nisi abundaverit iustitia vestra... non intrabitis in regnum caelorum. Cfr. ibid. 16, 17.

[5] August., Enarrat. in Ps. 31, enarrat. 2. n. 5: Spem enim gerit bona conscientia; quo modo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe.

[6] Vide II. Sent. lit. Magistri, d. XXVII. c. 5. — Spem esse virtutem, ostensum est supra a. 1. q. 1.

ortum habet ex meritis[1]; sed spes est principium meritorum; nullus enim potest mereri apud Deum, nisi qui sperat: ergo spes ex meritis non habet ortum.

3. Item, omnes virtutes simul infunduntur[2]: ergo si aliqua virtus praecedat merita, necesse est, quod omnes praecedant; et si aliqua subsequitur, necesse est, quod omnes subsequantur: igitur aut spes non procedit ex meritis, aut ceterae virtutes procedunt ex meritis. Sed impossibile est, ceteras virtutes ex meritis oriri: ergo impossibile est, ipsam spem ex meritis oriri.

4. Item, quanto quis perfectior est, tanto est humilior, et quanto humilior est, tanto minus praesumit sive confidit de meritis propriis: ergo si spes perfecta iuncta est cum humilitate perfecta, videtur, quod nec spes nec eius usus oriatur ex intuitu meritorum[3].

CONCLUSIO.

Spes, quatenus est habitus, *non oritur ex meritis; quatenus est* terminus *sive obiectum ipsius, ortum habet ex meritis praecedentibus; quatenus dicit* actum, *vel* statum, *oritur ex intuitu meritorum.*

Respondeo: Dicendum, quod spes aliquando nominat *habitum* virtutis, aliquando nominat *actum*, aliquando nominat *statum*, aliquando *terminum* sive obiectum[4]. — Secundum autem quod spes nominat *habitum* virtutis, sic non habet ortum ex meritis, sed potius merita habent ortum ex ea. — Secundum autem quod nominat *actum*, sic oriri habet ex meritorum intuitu; nullus enim sperat recte aeternam beatitudinem, nisi qui Deo servivit, vel proponit Deo servire. — Secundum autem quod nominat *statum*, sic ortum habet ex meritis praecedentibus et concomitantibus; et hoc modo accipitur ad Romanos quinto[5]: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem;* Glossa, id id est « certitudinem spei », ad quam scilicet certitudinem pervenitur per bona merita, et maxime per tolerantiam et sustinentiam tribulationum. — Secundum autem quod spes nominat ipsam *rem speratam*, sic ortum habet ex meritis praecedentibus.

Spes dicitur quadrupliciter.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

Conclusio 4.

Et sic patet, quod spes secundum *primam* acceptionem simpliciter praecedit merita tanquam meritorum principium; secundum *ultimam* acceptionem simpliciter sequitur tanquam meritorum praemium; secundum *duas medias* medio modo se habet, quia quodam modo *praecedit*, quodam modo *sequitur*. Nam spes, prout nominat *motum* spei, *procedit* ex meritorum intuitu et secundum veritatem est principium meritorum sequentium. Prout autem spes dicitur quaedam certitudo et *status*, sic secundum veritatem ex meritis habet ortum, et est nihilominus adminiculum ad perfectius merendum[6]. Illa enim certitudo spei consurgit ex perpessione tribulationum et vehementer confirmat et confortat animam, ut a tribulationum sustinentia non recedat. — Et ex his patet responsio ad quaestionem propositam; patet nihilominus responsio ad obiecta, quia spes quodam modo accipiendi est ex meritis, et quodam modo principium meritorum; et secundum hoc currunt rationes ad oppositas partes, et utraeque secundum diversas vias probant et concludunt veritatem, exceptis duabus ultimis rationibus, adductis ad utramque partem.

Corollarium.

Ad argg.

Ad illud enim quod obiicitur de desperatione, potest responderi, quod non est simile, pro eo quod, cum *desperatio* dicat profunditatem peccati[7], nullus illic demergitur, nisi per aliquam culpam praecedentem disponatur; non sic autem *spes* dicit meriti perfectionem secundum generalem sui acceptionem. Ideo non oportet, quod procedat ex meritis, prout nominat ipsam *virtutem*, vel eius *actum*, sicut desperatio, quae est vitium demergens in profundum, praeexigit aliud peccatum. — *Praeterea*, alia de causa non est simile, quia nos et ea quae sunt in nobis et a nobis, sunt principia vitiorum nostrorum; non sic autem est de bonis, quia *omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est*[8]; ideo non sic oportet, spem ex nostro oriri merito, sicut desperatio oritur ex vitio.

Ad arg. 4. pro parte affirm.

Alia ratio.

Ad illud similiter quod ultimo obiicitur ex alia parte, quod vir humilis merita non intuetur; dicendum, quod merita intueri contingit dupliciter: vel attribuendo *sibi*, vel attribuendo *gratiae divi-*

Ad arg. 4. pro parte negativa.

Dupliciter merita quis intuetur.

---

[1] Gregor., XVIII. Moral. c. 40. n. 62. seqq. ostendit, principium meriti, gratiam scilicet, non cadere sub merito; et n. 63. docet: Hominis quippe meritum superna gratia non, ut veniat, invenit, sed postquam venerit, facit etc. Quod etiam probat exemplo boni latronis, qui tres virtutes theologicas, « subita repletus gratia, et accepit et servavit in cruce ».

[2] Cfr. infra d. 36. q. 1. — Pro *praecedat* nec non subinde pro *praecedant* Vat. *praecedit* (bis).

[3] Bernard., Serm. 1. in Ps. (90.) *Qui habitat*, n. 3: Periculosa habitatio eorum, qui in meritis suis sperant; periculosa, quia ruinosa.

[4] Quae diversa acceptio spei insinuatur hic in lit. Magistri, c. 1.

[5] Vers. 3. seq. — Verba Glossae invenis supra pag. 566, nota 8. — Non ita multo ante pro *servivit* cod. Z *servit*. Paulo inferius pro *bona merita* idem cod. Z *bona opera vel merita*.

[6] Codd. W Y *agendum vel merendum*. Aliquanto inferius pro *accipiendi*, quod habent codd. H I L T V aa (bb a prima manu) in aliis et edd. *accipienda*.

[7] Gregor., VIII. Moral. c. 18. n. 34: Potest etiam inferni nomine *peccatoris* desperatio designari, de qua per Psalmistam dicitur: *In inferno autem quis confitebitur tibi* (Ps. 6, 6.)? Unde rursum scriptum est: *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit* (Prov. 18, 3.). Cfr. II. Sent. d. 43. a. 1. q. 2, ubi ostenditur, *desperationem* esse unam ex illis speciebus peccati in Spiritum S., quae nullo modo absque peccato praeambulo esse possunt. — Pro *illic* cod. V et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 48. *hic*.

[8] Iac. 1, 17.

nae. Intueri autem merita attribuendo *sibi,* hoc est superbiae et vanitatis; et sic intuentur superbi, qui dicunt: *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia* [1]. Contra quos dicitur Deuteronomii nono: *Ne dicas in corde tuo: Propter iustitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem.* Intueri autem merita referendo ad *divinam gratiam,* hoc est humilitatis et veritatis; et hoc modo motus spei ex intuitu meritorum habet oriri; per quem modum intuebatur Paulus merita sua, primae ad Corinthios decimo quinto [2]: *Abundantius omnibus laboravi; non autem ego, sed gratia Dei mecum.* — Alia vero, quae obiiciuntur satis sunt manifesta [3].

QUAESTIO III.

Utrum spes praecedat caritatem ordine naturae, an e converso.

Tertio quaeritur de spe per comparationem ad habitum caritatis, et est quaestio, utrum spes praecedat caritatem ordine naturae, an e converso; et loquimur hic de habitibus in comparatione ad actus. Et quod spes praecedat, videtur.

1. Super illud Matthaei primo [4]: *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob;* Glossa, id est, « fides generat spem, spes generat caritatem »: ergo si generans secundum ordinem naturae prius est generato, necesse est, quod spes praecedat caritatem. Fundamenta.

2. Item, constructio aedificii spiritualis similis est aedificio materiali; sed in aedificio materiali non solum fundamentum praecedit aedificii complementum, sed etiam paries secundum rectum ordinem antecedit ipsum tectum: si ergo fides assimilatur ipsi fundamento sustentanti, et spes parieti erigenti, et caritas tecto consummanti [5]; videtur, quod spes praecedat ipsam caritatem.

3. Item, secundum naturalem ordinem imperfectum antecedit perfectum, non e converso; sed caritas maior est et perfectior quam fides et spes, secundum quod dicitur primae ad Corinthios decimo tertio [6]: *Maior autem horum est caritas:* ergo etc.

4. Item, nullus potest amare propter se et super omnia bonum, ad quod non sperat se posse pervenire [7]: si ergo caritas diligit Deum propter se et super omnia, actus caritatis consequitur actum spei: ergo caritas ipsam spem.

Sed contra obiicitur: 1. Primo auctoritate Magistri in littera [8]: « Spes est certa exspectatio futurae beatitudinis, veniens ex meritis praecedentibus ipsam spem, quam natura praeit caritas »: ergo secundum naturalem ordinem caritas est ante spem. Ad oppositum.

2. Item, Augustinus in decimo quarto de Civitate Dei [9] dicit, quod omnis affectio oritur ex amore, ergo omnis affectio recta ex amore recto: cum ergo caritas dirigat ipsum amorem voluntatis, virtus autem spei dirigat unam de quatuor affectionibus; videtur, quod spes sit posterior caritate.

3. Item, nullus sperat nisi quod amat — quod enim non cupit aliquis nullo modo sperat — ergo rectitudo amoris praecedit rectitudinem exspectationis; sed caritas dirigit in amando, spes autem dirigit in exspectando: ergo caritas [10] ante spem.

4. Item, timor et spes sunt duae affectiones quasi simul currentes — unde in Glossa, Deuteronomii vigesimo quarto [11], dicuntur esse « duae molae »; sed omnis timor procedit ex amore: ergo et omnis

[1] Deut. 32, 27. — Seq. testimonium est ibid. 9, 4, ubi Vulgata post *Ne dicas in corde tuo* addit *cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo.* — Mox pro *referendo* codd. A K *attribuendo.*

[2] Vers. 10. A re non alienum nobis videtur, ex Bernardi Serm. 68. in Cantic. n. 6. seq. afferre haec: Sufficit, ait S. Doctor, ad meritum scire, quod non sufficiant merita. Sed ut ad meritum satis est de meritis non praesumere, sic carere meritis satis ad iudicium est... Merita proinde *habere* cures; habita *data* noveris; fructum speraveris, Dei misericordiam; et omne periculum evasisti paupertatis, ingratitudinis, praesumtionis etc.

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Vers. 2. Glossa in hunc loc. allegata ex Paschasii Radberti expositione in Matth. delibata esse videtur. Docet enim laudatus auctor ibi ad v. 17, per *Abraham, Isaac* et *Iacob* designari fidem, spem et caritatem: « *Isaac* [qui risus interpretatur] quippe, totus in spe; quod repromissus concipitur per fidem, quod nascitur per gratiam, gaudium parentibus generavit... Sed quia in *Isaac* spes vitae negotio figuratur, necesse est, ut *Rebeccam,* quae *patientia* interpretatur, in coniugium sumamus... De quibus profecto parentibus quid aliud quam caritas generatur »? Ibid. libr. V. exponens illud Matth. 8, 11: *Dico autem vobis, quod multi ab oriente* etc. ait: In *Abraham* fides, qua placuit Deo et reputatum est ei ad iustitiam; in *Isaac* vero spes, quasi sacramentum fidei et gratiae, generatur; porro per *Iacob* caritas designatur, quae per varia certamina, donec *Israel* Deum possit deorum in Sion videre, laboriose satis desudat.

[5] Cfr. infra d. 27. a. 2. q. 1. ad 6. — Superius pro *sustentanti* codd. A K *sustinenti.*

[6] Vers. 13. — Sententiam *maioris* insinuat Aristot., de quo vide tom. II. pag. 330, nota 5. in fine.

[7] Cfr. August., I. Soliloq. c. 6. n. 12. seq. Vide etiam supra lit. Magistri, d. XXIII. c. 8. seq. — Edd. verbo *pervenire* praemittunt *unquam.* Mox post *diligit* ex codd. A K subiecimus *Deum.*

[8] Hic c. 1. In sententia Magistri edd. pro *quam natura praeit* substituerunt *sed merita natura* [Vat. *naturaliter*] *praeit.*

[9] Cap. 7. n. 2. De propos. seq. cfr. infra q. 5; d. 27. a. 1. q. 1. et supra a. 1. q. 1. ad 1. — Mox pro *dirigat* non pauci codd. *dirigit.*

[10] Edd. supplent *est.*

[11] Vers. 6. Glossa (*ordinaria* apud Strabum et Lyranum) sumta est ex Gregor., XXXIII. Moral. c. 12. n. 24, de quo vide tom. II. pag. 992, nota 7. — De *minori,* quae insinuatur ab August., vide supra pag. 338, nota 3. — Paulo inferius pro *ordinem* cod. bb *ordinationem.*

spes: ergo spes gratuita procedit ex amore gratuito: igitur secundum naturalem ordinem caritas antecedit spem.

5. Item, «quanto aliquid est communius, tanto prius[1]»; sed omne sperandum est amandum, et non convertitur: ergo communior est actus dilectionis quam actus spei: et si communior, ergo prior.

6. Item, is est ordo virtutis ad virtutem, qui est ordo dotis ad dotem; sed perfecta tentio, quae est dos correspondens spei, sequitur perfectam dilectionem, quae est dos correspondens caritati: ergo videtur, quod in via caritas praecedat spem secundum naturalem ordinem.

CONCLUSIO.

Actus *spei secundum ordinem naturae antecedit actum caritatis; unde etiam* habitus *spei in comparatione ad talem actum prior est caritate, licet secundum se consideratus cum habitu caritatis habeat simultatem.*

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter est comparare habitum spei ad habitum caritatis, aut ratione habituum, *secundum se* consideratorum, aut ratione habituum comparatorum *ad actus*. Si loquamur de ipsis habitibus, *secundum se* consideratis, sic non habent ordinem, sed simultatem. Omnes enim virtutes gratuitae simul infunduntur, secundum quod infra[2] manifestabitur. — Si autem loquamur de ipsis habitibus in comparatione *ad actus*, sic unus habet ordinem ad alterum, quia actus unius praeparat et disponit ad actum alterius, et praeparando et disponendo est eius quodam modo principium et origo; et ratione talis praeparationis et originis est ibi ordo. Quoniam igitur actus spei praeparat et disponit ad actum caritatis tanquam ad perfectionem et spiritualis aedificii complementum — nemo enim diligit aliquod bonum propter se et super omnia, nisi speret, se ad illud bonum perventurum — hinc est, quod secundum ordinem naturae actus spei antecedit actum caritatis; et hinc est, quod habitus spei in comparatione ad talem actum caritate prior est. — Unde concedendae sunt rationes ad istam partem.

Duplex comparatio. Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium ex auctoritate Magistri, quod spem natura praecedit caritas; dicendum, quod *spes* accipitur ibi vel pro *re sperata*, vel pro ipso *statu spei*, non autem pro primo eius *actu*, vel *habitu*[3]. — Posset etiam dici, quod istud dicit Magister secundum suam opinionem, qua credidit, caritatem non esse habitum creatum, sed Spiritum sanctum, qui est principium omnium aliorum bonorum. Unde quia in hac opinione communiter Magister non sustinetur, et illud est verbum suum, auctoritas illa nullum habet robur.

Solutio oppositorum. Alia solutio.

2. Ad illud quod obiicitur, quod amor est principium omnium affectionum; dicendum, quod verum est de amore secundum statum *imperfectum*; sed sicut amor secundum *imperfectionem* status est omnium affectionum *principium*, sic secundum suam *perfectionem* est omnium affectionum *terminus finalis* et complementum. Unde omnes affectiones animae ad id ordinantur, ut Deus ametur perfecte; caritas autem non nominat qualemcumque amorem, sed amorem praecipuum. Et ideo ex hoc non potest concludi, quod caritas secundum naturalem ordinem praecedat ipsam spem[4].

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod nullus sperat nisi quod amat; dicendum, quod verum est; sed tamen ex hoc non sequitur, quod spes caritatem sequatur, pro eo quod *caritas* addit talem circumstantiam super *amorem*, quae necessario subsequitur actum sperandi et eius rectitudinem, sicut prius tactum est. Cum enim duplex sit motus amoris caritatis, videlicet amor *amicitiae* et amor *concupiscentiae;* caritas amore *concupiscentiae* desiderat Deum super omnia, amore vero *amicitiae* similiter diligit Deum propter se et super omnia. Unde Deum *concupiscit* plus quam aliud bonum, Deo etiam *bonum optat* plus, quam habens caritatem optet sibi ipsi[5]. Amor autem *concupiscentiae* adeo intensus esse non potest nisi praeambula exspectatione. Similiter nec amor *amicitiae* potest esse adeo elevatus, nisi praecedat confidentia. Nullus enim vult plus bonum alii quam sibi, nisi in illum totaliter confidat; nullus etiam aliquod bonum super omnia concupiscit, nisi qui se ad illud aliquando perventurum praesumit.

Duplex motus caritatis.

4. Ad illud quod obiicitur, quod timor consequitur amorem, ergo et spes similiter; responden-

---

[1] Secundum Aristot., de Praedicam. c. *de Simul*, ubi legitur: Genera speciebus semper priora sunt; neque enim convertuntur secundum eius quod est esse consequentiam; ut cum quidem aquatile sit, animal est; cum vero sit animal, non necesse est, ut aquatile sit. Cfr. ibid. c. *de Priori*. Cfr. etiam XI. Metaph. c. 1. (X. c. 1.); Porphyr., de Praedicab. c. *de Communitatibus et differentiis generis;* lib. de Causis, propos. 1. — Paulo inferius pro *actus spei* codd. A K *actus sperationis*.

[2] Dist. 36. q. 1.

[3] Cfr. quaest. praeced. in corp. — De opinione Magistri mox allata vide I. Sent. d. 17. p. 1. q. 1, et II. Sent. d. 26. q. 2. — Pro *primo* edd. *proprio* et post pauca *credit* pro *credidit*. Post *dicit Magister* codd. A K subdunt *in littera*.

[4] Vide infra d. 27. a. 2. q. 1. et dub. 1. 3. nec non d. 36. q. 6. Quod autem amor in communi sit prima et nobilissima et radix omnium aliarum emanationum, docetur etiam I. Sent. d. 10. a. 1. q. 2, et infra d. 33. a. 1. q. 1. ad 2.

[5] Cfr. August., Serm. 385. (alias 38. inter 50 homilias) c. 3. n. 4. seqq. Aristot., II. Rhetor. c. 5. (c. 4.): Est igitur *amare* velle alicui bona evenire, non sua, sed illius ipsius causa, quem diligit, et, quantum in eo est, efficere, ut illa veniant. — In fine solut. respicitur definitio spei, quae infra dub. 2. ex August. affertur. — Aliquanto superius pro *subsequitur* codd. G Z *subsequatur*, codd. A K *sequatur;* paulo inferius pro *Nullus enim vult plus* codd. A K ponunt *Nullus enim vult prius*.

dum est, sicut dictum est, quod licet haec *affectio* praecedat illam, tamen *habitus* iste in comparatione ad actum non praecedit illum, propter praecipuam perfectionem, quam caritas ponit circa actum diligendi. — *Praeterea*, cum dicitur, quod timor sequitur ad amorem; hoc non intelligitur de *quolibet amore*, sed de *amore sui*. Ideo enim quis timet poenam, quia se ipsum amat; caritas autem non dicit principaliter amorem sui, sed amorem Dei. Et propterea non sequitur, quod actus caritatis praecedat actum timoris; nec ex hoc potest concludi, quod similiter praecedat actum spei.

Alia ratio.

5. Ad illud quod obiicitur, quod « prius est, a quo non convertitur consequentia[1] »; dicendum, quod illud habet veritatem in his quae *essentialiter* consequuntur ad se invicem; in his autem, quae se invicem *concomitantur*, non habet veritatem. Et hoc patet, quia sequitur, si est nix, quod sit album; sed non convertitur, tamen albedo nivis non praecedit ipsam nivis substantiam. Quoniam ergo *sperare* et *amare* sunt actus se invicem concomitantes; ideo, quamvis actus amandi se extendat ad diligibilia, non oportet, quod sit prius secundum ordinem naturae. — *Praeterea*, quamvis *caritas* generalior sit a parte *obiecti*, tamen *spes* generalior et in plus est a parte *subiecti*. Omnis enim viator, qui habet caritatem, habet spem; sed non convertitur, quia spes potest esse in peccatore[2]; et ideo actus *spei* origine praecedit actum *caritatis* respectu *subiecti*, a quo uterque actus sumit originem. Et sic ratio non valet.

Distinctio.

Alia ratio.

6. Ad illud quod obiicitur de dotibus, quod perfecta tentio sequitur perfectam dilectionem; dicendum, quod illud non est usquequaque simile, propter hoc quod *dotes* in patria erunt aequalis perfectionis; in via autem *caritas* maioris perfectionis et dignitatis est, quantum est de ratione virtutis, quam sit ipsa spes[3]; et ideo non oportet, quodsi in via *exspectatio* praecedit dilectionem praecipuam, quod propter hoc in patria *tentio* praecedat dilectionem perfectam. Quamvis enim virtutes aequales sint quantum ad rationem merendi, perfectior tamen est actus dilectionis quam exspectationis; sed in gloria *perfecte diligere* non est maioris dignitatis quam *perfecte habere* et *perfecte tenere*. Unde quamvis in via actus irascibilis praecedat actum concupiscibilis, non tamen sic oportet esse in patria, ubi est reformatio perfecta, immo potest esse e contrario. — Sunt autem et hic alii modi respondendi, qui causa brevitatis omittuntur ad praesens propter hoc, quod trahunt extra materiam istam ad ordinem et distinctionem ipsarum dotum[4].

Notandum.

Nota.

QUAESTIO IV.

Utrum spes sit in bonum sub ratione boni.

Quarto quaeritur de ipsa spe per comparationem ad obiectum, et est quaestio, utrum spes sit in bonum sub ratione boni. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Primo per rationem virtutis in *communi*: quia, sicut scientia est respectu veri, sic virtus respectu boni[5]; sed omnis scientia est in verum sub ratione veri: ergo omnis virtus est in bonum sub ratione boni: si ergo spes est virtus, ergo est in bonum sub ratione boni.

2. Item, hoc ipsum videtur ratione magis propria, quae sumitur ex proprietate virtutis *theologicae*: virtus enim theologica idem habet pro obiecto et pro fine; sed « bonum et finis idem sunt[6] »: ergo cum spes sit virtus theologica, et bonum sub ratione boni sit eius finis, ergo bonum sub ratione boni erit eius obiectum.

3. Item, hoc ipsum ostenditur adhuc ratione magis speciali per comparationem *ad alia genera affectionum*: quia, sicut se habet gaudium respectu praesentis, sic spes respectu futuri; sed gaudium est de bono praesenti sub ratione boni: ergo spes est de futuro bono sub ratione boni[7].

4. Item, hoc ipsum ostenditur adhuc specialiori ratione per comparationem ad *aliam speciem virtutis*: quia, sicut dicit Augustinus[8], in hoc differt fides a spe, quia fides est respectu boni et mali, spes est respectu boni tantum. Si enim fides simul poterat esse boni et mali, pro eo quod non respiciebat bonum sub ratione boni, sed magis sub ratione veri; spes autem determinat sibi bonum, ita quod nullo modo est in eius oppositum: videtur ergo, quod ipsa spes sit in bonum sub ratione boni.

---

[1] Aristot., de Praedicam. c. *de Priori*: Secundo autem [prius alterum altero dicitur], quod non convertitur secundum subsistendi consequentiam, ut unum duobus prius est; duobus enim existentibus, mox unum esse consequens est; uno vero existente, duo esse non necessarium est. Quare non convertitur ab uno consequentia, ut reliquum sit; prius autem illud esse videtur, a quo non convertitur eius quod est esse consequentia.

[2] Cfr. supra a. 1. q. 4.

[3] Epist. I. Cor. 13, 13: Nunc autem manent fides, spes caritas, tria haec; maior autem horum est caritas. — De *aequalitate* virtutum cfr. infra d. 27. a. 2. q. 1. et d. 36. q. 5. — De vi *irascibili* infra q. 5; et de *dotibus* I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1. ad 4, nec non IV. Sent. d. 49. p. I. q. 5.

[4] Vide scholion ad 1. huius articuli quaestionem.

[5] Cfr. supra pag. 470, nota 3. — Quod spes sit virtus, ostensum est supra a. 1. q. 1.

[6] Secundum Aristot., III. Metaph. text. 3. (II. c. 2.). Cfr. ibid. II. text. 8. (I. brevior, c. 2.): Qui faciunt infinitum, latet eos, quod boni naturam auferunt. — De obiecto et fine virtutis theologicae cfr. infra d. 33. q. 1. praecipue ad 3. — Quod spes sit virtus theologica, vide supra a. 1. q. 3. — Multi codd. omittunt *sunt*.

[7] Cfr. supra pag. 569, nota 4. — Paulo superius pro *sic spes*, cod. T *sic et spes*, edd. *sic se habet spes*.

[8] Enchirid. c. 8. n. 2. Vide hic lit. Magistri, c. 3.

5. Item, hoc ipsum ostenditur ratione magis propria per *definitionem ipsius spei*[1]: « Spes enim est exspectatio futurae beatitudinis »: si ergo beatitudo nominat bonum sub ratione boni, videtur ergo, quod bonum sub ratione boni sit obiectum ipsius spei.

Sed contra: 1. Virtutes theologicae distinguuntur per obiecta, secundum quod habent propriam rationem; sed caritas est in bonum sub ratione boni[2]: ergo si spes distinguitur a caritate, bonum sub ratione boni non erit obiectum spei. Fundamenta.

2. Item, circumscripta ratione boni et mali, adhuc contingit *timere*, sicut in patria Deum timebimus[3], non quidem sub ratione mali nec sub ratione boni, quia sub illa ratione amabimus — bonum enim sub ratione boni magis generat amorem quam timorem — si ergo contingit timere, circumscripta ratione boni et mali, igitur et contingit sperare: ergo obiectum spei non est bonum sub ratione boni, neque malum sub ratione mali.

3. Item, nullus timet malum, quod est subiectum suae potestati; sed quicumque timet malum, timet sub ratione excellentis[4]: si ergo spes sic est in bonum, sicut timor in malum; videtur, quod spes non sit in bonum sub ratione boni, sed magis sub ratione ardui.

4. Item, sicut homo naturaliter appetit illuminari et delectari, ita etiam naturaliter appetit gloriari, et hoc dico secundum ipsius animae supremum[5]; ergo sicut in nobis est reperire aliquas virtutes perficientes et dirigentes ipsam animam respectu veri illuminantis et respectu boni delectantis, utpote fidem et caritatem; ita erit respectu ardui et excellentis; hanc autem non est dare nisi spem: ergo etc.

5. Item, licet omnes virtutes gratuitae quodam modo elevent mentem, et hoc maxime faciant virtutes theologicae; elevatio tamen et erectio ipsius animi propriissime competit ipsi spei: ergo si virtus spei maxime consistit in erigendo et elevando ipsum animum, cum animus noster magnus sit nec sit natus erigere se nisi ad magna et ardua[6]; videtur ergo, quod obiectum spei quantum ad efficaciam movendi teneat rationem ardui: non ergo obiectum spei est bonum sub ratione boni.

CONCLUSIO.

Obiectum spei est bonum sub ratione magni et ardui, vel etiam bonum sub ratione gloriosi et aeterni.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod quidam dicere voluerunt, obiectum spei esse bonum sub ratione *futuri*. Dixerunt enim, quod omnes affectiones animae vel sunt respectu *boni*, vel sunt respectu *mali*; et sicut *gaudium* est respectu *boni praesentis*, *dolor* vero, qui est affectio sibi opposita, est respectu *praesentis mali*; sic *spes* est respectu *futuri boni*, *timor* vero *respectu futuri mali*. Quod autem movit eos hoc ponere fuit, quia posuerunt, quod duplex sit tantum obiectum, in quod tendit anima: unum scilicet *verum*, in quod tendit intellectus, alterum scilicet *bonum*, in quod tendit affectus; et ideo cum spes non sit in *verum* sub ratione veri, voluerunt dicere, quod sit in *bonum* sub ratione boni. In hoc tamen differt a caritate: quia *caritas* est in bonum sub ratione boni *simpliciter*, non considerando praesens nec futurum; et quia bonum sub ratione boni est amandum, ideo actus ipsius caritatis est amare. *Spes* autem est in bonum non tantum sub ratione boni, sed etiam sub ratione *futuri*; et quia bonum *futurum*, in quantum futurum, est exspectandum, ideo actus ipsius spei est *exspectare*; et quia *exspectare* et *amare* sunt actus diversi: hinc est, quod *spes* et *caritas* diversae sunt virtutes, non principaliter ratione diversitatis obiectorum, sed ratione diversitatis actuum propriorum. Opinio 1.

Licet autem hic modus dicendi videatur aliquid probabilitatis habere, interius tamen consideranti non satisfacit dubitationi nec consonat veritati. Nam quod dicitur, quod non est aliud obiectum motivum potentiarum animae nisi verum sub ratione veri et bonum sub ratione boni, simpliciter non habet ve- Non probatur. Ratio 1.

---

[1] Vide hic lit. Magistri, c. 1. Cfr. infra dub. 2.

[2] Cfr. infra d. 27. a. 1. q. 1. ad 5.

[3] Vide infra d. 34. p. II. a. 2. q. 3.

[4] Aristot., III. Ethic. c. 6: Timemus autem ea scilicet, quae terribilia sunt; ea vero sunt, ut simpliciter dicamus, mala; unde etiam timorem exspectationem mali esse definiunt. Ac timemus quidem mala omnia, ut infamiam, paupertatem, morbum, solitudinem amicorum, mortem. Non circa omnia tamen esse vir fortis videtur etc. Ibid. c. 7: Id autem quod terrorem incutit, non omnibus est idem, dicimusque aliquid *supra hominem* esse, quod quidem unicuique sanae mentis homini terribile est etc. — In fine arg. pro *ardui* codd. G W Y aa et edd. 1, 2 *mali*, Vat. *magni et excellentis*.

[5] Bernard., Serm. 7. de Diversis n. 1, disserens de illo Apostoli (II. Cor. 10, 17. seq.): *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, ait: Sed consideravit [Apostolus], rationalem creaturam adeo affectare gloriam, ut aut vix aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit, quippe quae ad imaginem facta est Creatoris [in qua imagine consistit *supremum* animae]; propterea secundum datam sibi a Deo sapientiam, saluberrimum adinvenit consilium, dicens: Quando quidem persuaderi nobis non potest non gloriari, saltem *qui gloriatur in Domino glorietur*. Cfr. de hoc arg. lib. de Spiritu et anima (inter opera August.) c. 3. et 4.

[6] Bernard., Serm. 80. in Cantic. n. 3: Si enim, ut supra docui, eo anima *magna* est, quo capax aeternorum, eo *recta*, quo appetens supernorum; quae non quaerit nec sapit quae sursum sunt, sed quae super terram, non plane est *recta*, sed curva, cum tamen pro huiusmodi *magna* esse non desinat, manens utique etiam sic aeternitatis capax... si desinat *magna* esse, et *capax*, quippe de capacitate, ut dixi, aestimatur animae magnitudo. Quid vero sperare posset, cuius *capax* non foret? Cfr. Serm. 108. in append. sermon. August. (alias 53. de Tempore) n. 2.

ritatem, pro eo quod, sicut in opponendo [1] tactum est, quemadmodum *rationalis* tendit in verum, et *concupiscibilis* in bonum, sic etiam *irascibilis* nostra tendit in arduum et magnum. — *Rursus,* quod dicit, bonum sub ratione boni futuri esse motivum alterius affectionis quam bonum sub rationi boni; non habet veritatem, pro eo quod bonum sub ratione futuri desideratur, et desiderium non est spes, sed magis quaedam differentia amoris, et ad ipsam caritatem pertinet desiderare [2]. — *Amplius,* quod dicit, timorem esse respectu mali sub ratione mali; non habet veritatem; contingit enim timere, sicut in opponendo [3] ostensum est, abstracta ratione mali; sicut timebitur Deus in patria. — *Praeterea,* si quando malum timetur, non timetur, nisi quia excellens; si ergo affectio, quae est *timor,* in suo obiecto magis concernit *excellentiam* quam *malitiam* sub ratione motivi: restat similiter, quod et affectio sibi correspondens, videlicet *spes.*

Ratio 2.
Ratio 3.
Ratio 4.

Est igitur obiectum spei bonum quidem, sed non sub ratione boni, sed magis sub ratione *ardui* sive magni. — Et hoc quidem sic habet manifestari. Spei enim duplex est actus, quorum unus est principium et origo alterius; spes enim facit *confidere,* et faciendo confidere facit *exspectare* [4]. Nullus autem recte confidens confidit et innititur nisi in eo qui nec possit nec velit sibi deficere; talis autem non est nisi ille qui est *potentissimus* in virtute et *munificentissimus* in liberalitate; et hoc non habet, nisi habeat excellentiam *virtutis* et *largitatis.* Cum autem quis totam fiduciam suam in eum posuit, qui excellentissimae *virtutis* est et *liberalitatis;* magna ab eo exspectat se assecuturum [5]. Quoniam ergo spes habet obiectum magnum et arduum in *confidendo;* hinc est, quod habet pro obiecto magnum et arduum in *exspectando.* Et hinc est, quod ipse Dominus, in quo speramus, magna *promittit* nobis in consolationem spei nostrae, iuxta quod dicit Abrahae, Genesis decimo quinto [6]: *Noli timere, Abraham, ego protector tuus sum et merces tua magna nimis;* quasi dicat: Ego *protector,* in quo debes *confidere,* et *merces* tua magna, quam debes *exspectare.*

Opinio auctoris et conclusio 1.
Duplex actus spei.
Promissio Dei.

Concedendum est igitur, quod obiectum spei est bonum sub ratione magni vel ardui. — Et quia *gloriosum* nominat magnum sublimitate, *aeternum* nominat magnum diuturnitate, illud *intensive,* istud *extensive;* ideo concedi potest etiam, quod obiectum spei sit bonum sub ratione *gloriosi* et sub ratione *aeterni,* hoc est sub ratione *excellentis* et *indeficientis,* quia haec duo concurrunt ad perfectam rationem magnitudinis ipsius boni [7]. — Concedendae sunt ergo rationes, quae sunt ad partem istam.

Conclusio 2.

1. Ad illud quod obiicitur, quod sicut se habet scientia ad verum, ita virtus ad bonum; dicendum, quod hoc non est omnino simile: quia *cognitiva* non habet obiectum nisi unius rationis, scilicet verum; sed *affectiva,* cum duplicetur in duas vires, videlicet in concupiscibilem et irascibilem, obiectum habet duplicis rationis, videlicet *bonum,* quod concupiscit, et *arduum,* ad quod se erigit [8].

Solutio oppositorum.
Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod virtus theologica idem habet pro obiecto et pro fine; dicendum, quod si hoc intelligatur de identitate quantum ad *substantiam,* sic verum est, quia ipse Deus est finis et obiectum earum. Si autem loquamur quantum ad *rationem movendi,* sic non habet veritatem nisi in sola virtute, quae est *caritas;* ipsa enim habet bonum sub ratione boni et pro obiecto et pro fine; ideo principatum tenet inter ceteras virtutes, sicut infra [9] manifestabitur. In *fide* autem et *spe* non habet veritatem; et quoniam in illa ratione procedit ab identitate secundum substantiam ad identitatem secundum rationem: ideo in processu illo est *peccatum secundum accidens.*

Notanda distinctio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod sic se habet spes respectu futuri, sicut gaudium respectu praesentis; dicendum, quod similitudo bona est quantum ad differentiam futuritionis [10] et praesentialitatis, sed quantum ad rationem boni motivi non est similitudo. Bonum enim sub ratione *boni,* quando praesens est, delectat et reficit ipsam concupiscibilem; sed sub hac ratione non habet elevare et erigere, immo potius sub ratione *excellentis. Delectatio* enim, quae est in gaudio, respicit *convenientiam;* sed *erectio,* quae est in spe, respicit *excellentiam.*

Notandum.

---

[1] Scil. in fundam. 3. seqq. — Paulo inferius edd. cum uno alteroque cod. omittunt *nostra.*

[2] Cfr. infra d. 27. dub. 1. definitio caritatis, quam August. dat l. Soliloq. c. 7. n. 14. Avicenna, de Anima, p. IV. c. 3. ait: *Spes* autem aliud est quam *desiderium. Spes* enim est imaginatio alicuius rei cum affirmatione aut opinione, quia erit; *desiderium* vero est imaginatio rei et concupiscentia eius et iudicare, quod delectabitur in illa, si adfuerit; *timor* autem est oppositus spei ad modum contrarietatis; sed *diffidentia* vel *desperatio* est eius privatio. — Paulo superius pro *sub ratione futuri desideratur* codd. A K Z *sub ratione futuri boni desideratur.*

[3] Scil. in fundam. 2.

[4] Cfr. supra pag. 561, nota 7.

[5] Codd. W X Y *magnam ab eo exspectat* [cod. X *habet*] *securitatem* [codd. X Y *securationem*].

[6] Vers. 1. Bernard., Serm. 85. in Cantic. n. 5: Quidni omnia possibilia sint innitenti super eum qui omnia potest? Quantae fiduciae vox: *Omnia possum in eo qui me confortat* (Phil. 4, 13.)! Nil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes, qui in se sperant. — Paulo ante pro *in consolationem* edd. cum paucis codd. *in consolatione.*

[7] Respicitur praecipuum obiectum spei, scil. beatitudo (cfr. infra ad 5.), ad quam secundum August., de Moribus Eccles. cath. c. 3. n. 5, requiritur optimum et inamissibile bonum. Idem S. Doctor ait in Enarrat. in Ps. 102. n. 8: Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium. Ipse erit bonum tuum, a quo tu in tuo genere factus es bonus etc. Cfr. Aristot., I. Ethic. c. 2, et Boeth., III. de Consol. prosa 2. — Paulo ante Vat. legit *quae duo,* sed codd. et edd. 1, 2 *quia duo,* nos recepimus meliorem lectionem cod. Z *quia haec duo.*

[8] Cfr. quaest. seq.

[9] Dist. 27. a. 1. q. 1. ad 5, a. 2. q. 1, dub. 1; d. 31. a. 3. q. 1, et d. 36. q. 6. Cfr. supra a. 1. q. 2. — De *peccato secundum accidens* (cod. Z *fallacia accidentis*) vide supra pag. 179, nota 1.

[10] Cod. Z *futuri temporis.* Subinde pro *praesentialitatis* cod. W *praesentiae.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod spes est respectu boni tantum, ergo habet obiectum bonum sub ratione boni; dicendum, quod illud non sequitur, pro eo quod ista non est sola ratio, propter quam aliquid tendat solummodo in bonum, quia motivum eius est bonum sub ratione boni, sed etiam propter hoc, quod illud quod est motivum eius, habet semper bonum sibi substratum. Et hoc modo intelligendum est se habere in spe. Illud enim arduum et excellens, ad quod assequendum erigitur anima, non potest esse nisi bonum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod spes est exspectatio futurae beatitudinis; dicendum, quod spes non exspectat beatitudinem, nisi in quantum tenet rationem magni et ardui, hoc est rationem excellentis et indeficientis. Et quia ista duo importat beatitudo de sua prima[1] ratione; hinc est, quod spes magis habet definiri per beatitudinem quam alia virtus: unde in ratione illa est *peccatum secundum accidens*. Quamvis enim beatitudo habeat rationem boni, tamen non cadit principaliter sub exspectatione spei sub illa ratione, sed in quantum habet rationem ardui. Notandum.

SCHOLION.

I. Spes, ut est *passio*, importat motum appetitus in aliquod bonum, commensuratum quidem appetenti, sed *arduum* (S. Thom., hic q. 1. a. 2.). Terminus *arduum* « addit quandam specialem rationem bonitatis, scilicet pretiositatis » (ibid. ad 1.). Hinc S. Bonav. docet, bonum sub ratione *ardui (magni, excellentis*, vel etiam *gloriosi* et *aeterni)* esse spei *obiectum formale* et *rationem motivam: bonum* quidem, quia in spe est protensio appetitus, qui non est nisi ad bonum (ad 4.), quod *exspectat; ardui autem et excellentis*, quia *erigit* animum *confidentem* et innitentem summae et immensae largitati (supra a. 1. q. 1.); nam bonum sub ratione excellentis *erigit* (hic ad 3.). Duo enim actus implicantur in spe, quorum primus est *exspectare*; et « qui *exspectat* adventum *desiderat* exspectati » (infra dub. 2.), nempe boni convenientis. Sed hoc *desiderium* « se habet ad spem sicut commune ad proprium, in quantum spes addit *certitudinem* circa exspectationem » (S. Thom., loc. cit. a. 3. ad 1.). « Motus appetitus incipit in desiderio... Desiderium est quaedam inchoatio amoris » (ibid. q. 2. a. 3. quaestiunc. 2.). — Secundus actus est *confidere*, quod est principium et origo *exspectationis*, quia spes « faciendo *confidere* facit exspectare » (hic in corp.). Sed haec ipsa *confidentia* rationem motivam habet « in eo qui nec *potest* nec *vult* sibi deficere; talis autem non est nisi ille, qui est *potentissimus* in virtute et *munificentissimus* in liberalitate; et hoc non habet, nisi habeat *excellentiam* virtutis et largitatis » (ibid.). — Attamen hi duo actus, scilicet *confidere* et *exspectare*, licet in se sint actus formaliter differentes, *unum* tantum requirunt *habitum*, quia inter se habent « ordinem et connexionem et consequentiam naturalem... Ideo enim spes *exspectat* magna bona promissa, quia *confidit* de immensa largitate *promittentis*; unde quia unus istorum actuum est *ratio* alterius, hinc est, quod non pertinent ad diversos habitus, sed ad unum » (supra a. 1. q. 2. ad 1.). — Concluditur (hic in corp.): « Quoniam spes habet obiectum magnum et arduum in *confidendo* » [scilicet excellentiam *virtutis* et *largitatis* divinae]; hinc est, quod habet pro obiecto magnum et arduum in *exspectando*, scilicet bonum *aeternum*, quod est ipsa immensa Bonitas, divina, et bonum *perpetuum*, quod est beatitudo creata, ut egregie explicatur infra dub. 1. Cfr. scholion ad q. 5.

In substantia huius doctrinae praeter Petrum a Tar. et Richardum a Med. consentit etiam S. Thom. (hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 1.). Postquam enim (ibid. in corp.) dixit: « Oportet, quod voluntas ad hoc, quod operari incipiat, tendat in illud [appetibile] sicut in *possibile*; et haec inclinatio voluntatis tendentis in bonum aeternum quasi possibile sibi per gratiam est actus spei »; deinde (ad 1.) addit: « Idem secundum *rem* est obiectum omnium virtutum theologicarum, sed differt secundum *rationem*, quia, in quantum est *summum verum*, est obiectum fidei; in quantum est *summum bonum*, est obiectum caritatis; in quantum est *altissimum arduum*, est obiectum spei. Et quia *beatitudo* nominat maxime arduum... ideo in definitione *spei* praecipue ponitur *beatitudo* » (cfr. S. II. II. q. 17. a. 6, et Bonav. hic ad 5. et infra dub. 2, ubi ratio exhibetur, quare *beatitudo* approprietur spei). Ibid. ad 4: « *Tendere in appetibile* est tam irascibilis quam concupiscibilis, sed differenter: quia tendere in aliquod bonum, ut est bonum simpliciter, est concupiscibilis, sed *tendere in aliquod*, ut est arduum et difficile, est irascibilis ». In Sum. autem (II. II. q. 17. a. 2.) idem dicit, quod spes « attingit Deum, innitens eius auxilio ad consequendum bonum speratum... Hoc autem bonum est vita aeterna, quae in fruitione ipsius Dei consistit... Et ideo proprium et principale obiectum spei est beatitudo aeterna ». — Ibid. a. 6. ad 3: « Spes facit tendere in Deum sicut in quoddam bonum finaliter adipiscendum et sicut in quoddam adiutorium efficax ad subveniendum ».

II. Posteriores theologi in assignando spei *obiecto formali quo* (sive *ratione motiva*) valde dissident. Nam praeter opinionem in corp. primo relatam et opinionem auctoris (contra quam arguit Scotus, hic n. 7.), nonnulli cum Gotti multisque aliis discipulis S. Thomae dicunt, illud esse omnipotentiam Dei ut auxiliantem; amorem autem *concupiscentiae*, quo amatur beatitudo ut bonum *nostrum*, se habere ad spem ut *antecedens*; alii vero volunt, esse Dei *bonitatem ut nobis convenientem* et amabilem amore concupiscentiae (quae opinio a multis tribuitur Scoto); alii, esse *divinam promissionem*; denique (secundum Scotum, ut eius sententiam interpretantur Frassenius et Henno), esse *bonitatem Dei respectivam*, nobis infallibiliter promissam, ita ut *bonitas* et *promissio* infallibilis ingrediantur rationem obiecti motivi.

III. Praeter locos citatos: B. Albert., hic a. 8. — Petr. a Tar., hic a. 5. — Richard. a Med. hic a. 4. q. 1.

QUAESTIO V.

Utrum spes sit in parte animae cognitiva, an affectiva.

Quinto quaeritur de spe per comparationem ad subiectum, et est quaestio, utrum spes sit in parte animae cognitiva, vel affectiva. Et quod sit in cognitiva, videtur:

1. Primo per illud quod dicitur primae ad Timotheum primo[2] super illud: *Finis praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona*; Glossa: *de conscientia bona*, id est de spe: si ergo spes est con- Ad oppositum.

[1] Codd. A K *propria*.

[2] Vers. 5. — Glossa *(ordinaria)* sumta est ex August., I. de Doctr. christiana, c. 40. n. 44, eiusque verba integra apud Strabum et Lyranum haec sunt: *Conscientia bona;* conscientia pro spe. Ille enim ad id quod diligit se perventurum [Augustinus: Ille enim se ad id quod credit et diligit perventurum esse]

scientia, et conscientia se tenet ex parte cognitivae; videtur quod et ipsa spes.

2. Item, Bernardus in quadam homilia super Cantica [1]: « Deus futurus est rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis et memoriae continuatio aeternitatis »; sed continuatio aeternitatis est dos correspondens exspectationi ipsius spei: ergo si illa respicit ipsam memoriam, videtur, quod ipsa exspectatio spei in via esse in memoria habeat. Sed haec est potentia cognitiva: ergo etc.

3. Item, Augustinus, definiens spem, in libro de Civitate Dei [2] dicit, quod « spes est virtus, qua quis se ad illud quod credit, perventurum praesumit ». Ex hac definitione videtur, quod nihil aliud sit *sperare* quam *firmiter credere*, se perventurum ad aliquod arduum et excellens; sed tam *credere* quam *firmiter credere* est potentiae cognitivae: igitur *sperare* spectat ad potentiam cognitivam. Sed « cuius est actus, eius est et habitus »: ergo idem redit, quod prius.

4. Item, imago creationis reformatur per imaginem recreationis, quae quidem consistit in gratia et tribus virtutibus theologicis: ergo si virtutes reformantes sunt in potentiis, quas reformant; necesse est, esse virtutes theologicas in illis potentiis, in quibus attenditur integritas imaginis. Si ergo illae potentiae sunt intelligentia, memoria et voluntas [3], et caritas respicit voluntatem, fides intelligentiam; videtur ergo, quod spes respiciat memoriam: ergo est in potentia cognitiva.

5. Item, *certitudo* respicit potentiam cognitivam: ergo cum « spes sit certa exspectatio futurae beatitudinis [4] », spes est in potentia cognitiva tanquam in subiecto.

Sed contra: 1. Quatuor genera affectionum di-
Fundamenta. stinguuntur a Sanctis et a philosophis [5], videlicet *gaudium* et *dolor*, *spes* et *timor*: ergo si omnis affectio et habitus regulativus affectionis est in potentia affectiva, cum *spes* vel nominet *affectionem*, vel *habitum* directivum affectionis; videtur ergo generaliter, quod spes sit in potentia affectiva.

2. Item, eiusdem potentiae est *sperare*, cuius est et *timere;* sed *timere* non est nisi potentiae affectivae [6]: ergo nec *sperare*. Sed « cuius est actus, eius est et habitus »: ergo etc.

3. Item, « opposita nata sunt fieri circa eandem vim [7] »; sed spes et desperatio sunt opposita: si ergo desperatio est in potentia affectiva, videtur similiter, quod et ipsa spes.

4. Item, sicut contingit, potentiam rationalem et concupiscibilem obliquari et dirigi, ita etiam irascibilem: ergo sicut est aliqua virtus theologica in rationali et aliqua in concupiscibili, ita aliqua debet esse in irascibili; sed haec non est nisi spes: ergo spes est in irascibili: ergo spes est in potentia affectiva.

5. Item, obiectum spei est magnum et arduum, sicut supra [8] fuit ostensum; sed arduum est obiectum potentiae irascibilis: ergo si idem est obiectum habitus et potentiae substratae, in qua est habitus, spes est in potentia irascibili; et haec est affectiva: ergo etc.

CONCLUSIO.

Spes est in potentia animae affectiva, et quidem in parte irascibili.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio spes Conclusio.
est in potentia affectiva; est enim in ipsa irascibili, quae est pars potentiae affectivae. Potentiae enim irascibilis non tantum est detestari mala culpae et perpeti mala poenae, sed etiam aggredi terribilia et erigi ad magna et ardua [9]. Et propterea non tantum

desperat, cui malae conscientiae scrupulus inest. Cfr. Enarrat. in Ps. 31. enarrat. 2. n. 5. — Paulo inferius in conclus. pro *ex parte cognitivae* edd. *ex parte cognitionis vel cognitivae*.

[1] Homil. II. n. 5. — In conclusione codd. et edd. I, 2 repetunt *ergo* ante *videtur*, et codd. G I K L T Z bb nec non *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 49. a. 1. pro *memoria* substituunt *memorativa*, ut infra ad 2. Deinde Vat. et edd. I, 2 verbis *potentia cognitiva* praefigit *in*.

[2] Vide infra pag. 583, nota 4. Quod *credere* sit actus potentiae cognitivae, ostensum est supra d. 23. a. 1. q. 2. — In fine arg. respicitur illud Aristot., de Somno et vigil. c. 1: Cuius enim est potentia, huius est et actus.

[3] Cfr. I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1.

[4] Ut Magister dicit hic in lit. c. 1.

[5] Vide supra pag. 555, nota 7. et pag. 556, nota 5.

[6] Aristot., IV. Topic. c. 5: *Verecundia* quidem in rationali, *timor* in irascibili, at *tristitia* in concupiscibili; nam in hoc et *voluptas*, *ira* autem in irascibili. — In Vat. arg. terminatur sic: *videtur ergo, quod spes sit in potentia affectiva.*

[7] Aristot., II. Topic. c. 3. (c. 7.), ubi simile exemplum affertur, scil. de odio, et docetur, ad cognoscendum, utrum odium cohaereat irae, an sit in concupiscibili, inspiciendum esse quod ei contrarium sit, amorem scilicet; cum autem amor non sit in irascibili, sed in concupiscibili, odium quoque non esse in irascibili, sed in concupiscibili.

[8] Quaest. praeced. — De obiecto vero irascibilis dicit Avicenna, de Anima p. I. c. 5, haec: « Vis *concupiscibilis*, quae est vis imperans moveri, ut appropinquatur ad ea quae putantur necessaria aut utilia appetitui delectamenti... *irascibilis*, quae est vis imperans moveri ad repellendum id quod putatur nocivum aut corrumpens appetitum vincendi ». Et etiam sequentia (p. IV. c. 4.): « Illa autem [virtus], quae vult delectabile et quod putatur utile ad acquirendum, est *concupiscibilis*; quae vero vult vincere et id quod putatur nocivum repellere, est *irascibilis* ». Sed cfr. infra scholion. — Circa finem arg. pro *haec est affectiva* cod. A *haec est in potentia affectiva.* Deinde Vat. concludit sic: *ergo spes est in potentia affectiva.*

[9] Prima huius propos. pars illustratur verbis, quae habentur in libro de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 45: *Rationalis* siquidem est anima nostra, ut sciat discernere inter bonum et malum. Est etiam *concupiscibilis* atque *irascibilis*, ut possit amare bonum et odire malum. De concupiscibilitate nascitur *amor*, et de amore *desiderium* et *gaudium*. *Amor* est delectatio cordis alicuius ad aliquid propter aliquid, per *desiderium* currens atque per *gaudium* requiescens, per *desiderium* in appetendo, et per *gaudium* in perfruendo... De irascibilitate nascitur *odium*.

ponimus in ipsa esse *iram* et *patientiam*, sed etiam *fortitudinem* et *spem*, *fortitudinem*, inquam, in quantum negotiatur circa ea quae sunt ad finem; *spem* autem, secundum quod se erigit ad excellentiam ipsius finis.

Ratio triplex. Hoc autem satis potest aperte colligi, tum ex parte *affectionis substratae*, tum ex parte *conditionis adiunctae*, tum ex parte *dotis subsecuturae*.

Prima. Ex parte *affectionis substratae:* quia, cum quatuor sint affectiones, videlicet gaudium et dolor, spes et timor, sicut gaudium et dolor sunt circa eandem potentiam, ita etiam spes et timor [1]. Cum igitur planum sit, timorem esse ipsius potentiae irascibilis, non est dubium, quin affectio spei ad potentiam irascibilem pertineat, ac per hoc habitus virtutis spei dirigens affectionem illam. — Ex parte similiter *conditionis et proprietatis annexae* hoc ipsum potest satis aperte videri. Spei enim est *stabilire* et quodam modo *assecurare* de assequenda futura beatitudine; *stabilitio* autem et *confirmatio* pertinet ad potentiam *irascibilem*. Sicut enim *rationalis* se habet ad claritatem, et *concupiscibilis* ad voluptatem; sic etiam *irascibilis* ad securitatem [2]. Quia ergo *assecuratio* est conditio concomitans ipsam spem, indubitanter verum est, virtutem spei ad *irascibilem* pertinere. — Ex parte *dotis futurae* hoc ipsum potest haberi. Sicut enim ad *fidem* subsequitur visio, ita ad *spem* subsequitur perfecta tentio [3]. Firmiter autem *tenere* hoc est illius potentiae, cuius est habitum defendere; hanc autem non est dubium esse potentiam irascibilem. — Et ideo concedendum est, habitum spei esse in irascibili potentia, ac per hoc in virtute animi affectiva, sicut rationes concludunt, quae sunt ad partem istam.

Secunda.

Tertia.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur, quod spes dicitur conscientia; dicendum, quod in processu illo est *peccatum secundum aequivocationem* [4]: quia *conscientia* potest nominare ipsam *spem*, et potest nominare *lumen directivum* ad bene agendum; et hoc ultimo modo spectat ad potentiam cognitivam, alio modo non: ideo non sequitur, quod virtus spei sit in potentia animae cognitiva. *Praeterea*, alius defectus est ibi: quia nomine *conscientiae* intelligitur spes, non quia spes sit conscientia, sed quia spes est certa exspectatio, consurgens ex gratia et meritis [5]; merita autem esse non possunt, nisi ubi est conscientia bona.

Alius defectus.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Deus futurus est memoriae continuatio aeternitatis; dicendum, quod illud verbum Bernardi intelligitur *mediate* et non *primo*. Nam *continuatio aeternitatis* respicit illam virtutem, cuius est perpetuo *tenere;* et hoc est potentiae irascibilis, cuius est in praesenti *exspectare:* et ideo ex hoc non sequitur, quod spes sit primo in potentia memorativa, sed quod aliquo modo ipsam respiciat, vel *principaliter*, vel *ex consequenti* [6].

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod sperare non est aliud quam firmiter credere, se habiturum aliquid; dicendum, quod spes dicitur et *large* et *proprie*. *Large* accipiendo spem, sic dicit credulitatem quodam modo firmatam respectu alicuius boni assequendi sive a se, sive ab alio; quemadmodum, cum quis videt alium bonae indolis, dicit, quod sperat, ipsum esse futurum bonum hominem; ibi *sperare* idem est quod probabiliter credere; et sic sumitur *large* et improprie et bene potest pertinere ad virtutem cognitivam [7]. — Alio modo sperare, secundum quod dicitur *proprie*, idem est quod *confidere* et ex illa confidentia cum quadam securitate *tendere* ad habendum illud quod speratur; et hoc modo pertinet ad virtutem affectivam. Et haec duo, videlicet *confidentiam* illam et securam *tendentiam*, comprehendit Augustinus sub verbo *praesumendi*, quod quamvis sequatur credulitatem cognitionis, tenet tamen se ex parte affectionis. Et ideo ex illa ratione non potest concludi, quod potentia cognitiva sit subiectum spei.

Spes dicitur dupliciter.

4. Ad illud quod obiicitur, quod imago recreationis respondet imagini creationis; dicendum, quod verum est, quod respondet; nihilominus tamen imago *creationis* plus se tenet ex parte cognitivae, imago vero *recreationis* plus se tenet ex parte affectivae, secundum quod dicit Augustinus [8], quod « *imago* est in potentia cognoscendi, et *similitudo* in potentia diligendi ». Et quia imago *recreationis* plus se tenet ex parte affectivae, ideo duae virtutes sunt in parte affectiva totaliter et principaliter, videlicet spes et caritas. Et virtus spei reformando potentiam irascibilem, quae est potentia affectiva,

Notandum.

Ira enim generat *odium*, et de odio *dolor* et *timor*. Cum enim contra peccata nostra irascimur et ea odire incipimus, dolemus, quia peccavimus et poenas pro peccatis timemus. — Quoad secundam propos. partem videsis verba Damasceni, tom. II. pag. 560, nota 12. allata (de quibus agit Ioan. de Rupella, Sum. de Anima, p. II. c. 10. et 30.); cfr. etiam tom. I. pag. 197, nota 6. — De *patientia* (quae pertinet ad fortitudinem) vide supra pag. 561, nota 7; de *dono fortitudinis* infra d. 34. p. I. a. 2. q. 1; de *spe* quaest. praeced. in fine corp. et ad 5.

[1] Cfr. supra pag. 569, nota 4. — Paulo inferius pro *dirigens* codd. A K T U minus bene *dirigentis*.

[2] Ut facile cognosci potest ex annotatione penultima. — De propos. seq. cfr. supra a. 1. q. 5. — Paulo superius pro *claritatem* codd. M O (bb a secunda manu) substituunt *veritatem*, edd. perperam *caritatem;* et subinde post *ad voluptatem* Vat. adiicit *id est delectationem, honestam tamen.*

[3] Cfr. supra a. 1. q. 3. in corp. — In Vat. desunt verba *subsequitur visio, ita ad spem.*

[4] Vide Aristot., I. Elench. c. 3. (c. 4.). — De conscientia cfr. II. Sent. d. 39. a. 1. q. 1. — Cod. S *quod ibi est aequivocatio.* Paulo inferius pro *ad bene agendum* codd. A K W *ad bonum agendum.*

[5] Respicitur definitio spei hic in lit. Magistri, c. 1. posita. Cfr. etiam supra q. 2.

[6] Vide I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1. ad 4.

[7] Cfr. infra dub. 4.

[8] De Spiritu et anima (inter opera August.), c. 10.

per consequens reformat ipsam memoriam, quae in *actu* communicat cum ea, videlicet in *actu tenendi*. Et ideo non oportet, quod spes reponatur in memoria sicut in proprio subiecto. Sed haec planius determinata sunt in libro secundo, distinctione decima sexta [1].

5. Ad illud quod ultimo obiicitur de certitudine, patet responsio ex his quae dicta sunt supra [2], pro eo quod *certitudo spei* non est pertinens ad potentiam cognitivam, sed magis ad potentiam affectivam, quae quidem certitudo est quaedam assecuratio tenens se ex parte potentiae irascibilis. — Patet igitur, quid sit subiectum spei quantum ad animae potentiam.

Ulterius etiam posset esse hic inquisitio de *subiecto* spei quantum *ad substantiam*, et circa hoc possent quaeri plura dubitabilia. Primo quaeritur, utrum spes sit in Angelis bonis. — Secundo, utrum sit in animabus beatis. — Tertio, utrum aliquo modo sit in angelis malis. — Quarto, utrum fuerit in his qui fuerunt in limbo. — Quinto, utrum sit in his qui sunt in purgatorio. — Sexto et ultimo quaeritur, utrum fuerit in Christo. — Sed quoniam omnes hae quaestiones pro magna parte pendent ab illa quaestione, qua dicitur de evacuatione spei, et illa visa, cetera sunt facilia; ideo quaestiones istae ad praesens omittuntur, quia quaedam ex eis determinabuntur infra [3], quaedam ex eis tanguntur in littera, ut sic vitetur superfluitas, quae est memoriae inimica.

Aliae quaestiones recensentur.

SCHOLION.

1. Communiter docetur, subiectum virtutis theologicae, quae est spes, esse *voluntatem rationalem*; a qua doctrina auctor noster non discedit, licet doceat, eandem esse in vi *irascibili*. Ut autem eiusdem modus loquendi differens ab eo, quem S. Thomas, Scotus aliique posteriores communiter sequuntur, intelligatur, duo breviter discutere debemus, scilicet, utrum in voluntate *rationali*, simili modo ut in *sensibili*, admittenda sit distinctio aliqua inter vim *concupiscibilem* et *irascibilem*; tum, hoc concesso, utrum spes speciali modo sit in irascibili.

1. Quoad 1. quaestionem non defuerunt qui in superiori parte animae distinguerent *irascibilem* tanquam *potentiam* diversam a potentia concupiscibili. Alii vero cum Henrico Gandav. (Quodl. 8. q. 15.) in *una potentia* voluntatis rationalis duplicem *vim*, scilicet *concupiscibilem* et *irascibilem*, distinxerunt. Contra hunc Henrici modum loquendi arguit Scot. (hic n. 6. seqq.); et communiter posteriores Scholastici cum S. Thoma (cfr. III. Sent. d. 27. q. 2. a. 3.) non admittunt in voluntate rationali irascibilem *proprie* dictam, tamen aliquid simile eidem attribuunt. Quod etiam Scot. (III. Sent. d. 34. n. 13.) minime negat dicens: « In parte autem rationali possunt habere similem distinctionem *obiectorum*, sicut in parte sensitiva: nam voluntati est aliquid primo *delectabile*, puta bonum sibi conveniens secundum se, vel conveniens appetitui sensitivo, cui coniungitur in eodem supposito. Potest etiam habere voluntas obiectum *offendens* et secundum rectam rationem et contra rectam rationem, et respicere illud ut offendens actu nolendi repulsivo et imperioso. Non tamen est tanta distinctio horum in voluntate, quanta est in appetitu sensitivo... nec oportet dicere magis, quod alterum istorum est *vis*, et alterum *potentia*, quam e converso... De *vi* autem nescio quid oporteat loqui; est enim verbum superfluum » etc. — Aliter loquitur S. Bonav., qui (II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1. in corp. circa finem et cfr. ibi q. 3.) de concupiscibili et irascibili in voluntate affirmat, quod « potius dicuntur diversae *vires* quam diversae potentiae »; quod etiam expressius repetit infra d. 33. q. 3. in corp. et etiam ad 1. Idem (II. Sent. d. 25. p. I. q. 6. ad 2.): « Voluntas autem non dicit aliam *potentiam* per essentiam a concupiscibili et irascibili, sed nominat ipsum appetitum ut ratiocinatum sive rationi coniunctum, et sic eius *regere* est et *imperare*. *Concupiscibilis* autem et *irascibilis* eandem potentiam affectivam nominant, in quantum tamen habent *regi*; et ita dicuntur *inferiores*, non quantum ad *naturam* potentiae, sed quantum ad *officium* » etc. Praescindendo a modo loquendi, reapse sententia Seraphici et Alexandri Hal. quoad hanc distinctionem vix differt a communiore opinione, secundum quam Petr. a Tar. (hic a. 7.) dicit, quod in parte *rationali* animae probabilius *irascibilis* non sit « secundum *proprietatem*, sed secundum aliquam *aequivalentem similitudinem*. Quidquid enim potest virtus inferior, potest superior, et non e converso; unde sicut a parte cognitivae ratio recompensat sensus interioris et exterioris apprehensionem, sic a parte *motivae* voluntas, tanquam superior, habet in se concupiscibilis et irascibilis *actum et virtutem* modo nobiliori. Spes ergo est in voluntate, in quantum ipsa habet actum irascibili similem » (cfr. S. Bonav., I. Sent. d. 10. a. 1. q. 2. ad 4. et scholion).

In hoc tamen Scot. recedit a nostro auctore, quod ille irascibili tribuit non nisi actum nolendi et vindicandi obiectum offendens, ita dicens (hic d. 34. n. 11.): « Irascibilis igitur non habet pro obiecto *arduum* sive appetibile, quod est obiectum concupiscibilis, sed ipsum *offendens*, ita quod actus eius adaequatus est *velle vindicare*, vel *nolle offendens* » etc. Qua posita opinione, iam sequitur, quod spes non possit esse in irascibili, et quod spes et caritas solummodo perficiant concupiscibilem, quia Deus, quem habent pro obiecto, « est tantum volibilis, non nollibilis » (ibid. n. 14.). — Sed S. Bonav. irascibili praeter illum actum *respuendi malum*, tribuit etiam alium actum, scilicet *erigendi se ad arduum*. Dicit enim (I. Sent. d. 10. a. 1. q. 2. ad 4, et passim hic et q. praeced.), quod actus *irascibilis* « vel consistit respectu *disconvenientis vincendi*, vel respectu *ardui aggrediendi*, et ita vel *gradum*, vel *disconvenientiam* dicit ». Quo supposito, etiam Beatis qualiscumque actus *irascibilis* non disconvenit (infra d. 33. q. 3. ad 1.).

2. Quaestio 2. a S. Thoma, Scoto, Richardo aliisque posterioribus solvitur responsione *negativa*, a S. Bonav. vero, Alexandro Hal. et B. Alberto (qui tamen rem aliter explicat) *affirmativa*; quae differentia ex praedictis, praesertim ex verbis Petri a Tar., fere componi potest. Unde S. Thom. (hic q. 2. a. 2. ad 1.) ad mentem S. Bonaventurae responsionem negativam sic limitat: « nisi forte ipsam voluntatem, in quantum habet actus similes actibus irascibilis, dicamus *irascibilem*. Sed tunc *irascibilis* et concupiscibilis non erunt diversae potentiae, sed nominabunt eandem potentiam, scilicet voluntatem, secundum diversos actus ». Quando autem S. Bonav. cum Alexandro

---

[1] Art. 2. q. 3.

[2] Art. 1. q. 5. — Post pauca pro *assecuratio* bene multi codd. et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 49. a. 1. *assecutio*.

[3] Dist. 31. a. 2. q. 2, ubi de evacuatione spei agitur. — De spe in purgatorio cfr. IV. Sent. d. 20. p. I. q. 4. Aliae ex quaestionibus hic propositis tanguntur infra dub. 5. seq. — Pro *tanguntur* multi codd. *tangentur*.

approbat effatum, « quod consuevit dici, quod tres virtutes theologicae sunt in *rationali* et *concupiscibili* et *irascibili* » (II. Sent. d. 25. p. I. q. 6. ad 2.); non in eo senso vult distinguere *spem* a *caritate*, quasi *spes* sit *primo* et *per se* in sola irascibili, qualem ipse attribuit voluntati, caritas vero in concupiscibili; sed, ni fallimur, ideo asserit, caritatem (quae habet pro obiecto proprio solam Dei bonitatem in se) solam *concupiscibilem* perficere, quia ipsa praescindit a quocumque respectu ad malum, sive illud sit oppositum ipsi *summo bono*, quod est *cavendum*, sive sit minus conveniens *subiecto deficienti*, id est ipsi speranti ut aliquod arduum, quod vires eius excedit; spem autem ita docet perficere concupiscibilem, ut etiam irascibilem erigat ad *arduum* summum superandum (cfr. scholion ad praecedentem quaest.). Simili explicatione Matth. Hauzeur (Collatio totius theol. t. II. col. 566.) ipsius Scot. verba in concordiam cum doctrina Alexandri Hal. et Bonaventurae redigere conatur.

II. Praeter locos citatos: S. Thom., S. II. II. q. 18. a. 4. — B. Albert., hic a. 3. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 3.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de illa definitione, quam ponit, cum dicit: *Spes est virtus, qua spiritualia et aeterna bona sperantur*. Si enim bonum aeternum est unum solum, videtur, quod male dicat pluraliter: *qua aeterna bona sperantur*. — Item, nullum aeternum est temporale; sed omne futurum est temporale: igitur cum per spem exspectantur futura bona, sicut dicitur in alia [1] definitione; videtur, quod per ipsam non exspectentur bona aeterna.

Propter hoc quaeritur, quae sit differentia inter illa duo membra, videlicet inter *spiritualia* bona et *aeterna*.

Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod spes definitur hic per comparationem ad obiectum proprium. Obiectum autem ipsius spei est ipsum bonum aeternum et gloriosum. Hoc autem est duplex, scilicet *creatum* et *increatum*; et respectu utriusque est spes, principaliter tamen respectu Boni *increati* [2]. — Et secundum hoc dupliciter potest intelligi praedicta definitio; et si intelligatur de Bono *increato*, tunc spes dicitur exspectare aeterna bona, quae quidem, quantum est in se, carent principio et fine. Si autem intelligatur de bono *creato*, tunc dicitur exspectare bona *aeterna*, id est perpetua. — Utroque tamen modo *pluraliter* dicitur exspectare bona aeterna, non quia plura sint bona summa, sed quia bonum *aeternum*, quod est ipsa immensa Bonitas, omnia bona excellit per sui eminentiam; et bonum *perpetuum*, quod est beatitudo creata, omnia bona comprehendit per aequivalentiam. Et ideo *pluraliter* dixit *aeterna*, non propter aeternitatis multitudinem, sed propter boni exspectati omnimodam plenitudinem.

Duplex bonum aeternum.

Notandum.

Ad illud vero quod obiicitur, quod est exspectatio boni futuri; dicendum, quod nihil impedit, aliquod bonum esse aeternum *in se*, et temporaliter ab aliquo *haberi in praemio*; et sic est in mercede, quae exspectatur per spem, quod [3] aeterna est in se, et tamen futura est exspectanti, qui ad eam nondum pervenit.

Ad illud quod quaeritur, quae differentia sit inter illa duo membra; dicendum, quod primum membrum explicatur per secundum, quia ibi ponitur *et* pro *id est* [4], ut sit sensus: *spiritualia*, id est aeterna. — Vel potest dici, quod per hanc differentiam *spiritualia* distinguitur spes ab affectione naturali; per hoc autem, quod dicitur *aeterna*, distinguitur a virtute cardinali, et tangitur *propria ratio spei*, quae est in bonum sub ratione aeterni [5]. — Vel potest dici, quod per hoc quod dicitur *spiritualia*, tangitur *obiectum generale*, quod habet rationem materialis, secundum quod consuevit dici, quod spes quaedam est *veniae*, quaedam *gratiae*, quaedam *gloriae*. Per hoc autem quod dicitur *aeternum*, tangitur *obiectum proprium et formale* sive motivum [6].

Ad quaest. incidentem.

Resp. 2.

Resp. 3.

Dub. II.

Item quaeritur de alia definitione, quam ponit ibi: *Spes est certa exspectatio futurae beatitudinis, proveniens ex gratia et meritis*; quia, secundum quod dicit Philosophus [7], « peccat qui definit, quod est in motu per id quod est in *quiete*, et e converso »; sed *exspectare* est quiescere, *sperare* quodam modo est tendere in rem speratam: ergo male definitur per exspectationem. — Item, « omnis notificatio debet dari per propria [8] »; sed *beatitudo* et *gratia* et *merita* sunt ceteris virtutibus communia: ergo inconvenienter spes definitur per illa.

Iuxta hoc quaeritur: cum « unius rei sit unum *esse*, et ita una definitio [9] », quomodo differt praedicta notificatio ab aliis notificationibus, quae consueverunt assignari de spe?

Quaestio annexa.

---

[1] Vide dub. seq. — Superius Vat. omittit *sed omne futurum est temporale*.

[2] Cfr. supra a. 1. q. 2. seq. et a. 2. q. 4. — Paulo inferius pro *carent* edd. *currunt sine*.

[3] Vat. *quae;* cod. K pro *quod* [intellige: scil. quod] pariterque mox pro *qui* substituit *quia*. Superius pro *aequivalentiam* cod. aa *aequipollentiam*.

[4] Edd. omittunt *et pro id est*, atque proxime ante pro *quia* exhibent *quod*.

[5] Cfr. supra a. 2. q. 4. in corp. et a. 1. q. 3, ubi etiam in arg. 3. ad oppos. videsis de triplici genere spei, de quo paulo inferius mentio fit.

[6] De hoc dubio cfr. S. Thom., hic circa lit.

[7] Libr. VI. Topic. c. 3. (c. 4.). Vide tom. II. pag. 647, nota 1.

[8] Secundum Aristot., VI. Topic. c. 1.

[9] Cfr. supra pag. 501, nota 2. — Mox ante *ab aliis* codd. AK interserunt *ab ista et*.

Ad quaest. annexam.

Respondeo: Dicendum, quod spes est nomen *affectionis* et est nomen *virtutis*. Secundum quod est nomen *affectionis*, sic definitur a Philosopho [1]: « Spes est suspicio futuri boni ». — Secundum autem quod est nomen *virtutis* et nominat habitum, sic habet definiri et notificari per suum actum. Actus autem ille tripliciter potest comparari: vel ad *obiectum tantum*, et sic est illa definitio Magistri [2]: « Spes est virtus, qua spiritualia et aeterna bona sperantur »; vel ad *obiectum et principium*, et sic est illa Haymonis [3]: « Spes est certa exspectatio futurae beatitudinis, veniens ex gratia et meritis »; vel ad *obiectum et habitum praeambulum*, et sic est illa Augustini de Civitate Dei [4]: « Spes est virtus, qua quis se ad illud quod credit, perventurum praesumit ».

Actus spei tripliciter comparatur; hinc 3 definitiones.

Aliter etiam potest assignari distinctio inter istas tres notificationes, quod prima sit *formalis*, data per genus et differentias; secunda *causalis*, data per actum et causam; tertia vero *partim causalis, partim formalis*, quia datur per genus [5] spei et aliam virtutem praeambulam, scilicet fidem, quae tangitur in verbo *credendi*.

Alius modus distinguendi.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod exspectatio est quies; dicendum, quod quamvis sit quies corporalis, tamen est quaedam sollicitatio *mentis*. Qui enim exspectat adventum desiderat exspectati; exspectatio vero, secundum quod ponitur in definitione spei, non est exspectatio *corporalis*, sed magis *mentalis*, quae est quaedam inhiatio [6] et protensio respectu finis assequendi.

Ad illud quod obiicitur, quod haec notificatio data est per communia; dicendum, quod illa *communia*, secundum quod in hac notificatione ponuntur, sunt *appropriata*. Nam *beatitudo* appropriatur ipsi spei ratione ultimae dotis, quae quidem est perfecta tentio, correspondens ipsi spei, et ea ratione, qua nomine beatitudinis intelligimus bonum excellens et indeficiens [7]. Similiter *gratia* et *merita* eidem appropriantur, prout iunguntur insimul. *Gratia* enim respicit Dei benignitatem et misericordiam; *merita* vero Dei aequitatem et iustitiam. Quoniam vero virtutis spei est proprie utrumque respicere, ut liberet à desperatione et praesumtione, quae solummodo alterum intuentur; ideo proprie convenit ipsi spei, quod dicitur « *veniens ex gratia et meritis* »: *meritis*, inquam, praecedentibus vel in *proposito*, vel in *radice*, vel in *usu*, sicut in praecedentibus [8] fuit ostensum.

Notandum.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Et sicut fides, ita et spes est de invisibilibus*. Videtur enim falsum dicere, quia, si fides et spes communicant in obiecto: ergo sunt eadem virtus. — Item, in temporalibus ita bene potest quis sperare pecuniam, quam videt, sicut pecuniam, quam non videt: ergo pari ratione et in spiritualibus: ergo spes non debet dici esse de invisibilibus. — Item, *spes* respicit ipsum affectum, *visibile* autem et *invisibile* respicit intellectum: ergo si obiectum et habitus respiciunt eandem potentiam, male dicitur spes esse de invisibilibus [9].

---

[1] Vide Plato, Phileb. (ed. Serrani, tom. 2. pag. 39) et Aristot., I. Rhetor. c. 25. (c. 11.) Cfr. ibid. II. c. 15. (c. 12.); de Memoria et reminisc. c. 1. nec IX. Ethic. c. 7. Verba Avicennae vide supra pag. 577, nota 2.

[2] Hic in lit. c. 1. Vide dub. praeced.

[3] Quae erui potest collat. 47. videre est ex eius exposit. in Epist. ad Rom. c. 5, ubi, quemadmodum in *Supplemento* Summae Alex. Hal. in v. 4. sic legitur: *Patientia autem probationem* [operatur] meritorum et fidei... *probatio vero operatur spem* vitae aeternae. Spes est exspectatio futurorum bonorum. Qui ergo inter tribulationes et adversa per patientiam probabiles existunt in fide, illi securi de praemiis futuram beatitudinem exspectant. *Spes autem non confundit*... Spes ergo *non confundit*, id est, qui probatus est in fide bonisque operibus et spem habet aeternorum praemiorum, non erubescit, quidquid adversi in hoc saeculo sustinuerit, securus de praemio. Et quare hoc? *Quia caritas Dei*, qua nos diligit Deus, vel qua diligimus Deum, *diffusa est in cordibus nostris* tempore baptismatis et tempore manus impositionis *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, non per meritum nostrum... Ipsa etiam spes per Spiritum sanctum nobis datur, qui facit nos credere quod promittit etc. Libr. II. de Varietate librorum, c. 10. ait Haymo: Spes est bonorum spectatio futurorum, quae exprimit humilitatis affectum et sedulae servitutis obsequium. Spes autem vocata, quod sit *pes* progrediendi, quasi *est pes;* unde e contrario dicitur desperatio [Isidor., Etymolog. VIII. c. 2. n. 5: *deest* enim ibi *pes*], cui nulla est progrediendi facultas; quia dum quisque peccatum amat, futuram gloriam non sperat; ille enim fiducialiter exspectat qui eius mandata fideliter servat. — In definitione spei cod. Z pro *veniens* substituit *proveniens*.

[4] Etiam B. Albert., hic a. 4, hanc definitionem ut in August. libro de Civ. Dei occurrentem memorat. In *Supplemento* Summae Alex. Hal., collat. 47. legitur: « Haec definitio, *ut dicunt*, ponitur in libro de Civ. Dei, ego autem credo, quod sumitur ex verbis Augustini in fine I. Soliloquiorum ». Revera Augustinus ibi, c. 6. n. 13, agens de fide, spe et caritate, ait: Sed et ipse aspectus quamvis iam sanos oculos convertere in lucem non potest, nisi tria illa permaneant: fides, qua credat, ita se rem habere, ad quam convertendus aspectus est, ut visa faciat beata; spes, qua cum bene aspexerit, se visurum esse praesumat; caritas, qua videre perfruique desideret. Cfr. XI. de Civ. Dei, c. 2, ubi S. Doctor docet, quod Christus, Deus-homo, sicut fundavit fidem, in qua ambulamus ad veritatem, sic ipse sit *spes perveniendi* illuc, quo per fidem tendimus. Sed fortasse formata est ex definitione *desperationis*, supra pag. 578, nota 2. allata. — Paulo inferius pro *distinctio* cod. A *differentia*.

[5] Edd. *per obiectum*.

[6] Pro *inhiatio* codd. A K *habitudo*, cod. O *intuitio*, cod. Z *erectio* (cfr. supra a. 2. q. 1. in corp.), edd. *imaginatio*. Nostra lectio, quae innititur auctoritati codd. H U bb, confirmatur corrupta lectione codd. I L aa *inviatio*. Paulo superius pro *sollicitatio* cod. A (bb a secunda manu) *sollicitudo*.

[7] Cfr. supra a. 1. q. 3. in corp. et a. 2. q. 4. ad 5. — Inferius post *spei est* cod. A bene omittit *proprie*.

[8] Art. 1. q. 4. ad 1. — Cfr. de hoc dubio *Supplement.* Summae Alex. Hal. collat. 47; B. Albert., hic a. 4; S. Thom., hic circa lit.; Petr. a Tar., hic a. 2.

[9] Edd. 1, 2 *esse invisibilis*. Vat. ultimam conclusionem in hunc modum affert: *ergo si obiectum habitus respicit eandem potentiam, quam et habitus, male dicitur spes esse invisibilis.*

Respondeo: Dicendum, quod in aeternis bonis perfecte videre *habere* est, sicut dicit Augustinus [1]; propter quod dicitur Ioannis decimo septimo: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te verum Deum* etc. Notandum. Ideo respectu eorundem bonorum spiritualium *non videre* et *non habere* se mutuo concomitantur. Quoniam ergo spes est de *non habitis* — quia nemo sperat illud quod habet, sed illud quod habendum est [2] — et respectu aeternorum bonorum *non habitum* est *non visum;* hinc est, quod Magister dicit, quod sicut *fides* est de invisibilibus, ita et *spes*. In hoc tamen est differentia [3], quod *fides* est de invisibilibus, secundum quod sunt *invisibilia;* spes autem est de invisibilibus, secundum quod sunt *non habita,* sed *habenda*. — Et per hoc patet responsio ad obiecta.

Ad illud enim quod primo obiicitur, quod communicant in obiecto; dicendum, quod non sub eadem ratione respiciunt illud obiectum, sed sub alia et alia.

Ad illud quod obiicitur, quod in temporalibus bene potest quis sperare quod videt, sic et [4] in spiritualibus; dicendum, quod non est simile, quia *videre corporalia* non est illa *habere;* sed *bona aeterna videre* est illa *possidere*.

Ad illud quod obiicitur, quod *invisibile* respicit intellectum; dicendum, quod verum est sub ratione *invisibilis;* nihilominus potest respicere affectum sub ratione *non habiti* [5].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Spes non est nisi bonarum rerum nec nisi futurarum et ad eum pertinentium, qui sperat.* Contra hoc enim Contra primum membrum. obiicitur primo ratione primi membri: quia dicit poëta [6]:

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem:

ergo spes est malarum rerum. — Item, sicut aliquis exspectat propriam exaltationem, ita exspectat adversarii sui confusionem: ergo sicut exspectat bonum suum, ita exspectare potest malum alienum.

Item, obiicitur contra secundum membrum, quod dicit *non nisi futurarum:* quia beatitudo non est futura nec habenda a praescito: ergo si spes non est nisi rerum futurarum, nullus praescitus habet spem. Contra secundum.

Item, obiicitur contra tertium membrum, quo dicitur *ad eum pertinentium:* quia Lucae ultimo [7] dicitur: *Nos autem sperabamus, quod ipse redempturus esset Israel:* ergo contingit sperare bonum commune: non ergo tantum spes est respectu boni proprii. — Item, Augustinus [8] dicit, quod « de nemine desperandum est, dum est in via »; sed de quo contingit *desperare,* et *sperare:* ergo videtur, quod de alio contingit sperare. — Item, cum fides et caritas possint non tantummodo esse de bonis propriis, sed et de bonis communibus, quare non similiter est hoc reperire de spe? Contra tertium.

Respondeo: Dicendum, quod spes est respectu *futuri,* respectu *futuri boni* et respectu *futuri boni proprii,* secundum quod accipitur *proprie* pro ipsa *virtute*. Respectu *futuri* est, in quantum distinguitur a *gaudio* et *dolore* et convenit cum *timore,* quia illae duae affectiones sunt respectu *praesentium,* sed istae duae respectu *futurorum*. — Respectu *boni* est, in quantum distinguitur a *timore,* quia *timor* est respectu disconvenientis, *spes* respectu convenientis [9]. — Respectu *boni proprii* est, in quantum non solum distinguitur ab aliis *affectibus,* sed etiam in quantum distinguitur ab aliis *virtutibus,* utpote a credulitate fidei; ipsa enim *spes* procedit ex gratia et meritis. Et quoniam meritum non assecurat de beatitudine nisi eum qui meretur, quia unicuique retribuetur secundum merita sua; hinc est, quod per virtutem spei nemo sperat nisi *sibi*. Et secundum hoc patet, quod illa differentia, quam assignat Augustinus [10] inter fidem et spem, recte et convenienter assignatur; sumitur enim spes *proprie* pro ipsa *virtute*. — Si autem accipiatur spes *communiter* pro ipsa *suspicione,* sic potest esse non tantum *boni,* sed etiam *mali;* et sic accipit poëta [11]. De obiecto materiali spei proprie sumtae. Item communiter sumtae.

Et per hoc patet responsio ad primum obie-

---

[1] Epist. 187. (alias 57.) c. 6. n. 21: Unde quem potuerunt illi [superbi sapientes] nosse nec habere, isti [parvuli baptizati] potuerunt habere antequam nosse. Beatissimi autem sunt, quibus hoc est Deum habere quod nosse. Ipsa quippe notitia plenissima, verissima, felicissima est. — Seq. Scripturae locus est Ioan. 17, 3. — Pro *habere* edd. 1, 2 *vivere*.

[2] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. Versio Arabico-Latina Aristot., VII. Phys. text. 19: Voluptas enim accidit nobis aut per rememorationem eius quod habuimus ex ea, aut per spem ad illud quod habendum est.

[3] Edd. *Et haec est differentia.*

[4] Edd. *ergo et.*

[5] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 6; S. Thom., hic circa lit.

[6] Virgil., Aen. IV. 419. [7] Vers. 21.

[8] Serm. 71. (alias 11. de Verbis Domini) c. 13. n. 21. Cfr. Enarrat. in Ps. 36. serm. 2. n. 11. et tom. II. pag. 832, nota 7, ubi similis sententia allegata est ex I. Retract. c. 19. n. 7.

[9] Vide supra a. 2. q. 1. et 4. De seq. propos. cfr. dub. 2. et supra a. 2. q. 2. — Superius pro *cum timore,* quam lectionem tuentur codd. A K (N a secunda manu) U V bb, alii codd. et edd. *cum amore.* Mox pro *affectibus* edd. cum nonnullis codd. *affectionibus.*

[10] In verbis, quae formant textum huius dubii. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

[11] Virgil. loc. cit., de quo August., Enchirid. c. 8. n. 2. dicit: Quae duo [timere et sperare] quidam distinguens ait: Liceat sperare timenti [Lucanus, II. Pharsal.]. Non autem ab alio poëta, quamvis meliore, proprie dictum est: Hunc ego si potui tantum sperare dolorem. Denique nonnulli in arte grammatica verbi huius utuntur exemplo ad ostendendam impropriam dictionem et aiunt: *sperare* dixit pro *timere*. — Verba *Si autem accipiatur spes communiter pro ipsa suspicione* spectant ad definitionem supra in dub. 2. datam: Spes est *suspicio* futuri boni.

ctum: ille enim est extensus et improprius modus accipiendi ipsam spem. Si vero spes dicatur *minus communiter* de quacumque exspectatione boni, sic potest esse exspectatio non solum *proprii* boni, sed etiam *communis*. Et sic accipitur Lucae ultimo [1] et etiam ab Augustino. — Et per hoc patet responsio ad illas duas auctoritates. — Prout autem accipitur *proprie* pro ipsa spe, quae est « exspectatio veniens ex gratia et meritis [2] »; sic non est nisi respectu *proprii* boni, quia nemo redditur securus de salute nisi per merita propria; ideo non est simile de fide et caritate. — Et per hoc patet responsio ad ultimo obiectum.

Ad illud vero quod obiicitur, quod si spes est tantum futurarum rerum, sic praescitus non habet spem; dicendum, quod *futurum* dicitur dupliciter: vel quantum ad *eventum*, vel quantum ad *ordinem*. Quantum ad *eventum* dicitur *futurum* quod *evenit*; quantum ad *ordinem* dicitur *futurum* quod est *ordinatum ad eveniendum* [3]; vel *futurum* dicit eventum *simpliciter*, non *respectu exspectationis*. Et hoc ultimo modo dicitur spes esse futurorum; ipse autem obiicit, prout accipitur primo modo, et ideo non valet [4].

Notanda distinctio.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quibusdam non indocte videtur, fidem et spem in Christo non fuisse, sicut in Sanctis iam beatificatis vel in Angelis non sunt.* Obiicitur contra *primum*, quia in Psalmo [5]: *In te, Domine, speravi* etc.; dicitur in Glossa: « Hoc dicitur in persona Christi »: ergo Christus habuit spem. — Item, hoc videtur ratione: quia Christus fuit simul viator et comprehensor; et in quantum viator defuit sibi stola corporis [6]: si ergo Christus fuit perfecte viator, sicut et perfectus comprehensor; videtur, quod debuit habere omnia dona gratiarum et omnes virtutes, quae respiciunt statum viae.

Obiicitur respectu Christi.

Item obiicitur contra *secundum* de Sanctis iam beatificatis, quia dicitur Apocalypsis sexto [7], quod dictum est eis, ut exspectarent *adhuc modicum tempus*: ergo si spes est exspectatio, videtur etc. — Item, animae sanctae in patria exspectant glorificationem suorum corporum, quae est quaedam pars beatitudinis. Resumendo enim corpora perfectius contemplabuntur; quoniam, sicut dicit Augustinus [8], « animae propter desiderium corporum retardantur, ne omnino ferantur in summum caelum ».

Item respectu Sanctorum.

Item obiicitur contra *tertium*, quia videtur, quod Angeli habeant spem; dicitur enim primae Petri primo [9]: *In quem desiderant Angeli prospicere; desiderium* autem est respectu non habiti: ergo si de eodem potest esse *spes*, de quo et *desiderium*; videtur ergo, quod Angeli sperent. — Item, Angelis accrescet gloria quaedam et decor de nostra glorificatione et beatitudine [10]: si ergo hanc exspectant et nondum habent, videtur, quod habeant spem.

Item respectu Angelorum.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Magister, nec Christus nec animae beatae nec sancti Angeli, *proprie* loquendo, habent spem. Et ratio huius est, quia spes est exspectatio praemii *substantialis*; omnes autem hi praedicti *substantiale* praemium habent: et ideo carent spe proprie dicta. — Alia etiam ratio est, quia spes habet annexam fidem; fides autem est cognitio aenigmatica. Et quia claritas visionis divinae tollit omne aenigma, per consequens evacuat fidem, et evacuando fidem evacuat ipsam spem. Et ob hanc duplicem rationem, sicut Magister innuit in littera [11], convenienter dicitur, quod nec Christus nec Sancti nec Angeli beati habeant spem.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ad rationes autem ad oppositum respondetur faciliter, pro eo quod, licet in eis non ponatur spes *proprie* dicta, secundum quod est exspectatio praemii substantialis, potest tamen, *large accipiendo* spem pro quacumque exspectatione, videlicet stolae secundae et alicuius gaudii accidentalis, poni in Christo et in Angelis et in animabus beatis. — Sed quare spes-virtus non est respectu praemii *accidentalis*, sed *substantialis*; et quare etiam in Sanctis evacuatur; hoc infra [12] melius manifestabitur, cum agetur de evacuatione virtutum.

Nota.

Ad illud tamen quod obiicitur de desiderio, dicendum, quod non est simile de *desiderio* et *spe*: quia spes est respectu *non habiti*, sed desiderium potest esse respectu *habiti*, ut continuetur et tollatur fastidium; et sic est in Angelis [13]. — Similiter ad illud quod obiicitur de auctoritate Psalmi, consuevit

---

[1] Vers. 21.

[2] Secundum Haymonem; vide supra dub. 2.

[3] Cfr. supra d. 24. a. 1. q. 1. ad 3. — Mox pro *non respectu* Vat. *vel respectu*.

[4] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 7; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[5] Psalm. 30, 1. — Glossa sumta est ex August., Enarrat. 2. n. 5. in hunc loc.; habetur ut *ordinaria* penes Strabum et Lyranum.

[6] Cfr. supra pag. 390, nota 5. — Pro *defuit* edd. *deficit*.

[7] Vers. 11.

[8] Libr. XII. de Gen. ad lit. c. 35. n. 68: Inest ei [spiritui] naturalis quidam appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardatur quodam modo, ne tota intentione pergat in illud summum caelum, quamdiu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescat.

[9] Vers. 12.

[10] Ut ostensum est II. Sent. d. 11. a. 2. q. 2.

[11] Hic c. 4. — Edd. *sicut multipliciter dicitur in littera*.

[12] Dist. 31. a. 2. et 3.

[13] Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 1. (In Breviar. Romano, Dominica infr. Oct. Corp. Christi), ubi, differentiam inter delicias corporales et spirituales indicans, ait: Quod corporales delictae, cum non habentur, grave in se desiderium accendunt, cum vero habitae eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales deliciae, cum non habentur, in fastidio sunt, cum vero habentur, in desiderio etc.

dici, quod hoc dicitur de Christo ratione *membrorum* [1]. Alia satis patent.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *De antiquis vero Patribus, qui apud inferos tenebantur, dici potest, quod fidem et spem habuerunt.* Sed *contra:* spes se commetitur statui viae; sed illi non erant in statu viae: ergo non habebant spem. — Item, spes datur homini ad hoc, quod mereatur [2]: ergo si illi erant extra statum meriti, non videtur, quod habuerint spem.

Quaestio incidens 1. Iuxta hoc quaeritur de animabus, quae sunt in *purgatorio*, utrum habeant spem. Et quod sic, videtur, quia adhuc non habent apertam visionem per speciem [3]: ergo spes non est evacuata in eis. — Sed *contra* hoc est, quia ipsi certi sunt, quod non possunt damnari: ergo videtur, quod non indigeant fulcimento spei.

Quaestio incidens 2. Iuxta hoc quaeritur, utrum *daemones* aliquo modo habeant spem. Et quod sic, videtur, quia dicitur Iob quadragesimo [4] de Behemoth: *Ecce spes eius frustrabitur*: ergo ipse habet spem. Sed *contra:* sciunt, peccatum suum esse irremediabile, ergo desperant: ergo non habent spem. Et Augustinus [5] dicit de diabolo, quod « ad cumulum damnationis suae desperavit ».

Respondeo: Dicendum, quod quia spes non tollitur nisi per subsequens praemium et per contrarium habitum; et Sancti in *limbo* et animae in *purgatorio* nec erant assecuti praemium nec inciderant in contrarium habitum sive in defectum: hinc est, quod spem habebant, sicut dicit Beda [6], et habetur in quarto libro, distinctione prima, quod « Patres in limbo felici spe ingressum ianuae caelestis exspectabant ». — *Daemones* vero et alii *damnati*, Ad quaest. 2. qui habent contrarium habitum spei, scilicet desperationem, spem habere non possunt. Similiter sancti Beati assecuti sunt praemium, per quod spes evacuatur, sicut infra [7] manifestabitur.

Ad quaest. 1.

Ad illud vero quod obiicitur, quod spes commetitur se statui viae et datur ad merendum; dicendum, quod sancti Patres quodam modo erant in via et nondum pervenerant ad patriam. *Praeterea*, meritum non respicit ipsam spem universaliter, sed secundum statum [8].

Ad illud quod obiicitur, quod in purgatorio certi sunt [9], quod damnari non possunt; dicendum, quod hoc non est propter assecutionem gloriae, sed propter confirmationem liberi arbitrii, quod est extra statum merendi et demerendi; et illa confirmatio non evacuat spem, quamvis ponat extra statum vertibilitatis ipsius liberi arbitrii, et ideo demeriti.

Ad illud quod obiicitur de Behemoth, dicendum, quod *spes* accipitur ibi *improprie* pro exspectatione dilationis iudicii, in quo acrius quam modo punietur; vel etiam pro exspectatione iudicii divini diutius continuandi [10] super peccatores, quorum utroque frustrabitur diabolus in die iudicii et citius, quam vellet, iudicabitur. — Et ex his patent illa dubia, quae supra [11] de subiecto spei quaerebantur.

DISTINCTIO XXVII.

Cap. I.

De caritate Dei et proximi, quae in Christo et in nobis est.

Prologus. Cum autem Christus fidem et spem non habuerit, dilectionem tamen habuit in quantum homo tantam, qua maior esse non valet; qui ex caritate eximia animam posuit pro amicis et inimicis [1]. Habuit enim in corde caritatem, quam opere nobis exhibuit, ut exhibitionis forma nos ad diligendum instrueret. — Hic aliquid dicendum est de caritate et modo et ordine diligendi Deum et proximum.

---

[1] August., Enarrat. in Ps. 30. (in quo secundum S. Doctorem et alios Ss. Patres loquitur Christus, et etiam in Christo capite membra eius, Christifideles) enarrat. 2. n. 5: Dicamus in Christi corpore, dicamus omnes quasi unus, quia omnes unitas, dicamus: *In te, Domine, speravi* etc. — Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., *Supplement.* collat. 50, ubi et de seq. dubio videsis; B. Albert., hic a. 8; S. Thom., hic q. 2. a. 5. quaestiunc. 1. et 2; Petr. a Tar., hic a. 6. quaestiunc. 1; Richard. a Med., hic a. 5. q. 2.

[2] Licet Magister dicat hic in lit. c. 1. (cfr. hic dub. 2.), quod spes veniat ex Dei gratia et praecedentibus meritis; tamen eadem etiam ad merendum requiritur (supra a. 2. q. 2.).

[3] Vat. et complures codd. *spem.*

[4] Vers. 28.

[5] Libr. I. de Mirabilibus Scripturae (inter opera August.) c. 2. Cfr. tom. II. pag. 176, nota 5. et pag. 179, nota 1. — Subinde pro *quod* edd. cum multis codd. *et.*

[6] Libr. I. Homil. homil. 10. in die festo circumcisionis Domini: In sinu Abrahae post mortem beata requie consolati supernae pacis ingressum spe felici exspectabant.

[7] Dist. 31. a. 2. q. 2. — Pro *sancti Beati assecuti sunt* codd. A G H I L T aa *sancti Beati et* [codd. K Z *qui*] *assecuti sunt*, edd. *Sancti et Beati assecuti sunt.* In propos. seq. pro *et nondum* cod. L *tamen nondum.*

[8] Cfr. supra a. 2. q. 2. in corp.

[9] Edd. *quod animae in purgatorio certae sunt.* Aliquanto inferius edd. omittunt *et ideo demeriti.* — De ipsa solut. cfr. II. Sent. d. 7. p. I. a. 2. q. 1. seqq.

[10] Edd. *quam modo puniendus est, et pro exspectatione dilatione* [Vat. *dilationis*] *iudicii diutius constituendi.* Pro *punietur*, quod est in codd. K bb, in aliis et edd. *punientur.* Mox post *iudicii* non pauci codd. omittunt *divini*, et deinde pro *quam vellet* codd. A K Z (aa a secunda manu) *quam volet*, codd. I L T U V *quam nollet.*

[11] Art. 2. q. 5. in fine. — De hac solut. vide II. Sent. d. 6. a. 2. q. 2. — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 9; S. Thom., hic q. 2. a. 5. quaestiunc. 3. et 4; Petr. a Tar., hic a. 6. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 1.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Respicitur I. Ioan. 3, 16, et Rom. 5, 7. 8. — Mox pro *opere* edd. 1, 8 *ex opere.*

Cap. II.

Quid sit caritas.

Caritas est dilectio, qua diligitur Deus propter se
Dubium 1. et proximus propter Deum vel in Deo [1]. Haec habet duo mandata, unum pertinens ad dilectionem Dei, quod est maximum in Lege mandatum, et alterum pertinens ad diligendum proximum, illi simile. Primum est: *Diliges Deum ex toto corde, ex tota mente et ex tota anima*, quod scriptum est in Deuteronomio [2]. Secundum est: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus praeceptis tota Lex pendet, et Prophetae. Finis enim praecepti est dilectio;* et ea gemina, id est Dei et proximi est.

Cap. III.

Si eadem caritate diligitur Deus et proximus.

Hic quaeritur, si ex ea ipsa dilectione diligitur
Removetur dubium. Deus, qua diligitur proximus, an alia sit dilectio Dei, et alia proximi. — Eadem sane est dilectio, qua diligitur Deus et proximus; quae Spiritus sanctus est, ut supra [3]
Augustinus. dictum est, quia Deus caritas est. Unde Augustinus: «Ioannes ait: *Non potest Deum diligere, quem non videt, qui fratrem, quem videt, non diligit.* Sed si eum quem videt humano visu, spirituali caritate diligeret; videret Deum, qui est ipsa caritas, visu interiori, quo videri potest. Qui igitur fratrem, quem videt, non diligit, Deum, qui est dilectio, qua caret qui fratrem non diligit, quomodo potest diligere? Ex una enim eademque caritate Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum, nos vero et proximum propter Deum».

Cap. IV.

Quare dicuntur duo mandata caritatis.

Si vero una eademque caritas est Dei et proximi, quare dicitur *gemina?* Propter duo dilecta, id est Deum et proximum. Etsi enim una sit caritas, duo tamen diversa ea diliguntur, scilicet Deus et homo vel An-
Dubium 2. gelus. Pro quo etiam et duo sunt mandata, quia, cum eadem caritas utroque commendetur, diversa tamen
Augustinus. diligi praecipiuntur. Unde Augustinus [4]: «Arbitror, ideo Spiritum sanctum bis datum, semel in terra et iterum de caelo, ut commendarentur nobis duo praecepta caritatis, scilicet Dei et proximi. Una est caritas et duo praecepta, unus Spiritus et duo data, quia alia caritas non diligit proximum, nisi illa quae diligit Deum. Qua ergo caritate proximum diligimus, ipsa Deum diligimus. Sed quia aliud est Deus, aliud est proximus, etsi una caritate diliguntur»; ideo forte duo praecepta dicuntur, et alterum maius, et alterum minus; vel propter duos motus, qui in mente geruntur, dum Deus diligitur et proximus. Movetur enim mens ad diligendum Deum, movetur et ad diligendum proximum, et multo magis erga Deum quam erga proximum.

Cap. V.

De modo diligendi.

Consequenter modum utriusque dilectionis adver-
Augustinus. tamus. «Haec regula, ut ait Augustinus [5], dilectionis divinitus constituta est», ut Deum propter se et toto corde, et proximum diligas sicut te ipsum, id est, ad quod et propter quod te ipsum diligere debes. In bono enim et propter Deum te ipsum diligere debes, in bono ergo diligendus est proximus, non in malo, et propter Deum; proximum vero omnem hominem oportet intelligi, quia nemo est, cum quo sit operandum male. Qui ergo amat homines, «vel quia iusti sunt, vel ut iusti sint, amare debet, hoc est in Deo vel propter Deum; sic enim et se ipsum amare debet, scilicet in Deo vel propter Deum, id est, quia iustus est, vel ut iustus sit. Qui enim aliter se diligit, iniuste se diligit, quia ad hoc se diligit, ut sit iniustus, ad hoc ergo, ut sit malus: non ergo iam se diligit. *Qui enim diligit iniquitatem odit animam suam* [6]».

Notula. «Sic condita est mens humana, ut nun- Dubium 3.
quam sui non meminerit, nunquam se non intelligat, nunquam se non diligat. Sed quoniam qui odit aliquem nocere illi studet, non immerito et mens hominis, quando sibi nocet, odisse se dicitur. Nesciens enim sibi vult male, dum non putat sibi obesse quod vult; sed tamen male sibi vult, quando id vult, quod obsit sibi; unde illud scriptum est: *Qui diligit iniquitatem odit animam suam.* Qui ergo se diligere novit Deum diligit; qui vero non diligit Deum etiam se non diligit, quod ei naturaliter inditum est. Tamen non incongrue se odisse dicitur, cum id agit, quod sibi adversatur et se ipsum tanquam suus inimicus insequitur».

«Modus ergo diligendi praecipiendus est homini, id est, quomodo se diligat, ut prosit sibi. Quin autem se diligat et prodesse sibi velit, dubitare dementis est [7]». *Modus* autem praecipitur, cum ait: *sicut te ipsum*, ut proximum diligas, ad quod te ipsum. Si ergo te non propter te diligere debes, sed propter illum, ubi dilectionis tuae rectissimus finis est; non succenseat alius aliquis homo, si et ipsum propter Deum diligis. Huius dilectionis modum Veritas insinuat dicens: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*, id est, ad quod dilexi vos, scilicet ut *filii sitis* et *vitam habeatis*.

---

[1] Cfr. Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. XIII. c. 6.

[2] Cap. 6, 5; deinde Matth. 22, 37; I. Tim. 1, 5. — Pro *duobus praeceptis* Vat. cum nonnullis edd. *duobus mandatis.*

[3] Libr. I. d. XVII. c. 2. — Locus August. est VIII. de Trin. c. 8. n. 12, ubi citatur I. Ioan. 4, 20.

[4] Serm. 265. (alias 6. inter additos a Parisiensibus) c. 8. n. 9; cfr. Beda, ad Rom. 5, 5. — Paulo superius pro *etiam et duo* Vat. cum ceteris edd., exceptis 1, 8, *etiam duo* refragantibus codd.

[5] Libr. I. de Doctr. christ. c. 22. n. 21, ubi etiam quae sequuntur in hoc capitulo sententialiter habentur. — Post *et proximum* edd. 1, 8 adiiciunt *propter Deum.*

[6] August., VIII. de Trin. c. 6. n. 9, ubi allegatur Ps. 10, 6. — Nota, quod hoc loco solae edd. 1, 6, 8 addunt illud testimonium Augustini, XIV. de Trin. c. 14. n. 18: *Sic condita est* etc., circa quem locum S. Bonav. scripsit hic in Comment. dub. 3; unde a nobis istud additamentum hic recipiendum erat quod Vat. aliaeque edd. habent in d. XXVII.

[7] August., I. de Doctr. christ. c. 25. n. 26. — Inferius locus Scripturae est Ioan. 13, 34.

Dilectionis autem Dei *modus* insinuatur, cum dici-
Dubium 4. tur: « *Ex toto corde*, id est ex toto intellectu; *ex tota anima*, id est voluntate; *ex tota mente*, id est memoria [1] », « ut omnes cogitationes et omnem vitam et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea quae confers ». Haec dicens, « nullam partem vitae nostrae reliquit, quae vacare debeat, sed quidquid venerit in animum, illuc rapiatur, quo dilectionis impetus currit ». Et diligere Deum propter se *modus* est diligendi Deum. Et sunt isti duo modi diligendi Deum, ut quibusdam placet.

Cap. VI.

De impletione illius mandati: Diliges Deum ex toto corde.

Illud autem praeceptum non penitus impletur ab homine in hac mortali vita, sed ex parte, non ex toto, quia ex parte diligimus, sicut *ex parte cognoscimus;*
Augustinus. in futuro autem implebitur ex toto. Unde Augustinus [2]: « Cum adhuc est aliquid carnalis concupiscentiae, non omni modo ex tota anima diligitur Deus. Caro tamen non dicitur *concupiscere*, nisi quia carnaliter anima concupiscit. *Cum autem venerit quod perfectum est, ut destruatur quod ex parte est*, id est, ut iam non ex parte sit, sed ex toto; caritas non auferetur, sed augebitur et implebitur. In qua plenitudine illud praeceptum caritatis implebitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* etc. Tunc erit iustus sine peccato, quia nulla erit lex repugnans menti; tunc prorsus toto corde, tota anima, tota mente diliges Deum, quod est summum praeceptum ».

« Sed cur praecipitur homini ista perfectio, cum
Augustinus. in hac vita eam nemo habeat? Quia non recte curritur, si quo currendum est, nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis praeceptis ostenderetur [3] »? — Ecce habes, cur illud praeceptum est, quod hic *penitus* impleri non potest; impletur tamen *ex parte*, scilicet se-
Duplex perfectio. cundum perfectionem viae. Alia est enim perfectio currentis, alia pervenientis. Facit hoc mandatum, ut cursor, qui Deum ante omnia et prae omnibus diligit, nec tamen omnino perficit.

Cap. VII.

Quod alterum mandatum in altero est.

« Cum autem duo sint praecepta caritatis, pro
Augustinus. utroque saepe unum ponitur, nec immerito [4] », « quia nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo diligi potest. Unde Apostolus omne mandatum Legis dicit *instaurari*, id est contineri et impleri, in hoc verbo: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* ». « Et Christus dilectionem proximi specialius commemorat dicens: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos;* ubi illud maius mandatum dilectionis Dei videtur praetermissum. Sed bene intelligentibus utrumque invenitur in singulis, quia qui diligit Deum non potest eum contemnere, quem Deus praecepit diligi, et qui diligit proximum quid in eo diligit nisi Deum? Ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguens Dominus ait: *Sicut dilexi vos.* Quid enim nisi *Deum* dilexit in nobis, non quem habebamus, sed ut haberemus, sicut medicus aegros? Et quid in eis diligit nisi *salutem*, quam cupit revocare, non *morbum*, quem venit expellere? Sic et nos invicem diligamus, ut, quantum possumus, invicem ad habendum Deum in nobis ex dilectione attrahamus ».

Cap. VIII.

Quae caritate diligenda sint.

Sed quae hac dilectione diligenda sint, iam inquiramus. « Non enim omnia, ut ait Augustinus [5], quibus
Augustinus. utendum est, diligenda sunt, sed ea sola, quae vel nobiscum societate quadam referuntur in Deum, sicut est homo vel Angelus, vel ad nos relata beneficio Dei per nos indigent, ut corpus », « quod ita praecipiendum est diligi, ut ei ordinate prudenterque consulatur ».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXVII.

De caritate quoad eius essentiam et definitionem.

Cum autem Christus fidem et spem non habuerit etc.

DIVISIO TEXTUS.

In praecedentibus egit Magister de duabus virtutibus theologicis, videlicet de fide et spe. Hic sequitur tertia pars, in qua intendit agere de caritate. Dividitur autem ista pars in partes sex secundum sex distinctiones, quas continet. In quarum prima agit de caritate secundum [1] eius essentiam et de-

---

[1] Ex Glossa *interlineari* Matth. 22, 37. Seqq. loci sunt August., I. de Doctr. christ. c. 22. n. 21.

[2] De Perfectione iustitiae hominis, c. 8. n. 19. Paulo superius respicitur I. Cor. 13, 9. — In textu Augustini pro *omni modo* edd. 1, 8 *omnino*, refragante etiam originali. — Ibid. respicitur I. Cor. 13, 10. — In fine pro *mente diliges* edd. 1, 8 *mente diligemus*, originale *mente diliget.*

[3] Ibid., et etiam quae sequuntur, sed tantum secundum sensum.

[4] August., VIII. de Trin. c. 7. n. 10. Seq. locus est August., in Evang. Ioan. tr. 65. n. 2, sed verbotenus in Glossa ad Rom. 13. 9, sicut etiam pars tertii loci, qui invenitur apud Augustinum loc. cit. — Circa finem pro *aegros* edd., excepta 1, *aegrotos*, refragantibus codd. et originali.

[5] Libr. I. de Doctrina christ. c. 23. n. 22. Seq. locus ibid. c. 25. n. 26. — Pro *praecipiendum* edd. 1, 8 *praeceptum*, refragante etiam originali.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Edd. *quantum ad.* Inferius pro *illo mandato* plurimi codd. falso *illud mandatum.*

finitionem. In secunda vero quantum ad diligibilium numerum et distinctionem, infra distinctione vigesima octava: *Hic quaeri potest, utrum illo mandato* etc. In tertia vero quantum ad diligendi ordinem, infra distinctione vigesima nona: *Post praedicta de ordine caritatis* etc. In quarta vero quantum ad meriti perfectionem, infra distinctione trigesima: *Hic solet quaeri, quid potius sit plurisque meriti.* In quinta vero quantum ad ipsius caritatis durationem, infra distinctione trigesima prima. *Illud quoque praetermittendum non est* etc. In sexta vero in comparatione ad aeternam dilectionem, infra distinctione trigesima secunda: *Praedictis adiiciendum est de dilectione Dei* etc.

Prima pars, quae continet praesentem distinctionem, dividitur in partes duas, in quarum prima determinat Magister de ipsa caritate quantum ad eius essentiam et unitatem. In secunda vero quantum ad eius actum et modum, ibi: *Consequenter modum utriusque dilectionis advertamus.*

Prima pars dividitur in partes quatuor. In quarum prima continuat partem istam ad praecedentis partis inquisitionem. In secunda vero parte ponit caritatis definitionem, ibi: *Caritas est dilectio* etc. In tertia vero comparat eam ad divini mandati duplicationem, ibi: *Haec autem habet duo mandata.* In quarta vero removet dubitationem [1], ibi: *Hic quaeritur, si ex ea ipsa dilectione* etc.

Similiter secunda pars principalis, in qua determinat de ipsa caritate quantum ad actum et modum, dividitur in partes quatuor, in quarum prima determinat, quis modus circa actum caritatis reperiatur. In secunda vero ostendit, ubi ille modus insinuatur, ibi: *Dilectionis autem Dei* [2] *modus insinuatur* etc. In tertia vero inquirit, utrum ille modus in via impleatur, ibi: *Istud autem praeceptum penitus non impletur* etc. In quarta vero et ultima ostendit, qualiter unum praeceptum caritatis in altero implicatur, ibi: *Cum autem duo sint praecepta caritatis.* Subdivisiones autem partium in littera satis sunt manifestae.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis secundum duo, quae tangit Magister, incidit hic quaestio circa duo principaliter.

Primo enim quaeritur de ipsa caritate quantum ad habitum.

Secundo vero quaeritur de eadem quantum ad eius actum et modum.

Circa primum sex possunt quaeri.

Primum est, utrum caritas sit habitus creatus.

Secundum est, utrum sit habitus virtuosus.

Tertium est, utrum sit habitus ab aliis virtutibus distinctus.

Quartum est, utrum sit habitus in se ipso indivisus.

Quintum est, utrum sit habitus mere gratuitus.

Sextum et ultimum est, utrum sit habitus aliquando informis, an semper formatus.

Nota. Sed quoniam duorum primorum veritas satis haberi potest ex his quae in primo libro [3] fuerunt determinata, ubi ostensum est, quod caritas sit virtus creata; ideo nunc restat determinare alia quatuor sequentia.

ARTICULUS I.

De ipsa caritate quantum ad habitum.

QUAESTIO I.

Utrum caritas sit habitus ab aliis virtutibus distinctus.

Circa primum de quatuor sic proceditur et quaeritur, utrum caritas sit habitus ab aliis virtutibus distinctus, an omnibus virtutibus communis et generalis. Et quod sit habitus omnibus communis, videtur:

Ad oppositum. 1. Et primo auctoritate Apostoli primae ad Corinthios decimo tertio [4], ubi Apostolus dicit: *Caritas patiens est, benigna est* etc., et enumerat ibi quindecim opera virtutum; sed quidquid habet in se actus omnium virtutum, est commune et universale ad omnes virtutes; habitus autem caritatis est huiusmodi, secundum quod in praecedenti auctoritate habetur: ergo omnibus virtutibus est communis.

2. Item, Hieronymus [5]: « Ut breviter complectar

---

[1] Cod. I *In quarta quaeril, si eadem caritate diligitur Deus et proximus.*

[2] In codd. desideratur *Dei.*

[3] Dist. 17. p. I. q. 1, et II. Sent. d. 26. q. 2.

[4] Vers. 4. seqq.

[5] Rectius August., Epist. 167. (alias 29.) ad Hieronym. (vide opera Hieronymi, Epist. 132.) n. 15: Et ut generaliter breviterque complectar, quam de virtute habeam notionem, quod ad recte vivendum attinet, virtus est caritas, qua id quod diligendum est, diligitur. Cfr. infra lit. Magistri, d. XXXVI. c. 2. De ratione definiti et definitionis cfr. Aristot., VI. Topic. c. 1. — Paulo inferius pro *ambitus* codd. A H K Z *habitus.*

omnem definitionem virtutis, virtus est caritas, qua diligitur omne diligendum »: ergo cum definitio et definitum sunt aequalis ambitus, et virtus sit generalis ad omnes virtutes; videtur similiter, quod et caritas.

3. Item, Augustinus de Civitate Dei [1] et Bernardus de Diligendo Deo dicunt, quod « virtus non est aliud quam ordo amoris vel amor ordinatus »; ergo cum amor ordinatus nihil aliud sit quam caritas, et omnis virtus nihil aliud sit quam amor ordinatus; omnis virtus est caritas: ergo caritas non est ab aliis virtutibus distincta.

4. Item, sicut se habet praeceptum caritatis ad alia praecepta, sic se habet habitus caritatis ad alios habitus virtutum; sed praeceptum caritatis omnia alia praecepta comprehendit, sicut dicitur ad Romanos decimo tertio [2]: *Qui diligit proximum Legem implevit:* ergo videtur, quod habitus caritatis contineat in se habitus omnium virtutum, et non sit ab aliis distinctus.

5. Item, sicut se habet obiectum caritatis ad obiecta aliarum virtutum, ita se habet habitus caritatis ad alios habitus; sed obiectum caritatis est bonum sub ratione boni simpliciter: si ergo hoc est commune obiectis omnium aliarum virtutum [3], videtur, quod habitus caritatis sit communis omnibus aliis habitibus.

6. Item, qui habet dilectionem caritatis in via habet omne quod necessarium est ad *meritum,* quia dicit Augustinus [4]: « Tene caritatem, et fac quidquid vis »; similiter, qui habet dotem fruitionis correspondentem caritati, in patria habet sufficientissimum *praemium:* « Frui enim, secundum quod dicit Augustinus, est amore inhaerere »: ergo si caritas inchoata sufficit ad *meritum,* et caritas consummata sufficit ad *praemium;* videtur, quod habita caritate, aut ceterae virtutes superfluant, aut ipsa non differat ab habitibus aliarum virtutum. Sed constans est, quod aliae virtutes non superfluant: restat ergo, quod ipsa ab aliis virtutibus non distinguitur.

Sed contra: 1. Primae ad Corinthios decimo
Fundamenta. tertio [5]: *Nunc manent fides, spes, caritas, tria haec.* Quod recte connumeratur et superponitur habitis aliis virtutibus, distinguitur ab aliis virtutibus; sed caritas connumeratur et superponitur aliis virtutibus: ergo ab illis distinguitur.

2. Item, hoc ipsum ostenditur ab *obiecto:* quia, sicut *fides* respicit Deum sub ratione veri, et *spes* sub ratione ardui, sic *caritas* sub ratione boni: si ergo bonum sub ratione boni et verum sub ratione veri dicunt diversas rationes movendi; et secundum diversitatem rationis movendi est distinctio in habitibus et actibus [6]: videtur ergo, quod caritas differat ab aliis theologicis virtutibus: ergo multo fortius ab aliis, scilicet cardinalibus.

3. Item, hoc ipsum ostenditur ab *actu proprio:* quia constans est, quod diligere et credere et sperare actus sunt diversi, loquendo formaliter: si ergo penes diversitatem actuum principalium necesse est esse diversitatem habituum; videtur, quod necesse sit ponere, habitum caritatis ab habitibus aliarum virtutum differre.

4. Item, penes diversitatem *subiectorum* est diversitas proprietatum; sed sicut fides est in rationali et spes in irascibili [7], sic caritas et amor est in concupiscibili: si ergo vis concupiscibilis distincta est ab aliis viribus, necesse est, quod habitus caritatis distinctus sit ab aliis habitibus.

5. Item, hoc ipsum ostenditur *per comparationem ad suum oppositum:* quia vitium directe oppositum caritati distinguitur [8] ab aliis vitiis, utpote odium ab infidelitate et desperatione: si ergo distinctio malorum et vitiorum est ratione bonorum, quibus opponuntur, cum sint privationes; videtur, quod si vitium caritati oppositum ab aliis vitiis distinguitur, consimiliter et habitus caritatis ab aliis habitibus.

6. Item, hoc ipsum ostenditur per *comparationem ad praemium:* quia quandocumque aliqui sic se habent, quod quando unus perficitur, alii evacuantur, necesse est, illos habitus per essentiam differre; sed habitus caritatis in patria perficitur et consummatur, habitus vero fidei et spei evacuantur, sicut dicit Magister, et habitum est in distinctione praecedenti [9]: ergo necesse est, caritatis habitum ab habitibus aliarum virtutum distingui.

---

[1] Libr. XV. c. 22. Vide supra pag. 475, nota 1. — Bernard., de Diligendo Deo, c. 2. n. 5, virtutem definit dignitatis in homine [i. e. liberi arbitrii] et scientiae fructum, « per quam ille inquiritur ac tenetur, qui omnium auctor et dator merito glorificetur de omnibus ». Ex qua definitione deinde (n. 6.) cogit, Deum diligendum esse ex toto corde etc., et in seqq. capitulis motiva et ordinem (c. 8. seqq.) amoris exponit. Cfr. infra dub. 4. et supra pag. 500, nota 6. — Seq. propos. illustratur verbis his, quae habentur in Tract. de caritate (inter opera Bernard.) c. 9: Ab hac [caritate] omnis amor legitimus ordinem formamque sortitur, nec ordinata esse potest aliqua mentis affectio, nisi ab ea causam, modum et ordinem sumat. Cfr. infra d. 36. q. 6.

[2] Vers. 8. — In fine arg. pro *ab aliis* codd. F G I L (N primitus) T V aa *de aliis.*

[3] Cfr. supra pag. 470, nota 8. — Paulo ante edd. voci *obiectis* praefigunt *omnibus.*

[4] Bernard., Epist. 229. n. 13: Audi et patrem Augustinum: Habe caritatem et fac quidquid vis. Verba Augustini vide supra pag. 509, nota 3. — Seq. testimonium August. habetur I. de Doctr. christ. c. 4. n. 4. Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. I. c. 2, et Comment. a. 2. q. 1. — Paulo inferius pro *differat* codd. et edd. 1, 2 *differt.* Mox pro *constans est* cod. A *constat* et dein in fine arg. *distinguatur* pro *distinguitur.*

[5] Vers. 13. — Subinde pro *superponitur* edd. bis exhibent *supponitur* etiamque omittunt *habitis* post primum *superponitur.* In fine arg. pro *ab illis* codd. A K L Z *ab aliis.*

[6] Cfr. supra d. 23. a. 1. q. 1. et 3, d. 26. a. 1. q. 2. et a. 2. q. 4, ubi etiam principia argg. seqq. tanguntur. — Paulo superius pro *et secundum* edd. *quia secundum,* et pro *diversitatem rationis* cod. bb *diversas rationes.*

[7] Vide supra d. 23. a. 1. q. 2. et d. 26. a. 2. q. 5. — De distinctione concupiscibilis ab aliis viribus cfr. scholion supra ad d. 26. a. 2. q. 5.

[8] Edd. *distinguit.*

[9] Lit. Magistri, c. 4. Vide infra d. 31. a. 2. q. 1. seq. et a. 3. q. 1. — Superius post *quandocumque aliqui* cod. U supplet *habitus.*

CONCLUSIO.

Caritas est habitus virtutis ab aliis virtutibus distinctus.

RESPONDEO: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc reperitur triplex modus dicendi. Triplex opinio.

Quidam enim dicere voluerunt, quod caritatis habitus est ab aliis virtutibus indistinctus, propter ipsorum *habituum essentialem unitatem*. Dixerunt enim, ipsos habitus virtutum ab invicem non differre *per essentiam* nisi sola *relatione* ad actus. Et hoc ipsum dixerunt de potentiis animae [1]. Et quod sint unum *per essentiam* inter se invicem, hoc probare nituntur propter mutuam ipsorum habituum denominationem. Cum enim formae disparatae nullo modo possint se ipsas denominare; et una virtus aliam denominet, ut iustitia est prudens, et prudentia est iusta, fides amat, et caritas credit: impossibile est igitur, habitus virtutum essentialiter inter se differre. Ex hac eadem ratione concludere voluerunt, quod non differant a caritate, cum caritati attribuantur quasi omnium virtutum actus, sicut dicit Apostolus primae ad Corinthios decimo tertio [2]. Et hoc ipsum dicunt sensisse Augustinum in libro de Moribus Ecclesiae, ubi sic definit virtutem: «Nihil omnino esse virtutem affirmaverim nisi summum amorem Dei. Nam illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris quodam vario affectu, quantum intelligo, dicitur». Opinio 1.

Sed quantumcumque hoc innuerent auctoritates, ponere tamen, omnes habitus virtutum a se invicem [3] non differre nisi sola relatione, non videtur consonum *rationi* nec etiam *doctrinae communi*. Quod enim diversitas sit in potentiis animae et ipsarum habitibus, manifestat ipsa diversitas actuum et obiectorum. Et propterea, cum una virtus denominat alteram, vel actus unius attribuitur alteri, hoc non est intelligendum fieri propter omnimodam ipsorum habituum indifferentiam, sed propter mutuam circumincessionem et concomitantiam; sicut dicimus de potentiis animae, quod se invicem circumincedunt, et supra se mutuo reflectuntur, non quia omnino idem sint, sed quia, cum sint in eodem et possint reflecti super illud, in quo sunt — quia anima intelligit se et amat se — per consequens et super se invicem reflectuntur [4]. Et propterea, quia reflexio non tantummodo fit propter omnimodam indivisionem convenientiae, verum etiam propter circumincessionem concomitantiae; ideo non cogimur ponere, nec potentias animae nec habitus, secundum id quod sunt, ab invicem non differre [5]. — Nec Augustinus in libro de Moribus Ecclesiae vult illud dicere, sed omnes virtutes alias vult ad caritatem tanquam ad fundamentum reducere, sine qua aliae virtutes non sunt verae virtutes, quia ad veram beatitudinem non perducunt. Improbatur. Motus denominatio explicatur. Explicatur locus Augustini.

Est et hic [6] alius modus dicendi, videlicet quod caritas ab aliis virtutibus non distinguitur propter ipsius *caritatis generalitatem*. Voluerunt enim quidam dicere, quod ipsa vis concupiscibilis diffunditur per omnes alias vires, pro eo quod omnes vires animae appetunt sua obiecta. Unde [7] amor reperitur in omnibus viribus, ut dicunt, et amor ordinatus in omnibus virtutibus; et quia caritas non est aliud quam ordo amoris: hinc est, quod dicere voluerunt, caritatem ob suam *generalitatem* non distingui ab aliis virtutibus. Opinio 2.

Sed nec illud videtur *rationabile* usquequaque nec *convenienter* dici, cum Apostolus eam distinguat ab aliis. Nec ratio, quam assignant, multum est efficax, pro eo quod concupiscibilis ita est vis in se distincta, secundum quod [8] rationalis et irascibilis; unde quod actus concupiscibilis ad actum aliarum virium concurrit, hoc non est propter *identitatem* et indivisionem in essendo, sed propter *simultatem* et ordinem in movendo. Unde et *generale* sive universale consuevit aliquid dici dupliciter: vel propter communitatem in *praedicando*, vel propter communitatem in *causando;* sicut sol dicitur causa universalis, non quia de aliis causis inferioribus praedicatur, sed quia alias adiuvat et movet [9]. Et ideo, sicut possibile est, quod aliquid habeat rationem generalis motoris respectu aliorum, et tamen in se sit unum et ab eis distinctum in *causis naturalibus;* sic reperire contingit in *animae potentiis et viribus*. Et ideo, quamvis voluntas Improbatur. Generale dicitur dupliciter.

---

[1] Vide II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1. — Paulo superius pro *virtutibus* edd. *habitibus* et dein *sed* pro *nisi*. Paulo inferius pro *propter* edd. *per*. Post pauca pro *igitur*, quod codd. A V bb exhibent, sed ab edd. abest, alii codd. *sibi*.

[2] Vers. 4. seqq. — Augustini sententia, in qua pro *affirmaverim* plurimi codd., edd. 1, 2 et *Supplement*. Sum. Alex. Hal. collat. 57. a. 4. exhibent *affirmaverunt*, et pro *quodam vario affectu* Vat. et edd. 1, 2 substituerunt *quaternario affectu*, habetur I. de Morib. Eccles. cathol. c. 15. n. 25.

[3] Multi codd. hic et pluries infra *ad se invicem*. Superius pro *innuerent* cod. A *inveniantur* et prosequitur *autoritates ponere*.

[4] Cfr. I. Sent. d. 17. p. I. q. 2. ad 4. — Paulo ante pro *possint*, quod habent codd. A H U Z bb, in aliis et edd. *possunt*.

[5] Cfr. infra d. 33. q. 2, et II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. in corp. — Quod deinde dicitur de Augustino confirmatur his verbis, quae sententiae eius supra laudatae praecedunt: Quodsi virtus ad beatam vitam nos ducit. Cfr. supra d. 23. a. 2. q. 1. in corp., ubi etiam, quid *vera* virtus sit, explicatur.

[6] Pro *Est et hic* cod. A *Est etenim*, cod. F *Et secundum hoc est*, cod. U *Et propterea est*, cod. bb (H a secunda manu) *Est adhuc*.

[7] Post *Unde* Vat. interiicit *quia*, et mox omittit *et* ante *quia caritas*.

[8] Vat. *sicut*. Paulo post pro *virium* codd. A K U *virtutum*, cod. V *habituum*.

[9] Cfr. tom. II. pag. 441, nota 3. — Paulo ante cod. V verbo *dicitur* adiicit *esse*.

imperet aliis viribus animae, et caritas aliis virtutibus, non oportet propter hoc ponere, quod ab eis non distinguatur [1].

Opinio 3. et conclusio. Tertius vero modus dicendi communis et usitatus *rationi* et *auctoritatibus* satis consonus est, quod caritatis habitus est ab habitibus aliarum virtutum distinctus, sicut innuit ipse Apostolus. — Et eius

Sex rationes. distinctio ab habitibus aliis potest colligi ex multiplici ipsius comparatione, sicut in opponendo [2] fuit demonstratum, primo videlicet ex comparatione ad *obiectum*, quod sub ratione movendi ab aliis distinguitur; secundo per comparationem ad *actum*, qui differt ab actibus aliarum [3]; tertio per comparationem ad *subiectum* proprium; quarto per comparationem *ad oppositum*, quod ei determinate opponitur, ita quod non habitibus aliarum virtutum; quinto per comparationem ad *praemium*, in quo perficitur, cum habitus spei et fidei evacuetur; sexto vero et ultimo per comparationem ad suum *principium*, quod repraesentat. Consistit enim *imago recreationis* in tribus virtutibus theologicis et unitate gratiae, sicut *imago creationis* in tribus potentiis et unitate substantiae. Si ergo ipsae potentiae ad hoc, quod sint recte imago, a se invicem discernuntur, et una de altera non praedicatur; si in tribus virtutibus theologicis reperitur similiter ratio cuiusdam imaginis [4]: opportunum est ponere, ipsas ab invicem distinctas esse. — Concedendum est igitur, habitum caritatis distinctum esse ab habitibus aliarum virtutum; concedendae sunt etiam rationes, quae hoc ostendunt.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium de auctoritate Apostoli, patet responsio ex iam dictis: quoniam actus aliarum virtutum attribuuntur ipsi caritati non sicut *elicienti*, sed sicut *imperanti* et sicut motori *primo*, non sicut motori *immediato*. Et ideo ex hoc non potest concludi, quod caritas ab aliis virtutibus non distinguatur, quia non habet generalitatem ad illas in *praedicando*, sed solum in *movendo*.

2. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Hieronymi, quod virtus non est aliud quam caritas; dicendum, quod praedicatio illa est praedicatio *causalis*. Ideo enim omnes virtutes definiri possunt per caritatem, quia amor caritatis dat eis rationem merendi; qua ablata, non est, proprie loquendo, dicenda virtus esse in anima [5]. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur per auctoritatem Augustini, dicendum similiter, quod notificationes illae et consimiles *per causam* datae sunt. — Et *si tu quaeras*, per quod genus causae; responderi potest, quod caritas respectu aliarum in movendo quodam modo habet rationem *efficientis*, quodam modo *formalis*, quodam modo *finalis*. Amor autem caritatis aliis virtutibus, ut in actus suos exeant, *imperat* et imperando *informat* et facit eos meritorios et informando *iungit fini* et in ipso quietat, dum facit nos Deo adhaerere et ipso frui; et ideo merito virtus gratuita per caritatis amorem est definienda [6]. Determinatur genus causarum.

Alia solutio. — Posset etiam aliter dici, quod amor ille, qui cadit in definitione virtutis generaliter, non est amor *caritatis*, quae est una de virtutibus theologicis, sed est amor omnibus et ceteris virtutibus *communis* et generalis. Et ideo in processu illo est sophisma *consequentis* a superiori ad inferius affirmando [7].

4. Ad illud quod obiicitur, quod praeceptum caritatis comprehendit omnia praecepta; dicendum, quod non comprehendit ea per omnimodam identitatem, sed per quandam reductionem; omnia enim praecepta reducuntur ad illam et in illa consummantur; et ideo ex hoc non potest concludi, quod habitus caritatis sit aliis communis nisi solum per radicationem, secundum quod dicit Gregorius [8], quod praecepta sunt *multa* per diversitatem operis et *unum* in radice dilectionis, «quia quidquid praecipitur, in sola caritate radicatur». Hoc autem non est, quia solius caritatis sit exsequi praecepta iniuncta, sed quia aliae virtutes sine caritate non exsequuntur divina praecepta secundum acceptionem divinam. Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod obiectum caritatis commune est obiectis aliarum virtutum; respondendum est *per interemptionem* [9], quia obie-

---

[1] Vide infra d. 36. q. 6. — Quae hic proponuntur, Guliel. Mara, hic q. 1. explicat, exemplum adducens de metaphysica, quae licet scientia sit distincta ab aliis, tamen propter communitatem sui obiecti influit in alias scientias ipsisque impertit perfectionem. «Ita est, inquit Mara, et in virtutibus, quod illa virtus, quae maxime habet rationem finis, est virtus per se, et tamen imperat et ponit motivum et formam in omnibus; haec est caritas, cuius obiectum est bonum divinum... Ratio autem, quare imperat omnibus [est], quia voluntas, quae est subiectum caritatis, imperat omnibus potentiis; ita et eius habitus. Item, sicut est in artibus, quod quanto magis ars appropinquat fini, imperat artibus [aliis], sicut ars militaris, quae est propinqua victoriae, imperat arti... sellariae et huiusmodi; sic est de caritate, quae, [quia] est fini propinquior, omnibus virtutibus imperat».

[2] Intellige: in fundamentis.

[3] Cod. Z supplet *virtutum*. Aliquanto inferius pro *perficitur* Vat. et nonnulli codd. *perficit*.

[4] Cfr. II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3. — Paulo ante pro *si in tribus*, quod habent codd. N aa, codd. U Z *et in tribus*, codd. K O *sic in tribus*, alii cum edd. *sed in tribus*. Paulo inferius pro *ab invicem*, quod habent codd. T bb, in aliis *ad invicem*.

[5] Cfr. infra a. 2. q. 1, ubi et triplex genus causae exponitur, quod in seq. solut. memoratur. De praedicatione *causali* vide supra pag. 528, nota 5. — Paulo superius pro *dat eis* edd. cum non paucis codd. perperam *dat ei*.

[6] Vide infra q. 3. seq. et dub. 1. — Post pauca pro *quae est una* edd. *qui est una*.

[7] Cfr. supra pag. 18, nota 5 et pag. 171, nota 7.

[8] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 27. n. 1. — Paulo superius pro *ad illam et in illa*, ut etiam in Vat. legitur, aliae edd. cum codd. exhibent *ad illa et in illis*, quae lectio, etsi minus congrua, intelligi posset de duobus mandatis unius caritatis. In fine solut. pro *acceptionem* edd. *acceptationem*.

[9] Sive per negationem. Cfr. tom. I. pag. 87, nota 4. — De virtute cardinali vide infra d. 33. q. 1. seqq. — Proxime ante multi codd. omittunt *virtutum*.

ctum caritatis non est quodcumque bonum, sed bonum summum et bonum sub ratione boni; et
Notandum. ita obiectum caritatis distinguitur *secundum substantiam* ab obiectis virtutum cardinalium, quae habent obiectum creatum; ab obiecto vero aliarum virtutum theologicarum *secundum substantiam* non distinguitur, sed secundum *rationem movendi*, quae quidem ratio movendi facit diversitatem in actu et habitu et potentia substantiae motae, sicut patet: quia, quamvis unum et idem sit verum et bonum, tamen cognitio et affectio, et potentia cognitiva et affectiva, et habitus scientiae et virtutis habent ad invicem differentiam.

6. Ad illud quod obiicitur, quod caritas sufficit ad praemium et meritum; dicendum, quod caritas dicitur sufficere ad meritum et ad praemium propter connexionem aliarum virtutum et dotum. Qui enim habet caritatem habet alias virtutes, et qui habet dotem sibi correspondentem habet alias dotes, et ita sufficientiam in merito et praemio, non ratione caritatis tantum, sed [1] ratione aliarum virtutum annexarum. Et ideo ex hoc non potest concludi, quod aliae virtutes superfluant, vel quod caritas sola sit virtus ab aliis non distincta, pro eo quod non habet sufficientiam per se sola, sed prout est cum aliis coniuncta [2]. Et per hoc patet, quod non potest aliquis sufficienter mereri, nisi speret et credat; nunquam autem potest aliquis esse expeditus et habilitatus ad credendum et sperandum nisi mediante fide et spe; similiter circa dotes praemii intelligendum est.

SCHOLION.

I. De *nomine* caritatis cfr. I. Sent. Prolog. dub. 4, d. 17. p. I. q. 3, et infra q. 3. in corp. — De *differentia* inter amorem, dilectionem et caritatem cfr. hic dub. 1, et I. Sent. d. 10. dub. 1. — De *definitionibus* caritatis hic dub. 1. — De amore *amicitiae, concupiscentiae* et *complacentiae* I. Sent. d. 17. p. I. q. 2, et infra q. 2. ad 6, a. 2. q. 2. ad 2, d. 29. dub. 4. — De *obiecto formali et materiali* hic et infra a. 2. q. 2. 3. 4. et d. 28. per totam et alibi passim. — De caritate ut *habitu creato* I. Sent. d. 17. p. I. q. 1. et seqq.

II. In conclusione omnes posteriores Scholastici conveniunt (cfr. infra d. 36. q. 6.); item, quod *subiectum* caritatis sit voluntas rationalis (cfr. I. Sent. d. 17. p. I. q. 1. fundam. 1; S. Thom., hic q. 2. a. 3.). Passim autem S. Bonav. secundum antiquum modum loquendi etiam dicit, eam esse in concupiscibili, quia, ut supra in scholio (d. 26. a. 2. q. 5.) dictum est, in ipsa voluntate distinguit vim concupiscibilem et irascibilem. Unde non nisi in modo loquendi a nostro auctore recedit S. Thom., qui docet (loc. cit.): «Quidam autem dicunt, caritatem in *concupiscibili* esse, quod esse non potest, quia *concupiscibilis* pars appetitus sensitivae est partis. Et si dicatur *concupiscibilis* humana, hoc non habet nisi per participationem rationis; *nisi forte* ipsam voluntatem aequivoce irascibilem et concupiscibilem vocare vellent».

III. De hac (1.) quaestione: Scot. (hanc et seq. q. tangendo), hic q. unica n. 1-9. — S. Thom., hic q. 2. a. 4. quaestiunc. 2; S. II. II. q. 23. a. 4; Qq. disp. de caritate a. 5. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., de hac et seq. q. hic q. 5. a. 1. — Richard. a Med., de hac et seq. q. hic a. 6. q. 1. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. 1. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

IV. Solutio sequentis (2.) quaestionis eruitur ex hoc principio communiter recepto, quod actus et habitus non specificantur nisi ex formali diversitate obiecti. De eadem specialiter agunt: S. Thom., hic q. 2. a. 4. quaestiunc. 1; S. loc. cit. a. 5; Qq. disp. de caritate a. 4. — B. Albert., hic a. 5.

QUAESTIO II.

Utrum habitus caritatis sit unus indivisus, an per species multiplicatus.

Secundo quaeritur, utrum habitus caritatis sit unus indivisus, an per species multiplicatus. Et quod habeat per species multiplicari, videtur:

1. Primo per *obiecta:* quoniam circa diversa
Ad oppositum. volita et obiecta diversae sunt voluntates; sicut enim vult Augustinus [3], voluntates diversificantur secundum volita; sed caritas est amor Dei et proximi: si ergo Deus et proximus distant distantia infinita, necesse est, habitum regulantem animum ad amandum Deum et amandum proximum esse alium et alium.

2. Item, hoc ipsum ostenditur per *praecepta:* quia, ubi sunt diversa praecepta, diversi sunt habitus habilitantes animam ad illa praecepta implenda, maxime cum ipsis praeceptis praecipiuntur opera virtutum: si ergo circa actum caritatis duo consistunt mandata [4], videtur, quod virtus caritatis non sit una.

3. Item, hoc ipsum ostenditur *per modos diligendi:* alius enim est modus diligendi Deum quam diligendi proximum — Deum enim debet unusquisque diligere plus quam se et *ex toto corde*, sed proximum sicut se ipsum et ex parte [5] — si ergo habitus virtutis datur ad modificandum actum, cum

[1] Codd. A K T *sed etiam.* Paulo superius ante *praemio* codd. U V Z repetunt *in.* Aliquanto inferius pro *per se sola* codd. A Z bb habent *per se solam*, et subinde cod. A voculae *sed* subiicit *etiam.*

[2] Cfr. infra d. 33. q. 1. ad 1. et d. 36. q. 1.

[3] Vide supra pag. 368, nota 1, et I. de Lib. Arb. c. 12. n. 25. — De *minori* cfr. hic lit. Magistri, c. 2. et infra dub. 1. — In hoc arg. Vat. bis voci *voluntates* adiungit *vel virtutes.*

[4] Vide hic lit. Magistri, c. 2, et Comment. hic dub. 2. — Circa initium arg. Vat. cum nonnullis codd. ante *diversi* inserit *ibi.* Deinde pro *cum ipsis* codd. G H V Z exhibent *cum illis*, cod. A *cum illis ipsis.*

[5] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. et 5, et Comment. infra d. 29. passim. — Paulo inferius pro *modificandum* [cfr. supra pag. 388, nota 2.] edd. 1, 2 et *Supplementum* Sum. Alex. Hal. collat. 57. a. 3. *movendum.*

alius et alius sit hinc et inde modus, alius et alius erit hinc et inde habitus.

4. Item, hoc ipsum ostenditur per *simile:* quia *sapientia*, quae est de aeternis, alius est habitus et aliud donum quam *scientia*, quae est de temporalibus [1]; et similiter *latria*, quae est cultus Dei, est alia virtus quam *dulia*, quae est honor proximi: ergo pari ratione alia et alia virtus erit, qua diligitur proximus, et qua diligitur Deus.

5. Item, plus differt vita activa a contemplativa, quam differant operationes eiusdem vitae ad se invicem: ergo similiter plus differt virtus, quae dirigit hominem ad vitam contemplativam, ab ea quae dirigit ad vitam activam, quam duae virtutes, quae dirigunt ad vitam contemplativam. Sed caritas, secundum quod est amor Dei, dirigit ad vitam contemplativam, prout est amor proximi, ad vitam activam: cum ergo caritas, secundum quod est amor Dei, differat a fide [2], licet utraque harum sit virtus dirigens ad vitam contemplativam; videtur multo fortius, quod amor Dei et proximi ab invicem distinguuntur.

6. Item, amor amicitiae et amor concupiscentiae sunt diversae species amoris [3]; sed caritas amat Deum amore concupiscentiae, quia facit Deum desiderare et appetere, proximum vero amore amicitiae: si ergo illae sunt diversae affectiones et diversae dilectiones, videtur, quod virtus caritatis habeat multiplicari per species.

Sed contra: 1. Sicut una est summa Veritas, Fundamenta. sic una est summa Bonitas; et sicut fides omnino assentit summae Veritati et propter illam credit quidquid credit, sic caritas omnino adhaeret summae Bonitati et propter illam amat quidquid amat: ergo sicut fides est una virtus et unus habitus respectu credendorum [4], ita et caritas respectu amandorum.

2. Item, sicut se habet *rationalis* ad verum, et *irascibilis* ad arduum, sic se habet *concupiscibilis* ad bonum [5]; et sicut aliae duae vires habent unitatem in se, sic et ipsa *concupiscibilis;* sed *rationalis* in credendo verum non habet perfici nisi una virtute, similiter et *irascibilis* in exspectando arduum: ergo similiter videtur, quod *concupiscibilis* in amando bonum non habeat nisi unam solam virtutem. Sed haec est caritas: ergo etc.

3. Item, quanto aliquid est magis unitivum, tanto magis habet in se unitatem; sed virtus caritatis inter ceteras virtutes est praecipue unitiva, cum ipsa sit *vinculum perfectionis*, sicut dicitur ad Colossenses tertio [6]: ergo videtur, quod caritas inter ceteras virtutes teneat unitatem: ergo non habet subdividi per alias species.

4. Item, in omni genere, in quo contingit reperire ordinem motorum, necesse est esse statum in uno [7]; sed caritas omnibus virtutibus animae imperat et omnes movet, tam theologicas quam cardinales: ergo necesse est, ipsam habere unitatem: non ergo multiplicatur per species.

CONCLUSIO.

Habitus caritatis est unus atque indivisus secundum speciem, licet secundum numerum multiplicetur.

Respondeo: Dicendum, quod habitus caritatis Conclusio. est unus et indivisus secundum *speciem*, licet secundum *numerum* plurificetur in diversis. — In di- Ratio. versis enim animabus plures sunt caritates, cum habitus et accidentia numerentur penes subiecta [8]. In omnibus autem, in quibus est, est una caritas secundum speciem, propter hoc quod unitas habitus venit ab unitate obiecti et actus principalis; et hoc quidem est reperire in caritate, si quis diligenter velit attendere. — Actus enim caritatis est diligere, Confirmatur. diligere autem idem est, quod velle bonum [9]. Cum ergo caritas diligit aliquem, bonum optat ei quem diligit; istud autem bonum, quod caritas optat, unum solum est, videlicet bonum aeternum et bonum summum. Istud autem summum bonum aliquando homo Tres fines cui. per caritatem optat *Deo*, aliquando *sibi*, aliquando *proximo*. Secundum quod optat ipsum ipsi *Deo*, dicitur diligere Deum, quia vult, quod ipse Deus sit summum bonum et quod habeat omne bonum per essentiam. Secundum quod optat illud *proximo*, sic dicitur diligere proximum, quia vult, quod habeat illud bonum per gratiam et gloriam. Secundum quod optat illud *sibi*, sic dicitur diligere se ipsum. — Generaliter ergo in actu dilectionis ipsius caritatis unum est bonum optatum, licet multa sint, quibus illud bonum optatur; et illud est obiectum [10] prin-

---

[1] Vide infra d. 34. p. I. a. 2. q. 1. et d. 35. q. 1. seq. De latria et dulia cfr. supra d. 9. a. 2. q. 4. — Mox pro *honor proximi* multi codd. et edd. 1, 2 *amor proximi;* perperam.

[2] Vide quaest. praeced.

[3] Cfr. Aristot., II. Prior. c. 22. (c. 24.), ubi docetur, quod amor amicitiae et concupiscentiae se habeant sicut finis et ea quae sunt ad finem.

[4] Ut dictum est supra d. 23. a. 1. q. 3. — Superius pro *et sicut fides* edd. *quia sicut fides.*

[5] Cfr. pag. 579, nota 9.

[6] Vers. 14. — Idem insinuat auctor libri de Causis in prosit. 17, ubi docet, quod « quanto plus [virtus] approximat uni puro et vero, fit vehementior eius unitas ». — Paulo post pro *per alias* cod. A *in alias.*

[7] Vide Aristot., VII. Phys. text. 3. seqq. (c. 1.), et II. Metaph. text. 5. seqq. (I. brevior, c. 2.); cfr. etiam supra pag. 307, nota 3. — De *minori* vide supra pag. 592, nota 1.

[8] Cfr. supra pag. 192, nota 2, et tom. II. pag. 119, nota 8. Cfr. etiam quae supra in lit. Magistri, d. XXIII. c. 6. de *fide* dicuntur. — Paulo superius edd. omittunt *in diversis* post *plurificetur.*

[9] Ut docet Aristot., de quo vide supra pag. 574, nota 5.

[10] Pro *obiectum* codd. A K et *Supplementum* Sum. Alex. Hal., collat. 57. a. 5, exhibent *bonum.* In enuntiato seq. post *est unum* cod. G supplet *obiectum.*

cipale ipsius habitus diligendi, quoniam ipsum propter se optatur a caritate, ita quod habet rationem
Notandum. obiecti principaliter moventis et finis quietantis. Et quia illud est unum solum, sive comparetur ad se, sive comparetur ad eum qui habet caritatem, sive comparetur ad eius proximum; hinc est, quod caritatis habitus habet esse unus [1]. — Et concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in con-
Solutio oppositorum. trarium, quod obiecta sunt diversa; iam patet responsio: quia, licet caritas diligat proximum, tamen proximus non est principale obiectum, sed est illud, ad quod principale obiectum caritatis comparatur.
Notandum. Quia enim proximus est imago Dei et capax ipsius Dei [2]; ideo virtus caritatis, quae desiderat, summum Bonum haberi ab omni eo qui potest ipsum habere et ipso frui, appetit, summum Bonum a proximo haberi, sicut et ab eo, in quo est; et hoc non est aliud quam amare proximum per caritatis affectum. Et *si tu obiicias*, quod caritas non tantum facit, quod homo velit proximo bonum, quod Deus est, sed etiam omne aliud bonum; dicendum, quod hoc non est *principaliter* et *elicitive*, sed quasi *consequenter* et *imperative*; et hoc manifestabitur infra [3] magis aperte, cum agetur de his quae sunt diligenda ex caritate.

2. Ad illud quod obiicitur, quod duo sunt praecepta caritatis; dicendum, quod illa duo praecepta non sunt diversa *formaliter*, sed solum *materialiter*, quia « unum illorum clauditur in altero », secundum quod Magister dicit in littera [4]. Et propter hoc non sequitur, quod habitus caritatis diversificetur secundum formam.

3. Ad illud quod obiicitur de diversitate modorum, dicendum, quod diversitas illorum [5] modorum est ex diversitate comparationum illius summi Boni, quod potest diligi vel optari sibi ipsi, et potest optari creaturae, quae nata est in ipso beatificari; unde diversitas illorum modorum non venit ex diversitate principalis obiecti, sed ex varia comparatione ipsius. Et propterea non sequitur, quod sit diversitas in virtute modificante, quia diversitas comparationis obiecti non sufficit ad faciendum habitum diversificari [6].

4. Ad illud quod obiicitur de sapientia et scientia, latria et dulia; dicendum, quod non est simile: quia *sapientia* negotiatur de aeternis secundum ra-
Differunt sapientia et scientia. tiones aeternas, et *scientia* de temporalibus secundum rationes temporales; et ideo diversas rationes habent, secundum quas diriguntur et in actibus suis regulantur [7]. Sed caritas unam solam habet rationem moventem, videlicet ipsam summam Bonitatem, quae cum sit summe amabilis, et prout est in se et prout participatur a creatura, utroque modo caritas eam amat, et sic habet unam rationem motivam; et propterea non debet sic diversificari sicut sapientia et scientia. — Eodem modo dicendum est de latria et de
Item latria et dulia. dulia, sicut in praecedentibus est ostensum distinctione nona [8].

5. Ad illud quod obiicitur de differentia contemplativae et activae, dicendum, quod contemplativa et activa vita nominat *statum* sive virtutis exercitium; diversitas autem *status* vel exercitii non inducit diversitatem in habitu, sed diversitas *principalis obiecti* [9]. Unde eaedem virtutes secundum diversos *status* et diversum exercitium dirigunt hominem in utraque vita, sicut fides dirigit hominem in contemplationem et operationem. Propter hoc non sequitur, quod caritas, eo quod ad activam vitam et contemplativam dirigat et habilitet, sit virtus duplex.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur de amore amicitiae et concupiscentiae, dicendum, quod sicut dictum est in praecedentibus [10] de actu *confidentiae* et *exspectationis*, quod unus habet ex altero oriri, et unus alium quodam modo includit; sic *amor ami-*
Amor amicitiae includit amorem concupiscentiae. *citiae* quodam modo includit amorem *concupiscentiae*. Qui enim est amicus alii, optat ei aliquod bonum; et dum optat ei illud bonum, et ipsum bonum optatum facit concupiscere et eidem facit adhaerere. Unde sicut spes innititur summae Immensitati sive Potestati, sic caritas adhaeret et adhaerere facit summae Bonitati; et iste est eius actus primus et unicus, ex quo oritur et in quo includitur amor *concupiscentiae* et amor *amicitiae*. Et propterea, sicut *spes* non diversificatur propter actum confidentiae et exspectationis, sic nec *caritas* propter actum amicitiae et concupiscentiae. — Quod autem *adhaerere*
Notandum. *Deo* sit actus caritatis principalis, Augustinus satis expresse dicit in libro de Moribus Ecclesiae [11], et Apo-

[1] Cfr. supra d. 23. a. 1. q. 3. et d. 26. a. 1. q. 2. — Vat. *unius*.

[2] August., XIV. de Trin. c. 8. n. 11: Eo quippe ipso [mens] imago eius est, quo eius capax est eiusque particeps esse potest. Cfr. tom. I. pag. 80, nota 4, II. Sent. d. 16. per totam.

[3] Dist. 28. q. 1. seqq. Cfr. etiam hic lit. Magistri, c. 3.

[4] Hic c. 7. Cfr. infra dub. 2.

[5] Codd. A K *illa*.

[6] Vide hic lit. Magistri, c. 5.

[7] Cfr. supra d. 23. a. 1. q. 3. ad 2. et 3. — Pro *diriguntur* cod. G *distinguuntur*.

[8] Art. 2. q. 4. — Superius pro *a creatura* edd. *in creatura*.

[9] Ex eodem principio S. Doctor, II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 3, deducit, distinctionem intellectus in *speculativum* et *practicum* non esse nisi secundum diversitatem *status*. Intellectus enim speculativus, ut exponit, secundum alium statum efficitur practicus, videlicet dum coniungitur voluntati et operi in dictando et regendo. Cfr. supra pag. 475, nota 8. — Paulo ante pro *nominat* codd. A U *nominant*.

[10] Dist. 26. a. 1. q. 2. ad 1. et a. 2. q. 3. ad 3. — Paulo inferius post *et dum optat* codd. G H I L T V Z aa (bb a secunda manu) nec non edd. 1, 2 et *Supplementum* Sum. Alex. Hal. non repetunt *ei*.

[11] Libr. I. c. 14. n. 24: Nam quid erit aliud optimum hominis, nisi cui inhaerere est beatissimum? Id autem est solus Deus, cui haerere certe non valemus nisi dilectione, amore, caritate. Ibid. c. 16. n. 26: Num enim Paulus tantum dicit, Deo nos esse debere subiunctos, ita ut in medio quod separet nihil sit [Rom. 8, 35.]? Nonne et Propheta commodissime hoc et brevissime significat, cum dicit: *Mihi autem adhaerere Deo bo-*

stolus primae ad Corinthios sexto: *Qui adhaeret Deo, unus spiritus est;* et Dionysius de Divinis Nominibus: « Amorem sive divinum, sive naturalem, sive intellectualem unitivam quandam dicimus virtutem ». Et quia unum est illud bonum, cui principaliter caritas unit; hinc est, quod habitus caritatis unitatem habet, sicut prius ostensum est[1].

QUAESTIO III.

Utrum habitus caritatis sit mere gratuitus, an aliquid addat ultra gratiam, sicut habitus aliarum virtutum.

Tertio quaeritur, utrum habitus caritatis sit mere gratuitus, an aliquid addat ultra gratiam, sicut habitus aliarum virtutum. Et quod sit idem caritas omnino quod gratia, nihil addens ultra, videtur:

1. Per illud quod dicit Ambrosius[2]: « Caritas est mater omnium virtutum, quia omnes informat, sine qua nulla est vera virtus »; sed esse formam virtutum gratuitarum, secundum quod gratuitae sunt, est proprium ipsius gratiae gratum facientis: ergo si hoc competit ipsi caritati, videtur, quod in nullo differat a gratia. Ad oppositam.

2. Item, Augustinus decimo quinto de Trinitate[3] dicit, quod « excellentissimum inter dona Dei est caritas »; sed gratia gratum faciens est excellentior quam gratia gratis data: ergo videtur, quodsi caritas est excellentissima inter cetera dona, quod ipsa sit mere et pure gratia gratum faciens, nihil habens ultra.

3. Item, Hugo de sancto Victore, in libro de Arrha sponsae[4]: « Scio, anima mea, quod amor est vita tua »; sed *animam vivificare* quantum ad *esse moris* est proprium ipsius gratiae gratum facientis: ergo videtur, quod caritas sit ipsa gratia mere et pure.

4. Item, *facere gratum et acceptum Deo* est proprie proprium ipsius gratiae[5]; sed caritas, eo ipso quod caritas est, reddit hominem Deo carum et acceptum et opus facit meritorium: ergo videtur, quod nihil aliud in se habeat, quod super gratiam gratum facientem aliquam additionem faciat, vel per quod a gratia differat.

5. Item, omnis habitus virtutum, qui aliquid addit super gratiam gratum facientem, aliquo modo manet cum culpa nec tollitur totaliter per peccatum; sed caritas omnino tollitur per culpam[6]: ergo nihil omnino addit super gratiam.

Contra: 1. Bernardus, de Amore Dei, capitulo secundo[7]: « Voluntas crescit in amorem, amor in caritatem et caritas in sapientiam »; et paulo post: « Nihil enim aliud est amor quam vehemens in bono voluntas; per se enim bona voluntas simplex est affectus ». Si ergo affectus vehemens est de essentia caritatis; et affectus huiusmodi aliud est quam gratia: ergo habitus caritatis addit aliquid ultra. Fundamenta.

2. Item, nihil generale fit speciale nisi per aliquam additionem[8]; sed gratia generalis et communis est ad omnem virtutem, caritas autem est specialis virtus: ergo necesse est, caritatem aliquid addere ultra gratiam.

3. Item, habitus, qui continue est in actu suo, differens est ab eo qui non est continue in suo actu; sed gratia est continue in actu gratificandi[9], caritas autem non est continue in actu suo, qui est diligere: ergo caritas et gratia aliquo modo differunt: aliquid igitur habet in se caritas, quod est a gratia diversum. Cum ergo sit habitus gratuitus, videtur, quod aliquid addat super ipsam gratiam.

4. Item, habitus aliarum virtutum dantur ipsis potentiis ad ipsarum expeditionem ultra gratiam gratum facientem[10]; sed vis concupiscibilis adeo indiget expediri, sicut rationalis, cum sit corrupta et infecta: si ergo virtus perficiens rationalem, ut fides, continet aliquid gratiae gratis datae; videtur pari ratione, immo multo fortiori, caritatem aliquid addere super gratiam gratum facientem.

5. Item, omnis habitus, qui per assuefactionem et frequentiam reddit potentiam faciliorem ad actum sine augmento gratiae gratum facientis, aliquid continet in se praeter gratiam gratum facientem; sed caritas est huiusmodi, sicut patet[11]: ergo caritas aliquid addit super gratiam. *Prima* probatur per hoc,

---

num est [Ps. 72, 28.]? Nonne quod ibi latissime de caritate dictum est hic uno verbo continetur, quod ait: *inhaerere?* Cfr. infra pag. 597, nota 9. — Locus deinde ex s. Scriptura allatus est I. Cor. 6, 17. — Dionysii sententia invenitur in eius libro de Div. Nom. c. 4. § 15.

[1] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[2] Vide supra lit. Magistri, d. XXIII. c. 3. — In fine arg. pro *in nullo* codd. A K *nullo modo.*

[3] Cap. 18. n. 32: Nullum est isto Dei dono excellentius. Ibid. c. 19. n. 37: In donis Dei nihil maius est caritate.

[4] Sive de Arrha animae, in principio: Scio, quod vita tua dilectio est.

[5] Cfr. II. Sent. d. 26. q. 1. seq. et d. 29. a. 1. q. 1.

[6] Vide quaest. seq. — Codd. L Z bb: *omnes* habitus... aliquid *addunt... manent...* nec *tolluntur.* Pro *per culpam* codd. Z bb *per peccatum.*

[7] Sive de Natura et dignitate amoris (inter opera Bernardi, sed auctor est Guliel., abbas S. Theodorici), c. 2. n. 3. — Seq. testimonium ibidem n. 4. invenitur; textus origin. ibi omittit *bona.* — Codd. et edd. 1, 2 allegant *cap. 11.*

[8] Sive, ut Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 6.) docet, differentia apposita generi sive cum genere speciem facit. — Quod caritas sit virtus *specialis,* ostensum est quaest. 1. — Mox pro *omnem virtutem* cod. K *omnes virtutes.*

[9] Continue enim, ut II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. fundam. 3. dicitur, vivificat et animam Deo reddit acceptam.

[10] Cfr. supra pag. 474, nota 5. — De vi concupiscibili et rationali vide supra pag. 579, nota 9, et scholion ad d. 26. a. 2. q. 5.

[11] Cfr. hic corp. quaest. Cfr. etiam seq. quaestionem, ubi agitur de amore Dei ut auctoris naturae.

quod tanto habitus est perfectior, quanto potentiam reddit faciliorem et expeditiorem ad actum. Si ergo habitus caritatis aliquo modo potest proficere, non proficiente gratia gratum faciente, necessario oportet ponere, quod differat ab ea.

CONCLUSIO.

Caritas ultra gratiam gratum facientem dicit aliquem habitum, quo mediante ipsa potentia diligendi apta fit ad actum proprium; licet opposita sententia non careat probabilitate.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc est duplex modus dicendi.

Quidam enim dicere voluerunt, quod caritas est Opinio 1. omnino idem cum gratia per *essentiam*, differens sola *relatione*. Dicitur enim *gratia*, in quantum respicit totam animam, *caritas* vero, in quantum re- Tres rationes. git et dirigit voluntatem. Et hoc videtur *significare* ipsum caritatis *nomen*, et *Apostolus* videtur *in-* Prima. *nuere*, et *ratio* approbare. *Nomen* ipsum *significare* videtur: quia caritas dicitur a charis[1], quod apud Graecos idem est quod gratia. Unde cum haec virtus non habeat aliam nominationem a gratia, non videtur, quod aliquid addat secundum rem. — *Apo-* Secunda. *stolus*[2] autem *insinuare* videtur, cum eam ceteris virtutibus anteponit et superponit. Hoc enim non faceret, nisi magis pure haberet rationem boni. Et hoc ipsum ipsemet innuit, quod aliae virtutes possunt esse infructuosae et recipere admixtionem mali, caritas vero minime; et propterea videtur caritas secundum testimonium apostolicum esse mera et pura gratia gratum faciens, cum sit bonum purissimum Tertia. et excellentissimum. — *Ratio* etiam *approbare* videtur: quia, cum ipsa voluntas sit supremum in anima[3], a qua pendet tota rectitudo virium inferiorum, et quae immediate unitur ipsi Deo; ideo vindicat sibi totum principium rectitudinis; et hinc est, quod gratia, quae perficit alias potentias animae, specialiori modo perficit voluntatem. Et propterea, licet alias potentias perficiat cum habitu gratiae gratis datae, ipsam[4] potentiam diligendi perficit per se; et secundum quod illam perficit, sic *caritas* appellatur. — Et sic videtur satis rationabile dicere, quod gratia et caritas idem sunt per *essentiam*, differentes sola *relatione*. Et ratione illius *relationis* connumeratur cum aliis virtutibus et ab eis distinguitur et quodam modo specificatur. — Et per hoc Ad argg. declinari satis faciliter videntur[5] rationes ad oppositum, quae ostendunt, quod caritas aliquid addat super gratiam. Non enim concludere videntur necessario, quod addat aliquid *absolutum*. Unde ad omnia illa inconvenientia declinanda sufficiens videtur dicere, quod addat solum respectum ad opus determinatum.

Est et alius modus dicendi, quod caritas ultra Opinio 2. gratiam gratum facientem dicit aliquem *habitum*, quo mediante assuescit ipsa potentia diligendi ad actum proprium. Et hoc quidem dicunt esse neces- Duae rationes. sarium, tum propter *essentialem differentiam*, quae est inter alias virtutes et caritatem, quae quidem non potest esse per diversitatem, quae sit in gratia gratum faciente, cum ipsa sit una, sicut in secundo libro[6] ostensum est; tum etiam propter *actus ipsius specialitatem et difficultatem*, respectu cuius requiritur habitus specificans et determinans gratiam ad talem usum et habilitans potentiam, ut exeat in actum suum. — Et huic modo dicendi satis con- Et auctoritas Bernardi. cordat *auctoritas* Bernardi, qua dicit in secundo capitulo[7] de Amore Dei, quod « libera voluntas data est homini, quae, cum adiuvanti concordat gratiae, virtutis accipit profectum et nomen et amor efficitur; cum vero sibi dimissa se ipsa frui vult, sui in se ipsa patitur defectum, et quot vitia, tot vitiorum sortitur nomina, ut cupiditatis, avaritiae, luxuriae ». Ex quo innuitur, quod aliquid est ex parte voluntatis nostrae, quod adveniente gratia fit *virtus*; et non est nisi virtus caritatis, de qua loquitur ibi: ergo habitus caritatis ultra gratiam secundum ipsum aliquid dicit. — Satis etiam videtur haec positio Alia ratio. *consona rationi*: quia, sicut *fides* concernit assensum[8], sic *caritas* concernit affectum; et sicut *cognitio* aliquid est differens a gratia gratum faciente, sic etiam et *dilectio*; et sicut *fides* concernit cognitionem, ita *caritas* affectionem, secundum illud quod dicit Augustinus[9]: « Caritas est rectissima animi affectio, qua diligitur Deus propter se et proximus

[1] Χάρις. — Sed Isidor., VIII. Etymolog. c. 2. n. 6: *Caritas* graece, latine *dilectio* interpretatur, quod *duos illiget*.

[2] Epist. I. Cor. 13, 13: Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec; maior autem horum est caritas. — In seqq. respicitur illud I. Cor. 13, 1: Si linguis hominum loquar... caritatem autem non habuero, nihil sum etc. — Pro *Apostolus autem*, quod ex cod. A restauravimus, cod. T *Apostolus vero*, codd. K U Z bb *Apostolus etiam*, alii codd. cum edd. *Apostolus enim*, cod. N *Apostolus* tantum.

[3] Cfr. supra pag. 364, nota 7. — Paulo superius pro *purissimum* cod. G *potissimum*. Paulo inferius post *virium inferiorum* cod. aa repetit *in anima*. Post pauca pro *perficit voluntatem* cod. Z *perficit ipsam voluntatem*.

[4] Vat. post *ipsam* subdit *tamen*.

[5] Codd. A F K *videntur posse*. Inferius pro *sufficiens* codd. A K O X *sufficienter*. Deinde pro *videtur dicere, quod* Vat. *videtur hoc esse dicendum, scilicet quod*, codd. B D N T aa et edd. 1, 2 *videtur esse, quod*, cod. G *videtur, quod*.

[6] Dist. 27. a. 1. q. 1. — Quomodo caritas diversa sit ab aliis virtutibus, supra expositum est q. 1.

[7] Num. 4, in quo Bernardi testimonio textus origin. verbo *frui* praemittit *secundum se ipsam* et post *et quot* inserit *habet*. — Codd. et edd. allegant *11. cap.*

[8] Cfr. supra pag. 474, nota 1.

[9] Libr. I. de Moribus Eccles. cathol. c. 11. n. 19. seqq., exponens Rom. 8, 38, ait: « Non separat *virtus*; nam si *virtus* hic illa nominata est, quae aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omnino sublimior mens inhaerens Deo. Sin *virtus* illa dicta est, quae ipsius animi nostri rectissima affectio est, si in alio est, favet, ut coniungamur Deo, si in nobis est, ipsa coniungit ». Deinde (c. 12. n. 20.) ostendit, quod animus noster, qui Deo « caritate coniungendus est », per illam

propter Deum ». Et idem ipsum dicitur in libro de Spiritu et anima circa principium[1]: « Ordinandi sunt animi affectus ad illud quod debent, ut in virtutes proficere possint ». Et paulo post: « Amor per odium sui proficit in amorem Dei et proximi ». Satis igitur videtur *rationi* consonum dicere, quod sicut virtus fidei aliquem habitum concernit praeter gratiam gratum facientem, sic et habitus caritatis. Et hoc satis videntur rationabiliter ostendere rationes ad istam partem adductae. Si quis igitur velit hanc partem sustinere, satis potest faciliter ad rationes, quae adducuntur in contrarium, respondere.

Conclusio.

1. Ad illud enim quod primo obiicitur, quod caritas informat ceteras virtutes, quod est proprium ipsius gratiae; dicendum, quod est loqui de virtutibus quantum ad *esse*, et quantum ad *bene esse*, et quantum ad *bene operari*. Si loquamur de virtutibus quantum ad *esse*, sic quaelibet virtus habet in se ipsa propriam formam, per quam distinguitur ab alia, ut fides a spe. Si autem loquamur de ipsis quantum ad *bene esse*, sic informantur a gratia, quae facit ipsas gratuitas et Deo acceptas. Si loquamur de virtutibus quantum ad *bene operari*, sic informantur a caritate, quae est pondus inclinans et faciens tendere operationes omnium virtutum ad bonum finem[2]. Et sic alio modo informat gratia, alio modo caritas; et propterea non sequitur, quod inter caritatem et gratiam nulla sit essentialis differentia.

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod caritas est donum excellentissimum; dicendum, quod quia caritas non separatur a gratia, quamvis aliquid addat ultra ipsam; ideo excellentia gratiae gratum facientis attribuitur caritati; et hinc est, quod sortitur etiam nomen gratiae et praeponitur omnibus virtutibus ab Apostolo quantum ad eius excellentiam et dignitatem. Et propterea non sequitur, quod ipsa nihil addat ultra gratiam, quia in illa comparatione non comparatur ad dona gratuita, secundum quod *gratuita* sunt, sed secundum quod sunt *gratiae gratis datae;* et in hoc illis praeponitur, quia nunquam caritas separatur a gratia, quamvis ab ea possint separari alia dona gratuita[3]; et ideo dicitur donum excellentissimum esse inter cetera.

3. Ad illud quod obiicitur, quod amor est vita animi; dicendum, quod sicut in *vita naturae* vivere dicitur dupliciter: uno modo, prout est actus *primus*, alio modo, prout est actus *secundus;* et primo modo est ab animae *essentia*, et secundo modo ab animae *potentia:* sic intelligendum est in *esse moris*, quod vivere, prout est actus *primus*, est ab ipsa gratia vivificante ipsam animam totam; sed prout est actus *secundus*, est ab ipsa virtute. Et quamvis possit attribui omni virtuti gratuitae, utpote ipsi fidei, secundum illud quod dicitur ad Romanos primo[4]: *Iustus ex fide vivit;* potissime tamen attribuitur ipsi caritati propter magnam affinitatem, quam habet ad gratiam.

Vivere dicitur dupliciter.

4. Ad illud quod obiicitur, quod caritas reddit Deo acceptum et gratum; dicendum, quod hoc facit ratione *gratiae;* sed ex hoc non sequitur, quod praecise sit gratia, quia caritas non tantummodo habet Deo acceptum reddere, sed etiam aliquam potentiam expedire et ad aliquem actum specialem et determinatum habilitare, ratione cuius aliquid addit ipsi gratiae, quod est ipsi gratiae substratum et materiale, sicut in praecedentibus[5] ostensum fuit de fide.

5. Ad illud quod obiicitur, quod caritas omnino destruitur per peccatum; dicendum, quod hoc non est, quia caritas nihil addat super gratiam gratum facientem, sed quia omne peccatum repugnat ipsi habitui substrato caritati. Et ideo sicut fides totaliter tollitur per infidelitatem, quia non solum repugnat ei quantum ad id quod est in ea gratiae gratum facientis, sed etiam quantum ad habitum substratum[6]; per hunc modum intelligendum est, quod caritas tollitur per omne peccatum; illud autem in sequenti problemate clarius manifestabitur.

Notandum.

SCHOLION.

1. De duplici opinione hic relata iam actum est II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2, ubi in scholio antiqui magistri pro utraque sententia stantes recensiti sunt (cfr. etiam ibid. d. 26. q. 5.). Licet in hac quaestione s. Doctor utramque opinionem exhibeat tanquam probabilem; ipse tamen revera sequitur secundam. Hinc explicite hic solvit argumenta ei opposita et in sequenti

---

Deo coniungitur, cum Deo subiicitur; et tum, postquam docuit, omnem virtutem reduci ad amorem Dei, c. 26. n. 48. seqq. probat, amatorem Dei et se amare et proximum. Libr. XIV. de Civ. Dei, c. 7. n. 1. ait: Nam cuius propositum est amare Deum, et non secundum hominem, sed secundum Deum amare proximum sicut etiam se ipsum, procul dubio propter hunc amorem dicitur voluntatis bonae, quae usitatius in Scripturis sacris caritas appellatur. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Edd. post *Augustinus* subiiciunt *in Soliloquiis*.

[1] Cap. 4. Textus origin. post *quod debent* addit *et quomodo debent*. Subinde pro *in virtutes* Vat. *in virtutibus*, edd. 1, 2 solum *virtutibus*. In altero testimonio, sumto ex eodem cap. 4, textus origin. pro *odium sui* habet *odium mundi et sui*. — Inferius pro *ostendere* cod. Z substituit *dicere*.

[2] Cfr. infra d. 36. q. 6.

[3] Vide quaest. seq. et I. Sent. d. 17. p. 1. dub. 4. — Superius non pauci codd. et edd. 1, 2, verbis male transpositis, *et hoc in illis*. Pro *praeponitur* cod. Z *est prior*.

[4] Vers. 17: Iustus autem ex fide vivit. — De duplici vi verbi *vivere*, prout significat actum primum vel actum secundum, cfr. supra pag. 444, nota 6. et 7. nec non pag. 451, nota 2. atque infra dub. 2. circa finem. — Pro *ipsi fidei* cod. O *iustorum fidei*. In initio solut. pro *animi* edd. et complures codd. *animae*. Circa finem solut. codd. omittunt *tamen*.

[5] Dist. 23. a. 1. q. 2; a. 2. q. 1. 4. et 5. — Quoad solutionem cfr. II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. ad 4.

[6] Vide supra d. 23. a. 2. q. 1. ad 4. et q. 2. ad 4.

quaestione de prima opinione dicit, difficile esse eam sustinere, et loco II. libri cit. clare propriam opinionem manifestat. Notandum etiam, quod ibid. ad 6. asserit, in primo homine ante lapsum reapse amorem, quo Deus propter se et super omnia diligebatur, sine gratia habituali fuisse.

Alii commentatores Petri Lombardi plerumque hanc quaestionem solvunt in II. Sent. d. 26. vel 27, quos vide in scholio nostro supra citato. Tamen Petr. a Tar., de eadem agit hic q. 2. a. 3.

II. In solutione sequentis (4.) quaestionis supponitur, praeter habitum supernaturalem caritatis esse etiam amorem naturalem (sive acquisitum) in Deum, ut est auctor naturae, de quo cfr. I. Sent. d. 17. p. I. q. 3, et praecipue II. Sent. d. 3. p. II. a. 3. q. 1. in corp. et ad 3.

Haec doctrina confirmatur reprobatione plurium erronearum propositionum, quas Baius ex fontibus novatorum saeculi XVI. hausit, inter quas est prop. 34: « Distinctio illa duplicis amoris, *naturalis* videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et *gratuiti*, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia et ad illudendum sacris Litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata » (cfr. prop. 36.). — Hinc idem Baius incidit in alium errorem reprobatum et ad hanc nostram quaestionem spectantem, scilicet prop. 32: « Caritas illa, quae est plenitudo Legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum »; et prop. 31: « Caritas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in poenitentibus, potest esse sine remissione peccatorum » (cfr. prop. 33. 70. 71.).

III. Hinc certissima est auctoris conclusio (cfr. etiam I. Sent. d. 17. p. I. dub. 6.), et etiam ratio ab ipso allata bona est, quod scilicet *omne* peccatum oppositionem habeat non tantum cum habitu supernaturali, sed etiam cum habitu *substrato* respectu recti ordinis ad Deum ut auctorem naturae. Etsi enim in ordine naturali « ex superveniente contrario actu non statim habitus acquisitus excluditur » (S. Thom., S. II. II. q. 24. a. 12.); tamen peccatum grave quodcumque, sicut subito importat statum peccati, sic excludit rectam ordinationem etiam ad Deum ut finem naturalem. Hinc sicut caritas recte ordinat ad finem ultimum, tum naturalem tum supernaturalem, et non compatitur aversionem nec a fine supernaturali nec a fine naturali; sic qui est aversus a fine supernaturali non potest esse bene ordinatus ad finem naturalem. Hinc etiam intelligitur, quod in statu naturae lapsae nemo possit amare Deum super omnia nisi virtute caritatis et gratiae supernaturalis. — Ex parte subiecti similem rationem affert S. Thom. (hic q. 2. a. 4. quaestiunc. 4.) dicens: « Ipsa (caritas) motor est omnium virtutum et forma; unde *omne* peccatum caritatem tollit, in quantum opponitur actui alicuius virtutis. Et quia gratia non potest tolli nisi per peccatum, ideo caritas tollitur ablata gratia ». (Cfr. S. II. II. q. 24. a. 12. et Qq. disput. de caritate a. 6.) — Cum hac quaestione aliquatenus cohaeret quaestio inter theologos, praesertim Thomistas et Scotistas, disputata, qua ratione peccatum expellat gratiam, utrum scilicet natura sua, vel ex decreto divino; et utrum sibi ambo opponantur physice, an tantum moraliter (cfr. infra d. 31. a. 1. q. 1. ad 2.).

IV. De hac 4. quaestione praeter S. Thomam: B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 5. a. 2. quaestiunc. 2. — Richard. a Med. rem tangit hic a. 9. q. 2.

QUAESTIO IV.

Utrum habitus caritatis possit esse informis, an semper sit formatus.

Quarto quaeritur, utrum habitus caritatis possit esse informis, an semper sit formatus. Et quod semper sit formatus, videtur:

Fundamenta. 1. Primo per Augustinum, in libro de Vera Innocentia [1]: « Dilectio Dei et proximi est propria et specialis virtus piorum atque Sanctorum, cum ceterae virtutes bonis possint esse communes et malis »; sed aliae virtutes non sunt communes bonis et malis, nisi quia possunt esse informes: si ergo caritas non potest isto modo esse communis, videtur, quod nullo modo possit esse informis.

2. Item, Hugo [2]: « Caritatem nullus malus habere potest »; sed si posset esse informis, aliquis malus posset eam habere: impossibile est igitur, habitum caritatis informem esse.

3. Item, impossibile est, formam fieri informem; sed caritas est forma virtutum, secundum quod dicitur super illud ad Romanos primo [3]: *Iustitia Dei* etc.; Glossa: « Haec est informis qualitas mentis, quia sociam non habet caritatem, quae est forma omnium virtutum »: ergo etc.

4. Item, virtutis caritatis est diligere Deum propter se et super omnia [4]; sed istum actum nullus habere potest, qui habet in se mortale peccatum, cum in omni mortali peccato aliquid diligatur contra Deum: si ergo sola illa virtus potest esse informis, cuius actus potest reperiri in peccatore, sicut patet de fide; videtur, quod caritas nullo modo possit esse informis.

5. Item, sicut infidelitas repugnat fidei, sic libido et amor libidinosus repugnat caritati; sed impossibile est, habitum fidei nec informem nec formatum simul stare cum errore et infidelitate: ergo impossibile est, habitum caritatis nec informem nec formatum simul stare cum libidine. Sed omne peccatum est libido, vel ex libidine, secundum quod dicit Augustinus [5]: ergo impossibile est, habitum caritatis nec informem nec formatum reperiri in peccatore: ergo non reperitur nisi in viro iusto. Sed in illo non habet esse informis, sed semper formatus: ergo etc.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Cum aliquis peccat, qui in

[1] Num. 7. Vide supra pag. 487, nota 1.

[2] Lib. II. de Sacram. p. XIII. c. 11: Caritatem malus habere non potest... quia caritatem habere et simul malus esse nemo potest. Cfr. opusc. de Laude caritatis, post medium.

[3] Vers. 17. — Integra Glossae verba habes supra pag. 492, nota 7.

[4] Cfr hic lit. Magistri, c. 2. et 5. — De fide informi vide supra d. 23. a. 2. q. 1. seqq. — Paulo inferius pro *diligatur* edd. cum paucis codd. *diligat*, et subinde pro *contra* cod. M *supra*, cod. bb *super*.

[5] Libr. I. de Lib. Arb. c. 3. n. 8. seqq., ubi inter alia: « Nihil aliud quam libidinem in toto male faciendi genere dominari ». Ibidem (c. 4. n. 10.) etiam docet, « malefacta non ob aliud mala esse, nisi quod libidine, id est improbanda cupiditate, fiunt ». Et in libro de Mendacio, c. 7. n. 10. idem August. dicit: Libido quoque ipsa recte definitur appetitus animi, quo aeternis bonis quaelibet temporalia praeponuntur. Cfr. XIV. de Civ. Dei, c. 15. n. 2. — Aliquanto inferius pro *viro iusto* cod. Z *animo iusto*.

Deum credidit et amavit, sicut in eo remanet credulitas, sic remanet in eo quaedam dilectio; sed non est minus nobilis illa dilectio vel amor, quam sit illa credulitas: ergo si credulitas illa sortitur nomen virtutis [1], pari ratione videtur, quod et illa dilectio. Sed non sortitur rationem et nomen alterius virtutis quam caritatis: ergo caritas potest esse informis.

2. Item, aut potest aliquis diligere Deum *informiter,* aut *non.* Si *non:* ergo cum homo sciat, se Deum diligere, homo sciet, se habere caritatem et esse in gratia, quod apud multos est inconveniens [2]. Si *potest;* sed quales sunt actus, tales sunt habitus: ergo si actus diligendi potest esse informis, videtur, quod et habitus.

3. Item, ex fide formata oritur amor et timor, uterque formatus: ergo cum ex fide informi possit oriri timor servilis, qui est timor informis, qui etiam habet rationem doni [3]; videtur, quod ex ipsa possit oriri amor, qui etiam habet rationem virtutis: redit ergo idem quod prius, videlicet quod amor caritatis informis possit esse.

4. Item, caritas est virtus *gratuita;* constans est, quod haec differentia *gratuita* addit supra virtutem: ergo si remanere potest prius sine posteriori [4], videtur, quod caritate desinente esse gratuita, adhuc possit remanere virtus: ergo potest esse informis.

5. Item, homini cadenti in peccatum aliquid relinquitur in potentia rationali et irascibili, quo fit habilis ad resurgendum, ut fides et spes [5]: ergo pari ratione relinquitur aliquid in potentia concupiscibili, immo multo fortiori, cum ipsa magis indigeat; sed constat, quod illud non est minus nobile, quam illud quod est in aliis potentiis, cum ipsa habeat nobiliori virtute informari: si ergo aliae post lapsum in peccatum possident fidem et spem informem, videtur, quod et ipsa post peccatum habeat caritatem informem.

CONCLUSIO.

Caritas nunquam potest esse informis; in afferendis tamen rationibus non consentiunt doctores.

Conclusio. Ratio.

Respondeo: Dicendum, quod secundum communem opinionem habitus caritatis semper est formatus et nunquam habet esse informis. — Et hoc indicat ipsum nomen ipsius; nominatur enim nomine *gratiae* [6]. Si ergo virtus informis dicitur esse illa virtus, quae est privata gratia, dicere caritatem informem nihil aliud est dicere, quam gratuitum esse gratia privatum; quod est falsum et non intelligibile, quia est ibi implicatio oppositorum. Et ideo communiter dicitur, quod caritas non potest esse informis. — Licet autem doctores communiter in hoc consentiant, in ratione tamen, quare hoc dicunt, est inter eos differentia. Differunt auctores in ratione.

Nam quidam voluerunt dicere, quod ideo caritas non potest esse informis, quia est ipsum donum increatum, scilicet ipse Spiritus sanctus. Et huius opinionis fuit Magister Sententiarum. — Haec autem opinio communiter non tenetur nec est tenenda, sicut in primo libro [7] fuit ostensum. Ratio 1. Improbatur.

Alii vero dicere voluerunt, quod caritas non potest esse informis, quia est habitus mere gratuitus, nihil habens ultra gratiam gratum facientem nisi solam *relationem* et ordinem ad actum et finem. Aliae vero virtutes, quae habitus substratos habent, informes esse possunt; sola vero caritas est, quae nihil absolutum addit: et ideo ipsa sola est, quae non potest fieri [8] informis. — Sed licet istud videatur satis probabile, est tamen non modicum calumniabile. Difficile enim est sustinere, pensatis auctoritatibus et rationibus, quod caritas non addat ultra gratiam aliquem habitum, qui concupiscibilem potentiam habilitet ad amandum, sicut in praecedenti problemate fuit ostensum. Ratio 2. Non penitus probatur. Notandum.

Et ideo est adhuc tertius modus [9] reddendi rationem, quare caritas non potest esse informis, sicut aliae virtutes; hoc enim est, quia caritas non solum in quantum *gratuita,* sed etiam in quantum *affectio recta* sive quantum ad *habitum substratum* repugnat omni peccato, sicut fides specialiter repugnat peccato sibi opposito. Unde sicut fides simpliciter tollitur per errorem et infidelitatem, et spes per desperationem, ita quod non remanet qualitas nec virtus informis, sic habitus caritatis per *omnem* culpam habet tolli; et ideo nunquam remanet informis. Ratio ab auctore probata.

Quod autem *omne* peccatum oppositionem habeat cum caritate ratione *habitus substrati,* manifestum est sic. Sicut enim habitus ipsius fidei habilitat animam ad credendum omnia credenda et ad assentiendum primae Veritati propter se et super Confirmatur.

---

[1] Vide supra d. 23. a. 2. q. 1. — Mox in conclus. post *ergo* cod. A subdit *et.*

[2] Vide supra d. 23. dub. 4. — Quae connexio sit inter *actum* et *habitum,* videsis supra pag. 470, nota 8; cfr. etiam tom. II. pag. 760, nota 6.

[3] Ut ostenditur infra in lit. Magistri, d. XXXIV. c. 4. seqq., et in Comment. p. II. q. 1. seqq.

[4] Aristot., V. Metaph. text. 16. (IV. c. 11.): Quaedam vero [priora dicuntur] secundum naturam et substantiam, quaecumque contingunt absque aliis [posterioribus] esse, ista vero sine illis minime; qua divisione usus est Plato. Cfr. supra pag. 575, nota 1.

[5] Vide supra d. 23. a. 2. q. 1. et d. 26. a. 1. q. 4. — Pro *quo fit* non pauci codd. cum edd. 1, 2 *quo sit.* Paulo inferius pro *multo fortiori* Vat. cum uno alteroque cod. *multo fortius,* et pro *constat* codd. A K *constans est.*

[6] De quo vide auctorem in principio quaest. praeced., nec non scholion supra ad q. 1.

[7] Codd. U Z addunt *dist. 17.* [p. I. q. 1.], ubi illa opinio erronea Magistri multis argumentis refutatur. Cfr. II. Sent. d. 26. q. 2.

[8] Edd. *esse.*

[9] Cod. W hic interiicit *respondendi et.*

omnia; sic et habilitat [1]. habitus caritatis ad amandum omnia amanda et adhaerendum primae Bonitati propter se et super omnia. Et ideo, sicut error circa quemcumque articulum oppositionem habet cum fidei habitu, sic amor libidinosus circa ea quae amanda sunt, oppositionem habet cum ipsa caritate ratione *habitus substrati* [2]. Quoniam ergo omne peccatum consistit in deordinata dilectione alicuius boni creati et in quadam libidine, quae oppositionem habet cum recto amore, sicut error cum vera credulitate; hinc est, quod omne peccatum simpliciter excludit caritatem. Et ideo, sicut fides informis non potest reperiri in infidelibus et haereticis; sic caritas informis non potest reperiri in aliquibus viris peccatoribus et iniquis; et [3] in solis illis habet reperiri virtus informis: hinc est, quod caritas nullo modo potest esse informis, quia secundum se totam opponitur culpae generaliter, quod non est reperire in aliqua alia virtute. — Et *si tu quaeras rationem* huius, Augustinus docet in decimo quarto libro de Civitate Dei [4], ubi dicit, quod « omnis affectio oritur ex amore »; ideo nihil potest obliquare aliquas affectiones animae, quin aliquo modo vel principaliter, vel ex consequenti opponatur ipsi amori et habitui affectum illum rectificanti [5]. — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod caritas non potest esse informis.

Ratio principalis.

Corollarium.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur, quod in peccatore remanet credulitas et dilectio erga Deum; dicendum, quod quamvis utraque remaneat, non tamen uniformiter, quia *credulitas* habet rationem virtutis, *dilectio* vero non. Et ratio huius est: quia ad hoc, quod aliquis habitus sortiatur nomen et rationem virtutis, necesse est, quod habeat aliquam *perfectionem* et *vigorem* quendam respectu actus et obiecti; hoc autem habet *credulitas* in viro peccatore. Nam ipse peccator assentit primae Veritati propter se et super omnia et credit omnia credenda, secundum quod credenda sunt. Nullus autem peccator est, qui *diligat* Deum propter se et super omnia et diligat [6] omnia diligenda, secundum quod diligenda sunt; et ideo *dilectio* illa, quae est in peccatore, non ita habet rationem virtutis nec sortitur nomen caritatis, secundum quod *credulitas* habet rationem virtutis et nomen fidei sortitur [7].

Solutio oppositorum.

Notanda ratio.

2. Ad illud quod obiicitur, quod contingit diligere informiter; dicendum, quod verum est; sed sicut *credere* aliquem articulum informiter, quando alii articuli discreduntur, secundum quod faciunt aliqui haeretici, non est actus virtutis informis, quia fides non est in eis virtus; sic *diligere* Deum in peccatore non est actus virtutis; deest enim ibi *perfectio* virtutis, quia talis non diligit omnia diligenda; deest etiam et *vigor*, quia per illum actum non superat nec excludit amorem libidinosum sibi oppositum; sicut est de illo qui credit unum articulum sine alio, qui [8] per illam credulitatem nec *perfecte* credit, quia non omnia credit, nec *vigorose* credit, quia errorem non convincit.

Notandum.

Ratio duplex.

3. Ad illud quod obiicitur, quod ex fide informi debet generari amor informis, sicut et timor; dicendum, quod non est simile, pro eo quod maioris perfectionis est amor quam timor, et magis rectificatur anima in recte amando quam in recte timendo: et hoc, quia amor est principium omnium affectionum, sicut dictum est superius. Et ideo ex hoc non sequitur, quod quamvis fides generet timorem [9] informem, quod possit generare caritatis amorem.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod caritas est virtus gratuita, et *esse gratuitum* coarctat hoc quod est *esse virtutem*; dicendum, quod quamvis sit in minus *esse gratuitum*, quam *esse virtutem*; nihil tamen prohibet, aliquam differentiam ita adhaerere generi respectu speciei, quod eadem sublata, auferatur per consequens quod ad essentiam generis spectat; sicut patet, quod homo est animal rationale [10], et si desinat esse rationalis, desinit esse animal. Per hunc modum potest intelligi et in caritate, quod ita adhaeret hoc quod est *gratuitum* virtuti, quod cum desinit esse gratuita, desinit esse virtus. Ratio autem, quare magis adhaeret in caritate quam in alia virtute, tacta est supra [11].

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod homine cadente in peccatum, ita debet potentiae concupiscibili adiutorium remanere, sicut aliis viribus animae; dicendum, quod remanet sibi adiutorium aliquod separat a Deo; caritas vero unit Deo et coniungit; amor enim est coniunctio diligentis cum dilecto; qui enim adhaeret Domino per caritatem, unus spiritus efficitur cum ipso. Tertia causa est, quia peccatum mortale interficit proprium subiectum, et eo ipso quod homo interficit se, est inimicus sui, et ita non diligit se debito modo, et ita est caritas informis.

Notandum.

---

[1] In codd. et edd. 1, 2 nec non in *Supplemento* Sum. Alex. Hal. collat. 57. a. 6. deest *habilitat*, quod Vat., quam secuti sumus, bene supplevit. Subinde pro *habitus caritatis* non pauci codd. cum edd. 1, 2 et laudato *Supplemento* Sum. Alex. Hal. *habilitatio*.

[2] Edd. *substrati boni*. Paulo inferius pro *recto amore* cod. Z *vero amore*.

[3] Cod. K *et quoniam*.

[4] Cap. 7. n. 2, ex quo iam supra pag. 338, nota 3. quaedam attulimus. — Paulo post pro *opponatur* complures codd. *opponitur*, Vat. *oppositum sit*. Deinde pro *affectum illum* cod. Z *affectionem illam*.

[5] Guliel. Antissiod., Sum. p. III. tr. 19. q. 2: Notandum est, quod omne peccatum habet oppositionem ad caritatem propter tres causas. Prima est, quia peccatum est offensa Dei; offendere autem Deum est contra amicitiam, quae est caritas; vera autem amicitia est idem velle, idem nolle. Secunda, quia peccatum

[6] Complures codd. habent bis *diligat*; alii tantum secundo loco; edd. 1, 2 cum *Supplemento* Sum. Alex. Hal. bis *diligit*; Vat. secundo loco *et qui diligit*.

[7] Vide supra d. 23. a. 2. q. 1.

[8] Cod. A *quia*.

[9] Plurimi codd. nec non edd. 1, 2 et *Supplementum* Sum. Alex. Hal. perperam *amorem*, et mox cod. A pro *amorem* aeque perperam *timorem*.

[10] Edd. *rationale mortale*. Paulo inferius pro *cum desinit* codd. F G I L N T V aa *cum desinat*.

[11] Quaest. praeced.

cundum cursum communem. Multi enim peccant, qui habent affectionem dilectionis et pietatis erga Deum et homines bonos; verumtamen illud quod remanet eis, non sortitur nomen virtutis theologicae, secundum id quod remanet in aliis viribus. Et ratio huius est, quia ipsa [1] facilius corrumpitur et deordinatur quam aliae vires. Unde quamdiu peccatum est in anima, virtus rectificans eius affectiones non potest esse in ea. Quamvis enim peccator, manens peccator, possit esse rectus in credendo, non tamen potest esse rectus in diligendo [2].

ARTICULUS II.

De caritate quantum ad actum et modum.

Consequenter quaeritur de ipsa caritate quantum ad actum et modum. Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo quaeritur, utrum actus caritatis per prius sit meritorius quam actus aliarum virtutum.

Secundo, utrum possibile sit, motum caritatis esse mercenarium.

Tertio quaeritur, utrum idem possit esse motus dilectionis in Deum et in proximum.

Quarto quaeritur, quis eorum praecedat alterum.

Quinto quaeritur, utrum motus caritatis in Deum habeat modum.

Sexto et ultimo, utrum teneamur ad illum modum implendum.

QUAESTIO I.

Utrum motus caritatis per prius sit meritorius quam actus aliarum virtutum.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum motus caritatis per prius sit meritorius quam actus aliarum virtutum. Et quod sic, videtur:

1. Primo per illud quod dicit Apostolus ad Ro-
Fundamenta. manos decimo tertio [3]: *Plenitudo Legis est dilectio;* sed nullus plene adimplet ea quae sunt Legis, nisi qui meritorie eam observat: si ergo plenitudo Legis per Apostolum attribuitur ipsi caritati, videtur, quod efficacia merendi primo et principaliter circa actum eius consistit.

2. Item, super illud ad Galatas quinto [4]: *Fructus autem Spiritus caritas* etc.; Glossa: «Attende, quod in enuntiatione fructuum caput virtutum praemisit caritatem. Quae enim alia inter fructus Spiritus primatum tenere meruit nisi caritas, sine qua ceterae virtutes non reputantur esse virtutes, et ex qua omnia bona nascuntur»? Si ergo ex caritate omnia bona nascuntur, et hoc non potest intelligi nisi de bonis meritoriis; quod primo nascitur ex caritate primo tenet rationem meritorii: ergo per prius est meritorius actus caritatis quam actus alicuius virtutis.

3. Item, Gregorius [5]: «Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, nisi maneat in radice caritatis»: ergo radix caritatis omnibus operibus tribuit viriditatem; sed haec viriditas non est aliud quam efficacia in merendo: si ergo hanc tribuit caritas aliis virtutibus per suum actum et motum, videtur, quod actus caritatis primo et principaliter sit meritorius inter omnes actus virtutum.

4. Item, meritum inest omni virtuti ex recta ordinatione in finem; sed caritas est virtus, quae immediate ordinat in finem, et mediante qua ceterae aliae ordinari habent [6]: videtur ergo, quod circa actum eius primo et principaliter contingit actum meriti reperire.

5. Item, nullum obsequium est meritorium apud Deum, nisi quod fit liberaliter [7]; sed nihil fit liberaliter, nisi quod fit ex amore, quoniam amor est donum, in quo omnia alia dona donantur: si ergo efficacia merendi consistit in liberalitate, et liberalitas primo et principaliter reperitur in motu caritatis et amoris; videtur idem quod prius, videlicet quod motus caritatis primo et principaliter sit meritorius.

6. Item, actus fidei non est meritorius, nisi secundum quod fides credit *in Deum* — nam credere *Deo* et credere *Deum* commune est fidei informi et fidei formatae — sed quod fides credat *in Deum*, hoc habet ratione caritatis adiunctae — «credere enim in Deum, sicut dicit Augustinus [8], est credendo

---

[1] Scil. vis concupiscibilis. — Post pauca pro *aliae vires* edd. 1, 2 substituerunt *aliae virtutes*. Paulo superius pro *remanet eis* multi codd. incongrue *remanet ei*. Paulo inferius pro *manens peccator* cod. aa *manens in peccato*.

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Vers. 10.

[4] Vers. 22. — Glossa, quae sumta est ex Comment. Hieronymi in hunc locum, habetur apud Petr. Lombardum et Lyranum. — In Glossa pro *praemisit* edd. substituerunt *praemittit*. Post pauca eaedem edd. pro *quod primo* exhibent *actus qui primo*. Deinde in fine arg. pro *alicuius virtutis* cod. O et *Supplementum* Sum. Alex. Hal. collat. 60. a. 1. *alterius virtutis*.

[5] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 27. n. 1.

[6] Vide infra d. 36. q. 6.

[7] Cfr. supra pag. 267, nota 4. et pag. 381, nota 1. — De propos. seq. vide I. Sent. d. 18. q. 1, ubi solvitur quaestio: Utrum Spiritus S. sit donum, in quo omnia dona donantur.

[8] In Ioan. Evang. tr. 29. n. 6. Cfr. supra lit. Magistri, d. XXIII. c. 4, et Comment. dub. 3, ubi discrimen exponitur, quod est inter credere *in Deum*, credere *Deo* et credere *Deum*.

amare » — ergo videtur, quod actus fidei non sit meritorius nisi mediante actu caritatis. Si ergo actus fidei est primus inter actus omnium virtutum, videtur, quod circa actum caritatis primo et principaliter consistat meritum.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Omnis actus procedens a virtute formata est Deo placitus et meritorius, quia quales sunt habitus, tales sunt actus [1]; sed virtutibus existentibus formatis, per prius exit in actum fides quam aliqua alia virtus: ergo videtur, quod actus eius primo sit meritorius.

2. Item, in omni eo, in quo primo consistit ratio dirigendi, primo consistit ratio merendi; sed circa actum fidei primo consistit ratio dirigendi, cum ipsa sit directiva omnium virtutum [2]: ergo et circa ipsam primo consistit ratio merendi, non ergo circa actum caritatis.

3. Item, gratia in merendo movet conformiter libero arbitrio, et e converso [3]; sed liberum arbitrium per prius iudicat, quam eligat; ergo gratia per prius videtur respicere actum cognitionis quam affectionis. Sed quod per prius respicit gratia primo habet rationem meritorii: ergo videtur, quod ratio merendi prius inveniatur in actu cognitionis quam affectionis, et ita prius in actu fidei quam caritatis.

4. Item, fides informis meretur operationem miraculorum de congruo in statu peccati [4]; sed multo maioris efficaciae est fides formata respectu praemii assequendi, quam fides informis respectu miraculi impetrandi: si ergo impetratio miraculi primo et principaliter attribuitur actui fidei informis, videtur, quod actui fidei formatae primo et principaliter meritum vitae aeternae debeat attribui.

5. Item, quod magis est difficile et magis contra naturam, illud tenet magis rationem meriti in via; sed motus fidei magis est naturae dissonus quam motus caritatis, quia Deum diligere non est contra dictamen naturae, sicut credere multos articulos [5]: ergo videtur, quod in actu ipsius fidei primo et principaliter consistat efficacia merendi.

6. Item, sicut se habet prudentia respectu cardinalium, ita se habet fides respectu virtutum theologicarum; sed recta ordinatio per prius reperitur in actu prudentiae quam in actu virtutum cardinalium [6]: ergo recta ordinatio per prius invenitur in actu fidei quam in actu aliarum theologicarum. Sed illud per prius est meritorium, in quo per prius reperitur ordinatio: ergo videtur, quod actus sive motus fidei per prius sit meritorius quam motus caritatis.

CONCLUSIO.

Motus caritatis primo et principaliter est meritorius, non quidem prioritate originis, sed prioritate completionis.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod aliqui voluerunt dicere, quod meritum primo et principaliter consistit circa actum sive motum fidei, cum ipsa sit prima virtutum, et eius actus principium aliorum. — Alii vero econtra dicere voluerunt, quod actus caritatis primo et principaliter sit meritorius, cum ipsa secundum Gregorium [7] et Ambrosium sit caput et radix omnium bonorum. Et utramque harum positionum magni clerici sustinuerunt. Et si velimus sane intelligere, sibi invicem non contradicunt, immo utrique verum sentire poterunt.

Opinio 1.

Opinio 2.

Nota.

Propter quod notandum, quod secundum quod vult Philosophus [8], dupliciter dicitur aliquid altero prius. Est enim prius alterum altero *origine*, et est prius *complemento et definitione*. Si loquamur de prioritate *originis*, ratio merendi per prius consistit in actu fidei, quoniam ipse est origo motuum aliarum virtutum; et cum procedit a virtute *formata*, dicere est, ipsum esse meritorium. Si ergo motus fidei formatae est meritorius et prior origine quam motus aliarum virtutum; loquendo de prioritate *originis*, efficacia merendi per prius attribuenda est

Duplex prioritas.

Conclusio 1.

---

[1] Cfr. tom. II. pag. 760, nota 6. — Quod actus fidei prior sit actibus aliarum virtutum, ostensum est supra d. 23. a. 1. q. 1. in corp. et dub. 6.

[2] Vide supra pag. 471, nota 3 et 8. — Subinde pro *circa ipsam* edd. *circa ipsum*.

[3] Libr. II. Sent. d. 26. q. 6. ad 5. s. Doctor ait: Secundum quod *Deus* movet per gratiam, per eandem gratiam potest excitare ad diversa opera. Secundum vero quod *liberum arbitrium* se ipsum movet per gratiam ad diversa opera, est in ipso *cognitionis* et *affectionis* diversitas, secundum quas ordinari habet ad diversa operum genera; et ideo, quamvis gratia non varietur in se, movet tamen ad diversa, ratione variationis in motore sibi coniuncto, sine quo non potest movere. Numquam enim gratia elicit opus meritorium, nisi voluntas sibi cooperetur. — Dum multi codd. dubiae sint lectionis, plures tamen, ut codd. G I T V, clare exhibent *conformiter libero arbitrio* [i. e. secundum naturam liberi arbitrii], quam lectionem edd. et *Supplementum* Sum. Alex. Hal., repugnante contextu, mutaverunt in *conformiter liberum arbitrium*, cod. L in *actum liberi arbitrii*.

[4] Epist. I. Cor. 13, 2: Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Cfr. Matth. 17, 19; Luc. 17, 6, et supra pag. 470, nota 3.

[5] Vide supra d. 23. a. 2. q. 2. ad 3. et d. 24. a. 2. q. 2. ad 4.

[6] Cum secundum Aristot., II. Ethic. c. 6. [cfr. etiam ibid. VI. c. 13, et I. Magnor. Moral. c. 33. (c. 35.)] *prudens* praefiniat medium cuiuslibet virtutis. — Paulo inferius ante *theologicarum* codd. K U supplent *virtutum*.

[7] Praeter eius verba in fundam. 3. allata cfr. etiam eius Regul. pastor. p. III. c. 9; II. Regist. epist. ind. 10. epist. 47; Expos. in septem Ps. poenit. Ps. 2. n. 13. — De Ambrosio vide supra pag. 505, nota 9. Inferius pro *poterunt* edd. *potuerunt*.

[8] Libr. VIII. Phys. text. 58. (c. 7.); V. Metaph. text. 16. et IX. text. 15. (IV. c. 11. et VIII. c. 8.). Cfr. de Praedicam. c. *de Priori*, et supra pag. 486, nota 2. — Paulo inferius post *et definitione* cod. Z addit *sive dignitate*, quod cod. bb substituit pro *et definitione*. Post pauca pro *dicere est* cod. A *dicendum est*.

motui sive actui ipsius fidei. — Si vero loquamur
Conclusio 2. de prioritate *completionis*, sic efficacia merendi per prius attribuenda est actui caritatis, cum ipsa completissima sit omnium [1] virtutum, et in ipsius actu consummetur ipsum meritum.

Ratio autem, quare caritas excellentior est aliis,
Ratio triplex pro excellentia caritatis. est, quia maxime nos efficit deiformes, tum ratione
Ratio 1. *liberalis exhibitionis*, tum ratione *conformis unitionis*, tum ratione *finalis quietationis*. Ratione *liberalis exhibitionis*: quia, sicut Deus ex amore tribuit omnia dona, sic caritas liberaliter exsequitur
Ratio 2. omnia obsequia et mandata. — Ratione *conformis unitionis*: quoniam, sicut Pater et Filius nectuntur nexu amoris et uniuntur, sic homo, per caritatem adhaerendo Deo, efficitur unus spiritus. Propter quod dicitur Ioannis decimo septimo [2]: *Ut sint consummati in unum, sicut et nos unum sumus.* — Ra-
Ratio 3. tione *finalis quietationis*: quia, cum amor sit pondus, facit in Deum tendere et in Deo quiescere, sicut corporalia per sua pondera in propriis locis situari habent et stabiliri [3].

Corollarium. His ergo de causis per caritatem efficitur homo maxime Deo conformis secundum triplex genus causae, secundum quod creatura habet ad Creatorem referri, videlicet secundum rationem *principii moventis, formae exemplantis* et *finis quietantis*; et ratione huius primatum tenet inter ceteras virtutes, secundum quod dicit Apostolus [4]. — Et propterea, si loquamur de prioritate completionis, motus eius primo et principaliter est meritorius, sicut ostendunt auctoritates, quae ad primam partem inducuntur; et ideo concedendae sunt.

1. 2. 3. Ad illud vero quod obiicitur in con-
Solutio oppositorum. trarium primo et secundo et tertio, patet responsio: quia omnes illae tres rationes primae, sicut intuenti apparet, procedunt de *originis* prioritate; et ita non obviant veritati nec rationibus, quae ad oppositum
Notandum. habent adduci. Verum enim est, quod motus fidei primo [5] exit a libero arbitrio gratia informato quam motus aliarum virtutum; sed tamen non habet plenam et perfectam tendentiam et ordinationem in finem, quousque adiungatur ei motus caritatis, qui det ei pondus et inclinationem; unde ex adminiculo caritatis inest ipsi fidei perfectio meriti. Et propterea magis mensurari dicitur quantitas meriti secundum quantitatem caritatis quam secundum quantitatem alterius virtutis [6].

4. Ad illud quod obiicitur, quod fides meretur operationem miraculorum; dicendum, quod hoc est, Notandum. quia in fide est prima elevatio hominis supra se; ideo videtur [7] impetrare a divina virtute, ut operetur aliquid supra vim naturae. Sed meritum praemii consummati non respicit principaliter primam elevationem, sed elevationem summam et completam; et hoc quidem non reperitur in actu fidei secundum se, sed magis in actu caritatis.

5. Ad illud quod obiicitur, quod actus fidei est maioris difficultatis et magis contra naturam quam actus caritatis; dicendum, quod etsi actus fidei sit Notanda distinctio. magis contra naturam *iudicantem*, non tamen magis est contra, vel supra naturam [8] *exsequentem*, immo multo minus. Multo enim facilius est credere summae Veritati propter se et super omnia, quam ipsam propter se et super omnia diligere et ei soli adhaerere et omnia propter eam contemnere. Et quia hoc est maximum, quod homo possit Deo impendere; et hoc facit ipsa caritas: ideo primo et principaliter vindicat sibi merendi efficaciam.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod sicut se habet prudentia respectu virtutum cardinalium, sic fides respectu theologicarum; dicendum, quod non est *omnino* simile, pro eo quod virtutes theologicae, cum habeant obiectum increatum, tanto perfectiores sunt, quanto magis intime illi uniunt et coniungunt. Et propterea spirituale aedificium dicitur Notandum. *fundari* in fide et *erigi* in spe et *consummari* in caritate, quia caritas inter virtutes theologicas est maxime unitiva, et ideo actus eius maxime facit homines deiformes [9]. Et hinc est, quod respectu obiecti increati nobilior est modus apprehendendi per modum tactus et amplexus, quam per modum visus et intuitus; econtra est circa corporalia et circa materialia; et ideo non cogit illa ratio.

---

[1] In cod. A deest *omnium*, pro quo vocabulo non pauci codd. substituerunt *obiectum*. In edd. 1, 2 legitur: *completissime sit obiectum*. In seqq. pro *unitionis* edd. constanter exhibent *unionis*.

[2] Vers. 22. seq.: Ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum. — Cfr. I. Sent. d. 10. a. 2. q. 2. (Utrum Spiritus S. sit nexus sive unitas Patris et Filii). — Aliquanto superius pro *omnia dona* codd. K Z et *Supplementum* Sum. Alex. Hal. *omnia bona*.

[3] Cfr. supra pag. 289, nota 5. et infra d. 36. q. 6. — Edd. *et in Deum tendere est in Deo quiescere* pro *et in Deo quiescere*, ut legit cod. N, in aliis codd. *in Deum quiescere*. Fortasse legendum *et in Deum tendendo quiescere*.

[4] Epist. I. Cor. 13, 13.

[5] Edd. *prius*. Paulo inferius substituimus ex multis codd. *ordinationem* pro *ordinem*, et deinde pro *det* edd. cum aliquot codd. *dat*, alii codd. falso *debet*.

[6] Cfr. II. Sent. d. 40. a. 1. q. 1. seq.

[7] Cod. A *meretur*. Mox pro *et hoc quidem* edd. cum nonnullis codd. *et haec quidem*.

[8] Maior pars codd. exhibet solum *supra naturam*, omisso *contra vel*, dum econtra edd. 1, 2 cum cod. U solum habent *contra naturam*; codd. A K bb habent *supra naturam vel contra naturam*.

[9] Alex. Hal., S. p. III. q. 68. m. 9. a. 3: Fides dicitur fundamentum secundum rationem spiritualis aedificii, secundum quod dicit Glossa Hebr. 1: « Fides est fundamentum omnium bonorum, quod nemo mutare potest, sine quo non est bona aedificatio ». Dicitur autem fundamentum in via, quia est primus habitus, quo homo super se ascendit; sequens vero est spes, quae est sicut paries, quo animus erigitur ad attingendum magnitudinem gloriae caelestis; caritas vero est sicut supremum sive tectum, quod elevatur usque ad sublimitatem gloriae, quia *nunquam excidet* (I. Cor. 13, 8.).

SCHOLION.

I. De hac (1.) quaestione diffuse disputat Guliel. Antissiodorensis (Sum. III. tr. 16. q. 1.) et resolvit, quod « potius est meritum in fide quam in caritate ». Sed de hoc antiquo auctore, licet sit acutus et doctus, iure observat Dionysius Carth. (III. Sent. d. 30. q. 3.), quod est « in opinionibus suis frequenter singularis et extremus; nam et proprium corpus dicit esse plus diligendum quam proximum ». Commentatores autem Lombardi hanc quaestionem plerumque tractant infra in distinctione 30, et resolvunt, quod principalitas meriti est in caritate, in aliis virtutibus, secundum quod caritate informantur. Principia autem hic posita tanguntur in aliis quaestionibus, praesertim de conditione ad meritum requisita, quod scilicet ad plenum meritum actus virtutum aliarum saltem virtualiter debeant esse imperati a caritate, de quo cfr. S. Thom., S. I. II. q. 114. a. 4; Bonav., II. Sent. d. 29. a. 3. q. 2, d. 38. a. 1. q. 1. 2, d. 40. a. 1. q. 1. 2. 3, d. 41. a. 1. q. 3. ad 6; III. Sent. d. 36. q. 6; IV. Sent. d. 20. p. II. a. 1. q. 1. ad 5. — Quae hic dicuntur de *excellentia* caritatis approbant S. Thom., S. II. II. q. 23. a. 6, aliique commentatores Petri Lombardi infra d. 36. in quaestione de aequalitate virtutum. Concordant verba Alexandri Hal. (S. p. IV. q. 10. m. 2. a. 1. § 3.): « Caritas in virtutibus est complementum, eo quod idem est, in quod transit *actus* et *finis;* quia idem est in unitate *quod* diligitur et *propter quod*, quia diligitur summum Bonum et propter summum Bonum. Nec sic est in aliis, ut in fide et iustitia; sed caritas est ratio in aliis. Diffusio enim sive communicatio boni sive finis est ratio in omnibus virtutibus ».

De ipsa quaestione in III. Sent. d. 30. agunt: S. Thom., ibi a. 5. — Petr. a Tar., ibi q. 2. a. 3. — Richard. a Med., ibi q. 4. — Dionys. Carth., loc. cit.

II. Sequentem (2.) quaestionem S. Thom. (III. Sent. d. 29. q. 1. a. 4.) cum aliis magistris ita proponit: « Utrum in dilectione Dei possit haberi respectus ad aliquam mercedem »; sed Richard. a Med. (hic a. 7. q. 2.) ita: « Utrum principalior actus sit diligere amore amicitiae quam amore concupiscentiae ». — Plura ad hanc quaestionem spectantia vide II. Sent. d. 38. a. 1. q. 3; I. Sent. d. 1. a. 1. q. 3. ad 1. Iam supra (d. 26. a. 1. q. 1.) in scholio notatum est, quod amor Dei etiam purissimus non excludit actus spei, immo « maxima caritas maxime desiderat uniri Deo et habere Deum », ut dicit Bonav. (ibid. ad 5.). Porro cum Deus sit non tantum summa bonitas in se sumta, sed etiam bonitas conveniens nobis; etiam sub hoc secundo respectu non potest *excludi* a motivo *caritatis*, licet caritas proprie et principaliter motivum sumat a summa bonitate in se sumta (cfr. hic ad 2. 3.). Hinc etiam S. Thom. (II. II. q. 23. a. 4. in corp. et ad 2.) docet, obiectum caritatis esse Deum ut *beatitudinis obiectum*. Licet autem amore concupiscentiae ametur bonum ad hoc, ut sit bonum ipsius amantis, tamen « respectu nobilissimi amati, quod est Deus, amor concupiscentiae ordinatur sicut ad finem ad amorem amicitiae. Qui enim ex caritate vult frui Deo, quod est ipsum amare amore concupiscentiae, hoc ideo vult, ut Deus honoretur et glorificetur in se, quod est ipsum amare amore amicitiae » (Richard. a Med., loc. cit.). Similiter docet S. Thom. (III. Sent. loc. cit.): « Habens caritatem non potest habere oculum ad mercedem, ut ponat aliquid *quodcumque* finem *amati*, scilicet Dei... nec iterum, ut ponat aliquod bonum *temporale* finem ipsius *amoris*... potest tamen habere oculum ad mercedem, ut ponat beatitudinem creatam finem *amoris*, non autem finem *amati*. Hoc enim neque est contra rationem amicitiae neque contra rationem virtutis, cum beatitudo virtutum sit finis ».

III. De hac (2.) quaestione praeter laudatos alii tractant III. Sent. d. 29: B. Albert., ibi a. 4. — Petr. a Tar., ibi a. 5. — Durand., ibi q. 3. — Dionys. Carth., ibi q. 1. in fine.

QUAESTIO II.

Utrum possibile sit, motum caritatis esse mercenarium.

Secundo quaeritur, utrum possibile sit, motum caritatis esse mercenarium. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Lucae decimo quinto[1] super illud: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus,* dicit Ambrosius, quod multi sunt boni mercenarii, qui spe aeternorum Deo serviunt; sed nemo Deo bene servit, nisi qui servit ei ex caritate: ergo possibile est, motum mercenarii ex caritate habere ortum.

2. Item, Augustinus, super illud Psalmi[2]: *Scrutans corda et renes Deus:* « Finis curae et cogitationis est delectatio, ad quam quisque nititur pervenire »: ergo habens caritatem finaliter quaerit delectari; sed qui quaerit suam delectationem quaerit proprium commodum, et omnis talis est mercenarius: ergo videtur, quod affectus caritatis mercenarius esse possit.

3. Item, qui vult implere mandata Dei propter retributionem mercenarius est; sed de viro sancto dicitur in Psalmo[3]: *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem;* et ad Hebraeos undecimo dicitur de Moyse: *Aspiciebat in remunerationem:* si ergo tam iste quam ille iustus erat et ex caritate movebatur, videtur, quod motus caritatis possit esse mercenarius.

4. Item, homo sanctus desiderat *dissolvi et esse cum Christo,* ut fruatur eo, secundum quod Apostolus desiderabat, ad Philippenses primo[4]; sed desiderium illud non potest esse nisi caritatis, cum nullus naturali affectu desideret mori: ergo si tale desiderium intuetur proprium commodum et delectationem, videtur, quod possibile sit, affectum caritatis esse mercenarium.

Sed contra: 1. Primae ad Corinthios decimo Ad oppositum

[1] Vers. 17. Expositionem Ambrosii integram iam retulimus tom. I. pag. 34, nota 6. — Circa finem arg. pro *motum mercenarii* codd. A K W *motum mercenarium*. Deinde post *ex caritate* Vat. sola omittit *habere*.

[2] Psalm. 7, 10, in quem locum August., n. 9. dicit: « Finis enim curae delectatio est, quia eo quisque curis et cogitationibus nititur, ut ad suam delectationem perveniat ». Quae Augustini sententia a S. Bonaventura hic iisdem verbis affertur, quibus a Strabo affertur in Glossa *ordinaria*.

[3] Psalm. 118, 112. — Seq. testimonium est Hebr. 11, 26. — Paulo inferius' voci *iustus* Vat. praefigit *vir*.

[4] Vers. 23. — De *minori*, in qua pro *caritatis* codd. A F T substituerunt *caritas*, cfr. infra dub. 3. in fine.

tertio[1]: *Caritas non quaerit quae sua sunt;* sed omnis mercenarius quaerit quod suum est: ergo motus caritatis non potest esse mercenarius.

2. Item, Bernardus, de Diligendo Deo[2]: «Etsi sine praemio non possit serviri, tamen sine intuitu praemii serviendum est»; et paulo post: «Serviamus Deo in caritate, quae timorem expellit, laborem non sentit, praemium non requirit, meritum non intuetur»: si ergo omnis mercenarius requirit praemium, et caritas non requirit praemium: ergo motus caritatis non potest esse mercenarius.

3. Item, amor caritatis est amor gratuitus; sed gratuitum et mercenarium ex opposito dividuntur, quia quod fit gratis non fit ex mercimonia: si ergo caritati essentiale est esse gratuitum, videtur, quod motus eius et actus nullo modo possit esse mercenarius.

4. Item, timor, qui principaliter oculum habet ad poenam, est timor servilis, qui non est Deo acceptus[3]: ergo et pari ratione amor, qui habet oculum ad praemium, non potest esse meritorius; sed talis est mercenarius; omnis autem affectus caritatis est meritorius: ergo nullus potest esse mercenarius.

CONCLUSIO.

Motus aliquis caritatis non improbabiliter dici potest mercenarius, quatenus respicit ad Bonum increatum tanquam ad finale praemium.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod *mercenarius* dicitur ille qui *principaliter* habet oculum ad mercedem; nam si eam aspiceret non principaliter, non propter hoc mercenarius esset. Secundum hoc intelligendum, quod duplex est *merces*, videlicet *creata* et *increata*, temporalis et aeterna. Et secundum hoc est duplex *mercenarius*, videlicet bonus et malus; et duplex *mercimonia*, una laudabilis et alia vituperabilis. Nam qui principaliter respicit ad mercedem *creatam* et temporalem, malus mercenarius est; et hunc vituperat Ioannis decimo[4] Dominus dicens: *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est.* Ille vero, qui aspicit principaliter ad mercedem *aeternam*, de qua dicitur Genesis decimo quinto: *Merces tua magna nimis*, bonus mercenarius est; et hic mercenarius «panibus abundat fidei, spei et caritatis», sicut dicit Ambrosius super illud[5]: *Quanti mercenarii* etc.

Quis sit mercenarius.

Duplex merces, mercenarius et mercimonia.

De *prima* mercimonia intelligendo, non est dubium, quod motus caritatis non potest esse mercenarius, quia illa nec est *a* caritate nec *cum* caritate, cum caritati repugnet. Conclusio 1.

De *secunda* mercimonia dubium est, pro eo quod illa potest esse *cum* caritate; non est tamen omnino certum, utrum sit *a* caritate. Dubium.

— Nam quidam voluerunt dicere, quod non est *a caritate*, sed potius *ab affectu naturae* caritatem concomitante. Opinio 1.

Amor enim caritatis, ut dicunt, cum sit amor gratuitus, non intuetur praemium; immo liberaliter omnino facit hominem servire Deo, sicut filium patri suo[6]. — Aliis autem videtur, quod talis affectus mercenarius possit esse a caritate. Opinio 2.

Desiderium enim habendi aeternam mercedem et fruendi aeterno bono est desiderium gratiae, nec est amoris *naturalis* nec *acquisiti*, sed potius amoris *gratuiti*, praecipue illud desiderium, quo dicebat Apostolus[7]: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Ad affectum enim caritatis non tantum spectat amare Deum amore *amicitiae*, immo etiam amore *concupiscentiae*. «*Frui* enim est amore inhaerere[8]», et constat, quod *frui Deo* est per caritatem. Et ideo voluerunt isti dicere, et satis probabiliter, ut videtur, quod motus caritatis secundum aliquod genus mercimoniae possit esse mercenarius, scilicet secundum quod constituit mercedem suam circa Bonum increatum, ad quod tendit sicut ad finale praemium et desiderat tanquam omne bonum[9]. — Si igitur hanc positionem sustinere velimus tanquam probabilem, satis facili- Axioma. Conclusio 2.

---

[1] Vers. 5.

[2] Cap. 7. n. 17. Cfr. supra pag. 556, nota 4. In dicto Bernardi ante *serviri* cod. A supplet *Deo*, cod. V ante *Etsi*. — Seq. Bernardi testimonium invenitur in eius Epist. 143. n. 3: Servite in caritate illa, quae timorem expellit, labores non sentit, meritum non intuetur, praemium non requirit.

[3] Vide infra lit. Magistri, d. XXXIV. c. 4, et Comment. p. II. a. 1. q. 4. seq. — Proxime post codd. A K U Z, verbis transpositis, *ergo pari ratione et amor.*

[4] Vers. 13. — Seq. Scripturae locus est Gen. 15, 1.

[5] Luc. 15, 17. Verba: «panibus abundat fidei, spei et caritatis», in Ambrosii expositione super hunc locum non inveniuntur, neque S. Bonav. in Comment. super hunc locum nomen Ambrosii commemorat. Ait ibi: «Alii sunt mercenarii... et isti sunt qui serviunt pro mercede aeterna; et tales abundant frequenter panibus fidei, spei et caritatis, de quibus supra (c. 11, 5.): *Amice, commoda mihi tres panes*». In expositione autem horum verborum: *Amice, commoda* etc., Ambrosius (lib. VII. n. 87. seqq.) tangit tres virtutes theologales. — Paulo inferius pro *cum caritati repugnet* cod. N *immo caritati repugnat.*

[6] Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. XIII. c. 8: Sed forte mercenarius eris, si diligis Deum et servis ei, ut praemium ab illo accipias. Dicunt hoc stulti quidam, et tam stulti, ut se ipsos non intelligant. Diligimus Deum et servimus illi, sed non quaerimus praemium, ne mercenarii simus, etiam ipsum non quaerimus. Dabit, si voluerit, sed nos non quaerimus. In tantum enim excutimus manus ab omni munere, ut etiam ipsum non quaeramus, quem diligimus. Pura enim et gratuita et filiali dilectione diligimus, nihil quaerimus. Ipse cogitet, si quid dare voluerit, nos nihil requirimus. Diligimus ipsum, sed non quaerimus aliquid, etiam ipsum non quaerimus, quem diligimus... Quomodo, inquiunt, mercenarii non sumus, si Deum propter hoc diligimus, ut praemium ab eo accipiamus? Non est gratis hoc amare, neque amor iste filialis, sed mercenarii et servi, qui pretium quaerit pro servitute sua. — Paulo ante pro *ab affectu naturae* codd. A G (H N primitus) L V W aa *ab effectu naturae.*

[7] Phil. 1, 23.

[8] August., l. de Doctr. christ. c. 4. n. 4. Cfr. l. Sent. lit. Magistri, d. 1. c. 2. seq., et Comment. a. 2. q. 1.

[9] Non alienum videtur hic afferre quae Hugo a S. Vict. loco paulo superius (in nota 6.) laudato (II. de Sacram. p. XIII.

ter dissolvuntur rationes, quae sunt ad oppositam partem[1].

1. Ad illud enim quod primo obiicitur, quod caritas non quaerit quae sua sunt; dicendum, quod *suum* ibi vocatur *proprium* bonum, ita quod excluditur bonum *commune*[2]. Quod autem appetit Deum sicut mercedem suam non quaerit hoc modo quod *suum* est, quia illud bonum est omnibus *commune*. Quaerere enim et videre et amare Deum sicut suam mercedem et praemium non est quaerere bonum *proprium*, illo modo dicendi *proprium*, qui sonat in vitium.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Deo sine intuitu praemii est serviendum; dicendum, quod duplex est motus in caritate, videlicet motus *amicitiae* et motus *concupiscentiae*. Motus *amicitiae* est ille quo quis desiderat Deo placere et servire; motus *concupiscentiae* est quo desiderat Deum habere et videre. Cum ergo dicit Bernardus, quod Deo sine intuitu praemii est serviendum, intelligit de amore *amicitiae*. Si enim per affectum amicitiae homo servit amico et eum diligit sine intuitu praemii, sicut dicit Philosophus[3], multo fortius amore caritatis homo vult bonum Deo sine intuitu alicuius retributionis; sed per hoc non excluditur, quin caritas amore concupiscentiae exoptet et desideret illam summam mercedem apprehendere, ad quam finaliter intendit pervenire.

Amor amicitiae et concupiscentiae.

3. Ad illud quod obiicitur, quod amor caritatis est simpliciter gratuitus, ergo non potest esse mercenarius; dicendum, quod illud argumentum bonum est de ea mercimonia, quae repugnat gratiae; sed mercimonia vitae aeternae non repugnat gratiae, immo illi consonat, quia ad eam specialiter ordinat. Unde sicut amor *concupiscentiae* non repugnat amori amicitiae in caritate, immo quanto magis quis Deum recte desiderat, tanto magis ad honorem[4] eius anhelat; sic affectus huiusmodi mercimoniae non repugnat gratiae.

4. Ad illud quod obiicitur de timore, quod ille qui principaliter habet oculum ad poenam, non potest esse Deo acceptus etc.; dicendum, quod non est simile. Nam cum *poena* nec sit Deus nec sit aliquid Dei; qui principaliter aspicit[5] poenam ad finem ultimum non est recte ordinatus, cum principaliorem intuitum habeat ad aliud quam ad Deum. Sed *merces* et beatitudo summa est ipse Deus; et ideo ipsam principaliter potest quis aspicere, et tamen in finem recte ordinatus esse. — Et sic patet, quod nullum est inconveniens dicere, quod motus caritatis possit esse mercenarius, si dicatur *mercenarius* ex intuitu mercedis aeternae et increatae. Et hoc modo currunt rationes ad primam partem. Si autem alio modo *mercenarius* dicatur, rationes illae non cogunt nos fateri, motum caritatis posse esse mercenarium[6].

Epilogus.

Ad fundam.

QUAESTIO III.

Utrum idem motus dilectionis possit esse in Deum et in proximum.

Tertio quaeritur, utrum idem motus dilectionis possit esse in Deum et in proximum. Et quod sic, videtur.

1. Idem est motus in finem et in id quod est ad finem, quia motus non numeratur propter differentiam medii, sed extremi[7]; sed motus caritatis est in Deum tanquam in finem, in proximum solummodo tanquam in viam: ergo unus et idem motus potest esse in utrumque obiectum.

Ad oppositum.

2. Item, ubi est unum dilectum, ibi est unus

---

c. 8.) ulterius dicit: « Audite homines sapientes. *Diligimus*, inquiunt, ipsum, sed non *quaerimus* ipsum. Hoc est dicere; diligimus ipsum, sed non curamus de ipso. Ego homo sic diligi nollem a vobis. Si me diligeretis, ut de me non curaretis, ego de vestra dilectione non curarem. Vos videritis, si dignum est, ut Deo offeratis quod homo digne respueret ». Et etiam haec: « Qui hoc dicunt [scil. quod amor iste non sit filialis, sed mercenarius], virtutem dilectionis non intelligunt. Quid est enim diligere nisi ipsum velle habere? Non aliud ab ipso, sed ipsum, hoc est gratis. Si aliud quaereres ab ipso, gratis non amares. Nunc autem non aliud quaeris pro eo quod amas, et tamen aliquid quaeris et desideras in eo ipso quod amas. Alioquin non amares, si non desiderares. Sed aliud est *pro* ipso, aliud *in* ipso. Si *pro* ipso aliquid amas, mercenarius; si *in* ipso amas et ipsum amas, filius es » etc. — Subinde pro *Si igitur* edd. *Si enim*.

[1] In *Supplemento* Sum. Alex. Hal. ad conciliandas opiniones hic additur, « quod duplex est appetitus sive affectio, amicitiae scil. et commodi ». Illa, affectio scil. amicitiae, ut ibi exponitur, nunquam est mercenaria; haec autem, scil. affectio commodi, qua quis sibi bonum desiderat, si est absoluta, erit mercenaria; si non absoluta, sed propter aliud vel mediante alio, v. gr. gratia et meritis, mercenaria quidem non erit, tamen non est a caritate effective, sed a spe, concomitante caritate.

[2] August., Epist. 211. (alias 109.) n. 12: Caritas enim, de qua scriptum est, quod *non quaerit quae sua sunt*, sic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideo, quanto amplius rem communem quam propriam curaveritis, tanto amplius vos profecisse noveritis etc. — Pro *vocatur*, quam lectionem tuentur codd. A P Q S, codd. B C D H L M O bb exhibent *vocat*, cod. Z *vocavit*, codd. R X *nominat*, alii codd. vel *vocant* vel *notant*, edd. *notat*. Subinde pro *Quod autem* codd. Z bb *Qui autem*.

[3] Libr. II. Rhetor. c. 5. (c. 4.); VIII. Ethic. c. 3. seqq.; II. Magnor. Moral. c. 12. (c. 11.); VII. Eudem. c. 3. seqq. Cfr. supra pag. 574, nota 5.

[4] Codd. A H K aa et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *amorem*.

[5] Codd. A K *respicit*. Subinde edd., pro *ad finem* exhibentes *tanquam finem*, haec verba coniungunt cum praecedentibus et disiungunt post *ultimum*. Cod. bb *tanquam ad finem*.

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Cfr. Aristot., V. Phys. text. 4. 34. seqq. et 48. (c. 1. 4. 5.). Huic simile est illud dictum de disciplina sive scientia, II. Top. c. 2. (c. 3.): Disciplina una plurium, ut finis, aut ut eius quod ad finem. — Pro *sed extremi* multi codd. nec non edd. 1, 2 et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 60. n. 3. *et extremi*.

motus dilectionis; sed cum diligitur Deus et proximus, unum est dilectum — nam, sicut dicit Augustinus[1], «in proximo non diligitur nisi Deus»: — ergo respectu utriusque unus est caritatis actus et motus.

3. Item, unus et idem est honor, quo honoratur imago beati Petri et ipse beatus Petrus, quia «honor imaginis refertur ad prototypum», sicut dicit Damascenus[2]; sed dilectio proximi refertur ad Deum: ergo unus est motus dilectionis, quo amatur Deus et proximus.

4. Item, «ubi unum propter alterum, utrobique tantum unum», sicut vult Philosophus[3]; unde qui tenet equum per frenum una tentione tenet utrumque: ergo pari ratione, cum homo diligat proximum propter Deum, una dilectione potest diligere utrumque.

5. Item, quamvis plures sint divinae personae, tamen una dilectione diliguntur a nobis, quia in eis est una ratio diligendi, scilicet Bonitas summa[4]; sed similiter una est ratio diligendi Deum et proximum, videlicet ipsa summa Bonitas: ergo videtur, quod uno dilectionis motu simul amari possit Deus et proximus.

Sed contra: 1. Sicut vult Philosophus[5], «motus Fundamenta. numeratur tripliciter, scilicet subiecto, tempore et termino sive obiecto»; sed alius est terminus sive obiectum dilectionis, cum amatur Deus, et cum amatur proximus: ergo motus dilectionis est hinc inde alius et alius.

2. Item, nullus diligit aliquid deliberative nisi praecogitans; sed nullus simul et semel potest Deum et proximum intelligere, quia, sicut dicit Philosophus[6], «intelligimus unum solum»: ergo pari ratione simul et semel non potest utrumque diligere: ergo alio motu dilectionis amatur Deus, alio proximus.

3. Item, unus et idem motus non potest esse intensior et remissior; sed motus dilectionis in Deum est intensior quam motus in proximum[7]: ergo motus iste et ille est alius et alius.

4. Item, magis conformatur in ratione diligendi Petrus et Paulus, quam Deus et proximus; sed non potest unus motus dilectionis esse in Petrum et Paulum, immo secundum proprias rationes diversis motibus diliguntur: ergo alius et alius motus dilectionis est in Deum et in proximum.

5. Item, praeceptum respicit virtutis actum et usum; sed duo sunt praecepta caritatis, secundum quod dicitur Matthaei vigesimo secundo[8]: unum respectu Dei, et aliud respectu proximi: ergo videtur, quod motus et actus dilectionis respectu illorum duorum habeant distingui et numerari.

CONCLUSIO.

Motus caritatis in Deum non potest idem esse, nisi quando in Deum est ut finem ultimum, in proximum vero ut obiectum; vel quando utrumque obiectum respicit sub diversa ratione, scilicet Deum ut bonum, quod optat, proximum vero, cui optat.

Respondeo: Dicendum, quod motus dilectionis Duplex motus. in Deum et in proximum potest esse dupliciter: aut ita, quod in utrumque sit tanquam in *obiectum* et *terminum;* aut ita, quod in unum sit tanquam in *obiectum* et in alterum tanquam in *finem ultimum.* Si est in unum tanquam in *obiectum* et in alterum tanquam in *finem ultimum;* sic potest esse unus Conclusio 1. et idem motus in proximum et in Deum, ut patet, quia uno actu dilectionis diligitur[9] proximus propter Deum, et est ille motus quasi collativus. — Si autem sit in utrumque sicut in *obiectum,* hoc potest esse dupliciter, quia, cum actus caritatis sit Subdistinctio. diligere, et diligere sit «velle bonum alicui[10]», dupliciter secundum hoc habet obiectum caritatis assignari, videlicet ut illud bonum dicatur obiectum, *quod* optatur, et ille etiam, *cui* optatur. Potest ergo motus caritatis ad Deum et proximum comparari in ratione *obiecti* dupliciter: vel sub *eadem ratione* et uniformi, ita quod utrumque diligat sicut illud, *cui* optat bonum; vel *differmiter,* ita quod unum respiciat sicut illud bonum, *quod* optat; et aliud sicut illud, *cui* optat. — Si respiciat *differ-* Conclusio 2. *miter,* sic adhuc idem potest esse motus[11] dilectionis in Deum et in proximum. Caritas enim in illo motu, quo diligit proximum, optat proximo Deum. — Si autem respiciat *uniformiter,* sic necesse est, Conclusio 3. motum dilectionis esse alium et alium in Deum et

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 65. n. 2; vide hic lit. Magistri, c. 7. Cfr. etiam. I. de Doctr. christ. c. 22. n. 21.

[2] Libr. IV. de Fide orthod. c. 16. Cfr. supra pag. 202, nota 2.

[3] Libr. III. Topic. c. 2. Vide supra pag. 441, nota 6.

[4] Idem dicitur supra d. 9. dub. 2. de *adoratione.* — In edd. deest *Sed* ante *similiter,* et pro *ipsa summa Bonitas* legitur *illa summa Bonitas.*

[5] Libr. V. Phys. text. 34. seqq. (c. 4.) et VIII. text. 64. (c. 8.). Cfr. X. Ethic. c. 4.

[6] Libr. II. Topic. c. 4. (c. 10.), Vide supra pag. 114, nota 5. — Pro *deliberative* codd. G H W aa et edd. 1, 2. *deliberatione,* cod. Z *deliberate,* qui cod. Z et panlo inferius pro *diligere* substituit *diligi.*

[7] Cfr. hic lit. Magistri, c. 4. seq. — Edd. *quam motus dilectionis in proximum.*

[8] Vers. 37-40. Vide hic lit. Magistri, c. 2. et 4.

[9] Cod. F hic bene interserit *Deus propter se,* cod. N vero subiungit *Deus et.*

[10] Secundum Aristot., II. Rhetor. c. 5. (c. 4.). Vide supra pag. 575, nota 5. — Subinde respicitur illud Aristot., II. de Anima, text. 35. (c. 4.): Ipsum autem *cuius causa* [i. e. finis] duplex est, hoc quidem *cuius,* illud vero *cui.* — Pro *dupliciter secundum hoc* codd. A G I (K a prima manu) L N T U aa bb et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *duplex secundum hoc.* Aliquanto inferius pro *et uniformi* Vat. *et uniformiter.*

[11] Edd. *actus.*

in proximum. Alius enim motus dilectionis est, quo volo bonum Deo, alius, quo volo bonum proximo, quia alius et alius est dilectionis terminus; et unus est intensior, et alius remissior. Et secundum hoc circa actum dilectionis consistunt duo praecepta [1]. — Et secundum hanc viam rationes ad istam partem adductae procedunt, et ideo concedi possunt.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, patet responsio: quia procedit, secundum quod actus dilectionis est in proximum sicut in *obiectum*, et in Deum sicut in *finem;* et sic non recipit [2] numerationem, sed quandam relationem et rectam ordinationem.

2. Ad illud quod secundo obiicitur, quod est idem utrobique dilectum; similiter patet responsio: quia procedit secundum alteram viam, videlicet secundum quod Deus dicitur diligi, cum optatur proximo; sed si intelligamus de dilecto, ut illud dicatur dilectum, *cui* bonum optatur, non est idem dilectum, cum diligitur Deus, et cum diligitur proximus.

3. Ad illud quod obiicitur, quod eadem est adoratio, qua adoratur imago Petri et Petrus; di-

Notanda differentia.

cendum, quod non est simile hinc inde, quia aliter refertur *dilectio proximi* ad Deum, aliter *honor imaginis* refertur ad prototypum. *Honor* enim *imaginis* refertur ad prototypum non solum sicut ad *finem*, sed etiam sicut ad *obiectum*. Unde totaliter refertur honor in illum qui per imaginem signatur; non enim adoratur signum, secundum quod *res*, sed solum ipsum *signatum* [3]. Non sic autem est in dilectione, quia, cum diligitur proximus propter Deum, vere afficitur homo circa proximum, et aliter quam circa Deum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod ubi unum propter alterum, ibi tantum unum; dicendum, quod illud verum est in his quae non possunt invicem separari [4]; sic autem non est in proposito. Nam sic potest homo affici circa Deum, quod nihil cogitet de proximo; sic etiam potest affici circa proximum, quod tunc non afficiatur circa Deum; et ideo consideratio illa non habet hic locum.

5. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod eadem est ratio diligendi utrobique, sicut in divinis personis; dicendum, quod non est simile: quia in divinis personis *est una ratio* diligendi et eodem modo *comparatur* ad illas tres personas dilectas; non sic autem est in dilectione Dei et proximi, quia, quam- Notandum.
vis utrobique *sit una ratio* diligendi, differenti tamen modo habet ad Deum et ad proximum *comparari*. Et quia ex diversitate *comparationum* consurgit pluralitas actuum, ex unitate *rationis* principaliter moventis consurgit unitas habitus; hinc est, quod habitus, quo amatur Deus et proximus, est unus, licet motus eius in Deum et in proximum sit alius et alius [5].

SCHOLION.

I. Ad hanc quaestionem respondet Guliel. Antissiodorensis (Sum. III. tr. 6. c. 1. q. 3.): «Dicimus, quod impossibile est, quod eodem motu numero diligatur Deus et proximus». Sed rectius solvit S. Bonav., duplici adhibita distinctione. Similiter docent B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a 7. q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 4.

II. Sequentis (4.) quaestionis solutio fluit ex principiis communiter receptis, quibus probatur, quod idem habitus caritatis se extendat ad dilectionem Dei ut obiectum principale, et ad dilectionem proximi ut obiectum secundarium (cfr. S. Thom., S. II. II. q. 23. a. 5, q. 25. a. 1.). Hoc loco non invenimus explicite de hac quaestione tractantes praeter Guliel. Antissiodorensem (Sum. III. tr. 6. c. 1. q. 5.), nec non Petrum a Tar. (hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 2.), qui ad mentem nostri auctoris hic adhibet notissimum principium: quod est primum in intentione posterius est in exsecutione, et e converso. Sed alibi, ubi agitur de ordine caritatis (infra d. 29.), idem docent alii commentatores Magistri (cfr. S. Thom., S. II. II. q. 26. a. 1. 2.).

QUAESTIO IV.

Quis duorum motuum caritatis praecedat alterum.

Quarto quaeritur, quis istorum motuum praecedat reliquum. Et videtur, quod prius sit motus dilectionis in proximum quam motus in Deum:

Argg. pro 1. parte.

1. Primo per illud quod dicitur primae Ioannis quarto [6]: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Secundum hoc ergo ad destructionem dilectionis proximi sequitur destructio dilectionis Dei: si ergo ad destructionem posterioris non sequitur destructio prioris, sed e converso: ergo prior est motus dilectionis in proximum quam in Deum.

2. Item, primae ad Corinthios decimo quinto [7]: *Prius quod animale est, deinde quod spirituale;* sed dilectio proximi sensibilior est, dilectio Dei spiritualior: ergo prius oportet affectum inclinari ad diligendum proximum quam ad diligendum Deum.

---

[1] Cfr. hic lit. Magistri, c. 4.

[2] Edd. *respicit.* Post pauca pro *rectam* codd. W Y *iustam.*

[3] Vide supra d. 9. a. 1. q. 2. et 3. in solut. oppos.

[4] Cfr. II. Sent. d. 40. a. 2. q. 1. ad 3. — Edd. *ab invicem separari.* Mox pro *Nam sic* cod. K *Nam sicut.*

[5] Vide supra a. 1. q. 2.

[6] Vers. 20. — Cfr. supra pag. 438, nota 4. et pag. 600, nota 5.

[7] Vers. 46. — Paulo inferius pro *dilectio Dei* codd. A K *dilectio vero Dei.*

3. Item, processus est ab inferioribus ad superiora et ab imperfecto ad perfectum secundum rectum ordinem, non e converso [1]: si ergo dilectio Dei perfectior et superior est quam dilectio proximi, dilectio proximi est via ad illam. Sed via prior est quam terminus: ergo per prius est motus dilectionis in proximum quam in Deum.

4. Item, prior est actio quam contemplatio secundum rectum ordinem [2]; sed dilectio proximi facit hominem versari circa vitam activam, dilectio Dei circa vitam contemplativam: ergo secundum rectum ordinem prior est motus caritatis in proximum quam in Deum.

Sed contra: 1. Secundum eum modum caritas movet hominem ad diligendum Deum, secundum quem Deus praecipit; sed Deus praecipit, primo amari se, et deinde amari proximum, quia *primum et summum mandatum est: Diliges Dominum Deum tuum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum*, secundum quod dicitur Matthaei vigesimo secundo [3]: ergo prius movet caritas ad amandum Deum quam ad amandum proximum. Argg. pro 2. parte.

2. Item, « causa prior est suo effectu [4] »; sed dilectio Dei causa est dilectionis proximi, quia ideo diligit homo proximum, quia diligit Deum, cuius proximus est imago: ergo etc.

3. Item, diligibile, quod prius est in intentione, prius est in affectione; sed intentio per prius est respectu finis quam respectu eius quod est ad finem [5]: ergo et dilectio. Si ergo Deus diligitur in ratione finis, et proximus in ratione eius quod est ad finem; necessario videtur, quod dilectio Dei praeambula sit ad dilectionem proximi.

4. Item, amor inclinat ad illud prius, ad quod inclinat ardentius, quia affectus sequitur inclinationem maiorem; sed caritatis amor ardentius inclinat ad amandum Deum quam proximum [6]: ergo prius facit exire in illum motum quam in istum.

CONCLUSIO.

Motus caritatis in Deum quoad inclinationem et dignitate et origine prior est quam in proximum, sed quoad exercitationis perfectionem prior est dilectio proximi quam Dei.

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter contingit comparare istos motus dilectionis ad habitum caritatis: aut secundum *primam ipsius habitus inclinationem*, aut secundum *exercitii perfectionem*. Si secundum *primam eius inclinationem*, sic concedendum est, quod motus dilectionis in Deum prior est, quam motus dilectionis in proximum, quoniam caritas prius inclinat ad Deum quam ad proximum, cum Deus sit obiectum principalius, et inclinatio respectu ipsius Dei sit causa inclinationis respectu proximi. Caritas enim Deum facit diligi [7] propter se, et proximum propter Deum, ita quod *propter* dicit habitudinem *causae finalis* et *causae moventis* et inducentis. Secundum ergo *primam caritatis inclinationem* prior est non solum *dignitate*, sed etiam *origine* motus dilectionis in Deum quam motus dilectionis in proximum. — Si vero loquamur secundum *exercitationis perfectionem;* cum exercitatio circa motum [8] dilectionis in proximum respiciat vitam *activam*, exercitatio vero motus dilectionis in Deum respiciat vitam *contemplativam;* et ille status [9] sit isto inferior et imperfectior: prior est dilectio proximi quam dilectio Dei. Qui enim vult esse perfectus amator Dei prius debet se exercere in amore proximi, sicut qui vult esse bonus contemplativus prius debet esse bonus activus, sicut docet Gregorius [10]. — Et in huius rei signum bis datus fuit Spiritus sanctus, et primo in terra, Ioannis vigesimo; secundo de caelo, Actuum secundo; quia prius oportet amorem caritatis exerceri in his quae videmus, ut per amorem visibilium « in amorem invisibilium rapiamur [11] ». Duplex comparatio. Conclusio 1. Conclusio 2. Confirmatio.

---

[1] Secundum Aristot.; vide tom. II. pag. 330, nota 5. in fine.

[2] Bernard., Serm. 3. in Assumt. B. M. V. n. 1: Optimam enim partem elegit Maria, teste ipso quem Martha suscepit. Sed prior natu Martha videtur, et salutis initium sibi magis actio quam contemplatio noscitur vindicare. Laudat Christus Mariam, sed a Martha suscipitur. Amat Rachaelem Iacob, sed Lia supponitur ignoranti etc. Serm. 46. in Cantic. n. 5: En forte appetis et ipse contemplationis quietem, et bene facis; tantum ne obliviscaris flores, quibus lectulum sponsae legis aspersum. Ergo cura et tu tuum similiter circumdare bonorum floribus operum, virtutum exercitio... Sed et praeposterus ordo est, ante meritum exigere praemium, et ante laborem sumere cibum, cum dicat Apostolus: *Qui non laborat non manducet* (II. Thess. 3, 10.) etc.

[3] Vers. 37. seqq.: Diliges Dominum Deum tuum... hoc est maximum et primum mandatum... Secundum autem etc. — In *maiori* pro *Secundum eum* codd. A Y *Secundum eundem*. In *minori* pro *amari proximum*, quod habent multi codd. et edd. 1, 2, in aliis codd. et Vat. *amare proximum;* cod. A et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 60. a. 4. omittunt *amari*.

[4] Aristot., II. Poster. c. 17. (c. 14.): Causa enim prius est eo cuius est causa.

[5] Cfr. supra pag. 486, nota 2.

[6] Vide hic lit. Magistri, c. 4.

[7] Edd. *diligere*. Mox post *et proximum* codd. B D repetunt *facit diligi*. Paulo inferius pro *primam* codd. A K P R S bb *primariam*.

[8] Edd. omittunt *circa motum*, et bis pro *exercitatio* substituunt *exercitium*.

[9] Codd. et edd. 1, 2 non congrue *hic status sit illo;* tamen etiam alibi auctor simili modo istis pronominibus utitur.

[10] Libr. VI. Moral. c. 37. n. 58. seqq.; I. Homil. in Ezech. hom. 3. n. 9. — Loci Script. allati sunt Ioan. 20, 22, et Act. 2, 2. seqq. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4, et I. Sent. d. 14. dub. 4.

[11] Gregor. in Praefat. Missae in Nativ. Domini. Cfr. supra pag. 26, nota 6. August., in Ioan. Evang. tr. 17. n. 8: Dei dilectio prior est ordine praecipiendi, proximi autem dilectio prior est ordine faciendi. Cfr. Bernardi Sententiae n. 21. — Paulo inferius edd. omittunt *patet responsio ad quaestionem propositam*.

Et secundum hanc viam procedunt rationes, quae ad oppositam partem inducuntur, sicut patet aspicienti. Ex his igitur patet responsio ad quaestionem propositam, patet etiam responsio ad rationes

Ad argg.

ad utramque partem adductas; procedunt enim secundum diversas vias, secundum quas utraeque verum concludunt, sicut patet ex his quae praedicta sunt [1].

QUAESTIO V.

Utrum actus dilectionis in Deum habeat modum.

Quinto quaeritur, utrum actus dilectionis in Deum habeat modum. Et quod sic, videtur.

1. Sapientiae undecimo [2]: *Omnia in numero et mensura et pondere disposuisti, Domine:* ergo motus caritatis in Deum mensuram habet; et omne quod habet mensuram, habet modum: ergo necesse est, motum dilectionis in Deum esse modificatum.

Fundamenta.

2. Item, omne finitum est terminatum [3], et omne terminatum est mensuratum, et omne tale est modificatum: ergo *a primo* omne finitum habet modum; sed motus caritatis in Deum est finitus, cum sit creatus et a virtute finita: ergo necesse est, ipsum habere modum.

3. Item, sapientia est supra caritatem, sicut dicit Bernardus in libro de Amore Dei [4], quod « amor proficit in caritatem, et caritas in sapientiam »; sed sapientiam oportet habere modum, secundum quod dicit Apostolus ad Romanos duodecimo: *Non plus sapere, quam oportet sapere* etc.: si ergo sapientia debet habere modum, pari ratione videtur, immo multo fortiori, quod ipsa caritas habeat modum.

4. Item, modus, species et ordo ad se invicem comparantur, sicut unum, verum et bonum [5]; sed bonum praesupponit verum, et verum praesupponit unum: ergo pari ratione ordo praesupponit speciem, et species praesupponit modum. Sed motus caritatis in Deum est ordinatus: ergo et modificatus.

Sed contra: 1. Bernardus de Diligendo Deo [6]:

Ad oppositum.

« Causa diligendi Deum Deus est, modus est sine modo diligere »; et iterum: « Mihi fides tanto plus dicit Deum amandum, quanto me pluris ipsum aestimandum intelligo »; sed intelligo, quod ipse pluris aestimandus est quam ego in infinitum: ergo in infinitum est diligendus. Sed nihil tale habet modum: ergo motus caritatis non habet modum.

2. Item, ratio diligendi Deum est ipsa summa Bonitas [7]; sed summa Bonitas est infinita, non habens modum neque mensuram: ergo et habitus, qui movere et inclinare habet secundum rationem illam: videtur ergo, quod motus dilectionis in Deum non habeat terminum neque modum.

3. Item, caritas est aequa ponderatrix, cum sit affectio ordinata; sed qui aequaliter et ordinate ponderat appretiatur et amat unumquodque, quantum est appretiandum et amandum [8]: si ergo summum Bonum in infinitum excedit omne bonum creatum, videtur, quod motus caritatis in Deum in infinitum excedat motum caritatis in proximum: ergo non videtur, quod habeat modum.

4. Item, omne quod habet modum per sui excessum potest vitiari: ergo si motus caritatis in Deum modum haberet, per suum excessum vitiari posset. Sed nemo vituperabilis est, quantumcumque diligat Deum affectuose et intense [9]: si ergo motus caritatis in Deum non potest vitiari per excessum, videtur, quod in se non habeat modum.

CONCLUSIO.

Actus dilectionis erga Deum habet modum ex virtutis limitatione et debitarum circumstantiarum additione, sed non modum ex mediatione inter superfluum et diminutum.

Respondeo: Dicendum, quod tripliciter potest dici aliquis actus habere modum: uno modo per *limitationem* quantum ad *se ipsum;* alio modo per *aggregationem circumstantiarum;* tertio modo ex *mediatione* [10] inter superfluum et diminutum. Primo modo est dicere, quod modum habet actus omnis virtutis *creatae.* Omnis enim virtus creata finita est et limitata; et ideo omnis actus eius finitatem habet et modum, loquendo de limitatione et finitate non secundum possibilitatem, sed secundum actum.

Modum habere est tripliciter.

De 1. modo.

---

[1] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[2] Vers. 21. — In fine arg. pro *esse modificatum* cod. Y *habere modum.*

[3] Vide verba Ambrosii supra pag. 300, nota 6. allata.

[4] Sive de Natura et dignit. amoris, c. 2. n. 3. Cfr. supra pag. 596, nota 7. — Seq. verbum Apostoli est Rom. 12, 3.

[5] Cfr. I. Sent. d. 3. p. I. dub. 3, et II. Sent. d. 35. a. 2. q. 1. seqq. — De *minori* vide Alex. Hal., S. p. I. q. 13. m. 2, q. 15. m. 2. et q. 17. m. 1.

[6] Cap. 1. n. 1. — Seq. testimonium invenitur ibid. c. 5. n. 15. — In fine arg. edd. voci *caritatis* adiungunt *in Deum.*

[7] Cfr. supra a. 1. q. 1. seq. — Mox pro *habitus, qui* cod. A *habitus, quia.*

[8] Bernard., Epist. 85. n. 3: O Domine, qui illuminas lucernam meam... illumina ipsas quoque tenebras meas, ut videam et gaudeam ordinatam in me caritatem, sciens et diligens quae diligenda sunt, et quantum et ad quid diligenda sunt etc. Cfr. de Modo bene vivendi (inter opera Bernardi), c. 5. n. 12. — Post pauca pro *excedat* multi codd. *excedit.*

[9] Eccli. 43, 32. seq.: Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis; supervalebit enim adhuc... maior enim est omni laude.

[10] Vat. hic, et inferius cum Vat. etiam edd. 1, 2, *medietate;* aliquanto inferius pro *finitate* eaedem edd. cum Vat. substituunt *finitatione.*

De 2. modo. — Secundo vero modo est dicere, modum esse circa actum virtutis *moralis* et *meritoriae*, quia nullus actus fit laudabiliter, nisi ad eum concurrant debitae
De 3. modo. circumstantiae [1]. — Tertio modo est dicere, quod modum habet actus omnis virtutis *cardinalis* sive politicae. Omnes enim in medietate consistunt inter superfluum et diminutum, ex hoc ipso quod habent obiectum creatum et finitum.

Quoniam ergo caritas est virtus *creata* et virtus *gratuita* et virtus *theologica;* hinc est, quod
Conclusio 1. actus eius modum habet ex *virtutis limitatione;* modum etiam habet ex debitarum *circumstantiarum additione*, ut patet, quia modus, qui est circa actum caritatis, est, ut quis diligat Deum super omnia et propter se *ex toto corde, ex tota anima et*
Conclusio 2. *ex tota mente* [2]. Sed modum illum, qui est ex *mediatione* inter superfluum et diminutum, non habet, quia obiectum eius est immensum et infinitum.

Ex his patet responsio ad quaestionem propositam: quia motus dilectionis in Deum quodam modo accipiendi modum, modificari habet, quodam modo vero minime. — Et secundum hoc currunt rationes
Ad fundamenta. ad oppositas partes. Nam rationes, quae ad primam partem inducuntur, quae ostendunt, motum caritatis habere modum, concludunt de modo, qui consistit in limitatione actus quantum ad se ipsum. —
Ad 3. fundamentum. Illa tamen ratio de sapientia non cogit: quia sapientia uno modo dicta est a *sapere*, alio modo dicta est a *sapore* [3], ita quod uno modo consistit in *cognitione*, alio modo in *affectione*. Et secundum quod consistit in *affectione*, sic dicit Bernardus, quod « caritas crescit in sapientiam »; et hoc modo non habet vitiari per excessum. Secundum autem quod consistit in *cognitione*, sic potest vitiari per excessum et curiositatem perscrutationis [4]; sed hoc modo non est superior ad caritatem nec illa dignior: et ideo non sequitur, quod motus caritatis in Deum habeat modum, secundum quod modus dicit medium inter superfluum et diminutum. — Aliae vero tres rationes verum concludunt, et ideo concedendae sunt.

Solutio oppositorum. 1. Ad rationes vero quae ad oppositum adducuntur, similiter plana est responsio. Nam illud Bernardi de Diligendo Deo, quod Deus diligendus est sine modo; non tollit modum *debitae circumstantiae*, vel *finitatem virtutis creatae;* sed hoc tollit, quod nemo debet sibi terminum infra [5] virtutem suam praefigere, quia nemo potest superflue Deum diligere, et ita aufert modum tertio modo dictum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod ratio diligendi Deum est Bonitas infinita; dicendum, quod licet caritas moveat conformiter illi rationi, secundum quod potest, nunquam tamen facit aequalem [6]; et ideo, quamvis ipsa summa Bonitas sit infinita, non tamen propter hoc oportet, quod affectio caritatis, quae movetur secundum illam, habeat infinitatem et careat omni mensura; pro eo quod, sicut lux claritatis divinae, quam sumus visuri in patria, est *in se infinita*, tamen *finite cognoscetur* a nobis, et claritas cognoscibilis in infinitum excedet claritatem nostrae cognitionis [7]: sic etiam intelligendum est ex parte *affectionis*, quod multo maior erit bonitas illius summi Boni amabilis, quam sit affectio amantis.

3. Ad illud quod obiicitur, quod caritas est aequa ponderatrix; dicendum, quod verum est; hoc etiam verum est, quod in infinitum plus diligit Deum quam creaturam; sed tamen non propter hoc sequitur, quod diligat Deum omnino infinite sine mensura, quia linea in infinitum excedit punctum [8], et tamen ipsa in se finita est.

4. Ad ultimum quod obiicitur de excessu, patet responsio: quia obiicit de modo, qui non solum est ex parte *virtutis moventis*, sed etiam ex parte *obiecti*, qui etiam medium locum tenet respectu superflui et diminuti; et hunc non est reperire circa actum dilectionis Dei, sicut prius tactum est, propter immensitatem ipsius obiecti [9].

SCHOLION.

1. Eandem fere quaestionem Richard. a Med. (hic a. 8. q. 1.) sic proponit: « Utrum Deus diligi possit excessive » (i. e. nimis). Patet, quod ad quaestionem sic intellectam et respectu actus *interioris* in affectu, responderi debeat, quod e contrario, cum ratio caritatis, scilicet Bonitas divina, sit infinita, nulla creatura possit Deum diligere *satis* i. e. quantum meretur, et multo minus *nimis*. (Cfr. solut. ad 1. 2.). Et secundum hunc sensum aliis verbis resolvit S. Thomas (hic q. 3. a. 3; cfr. S. II. II. q. 27. a. 6.), quod caritas « non habeat modum, scilicet praefixum, ultra quem non oportet progredi ». — Distinctiones, quas hic adhibet S. Bonaventura, aptae sunt; quas Petr. a Tar. (hic q. 4. a. 1. quaestiunc. 1.) sic repetit: « Aliquis actus tripliciter dicitur habere modum: aut secundum limitationem essentiae, aut secundum determinationem debitae cir-

---

[1] Vide supra pag. 472, nota 2. — De *tertio* modo, quem aliquis actus habere potest, vide supra pag. 474, nota 6. in fine. — Pro *laudabiliter* edd. *laudabilis*.

[2] Marc. 12, 30.

[3] Bernard., Serm. 85. in Cantic. n. 8: Et si quis sapientiam virtutis amorem definierit, non mihi a vero deviare videtur. Ubi autem amor est, labor non est, sed sapor. Et forte *sapientia* a sapore denominatur, quod virtuti accedens, quoddam veluti condimentum sapidam reddat, quae per se insulsa quodam modo et aspera sentiebatur. Nec duxerim reprehendendum, si quis sapientiam saporem boni definiat. Cfr. infra d. 35. q. 1. et I. Sent. prooem. q. 3. in corp.

[4] Cfr. supra d. 22. dub. 5. — Paulo inferius pro *secundum quod* non pauci codd. *secundum quem*.

[5] Edd. *iuxta*.

[6] Vat. *nunquam tamen potest facere aequalem affectionem ipsi; et ideo*, et paulo ante *conformiter ad illam rationem;* edd. 1, 2 *dicendum, quod licet bonitas moveat conformiter illam affectionem secundum quod potest* etc.

[7] Cfr. supra d. 14. a. 1. q. 2.

[8] Vide supra pag. 280, nota 5. — Pro *diligat* codd. G H I L T Z aa *diligit*.

[9] Codd. M O S addunt *quod est Deus*.

cumstantiae, aut secundum proportionem medii inter superfluum et diminutum. Primo modo omnis actus creatus habet modum; secundo omnis actus virtuosus, quia est ex debitis circumstantiis mensuratus; tertio modo actus virtutum cardinalium».

Praeter laudatos de hac (5.) quaestione: B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 10. quaestiunc. 1-3. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 3.

II. Quoad ultimam (6.) huius articuli quaestionem cfr. hic dub. 3, ubi explicantur ipsa verba s. Scripturae de hoc praecepto. Duplicem de rebus hic tractatis quaestionem S. Thomas (hic q. 3. a. 2. et 4.) cum aliis magistris ponit, nempe, utrum Deus possit totaliter diligi — et utrum modus diligendi, qui est in praecepto, possit in via servari (cfr. S. II. II. q. 27. a. 5, q. 44. a. 6.). Licet non omnes doctores eisdem distinctionibus utantur, tamen in substantia doctrinae conveniunt. — Distinctio duplicis *totalitatis*, quarum altera est in via, altera in patria, a Guliel. Antissiodorensi (Sum. p. III. tr. 6. c. 1. q. 7.) tanquam inepta ad solvendam hanc quaestionem reiicitur: «quoniam ille qui est in statu contemplationis, refert omnes motus suos in Deum: ergo impletur illud mandatum etiam totalitate *patriae;* quod quidem verum est, sed hoc non potest facere diu». Ad hanc obiectionem solvendam referuntur verba auctoris nostri in fine huius quaestionis posita.

Praeter S. Thomam: Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. quaestiunc. 2-4. — Richard. a Med., hic a. 8. q. 2. — Durand., hic q. 3.

QUAESTIO VI.

Utrum teneamur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima et ex tota mente.

Sexto et ultimo quaeritur, utrum teneamur ad illum modum implendum, quem Dominus in praecepto implicat Matthaei vigesimo secundo[1]: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua.* Et quod non, videtur:

Arg. pro parte negativa.

1. Primo auctoritate Augustini, quae habetur in littera[2]: «Cum inest aliquid carnalis concupiscentiae, non omni modo ex tota anima diligitur Deus»; sed necesse est, in hac vita esse aliquid carnalis concupiscentiae: ergo impossibile est implere illud praeceptum in hac vita. Sed nullus tenetur ad impossibile: ergo non tenemur ad eius impletionem.

2. Item, «impossibile est, aliquid moveri simul et semel oppositis motibus»; sed anima, dum est in carne, habet motum reflexum ad corpus, quia *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*[3]: ergo non potest totaliter ferri in Deum; et si homo, quamdiu est in vita, non potest Deum diligere ex toto corde: ergo non tenemur modo illo Deum diligere.

3. Item, in hac vita diu esse non possumus sine veniali peccato[4]; sed cum peccat quis venialiter, movetur motu, qui nec est in Deum nec ad illum ordinatus: ergo impossibile est, quod homo in hac vita omnes motus suos ad Deum referat. Si ergo nemo tenetur ad impossibile, nemo tenetur ad illius modi impletionem.

Pro parte affirmativa.

Sed contra: 1. Matthaei vigesimo secundo[5]: *Diliges Dominum Deum tuum* etc.; et eiusdem decimo nono: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* ergo si hoc est praecipuum omnium mandatorum, homo tenetur praecipue ad illud servandum: ergo tenetur ad illius modi impletionem. *Si tu dicas,* quod hoc non cadit sub praecepto; *contra* hoc est, quia, si sub praecepto non cadit, ergo potius modus ille debuit poni inter consilia quam inter praecepta.

2. Item, cum Deus praecipit aliquid alicui, ut faciat tali tempore, non solum tenetur ad illud opus, sed etiam ad tempus, similiter etiam, et cum vovet: ergo pari ratione, cum Deus praecipit aliquid fieri, determinans modum, non solum tenetur quis ad actus exsecutionem, sed etiam ad modi impletionem. *Si tu dicas,* quod homo excusatur a tentione propter impossibilitatem praecepti implendi; *contra* hoc est quod dicit Hieronymus[6]: «Anathema sit qui dicit, Deum praecepisse impossibile»; et Augustinus: «Servum pigrum non damnaret, si ea quae nullo modo fieri poterant, imperaret».

3. Item, diligere Deum ex toto corde et ex tota anima et ex tota mente secundum Bernardum[7]

[1] Vers. 37.

[2] Hic c. 6. — Circa finem huius nec non 3. arg. respicitur regula 6. iuris (libr. V. Sexti Decretal. in fine): Nemo potest ad impossibile obligari.

[3] Sap. 9, 15. — *Maior* sumta est ex Aristot., VIII. Phys. text. 71. (c. 8.). — In conclus. pro *est in vita* codd. Z bb *est in hac vita;* deinde cod. Z voci *corde* adiicit *suo.*

[4] Ita et August., de Spiritu et littera, c. 27. n. 48: Sine peccatis venialibus haec vita non ducitur. Cfr. II. Sent. d. 41. a. 2. q. 1. — Mox pro *movetur* edd. *peccat.* in fine arg. pro *modi* cod. X *mandati.*

[5] Vers. 37. — Seq. Scripturae locus ibid. 19, 17. — Pro *et eiusdem* non pauci codd. *sed eiusdem.* in fine arg. pro *debuit* edd. *debet.*

[6] In Explanatione symboli ad Damasum (inter opera Hieronymi). Cfr. tom. II. pag. 691, nota 9. — Augustini verba inveniuntur in eius Serm. 54. (alias 2. de Verbis Domini) c. 2. n. 2. — Pro *praecepti* (cod. D *praecepta*) *implendi* codd. A K bb *mandati implendi.*

[7] Serm. 20. in Cantic. n. 4. et Serm. 29. de Diversis, n. 4. et 4. — De explicatione, quae hic et alibi Augustino tribuitur, vide quae observavimus tom. I. pag. 81, nota 8, nec non hic lit. Magistri, c. 5. in fine. Innocentius III., Serm. 5. in Communi de uno martyre, dicit: Ex hac comprehensiva cognitione procedit summa dilectio, per quam Sancti diligunt Deum *ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima* (Matth. 22, 37.). *Ex mente*, id est memoria, diligunt Patrem; *tota*, id est sine oblivione. *Ex corde*, id est intellectu, diligunt Filium; *toto*, id est sine errore. *Ex anima*, id est voluntate, diligunt Spiritum sanctum; *tota*, id est sine contrarietate; adeo namque divinae voluntati per caritatem inhaerent, ut nihil omnino velint, nisi quod Deum velle cognoscunt. Cfr. ibid. Serm. 20. In festo B. Petri, et Petr. Pictav., III. Sent. c. 23. Vide infra dub. 4.

est diligere «dulciter et sapienter et fortiter»; secundum Augustinum est diligere «sine errore, sine contradictione et sine oblivione»; sed hoc totum potest homo et tenetur facere in statu viae: ergo tenemur ad huiusmodi mandati impletionem. *Si tu dicas*, quod Augustinus intelligit non tantum privative, sed etiam positive, ut omnis motus intellectus et affectus feratur in Deum [1]; adhuc videtur posse impleri, quia praeceptum affirmativum non obligat ad semper, et illud simpliciter dicitur posse impleri, quod potest impleri pro loco et tempore; sed aliquando potest homo cogitare solum de Deo et circa ipsum affici: ergo videtur, quod modus ille dilectionis in via simpliciter debeat et potest impleri.

Quaestio incidens. Iuxta hoc quaeritur: si modus ille non potest impleri in via, nec quis tenetur illud implere, ad quid apponitur inter praecepta divina? *Si tu dicas*, sicut dicit Augustinus [2], quod hoc est, ut sciamus, quo tendere debeamus; pari ratione ergo videtur, quod Deus debuerit praecepisse, ut videamus eum *facie ad faciem;* quod si non debuit facere, non videtur illa ratio sufficiens, quam Augustinus assignat.

CONCLUSIO.

Praeceptum de diligendo Deo datum ita tenemur implere, ut excludatur a corde nostro omnis affectus contrarius; non tamen ita, ut excludatur penitus omnis affectus extraneus.

Opposita efficata Doctorum. Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum aliquando dicant sacri Doctores, modum praedictum posse impleri, aliquando dicant, non posse impleri [3]; ex hoc admonemur,

Conclusio 1. si utrumque videre possumus, quod *uno* modo ad praedictum modum *obligamur adimplendum, alio* modo *excitamur ad ipsum desiderandum;* unde modus praedictus uno modo est dispositio *meriti*, alio modo est dispositio *praemii.*

Duplex totalitas. Hoc autem est secundum duplicem modum *totalitatis* [4] cordis, animae et mentis. Dupliciter enim potest intelligi, quod amor Dei possideat totum cor: aut ita, quod excludat omnem affectum *extraneum;* Prima. et tunc dominatur plene et perfecte cordi. Hoc autem est, quando omnes motus cordis per amorem referuntur in Deum; et haec totalitas ponit dominium plenum. Alio modo dicitur amor Dei totum Secunda. cor possidere, quando excludit omnem affectum *contrarium*, hoc est, quod nihil diligatur supra Deum, vel aequaliter ipsi Deo; et sic diligit Deum ex toto corde, qui diligit eum propter se et super omnia [5]. — Prima totalitas, quae excludit omnem Applicatio *extraneum* motum, est perfecti dominii nec potest haberi ante *adeptionem gloriae*, ubi ad ipsum Deum aspiciemus et in ipsum feremur continue. Secunda vero totalitas potest haberi per *infusionem gratiae*, quae est expulsiva omnis mortalis culpae.

Si ergo in illo praecepto intelligatur Deus diligi ex tota anima et ex toto corde et ex tota mente quantum ad *primam* acceptionem totalitatis; sic Conclusio modus ille non obligat ad sui impletionem; sed exprimitur in praecepto, ut sciamus, quo per amorem debeamus tendere, et ut nemo se perfectum arbitretur, quousque illam perfectionem fuerit assecutus [6]. Si vero dicatur diligere ex toto corde secun- Conclusio dum *secundam* acceptionem; sic tenemur ad illum modum implendum. — Et quia secundum utram- Corollaria que acceptionem voluit Spiritus sanctus intelligi praedictum mandatum; hinc est, quod quidam dicunt, ipsum posse impleri in via, quidam vero dicunt, quod non potest impleri, quousque perveniatur in patriam. — Et secundum hoc procedunt ra- Ad argg. tiones ad partes oppositas.

Quaestio incidens solvitur. Si autem quaeratur, quare in isto praecepto magis exprimitur, quo tendere debeamus, quam in aliis praeceptis; responderi potest, quia *plenitudo Legis est dilectio* [7], et *finis praecepti est caritas*, et *mandatum* dilectionis est primum et summum secundum divinum testimonium; ideo disposuit Spiritus sanctus circa ipsum exprimere perfectionem

---

[1] Vide hic lit. Magistri, c. 5. in fine. — Mox pro *ad semper* Vat. *pro semper*. Post pauca codd. et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 61. a. 2. omittunt *pro* ante *loco et tempore*.

[2] De Perfectione iustit. hominis, c. 8. n. 19, unde et verba Magistri hic in lit c. 6. circa finem sumta sunt. Cfr. de Spiritu et lit. c. 36. n. 64. — Paulo inferius respicitur I. Cor. 13, 12. — Paulo superius plures codd. et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. omittunt *in via;* deinde Vat. pro *illud implere* substituit *illum implere*.

[3] Praeter August. iam laudat. cfr. Bernard., de Diligendo Deo, c. 10. n. 29.

[4] Cod. Z *secundum duplicem totalitatem*.

[5] August., de Spiritu et littera, c. 36. n. 65: Aliud est enim totam nondum assequi caritatem, aliud, nullam sequi cupiditatem. Quam ob rem debet homo, quamvis longe minus amet Deum, quam eum potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum, sicut etiam in his quae adiacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari, quamvis non possit in fulgentissima luce defigi. Verum ecce iam talem constituamus animam humanam in hoc corruptibili corpore, quae, etsi nondum illa supereminentissima perfectione caritatis Dei omnes motus terrenae libidinis absorbuerit atque consumserit, attamen in ista minore iustitia ad illicitum aliquid operandum eidem libidini nulla inclinatione consentiat etc. — Paulo inferius pro *ubi* non pauci codd. et edd. 1, 2 *nisi*, et deinde pro *aspiciemus* codd. A I K L atque edd. 1, 2 *aspiciamus*. Mox pro *feremur* edd. 1, 2 cum cod. A *feramur*.

[6] August., de Spiritu et littera, c. 36. n. 64: Sed ideo nobis hoc etiam nunc praeceptum est, ut admoneremur, quid fide exposcere, quo spem praemittere, et obliviscendo quae retro sunt, in quae anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc, quantum mihi videtur, in ea quae perficienda est iustitia, multum in hac vita ille profecit, qui quam longe sit a perfectione iustitiae, proficiendo cognovit.

[7] Rom. 13, 10. — Seq. testimonium est I. Tim. 1, 5; deinde respicitur Matth. 22, 38: Hoc est maximum et primum mandatum.

et complementum, ad quod singula bona et mandata ordinantur, magis quam in aliquo praeceptorum. Et per haec patent omnia quae circa hoc quaeruntur.

Si quis autem contendat [1], modum illum *simpliciter* posse impleri in via quantum ad aliquod *tempus*, in quo potest homo totaliter ferri in Deum, ita ut nec sint in eo motus caritati oppositi nec etiam extranei; responderi potest, quod licet hoc possit esse et aliquando sit in aliquibus personis excellentibus, non tamen communiter reperitur in iustis omnibus [2]. — *Praeterea*, licet sit ibi totalitas motuum ut *nunc*, non tamen est *simpliciter*. Et ideo defectus est a *perfecta* totalitate, quae est totalitas motuum et temporum; et haec est, quae *simpliciter* excludit motum extraneum. Et ita, quamvis aliquo modo impleri possit modus ille, non tamen omnino, sicut insinuatur in illo praecepto. Et hoc innuit Augustinus, cum dicit: « Cum aliquid adhuc est carnalis concupiscentiae, non omni modo ex tota anima diligitur Deus ». Et hoc ipsum vult dicere Magister [3], cum dicit, « quod impleri potest hic modus praedictus secundum perfectionem *viae*, quae est perfectio currentis, non secundum perfectionem *patriae*, quae est perfectio pervenientis »; et ita vult, quod impleri possit « ex parte », non tamen omnino perfecte et integre [4].

Ad opinionem Antissiodorensis.

Ratio 1.

Ratio 2.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de illa definitione, quam ponit Magister, qua dicit: *Caritas est dilectio, qua diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum;* et quaeritur iuxta hoc, cum multae inveniantur definitiones de caritate — cum « unius rei unica sit definitio [5] » — quomodo ab invicem distinguantur. Praeter enim praedictam definitionem invenitur definiri ab Augustino in libro de Moribus Ecclesiae [6] sic: « Caritas est animi rectissima affectio, coniungens nos cum Deo ». — Item, Augustinus in Soliloquiis [7]: « Caritas est virtus, qua Deum videre eoque perfrui desideramus ». — Item, in libro de Spiritu et anima [8]: « Caritas est vita copulans amantem cum amato ». — Postremo, definitur ab Apostolo primae ad Timotheum primo [9]: *Finis praecepti est caritas de corde puro, conscientia bona et fide non ficta.*

Definitiones 5 caritatis.

Contra primam definitionem sic obiicitur: idem est dilectio et caritas: ergo cum Magister definit caritatem per dilectionem, definit idem per se ipsum [10]. — Item, amori naturali in statu innocentiae conveniebat ista definitio [11]: ergo non videtur esse convertibilis cum caritate.

Obiicitur contra 1.

Contra secundam definitionem obiicitur sic: affectio animi est ab ipsa anima; caritas autem non est ab ipsa anima, sed a Deo [12]: ergo male dicitur caritas affectio animi. — Item, haec definitio potest competere spei [13]: ergo non recte assignatur de caritate.

Contra 2

Contra tertiam obiicitur sic: quia visio respondet ipsi fidei, et frui commune est ad omnem virtutem [14]: ergo male definitur caritas per *videre* et *frui*. — Item, desiderium est rei absentis [15] et quodam modo imperfectum: cum ergo caritas sit perfectissima, male definitur per actum desiderandi.

Contra 3.

Contra quartam obiicitur sic: Dionysius in libro de Divinis Nominibus [16], definiens amorem generaliter, dicit, quod est « virtus unitiva »: ergo copulare amantem cum amato non est proprium caritatis, cum sit commune amori naturali et animali. — Item, vita est perfectio absoluta [17], copulatio amantis cum amato est qualitas respectiva: ergo male dicitur caritas esse vita copulans.

Contra 4.

---

[1] Edd. 1, 2 *opponat*, Vat. *opponat sive attentet*. Post pauca pro *in quo potest* cod. Z *quia potest*. Inferius etiam pro *iustis omnibus* codd. A K Z et edd. *iustis hominibus*.

[2] Cfr. August., de Spiritu et littera, c. 36. n. 66.

[3] Hic c. 6.

[4] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[5] Secundum Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 4.). Vide supra pag. 501, nota 2.

[6] Libr. I. c. 11. n. 19. Cfr. supra pag. 597, nota 9. Pro *affectio rectissima* edd. *affectio iustissima*.

[7] Libr. I. c. 6. n. 13. Vide supra pag. 583, nota 4.

[8] Cap. 16: « *Manete*, inquit, *in dilectione mea* (Ioan. 15, 9.). Per dilectionem namque sibi rationalem creaturam copulavit, ut eum semper haberet et in ipso maneret, de eo et in eo delectans, gaudens et exsultans. Per dilectionem Creatori suo et sibi invicem rationalis creatura copulata est » etc. Ibid. c. 38: Caritas est concordia mentium et societas electorum, vita beatarum animarum et Angelorum, quia nec animae nec Angeli nisi per caritatem vivunt. — In *Supplemento* Sum. Alex. Hal. collat. 58. a. 1. pro hac definitione allegatur August., *VIII. de Trin. c. ult.* (c. 10. n. 14.), ubi legitur: Quid est ergo amor, nisi quaedam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet et quod amatur? Cfr. Hugo a S. Vict., de Arrha animae.

[9] Vers. 5.

[10] Definire idem per se ipsum vitium est, quod Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 4.) reprehendit his verbis: Si eodem usus est et quod definitur. Latet autem, cum non eodem definiti nomine utitur, ut si solem stellam in die apparentem definivit; nam qui die utitur sole utitur etc.

[11] Cfr. II. Sent. d. 3. p. II. a. 3. q. 1, ubi ostenditur, quod « tempore *naturae institutae* tam homo quam Angelus habilis erat ad diligendum Deum propter se et super omnia ». — Post *Item* cod. K interserit *cum*.

[12] Rom. 5, 5: Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum etc.

[13] Cfr. supra d. 26. a. 1. q. 3. et dub. 2.

[14] Omnis enim virtus delectatur et quietatur, cum unitur suo obiecto, de quo Aristot., X. Ethic. c. 4. — Cfr. supra d. 26. a. 1. q. 2. ad 4. — Pro *frui commune est* edd. *fruitio est*.

[15] Cfr. supra pag. 577, nota 2. — Edd. *desiderium est in absens*.

[16] Cap. 4. § 15.

[17] Cfr. tom. I. pag. 164, nota 6. et pag. 624, nota 7.

Contra 5. Contra ultimam obiicitur sic: caritas est radix virtutum et principium merendi et pondus, quo quis inclinatur et tendit ad finem [1]: ergo non videtur, quod caritas debeat dici finis.

Quaestiones 3 incidentes. Item, quaeritur de illis tribus membris, quae adduntur, pro quibus stant, et quomodo distinguuntur? — Item quaeritur, quare *cordi* attribuitur *puritas* et *conscientiae bonitas* et *fidei stabilitas*, cum puritas cordis sit ex fide, Actuum decimo quinto [2]: *Fide purificans corda eorum?* — Et quare fides ponitur ultima, cum ipsa sit prima?

Respondeo: Dicendum, quod caritas secundum multiplicem sui comparationem habet multipliciter definiri. Caritas comparatur quadrupliciter. Habet enim caritas comparari ad *obiectum;* et sic assignatur definitio prima, posita a Magistro. — Potest iterum considerari per comparationem ad *finem ultimum;* et sic definitur ab Augustino in Soliloquiis. — Potest etiam comparari ad *actum proprium*, qui est *unire* [3] et *adhaerere;* et sic definitur ab Augustino in libro de Moribus Ecclesiae et in libro de Spiritu et anima, per actum uniendi et copulandi amantem cum amato, videlicet affectum nostrum cum Deo. — Potest iterum comparari ad *habitum sibi adiunctum*, qui quodam modo est ipsius caritatis principium; et sic definitur ab Apostolo, cum dicitur: Caritas est finis praecepti etc. Explicatur. Et hoc patet ex ipsius notificationis explanatione. Nam caritas comparata ad *habitus aliarum virtutum* theologicarum, quia unit eas fini, principatum tenet inter eas, et ideo movet et informat et terminat sive consummat [4]; et propterea dicitur esse *finis praecepti;* et quia finis est aliarum, actus aliarum disponunt ad actum caritatis, et ipsa caritas immediate elicit. Et ideo tres ponuntur ibi conditiones, et per primam, qua dicitur esse *caritas de corde puro*, tangitur conditio ipsius caritatis, cuius est depurare affectum cordis ab omni terrenitate. Per secundam, scilicet *de conscientia bona*, tangitur conditio spei [5]; per tertiam conditio fidei; et secundum hoc ordinantur, secundum quod principalius ad actum caritatis disponunt. Et sic patet distinctio et intellectus praepositarum definitionum.

Solvuntur obiecta contra 1. defin. Ad illud ergo quod primo obiicitur contra definitionem Magistri, quod idem est dilectio et caritas; dicendum, quod etsi sint idem *re*, tamen aliqua differentia *rationis* est; dilectio enim in plus est quam caritas. Unde consuevit assignari differentia, quod *amor* est naturae, *dilectio* est voluntatis deliberativae, et *caritas* gratiae. — Alia etiam est differentia, quia *caritas* nominat habitum, sed *dilectio* nominat actum; et ita definitur caritas per dilectionem, tanquam minus commune per magis commune, et habitus per suum actum [6].

Ad illud quod obiicitur, quod illa notificatio convenit dilectioni in statu innocentiae; dicendum, quod differentia est in modo diligendi Deum propter se, secundum quod dicitur de dilectione naturali et ipsa caritate, sicut in secundo libro [7] ostensum fuit. Et ideo ex hoc non ostenditur illa ratio non esse bene assignata.

Item contra 2. Ad illud quod obiicitur de notificatione Augustini de Moribus Ecclesiae, quod caritas est animi affectio; dicendum, quod ibi est praedicatio materialis [8]; ideo in ratione illa est sophisma *secundum accidens*. — Ad hoc vero quod subiungit, quod illa notificatio convenit spei; dicendum, quod spei, proprie loquendo, non convenit *unire*, sed magis *erigere;* fidei enim est *dirigere*, et spei est *erigere*, et caritatis *adhaerere* [9].

Item contra 3. Ad illud quod obiicitur de definitione Augustini de Soliloquiis, quod caritas non debet definiri per *videre* et *frui;* dicendum, quod sicut fides cognoscit sibi et aliis virtutibus, sic caritas desiderat sibi et aliis. Et quoniam perfectio mercedis consistit in visione et fruitione Dei; hinc est, quod caritas definitur per desiderium utriusque, non quia *videre* sit eius proprium, sed quia desiderium habendi Deum est proprium caritatis [10].

Ad illud quod obiicitur, quod desiderium est rei absentis et imperfectus motus; dicendum, quod

---

[1] Cfr. supra a. 2. q. 1. — Paulo inferius pro *membris, quae* edd. *modis, qui.* Post pauca pro *stant* Vat. *stent*, et pro *distinguuntur* multi codd. et edd. *distinguantur.*

[2] Vers. 9.

[3] Cod. Z *vivere* pro *unire* itemque mox *vivendi* pro *uniendi*, quo loco in cod. X sic scriptum est: *per actum copulandi uniendo amantem* etc.

[4] Vide supra a. 1. q. 1. ad 3, q. 3. ad 1. et infra d. 36. q. 6.

[5] Cfr. supra pag. 571, nota 5. et pag. 578, nota 2. — Caritatis definitio, quae hic quarto loco respicitur, explanata fuit II. Sent. d. 38. dub. 2. — Paulo inferius pro *distinctio* edd. cum nonnullis codd. *definitio.*

[6] Cfr. I. Sent. d. 10. dub. 1, ubi etiam alia differentia affertur. Isidor., II. Differentiar. (alias de Differentiis spiritual.) c. 37. n. 142. (alias c. 32.) ait: Inter amorem et dilectionem sive caritatem hoc differt, quod amor et dilectio media [i. e. communia] sunt et ad utrumque parata, modo in bonum, modo in malum vertuntur. Caritas autem non nisi in bonum; cuius etiam nomen eo usque extollitur, ut ipse Deus caritas appelletur.

[7] Dist. 3. p. II. a. 3. q. 1. ad 3, ubi triplex differentia assignatur.

[8] Id est: caritas invenitur in animo tanquam in subiecto, quod ab ipsa afficitur. Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. XVII. c. 6. — Pro *materialis* codd. C D G N W X et edd. 1, 2 *naturalis*, Vat. *causalis*. In *Supplemento* Sum. Alex. Hal., collat. 58. a. 4. ad eandem obiectionem respondetur sic: Respondeo dicendum, quod caritas est affectio, *materialiter* loquendo, ut dicunt quidam, vel *effective*, ut volunt alii; caritas enim efficit affectionem animi; et sive sic dicatur sive sic, primum argumentum non cogit, immo posset ibi assignari *fallacia accidentis*. (De fallacia *accidentis* supra pag. 179, nota 1, et de praedicatione causali pag. 528, n. 5.).

[9] Cfr. supra a. 2. q. 1, ad 23. a. 1. q. 1. et d. 26. a. 2. q. 4.

[10] De quo fusius disseritur I. Sent. d. 1. a. 2. q. 1.

definitur ibi caritas viae, quae habet secum annexam imperfectionem. — Posset etiam nihilominus dici, quod desiderium, prout excludit fastidium, non solummodo est rei absentis, immo est praesentis [1]; et hoc modo large accipitur in proposito.

Aliter.

Ad illud quod obiicitur contra definitionem Augustini, de Spiritu et anima, quod caritas est vita copulans; dicendum, quod etsi *copulare* conveniat omni amori quodam modo, tamen hoc totum, quod est *vita copulans*, est proprium ipsius caritatis; quia nullus est amor, qui animam proprie habeat vivificare, nisi amor gratuitus, qui copulat cum Deo ipsam animam vivificante [2].

Item contra 4.

Ad illud quod obiicitur, quod non possunt illa duo simul stare, vita et copula; dicendum, quod quamvis vita, prout est *actus primus*, sit perfectio absoluta, tamen, prout est *actus secundus*, habet respectum ad obiectum extra, sicut patet: quia secundum Philosophum [3] *alimento uti* et *intelligere* sunt differentiae ipsius quod est *vivere;* et caritas est vita, secundum quod vita dicitur *actus secundus*, ut in praecedentibus [4] fuit ostensum.

Notandum.

Ad illud quod obiicitur de notificatione Apostoli, quod non debet dici *finis*, cum sit *principium;* dicendum, quod cum nihil prohibeat, tres causas coincidere in unum [5], sicut patet in Deo respectu creaturae; nullum est inconveniens, caritatem simul esse *radicem, formam et finem*, secundum comparationem triplicis causae, cum nos perfecte faciat Deo conformes, secundum quod superius [6] habitum est.

Item contra 5. Notandum.

Ad illud quod quaeritur de sufficientia et numero et ordine et appropriatione illarum conditionum, quae superadduntur; satis patet responsio ex explanatione ipsius definitionis, et ex his quae in secundo libro determinata sunt, distinctione trigesima octava [7], quae non oportet ad praesens repetere. Et ideo de illa notificatione Apostoli et de aliis sufficiat ad praesens tantum dixisse.

Ad quaestiones incidentes.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Pro quo etiam duo sunt mandata.* Videtur enim, quod unum solum debeat esse mandatum, quia unius operis secundum unam rationem unum debet esse mandatum; sed una est ratio diligendi in Deo et in proximo [8]: ergo unum debet esse mandatum in utroque. — Item, si mandata numerantur secundum numerum diligibilium, cum quatuor sint diligenda ex caritate [9], quatuor deberent esse mandata. — Item, *qui diligit proximum Legem implevit*, sicut dicitur ad Romanos decimo tertio [10]; et ibidem dicitur, quod omne aliud mandatum *in illo verbo instauratur:* ergo videtur, quod unum solum debeat esse mandatum.

Respondeo: Dicendum, quod cum mandata diversificari habeant secundum ordinem ad Deum et proximum, sicut patet per distinctionem primae tabulae a secunda [11]; ideo, cum caritas habeat ordinare respectu utriusque, oportuit praecepta distingui; verumtamen, quia una est ratio diligendi, unum potuit in altero implicari.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod mandata distinguuntur penes rationem ipsius habitus; dicendum, quod falsum est, immo penes modum ordinandi ad alterum.

Ad illud quod obiicitur, quod quatuor debent esse mandata; dicendum, quod in mandato proximi satis includitur dilectio sui; et quia ad hoc est homo ordinatus per naturam, non oportuit ad hoc induci per praeceptionem divinam [12].

Ad illud quod obiicitur: qui diligit proximum Legem implevit; patet responsio: quia Apostolus loquitur ibi de impletione secundae tabulae. *Praeterea*, in mandato de dilectione proximi includitur mandatum de dilectione Dei. Quamvis enim unum in altero includatur, non tamen potest inferri, quod unum ab altero non distinguatur; hoc enim est propter connexionem et ordinem, quae non excludit distinctionem.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sic condita est mens humana, ut nunquam sui non meminerit* etc. Contra primum obiicitur sic: memoria est

---

[1] Vide supra pag. 585, nota 13. — Paulo superius pro *secum annexam* codd. U Z *sibi annexam*.

[2] Ex codd. M N O X bb supplevimus *vivificante*, pro quo codd. A K aa *vivificantem*, codd. H Z *vivificatam*, alii codd. *vivificare*.

[3] Libr. II. de Anima, text. 13. (c. 2.). Cfr. supra pag. 444, nota 7. Aristot., loc. cit. text. 2. seqq. (c. 1.), etiam insinuat duplicem acceptionem vitae, ut actum scil. primum et secundum. — Paulo ante edd. omittunt *extra*.

[4] Art. 1. q. 2. ad 3. — Pro *secundum quod vita* edd. *et secundum quod est vita*.

[5] Aristot., II. Physic. text. 70. (c. 7.): Veniunt autem tres [causae, scil. efficiens, finalis et formalis, quae est vel intrinseca, vel extrinseca sive exemplaris] in unam plerumque.

[6] Art. 2. q. 1. in corp. Cfr. etiam II. Sent. d. 38. a. 1. q. 2. ad 6.

[7] Dub. 2. Cfr. supra pag. 561, nota 6. — Pro *Ad illud quod quaeritur* edd. cum pluribus codd. *Ad illud quod obiicitur*. — Cfr. de hoc dubio *Supplementum* Sum. Alex. Hal., collat. 58. per totam; B. Albert., hic a. 4.

[8] Vide supra a. 1. q. 2. — Edd. *diligendi Deum et proximum*. Superius cod. K omittit *unam*.

[9] De quibus vide infra d. 28. q. 6.

[10] Vers. 8. — Seq. Scripturae locus est ibid. v. 9: Et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. — Paulo inferius pro *debeat* codd. I L T V Z bb *debebat*.

[11] Vide infra d. 37. a. 2. q. 1. seq.

[12] Cfr. infra lit. Magistri, d. XXVIII. c. 1, et Comment. dub. 1. — Mox pro *patet responsio* edd. *dicendum quod*. Inferius non pauci codd. *includit* pro *includitur*, et permulti codd. *Quamvis tamen* pro *Quamvis enim*.

rei absentis et praeteritae [1]; anima nunquam est sibi absens et praeterita: ergo nunquam meminit sui. — Item, contra illud quod sequitur, quod *nunquam se non intelligit;* obiicitur, quod anima intelligit alia a se; et impossibile est, quod simul plura intelligat [2]: ergo tunc non intelligit se. *Praeterea,* multi credunt, se non habere animam, quae sit substantia spiritualis: ergo videtur, quod in talibus anima non intelligat se ipsam. — Item, contra tertium quod dicit: *Ut nunquam se non diligat;* obiicitur sic, quod multi se ipsos interficiunt et vitam suam odiunt: ergo videtur, totum illud esse falsum. *Praeterea,* in auctoritate sequenti [3] statim subditur contrarium: *Qui diligit iniquitatem odit animam suam.*

Respondeo: Dicendum, quod illa tria, quae tanguntur in littera, dupliciter possunt attribui animae, videlicet *actu* vel *habitu.* Si *habitu,* sic vere et semper attribuuntur ei, quoniam anima per se ipsam nata est sui meminisse, se intelligere et se diligere. Si autem intelligatur in *actu;* sic non semper sibi attribuuntur, quia non semper se cogitat nec semper super se convertitur. Augustinus [4] ergo loquitur quantum ad *habitum,* non quantum ad *actum.*

Distinctio notanda.

Ad illud quod obiicitur, quod memoria est respectu praeteritorum; dicendum, quod Augustinus largius accipit memoriam quam Philosophus, sicut in primo libro [5] fuit ostensum.

Ad illud quod obiicitur, quod non semper se cogitat, immo de aliis; iam patet responsio: quia non loquitur de *intelligere,* secundum quod dicit *actualem* cognitionem et conversionem super se.

Ad illud quod obiicitur de dilectione; dicendum, quod *diligere* est dupliciter, *affectu* scilicet et *effectu. Affectu* nullus est qui se ipsum odiat, immo si se ipsum interimit, hoc est, ut quietem maiorem inveniat; si peccat, hoc est, quia appetit delectationem suam [6]. Si autem loquamur de dilectione quantum ad *effectum,* sic multi se ipsos odiunt, quia inordinate se diligendo faciunt sibi ipsis malum et inimicantur, sicut multi, qui volentes fugere confusionem vel tribulationem, se ipsos interficiunt *corporaliter;* et qui volunt satisfacere desideriis carnis interficiunt se ipsos *spiritualiter* et inimicantur sibi valde crudeliter [7].

Diligere affectu et effectu.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Dilectionis modus insinuatur, cum dicitur: ex toto corde, id est ex toto intellectu; ex tota anima, id est ex tota voluntate; ex tota mente, id est ex tota memoria.* Diligere enim pertinet ad affectum, non ad intellectum: ergo male dicitur diligere ex intellectu et memoria. — Item, Bernardus de Amore Dei [8]: « Quid est amor nisi vehemens et bene ordinata voluntas »: ergo videtur, quod ex quo dixit: *ex tota anima,* superfluat addere alias conditiones. — Item, beatus Ioannes non ponit nisi duas conditiones, primae Ioannis tertio [9]: *Diligamus opere et veritate:* ergo videtur, quod in istis tribus conditionibus sit *superfluitas.* — Item, videtur, quod sit *diminutio,* quia Deuteronomii sexto [10] ponitur ista conditio: *Et ex tota fortitudine,* quae non ponitur hic. — Item, Marci duodecimo [11] additur ista conditio praeter conditiones praedictas: *Ex totâ virtute tua:* ergo videtur, quod ibi sit *diminutio,* vel hic *superfluitas.* Similiter Lucae decimo [12] additur ista conditio: *Ex omnibus viribus tuis.* — Quaeritur ergo de illorum trium distinctione et ordine, numero et sufficientia.

Quaestio.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis caritas immediate respiciat actum concupiscibilis, circa quem primo consistit, nihilominus tamen actus aliarum virium respicit ut disponentes. Unde omnes vires animae quodam modo ordinantur ad ipsam dilectionem, sicut ad illud quod habet rationem completionis respectu omnium virtutum [13]. Et quoniam superiores vires animae tres sunt, ideo tres apponuntur condi-

---

Vide supra pag. 556, nota 1. — De *minori* cfr. supra pag. 503, nota 8. et pag. 504, nota 1. — Obiectionem ipsam August., XIV. de Trin. c. 11. n. 14. sic exprimit: Sed dicet aliquis: Non est ista memoria, qua mens sui meminisse perhibetur, quae sibi semper est praesens. Memoria enim praeteritorum est, non praesentium. — Pro *anima* cod. A *memoria,* et mox pro *meminit sui* edd. *meminit sibi.*

[2] Vide sententiam Aristot., supra pag. 114, nota 5. allatam.

[3] Psalm. 10, 6, qui deinde in notula a Magistro allegatur.

[4] Libr. XIV. de Trin. c. 14. n. 18, unde textus huius dubii sumtus est.

[5] Dist. 3. p. II. a. 1. q. 1. ad 3. — Ad hanc obiectionem August. ipse respondet, XIV. de Trin. c. 11. n. 14, respiciens illa verba Virgilii (Aen. III. 628. seq.): « Nec talia passus Ulysses, oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto ». Dicit enim: « Virgilius enim, cum sui non oblitum diceret Ulyssen, quid aliud intelligi voluit, nisi quod meminerit sui? Cum ergo sibi praesens esset, nullo modo sui meminisset, nisi ad res praesentes memoria pertineret. Quapropter sicut in rebus praeteritis ea *memoria* dicitur, qua fit, ut valeant recoli et recordari, sic in re praesenti quod sibi est mens *memoria* sine absurditate dicenda est, qua sibi praesto est, ut sua cogitatione *possit* intelligi » etc. Quibus verbis etiam solutio praecedens confirmatur. — Paulo inferius pro *cognitionem* multi codd. *cogitationem.*

[6] Cfr. supra d. 17. dub. 1, et August., III. de Lib. Arb. c. 8. n. 23. — Paulo ante pro *interimit, hoc est* cod. Z *interimat, facit.*

[7] Edd. *notulam,* quae habetur in textu Magistri, simulque hoc 3. dubium in seq. distinctionem transtulerunt.

[8] Cfr. supra pag. 596, nota 7. Iisdem verbis amor definitur in Libro de Contemplando Deo (inter opera Bernardi), c. 7. n. 14: Nihil enim aliud est amor quam vehemens et bene ordinata voluntas. — Mox pro *superfluat,* quod habent codd. A K aa bb, in aliis et edd. *superfluit.*

[9] Vers. 18.

[10] Vers. 5.

[11] Vers. 30. — Complures codd. erronee allegant Matth. 12.

[12] Vers. 27.

[13] Cfr. supra a. 1. q. 1. et infra d. 36. q. 6. — Pro *rationem completionis* edd. *rationem completam.* Paulo superius pro *aliarum virium,* quae lectio habetur in codd. A K W aa bb, alii codd. et edd. *illarum virium.*

tiones. — Et *rursus*, quia ternarius virium animae dupliciter habet distingui, ita quod unus illorum modorum non discordat ab alio; ideo conditiones circa actum diligendi, respicientes vires animae, duplici modo apponi et distingui habent. *Uno* enim modo distinguuntur vires animae, secundum quod in eis consistit imago, et dicuntur in mente esse tres potentiae, videlicet memoria, intelligentia et voluntas; et sic secundum istas tres vires apponuntur tres conditiones, quarum una respicit *intelligentiam*, scilicet ex toto corde; altera *voluntatem*, scilicet ex tota anima; tertia *memoriam*, videlicet ex tota mente. — Et sic assignantur istae tres conditiones in Matthaei vigesimo secundo [1] et exponuntur ab Augustino sic: *ex toto corde*, id est ex toto intellectu sine errore; *ex tota anima*, id est ex tota voluntate sine contradictione; *ex tota mente*, id est ex tota memoria sine oblivione.

Duplex modus distinguendi.

Primus.

Applicatio 1.

Alio modo distinguuntur vires animae sic: in *rationalem*, *irascibilem* et *concupiscibilem*; et secundum has tres apponuntur conditiones, quarum una respicit *rationalem*, videlicet ex toto corde, et alia *concupiscibilem*, videlicet ex tota anima, et tertia *irascibilem*, videlicet ex tota fortitudine. — Et sic assignantur in Deuteronomii sexto [2] et exponuntur a Bernardo sic: *ex toto corde*, id est sapienter; *ex tota anima*, id est dulciter; *ex tota fortitudine*, id est fortiter; ut non seducamur fallaciis, non abducamur blanditiis, non frangamur iniuriis. Et ad haec tria reduci possunt illa tria, quae tanguntur primae ad Timotheum primo [3]: *Ex corde puro, conscientia bona et fide non ficta.* — Nec est in istis aliqua repugnantia, pro eo quod potentia irascibilis et ipsa memoria conformantur in actu; et ideo una virtus est utriusque reformativa, et una dos utriusque perfectiva, et unam respicit principaliter et aliam ex consequenti [4]. Et ideo, ubi in Deuteronomio dicitur *ex tota fortitudine*, in Matthaeo dicitur *ex tota mente*. Et haec est ratio, quare haec conditio *ex tota mente* ultimo loco ponitur. — Et sic patet sufficientia, numerus et distinctio illorum quae assignantur circa modum dilectionis, et quod nihil est superfluum et nihil diminutum; patet etiam solutio obiectorum [5].

Applicatio 2.

De utroque modo distinguendi.

Ad quaestionem.

Secundus.

DISTINCTIO XXVIII.

Cap. I.

Si iubemur totum proximum diligere et nos totos.

Hic potest quaeri, utrum illo mandato dilectionis proximi totum proximum, id est animam et corpus, nosque ipsos totos diligere praecipiamur. — Ad quod dicimus, omne genus diligendarum rerum illis duobus mandatis contineri. «Quatuor enim diligenda sunt, ut ait Augustinus [1]: unum, quod *supra* nos est, scilicet Deus; alterum, quod *nos* sumus; tertium, quod *iuxta* nos est, scilicet proximus; quartum, quod *infra* nos est, scilicet corpus. De secundo et quarto nulla praecepta danda erant», scilicet ut diligeremus nos, vel corpus nostrum; praecipitur autem Deus diligi et proximus. «Ut autem quisque se diligat, praecepto non est opus». «Quantumlibet enim homo excidat a veritate, remanet illi dilectio sui et dilectio corporis sui, quia *nemo unquam carnem suam odio habuit* [2]. Nam viri iusti, qui corpus suum cruciant, non corpus, sed corruptiones eius et pondus oderunt». — Hic videtur Augustinus tradere, quod ex praecepto non teneamur diligere nosmetipsos, vel corpus nostrum. Quod si est, non omne genus diligendarum rerum illis duobus praeceptis continetur: quia [3], cum et nos ipsos et corpus nostrum diligere debeamus, ad quid necessarium est praeceptum, cum scriptum sit: *Qui diligit iniquitatem odit animam suam?* Sed *speciale* de hoc praeceptum non erat dandum, nec speciali praecepto opus erat id tradi, ut quisque se vel corpus suum diligeret, quia hoc in illo praecepto continetur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ibi enim et proximum totum et te totum intelligere debes. Unde Augustinus in eodem [4]: «Si te totum intelligas, id est animam et corpus, et proximum totum, id est animam et corpus — homo enim ex anima constat et corpore — nullum rerum diligendarum genus in his duobus praeceptis praetermissum est. Cum enim praecurrat dilectio Dei, eiusque dilectionis modus praescriptus appareat, et sequatur dilectio proximi; de tua dilectione nihil dictum videtur. Sed cum dictum est: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, simul et tui abs te dilectio praetermissa non est». — Ecce hic aperte dicit, in illo praecepto non tantummodo proximi, sed et mei [5] dilectionem contineri et totius proximi totiusque mei. — Ex quo apparet, quod dictum est de secundo et

Augustinus.

Dubium 1.

Augustinus.

---

[1] Vers. 37. — Quoad expositionem huius loci, quae hic Augustino tribuitur, cfr. supra pag. 613, nota 7.

[2] Vers. 5, quem versum fere hoc modo exponit Bernard., Serm. 20. in Cant. n. 4. et Serm. 29. de Diversis, n. 1. et 4.

[3] Vers. 5.

[4] Cfr. supra d. 26. a. 2. q. 5. ad 2. — Paulo ante codd. A K post *dos utriusque* supplent *partis*.

[5] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 9; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Libr. I. de Doctr. christ. c. 23. n. 22. Seq. locus est ibid. c. 26. n. 27; tertius ibid. c. 23. 24, multis a Magistro omissis.

[2] Eph. 5, 29.

[3] Ita codd. B C E et omnes edd., quae lectio parum congrua nobis videtur; codd. A D omittunt *quia* ante *cum*, atque etiam punctum post *continetur* ponunt. Pro *ad quid necessarium* codd. A B D E et edd. 6, 7 *ad quod necessarium*, sed Vat. *ad id necessarium*. — Locus Scripturae est Ps. 10, 6, et inferius Matth. 19, 19.

[4] Cap. 26. n. 27, ubi est etiam seq. locus in fine capituli.

[5] Vat. et plures edd. pro *et mei* legunt *tui*, refragantibus codd. et edd. 1, 3, 7, 8, sicut et inferius *tui* pro *mei*. Paulo superius pro *tantummodo* codd. *modo*.

quarto — id est de dilectione nostri et corporis nostri — nulla praecepta esse danda, ita esse intelligendum, scilicet *specialia* et *divisa*, quia in illo uno
Augustinus. totum continetur, « et quia id quod sumus, et quod *infra* nos est, ad nos tamen pertinens, naturae lege diligimus, quae in bestiis etiam est. Ideoque [1] et de illo quod *supra* nos est, et de illo quod *iuxta* nos est, divisa praecepta sumsimus »; in quorum altero eius quod sumus, et illius quod infra nos est, dilectio continetur.

Cap. II.

Quod in dilectione proximi includitur dilectio Angelorum.

« Oritur autem hic de Angelis quaestio, utrum ad
Augustinus. illud praeceptum dilectionis proximi etiam dilectio pertineat Angelorum. Nam quod nullum hominem exceperit qui praecepit proximum diligere, Dominus in parabola semivivi relicti ostendit, eum dicens proximum, qui erga illum exstitit misericors. Deinde subdit: *Vade, et tu fac similiter* [2] »:

Cap. III.

Quis sit proximus.

« Ut eum proximum intelligamus, cui vel exhi-
Augustinus. bendum est officium misericordiae, si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret. Nullum vero exceptum esse, cui misericordiae negandum sit officium, quis non videat, cum usque ad inimicos etiam porrectum sit, Domino dicente: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* [3] ». « Manifestum est igitur, Dubium 2.
omnem hominem *proximum* esse deputandum ». « *Proximi* vero nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest ». « Unde consequens est, et cui praebendum et a quo praebendum est officium misericordiae recte proximum dici. Manifestum Dubium 3.
est igitur, praecepto dilectionis proximi etiam sanctos De Angelis.
Angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiae impenduntur officia. Ex quo et Dominus proximum no- De Christo.
strum se dici voluit, ut in parabola saucii significat et in Propheta [4]: *Quasi proximum et quasi fratrem nostrum sic complacebam.* Sed quia excellentior ac supra nostram naturam est divina substantia, praeceptum dilectionis Dei a proximi dilectione distinctum est ». Ideoque licet Deus omnia nobis impendat beneficia, non tamen nomine proximi includitur in illo praecepto; quem non sicut nos diligere debemus, sed plus quam nos toto corde et tota anima; Christum vero, in quan- Dubium 4.
tum homo est, sicut nos diligere debemus, eiusque secundum hominem dilectio illo continetur mandato; quem etiam secundum hominem magis quam nos, sed non quantum Deum, debemus diligere, quia in quantum est homo, minor est Deo.

Cap. IV.

Quibus modis dicitur proximus.

Hic notandum est, « proximum dici diversis modis, scilicet conditione primae nativitatis, spe conversionis, propinquitate cognationis, ratione beneficii exhibitionis [5] ».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXVIII.

De caritate quoad diligendorum numerum et distinctionem.

Hic quaeri potest, utrum illo mandato dilectionis proximi etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de caritate quantum ad essentiam et definitionem. In hac parte intendit agere quantum ad diligendorum [1] numerum et distinctionem. Dividitur autem pars ista in tres partes. In quarum prima inquirit, quae et quot sint diligenda, et qualiter exprimantur per duo mandata. In secunda vero parte removet quaedam dubia, ibi: *Oritur autem hic quaestio de Angelis* etc. In tertia vero parte subiungit quandam distinctionem, quae facit ad praemissorum maiorem evidentiam, ibi: *Hic notandum est* [2], *proximum dici* etc.

Prima pars dividitur in duas. In quarum prima

---

[1] Vat. et edd. 4, 5 *Ideo*, referendo perperam hoc verbum ad *Et quia*, ubi cum puncto novam incipiunt propositionem. — Nota, quod Vat. et edd. 2, 3, 4, 5, 7, 9 hic interserunt locum Augustini, de quo supra d. XXVII. pag. 587, nota 6. locuti sumus.

[2] August., l. de Doctr. christ. c. 30. n. 31, ubi respicitur Luc. 10, 37.

[3] Loc. cit., ubi afferuntur Matth. 5, 44, et Luc. 6, 27. — Seq. locus ibid. n. 32; tertius n. 31; quartus n. 33.

[4] Psalm. 34, 14. Parabola de *saucio* est Luc. 10, 33. seqq. — Superius pro *significat* Vat. et aliae edd., exceptis 1, 8, *ostendit*, refragantibus codd.

[5] Glossa in Ps. 11, 3, apud Lyranum.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Edd. *intendit agere de ea quantum ad dilectorum.* Inferius pro *dubia* cod. A *dubitabilia.*

[2] Codd. inepte hic addunt *quod* vel *quid;* fortasse scriptura genuina fuit *quidem.*

movet quaestionem et determinat. In secunda auctoritate Augustini confirmat, ibi: *Quatuor enim diligenda sunt, ut ait Augustinus.*

Item, secunda pars dividitur in duas. In quarum prima removet dubium de Angelis. In secunda vero de Christo, ibi: *Christum vero, in quantum homo* etc. Ultima vero pars remanet indivisa.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio circa sex.

Primo quaeritur, utrum ex caritate diligendae sint creaturae irrationales.

Secundo quaeritur, utrum ex caritate diligendi sint daemones.

Tertio quaeritur, utrum ex caritate diligendi sint mali homines.

Quarto quaeritur, utrum ex caritate sint diligenda corpora nostra.

Quinto quaeritur, utrum ex caritate diligenda sint dona gratuita.

Sexto et ultimo quaeritur de diligendorum numero et sufficientia.

ARTICULUS UNICUS.

De obiectis ex caritate diligendis.

QUAESTIO I.

Utrum ex caritate diligendae sint creaturae irrationales.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum ex caritate diligendae sint creaturae irrationales. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum. 1. Sapientiae undecimo[1]: *Diligis omnia, Domine, et nihil odisti eorum quae fecisti;* sed caritas facit nos diligere conformiter Deo: ergo si Deus, qui est caritas, diligit creaturas irrationales; videtur, quod et homines caritatem habentes eas ex caritate debeant diligere.

2. Item, creaturae rationales ex caritate diligendae sunt, propter hoc quod habent aliquam Dei similitudinem; sed in creaturis irrationalibus relucet Dei similitudo, licet minus perfecte quam in creaturis rationalibus; relucet enim Deus in eis sicut in vestigio[2]: ergo si similitudo Dei est ratio diligendi ex caritate, videtur, quod ceterae creaturae irrationales ex caritate diligendae sint.

3. Item, sicut ad fidem pertinet credere, Deum esse creatorem creaturarum rationalium, ita ad ipsam spectat credere, ipsum esse creatorem irrationalium; et sicut intellectus noster cognoscit Deum in creaturis per creaturas rationales, ita et per irrationales, licet minus plene[3]: si ergo fides et cognitio et contemplatio ipsius Dei indifferenter respicit ipsas creaturas rationales et irrationales, pari ratione videtur, quod et ipsa gratuita dilectio: ergo videtur, quod et irrationales creaturae ex caritate diligi possunt, cum caritas ita amet Deum, sicut fides credit.

4. Item, virtus et vitium habent esse circa idem: ergo circa quod habet esse amor vitiosus libidinis et cupiditatis, circa idem habet esse amor gratuitus et caritatis[4]; sed homo potest libidinose et cupide amare creaturas irrationales: ergo pari ratione videtur, quod vir iustus ex caritate habeat eas diligere.

5. Item, aliquis diligit bona temporalia, ut per illa serviat Deo, sicut vir iustus diligit possessiones, ut faciat eleemosynas; sed constat, quod talis amor est amor meritorius; sed amor meritorius procedit ex caritate[5]: ergo videtur, quod talia irrationalia sint ex caritate diligenda.

Fundamenta. Sed contra: 1. Augustinus dicit in libro de Doctrina christiana, et habetur in littera praecedentis distinctionis[6]: «Ea sola ex caritate sunt diligenda, quae nobiscum societate quadam referuntur in Deum, sicut est homo et Angelus vel corpus nostrum»; sed talia non sunt irrationalia: ergo etc.

2. Item, principale obiectum caritatis est Bonum increatum, cum caritas sit virtus theologica: ergo cum caritas faciat illi bono adhaerere et ipso frui, nihil in mundo diligit, nisi quod illo bono natum

---

[1] Vers. 25: Diligis enim omnia quae sunt, et nihil etc. — In conclus. respicitur illud I. Ioan. 4, 8: Qui non diligit non novit Deum, quoniam Deus caritas est.

[2] Cfr. I. Sent. d. 3. p. 1. q. 2. in fine. — De *maiori* cfr. August., I. de Doctr. christ. c. 22. n. 20. seq. — Inferius cod. A bene omittit *ceterae.*

[3] Vide I. Sent. d. 3. p. 1. q. 2. ad 4, et Itinerar. mentis in Deum, c. 1. seqq.

[4] August., Enarrat. in Ps. 9, 16: *In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum,* ait: *Pes* animae recte intelligitur amor, qui, cum pravus est, vocatur cupiditas aut libido; cum autem rectus, dilectio vel caritas. Amore enim movetur tanquam ad locum, quo tendit. Locus autem animae... in delectatione, quo se pervenisse per amorem laetatur. — *Maior* innititur in illo axiomate: opposita nata sunt fieri circa idem; de quo vide supra pag. 61, nota 3.

[5] Cfr. supra pag. 387, nota 3.

[6] Cap. 8, ubi dictum August. plenius habetur.

est frui et in illo beatificari [1]; sed creaturae irrationales non possunt in Deo beatificari: ergo non possunt ex caritate diligi.

3. Item, caritas est vinculum connexionis, ergo illa sola sunt nata ex caritate diligi, quae per caritatem possunt necti; talia autem non sunt nisi illa quae sunt nata esse de unitate corporis Christi; sed talia non sunt nisi rationalia [2]: ergo etc.

4. Item, nobilior est amor caritatis, quam sit amor socialis; sed amor socialis non potest esse nec debet nisi respectu rationalium creaturarum [3]: ergo nec amor caritatis.

5. Item, illa solum sunt ex caritate diligenda, quorum dilectio clauditur et exprimitur in duobus mandatis caritatis [4]; sed dilectio irrationalium nec includitur nec exprimitur in illis duobus mandatis: ergo videtur, quod amor caritatis ad creaturas irrationales non habeat extendi.

CONCLUSIO.

Creaturae irrationales diligendae sunt ex caritate imperante, *non ex* eliciente, *vel, ut alia via probatur, non diliguntur ex caritate nisi* improprie, *ita ut caritas non ponat circa illas affectum.*

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum aliquis actus dicitur esse ex aliqua virtute, hoc potest intelligi dupliciter: uno modo sicut a *movente et imperante*, alio modo sicut ab *eliciente et informante. Primo* modo potest dici, quod omnia opera meritoria sunt ex caritate, quia caritas *imperat* omne opus bonum; sicut ex caritate possum ire ad sanctum Iacobum et ex caritate levare festucam de terra. *Secundo* modo ille actus dicitur esse ex caritate, quem habitus caritatis respicit [5] *formaliter et directe*, sicut diligere Deum et proximum, quem non habet anima elicere mediante alio habitu quam habitu caritatis.

Actus procedit a caritate dupliciter.

Secundum hoc intelligendum, quod aliquid diligi ex caritate potest dupliciter intelligi: uno modo ex caritate *imperante;* et sic concedi potest, quod irrationales creaturae sunt diligendae ex caritate. Sicut enim caritas imperat et movet ad faciendum et dicendum et cognoscendum [6] omnia quae spectant ad *salutem nostram* et *laudem divinam;* sic etiam imperat ad amandum. Unde quia multae irrationales creaturae datae sunt nobis in adiutorium ad *exercendum opera meritoria*, ordinatae sunt etiam ad *laudandum Deum* [7]; hinc est, quod caritas, quae est amatrix Dei et proximi, imperat, tales creaturas diligi.

Primus modus solvendi. Conclusio 1.

Duplex finis irrationalium.

Alio modo dicitur aliquid diligi ex caritate *eliciente et informante;* et sic diligitur ex caritate illud, in quod est formalis et proprius actus ipsius caritatis; tale autem non est nisi illud quod est summum Bonum, vel cui summum Bonum natum est aliquo modo uniri per cognitionem et amorem. Ideo cum creaturae irrationales non sint hoc modo Dei capaces, quia non sunt ad Dei imaginem, per caritatem non potest eis exoptari summum Bonum; et ideo caritas non descendit ad illa diligenda secundum suum actum proprium et formalem: ac per hoc talia non diliguntur ex caritate *elicitive.*

Conclusio 2.

Et *si tu quaeras:* quae virtus elicit illum actum dilectionis, quo quis diligit creaturas, in quantum sunt a Deo et ad Deum? dicendum, quod hoc est cuiusdam *pietatis* et *affectionis naturalis.* Sicut enim homo diligit canem quadam pietate naturali, quia videt eum sibi obedientem; sic et ceteras alias bestias et irrationales creaturas naturaliter ex quadam pietate [8] natus erat diligere et fovere, quantum erat ex prima conditione. Unde secundum quod homo plus reformatur et reducitur ad statum innocentiae, secundum hoc magis sibi mansuescunt huiusmodi creaturae, et ipse circa eas maiori pietate movetur; sicut de beato Francisco legitur [9], quod erga huiusmodi creaturas mira pietatis teneritudine affluebat, quia iam quodam modo innocentiam recuperaverat. In cuius rei signum creaturae irrationales eidem obtemperabant.

Quaestio incidens solvitur.

Et secundum hanc distinctionem patet responsio ad quaestionem: quia uno modo creaturae irrationales sunt ex caritate diligendae, videlicet ex caritate imperante; alio vero modo non, videlicet ex caritate eliciente. — Secundum hoc etiam potest responderi ad obiecta ad utramque partem, quia procedunt secundum diversas vias, sicut intuenti apparet.

Epilogus.

Est et alius hic modus dicendi praedicto modo non contrarius, sed potius consonus, quod aliquid

Alius modus solvendi.

---

[1] August., III. de Doctr. christ. c. 10. n. 16: Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum.

[2] Epist. I. Cor. 12, 27: Vos autem estis corpus Christi et membra de membro. Cfr. Rom. 12, 5.

[3] Aristot., VIII. Ethic. c. 2: De inanimatorum amore amicitia minime dicitur, quippe cum neque redamatio neque voluntas boni illorum ulla sit. Ibid. c. 11: Erga inanimata neque amicitia ulla est neque ius, neque erga equum aut bovem etc. — Post *debet* cod. Z adiungit *dici.*

[4] Matth. 22, 37. seqq. — Pro *mandatis* cod. Z *praeceptis.*

[5] Edd. *inspicit.* Superius post *Secundo* codd. A K bb addunt *vero.* Mox pro *quem non habet* cod. W *quia non habet.*

[6] Codd. H M O Z bb *cogitandum*, plures codd. sunt dubiae lectionis; in cod. A desideratur *et cognoscendum*, in edd. 1, 2 *et dicendum.*

[7] Cfr. II. Sent. d. 15. a. 2. q. 1.

[8] Vat. addit *innata diligit et fovet, sicut;* edd. 1, 2 addunt *innata diligit et fovet,* sed deinde omittunt *natus erat diligere et fovere.*

[9] Cfr. prima et secunda vita S. Francisci, auctore B. Thoma de Celano (in prima vita c. 21, in secunda c. 5. et 101. seqq.), nec non Legenda maior composita a S. Bonav. (c. 5. et 8.). — Mox pro *mira pietatis teneritudine* cod. A *affectu pietatis et reverentiae.* Pro *teneritudine* codd. G H I K L T U V aa *remuneratione.*

Triplex modus diligendi. diligi ex caritate potest esse tripliciter: vel ita, quod caritas faciat circa ipsum dilectum ponere *affectionem et finem;* et sic solus *Deus* diligitur ex caritate. Alio modo ita, quod caritas circa ipsum dilectum faciat ponere *affectionem,* non tamen *finem;* et sic diligitur *proximus* ex caritate, quia circa proximum affectu caritatis afficitur, optando ei summum Bonum, non propter ipsum, sed propter Deum. Tertio modo dicitur aliquid ex caritate diligi ita, quod caritas circa illud non ponit *finem,* nec etiam affectionem intuitu *sui,* sed solum ratione *illius,* Conclusio 3. propter quod diligit; et hoc modo creaturae irrationales, in quibus Deus relucet, diliguntur ex caritate, quia Deus diligitur in illis; per quem modum quis dicitur diligere canem amici sui, non quia afficiatur circa canem speciali affectione, sed quia Confirmatur. afficitur circa amicum [1]. — Et huius signum est, quia affectus caritatis non alligat hominem creaturae irrationali, secundum quod alligat et connectit hominem ipsi proximo, vel etiam ipsi Deo. Unde sicut amor *amicitiae,* qui est in amicum, se extendit ad amici *filium,* ita quod filius amici amicus est et dilectus, non autem sic se extendit ad amici *catulum,* ut canis diligatur consimili affectu; sic intelligendum est, quod caritas, quae est amor Dei, se extendit ad illos qui sunt nati esse eius filii per gratiam adoptionis. Et quia creaturae irrationales non sunt Conclusio 4. huiusmodi, ideo proprie loquendo, non sunt natae ex caritate diligi, ita quod caritas circa illas ponat affectum, bene tamen [2] potest caritas in illis diligere Deum; ita quodam modo potest concedi, ut illae creaturae diligantur ex caritate, licet improprie. — Ideo non sunt numerandae inter illa quae proprie ex caritate diliguntur, sicut rationes ad hanc partem inductae ostendunt.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in con- Solutio oppositorum. trarium, quod Deus diligit creaturas irrationales; dicendum, quod *Deum creaturas irrationales diligere* est eas conservare in *esse* naturae [3]; sed *aliquid diligere ex caritate,* hoc est summum Bonum Notandum. ei optare; et ideo plus connotatur, cum dicitur, aliquid esse *ex caritate diligendum,* et aliquid esse *Deo dilectum.* Et ideo non sequitur, quodsi Deus eas diligit, quod ex caritate amandae sint. Et *si tu obiicias* [4], quod caritas conformat voluntatem nostram voluntati divinae; dicendum, quod hoc non est verum primo et per se respectu omnium operum et quorumcumque obiectorum, sed respectu illorum quae habent expressam similitudinem, et quibus vult Deus dare se ipsum. Nam caritas omnibus, quae ex caritate diligit, optat Deum. Et hoc est quod dicit Augustinus, et habetur in distinctione praecedenti [5]: «Sic nos invicem diligamus, ut, quantum possumus, ad habendum in nobis Deum ex dilectione attrahamus».

2. Ad illud quod obiicitur, quod creaturae rationales diliguntur ex caritate propter assimilationem ad Deum; dicendum, quod non quaecumque assimi- Notandum. latio ad Deum facit aliquid ex caritate diligibile, sed illa quae facit Dei capacem; et haec est similitudo *imaginis.* Anima enim «ideo est imago Dei, quia eius capax et particeps esse potest [6]». Caritas enim optat, illud summum Bonum haberi ab eo quem diligit; ad illud enim inclinat tanquam ad suum principale obiectum. Et quoniam similitudo *vestigii* non facit, creaturam ipsius Dei esse capacem per cognitionem et amorem; hinc est, quod non sequitur, quodsi in creaturis irrationalibus reperiatur aliqua *vestigii* similitudo, quod propter hoc ad ipsas extendatur caritatis dilectio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod fides ita credit Deum creatorem irrationalium sicut rationalium; dicendum, quod non est simile de fide et caritate. Nam fides non tantum est circa ipsum Deum, in Notandum. quantum est *finis,* sed etiam in quantum est *principium* rerum. Et quia Deus est principium immediatum tam respectu rationalium quam irrationalium; ideo utroque respectu [7] in Deum credit et ipsum contemplatur. Caritas autem respicit Deum sub ratione *finis,* quia sub ratione *boni.* Et quia creaturae rationales et irrationales non eodem modo habent tendere in ipsum summum finem, quia rationales immediate, irrationales vero mediate [8]; hinc est, quod non sequitur, quod dilectio caritatis ad has et illas se habeat uniformiter.

4. Ad illud quod obiicitur, quod virtus et vitium habent esse circa idem; dicendum, quod illud argumentum dupliciter peccat. Primo, quia, quamvis Defectus 1. virtus et vitium habeant esse circa idem subiectum, non tamen oportet, quod generaliter habeant esse circa idem obiectum; plura enim exiguntur ad virtutem quam ad vitium [9]. Ideo si circa aliquid potest consistere vitium, non propter hoc sequitur, quod et virtus. — Alius etiam defectus est ibi, quia, cum Defectus 2. caritas sit virtus et amor specialis [10], non oportet, quod circa illud consistat caritas, circa quod consi-

[1] Bernard., Serm. 1. in festo S. Michaelis, n. 3: Dicitur certe vulgari quodam proverbio: Qui me amat amat et canem meum.

[2] Pro *bene tamen* codd. I L W aa et edd. 1, 2 *unde,* Vat. *unde quia.* Paulo inferius pro *ut illae creaturae diligantur* Vat. *quod creaturae irrationales diligantur,* et dein in fine corp. eadem Vat. cum edd. 1, 2 et cod. W post *ostendunt* addit *et* (cod. W *vel*) *concedunt.*

[3] Cfr. infra d. 32. q. 2.

[4] In *minori* huius obiectionis.

[5] Cap. 7. in fine. — Paulo superius pro *et quibus vult* cod. K *et in quibus vult,* cod. A *in quibus vult.*

[6] August., XIV. de Trin. c. 8. n. 11. — Paulo superius pro *diligibile* codd. H Z aa *diligere.* Paulo inferius pro *ab eo* cod. A *a Deo.* Circa finem solut. pro *reperiatur* codd. A K bb *reperitur.*

[7] Post *respectu* Vat. supplet *fides.* Mox pro *quia sub ratione boni* edd. *et sub ratione boni.*

[8] Cfr. II. Sent. d. 16. n. 1. q. 1. in corp.

[9] Vide supra pag. 499, nota 2.

[10] Edd. *quia licet caritas sit motus et amor specialis, non tamen oportet* etc. In fine solut. pro *quae iuxta* edd. 1, 2 *qui iuxta,* Vat. *ab eo qui iuxta.*

stit quodlibet speciale vitium. Unde quamvis cupidi-
Notandum. tas consistat circa bona temporalia, non oportet, quod circa illa sit virtus *caritatis*, sed sufficit, quod sit virtus *largitatis*. Et ideo non oportet, huiusmodi temporalia ex caritate amari, sed ex largitate retineri et dispensari, quae iuxta eorum valorem novit eadem appretiari.

5. Ad illud quod obiicitur de eo qui diligit temporalia, ut per illa Deo serviat; iam patet responsio per ea quae dicta sunt: quia ille motus est meritorius, non quia sit a caritate *eliciente*, sed quia est a caritate *imperante*, sicut ire ad sanctum Iacobum, vel facere quodcumque aliud opus in Dei obsequium. *Praeterea*, cum quis diligit temporalia ad serviendum Deo, affectio sua versatur circa eum *cui* vult servire, sicut prius tactum est. Et ideo ex hoc non potest concludi, quod talia diligantur ex caritate, nisi valde *extenso* nomine. Nam *proprie* Axioma. nihil ex caritate diligitur, circa quod caritas non ponat affectum specialem [1].

SCHOLION.

I. Solutio auctoris primo loco posita, quam tenent etiam B. Albert. et Durandus, visa est S. Thomae, Petro a Tar. aliisque non esse sufficiens; cui opinioni etiam Richard. a Med. et Scotus magis favent. Hi quidem concedunt, quod creaturae irrationales non possint ita diligi ex caritate *eliciente*, ut caritas *terminetur* directe ad eas ut obiectum ipsius; tamen contendunt, eas nihilominus posse diligi ex caritate non tantum *imperante*, sed etiam *eliciente*, scilicet non dilectione amicitiae, sed *concupiscentiae*, quae includitur in actu caritatis, ita ut *indirecte* diligantur ut materia, circa quam versatur dilectio, sicut diliguntur bona amici. De hac distinctione cfr. S. Thom., hic a. 1. — Ad rem dicit Dionys. Carth. (hic q. unica): « Verumtamen verbis Augustini et Magistri plus consonat positio Bonaventurae, et pro concordia potest dici, quod irrationabilia non diliguntur *elicitive* ex caritate *proprie et perfecte*, sed *aliquantulum et imperfecte*, quia nec donum gratiae nec donum gloriae eis optatur, tamen ex caritate ad Dei honorificentiam ordinantur ». Huic Dionysii interpretationi satis concordat S. Bonav., ut patet ex ipsius solutione secunda; immo infra q. 5. quoad dona gratuita ad eandem, sicut S. Thomas, distinctionem recurrit.

De hac (1.) quaestione: Scot., III. Sent. d. 32. n. 6. — S. Thom., hic a. 2; S. II. II. q. 25. a. 3; Qq. disp. de caritate, a. 7. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., hic a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 1. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

II. Circa sequentem (2.) quaestionem Petr. a Tar. (hic a. 6.) dicit simpliciter, quod daemones *nullo modo* sint ex caritate diligendi. S. Thom. eadem ac in praecedenti quaestione distinctione utitur et resolvit (S. loc. cit. a. 11; cfr. hic a. 5.): « Alio modo diligitur aliquid, sicut quod volumus permanere ut bonum alterius... et per hunc modum *naturam* daemonum etiam ex caritate diligere possumus, in quantum scilicet volumus, illos spiritus in suis naturalibus conservari ad gloriam Dei ».

De eadem quaestione praeter laudatos: B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 6. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. et 3.

QUAESTIO II.

Utrum ex caritate diligendi sint daemones.

Secundo quaeritur, utrum ex caritate diligendi sint daemones. Et quod sic, videtur.

1. Levitici decimo nono [2]: *Diliges proximum*
Ad oppositum. *tuum sicut te ipsum*; Glossa: « Proximus non propinquitate sanguinis intelligendus est, sed societate rationis »; sed daemones sunt rationales: ergo daemones sunt proximi nostri. Si ergo proximi sunt ex caritate diligendi, videtur, quod et daemones.

2. Item, ratio diligendi proximum est, quia est ad Dei imaginem [3]; sed hanc est in daemonibus reperire: ergo cum in eis reperiatur ratio diligendi, videtur, quod eos debeamus ex caritate diligere.

3. Item, Angeli, antequam peccarent, ex caritate diligendi erant, propter ea quae habebant in se; sed Dionysius [4] dicit, quod « daemones habent sibi data integra et splendidissima »: ergo si tunc ex caritate diligendi erant propter ea quae tunc habebant, pari ratione videtur, quod nunc debeamus ex caritate eos diligere.

4. Item, ex caritate debemus diligere quaecumque faciunt ad cumulum nostri meriti; sed daemones nos tentantes et vexantes faciunt ad nostri meriti cumulum: ergo videtur, quod ex caritate diligendi sunt.

5. Item, ex caritate diligendum est omne quod facit ad Dei honorem et decorem divinae iustitiae; sed daemones de caelo deiecti et poenis subiecti faciunt ad manifestationem decoris divinae iustitiae: ergo videtur, quod sint ex caritate diligendi. *Prima* sic probatur: quia caritas diligit beatitudinem et appetit beatificari [5]; ideo diligit omne illud, quod est ad beatitudinem ordinatum: ergo pari ratione, cum

---

[1] Codd. A K S *affectum suum*.

[2] Vers. 18, qui versus in Vulgata sic sonat: *Dilige amicum tuum sicut te ipsum*. S. Bonav. versum istum hic exhibet secundum translationem Septuaginta interpretum. Glossa delibata est ex August., Epist. 155. (alias 52.) ad Maced. c. 4. n. 14, ubi s. Doctor illud Matth. 22, 40: *In his duobus praeceptis* etc. exponens ait: Proximus sane hoc loco non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in qua socii sunt omnes homines. — Pro *propinquitate*, quae lectio et in *Supplemento* Sum. Alex. Hal. collat. 63. a. 2. habetur, edd. cum plurimis codd. *proprietate*.

[3] Vide August., l. de Doctr. christ. c. 22. n. 20. seq.

[4] De Div. Nom. c. 4. § 23. Cfr. tom. II. pag. 122, nota 8.

[5] Multi codd. supplent *in Deo* et omittunt deinde *ideo*; edd. quoque supplent *in Deo*, sed omittunt paulo superius *decoris* ante *divinae iustitiae*.

caritas diligat Dei honorem et laudem, diligit omne illud quod facit ad amplificationem laudis divinae. *Minor* est manifesta per se.

Fundamenta. Sed contra: 1. In mandato dilectionis proximi praecipitur, ut homo diligat proximum sicut se ipsum; quod exponens Augustinus[1] dicit: « Sicut te ipsum, id est ad quod te ipsum »; nos ipsos autem debemus diligere ad summi Boni participationem: si ergo daemones ad hanc non possunt pervenire, videtur, quod non sint diligendi ex caritate.

2. Item, super illud Lucae decimo[2]: *Quis tibi videtur proximus esse?* Glossa: « Proximus est cui impenditur, vel qui impendit misericordiam »; sed daemones non sunt tales: ergo non sunt diligendi ex caritate.

3. Item, Augustinus, octavo de Trinitate[3]: « Qui diligit homines, vel quia iusti sunt, vel ut iusti sint, amare debet »; sed daemones non sunt iusti nec possunt esse iusti: ergo non sunt ex caritate amandi.

4. Item, curia caelestis daemones non diligit, quin potius odit et detestatur: ergo si in eis est caritas maxime perfecta, et tanto perfectior est in via, quanto conformior est illis qui sunt in patria; videtur, quod nulla caritas se ad daemonum dilectionem extendere debeat.

5. Item, nihil est caritatis vinculo amplectendum, quod est perpetualiter separatum ab his quae[4] caritate ligantur; sed daemones a membris Christi sunt sempiternaliter separati: ergo nullo modo sunt ex caritate diligendi.

CONCLUSIO.

Daemones et damnati non sunt diligendi ex caritate elicitive et proprie; sumendo caritatem large, sive ex caritate imperante, ratione naturae sunt diligendi, ratione culpae odiendi.

Respondeo: Dicendum, quod sicut irrationalia ex caritate non sunt diligenda *elicitive*, quia non sunt ordinata ad illius summi Boni assecutionem, Conclusio 1. quod suis dilectis caritas optat[5]; sic daemones, quia sunt obstinati in malitia et impossibiles effecti ad perveniendum in beatitudinem aeternam, diligendi Ratio. non sunt ex caritate *elicitive*. — Caritas enim nullos facit diligere *elicitive*, nisi eos quos optat ad summam beatitudinem pervenire. Nullos autem optat pervenire ad illam supernam beatitudinem, cum moveatur rationabiliter et discrete, nisi eos qui sunt habiles ad perveniendum et secundum ordinem naturae et secundum ordinem divinae iustitiae. Quoniam ergo daemones, etsi sint apti nati *per naturam* felicitari et in Deo beatificari, quia tamen *divina iustitia* repugnat, per quam sunt damnati ad sempiternam miseriam; hinc est, quod caritas summum Bonum eisdem non optat. Et ideo concedendum est, quod daemones non sunt ex caritate diligendi.

Eodem etiam modo dicendum est de damnatis, secundum quod ex caritate diligere accipitur *proprie*. Si vero ex caritate diligere accipiatur *large*, Conclusio 2. prout actus diligendi est ex caritate *imperante*[6]; sic daemones quodam modo sunt *diligendi* et quodam modo *odiendi*: *odiendi* ratione culpae, qua Conclusio 3. sunt Deo dissimiles, *diligendi* ratione naturae. Imago enim summi Regis, secundum naturam suam considerata, quantum est de se, pulcra est et formosa et naturali affectu amabilis a consimili natura[7]. — Verumtamen, quia habens caritatem multum detestatur eorum culpam; et culpa eorum totaliter et inseparabiliter possidet eorum naturam: hinc est, Corollarium. quod caritas magis movet affectum naturalem ad diligendum creaturas irrationales quam ad diligendum daemones. — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod daemones non sunt diligendi ex caritate.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod proximus est qui communicat in ratione; dicendum, quod *communicare in ratione* Distinctio. est dupliciter: vel secundum ipsius rationis *naturam puram*, vel secundum *ordinem* et habilitatem ipsius ad gratiam. Dico ergo, quod proximitas secundum rationis *naturam* non est sufficiens ad hoc, quod aliquis dicatur esse *proximus* respectu actus diligendi; dilectio enim gratuita respicit ordinem[8] ad gratiam. Et quoniam daemones hac proximitate carent, quia redditi sunt ad gratiam impossibiles; ideo sub nomine *proximorum* non continentur. Et ideo ex illa ratione non sequitur, quod diligendi sint ex caritate. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod imago est ratio diligendi in creatura[9]; dicendum, quod imago non est sufficiens ratio diligendi, nisi in quantum

---

[1] Vide supra lit. Magistri, d. XXVII. c. 5. Verba a Magistro Augustino tributa re vera sunt Magistri, qui his verbis breviter complectitur quod August., I. de Doctr. christ. c. 22. n. 21. fusius exponit. — In initio arg. pro *dilectionis* cod. W *de dilectione*.

[2] Vers. 36. — Glossa habetur apud Strabum et Lyranum in Luc. 10, 29. et 37; est secundum August., I. de Doctr. christ. c. 30. n. 31. (cfr. Enarrat. in Ps. 48. serm. 1. n. 14.). Vide hic lit. Magistri, c. 2. seqq.

[3] Cap. 6. n. 9. in fine.

[4] Edd. cum nonnullis codd. *qui*.

[5] Vide quaest. praeced. — De obstinatione daemonum cfr. II. Sent. d. 7. p. I. q. 1. seq. — Mox pro *obstinati* cod. A *confirmati*, cod. K *obstinati vel confirmati*. Post pauca pro *Caritas enim* edd. cum paucis codd. *Caritas autem*. Deinde pro *supernam beatitudinem* codd. M O R S W X *summam beatitudinem*, edd. *sempiternam beatitudinem*.

[6] Vide quaest. praeced.

[7] Cfr. Aristot., VIII. Ethic. c. 1. — Paulo superius pro *culpae, qua* edd. cum compluribus codd. *culpae, in qua*. Paulo inferius post *hinc est, quod caritas* edd. I, 2 addunt *nihil*, Vat. *naturalis*.

[8] Edd. cum aliquot codd. *ordinationem*. Superius post *dicatur* non pauci codd. omittunt *esse*. Mox pro *sub nomine* edd. *sub ratione*.

[9] Cod. aa *diligendi ex caritate*.

est ordinata ad gratiam et gloriam, ad quam ordinat caritas. Et quia hoc modo non est in daemonibus, immo omnino deordinata; ideo non cogit illa ratio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod angeli, antequam peccarent, ex caritate erant diligendi; dicendum, quod hoc erat, quia tunc habilitatem et idoneitatem habebant ad assequendum gloriam; sed hanc non habuerunt post lapsum: et ideo non sunt nunc, sicut tunc, ex caritate diligendi. Et *si tu obiicias*, quod « habent sibi data integra et splendidissima »;
Notandum. dicendum, quod illud dicitur quantum ad potentias respectu *naturalium* operationum, non autem quantum ad habilitates earundem respectu *gratuitarum*. Inhabiles enim facti sunt ad bene faciendum; tales enim habilitates corrumpuntur per peccatum, secundum quod vult Augustinus, et in secundo libro [1] fuit ostensum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod quidquid facit ad cumulum nostri meriti, est ex caritate diligendum; dicendum, quod hoc potest esse dupliciter:
Distinctio. vel *secundum principalem intentionem*, vel *per occasionem*. Quamvis ergo praedicta propositio veritatem possit habere de eo quod facit ad cumulum nostri meriti *secundum principalem intentionem* et primariam ordinationem; de eo tamen, quod facit ad cumulum meriti *per occasionem*, non oportet habere veritatem, quia ex multis malis et peccatis Deus viris iustis elicit bona; et hoc modo daemones faciunt ad nostri meriti promotionem, quia, dum intendunt nos pervertere ad peccatum, virtute divina eorum exercitium convertitur viris iustis et sanctis ad meriti additamentum [2].

5. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod omne quod facit ad Dei honorem et decorem iustitiae, est diligendum ex caritate; dicendum, quod sicut ex praecedentibus [3] patet, si *proprie* accipiatur di- Notandum.
ligere ex caritate, propositio non habet veritatem. Et *si tu obiicias*, quod ordinatum ad *beatitudinem* est diligendum ex caritate, ergo similiter ordinatum ad *laudem*; dicendum, quod dupliciter est aliquid ordinatum ad *beatitudinem*: aut quia *ipsum de se* Distinctio 1.
ordinatum est, ut perveniat ad beatitudinem; aut quia *per ipsum aliud* ordinatum est pervenire. Et quod *primo* modo ordinatum est ad beatitudinem, diligendum est ex caritate; quod *secundo* modo ordinatum est, non debet diligi ex caritate, accipiendo *proprie* [4]. — Similiter aliquid ordinatum ad *laudem* Distinctio 2.
Dei potest esse dupliciter: aut quia *ipsum* laudat et magnificat Deum et gloriatur in laude Dei, aut quia est *materia* laudis divinae. Et quod *primo* modo ordinatum est ad Dei laudem ex caritate diligendum est; quod vero *secundo* modo ordinatum est, non oportet, quod diligatur ex caritate, nisi dicatur diligi ex caritate *imperante*. Caritas enim imperat homini, ut velit, omne illud esse in universo, quod excitat virum iustum ad laudandum et magnificandum Deum suum [5].

QUAESTIO III.

Utrum ex caritate diligendi sint mali homines.

Tertio quaeritur, utrum ex caritate diligendi sint mali homines. Et quod sic, videtur.

1. Matthaei quinto [6]: *Diligite inimicos ve-*
Fundamenta. *stros* etc.; sed qui odit iustos absque dubio est iniquus et malus: ergo si talis est ex caritate diligendus iuxta mandatum dominicum, mali homines ex caritate diligendi sunt.

2. Item, omnes praedestinati diligendi sunt ex caritate; sed multi, qui sunt mali, sunt praedestinati: ergo aliqui mali ex caritate diligendi sunt. Sed nescimus, qui sint praedestinati, qui praesciti, dum in via sunt: ergo omnes mali sunt ex caritate diligendi.

3. Item, omnes, pro quibus est orandum, sunt ex caritate diligendi; sed orandum est pro peccatoribus: ergo tales ex caritate sunt diligendi.

4. Item, perfectissima caritas fuit in Christo; sed Christus, cum essemus iniusti et peccatores, dilexit nos [7]: si ergo omnis amor rectus debet caritatem Christi imitari, tunc videtur, quod peccatores et impii ex caritate sint diligendi.

Sed contra: 1. In Psalmo [8]: *Nonne qui ode-* Ad oppositum.
runt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? sed omnes viri iniusti Deum offendunt et ipsi Deo inimicantur: ergo omnes peccatores odiendi sunt: non ergo ex caritate diligendi.

2. Item, caritas facit voluntatem nostram conformem voluntati divinae; sed peccatores et iniusti sunt Deo odibiles, secundum illud Ecclesiastici duodecimo [9]: *Altissimus odio habet peccatores;* et illud: *Similiter abominabilis est Deo impius et impietas eius:* ergo videtur, quod secundum legem

---

[1] Dist. 35. a. 1. q. 1. et a. 2. per totum, ubi etiam Augustini dicta occurrunt.

[2] Cfr. II. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. seq. — Cod. Z *augmentum*.

[3] Scil. ex hac et praeced. quaest. — Paulo ante pro *decorem iustitiae* cod. Z *decorem divinae iustitiae*.

[4] Simul audi: diligi ex caritate. Edd. perperam supplent *ordinatum*.

[5] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Vers. 44. — Mox pro *iniquus* codd. A K *iniustus*.

[7] Respicitur Rom. 5, 8. seqq.; Ioan. 4, 10. et 19.

[8] Psalm. 138, 21. — Post pauca pro *inimicantur* edd. *iniuriantur*.

[9] Vers. 3. — Seq. Script. locus est Sap. 14, 9: Similiter autem odio sunt Deo impius etc.

caritatis mali sunt odiendi: non ergo ex caritate diligendi.

3. Item, « in contrariis sequitur *consequentia in ipso*[1] », et sicut se habet bonitas ad dilectionem, sic malitia ad odium; sed haec est per se vera: boni sunt diligendi, ergo et haec: mali sunt odiendi; sed odiendum non est diligendum: ergo mali non sunt ex caritate diligendi.

4. Item, caritas est vinculum unitatis[2]: ergo illi soli sunt ex caritate diligendi, qui sunt ex unitate corporis mystici; sed mali non sunt de unitate corporis mystici: ergo non sunt diligendi ex caritate.

CONCLUSIO.

Mali homines ex caritate diligendi sunt, quatenus sunt homines ad imaginem Dei facti et beatitudinis capaces; quatenus autem sunt mali, potius detestandi sunt quam diligendi.

Respondeo: Dicendum, quod de malis hominibus dupliciter contingit loqui et dupliciter etiam eos contingit considerare: vel in quantum sunt *homines*, vel in quantum sunt *mali*; sive in quantum habent in se *rationem divinae imaginis*, secundum quam sunt *capaces* beatitudinis, vel in quantum *carent perfectione divinae similitudinis*. Distinctio.

Si primo modo consideremus homines malos, in quantum videlicet sunt *homines* et ad Dei imaginem, secundum quam sunt capaces beatitudinis; sic ex caritate diligendi sunt, pro eo quod liberalitas caritatis et eius amplitudo omnes recolligit[3], qui ad illam summam beatitudinem habent idoneitatem. Conclusio 1. — Si vero consideremus homines malos, secundum quod *mali* sunt et privati perfectione divinae similitudinis; sic potius sunt detestandi quam diligendi. Conclusio 2. Et sic iidem homines et *odiendi* sunt et *diligendi*: *odiendi* quidem ratione inordinationis culpae, *diligendi* vero ratione ordinationis naturae, quae possibilis est ad perfectionem gratiae. Confirmatur. Et hoc est quod dicit Gregorius in quadam Homilia[4], « quod etsi indignationem debemus vitiis, compassionem debemus naturae ». Et Isidorus in libro de Virtutibus[5]: « Totum Christum non diligit qui hominem odit; bonum est non odire naturam, sed culpam ». Licet ergo malorum culpam odiamus, ipsos tamen diligere debemus. — Et sic concedendum est, quod licet malorum hominum malitia sit detestanda, ipsi tamen mali homines, in quantum sunt ad beatitudinem ordinati, sunt ex caritate diligendi. Unde et rationes, quae ad hoc inducuntur, concedi possunt.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod Propheta odio habebat odientes Deum; dicendum, quod Propheta non odiebat *naturam*, sed eorum *culpam*; propter quod subiungit: *Perfecto odio oderam illos*[6]; Glossa: « id est, iniquitates eorum odivi, non naturam; hoc est enim *perfecto* odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec propter homines vitia diligas ». Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Deus odit peccatores; iam patet responsio: quia Deus non odit eos ratione *naturae*, sed ratione *vitii*. Licet enim ratione *vitii* puniantur a divina iustitia, ratione tamen *naturae* ad bonum ordinatae foventur et attrahuntur a divina misericordia, secundum illud quod dicitur ad Romanos quinto[7]: *Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quia, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; sic enim Deus dilexit mundum*, ut dicitur Ioannis tertio, *ut Filium suum unigenitum* etc.

3. Ad illud quod obiicitur, quod « si propositum de proposito, et oppositum de opposito[8] »; dicendum, quod illud habet veritatem, intelligendo *per se*; et ideo in ratione illa est duplex defectus. Primum, quia boni homines sunt diligendi, non solum quia *boni*, sed etiam quia *ad bonum ordinati*, sive non solum quia boni in *actu*, sed etiam quia boni in *aptitudine* et habilitate; et ideo non sequitur, quod mali sint odiendi, quia mali, etsi non sint boni in *actu*, sunt tamen boni in *aptitudine*[9]. Defectus 1. *Praeterea*, esto quod hoc sit verum, quod boni, in quantum *boni*, sunt diligendi; ex hoc non sequitur, nisi quod mali, in quantum *mali*, sunt odiendi. Et hoc quidem verum est; sed ex hoc ulterius non est inferendum, quod mali homines non sunt diligendi, quia, quamvis sit in eis *malitia culpae*, quae est ratio odiendi, est tamen in eis *bonitas naturae*, quae est ratio diligendi. Defectus 2.

4. Ad illud quod obiicitur, quod caritas est vinculum unitatis; dicendum, quod vinculum dilectionis, licet respiciat duo extrema, unum tamen illorum respicit sicut *subiectum*, alterum autem sicut Notandum.

---

[1] Vide supra pag. 570, nota 2. — Verba *in ipso, et* desiderantur in edd.

[2] Cod. Z *unionis*. Deinde pro *ex unitate* edd. *de unitate*.

[3] De *amplitudine* caritatis, omnes in sinu amoris recipientis, cfr. Gregor., II. in Ezech. hom. 2. n. 15.

[4] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 3: Quia districtionem debemus vitiis, compassionem naturae. — Aliquanto superius pro *ordinationis naturae*, quam lectionem ex codd. A K restituimus, edd. *ordinabilitatis naturae*, codd. B D Z *et ordine naturae*; alii codd., voce *ordinationis* omissa, *ratione naturae*.

[5] Sive II. Sent. c. 3. n. 7. seq.: Totum ergo Christum non diligit qui hominem odit. *Bonorum* discretionis est non odire personas, sed culpas. Cfr. August., I. de Doctr. christ. c. 27. n. 28. et Serm. 4. (alias 44. de Diversis) c. 19. n. 20.

[6] Psalm. 138, 22. — Glossa formata est ex verbis August., Enarrat. in hunc loc. n. 28: Quid est *perfecto odio?* Oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam. Hoc est perfecto odio etc.

[7] Vers. 8. — Seq. testimonium est Ioan. 3, 16.

[8] Aristot., IV. Topic. c. 4. Cfr. supra pag. 505, nota 1, ubi pro *de proposito* et pro *de opposito* textus origin. et etiam edd. *in proposito* et *in opposito*. Inferius pro *Primum* codd. O U Z aa *Primus*.

[9] Edd. addunt *et habilitate* et mox pro *ex hoc non sequitur* exhibent *ex hoc tamen non sequitur*.

terminum; nec oportet, quod utrumque respiciat sicut *subiectum,* nisi ubi reperitur perfecta ratio unionis. Quoniam ergo habens caritatem est de unitate corporis [1], alius vero actu malus potest esse de unitate corporis illius, quamvis actu non sit; hinc est, quod caritas potest esse in uno respectu alterius, pro eo quod vinculum amicitiae ad sui *esse* non necessario exigit extremorum mutuam coniunctionem; multi enim diligunt, qui non diliguntur. Unde ad hoc, quod caritas sit vinculum unionis, non oportet, quod ponat *utrumque* extremorum in *actu* uniendi; sed sufficit, quod ponat unum in *actu,* scilicet subiectum, in quo est, reliquum vero in *habitu,* scilicet obiectum, sicut scientia ponit scientem in actu, scibile vero ponit in habitu [2]. Notandum.

SCHOLION.

I. Antiqui doctores in solvenda hac quaestione iisdem principiis et distinctionibus utuntur et etiam in conclusione consentiunt. De dilectione inimicorum speciali quaestione diffuse agitur infra d. 30. q. 4.

De hac (3.) quaestione distincte tractant: S. Thom., hic a. 4; S. II. II. q. 25. a. 6. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., hic a. 5. — Richard. a Med., hic q. 3.

II. Etiam in sequenti (4.) quaestione et obiectionibus solvendis theologi idem omnes sentiunt. — Observatione digna est doctrina (in corp.), quod triplici modo aliquid possit esse beatum.

De eadem quaestione specialiter agunt: S. Thom., hic a. 7; S. loc. cit. a. 5. — Petr. a Tar., hic a. 8. — Richard. a Med., hic q. 4.

QUAESTIO IV.

Utrum ex caritate sint diligenda corpora nostra.

Quarto quaeritur, utrum ex caritate sint diligenda corpora nostra. Et quod non, videtur.

Ad oppositum. 1. Ioannis duodecimo [3]: *Qui amat animam suam perdet eam;* sed constat, quod anima non stat ibi nisi pro « vita carnali »: ergo si vita carnalis in hoc mundo est odienda, videtur, quod odienda sint corpora nostra, non ergo ex caritate diligenda.

2. Item, nihil est ex caritate diligendum, quod impedit hominem ab assecutione beatitudinis; sed caro nostra est huiusmodi, quia *caro concupiscit adversus spiritum,* secundum quod dicitur ad Galatas quinto [4]; et ad Romanos septimo: *Invenio in membris meis quod legem repugnat* etc.: ergo si corpora nostra impediunt nos a beatitudine assequenda, videtur, quod non sint ex caritate diligenda.

3. Item, *caritas nunquam excidit* [5]: ergo illa sunt ex caritate diligenda, quae nunquam excidunt; sed corpora corrumpuntur: ergo ex caritate diligenda non sunt.

4. Item, ratio imaginis sive expressa assimilatio ad Deum est illud quod facit, creaturam rationalem ex caritate diligi, sicut ex praecedentibus [6] patet; sed in corpore communicamus cum brutis, nec perfectio imaginis invenitur in nobis ex parte corporis: videtur ergo, quod corpora nostra non sint ex caritate diligenda, sicut nec bruta animalia.

Fundamenta. Sed contra: 1. Ad Ephesios quinto [7]: *Viri debent diligere uxores suas sicut corpora sua:* si ergo hortatur Apostolus ad diligendas uxores ex caritate; cum similiter diligendae sint ut corpora, videtur, quod corpora nostra sint ex caritate diligenda.

2. Item, Augustinus dicit in libro de Doctrina christiana [8]: « Quatuor sunt diligenda », et tribus praemissis, subdit: « quartum, quod *infra* nos est, scilicet corpus nostrum »: si ergo Augustinus enumerat ibi diligenda ex caritate praecise et proprie, videtur, quod corpora nostra sint diligenda ex caritate.

3. Item, omne beatificabile est ex caritate diligibile; sed corpus nostrum cum anima communicabit in participatione felicitatis [9]: ergo similiter communicare debet in dilectione caritatis.

4. Item, in ordine caritatis consanguinei praemittendi sunt extraneis secundum Ambrosium [10]; sed consanguinitas non est nisi ex parte corporum: si ergo haec conditio reddit homines magis amabiles, videtur, quod corpora nostra inter ea connumerantur, quae sunt ex caritate diligenda.

---

[1] Cod. W supplet *mystici.* Subinde pro *actu malus* edd. cum paucis codd. *actu non habens caritatem.*

[2] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de his quae ad aliquid,* ubi mediante eodem exemplo monstratur, quod non in omnibus, quae sunt *ad aliquid,* verum videatur, ipsa esse simul natura.

[3] Vers. 25. — In *minori* respicitur Glossa *interlinearis* in versum laudatum, quae habetur apud Lyranum.

[4] Vers. 17. — Alter Scripturae locus est Rom. 7, 23: Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae etc. Lectionem *quod legem repugnat (repugnare aliquem* idem significat ac *oppugnare aliquem,* cfr. Forcellini, Totius Latin. Lexicon), quae omnium codd. est, edd. 1, 2 mutarunt in *quod legi repugnat,* Vat. in *legem repugnantem legi.*

[5] Epist. I. Cor. 13, 8. — Deinde edd. *ergo videtur, quod illa ex caritate sunt* [Vat. *sint*] *diligenda... sed corpora nostra corrumpentur* etc.

[6] Quaest. 1.

[7] Vers. 28.

[8] Libr. I. c. 23. n. 22. Vide hic lit. Magistri, c. 1.

[9] Cfr. IV. Sent. d. 49. p. II. a. 1. princip. a. 1. q. 1. seq. — Pro *diligibile* cod. Z *diligendum.*

[10] Vide infra lit. Magistri, d. XXIX. c. 2; attamen verba Ambrosio ibi tributa sunt Origenis, in Cantic. homil. 2. n. 8.

CONCLUSIO.

Corpora nostra, cum capacia sint beatitudinis per quandam redundantiam, ex caritate sunt diligenda.

Axioma. Respondeo: Dicendum, quod cum caritas sit pondus inclinans [1] ad summum Bonum et perfectam beatitudinem, omne illud facit diligere, quod est beatum, vel beatificabile. Quoniam ergo contingit Triplex beatum. aliquid esse beatum tripliciter, scilicet *per essentiam* et *per primam influentiam* et *per quandam redundantiam;* hinc est, quod omnia ista sunt ex caritate diligenda, secundum prius et posterius, secundum magis et minus. Beatum autem *per essentiam* est solus Deus; beatum vero *per primam influentiam* est rationalis spiritus; beatum denique *per quandam redundantiam* est corpus humanum, in quod gaudium gloriae redundat per coniunctionem Conclusio. sui ad animam beatam. Hinc est, quod caritas non solum facit nos diligere Deum et rationalem spiritum, sed etiam corpus nostrum. — Concedendum est igitur, sicut probatum est, quod corpora nostra diligenda sunt ex caritate; concedendae sunt etiam rationes ad hanc partem inductae.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod Deus Solutio oppositorum. hortatur nos in Evangelio ad vitam carnalem odiendam; dicendum, quod in corpore nostro est *vitiositas concupiscentiae* et *bonitas naturae.* Et quia Notandum. *vitiositas concupiscentiae* inclinat ad malum, ideo est odienda; et si quis eam diligit, *odit animam suam* [2]; quia vero *bonitas naturae* ordinata est ad summum Bonum quodam modo comparticipandum, ideo est diligenda. Cum ergo Dominus hortatur ad odiendam animam nostram sive vitam carnalem; dicendum, quod hoc non concludit, quod corpora nostra non sint diligenda *simpliciter* [3], sed quod non sunt diligenda quantum ad *vitiositatem concupiscentiae.*

2. Et per hoc patet responsio ad rationem sequentem: quia caro non repugnat spiritui nec impedit ab assequenda beatitudine propter conditionem naturae, sed propter vitiositatem concupiscentiae contractae.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non debent diligi ex caritate ea quae corrumpuntur, cum caritas nunquam excidat; dicendum, quod quamvis corpus nostrum sit corruptibile ad tempus et secundum praesentem statum, est tamen ad perpetuam incorruptionem ordinatum. Unde quamvis nunc *seminetur in corruptione, resurget in incorruptione* [4]; et ideo, quamvis corpus sit corruptibile quantum ad naturae lapsae infirmitatem, non sequitur, quod non sit diligibile ex caritate quantum ad *veritatem naturae,* secundum quam ordinatum est ad perpetuam incorruptionem.

4. Ad illud quod obiicitur, quod ratio imaginis et expressa assimilatio, quae facit, creaturam rationalem diligi ex caritate, non invenitur in corpore; dicendum, quod verum est, per se loquendo, quod ratio imaginis sic facit. Licet autem corpus humanum non sit ad Dei imaginem *per se,* est tamen Notandum. *unitum animae,* quae est ad Dei imaginem, unitum, inquam, in unitate naturae; et ratione illius est beatitudinis comparticipabile; et sicut est beatitudinis comparticipabile, ita est diligendum ex caritate, ea videlicet ratione, qua est animae rationali unitum; et hoc est proprium corporis humani respectu cuiuslibet alterius corporis. Propterea non est simile de aliis corporibus et animalibus [5] irrationalibus.

QUAESTIO V.

Utrum ex caritate diligenda sint dona gratuita.

Quinto quaeritur, utrum ex caritate diligenda sint dona gratuita. Et quod sic, videtur:

1. Primo per Augustinum, in libro de Trini- Fundamenta. tate [6]: « Qui diligit proximum ipsam praecipue dilectionem diligat »: ergo si proximum diligit ex caritate, dilectionem diligit ex caritate; sed dilectio, qua diligit proximum, est donum gratuitum: ergo dona gratuita sunt ex caritate diligenda.

2. Item, omne quod ordinat ad beatitudinem et ad eam perducit, diligendum est ex caritate; sed dona gratuita sunt huiusmodi: ergo videtur, quod ex caritate diligenda sunt.

3. Item, constans est, quod dona spiritualia sunt amanda et a Deo petenda, et qui illa diligit diligendo meretur: si ergo dilectio meritoria est dilectio caritatis, videtur, quod talia dona sint ex caritate diligenda.

4. Item, sicut se habet dilectio gratuita ad dona

---

[1] Cfr. supra pag. 289, nota 5.

[2] Psalm. 10, 6: Qui diligit iniquitatem etc.

[3] Post *simpliciter* codd. B X aa addunt *quantum ad bonitatem naturae;* in edd. legitur: *quod corpora nostra non sint diligenda quantum ad bonitatem naturae, sed quantum ad vitiositatem concupiscentiae.*

[4] Epist. I. Cor. 15, 42. — Post *resurget* edd. subdunt *tamen,* cod. N *etiam.* — Paulo inferius pro *veritatem naturae* (ita codd. I bb) cod. A *virtutem naturae,* cod. G *voluntatem naturae,* alii codd. cum edd. *necessitatem naturae,* denique *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 63. a. 4. *nobilitatem naturae.*

[5] Edd. omittunt *et animalibus.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Libr. VII. c. 7. n. 10. Cfr. in I. Epist. Ioan. tr. 9. n. 10. — Mox pro *ergo si proximum diligit* plures codd. *ergo si proximum diligat.* In conclus. post *dona gratuita sunt* codd. I L interserunt *similiter.*

gratuita, sic [1] se habet dilectio naturalis ad bona naturalia; sed bona naturalia diliguntur naturali dilectione: ergo pari ratione dona gratuita diliguntur dilectione gratuita. Sed dilectio gratuita est dilectio caritatis: ergo videtur, quod dona gratuita sint ex caritate diligenda.

Ad oppositum. CONTRA: 1. Nulla creatura carens ratione est diligenda ex caritate [2]; sed huiusmodi dona gratuita rationem non habent: ergo non debent diligi ex caritate.

2. Item, « diligere est velle alicui bonum [3] »; sed stultus est qui vult alicui virtuti vel caritati bonum: ergo videtur, quod huiusmodi dona gratuita ex caritate non sunt diligenda.

3. Item, illud solum est ex caritate diligibile, quod est aliquo modo beatificabile; sed huiusmodi dona gratuita non sunt beatificabilia: ergo non sunt ex caritate diligenda [4].

4. Item, Augustinus [5] sufficienter enumerat ea quae sunt ex caritate diligenda; sed dona gratuita non sunt de illis quae Augustinus enumerat: ergo videtur, quod ex caritate diligenda non sunt.

CONCLUSIO.

Bona gratuita ex caritate sunt diligenda, non quidem amore amicitiae, sed concupiscentiae.

RESPONDEO: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod aliqui dicere voluerunt, dona gratuita non esse ex caritate diligenda, secundum quod Opinio 1. diligere ex caritate est motus caritatis ut *elicientis;* sed si ex caritate diliguntur, hoc est secundum quod diligere est ipsius caritatis *imperantis* [6]. Nam in hoc differt caritas ab affectu naturali, quod naturalis affectus quaerit proprium commodum, « caritas vero, secundum quod dicit Gregorius [7], protenditur in alterum »; et quia commodum nostrum recte et proprie consistit in spiritualibus donis, quae ordinant nos ad beatitudinem: ideo amor talium donorum est a dilectione naturali *elicitive,* sed a caritate *imperative,* cuius est imperare affectibus nostris, ut recte moveantur in suum finem. — Sed illud non sufficit dicere: primum quidem, quia caritas non semper *in alterum* tendit; habens enim caritatem, per ipsam frui Deo desiderat. Secundo vero, quia, quamvis sit naturae quaerere et amare commoda naturalia, spiritualia tamen dona perfecte amare, hoc non potest esse nisi dilectionis gratuitae. Non sufficit.

Et propterea est alius modus dicendi, quod Opinio 2. cum *bonum* sit obiectum caritatis, et actus recipiat speciem ab obiecto [8]; intentio actus diligendi variari habet secundum rationem *boni.* Bonum autem dici- Bonum dicitur dupliciter. tur aliquid dupliciter: uno modo *concretive,* quia est ordinatum ad beatitudinem et in finem [9]; alio modo *abstractive,* quia est illud quo quid ordinatur in finem. Dona igitur gratuita non dicuntur esse bona *primo* modo, sed *secundo,* quia mediantibus illis substantiae rationales habent in finem ordinari; ideo, proprie loquendo, magis sunt *bonitates* quam *bona,* et magis *rationes diligendi* quam *diligibilia.* Et ideo dicunt isti, quod *susceptiva* horum donorum spiritualium sunt ex caritate diligenda, ipsa vero *dona gratuita* non sunt proprie ex caritate diligenda [10], sed magis *rationes diligendi* ex caritate sua subiecta. Et quia accidens cum subiecto est unum, ideo dilectio istorum donorum cum dilectione creaturarum rationalium non ponit in numerum. — Sed illud adhuc calumniabile est, pro eo Non placet. quod Deus, qui est ipsa summa Bonitas per essentiam, connumeratur inter ea quae sunt ex caritate diligenda. Et iterum: « Si propter quod unumquodque, et illud magis [11] » — sed talia dona spiritualia sunt bona, propter quae homines diliguntur — multo fortius ex caritate diligenda ipsa videntur.

Et ideo est adhuc tertius modus dicendi, quod sicut in praecedentibus [12] tactum est, duplex est caritatis motus et affectus. Est enim dilectio *amicitiae* Dilectio amicitiae et concupiscentiae. et dilectio *concupiscentiae.* Dilectione *amicitiae* illa diliguntur, quibus optatur bonum; dilectione vero *concupiscentiae* illa dicuntur diligi, quae desiderantur. Quoniam ergo desiderium bonorum spiritualium est ipsius caritatis, secundum quod Sancti [13] dicunt, quia bona spiritualia tenent rationem *honesti;* conce- Conclusio. dendum est, quod bona gratuita ex caritate dili-

---

[1] Codd. F H N T *Item sic se... gratuita, sicut se* etc. Post pauca pro *naturali dilectione* cod. Z *naturali affectione.*

[2] Cfr. supra quaest. 1.

[3] De qua definitione ab Aristot. data vide supra pag. 574, nota 5.

[4] Edd. *diligibilia.*

[5] Libr. I. de Doctr. christ. c. 23. n. 22. Vide quaest. seq. et hic lit. Magistri, c. 1. — Subinde pro *ea quae* cod. K *omnia quae.*

[6] De caritate ut eliciente et imperante vide supra quaest. 1.

[7] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 1: Dilectio in alterum tendit, ut caritas esse possit.

[8] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 33. (c. 4.). Vide tom. II. pag. 561, nota 3. — Subinde pro *intentio actus* non pauci codd. *intentio* tantum.

[9] Cod. K addit *ut est substantia rationalis.* Mox pro *quo quid* codd. A K bb *quo aliquid,* edd. *quo quis.*

[10] Supple: sunt. — Aristot., I. Topic. c. 6. (c. 5.) inter ea quae unum numero sunt, recenset suppositum cum accidentibus. Cfr. V. Metaph. text. 7. (IV. c. 6.). — Deinde pro *ideo dilectio... non ponit* edd. *ideo dilectionem... non est ponere.*

[11] Aristot., I. Poster. c. 2. — Edd. sic: *Et iterum: Propter quod unumquodque tale, et ipsum magis; sed talia... diliguntur: ergo multo fortius* etc. Pro *sed talia* cod. A *si talia.*

[12] Dist. 27. a. 1. q. 2. ad 6. et d. 26. a. 2. q. 3. ad 3, nec non I. Sent. d. 17. p. I. q. 2, ubi idem problema proponitur.

[13] Sufficiat citare Bedam, qui III. Expos. in Cantic. 3, 5. n. 11. ait: Nec mirandum, quod somno comparetur amor, quia visibilium appetitu sensum mentis avertit atque ad invisibilia appetenda convertit etc. — Inferius nomine *honesti* intellige id quod propter se expetendum est. Cfr. tom. I. pag. 34, nota 4. et pag. 40, nota 5. — Pro *quia bona,* quod a codd. A K Z bb commendatur, alii codd. cum edd. *quod bona.*

genda sunt. Et hoc expresse dicit Augustinus in octavo de Trinitate [1], cum dicit, quod « ipsa caritas ex caritate diligenda est ». Expresse etiam docet ipsa experientia viros spirituales, qui nihil tam desiderant post Deum, quam habere perfectam Dei dilectionem. — Unde concedendae sunt rationes, quae sunt ad istam partem.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod nulla creatura carens ratione diligenda est ex caritate; dicendum, quod si intelligatur de Notandum. dilectione *amicitiae*, verum est; si vero de dilectione *concupiscentiae*, non est verum. Et *si tu obiicias*, quod tunc bona temporalia erunt [2] diligenda ex caritate, cum caritas faciat, illa bona concupisci propter obsequium Dei; dicendum, quod non est simile: quia illa bona temporalia habent tantum rationem *commodi*, sed bona spiritualia habent rationem *honesti;* et ideo concupiscentia *sapientiae* in Scriptura [3] laudatur, quamvis concupiscentia *pecuniae* vituperetur. *Praeterea*, « bona temporalia sunt minima bona », sicut dicit Augustinus [4]; sed dona gratuita connumerantur inter bona maxima; et ideo de his et istis non est simile.

2. Ad illud quod obiicitur, quod diligere est velle alicui bonum; iam patet responsio: quia loquitur de *diligere*, secundum quod est actus *amicitiae;* secundum enim quod est actus *concupiscentiae*, *diligere* non est velle alicui bonum, sed magis est aliquod bonum desiderare vel aliquod bonum acceptare. Et quamvis non sit concedendum, quod caritas faciat sibi velle bonum; facit tamen, se desiderari et acceptari tanquam verum bonum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod nihil est amandum ex caritate nisi beatificabile; dicendum, quod illud prima fronte habet instantiam in Deo, qui est ipsa beatitudo [5]. *Praeterea*, etsi in creaturis aliquo modo habeat veritatem, hoc verum est in his quae diligenda sunt dilectione *amicitiae*.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, dicendum, quod Augustinus non enumerat *quaecumque* diligenda, sed diligenda dilectione *amicitiae*. Et *si tu quaeras* rationem, *quare;* dicendum, quod hoc est, quia motus amicitiae maioris liberalitatis est quam Notandum. motus concupiscentiae; et secundum illum caritas protenditur in alterum: et ideo secundum illum modum magis diligibilia distinguuntur, et quae diligenda sunt diligi praecipiuntur. Nec est diminutio, quia in illis ista includuntur [6].

SCHOLION.

I. Quae hic *generaliter* de donis gratuitis docentur, haec iam I. Sent. d. 17. p. I. q. 2. *specialim* de caritate tractata sunt, ubi etiam alii commentatores in scholio citati sunt. In responsione omnes satis conveniunt.

De hac (5.) quaestione: S. Thom., hic a. 1; S. II. II. q. 25. a. 2. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., hic a. 2. — Dionys. Carth., hic q. unica.

II. De sufficientia diligendorum ex caritate, tractata in seq. (6.) quaestione, secundum *primam* viam ab auctore relatam explicite agunt: S. Thom., S. loc. cit. a. 12. (cfr. hic a. 7; Qq. disp. de caritate, a. 7.). — B. Albert., hic a. 1. — Rem tangit Petr. a Tar., hic a. 9, ubi arg. 5. ad oppos. speciali quaestione discutit. — *Secundam* viam sequitur Richard. a Med., qui (a. 1. q. 1-4.) totam doctrinam de obiectis caritatis secundum haec quatuor membra dividit et distinctis quaestionibus absolvit; de qua divisione cfr. etiam infra d. 29. dub. 3.

QUAESTIO VI.

De diligendorum numero et sufficientia.

Sexto quaeritur de diligendorum numero et sufficientia. Dicit enim Augustinus [7], quod « quatuor sunt ex caritate diligenda, videlicet Deus et nos ipsi, proximus et corpus nostrum ». Et videtur primo, Obiicitur superfluitas. quod ibi sit *superfluitas:*

1. Quia quae sunt eiusdem speciei et non distinguuntur nisi secundum materiam, non debent facere diversa membra distinctionis [8]; sed nos et proximus noster sumus eiusdem speciei: ergo non debet homo habens caritatem cum proximo suo pro diversis diligibilibus numerari.

2. Item, sacra Scriptura sufficienter enumerat diligibilia in praeceptis, quae dat; sed non enumerat nisi duo, scilicet Deum et proximum, de quibus dat duo praecepta [9]: ergo videtur, quod alia membra sint superflua.

3. Item, nihil contingit esse beatum nisi tribus modis, videlicet *per essentiam*, *per primam in-*

---

[1] Cap. 8. n. 12. — Inferius pro *qui nihil* cod. A *quod nihil*, et pro *tam... quam* codd. A U W *tantum... quantum*.

[2] Cod. U *essent*, codd. A T *erant*, qui etiam cum codd. F G H I L pro *diligenda* exhibent *diligibilia*.

[3] Sap. 6. 21: Concupiscentia itaque sapientiae deducit ad regnum perpetuum. Cfr. Eccli. 6, 37. De concupiscentia pecuniae vide Act. 5, 1. seqq., et I. Tim. 6, 9. Cfr. August., 83 Qq. q. 30. — Pro *pecuniae* cod. Z *potentiae*.

[4] Libr. II. de Lib. Arb. c. 19. n. 50. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXVII. c. 3. seq.

[5] Verba *qui est ipsa beatitudo* desunt in edd.

[6] Verbo *includuntur* cod. W praemittit *diliguntur vel*. Paulo superius pro *diligibilia* cod. bb *diligenda*.

[7] Libr. I. de Doctr. christ. c. 23. n. 22. Vide hic lit. Magistri, c. 1.

[8] Cfr. Aristot., VII. Metaph. text. 28. (VI. c. 8.); Porphyr., de Praedicab. c. *de Specie* et c. *de Differentia*. — Edd. sic: *Quia quae sunt eiusdem speciei non distinguuntur nisi secundum numerum et non debent* etc.

[9] Matth. 22, 37. seqq. Cfr. supra lit. Magistri, d. XXVII. c. 2.

fluentiam et *per redundantiam*[1]: ergo si caritas non se extendit ad diligendum nisi id quod est beatum in actu, vel in potentia; videtur, quod non sint nisi tria diligenda, videlicet Deus, animus et corpus.

Obiicitur diminutio. Sed quod sit *diminutio*, videtur:

4. Primo per Ambrosium, qui, secundum quod in sequenti distinctione[2] habetur, assignat sex membra in numero diligendorum: ergo si Ambrosius non fuit in enumerando *superfluus*, videtur, quod Augustinus fuerit *diminutus*.

5. Item, sicut ex caritate diligendum est corpus nostrum, ita etiam et corpus proximi: ergo sicut animus noster et animus proximi constituunt duo membra diligendorum, ita videtur, quod corpus nostrum et corpus proximi: ergo videtur, quod quinque sunt ex caritate diligenda.

6. Item, sicut ex caritate diligimus quod est *supra* nos et *infra* nos et *iuxta* nos; sic etiam ex caritate diligendum est quod est *contra* nos, videlicet inimicus, sicut supra[3] ostensum est: videtur ergo, quod praedictis membris deficiat unum membrum.

Quaeritur ergo: quare tot sunt ex caritate di- Quaestio. ligenda, et non plura neque pauciora?

CONCLUSIO.

Ex caritate quatuor sunt diligenda, quorum sufficientia duplici via demonstratur.

Respondeo: Dicendum, quod numerus diligi- Duplex comparatio. bilium et sufficientia dupliciter potest accipi: uno modo per comparationem ad ipsam *dilectionem;* alio modo per comparationem ad ipsum *diligentem.*

Secundum ipsam *dilectionem* potest accipi nu- Via 1. merus et sufficientia sic. Cum enim dilectio sit appetitus boni, in appetitu autem boni est considerare Triplex respectus. ipsum *bonum desideratum* et ipsum *qui* desiderat et ipsum *cui* desiderat bonum[4]; *bonum* autem *desideratum*, hoc est summum Bonum, ille *qui* deside- Finis cui quadruplex. rat est habens caritatem; *cui* autem desideratur potest esse in quadruplici differentia — quia aut optat summum Bonum ipsi *Deo*, aut *sibi* ipsi, aut sibi *simili*, aut sibi *adhaerenti* — ideo quatuor sunt ex caritate diligenda, quia numerus diligendorum non accipitur ex parte *optantis*, vel ex parte *boni optati*, cum sit unum, sed ex parte eius *cui* optatur; quod cum sit in quadruplici differentia, quatuor sunt diligendorum membra. Et hoc est quod supra[5] dictum est, quod in praedicta divisione sumitur nu- Notandum. merus diligendorum secundum dilectionem *amicitiae*, qua dicitur quis diligere alium, quando vult illi bonum.

Alio modo potest sumi numerus et sufficientia Via 2. diligendorum ex comparatione ad ipsum *diligentem.* Nam diligens aut habet respectum ad *se*, aut ad Quadruplex respectus. id quod est *supra se*, aut ad id quod est *iuxta se*, aut ad id quod est *infra se;* et secundum hoc[6] quatuor tantummodo diligenda sunt ex caritate. — Et secundum hunc modum assumit Augustinus dili- Ita August. gibilium numerum et sufficientiam in libro de Doctrina christiana[7], nec tantum assignat *numerum*, sed etiam *ordinem debitum.* Ait enim sic: «Quatuor sunt diligenda: unum, quod *supra nos* est, scilicet Deus; alterum, quod *nos* sumus; tertium, quod *iuxta nos* est, scilicet proximus; quartum, quod *infra nos* est, scilicet corpus». Et quia omnia possunt reduci ad ista quatuor membra; ideo patet diligendorum numerus et sufficientia.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod est ibi Solutio oppositorum quoad superfluitatem. *superfluitas*, quia non differimus specie a proximis; dicendum, quod quamvis *specie* non differamus, tamen ad nos et ad proximos nostros caritas nostra diversimode comparatur secundum *rationem* diligendi et *gradum.* Primo enim caritas facit *habentem* se tendere ad beatitudinem et deinde *proximum;* illi optat tendere ad idem quasi a latere[8].

2. Ad illud quod obiicitur, quod sacra Scriptura non exprimit nisi duo diligenda; dicendum, quod in sequenti mandato implicat tria diligenda. Nam in hoc quod dicit: *Dilige proximum tuum sicut te ipsum*, mandat homini, quod diligat se ipsum; et cum ipse sit constitutus ex anima et corpore, includitur ibi dilectio utriusque[9].

3. Ad illud quod obiicitur, quod tantummodo tribus modis est quid beatum; dicendum, quod verum est; sed tamen caritas, quae disponit ad beatitudinem, alio modo respicit suum *susceptibile*, alio Notandum. modo respicit illud quod est ei *simile:* primum ut *participans*, secundum ut *comparticipans;* et ideo secundum istam diversam comparationem distingui possunt diversa diligibilia[10].

Item quoad diminutionem. 4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod est ibi

---

[1] Vide supra quaest. 4. in corp. — Post pauca pro *nisi id* edd. cum paucis codd. *nisi ad id.* Deinde pro *diligenda* codd. H Z bb *diligibilia.*

[2] Cap. 2. *Ambrosius* falso a Magistro aliisque allegatur pro *Origene.* — In initio arg. codd. Z aa (K a secunda manu) voculae *Sed* adiiciunt *contra.*

[3] Quaest. 3. — *Maior* est secundum August., cuius sententiam videsis hic in lit. Magistri, c. 1.

[4] Secundum Aristot., de quo supra pag. 574, nota 5. — Vat. *cui desideratur bonum.*

[5] Quaest. praeced. ad 4. — Proxime post pro *quod* codd. F H I L N T U Z bb et edd. 1, 2 *quia.*

[6] Codd. F G L N T U V Z *secundum haec.*

[7] Libr. I. c. 23. n. 22. In fine testimonii post *scilicet corpus* cod. Z subdit *nostrum.*

[8] Cfr. August., l. de Doctr. christ. c. 29. n. 30. — Edd., omissa vocula *illi* nec facta interpunctione, coniungunt *optat tendere* cum verbo *proximum.* Pro *illi* cod. A *illum*, cod. U *quia illi.*

[9] Vide hic lit. Magistri, c. 1. — Superius pro *sequenti mandato* Vat. *secundo mandato* et subinde pro *diligenda* cum edd. 1, 2 et nonnullis codd. *diligibilia.*

[10] Cfr. supra q. 4. ad 4.

diminutio, quia Ambrosius assignat sex membra; dicendum, quod illa sex membra reducuntur ad ista quatuor. Ambrosius enim distinguit unum istorum membrorum in quatuor, videlicet dilectionem eius quod *iuxta* nos est, scilicet dilectionem proximi. Nec est ibi contrarietas, quia Ambrosius considerat differentias diligibilium *accidentales*, Augustinus considerat gradus et differentias *magis essentiales;* quod melius apparebit inferius [1].

5. Ad illud quod obiicitur de corpore proximi, dicendum, quod tam corpus proximi quam corpus nostrum est *infra* nos, et ideo continetur sub quarto membro. Nec est simile de *animo* nostro et animo proximi, quia *diversimode* habet caritas comparari ad utrumque: ad unum sicut ad *intrinsecum*, ad aliud sicut ad *propinquum*. Ad *corpora* autem comparari habet *uniformiter;* ad utrumque enim comparatur sicut ad inferius. — Aliter volunt [2] aliqui dicere, quod dilectio *corporis* proximi continetur sub dilectione proximi, quia *uniformiter* comparatur caritas ad utrumque; ad *animum* autem nostrum et ad *corpus* comparatur *difformiter*, quia ad animum comparatur sicut ipsum informans et eidem inhaerens, ad corpus vero sicut eidem dominans et ipsum regens.

Notandum.

Solutio aliorum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod ex caritate diligendum est quod est *contra nos;* dicendum, quod illud continetur sub eo membro, quod est *iuxta nos*, pro eo quod, etsi inimici sint diligendi, qui sunt contra nos, non tamen sunt diligendi in eo, quod sunt *contra nos*, hoc est ratione culpae, sed in eo, quod sunt *iuxta nos*, hoc est secundum conformitatem naturae [3].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Nec speciali praecepto opus erat hoc tradi, ut quisque se vel corpus suum diligat* etc. Hoc enim non videtur verum, quia, si praecepta data sunt ad dirigendum affectiones nostras; cum maxime contingat unumquemque [4] errare circa dilectionem sui, videtur, quod de hoc maxime debuit praeceptum dari. — Item, in praeceptis caritatis non praecipitur amor carnalis, sed spiritualis; sed difficillimum est se ipsum spiritualiter diligere: si hoc ergo necessarium est ad salutem, videtur, quod hoc debuerit *specialiter* praecipi. *Si dicas*, quod non oportuit praecipere, quia in aliis duobus praeceptis includitur [5]; tunc quaeritur: quare dilectio *proximi* non includitur, sed exprimitur?

Triplex ratio.

Respondeo: Dicendum, quod triplex est ratio, quare non oportet, *speciale* mandatum dari de dilectione sui, vel corporis: una est, quam reddit Augustinus, et habetur in littera [6], quia satis intelligitur per hoc quod dicitur: *Sicut te ipsum.* Alia ratio est, quia ad hoc ipsum inclinat natura. Tertia ratio est, quia diligere Deum ex toto corde et ex tota anima et ex tota mente, hoc est se ipsum *spiritualiter* amare. Ille enim se *spiritualiter* amat, qui cor et corpus ad honorem Dei totaliter exponit; et sic dilectio sui implicatur in illis duobus mandatis, et qui bene exsequitur primum mandatum facilitatem habet et rectitudinem ad diligendum se ipsum; et propterea non oportuit tertium mandatum addi, secundum quod dicit Augustinus [7].

Et per hoc patet determinatio obiectorum. Nam illud quod obiicit, quod circa dilectionem sui est obliquatio et difficultas; iam patet: quia satis instruitur homo per illa duo mandata ad obliquitatis et difficultatis illius remotionem.

Ad illud quod ultimo quaeritur: quare non sic implicite datur mandatum de dilectione proximi, sicut de dilectione sui? dicendum, quod ratio huius est, quia non est ita in inclinatione et appetitu naturae converti ad alterum, sicut converti ad se ipsum; et *praeterea* [8], difficillimum est proximum diligere, maxime quando est ei adversarius: ideo congruum fuit, de hoc speciale mandatum dari.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Manifestum est, omnem hominem proximum esse deputandum.* Obiicitur enim de beata Virgine: si enim proximus est ille qui est *iuxta* nos, et beata Virgo non tantum *supra nos*, sed « *supra Angelos* exaltata est [9] »: non videtur, quod tantum diligenda sit ut proxima, sed magis ut domina. — Item, honoranda est beata

[1] Dist. seq. q. 6. et dub. 3. — In initio solut. edd. omittunt *ultimo*, et deinde pro *in quatuor* codd. substituunt *in quinque;* perperam, ut ex dub. 3. seq. dist. patet. Circa finem solut. edd. 1, 2 post *gradus* addunt *hominis*, Vat. *boni.*

[2] Cod. A *voluerunt.*

[3] Cfr. supra quaest. 3. — Paulo ante plurimi codd. omittunt *sunt* post *non tamen.*

[4] Multi codd. atque edd. *unumquodque.*

[5] Ut dicit Magister, hic c. 1.

[6] Hic c. 1. — Subinde pro *intelligitur* codd. A K bb *intelligebatur.*

[7] Vide hic lit. Magistri, c. 1. — Superius pro *dilectio sui* edd. *dilectio ipsius.*

[8] Edd. *et propter hoc.* — Cfr. de hoc dubio Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[9] Ut Bernardus docet nec non Hieronymus; de quo vide supra pag. 57, nota 5. — Edd., supra pro *si enim* substituto *sicut enim*, hic ante *non videtur* inserunt *ergo.*

Virgo speciali honore, qui dicitur *hyperdulia*[1]: ergo speciali amore amanda: non ergo videtur, quod sub nomine *proximi* intelligatur, per quem intelligimus illud quod est *iuxta*.

Respondeo: Dicendum, quod nomine *proximi* intelligitur omnis homo cuiuscumque sexus, cuiuscumque dignitatis, cuiuscumque virtutis. Unde et dilectio gloriosae Virginis includitur sub dilectione proximi. De B. Virgine.

Ad illud vero quod obiicitur, quod non est iuxta nos, sed magis supra; dicendum, quod licet sit *supra* nos ratione dignitatis gratiae et conceptionis nobilissimae, est tamen *iuxta* nos secundum conformitatem naturae; et quoniam *dilectio* respicit similitudinem, *honor* autem respicit dignitatem[2], hinc est, quod *dilectio* eius generaliter sub dilectione proximi continetur, quamvis *veneratio* ipsius aliis superponatur. — Verum est tamen, quod ipsa speciali affectu ab omnibus debet diligi; sed ex hoc non sequitur, quod dilectio eius non debeat sub dilectione proximi contineri, quia, quantumcumque aliqua creatura magno affectu sit amanda, per prius ipsa caritas ordinat animum ad diligendam salutem propriam, sicut melius infra[3] manifestabitur. — Per hoc patet responsio ad obiecta, quoniam ipse arguit de dignitatis sublimitate, cum obiicit[4], quod beata Virgo est supra nos, secundum quam est *veneranda;* sub nomine vero *proximi* continetur quantum ad naturae conformitatem, secundum quam est *diligenda*. Notandum.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Manifestum est, praecepto dilectionis proximi etiam sanctos Angelos contineri.* Sed *contra:* sancti Angeli quantum ad dignitatem naturae et quantum ad eminentiam gratiae et quantum ad excellentiam gloriae supra nos sunt: ergo videtur, quod non debeant proximi nostri, sed domini reputari. — Item, Christus dominus noster est, qui fuit *paulo minus ab Angelis minoratus*, secundum quod dicitur in Psalmo[5]: ergo videtur, quod ipsi Angeli sint sicut domini nostri, non sicut proximi reputandi.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis Angeli supra nos sint sive quantum ad *dignitatem naturae*, sive quantum ad *sublimitatem gratiae;* tamen quantum ad *actum dilectionis* non sunt supra nos diligendi, pro eo quod caritas nostra *principaliter* respicit summum Bonum, in quod facit tendere et ad quod inclinat; *secundo* vero respicit subiectum, quod informat; *tertio* vero respicit aliud subiectum consimile, cum quo ligat[6]; unde quantumcumque creatura sit in se ipsa excellens, tamen secundum legem caritatis *iuxta* est, et ideo sub nomine proximi debet contineri. De Angelis

Ad illud ergo quod obiicit, quod supra nos sunt sub ratione naturae, gratiae et gloriae; iam patet responsio: quia, quamvis sint supra nos secundum ordinem *universi*, non tamen sunt supra nos secundum ordinem *caritatis*[7]. — Potest etiam aliter dici, quod quamvis sint supra nos ratione *simplicitatis*, *spiritualitatis* et *incorruptibilitatis*, sunt tamen iuxta nos ratione *imaginis*, secundum quam nos et ipsi habemus immediate in Deum ordinari[8]; et ratione huius possunt nostri proximi appellari. Aliter.

Et per hoc patet responsio ad illud quod obiicitur de Christo, quod illud dicitur ratione passibilitatis assumtae[9].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Christum, in quantum homo est, sicut nos diligere debemus.* Contra: Christus est caput nostrum secundum conformitatem naturae assumtae[10]; sed caput magis est diligendum quam aliud membrum: ergo plus debemus diligere Christum, secundum quod homo, quam nos. — Item, tantum debemus diligere Redemptorem, quantum et Creatorem; sed Creator est diligendus plus quam nos: ergo et Redemptor. Sed Christus, in quantum homo, est Redemptor[11]: ergo Christum, in quantum est homo, debemus diligere plus quam nos.

Respondeo: Dicendum, quod cum dicitur: Christus, in quantum homo, diligendus est quantum nos, vel plus quam nos, haec determinatio *in quantum* potest importare *unitatem personae*, vel *conditionem naturae*, iuxta illud quod dictum fuit su- De Christo. Distinctio.

---

[1] Cfr. supra d. 9. a. 1. q. 3. — Paulo inferius pro *sub nomine* edd. exhibent *sub ratione* et in fine arg. adiiciunt *nos.*

[2] Pro *dignitatem* codd. B C D G *humilitatem* (fortasse a librariis vitiose scriptum pro *sublimitatem*, quae lectio habetur circa finem respons.), alii codd. et edd. 1, 2 *humiliationem.* Paulo ante pro *secundum conformitatem* codd. A K *per conformitatem.*

[3] Dist. seq. quaest. 3. — Verbis *per prius* edd. praemittunt *tamen.*

[4] Edd., pro *ad obiecta* substituto *ad obiectum*, omittunt *cum obiicit*, deinde pro *quod* ponunt *quia.* — De hoc dubio cfr. Petr. a Tar., hic circa lit.

[5] Psalm. 8, 6. — Paulo superius post *sed domini* cod. Z suppliet *nostri.*

[6] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 1. in corp. et ad 1. — Edd.; paulo superius *secundo vero* mutato in *et hoc modo*, sic prosequuntur: *respicit subiectum, ad quod informat. Secundo modo respicit aliquod subiectum consimile, quod ligat.* Proxime post pro *quantumcumque* codd. E F G I L N T V exhibent *quantacumque*, et mox post *iuxta* edd. suppliet *nos.*

[7] Edd. *secundum ordinem sub ratione caritatis.* Superius eaedem edd. omittunt *gratiae.*

[8] Cfr. II. Sent. d. 15. a. 2. q. 1. — Circa finem solut. pro *quod illud dicitur* cod. V *quia illud dicitur.*

[9] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 5; S. Thom., hic circa lit.

[10] Vide supra d. 13. a. 2. q. 1. seq.

[11] Cfr. supra d. 19. a. 2. q. 1.

pra distinctione undecima[1]. Et si importet *unitatem personae;* sic diligendus est *supra nos,* quia sic est noster creator, redemptor et salvator. Si vero importet *conditionem naturae* assumtae, sic diligendus est *iuxta nos,* et sic est proximus noster. Unde si consideremus Christum solum ratione humanitatis, hoc est *pure* ratione naturae creatae, non debetur ei principalitas dilectionis, sicut nec adoratio latriae[2]; nec hoc modo dicitur *redemptor* noster, vel *caput,* quia tam ratio redemptoris quam capitis respicit personam secundum utramque naturam. — Et per hoc patet responsio ad obiecta[3].

DISTINCTIO XXIX.

Cap. I.

De ordine diligendi, quid prius, quid post.

Post praedicta de *ordine* caritatis agendum est, quia dicit sponsa[1]: *Introduxit me rex in cellam vinariam et ordinavit in me caritatem.* Videamus igitur ordinem, quid prius, quid posterius esse debeat. Peccat enim qui praepostere agit. Nam scire, quid facias, et nescire ordinem faciendi non est perfectae cognitionis. Ordinis namque ignorantia conturbat meritorum formam. Ordinem autem diligendi Augustinus[2] insinuat dicens: «Ipse est qui ordinatam habet dilectionem, ne aut *diligat* quod non est diligendum, aut *non diligat* quod diligendum est, aut *aeque diligat* quod minus vel amplius diligendum est, aut *minus vel amplius* quod aeque diligendum est. Omnis *peccator,* in quantum peccator est, non est diligendus; et omnis *homo,* in quantum homo est, diligendus est propter Deum; *Deus* vero propter se ipsum. Et Deus omni *homine amplius* diligendus est; et *amplius* quisque Deum debet diligere quam *se ipsum.* Item, *amplius* alius *homo* diligendus est quam *corpus* nostrum, quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, et potest nobiscum Deo perfrui, quod non potest *corpus,* quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo». — Audisti aliqua de ordine caritatis, ubi expressum est, nos amplius debere diligere Deum quam omnes homines, vel nos ipsos, et amplius animam alicuius hominis quam corpus nostrum. In enumeratione etiam quatuor diligendorum, superius[3] posita, prius ponitur quod *supra nos* est; secundo, quod *nos* sumus; tertio, quod *iuxta nos* est; quarto, quod *infra nos* est. Ubi ordo diligendi insinuari videtur ex ratione enumerationis. Non est autem apertum, utrum omnes homines *pariter* debeamus diligere et tantum, quantum nos, vel minus.

Dubium 1.

Augustinus.

Cap. II.

An omnes homines pariter diligendi sunt.

Unde super hoc saepe movetur quaestio, quam perplexam faciunt Sanctorum verba varie prolata. — Quidam enim tradere videntur, quod *pari affectu* omnes diligendi sint; sed in *effectu,* id est in exhibitione obsequii, distinctio observanda sit. Unde Augustinus[4]: «Omnes homines *aeque* diligendi sunt. Sed cum omnibus *prodesse* non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur. Pro sorte enim habendum est, quo quisque tibi temporaliter colligatius adhaeret, ex quo eligis potius illi dandum esse». Idem super Epistolam ad Galatas[5]: *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei,* id est ad Christianos: «Omnibus enim pari dilectione vita aeterna optanda est, etsi non omnibus eadem possunt exhiberi dilectionis officia, quae fratribus maxime sunt exhibenda, quia sunt invicem membra, qui habent eundem Patrem». — His aliisque testimoniis inniuntur qui dicunt, omnes homines *pariter* diligendos esse caritatis *affectu,* sed in *operis exhibitione* differentiam faciunt[6].

Opinio 1.

Augustinus.

Quibus obviat illud praeceptum Legis[7] de diligendis parentibus: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram.* Ut quid enim specialiter illud praeciperetur de parentibus, nisi maiori *dilectione* forent diligendi? — Sed hoc illi referendum dicunt ad exteriorum[8] exhibitionem, in qua praeponendi sunt parentes. Unde *honora,* dixit, non *dilige.* — Obviat etiam illis quod Hieronymus super Ezechielem[9] ait, scilicet «ut ordine caritatis, sicut scriptum est: *Ordinavit in me caritatem,* post omnium patrem, Deum, carnis quoque pater diligatur et mater, filius

Opinio 2.

Replicatur.

Hieronymus.

---

[1] Art. 2. q. 1. seqq. et praesertim d. 10, tam in lit. Magistri, c. 1, quam in Comment. a. 1. q. 1. seqq. — Superius edd. omittunt *quantum nos, vel,* inferius post *quia sic* addunt *supra nos.*

[2] Cfr. supra d. 9. a. 1. q. 1. — Mox pro *ratio* edd. cum paucis codd. *nomen.*

[3] Hoc dubium solvunt etiam B. Albert., hic. a. 7; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Cant. 2, 4.

[2] Libr. I. de Doctr. christ. c. 27. n. 28. Paulo superius post *ignorantia* cod. D addit *saepe.* In ipso testimonio Augustini pro *Et Deus omni* sola Vat. cum originali *Et si Deus omni,* et deinde ante *amplius* omittit *et.* Denique in iisdem ante *perfrui* additur *homo.*

[3] Dist. XXVIII. c. 1. — Paulo superius pro *alicuius* cod. C et edd. 1, 8 *alterius.* In fine edd. 1, 8 transponunt particulam *et* post *quantum.*

[4] Loc. cit. c. 28. n. 29, sed multis a Magistro omissis.

[5] Super c. 6, 10. et n. 61; sed verba magis conveniunt cum Glossa (ibi), quae conflata est ex verbis Augustini et Hieronymi. In fine testimonii Vat. et edd. 4, 6 addunt *scilicet Deum.*

[6] Ed. 6 *esse,* sed in aliis edd., exceptis 1, 8, et in codd. est neutrum verbum. Fortasse primitus legebatur *differenter.*

[7] Exod. 20, 12. (cfr. Deuter. 5, 16; Matth. 15. 4.); in quo loco codd. A D et edd., exceptis 1, 8, omittunt *tuam.*

[8] Edd., exceptis 1, 8, *exteriorem,* refragantibus codd. Paulo inferius pro *illis quod* codd. B C cum plurimis edd. *illud quod,* edd. 1, 8 vero *illis illud quod.*

[9] Libr. XIII. (in Ezech. 44, 25.).

Ambrosius, vel potius Origenes. et filia, frater et soror». Ambrosius[1] quoque, diligendi exprimens ordinem, super illud Canticorum: *Ordinavit in me caritatem*, capitulo secundo ait: «Multo-
Dubium 2. rum caritas inordinata est: quod in primo est ponunt tertium vel quartum. Primo Deus diligendus est, secundo parentes, inde filii, post domestici, qui si boni sunt, malis filiis praeponendi sunt. Secundum hoc in Evangelio ad cuiusque dilectionem proprium ponit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex omnibus viribus tuis et proximum tuum sicut te ipsum*, et inimicos non ex tota virtute, non sicut te ipsum, sed simpliciter. Sufficit enim, quod diligimus et non odio habemus». — Ecce[2] ex praemissis aperte insinuatur, quae in affectu caritatis distinctio sit habenda, ut differenti affectu, non pari, homines diliga-
Dubium 3. mus, et ante omnia Deum, secundo nos ipsos, tertio parentes, inde filios et fratres, post domesticos, demum inimicos diligamus.

Sed inquiunt illi, quae de ordine dilectionis supra dicuntur esse referenda ad operum exhibitionem, quae
Replicant fautores 1. opinionis. differenter proximis exhibenda sunt: primo parentibus, inde filiis, post domesticis, demum inimicis, Deum vero tam affectu quam obsequii exhibitione ante omnia
Opinio nonnullorum. diligendum. — Quorum etiam nonnulli tradunt, affectu caritatis tantum proximos esse diligendos, quantum nos
Augustinus. ipsos diligimus. Quod confirmant auctoritate Augustini[3], qui ait: «Nec illa iam quaestio moveat, quantum caritatis fratri debeamus impendere, quantum Deo. Incomparabiliter plus Deo quam nobis; fratri vero, quantum nobis. Nos autem tanto magis diligimus, quanto magis diligimus Deum». — Ex hoc et praemissis testimoniis Augustini asserunt, omnes homines pariter diligendos a nobis et tantum, quantum nos, Deum autem plus quam nos, corpus vero nostrum minus quam nos, vel proximos. Nec in enumeratione praemissa quatuor diligendorum ordinem diligendi assignari dicunt, sed tantum quae sunt diligenda.

Verum quia praemissa verba Ambrosii ordinem
Sententia Magistri. diligendi secundum *affectum* magis quam secundum *effectum* diligenter intuentibus explicare videntur, non indocte alii dicunt, non modo in exhibitione operis, sed etiam in affectu caritatis ordinem differentem esse statutum, ut ante omnia diligamus Deum, secundo nos, tertio parentes, quarto filios vel fratres et huiusmodi, postea domesticos, demum inimicos. Quod vero Augustinus dicit, *pariter* omnes esse diligendos, et pari dilectione omnibus vitam optandam, ita accipi potest, ut paritas non ad *affectum*[4] referatur, sed ad *bonum*, quod eis optatur, quia caritatem omnibus optare debemus, ut paria bona mereantur; sicut Apostolus dicit: *Volo, omnes vos esse sicut me.* Optanda est enim minoribus perfectio maiorum, ut ipsi fiant perfecti et sic parem mereantur beatitudinem; vel *pari dilectione*, id est *eadem dilectione*, omnes diligendi sunt. Item, quod ait: Ut tantum diligamus fratres, quantum nos, ita intelligi potest, id est *ad tantum bonum* diligamus fratres, ad quantum nos, ut *tantum bonum* eis optemus in aeternitate, quantum nobis, etsi non *tanto affectu*; vel ibi *quantum* similitudinis est, non quantitatis.

Solet etiam quaeri: si parentes nostri mali sunt, Dubium 4.
vel filii, vel fratres, an magis vel minus diligendi sint aliis bonis, hac ratione nobis non copulatis. — Videtur, Difficultas 1.
quod magis sint diligendi boni, qui nobis carne non sunt coniuncti, quam mali carne coniuncti; quia nobis sunt coniuncti corde glutino caritatis. Sanctior est enim copula cordium quam corporum. Unde Beda[5] de illis verbis Domini: *Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei faciunt;* ait: «Non iniuriose negligit matrem, nec mater negatur, quae etiam de cruce agnoscitur, sed religiosiores monstrantur copulae mentium quam corporum». — Verumtamen latebrosa quaestio est haec nec a nobis plene absolvenda, properantibus ad alia.
Movemur enim super verbis illis[6]: «Inimicos non ex Item alia.
tota virtute, non sicut te ipsum iubet diligere, sed simpliciter. Sufficit enim, quod diligimus et non odio habemus». Quod non ita accipiendum est, quasi sufficiat tibi diligere inimicum et non sicut te ipsum, quia omnes, amicos et inimicos sicut te ipsum diligere debes. Sed ad ostendendum *gradus* diligendi Deum et proximum et inimicum, qui tamen proximus est, propria Dominus ponit, cum ait[7]: *Diliges Deum ex tota virtute et proximum sicut te ipsum*, non ait, *ex tota virtute*, ut ostendat, proximum diligendum minus quam Deum. Dicit etiam: *Diligite inimicos*, nec addit *ex tota virtute* nec *sicut te ipsum*, sed *simpliciter*. Sufficit enim, quod diligimus et non odio habemus, id est, sufficit dicere, ut diligamus et non odio habeamus, non quin eos diligere debeamus sicut nos, quia proximi sunt; sed sufficit, si eos minus diligimus quam alios proximos; quod dilectionis genus[8] innuit.

Quaeri etiam solet, «cur Dominus praeceperit di- Item tertia.
ligere inimicos, cum alibi praecipiat odio habere parentes et filios[9]». — Ad quod dicendum est, duo esse diligenda in homine: *naturam* et *virtutem*, *vitium* vero et peccatum odiendum. Et parentes ergo, in quantum mali sunt, odiendi sunt, et inimici diligendi, in quantum homines. Diligamus ergo inimicos lucrandos regno Dei, et odiamus in propinquis[10], si impediunt a regno Dei, et in omnibus communiter naturam diligamus, quam Deus fecit.

---

[1] Ex *Origene* (hom. II. n. 8.) sumta, verba haec inveniuntur in Glossa *ordinaria* in hunc locum (v. 4.). A Scholasticis erronee tribuitur hic locus Ambrosio. — Edd., excepta 1, transpositione et additione usae, post *Canticorum* ponunt *capitulo secundo, id est.* Pro *inde filii* cod. D et edd. 1, 8 *tertio filii.* — Locus Scripturae est Matth. 22, 37.

[2] Edd. 1, 8 adiiciunt *hic.*

[3] Libr. VIII. de Trin. c. 8 n. 12.

[4] Edd., exceptis 1, 8, perperam *effectum.* — Seq. locus Scripturae est I. Cor. 7, 7.

[5] Expositio in Evang. Lucae 8, 19 (cfr. Matth. 12, 49; Marc. 3, 34; Ioan. 19, 25.). Verba sumta sunt ex Ambrosio in eundem locum libr. VI. n. 38.

[6] Scil. Ambrosii, vel potius Origenis; cfr. supra nota 1. — Vat. et edd. 5, 8, 9 *ex verbis illis* pro *super verbis illis*, et deinde ante *inimicos* addunt *quibus.*

[7] Matth. 22, 37; seq. locus est Luc. 6, 27.

[8] Vat. et ed. 4 *locutionis*, codd. A (a prima manu) B *dictionis*, cod. C *dictionis vel locutionis gradus*; edd. *dilectionis.* Utraque lectio explicari potest, cum revera in isto testimonio *gradus* dilectionis insinuentur. Cfr. de eodem loco Origenis infra q. 6. et quoad dilectionem inimicorum d. 30. q. 4.

[9] Ex August. I. Retract. c. 19. n. 5, et I. de Sermone Domini in monte, c. 15. n. 41, ex quibus locis sumtae sunt sententiae sequentes.

[10] Ita codd. et August., I. Retract. loc. cit. Sed Vat. cum plurimis edd. suprimit *in* ante *propinquos*, edd. 1, 8 *vitia in propinquis, quae.*

CAP. III.

De gradibus caritatis.

Sciendum quoque est, diversos esse gradus caritatis. Est enim caritas incipiens, proficiens, perfecta, perDubium 5. fectissima. Unde Augustinus[1]: « Perfecta caritas haec est, ut quis paratus sit pro fratribus etiam mori. Sed nunquid mox, ut nascitur, iam prorsus perfecta est? Immo ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit robo-

rata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, dicit: Dubium 6. *Cupio dissolvi* » etc. — Hic aperte progressus et perfectio caritatis insinuatur, quam perfectionem etiam Veritas commendat dicens: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quod utique dictum est de *opere* dilectionis, quia maior dilectionis *effectus* non est quam ponere animam pro aliis. Nec te moveat quod ait *pro amicis;* qui enim ponit animam pro amicis, ponit et pro inimicis, ad hoc ut ipsi[2] fiant amici.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXIX.

De caritate quantum ad diligendi ordinem.

Post praedicta de ordine caritatis agendum est.

DIVISIO TEXTUS.

Supra determinavit Magister de caritate quantum ad essentiam et[1] definitionem et quantum ad diligibilium numerum et distinctionem. Hic sequitur tertia pars, in qua determinat de ipsa quantum ad diligendi ordinem. Dividitur autem pars ista in partes tres. In quarum prima determinat de ordine caritatis per comparationem ad ea quae per caritatem diliguntur. In secunda per comparationem ad ea beneficia, quae per caritatem impenduntur, ibi: *Unde et super hoc saepe movetur quaestio.* Tertio per comparationem ad gradus, qui in caritate reperiuntur, ibi: *Sciendum quoque est, diversos esse gradus caritatis.*

Prima et ultima partibus remanentibus indivisis, media pars dividitur in partes duas. In quarum prima ponit Magister circa hanc materiam diversorum opiniones. In secunda dissolvit incidentes dubitationes, ibi: *Solet etiam quaeri, si parentes nostri* etc.

Prima pars dividitur in partes tres. In quarum prima opponit ad partem unam[2]. In secunda vero opponit ad partem alteram, ibi: *Quibus obviat illud praeceptum Legis.* In tertia vero subiungit opinionem suam, ibi: *Verum quia praemissa verba Ambrosii* etc.

Similiter alia pars, in qua removet dubitationes incidentes, tres habet partes secundum tres dubitationes, quas dissolvit, quarum una oritur ex alia. Primam dissolvit, ibi: *Solet quaeri: si parentes.* Secundam ibi: *Verumtamen latebrosa quaestio haec est.* Tertiam ibi: *Solet quaeri, cur Deus praeceperit inimicos diligere* etc. Summa autem harum partium satis est manifesta ex his quae dicuntur in littera[3].

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis quaeritur hic de ordine caritatis. Circa hoc autem incidunt sex dubitabilia.

Primum est de ordine caritatis communiter respectu diligendorum.

Secundum est de ordine ipsius per comparationem nostri ad Deum.

Tertium est de ordine eiusdem[4] per comparationem nostri ad proximum.

Quartum est de ordine ipsius per comparationem patris ad filium.

Quintum est de ordine caritatis per comparationem domestici ad extraneum.

Sextum et ultimum est, utrum ordo caritatis attendatur quantum ad effectum[5] tantum, an simul quantum ad affectum et effectum.

---

[1] In 1. Epist. Ioan. tr. 5. n. 4. — Locus Scripturae primus est Phil. 1, 23; secundus Ioan. 15, 13.

[2] Codd. BE et edd. 1, 8 praefigunt *et.*

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Codd. Gbb *vel*, codd. AK *et quantum ad.*

[2] Edd. hic addunt *auctoritate Augustini* et paulo inferius post *ad partem alteram* subiungunt *auctoritate Legis.*

[3] In edd. desideratur haec ultima propositio: *Summa autem... in littera.*

[4] Pro *eiusdem* codd. AKUX *ipsius*, et paulo inferius pro *ipsius* multi codd. *eiusdem.*

[5] Edd. 1, 2 cum plurimis codd. *ad affectum*, sed cfr. hic lit. Magistri, c. 2, nec non infra quaestio ipsa. De ordine enim caritatis non fuit dubitatum nisi quoad *affectum.*

ARTICULUS UNICUS.

De ordine caritatis.

QUAESTIO I.

Utrum ordo sit in caritate respectu diligibilium.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum ordo sit in caritate respectu diligibilium. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Canticorum secundo [1]: *Ordinavit in me caritatem;* sed ordo caritatis non attenditur nisi in diligendo: ergo etc.

2. Item, Augustinus de Doctrina christiana [2] dicit, quod « primo diligendus est Deus, qui est *supra nos*, secundo, quod *nos* sumus, tertio, quod *iuxta nos*, quarto, quod *infra nos* »: ergo secundum hoc patet, quod ordo est in caritate respectu diligendorum. Constat enim, quod illa non ordinantur ad invicem secundum ordinem temporis, sed secundum ordinem excellentiae et dignitatis.

3. Item, hoc ipsum ostenditur auctoritate Ambrosii, qui assignat in littera [3] ordinem caritatis in diligendo: si ergo recte, videtur, quod ordo sit ponendus in caritate respectu eorum quae ex caritate diliguntur.

4. Item, hoc videtur *ratione:* caritatis est rectificare affectum [4]; sed affectus non est rectus, nisi praeponat maius bonum minori bono, et hoc dicit ordinem: ergo in caritate ponendus est ordo.

5. Item, caritas diligit plura diligibilia; aut ergo *aeque primo*, aut *non aeque primo*. Non *aeque primo;* hoc constat, cum caritas habitus sit unus [5], et unus habitus unum principale habet obiectum. Si *non aeque primo:* ergo unum per prius, et alterum per posterius: ergo est ibi necessarius ordo.

6. Item, magis competit ordo amori deliberativo quam naturali; sed videmus, amorem naturalem ordinatum esse respectu diligibilium [6]: ergo multo fortius videtur esse circa amorem deliberativum. Sed talis est amor caritatis: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Ordo praesupponit distinctionem [7]: ergo ubi non est distinctio, ibi non est ordo; sed caritas respectu diversorum diligibilium non est distincta nec multiplicata: ergo nec respectu eorundem erit ordinata.

2. Item, ubicumque est ordo, ibi est proportio; sed diligibilium ex caritate nulla est proportio, quia nulla est proportio creati ad increatum [8], modica, vel nulla est proportio corporis ad spiritum: ergo si non est ordo vel proportio inter diligibilia, videtur, quod caritas respectu eorum non sit ordinata.

3. Item, ordo maxime spectat ad cognitionem, quia « sapientis est ordinare [9] »: ergo si non ponitur ordo in cognitione respectu cognoscendorum, multo minus debet poni ordo in caritate respectu diligendorum. *Si tu dicas*, quod immo ordo est in scientiis; *obiicitur* de ipsa fide, quae est habitus cognitivus, qua etiam creduntur diversi articuli, se invicem excedentes secundum gradum et dignitatem, sicut illi qui sunt de divinitate, excellentiores sunt, quam illi qui sunt de humanitate [10]: si ergo non ponitur ordo in fide respectu credibilium, non debet poni ordo in caritate respectu diligibilium.

4. Item, sicut in fide una est ratio credendi, scilicet summa Veritas, sic in caritate una est ratio diligendi, videlicet summa Bonitas [11]; sed propter unicam rationem credendi fides omnibus articulis assentit aequaliter: ergo pari ratione videtur de caritate, quod et ipsa omnia diligenda debeat aequaliter diligere.

5. Item, caritas naturali quadam inclinatione inclinat ad diligendum bonum: si ergo ipsa est habitus unus et idem, et « idem, manens idem, semper est natum facere idem [12] » in his quae naturaliter

---

[1] Vers. 4.

[2] Libr. I. c. 23. n. 22. — De ordine *temporis* et *dignitatis* cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Priori*, et V. Metaph. text. 16. (IV. c. 11.).

[3] Hic c. 2. Loco nominis *Ambrosius* rectius haberetur *Origenes*. — Inferius post *recte* Vat. supplet *assignat*.

[4] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 1. et pag. 596, nota 7.

[5] Vide supra d. 27. a. 1. q. 2, ubi etiam alia tanguntur, quae hic proponuntur.

[6] Cfr. Aristot., VIII. Ethic. c. 7. et 12.

[7] Vide Aristot., de Praedicam. c. *de Priori*. August., XIX. de Civ. Dei, c. 13. n. 1. ordinem sic definit: Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. — De *minori* cfr. supra d. 27. a. 1. q. 2.

[8] Cfr. supra pag. 9, nota 1. — Edd. *creati enim ad increatum modica vel nulla est proportio, nec corporis ad spiritum*.

[9] Aristot., I. Metaph. c. 2. Cfr. tom. I. pag. 685, nota 1. — Mox post *multo minus* multi codd. nec non edd. perperam addunt *non*.

[10] Cfr. supra d. 25. dub. 1.

[11] Vide supra d. 27. a. 1. q. 2. De *fide* cfr. d. 24. a. 1. q. 2. — In conclus. pro *diligenda* codd. T U V exhibent *diligibilia*.

[12] Aristot., de quo vide supra pag. 383, nota 8. — Quod caritas sit habitus *unus*, ostensum est supra d. 27. a. 1. q. 2; — Pro *idem, et idem, manens* Vat. cum pluribus codd. *idem manens*.

inclinant ad aliquid: videtur ergo, quod caritas omnino uniformiter et aequaliter moveat ad amandum omne diligibile.

6. Item, si ordo attenditur in caritate, aut attenditur quantum ad *habitum*, aut quantum ad *actum*. Quantum ad *habitum* non; constat, cum ille sit unus et idem. Si quantum ad *actum*: ergo videtur, quod in dormiente non sit caritas ordinata, cum in eo non exerceat actum suum.

Quaestiones tres.

Est igitur quaestio, penes quid attendatur ordo in caritate; et quare magis attendatur ordo in ipsa quam in alia virtute, cum omnis virtus, sicut dicit Augustinus in libro de Moribus Ecclesiae [1], sit «amor ordinatus»; et rursus, cum circa omne bonum sit modus, species et ordo; cur potius caritas dicitur *ordinata* quam *modificata*?

CONCLUSIO.

Caritas ordinata est respectu eorum quae sunt ex caritate diligenda.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est

Caritas est vinculum ligans.

notandum, quod caritas est *vinculum ligans*, iuxta illud quod dicit Apostolus ad Colossenses tertio [2], ubi vocat eam *vinculum perfectionis*; et Dionysius in capitulo quarto de Divinis Nominibus dicit, quod «amor est virtus unitiva». Unde cum amor caritatis sit amor maxime liberalis, multa circumplectitur et in unum colligit. Unde caritas non tantum unit fini eum, in quo est, sed etiam quodam modo ligat ei quod natum est ad eundem finem pervenire.

Item pondus inclinans.

Nec tantum est caritas vinculum ligans, sed etiam *pondus inclinans*; «quod enim est pondus in corporibus, hoc est amor in spiritibus [3]». Quoniam igitur unumquodque per suum pondus habet ordinari, et caritas pondus est et aequa ponderatrix; hinc est, quod ipsi caritati maxime competit ratio *ordinis*. Et quoniam ipsa est *vinculum ligans* et *circumplectens multa*; ideo non tantum

Conclusio 1.

Conclusio 2.

ordinat ipsum diligentem in *finem*, sed etiam ad [4] ipsa *dilecta*, secundum quod *ratio diligenti* et ipse *habitus caritatis* diversimode comparatur ad illa. — Concedendae igitur sunt rationes ostendentes, caritatem esse ordinatam respectu eorum quae sunt ex caritate diligenda.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud autem quod primo obiicitur, quod ordo praesupponit distinctionem; dicendum, quod ordo attenditur in caritate ratione *habitus relati ad actum et obiectum*. Quamvis autem in caritate non sit distinctio ex parte *habitus*, est tamen distinctio ex parte ipsorum *diligendorum* et ex parte *actuum*, ratione cuius diversitatis *mandata* caritatis habent multiplicari, et ipsa *caritas* habet ordinari [5].

Notandum.

Duplex proportio.

2. Ad illud quod obiicitur, quod ubi est ordo, ibi est proportio; dicendum, quod *proportio* dupliciter accipitur: *stricte* et *large*. Si *stricte* dicatur proportio, sic dicit quandam commensurationem et est rerum eiusdem generis; et hoc modo non habet veritatem praedicta propositio, quod ubicumque est ordo, ibi sit proportio. Si vero accipiatur *large*, ut dicatur proportio quaecumque habitudo, quae attenditur secundum convenientiam analogiae; hoc modo *proportio* est boni creati ad increatum, et etiam *ordo* secundum rationem causalitatis et primitatis [6]. Finis enim dignior est et excellentior et praeponitur his quae sunt ad finem, et quantum ad hoc attenditur ordo in caritate.

Solutio 1.

3. Ad illud quod obiicitur, quod ordo maxime videtur spectare ad actum cognitivae, cum sapientis sit ordinare; responderi potest primo *distinguendo*, quod duplex est ordo: *quidam* partium in toto et rerum in universo, *quidam* vero eorum quae sunt in finem ad ipsum finem [7]. Et quamvis primus ordo principaliter sit circa *cognitionem*, secundus tamen principalius consistit circa *affectionem* et dilectionem, cuius est in finem inclinare. Ordo autem caritatis attenditur per comparationem ad finem; et ideo non est simile de ipsa et de habitu cognitivae.

Solutio 2.

Aliter potest dici, quod ordo in habitu attenditur per comparationem ad actum et obiectum, sicut prius dictum est. Quoniam igitur summa Bonitas aliter et aliter habet comparari diversis diligibilibus

---

[1] Libr. I. c. 15. n. 25; sed cfr. supra pag. 475, nota 1. — In seq. propos. respici videtur illud August., de Natura boni, c. 3: Haec ergo tria: modus, species, ordo, tanquam generalia bona sunt in rebus a Deo factis, sive in spiritu, sive in corpore... Haec tria ubi magna sunt, magna bona sunt, ubi parva sunt, parva bona sunt, ubi nulla sunt, nullum bonum est. Cfr. II. Sent. d. 35. a. 2. q. 1. seqq.

[2] Vers. 14. — Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 15.

[3] Secundum August., de quo videsis supra pag. 289, nota 5. In libro de Natura et dignit. amoris (inter opera Bernardi), c. 1. dicuntur haec: Est quippe amor vis animae, naturali quodam pondere ferens eam in locum vel finem suum. Omnis enim creatura, sive spiritualis sive corporea, et certum habet locum, quo naturaliter fertur, et naturale quoddam pondus, quo fertur. Pondus enim, ut ait quidam vere philosophus (August., XIII. Confess. c. 9. n. 10; Enarrat. 2. in Ps. 29. n. 10.), non semper fert ad ima: ignem sursum, aqua deorsum, sic et de ceteris. Nam et hominem agit pondus suum, naturaliter spiritum ferens sursum, corpus deorsum, unumquodque in locum vel finem suum etc.

[4] In Vat. deest *ad*. Paulo inferius pro *comparatur* cod. U *comparantur*.

[5] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 2. ad 1. et 2.

[6] Vide supra d. 1. a. 1. q. 1. ad 4. Cfr. etiam Aristot., VII. Phys. text. 24. seqq. (c. 4.), et II. de Generat. et corrupt. text. 37. (c. 6.). Idem ait III. Topic. c. 1: Finis iis quae sunt ad finem eligibilior videtur esse. — Pro *primitatis* cod. Z *prioritatis*. Superius pro *ibi sit proportio* codd. A K U *ibi est proportio*.

[7] Cfr. I. Sent. d. 44. a. 1. q. 3. in corp. — Superius pro *actum cognitivae* cod. aa *actum cognitionis*, codd. A K *actum scientiae cognitivae*. Deinde pro *quidam vero eorum* cod. A *quidam vero respectu eorum*. In fine huius primae respons. pro *de habitu cognitivae* codd. A K *de habitu cognitivo*, cod. aa *de habitu cognitionis*.

et ab eis habet participari secundum plus et minus, ut patet in corpore et spiritu [1]; hinc est, quod amor
Simile. caritatis dicitur *ordinatus*. Per hunc etiam modum, si quis habitus cognitivus consideret aliqua, in quibus sit maior et minor veritatis evidentia, utique in tali habet reperiri ordo, sicut prior est scientia principiorum quam conclusionum [2]; et sic potest ad illud responderi *per interemptionem*. Et si *obiiciat* de fide, dicendum, quod non est simile: omnes enim articuli ad summam Veritatem uniformiter comparantur, secundum quod a fide creduntur. Fides enim in credendo omnes articulos assentit primae Veritati, tanquam dictanti et asserenti; ideo uniformiter et aequaliter omnes illos credit [3].

4. Ad illud quod obiicitur, quod una est ratio diligendi in caritate, sicut una ratio credendi in fide; dicendum, quod etsi una sit, non tamen sic
Notandum. uniformiter habet *comparari* ipsa Caritas ad diligibilia, sicut ipsa Veritas ad credibilia; plus enim est optabilis ipsa summa Bonitas Deo quam nobis, et spiritui nostro quam corpori [4]; ideo non est simile hinc et inde.

5. Ad illud quod obiicitur, quod idem, manens idem, natum est facere idem; dicendum, quod illud habet veritatem de eo quod naturaliter inclinatur [5], tam ratione *sui* quam ratione *sibi adiuncti*, et hoc respectu eiusdem obiecti. Nam secundum diversitatem obiectorum fit diversificatio operationum [6]; unde sol amplius illuminat crystallum, quam illuminet lapidem vel lignum; utrumque autem horum deficit in caritate. Nam ipsa caritas regitiva est ipsius voluntatis et simul cum illa habet moveri, quae quidem voluntas voluntarie inclinatur ad ipsa volita. *Praeterea*, unum obiectorum est magis amabile quam reliquum, sicut unum corpus est magis illuminabile quam aliud et ab eodem lumine magis illustratur [7]. Notandum.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur, utrum attendatur [8] quantum ad habitum, aut quantum ad actum; dicendum, quod attenditur quantum ad *habitum comparatum*. Unde quamvis habitus caritatis sit unus, tamen dicitur *ordinatus*, etiam si non sit in actu, quia habilitat animam ad hoc, ut ordinate moveatur; unde iustus dormiens dicitur habere caritatem ordinatam. — Ex his autem, quae dicta sunt, patet, quare caritas magis dicitur *ordinata* quam virtus alia, magis etiam dicitur *ordinata* quam *modificata*. Hoc enim est, quia proprium est ipsius simul habere rationem *vinculi ligantis* et *ponderis inclinantis;* pondus autem ordini correspondet [9]. Ad quaestionem 1. Ad quaestiones 2. 3.

SCHOLION.

I. Cum motus caritatis sit duplex: interior in *affectu* et exterior in *effectu*, et *affectus* se habeat ad *effectum* ut eius principium; atque dubitatum fuerit respectu *affectus*, utrum dilectio proximi habeat ordinem: ideo ordo caritatis in hac tota distinctione consideratur *principaliter* secundum *affectum* (cfr. infra q. 6. et q. 3. ad 6.). Porro *ordo* « includit in se aliquem modum *prioris* et *posterioris* » ; et « *prius* et *posterius* dicitur secundum relationem ad aliquod principium » (S. Thom., S. II. II. q. 26. a. 1.). Cum autem *principium* dilectionis sub diverso respectu sit duplex, scilicet Deus ut ratio motiva, et ipse diligens (ibid. a. 6.); hinc recte S. Bonav. (infra q. 5, et cfr. dub. 3. 4.) duplicem distinguit ordinem in caritate: « *unus*, qui ei competit secundum *se ipsam;* et iste ordo attenditur penes bonum et magis bonum et maxime bonum... *Alius* vero est ordo, qui competit ei ratione *naturae substratae;* et hic attenditur secundum has differentias, quae sunt *proprium* et *alienum*, *propinquum* et *extraneum* ». — Observatione dignum est etiam quod infra q. 6. dicitur de triplici *affectu* et *effectu*, et quod II. Sent. d. 3. p. II. a. 3. q. 2. dictum est de triplici modo magis aliquem diligendi.

II. In conclusione et solutione obiectorum magistri satis conveniunt.

De hac 1. quaestione: S. Thom., hic a. 1; S. loc. cit. a. 1; Qq. disp. de caritate, a. 9. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic a. 1. — Richard. a Med., hic q. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

III. Circa sequentem (2.) quaestionem nulla potest esse controversia respectu supernaturalis caritatis, cuius ratio motiva est ipsum divinum et infinitum bonum. Sed respectu naturalis dilectionis Dei, duplex fuit opinio, ut notat S. Thom. (hic a. 4.). Prima igitur opinio, quam sequuntur Ss. Thom. et Bonav. (hic ad 1, infra q. 3. ad 5, et II. Sent. d. 3. p. II. a. 3. q. 1.) ac Scot. (III. Sent. d. 27. q. unica n. 13.), docet, quod in statu naturae institutae sive ante lapsum « etiam amore *amicitiae* naturaliter Deus ab homine plus se ipso diligitur. Et quia caritas naturam perficit, ideo etiam secundum caritatem Deum super se ipsum diligit et super omnia alia particularia bona » (S. Thom., loc. cit.). Idem (ibid.) pro hac assertione affert hoc generale principium, quod « etiam naturali amore pars plus tendit ad conservationem sui totius quam sui ipsius. Unde etiam naturaliter animal opponit brachium ad defensionem capitis, ex quo pendet salus totius (cfr. Sum. loc. cit. a. 3, et Durand., hic q. 2, qui diffuse de his disputat). — Alia vero

---

[1] Vide supra d. 28. q. 4. in corp. et ad 4.

[2] Aristot., de Praedicam. c. *de Priori*, et I. Poster. c. 1. 2. — Locutio *per interemptionem* idem dicit ac *per negationem;* cfr. tom. I. pag. 87, nota 4.

[3] Vide supra d. 23. a. 1. q. 3. et d. 24. a. 1. q. 2. — Pro *ideo* cod. Z *unde*.

[4] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 2. et d. 28. q. 4. — Cod. Z adiicit *nostro*.

[5] Edd. *inclinat*.

[6] Ut docet Aristot., II. de Anima, text. 33. (c. 4.). Cfr. tom. II. pag. 561, nota 3. — Cod. Z *fit diversitas actionum* et aliquanto inferius pro *simul cum illa* cum codd. A K *simul cum ipsa*.

[7] Codd. B D O *illuminatur*. Pro *magis* codd. A K bb *amplius*.

[8] Supple cum cod. U *ordo*, vel cum edd. *ordo in caritate*. Mox post *ad actum* edd. addunt *et obiectum* et dein omittunt *comparatum ad actum et obiectum*. Pro *comparatum* cod. F substituit *per relationem*.

[9] Cfr. tom. II. pag. 828, nota 5. — Paulo ante pro *proprium* cod. A *proprietas*.

opinio utitur hic distinctione inter amorem *concupiscentiae* et amorem *benevolentiae* sive amicitiae, et tenet, quod amore *benevolentiae* homo naturaliter plus diligat se quam Deum, quia magis appetit esse et conservari bonum proprium quam divinum; quod autem amore *concupiscentiae* possit amare plus Deum quam se, quatenus bonum divinum sit magis expetendum ut delectabile quam proprium. Durandus insuper recenset et refutat alios, qui dicunt generatim, « quod *naturali* dilectione homo *debet* diligere se ipsum plus quam Deum; sed per caritatem elevatur ad diligendum Deum plus quam se ipsum ». — Notatu digna est doctrina in solut. ad 4-6.

De hac 2. quaestione praeter laudatos: B. Albert. (de hac et seqq. qq.), hic a. 5. — Petr. a Tar., hic a. 4. — Richard. a Med., hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum caritas in diligendo praeponat Deum nobis.

Secundo quaeritur de ordine caritatis per comparationem nostri ad Deum, et est quaestio, utrum caritas in diligendo praeponat Deum nobis. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Primo per illud mandatum, Deuteronomii sexto [1]: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua;* hoc dicitur esse primum et summum mandatum: si ergo nulli alii praecipitur ut impendamus totum affectum nisi soli Deo; videtur, quod in dilectione caritatis Deus teneat primum et summum locum.

2. Item, hoc ipsum ostenditur per Augustinum et Ambrosium, quorum uterque, sicut in littera [2] ponitur, in ordine diligendi Deum nobis praeponit.

3. Item, hoc ipsum videtur per *rationem:* quoniam « propter quod unumquodque, et illud magis [3] »; sed caritas, quidquid diligit, diligit propter Deum: ergo primo et principaliter et maxime diligit ipsum Deum: ergo secundum ordinem caritatis Deus praeponitur nobis.

4. Item, secundum quod vult philosophicum documentum [4], « finis magis est eligendus, quam ea quae sunt ad finem »; sed ad ordinem caritatis spectat, ut magis diligat ea quae sunt magis eligenda: si ergo Bonum increatum est finis, et bonum creatum est quod est ad finem; videtur, quod in ordine caritatis semper bonum increatum, quod est Deus, praeponatur bono creato, quod nos sumus.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Gratia est perfectio naturae, natura autem carens gratia magis diligit se ipsam quam Deum [5]: si ergo perfectio non pervertit ordinem sui perfectibilis, videtur, quod idem ordo in caritate habeat salvari: igitur caritate *magis* debemus diligere nosmetipsos quam Deum.

2. Item, « si aliquod unum addatur aliquibus aequalibus, necesse est, illa post additionem esse aequalia [6] »: ergo pari ratione, si addatur inaequalibus, post additionem erunt inaequalia; sed amor nostri ante adventum caritatis praeponderat amori Dei, ergo et post ipsius adventum: igitur secundum ordinem caritatis *magis* debemus nos diligere quam Deum.

3. Item, affectus amoris sequitur notitiam cognitionis, « incognita enim non possumus diligere [7] »; sed magis cognoscimus nosmetipsos, quam cognoscamus Deum, quamdiu sumus in statu viae: videtur ergo, quod ad ordinem caritatis spectet *plus* nos quam Deum diligere, secundum statum praesentem.

Argg. quod saltem aequaliter. 4. Item, videtur, quod *saltem aequaliter:* quia quantum aliquis diligit Deum, tantum appetit frui Deo et beatificari in ipso [8]; et quantum appetit frui Deo, tantum appetit suam beatitudinem; et quantum suam beatitudinem appetit, tantum se diligit: ergo videtur, quod quantum quis diligit Deum, tantum diligat semetipsum.

5. Item, motus caritatis in Deum finitus est, cum sit a virtute finita; similiter motus caritatis in se ipsum; et possibile est, motum caritatis in Deum remitti, et motum caritatis in se ipsum intendi; sed quando aliqua duo sunt finita, quorum unum intenditur, et aliud remittitur [9], possibile est, illa pervenire ad aequalitatem: ergo videtur, quod ex caritate possumus nos et Deum *aequaliter* diligere; et sic redit idem quod prius.

6. Item, amor est « vis unitiva [10] »; sed impossibile est, quod aliquis uniatur alii magis quam sibi: ergo impossibile est, magis alium amare quam se: igitur non videtur, quod in caritatis ordine Deus nobis ipsis sit *praeponendus*.

---

[1] Vers. 5. — Matth. 22, 38: Hoc est maximum et primum mandatum.

[2] Hic c. 1. et 2. — Pro *quorum* edd. *quod*.

[3] Aristot., I. Poster. c. 2. — Edd. *unumquodque tale, et ipsum magis*.

[4] Aristot., III. Topic. c. 1. Vide supra pag. 639, nota 6. — Sententia *minoris* probata est in quaest. praeced. — Pro *philosophicum documentum* cod. M *Philosophus*, cod. O *Item, secundum Philosophum*. Pro *eligendus* cod. A *diligendus;* similiter paulo inferius pro *eligenda* codd. K bb *diligenda*.

[5] Cfr. Bernard., Epist. 11. n. 8, et de Diligendo Deo, c. 15. n. 39.

[6] Euclides, I. Geometr.

[7] August., X. de Trin. c. 1. n. 1, et de Spiritu et lit. c. 36. n. 64. — In fine arg. pro *secundum statum praesentem* cod. F *quamdiu sumus in statu praesenti*.

[8] Cfr. secunda definitio caritatis, supra d. 27. dub. 1. allata. — In fine arg. pro *diligat* bene multi codd. *diligit*.

[9] Codd. F G H I L N T V aa et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 68. a. 2. adiiciunt *ita*.

[10] Secundum Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 15.

CONCLUSIO.

Secundum ordinem caritatis Deus praeponendus est nobis in tantum, ut amor respectu nostri nec aequari possit nec praeponi amori Dei, salva substantia habitus caritatis.

Respondeo: Dicendum, quod secundum ordi-
Conclusio. nem caritatis Deus praeponendus est nobis in tantum, ut amor respectu nostri nec *aequari* possit nec *praeponi* amori Dei, salva substantia habitus caritatis.

Ratio autem huius est ista: quoniam caritas
Ratio. facit, Deum diligi [1] tanquam finem ultimum et tanquam summum bonum; et quia finis ultimus est unus solus, et summum bonum similiter non habens aliquid *superius se*, vel *sibi aequale:* hinc est, quod secundum caritatis legem impossibile est aliquid *plus* Deo, vel *aequaliter* ipsi Deo amare. Caritas enim, quia diligit Deum sicut *summum bonum*, diligit eum super omnia; quia diligit ipsum sicut *finem ultimum*, diligit eum propter se. Quod autem diligitur *propter se* et *super omnia* diligitur dilectione *fruitionis;* quod vero *propter aliud* diligitur diligitur dilectione *usus* [2]. Cum ergo *caritatis* sit omnia ad Deum tanquam ad finem ultimum referre, sicut *ponderis* est corpus ad locum proprium inclinare; hinc est, quod caritas facit, nos Deum plus quam nosmetipsos diligere. — Unde concedendae sunt rationes, quae sunt ad partem illam.

1. Ad illud quod obiicitur, quod gratia est
Solutio opp. perfectio naturae; dicendum, quod in natura est
Distinctio notanda. considerare aliquid per modum *positionis*, et aliquid per modum *privationis* et defectus et corruptionis. Illud autem, quod est [3] in natura per modum *positionis*, a gratia habet *perfici* et *salvari;* quod autem est ibi per modum corruptionis et *privationis* a gratia habet *corrigi* et *suppleri*. Cum ergo dicitur, quod naturae est plus se ipsam quam Deum diligere; dicendum, quod haec non est conditio reperta in natura, spectans ad ipsius *perfectionem*, sed potius ad ipsius *corruptionem;* ideo non sequitur, quod per gratiam habeat *salvari*, immo potius sequitur, quod per gratiam habeat *amoveri*.

2. Ad illud quod obiicitur, quod si unum addatur inaequalibus, adhuc erunt inaequalia eadem inaequalitate qua prius; dicendum, quod illud habet veritatem, quando illud additum *aequaliter* respicit utrumque illorum inaequalium; sic autem non est in proposito. Nam caritas principalius respicit illum affectum hominis, qui est in Deum, quam illum qui est in semetipsum; unde in adventu caritatis minuitur amor sui et intenditur amor Dei.

3. Ad illud quod obiicitur, quod affectio sequitur cognitionem; dicendum, quod affectio dicitur sequi cognitionem non solum a parte *claritatis* in cognoscendo, sed etiam a parte *bonitatis* consideratae in ipso cognito. Licet autem clarius cognoscat se ipsum homo quam Deum, tamen nullus habens caritatem aestimat se tam bonum et tam amabilem, quantum aestimat Deum. Et ideo dilectio sequens cognitionem praeponit ipsum Deum nobis in diligendo magis quam e converso.

4. Ad illud quod obiicitur, quod quantum quis diligit Deum, tantum desiderat frui Deo; dicendum, quod duplici motu dilectionis contingit Deum dili- Duplex dilectio Dei.
gere, videlicet affectu *amicitiae* et affectu *concupiscentiae* sive desiderii [4]. Cum ergo dicitur: quantum quis diligit Deum, tantum desiderat frui Deo; *diligere* potest dicere motum *amicitiae*, vel motum *concupiscentiae*. Si dicat motum *concupiscentiae*, absque dubio veritatem habet; sed hic motus non Notandum.
ponit in numerum cum dilectione nostri: et ideo non sequitur ex hoc, quod aequaliter Deum et nos diligamus. Diligere enim nos ex caritate non est aliud, quam summum Bonum nobis optare [5]. — Si vero *diligere Deum* dicat motum *amicitiae;* tunc hoc quod est *tantum* et *quantum*, possunt impor- Notandum.
tare *proportionalitatem*, ut sit sensus: si multum vis Deo bonum, multum desideras Deo frui; vel potest importare *proportionis commensurationem* sive aequalitatem. Primo modo habet veritatem, secundo vero modo veritatem non habet. Per caritatem enim diligo summum bonum Deo et [6] summum bonum *mihi*, ita quod volo, quod Deus habeat summum bonum et sit summum bonum *per essentiam*, mihi vero *per participationem;* et multo magis opto sibi quam mihi. Et ideo non sequitur ex hoc, quod amor Dei possit aequari amori nostri, salva caritate, vel etiam amori alicuius creaturae, utpote amori gloriae et fruitionis Dei sive beatitudinis creatae.

Posset etiam responderi aliter *per interemptio-* Alia solutio.
nem ad illam [7]: quantum desideras frui Deo, tantum diligis temetipsum, secundum quod *tantum* et *quantum* dicunt *commensurationem*, quia potest quis desiderare frui Deo propter se et super omnia, quamvis nullo modo concedendum sit, quod ex caritate diligat se propter se et super omnia [8].

---

[1] Cod. U *diligere*.

[2] Sicut docet August., I. de Doctr. christ. c. 3. n. 3. seqq., de quo iam fusius agebatur I. Sent. d. 1. tum in lit. Magistri, tum in ipso Comment.

[3] Pro *quod est* codd. B C D W X aa *quod semper est*. Aliquanto inferius voci *perfectionem* Vat. adiungit *sive positionem*.

[4] Vide supra d. 26. a. 2. q. 3. ad 3. et d. 27. a. 1. q. 2. ad 6. — Mox post *frui Deo* cod. A subdit *dicendum, quod*. Subinde pro *dicere* Vat. substituit *dici*, et post *concupiscentiae* cod. Z addit *sive desiderii*.

[5] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 2, ubi etiam illustrantur quae in seq. propos. proponuntur. — Mox pro *proportionalitatem* cod. X *proportionem*, Vat. et *Supplement*. Sum. Alex. Hal. nec non aliquot codd. *proportionabilitatem*.

[6] Edd.: *Per caritatem enim summum bonum diligo optoque.*

[7] Vide supra pag. 640, nota 2. — Pro *ad illam* edd. *ad propositionem illam*.

[8] In rem esse ducimus haec Guliel. Antissiod. verba, S. p. III. tr. 6. c. 1. q. 4, hic afferre: Haec est falsa: quantum aliquis desiderat Deum sibi, tantum desiderat habere Deum vel

3. Ad illud quod obiicitur, quod motus caritatis in Deum est finitus et in nos ipsos similiter, et ita per intensionem et remissionem possunt aequari; dicendum, quod licet uterque sit finitus, quia a virtute finita procedit; tamen ratione ipsius obiecti unum excedit reliquum in infinitum. Nec hoc est Notandum. inconveniens, quia finitum potest aliud finitum excedere in infinitum, sicut linea punctum, et superficies lineam [1]. Unde sicut infinita puncta non possunt lineae aequari, sic nec amor ipsarum creaturarum secundum legem caritatis potest aequari amori Creatoris. Sicut enim ex punctis nunquam potest constitui linea, sic nec ex infinitis bonis creatis potest constitui summum bonum animae rationalis [2]. Amor autem Dei, salva caritate, nunquam potest sic remitti, quin Deus diligatur ut finis et ut summum bonum; nec amor creaturae potest ita intendi, quin creatura diligatur ut bonum ad summum Bonum ordinatum: et ideo non sequitur, quod motus illi ad aequalitatem venire possint.

6. Ad illud quod obiicitur, quod nihil potest alii magis uniri quam sibi; responderi potest dupliciter: primum, quod hoc potest intelligi de unione Solutio 1. quantum ad *naturalem convenientiam*, vel quantum ad *amoris inhaerentiam*. Primo modo verum est, secundo modo falsum, quia hoc secundo modo amor dicitur virtus unitiva.

Aliter potest dici, quod Deus magis est intimus Solutio 2. unicuique rei quam ipsa sibi; et plus pendet *esse* rei a Deo conservante quam ab ipsis principiis intrinsecis [3]; et complementum beatitudinis spiritus rationalis habet a Deo, non a se ipso. Et ideo, cum dicitur, quod nihil potest alteri magis uniri quam sibi ipsi; si hoc intelligatur de ipsis *creaturis*, veritatem habere potest; si vero intelligatur de ipso *Deo*, veritatem non habet. Deus enim intime illa- Ratio notabilis. bitur ipsi animae [4]; et ideo anima ex intimis medullis affectionis habet Deo adhaerere; et cum habet caritatem, amplius tendit in ipsum quam in se, et in eo requiescit amplius quam in se, quia melius est Deus ei quam ipsa sibi [5].

QUAESTIO III.

Utrum secundum ordinem caritatis praeponendum sit bonum proprium bono ipsius proximi.

Tertio quaeritur de ordine caritatis per comparationem nostri ad proximum, et est quaestio, utrum secundum ordinem caritatis praeponendum sit bonum proprium bono ipsius proximi. Et quod sic, videtur:

1. Primo per auctoritatem Augustini et Ambro- Fundamenta. sii in littera [6], qui immediate post dilectionem Dei ordinant dilectionem sui.

2. Item, Ecclesiastici decimo quarto [7]: *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?* Per hoc videtur, quod non potest aliquis alium ordinate diligere, nisi prius ordinate diligat se.

3. Item, Augustinus in Enchiridio [8], tractans illud verbum: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis*: « Qui vult ordinate eleemosynam dare a se debet incipere et eam sibi primo dare. Est enim eleemosyna opus misericordiae, verissimeque dictum est: *Miserere animae tuae, placens Deo* ». Si ergo prius debet homo sibi misereri quam alii, videtur, quod secundum ordinem caritatis amor sui sit amori proximi praeponendus.

4. Item, sicut natura appetit suam conservationem, sic caritas suam perfectionem; sed natura magis appetit conservationem sui in se quam in suo simili [9]: ergo et caritas plus appetit perfici in se ipsa et in anima, in qua est, quam caritatem aliam appetat perfici in anima aliena: ergo secundum rectum ordinem caritatis amor sui praemitti debet amori ipsius proximi.

Sed contra: 1. Primae ad Corinthios decimo Ad oppositam. tertio [10]: *Caritas non quaerit quae sua sunt;* et iterum alibi: *Nullus quod suum est quaerat, sed quod alterius:* ergo videtur, quod caritas secundum suam perfectionem magis inclinet ad amandum alterum quam ad amandum se ipsum.

---

frui Deo; quoniam cum dicitur: aliquis desiderat Deum sibi, desiderium transit immediate in Deum; sed cum dicitur: iste desiderat habere Deum vel frui Deo, desiderium transit in creaturam; et ideo non est idem desiderare Deum sibi et desiderare habere Deum vel frui Deo. Per hoc patet, quod aliquis diligit se magis uno motu quam alio; quoniam magis diligit se in infinitum motu, quo desiderat Deum, quam motu, quo desiderat frui Deo.

[1] Cfr. supra pag. 280, nota 5.

[2] Vide I. Sent. d. 1. a. 3. q. 2. — Subinde pro *Amor autem* edd. *Amor enim.*

[3] Vide II. Sent. d. 37. a. 1. q. 2. — Mox pro *habet a Deo* codd. A K *habet esse a Deo.*

[4] De quo vide II. Sent. d. 8. p. II. q. 2, et Bernard., Serm. in Cantic. serm. 5. n. 8. (cfr. serm. 31. n. 6.): Illud autem scitote, nullum creatorum Spirituum per se nostris mentibus applicari... Sequestretur proinde praerogativa haec summo ac incircumscripto Spiritui... per se infunditur, per se innotescit, purus capitur a puris. — In fine solut. pro *melius* edd. cum uno alteroque cod. *melior.*

[5] Vide Scholion ad praecedentem quaest.

[6] Hic c. 1. et 2.

[7] Vers. 5. — Paulo post pro *videtur* cod. Z *patet.*

[8] Cap. 76. n. 20. — Primum Scripturae testimonium, in quo cod. Z cum Vulgata pro *et omnia* exhibet *et ecce omnia,* est Luc. 11, 41; secundum est Eccli. 30, 24. — In conclus. pro *alii* cod. A *alteri.*

[9] Cfr. Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 59. (c. 10.), II. de Anima, text. 34. seq. (c. 4.) et IX. Ethic. c. 4. Cfr. etiam Boeth., III. de Consol. prosa 11.

[10] Vers. 5. — Seq. Scripturae locus ibid. 10, 24, ubi cod. Z cum Vulgata *Nemo* pro *Nullus.* — In fine arg. pro *se ipsum* non pauci codd. perperam *se ipsam.*

2. Item, Matthaei vigesimo secundo[1]: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum;* hoc quod est *sicut* aut est nota *similitudinis*, aut *aequalitatis*. Si *similitudinis* tantum, eadem ratione posset dicere: diliges proximum tuum sicut Deum. Si *aequalitatis*: ergo non videtur, quod sit ordo dilectionis respectu nostri ad dilectionem respectu proximi.

3. Item, Gregorius in quadam homilia[2]: « Nemo ad se ipsum habere caritatem dicitur. Ad hoc enim, quod caritas sit, necesse est, ut dilectio in alterum tendat »: ergo caritas per prius ordinat hominem ad alterum quam ad se ipsum: ergo in ordine caritatis videtur quod nobis praemitti debeat proximus.

4. Item, caritas est amor liberalis[3]; sed liberalitas magis attenditur respectu alterius quam respectu sui: ergo amor caritatis magis consistit in amando alterum quam in amando se ipsum.

5. Item, amor caritatis superveniens tollit curvitatem ipsi naturae[4], sicut patet: quia, cum homo plus diligat se quam Deum *ante* caritatem, *post* adventum caritatis vertitur ordo, ut plus diligat Deum quam se ipsum: si ergo mutat ordinem quantum ad dilectionem Dei, pari ratione quantum ad dilectionem proximi: videtur ergo, quod dilectio proximi praemittenda sit secundum ordinem caritatis dilectioni respectu nostri.

6. Item, caritas facit, nos conformare voluntatem nostram voluntati divinae; sed Deus non magis diligit nos quam proximos nostros, immo magis diligit proximos nostros, si sint meliores nobis: ergo videtur, quod secundum ordinem caritatis plus debeo diligere proximum quam me ipsum. *Si tu dicas*, quod Deus non vult, quod conformemus voluntatem nostram sibi in hoc[5]; *obiicitur* contra hoc, quia Deus vult, quod nos magis desideremus honorem suum quam commodum proprium; vult etiam, quod magis amemus et appretiemur illud quod magis est amandum et appretiandum; sed salus centum animarum magis facit ad honorem Dei et magis appretianda est quam salus unius animae: si ergo « nomine proximi intelligitur omnis homo[6] », videtur, quod amor proximi praeponendus sit amori sui. Et hoc confirmatur per illud quod dicit Apostolus ad Romanos: *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.*

CONCLUSIO.

Amor salutis propriae praeferendus est amori salutis alienae.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod secundum ordinem caritatis amor salutis propriae praeponendus est amori salutis alienae, secundum quod auctoritates Sanctorum innuunt manifeste, et secundum etiam quod consonat et dictat iudicium rationis rectae et instinctus naturae. — Ratio. Ratio enim huius est: quoniam unumquodque plus appetit perfectionem in se ipso quam in suo simili; et quodlibet pondus plus trahit corpus, in quo est, ad situm sibi debitum, quam trahat aliud corpus illi annexum: hinc est, quod caritas per prius desiderat, Deum nobis uniri et in nobis habitare, et nos in ipsum Deum tendere et in ipso quiescere, quam appetat in aliquo alio, qui nobiscum habeat aliquam similitudinem[7].

Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod in ordine caritatis praefertur dilectio sui dilectioni ipsius proximi. Et huius signum est, quia illi reprehenduntur et stulti reputantur, qui salutem propriam negligunt, ut procurent alienam[8]. Huius etiam signum est, quia, si homo ex caritate deberet diligere proximum quantum se ipsum, ita quod esset ibi omnimoda aequalitas, iam duos proximos deberet diligere duplo quam se ipsum, et tres in triplo, et sic ulterius ascendendo; quod in nullo habente caritatem reperiri contingit, quantumcumque perfecto. Confirmatur dupliciter.

1. Ad illud quod primo obiicitur, quod caritas non quaerit quae sua sunt; dicendum, quod *suum* idem est quod *proprium*. *Proprium* autem *quaerere* hoc est dupliciter: uno modo, prout *proprium* dicitur cum praecisione; et sic excludit bonum *commune*, et isto modo sonat in vitium, et secundum istam acceptionem consuevit dici, quod libido est amor boni proprii; et quantum ad hunc modum dicit Apostolus, quod caritas non quaerit quae sua sunt[9]. Alio modo dicitur *bonum proprium* bonum, quod pertinet ad se, ita quod in appetitu illius boni voluntas nec repugnat divinae voluntati nec praeiudicat communi utilitati, sicut est appetitus salutis propriae; et isto modo diligit quis se ex caritate; Solutio oppositorum. Proprium quaerere dicitur dupliciter.

---

[1] Vers. 39. — Pro *quod est* cod. Z *quod dicit*. In fine arg. ante *proximi* cod. A et *Supplement* Alex. Hal. omittunt *respectu*.

[2] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 1, qui locus in textu origin. sic sonat: *Nemo... dicitur, sed dilectio in alterum tendit, ut caritas esse possit.* Pro *quod caritas sit* codd. A K *ut caritas sit*.

[3] Cfr. I. Ioan. 3, 17. seq.

[4] De curvitate naturae vide verba Bernardi, tom. II. pag. 124, nota 3. allata. Vide etiam August., Enarrat. in Ps. 50. n. 15. et serm. 2. in Ps. 68. n. 8. — Edd. *ipsius naturae*. In initio arg. pro *amor caritatis* cod. bb *caritas*.

[5] Cfr. I. Sent. d. 48. a. 2. q. 2: Utrum teneamur voluntatem nostram voluntati divinae conformare in volito. — Paulo superius pro *si sint meliores* codd. A H K *si sunt meliores*; paulo inferius pro *proprium* cod. Z *nostrum*.

[6] August., Enarrat. in Ps. 11. n. 3, et de Disciplina christ. c. 3. n. 3. — Locus Scripturae est Rom. 9, 3.

[7] Cfr. supra pag. 638, nota 3, — Aliquanto superius pro *Ratio enim* cdd. *Ratio autem*.

[8] Cfr. I. Cor. 9, 27, et Bernard., I. de Consider. c. 5. n. 6.

[9] Vide supra pag. 607, nota 2. — Paulo superius pro *excludit* cod. G *excluditur*.

et sic accipiendo non negat Apostolus, quin homo per caritatem debeat quod suum est quaerere, cum ipsemet cuperet *dissolvi et esse cum Christo,* sicut dicitur ad Philippenses primo [1].

2. Ad illud quod obiicitur, quod secundum divinum mandatum debet homo diligere proximum sicut semetipsum; dicendum, quod *sicut* non est Notandum nota *perfectae aequalitatis* sive commensurationis, sed *expressae similitudinis*, quae in hoc attenditur, quod homo debet diligere proximum ad illud bonum, ad quod diligit se ipsum, et post salutem propriam nihil tantum debet desiderare, sicut salutem alienam: et ideo non valet illud quod obiicit, quod similiter deberet dici in mandato illo, quod diligat proximum sicut Deum [2].

3. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Gregorii, quod caritas magis proprie ordinat ad proximum quam ad se ipsum; dicendum, quod hoc non dicitur, quod caritas per prius respiciat ordinem hominis ad proximum quam ad se ipsum, sed quia non sufficit, quod aliquis amor sit caritas, ut homo amet se ipsum; licet enim amor caritatis a se ipso incipiat, debet tamen [3] in alterum protendi.

4. Ad illud quod obiicitur, quod caritas est amor liberalis; dicendum, quod quamvis liberalitas quantum ad suam *completionem* respiciat alterum, tamen quantum ad suum *initium* prius respicit ipsum, qui liberalitatem impendit, sicut et misericordia, de qua dictum est [4], quod primo debet homo sui ipsius misereri.

5. Ad illud quod obiicitur, quod amor caritatis superveniens tollit curvitatem naturae; dicendum, Duplex curvitas naturae. quod *quaedam* est curvitas naturae, quae sonat in vitium et corruptionem; *quaedam*, quae respicit ipsius naturae intrinsecam inclinationem. *Prima* est, qua quis diligit se plus quam Deum; *secunda* est, qua quis diligit se plus quam proximum. Gratia autem superveniens *primam* corrigit et tollit, *secundam* vero dirigit et cum ea currit; et sic ratio illa non valet, quoniam non est simile hinc inde.

6. Ad illud quod obiicitur, quod debemus voluntatem nostram voluntati divinae conformare; dicendum, quod Deus cum dicitur alterum altero ma- Notandum. gis diligere, hoc non est, quia *intensius* diligat unum quam reliquum, cum circa amorem ipsius nec cadat intensio nec remissio; sed hoc dicitur, quia unum *ordinat ad maius bonum* quam reliquum [5]; et hoc bene potest concedi, quod quis magis debet diligere proximum quam se, cum proximus ipsum excedat in merito; sed ex hoc non sequitur, quod amor proximi melioris praeponderet amori sui. Ordo enim caritatis non attenditur penes Axioma. *magnitudinem boni optabilis*, sed penes *praeponderationem affectionis diligentis.* — Et *si tu obiicias*, quod Deus vult, quod magis amemus honorem suum quam commodum nostrum, et magis appretiemur quod est magis appretiandum; dicendum, quod verum est, quod Dei honor plus debet in corde nostro praeponderare quam nostrum commodum; tamen caritas nunquam separat honorem Dei a com- Notandum. modo nostro spirituali; nec est voluntatis divinae, ut nos appetamus aliquid, quod sit in detrimentum salutis nostrae, propter honorem suum. Sicut enim essentiale est *naturae* appetere *esse*, sic essentiale est *gratiae* appetere *Deo placere* et *Deo adhaerere*; ideo Deus nunquam illud a nobis exigit, ut magis salutem alienam quam propriam diligamus. — Et quod dicit Apostolus, quod optabat anathema a Christo esse pro fratribus, illud intelligitur *ad tempus*, vel *sub conditione*, videlicet si optabile esset [6].

SCHOLION.

1. Conclusio est manifesta et communis; ast intelligi debet de bonis, quae pertinent ad *interiorem* hominem. Quoad bona vero *exteriora* saepe virtutis est, ut quis ea sibi subtrahat aliisque impendat, ut infra q. 6. explicatur (cfr. etiam infra dub. 5.); immo si *salus* proximi collidit cum meis *bonis exterioribus*, ordo caritatis vult, ut, per se loquendo, praeponam superius bonum proximi inferiori bono proprio. Hoc S. Thom. (S. II. II. q. 26. a. 5.) cum Richardo a Med. (hic q. 4.) speciali quaestione probat respectu ipsius vitae corporalis, ita concludens: « Et ideo proximum quantum ad salutem animae magis debemus diligere quam proprium corpus ». Sed quod quis proprium corpus morti exponat pro salute proximi, non urget ut *praeceptum* nisi vel in casu necessitatis, vel in casu, quo quis teneatur saluti proximi providere, sicut ibid. ad 3. docetur.

De hac quaestione: S. Thom., hic a. 5; S. loc. cit. a. 4. — Petr. a Tar., hic a. 6. — Richard. a Med., loc. cit. q. 3. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 2.

---

[1] Vers. 23. — Quantum ad verbum Apostoli, Bernard., Serm. in Cantic. serm. 48. n. 3. ait: Sed caritas, inquis, non quaerit quae sua sunt. Et tu scis, quam ob rem? Non quaerit quae sunt sua, profecto quia non desunt. Quisnam quaerat quod habet? Caritas quae sua sunt, id est propriae saluti necessaria, nunquam non habet; nec modo habet, sed etiam abundat. Vult abundare sibi, ut possit et omnibus; servat sibi, quantum sufficiat, ut nulli deficiat. Alioquin si plena non est, perfecta non est.

[2] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Pro *diligat* cod. A *diligeret*, cod. W *debet diligere.*

[3] Plurimi codd. et *Supplement.* Alex. Hal. collat. 68. a. 3. omittunt *tamen.*

[4] Hic in fundam. 3. — Superius pro *quamvis liberalitas* cod. Y *quamvis amor liberalis.*

[5] Vide infra d. 32. q. 3.

[6] In Comment. super hunc loc. (Rom. 9, 3.), Ambrosio olim ascripto, haec observantur: *Optabam* ait, non *opto*: quia scit fieri non posse, ut tam honestum membrum, nullo praecedente vitio, abscinderetur a corpore christiano, affectum tamen et dilectionem circa genus suum ostendit.

QUAESTIO IV.

Utrum magis diligendi sint parentes quam filii, an e converso.

Quarto quaeritur de ordine caritatis per comparationem patris ad filium, et quaeritur, utrum magis sint diligendi parentes quam filii, an e converso. Et quod primo[1] sint diligendi parentes, videtur:

Fundamenta. 1. Primo per mandatum Domini; praecipit enim honorare parentes, Exodi vigesimo[2]: *Honora patrem tuum* etc.: si ergo mandata Dei tradita sunt secundum ordinem caritatis, videtur, quod amor caritatis principalius ad parentes quam ad filios habet ordinare.

2. Item, auctoritate Ambrosii, quae habetur in littera[3]; dicit enim, quod « primo diligendus est Deus, secundo parentes, deinde filii ».

3. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quoniam secundum legem caritatis grati debemus esse de beneficiis acceptis[4]; sed plura beneficia accipimus a parentibus quam a filiis: ergo magis debemus eis esse grati. Sed qui magis est gratus alii magis ipsum diligit: ergo parentes in ordine caritatis sunt filiis praeponendi.

4. Item, principiatum plus pendet a principio quam e converso; sed ubi est maior dependentia, ibi est maior inclinatio; et ubi maior inclinatio, ibi maior amoris conversio: cum ergo habens patrem et filium ad patrem comparatur[5] sicut principiatum ad principium, ad filium vero sicut principium ad principiatum; videtur, quod secundum regulam amoris magis debet converti ad patrem quam ad filium.

Sed contra: Ad oppositum. 1. Secundae ad Corinthios duodecimo[6]: *Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis;* sed nemo debet thesaurizare nisi ei quem debet diligere: si ergo magis debent thesaurizare parentes filiis quam e converso, magis debent secundum caritatis ordinem parentes filios diligere, quam filii parentes.

2. Item, secundum ordinem naturae humor procedit a radice ad ramos, non e converso: si ergo conversio amoris in rationalibus similis est derivationi humoris in vegetabilibus, et pater comparatur ad filios, sicut radix ad ramos[7]; videtur, quod secundum rectum ordinem amplius sint diligendi filii quam parentes.

3. Item, caritas respicit boni communicationem secundum convenientiam et conformitatem; sed plus boni communicant parentes filiis quam e converso[8]: ergo videtur, quod amor caritatis secundum rectum ordinem prius et abundantius reddat habilem ad diligendum filios quam parentes.

4. Item, gratia est perfectio naturae; sed videmus, quod naturaliter homines plus diligunt filios quam parentes[9]: ergo videtur, quod consimilis ordo debeat esse in amore gratuito.

CONCLUSIO.

Secundum ordinem caritatis parentes plus diligendi sunt quam filii, ceteris paribus.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Ambrosius, secundum ordinem caritatis parentes praeponendi sunt filiis; et hoc intelligendum est ceteris paribus, sicut infra[10] manifestabitur. Conclusio. — Ratio enim huius est: quia amor *gratuitus* facit memorem esse perceptorum beneficiorum — propter quod et sacra Scriptura[11] praecipiendo et admonendo inducit nos ad paterna beneficia recolenda — et quia plura beneficia percepimus a parentibus quam a filiis: ideo secundum ius divinum plus eis tenemur et magis eorum salutem diligere et procurare debemus. Et concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt. Ratio.

Ad rationes autem, quae ad oppositum adducuntur, respondendum est, quod illae rationes currunt de dilectione *naturali,* secundum quam magis inclinatur affectus hominis ad filios quam ad patrem. De dilectione naturali. Et ratio huius est, quia *natura* appetit conservari in suo simili[12] et magis diligit illud, in quo habet principalius salvari; et quoniam pater habet salvari in filio secundum ordinem naturae, non e converso: hinc est, quod secundum *naturae* ordinem maiorem habet ad filium inclinationem, quia magis vult ipsum quam patrem habere superstitem. Dilectio autem *gra-*

---

[1] Cod. M *plus.*

[2] Vers. 12. — In fine arg. pro *ordinare* edd. et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 68. a. 4. *ordinari.*

[3] Hic c. 2; sed verba sunt Origenis, non Ambrosii.

[4] Coloss. 3, 14. seq.: Super omnia autem haec caritatem habete... et grati estote. Cfr. etiam Aristot., Rhetor. ad Alexandrum, c. 1, et VIII. Ethic. c. 12. et 14, ubi et de seq. arg. videsis. — Mox pro *accipimus* edd. cum nonnullis codd. *accepimus.*

[5] Cod. Z *comparetur.* Paulo inferius pro *debet* codd. A U *oportet.*

[6] Vers. 14.

[7] Aristot., VIII. Ethic. c. 12. loquens de fratribus, ait: Unde inquiunt eundem sanguinem eandemque radicem. — Pro *sicut* codd. A K *tanquam.*

[8] Aristot., VIII. Ethic. c. 14: Quidquid fecerit filius, nihil dignum collatis beneficiis fecit.

[9] Cfr. Aristot., IX. Ethic. c. 7.

[10] Quaest. 6.

[11] Tob. 4, 3. seqq.; Eccli. 3, 7. seqq. et 7, 29. seq.

[12] Vide Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 59. (c. 10.), et II. de Anima, text. 34. seq. (c. 4.).

tuita magis respicit beneficiorum collationem et supernorum civium completionem, ad quam indifferenter parentes et filii comparantur.

1. 2. 3. Et per hoc patet responsio ad illa tria, quae primo obiiciebantur.

Solutio oppositorum.

4. Ad illud vero quod ultimo obiicitur, quod gratia debet esse conformis naturae; dicendum, quod natura in quibusdam currit via *consona* cum gratia, in quibusdam currit via *opposita*, in quibusdam currit via *disparata*. In hoc enim quod homo plus diligit se quam proximum, natura gratiae *concordat*, sicut supra [1] ostensum est; in hoc quod diligit se plus quam Deum, ipsi gratiae *repugnat;* in hoc autem quod diligit filium plus quam patrem, quia intendit salvari in illo, procedit quasi via *diversa*. Et ideo gratia superveniens ordinem in primo affectu *salvat et perficit*, in secundo simpliciter *mutat*, in tertio vero *novum ordinem dat*, ita tamen, quod affectum illum non exterminat. Unde aestimo, quod homo habens caritatem et habens parentes et filios, dum movetur affectu *gratuitae* dilectionis, magis desiderat parentum salutem; dum movetur affectu *naturae*, magis desiderat filii sanitatem. Nec est hic oppositio dilectionis naturalis ad gratuitam propter considerationem diversam.

Doctrina notabilis.

SCHOLION.

1. In hac quaestione solvenda S. Thom. (hic a. 7; S. II. II. q. 26. a. 9.) dupliciter recedit a nostro auctore. Hic enim *sine distinctione* cum Origene (non Ambrosio) resolvit, quod secundum ordinem *caritatis* parentes praeponendi sint filiis; tamen in solut. ad 1. 2. 3. et ad 4. contrarium dicit de inclinatione *naturalis* dilectionis. Sed S. Thomas quoad primum respondet *distinguendo*, ut infra dicetur; secundo vero non admittit, quod *naturalis dilectio* aliter inclinet ac *caritas*. Hinc de illa assertione, quod magis amantur filii affectu *naturali*, in suo Comment. dicit: « Sed hoc non placet mihi, quia nihil naturalium inordinatum est; esset autem inclinatio inordinata, si inclinaret in diligendum magis quod minus diligendum est » etc. Concludit autem: « Unde constat, quod etiam secundum *naturalem* inclinationem et secundum caritatem *distinctione* opus est ». Hinc distinguit (in Sum. loc. cit.) gradus dilectionis tum ex parte *obiecti*, tum ex parte ipsius *diligentis*, et asserit, quod sub primo respectu pater sit magis diligendus quam filius, sub secundo vero respectu « magis diligitur quod est coniunctius, et secundum hoc filius est magis diligendus quam pater ». Hinc idem (loc. cit. ad 1.) docet, quod « parentibus a filiis magis debetur *honor*, filiis autem debetur magis *cura provisionis* »; « quamvis in articulo necessitatis filius obligatus sit ex beneficiis susceptis, ut *parentibus* magis provideat » (ibid. ad 3.). — Porro Petr. a Tar. (hic a. 6.) quoad dictam obligationem cum S. Bonav. docet, quod magis tenetur filius ad dilectionem patris, quam pater filii; etiam quoad *inclinationem naturae*, alia ac S. Thom. usus distinctione, dicit: « Secundum considerationem naturae *specialis* homo plus ad diligendum patrem ex ratione inclinatur; sed secundum considerationem naturae *generalis* e contrario »; quod convenit cum doctrina nostri auctoris in solut. ad 4. — Richard. a Med. (hic q. 7.) de illa solutione S. Thomae censet, quod « non satisfacit quaestioni, quia per hoc non clare ostenditur, quem homo magis debeat diligere, omnibus computatis ». Ipse autem Richardus pro solvenda quaestione, quem duorum hominum homo magis debeat diligere, censet, respiciendam esse « non tantum eorum bonitatem et eorum ad diligentem propinquitatem, sed etiam eorum ad diligentem dilectionem, et ad beneficia, quae recepit diligens per eorum procreationem et operationem ». Idem cum S. Bonav. simpliciter determinat, in dilectione praeferendum esse patrem. — Denique Dionys. Carth. (hic q. 2.) aliorum refert solutiones, nihil determinans.

QUAESTIO V.

Utrum domesticus sit extraneo praeponendus.

Quinto quaeritur de ordine caritatis per comparationem domestici ad extraneum, et est quaestio, utrum domesticus sit extraneo praeponendus. Et quod sic, videtur:

1. Per illud quod dicitur ad Galatas ultimo [2]: *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei;* et primae ad Timotheum quinto: *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.* Ex utraque istarum auctoritatum ostendi potest, quod domesticus extraneo debeat praeferri; per unam ostenditur *positive* et per aliam *destructive*.

Fundamenta.

2. Item, hoc ipsum ostenditur *auctoritate* Ambrosii, quae ponitur in littera [3], qui dicit, domesticos collocandos esse quinto loco in ordine caritatis, extraneos vero in sexto.

3. Item, hoc ipsum videtur per *rationem*. Diffusio caloris corporalis prius est ad loca propinquiora quam ad remotiora: ergo *a simili*, communicatio amoris spiritualis prius respicit naturaliter quod est propinquum, quam quod est remotum: si ergo domestici sunt propinquiores nobis quam extranei, vel inimici; videtur, quod in ordine caritatis primo sint collocandi [4].

---

[1] Quaest. 3. — De propos. seq. vide supra q. 2. ad 1. — Mox post *in hoc* omisimus cum edd. 1, 2 *enim*, quod habent codd., pro quo Vat. substituit *autem*. Subinde pro *ipsi gratiae repugnat* cod. F *currit via opposita*.

[2] Vers. 10. — Deinde 1. Tim. 5, 8.

[3] Hic c. 2; sed dictum est Origenis. — Pro *qui dicit* codd. G H V Z *quae dicit*.

[4] August., in 1. Epist. Ioan. tr. 8. n. 4: Qui usque ad inimicos pervenit non transilit fratres. Necesse est, sicut ignis prius occupet proxima, et sic se in longinquiora distendat. Propinquior est tibi frater quam nescio quis homo... Extende dilectionem in proximos, nec voces illam extensionem. Prope enim te diligis etc. — In *maiori* pro *corporalis* cod. W *naturalis*.

4. Item, ad illos prius et principalius caritas ordinat, quibus magis astringimur et ligamur — ordo enim caritatis consonat legi iustitiae[1] — sed secundum legem iustitiae magis obligamur domesticis quam extraneis: ergo domestici praeferri debent extraneis in ordine caritatis.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Ad Colossenses tertio[2]: *Renovamini secundum novum hominem, ubi non est masculus et femina, gentilis et Iudaeus, sed omnia in omnibus Christus:* ergo secundum hoc homini habenti caritatem nemo est extraneus: ergo secundum legem caritatis nulla est distinctio, nullus ordo inter domesticum et extraneum.

2. Item, Augustinus in libro de Vera Religione[3]: « Non sic homo ab homine diligendus est, ut diliguntur carnales fratres vel filii vel coniuges vel cognati vel affines aut cives; nam ista dilectio est temporalis. Non enim tales necessitates haberemus, quae nascendo et moriendo contingunt, si nostra natura, in praeceptis et imagine Dei manens, in istam corruptionem non relegaretur »: ergo videtur, quod ordo caritatis penes extraneum et domesticum et propinquum nullatenus attendatur.

3. Item, ratio diligendi proximum ex caritate est ipsa imago Dei[4]: si ergo domesticus et extraneus aequaliter sunt imago Dei, videtur, quod ex caritate aequaliter sunt diligendi.

4. Item, caritas diligit bonum, quia bonum: ergo ille qui est magis bonus, magis est ex caritate diligendus, sive sit domesticus sive extraneus[5]: ergo propinquitas et familiaritas, vel extraneitas nihil videntur facere ad ordinem caritatis.

CONCLUSIO.

Secundum ordinem caritatis domestici praeponendi sunt extraneis.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod praedictus ordo, qui assignatur secundum has differentias, quae sunt *propinquum* et *remotum*, *domesticum* et *extraneum*, a quibusdam dicitur esse ipsius *dilectionis naturalis*, *caritatis* autem non est nisi *tolerantis;* sustinet enim caritas in via, cum sit imperfecta, imperfectionem ipsius naturae. Unde hi voluerunt dicere, quod ordo caritatis, qui competit ei secundum se, attenditur penes *maius bonum* et *minus bonum*, non autem secundum *propinquum* et *remotum*. — Sed hic modus dicendi non videtur concordare verbis Ambrosii nec verbis Magistri. Nam Ambrosius hunc ordinem assignat in ipsa dilectione gratuita, de qua dicit sponsa in Canticis[6]: *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem.* Et Magister in principio distinctionis dicit, quod « peccat qui praepostere agit » et hunc ordinem pervertit; quod non esset, si talis ordo solummodo esset caritatis sicut *tolerantis*.

Opinio 1.

Non probatur.

Et ideo est alius modus dicendi, quod ordo, qui attenditur penes praedictas differentias, non tantum est ipsius caritatis sicut *tolerantis*, sed etiam est ipsius sicut *regulantis naturam* et ei *consonantis*. Quod enim primo diligantur propinqui quam extranei, hoc non est naturae *inordinatae*, sed potius *de ordinatione*[7] *naturae*. — Sicut enim prius tactum est, rectus ordo diffusionis est, ut prius communicetur propinquiori et deinde remotiori. Quoniam ergo caritas rectum ordinem a natura non aufert; hinc est, quod caritas superveniens illum ordinem naturae perficit, et perficiendo dicitur eodem ordine ordinari, non quia ordo ille competat sibi[8] *secundum se*, sed quia competit ei *ratione naturae*, in qua est.

Opinio 2.

Axioma.

Propter quod attendendum est, quod duplex ordo attenditur in caritate: unus, qui ei competit *secundum se ipsam;* et iste ordo attenditur penes *bonum* et *magis bonum* et *maxime bonum*. Unde caritas *de se* magis movet ad amandum spiritum quam corpus, et Deum summum quam spiritum creatum[9]. Alius vero est ordo, qui competit ei *ratione naturae substratae;* et hic attenditur secundum has differentias, quae sunt *proprium* et *alienum*, *propinquum* et *extraneum*. Affectus enim caritatis substernit sibi affectum naturae et illum perficit et regit secundum id quod habet in se rectitudinis[10]. — Concedendum est ergo, quod secundum ordinem caritatis domestici praeponendi sunt extraneis; rationes etiam, quae hoc ostendunt, concedendae sunt.

Duplex ordo in caritate.

Conclusio.

1. Ad illud quod obiicitur, quod in Christo Iesu non est distinctio masculi et feminae, immo omnes[11] unum in Christo; dicendum, quod Apostolus

Solutio oppositorum.

---

[1] Cfr. Aristot., VIII. Ethic. c. 9.

[2] Vers. 10. seq.: Et induentes novum [hominem]... ubi non est gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus. Cfr. Eph. 4, 23. seq., et Gal. 3, 28. — Inferius ante *ergo secundum legem* cod. A ponit *si*.

[3] Cap. 46. n. 88. — In testimonio allato pro *temporalis* edd. exhibent *corporalis*, refragantibus codd. et textu origin. Deinde pro *si nostra* multi codd. perperam substituerunt *sed nostra*.

[4] Cfr. August., l. de Doctr. christ. c. 22. n. 20. seq.

[5] Similiter et Aristot., VIII. Ethic. c. 7. docet, eum qui melior sit et maiorem afferat utilitatem, magis esse amandum.

[6] Cap. 2, 4. — Verba Ambrosii (Origenis) vide hic lit. Magistri, c. 2.

[7] Sic codd. A G K V; alii codd. et edd. *ordine*.

[8] Codd. A K bb *ei*.

[9] Vide supra d. 28. q. 4. in corp. Praedictam distinctionem S. Thom. (S. II. II. q. 26. a. 7. et passim) aliis verbis exprimit, scilicet per comparationem ad *obiectum* et ad *diligentem*.

[10] Vide supra q. 1. ad 1, q. 3. ad 5. et q. 4. ad 4. — Paulo inferius pro *rationes etiam* (sic codd. A K bb) edd. cum aliis codd. *rationes autem*.

[11] Codd. A K bene supplent *sumus*. Inferius pro *sed hoc* cod. O *sed in his*, Vat. *sed per hoc*. In fine solut. pro *membra Christi* codd. A G K *membrum Christi*.

per hoc non vult excludere distinctionem et gradum et ordinem in membris Christi, sed hoc vult ostendere, quod in omni sexu et aetate et de omni conditione quisque potest per Christum pervenire ad salutem, ita quod nullus excludendus est a fide. Et propterea ex hoc non habetur, quod caritas in diligendo membra Christi non servet ordinem.

2. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Augustini de Vera Religione, responderi potest, quod illam auctoritatem ipse retractat in primo Retractationum [1]. — Aliter etiam potest dici, quod Augustinus non vult removere a caritate considerationem illarum conditionum simpliciter; sed hoc vult dicere, quod *caritas* illas conditiones non considerat primo et principaliter, secundum quod amor *naturalis* et carnalis. Et hoc patet per illud quod subiungit [2]: « Amare enim in homine quod filius est, hoc non est in eo amare quod ad *Deum pertinet*, sed quod pertinet *ad se* »; constat, quod de eo intelligit, qui diligit filium *principaliter*, quia est ab eo genitus, non quia est ad Dei imaginem factus. Et propterea ex auctoritate illa non habetur, quod penes illas conditiones non attendatur ordo caritatis, sed quod non sunt *principales* rationes diligendi ex caritate. Quamvis autem non sint *principales*, possunt tamen esse *annexae* et *concomitantes*, et ex hoc ad caritatis ordinem facientes.

Alia solutio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod ratio diligendi proximum est imago; dicendum, quod ista est ratio communis et generalis, sed praeter hanc possunt esse aliae speciales. Ordo autem et distinctio, quamvis non attendatur penes conditiones [3] *generales*, attendi potest penes *speciales*. Et propterea, quamvis domesticus et extraneus sint uniformiter ad imaginem Dei, non tamen sequitur, quod sint uniformiter diligendi.

Notandum.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod caritas diligit bonum, quia bonum; dicendum, quod verum est de ipsa caritate *secundum se*. Sicut enim praetactum est, ordo eius *in se* attenditur penes bonitatem maiorem, vel minorem; sed in caritate non tantum attenditur ordo *secundum se*, sed etiam *ratione naturae substratae;* et ratione illius assignatur ordo inter domesticum et extraneum. Et sic patet, quod ratio illa non repugnat ordini caritatis.

SCHOLION.

I. Huic quaestioni, utrum *ordo* caritatis respiciat etiam *affectum*, de qua plura refert Magister (hic c. 2.), fomentum fortasse praebuerunt verba S. Bernardi (Serm. in Cantic. serm. 50. n. 3.), quae affirmare videntur, ipsum *praeceptum* caritatis respicere potius *effectum* quam *affectum*, sive, ut ipse loquitur, caritatem *actualem* quam *affectualem*. Sed ipse minime voluit excludere *affectum*, cum dicat (ibid. n. 4.): « Neque hoc dico, ut sine affectione simus et corde arido solas moveamus manus ad opera » etc.

II. Iam Guilelm. Antissiodorensis (Sum. III. tr. 6. c. 2. q. 2.) primam opinionem reprobavit; item posteriores Scholastici communiter tenent, quod licet *ordo* caritatis primo et principaliter attendat gradum similitudinis sive propinquitatis, quem dilectus habet ad ipsum *Deum*, secundario tamen etiam respiciat « *naturam substratam* », scilicet gradum similitudinis et propinquitatis, quem dilectus in ordine naturae habet cum *diligente*. In communicatione autem vitae naturalis et socialis inter homines plures sunt « differentiae » (cfr. infra dub. 3.), quarum quatuor cum S. Thoma sic distinguit Petr. a Tar. (hic a. 7.): « Est quaedam communicatio... *naturalis* in origine naturali, qua communicant propinqui; quaedam *oeconomica* in officiis domesticis, qua communicant domestici; quaedam *politica* in uno corpore civitatis unius, vel populi, qua communicant omnes cives; quaedam *divina* in operibus gratiae, qua communicant omnes homines [saltem potentia]. Et super quamlibet harum communicationum fundatur amicitia quaedam: super primam amicitia propinquorum, super secundam domesticorum, super tertiam extraneorum, super quartam omnium hominum, etiam inimicorum. Quanto vero plures includuntur modi communicandi, tanto est maior communicatio, et tanto debet esse maior dilectio; et ideo cum modus primus omnes alios contineat, maiorem importat communicationem, et ideo maiorem dilectionem *simpliciter*, quamvis *secundum quid*, ratione alicuius communicantiae maioris specialis, aliter contingat » etc.— Quae principia ut melius intelligantur et applicari possint, observanda est doctrina de triplici *affectu* et *effectu*, in sequenti quaestione explicata.

De hac quaestione praeter laudatos: S. Thom., hic a. 6; S. II. II. q. 26. a. 7. 8; Qq. disp. de Caritate, a. 9. — B. Albert., hic a. 3. 7. — Richard. a Med., hic q. 6. — Durand., hic q. 4.

III. Conclusio sequentis (6.) quaestionis conformis est principiis communiter approbatis. Notatu dignae sunt observationes de triplici *affectu* et *effectu*.

De eadem quaestione: S. Thom., hic a. 2. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., hic a. 3.

QUAESTIO VI.

Utrum ordo caritatis attendatur penes effectum tantum, an simul penes affectum et effectum.

Sexto et ultimo quaeritur, utrum ordo caritatis attendatur penes effectum tantum, an simul penes affectum et effectum. Et quod penes *utrumque*, videtur.

Fundamenta.

1. Primae Ioannis tertio [4]: *Diligamus non verbo neque lingua, sed opere et veritate:* non est ergo vera dilectio, nisi sit in corde et opere, in affectu et in effectu: ergo pari ratione non est verus dilectionis ordo, nisi penes illorum utrumque attendatur.

2. Item, Gregorius in quadam homilia [5]: «Proba-

[1] Cap. 13. n. 8.

[2] De Vera Relig. c. 46. n. 88. — Inferius pro *sed quod* cod. K *secundum quod*.

[3] In edd. deest *conditiones* et post *attendi* subiunctum est *tamen*.

[4] Vers. 18. — Proxime ante pro *effectum tantum*, codd. et edd. *affectum tantum*, sed minus bene, ut non solum ex verbis Magistri, verum etiam ex hac ipsa quaest. palam fit. Cfr. etiam supra pag. 637, nota 5.

[5] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 1.

tio dilectionis exhibitio est operis »: ergo ubi est maior operis exhibitio, ibi probatur maior esse dilectio, et e converso: si ergo caritas ordinata est in diligendo, videtur, quod ordinari debeat in corde et in facto.

3. Item, ordinatio in *effectu* ortum habet ab ordinatione in *affectu:* si ergo caritas ordinari debet in *effectu,* necesse est, quod primo ordinetur in *affectu.* Sed caritas ordinata est quantum ad *effectum,* sicut patet per illud quod dicit Apostolus [1]: *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos:* ergo necesse est, caritatem ordinatam esse quantum ad *affectum.*

4. Item, « magis pensat Deus, *ex quanto* homo facit, quam *quantum* facit [2] »: ergo si ordo caritatis est Deo acceptus, videtur, quod non solum consistat in opere exteriori, sed etiam in affectu interiori.

Sed contra: 1. Quod non consistat in *affectu,* Ad oppositum. videtur per illud quod dicitur in Proverbiis, decimo octavo [3]: *Vir amicabilis ad societatem magis erit amicus quam frater;* sed constat, quod ista amicitia, de qua Sapiens loquitur, non adversatur ipsi caritati, immo potius est ei consona; sed secundum istam dicit, quod magis diligitur homo bonae societatis quam frater secundum carnem: videtur ergo, quod secundum praeassignatas differentias non attendatur ordo dilectionis quantum ad affectum.

2. Item, delectatio in familiaritate consequitur ad dilectionem et affectum diligendi [4]; sed multi sunt, qui plus delectantur loqui cum amico suo quam per orationem loqui cum Deo: ergo videtur, quod nullus talis caritatem habeat ordinatam; quod valde durum videtur dicere.

3. Item, quod non attendatur penes *effectum,* videtur, quia multi sunt impotentes ad impendenda opera dilectionis: ergo tales non possunt habere ordinem caritatis; quodsi hoc est falsum, restat etc.

4. Item, si ordo caritatis attendatur penes *effectum,* ergo recte et secundum ordinem caritatis agit qui praebendale beneficium potius dat suo consanguineo quam alicui extraneo; quod tamen reprehendit propheta Michaeas, tertio [5]: *Vae! qui aedificat Sion in sanguinibus;* et Ezechiel, quadragesimo quarto: *Sufficiat vobis domus Israel, qui introducitis incircumcisos in sanctuarium Dei;* ubi reprehenduntur illi qui beneficia ecclesiastica magis conferunt domesticis quam aliis.

CONCLUSIO.

Caritatis ordo respectu diligibilium diversorum non solum attenditur quantum ad effectum exteriorem, sed etiam quantum ad interiorem affectum, quod intelligitur, ceteris paribus.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod, secundum quod dicit Magister in littera [6], aliqui dicere voluerunt, quod huiusmodi Opinio 1. ordo caritatis attendatur solum quantum ad *effectum exteriorem,* non quantum ad *affectum interiorem* nisi per comparationem nostri ad Deum; per comparationem autem proximi ad proximum solum consistit ordo quantum ad *exteriorem effectum.* Et innituntur his auctoritatibus Augustini, quae in littera [7] ponuntur, in quibus videtur expresse sentire, quod ordo caritatis respectu proximi attendatur solum in exterioris operis exhibitione. Et hoc ipsum videtur dicere in libro de Vera Religione [8], ubi dicit, quod « haec est perfecta iustitia, ut plus potiora bona et minus minora diligamus ». Ex quo videtur posse elici, quod istae differentiae propinquitatis nihil faciant ad *affectum* dilectionis. — Verumtamen, sicut dicit Magister in littera [9], et verba Ambrosii sonant, et rationes prius inductae comprobant, ordo caritatis per compara- Conclusio. tionem nostri ad proximum et unius proximi ad alterum non solum attenditur secundum *effectum,* verum etiam secundum *affectum;* et hoc idem intelligendum est, *ceteris aliis paribus.* Si enim in duobus dilectis est par dignitas et necessitas, quantum est de istis proprietatibus et conditionibus, aequaliter sunt amandi *effectu* et *affectu;* sed si in altero illorum superaddatur sanguinis propinquitas, facit ipsum magis amabilem utroque modo. Et isto modo intendit Ambrosius caritatis ordinem assignare respectu proximorum; quod notat, cum dicit [10], « quod domestici, si boni sunt, malis filiis sunt praeponendi ».

---

[1] Gal. 6, 10. — Verbo *domesticos* codd. A K et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 68. a. 6. cum Vulgata adiiciunt *fidei.* Paulo ante pro *quod primo* edd. habent *quod prius.*

[2] Secundum Gregor. et Bedam; cfr. tom. II. pag. 906, nota 6. — Mox pro dativo *Deo* non pauci codd. et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *in Deo.*

[3] Vers. 24.

[4] Aristot., I. Ethic. c. 8: Laetari enim ex affectionibus animae est; unicuique autem id est iucundum, ad quod spectando talis rei studiosus quispiam dicitur, ut equus equorum, spectaculum spectaculorum studioso etc. — Pro *delectatio,* quae lectio habetur in codd. A W et in *Supplemento* Sum. Alex. Hal., edd. cum aliis codd. *dilectio.*

[5] Vers. 10: Qui aedificatis Sion in sanguinibus. Edd. allegant *Habacuc* (2, 12: Vae, qui aedificat civitatem in sanguinibus). Nonnulli codd. perperam citant *Isaiam.* Pro *Michaeas, tertio* cod. W substituit *dicens.* — Seq. Script. locus est Ezech. 44, 6. seq.: Sufficiant vobis omnia scelera vestra, domus Israel, eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde et incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo etc. — Pro *quod tamen* codd. A K *quem multum.*

[6] Hic c. 2. — Post pauca pro *attendatur* codd. I K L U bb *attenditur.*

[7] Hic c. 2. — Paulo ante pro *innituntur his* cod. Z bene *innituntur hi.*

[8] Cap. 48. n. 93: Et haec est perfecta iustitia, qua potius potiora et minus minora diligimus.

[9] Hic c. 2, ubi et verba Ambrosii (Origenis) inveniuntur. Cfr. Bernard., Serm. in Cantic. serm. 50. n. 2. seqq., et Comment. in Cantic. ex Bernardo (inter opera Bernardi), n. 33. — Paulo post pro *prius* edd. *primo.*

[10] Hic in lit. Magistri, c. 2.

Quaestio incidens solvitur.

Et si tu quaeras: cum ad ordinem caritatis concurrant *meriti dignitas* et *indigentiae opportunitas*, sicut et *propinquitas* [1], quare magis Ambrosius assignat ordinem caritatis penes *propinquitatem* quam penes *bonitatem*, vel *indigentiae necessitatem*? dicendum, quod conditio *bonitatis* nec est nobis ita nota nec est in se ita stabilis et firma, sicut *propinquitatis* conditio. Aliquis enim, qui hodie est malus, cras erit bonus, et qui hodie est minus bonus, cras fortassis erit melior; similiter est de *necessitate* et *opportunitate*. Ideo penes gradus *necessitatis*, *bonitatis* et *opportunitatis* non potuit ita certitudinaliter ordo caritatis assignari, sicut penes conditiones *propinquitatis*.

Epilogus.

Concedendum est ergo, quod ordo caritatis secundum differentias praeassignatas non solum attenditur quantum ad *effectum exteriorem*, sed etiam quantum ad *affectum interiorem*; et hoc intelligendum est, *aliis paribus*. Unde et rationes, quae hoc ostendunt, concedendae sunt.

Praenotanda ad solutionem oppos.

Ad evidentiam autem rationum [2], quae adducuntur in contrarium, notandum est, quod multipliciter contingit *affectum* nostrum accipi, et *effectum* multiplicem reperiri, ita quod ordo caritatis nec omnem *affectum* respicit uniformiter nec omnem *effectum*.

Triplex affectus.

Accipitur enim aliquando affectus pro *passione*, aliquando vero pro *motu*, ita quod affectus-*passio* dicitur quaedam mulcebris complacentia, affectus vero *motus* dicitur quaedam rationalis eligentia [3]. —

Subdistinctio.

Affectus autem *motus* dupliciter adhuc accipitur. Nam quidam est a caritate *elicitus*, quidam vero *imperatus*. Affectus a caritate *elicitus* est ille quo quis optat alteri summum Bonum; affectus vero *imperatus* est ille quo quis optat alii aliquod bonum temporale, quod est ordinatum ad conservationem naturae. — Sic igitur triplex est affectus: unus a caritate *elicitus*, quo quidem opto alicui summum Bonum; alius *imperatus*, quo opto alicui aliquod bonum terrenum; tertius vero *annexus*, quo delector in alterius bono, qui magis tenet rationem *passionis* quam *motus*.

Axiomata tria.

Et cum sit triplex [4] affectus, ordo caritatis praeassignatus respicit affectum a caritate *elicitum* principaliter, quia magis mihi debeo optare beatam vitam quam alii; et post me magis patri meo quam alii, et sic ulterius procedendo. Affectum vero *imperatum* respicit minus principaliter; unde pro diversis opportunitatibus et conditionibus ordo quantum ad *illum* affectum potest variari et praeposterari. Affectum vero *annexum*, qui est passio mulcebris, minime respicit ordo caritatis; ille enim potius respicit sensibilem experientiam quam rationis eligentiam, sicut patet: quia plus delectatur aliquis et gaudet in respiciendo socium, quem videt praesentem, quam in recolendo patrem, qui absens est, quamvis ipsum magis diligat; cuius signum est, quod [5] pro patre faceret multo maiora.

Triplex effectus exterior.

Similiter et ex parte *effectus* distinguendum est. Nam quidam est effectus sive beneficium, quod respicit *utilitatem communem* [6], sicut collatio ecclesiastici beneficii; quoddam, quod respicit *personam singularem*, et istud duplex est: quoddam enim est, quod respicit *animae salutem*; aliud vero, quod respicit *sustentationem vitae praesentis*. Et sic triplex est effectus exterior: unus, qui est *procuratio salutis aeternae*; alius, qui est *relevatio temporalis necessitatis*; tertius vero, qui est *commissio beneficii ecclesiastici*, qui est quodam modo spiritualis. —

Subdistinctio.

Axiomata tria.

Primum autem istorum effectuum respicit ordo caritatis *principaliter*; primo enim debeo procurare salutem meam [7] quam salutem proximi, et primo salutem patris quam alicuius alterius, et sic deinceps procedendo. — *Secundum* vero effectum respicit *minus principaliter*, quia secundum diversas opportunitates potest et debet homo magis et minus esse beneficus in collatione alicuius commodi temporalis. — *Tertium* vero effectum, qui est collatio alicuius beneficii ecclesiastici, *minime* respicit ordo caritatis; in collatione enim talium beneficiorum multum attendenda est *meriti dignitas*, et parum aut nihil *sanguinis proximitas*. Verendum enim valde est, ne sub pallio caritatis affectus lateat carnalitatis. — Ex his patent omnia quae obiecta [8] sunt.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud enim quod primo obiicitur de affectu amicabili, qui est ad socium magis quam ad fratrem; iam patet responsio: quia illud intelligitur de affectu, qui est cuiusdam *mulcebris complacentiae*, ratione cuius plus delectatur homo habitare [9] cum bono socio quam cum fratre vel cum consanguineo.

2. Ad illud quod obiicitur de hoc, quod plus delectatur homo loqui cum amico quam loqui cum Deo; similiter iam patet responsio: quia talis dele-

---

[1] Vide quaest. praeced. in fine corp. et infra dub. 3.

[2] Pro *rationum* cod. Z *omnium eorum*, qui etiam superius pro *aliis paribus* legit *ceteris paribus*.

[3] Cfr. supra d. 17. dub. 1. — Pro *eligentia* codd. A K T *diligentia*. Adiectivo *mulcebris* utitur etiam Alanus de Insulis (de Planctu naturae), de *amore* cantans: « Mulcebris infernus, tristis paradisus »; cfr. etiam Ioan. Salisburensis, I. Polycraticus. (Migne, Patrol. lat. t. 199 col. 414.).

[4] Pro *triplex affectus* cod. C et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *triplex ratio affectus*, multi codd. *triplex respectu*, (respectus?) *affectus*. Paulo superius pro *tertius vero* cod. bb *tertius est*.

[5] Codd. A K *quia*. Mox pro *multo maiora* edd. cum paucis codd. *multa maiora*.

[6] Edd. ordinem membrorum invertunt ponentes primo et secundo loco, quae codd. secundo et tertio loco exhibent. Pro *respicit utilitatem communem* edd. 1, 2 *respicit personam spiritualem communem*, Vat. *respicit personam spiritualem communem vel utilitatem communem*.

[7] Cod. Z *propriam*.

[8] Edd. *dicta*.

[9] Cod. F *loqui et habitare*.

ctatio sequitur sensibilem experientiam; et quia proximum suum videt, Deum autem non videt: hinc est, quod plus delectatur aliquando alloqui proximum quam orare Deum, licet multo plus Deum diligat quam amicum suum. Licet autem iste affectus in viris carnalibus, qui huic mundo dediti sunt, aliquo modo sit tolerabilis; in viris tamen spiritualibus, quorum est experiri, quam *suavis et dulcis est Dominus*[1], valde est reprehensibilis et cum magna diligentia debet exstirpari.

3. Ad illud quod obiicitur, quod effectus non est in potestate nostra; dicendum, quod etsi non sit in potestate nostra effectum exterius *impendere*, est tamen in potestate nostra ipsum effectum *velle*; et quando voluntas perfecta est, pro facto reputatur[2]: et ideo defectus potentiae in exsequendo non tollit ordinem caritatis, qui quantum ad effectum exteriorem habet attendi.

4. Ad illud quod obiicitur de beneficio praebendali, iam patet responsio: quia quantum ad illum effectum[3] minime, ut dictum est, attenditur caritatis ordo.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Peccat qui praepostere agit.* Videtur enim esse falsum. Ponatur enim, quod aliquis exponat se morti pro salute alterius melioris se, et sustineat penuriam, ut alii meliori se provideat ad sufficientiam; praemittit sibi alium, et tamen non videtur contra caritatem facere, immo valde caritative procedere. — Item, esto quod faciam patri quidquid debeo, non obligor ad faciendum ei amplius: ergo si plus facio alii quam sibi, non praeiudico ei nec ordini caritatis.

Triplex praeposteratio.

Respondeo: Dicendum quod quaedam est praeposteratio huius ordinis *ex* debita causa, quaedam *praeter* causam, quaedam *contra* debitam causam. Tunc est praeposteratio *ex* debita causa, quando quis bonum commune praeponit bono proprio in temporalibus; et haec quidem praeposteratio facit ad meriti cumulum, et licet videatur praeposteratio, multo magis est perfectior ordinatio[4]. — Alia est praeposteratio *praeter* causam debitam, uti si ex sola liberalitate voluntatis meae magis me exhibeam alicui extraneo quam domestico et consanguineo, et etiam patri meo, considerando in ipso aliquam strenuitatem[5] magis quam Dei voluntatem, aut meriti dignitatem; et haec praeposteratio aufert meritum, quia in hoc non meretur. — Tertia vero est praeposteratio *contra* debitam causam, utpote si pater meus magis indigeat, et ego possim ei subvenire, et ipso neglecto, subveniam extraneo; et ista inducit peccatum, et de hac intelligitur auctoritas Magistri in littera[6]. — Et per hoc patet responsio ad obiecta.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit Ambrosius in littera: *Multorum caritas inordinata est.* Contra: caritas non potest esse informis, sed semper formata[7]; et caritas formata semper est ordinata: ergo implicantur opposita, cum dicitur *caritas inordinata.* — Item, videtur male dicere in hoc quod subdit: *quod in primo est ponunt tertium, vel quartum.* Si enim primo diligendus est Deus, et qui praeponunt aliquid Deo non habent caritatem; videtur, quod male dicat, quod aliqui habent caritatem inordinatam, ex eo quod ponunt Deum tertio, vel quarto loco.

Respondeo: Dicendum, quod nomen *caritatis* accipitur *large* et *proprie*: *large* ad quamcumque dilectionem, quae multum habet amatum carum; et ista potest esse ordinata, vel inordinata[8]; ipse autem obiicit de caritate *proprie* sumta.

Dub. III.

Item quaeritur de illis sex gradibus, quos ponit Magister ibi: *Ante omnia Deum, deinde nos ipsos, post parentes, deinde filios, deinde domesticos, postmodum inimicos diligamus.* Videtur enim in hac distinctione Magister, immo Ambrosius[9], esse *superfluus*, primo, quia Augustinus non enumerat nisi quatuor gradus, hic autem enumerat sex: ergo videtur, si Augustinus non est *diminutus*, quod iste sit *superfluus. Si tu dicas*, quod sub uno illorum membrorum, videlicet sub dilectione proximi, continentur quatuor de illis membris; *ostenditur* tunc, quod sit

---

[1] Psalm. 33, 9. — Paulo superius pro *amicum suum* cod. Z *proximum suum.*

[2] Cfr. II. Sent. d. 40. a. 1. q. 3.

[3] Edd. *affectum.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Aristot., I. Ethic. c. 2: Nam si etiam et uni homini et civitati bonum idem sit, bonum tamen civitatis et acquirere et conservare maius quid ac divinius videtur. Ac contentus quidem esse etiam unusquisque potest, si uni soli; pulcrius tamen ac divinius, si genti ac civitatibus bonum efficiatur. — Pro *multo magis* multi codd. *multo maior*, edd. *tamen multo maior*, cod. K *multo maior et perfectior ordinatur.*

[5] Cod. U *supereminentem proprietatem.* Paulo inferius pro *non meretur* edd. *non mereor.*

[6] Hic c. 1. — Paulo superius pro *et ego possim ei subvenire* edd. *et ego possum ei magis subvenire.* — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 3, et Petr. a Tar., hic circa lit.

[7] Supple: est. Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 4. nec non q. 1. huius dist. — Post *sed* cod. K repetit *caritas.*

[8] Cfr. supra pag. 616, nota 6. — Vide de hoc dubio S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[9] Cui Magister haec verba tribuit. — De sententia Augustini, prolata I. de Doctr. christ. c. 23. n. 22, vide hic lit. Magistri, c. 1. et dist. praeced. lit. Magistri, c. 1, nec non Comment. q. 6, ubi etiam in solut. ad 4. obiectio occurrit, quae hic adtexitur.

diminutus, quia dilectio corporis nostri ibi non tangitur. — Item, sicut gradus sunt in dilectione proximorum, sic videtur esse in dilectione Dei: quia multum debemus diligere Deum creatorem, et amplius recreatorem, et maxime glorificatorem: ergo insufficienter assignat gradus dilectionis. — Item, multae aliae sunt conditiones, in quibus membra Christi invicem coniunguntur praeter praedictas, videlicet relatio *uxoris* ad virum, *discipuli* ad magistrum, *domini* ad servum, *subditi* ad praelatum, quas omnes omittit Ambrosius: ergo videtur insufficienter diligendorum ordinem assignare.

Quaeritur ergo de numero et sufficientia ipsorum graduum. Quaestio.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dictum fuit [1], ordo ab *Augustino* assignatus respicit ipsam caritatem *secundum se;* ideo attenditur secundum principales *differentias boni*, quae sunt bonum *supra* nos et *intra* nos et *iuxta* nos et *infra* nos. Ordo autem *Ambrosii* respicit ipsam caritatem, prout est *in natura*, quam dirigit et regit; et hic non tantum attenditur penes *differentias boni*, sed etiam penes *rationem proprii* et *alieni*, *propinqui* et *remoti;* et hic ordo multiplicatur in sex differentias.

Ad quaestionem. Nam caritas aut respicit bonum *simpliciter*, quod est summum Bonum, et sic est *primus* gradus; aut respicit bonum *proprium*, et sic est gradus *secundus* [2]; aut respicit bonum *alienum* ut sibi coniunctum, et sic quadruplex est gradus, secundum quod quadruplex est differentia *modi coniungendi*. Aut enim est coniunctio in *naturae conformitate*, et sic est *ultimus* gradus, qui attenditur in dilectione inimicorum; aut in *naturae conformitate* et *conversationis familiaritate*, et sic est *penultimus* [3], qui attenditur in dilectione domesticorum; aut in *his* et praeter haec in *sanguinis propinquitate*, et haec potest esse dupliciter: aut in *ascendendo*, et sic est filii ad patrem; aut in *descendendo*, et sic est patris ad filium, et penes haec accipiuntur duo gradus *intermedii*. — Et sic patet numerus et sufficientia illorum sex graduum, patet etiam dissolutio obiectorum.

Ad illud enim quod obiicitur de Augustino, iam patet responsio, quia aliter assignatur ordo diligendorum ab Augustino, aliter ab Ambrosio.

Ad illud quod obiicitur de dilectione corporis nostri, dicendum, quod haec reducitur ad dilectionem sui.

Ad illud vero quod obiicitur, quod gradus sunt in dilectione Dei; dicendum, quod falsum est, quia unus est Deus dilectus, et illae non sunt nisi rationes moventes ad Deum diligendum et inducentes nos secundum plus et minus, quae tamen non constituunt ex parte dilecti diversitatem graduum [4].

Ad illud quod obiicitur de aliis conditionibus, secundum quas attenditur vinculum et coniunctio; dicendum, quod omnes possunt reduci ad istas. Notandum. Nam uxor, cum sit caro viri [5], et e converso, reducitur ad dilectionem sui; pater vero spiritualis reducitur ad dilectionem patris naturalis; ceteri consanguinei ad dilectionem filii; dominus et servus, magister et discipulus ad domesticos referuntur. Et sic patet, quod nihil *superfluum*, nihil etiam *diminutum* in praedictis gradibus continetur [6].

Dub. IV.

Item quaeritur de solutione illius quaestionis, quam Magister proponit ibi: *Solet etiam quaeri: si parentes nostri mali sunt* etc. Rationes enim videntur esse ad utramque partem. Ratione enim *propinquitatis* videtur, quod mali parentes praeferendi sint bonis extraneis, cum parentes ponantur in tertio gradu [7]; ratione vero *bonitatis* videtur contrarium. Et *si tu respondeas*, quod non est contrarietas, quia diversis respectibus possunt invicem sibi praeponi et habent se sicut excedentia et excessa; hoc non solvit, quia adhuc restat quaestio, quod illorum magis excellit, utrum *bonitas*, vel *propinquitas*. Et quod *bonitas*, videtur, cum caritas per se et primo respiciat *bonitatem*. Quod iterum *propinquitas*, videtur, quia penes illam attenditur et assignatur ordo caritatis [8].

Respondeo: Dicendum, quod est amor *complacentiae* et amor *beneficentiae*. Amore *complacentiae* amat quis aliquem, quando eius facta acceptat et ipsum approbat et in bonitate eius complacet sibi. Amore vero *beneficentiae* amat quis aliquem, quando vult ei benefacere et diligit eum, non tantum *quia* sit bonus, sed *ut* sit bonus [9]. Quantum ad primum Notandum. amorem ponderat *bonitas*, quantum ad secundum ponderat *propinquitas*. Unde esto, quod pater meus sit malus, et alius extraneus sit bonus; magis debeo velle et desiderare et procurare, quod pater meus sit bonus et in caritate permaneat quam alius extraneus, licet ipsum et facta eius, quamdiu est in statu peccati, non debeam approbare [10]. — Et per hoc patet responsio ad quaestionem propositam, patet etiam responsio ad obiecta. Duplex amor.

---

[1] Quaest. 5. seq. et d. 28. q. 6.

[2] Vat. *et sic sumus nos.* Post pauca cod. A voci *coniunctio* bene praefigit *ibi.*

[3] Edd. hic addunt *modus* et paulo inferius pro *praeter haec* substituunt *propter haec.*

[4] Cfr. supra q. 1. ad 3. seq. et q. 5. in corp.

[5] Vide Gen. 2, 24; Matth. 19, 5. seq.; I. Cor. 6, 16. — Proxime ante pro *cum sit* cod. K *est sicut.* Non ita multo post edd. omittunt *et servus.*

[6] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 2.

[7] Vide dub. praeced.

[8] Ut ostensum est in dub. praeced. — Paulo superius pro *excellit* codd. A V *excellat.*

[9] Respiciuntur verba Augustini supra d. 28. q. 2. fundam. 3. allata. — Cod. U *sed etiam ut sit bonus.* Mox cod. bb (K a secunda manu) bis *praeponderat* pro *ponderat.*

[10] Cfr. supra q. 4. ad 4.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Perfecta caritas haec est, ut quis paratus sit pro fratribus mori.* Obiicitur enim contra hoc: quia, si haec est perfecta caritas, ut sit paratus pro *fratribus* mori; cum homo [1] in imperfecta caritate consistens non sit paratus mori pro *Deo*, videtur, quod perfectus amplius diligat *proximum*, quam imperfectus *Deum*. Sed in contrarium huius est: quia caritas quantumcumque parva diligit Deum propter se et super omnia; hoc autem perfectus nunquam facit proximo.

Difficultas. Iuxta hoc quaeritur: cum caritas sit nobilissimum opus Dei, et *Dei perfecta sint opera* [2]; videtur, quod omnis caritas sit perfecta: male ergo hic distinguitur per *perfectum* et *imperfectum*.

Iuxta hoc etiam posset quaeri, quomodo caritas imperfecta habeat perfici et augeri; sed hoc fuit determinatum in primo libro, distinctione decima septima, et secundo, distinctione vigesima septima [3].

Respondeo: Dicendum, quod *signum* perfectae caritatis et *effectus* est promptitudo moriendi pro fratre; ista tamen promptitudo non inest caritati solummodo ex dilectione fratris, sed ex dilectione Notandum. fratris relata ad dilectionem Dei, quem perfectus propter se et super omnia diligit et ob cuius amorem etiam pro ipso fratre vult mori. Ideo, quamvis hoc non reperiatur in viro imperfecto respectu *Dei*, non tamen sequitur, quod minus diligat Deum, quam perfectus proximum, sed quod minor est dilectio unius respectu Dei quam alterius [4].

Ad illud quod obiicitur, quod caritas semper Ad difficultatem. est perfecta; dicendum, quod *perfectum* dicitur dupliciter: Duplex perfectum. vel *in se*, vel *in ordine* [5]. Loquendo de perfectione *in se*, caritas in sui principio est imperfecta, sed per crementum perficitur. Loquendo autem de perfectione *ordinis*, qua quidem perfectione omnia opera Dei dicuntur esse perfecta; sic caritas, in quocumque statu sit, perfectionem habet, quia ordinata est in suum finem et potest [6] elicere debitam operationem. — Aliter distinguitur perfectio *sufficientiae* et *excellentiae*, sive perfectio secundum *naturam* et secundum *tempus*, sicut in secundo libro, distinctione quarta [7] est explanatum. Alia perfecti distinctio.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *caritas, cum ad perfectionem venerit, dicit: Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Contra hoc est, quia beatus Martinus [8], qui valde perfectam habebat caritatem, in morte dicebat: «Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem». — Item, hoc ipsum videtur per *rationem*, quia maioris perfectionis signum est appetere laborare et affligi pro aliquo, quam appetere quiescere cum eo: ergo videtur, quod ad perfectam caritatem non pertineat dicere: *Cupio dissolvi et esse cum Christo*, sed magis: cupio laborare pro Christo [9].

Respondeo: Dicendum, quod desiderium quiescendi cum Christo potest venire ex duplici causa: Duplex causa. vel propter *taedium malorum praesentium*, vel propter *contemptum terrenorum* et abundantem *praegustationem caelestium*. Primo modo est signum *imperfectionis*, non perfectionis, quia sic recusat laborare; secundo modo signum est *perfectionis*, quia non recusat laborare, sed spiritus tanto amoris Christi desiderio stringitur, quod vix potest inter se et Deum interpositionem corporalis parietis sustinere; unde hoc signum est, quod amat Deum perfecte. — Alia vero, quae dicuntur in littera, satis sunt plana, et quaedam ex eis [10] satis declarabuntur in distinctione proxima.

---

[1] Pro *homo* cod. A *ergo*. Aliquanto inferius pro *quia caritas* codd. G K exhibent *quod caritas*, et subinde post *quantumcumque* cod. K subdit *est*. Deinde codd. B M voci *proximo* praemittunt *pro*.

[2] Deut. 32, 4. — Post pauca pro *distinguitur* Vat. *distinguit*.

[3] Art. 2. q. 2. (Codd. et edd. allegant d. 26.), et l. Sent. d. 17. p. II. q. 1. seq.

[4] Cfr. d. 30. q. 2.

[5] Vide Aristot., V. Metaph. text. 21. (IV. c. 16.).

[6] Cod. K *quia cum ordinata est in suum finem, potest elicere* etc.

[7] Lit. Magistri, in fine, et Comment. dub. 3. (ubi exponitur, quid differat inter perfectionem *secundum naturam* et perfectionem *secundum tempus*). Cfr. ibid. d. 34. (ubi quid perfectum sit *secundum sufficientiam*, quid *secundum superabundantiam*, docetur). Edd. allegant d. 3. — Cfr. de hoc dubio S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

[8] Vide Antiph. 2. ad Laudes in festo S. Martini (11. Nov.). Cfr. etiam Alcuin., Serm. de translat. S. Martini, n. 14, et Bernard., Serm. in festo S. Martini, n. 17, ubi in notula sermoni apposita allegatur Sulpit., Epist. 3. ad Bassul.

[9] Cod. Z *pro proximo*. Paulo superius cod. K omittit *cum Christo*.

[10] Exempli gratia, de dilectione inimicorum et de perfectione caritatis. — Cfr. de hoc dubio S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

DISTINCTIO XXX.

Cap. unicum.

Si melius sit diligere inimicos quam amicos.

Hic solet quaeri, quid potius sit plurisque meriti, diligere amicos, an diligere inimicos. Sed haec comparatio implicita est. Si enim conferatur dilectio amicorum tantum dilectioni amicorum et etiam inimicorum, perspicua est absolutio. Sed si in aliquo uno homine, qui diligit simul amicum et inimicum, quid horum potius sit, quaeratur; obscura est responsio, quia de motu mentis agitur, de quo non est nobis facile iudicium, an unus et idem motus sit erga amicum et inimicum, sed erga amicum intensior; an duo, unus erga inimicum, qui dicitur *difficilior*, alter erga amicum, qui videtur *ferventior*. Nec incongrue putatur melior qui est *ferventior*; vel si unus idemque est, idem [1] potior, ubi est ardentior, non improbe aestimatur. — Augustinus tamen sentire videtur, maius esse diligere inimicum quam amicum; qui [2] perfectorum esse dicit diligere inimicos et benefacere eis; neque hoc a tanta multitudine impleri, quanta exauditur in oratione dominica, cum dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Illam enim sponsionem dicit a multis impleri, qui nondum diligunt inimicos. Ait enim sic [3]: «Magnum est erga eum qui tibi nihil mali fecerit, esse benevolum et beneficum; illud multo grandius et magnificentissimae bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, et ei qui tibi malum vult et, si potest, facit, tu semper bonum velis faciasque quod possis, audiens dicentem Iesum: *Diligite inimicos vestros, et benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Sed quoniam perfectorum filiorum Dei est istud, quo quidem se debet omnis fidelis extendere et humanum animum ad hunc affectum [4], orando Deum secumque agendo luctandoque, perducere; tamen, quia hoc tam magnum bonum tantae multitudinis non est, quantam credimus exaudiri, cum in oratione dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, procul dubio verba sponsionis huius implentur, si homo, qui nondum ita profecit, ut etiam diligat inimicum, tamen, quando rogatur ab homine, qui peccavit in eum, ut ei dimittat, dimittit ex corde; qui etiam sibi roganti vult dimitti, cum orat et dicit: sicut et nos dimittimus debitoribus nostris». «Quicumque vero rogat hominem, in quem peccavit, si peccato suo movetur, ut roget, non est adhuc deputandus inimicus, ut eum diligere sit difficile, sicut erat, quando inimicitias exercebat. Quisquis vero roganti et poenitenti non dimittit, non existimet [5], a Domino sua peccata dimitti; quia mentiri Veritas non potest, quae, cum docuisset orationem, hanc in ea positam sententiam commendavit dicens: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester. Si vero non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*». — Ecce hinc haberi videtur, quod et praetaxavimus, scilicet maioris virtutis esse diligere inimicum et benefacere ei, quam illum qui nihil mali nobis fecit, vel amicum. — Quod si quis simpliciter concedere noluerit dicens: intensius diligitur amicus quam inimicus, et ideo illud [6] potius isto; determinet ista secundum praemissam intelligentiam dicens, ibi comparationem esse factam inter dilectionem, qua diligitur tantum amicus, et illam qua amicus et inimicus diligitur. — Illud vero, quod sequitur, magis nos movet, quod scilicet dicit, non esse tantae multitudinis diligere inimicos, quanta exauditur, cum dicitur: *Dimitte nobis* etc; ubi datur [7] intelligi, quod alicui a Deo dimittuntur peccata non diligenti inimicum, si tamen fratri roganti, qui in se peccavit, dimittit. Sed cum peccata non dimittantur alicui adulto, nisi caritatem habeat; sequitur, ut caritatem habeat qui non diligit inimicum. Quomodo ergo nomine *proximi* omnis homo intelligitur in illo mandato [8]: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum?* Si enim *omnis* homo proximus est, tunc et *inimicus:* praecipimur ergo et inimicos diligere. Et quia illud praeceptum *generale* est, *omnibus* praecipitur omnes homines diligere, etiam inimicos. — Quidam quod hic dicitur simpliciter tenere volentes, illud praeceptum determinant dicentes, illic *perfectis* dari in *praeceptum* diligere omnem hominem, etiam inimicum; *minoribus* vero in *consilium*, in *praeceptum* vero eos *diligere*, qui nihil mali fecerunt eis, et inimicos *non odire*. — Sed melius est, ut intelligatur, omnibus illo mandato praecipi cunctos diligere, etiam inimicos; cui sensui attestantur superius positae auctoritates et aliae multae. Illud vero Augustini novissime positum, de *perfecta* caritate dictum intelligitur, quae tantum perfectorum est, qui non solum amicos, sed etiam inimicos perfecte diligunt eisque benefaciunt; quae *perfectio* dilectionis non est tantae multitudinis, quanta exauditur in oratione dominica. Et hoc re vera grande est et eximiae bonitatis, scilicet *perfecte* diligere inimicum; ita et, cum dicit [9]: «impleri verba illius sponsionis ab homine, qui non ita profecit, ut diligat inimicum»; de dilectione *perfecta* accipiendum est.

Comparationes utriusque actus.

Dubium 1.

Opinio Magistri.

Aliter loquitur Augustinus.

Dubium 2.

Dubium 3.

Augustinum interpretatur.

Difficultas quoad diligentem.

Determinatio aliorum.

Determinatio Magistri.

---

[1] Codd. B C D E edd. 1, 6, 8 *inde*, sicut etiam Erf., qui addit: alii *ibi*, quod etiam in nostra lectione supplendum est. Paulo superius post *melior* codd. C D adiiciunt *ille*.

[2] Vat. et edd. 4, 6, 8 *quia*, refragantibus etiam codd. — Locus Scripturae est Matth. 6, 12.

[3] August., Enchirid. c. 73. n. 19. — Loci Scripturae sunt Matth. 5, 44; Luc. 6, 27. — Vat. cum originali incipit sic: *Minus magnum* etc. — Seq. locus ibid. c. 74.

[4] Codd. A C E cum edd. 1, 2, 3, 7 *effectum*, refragante etiam originali.

[5] Ita originale, codd. C E et Vat. cum ed. 4, in aliis *aestimet*. — Locus Scripturae est Matth. 6, 14, 15. — Pro *dimittet et vobis Pater vester* cod. D et edd. 1, 8 *dimittentur et vobis peccata vestra*, refragante etiam originali.

[6] Supple: est, scil. diligere amicum.

[7] Ita edd. 1, 8; in aliis *dat*. Inferius pro *dimittit*, edd. 1, 8 *dimittat*.

[8] Matth. 22, 37.

[9] Scil. Augustinus, loco supra nota 3. cit.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXX.

De caritate quantum ad meriti perfectionem.

Hic solet quaeri, quid potius sit etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de caritate quantum ad essentiam et definitionem et quantum ad diligibilium distinctionem [1] et quantum ad ordinem. Hic sequitur quarta pars, in qua agit de eadem quantum ad meriti perfectionem. Dividitur autem pars ista in partes duas. In quarum prima determinat de perfectione caritatis in merito quantum ad eius motus comparatos ad invicem, utpote de dilectione amicorum et inimicorum. In secunda vero agit de eadem in comparatione ad diligentem, ibi: *Illud vero, quod sequitur, magis nos movet* etc.

Prima pars dividitur in tres partes. In quarum prima movet quaestionem [2]. In secunda vero introducit auctoritatem Augustini, quae suae responsioni videtur obviare, ibi: *Augustinus tamen sentire videtur.* In tertia vero praedictam auctoritatem explanat, ibi: *Ecce hic haberi videtur quod praetaxavimus.*

Similiter secunda pars tres habet partes. In quarum prima introducit quaestionem, quae ex auctoritatibus Augustini habet originem, qua quaeritur de dilectione inimicorum in comparatione ad diligentem. In secunda vero ponit determinationem quorundam, ibi: *Quidam vero quod hic dicitur simpliciter tenere volentes.* In tertia vero subiungit determinationem suam, ibi: *Sed melius est, ut intelligatur* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio de caritate quantum ad perfectionem meriti. Et circa hoc sex breviter possunt quaeri.

Primum est, utrum quis ex quantulacumque caritate possit quantaecumque tentationi resistere, an hoc sit solius caritatis perfectae.

Secundum est, utrum homo, in quantulacumque caritate constitutus, teneatur mortem pro Christo subire.

Tertium est, utrum habens caritatem perfectam teneatur ea quae sunt perfectionis, implere.

Quartum est, utrum omnes, tam perfecti quam imperfecti, teneantur inimicos diligere quantum ad affectum.

Quintum est, utrum omnes teneantur inimicos diligere quantum ad effectum.

Sextum est, quid sit melius et maioris meriti, utrum diligere amicum, an diligere inimicum.

ARTICULUS UNICUS.

De caritate quantum ad perfectionem meriti.

QUAESTIO I.

Utrum cum quantulacumque caritate possit quis resistere quantaecumque tentationi.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum cum quantulacumque caritate possit quis resistere quantaecumque tentationi. Et quod sic, videtur.

Argg. pro parte affirmativa.

1. Super illud Psalmi [3]: *Bonum mihi lex oris tui* etc.; dicit Augustinus: « Plus diligit caritas Deum, quam cupiditas millia auri et argenti ». Hoc est verum de quantulacumque caritate; et si hoc, quantulacumque caritas excedit omnem cupiditatem sua virtute: si ergo magnitudo tentationis attenditur secundum magnitudinem cupiditatis, videtur, quod per quantulamcumque caritatem possumus maximae tentationi resistere.

2. Item, Gregorius [4]: « Debilis est hostis, qui non vincit nisi volentem »; sed quantulamcumque

---

[1] Cod. K *numerum.*

[2] Edd. hic addunt *et determinat secundum suam opinionem.* Paulo ante pro *in comparatione* cod. Z *per comparationem.*

[3] Psalm. 118, 72. — Verba August. habentur in eius Enarrat. super hunc Ps., serm 17. n. 10.

[4] Libr. V. Moral. c. 22. n. 63. De verbis ipsis vide tom. II. pag. 170, nota 2. Similis sententia invenitur in quodam sermone attributo Augustino, nunc in append. operum eius serm. 37. (alias 197. de temp.) n. 6; et in Bernard., Serm. in Cantic. 65. n. 4.

habet homo caritatem, habet quo potens est *non velle vinci*: ergo si per *nolle vinci* resistit omni tentationi et tentatori, videtur, quod per quantulamcumque caritatem possit homo superare omnem tentationem.

3. Item, potentior est caritas in bonum, quam sit culpa in malum [1]; sed peccatum mortale quantumcumque parvum sufficit ad expellendam magnam gratiam: ergo caritas, quantumcumque parva sit, sufficiens est resistere tentationi maximae.

4. Item, caritas, quantumcumque parva sit, hominem facit diligere Deum propter se et super omnia et facit hominem in Deum confidere plus quam in se; sed qui Deum propter se et super omnia amat et in Deum confidit habet Deum adiutorem, et qui habet Deum adiutorem omni tentationi potest resistere [2]: ergo homo ex quantulacumque caritate superare potest omnem tentationem.

5. Item, gratia, quantumcumque sit modica, potentior est et excellentior quam natura; sed homo in statu innocentiae, in puris naturalibus constitutus, poterat quantaecumque tentationi resistere [3]: ergo existens in gratia potest quantaecumque tentationi resistere, quantulamcumque habeat caritatem.

6. Item, esto quod aliquis habeat modicam caritatem et tentetur magna tentatione, aut *potest* illi resistere, aut *non potest*. Si *potest*, habeo propositum. Si *non potest;* et nullus peccat in eo quod vitare non potest [4]: ergo consentiendo tali tentationi non peccat. Sed hoc est falsum: ergo et illud, ex quo hoc sequitur: redit ergo idem quod prius.

Sed contra: 1. Primae ad Corinthios decimo [5]: Pro parte negativa. *Fidelis Deus, qui non permittit, vos tentari supra id quod potestis;* constat, quod loquitur habentibus caritatem: ergo si Deus permitteret, diabolus tentaret hominem habentem caritatem supra *posse:* ergo non videtur, quod cum quantulacumque caritate possit homo resistere tentationi maximae.

2. Item, super illud Psalmi [6]: *Proba me, Domine, et tenta me;* dicit auctoritas: «Prius vires nostras inspice, et postea tentari permitte»; sed hoc non peteret, nisi posset tentari supra vires: ergo videtur, quod aliqua tentatio sit, cui non sufficit resistere virtus caritatis modicae et imperfectae.

3. Item, Ambrosius, in quodam sermone de Confessoribus [7]: «Diversa sunt genera inimicorum, qui secundum virium nostrarum quantitatem compensato nobiscum agone luctantur»; sed maiores vires habet caritas perfecta quam imperfecta: ergo si illa habet luctam suis viribus proportionabilem, videtur, quod aliqua lucta sit supra vires caritatis imperfectae.

4. Item, virtus caritatis maxime relucet in pugna [8] et tentationis victoria: ergo si quantulacumque caritas potest resistere maximae tentationi, videtur, quod modica caritas sit maximae virtutis et perfectionis; quod si est manifeste falsum, restat, quod et illud, ex quo sequitur.

5. Item, magnitudo coronae attenditur secundum magnitudinem pugnae: ergo si modica caritas resistere posset tentationi maximae, videtur, quod maxima corona deberetur [9] caritati minimae. Sed hoc est falsum manifeste: ergo etc.

6. Item, quaedam est pugna, ex cuius victoria purificatur anima ab omnibus venialibus et statim evolat in caelum, sicut est, quando pro iustitia mors homini intentatur: ergo si modica caritas posset resistere quantaecumque tentationi, modica caritas posset omnia venialia delere et statim in caelum facere evolare. Quodsi hoc absurdum est, restat idem quod prius.

Conclusio.

Concedi potest, quod quantulacumque caritas possit resistere quantaecumque tentationi, si comparatio fit tum ad dispositionem divinae providentiae tentationisque exordium, tum ad libertatem voluntatis; sed negandum est de caritate per comparationem ad consummationem victoriae et ad defectum pronitatis et difficultatis in voluntate.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum quaeritur, utrum quantulacumque caritas possit [10] resistere quantaecumque tentationi, hoc dupliciter potest intelligi: aut loquendo de potestate caritatis per comparationem ad *adiutorium divinae providentiae gubernantis*, aut per comparationem ad *vires liberi arbitrii cooperantis*. Secundum utrumque istorum modorum fuit hic duplex modus dicendi. Duplex comparatio, et sec. utramque duplex opinio.

Si enim loquamur per comparationem ad *dispositionem divini regiminis*, sic dixerunt aliqui, quod ex quantulacumque caritate *potest* quis resistere quantaecumque tentationi; alii vero, quod *non*. Et Opiniones duae conciliandae.

---

[1] Vide sententiam Anselmi, tom. II. pag. 920, nota 4. allatam.

[2] Psalm. 117, 7: Dominus mihi adiutor, et ego despiciam inimicos meos.

[3] Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXIV. c. 1, et Comment. ibid. p. I. dub. 1. — Verbis *maioris* respondent illa verba Ambrosii, I. de Offic. ministror. c. 7. n. 24: Non enim vehementior est natura ad diligendum quam gratia.

[4] August., I. Retract. c. 9. n. 5, et III. de Lib. Arb. c. 18. n. 50: Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest?

[5] Vers. 13, ubi Vulgata *patietur* pro *permittit*.

[6] Psalm. 25, 2. — *Auctoritatem* hic intellige Glossam *ordinariam* (apud Strabum et Lyranum).

[7] Pro *de Confessoribus* Supplement. Sum. Alex. Hal. collat. 72. a. 1. *de Confessione*, sed neque sub hoc neque sub illo titulo sermo reperitur in edd. operum Ambrosii, quas prae manu habemus, neque in aliis locis illa verba invenire potuimus.

[8] Cod. K *lucta*.

[9] Edd. *debeatur*, plures codd. *debetur*.

[10] Aliquot codd. et edd. 1, 2 *potest*. Inferius pro *Secundum utrumque* permulti codd. et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *Utroque*.

utrique[1] verum dicere potuerunt nec sibi contradicunt, si recte intelligantur.

Si enim loquamur quantum ad *tentationis exordium*, quantulacumque caritas potest resistere quantaecumque tentationi, quia Deus hominem habentem caritatem nunquam deserit, nisi ille voluntarie ab eo recedat; quin potius, secundum quod augetur tentationis bellum, operatur Deus caritatis augmentum. Unde quantumcumque sit modica caritas in homine, nunquam potest invitus ab adversario deiici, quia, secundum quod crescit bellum, crescit adiutorium, si[2] homo faciat quod in se est. — Si autem loquamur de tentatione quantum ad *consummationem victoriae*, sic non potest esse, quod homo ex modica caritate resistat tentationi maximae, quia non patitur ordo divinae iustitiae, quin ex victoria magni belli fiat amplificatio meriti. Unde sicut ista duo non contradicunt, sed simul vera sunt: possibile est, quod ex parva caritate in principio tentationis et magna in fine resistatur magnae tentationi; et iterum: possibile est, quod ex parva caritate in principio et in fine non resistatur magnae tentationi: sic non obviant sibi illae duae opiniones.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Similiter, si loquamur de potentia caritatis per comparationem ad *vires liberi arbitrii cooperantis*, duplex fuit opinio. Nam quidam dixerunt, quod ex quantulacumque caritate *potest* quis resistere quantaecumque tentationi; quidam, quod *non*. Et ratio huius est: quia de viribus liberi arbitrii adiuti a gratia est[3] loqui dupliciter: vel quantum ad *libertatem voluntatis*, vel quantum ad *vitium difficultatis* ad bonum et *pronitatis* ad malum.

Iterum opiniones duae conciliandae.

Si igitur loquamur de gratia per comparationem ad *libertatem voluntatis*, sic cum ipsa voluntas *de se* sit libera ad consentiendum, et *per gratiam* sit liberata a servitute peccati et cogi non possit[4], potest quantaecumque tentationi resistere. — Si autem loquamur per comparationem ad *vitium difficultatis* et *pronitatis*; sic non potest resistere impulsui tentationis fortis, nisi caritas adeo fortis sit, quod suo vigore contra *pronitatem* refrenet a malo et contra *difficultatem* accendat ad bonum. Liberum enim arbitrium, ex una parte adiutum adiutorio gratiae, ex alia parte corruptum vitio concupiscentiae, quando excitatur in ipso per tentationem impetus concupiscentiae, secundum quod magis et magis fortiter excitatur, secundum hoc indiget maiori repressivo[5]. — Et sic diversis considerationibus concedi adhuc potest de caritate per *comparationem ad liberum arbitrium*, quod quantulacumque caritas *potest* resistere quantaecumque tentationi, et quod *non potest*: *potest* quidem, si comparetur ad *dominium libertatis*; *non potest*, si comparetur ad *vitium pronitatis* et *difficultatis*. Et hoc melius patet, si quis consideret et attendat et experimento cognoscat statum et conflictum hominum tentatorum.

Conclusio 3.

Conclusio 4.

Ex his patet responsio ad quaestionem propositam, patet etiam nihilominus responsio ad obiecta. Nam rationes, quae probant, quod quantulacumque caritas potest resistere quantaecumque tentationi, procedunt de ipsa caritate per comparationem ad Deum ipsam adiuvantem et promoventem, et per comparationem ad voluntatis libertatem, sicut intuenti apparet.

Epilogus.

Verumtamen illa ratio, quam obiicit de peccato, non valet. Quod enim dicitur, quod quantumcumque parvum peccatum sufficit ad expellendam quantamcumque gratiam; hoc non est, quia peccatum agat in ipsam gratiam, sed quia facit liberum arbitrium deficere a gratiae complemento[6]. Ex hoc autem non potest inferri, quod propter hoc quantulacumque gratia sufficiat ad vincendum omnem tentationis impulsum, quia facilius est *deficere* quam *bene facere*[7]. Inferri tamen potest, quod quantulacumque gratia expellere potest omne peccatum.

Ad arg. 3. pro parte affirm.

Ad rationes vero, quae ad oppositum adducuntur, manifesta est similiter responsio; procedunt enim de ipsa caritate per comparationem ad *defectum pronitatis* et *difficultatis*; sicut patet de primis tribus rationibus; vel per comparationem ad *terminum* et *consummationem* victoriae, cui respondet[8] perfectio meriti et magnitudo praemii quantum ad excellentiam victoriae et coronae; et hoc modo concessum est, quod non potest esse, quod modica caritas resistat tentationi magnae, quia non patitur hoc ordo divinae iustitiae, sicut praetactum est. — Et secundum hanc viam procedunt tres rationes ultimae; nec oportet amplius hic immorari, quia rationes illae per se satis manifestae sunt pertractanti[9].

Ad arg. 1. 2. 3. pro parte negativa.

Item ad 4. 5. 6.

---

[1] Codd. A F T et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *utrumque.*

[2] Vat. *si tamen.*

[3] Codd. H I K N U *contingit.* Proxime ante pro *adiuti a gratia* edd. *et adiuti gratia*, codd. C D *adĩuti et de gratia.*

[4] Vide II. Sent. d. 25. p. II. q. 4. seq.

[5] Cod. W *praesidio*, edd. *repressione*, quae etiam mox omittunt *adhuc.* Deinde pro *per comparationem* cod. H *in comparatione.*

[6] Cfr. II. Sent. d. 26. q. 4. ad 5. — Cod. Y *sed quia facit, ut liberum arbitrium deficiat* etc.

[7] Vide supra pag. 499, nota 2.

[8] Cod. A *respondent.* Inferius pro *magnae* cod. Z *maximae*, et circa finem solut. pro *hic immorari* cod. U *in hoc immorari.*

[9] Aliter solvit Guliel. Antissiod., S. p. III. tr. 6. c. 4: Haec est igitur differentia inter primam opinionem et secundam, quia prima dicit, quod ex minima caritate, manente minima, potest aliquis resistere quantaelibet tentationi, sed non de facili. Secunda dicit, quod nullo modo. Sed prima magis placet nobis, quoniam dicitur in Cantico Deuter.: *Dei perfecta sunt opera*; ergo quaecumque Deus armat, perfecte armat. Virtutes autem non dantur tantum ad informandam animam, quantulaecumque sint, sed etiam ad armandum contra omnes tentationes: ergo quantulaecumque sint, sufficiunt ad resistendum quantaecumque tentationi.

SCHOLION.

I. Praenotandum est, quod antiqui Scholastici, sicut et Ss. Patres, non ita distinguunt et separant gratiam *habitualem* et *actualem*, ut theologi recentiores passim faciunt. Ipsi enim *habituali* attribuunt non tantum effectum elevandi animam ad *statum* gratiae, quo quis efficitur Deo acceptus, sed etiam *virtutem* moventem, illuminantem et roborantem, ut iam observatum est II. Sent. d. 26. q. 1. et 6. in scholiis (cfr. S. Thom., S. I. II. q. 109. passim). Hinc etiam fit, ut S. Thom. (S. III. q. 62. a. 6. ad 3, q. 70. a. 4. in corp.) eundem effectum attribuat *gratiae habituali*, quem hic tribuit caritati i. e. *habitui* caritatis, qui inseparabiliter est connexus cum gratia habituali, vel, ut Scotistae volunt, non nisi ratione ab eo distinctus. Docet enim, quod « minima *gratia* potest resistere cuilibet concupiscentiae et vitare omne peccatum mortale ».

II. Pro more suo S. Bonav., duplici usus distinctione, aliqualiter conciliat duas sibi oppositas opiniones dicitque, utramque aliquid veritatis continere. Prima distinctione utitur etiam S. Thom. (III. Sent. d. 31. q. 1. a. 3.) et resolvit ad mentem nostri auctoris, quod virtute minimae gratiae possit quis resistere tentationi qualicumque, ut *non vincatur*, sive ut a bono proposito, oriente tentatione, non cadat, sed non ita, ut tentationem *vincat* « ex magnitudine virtutis »; cum caritas, quae in principio tentationis sit parva, in fine eiusdem fiat magna. « Si tamen ponatur, quod semper parva maneret, non posset per modum dictum tentationi resistere ». Similiter respondent Petr. a Tar., III. Sent. d. 31. q. 1. a. 4, et Richard. a Med., III. Sent. d. 31. a. 1. q. 3. De opinione Guliel. Antissiod. vide pag. 658, nota 9.

III. Solutio seq. (2.) quaestionis non habet difficultatem nec eadem ab aliis commentatoribus Magistri tractatur. Tangitur autem ipsa a S. Thoma (III. Sent. d. 29. a. 8. quaestiunc. 2.) in quaestione: utrum omnes teneantur ad caritatem perfectam, praesertim in solutione ad 3. Similiter in eadem quaestione B. Albert., III. Sent. d. 29. a. 8, et Petr. a Tar., de III. Sent. d. 29. a. 9. ad 3. breviter idem dicunt.

IV. Tertiam quaestionem sic proponit B. Albert. (loc. cit. a. 9.): An plus secundum actum tenetur diligere perfectus quam imperfectus; et resolvit, quod « perfectus tenetur secundum actum plus diligere ex *commisso*, non ex *praecepto* (cfr. Bonav., ibi ad 2.). Praeter hunc tractat eandem quaestionem solus S. Thom., loc. cit. a. 8. quaestiunc. 3. — De quinque perfectionis generibus vide pag. 662, nota 4. Videsis etiam praeclaram doctrinam de vera ratione perfectionis, quam S. Bonav. exhibet in opusculo Apologia pauperum, resp. I. c. 2. 3.

QUAESTIO II.

Utrum homo, in quantulacumque caritate constitutus, teneatur mortem pro Christo subire.

Secundo quaeritur, utrum homo, in quantulacumque caritate constitutus, teneatur mortem pro Christo subire. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Lucae nono [1]: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua;* sed Christus neminem erubescet, cum venerit in maiestate, nisi pro mortali peccato: si igitur sententia ista generalis est, videtur, quod omnes mortaliter peccent, qui in periculo mortis erubescunt ipsum Dominum confiteri: ergo omnes tenentur mortem pro Christo subire.

2. Item, primae Ioannis tertio [2]: *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere:* si ergo Christus pro omnibus animam posuit, videtur, quod omnes tenentur et debent mortem pro ipso et membris eius subire, cum se obtulerit opportunitas loci et temporis.

3. Item, quilibet tenetur plus diligere Deum quam omne creatum, quantumcumque sit imperfectus: ergo quilibet tenetur pro honore Dei et gloria parvipendere [3] se et sua: cum igitur opportunitas temporis se offert, videtur, quod quilibet teneatur mortem pro Christo subire.

4. Item, incomparabiliter plus diligenda sunt bona aeterna quam temporalia, sicut incomparabiliter sunt meliora; sed unusquisque libenter dat illud quod minus diligit pro eo quod magis diligit: si ergo omnes tenentur ad diligendum plus vitam aeternam quam temporalem, videtur, quod omnes teneantur velle libenter morti exponere praesentem vitam, ut lucrentur aeternam. Sed quod homo tenetur velle, pro loco et tempore tenetur facere: ergo opportunitate se offerente, videtur, quod omnes tenentur mortem pro Christo subire.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Ioannis decimo quinto [4]: *Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis:* ergo mortem pro Christo subire videtur perfectionis maximae; sed homines imperfecti non tenentur ad opera perfectionis: ergo non omnes tenentur mortem pro Christo subire.

2. Item, ad Romanos sexto [5] super illud: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae*, Glossa: « Inveniuntur aliqui, qui praeponant iusti-

---

[1] Vers. 26. — In *minori* codd. K U Z repetunt *sua* post *maiestate*.

[2] Vers. 16.

[3] Cod. V *impendere*.

[4] Vers. 13.

[5] Vers. 19. — Pro *carnis vestrae* codd. et edd. contra Vulgatam *carnis nostrae*. Glossa invenitur apud Petr. Lombardum, qui tamen verbo *formidant* praeflixit *pati*. Conflata est ex verbis August., Serm. 159. (alias 17. de verbis Apostoli) c. 6. n. 7. seq.: Parum est, ut contemnas quidquid te delectabat; contemne quidquid te terrebat... In utroque gradu *amatores iustitiae* vos probate. Invenimus forsitan aliquos qui praeponant iustitiae delectationem voluptatibus et delectationi corporis sui; qui autem pro illa poenas, dolores mortemque contemnat, putas est aliquis in vobis? Cfr. Epist. 145. (alias 144.) n. 5. — In Glossa pro *delectationem* edd. cum multis codd. exhibent *dilectionem*. — Glossae adductae apud Petr. Lombardum haec praemittuntur: Si ergo non plus *servitur iustitiae*, vel, id est saltem tantum serviatur, quantum tunc iniquitati serviebatur.

tiae delectationem voluptatibus carnis, pro iustitia tamen poenas mortemque formidant »; sed constat, quod secundum auctoritatem Apostoli, ut dicit Glossa, tales sunt servi iustitiae: ergo cum tales mortem refugiant, videtur, quod non teneantur mortem pro Christo velle subire.

3. Item, Augustinus dicit, et habetur in fine praecedentis distinctionis [1]: « Perfecta caritas haec est, ut quis paratus sit pro fratribus mori »; et hoc apparet per hoc, quod praelati tenentur ad maiorem perfectionem quam subditi; et summa perfectio, quae a praelato exigitur, est, ut ponat animam pro subditis, secundum illud Ioannis decimo: *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* Si ergo imperfecti non tenentur ad opera caritatis perfectae, videtur, quod non omnes teneantur pro Christo et eius membris mortem subire.

4. Item, maius est mortem pro Christo subire quam omnibus temporalibus abrenuntiare; sed non omnes tenentur terrena omnia relinquere: ergo non omnes tenentur mortem pro Christo subire. Quod autem maioris perfectionis sit, patet per illud quod dicit Gregorius [2]: « Non magnum est abnegare quod habes, sed valde magnum est abnegare quod es »; et constans est, quod multo maius est abnegare se ipsum quam sua, et dare corporis vitam quam terrenam substantiam.

CONCLUSIO.

Unusquisque tenetur pro Christo mori, sed tantummodo pro loco et tempore, quando adest necessitas vel deserendi iustitiam, vel amittendi vitam.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod *subire mortem* intentione placendi Deo hoc potest esse tripliciter: uno modo, quando adest *necessitas* vel deserendi iustitiam, vel amittendi vitam; alio modo, quando se offert *opportunitas* manifestandi divinam gloriam et aedificandi Ecclesiam; tertio modo *solum ex hoc,* quod vitam suam habet exosam. Primum est *iustitiae et necessitatis;* secundum est *perfectionis et supererogationis;* tertium est *temeritatis et crudelitatis.* Unde Augustinus [3] illos, qui semetipsos praefocant et praecipitio collidunt propter vitae praesentis odium, dicit esse sceleratissimos et crudelissimos homicidas, tractans illud Ioannis duodecimo: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.*

Triplex motivum ad mortem subeundam.

Cum ergo quaeritur, utrum omnes teneantur mortem pro Christo subire; dicendum, quod pro loco et tempore, ubi talis optio datur, vel quod iustitia deseratur, vel quod vita perdatur, ibi omnes, quantumcumque sint imperfecti, tenentur mortem subire [4] et praeeligere magis, Deo dilecto, mori quam, ipso offenso, vivere. Ubi vero talis necessitas non imminet, nec datur optio, tamen offert se *opportunitas* manifestandi divinam gloriam et aedificandi Ecclesiam, si homo se morti exponat, mortem subire est *perfectionis et supererogationis,* ad quam non omnes tenentur pro Christo [5]. — Et secundum istam viam procedunt rationes ostendentes, quod non omnes tenentur mortem pro Christo subire; et ideo sunt concedendae.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Ad illud quod ultimo obiicitur de abrenuntiatione substantiae temporalis et perpessione mortis, responderi potest, quod ita in casu necessitatis est [6] omnia temporalia deserere cuilibet homini, sicut et mortem subire, immo multo fortius. Unde hoc datur intelligi per locum *a minori;* et ita ratio illa, sicut et aliae, non cogit, nisi prout *simpliciter* intelligitur, ita quod homo mera voluntate promptus est temporalia abnegare et mortem subire.

Ad 4. fundamentum.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod debemus in periculo mortis nomen Christi confiteri; dicendum, quod verum est, si sumus in *necessitate* [7] positi, quod confiteri oporteat, vel negare. Sed potest esse *medium* inter haec, quia imperfectus potest subterfugere et se ipsum occultare, nec ex hoc dicitur nomen Christi erubescere; sed tunc erubescere dicitur, quando timore mortis negat ipsum Christum. Ideo, quamvis omnes teneantur ad hoc, quod nullus *neget,* non tamen ex hoc potest concludi, quod omnes *simpliciter* teneantur ad *perferendam mortem,* nisi interveniente supra dicta necessitate.

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod quia posuit animam suam pro nobis, nos debemus pro fratribus animam ponere; dicendum, quod est debitum *necessitatis* et est debitum *congruitatis,* sive debitum, ad quod *obligamur,* et debitum, ad quod *admonemur.* Beatus autem Ioannes non intelligit de debito *primo* modo, sed de debito *secundo* modo [8], quod magis spectat ad supererogationem quam ad necessariam et generalem obligationem.

Duplex debitum.

---

[1] Cap. 3. — Locus Scripturae inferius occurrens est Ioan. 10, 11.

[2] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 32. n. 1. — Superius pro *terrena* edd. *temporalia.* Circa finem arg. pro *corporis vitam* codd. F G *corporalem vitam.*

[3] In Ioan. Evang. tr. 51. n. 10: Sed vide, ne tibi subrepat, ut te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi et in se ipsos crudeliores et sceleratiores homicidae flammis se donant, aquis praefocant, praecipitio collidunt et pereunt etc. — Locus Script. est Ioan. 12, 25. — Paulo ante pro *temeritatis* edd. substituunt *severitatis,* paulo inferius eaedem omittunt *et crudelissimos.*

[4] Codd. A U addunt *pro Christo.*

[5] Codd. E F omittunt *pro Christo,* quibus verbis cod. T adnectit *mortem subire.*

[6] Verbo *est* cod. Z praemittit *necesse,* edd. *praeceptum.* — De loco *a minori* vide tom. I. pag. 835, nota 5.

[7] Edd. *in ea necessitate.*

[8] Cod. Z adiungit *dicto.* Superius pro *animam ponere* cod. Z *animas ponere.*

3. Ad illud quod obiicitur, quod quilibet tenetur plus diligere Deum quam omne creatum; dicendum, quod verum est; verumtamen ex hoc non sequitur, quod homo [1] teneatur pro Christo deserere
Notandum. omne creatum, quia potest simul habere Christum et creaturam, quam diligit. Potest enim homo simul servare corporis vitam et Dei amicitiam, quia non oportet, nec exigit hoc lex caritatis, quod propter Dei dilectionem sustineat quis mortem, nisi incidat in supra dictam necessitatem, qua scilicet oporteat, eum vel Christum negare, vel mortem sustinere.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod homo libenter dat illud, quod minus diligit, pro eo quod magis diligit; dicendum, quod verum est, si illud aliter adipisci non possit; et quoniam potest homo adipisci vitam aeternam etiam praeter martyrii tolerantiam: ideo non sequitur, quod omnes teneantur velle [2] pro Christo mori *simpliciter*, sed *sub conditione*, videlicet si aliter ei placere non possint; et hoc solum est in articulo praedictae necessitatis [3].

QUAESTIO III.

Utrum perfectam caritatem habentes teneantur implere ea quae sunt perfectionis.

Tertio quaeritur, utrum perfectam caritatem habentes teneantur ea quae sunt perfectionis, implere. Et quod sic, videtur.

1. Matthaei quinto [4]: *Estote perfecti, sicut et*
Ad oppositum. *Pater vester caelestis perfectus est;* hoc dicitur Apostolis et apostolicis viris: ergo videtur, quod omnes viri perfecti teneantur ad ea quae sunt perfectionis.

2. Item, Gregorius in quadam homilia [5]: « Cum augentur dona, rationes crescunt donorum »; unde et auctoritas dicit, quod « cui plus committitur, plus ab eo exigitur »: ergo cui committitur perfecta caritas; cum Deus exigat actum convenientem habitui, videtur, quod ille teneatur ad opera perfectionis.

3. Item, sicut se habet caritas imperfecta ad opera simplicis iustitiae, sic se habet caritas perfecta ad opera iustitiae consummatae; sed habens caritatem imperfectam tenetur ad ea quae sunt simplicis iustitiae: ergo videtur, quod habens caritatem perfectam obligetur ad opera perfectionis.

4. Item, caritas aut proficit, aut deficit; sed habens caritatem tenetur non deficere: ergo tenetur proficere, cum non sit medium inter haec [6]. Qui autem habet perfectam caritatem non potest proficere nisi in operibus perfectis: ergo videtur, quod omnis, in quo est perfectio caritatis, obligetur ad opera perfectionis.

Sed contra: 1. Matthaei decimo nono [7]: *Si vis*
Fundamenta. *ad vitam ingredi, serva mandata:* igitur ex sola observantia mandatorum videtur quod homo possit pervenire ad salutem: ergo non videtur, quod ad ea obligetur, quae sunt caritatis perfectae.

2. Item, Iacobi tertio [8]: *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir;* sed nullus tenetur ad hoc, quod non offendat in verbo, quantumcumque sit perfectus: ergo propter perfectionem caritatis non obligatur quis ad ea quae sunt perfectionis.

3. Item, quanto aliquis est in maiori caritate constitutus, tanto plus habet de libertate spiritus [9]; et quanto plus habet de libertate spiritus, tanto paucioribus vinculis obligatur: ergo perfecti non tenentur ad plura, quam teneantur imperfecti, quantum est de ipsa perfectione caritatis. Si ergo imperfecti non astringuntur ad opera perfectionis, videtur *a maiori* [10], quod nec illi debeant astringi, qui sunt in caritate perfecta constituti.

5. Item, status caritatis perfectae non excedit caritatem imperfectam in infinitum: cum ergo mortale excedat veniale in infinitum [11], quod est veniale imperfecto non est mortale perfecto, quantum est de ipso genere status: ergo non videtur, quod perfectio caritatis obliget hominem ad opera perfectionis. Si enim obligaret, iam videretur, quod perfectus vir esset peioris conditionis.

CONCLUSIO.

Status caritatis perfectae, quantum est de se, non obligat nisi ad eam perfectionem, quae consistit in impletione mandatorum.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod multiplex est *genus perfectionis*, et multiplex est etiam *ratio obligandi*. — Quin-

---

[1] Pro *homo* Vat. *modo*. Inferius pro *hoc* codd. A T U *haec*.

[2] In cod. K deest *velle*.

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Vers. 48.

[5] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 9. n. 1. — Ad verba quae sequuntur: *auctoritas* (Vat. *auctoritas divina*) *dicit*, supple: in Glossa *ordinaria* (apud Strabum et Lyranum) in Luc. 12, 48: Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo.

[6] Bernard., Epist. 254. n. 5. ait, inter profectum et defectum in hoc statu mortalis vitae nihil medium inveniri. Cfr. Epist. 91. n. 3; Serm. 35. de Diversis, n. 2. et Serm. 124. n. 1.

[7] Vers. 17.

[8] Vers. 2. — *Minor* fulcitur illo Bedae dicto (in vers. laudat.): « Quotidiana est huiusmodi et inevitabilis offensio », nec non et illo (ibid. in v. 8.): Nullus loquentium est qui non aliquando delinquat in lingua sua.

[9] Ubi Spiritus Domini, ibi libertas (II. Cor. 3, 17.). De seq. dicto vide supra pag. 34, nota 8. verba Augustini, quod aliud est esse *in lege*, aliud *sub lege*.

[10] Cfr. tom. I. pag. 835, nota 5.

[11] Vide IV. Sent. d. 16. p. II. a. 3. q. 1. — In fine arg. codd. K R W Y aa addunt *quam imperfectus*.

Genera 5 perfectionis. que enim perfectionis genera consueverunt distingui. Una est perfectio *sufficientiae*, quae consistit
Prima. in adimpletione mandatorum; et de hac Matthaei quinto [1]: *Estote perfecti, sicut Pater vester cae-*
Secunda. *lestis perfectus est.* — Secunda est perfectio *religionis*, quae consistit in observantia consiliorum; et de hac dicitur Matthaei decimo nono [2]: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes* etc.
Tertia. — Tertia est perfectio *praelationis*, quae consistit in regimine subditorum; et de hac dicitur Lucae sexto [3]: *Perfectus omnis erit, si sit sicut magister*
Quarta. *eius.* — Quarta est perfectio *comparationis*, quae consistit in ostensione exemplorum; et de hac dicitur Genesis sexto [4]: *Noe vir iustus atque perfectus*
Quinta. *in generationibus suis.* — Quinta est perfectio *tranquillitatis*, quae consistit in consummatione difficillimorum et optimorum; primae Ioannis quarto [5]: *Perfecta caritas foras mittit timorem;* et Philosophus dicit, quod « perfecta virtus optimorum est operativa ».

Modi 5 obligandi. Similiter intelligendum est, quod quinque modis *obligatur* aliquis ad aliquid. Primum genus obligationis est propter *mandatum divinum.* Secundum est propter *votum emissum.* Tertium est propter *officium susceptum.* Quartum est propter *vitandum scandalum.* Quintum est propter *conscientiae iudicium.*

Cum ergo quaeritur, utrum homo in perfecta caritate existens teneatur ad opera perfectionis; dicendum, quod si perfectio accipiatur primo modo, videlicet pro perfectione iustitiae, quae consistit in
Conclusio 1. *impletione mandatorum;* sic obligatur ad illam perfectionem, sicut et alii; et eo magis de bono et aequo, quo magis percepit donum, per quod possit implere divinum mandatum. — Si autem loquamur
Conclusio 2. de *aliis generibus perfectionis*, dicendum, quod non obligatur homo existens in perfecta caritate ad illa, quantum est ex obligatione *divini mandati;* nec aliter obligatur, nisi interveniat aliquod vinculum sequentium, videlicet *votum*, per quod obligetur ad perfectionem religionis; vel *officium susceptum*, per quod obligetur ad perfectionem praelationis; vel *scandalum*, ratione cuius obligetur ad perfectionem comparationis; vel *conscientiae dictamen*, per quod obligetur ad perfectionem tranquillitatis. His enim [6] intervenientibus, superinducitur nova obligatio ad huiusmodi genera perfectionum praedictarum. Sed status caritatis, quantum est de se, necessariam obligationem non adducit, sicut rationes, quae ad hanc partem sunt inductae, ostendunt. Et ideo concedi possunt. Conclusio 3.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium de auctoritate Domini in Matthaeo, iam patet responsio: quia illud intelligitur de perfectione *iustitiae* et *sufficientiae*, ad quam obligantur omnes, tam perfecti quam imperfecti.

2. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Gregorii, quod sicut crescunt dona, sic crescunt rationes donorum; dicendum, quod hoc verum est [7] quantum ad ea quae sunt *necessitatis. Praeterea*, quod Notandum. dicitur, quod rationes donorum crescunt; hoc non est, quia Deus semper exigat *necessario* ab homine totum, quod potest; sed quia exigit *de bono et aequo*, ita quod illa exigentia non inducit tentionem *necessitatis*, sed *congruitatis;* et eius omissio non inducit culpam mortalem, sed venialem. Dominus autem non solum exigit rationem de mortalibus, sed etiam de venialibus, secundum illud quod dicitur Matthaei duodecimo [8], quod *homines reddent rationem de omni verbo otioso.*

3. Ad illud quod obiicitur, quod sicut se habet caritas imperfecta ad opera simplicis iustitiae etc.; dicendum, quod non est simile, quia caritas imperfecta ordinatur ad opera simplicis iustitiae non propter ipsius *caritatis statum*, sed propter *divinum mandatum;* sed non sic est de operibus perfectionis, quia non cadunt sic sub praecepto, sed magis sub admonitione et consilio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod habens caritatem semper tenetur proficere; dicendum, quod caritas dicitur dupliciter proficere: uno modo propter Caritas dupliciter proficit. *multiplicationem bonorum operum;* alio modo propter ipsius *caritatis augmentum* et progressum ad ultimum statum. Cum ergo dicitur, quod homo tenetur proficere in caritate, et quod caritas aut proficit, aut deficit; si intelligatur de profectu, qui consistit in ipsius *caritatis augmento* et incremento; sic non habet veritatem, quia caritas non augetur in homine continue [9]. Si vero intelligatur de profectu, qui consistit in *bonorum operum multiplica-*

---

[1] Vers. 48. — Paulo superius pro *Una est* edd. *Prima est.*

[2] Vers. 21.

[3] Vers. 40.

[4] Vers. 9. — Pro *perfectio comparationis* edd. cum nonnullis codd. hic et inferius *perfectio operationis*, refragantibus multis aliis codd. nec non *Supplemento* Sum. Alex. Hal. collat. 72. a. 3. Nostram lectionem tuentur etiam Petr. Pictaviensis († 1205), III. Sent. c. 25, et Guliel. Antissiodor., Sum. p. III. tr. 6. c. 5. q. 2. Hic, versum allatum exponens ait: « Erat Noe vir iustus et perfectus in generatione sua, id est in generatione humana, quoniam in *comparatione* hominum iustus apparebat, licet non in *comparatione* Angelorum ». Ille similiter locum laudatum explicat. Insuper perfectionem *religionis* vocat perfectionem *quietis*, perfectionem *praelationis* autem perfectionem *actionis*, et perfectionem *tranquillitatis* perfectionem *certitudinis* (Guliel. Antissiod. perfectionem *securitatis*). Utrique addunt quoque his quinque perfectionibus sextam, *perfectionem sacri ordinis* (e. gr. sacerdotii).

[5] Vers. 18. — Philosophi sententia habetur II. Ethic. c. 3. Cfr. II. Moral. Eudem. c. 3. et 6. (c. 1. et 5.) nec non supra pag. 472, nota 2.

[6] Pro *enim*, quod cod. A omittit, cod. bb *igitur.*

[7] Cod. A interserit *quia Deus semper exigit ab homine.* Mox pro *necessitatis* cod. K *necessaria.* Inferius pro *tentionem necessitatis* cod. V et edd. 1, 2 *tunc rationem necessitatis.*

[8] Vers. 36.

[9] Cfr. I. Sent. d. 17. p. II. q. 4, et II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. ad 2. — Post pauca pro *multiplicatione* edd. cum aliquot codd. *multitudine* et circa finem solut. *consistens* pro *existens.*

tione et iustitiae exercitatione, sic veritatem habet; sed iste profectus caritatis non tantum attenditur in impletione *consiliorum* et operum perfectorum, sed etiam in observantia *mandatorum*. Et ideo ex hoc non potest concludi, quod homo in perfecta caritate existens ad opera perfectionis necesse habeat obligari [1].

QUAESTIO IV.

Utrum omnes teneantur diligere inimicos quantum ad affectum.

Quarto quaeritur, utrum omnes teneantur diligere inimicos quantum ad affectum. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Levitici decimo nono [2]: *Diliges amicum tuum sicut te ipsum;* super quo dicit Augustinus, quod « nomine proximi et amici intelligitur omnis homo », secundum etiam quod ipse Dominus innuit Lucae decimo: ergo si illud praeceptum datum est omnibus; cum omnes teneantur affectu diligere se, videtur, quod omnes teneantur affectu diligere inimicos.

2. Item, Matthaei quinto [3]: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Glossa: « Nullam in caelo »: ergo qui tantum habet dilectionem respectu diligentium se non habet caritatem, cum caritas non possit esse sine mercede: igitur ad hoc, quod aliquis habeat caritatem, necesse est, quod ipsius caritas ad eos qui ipsum odiunt, se extendat.

3. Item, super illud Lucae sexto [4]: *Diligite inimicos vestros;* Glossa interlinearis: « Non sufficit non odisse »; sed omnes tenentur ad illud quod sufficit ad salutem: ergo omnes tenentur non solum ad non odiendum inimicos, sed etiam ad amandum.

4. Item, nulli Deus dimittit peccatum, nisi ipse dimittat proximo, secundum quod dicitur Matthaei sexto et decimo octavo [5]; sed nemo dimittit proximo ex corde, nisi ipsum diligat affectu: ergo nemo potest apud Deum veniam mereri, nisi offendentes se diligat ex corde.

5. Item, plus diligendus est proximus quam corpus proprium, nec aliquid adversatur magis et inimicatur spiritui quam ipsa caro [6]: cum ergo quilibet teneatur naturam carnis suae diligere, videtur, quod teneatur inimicum suum affectu amare.

6. Item, sicut culpa est detestabilis, sic imago Dei est diligibilis; sed quantumcumque homo diligatur, semper tenetur homo detestari eius culpam [7]: ergo quantumcumque per culpam adversetur, semper tenetur diligere naturam.

Sed contra: 1. Matthaei quinto [8]: *Audistis,* Ad oppositum. *quia dictum est antiquis: Diliges amicum tuum et odio habebis inimicum tuum;* sed ad nihil morale obligamur nunc, ad quod non obligarentur antiqui in Lege: ergo si tunc non tenebantur ad diligendum inimicum, sed potius ad odiendum; videtur, quod non omnes tenentur nunc inimicos diligere. *Minor* probatur: quia super illud Matthaei decimo quarto [9] *de quinque panibus* etc. Glossa: « Non alia, quam quae scripta erant, praedicavit; sed Legem et Prophetas mysteriis gravida esse demonstrat ». Et iterum, tertii Regum septimo [10]: *Fecit Hiram mare fusile decem cubitorum;* ibi Glossa: « Decem praeceptis in Lege omnia quae facere debemus, Dominus expressit ». Si ergo in nullo decem praeceptorum continetur dilectio inimici, nec ad aliud obligantur moderni, ad quod non obligarentur antiqui; videtur etc.

2. Item, Lucae sexto [11]: *Diligite inimicos vestros;* ibi Glossa: « Hoc perfectorum est »; et iterum alia Glossa, ibi: « Ecclesia hic non lacte nutritur, quod est simplicium et imperfectorum, sed validiori cibo caritatis roboratur »; sed ad ea quae perfectionis sunt, non omnes tenentur: igitur non omnes tenentur diligere inimicos.

---

[1] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[2] Vers. 18. — Seq. Scripturae locus est Luc. 10, 36. seq. — Dictum August. invenitur Enarrat. in Ps. 25. enarrat. 2. n. 2; de Disciplina christ. c. 3. n. 3, et Serm. 62. (in appendice) n. 1. (alias 59. de Tempore). — In fine arg. pro *videtur, quod... teneantur* codd. A F G H N T Z *videtur, quod... tenentur.*

[3] Vers. 46. — Glossa est *interlinearis* et habetur apud Lyranum.

[4] Vers. 27. — Verba Glossae, quae apud Strabum et Lyranum habetur ut *ordinaria*, respiciunt Hieronymi exposit. in Matth. 5, 44: Multi, praecepta Dei imbecillitate sua, non Sanctorum viribus aestimantes, putant, esse impossibilia quae praecepta sunt, et dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos etc.

[5] Cap. 6, 15. et 18, 35.

[6] Respicitur Rom. 7, 23, et Gal. 5, 17. — Quoad *maiorem* cfr. verba August. supra in lit. Magistri, d. XXIX. c. 1. allata. — Quod corpus proprium diligendum sit, ostensum est supra d. 28. q. 4.

[7] Vide supra d. 28. q. 3. — Subinde post *ergo quantumcumque* cod. K interiicit *homo*, quod vocabulum in *Supplemento* Sum. Alex. Hal. collat. 72. a. 4. invenitur post *semper tenetur*. Tum pro *diligere naturam* edd. et nonnulli codd. *diligere eius naturam.*

[8] Vers. 43. — In *minori* non pauci codd. omittunt *antiqui.*

[9] Vers. 19. — Glossa sumta est ex Comment. Rabani super hunc locum: Turbis, inquit Rabanus, esurientibus Salvator non nova creat cibaria, sed acceptis eis quae habuerunt discipuli, benedicit, quia veniens in carnem non alia, quam praedicta sunt, praedicabat, sed Legis et Prophetarum scripta quam sint mysteriis gratiae gravida, demonstrat. — Pro *praedicavit* edd. cum bene multis codd. *prophetat.*

[10] Vers. 23. — Glossa *(ordinaria* apud Strabum et Lyranum) delibata est ex Beda, de Templo Salomonis, c. 19.

[11] Vers. 27. — Prima Glossa, quae penes Lyranum habetur ut *interlinearis*, est secundum August., Enchirid. c. 73. n. 19. Cfr. hic lit. Magistri. Secunda Glossa est *ordinaria* et sumta ex Ambros., V. in Luc. n. 72; in ea pro *nutritur* Strabus cum textu originali substituit *imbuitur*, et omittit verba *quod est simplicium et imperfectorum.*

3. Item, super illud Psalmi[1]: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de Lege tua;* Glossa: « Nihil mirabilius est in mandatis quam diligere inimicos »; sed non omnes tenentur ad faciendum mirabilia, « quia, sicut dicit Augustinus, virtutes et mirabilia facere non omnibus datum est »: ergo etc.

4. Item, Ambrosius dicit, et habetur in distinctione praecedenti[2], ubi actum est de ordine caritatis: « Sufficit, quod inimicos odio non habemus »: ergo videtur, quod non omnes tenentur diligere inimicos ex corde.

CONCLUSIO.

Affectu a caritate elicito tenemur etiam inimicos diligere, optando eis bona aeterna; affectu vero imperato, quo quis optat alii prosperitatem temporalem, eos diligere est perfectionis, unde sufficit non odisse.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc duplex est respondendi modus. Quidam namque dicere voluerunt, quod dupliciter est loqui de inimicis: aut secundum statum, in quo *exercent inimicitias;* aut secundum statum, in quo *poenitent* et *petunt veniam.* Si secundum statum, in quo *veniam petunt;* sic omnes tenentur ad diligendum inimicos propter illam conditionem, quam Dominus ponit in oratione dominica[3]: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos* etc. Si enim *homo homini servat iram, frustra a Deo quaerit medelam,* secundum quod dicitur Ecclesiastici vigesimo octavo. — Si autem loquamur de inimicis, prout sunt in statu et in actu *laedendi et inimicitias exercendi;* sic dicere voluerunt, quod *affectu diligere inimicos* non est necessitatis, sed magis perfectionis; nec hoc Dominus *praecipit,* sed magis *consulit.* Et istam opinionem quorundam Magister ponit in littera[4].

Opinio 1. Distinctio.

Sed si interius consideretur haec positio, minus sufficienter dicit, pro eo quod, secundum quod auctoritates Sanctorum expresse dicunt, et ipsa ratio aperte convincit, non est caritas vera, nisi diligat *omne diligibile;* diligibile autem a caritate est omne illud, quod est possibile ad beatitudinem pervenire: ideo non habet aliquis caritatem, nisi diligat omnes illos, qui sunt in statu viae, sive sint amici sive inimici. Unde in Psalmo[5] dicitur: *Latum mandatum tuum nimis,* quia mandatum caritatis ad omnes se extendit. Et sicut *longitudo* mandati se extendit ad omnem differentiam temporis, sic *latitudo* ad omnem personam hominis viatoris. Unde sicut aliquis non haberet caritatem, si proponeret etiam in uno solo die peccare et in aliis bene facere, quia deficit sibi *longitudo* mandati; sic, esto quod aliquis omnes homines diligat praeter unum solum, quem a dilectione excludit, caritatem non habet, quia deficit sibi *latitudo* illius mandati[6].

Improbatur. Notandum.

Et propterea est alius modus dicendi, quod *diligere affectu* est dupliciter, secundum quod duplex est affectus amoris: quidam a caritate *elicitus,* et quidam a caritate *imperatus.* Ille est affectus amoris a caritate *elicitus,* quo quis optat alii summum Bonum sive beatitudinem aeternam. Ille vero est affectus *imperatus,* quo quis optat alii bonum temporale et prosperitatem transitoriam. Amor enim caritatis facit, quod homo velit alii *omne* bonum, nedum summum Bonum, sed etiam temporale, nisi illud sit impediens ad salutem[7].

Opinio 2. Actus dilectionis duplex.

Si ergo loquamur de primo affectu a caritate *elicito,* dico, quod omnes tenentur inimicos, etiam actu inimicantes, diligere et eis vitam aeternam optare. — Si autem loquamur de affectu *imperato,* quo quis optat alii prosperitatem temporalem; sic non omnes tenentur diligere, sed sufficit non odisse. Et hoc est quod dicit Ambrosius[8]: « Sufficit, quod inimicos diligimus et non odio habemus », in quo innuit, quod cum duplex sit caritatis affectus, uno *tenemur diligere,* altero vero *sufficit non odisse.* Unde ad non odiendum inimicos et non gaudendum de malis eorum omnes tenentur, sicut dicitur Proverbiorum vigesimo quarto[9]: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas;* et Ecclesiastici octavo: *Noli de inimico tuo mortuo gaudere.* Diligere vero omnino quantum ad affectum *elicitum* et *imperatum* optando ei bona *aeterna* et *temporalia,* hoc perfectionis est et supererogationis. Diligere vero ad bona *aeterna* hoc necessitatis est et praeceptionis; et ad hoc omnes generaliter sunt obligati, tam perfecti quam imperfecti, sicut rationes, quae ad primam partem inducuntur, ostendunt, et ideo concedendae sunt.

Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium de Matthaei quinto: Diliges amicum tuum et odio habebis inimicum tuum; responderi potest

Solutio oppositorum.

---

[1] Psalm. 118, 18. — Glossa, quae hic allegatur, est *ordinaria* et transcripta ex August. Enarrat. in hunc Ps. serm. 7. n. 4. — Dictum August. habetur in eius Serm. 225. (alias 47. de Sanctis) n. 2. (in appendice Serm. August.).

[2] Lit. Magistri, c. 2; ceterum verba allata sunt Origenis, non Ambrosii. — Cod. Z post *et habetur in* subdit *littera.*

[3] Matth. 6, 12. — Seq. locus est Eccli. 28, 3: Homo homini reservat iram, et a Deo quaerit medelam?

[4] Huius distinctionis.

[5] Psalm. 118, 96. Cfr. supra pag. 627, nota 3, et August., Epist. 140. (alias 120.) c. 26. n. 63. et Serm. 165. (alias 7. de Verbis Apostoli) c. 4. n. 4, ubi exponitur illud Eph. 3, 18: *Quae sit latitudo et longitudo* etc.

[6] Cod. K adiicit *caritatis.*

[7] Cfr. supra d. 29. q. 6. in corp. — Paulo inferius pro *et eis* complures codd. et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *et etiam eis.*

[8] Vide supra lit. Magistri, d. XXIV. c. 2. Pro *diligimus* et *habemus* nonnulli codd. et edd. *diligamus* et *habeamus.*

[9] Vers. 17. — Locus Eccli. est 8, 8.

dupliciter. Primo, quod haec Lex nunquam praecipit, odio haberi inimicum, sed ipsi Iudaei hoc arguebant a contrario sensu: quia tantum praecipiebatur eis *diligere amicos* [1], arguebant ex hoc, quod debebant *odire inimicos*. — Aliter responderi potest, quod est odium *affectus* et odium *effectus*; et iterum, est inimicus *Ecclesiae* sive fidei et inimicus *personalis*. Cum ergo Lex innuebat, inimicum odio esse habendum; hoc intelligitur de odio *effectus* et de inimico *Ecclesiae* et cultus divini. Odio vero *affectus* neminem praecipiebat odire, nec inimicum *personalem* nec inimicum *Ecclesiae*. Inimicum autem *personalem* non praecipiebat odiri nec odio *affectus* nec odio *effectus*, immo potius obligabat ad diligendum ipsum, licet non esset tunc ita expressum; unde et Dominus explicuit in Matthaei quinto [2]. Et propterea non potest ex hoc argui, quod non omnes teneantur diligere inimicos.

Alia solutio notanda.

2. Ad illud vero quod obiicitur, quod hoc perfectorum est [3]; respondent aliqui, quod illud intelligitur de dilectione *affectus* et *effectus*, non de dilectione *affectus tantum*. Sed utrum hoc sit verum, in sequenti problemate declarabitur. Nunc autem dicamus, quod si intelligatur de affectu *elicito* et *imperato*, perfectionis est; si vero de affectu *elicito tantum*, est generalis necessitatis. Glossa vero loquitur ibi de dilectione quantum ad *utrumque modum*.

3. Ad illud quod obiicitur, quod diligere inimicos est mirabile; dicendum, quod *mirabile* dicitur illud quod est supra facultatem naturae; hoc autem potest esse dupliciter, secundum quod est operatio *naturae simpliciter*, et *naturae rationalis*. Facere autem mirabilia supra *posse naturae simpliciter*, hoc est per gratiam gratis datam, quam vocat Apostolus [4] operationem virtutum; et hoc non omnibus est datum. Facere vero mirabilia supra *posse naturae rationalis*, hoc est per gratiam gratum facientem, utpote per *fidem* et *caritatem*. Per *fidem* enim credimus multa, quae non possemus credere sine ea, et quae videntur infidelibus nimis incredibilia [5]; et per *caritatem* amamus ea quae videntur caritatem non habentibus odibilia. Et haec mirabilia continentur in Lege divina, et datum est illa omnibus facere, qui volunt in se suscipere gratiam gratum facientem. Et pro tanto non potest argui, quod non teneamur ad dilectionem inimici; hoc enim [6] est aliud genus *mirabilis* quam illud, de quo loquitur Augustinus.

Duplex mirabile.

Notandum.

4. Ad illud vero quod obiicitur de auctoritate Ambrosii, quod sufficit, si odio non habemus; dicendum, quod auctoritas illa truncate inducitur; dicit enim haec duo simul [7]: « Sufficit, si simpliciter diligimus et non odio habemus ». Quae duo valde rationabiliter dicit et duplicem affectum dilectionis innuit; et ad confirmationem facit praehabitae responsionis, per quam auctoritas illa satis clare potest intelligi.

SCHOLION.

I. Haec et seq. (5.) quaestio intime cohaerent et a pluribus Magistri commentatoribus una quaestione absolvuntur. De utraque quaestione antiquitus in scholis exortae sunt diversae illae, hic relatae opiniones, quibus ansam praebuisse videntur quaedam verba tum S. Augustini (q. 5. arg. 3. ad oppos.), tum Origenis, sed Ambrosio a Magistro attributa (hic arg. 4. ad oppos.), tum Glossae (q. 4. et 5. arg. 2. ad oppos.; et cfr. lit. Magistri). — Ex principio supra d. 28. q. 3. stabilito facile eruitur, quod inimici, in quantum sunt *inimici* i. e. secundum *vitium* inimicitiae, non sunt diligendi, quia « hoc est perversum et caritati repugnans, quia hoc est diligere malum alterius » (S. Thom., S. II. II. q. 25. a. 8; cfr. etiam Bonav., d. 29. q. 6.).

De distinctione duplicis affectus, qua auctor noster in responsione utitur, haec habet Petr. a Tar. (hic q. 1. a. 1.): « Affectus duplex est: quia unus est *principalis*, quem caritas *primo et per se* elicit, ut optare dilecto bona spiritualia, scilicet gratiam et gloriam; alter *secundarius*, quem secundum quosdam [etiam S. Bonav.] *imperat*, non *elicit*, secundum alios *elicit* etiam, sed non *primo* et *per se* et *principaliter*, sed *per accidens* (ideo nec *semper*, quia non semper expedit dilecto), ut optare ei bona temporalia » (cfr. supra d. 28. q. 1, et scholion). — A S. Thoma (S. loc. cit.) opportune alia additur distinctio, nempe quod sit dilectio in *generali* et in *speciali*, « ut scilicet aliquis in speciali moveatur *motu dilectionis* ad inimicum; et istud non est de necessitate caritatis *absolute*, quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate caritatis, quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate caritatis secundum *praeparationem animi* » etc. — Notatu digna est doctrina in solut. ad 1. et 3.

II. Quoad 5. quaestionem opinio primo loco recitata merito reprobatur, atque *communiter* docetur, quod inimicus in *casu necessitatis* (et per consequens semper *secundum praeparationem animi*) diligendus sit exhibitione operis. Praescindendo ab hoc casu necessitatis, B. Albert. (hic a. 2.) docet: « Sine praeiudicio dico, quod mihi videtur grave, si omnes dicuntur teneri ad exhibendum signa dilectionis... sed tamen videtur mihi, si postulat veniam, non irridens, quod tunc non negandum est ei signum dilectionis ». — De ultima parte huius testimonii cfr. hic dub. 2; S. Thom., hic a. 2. ad 5. Quoad primam vero partem addenda videtur distinctio a S. Thoma, Petr. a Tar., Richardo a Med. adhibita et postea communiter recepta, videlicet inter signa et beneficia dilectionis *communia*, quae vulgo exhibentur proximis, et a quibus nec inimici debent excludi,

---

[1] Levit. 19, 18: Diliges amicum tuum sicut te ipsum. — Superius pro *Primo quod... odio haberi* edd. habent *Primo per hoc quod... odio habere*, et dein multi codd. omittunt *tantum* ante *praecipiebatur*.

[2] Vers. 44. seqq. — Pro *explicuit* cod. A *explicavit*. Superius mallemus *odire* pro *odiri*, quod habent codd. et edd.

[3] Edd.: *quod diligere inimicos perfectorum est*. Paulo inferius pro *declarabitur* codd. F I L *determinabitur*.

[4] Epist. I. Cor. 12, 10. — De *mirabili* vide II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. ad 5. — Mox pro *et hoc non... datum* edd. et aliqui codd. *et haec non... data*.

[5] Vide supra d. 23. a. 1. q. 1. ad 4.

[6] Codd. E F G H I L N T U aa *igitur*, *Supplement*. Sum. Alex. Hal. *hic igitur*. Subinde pro *mirabilis* (sic edd. 1, 2 et memorat. *Supplement*. cum plurimis codd.) Vat. *mirabilius*.

[7] Vide supra lit. Magistri, d. XXIX. c. 2.

et alia *specialia*, particulariter aliquibus personis conferenda, quae non nisi in casu necessitatis, vel particularium circumstantiarum etiam inimicis sub stricta obligatione sunt praestanda. Haec doctrina, licet hic in responsione explicite non ponatur, satis conformis est verbis auctoris, quae leguntur in fundam. et in refutatione 1. opinionis (cfr. eiusdem Comment. in Lucam, 17, 4.).

III. De utraque quaestione: Alex. Hal., Sum. p. III. q. 59. m. 5. a. 2. 3. — Scot., in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic a. 1. 2; S. II. II. q. 25. a. 8. 9. — B. Albert., hic a. 1. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic q. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, hic q. unica.

QUAESTIO V.

Utrum omnes teneantur diligere inimicos quantum ad effectum.

Quinto quaeritur, utrum omnes teneantur diligere inimicos quantum ad effectum. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Primo auctoritate veteris Testamenti, Exodi vigesimo tertio[1]: *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo;* et hoc ipsum dicitur Proverbiorum vigesimo quinto: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, potum da illi:* si ergo mandata ista omnibus proponebantur, videtur, quod omnes tenebantur diligere inimicos quantum ad effectum.

2. Item, hoc videtur ex auctoritate novi Testamenti, Matthaei quinto[2]: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus vos* etc.; ibi dicit quaedam Glossa: « Tribus modis peccatur contra Ecclesiam: odio, verbis, cruciatu corporis. Econtra Ecclesia facit tria: diligit, benefacit et orat »: ergo non est membrum Ecclesiae, qui non diligit inimicos et affectu et effectu: ergo omnes tenentur isto modo diligere.

3. Item, hoc videtur per *rationem*, quia dilectio affectus sine dilectione effectus non est dilectio vera; « probatio enim dilectionis exhibitio est operis[3] »: si ergo veraci dilectione omnes tenentur inimicos diligere, videtur, quod omnes teneantur non solum affectu, sed etiam effectu inimicos amare.

4. Item, perniciosior inimicus est caro nostra quam aliquis proximus noster; sed carnem nostram repugnantem tenemur nutrire et fovere quantum ad eius naturam: ergo si magis tenemur proximos diligere[4], videtur multo fortius, quod debeamus eos non solum affectu amare, sed etiam effectu eos nutrire et fovere et beneficia eis communicare.

5. Item, non solum sumit homo vindictam de alio, infligendo malum, sed etiam subtrahendo bonum; sed omnes tenentur non quaerere ultionem, secundum quod dicitur Levitici decimo nono[5], et ad Romanos duodecimo: *Non vos vindicantes:* ergo omnes tenentur non subtrahere aliquod bonum propter acceptam iniuriam. Si ergo omnes tenentur diligere eos qui non sunt inimici, affectu pariter et effectu; videtur, quod similiter omnes utroque modo teneantur inimicos diligere.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Frequenter praecipitur in Lege, quod ipsi interficiant inimicos suos, sicut praecipitur Exodi vigesimo tertio[6]: *Non inibis cum eis foedus* etc.: ergo videtur, quod in veteri Lege non tenebantur inimicos diligere quantum ad effectum: ergo pari ratione nec imperfecti tenentur in nova.

2. Item, super illud Matthaei quinto[7]: *Diligite inimicos vestros;* dicit quaedam Glossa: « Cumulus perfectionis est diligere inimicos et orare pro ipsis »: si ergo non omnes tenentur ad cumulum perfectionis, non omnes tenentur inimicos diligere effectu.

3. Item, Augustinus in Enchiridio — et habetur in littera[8] — dicit, quod diligere inimicos et benefacere eis non est tantorum, quanti exaudiuntur in oratione dominica: si ergo in oratione dominica non exaudiuntur nisi boni, videtur, quod non omnes boni teneantur inimicos diligere affectu pariter et effectu.

4. Item, hoc ipsum videtur per regulam Philosophi[9]: « Si oppositum in opposito, et propositum in proposito »: cum ergo amicis sit benefaciendum, per se loquendo, videtur, quod inimicis sit malefaciendum.

5. Item, videmus in omni natura, tam animata quam inanimata, quod inimicitia est causa pugnae, sicut amicitia est causa concordiae[10]: si ergo nemo debet facere contra naturalem rectitudinem, videtur, quod magis sit rectum secundum rationis ordinem inimicos expugnare quam eos adiuvare: ergo non videtur, quod omnes teneantur ipsos effectu diligere.

---

[1] Vers. 5. — Seq. locus est Prov. 25, 21, ubi Vulgata loco verborum *potum da illi* exhibet *da ei aquam bibere.* — In fine arg. pro *tenebantur* edd. 1, 2 *teneantur,* Vat. *tenentur,* et deinde multi codd. *diligere inimicum quoad effectum.*

[2] Vers. 44. Vulgata post *persequentibus* addit *et calumniantibus.* — In Glossa, quae est *ordinaria,* Strabus pro *peccatur* substituit *pugnatur.*

[3] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 1. — Subinde pro *veraci* edd. cum aliquot codd. *vera.*

[4] Vide supra lit. Magistri, d. XXIX. c. 1.

[5] Vers. 18: Non quaeras ultionem; Rom. 12, 19: Non vosmetipsos defendentes.

[6] Vers. 32. Cfr. Deut. 7, 2. et 20, 16. seq.

[7] Vers. 44. — Glossa habetur ut *ordinaria* penes Strabum et Lyranum, sed in vers. 48. loc. cit.

[8] Huius distinctionis. — Pro *non est tantorum, quanti exaudiuntur* Vat. cum textu origin. *hoc tam magnum bonum tantae multitudinis non est, quantam credimus exaudiri.*

[9] Aristot., IV. Topic. c. 4. — Pro *regulam* cod. K *rationem.*

[10] Cfr. Aristot., VIII. Phys. text. 15. (c. 1.), ubi docet, amicitiae essentialiter convenire *congregare,* inimicitiae vero *disgregare.* — Paulo ante pro *in omni natura* edd. *in omni creatura.*

CONCLUSIO.

Diligere inimicos effectu *est generalis et necessariae obligationis, quando incumbit necessitas; sed est perfectionis, quando se offert tantum temporis opportunitas.*

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc est duplex modus dicendi.

Quidam enim dicere voluerunt [1], quod etsi diligere inimicos *affectu* sit necessitatis, ita quod ad illud obligantur tam perfecti quam imperfecti; diligere tamen *affectu* simul et *effectu* supererogationis et perfectionis est; nec ad illud obligantur imperfecti, sed tantum perfecti. — Sed iste modus dicendi in se ipso includit repugnantiam: *primum* quidem, quia eodem mandato praecipitur *diligere* inimicos et eis *benefacere* [2]. Si ergo mandatum illud generale est, videtur, quod generaliter omnes obligentur ad utrumque. — Et *iterum*, perfecti quantum ad obligationem, quae est per mandatum, ad nihil obligantur, ad quod non obligantur imperfecti, quia mandata Dei omnibus generaliter proponuntur. Si ergo per illud mandatum obligantur perfecti ad diligendum inimicum tam affectu quam effectu, videtur similiter, de imperfectis idem esse dicendum. — *Amplius*, si dilectio vera non tantum consistit in corde, sed etiam manifestatur in opere [3]; dicere, quod ceteri tantum obligantur ad diligendum corde, non ad diligendum opere, cum se offert temporis et loci opportunitas, idem videtur dicere, ac si teneamur inimicos diligere *ficte*. — *Praeter haec*, dilectio inimicorum clauditur in mandato de dilectione proximi; et constat, quod mandatum illud intelligitur quantum ad *affectum* et *effectum* [4], et ad illud mandatum omnes obligantur. Et propterea praedicta responsio non potest habere locum.

Et ideo est alius modus dicendi, quod diligere in effectu exteriori hoc potest esse dupliciter: aut quandocumque se offert temporis *opportunitas*, aut quando incumbit *necessitas*. Si loquamur de exhibitione operis exterioris generaliter, quando se offert temporis *opportunitas*; sic diligere inimicos effectu « cumulus est *perfectionis* [5] ». Si autem loquamur de exhibitione operis, quando incumbit *necessitas*; sic diligere inimicos effectu est *generalis et necessariae obligationis*; quia, si quis videt, proximum suum, sive amicum sive inimicum, *necessitatem habere, et claudit viscera sua ab eo*, iuxta sententiam beati Ioannis [6], iam amplius non est caritas Dei in eo. — Sic igitur patet, quod sicut diligere *affectu* uno modo necessitatis est, alio modo perfectionis [7]; sic diligere *effectu*, uno modo necessitatis est, alio modo perfectionis et supererogationis. Et secundum hunc modum possunt solvi diversae auctoritates Sanctorum, quae sibi videntur obviare de dilectione inimicorum.

Ex his patet responsio ad quaestionem propositam, patet etiam pro magna parte responsio ad obiecta. Nam rationes, quae ostendunt, quod omnes tenentur inimicos suos diligere effectu, intelliguntur in casu necessitatis. Auctoritates vero, quae in oppositum adducuntur, intelliguntur de exhibitione operis magis generali [8], videlicet cum se offert opportunitas congruitatis.

4. Ad illud vero quod obiicitur, quodsi benefaciendum est amicis, quod malefaciendum est inimicis; dicendum, quod non sequitur, propter hoc quod amicis non solum benefaciendum est propter illud, in quo repugnant inimicis, verum etiam propter illud, in quo conveniunt, videlicet quia sunt ad imaginem Dei. Unde sicut illud argumentum non valet: album est visibile, ergo nigrum est invisibile; quia album est visibile per illud, in quo communicat cum nigro: sic nec ratio praemissa [9].

5. Ad illud quod obiicitur, quod secundum ordinem naturae inimicitia inducit pugnam; dicendum, quod illud verum est, ubi inimicitia ordinata est *secundum ordinem naturae*, sicut calidum inimicatur frigido, et humidum sicco [10]; sed ubi est inimicitia *praeter naturae ordinem*, ibi non est pugna *secundum* naturam, sed magis *contra* naturam. Taliter autem est in hominibus; quia, cum « homo

Opinio 1.
Improbatur.
Ratio 1.
Ratio 2.
Ratio 3.
Ratio 4.
Opinio 2. cum distinctione.
Conclusio 1.
Conclusio 2.
Epilogus.
Ad argg.
Solvuntur argg. 4. et 5. ad oppos.
Notandum.
Notandum.

---

[1] Pro *dicere voluerunt* codd. C D O V *voluerunt* tantum, cod. N *dicunt*. Post pauca verbo *obligantur* cod. Z praemittit *omnes*.

[2] Vide hic fundam. 2. — Pro *praecipitur* edd. *praecipimur*.

[3] Epist. I. Ioan. 3, 18: Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate. — Mox pro *non* edd. *non autem*.

[4] Vide supra d. 28. q. 3. et 6. nec non d. 29. q. 6.

[5] Cfr. arg. 2. ad oppos. — Post *effectu* Vat. adiungit *et affectu*.

[6] Epist. I. 3, 17.

[7] Vide quaest. praeced.

[8] Cod. U *generaliter*.

[9] Aristot., II. Topic. c. 3. (c. 7.): « Id quod est amicis benefacere, ei quod est inimicis malefacere non est contrarium: utraque enim eligenda sunt vel eiusdem moris ». Quae verba B. Albert. exponens ait (tr. 2. c. 2.): Haec sunt ergo duae complexiones, quae contrarietatem non faciunt: amicis benefacere et inimicis malefacere, quae ideo contraria non sunt, quia sunt unius complexionis, quia sunt eiusdem moris; quia secundum ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit, ut in Zenone dicit Socrates, et Plato dicit de Socrate... Propter quod in definitione hominis posuit Socrates, quod homo est animal ratione [?] amicis benefaciens et inimicis malefaciens, sicut legitur in primo Zenonis. Et si aliquis instet per hoc quod dicit Lex, quod inimicis benefiat; non habemus contra hoc dicere: quia hoc ex principio philosophiae non probatur, sed potius ex gratia supergreditur ad naturam et ad rationem, et ad maiorem ordinat perfectionem, ad quam non potest se extendere philosophus. Cfr. solut. seq. — Pro *ratio praemissa* codd. E I L Z *ratiocinatio praemissa*.

[10] Cfr. Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 7. seqq. (c. 2. seq.).

sit animal mansuetum natura [1] », secundum naturalem ordinem cum omnibus debet habere pacem et concordiam. Unde in inimico suo non debet homo odire *naturam*, sed solum *culpam;* quia non persequitur ipsum *natura*, quam fecit Deus, sed *malitia*, quam fecit homo, ut dicit Augustinus [2]. Cetera autem, quae opponuntur, satis manifestantur per ea quae dicta sunt [3].

QUAESTIO VI.

Utrum sit maioris perfectionis et meriti diligere amicum, an diligere inimicum.

Sexto et ultimo quaeritur, quid sit maioris perfectionis et meriti, utrum diligere amicum, an diligere inimicum. Et quod diligere inimicum, videtur.

Fundamenta. 1. Matthaei quinto [4]: *Si diligitis illos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Glossa, ibi: « Nullam in caelo »; sed constat, quod de dilectione inimicorum magna merces habetur: ergo maioris perfectionis et meriti est diligere inimicos quam diligere amicos.

2. Item, diligere inimicos est de superadditis a Domino in Evangelio [5]; sed Dominus non superaddidit, nisi ea quae maioris perfectionis erant: videtur ergo, quod maioris perfectionis sit diligere inimicos quam diligere amicos.

3. Item, ubi est maior pugna, ibi gloriosior est victoria; et ubi maior difficultas, ibi maior est ratio virtutis et meriti, pro eo quod « ars et virtus est circa difficilia [6] »; sed maior est pugna et difficultas in diligendo inimicos quam in diligendo amicos: ergo maior residet perfectio et meritum circa dilectionem inimicorum quam circa dilectionem amicorum.

4. Item, quanto homo magis supra se elevatur in aliquo motu virtutis, tanto motus ille et actio est perfectior et excellentior; sed in dilectione inimicorum plus elevatur homo supra se et supra ea quae sunt naturae, quam in dilectione amicorum: ergo motus dilectionis circa inimicos est magis meritorius et perfectus quam motus dilectionis erga amicos [7].

5. Item, quanto motus dilectionis est perfectior, tanto est liberalior et purior — amor enim spiritualis purus est et liberalis — sed motus dilectionis erga inimicos purior est et liberalior quam erga amicos: purior quidem, quia minus habet admixtum de carnalitate; liberalior, quia minus habet de obligationis necessitate: ergo videtur, quod sit multo perfectior et Deo acceptior et ad merendum efficacior [8].

Ad oppositum. Sed contra: 1. Dilectio inimicorum ponitur ab Ambrosio [9] in ultimo gradu: ergo dilectio illa maxime recedit a primo gradu dilectionis, qui est maximus et nobilissimus; sed quanto aliquid recedit a primo et summo in illo genere, tanto minus habet de perfectione et complemento: si ergo dilectio inimicorum magis recedit, et dilectio amicorum magis accedit; ergo videtur, quod multo perfectior et excellentior sit motus dilectionis erga amicos quam erga inimicos.

2. Item, quanto dilectio est excellentior, tanto dilectioni Dei similior; sed Deus magis diligit diligentes se, iuxta illud quod dicitur Proverbiorum octavo [10]: *Ego diligentes me diligo:* igitur dilectio amicorum magis assimilatur dilectioni Dei quam dilectio inimicorum; ergo est multo perfectior.

3. Item, motus dilectionis tanto melior est et excellentior, quanto ferventior et frequentior; sed motus caritatis erga amicos ferventior et frequentior est quam erga inimicos [11]: ergo etc.

4. Item, quanto motus dilectionis rectior est et plus habet de rectitudine et aequitate, tanto melior et excellentior est in se; sed magis aequum et iustum est diligere amicos quam inimicos: ergo motus iste dilectionis est melior illo.

5. Item, in eo quod melius et perfectius est, magis debet homo se exercere: ergo si motus dilectionis erga inimicos esset melior et perfectior, frequentius deberet homo circa ipsos affici et pro ipsis orare. Quodsi hoc est inconveniens dicere, quod magis debeat homo orare pro inimicis quam pro amicis, quia hoc esset ordinem caritatis pervertere: ergo restat, quod non est maius bonum inimicos quam amicos diligere.

---

[1] Plato, Sophista (ed. Serrani, tom. I. pag. 222), et VI. de Legibus (tom. II. pag. 766). Aristot., VIII. Ethic. c. 1. etiam dicit, quod « familiaris etiam atque amica res sit homini unusquisque homo ».

[2] In I. Ioan. tr. 8. n. 10. seq. Cfr. Enarrat. in Ps. 100. n. 5. et in Ps. 139. n. 2; cfr. etiam Serm. 13. (alias 94. de Tempore) c. 7. n. 8.

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Vers. 46. — Glossa, quae *interlinearis* est, habetur apud Lyranum. — Paulo inferius pro *magna* edd. *maior.*

[5] Matth. 5, 43. seq.: Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum, ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros etc.

[6] Aristot., II. Ethic. c. 3. Cfr. supra pag. 488, nota 1. — Paulo inferius pro *ergo* non pauci codd. *et.*

[7] Cfr. hic in lit. Magistri verba August. ex eius Enchirid. c. 73. n. 19. transcripta.

[8] August., I. de Serm. Domini in monte, c. 21. n. 69: Perfectio autem misericordiae... ultra dilectionem inimici porrigi non potest, et ideo sic clauditur (Matth. 5, 48.): *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester* etc. — Superius pro primo *quia minus* edd. *quia nihil.*

[9] Vide supra lit. Magistri, d. XXIX. c. 2. De *minori* conferri post axioma Aristotelis relatum tom. II. pag. 94, nota 4. — Aliquanto inferius pro *complemento* cod. U habet *completione.*

[10] Vers. 17.

[11] Cfr. hic lit. Magistri, in principio, et Aristot., VIII. Ethic. c. 5. — Pro *excellentior* edd. *perfectior.* Deinde pro *caritatis* cod. K *dilectionis.*

CONCLUSIO.

Si actus utriusque dilectionis comparantur ad diversos habitus, excellentius est diligere inimicos quam amicos; si vero ad eundem, mutuo se excedunt secundum diversas conditiones.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum quaeritur de comparatione istorum duorum motuum dilectionis, quorum unus est erga amicos, alter erga inimicos; dupliciter potest quaeri: aut prout comparantur ad *diversos* habitus et radices, aut prout comparantur ad *eundem*. — Si prout ad *diversas* radices et habitus comparantur, ita quod unus habitus habilitat tantum ad amicos, alter vero se extendit usque ad inimicos; sic absque dubio multo maius et excellentius est diligere inimicos quam amicos; et multo perfectiori habitu indigemus ad hoc, quod possimus exire in istum actum, quam ad hoc, ut exeamus in alterum. Et hoc est quod dicit Augustinus in Enchiridio, et habetur in littera [1]: «Magnum est erga eum qui tibi nihil mali fecit, esse benevolum et beneficum; illud vero multo grandius et magnificentissimae bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas».

Dupliciter quaeri potest.

Conclusio 1.

Si vero loquamur de istis actibus, prout ad *eandem* radicem comparantur et ab eadem caritate procedunt; sic quodam modo sunt *aequales* et quodam modo mutuo se *excedunt*. Quantum enim ad rationem merendi respectu praemii *substantialis* aequalitatem habent, quia quantitas illius praemii respondet quantitati radicis [2]; quantum vero ad rationem merendi respectu praemii *accidentalis* et quantum ad *vigorem* ipsius actus et motus mutuo se excedunt. Nam motus dilectionis erga amicos excedit quantum ad *fervorem* et *frequentationem;* motus vero dilectionis erga inimicos est *purior* et *difficilior;* et ita quodam modo unus istorum motuum est maior [3] alio, et e converso, secundum varium modum accipiendi *magnitudinem*. Nam in dilectione amicorum virtus caritatis magis exercetur *intensive*, sed in dilectione inimicorum magis exercetur *extensive;* sicut virtus caloris ignis amplius calefacit propinquiora quam remotiora, et quodam modo plus apparet efficacia illius virtutis in his quae sunt *propinqua*, quodam modo in his quae sunt *longinqua:* ratione *intensionis* plus in calefactione propinquorum, et ratione *extensionis* plus in calefactione longinquorum [4]. Sic et in proposito intelligendum est, quod dilectio amicorum et dilectio inimicorum, prout ab *eadem* radice procedunt, secundum diversas conditiones et respectus mutuo se excedunt. — Et secundum hoc dissolvi possunt rationes, quae ad diversas partes adducuntur; diversis enim viis procedunt, secundum quas utraeque verum sine repugnantia concludere possunt.

Conclusio 2. bimembris.

Conclusio 3.

Exemplum.

Ad argg.

Sed si ulterius quaeratur, quis istorum duorum motuum, omnibus pensatis, excedat reliquum; hic sunt diversae opiniones. Nam quidam volunt dicere, quod motus ille, qui est in amicum, melior est, quia *intensior* est, et plus habet de ratione boni; et istum modum dicendi videtur Magister approbare in littera [5]. — Et si hunc modum, qui satis videtur probabilis, sustinere velimus, responderi potest ad rationes, quae primo inducuntur, quod ab insufficienti procedunt. Cum enim dicitur, quod motus, quanto difficilior et purior et magis supra vires naturae, tanto perfectior et excellentior; dicendum, quod hoc verum est, ceteris paribus. Sed cum *assumit* [6] de motu dilectionis inimicorum, quod est huiusmodi; responderi potest, quod non sunt cetera paria, quia multo maior et ferventior est motus dilectionis erga amicos, quam ille sit.

Quaestio annexa.

Opinio 1. probabilis.

Solvuntur fundamenta.

Alius vero est hic modus dicendi, quod dilectio inimicorum est excellentior, *simpliciter* loquendo, et magis in ea exercitatur perfectio caritatis. Et si hunc modum dicendi sustinere velimus, quoniam videtur auctoritas Augustini [7] ipsum satis probabilem facere, potest responderi ad ea quae in contrarium adducuntur.

Opinio 2. probabilis.

1. Ad primum quod obiicitur de ordine diligendorum, dici potest, quod Ambrosius in gradibus illis non intendit ponere vel assignare gradus *perfectionis* in dilectione, sed gradus *exhibitionis* secundum maiorem et minorem *obligationem* [8].

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod dilectio amicorum est dilectioni Dei similior; responderi potest *per interemptionem;* quia perfectio dilectionis divinae magis manifestata est in hoc, quod dilexit nos, cum essemus inimici, quam si essemus amici, iuxta illud Apostoli ad Romanos quinto [9]: *Commendat autem Deus caritatem suam in nobis, quia, cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Unde etsi in di-

Notandum.

---

[1] Huius distinctionis. Pro *Magnum est* Vat. cum textu origin. *Minus magnum est.*

[2] Cfr. supra pag. 387, nota 3.

[3] Edd. *melior.*

[4] Cfr. supra pag. 647, nota 4. — Superius pro *quae sunt propinqua* codd. B C D I L (N a secunda manu) aa *quae sunt propinquiora.* Deinde post *quodam modo* Vat. interiicit *quam,* quam voculam nonnulli codd. et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 72. a. 6. substituunt pro *quodam modo.*

[5] Huius distinctionis. — Superius post *motus ille* cod. Z supplet *dilectionis.*

[6] Nimirum in *minori* argumentorum. — Mox pro *quod est* edd. *qui est.* Paulo inferius pro *quam ille sit* cod. K *quam erga inimicos,* cod. Y (a secunda manu) *quam ille qui sit erga inimicos.*

[7] Hic in lit. Magistri. — Mox post *potest* cod. Z inserit *sic.*

[8] Cfr. supra d. 29. q. 6. et dub. 3. — Codd. A F bis *gradum* pro *gradus.*

[9] Vers. 8. — Pro *caritatem suam* non pauci codd. *misericordiam suam.* — Seq. Scripturae locus est Eph. 2, 4.

lectione amicorum caritas Dei ostendatur esse *magna*, in dilectione inimicorum ostenditur esse *nimia*; iuxta illud ad Ephesios secundo: *Propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos* etc.

3. Ad illud quod obiicitur, quod tanto motus dilectionis est melior, quanto ferventior; dicendum, quod illud verum est, ubi est par difficultas et resistentia. Ubi autem non est par difficultas, sicut in proposito, non habet veritatem; quod patet, quia modicus ignis citius adurit foenum, quam magnus ignis adurat forte lignum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod quanto motus dilectionis est rectior, tanto perfectior; dicendum, quod verum est. Sed cum *assumit*, quod motus dilectionis erga amicum magis est rectus et aequus;
Distinctio. respondendum est *per distinctionem*, quod maior aequitas potest esse dupliciter: aut propter exigentiam meritorum et dignitatis a parte *dilecti*, et sic magis est aequum diligere amicum quam inimicum; aut propter abundantiorem rectitudinem a parte *diligentis*, et sic non est magis aequum diligere amicum quam inimicum, immo magis e converso, quia hoc est abundantioris [1] iustitiae quam illud.

5. Ad illud quod obiicitur, quod magis debet homo se exercere in eo quod est maioris perfectionis; responderi potest, quod in exhibitione alicuius beneficii et exsecutione alicuius actus duplici intentione potest homo se exercere: aut propter *profectum alterius*, aut propter *meritum suum*; nec debet homo in operibus suis tantum *meritum suum* intueri, sed etiam *profectum proximi*. Licet ergo in exercitatione circa dilectionem inimici maior sit via *proficiendi* et lucrandi et ad perfectionem perveniendi; quia tamen magis *obligatur* homo amico quam inimico, frequentius debet in dilectione amici se exercere. Unde quod dicit, quod magis nos debemus exercere in his quae sunt maioris *perfectionis*; dicendum, quod illud non est usquequaque verum, immo magis debemus nos exercere in his quae sunt maioris *obligationis*. — Et sic patet, quomodo potest [2] satis rationabiliter utralibet pars sustineri.

Duplex intentio.

Notandum.

SCHOLION.

1. Ad quaestionem principalem antiqui doctores fere idem respondent, cum diversis tamen distinctionibus. Quoad quaestionem in fine responsionis annexam Alex. Hal. (S. p. III. q. 59. m. 5. a. 3.) resolvit, quod « *absolute* maioris virtutis est diligere inimicum quam amicum »; et ipsi consentiens, B. Albert. (hic a. 3.) asserit, quod « meo iudicio melius *absolute et simpliciter* est diligere inimicum quam diligere amicum »; cui opinioni favet etiam Petr. a Tar. (hic q. 2. a. 1.) et Durand. (hic q. 2.). Sed S. Thom. (S. II. II. q. 27. a. 7; cfr. hic a. 3.) contrarium censet, cum sub rubrica *Sed contra* dicat *absolute*: « Diligere amicum est magis meritorium quam diligere inimicum »; et etiam rationes ad oppos. solvat. Ipsi consentit Richard. a Med. (hic q. 3.), qui proprias distinctiones satis aptas applicat; tamen solvit argumenta pro utraque parte, sicut S. Bonav., qui, ut patet, utramque sententiam iudicat esse probabilem. Dionys. Carth. (hic q. 1.) favet solutioni S. Thomae.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. 1.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Obscura est responsio, quia non est facile iudicium, an unus et idem motus sit erga amicum et erga inimicum.* Hoc enim videtur esse simpliciter falsum, quia, cum actus diversificentur per obiecta [3], et amicus et inimicus sint diversa obiecta et diversa diligibilia; impossibile est, quod amicum et inimicum quis diligat uno motu. — Item, virtus simplex et finita, ad quaecumque se convertit, totaliter se convertit [4]; sed homo diligendo amicum convertit se ad ipsum: ergo non videtur, quod uno et eodem motu simul et semel possit diligere amicum et inimicum.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis illud quod dicit Magister hic, non sit usquequaque bene intelligibile; possumus tamen utrumque exponere
Expositio 1. et ipsum salvare dupliciter. Primo sic: contingit enim erga aliquem affici dupliciter: vel *proprie* et
Distinctio. distincte et sub propria ratione, vel in quadam *generalitate* cum aliis; sicut verbi gratia dupliciter potest aliquis affici in amando Petrum: aut quia *specialiter* afficitur circa ipsum, aut quia *generaliter* cogitat, omnem hominem diligendum [5], et generaliter circa omnem hominem afficitur, secundum quod exigit ordo caritatis. — Si *primo* modo accipiatur motus dilectionis in amicum, sic non potest unus et idem motus, qui est in amicum, esse in inimicum, sicut rationes inductae ostendunt. Si vero *secundo* modo, sic potest esse idem; et hoc modo accipit Magister [6], cum dicit, quod potest esse unus respectu utriusque.

Aliter autem potest sustineri, ut distinguamus, Expositio 2.
quod dupliciter contingit, vim aliquam moveri in obiectum: aut motu *simplici* et *absoluto*, aut motu Motus duplex.
collativo et quodam modo *composito*. Si loquamur de motu *simplici* et *absoluto*; sic non potest unus

---

[1] Edd. *maioris et abundantioris.*

[2] Cod. K *possit.*

[3] Secundum Aristot., II. de Anima, text. 33. (c. 4.).

[4] Cfr. supra pag. 311, nota 1. — In fine arg. multi codd. et edd. 1, 2 omittunt *amicum et.*

[5] Edd. cum nonnullis codd. supplent *esse.* Subinde pro *circa omnem hominem* cod. F *circa Deum et hominem.*

[6] Hic in principio lit., sed sententialiter tantum. — Deinde pro *unus* cod. K *unus et idem.*

et idem esse in amicum et inimicum, immo diversi sunt, quorum unus est intensior et alter remissior. — Si vero de motu *collativo*, quo quis afficitur circa aliqua duo, unum alteri praeponendo; sic potest esse motus unus, secundum quod dicit Magister [1], secundum aliquid sui intensior, secundum vero aliquid remissior. — Et secundum hoc patet responsio ad ea quae obiiciuntur. Nam illa duo procedunt de actu *simplici* et *absoluto*, qui est respectu unius obiecti tantum, actus vero *collativus* potest esse respectu duorum sub ratione unius.

Ad illud quod obiicitur, quod virtus affectionis non potest simul converti; patet responsio. Ex hoc enim non concluditur, quod non possit esse unus motus *collativus*, quia in eo est reperire prius et posterius [2].

Dub. II.

Item quaeritur de verbis Augustini, quae dicit in littera: *Procul dubio verba sponsionis huius implentur, si homo, qui non ita profecit, ut diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine, qui peccavit, dimittit.* Sed *contra* hoc est: quia, si non dimittit, antequam rogetur, servat iram proximo; et si servat iram, caritatem non habet: ergo in oratione sua non est dignus exauditione, nec videtur, quod oret recte. — Item, sicut in praecedentibus [3] probatum est, omnes tenentur inimicos suos diligere, etiam inimicitias exercentes: ergo omnes tenentur eis, etiam non rogati, offensas dimittere.

Notanda distinctio.

Respondeo: Dicendum, quod est dimittere *rancorem*, et est dimittere *signa rancoris*. Dimittere *rancorem* necessitatis est; et ad hoc omnes obligantur, et ad hoc tenetur homo, sive inimicus impugnet, sive veniam petat. Dimittere autem non solum *rancorem*, sed etiam *signa rancoris*, hoc perfectionis est, nec ad hoc tenetur homo nisi in casu, videlicet quando devote et humiliter venia postulatur [4]. — Et de hac dimissione loquitur Augustinus; obiectiones vero currunt de alia. Et per hoc patent tam littera quam obiecta [5].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quisquis roganti non dimittit, non existimet, a Domino sua peccata dimitti.* Videtur ergo secundum hoc, quod omnis qui servat rancorem erga proximum, quod contra se ipsum oret, quia, cum nolit alii dimittere, iam petit *ex consequenti*, quod nec Deus dimittat sibi; et qui petit, quod Deus non dimittat [6], peccat mortaliter: ergo omnis qui est in rancore et dicit orationem dominicam, videtur mortaliter peccare.

Respondeo: Dicendum, quod omnis qui orationem dominicam ex corde dicit, intendit per eam impetrare collationem bonorum et remissionem malorum; et qui hoc intendit a Domino assequi [7], constans est, quod aut poenitet, aut proponit aliquando poenitere. Licet igitur aliquis odium habeat, tamen in dicendo orationem dominicam non incurrit mortalem offensam, quia non intendit petere, quod fiat sibi secundum voluntatem [8] *malam*, quam *nunc* habet, sed secundum voluntatem *bonam*, quam, etsi tunc non habeat, intendit tamen Dei auxilio *aliquando* obtinere. Si quis autem illam orationem diceret, nunquam proponens ab odio fratris recedere, quamvis non intenderet iram petere, culpam tamen suam absque dubio aggravaret. — Aliter tamen posset dici, quod istam orationem, quando aliquis dicit, non dicit in persona sua, sed in persona Ecclesiae, cuius vult esse membrum. Et quantum ad hoc nihil petit contra se ipsum, nec intentione *principali* nec *ex consequenti* [9].

Notandum.

Alia solutio.

DISTINCTIO XXXI.

Cap. I.

Si caritas semel habita amittatur.

Illud quoque non est praetereundum, quod quidam asserunt, caritatem semel habitam ab aliquo non posse excidere, nullumque damnandum hanc aliquando habere; qui hanc traditionem subditis muniunt testimoniis. Apostolus [1] ait: *Caritas nunquam excidit.* Augustinus etiam inquit: «Caritas, quae deseri potest, nunquam vera fuit». Item: «Caritas est fons proprius et singularis bonorum, cui non communicat alienus.

Aliorum falsa opinio et argg.

Dubium 1.

Augustinus.

[1] Hic in lit. — Paulo superius post *Si vero* cod. G repetit *loquamur*.

[2] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 4; S. Thom., hic circa lit. (dicit: Hoc est impossibile, nisi unus propter alterum diligatur et actuali consideratione referatur in illud); Petr. a Tar., hic circa lit.

[3] Quaest. 4. seq. et d. 28. q. 3. — Paulo superius pro *exauditione* cod. G *exaudiri*. Paulo inferius pro *non rogati* cod. K *non rogantibus*.

[4] Cfr. supra q. 4. et 5. — Paulo ante pro *in casu* cod. E *in hoc casu*.

[5] Cfr. de hoc dubio Petr. a. Tar., hic q. 1. a. 3, et Richard. a Med., hic circa lit.

[6] Codd. Z aa adiungunt *sibi*.

[7] Edd. *exsequi*.

[8] Cod. Z adiicit *suam* et paulo inferius pro *tunc* substituit *nunc*. Deinde pro *nunquam* cod. K exhibet *nec*.

[9] Hoc dubium solvunt etiam B. Albert., hic a. 6, et S. Thom., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Epist. 1. Cor. 13, 8, in quo loco codd. A B D E et ed. 1 *excidet* pro *excidit*. — Locus August. (inter opera eius) est de Salutaribus Documentis ad quend. comitem, c. 7. Seq. locus est Enarrat. in Ps. 103. serm. 1. n. 9, in quo citatur Matth. 7, 23, et Prov. 5, 18. 17. — Haec et fere omnia testimonia, quae sequuntur, leguntur etiam in Decreto Gratiani, de Poenit. dist. 2.

Alieni sunt omnes qui aduituri sunt: *Non novi vos.* De hoc fonte Scriptura ait: *Fons aquae vivae sit tibi proprius, et nemo alienus communicet tibi* ». Si autem alieni sunt qui aduituri sunt illam vocem; non ergo huic fonti communicant damnandi. Item, Augustinus super Epistolam Ioannis [1]: « Radicata est caritas; securus
Gregorius. esto, nihil mali procedere potest ». Item, Gregorius in Moralibus: « *Valida est ut mors dilectio.* Virtuti enim mortis dilectio comparatur, quia nimirum mentem, quam semel ceperit, a dilectione mundi fundi-
Augustinus. tus occidit ». Item, Augustinus super Epistolam Ioannis [2]: « Unctio invisibilis caritas est, quae, in quocumque fuerit, radix illi erit, quae ardente sole arescere non potest: nutritur calore solis, non arescit ». Item,
Beda. Beda super Ioannem: « Quaerendum est, quomodo speciale Filii Dei agnoscendi signum fuerit, quod super eum descenderit et manserit Spiritus. Quid magni est Filio Dei, quod in ipso manere Spiritus astruatur? Notandum, quod semper in Domino manserit Spiritus, in Sanctis vero, quamdiu mortale corpus gestaverint, partim semper maneat, partim rediturus secedat. Manet autem apud eos, ut bonis insistant actibus; recedit vero ad tempus, ne semper infirmos curandi, mortuos suscitandi, daemones eiiciendi, vel etiam prophetandi habeant facultatem. Manet ergo semper, ut possint habere virtutes et mirabiliter ipsi vivant; venit ad tempus, ut etiam aliis per miraculorum signa, qua-
Gregorius. les sint intus, effulgeant ». Item, Gregorius [3]: « In Sanctorum cordibus secundum quasdam virtutes semper manet Spiritus, secundum quasdam recessurus venit et venturus recedit. In his virtutibus, sine quibus ad vitam non pervenitur, in electorum suorum cordibus permanet; in his vero, per quas sanctitatis virtus ostenditur, ut in exhibitione miraculorum, aliquando
Ambrosius. adest, aliquando se subtrahit ». Item, Ambrosius [4]: « Ficta caritas est, quae in adversitate deserit ».

Haec innuere videntur, quod caritas semel habita non amittatur. Ideo quidam in praetaxatam prosilierunt audaciam, dicentes, caritatem a damnandis non ha-
Refellitur ratione et auctoritate. beri, nec a quoquam habitam posse amitti; quos ratio vincit et auctoritas. Quidam enim ad tempus sunt boni, qui postea fiunt mali, et e converso. Unde quorundam
Dubium 2. nomina Christus [5] dicit *scripta in libro vitae*, qui tamen postea *abierunt retro.* Sed *scripta* dicit non secundum praescientiam, sed secundum praesentem iustitiam, cui deserviebant, quia digni erant tunc illo bono, quod habituri sunt praescripti secundum praescientiam. Unde Ambrosius [6]: « Quibusdam gratia data est in usum, ut Sauli, Iudae et illis discipulis, quibus Dominus dixit: *Ecce, nomina vestra scripta sunt in caelis*, et post *abierunt retro.* Sed hoc dixit propter iustitiam, cui deserviebant, quia boni erant. Frequenter enim ante sunt mali qui futuri sunt boni, et aliquoties prius sunt boni qui futuri sunt et permansuri mali »; secundum quod dicuntur *scribi* in libro vitae et *deleri.*

Quod vero Apostolus ait: *Caritas nunquam excidit,* Explanantur auctoritates pro 1. opinione allatae. nullatenus pro illis facit. Dignitatem enim caritatis ostendens, dicit, eam non excidere, quia hic et in futuro erit; sed fides et spes evacuabuntur et scientia. — Item, quod dicitur caritas nunquam fuisse vera, quae deseri potest, non ad *essentiam* caritatis refertur, sed ad *efficientiam*, quia non efficit caritas, quae deseritur, hominem vere beatum nec perducit ad verum bonum. — Huic etiam fonti alieni, id est damnandi, non communicant, scilicet in fine, quia non perseverant. — Po- Alia explanatio. test tamen hoc et cetera, quae de caritate dicta sunt, de *perfecta* intelligi, quam soli perfecti habent, quae semel habita non amittitur; exordia vero caritatis aliquando crescunt, aliquando deficiunt [7]. Sunt enim virtutis *exordia* et *profectus* et *perfectio*, quos gradus ille Gradus virtutum. discernit, qui parabolam illam intelligit: *Sic est regnum Dei, quemadmodum si iactet homo semen in terra et dormiat, et exurgat semen et germinet et crescat* etc. Si ergo *perfecta* caritas sic radicata est, ut amitti nequeat, *incipiens* tamen et *provecta* amitti potest et saepe amittitur; sed dum habetur, non sinit habentem criminaliter peccare. Quod Augustinus [8] ostenAugustinus. dit inquiens: « Quia *radix omnium malorum est cupiditas*, et radix omnium bonorum est caritas; simul ambae esse non possunt: nisi una radicitus evulsa fuerit, alia plantari non potest. Sine causa conatur aliquis ramos incidere, si radicem non contendit evellere ».

Cap. II.

Quare fides, spes, scientia dicuntur evacuari, et non caritas, cum et ipsa sit ex parte.

Advertendum etiam est, quomodo fides, spes et scientia dicantur *evacuari* [9], quia *ex parte sunt*, et non caritas, cum et ipsa *ex parte* sit. *Ex parte* enim, id est imperfecte, diligimus, sicut *ex parte* scimus, ut ait Hesychius super Leviticum [10]. Cum igitur omne quod Hesychius. *ex parte est, evacuetur*; cur caritas excipitur, quae dicitur *nunquam excidere?* Caritas quidem etiam *ex parte* est, ut saepe Sancti docent, quia ex parte diligimus nunc; et ideo ipsa evacuabitur, in quantum ex parte est, quia tolletur imperfectio, et addetur perfectio; remanebitque *ipsa* aucta et *actus* eius et *modus diligendi*, ut diligas Deum propter se ex toto corde et proximum tuum sicut te ipsum, sed *imperfectionis mo-*

---

[1] Tract. 8. n. 9. — Gregorii locus est X. Moral. c. 21. n. 39, et alluditur ibi ad Cant. 8, 6.

[2] Tract. 3. n. 12. Locus Bedae est in Evang. Ioan. 1, 33. — Pro *Notandum, quod* codd. A B D E cum pluribus edd. *Notandumque quod* [alii *quia*], sed originale Bedae: *Notandum ergo quod*; deinde pro *et mirabiliter* codd., excepto C (qui habet *et ut*) et pluribus edd., *ut mirabiliter.*

[3] Libr. I. in Ezech. hom. 5. n. 11; cfr. II. Moral. c. 56. n. 91.

[4] In II. Epist. ad Cor. 6, 6. (inter eius opera). — Paulo inferius pro *Haec... videntur* edd. 1, 8 *Hoc... videtur.* Cod. Erf. *Hae auctoritates,* annotat vero: Alii: *Haec.*

[5] Respicitur Luc. 10, 20; Ioan. 6, 67. — Inferius pro *praescripti* codd. C D E et ed. 1 *scripti.*

[6] In Rom. 9, 13. 14, sed prima verba leguntur tantum in Glossa. De Saul cfr. I. Reg. 11, 6; de Iuda Luc. 10, 20. — Pro *secundum quod* plures edd. *propter quod.*

[7] Quae sequuntur contracta sunt ex Gregor. II. in Ezech. hom. 3. n. 4. 5. — Parabola memorata legitur Marc. 4, 26. — Pro *Si ergo* edd. 1, 8 bene *Etsi ergo.*

[8] Serm. 270. (in appendice; alias 8. inter quinquaginta Homil.) n. 1. — Locus Scripturae est I. Tim. 6, 10.

[9] Epist. I. Cor. 13, 8.

[10] Cap. 2, 2, apud Lyranum in Glossa. Ipse Hesychius ibi de cognitione Dei in patria ait: « Quae eam quae nunc est, non ut contrariam destruit, sed partem eam minimam esse, per suam plenitudinem monstrat ». Deinde citat. I. Cor. 13, 9.

dus eliminabitur. *Fides* vero et *spes* penitus evacuabuntur; *scientia* vero secundum *actum* et *modum* suum, qui nunc est, non secundum sui *essentiam* tolletur. Ipsa enim virtus scientiae remanebit, sed alium tenebit usum et modum.

CAP. III.

Si Christus ordinem diligendi servavit, quem nos.

Nunc iam superest investigare, si Christus, secundum quod homo, ordinem diligendi praescriptum [1] servaverit. Quod si est, omnem hominem sicut se ipsum dilexit. Omnibus ergo vitam optavit, *omnesque salvos fieri voluit;* sed non omnes salvi sunt: et ita non est factum quod optavit. — Sed non est ignorandum, in eo Resp. fuisse caritatem iuxta modum patriae, non viae, eumque ordinem diligendi implesse, qui servatur in patria, non in via. Qui enim in patria sunt, id est iam beatificati sunt, adeo iustitiae Dei addicti sunt, ut nihil eis placeat, nisi quod Deo placet; ac per hoc illorum tantum salutem diligunt et [2] volunt, quos Deus salvari vult, eosque solos sicut se diligunt. Ita et Christus Dubium 3. electos tantum sicut se dilexit eorumque salutem optavit.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXI.

De caritate quantum ad durationem.

Illud quoque praetermittendum non est etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de caritate quantum ad definitionem et diligibilium distinctionem et diligendi ordinem et meriti perfectionem; in hac vero quinta parte agit de caritatis duratione. Et quoniam contingit tripliciter loqui de duratione caritatis, videlicet per comparationem ad peccatum sibi oppositum, et per comparationem ad habitus aliarum virtutum, et per comparationem ad statum gloriae futurum, in quo statu habuit eam Christus; ideo dividitur pars ista in partes tres. In quarum prima inquirit Magister, utrum caritas possit per peccatum amitti. In secunda determinat, qualiter spes et fides [1] habeant evacuari, ibi: *Advertendum est, quomodo fides et spes* etc. In tertia parte inquirit, utrum ordo, qui inest caritati in via, in Christo et in aliis Beatis habeat inveniri, ibi: *Nunc iam superest investigare* etc.

Prima pars dividitur in partes tres. In quarum prima adducit auctoritates ad ostendendum, quod caritas non possit tolli per peccatum. In secunda vero inducit auctoritates ad oppositum, ibi: *Haec innuere videntur, quod caritas* etc. In tertia vero subiungit explanationes illarum auctoritatum, ex quibus concludebatur falsum propter intellectum perversum, ibi: *Quod vero Apostolus ait* etc. Aliarum vero partium subdivisio satis manifesta est in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio circa tria secundum tria, quae Magister determinat.

Primo enim quaeritur de duratione caritatis per comparationem ad peccatum sibi oppositum.

Secundo vero quaeritur de eadem per comparationem ad habitus aliarum virtutum.

Tertio quaeritur de ipsa per comparationem ad statum gloriae futurum.

Circa primum quaeruntur tria.

Primum est, utrum caritas semel habita possit amitti.

Secundo quaeritur, utrum amittens caritatem possit resurgere in caritate aequali.

Tertio quaeritur, utrum possit resurgere in minori.

ARTICULUS I.

De duratione caritatis per comparationem ad peccatum sibi oppositum.

QUAESTIO I.

Utrum caritas semel habita possit amitti.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum caritas semel habita possit amitti. Et quod non, adducit Magister multas *auctoritates* in littera [2]; et hoc ipsum ostenditur *ratione.*

1. Haec enim est per se vera: amor unit [3], ergo Ad oppositum. maior amor magis unit; sed amor caritatis est excellentior amor, quam sit amor naturalis: ergo excellentius unit. Sed naturalis amor unit indissolubi-

---

[1] Cfr. supra d. XXIX. — Infra alluditur ad I. Tim. 2, 4. — Pro *salvi sunt* Vat. et edd. 4, 6, 9 *salvi fiunt.*

[2] Edd. 4, 8 et codd. DE omittunt *diligunt et;* deinde pro *vult* edd. 4, 8 *voluit.*

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Edd. subiungunt *et scientia.* [2] Hic c. 1.

[3] Secundum Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 15. — Inferius pro *excellentior amor* edd. *excellentior multum.*

liter, quia nullus unquam odit quod naturaliter amat: ergo multo fortius amor caritatis indissolubiliter unit: ergo qui caritatem habet non potest vinculo caritatis privari.

2. Item, fortior est caritas in bono, quam sit aliquod peccatum in malo [1]; sed magis forte non potest destrui per minus forte: ergo caritas non potest expelli per peccatum; nec per aliud habet expelli: ergo semel habita non potest amitti.

3. Item, omne peccatum ortum habet vel ex *timore* male humiliante, vel ex *amore* male incendente; sed in eo, in quo est caritas, nec est timor male humilians nec amor male incendens, quia dicit Bernardus [2]: « Nunquam est caritas sine *timore*, sed casto; nunquam sine *cupiditate*, sed ordinata »: ergo videtur, quod in eo, in quo est caritas, nulla possit esse culpa: videtur ergo, quod caritas, ex quo semel habetur, nunquam amittatur.

4. Item, liberum arbitrium in eligendo semper sequitur affectionem praedominantem [3]; sed in omni homine habente caritatem affectio caritatis praedominatur, cum faciat eum diligere Deum propter se et super omnia: ergo liberum arbitrium, ex quo semel habet caritatem, nunquam movetur contra caritatem. Sed nunquam amittit caritatem, nisi moveatur contra ipsam: ergo ex quo caritas semel inest homini, videtur, quod non possit ab eo perdi nec separari.

5. Item, omnis qui habet caritatem, habet Christum pro fundamento et Spiritum sanctum pro adiutorio; sed nihil potest firmitatem fundamenti infringere nec virtutem divini adiutorii superare: ergo videtur, quod nihil possit caritatem ab homine expellere [4].

Fundamenta. Sed contra hoc ostenditur: 1. Primo per *exempla veteris Testamenti*. Constat enim, quod Saul caritatem habuit, cum de eo scribatur [5], quod *non erat vir in Israel melior eo;* similiter et David caritatem habuit, cum de eo dicat Dominus: *Inveni virum secundum cor meum;* et constans est, quod uterque caritatem perdidit, quia uterque mortaliter peccavit: Saul in persequendo David, David vero in committendo adulterium et homicidium: ergo etc.

2. Item, hoc ipsum ostenditur per *exempla novi Testamenti:* quia discipuli Domini caritatem habuerunt, tam Apostoli quam alii discipuli electi; sed *multi de discipulis abierunt retro,* secundum quod dicitur Ioannis sexto [6]; multi etiam de Apostolis dubitaverunt in fide, secundum quod habetur Matthaei ultimo, et similiter ultimo Marci, et similiter ultimo Lucae: ergo caritatem habitam perdiderunt: ergo caritas semel habita potest perdi.

3. Item, hoc ipsum ostenditur per *auctoritates:* quia scribitur primae ad Corinthios decimo [7]: *Qui stat videat, ne cadat;* et Apocalypsis secundo: *Habeo adversum te* pauca, *quod caritatem primam reliquisti:* ergo caritas semel habita potest perdi et deleri.

4. Item, hoc ipsum probatur manifesto *experimento:* quia parvuli, qui baptizantur, habent gratiam, et ita caritatem et virtutes ceteras [8]; et tamen, quando veniunt ad adultam aetatem, caritatem perdunt peccando, sicut planum est: ergo caritas, postquam habetur, amittitur.

5. Item, hoc ipsum ostenditur *rationali argumento.* Facilius est deficere quam proficere, et cadere quam resurgere; facilius est etiam perdere caritatem quam fidem, quia, perdita fide, perditur caritas, sed non convertitur [9]; sed possibile est, hominem, qui non habet caritatem, caritatem acquirere, possibile etiam est, hominem habentem fidem a fide recedere: ergo multo fortius possibile est, hominem habentem caritatem a caritate cadere.

CONCLUSIO.

Error est et insania dicere, quod caritas semel habita non possit amitti.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Magister in littera [10], quorundam opinio et sententia fuit, quod caritas semel habita nunquam amittatur; et hoc posuerunt propter perfectionem illius *vin-* Error quorundam.

---

[1] Cfr. tom. II. pag. 920, nota 4.

[2] De Diligendo Deo, c. 14. n. 38. — *Maior* est secundum August., de quo vide tom. II. pag. 146, nota 7. — Post *quia* cod. U addit *ut*.

[3] Cfr. Aristot., IX. Metaph. text. 10 (VIII. c. 5.). — Inferius pro *movetur* edd. *habet moveri*.

[4] August., Enarrat. in Ps. 26. enarrat. 2. n. 5: Potest [aliquid] mihi auferre quod dat Omnipotens? Sicut non vincitur qui dat, sic non aufertur quod dat. Si auferri potest datum, vincitur dator. — Vat. voci *fundamenti* praefigit *talis*.

[5] Libr. I. Reg. 9, 2. — Seq. testimonium habetur Act. 13, 22; cfr. I. Reg. 13, 14; — Superius pro *ostenditur* cod. K *opponitur*, codd. V Z bb et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 73. a. 1. *obiicitur*.

[6] Vers. 67; Matth. 28, 17; Marc. 16, 14. seqq.; Luc. 24, 11. et 41.

[7] Vers. 12. — In seq. testimonio, quod est Apoc. 2, 4, Vulgata omittit *pauca* (exhibet hanc vocalam ibid. v. 14.). — Paulo inferius pro *deleri* cod. K *amitti*.

[8] Vide IV. Sent. d. 4. p. II. a. 2. q. 2.

[9] Cfr. supra lit. Magistri, d. XXIII. c. 8, et d. 27. a. 1. q. 4. — De *maiori* vide supra pag. 499, nota 2. — Quantum ad arg. ipsum, Bernardus idem dicit in Tract. de moribus et offic. episc. c. 4. n. 14, commentans illud Luc. 8, 13: *Et hi radices non habent, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* Recedunt ergo, ait, quidam a fide, quia Veritas asserit; consequenter et a salute, quia Salvator redarguit; inde nos colligimus, quod et a caritate, sine qua salus esse non potuit. — In *minori* ex codd. A bb posuimus *caritatem* ante *acquirere*, quod alii codd. et edd. 1, 2 omittunt. Vat. pro *caritatem* substituit *eam*. In fine arg. pro *cadere* cod. W exhibet *recedere*.

[10] Hic c. 1. — Mox pro *amittatur* non pauci codd. *amittitur*.

culi et ardorem sive fervorem illius *amoris*. Crediderunt enim, illud *vinculum* esse tantae perfectionis, quod nullo agente posset dissolvi; et illum *amorem* esse tanti fervoris, quod nullo modo posset exstingui propter dignitatem et excellentiam ipsius caritatis. Et hoc affirmare nixi sunt auctoritate multiplici, sicut in ipso textu Magister satis aperte dicit. — Sed haec positio non [1] opinio nec rationalis sententia, immo *error* et *insania* potius est dicenda, quia repugnat *sacrae Scripturae*, repugnat *experimento* nostrae fidei, repugnat nihilominus *rationi rectae*. *Sacrae Scripturae* et etiam *experientiae* repugnat, sicut in opponendo [2] monstratum est. A *ratione* autem *recta* dissonat, si quis attendat, pro eo quod recta ratio dictat, quod caritas viae non tollit a libero arbitrio vertibilitatem ad malum, sicut nec cupiditas tollit habilitatem ad bonum. Simul ergo stat vertibilitas et caritas; sed ubi est vertibilitas, ibi potest esse culpa; et ubi potest esse culpa, ibi tam caritas quam gratia potest abesse: restat igitur, quod secundum dictamen rationis rectae caritas perdi potest in statu viae. — Unde concedendae sunt rationes ad hanc partem inductae.

Conclusio.

Ratio triplex.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod excellentius unit amor caritatis quam amor naturalis; dicendum, quod verum est; sed tamen ex hoc non sequitur, quod indissolubilius uniat, quia *excellentia unionis* non tantum attenditur secundum *unionis inseparabilitatem*, quantum attenditur secundum *habitus unientis* [3] et *obiecti* sive termini *dignitatem*. Unde ratio illa non valet. Sed *si tu quaeras*, unde hoc est, quod amor naturalis unit inseparabiliter, et amor caritatis non; dicendum, quod hoc est, quia *caritas* est habitus regulativus et directivus voluntatis *deliberativae*, quae est ad opposita secundum statum viae. *Amor* vero *naturalis* respicit ipsam *inclinationem naturae*, quae est ad unum determinata [4]. Ideo dilectum ex caritate potest esse odiosum propter voluntatis vertibilitatem, quamvis quod naturaliter diligitur semper sit amabile propter ipsius naturae determinationem. Unde non est simile hinc inde.

Solutio oppositorum.

Notandum.

Quaestio incidens solvitur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod caritas est fortior peccato; dicendum, quod amissio caritatis non est propter hoc, quod peccatum agat in ipsam, eam expellendo, sicut una forma naturalis expellit aliam; sed hoc est, quia, cum *esse* caritatis dependeat a duobus, videlicet a Deo influente et a libero arbitrio suscipiente; cum liberum arbitrium se a Deo avertit, caritas in semetipsa deficit. Et quia liberum arbitrium non se avertit nisi peccando, hinc est, quod caritas dicitur per peccatum expelli, non propter fortitudinem ipsius peccati agentis, sed propter defectionem ipsius liberi arbitrii suscipientis [5].

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod omne peccatum est ex amore male inflammante, vel timore male humiliante; dicendum, quod illud dupliciter potest intelligi: aut quod illae duae radices praecedant omne peccatum perpetratum exterius *tempore*, aut quia praecedant *origine* [6]. Si quia praecedant *tempore*, sic non oportet esse generaliter verum, quia ante primum peccatum nullum istorum fuit in primo homine. Si quia praecedant *origine* ipsam perpetrationem peccati, sic habet veritatem, quia nemo peccatum perpetrat nisi malo affectu *amoris*, vel malo affectu *timoris*. Quamvis autem huiusmodi affectus non sint in homine habente caritatem in *actu*, *possunt* tamen inesse, quia liberum arbitrium, quod est rectum per caritatem, incurvari potest per cupiditatem.

Duplex sensus.

Distinctio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod liberum arbitrium in eligendo sequitur affectionem praedominantem; dicendum, quod est affectio praedominans *in habitu*, et est affectio praedominans *in actu*. Cum ergo dicitur, quod liberum arbitrium sequitur affectionem praedominantem; hoc non intelligitur de affectione praedominante *in habitu*, sed de praedominante *in actu*. Quamvis autem in homine habente caritatem affectio caritatis praedominetur *in habitu*; contingit tamen, affectionem carnalem praedominari *actu*; quia frequenter homo, qui est in gratia, eorum quae Dei sunt, oblitus, omnino *cogitat quae sunt mundi* [7]; et sic afficitur, quasi non esset civis illius supernae Ierusalem; et dum istam affectionem sequitur, cadit in praecipitium perditque gratiae donum et caritatis habitum.

Affectio praedominans dicitur dupliciter.

Notandum.

5. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod habenti caritatem Christus est fundamentum, et Spiritus sanctus est in adiutorium; dicendum, quod verum est; sed sic Christus est *fundamentum*, quod non sustentat nisi volentem sibi *inniti*, et Spiritus sanctus non *gubernat* in *esse* gratuito nisi volentem sibi *cooperari*. Et ideo, quamvis illud *fundamentum* sit immobile, et *adiutorium* illud sit invincibile, tamen, quia liberum arbitrium ex sua defectibilitate recusat *inniti illi fundamento* et *cooperari illi adiutorio*, peccando deficit in se ipso, ac per hoc privatur caritatis dono propter defectum a parte sui, non propter defectum a parte fundamenti, vel adiutorii.

Axioma.

---

[1] Edd. auctoritate aliquorum codd. hic male inseruerunt *est*.

[2] Scil. in fundamentis. — Subinde pro *A ratione autem* codd. A Z bb habent *A ratione etiam*.

[3] Edd. cum pluribus codd. perperam *unitatem*

[4] Cfr. Aristot., IX. Metaph. text. 3. seq. et text. 16. (VIII. c. 2. et 5.).

[5] Vide supra d. 30. q. 1. ad 3. pro parte affirm., et II. Sent. d. 26. q. 4. ad 5. — Pro *defectionem* edd. et nonnulli codd. *defectum*.

[6] De prioritate *temporis* et *originis* vide Aristot., de Praedicam. c. *de Priori* (cfr. pag. 575, nota 1.), et V. Metaph. text. 16. (IV. c. 11.).

[7] Epist. I. Cor. 7, 34.

SCHOLION.

I. Quod gratia habitualis cum caritate in statu viae perdi possit et reapse quolibet peccato mortali perdatur, definitum est ab ipsa Ecclesia pluribus decretis, praesertim can. 23. sess. VI. Concilii Tridentini: « Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse iustificatum... a. s. ». — Egregia est doctrina, quam auctor in omnibus solutionibus oppositorum profitetur; praesertim est notandum (ad 5.), quod licet adiutorium Spiritus S., voluntati oblatum, sit efficacissimum, immo *invincibile* in se, nihilominus liberum arbitrium potest in actibus suis deficere, scilicet propter defectum a parte ipsius voluntatis.

De eadem quaestione: Scoti loci collecti apud Hieron. de Montefortino, Sum. t. II.. q. 24. a. 11. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. II. II. q. 24. a. 11; Qq. disp. de caritate, a. 12. 13. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., I. Sent. d. 17.

II. Ad seqq. duas quaestiones (2. 3.) etiam S. Thom. (hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 1-3; cfr. S. II. q. 89. a. 3.) cum S. Bonav. respondet: « Oportet dicere, sicut et communiter dicitur, quod aliquis potest post peccatum in *maiori* et in *minori* et *aequali* caritate resurgere ». Idem sentiens, de hac re diffuse iam tractavit Guliel. Antissiod. (S. p. III. tr. 6. c. 5.).

De his duabus quaestionibus unitis: B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Henr. Gandav., Quodl. 5. q. 24. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 4.

QUAESTIO II.

Utrum cadens a caritate possit resurgere in aequali.

Secundo quaeritur, utrum a caritate cadens possit resurgere in aequali. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Primo per *vetus Testamentum*. Malachiae tertio [1]: *Placebit Deo sacrificium Iuda et Ierusalem, sicut dies saeculi et sicut anni antiqui;* Glossa: « Quomodo in principio placuerunt, ita post peccatum per poenitentiam placere coeperunt »; et hoc ipsum habetur expresse in Glossa super illud Levitici septimo [2]: *Haec est hostia pro delicto;* Glossa: « Aeque placet Deo virtus iustorum et digna poenitentia peccatorum, quae restituit in gradum pristinum »: ergo potest homo resurgere in aequali caritate.

2. Item, hoc ipsum probatur per *novum Testamentum*. Scribitur enim ad Romanos quinto [3]: *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia;* et Lucae decimo quinto: *Cito proferte ei stolam primam;* ibi Glossa: « Pristinae dignitati filium restituit »; sed non restituitur in pristinam dignitatem, nisi habeat aequalem caritatem: ergo etc.

3. Item, hoc ipsum ostenditur per *exemplum:* quia David post peccatum homicidii resurrexit devotior, et Petrus post negationem resurrexit fortior, secundum quod dicunt auctoritates Sanctorum, et Scriptura [4] innuit: ergo videtur, quod similiter in aliis esse possit.

4. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione*, quia, cum gratia infunditur homini peccatori, peccatum deletur secundum veritatem et secundum Dei reputationem [5]: ergo nullum praestat infusioni ipsius gratiae impedimentum; nec est aliud, quod impediat, quare non possit dari tanta gratia homini, quanta prius: ergo videtur, quod homo possit in aequali caritate resurgere.

Sed contra: 1. Amos quinto [6]: *Non adiiciet,* Ad oppositum. *ut resurgat virgo Israel;* Glossa: « Non negat, quin possit resurgere, sed ne possit resurgere *virgo;* quia semel aberrans, et si reportetur humeris pii pastoris, non habet tantam gloriam cum eo qui nunquam erravit ».

2. Item, Ezechielis quadragesimo quarto [7]: *Levitae, qui longe recesserunt a me, non approximabunt ad me, ut sacerdotio fungantur mihi:* si ergo Deus peccatores et poenitentes non recipit ad dignitatem sacerdotalem, videtur, quod resurgentes non possint habere caritatem aequalem.

3. Item, gratia gratis data nunquam tantum potest disponere ad susceptionem divinae influentiae et capacitatem divinae bonitatis, sicut gratia gratum faciens; sed iustus, antequam cadat, habet gratiam gratum facientem; peccator, antequam resurgat, non habet nisi gratiam gratis datam: ergo amplius dispositus est homo ad susceptionem divinae gratiae, antequam cadat, quam postquam cecidit. Si ergo Deus

---

[1] Vers. 4. — In Glossa, quae petita est ex Hieronymi exposit. in hunc loc., cod. E cum textu origin. post *placuerunt* addit *Deo*.

[2] Vers. 1: Haec quoque lex hostiae pro delicto. — Glossa habetur apud Lyranum (ad v. 2.) ut *interlinearis*.

[3] Vers. 20. — Seq. Script. locus est Luc. 15, 22. — Glossa sumta est ex Bedae exposit. in cap. cit. 2. 19: Pristinae filiorum restituit dignitati.

[4] Libr. II. Reg. 12, 13. seqq.; Matth. 26, 75. Cfr. Ambros., I. Apologia prophetae David, c. 2. n. 5. seqq. et c. 8. n. 43; Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 21. n. 4; homil. 25. n. 9; homil. 30. n. 8; Chrysost., Orat. 8. adversus Hebr. n. 3; Beda, in Ps. 50, 1. seqq. et in Ps. 91. n. 4.

[5] Cfr. IV. Sent. d. 17. p. I. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1. seqq.

[6] Vers. 1. seq. Vulgata sic distinguit duas propositiones: ut resurgat. (v. 2.) Virgo Israel proiecta est etc. — Glossa, quae est *ordinaria*, delibata est ex Hieronymi Comment. in hunc locum. — Pro *non habet* edd. *non tamen habet*.

[7] Vers. 10. et 13. — Paulo inferius pro *resurgentes non possint* codd. F I L N *resurgens non possit*.

communicat homini gratiam et caritatem, secundum quod homo est dispositus [1]: videtur, quod maiorem habeat homo caritatem, quando stat, quam quando resurgit: ergo videtur, quod non possit resurgere in caritate aequali.

4. Item, cum sit triplex status continentiae, scilicet virginalis, vidualis et coniugalis, cadens a primo statu nunquam potest ad primum statum resurgere [2]: ergo si innocentia baptismalis est sicut continentia virginalis, videtur, quod cadens ab illo statu nunquam poterit in aequali resurgere: ergo non potest homo resurgere in aequali caritate.

CONCLUSIO.

Possibile est, quod homo post amissionem caritatis resurgat in aequali caritate.

Respondeo: Dicendum, quod possibile est, ho- Conclusio. minem in aequali caritate resurgere, sicut monstrari potest auctoritatibus et exemplis et rationibus congruis, secundum quod in opponendo [3] tactum fuit. — Sive enim dicamus, quantitatem gratiae mensurari secundum *divinam largitatem*, sive secundum *suscipientis idoneitatem*, recte contingit intelligere, quod caritas, in qua quis resurgit, potest esse aequalis illi caritati, a qua prius cecidit. Nam ex parte *divinae largitatis* planum est. Ad eius enim commendationem spectat, ut non minus larga dona tribuat homini, quam ante tribuebat, secundum quod dicit Augustinus [4], nisi ineptitudo suscipientis impediat. — Ex parte vero *hominis se disponentis* satis planum est; possibile est enim, ut homo post peccatum amplius detestetur malum et abhorreat peccatum quam prius; sicut multi corrupti amplius detestantur peccatum carnis quam multi, qui nunquam fuerunt lapsi. — Et sic rationabiliter poni potest et debet, quod contingat hominem resurgere in aequali caritate; et rationes, quae hoc ostendunt, concedendae sunt. Ratio duplex.

1. Ad illud quod primo obiicitur, quod nun- Solutio oppositorum. quam resurgit virgo nec habet tantam gloriam cum eo qui nunquam peccavit; dicendum, quod est Duplex gloria. gloria quaedam *accidentalis* et gloria *praemii substantialis*. Si loquamur de gloria *accidentali*, sic Glossa illa habet veritatem. Quaedam enim gloria est, qua quis gloriatur, se nunquam peccasse, in quam non poterit resurgere qui aliquando peccavit [5]. Si loquamur de gloria *praemii substantialis*, quae consistit in videndo et amando Deum, non habet veritatem; et penes hanc attenditur quantitas caritatis, non penes aliam. Et ideo ratio illa non cogit.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Levitae recedentes a Domino inepti erant ad dignitatem sacerdotalem; dicendum, quod *sacerdotalis dignitas* non Notandum. tantum respicit *rectitudinem voluntatis*, sed etiam *dignitatem exterioris decoris*, propter quam contingit, hominem etiam non peccantem fieri irregularem [6]. *Caritas* vero *rectitudinem voluntatis* respicit proprie et praecise. Et propterea ratio illa non valet, quia non est simile hinc inde.

3. Ad illud quod obiicitur, quod nunquam disponitur homo per gratiam gratis datam sicut per gratiam gratum facientem; dicendum, quod ad hoc, quod quis se disponat, duo concurrunt, scilicet Duo in dispositione ad gratiam. *adiutorium gratiae* et *cooperatio liberi arbitrii* [7]. Loquendo de dispositione, quantum est ex parte ipsius *gratiae*, magis est dispositus ad susceptionem omnis boni, qui est in gratia gratum faciente, quam qui illa caret. Sed loquendo de *cooperatione liberi arbitrii*, non semper habet veritatem, quia in *cadente* a caritate liberum arbitrium caritati et gratiae non cooperatur, immo potius adversatur et adversando potius disponit ad caritatis defectionem quam ad eius susceptionem; sed in *resurgente* est e contrario, sicut patet. Et ideo ratio illa non valet.

4. Ad illud quod obiicitur de continentia virginali, dicendum, quod meritum illius continentiae respicit praemium *accidentale* de se, et simul cum hoc respicit quandam *dispositionem in carne*, quae cum amissa est, recuperari non potest; caritas vero praemium *substantiale* respicit et *rectitudinem voluntatis*, quae, cum obliquata est, ita bene ut prius cum adiutorio gratiae Dei potest rectificari. Et sic patet, quod non est simile. — Et si obiiciat ulterius, quod innocentia baptismalis similis est statui continentiae virginalis; dicendum, quod quantum ad quandam gloriam *accidentalem* quodam modo similis est; et de illa potest concedi, quod homo in tanta gloria non resurgit; ex hoc tamen non oportet, quod caritas non sit aequalis. — De hoc autem eodem problemate habetur in libro quarto distinctione decima quarta [8], ubi quaeritur, utrum perfecta poenitentia in statum pristinum hominem restituat [9].

---

[1] Math. 25, 15: Et uni dedit quinque talenta... unicuique secundum propriam virtutem.

[2] Hieronym., Epist. 22. ad Eustoch. n. 5: Cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam. — Pro *ad primum* cod. K *ad pristinum*, edd. 1, 2 *ad ipsum*, Vat. *ad ipsum primum*.

[3] Scil. in fundamentis.

[4] Epist. 153. (alias 54.) c. 3. n. 7; vide IV. Sent. lit. Magistri, d. XIV. circa finem.

[5] Cfr. I. Sent. d. 42. q. 3. — Supra pro *in quam* (ita codd. A E I K L T et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 73. a. 2.) in aliis *in qua*, subinde pro *non poterit* cod. A *nunquam poterit*.

[6] Incurritur irregularitas ob defectum tam corporis quam animi. — Pro *fieri* cod. Z *esse*.

[7] Cfr. II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. et 3.

[8] Partis II. a. 2. q. 1. et 2. — Superius pro *Et si obiiciat* codd. I L W *Et si obiicias*.

[9] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

Utrum homo possit resurgere in caritate minori.

Tertio quaeritur, utrum homo possit resurgere in caritate minori. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia quantitas caritatis in ipso homine attenditur secundum liberalitatem Dei; sed Dei liberalitas non est arctata ipsi peccatori ad dandum *tantum*, nec plus nec minus: ergo sicut potest resurgere in maiori, ita et in minori.

2. Item, Deus dat homini gratiam, secundum quod se praeparat et disponit[1]; sed possibile est, quod peccator, cum resurgit, minus se praeparet ad gratiam, quam ante se praeparaverat: ergo possibile est, quod in minori caritate et gratia resurgat.

3. Item, caritas praecedens nihil meretur respectu caritatis subsequentis[2], item culpa, quantum est de se, expelli potest per quantulamcumque gratiam: igitur nec caritas praecedens nec culpa subsequens exigit, quod homo in aequali caritate vel gratia resurgat: ergo possibile est, ipsum resurgere in minori.

4. Item, si homo non posset resurgere in minori caritate, tunc cadens a caritate perfecta non posset resurgere nisi in caritate perfecta; sed caritas, cum resurgit, est incipiens: ergo simul est incipiens et perfecta; quod manifeste falsum est, cum « nemo repente fiat summus[3] », et ante statum perfectionis necessario praecurrat status imperfectus et inceptionis.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Ezechielis decimo octavo[4]: *Si impius egerit poenitentiam, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor;* constat, quod non intelligit de oblivione quantum ad actum cogitandi, sed quantum ad actum puniendi; sed homo non punitur solum per inflictionem mali, sed etiam per subtractionem boni: si ergo Dominus non recordatur illorum peccatorum ad poenam aeternam; cum diminutio caritatis faciat ad diminutionem praemii substantialis et ita ad damnum aeternum, videtur, quod necessarium sit, hominem in aequali caritate, vel in maiori resurgere.

2. Item, ad Romanos octavo[5]: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum;* Glossa: « Ipse etiam casus in mortale »; sed casus in mortale peccatum non cooperaretur in bonum, nisi homo resurgeret in aequali, vel in maiori caritate: videtur ergo, quod necessarium sit, hominem in aequali caritate, vel maiori resurgere.

3. Item, super illud Genesis primo[6]: *Factum est vespere et mane dies unus;* Glossa: « Vespertina lux est, a qua quis cecidit; matutina, in qua resurgit »: si ergo lux matutina semper maior est vespertina, videtur, quod maior sit caritas, in qua quis resurgit, quam caritas, a qua cecidit.

4. Item, maioris virtutis est quod pellit, quam quod pellitur; sed caritas, in qua quis resurgit, pellit illud quod expulit caritatem, a qua quis cecidit: ergo necesse est, caritatem subsequentem maiorem et fortiorem esse illo quod caritatem expulit, et per consequens ipsa caritate, a qua quis cecidit.

CONCLUSIO.

Possibile est, quod homo, amissa caritate, resurgat et in maiori et in minori et in aequali caritate.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod aliquorum aliquando fuit opinio, Opinio 1. quod necesse erat, hominem resurgere in *aequali*, vel *maiori* caritate. Et ad hoc ponendum moti sunt Triplex ratio. tum ex consideratione *divinae dispositionis* sive praedestinationis, tum ex consideratione *divinae retributionis*, tum ex consideratione *nostrae praeparationis*. Ex consideratione namque *divinae praedestinationis* moti sunt: quia dixerunt, quod *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt Sancti*[7]; ideo divinae praedestinationis immutabilitas nequaquam sineret hominem labi a caritate, nisi ex lapsu illo videret subsequentem utilitatem; nec regimen divinae providentiae filium regni permitteret cadere, nisi ex hoc simul praevideret[8] maius bonum ex ipso casu elicere. — Ex parte vero *retributionis* ratio- Prima. Secunda.

---

[1] Cfr. supra pag. 677, nota 1.

[2] Vide II. Sent. d. 27. a. 2. q. 1.

[3] Gregor., II. Homil. in Ezech. hom. 3. n. 3. Cfr. verba Bernardi tom. II. pag. 984, nota 3. allata. — Deinde pro *imperfectus* cod. Z *imperfectionis*, codd. G I T U V X *profectus*, quod multi codd. male mutaverunt in *perfectus*.

[4] Vers. 21. seq. Post *poenitentiam* Vulgata plura addit. — Inferius pro *cum diminutio caritatis faciat* plurimi codd. minus congrue *et diminutio caritatis faciat, Supplement.* Alex. Hal. collat. 73. a. 3. rectius *et diminutio caritatis facit.*

[5] Vers. 28. — Apud Petr. Lombardum Glossa in hunc locum, ex August., de Corrept. et gratia, c. 9. n. 24, sic sonat: Talibus Deus diligentibus eum [i. e. qui perseverant usque in finem] omnia cooperatur in bonum, usque adeo prorsus omnia, ut etiamsi qui eorum deviant et exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. — Inferius pro *hominem* cod. K *homini.*

[6] Vers. 5, quibus verbis August., I. de Gen. ad lit. c. 17. n. 33, glossando adiicit: « Ut per hoc, quod facta est vespera, peccatum rationalis creaturae, quod autem factum est mane, renovatio eius significata videatur ». — Pro veriore scriptura *a qua quis cecidit*, quam in cod. U invenimus, cui etiam B. Albert., S. Thom. et Petr. a Tar. favent, cod. G habet *qua quis cecidit*, alii codd. et edd. *in qua quis cecidit.*

[7] Rom. 8, 28. — Paulo superius pro *nostrae praeparationis* edd. cum pluribus codd. *nostrae reparationis.* Idem vitium recurrit aliquanto inferius.

[8] Codd. G bb *provideret.*

nem sumserunt, quia Deus opera remunerat secundum quantitatem caritatis, ex qua sunt facta [1]. Si ergo caritas, in qua quis resurgit, vivificat opera prius mortua et facit ea remuneratione digna; cum remuneratio adaequetur quantitati caritatis, ex qua opera facta sunt, nec possit excedere quantitatem caritatis, in qua quis resurgit: ratiocinantur ex hoc, quod impossibile sit, minorem caritatem esse in re- Tertia. surgente, quam prius fuerit in cadente. — Ex parte *nostrae praeparationis* ratiocinantur sic: quia, quanto homo magis est ineptus ad gratiam, tanto maiori indiget praeparatione ad hoc, ut ipsam suscipiat; sed quanto a maiori gratia cecidit, tanto magis peccavit et magis ad gratiam ineptus fuit [2]. Restat igitur, ut asserunt, quod quantitas praeparationis debeat proportionari quantitati caritatis, a qua quis cecidit; et quantitas caritatis sequentis mensuratur secundum quantitatem praeparationis: propter quod consequi videtur, quod caritas subsequens adaequetur praecedenti, vel eam excedat. Et hoc confirmant per illud Baruch quarto [3]: *Sicut fuit sensus vester, ut erraretis a Domino, decies tantum iterum revertentes invenietis eum;* et Isaiae trigesimo primo: *Convertimini, filii Israel, sicut in profundum recessistis.*

Sed hic modus dicendi est contra *rationem*, et Reprobatur tripliciter. *sensibile experimentum*, nec habet stabile *fundamentum*. Contra *rationem* enim est dicere, quod perfectus, si cadat a caritate, non possit resurgere nisi in statu et complemento perfectionis suae; et de multis *apparet*, quod cadentes non resurgunt ad illam perfectionem, a qua ceciderunt. Stabile etiam Rationes 4. *fundamentum* non habet, quia divinae praedestinationis *dispositio* non exigit, quod homo semper procedat in bono, sed quod sit finaliter bonus. Dei etiam *retributio* non pensat quantum ad meriti efficaciam caritatem *initialem*, sed caritatem *finalem*. Nostra etiam *praeparatio* ad gratiam potest esse maior in eo qui minus peccavit, et minor in eo qui magis peccavit. Et *verba illa prophetica* non intelliguntur de quacumque praeparatione, sed de praeparatione *perfecta* et poenitentia consummata, quae restituit omnia ablata, sicut in quarto libro explanatur distinctione decima quarta [4]; non autem habent veritatem de qualicumque poenitentia et conversione sive praeparatione. — Unde cum homo se praeparare possit ad maiorem et ad minorem et ad aequalem caritatem, communis tenet opinio, quod Conclusio. homo potest et in maiori et in minori et in aequali caritate resurgere. Et concedendae sunt rationes, quae sunt ad istam partem.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in con- Solutio oppositorum. trarium, quod Dominus non recordatur peccatorum post poenitentiam peccatoris; dicendum, quod hoc intelligitur quantum ad punitionem aeternam. Et quod gratia minor detur homini, quam fuerat praecedens, hoc non est propter peccatorum praecedentium punitionem, sed hoc est propter ipsius negligentem et tepidam praeparationem.

2. Ad illud quod obiicitur, quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; dicendum, quod illud non intelligitur, quia semper cooperentur in Notandum. bonum quantum ad *augmentum praemii substantialis;* sed hoc potest esse quantum ad quandam *humiliationem* et diligentiorem *boni conservationem* et cautiorem *mali vitationem*, quae adiuvant hominem ad hoc, quod perseveret usque in finem [5]. Et utilius est homini habere parvam caritatem usque in finem perseverantem quam magnam et in media via deficientem.

3. Ad illud quod obiicitur, quod maior est lux matutina quam vespertina; dicendum, quod caritas resurgens non comparatur luci matutinae propter magnitudinem, sed propter novitatem et ordinem ad proficiendum; et ideo in ratione illa peccatur *secundum consequens* [6], quia non est omnino simile hinc et inde.

4. Ad illud quod obiicitur, quod fortius est quod pellit, quam quod pellitur; dicendum, quod illud verum est de his quae pelluntur per mutuam actionem et passionem; sic autem non est de peccato et gratia, sicut explanatum fuit supra [7]; et ideo in nullo cogit ratio illa.

ARTICULUS II.

De duratione caritatis per comparationem ad habitus aliarum virtutum.

Consequenter quaeritur de caritatis duratione per comparationem ad habitus aliarum virtutum, quae evacuari dicuntur. Et circa hoc tria quaeruntur secundum triplicem habitum, quem dicit Magister [8] evacuandum.

Primo quaeritur de evacuatione fidei.

Secundo de evacuatione ipsius spei.

Tertio de evacuatione ipsius scientiae.

---

[1] Cfr. supra pag. 650, nota 2. — De vivificatione operum mortuorum vide IV. Sent. d. 14. p. II. a. 2. q. 3. — Paulo inferius cod. F voci *remuneratio* praefigit *praemium vel.* Deinde in fine eiusdem enuntiati pro *prius fuerit* multi codd. et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *prius fuerat.*

[2] Cod. A *est.* Fortasse legendum *fit.*

[3] Vers. 28; Vulgata: *Sicut... iterum convertentes requiretis eum.* — Seq. Scripturae locus est Isai. 31, 6; ibi Vulgata, quam sequitur Vat., *recesseratis* pro *recessistis.*

[4] Partis II. a. 2. q. 2. — Subinde pro *habent veritatem* codd. et edd. 1, 2, Vat. excepta, perperam *habet veritatem.* Paulo inferius pro *Unde* plurimi codd. *ut,* e quibus nonnulli (B C D) etiam deinde *esset opinio* pro *tenet opinio.*

[5] Cfr. dictum Augustini, supra pag. 678, nota 5. allatum. — Proxime post pro *Et utilius* edd. 1, 2 *Et melius,* Vat. *Et melius et utilius.*

[6] Vide supra pag. 99, nota 7.

[7] Quaest. 1. ad 2. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[8] Hic in lit. c. 2.

QUAESTIO I.

Utrum fides in gloria evacuetur.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum fides in gloria evacuetur. Et quod sic, videtur:

Fundamenta.

1. Quia, secundum quod dicit Apostolus [1], *fides est argumentum rerum non apparentium;* super quod dicit Gregorius, quod « quae apparent fidem non habent, sed agnitionem »: si ergo in patria cuncta quae nunc credimus, erunt manifesta; videtur, quod fides simpliciter erit evacuanda.

2. Item, Augustinus decimo quarto de Trinitate [2]: « Mens quippe humana, cum fidem suam videt, qua credit quod non videt, non aliquid sempiternum videt. Quando enim ad speciem nos per fidem perductos esse gaudebimus, non iam fides erit, qua credantur quae non videntur, sed species, qua videantur quae credebantur »: ergo etc.

3. Item, ratio evacuationis, quam assignat Apostolus, est imperfectio — ait enim [3]: *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* — sed constans est, quod cognitio fidei est *ex parte,* cum sit *per speculum* et *in aenigmate:* ergo necesse est, ipsam evacuari, superveniente visione speciei.

4. Item, credere manifestum non spectat ad habitum alicuius virtutis, cum simpliciter sit necessitatis; sed in patria cuncta quae credimus, manifestabuntur: ergo credere ibi non erit ab aliquo virtutis habitu. Sed habitus ipsius fidei, essentialiter loquendo, virtus est [4]: si ergo ibi auferetur ratio virtutis, necesse est, ipsum quantum ad essentiam suam evacuari et tolli.

Ad opposita.

Sed in contrarium arguitur primo a parte *ipsius fidei* evacuandae, deinde a parte *eius,* per quod fides habet *evacuari.* Ex parte ipsius *fidei* arguitur:

A parte fidei.

1. Primo ratione sui [5] *generis* sic. Fides est in genere virtutis simpliciter, et quod amplius est, in genere virtutis theologicae; sed virtus est perfectio potentiae, et theologica virtus est maior perfectio quam cardinalis; sed perfectio gloriae non tollit perfectionem potentiae nec evacuat eas quae sunt in genere virtutis cardinalis, quia virtutes illae, sicut dicit Augustinus [6], manebunt in patria: ergo cum fides non solum sit virtus, sed etiam virtus theologica; videtur, quod nullo modo sit per gloriam evacuanda.

2. Item, hoc ipsum ostenditur a parte *essentiae* et *definitionis* ipsius fidei: quia *fides* secundum Apostolum [7] *est fundamentum rerum sperandarum,* secundum Augustinum est « *illuminatio mentis* ad videndum Deum »; sed gloria adveniente, *fundamentum* spiritualis aedificii non destruitur, sed potius stabilitur, *illuminatio* non excluditur, sed potius perficitur et completur: ergo videtur, quod habitus fidei per gloriam non evacuetur.

3. Item, hoc ipsum ostenditur a parte *actus principalis.* Actus enim ipsius fidei principalis est *assentire* primae Veritati propter se et super omnia, et *velle* ei credere sive credidisse [8] — quia eiusdem habitus est velle credere et velle credidisse — sed in patria assentiemus primae Veritati propter se et super omnia, volemus etiam credidisse Deo: habebimus igitur actum fidei principalem: ergo et ipsam fidem.

A parte eius, per quod evacuatur.

Item, hoc [9] ostenditur a parte *eius,* per quod dicitur fides *evacuari.*

4. Plus enim repugnat ipse habitus fidei deformitati *peccati* quam perfectioni gloriae; sed habitus fidei non tollitur nec evacuatur per tenebram peccati [10]: ergo nec per completionem gloriae.

5. Item, *cognitio matutina* in Angelis non excludit cognitionem vespertinam, immo simul cognoscunt res in Verbo et in proprio genere [11]: ergo visio Dei in propria essentia et natura non excludit visionem ipsius in speculo et in creatura; sed visio fidei est visio specularis: ergo per visionem gloriae non habet evacuari.

6. Item, *lumen cum lumine* non habet oppositionem, nec in corporalibus nec in spiritualibus, sicut patet: quia in eodem medio plura possunt esse lumina impermixta, sicut dicit Dionysius in libro de Divinis Nominibus [12]; similiter et in spiritualibus lu-

---

[1] Hebr. 11, 1. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 8. — Inferius pro *cuncta* (sic cod. U) codd. et edd. 1, 2 *cetera,* Vat. *secreta* et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 74. a. 1. *omnia.* Idem occurrit in fundam. 4.

[2] Cap. 2. n. 4. In textu origin. post *sempiternum videt* plura sunt addita.

[3] Epist. I. Cor. 13, 10; inferius respicitur v. 12.

[4] Ut ostensum est supra d. 23. a. 1. q. 1. Cfr. etiam d. 24. a. 2. q. 1. arg. 4. ad oppos.

[5] Edd. *ipsius.*

[6] Epist. 155. (alias 52.) c. 4. n. 16; VI. Music. c. 16. n. 51. seqq.; XII. de Gen. ad lit. c. 31. n. 59, et XIV. de Trin. c. 9. n. 12. — Quoad *maiorem* cfr. supra d. 23. a. 1. q. 1. seqq., de *minori* vide ibid. et II. Sent. d. 27. dub. 3. — Paulo superius pro *evacuat eas* [supple: virtutes] cod. U *evacuat ea.*

[7] Hebr. 11, 1: Est autem fides sperandarum substantia rerum. — De altera definitione fidei, quae Augustinum habet auctorem, vide supra pag. 501, nota 5.

[8] Vide supra d. 23. a. 1. q. 2. et d. 24. a. 1. q. 2. — Paulo inferius pro *volemus,* ut legitur in codd. Z bb et in *Supplemento* Sum. Alex. Hal., alii codd. et edd. *vellemus,* quae lectio improbanda est.

[9] Cod. L I Z adiiciunt *ipsum.*

[10] Cfr. supra d. 23. a. 2. q. 1. seq.

[11] Vide II. Sent. d. 4. a. 3. q. 2. Cfr. etiam supra pag. 319, nota 5.

[12] Cap. 2. § 4. Verba ipsa videsis tom. II. pag. 329, nota 4. — De propos. seq. cfr. supra pag. 521, nota 8. — Superius pro *oppositionem* edd. *opponi.*

men cognitionis per *causam* non excludit lumen cognitionis per *effectum*: ergo non videtur, quod lumen fidei evacuetur per lumen gloriosum; nec per aliud habet evacuari: restat igitur, quod habitus fidei non evacuatur.

CONCLUSIO.

Habitus fidei per visionem gloriae simpliciter tolletur.

RESPONDEO: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod hic est duplex modus dicendi.

Opinio 1. Aliquibus enim videtur esse dicendum, quod cum quaeritur, utrum fides evacuetur, non est *simpliciter* respondendum affirmando, vel negando: quantum enim ad *aliquid* evacuatur et quantum ad *aliquid* non. In ipsa enim fide duo est reperire, videlicet *illuminationis habilitatem* et *aenigmatis obscuritatem*. Quantum ad *luminis habitum* fides non evacuatur, sed perficitur et consummatur; quantum vero ad *aenigmatis obscuritatem*, cum sit *ex parte*, simpliciter tollitur. — Et iste modus dicendi confirmari posse videtur per illud quod dicitur in Glossa super illud primae ad Corinthios decimo tertio[1]: *Cum venerit quod perfectum est* etc.; Glossa: « Destruetur imperfectio, non id quod verum est, evacuabitur; desitio imperfectionis est, quando id quod imperfectionis est, impletur ». — Et secundum istum modum dicendi facile est declinare rationes ad utramque partem. Nam primae, quae probant, quod habitus fidei evacuatur, concludunt ratione aenigmatis et imperfectionis; rationes vero ad oppositum concludunt de ipsa fide quantum ad perfectionem habitus et complementum luminis.

Confirmatur.

Ad argg.

Licet autem hic modus dicendi satis videatur esse probabilis, non tamen consonat verbis Augustini. Augustinus enim dicit in decimo quarto de Trinitate[2]: « Fides, quae nunc in animo nostro est velut corpus in loco, dum tenetur, aspicitur et amatur, quandam efficit trinitatem. Sed non ipsa erit, quando fides haec in animo non erit; quae vero tunc erit, quando iam recordabimur in nobis fuisse et non esse, alia perfectio erit ». In quibus verbis vult dicere, sicut patet per exemplum, quod praemittit paulo ante hoc, quod sicut corrumpitur aliquod corpus, quod homo sensibiliter intuetur, et ipso corrupto, memoratur ipsius corporis non per ipsius corporis veritatem, sed per similitudinem in animo remanentem; sic et in ipsa fide. Unde vult, quod habitum fidei nostrae, quem interius intuemur[3], inter *temporalia* computemus; et quia aliquando deficit, non potest quantum ad illius intuitum ratio imaginis, quae perpetua est in anima, attendi. Constat autem, quod de ipso habitu fidei loquitur, secundum id quod habet positionis et perfectionis, quia secundum illud intra se ipsam anima illum habitum intuetur; aliter non valeret tota ratiocinatio illa, quam ibidem facit satis prolixe. — Non etiam videtur consonare verbis Glossae et Apostoli: quia, si fides evacuaretur solummodo secundum id quod habet imperfectionis, et maneret secundum id quod est in ea complementi et positionis; sicut non dicuntur evacuari virtutes cardinales nec habitus caritatis[4], sic nec diceretur evacuari habitus fidei, quin potius perfici et compleri.

Non probatur.

Et propterea est alius modus dicendi magis communis et usitatus, quod si loquamur de habitu fidei, secundum quod fides est virtus specialis, sic per gloriam habet simpliciter evacuari; pro eo quod fides est habitus virtutis, in quantum intellectus inclinatur ab *affectu*, sicut in praecedentibus[5] fuit ostensum; hoc autem non potest esse, nisi quamdiu intellectus de se incertus est de his quae credere debet. Et quoniam in patria illuminatio et claritas visionis praecedet motum *affectionis*; nec ab ipsa inclinabitur intellectus propter ipsius summi luminis claritatem, a qua intellectus nullo modo poterit dissentire: hinc est, quod habitus fidei *simpliciter* per visionem gloriae habet tolli, secundum quod auctoritates Sanctorum et Glossa dicunt satis expresse[6]. — Unde concedendae sunt rationes, quae sunt ad istam partem.

Opinio 2.

Conclusio.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium ex parte *generis*, quia est virtus theologica, quae perficit potentiam animae secundum digniorem eius partem; dicendum, quod fides est perfectio potentiae non qualiscumque, sed secundum statum *imperfectionis* et viae, in quo intellectus potest aberrare a veritate et in via captivari. Unde non evacuatur, quia perfectio *simpliciter*, sed quia perfectio *secundum talem statum*. Nec est simile de virtuti-

Solutio oppositorum.

Notandum.

---

[1] Vers. 10. — Verba Glossae *ordinariae* in hunc loc., quae sumta sunt ex Commentario, olim Ambrosio tributo, in originali sic sonant: Destruetur... evacuabitur, sed dum additur imperfecto, quod deest, destruetur. Destructio [sic et cod. Z pro *desitio*] enim imperfectionis est... impletur in verum.

[2] Cap. 3. n. 5: Fides, quae nunc... quando fides haec in animo, *sicut corpus illud in loco, iam* non erit. Quae vero tunc erit, quando *eam* recordabimur... alia *profecto* erit. Cfr. XII. de Gen. ad lit. c. 31. n. 59. — Aliquanto superius pro *ad perfectionem habitus* edd. *ad perfectionis habitus*.

[3] August., loc. cit., ad rem ait: Sed qui hoc dicit non discernit, aliam nunc esse trinitatem, quando praesentem fidem tenemus, videmus, amamus in nobis, aliam tunc futuram, quando non ipsam, sed eius velut imaginarium vestigium in memoria reconditum recordatione contuebimur etc. — Paulo inferius pro *ad illius intuitum* cod. A *ad illum intuitum*.

[4] Vide infra a. 3. q. 1. et d. 33. q. 6. — Paulo superius pro *et positionis* Vat. *et perfectionis*, codd. I L et edd. 1, 2 *et rationis*.

[5] Dist. 23. a. 1. q. 2. — Paulo inferius pro *debet* cod. Z *debemus*.

[6] Cfr. Petr. Lombard. in I. Cor. 13, 10. — Pro *Glossa* cod. Z *Glossae*. — Aristot., IV. Topic. c. 5: Non enim contingit idem amplius permanere, si ex specie omnino permutatum sit.

bus cardinalibus, quia actus earum principaliores non solum perficiunt ipsas potentias secundum statum viae, sed etiam secundum statum patriae [1].

2. Ad illud quod obiicitur ex parte *definitionis*, dicendum, quod fides non est substantia sive fundamentum *simpliciter* rerum sperandarum, sed solum *secundum illum statum*, in quo aeterna bona exspectantur [2]; similiter non est illuminatio ad videndum Deum *simpliciter*, sed ad videndum Deum *per speculum*. Et quoniam huic statui succedet alius status, in quo erit stabilius *fundamentum* et perfectior *illuminatio*; hinc est, quod fides evacuatur non propter fundamenti destructionem, sed propter stabilioris constructionem; non propter luminis privationem, sed propter luminis perfectionem, quae excludit specularem et imperfectam cognitionem.

Notandum. 3. Ad illud quod obiicitur de *actu* fidei, qui est assentire primae Veritati et velle credere sive credidisse; dicendum, quod neuter [3] est actus fidei, nisi in quantum homo assentit veritati non visae, in quo quidem assensu et credulitate intellectus inclinatur a voluntate; quod quia non est in patria reperire, non sunt illi actus in patria ab habitu fidei, sed a virtute excellentiori.

Distinctio. 4. Ad illud quod obiicitur, quod magis repugnat ipsi fidei *tenebra peccati* quam excellentia praemii; dicendum, quod de habitu fidei est dupliciter loqui: aut in quantum est habitus ab aliis virtutibus *distinctus*, aut in quantum est *gratia informatus*. Si in quantum est *gratia informatus*, sic veritatem habet verbum propositum; gratia enim ipsius habitus informativa tollitur per culpam, non autem per gloriam. Si vero loquamur de ipsa fide, secundum quod est habitus *distinctus*, habilitans ad credendum non visum; sic propter suam imperfectionem maiorem oppositionem habet ad statum gloriae quam ad statum peccati; et ideo per gloriam habet evacuari, quamvis non habeat per peccatum tolli [4].

Differt videre in speculo et per speculum. 5. Ad illud quod obiicitur, quod *cognitio matutina* non excludit vespertinam, nec visio in specie excludit visionem in speculo; dicendum, quod differt dicere, videre rem *in speculo* et *per speculum*. *Per speculum* enim dicitur videre Deum qui ascendit a cognitione creaturae ad cognitionem Creatoris; *in speculo* vero videt qui Deum in ipsa creatura clare intuetur. Prima visio non erit in gloria, quia non erit ibi necessaria scala; secunda vero erit, quia Deus videbitur aperte in omnibus creaturis, ut dicit Augustinus in libro ultimo de Civitate Dei [5]. Et illa visio, quae est *per speculum*, spectat ad ipsam fidem; illa vero, quae est *in speculo* creaturae, spectat ad cognitionem *vespertinam*, quae bene poterit servari in patria. Et ideo non est simile de fide et de cognitione illa.

Notanda doctrina de cognitione Dei. Et attendendum est hic, quod plus differt visio *per speciem* a visione *per speculum* quantum ad cognitionem ipsius *Dei*, quam quantum ad cognitionem alicuius *creaturae sensibilis*. Si enim aliqua *creatura sensibilis* videatur in *propria natura* et videatur *per aliquod speculum*, in quo resultat; non est differentia inter istam visionem et illam nisi in hoc, quod una est per speciem secundum directionem *simplicem*, alia est per speciem secundum directionem *reflexam*; et ideo ab uno et eodem oculo et secundum omnem statum de eadem re visa visio haberi potest. In visione autem ipsius *Dei*, quae est *per speciem* et *per speculum*, maior est differentia: tum a parte *videntis*, quia in una illarum est cognitiva potentia obumbrata, in altera vero illuminata; similiter a parte *medii*, quia in una videtur Deus per sui essentiam, in altera vero per effectum creatum. Et ideo una istarum cognitionum est in *quiete* et statu, altera vero in *progressu*, secundum quod dicit Apostolus [6]: *Per fidem ambulamus*; et ideo una per alteram tollitur.

Notandum. 6. Ad illud quod obiicitur, quod *lumen lumini* non repugnat; dicendum, quod illud verum est, quantum est de luminis *natura*. Verumtamen bene contingit, unum lumen per alterum evacuari ratione alicuius *annexi* inseparabilis, vel *dispositionis* praecedentis, vel *effectus* consequentis. Et sic est in lumine fidei, quod habet *aenigma annexum*; et ex hoc oritur, quod intellectus *inclinatur* ab affectu et *dirigit* hominem ad cognoscendum non visum. Et quoniam tollitur illius *aenigmatis interpositio*, tollitur etiam et illa *inclinatio*, tollitur nihilominus *habilitatio* ad cognoscendum non visa — quoniam impossibile erit ab illa superna luce absentari — hinc est, quod lumen fidei, quod est proprium illius habitus, licet non ratione *sui*, ratione tamen *annexorum* a superveniente gloria habet evacuari. Hoc autem dico de lumine, quod est proprium fidei; nam de lumine gratiae gratum facientis tenendum est, quod non habet per gloriam evacuari, sed potius consummari [7].

---

[1] Vide infra d. 33. q. 6.

[2] Vide supra d. 23. a. 1. q. 5. — Inferius pro *stabilioris* codd. B C D F I L N *stabilitatis*.

[3] Edd. cum aliquot codd. *neutrum*. In fine solut. cod. Z adiungit: Nota, quod tribus modis inclinatur intellectus ad assentiendum. Primo ex praesentia intelligibilis, ut cognito, quid sit totum, et quid sit pars, statim assentit: omne totum est maius sua parte. Secundo ex via resolutionis, ut omnis triangulus habet tres aequales duobus rectis. Tertio imperio voluntatis, ut quando captivatur ingenium ad assentiendum primae Veritati propter se et super omnia.

[4] Cfr. supra d. 23. a. 2. q. 4. ad 1. — Superius pro *informativa* cod. C *formativa*, cod. D *reformativa*, Vat. *informata*; cod. Z verbo *informativa* adtexit *in via*.

[5] Cap. 29. n. 6, ubi explicat, quomodo videbimus per ipsa corpora Deum ubique praesentem omniaque gubernantem; at non, sicut nunc, per speculum et in aenigmate, sed « in omni quae tunc fuerit creatura ». Cfr. I. Sent. d. 3. p. I. q. 3.

[6] Epist. II. Cor. 5, 7. — Superius pro *similiter* edd. *tum*.

[7] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. — Paulo superius pro *a superveniente gloria* cod. A *in superveniente gloria*; pro *gloria* plurimi codd., edd. 1, 2 et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *gratia*.

SCHOLION.

I. Circa hanc et seq. quaestionem cfr. infra d. 33. q. 6, d. 34. p. I. a. 2. q. 3. et p. II. a. 2. q. 3, ubi de evacuatione virtutum cardinalium et donorum agitur. His quaestionibus illustrantur et confirmantur plura, quae de fide et spe supra dd. 23-26 tradita sunt. Ipsa autem quaestio de fide evacuanda non intelligitur de convenientia fidei et luminis gloriae in *genere*, scilicet cognitionis. Omnes enim confitentur, quod fides secundum *genus cognitionis* maneat in patria; et in hoc sensu cum Guliel. Antissiod. (Sum. p. III. tr. 5. q. 5.) dici potest, quod fides *non omnino* evacuabitur. Sed quaestio intelligitur de habitu secundum *speciem* et *numerum*.

Primam opinionem hic relatam inter posteriores Scholasticos defendit Durand. (hic q. 3-5.), dum similem quandam opinionem prolixa disputatione nititur probare, scilicet primo, quod non sit contra fidem ponere, quod habitus fidei *possit remanere*, vel *remaneat* in patria; deinde positive, quod reapse fides secundum habitum tum infusum tum acquisitum *possit* stare cum visione beatifica, « quidquid sit de *facto*, an remaneat, an non, de quo non potest plena certitudo haberi; tamen de *possibilitate* teneo, quod potest manere, etiam sine actu » (q. 3.). — Sed alii antiqui Scholastici cum S. Bonav. negant, quod aliquid de substantia habitus fidei et actus idem numero remaneat in patria, vel possit remanere. Hoc S. Thom. (hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 3; S. I. II. q. 67. a. 5; cfr. a. 3. 4.) speciali quaestione probat; et ad rem opportune ibi distinguit duplicem imperfectionem: alteram, quae est de ratione rei et ad speciem ipsius pertinet, alteram, quae non pertinet ad rationem rei, sed accidit individuo secundum aliquid aliud. Quod aliis verbis in Comment. (loc. cit. quaestiunc. 2.) sic explanat: « Est autem duplex actus, scilicet actus, qui est *actus imperfecti*, in quantum huiusmodi, sicut motus; et actus, qui est *actus perfecti*, in quantum huiusmodi, sicut operatio consequens formam. Contingit autem quandoque, quod *actus perfecti* inveniantur in *imperfecto*, secundum quod iam participat aliquid de perfectione » etc. In quo casu docet posse tolli quod imperfectum est, remanente eo quod est de substantia actus; « sicut loquela balbutientis pueri tollitur, quando venit ad perfectam aetatem, quantum ad id quod imperfectionis erat in ipso; manet autem quidquid erat de perfectione et de substantia loquelae. Sed *motus*, qui est *actus imperfecti*, quando pervenitur ad terminum motus, non manet quantum ad *aliquid substantiae* actus » etc. Eandem sententiam insinuat S. Bonav. hic q. 1. ad 5. in fine, et infra a. 3. q. 1. in corp.

II. De hac et seq. (2.) quaestione praeter laudatos: Scot., hic q. unica n. 2. — B. Albert., hic a. 7. 8. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. — Dionys. Carth., de his et seq. q. hic q. 5. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

QUAESTIO II.

Utrum spes evacuetur per adventum gloriae.

Secundo quaeritur de evacuatione spei, et quaeritur, utrum spes evacuetur per adventum gloriae. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Ad Romanos octavo[1]: *Spes, quae videtur, non est spes;* Glossa: « Res sperata, quae videtur, non est spes, id est, non est subiecta spei-virtuti, quae non est nisi de non apparentibus »: si ergo per adventum gloriae quod erat latens efficitur patens; necesse est, habitum spei evacuari ad praesentiam praemii.

2. Item, « spes est exspectatio futurae beatitudinis », secundum quod dicitur in Glossa ad Romanos quinto[2]; sed quando de futuro fit praesens, futurum desinit esse futurum: cum ergo in gloria semper habeatur beatitudo praesens, videtur, quod nullo modo contingat ibi esse spem.

3. Item, primae ad Corinthios decimo tertio[3]: *Nunc manent fides, spes, caritas, tria haec* etc.; Glossa: « Caritas, fide et spe discedentibus, permanebit aucta, cui fides et spes hic non possunt deesse »: si ergo deerunt sibi in patria, videtur, quod evacuentur per gloriam.

4. Item, sicut se habet fides respectu non visi, sic se habet spes respectu non habiti; sed fides necessario evacuatur, superveniente clara visione[4]: ergo et spes, superveniente comprehensione sive certissima tentione.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Sapientiae tertio[5]: *Spes illorum immortalitate plena est;* Glossa: « id est indefectiva »: ergo si spes Beatorum non deficit, videtur, quod spes non habeat evacuari in Beatis. *Si tu dicas*, quod ibi accipitur *spes* pro ipsa re sperata; *obiicitur* tunc de ipso actu sperandi, qui fuit in Christo, secundum quod dicit Glossa super illud Psalmi[6]: *In te, Domine, speravi:* si ergo Christus simul fuit comprehensor et viator, videtur, quod simul possit stare actus et habitus spei cum complemento praemii.

2. Item, ubicumque potest esse desiderium, ibi potest esse spes; sed in aeterna beatitudine est

---

[1] Vers. 24. — Glossa habetur apud Petr. Lombard. et apud Lyranum; est *interlinearis*.

[2] Vers. 4. — Quoad Glossam cfr. supra pag. 566, nota 8. et pag. 583, nota 3.

[3] Vers. 13. — Glossa invenitur integra apud Petr. Lombard. (in hunc loc.), ex parte etiam apud Strabum et Lyranum (ut *ordinaria*); sumpta est ex August., I. de Doctr. christ. c. 39. n. 43. — In conclus. cod. A omittit *sibi* et pro *deerunt* atque *evacuentur* substituit *deerit* atque *evacuetur*.

[4] Vide quaest. praeced.

[5] Vers. 4. — In Glossa cit., quae est *interlinearis* et apud Lyranum, cod. F *Beatorum indefectiva*, et pro *id est* Vat. exhibet *prima*.

[6] Psalm. 30, 1. — De Glossa cfr. supra pag. 585, nota 5. — Mox pro *viator* non pauci codd. et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 74. a. 2. *beatus*. Subinde verbo *videtur* cod. K praemittit *ex hoc*.

summum desiderium, secundum quod scribitur primae Petri primo[1]: *In quem desiderant Angeli prospicere:* ergo videtur, quod in ipsa superna beatitudine contingat reperire spem quantum ad habitum et motum: ergo etc.

3. Item, animae beatae in patria exspectant ipsam stolam secundam[2], et per consequens suam gloriam augendam et perficiendam; sed certa exspectatio gloriae procedens ab instinctu gratiae est ipsius spei-virtutis: ergo spes-virtus est in animabus beatis.

4. Item, sicut se habet desperatio ad damnatos, sic se habet spes ad Beatos *per commutatam proportionem*[3], quia, sicut status damnatorum repugnat statui Beatorum, sic spes repugnat desperationi: ergo sicut necesse est ponere desperationem in damnatis, ita necesse videtur, quod sit ponere spem in Beatis.

5. Item, actus ipsius spei est confidere in Domino[4]; sed Beati maxime habent istum actum, quia maxime confidunt in Domino et ei innituntur: ergo videtur, quod in eis potissime sit reperire ipsius spei habitum et usum.

6. Item, ad spem pertinet *certitudo* et *exspectatio;* sed constat, quod *certitudo* in gloria non tolletur, immo perficietur: ergo videtur, quod habitus spei secundum aliquid sui habeat in gloria salvari, videlicet quantum ad *certitudinem;* similiter videtur, quod quantum ad *exspectationem,* quia, sicut vult Anselmus[5], ponere est durationem in participatione beatitudinis: ergo qui modo participant beatitudinem in A, nondum participant eam in B, et certitudinaliter eam exspectant. Si ergo spes quantum ad *exspectationem* manet et quantum ad *certitudinem* consummatur, videtur, quod nullo modo in gloria evacuetur.

CONCLUSIO.

Habitus spei in patria simpliciter evacuatur.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod sicut duplex est modus dicendi circa evacuationem fidei[6], similiter et circa evacuationem spei. Nam et in ipso habitu spei est reperire aliquid *imperfectionis* et aliquid *perfectionis* et complementi. Ad *imperfectionem* enim spectat illud spei, quod est exspectatio quaedam et protensio ad ea quae realiter non habentur; ad *complementum* autem eius spectat *confidentia et certitudo,* qua[7] facit confidere et inniti ipsi summae largitati. Et quantum ad primum tollitur ipsa spes et evacuatur; quantum vero ad secundum perficitur et salvatur. — Sed quoniam, sicut in praecedentibus[8] dictum est, spes non diceretur *evacuari,* si solum quod est *imperfectionis* tolleretur ab ipsa, illo salvo, quod est in ea *perfectionis* et complementi — sicut patet, quia liberum arbitrium in patria non dicitur *evacuari* in gloria, quamvis tollatur sibi vertibilitas; et hoc quia vertibilitas potius spectat ad liberi arbitrii defectum quam ad complementum — si sic igitur esset in proposito reperire, nunquam deberet dici *evacuari* propter adventum gloriae.

Opinio 1.

Improbatur.

Et propterea communis modus dicendi est, et hunc innuit ipsa Glossa, quod habitus ipsius spei *simpliciter* evacuatur in gloria, et ei succedit habitus novus. Et ratio huius est: quia habitus spei habilitat ad confidendum et innitendum Deo cum quadam protensione et erectione et exspectatione; et quoniam statui gloriae repugnat exspectatio substantialis praemii, cum ibi habeatur[9], et protensio et illa erectio et inhiatio, cum ibi affectus omnino quietetur: hinc est, quod habitus ipsius spei *simpliciter*

Opinio 2. et conclusio.

Ratio.

---

[1] Vers. 12.

[2] Cfr. supra pag. 390, nota 4. et pag. 585, nota 8.

[3] Boeth., II. de Differ. topic., de proportione ait: Hic autem locus distat ab eo qui *a similibus* ducitur. Ibi enim una res unicuilibet alii comparatur; in proportione vero non est similitudo rerum, sed quaedam habitudinis comparatio... Maxima propositio: quod in unaquaque re evenit, id in eius proportionali evenire necesse est. Cfr. Aristot., I. Poster. c. 5. et II. c. 17. (c. 14.).

[4] Cfr. supra d. 26. a. 1. q. 1. in corp.; q. 2. ad 1. — Cod. A omittit *ipsius* ante *spei.*

[5] Proslog. 20: An hoc quoque modo transis omnia, etiam aeterna, quia tua et illorum aeternitas tota ubi praesens est, cum illa nondum habeant de sua aeternitate quod venturum est, sicut iam non habent quod praeteritum est? Cfr. II. Sent. d. 2. p. I. a. 1. q. 3. fundam. 2, ubi S. Bonav. ad idem Anselmi dictum provocat. B. Albert., hic a. 8, ex Proslog. c. 25. haec affert: Si Deum sic diligent toto corde, tota mente, tota anima, ut tamen totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat dignitati dilectionis, profecto sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat plenitudini gaudii. Vat. ad marg. allegat Anselm. de Similitudinibus, c. 58. (inter opera Anselmi). Cfr. tamen melius ibi c. 59, pag. 686, nota 3. citatum. — De *maiori* vide supra d. 26. a. 1. q. 5. — Pro *similiter videtur, quod quantum* codd. K bb *similiter quantum.* In fine arg. pro *evacuetur* multi codd. et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *evacuatur.*

[6] Vide quaest. praeced. in corp.

[7] Vat. cum pluribus codd. *quae.*

[8] Quaest. praeced. — Paulo inferius pro *in gloria* cod. Z *a gloria,* et mox pro *tollatur sibi* cod. K *tollatur sua;* cod. A omittit *sibi.* Deinde pro *si sic igitur esset* edd. *si sic igitur possibile esset;* cod. K *si igitur sic in proposito reperitur* (etiam codd. F G I T V Z exhibent *reperitur* pro *reperire*).

[9] Scil. praemium. Vat. omittit *cum ibi habeatur,* refragantibus codd., quorum tamen plures cum edd. 1, 2, habent perperam *igitur* pro *ibi*; in *Supplemento* Sum. Alex. Hal. legitur (post *praemii*): *cum igitur cesset protensio illa et erectio* etc. Paulo inferius pro *theologicae* codd. A G H I L N U V bb et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *theologicum.*

evacuari dicitur, secundum quod *spes* nominat habitum virtutis theologicae, qui habilitat ipsam animam ad exspectandum substantiale praemium. — Et concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod spes Beatorum est immortalitate plena; dicendum, quod *spes* sumitur ibi pro *re sperata*. Et *si obiiciat*, quod Christus speravit actu secundum illud Psalmi [1]: *In te, Domine, speravi;*

Resp. duplex.

dicendum, quod illud intelligitur de Christo ratione membrorum; vel extenditur ibi nomen *spei* ad exspectationem cuiuscumque spiritualis beneficii.

Duplex desiderium.

2. Ad illud quod obiicitur, quod ibi est spes, ubi est desiderium; dicendum, quod est desiderium de *acquirendo*, et est desiderium de *continuando*. Ubi autem est desiderium de *acquirendo*, ibi bene potest esse spes; sed ubi est desiderium de *continuando* bonum iam habitum, spes non est, quia non est ibi *exspectatio non habiti*. Et sic est in patria ponere desiderium, non per aliquam anhelationem ad obtinendum [2] non habitum, sed propter infatigabilitatem et indeficientiam delectationis, quae nullo modo ibi parit fastidium.

Defectus 1.

3. Ad illud quod obiicitur, quod animae beatae exspectant stolam secundam; dicendum, quod in ratione illa est duplex defectus. Primus defectus est: quia non *quaecumque* exspectatio ponit virtutem spei, sed exspectatio *summae beatitudinis* sive summi boni et summe ardui assequendi [3]. *Praeter-*

Defectus 2

ea, non exspectant certitudine *spei*, sed certitudine *comprehensionis*, quae non ponit protensionem nec inhiationem ad assequendum illud quod exspectatur; alioquin ex sua dilatione affligeret exspectantem, iuxta illud quod dicitur in Proverbiis [4]: *Spes, quae differtur, affligit animam;* hoc autem nullo modo est ponere circa animam beatam.

4. Ad illud quod obiicitur, quod sic se habet spes ad Beatos, sicut [5] desperatio ad damnatos; dicendum, quod non est simile: quia desperatio facit ad cumulum mali; sed spes de sua ratione oppositionem habet cum summa completione boni, quia dicit absentiam boni exspectati. Et ideo non sic se compatitur cum summa beatitudine habitus spei, sicut desperatio cum extrema calamitate.

5. Ad illud quod obiicitur, quod actus spei est confidere in Domino et eidem inniti; dicendum, quod non *quaecumque* confidentia est actus spei, sed ea quae est cum quadam *protensione et inhiatione et erectione*, quae omnia incompossibilia sunt statui gloriae; et ideo, quamvis in gloria sit quaedam confidentia, non tamen sequitur, quod ibi sit virtus spei, quia est alterius habitus et excellentioris, videlicet dotis succedentis ipsi virtuti spei [6].

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod ibi salvatur exspectatio et consummatur certitudo; dicendum, quod non est ibi *exspectatio proprie*, quia nihil novum augetur Beatis, respectu cuius sit exspectatio in eis. *Praeterea, certitudo* ista non completur, sed est ibi aliud genus certitudinis: ista enim est ex *promissione*, illa vero est ex *rei exhibitione* et perfectissima *tentione*. Ideo non sequitur, quod habitus spei habeat salvari in gloria, quin potius ipsa spes ex hoc magis ostenditur evacuanda [7].

QUAESTIO III.

Utrum habitus scientiae evacuetur in patria.

Tertio quaeritur de evacuatione scientiae, et est quaestio, utrum habitus scientiae evacuetur in patria. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Per auctoritatem Apostoli primae ad Corinthios decimo tertio [8]: *Sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur;* sed quod destruitur simpliciter evacuatur: ergo etc.

2. Item, secundum quod vult Magister Hugo de sancto Victore in Didascaleo [9]: «Scientiae inventae sunt propter indigentias et necessitates supplendas ex parte animae, vel ex parte corporis»: si ergo in patria tolletur omnis indigentia, videtur, quod evacuetur omnis scientia.

3. Item, anima beata omnia cognoscit in Verbo et aperte et continue, ita quod ab illo aspectu non potest separari [10]: ergo videtur, quod nullus alius habitus cognitionis, vel aspectus beatae animae conveniat: videtur ergo, quod habitus cognitionis, qui est in via, simpliciter tollatur in patria, alioquin erit ibi frustra.

4. Item, quod plus habet de lumine et veritate minus est evacuabile; sed in habitu fidei plus est de ratione veritatis et luminis quam in habitu scientiae acquisitae — ipsa enim fides innititur primae Veritati propter se, et in ipsa etiam est lumen gratiae divinitus ei datae et infusae — ergo multo mi-

---

[1] Psalm. 30, 1. — De hac nec non de duabus seqq. solut. vide supra d. 26. dub. 5.

[2] Cod. U supplet *bonum*. In principio solut. pro *ibi est spes, ubi est desiderium*, quam lect. a cod. Z accepimus, alii codd. et edd. incongrue *ubi est spes, ibi est desiderium*.

[3] Cfr. supra d. 26. a. 2. q. 4. — Pro *summe ardui* edd. cum aliquot codd. *summi ardui*, et mox bis *certitudinem* pro *certitudine;* perperam.

[4] Cap. 13, 12.

[5] Edd. *quod sicut se habet... sic*. In fine solut. pro *extrema* cod. K *aeterna*.

[6] Scil. tentionis. Cfr. supra d. 26. a. 1. q. 3. in corp.

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[8] Vers. 8.

[9] Sive Erudit. didascalicae lib. I. c. 6; cfr. I. Excerpt. c. 5.

[10] Cfr. supra d. 14. a. 1. q. 3. et a. 2. q. 1. seqq. — Mox post *conveniat* cod. F subiungit *ex sua dilectione*. In fine arg. pro *erit* cod. A *est*, cod. Z *esset*.

nus est evacuabilis habitus fidei quam habitus scientiae. Si ergo habitus fidei evacuabitur in statu patriae [1], videtur similiter, quod et habitus scientiae.

5. Item, habitus scientiae est per collationem causae ad effectum et per quandam ratiocinationem et decursum [2]; sed impossibile est in patria huiusmodi decursum reperire: ergo necesse est, habitum scientiae simpliciter tolli et evacuari.

Sed contra: 1. Anselmus in libro de Similitu- Fundamenta. dinibus [3]: « Tunc iusti cuncta scient, quae Deus fecit scienda; ibi a singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscentur, nec unquam omnino latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe quis editus sit »: si ergo notitia talium manebit, multo fortius manebit scientia, quae est habitus cognitivus universalium: ergo non videtur, quod scientia philosophica habeat evacuari in patria.

2. Item, sicut dicit Philosophus [4]: « Scientia non destruitur nisi aut propter corruptionem a parte scibilis, aut ex parte medii, aut propter oblivionem a parte scientis »; sed nullum horum erit in patria: ergo nullo modo videtur, quod ibi destruatur et evacuetur scientia.

3. Item, Christus erat comprehensor, et tamen nihilominus habuit scientiam competentem statui viae [5]; Angeli etiam sunt comprehensores, et tamen nihilominus habent habitum scientiae, quo cognoscunt res in proprio genere: ergo gloria secum compatitur scientiam: ergo nec destruit nec evacuat ipsam.

4. Item, maioris dignitatis est scire syllogizare et aliquid demonstrare, quam posse localiter moveri atque discurrere; sed ab ipsis Beatis non tolletur agilitas ad motum [6]: igitur nec habitus disponens ad syllogizandum et demonstrative aliquid cognoscendum: ergo non videtur, quod scientia evacuetur.

5. Item, si scientia evacuaretur et tolleretur in transitu de hac vita, igitur esset computanda inter bona transitoria: igitur sicut reprehensibiles sunt et stulti qui laborant esse divites [7], sic videntur omnes esse stulti, qui laborant esse scientes, cum aequalis conditionis sit vetula et unus rusticellus, sicut est unus magnus clericus; quodsi hoc minus convenienter dicitur, videtur, quod scientia non evacuetur.

CONCLUSIO.

Scientia in patria quoad habitum non perditur, sed completur; quoad usum vero mutatur et quoad modum omnino tollitur.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod hic est triplex modus dicendi. — Quibusdam enim videtur, quod habitus harum scien- Opinio 1. tiarum acquisitarum, sive liberalium sive aliarum, omnino evacuentur et simpliciter destruantur. Hic enim habitus habet imperfectionem sibi iunctam inseparabiliter; et ideo ei alius habitus longe perfectior succedet, non solum ille quo quis cognoscet omnia in Verbo limpide et aperte, sed etiam habitus, qui erit per species et similitudines universi ordinis causarum mundi; qui datus fuit ipsis spiritibus angelicis et dabitur omnibus glorificatis [8], per quem cetera cognoscent, etiam eadem ipsa, quae modo cognoscunt, multo excellentius atque nobilius. Alioquin si non daretur eis alius habitus novus ab isto, non esset in Beatis rerum creatarum secundum proprium genus perfecta cognitio; quod contra veritatem est et contra Anselmum. Et sic concedunt, in patria tolli istum habitum scientiae propter nobiliorem habitum supervenientem. — Et licet haec scientia destruatur, non tamen frustra laborat qui eam acquirit, quoniam per ipsam manuducitur homo ad cognitionem Dei et ad promotionem fidei, et ita ad augmentum meriti et per consequens ad complementum praemii. Et propterea, sicut non frustra credit aliquis, licet fides evacuetur in patria; sic etiam non frustra addiscit, licet ibi, ut dicunt, *simpliciter evacuetur* ista scientia.

Aliis autem aliter videtur dicendum esse, vi- Opinio 2. delicet quod scientia *non omnino* evacuetur. Est enim ibi considerare *habitum* et *usum*. In patria autem tollitur quantum ad *usum*, qui imperfectionis est, et manet quantum ad *habitum*, qui facit ad ipsius animae decorem et pulcritudinem. Si enim manebunt ibi cicatrices vulnerum et notae cogitationum [9] ad commendationem meriti et decorationem merentium; magis rationabile videtur, quod maneant ibi habitus scientiarum, quae faciunt ad ipsius animae decorem et ornatum.

---

[1] Vide supra q. 1.

[2] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 2. — Pro *decursum*, quod vocabulum omnes codd. hic et infra passim adhibent, edd. hic et saepe *discursum*, quo termino technico posteriores auctores communiter utuntur.

[3] Cap. 59. In textu origin. post *scienda* additum est: *tam ea quae praeterita sunt, quam ea quae postmodum sunt futura;* deinde etiam pro *nec unquam* exhibetur *nec quemquam.* — Liber de Similitudinibus falso tribuitur Anselmo; est potius Eadmeri († 1121), Anselmi discipuli et amici. — De scientia ut habitu cognitivo universalium vide Aristot., I. Poster. c. 24. (c. 31.), II. c. 18. (c. 15.); VI. Ethic. c. 3. et 6; I. Metaph. c. 1.

[4] Sententialiter I. Poster. c. 6. Cfr. de Praedicam. c. *de Ilis quae ad aliquid;* VIII. Topic. c. 2; cfr. etiam de Longitud. et brevit. vitae, c. 2, nec non Fragment. de divis. 66.

[5] Vide supra d. 14. a. 3. q. 1. De cognitione Angelorum vide II. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 1. et d. 4. a. 3. q. 1. seq.

[6] Cfr. IV. Sent. d. 49. p. II. a. 2. princip. a. 4. q. 1. — In edd. 1, 2 sic concluditur: *ergo non videtur evacuandus;* in Vat. *ergo non videtur evacuandus, et sic non videtur, quod* etc.

[7] Cfr. I. Tim. 6, 9. — Paulo superius pro *igitur esset* cod. K *igitur videtur esse.*

[8] Codd. X aa *glorificaturis*, Vat. *glorificandis.* Mox pro *eadem ipsa* cod. Z *haec eadem.* Inferius ante *perfecta cognitio* cod. U interiicit *propria et.*

[9] Aristot., I. Periherm. c. 1: Sunt ergo ea quae sunt in voce, earum quae sunt in anima passionum notae, et ea quae scribuntur, eorum quae sunt in voce etc. — Loco *cogitationum* in nonnullis codd. *cognitionum* scriptum videtur; Vat. habet *operationum.* Post pauca pro *quae faciunt* codd. A H I L U V *quae faciant.*

Tertiis autem aliter videtur esse dicendum,
Opinio 3. quod cum tria sit considerare in ipsa scientia, vi-
Conclusio 1. delicet *habitum* et *usum* et *modum;* scientia quantum ad *habitum* manet et completur; quantum vero ad *usum* mutatur, sed non tollitur; quantum autem ad *modum* simpliciter evacuatur et destruitur[1]. — *Habitus* enim non tollitur, quia perfectioni non repugnat. Non enim repugnant ista duo: Deum videre, et scire propositiones et conclusiones et principia geometriae et alicuius alterius scientiae. — *Usus* vero non tollitur *omnino*, quia, si esset habitus absque usu et actu, esset incompletus sive minus completus, quod nequaquam competit secundum statum illum perfectissimum et completissimum; mutatur tamen propter annexam imperfectionem. — *Modus* vero, qui attenditur in decursu et inquisitione et quadam successiva ratiocinatione et collatione, simpliciter destruitur, pro eo quod in patria modus cognoscendi erit per *simplicem aspectum*, cum ibi habeatur deiformis intellectus per gloriae complementum[2]. Et sic secundum istam opinionem scientia quodam modo *salvatur*, et quodam modo *mutatur*, et quodam modo *destruitur* et evacuatur. — Hic au-
Conclusio 2. tem tertius modus dicendi magis consonat ipsi Glossae, primae ad Corinthios decimo tertio[3], et auctoritati Magistri, magis etiam consonat rectae rationi; ideo magis debet poni et communius sustineri. —
Epilogus. Igitur iuxta hunc modum dicendi concedi possunt rationes, quae ostendunt, quod scientia non omnino evacuetur. Manet enim, sicut ostendunt, quantum ad *habitum* secundum statum magis perfectum, manet etiam quantum ad *actum*, videlicet quantum ad simplicem aspectum.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in con-
Solutio oppositorum. trarium de auctoritate Apostoli, iam patet responsio: quia dicitur *scientia destrui*, non quia *habitus* destruatur et evacuetur, sed quia tollitur et destruitur iste sciendi *modus*, qui, ut dictum est, habet fieri per decursum.

2. Ad illud quod obiicitur de Hugone, quod scientiae inventae sunt propter indigentiam; dicendum, quod Hugo non assignat *totam* causam, sed Notandum. assignat causam, quae movit homines secundum statum praesentis vitae ad inventionem scientiae. Quamvis enim homines moti fuerint propter *indigentias amovendas*, huiusmodi[4] habitus magis ordinari habent ad *intelligentias nostras perficiendas;* quod quidem non tantum competit statui viae, sed etiam patriae.

3. Ad illud quod obiicitur, quod anima omnia cognoscit in Verbo actu etc.; dicendum, quod sicut fuit dictum[5] de Christo, quod anima Christi non solummodo habuit cognitionem rerum in Verbo, sed etiam secundum se per habitum sibi innatum; et beatis Angelis convenit idem propter perfectionem cognitionis, non solum respectu diversitatis cognoscibilium, sed etiam quantum ad varium cognoscendi modum: ita etiam in Beatis intelligendum est Notandum. esse, quia cognitio rerum in Verbo et in proprio genere simul se compati possunt quantum ad *habitum* et quantum ad *actum*, quia una ad alteram ordinatur.

4. Ad illud quod obiicitur, quod fides plus habet de veritate et lumine quam habitus scientiae; dicendum, quod etsi illud possit concedi, tamen ex hoc non sequitur, quod habeat evacuari, quia lumen *fidei*, in quantum huiusmodi est, habet sibi inseparabiliter adiunctum aliquid, quod non est compossibile cum statu gloriae, sicut in praecedentibus[6] ostensum fuit. Non sic autem est de habitu *scientiae*, qui, quantum est de sua ratione, tanto perfectior est, quanto certior et clarior; ideo non sic habet tolli quantum ad habitum, sicut fides ad praesentiam gloriae.

5. Ad illud quod obiicitur, quod scientia est per collationem causae ad effectum et per quendam decursum collativum; dicendum, quod ipse arguit de scientia quantum ad *modum*, quem in praesenti habet, de quo dictum est[7], ratione cuius concessum est, scientiam evacuari, et ratione cuius Apostolus eam in futuro asserit destruendam.

SCHOLION.

1. Primam opinionem hic explicatam sequitur B. Albert. (hic a. 10.), qui, de tertia opinione tacens, secundam reprobat et addit: « Ego puto, melius esse, quod consentiatur Magistro hic in littera dicenti (?), quod *omnino destruetur;* quia nos post mortem... necessario alium modum cognoscendi habebimus rerum in propria natura, quem habent daemones et Angeli a creatione; et puto, quod ille tunc dabitur nobis per species, scilicet quae sunt similitudines ordinis universi causarum mundi; qui modus nobilior est quam iste » etc. Quod autem ipse putat, Magistrum idem docere; error esse videtur, cum eiusdem verba (hic c. 2, in fine) potius tertiae sententiae faveant, ut etiam auctor noster asserit. S. Thom. aliique communiter tertiam opinionem approbant.

II. Scot., in utroque Scripto IV. Sent. d. 45. q. 1. — S. Thom., hic q. 2. a. 4; S. I. II. q. 67. a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. Durand., hic q. 7.

---

[1] Guliel. Antissiod., S. p. III. tr. 20. c. 2: Scientia destruetur non secundum substantiam, sed secundum modum et usus quosdam, non omnes.

[2] Vide exemplum, infra d. 34. p. I. a. 2. q. 3. ad 3. ex Aristot. allatum.

[3] Vers. 10. — Glossa supra allata est in corp. I. quaest. Quam Glossam Petr. Lombard. hic ponit et diversas de evacuatione scientiae opiniones recenset. Deinde dicit: De actu quidem et usu ipsius scientiae probabile est, quod evacuetur; de ipsa vero scientia non adeo; scientia enim est ipsa mentis qualitas, cuius actus est visio ipsa, qua videmus nunc, a qua ad aliam perducemur etc. Clarius docet hic in lit. c. 2. — Mox pro *debet poni et communius sustineri* edd. *debet et potest rationabilius sustineri.*

[4] Edd. addunt *tamen.* Subinde pro *ordinari habent* cod. K *ordinantur.*

[5] Vide locc. citt. supra pag. 686, nota 5.

[6] Quaest. I. et d. 24. a. 2. q. 1. ad 3. et q. 3. ad 2. — Mox pro *de habitu* cod. F *de statu.*

[7] Vat. omittit *de quo dictum est.* In fine solut. pro *asserit* cod. Z *astruit.*

ARTICULUS III.

De duratione caritatis per comparationem ad praemium.

Consequenter quaeritur de duratione caritatis per comparationem ad ipsum praemium. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primum est, utrum per gloriam contingat, caritatis habitum evacuari.

Secundum est, utrum contingat, caritatis habitum in patria dilatari.

Tertium est, utrum contingat, caritatis ordinem in patria immutari.

QUAESTIO I.

Utrum contingat, caritatis habitum in patria evacuari.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum contingat, caritatis habitum in patria evacuari. Et quod non, videtur.

Fundamenta. 1. Primae ad Corinthios decimo tertio[1]: *Caritas nunquam excidit;* ibi Glossa: «Nec in hoc saeculo nec in futuro, etsi opera eius cessent».

2. Item, actus caritatis est *diligere* Deum propter se et super omnia, *et ex toto corde et ex tota anima et ex tota mente*[2]; sed iste actus magis competit statui gloriae quam viae: ergo habitus caritatis maxime competit statui glorioso; et si hoc, tunc non evacuatur in illo.

3. Item, ipsius caritatis sive amoris est *unire,* iuxta illud quod dicit beatus Dionysius[3]: «Amorem dicimus unitivam vim»; sed magis unimur in patria quam in via: ergo etc.

4. Item, amoris est *assimilare,* iuxta illud quod dicit Hugo de sancto Victore[4], quod «anima in eius quod diligit imaginem transformatur»; sed magis erimus similes in patria quam nunc, secundum illud primae Ioannis tertio: *Cum apparuerit, similes ei erimus:* si ergo statui gloriae maxime competit perfectio assimilationis, videtur, quod et maxime competat illi statui habere habitum caritatis.

Sed contra: Ad oppositum. 1. Primae ad Corinthios decimo tertio[5]: *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est;* illud autem est ex parte, quod est imperfectum; sed caritas viae est imperfecta, quia *ignis est in Sion et caminus in Ierusalem,* secundum quod dicitur in Isaia: ergo videtur, quod habitus caritatis evacuetur in patria.

2. Item, cessante causa, cessat effectus, ergo evacuata causa, evacuatur effectus; sed «fides generat spem, spes generat caritatem»: cum igitur in patria evacuetur habitus fidei et spei, ut supra[6] ostensum fuit; videtur similiter, quod evacuetur habitus caritatis.

3. Item, quod ordinat ad aliquem finem et terminum cessat, cum perventum est ad illum; sed caritas est pondus inclinans animam et elevans eam, ut tendat sursum[7]: cum igitur anima sursum per gloriam fuerit collocata, videtur, quod iam amplius non habeat caritatis habitum.

4. Item, quanto maior est unio animae ad Deum, tanto anima perfectius beatificatur; sed magis unitur quod unitur immediate, quam quod unitur per medium: ergo si anima perfecte beatificatur in gloria, videtur, quod inter animam et Deum non sit ponere caritatem mediam[8]: videtur ergo, quod cesset habitus caritatis, superveniente complemento beatitudinis.

CONCLUSIO.

Habitus caritatis in patria non evacuatur, sed consummatur.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio caritas in patria non evacuatur, sed consummatur, secundum quod expresse dicit Apostolus[9]. Conclusio.

Ad cuius intelligentiam est notandum, quod *quaedam* est dispositio, quae respectu dispositi habet *oppositionem, quaedam* vero est, quae *simpliciter* disponit; et *prima* quidem per adventum eius, ad quod disponit, evacuatur; *secunda* vero perficitur et consummatur. Et huiusmodi est evidens exemplum. Nam *primo* modo disponit medius color ad extremos, et tepiditas ad frigiditatem; et superveniente extremo, medius color tollitur, propter hoc Duplex dispositio. Exemplum.

---

[1] Vers. 8. — Glossa habetur apud Strabum et Lyranum; est *ordinaria.*

[2] Marc. 12, 30. — Inferius pro *statui glorioso* codd. A K aa *statui gloriae.*

[3] De Div. Nom. c. 4. § 15.

[4] De Arrha animae; vide tom. II. pag. 4, nota 8. — Seq. testimonium est I. Ioan. 3, 2.

[5] Vers. 10. Cfr. Glossa supra a. 2. q. 1. in corp. allata. — Seq. Scripturae locus est Isai. 31, 9. — In *minori* codd. et edd. 1, 2 omittunt *viae,* quod e Vat. supplendum duximus; pro *viae* in *Supplemento* Sum. Alex. Hal. collat. 75. a. 1. habetur *in via.*

[6] Hic a. 2. q. 1. et 2. — De *maiori* cfr. Aristot., II. Phys. text. 37. (c. 3.), et supra pag. 22, nota 1. — De *minori,* quae reddit Glossam Paschasii Radberti super Matth. 1, 2, vide supra pag. 573, nota 4.

[7] Vide supra pag. 639, nota 3. — Mox pro *per gloriam* codd. A X *per gratiam.*

[8] Cfr. supra d. 14. a. 1. q. 1. in corp. opinio 1.

[9] Epist. I. Cor. 13, 8. seqq. — Paulo superius pro *caritas* cod. S *habitus caritatis;* paulo inferius pro *respectu dispositi* Vat. *respectu eius, ad quod disponit.*

quod medium non tantum ad extremum *disponebat*, sed etiam *repugnabat*. *Secundo* modo disponit transparentia ad lumen. Nam superveniente lumine, transparentia et pervietas non tollitur, sed magis perficitur et decoratur.

Per hunc etiam modum intelligendum est in ipsarum virtutum habitibus, quae disponunt ad gloriae complementum. Nam *quaedam* disponunt sic, quod habent aliquo modo *oppositionem*, sicut fides et spes, quae dicunt ipsius crediti et sperati absentiam et carentiam, quorum opposita sunt in gloria, scilicet visio aperta et tentio firma; et ideo necesse est, hos habitus tolli et evacuari per adventum gloriae [1]. — Et est *alia* dispositio, quae non habet rationem oppositionis, sed *tantum dispositionis;* et talis dispositio est caritas, quae ad gloriam disponit, sicut imperfectum ad perfectum, non tamen habet repugnantiam ad ipsam, immo conformitatem expressam. Et ideo quantum ad habitum non evacuatur, sed dum tollitur imperfectio, ipse habitus perficitur et consummatur.

Duplex dispositio.

Si autem quaeratur ratio huius, quare caritas magis conformatur [2] complemento gloriae quam alius habitus virtutis theologicae; huius potest triplex ratio assignari, quarum una attenditur penes *qualitatem* ipsorum *habituum*, altera vero penes *dignitatem potentiarum*, tertia vero penes *largitatem divinorum munerum*. — Quantum ad differentiam *qualitatem habituum* ratio sumitur talis: quia dilectio est respectu absentis et praesentis; visio vero et tentio non est nisi respectu habiti et praesentis; exspectatio vero et credulitas est tantummodo respectu non habiti et absentis: et ideo tam *actus* quam *habitus* ipsius caritatis statui patriae et viae est communis; et per hoc magis conformis est caritas viae caritati patriae, quam habitus credendi habitui videndi, vel quam exspectatio tentioni.

Quaestio connexa.

Ratio 1.

Penes *dignitatem* ipsarum *potentiarum* attenditur ratio sic: quia, sicut vult Bernardus, de Amore Dei [3], « ubi deficit intellectus, ibi proficit affectus ». Et Dionysius septimo de Divinis Nominibus, capitulo *de sapientia* [4] dicit, quod multo altius ascendit affectus noster et vis affectiva quam vis cognitiva. Ait enim sic: « Oportet agnoscere, nostrum intellectum quandam habere potentiam ad intelligendum, per quam videt intelligibilia, unitionem vero excedentem intellectus naturam, per quam coniungitur ad ea quae sunt ultra se ». Et quoniam altius elevatur ipsa vis unitiva in homine, ideo habet quandam praecipuam excellentiam dignitatis, et habitus ipsam perficiens est aliis habitibus maior et excellentior ac per hoc statui gloriae conformior.

Ratio 2.

Penes *largitatem divinorum* etiam *munerum* ratio sumitur: quia viris sanctis Dominus largitatem suae benignitatis quodam modo communicat et praegustare facit dulcedinem aeternae refectionis, ut in tribulationibus non succumbant et in vastitate eremi prae ariditate et inopia refectionis non [5] deficiant. Cum ergo sapere caelestia non possit nisi gustus dispositus secundum dispositionem illi statui convenientem; divinae largitatis munus hoc requisivit, ut gustui nostro daretur habitus et dispositio, secundum quam statui gloriae esset conformis. Haec autem dispositio est habitus caritatis, per quam dispositi sumus ad spiritualia degustanda, secundum quod vult magister Hugo [6]. Ideo caritatis habitus non evacuatur, sed magis consummatur in patria. — Et concedendae sunt rationes, quae sunt ad partem istam.

Ratio 3.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod perfectum evacuat illud quod est ex parte; dicendum, quod *ex parte* dicitur esse aliquid dupliciter, secundum quod dupliciter dicitur esse aliquid *secundum quid*. Uno modo dicitur aliquid *secundum quid*, quod *tantum deficit* ab eo quod est *simpliciter*, sicut albus secundum pedem est albus secundum quid. Alio modo dicitur aliquid *secundum quid*, quod non tantum deficit, sed etiam *repugnat*, sicut homo mortuus respectu hominis [7]. Sic et aliquid dicitur *ex parte* dupliciter: uno modo, secundum quod sonat in *imperfectionem;* alio modo, secundum quod sonat in *imperfectionem et oppositionem*. Et *primo* modo potest dici caritas *ex parte;* et quod sic est ex parte, non evacuatur, sed consummatur et quodam modo integratur, ut quasi totum ex partibus conficiatur. *Secundo* autem modo habitus fidei et spei est *ex parte;* et hoc modo dicit Apostolus illud *quod est ex parte* fore evacuandum, *cum venerit id quod perfectum est*.

Solutio oppositorum.

Distinctio duplex.

2. Ad illud quod obiicitur, quod cessante causa, cessat effectus; dicendum, quod fides et spes non dicuntur esse causa caritatis, nisi quia disponunt ad actum eius [8], et hoc non *simpliciter*, sed *secundum statum viae;* nam in statu patriae ipsa visio disponit ad diligendum perfecte. Et ideo ratio illa non valet, quia nec *proprie* est causa nec secundum *omnem statum*.

---

[1] Cfr. supra a. 2. q. 1. et 2. — Aliquanto superius pro *virtutum habitibus, quae* cod. K habet *virtutum habitibus, qui,* et deinde post *oppositionem* Vat. adiicit *ei, ad quod disponunt.*

[2] Edd. cum paucis codd. *consummatur.*

[3] Sive de Natura et dignitate amoris (inter opera Bernardi), c. 8. n. 21: Habet etiam ratio suos quosdam tramites certos et directas semitas, quibus incedit; amor autem suo defectu plus proficit, sui ignorantia plus apprehendit. Ratio ergo per id *quod* [Deus] *non est,* in id *quod est* videtur proficere; amor postponens *quod non est,* in eo *quod est* gaudet deficere.

[4] Paragr. 1. — Mox ante *vis cognitiva* cod. Z interserit *intellectus et.* Deinde in Dionysii sententia plurimi codd. *verum intellectum* pro *nostrum intellectum,* contradicente textu origin.

[5] In plurimis codd. nec non in *Supplemento* Sum. Alex. Hal. deest *non.*

[6] De Arrha animae. — Mox pro *consummatur* cod. U *perficitur.*

[7] Vide supra pag. 258, nota 2.

[8] Vide supra d. 26. a. 2. q. 3. — Pro *nisi* codd. G l L aa *sed.*

3. Ad illud quod obiicitur, quod ordinans ad aliquid cessat, obtento eo, ad quod disponebat et inclinabat; dicendum, quod illud est verum de eo quod solum habet rationem *viae;* caritas autem non tantummodo est dispositio ad *tendendum* et eundum in caelum, sed etiam ad *quiescendum.* Sicut enim lapis eodem pondere, quo movetur ad terram, quiescit ibi, cum ad terram pervenerit; sic et suo modo intelligendum est in pondere amoris sive in habitu caritatis; et de eo, quod isto modo ordinat et inclinat aliquid in finem, nec oportet, ipsum cessare in finis et termini assecutione. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod maior est beatificatio, ubi perfectior est unio; dicendum, quod verum est; sed quod *obiicit,* quod perfectius uniretur Deus animae, si uniretur absque caritate; dicendum, quod falsum est: quia anima non est disposita ad hoc, quod uniatur Deo per gloriam, nisi interveniat habitus, quo ipsi conformetur et quo elevetur et quodam modo fortiter alligetur [1]. Unio enim beatitudinis est per cognitionem et amorem; unde sicut habitus diligendi non facit ad dilectionis diminutionem, immo potius ad perfectionem; sic etiam non facit ad illius unionis imperfectionem, sed potius ad perfectionem et complementum. Unde quod dicit, quod magis unitur quod unitur sine medio quam cum medio; dicendum, quod illud habet veritatem de medio, quod facit *distare,* non autem de eo, quod facit *approximare* et ad unionem magis reddit habilem, cuiusmodi est vinculum caritatis. Notandum.

SCHOLION.

I. In conclusione omnes consentiunt. Quaestionem connexam S. Bonav. confirmat 3 rationibus, quarum secunda est *dignitas* voluntatis. De controversia, utrum voluntas sit simpliciter nobilior intellectu, cfr. II. Sent. d. 25. p. I. q. 6, in scholio. Quod autem aliquid possit plus amari, « quam cognoscatur, quia potest perfecte amari, etiamsi non perfecte cognoscatur », disertis verbis docet etiam S. Thom. (S. I. II. q. 27. a. 2. ad 2; cfr. II. II. q. 27. a. 4.).

De hac quaestione: Scot., in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic q. 2. a. 2; S. I. II. q. 67. a. 6. — B. Albert., hic a. 9. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., de hac et seqq. qq. hic a. 3. q. 2. 3. — Durand., hic q. 6. — Dionys. Carth., hic q. 5.

II. De seq. (2.) quaestione alium non vidimus explicite tractantem. Apta autem adhibita distinctione, quaestio facile ab auctore determinatur.

III. In tertia quaestione solvenda Guliel. Antissiodorensis (S. p. III. tr. 6. c. 3. q. 1.) tenet primam opinionem, scilicet quod idem ordo caritatis sit in patria, qui est in via. Ipsi consentiunt alii plurimi antiqui doctores, saltem in hoc, quod volunt, quemlibet plus *se* quam proximum in patria diligere. « Sed de comparatione *propinquorum* ad extraneos credo, quod simpliciter loquendo, plus unusquisque diliget extraneum meliorem quam consanguineum minus bonum; quia plus attenditur ordo dilectionis quantum ad proximitatem ad Deum, quam quantum ad proximitatem ad se ipsum, quamvis utrumque oportet quod attendatur. Unde de aequaliter bonis plus diligit proximiorem, sed de inaequalibus diligit meliorem » (ita S. Thom., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 2.). Etiam in Sum. (II. II. q. 26. a. 13.) ipse docet, quod « non cessabunt ab animo Beati honestae dilectionis causae. Tamen omnibus istis rationibus praefertur incomparabiliter ratio dilectionis, quae sumitur ex propinquitate ad Deum ». — Quoad ordinem tamen *ipsius diligentis* ad proximum, ibidem S. Doctor, distinctione adhibita, aliqualiter duas opiniones conciliat docens, quod Beatus secundum *differentiam boni optati* plus diliget meliores quam se ipsum, sed e converso secundum *intensionem* dilectionis, quae est a parte subiecti diligentis. Huic doctrinae favet etiam Richard. a Med. — S. Bonav. utramque sententiam censet esse probabilem et argumenta utrique opposita solvit; tamen satis apparet, quod ipse inclinet potius in secundam positionem, mysticam quidem, sed sublimem, quam praeclare explicat hic et in suo Soliloquio c. 4.

IV. Praeter S. Thomam: B. Albert., hic a. 12. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 6, in fine.

QUAESTIO II.

Utrum caritas habeat in patria dilatari.

Secundo quaeritur, utrum caritas habeat in patria dilatari. Et quod sic, videtur.

1. De perfectione caritatis est *latitudo* [2]: si igitur caritas in patria efficietur perfectior, necessario sequitur, quod efficietur latior. Fundamenta.

2. Item, quanto Deus magis habitat in corde, tanto magis cor hominis dilatatur ad bona [3]; sed excellentiori modo habitabit Deus in homine in statu patriae quam in statu viae: igitur habitus caritatis in patria plus habet de latitudine.

---

[1] Cfr. supra d. 14. a. 1. q. 1. et q. 3. ad 6. — In principio solut. pro *beatificatio* cod. Z *beatitudo;* deinde inferius cod. Y ante *conformetur* repetit *Deo.* Circa finem solut. pro *approximare* Vat. *proximare,* cod. Z *appropinquare.*

[2] August., Serm. 358. (alias 36. ex Sirmond.) n. 4: Audi Apostolum, quam latum est mandatum caritatis: *Caritas autem Dei diffusa est in cordibus vestris* (Rom. 5, 5.). Non dixit *inclusa,* sed *diffusa.* Verbum enim, quod est *inclusa,* quasi angustias sonat; quod est *diffusa,* latitudinem insinuat. *Latum* ergo *mandatum tuum valde* (Ps. 118, 96.). Cfr. supra pag. 664, nota 5. — In conclus. pro ultimo *efficietur* codd. A U *efficiatur;* edd. bis *efficitur* pro *efficietur.*

[3] August., Serm. 23. (alias 122. de Diversis) c. 7. n. 7: Si tibi aliquis magnus patronus diceret: habitabo apud te; quid faceres. Cum angusta domus esset, procul dubio turbareris... Noli timere adventum Dei tui, noli timere affectum Dei tui; non te angustat, cum venerit, immo veniendo dilatabit te. Nam ut scias, quoniam dilatabit te, non solum *adventum* suum promisit: *Habitabo in eis,* sed etiam ipsam *latitudinem,* addendo: *Et deambulabo* (II. Cor. 6, 16.). Latitudinem istam, si diligis, vides. Timor tormentum habet, ergo angustias habet; ac per hoc amor latitudinem habet. Vide latitudinem caritatis: *Quoniam caritas Dei diffusa est,* inquit (Rom. 5, 5.), *in cordibus nostris* etc.

3. Item, quanto virtus et bonitas est maior, tanto eius diffusio est amplior et liberalior [1]; sed in patria crescet caritas secundum virtutem et bonitatem: igitur et per consequens crescet secundum communicationis amplitudinem.

4. Item, affectio sequitur cognitionem [2]; sed in patria cognitio dilatabitur et ampliabitur: ergo necesse est, caritatis affectionem similiter dilatari.

Ad oppositum.

SED CONTRA: 1. « Quanto virtus magis est unita, tanto magis est infinita [3] »; sed in patria virtus caritatis erit potentissima: ergo erit unitissima. Sed quod maxime accedit ad unitatem maxime recedit a latitudine: si igitur caritas in patria habet magis uniri, videtur, quod potius ibi habeat arctari quam dilatari.

2. Item, in via diligimus praescitos et praedestinatos ex caritate, in patria vero tantum praedestinatos [4]: ergo ad plures se extendit dilectio viae quam dilectio patriae; sed dilectio, quae ad plures se extendit, est latior: ergo etc.

3. Item, latitudo caritatis maxime attenditur in dilectione inimicorum; sed in via non solum diligimus amicos, sed etiam inimicos, in gloria autem non diligentur inimici: ergo videtur, quod caritas in patria potius habeat arctari quam dilatari.

4. Item, caritas viae diligit omne diligibile, et quod *supra* est, et quod *infra* est, et quod *iuxta* est, et quod *intra* est, secundum quod dicit Augustinus in libro de Doctrina christiana [5]; sed non possunt esse plura diligibilia, nec magis ab invicem distantia: si ergo latitudo caritatis attenditur penes diligendorum multitudinem et distantiam, videtur, quod caritas non possit esse magis ampla in patria, quam sit in via.

CONCLUSIO.

Caritas in patria dilatabitur quoad liberalitatis magnitudinem, non quoad diligendorum multitudinem, quae quadam ratione restringetur.

Duplex latitudo.

RESPONDEO: Dicendum, quod latitudo caritatis dupliciter habet attendi, videlicet in *liberalitatis magnitudine* et *diligendorum multitudine*. *Prima* latitudo est caritati essentialis, sed *secunda* est eidem accidentalis. Quantum ad *primam* latitudinem concedendum est, caritatem in patria dilatari, quia crescit eius bonitas et communicationis liberalitas et virtuositatis laudabilitas. Quantum autem ad *secundam* latitudinem caritas in patria non dilatabitur, quin potius restringetur, non ratione ipsius caritatis secundum se, sed [6] ex parte diligibilium; pauciora enim erunt diligibilia. Nunc enim ex caritate diligendi sunt sive qui sunt in statu *patriae*, sive qui sunt in statu *viae*, qui ordinati sunt, ut possint ad illum statum pervenire; sed post consummationem numeri electorum solum illi ex caritate diligendi erunt, qui erunt in statu *patriae*, quia alii non erunt potentes pervenire ad illius summi Boni participationem. Conclusio 1. Conclusio 2.

Concedendum est igitur, quod caritas in patria dilatabitur quantum ad liberalitatis magnitudinem. Ampliori enim affectu diligetur Deus in se et in creaturis suis, adeo ut ille qui modo videtur esse remotus, in patria sit amantissimus [7]; et amplius inviscerabit sibi tunc caritas omnes Beatos, quam modo possit homo etiam unum amicissimum sibi affectuose diligere. Et quia hoc ostendunt rationes ad primam partem, ideo sunt concedendae. Confirmatur.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod virtus magis unita plus est infinita; dicendum, quod diligere multa est dupliciter: aut multa ut *multa*, aut multa *relata ad unum*. Quoniam igitur in patria *Deus* erit *omnia in omnibus* [8], et in omnibus diligetur Deus; hinc est, quod caritas ex conversione sui ad multa et dilatatione non dispergetur, sed potius colligetur. Unde talis dilatatio et virtutis unio non habent repugnantiam, immo potius una istarum conditionum sequitur ad reliquam. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nunc diligimus praescitos et praedestinatos, in patria tantum praedestinatos; iam patet responsio: quia loquitur de latitudine ex parte *numerositatis diligibilium*. *Praeterea*, cum erit completus numerus electorum et collectus in unum, ita quod quilibet eorum notus erit [9] cuilibet, plures habebit tunc caritas, erga quos possit et habeat affici *specialiter* et distincte, quam habeat in statu viae. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de inimicis, similiter respondendum est. Hoc enim accidit, quia illi qui sunt in patria, inimicos non habent, quin [10] sint beatificabiles; vel non habebunt post diem iudicii alios

---

[1] Colligitur ex illo axiomate Dionysii: bonum est diffusivum sui; de quo videsis tom. I. pag. 804, nota 6.

[2] Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 9. n. 10, ubi loquens de dilectione Dei in terra ait: Mensura amoris minor est, ubi adhuc mensura minor est cognitionis. — In *minori* pro *cognitio* complures codd. et edd. I, 2 perperam *affectio*; in cod. K scriptum est *cognitio ampliatur, affectio dilatabitur* etc.

[3] Liber de Causis, propos. 17: Omnis virtus *unita* plus est infinita quam virtus *multiplicata*. — Pro *infinita* Vat. hic et infra in solut. *intensa*.

[4] Cfr. verba Gregorii, tom. II. pag. 288, nota 1. allata.

[5] Libr. I. c. 23. n. 22. Vide supra lit. Magistri, d. XXVIII. c. 1.

[6] Cod. A adiicit *potius*. Mox pro *pauciora enim* non pauci codd. *pauciora autem*. Aliquanto inferius pro *diligendi erunt* codd. F K N T U V aa bb *diligendi sunt*.

[7] Cod. L *amatissimus*. Pro *sit* cod. K *erit*.

[8] Epist. I. Cor. 15, 28. — Paulo superius ante *est dupliciter* codd. F G K T U Z inserunt *hoc*, et deinde ante *relata ad unum* cod. U inserit *ut*.

[9] Cfr. supra pag. 686, nota 3. — Codd. H N T U V Z *sit*.

[10] Codd. H U et edd. 1, 2 *qui non*, Vat. et *Supplement*. Sum. Alex. Hal. collat. 75. a. 2. nec non aliquot codd. *qui*, cod. O *cum*, qui cod. et subinde pro *beatificabiles* substituit *beati*.

inimicos quam damnatos; si tamen haberent, amplius eos diligerent, quam faciebant, cum essent in statu viae.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur de numero diligendorum, iam responsum est; quia non dicimus, caritatem dilatari propter *diligendorum numerositatem*, sed propter maiorem *affectus liberalitatem*. *Praeterea*, ratio illa non cogit, quia, quamvis non sint plura diligenda in *generalitate* quam quatuor [1], in *speciali* tamen et in particulari nihil impedit, diligendorum numerum augmentari; ad quae omnia, cum caritas familiariter et intense convertitur, non immerito dicitur dilatari [2]. Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum ordo caritatis in patria habeat immutari.

Tertio quaeritur, utrum ordo caritatis in patria habeat immutari, an is sit ordo patriae, qui est ordo viae, ut primo nos ipsos et deinde proximos diligamus. Et quod maneat, videtur posse ostendi sic.

Argg. pro parte affirmativa.

1. Sicut gratia est perfectio naturae, sic et gloria: ergo sicut ordo conveniens ipsi naturae institutae salvatur, habitu gratiae adveniente; sic videtur, quod salvetur, habitu gloriae superveniente. Si ergo hic est ordo naturae conveniens, ut magis nos quam proximos diligamus [3]; videtur, quod sicut hic manet, quamdiu sumus in gratia, similiter manebit in gloria.

2. Item, sicut ad virtutem fidei spectat videre *per speculum* et *in aenigmate* [4], sic etiam ad virtutem caritatis spectat diligere ordinate: ergo sicut, sublato medio cognoscendi sive videndi ab ipsa fide, virtus fidei evacuatur, sic, si a caritate auferatur ordo, quem habet in diligendo, necesse est, ipsam evacuari. Si ergo caritas non evacuatur in patria, videtur, quod non auferatur ei ordo diligendi, quem habebat in via.

3. Item, si tantum diligit se quis in patria, quantum diligit proximum, et e converso, ita quod non est ibi ordo; igitur tantum gaudet de bono proximi, quantum de suo bono: ergo ille qui non est martyr, tantum gaudet de gloria martyris, quantum si ipsemet haberet illam gloriam. Si ergo non [5] tantum gaudet non-martyr, quantum martyr, frustra ergo laborat homo aggredi opera perfectionis, cum tantum gaudeat ille qui non fecit, quantum ille qui fecit.

4. Item, si tantundem diligit aliquis alium, quantum semetipsum in gloria, ergo tantundem diligit sibi propinquos quantum remotos; tantundem etiam diligit illos quos convertit ad fidem, quantum illos quos non convertit; sed de illis quos convertit, habet quis gaudium *accidentale*, quod est aureola [6]: ergo similiter de his quos non convertit. Quodsi hoc est inconveniens dicere, inconveniens est ponere, ordinem caritatis in gloria commutari.

Pro parte negativa.

Sed contra: 1. Augustinus de Vera Religione [7]: « Perfecta iustitia haec est, ut plus potiora bona et minus minora diligamus »: si ergo in patria voluntas nostra ad perfectam iustitiam erit deducta, videtur, quod ibi magis diliget maius bonum. Si ergo proximus noster in patria melior est nobis, videtur, quod magis diligemus proximos nostros quam nosmetipsos.

2. Item, voluntas nostra per omnia erit in patria conformis voluntati divinae; sed Deus magis diligit meliorem [8]: ergo videtur, quod caritas in Beatis eos magis faciat diligi, qui sunt magis boni: igitur in patria non attenditur ordo secundum rationem *proprii* et *alieni*, *propinqui* et *remoti*.

3. Item, in patria *Deus* erit *omnia in omnibus*, et affectus Beatorum sic erit dilectione inebriatus, secundum quod dicit Bernardus in libro de Diligendo Deo [9], ut sui obliviscatur: si ergo Beati in patria in diligendo non attendunt *quod suum est*, sed quod Dei; videtur, quod ordo caritatis non maneat in patria secundum rationem *proprii* et *alieni*, nec dilectio sui praeponderabit dilectioni proximi.

4. Item, si homo amaret se plus quam proximum, ergo magis optaret sibi bonum quam proximo, et magis delectaretur in bono proprio quam alieno; sed ubi hoc est, aliquo modo manet proprietas, nec omni modo est perfecta gaudii communitas: si igitur in gloria erit summa communicatio gaudiorum [10], videtur, quod non maneat ibi ordo, qui nunc est respectu diligendorum.

---

[1] Vide supra d. 28. q. 6.

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Cfr. supra d. 29. q. 3.

[4] Epist. I. Cor. 13, 12. — Quod ad caritatem spectet diligere ordinate, ostensum est supra d. 29. q. 1. — Inferius post *evacuatur* edd. sic prosequuntur: *sic, sublato a caritate ordine diligendi, necessario habet caritas evacuari. Si ergo* etc.

[5] In Vat. et nonnullis codd. desideratur *non*.

[6] Cfr. II. Sent. d. 11. a. 2. q. 3. ad 6, d. 40. a. 2. q. 1; IV. Sent. d. 24. p. II. dub. 1. et d. 33. a. 2. q. 3. — Superius post *quantum remotos* Vat. interiicit *et e converso* (quod connectit cum seqq.). In fine arg. pro *in gloria commutari* cod. Z *in patria immutari*.

[7] Cap. 48. n. 93. Cfr. supra pag. 650, nota 8. — Inferius pro *maius bonum* codd. K V *magis bonum*.

[8] Vide infra d. 32. q. 3.

[9] Cap. 10. n. 28. et c. 15. n. 39. Respicitur I. Cor. 15, 28. et inferius ibid. 13, 5.

[10] Cfr. verba Anselm., Prosleg. c. 25, infra in corp. quaest. allata. Cfr. etiam August., in Ioan. Evang. tr. 67. n. 2. — Pro *omni modo* cod. O habet *omnimoda*, edd. cum paucis codd. *omnino*, et deinde *perfecta* pro *summa*. Pro *nunc*, quod Vat. omittit quodque fide codd. A B H M O P U bb restituimus, alii codd. et edd. 1, 2 nec non *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 75. a. 3. falso *non*.

CONCLUSIO.

Valde probabile videtur, quod in patria non manebit ordo caritatis, qui attenditur ratione naturae substratae, ita ut per se non amemus magis nos quam proximos.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hanc quaestionem est duplex dicendi modus.

Opinio 1. Unus est, quod in patria salvatur ordo caritatis, qui est in via, non tantum per comparationem nostri ad *Deum*, sed etiam per comparationem nostri ad *proximum*. Unde in omni statu, sive gloriae sive viae, plus homo diliget se ipsum quam proximum suum, et plus circa se ipsum afficietur, deinde plus circa illos qui ei coniuncti sunt, quam circa Ratio triplex. eos qui sunt minus coniuncti. — Ratio autem, quae movet hoc ponere, est, quia huiusmodi ordo consonare videtur *dictamini naturae, perfectioni gloriae, rectitudini divinae iustitiae. Natura* enim dictat, quod homo plus se quam alterum diligat. *Gloria* etiam essentialius [1] respicit illum, in quo est, quam alium ei consimilem et propinquum. *Divina* etiam *iustitia* ordinat, quod plus de suis meritis gaudeat homo, quae fecit, quam de alienis. Et sic per omnem modum videtur conveniens [2], ut ordo caritatis, qui est in via, salvetur in patria.

Opinio 2. Alius autem modus dicendi est hic, quod cum duplex sit ordo caritatis: unus, qui respicit caritatem *secundum se*, qui quidem attenditur secundum gradum et differentias boni; alter, qui attenditur ratione *naturae substratae*, utpote ille qui est secundum differentias *proprii* et *alieni, propinqui* et *remoti* [3]: unus istorum ordinum, scilicet ille qui est caritatis *secundum se*, manet in patria. Ille enim est caritati essentialis; unde magis diliget homo in patria Deum quam spiritum creatum, et spiritum magis quam corpus. Alius vero ordo, qui attenditur ratione *naturae substratae*, non manebit, pro eo quod non competit illi statui. In statu namque beatitudinis perfecta erit *obedientia naturae* respectu gloriae, perfecta *conformitas voluntatis* nostrae respectu divinae, perfecta etiam *redundantia communis laetitiae*. Quia perfecta erit *obedientia naturae* respectu gloriae, conformabitur tunc omnino natura gloriae, ut, sicut corpus efficietur spirituale et per omnia spiritui obtemperabit, quamvis secundum statum viae oporteat, spiritum corpori condescendere [4]; sic natura per omnia conformabitur ordini gloriae et gratiae, qui attenditur secundum *differentias boni*, quamvis nunc gratia condescendat ipsi affectui naturali. — *Rursus*, quia perfecta erit *conformitas voluntatis* nostrae respectu divinae, non magis diligemus illud quod magis erit nobis propinquum, sed illud quod plus erit Deo placitum et acceptum. — *Postremo*, quia erit ibi perfecta *affluentia communis laetitiae*, multiplicabitur gaudium hominis multiplicatione perfecta, ut tantum gaudeat de bono uniuscuiusque proximi quantum de suo; quod non posset esse, nisi diligeret proximum quantum semetipsum. Et hoc est quod dicit Anselmus in Proslogio, capitulo ultimo [5]: « In illa perfecta caritate innumerabilium Angelorum et hominum beatorum, ubi nullus minus alium quam se ipsum diligit, non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis quam pro se ipso ».

Secunda.

Tertia.

Quis autem istorum duorum modorum sit rationabilior, difficile est definire, quamdiu sumus in statu praesentis miseriae. Si enim velimus iudicare secundum ea quae in nobis sentimus, vix videbitur alicui credibile nec rationabile, quod aliquis omnino [6] diligat alterum quantum se ipsum. Unde iudicabit, primum modum dicendi esse magis verum. — Si quis vero velit mentem suam altius elevare ad illud Bonum incomprehensibile, quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* [7], et ad illam maximam civium unitatem; magis rationabilem iudicabit sequentem modum dicendi, secundum quod manifeste dicit auctoritas Anselmi et Augustini in libro de Vera Religione. Videtur id ipsum sentire et Bernardus in libro de Diligendo Deo. Unde si velimus loqui, ut plures, sustinebimus primum modum; si vero velimus loqui et sentire, ut sapientiores [8], sustinebimus sequentem. Sustinentes igitur hunc secundum modum dicendi, possumus ad obiecta respondere per ordinem.

Iudicium de his opinionibus.

Notandum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod gloria salvat ordinem naturae institutae: dicendum, quod verum est, quod naturam salvat; sed imperfectionem tollit et eliminat; ordo autem, qui attenditur respectu sui et proximi, deficit a perfecta communicatione et unitate et concordia affectionis; et ideo in ablatione talis ordinis nullum [9] fit naturae praeiudicium, sed potius de imperfectione ducitur ad complementum.

Solvuntur argg. pro parte negativa.

[1] Ita cod. A; alii codd. *essentialis*, quorum non pauci deinde verbo *respicit* praefigunt *magis*. In *Supplemento* Sum. Alex. Hal., ubi etiam habetur *essentialis*, verbo *respicit* praefixum est *plus*.

[2] Cod. X *convenientius*. Subinde pro *Alius autem* codd. A U Z *Alius etiam*.

[3] Cfr. supra d. 29. q. 5. et dub. 3.

[4] Vide I. Cor. 15, 42. seqq. — Paulo inferius, contextu exigente, posuimus *gratiae, qui*, licet codd. et edd. legant *gratiae, quae*.

[5] Nunc cap. *penultimo* (c. 25.). August. pag. 692, nota 10. cit. ait: Ut quod habent singuli commune sit omnibus. Sic enim «quisque etiam ipse habet, cum amat in altero quod ipse non habet. — Paulo superius post *nisi diligeret* cod. U subdit *tantum*.

[6] Codd. U Z *tantum*, cod. aa *homo*.

[7] Epist. I. Cor. 2, 9. — Mox pro *unitatem* edd. exhibent *unionem* et deinde pro *Bernardus in libro de Diligendo Deo* perperam *Dionysius in libris de Divinis Nominibus* (cfr. hic arg. 3. pro parte negat.).

[8] Codd. A U *sapientes*. Mox codd. G H I L aa omittunt *secundum*, pro quo cod. K *sequentem*.

[9] Cod. U *nulli*, Vat. *non*.

2. Ad illud quod obiicitur, quod ordo ille ita competit caritati, sicut aenigma fidei; dicendum, quod falsum est. Aenigma enim competit ipsi habitui fidei *secundum se* et in quantum est habitus virtutis dirigens ad voluntarie credendum ea quae non videntur; sed ordo ille qui est respectu proximi, attribuitur ipsi caritati *ratione naturae substratae.*

3. Ad illud quod obiicitur, quod tunc tantum gaudet [1] homo de alio quantum de se ipso; dicendum, quod illud verum est *ceteris paribus.* Sed ad quantitatem gaudii, attendendum est, quod duo con-
Notandum. currunt, videlicet *virtus dilectionis,* quae facit gaudere, et *materia,* de qua gaudet. Quantum est ex parte *materiae,* aequaliter gaudebit quis in patria de bono proximi et de bono suo, si est aequale, et
Notandum. magis, si est maius, et minus, si est minus; sed quantum est ex parte *virtutis,* per quam gaudet, magis gaudebit qui maiorem caritatem habebit. Unde magis gaudebit Petrus de bono Lini, quam Linus de bono proprio. Unde non sequitur, quod non-martyr tantum gaudeat [2] de bono martyris, quantum ipse martyr, quia merito martyrii aucta est ei virtus gaudendi. Et sic patet, quod licet ex hoc ponatur communitas gaudii, non tamen tollitur, quod unus plus gaudeat de alio quam alter.

4. Et per hoc patet ultimum, quod obiicit de praemio aureolae: quia, quod aliquis habeat gaudium *speciale* de alio, hoc non erit [3] ratione *ordinis* in diligendo, quod magis diligat illum quam alterum, sed hoc erit ratione cuiusdam *decoris et gloriae,* quam adeptus est merito operis excellentis.

Si autem aliam positionem sustinere velimus, ad omnia obiecta responderi potest breviter, quod omnia intelliguntur *ceteris paribus.* Solvuntur argg. pro parte negativa.

1. Unde quod dicitur, quod magis debemus diligere maiora bona; hoc verum est, quantum est de ratione *boni,* sed ratio [4] *maioris propinquitatis* aliud exigit.

2. Similiter quod dicit, quod perfecte conformanda est voluntas nostra voluntati divinae; dicendum, quod verum est; sed Deus non diligit *maiori* Distinctio. *affectu,* sed diligit *ad maius* [5]. Unde ex hoc non sequitur, quod debeamus magis diligere proximos nostros meliores nobis quam nos ipsos, sed quod debeamus eos *ad maius* diligere.

3. Similiter quod dicitur, quod affectus Beatorum erit inebriatus; hoc non est, quia non diligunt semetipsos, sed quia affectus eorum non erit retardatus in dilectione Dei.

4. Postremo, quod dicitur de communicatione perfectae laetitiae, non cogit, quia perfecta laetitia non excludit, quin homo principaliter bonum suum diligat; sed hoc facit, quod diligendo bonum proprium sic circa se afficiatur, ut circa alios non torpescat [6].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Caritas, quae deseri potest, nunquam vera fuit;* quoniam secundum hoc videtur, quod immutabilitas sit de veritate caritatis: ergo si homo in via semper mutabilis est a malo in bonum, videtur, quod nunquam habeat veram caritatem. *Si dicas,* quod Magister dicit inferius [7], quod veritas illa « non refertur ad caritatis essentiam, sed ad eius efficaciam »; hoc non solvit: primum, quia multi viatores habent caritatem, quae perducit eos ad veram beatitudinem; et tamen, quamdiu viatores sunt, possunt caritatem deserere: igitur ista duo possunt simul stare, quod caritas *possit deseri* et quod *fuerit vera.* — Item, caritas viae et patriae sunt unius rationis [8]: ergo si de veritate caritatis patriae est, ut sit immutabilis; videtur similiter, quod sit de veritate caritatis viae. Et sic videtur simpliciter sentire Augustinus [9], quod caritas vera nunquam amittatur; sed hoc est simpliciter falsum, sicut manifeste scitur per experimentum: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod verbum illud sane potest intelligi, ut fiat vis in duplici verbo: primo, ut fiat vis in verbo ex parte *subiecti,* in hoc quod dicitur: « caritas, quae deseri potest ». *Aliqua* enim pro- Notandum. prietas sive qualitas deseritur propter hoc, quod non potest resistere impellenti; *aliqua* deseritur ex mera voluntate habentis. Cum ergo dicit Augustinus, quod caritas non est vera, quae potest deseri; hoc intelligit de illo amore, qui non habet *efficaciam resistendi;* talis enim amor, qui potest a superveniente tentatione violentia quadam expelli, non meretur dici *amor caritatis,* cuius est Deum carissimum habere et propter se et super omnia diligere et propter amatum omnia faciliter tolerare. — Aliter po- Alia solutio. test intelligi, ut fiat vis in hoc quod dicit: « nunquam *vera* fuit »; quod virtus *vera* dicitur dupliciter: aut quia *habet operationem sibi debitam* [10], aut

---

[1] Cod. Z *gaudebit.*

[2] Cod. V *gauderet.*

[3] Pro *erit* codd. A N hic et paulo inferius *est.*

[4] In non paucis codd. desideratur *ratio;* in cod. Z legitur *sed maior propinquitas aliud exigit.*

[5] Cfr. infra d. 32. q. 2. seq.

[6] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[7] Cap. 1. — Pro *quod Magister* cod. bb *sicut Magister.*

[8] Cfr. supra a. 3. q. 1.

[9] In verbis huius dubii. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1, ubi etiam alii loci ex August. afferuntur. — Mox pro *amittatur* plurimi codd. *amittitur.*

[10] Aristot., IV. Meteor. text. 54. (c. ult.): Omnia autem sunt terminata opere; omnia enim, quae possunt facere suum opus, *vere* sunt, ut oculus, si videt; quod autem non potest, *aequivoce,* ut mortuus, aut lapideus, neque enim serra lignea, nisi ut imago. — De secunda vi *veri* cfr. supra pag. 488, nota 9. — Pro *sibi debitam* cod. A *ita debitam fini.*

quia *perducit ad finem*, propter quem est. Et in verbo proposito dicitur caritas non esse vera, quae deseri potest, quia, si deseritur, *finis debitus* non acquiritur; ideo potius *vana* quam *vera* est reputanda. Nec loquitur hic Augustinus de quacumque potentia deserendi caritatem, sed de potentia, quae est actui coniuncta.

Ad illud quod obiicitur, quod mutabilis et immutabilis non est eadem ratio [1]; dicendum, quod illud intelligitur de eo quod est immutabile per naturam, non de illo quod est immutabile per divinae largitatis beneficentiam et continuae bonitatis influentiam, sicut est caritas perfecta in patria [2].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quorundam nomina Christus dicit esse scripta in libro vitae, qui postea abierunt retro.* Quod enim scriptum est in libro vitae, cum ille liber sit immutabilis, deleri non potest: ergo videtur, quod non sit possibile, ut aliqui, qui scripti sunt, postea vadant retro et deleantur de illo libro. — Est igitur quaestio, utrum aliquis de illo libro possit deleri. Et quod sic, videtur per illud quod dicitur in Psalmo [3]: *Deleantur de libro viventium;* et Exodi trigesimo secundo: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitae.* Sed in contrarium est quod dicitur super illud Apocalypsis tertio [4]: *Non delebo eum;* Glossa: « Liber vitae est praescientia Dei, in qua omnia sunt constantia ».

Iuxta hoc quaeritur de libro vitae, quid sit et Quaestio. quis eius usus.

Respondeo: Ad hoc breviter dicendum est — quantum spectat ad propositum, quia quaestio ista determinatur in quarto libro [5], in tractatu de resurre- Distinctio. ctione — quod cum *liber vitae* sit divina dispositio, secundum quam aliquis ordinatur ad vitam et re- Notandum. putatur esse dignus vita, aliquis potest dici dupliciter *scribi in illo libro:* vel secundum *praesentis iustitiae reputationem*, vel secundum *finalis gratiae praevisionem.* Et primo modo dicitur scribi in libro vitae, quia scribuntur eius *merita;* secundo autem modo, non solum quia scribuntur eius *merita*, sed etiam quia [6] ipse *ordinatur ad vitam* secundum praedestinationem divinam. Qui primo modo scribitur deletur quantum ad *praesentem iustitiam*, quia iam non reputatur dignus vita; qui secundo modo scribitur nunquam deletur. Deletio autem illa non dicit aliquam immutationem factam circa ipsum Deum, sed solum circa meritum immutatum. — Et sic patet responsio ad obiecta [7].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Christus tantum electos dilexit et eorum salutem optavit.* Sed *contra:* latior fuit caritas in Christo quam in nobis; sed nos non diligimus solummodo electos, verum etiam praescitos: ergo et Christus. — Item, illos dilexit Christus, quos voluit salvos fieri; sed secundum quod dicitur primae ad Timotheum secundo [8]: *Ipse vult, omnes homines salvos fieri:* ergo videtur, quod tam electos quam reprobos dilexerit. — Item, Angeli non tantum serviunt electis, immo etiam malis, et eos quibus serviunt, volunt perducere ad vitam: ergo diligunt eos ex caritate: ergo multo fortius videtur, quod Christus ex caritate omnes dilexerit; et si hoc verum est, tunc non est verum quod Magister dicit.

Respondeo: Dicendum, quod sicut in primo libro [9] dictum fuit, voluntas in Deo distinguitur secundum duplicem modum. Est enim voluntas in Deo Duplex Dei voluntas. *antecedens* et voluntas *consequens:* voluntas *antecedens* est solummodo ex ipso, voluntas vero *consequens* pendet ex causa nostra. Per hunc modum dupliciter distinguenda est dilectio in Christo, videlicet dilectio, quae est secundum voluntatem *antecedentem*, et hac quidem omnes diligebat, quia omnes ad salutem pervenire cupiebat, quantum est ex se; et dilectio secundum voluntatem *consequentem*, et hac, quia respicit merita finalia, non omnes diligebat nec omnes ad salutem pervenire cupiebat. Et de hac ultima intelligit Magister, ipse autem opponit de prima. — Et per hoc patet responsio ad obiecta [10].

---

[1] Edd. *quod immutabilitas sit de veritate caritatis.*

[2] Cfr. de hoc dubio S. Thom., hic circa lit.

[3] Psalm. 68, 29. — Seq. Script. locus est Exod. 32, 31. seq.

[4] Vers. 5. — Glossa est *ordinaria*, in qua Strabus pro *sunt constantia* exhibet *continentur.* Cfr. de hac Glossa August., XX. de Civ. Dei, c. 15.

[5] Dist. 43. a. 2. q. 1. seqq. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — Inferius post *ad vitam* cod. U addit *secundum praedestinationem.*

[6] Non pauci codd. omittunt *quia.*

[7] Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. I. q. 33. m. 4. a. 2; B. Albert., hic a. 6; S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 3; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2; Richard. a Med., hic a. 2. q. 3.

[8] Vers. 4. — Inferius cod. Z verbo *dilexerit* praemittit *ipse.*

[9] Dist. 46. q. 1. in corp. et ibid. pag. 728, nota 2, ubi in dicto Damascent occurrit etiam illa de voluntate consequente locutio *pendens ex causa nostra.*

[10] Hoc dubium solvitur etiam a B. Alberto, hic a. 11; a S. Thom., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 1; a Petr. a Tar., hic circa lit.

DISTINCTIO XXXII.

Cap. I.

De caritate Dei.

Praemissis adiiciendum est de dilectione Dei, qua ipse diligit nos, quae non est alia, quam illa qua diligimus eum. Dilectio autem Dei divina usia est; eademque dilectione Pater et Filius et Spiritus sanctus se diligunt et nos, ut supra [1] disseruimus. Cumque eius dilectio sit immutabilis et aeterna, alium tamen magis, alium minus diligit. Unde Augustinus [2]: « Incomprehensibilis est dilectio atque immutabilis, qua Deus in unoquoque nostrum amat quod fecit, sicut et odit quod fecimus. Miro igitur et divino modo, etiam quando odit, diligit nos; et hoc quidem in omnibus intelligi potest. Quis ergo digne possit eloqui, quantum diligat membra Unigeniti sui, et quanto amplius Unigenitum ipsum? De ipso etiam dictum est: *Nihil odisti eorum quae fecisti* ». — Ex his percipitur, quod Deus omnes creaturas suas diligat, quia scriptum est: Nihil odisti eorum quae fecisti; et item: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.* Si omnia quae fecit, bona sunt; et omne bonum diligit: omnia igitur diligit, quae fecit; et inter ea magis diligit rationales creaturas, et de illis eas amplius, quae sunt membra Unigeniti sui, et multo magis ipsum Unigenitum.

Dubium 1. Dubium 2. Augustinus.

Cap. II.

Quomodo Deus dicitur magis diligere, vel minus hunc, vel illum.

Cum autem dilectio Dei immutabilis sit, et ideo non intenditur vel remittitur, si quaeritur, quae sit ratio dicti, cum dicitur magis vel minus diligere hoc quam illud, et cum dicitur Deus omnia diligere; dicimus, dilectionem Dei, sicut *pacem, exsuperare omnem sensum* [3] humanum, ut ad tantae altitudinis intelligentiam vix aliquatenus aspiret. Potest tamen intelligi, ea ratione dici: omnia diligi a Deo, quae fecit, quia omnia placent ei, omnia approbat, in quantum opera eius sunt, nec tunc, vel prius, vel amplius placuerunt ei, cum facta sunt; sed et [4] antequam fierent, immo ab aeterno omnia placuerunt ei, non minus, quam postquam esse coeperunt. Quod vero rationales creaturas, id est homines vel Angelos, alios magis, alios minus diligere dicitur, non mutabilitatem caritatis eius significat, sed quod alios ad maiora bona, alios ad minora dilexit, alios ad meliores usus, alios ad minus bonos. Omnia enim bona nostra ex eius dilectione nobis proveniunt. Electorum ergo alios magis, alios minus dilexit ab aeterno, et diligit etiam nunc, quia aliis maiora, aliis minora ex dilectione sua praeparavit bona, aliisque maiora, et aliis minora bona confert in tempore. Unde magis vel minus dicitur hos vel illos diligere.

Cap. III.

Quod dupliciter inspicienda est dilectio Dei.

Consideratur enim duobus modis dilectio Dei: secundum *essentiam* et secundum *efficientiam*. Non recipit magis vel minus secundum *essentiam*, sed tantum secundum *efficientiam*, ut *magis dilecti* dicantur, quibus ex dilectione ab aeterno maius bonum praeparavit et in tempore tribuit, et *minus dilecti*, quibus non tantum. Inde etiam est, quod aliqui, quando convertuntur et iustificantur, dicuntur tunc *incipere diligi a Deo*, non quod Deus nova dilectione quemquam possit diligere — immo sempiterna dilectione dilexit *ante mundi constitutionem* [5], quoscumque diligit — sed tunc dicuntur *incipere diligi ab eo*, cum aeternae Dei dilectionis sortiuntur effectum, scilicet gratiam, vel gloriam. Unde Augustinus [6]: « Absit, ut Deus temporaliter aliquem diligat quasi nova dilectione, quae in ipso ante non erat, apud quem nec praeterita transierunt, et futura iam facta sunt [7]. Itaque omnes Sanctos suos ante mundi constitutionem dilexit, sicut praedestinavit. Sed cum convertuntur et inveniunt illum, tunc *incipere ab eo diligi* dicuntur, ut eo modo dicatur, quo potest humano affectu capi quod dicitur. Sic etiam, cum *iratus* malis dicitur et *placidus* bonis, illi mutantur, non ipse. Ut lux infirmis oculis aspera, firmis lenis est, ipsorum scilicet mutatione, non sua »; « ita, cum aliquis per iustificationem incipit esse amicus Dei, ipse mutatur, non Deus ».

Dubium 3. Augustinus.

Cap. IV.

Si quis magis vel minus diligitur a Deo uno tempore quam alio.

Si vero quaeritur de aliquo, utrum magis diligatur a Deo uno tempore quam alio, distinguenda est dilectionis [8] intelligentia. Si enim referatur ad dilectionis *effectum*, concessibile est; si vero ad dilectionis *essentiam*, infitiabile est.

---

[1] Libr. I. d. X. c. 1. et d. XVII. c. 1.

[2] In Evang. Ioan. tr. 110. n. 6. — Post *dilectio* edd., exceptis 1, 8, addunt *Dei*, refragantibus codd., et deinde pro *possit* eaedem ponunt *potest*, et solae edd. 1, 8 *loqui* pro *eloqui*. — Locus Scripturae est Sap. 11, 25; deinde Gen. 1, 31.

[3] Respicitur Phil. 4, 7, in quo loco edd. 1, 8 cum Vulgata adiiciunt *Dei* post *pacem*, et superius eaedem cum codd. A B D omittunt *Deus* post *dicitur*. Denique in fine propositionis omnes edd. superflue adiiciunt *humanus sensus*, refragantibus nostris codd., qui immediate post cum sola ed. 8 bene addunt *sane* ante *intelligi*.

[4] Vat. cum plurimis edd. pro *sed et*, quod habent codd. et ed. 1, legit *quam*, ed. 8 *et*, ed. 5 *scilicet*.

[5] Respicitur Eph. 1, 4. — Inferius edd. 1, 8 glossando legunt *gratiam in praesenti vel gloriam in futuro*.

[6] Libr. V. de Trin. c. 16. n. 17. Ultima verba capituli leguntur ibid., sed paulo superius.

[7] De hac profunda sententia S. Augustini cfr. doctrina Ss. Thomae et Bonaventurae relata I. Sent. d. 39. a. 2. q. 3, et scholion.

[8] Codd. A B D E bene *dictionis*, quam lectionem etiam Erf. annotat.

CAP. V.

Si Deus ab aeterno dilexit reprobos.

De reprobis vero, qui praeparati non sunt ad vitam, sed ad mortem, si quaeritur, utrum debeat concedi, quod Deus ab aeterno dilexit eos: dicimus, de electis solis *simpliciter* hoc esse concedendum, quod Deus ab aeterno eos dilexit, quos ad iustitiam et coronam praeparavit. De *non electis* vero *simpliciter* est concedendum, quod *odio habuit*, id est reprobavit, sicut legitur [1]: *Iacob dilexi, Esau odio habui;* sed non est *simpliciter* dicendum, quod *dilexit*, ne praedestinati intelligantur, sed cum *adiectione:* dilexit eos, in quantum opus eius futuri erant, id est, quos et quales eos facturus erat. Dubium 4.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXII.

De caritate per comparationem ad divinam dilectionem.

Praemissis adiiciendum est de dilectione Dei etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de caritate quantum ad definitionem, et quantum ad diligibilium distinctionem, et quantum ad diligendi ordinem, et quantum ad meriti perfectionem, et etiam quantum ad durationem [1]. In hac parte agit de eadem per comparationem ad divinam dilectionem. Dividitur autem pars ista in partes tres. In quarum prima determinat de ipsa dilectione Dei, quid sit ipsa Dei dilectio. In secunda vero determinat, quantum diligit, ibi: *Cumque eius dilectio sit immutabilis et aeterna.* In tertia vero determinat quos diligit, ibi: *De reprobis vero, qui non sunt praeparati ad vitam aeternam.*

Prima et ultima parte remanentibus indivisis, media pars dividitur in tres partes. In quarum prima Magister proponit, quod Deus non omnia aequaliter diligit. In secunda vero ostendit, pro quanto dicatur unum diligere magis quam alterum, ibi: *Cum autem dilectio Dei immutabilis sit* etc. In tertia vero determinat, quare unum et eundem hominem secundum diversa tempora dicitur diligere plus et minus, ibi: *Si vero quaeratur de aliquo uno* etc. Subdivisiones autem partium satis manifestae sunt in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis possunt hic quaeri sex dubitabilia de dilectione divina.

Primum est, utrum Deus dilexerit creaturas aeternaliter.

Secundum est, utrum diligat omnes creaturas universaliter.

Tertium est, utrum omnes diligat aequaliter.

Quartum est, utrum magis diligat hominem quam Angelum.

Quintum est, utrum magis dilexerit genus humanum quam Christum.

Sextum et ultimum est, utrum magis Ioannem dilexerit quam Petrum.

ARTICULUS UNICUS.

De dilectione ipsius Dei.

QUAESTIO I.

Utrum Deus dilexerit creaturas aeternaliter.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum Deus dilexerit creaturas aeternaliter. Et quod sic, videtur.

1. Ad Ephesios primo [3]: *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in ipso;* sed nemo eligit nisi quod diligit: si ergo ab aeterno ante mundi constitutionem nos elegit, videtur, quod ab aeterno nos dilexerit. Fundamenta

2. Item, Augustinus quinto de Trinitate [4]: «Absit, ut Deus aliquid temporaliter diligat»: si ergo

[1] Malach. 1, 2. 3, et Rom. 9, 13. — Pro *simpliciter dicendum* edd. 1, 8 *intelligendum*. Vat. cum edd. 4, 9 post *adiectione* adiiciunt *concedatur*.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Cod. Z *ad eius durationem*.

[2] Edd. *quos*, et paulo inferius *quos non* pro *quos*.

[3] Vers. 4. — Quoad *minorem* vide I. Sent. d. 10. dub. 1, d. 40. a. 3. q. 2; tom. II. pag. 599, nota 5.

[4] Cap. 16. n. 17. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3, ubi pro *aliquid* legitur *aliquem*, sicut et in textu originali. — Deinde pro *quod diligit* permulti codd. *quos diligit*, codd. A bb *omnes quos diligit*, qui in fine arg. cum codd. H N semel omittunt *diligit*.

quod diligit diligit aut *temporaliter*, aut *aeternaliter*; et non *temporaliter*, constat: ergo quod diligit diligit *aeternaliter*.

3. Item, Magister dicit in littera [1], quod « dilectio est usia » sive substantia: si ergo substantia Dei non potest non esse aeterna, videtur, quod dilectio Dei similiter aeterna sit: ergo quidquid diligit aeternaliter diligit.

4. Item, aut dilectio Dei *praecedit* ipsas res, aut *sequitur*. Si *praecedit:* ergo ante fuit, quam res essent: ergo Deus dilexit res ante earum productionem, ergo non ex tempore, sed ab aeterno. Si *sequitur:* ergo videtur, quod dilectio Dei causetur ab ipsis rebus. Quodsi hoc est inconveniens, restat, quod Deus ea quae diligit, diligit [2] aeternaliter.

5. Item, si Deus de non-potente efficeretur potens et de non-sapiente sapiens, mutatus esset et imperfectus: ergo pari ratione, si de non-amante fieret amans; cum amor respiciat quod intra est, esset in eo mutatio et imperfectio. Quodsi hoc est impossibile, necesse est, Deum ea quae diligit, aeternaliter diligere.

Sed contra: 1. Dilectio est amor boni; sed Ad oppositum. « bonum et ens convertuntur [3] »: ergo quod non est ens non est amabile: ergo si res, antequam producerentur, non fuerunt; videtur, quod antequam producerentur, a Deo non diligerentur.

2. Item, amor est copula amantis et amati [4]; sed si copula est, necesse est esse extrema: ergo impossibile est, quod Deus creaturam diligat, quousque creatura habeat actualem existentiam. Sed hoc est solum ex tempore: ergo videtur, quod Deus non dilexerit creaturam aliquam aeternaliter.

3. Item, Deus non dicitur aliquem diligere *affectu:* ergo si diligit, hoc est, quia diligit *effectu* [5]; sed effectus divinae bonitatis est solum ex tempore: ergo Deus neminem diligit nisi temporaliter.

4. Item, dilectio Dei est causa sufficiens et proxima et immediata boni creati; sed posita causa efficiente proxima et immediata et sufficiente, ponitur effectus [6]: ergo si res creatae solum sunt ex tempore, videtur, quod Deus solummodo diligat eas temporaliter.

5. Item, si Deus diligit creaturas, aut diligit *fruens*, aut *utens;* sed constat, quod non diligit *fruens*, quoniam non est creatura fruendum, sicut in primo libro [7] fuit ostensum, cum illud quo fruendum est, sit summum Bonum: restat ergo, quod si creaturam diligat, diligit ut *utens*. Sed constat, quod non contingit *uti* nisi eo quod est actu: ergo nunquam Deus diligit creaturam nisi actu entem: non ergo diligit aliquam creaturam aeternaliter.

CONCLUSIO.

Creaturae non solum temporaliter, sed etiam aeternaliter a Deo diliguntur.

Respondeo: Dicendum, quod quaedam verba dicuntur de Deo respectu creaturae, quae connotant Triplex connotatio. effectum in *actu*, sicut verbum *creandi;* quaedam, quae connotant effectum in *habitu*, sicut vocabulum *praedestinandi* [8]; quaedam, quae indifferenter *utroque modo*, sicut vocabulum *diligendi*. Dicitur enim Deus aliquem *diligere*, vel quia *actu communicat* ei bonum, vel quia *proponit communicare*. Et quoniam *communicatio* est effectus in tempore, *propositum* vero communicandi est ab aeterno; hinc est, quod *diligere* de Deo aliquando dicitur *aeternaliter*, aliquando dicitur *temporaliter*. Unde bene concedi Conclusio. potest, quod creaturae non solum temporaliter, sed etiam aeternaliter a Deo diliguntur, sicut rationes ad primam partem inductae ostendunt [9]. — Verumtamen illa ratio, quam adducit quasi *per simile* de Ad 5. fundament. potentia et sapientia, non valet, quoniam non est simile. *Posse* enim et *scire*, quantum est de vi vocabuli, non ita connotat effectum in *actu*, secundum quod *diligere*. Nam verbum *diligendi* impositum est ab ipsa liberalitate affectionis se ipsam alteri communicantis.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contra- Solutio oppositorum. rium, quod bonum et ens convertuntur; dicendum, quod verum est de bono in *actu* et ente in *actu*. Sed cum dicitur, quod dilectio est solummodo boni; dicendum, quod non est verum solummodo de bono, Notandum. quod est in *actu*, sed etiam de bono, quod est in *causa*. Sicut enim ad cognitionem sufficit veritas rei in sua causa, sic ad diligendum sufficit bonitas, secundum quod res habet *esse* in suo principio producente, etiam antequam exterius producatur. Unde artifex non solummodo diligit bonum, quod fecit, sed etiam bonum, quod proponit et disponit facere [10].

---

[1] Hic c. 1. Codd. K Z bb *dilectio Dei est usia*, cod. A *dilectio est Dei usia*. Post pauca pro *non esse* cod. aa *nisi esse*.

[2] Cod. A *dilexit*.

[3] Secundum Dionys., de Div. Nom. c. 5. § 2. Cfr. tom. I. pag. 32, nota 2. Vide etiam Aristot., I. Ethic. c. 6.

[4] Cfr. supra pag. 615, nota 8. et 16. — Paulo inferius Vat. verbo *habeat* praefigit *non*.

[5] Vide quaest. seq. in corp. et ad 2.

[6] Cfr. Aristot., II. Phys. text. 37. (c. 3.), et supra pag. 22, nota 1.

[7] Dist. 1. a. 3. q. 2. August., I. de Doctr. christ. c. 31. n. 34: Diligit enim nos Deus, et multum nobis dilectionem eius erga nos divina Scriptura commendat; quomodo ergo diligit? ut nobis *utatur*, an ut *fruatur?* Sed si *fruitur*, eget bono nostro, quod nemo sanus dixerit... Non ergo *fruitur* nobis, sed *utitur*. Nam si neque *fruitur* neque *utitur*, non invenio, quemadmodum diligat. — Paulo superius pro *quod non diligit* codd. A F I K L N T V X aa *quod non diligat*. Paulo inferius pro *contingit* cod. A *habet*.

[8] Cfr. I. Sent. d. 30. q. 1. seqq. et d. 40. a. 1. q. 1.

[9] Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[10] Aristot., IX. Metaph. text. 7. (VIII. c. 3.) docet, ipsa non-entia intelligibilia et desiderabilia esse, non autem mota; « hoc autem, ait Philosophus, quia, cum non sint actu, erunt actu; non-entium enim quaedam *potentia* sunt, non autem sunt, quoniam actu non sunt ».

2. Ad illud quod obiicitur, quod amor est copula amantis et amati; dicendum, quod illud est verum, secundum quod amor est quaedam affectio et vinculum amicitiae, quo aliqui ad invicem colligantur; sed hoc modo non accipitur in proposito, cum dicitur, quod Deus diligit creaturam; « dilectio enim Dei est eius usia », non est affectio aliqua unitiva, sicut dicit Magister in littera [1]: et ideo non cogit illa ratio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Deus non dicitur diligere affectu, sed effectu; dicendum, quod Distinctio. diligere *effectu* potest esse [2] dupliciter, secundum quod effectus potest dupliciter connotari: *actu*, vel *habitu*; et quia res est in *habitu* et in *potentia*, antequam sit in *actu*: hinc est, quod dilectio Dei, quae connotat effectum in *habitu*, potest esse ante productionem ipsarum rerum. Et propterea ex hoc non habetur, si Deus dicitur *diligere effectu*, quod tunc solum incipiat diligere, quando effectus in *esse* producitur.

4. Ad illud quod obiicitur, quod dilectio Dei est causa, sufficiens proxima et immediata boni creati; dicendum, quod verum est; sed quemadmodum *vo-* Notandum. *luntas* divina dicitur *causa immediata*, quia non intervenit alia causa, non tamen, quod semper ponat effectum, sed solum pro tempore, pro quo vult, sicut ab aeterno voluit; sed statim fecit, cum venit tempus, pro quo voluit [3]: sic et in ipsa *dilectione* Dei oportet intelligi.

5. Ad illud quod obiicitur, quod si diligit, aut ut fruens, aut ut utens; dicendum, quod dilectio Dei una est, qua diligit se et qua diligit creaturam; et haec quidem, relata ad ipsum Deum, est *fruitio*, Notandum. comparata vero ad creaturam est *usus*. Cum ergo dicit, quod non contingit uti nisi eo quod est; dicendum, quod si *usus* accipiatur pro *exteriori* actione, verum est; sed si accipiatur pro *interiori* et habituali ordinatione in finem alicuius effectus producendi, sic non habet veritatem, quia efficiens longe ante refert ad finem illud quod intendit facere, quam etiam producat in re [4].

SCHOLION.

I. De quaestionibus huius dist. aliisque ad dilectionem ipsius Dei spectantibus prolixe tractat Alex. Hal., S. p. I. q. 31. 32, et brevius B. Albert., S. p. I. tr. 16. q. 64, quorum doctrinam posteriores Scholastici sequuntur. — S. Bonav. hic praesupponit, quod Deus creaturas diligat, quippe quibus communicat aliquatenus suam bonitatem; unde, cum amet propriam bonitatem, etiam similitudinem eiusdem in creaturis per ipsam suam bonitatem amat (cfr. S. Thom., hic a. 1; S. I. q. 20. a. 2; S. c. Gent. I. c. 91.).

II. Solutio primae quaestionis eruitur ex ipsa significatione verbi *diligere*, quod manifeste non importat principaliter *relationem*, sed *operationem* voluntatis, quae quidem, quatenus a voluntate elicitur, intra diligentem manet. Cfr. etiam hic dub. 1. 2.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 4. — S. Thom., hic a. 3; S. I. q. 20. a. 2. ad 2. — B. Albert., S. loc. cit. quaest. incid. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Durand., de hac et 2 seqq. qq. hic q. unica. — Dionys. Carth. et Biel, de hac aliisque huius dist. qq. hic q. unica.

III. In seq. (2.) quaestione solutio fit per distinctionem communiter receptam inter dilectionem *generalem*, qua Deus vult bonum quodcumque ordinis naturalis, et dilectionem *specialem*, qua aliquibus vult bona ordinis supernaturalis (cfr. solut. ad 1.). — Notanda est solut. ad 2, qua explicantur principia communiter recepta, quod amor Dei sit *effectivus*, non *affectivus*, et quod ipse causet bonitatem in rebus, dum amor noster causatur a bonitate in rebus. Attamen ad rem dicit Dionys. Carth. (hic q. unica, in fine): « Nihilominus sub correctione existimo, quod *amor* et *caritas* tam vere et proprie competunt Deo, sicut *sapientia* et *scientia*, et *diligere*, sicut *scire*... Si de ratione dilectionis seu amoris sit affectio, sequi videtur, quod dilectio Dei ad creaturas sit *vere affectiva*, sicut et volitiva » etc. Quae verba concedi possunt, si intelliguntur secundum doctrinam S. Thomae, S. I. q. 20. a. 1. in corp. et ad 1. 2.

De hac quaestione specialiter tractant: S. Thom., hic a. 2; S. loc. cit. a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1.

IV. De 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 3. — Scot., in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic a. 4; S. loc. cit. a. 3. — B. Albert., S. loc. cit. q. incid. 3. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2.

QUAESTIO II.

Utrum Deus omnes creaturas diligat generaliter.

Secundo quaeritur, utrum Deus omnes diligat generaliter. Et quod sic, videtur.

1. Sapientiae undecimo [5]: *Diligis omnia, Do-* Fundamenta. *mine, et nihil odisti eorum quae fecisti.* Nihil hoc expressius dici potest.

2. Item, Genesis primo [6]: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona;* sed summum Bonum non potest non diligere bona: ergo Deus diligit omnem creaturam.

3. Item, omne quod factum est, a Deo factum

---

[1] Hic c. 1. — In initio solut. pro *copula amantis et amati* codd. U Z *copula amantis cum amato.*

[2] Pro *potest esse* codd. A N *dicitur.* Mox pro *res est in habitu* non pauci codd. et edd. 1, 2 *res est habitu.*

[3] Vide I. Sent. d. 45. a. 2. q. 2.

[4] August., I. de Doctr. christ. c. 32. n. 35: Sed [Deus] neque sic utitur ut nos; nam nos res, quibus utimur, ad id referimus, ut Dei bonitate perfruamur; Deus vero ad suam bonitatem usum nostrum refert. Quia enim bonus est, sumus; et in quantum sumus, boni sumus... Ille igitur *usus*, qui dicitur Dei, quo nobis utitur, non ad eius, sed ad nostram utilitatem refertur, ad eius autem tantummodo bonitatem.

[5] Vers. 25: Diligis enim omnia quae sunt, et nihil etc.

[6] Vers. 31. — In *minori* pro *bona* cod. Z *ea quae sunt valde bona.*

est, Deus autem nihil facit nisi volens; sed velle bonum, hoc est amare [1]: ergo nihil procedit a Deo, quod non ametur ab ipso: si ergo omnia a Deo exeunt, videtur, quod omnia a Deo diligantur.

4. Item, amor est donum, in quo omnia alia donantur [2]; sed nullum creatum est, quod non suscipiat influentiam divinae liberalitatis: si igitur huiusmodi influentiae communicatio non est nisi mediante dilectione, videtur, quod dilectio Dei sit respectu omnis creaturae.

5. Item, omnia exoptant summum Bonum, secundum quod dicit Boethius, et Dionysius [3]; sed tunc Deus dicitur diligere creaturam aliquam, quando illam ad se convertit per dilectionem — magis enim dicitur diligere *effectu* quam *affectu* — ergo videtur, quod dilectio Dei se extendat ad omne creatum.

Sed contra: 1. Cum Deus sit summa caritas, Ad oppositum. omne quod diligit ex caritate diligit; sed ex caritate non sunt diligenda nisi tria diligibilium genera, videlicet Deus et spiritus rationalis et corpus humanum, secundum quod dicit Augustinus [4]: ergo non videtur, quod Deus diligat *omnem creaturam*.

2. Item, « amor, sicut dicit Hugo de sancto Victore [5], transformat amantem in amatum »; et quanto perfectior est amor, tanto magis conformat unum alteri: cum igitur amor Dei sit perfectissimus, nihil diligit, nisi quod est ei conformabile per se; hoc autem non est nisi creatura rationalis, quae facta est ad imaginem suam: ergo videtur, quod Deus non diligat omnem creaturam, sed *solum rationalem*.

3. Item, videtur, quod *non omnem rationalem* diligat: quia quidam sunt reprobi et quidam electi, quidam boni et quidam mali; sed impios et reprobos non diligit, secundum quod scribitur Malachiae primo [6]: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui;* et Sapientiae decimo quarto: *Similiter abominabilis est Deo impius et impietas eius:* si ergo Deus non diligit impietatem, videtur, quod non diligat impios: non ergo diligit omnes et singulos.

4. Item, dilectio est ratio electionis [7], ergo illos solum Deus diligit, quos ab aeterno elegit; sed non elegit omnes indifferenter: ergo non dilexit omnes generaliter.

5. Item, *diligere* est velle bonum [8], ergo illos tantum diligit, quibus vult bonum; sed cuicumque vult bonum, facit bonum: ergo illos tantum diligit Deus, quibus bona facit. Sed damnatis facit multa mala: ergo videtur, quod potius eos odiat, quam diligat: non ergo diligit generaliter omnem creaturam.

CONCLUSIO.

Dilectio Dei quoad effectum naturae est omnibus communis et generalis, sed quoad effectum gratiae est specialis.

Respondeo: Ad huius intelligentiam est notandum, quod Deus non dicitur creaturam diligere ratione *affectionis animi*, sed ratione *communicationis alicuius boni*, ita quod dilectio Dei potius dicitur esse dilectio *effectus* quam *affectus* [9]. Communicatio autem bonitatis divinae attenditur in duplici genere effectus, videlicet in effectibus *naturae* et effectibus *gratiae;* et effectus *naturae* omnibus est communis, effectus vero *gratiae* non. — Hinc est, quod dilectio Dei quantum ad effectum *naturae* est omnibus communis et generalis; et secundum hanc [10] dicitur diligere omnem creaturam. Quantum autem ad effectum *gratiae* est specialis; et quantum ad istum quosdam diligit, quosdam odit, quia quidam habent in se effectum gratiae, quidam defectum culpae et poenae. — Rationes ergo omnes, quae inducuntur ad primam partem et probant, Deum omnem creaturam diligere, quia probant de dilectione [11] *communi*, quae attenditur quantum ad communicationem boni generalis, utpote bonitatis naturalis, verum concludunt; et ideo concedendae sunt.

Axioma. Distinctio. Conclusio 1. Conclusio 2.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod Deus omnia quae diligit, ex caritate diligit; dicendum, quod hoc dupliciter potest intelligi: aut ita, quod haec praepositio *ex* [12] dicat habitudinem *principii motivi et productivi* respectu effectus creati; et sic omnia quae diligit, ex caritate diligit — caritas enim Dei principium est omnium effectuum, quos producit — aut ita, quod non solum dicat habitudinem *principii producentis*, verum

Solutio oppositorum. Duplex sensus.

---

[1] Vide verba Aristot., supra pag 574, nota 5. allata.

[2] Cfr. I. Sent. d. 18. q. 1. — Quoad *minorem* cfr. liber de Causis, propos. 1. 18. et 20. — Post *omnia alia* codd. A N P S bb subiiciunt *dona.*

[3] Boeth., III. de Consol. prosa 11; Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 10, ubi etiam haec leguntur, quibus illustratur *minor:* Possumus autem fiducialiter et veraciter dicere, quod Deus, qui est omnium causa, propter suae bonitatis excessum amat omnia et perficit omnia et continet et *ad se convertit;* et est divinus amor bonus boni propter bonum etc. (Versio abbatis Vercellens.).

[4] Colligitur ex I. de Doctr. christ. c. 23. n. 22, de quo videsis supra lit. Magistri, d. XXVIII. c. 1, et ibid. Comment. q. 4. et 6.

[5] De Arrha animae. Vide tom. II. pag. 4, nota 8.

[6] Vers. 2. seq. — Locus libri Sapientiae est 14, 9: Similiter autem odio sunt Deo impius etc. — Circa finem arg. pro *diligat* multi codd. *diligit.*

[7] Cfr. I. Sent. d. 40. a. 3. q. 1. fundam. 4.

[8] Vide verba Aristot., supra pag. 574, nota 5. allata. — Subinde post *diligit* cod. Z supplet *Deus.*

[9] Vide hic lit. Magistri, c. 3. — Paulo superius edd. omittunt *animi.*

[10] Cod. Z *secundum hunc modum.* Paulo inferius idem cod. etiam *et quantum ad istum modum.*

[11] Cod. Z subiungit *Dei.*

[12] Priscian., XIV. Grammat. c. 3, de praepositione *ex* dicit, quod « pro *causali* coniunctione potest accipi, ut *ex insidiis illius hoc patior*, i. e. insidiarum illius causa ». — Aliquanto inferius pro *suprema* cod. Z *summa.*

etiam *exemplaris repraesentantis*; et sic solum illos ex caritate diligit, quibus communicat caritatem creatam, cuius illa suprema caritas est exemplar. Notandum. Nam caritas increata est exemplar caritatis creatae sub ratione *caritatis;* aliorum vero non est exemplar sub hac ratione. Cum ergo dicitur, quod solum tria sunt diligenda ex caritate; hoc non dicitur, secundum quod *ex* dicit solum habitudinem *principii moventis et imperantis*, sed prout dicit habitudinem *formalis et elicientis;* et sic non potest concludi, quod Deus non diligat omnem creaturam se ipso, qui est caritas summa, ex qua procedunt omnia bona creata.

2. Ad illud quod obiicitur, quod amor transformat amantem in amatum; dicendum, quod illud verum est de amore *affectionis*, qui facit in alte- Notandum. rum tendere; sed amor divinus non est amor *affectionis* inclinans ad alterum, sed potius alia inclinans et trahens ad se ipsum. Unde amor divinus potius transformat et conformat amata ipsi amanti quam e converso. Secundum autem quod duplex est Duplex conformatio. conformatio ipsarum rerum ad Deum, videlicet secundum similitudinem *vestigii* et secundum similitudinem *expressam*, quae est ratio *imaginis* [1]; sic dilectio Dei potest dupliciter accipi, ut praedictum fuit, videlicet *generaliter*, et sic non connotat ibi nisi quandam generalem assimilationem; et *specialiter*, et sic connotat quandam expressam unitionem. Et ideo prima dilectio est respectu omnis creaturae; secunda vero non est nisi eius creaturae, cui Deus communicat caritatem, ita quod per caritatem illam adhaeret Deo unione permaxima, ut sic per caritatem *in Deo maneat, et Deus in eo* [2].

3. 4. 5. Ad tria vero sequentia, quae opponuntur, quibus ostenditur, quod Deus non diligit malos; unica est responsio: quia procedunt de dilectione *speciali*, non de *generali*. Et quantum ad illam dilectionem *specialem* verum est, quod Deus non diligit malos et reprobos, immo potius odit, quia non habent in se gratiam, sed culpam; quantum vero ad *naturam* non odit, sed diligit, quia *solem suum super bonos et malos oriri facit* [3]. Et per hoc potest ad tria ultima responderi.

QUAESTIO III.

Utrum Deus diligat omnes creaturas aequaliter.

Tertio quaeritur, utrum Deus diligat omnes aequaliter. Et quod sic, videtur.

1. Sapientiae sexto [4]: *Pusillum et magnum ipse* Ad oppositum. *fecit, et aequaliter est ei cura de omnibus;* sed eo modo diligit, quo modo est ei cura: ergo videtur, quod omnes aequaliter diligat.

2. Item, secundum quod dicit Philosophus [5], « primum uno modo se habet ad omnia »; sed *Deum diligere creaturam* hoc est Deum aliquo modo ad creaturam se habere: ergo si uniformiter se habet ad omnia, uniformiter et aequaliter se habet ad ea: non ergo diligit unam magis quam aliam.

3. Item, eadem dilectione, qua Pater diligit Filium, diligit creaturam [6]; sed dilectio, qua diligit Filium, est dilectio permaxima: ergo omnem creaturam diligit dilectione summa. Si ergo in summo non est ponere *magis* et *minus*, sed solum aequale; videtur, quod omnem creaturam diligat aequaliter.

4. Item, sicut Deus cognoscit creaturas, ita diligit [7]; sed omnes creaturas cognoscit aequaliter, non magis unam quam alteram: ergo omnes aequaliter diligit.

5. Item, sicut limpiditas cognitionis facit ad eius nobilitatem, sic magnitudo dilectionis facit ad eius commendationem [8]; sed quia cognitio Dei est nobilissima, omnem creaturam limpidissime cognoscit: ergo similiter, cum dilectio Dei sit excellentissima, omnem creaturam maxime diligit: ergo si in maximo non est ponere *magis* et *minus*, videtur, quod aequaliter amet cuncta quae diligit.

Sed contra: 1. Augustinus dicit, et habetur in Fundamenta. littera [9]: « Quis digne exprimat, quantum Deus diligat membra unigeniti Filii sui, et quanto amplius ipsum Unigenitum »? si igitur amplius diligit ipsum Unigenitum quam ipsius membra, videtur, quod non omnia aequaliter diligat.

2. Item, Deus diligit bonum, quia bonum; ergo magis bonum magis diligit [10]; sed non omnia sunt aequaliter bona: ergo non omnia sunt a Deo aequaliter dilecta.

3. Item, caritas nostra est ordinata [11]: si ergo ordo est de eius complemento, videtur multo fortius, quod caritatis summae et increatae sit res diligere ordinate, cum illa sit exemplar caritatis crea-

---

[1] Cfr. 1. Sent. d. 3. p. 1. q. 2. in fine. — Paulo inferius pro *et sic* cod. A *et secundum hoc*. Deinde pro *unitionem* cod. O *imitationem*, Vat. *unionem*.

[2] Epist. I. Ioan. 4, 16: Deus caritas est etc. — Pro *ut sic* cod. A (K a secunda manu) *et sic*.

[3] Matth. 5, 45. — Deinde edd. *et per hoc patet ad tria ultima responsio*. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Vers. 8. — Superius post *omnes* Vat. addit *creaturas*.

[5] Auctor libri de Causis, propos. 24; ipsa verba vide pag. 702, nota 7.

[6] Vide hic lit. Magistri, c. 1. — In fine arg. pro *diligat* multi codd. *diligit*.

[7] Quia, ut supra d. 31. a. 3. q. 2. fundam. 4. docetur, affectio sequitur cognitionem.

[8] Vide supra d. 30. q. 6. ad 2.

[9] Hic c. 1. — In fine arg. pro *diligat* non pauci codd. *diligit*.

[10] Cfr. supra pag. 650, nota 8.

[11] Vide supra d. 29. q. 1.

tae: si ergo Deus diligit res ordinate, videtur, quod non aequaliter.

4. Item, secundum quod Deus diligit, secundum hoc dona sua distribuit; sed non omnibus aequaliter dona sua distribuit: ergo non omnes aequaliter diligit [1].

5. Item, si aequaliter omnes diligeret, aequaliter omnibus propitius esset; sed non aequaliter omnibus propitiatur, immo *cui vult miseretur, et quem vult indurat* [2]: ergo non aequaliter diligit omnes creaturas.

CONCLUSIO.

Deus diligit omnes aequali dilectione, si ea sumitur secundum essentiam, sive actum volendi; non vero, si sumitur secundum efficaciam, sive bonum volitum.

RESPONDEO: Dicendum, quod de dilectione Dei est loqui dupliciter, videlicet secundum *essentiam* et secundum *efficaciam* [3]; sive secundum actum *essentialem* et secundum *effectum consequentem*. Si loquamur de dilectione quantum ad *essentiam* sive quantum ad *actum essentialem*; sic non tantum aequali dilectione diligit omnia; immo tantum uno et eodem actu simplici et indivisibili, nullo variato, nullo multiplicato, qui quidem est divina usia [4], diligit se et omnia alia. — Si vero loquamur de dilectione quantum ad *efficaciam* sive quantum ad *effectum consequentem*; sic, cum effectus ab ipsa dilectione Dei procedentes sint ordinati et sese excedentes, dicere est, quod Deus non omnes creaturas diligit aequaliter.

Distinctio.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Aliter potest dici et quasi in idem redit, quod cum *diligere* idem sit quod velle bonum [5], aequalitas dilectionis potest attendi dupliciter: aut ex parte *actus volendi*, aut ex parte *boni voliti*. Si ex parte *actus volendi*, sic omnia diligit aequaliter, quia non magis intense vult Deus bonum alicui rei quam alteri, immo ipso [6] summo amore suo vult bonum cuicumque vult. — Si autem ex parte *boni voliti*, sic, cum maius bonum velit uni quam alteri, non est dicere, quod omnia diligat aequaliter, sed quaedam maxime, quaedam vero minime, secundum quod vult communicare alicui bonum parvum, vel magnum, vel maximum. — Et quia secundum istam viam procedunt rationes ostendentes, quod Deus non diligit omnia aequaliter, sicut aspicienti patet; ideo sunt concedendae. — Verumtamen illa ratio, quae sumta est ex ordine caritatis nostrae, non valet, quia dilectio nostra diversis motibus movetur circa diversa diligibilia, qui possunt esse intensi et remissi; non sic autem est ex parte Dei.

Alia via ad idem probandum.

Conclusio 3.

Conclusio 4.

Ad fundament. 3.

1. Ad illud vero quod obiicitur de Sapientiae sexto, quod aequaliter est ei cura de omnibus; dicendum, quod *aequalitas* illa non excludit ordinatam boni communicationem, sed excludit personarum acceptionem, quae quidem est inaequalitas non solum deficiens ab *unitate aequalitatis*, verum etiam a *pulcritudine ordinis*; et ideo reprehensibilis est nec habet in Deo reperiri [7].

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod prima causa uno modo se habet ad omnia; dicendum, quod illud verum est quantum ad id quod est ex parte Dei; sed tamen creaturae, sicut ipse [8] dicit, non uniformiter se habent ad ipsum; et quoniam *diligere* Dei non tantum dicit, quod est ex parte ipsius, sed etiam effectum creatum: hinc est, quod ratione illius potest attendi inaequalitas.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod eadem dilectione diligit Deus Filium suum et creaturam; dicendum, quod quamvis dilectio sit eadem quantum ad rationem *principalis significati*, tamen *connotatum* [9] est aliud et aliud. Nam cum dicit, quod diligit Filium, non connotatur ibi aliquod bonum creatum, immo notatur communicatio Boni summi et infiniti; cum vero dicitur, quod diligit creaturam, connotatur communicatio boni creati et finiti; et ex hac parte dictum est, quod inaequalitas potest attendi.

4. Ad illud quod obiicitur, quod sicut cognoscit, sic diligit; dicendum, quod si *diligere* accipiatur pro ipso *diligendi actu*; sic veritatem habet, quia idem est Deo [10] *diligere* et *cognoscere*. Si vero pro *connotato effectu*, sic non habet veritatem, quia *cognoscere* non connotat effectum, sicut *diligere*. Et ideo non potest attendi gradus et ordo in cognitione Dei ratione connotati, secundum quod in dilectione [11].

5. Ad illud quod obiicitur, quod de perfectione et nobilitate dilectionis est magnitudo sive immensi-

---

[1] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. seq.

[2] Rom. 9, 18.

[3] Magister hic c. 3. *secundum efficientiam*. Inferius cod. Z bis post *de dilectione* subdit *Dei*.

[4] Ut dicit Magister hic in lit. c. 1. — Pro *nullo variato, nullo multiplicato* codd. U Z *nullo modo variato, nullo modo multiplicato*, et proxime post pro *qui quidem*, ut scriptum est in cod. A U aa bb, alii codd. et edd. *quae* [dilectio, ut Magister ait loc. cit.] *quidem*. Paulo inferius pro *dicere est* edd. *dicendum est*.

[5] Vide supra pag. 574, nota 5.

[6] Cod. A *in ipso*.

[7] Quare ibid. v. 8. dicitur: Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam; quoniam pusillum et magnum etc.

[8] Auctor libri de Causis, propos. 24: Causa prima existit in omnibus rebus secundum unam dispositionem, sed res omnes non existunt in causa prima secundum unam dispositionem. Quod est: quia, quamvis causa prima existat in rebus omnibus, tamen unaquaeque res recipit eam secundum suae potentiae modum etc. Et propos. 20: Prima enim bonitas influit bonitates supra res omnes influxione una, verumtamen unaquaeque rerum recipit ex illa influxione secundum modum suae virtutis et sui *esse*.

[9] Cod. X *quantum tamen ad connotatum*. Post *dilectio* cod. A supplet *Dei*. Pro ultimo *connotatur* multi codd. *notatur*.

[10] Vat. *in Deo*.

[11] Cfr. supra q. 1. in corp. ad fundam. 5.

tas, sicut de perfectione cognitionis est ipsa limpiditas; dicendum, quod verum est, quantum est ex parte ipsius *actus diligendi*; unde unumquodque [1] Notandum. diligit Deus dilectione permaxima, nec magis delectatur Deus in dilectione unius quam in dilectione alterius. Deus enim in diligendo se ipsum et se ipso fruendo diligit cetera, ita quod omnia diligendo se ipso fruitur et summe in se ipso delectatur; hac tamen dilectione maxima et summa quibusdam communicat maiora bona, quibusdam minora. Unde sicut dilectio Dei *in se* est *fruitio*, ipsa tamen *relata ad creaturam* potest dici *usus* ratione connotati [2]; sic, quamvis *in se* sit summa, ratione tamen *effectus connotati* contingit dici, aliquid plus, aliquid minus ab eo diligi [3].

QUAESTIO IV.

Utrum Deus magis diligat hominem quam Angelum, an e converso.

Quarto quaeritur, utrum Deus magis diligat hominem quam Angelum, an e converso. Et quod magis Angelum, videtur:

1. Quia tanto aliquis est Deo amabilior, quanto Ad oppositum. est ipsi similior: si ergo natura angelica est Deo similior quam humana [4], videtur, quod ab eo sit magis dilecta.

2. Item, maior dilectio et minor attenditur secundum maiorem et minorem communicationem divinae liberalitatis: sed Deus pro uno solo motu Angelum glorificavit [5], quod non facit hominibus: ergo exstitit eis liberalior quam nobis: igitur magis diligit genus angelicum quam humanum.

3. Item, Angeli magis diligunt Deum quam nos, pro eo quod nullam habent retardationem, qua praepediantur, ne totaliter possint tendere in Deum: ergo si Deus magis diligit magis se diligentes [6], videtur, quod magis diligat Angelos quam homines.

4. Item, Angeli sunt mediatores inter nos et Deum, secundum quod vult Augustinus octavo de Civitate Dei [7]; sed medium magis unitur extremo et ei est familiarius, quam unum extremum respectu alterius: ergo videtur, quod Deus magis diligat Angelos quam homines.

Sed contra: 1. Ad Hebraeos secundo [8]: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahae;* Fundamenta. sed illud fuit potissimum signum dilectionis et familiaritatis divinae, quod assumeret naturam creatam in unitatem personae suae: ergo videtur, quod magis dilexerit humanam naturam quam angelicam.

2. Item, Ioannis decimo quinto [9]: *Maiorem caritatem nemo habet* etc.; sed Deus posuit animam suam pro hominibus, non posuit eam pro Angelis: ergo magis homines quam Angelos dilexit.

3. Item, illam naturam magis Deus diligit, quam in altiori gradu honoris constituit: sed Deus humanam naturam in utroque sexu angelicis spiritibus superposuit, videlicet Christum et eius nobilissimam Matrem: ergo videtur, quod humanam naturam magis diligat et magis dilexerit.

4. Item, magis diligit quis aliquem, cum diligit eum in statu amicitiae et inimicitiae, quam solum cum diligit in statu amicitiae; sed Deus humanum genus diligit in statu amicitiae et in statu inimicitiae, quia, *cum essemus peccatores et inimici* Dei, dilexit nos [10], Angelos vero malos nec dilexit nec diligit: ergo videtur, quod prae Angelis genus humanum dilexerit.

CONCLUSIO.

Loquendo de dilectione Dei quoad effectum conditionis, *Deus magis dilexit Angelos quam genus humanum; sed aliter rationabiliter dici potest quoad effectum* reparationis *et secundum* statum finalem.

Respondeo: Dicendum, quod cum Deus dicatur diligere creaturas *effectu*, secundum quod duplex Duplex effectus divinae dilectionis. est *effectus principalis* Dei respectu creaturae rationalis, secundum hoc potest dilectio Dei *maior* et *minor* dupliciter considerari. Est enim effectus *conditionis* et effectus *reparationis*. Et in effectu *conditionis* praecipue manifestatur Dei *potentia*, in effectu *reparationis* praecipue manifestatur Dei *misericordia*, in utroque autem manifestatur Dei *sapientia*.

Si ergo loquamur de dilectione Dei quantum ad effectum *conditionis*, sic magis dilexit Angelos [11], Conclusio 1. quia meliora contulit eis naturalia et magis poten-

[1] Codd. A U *unumquemque*. Mox post *Deus enim* plures codd. omittunt *in*. Aliquanto inferius pro *delectatur; hac tamen* Vat. *delectat, attamen*. Deinde pro *maiora bona* cod. bb *magna bona*, multi alii codd. et edd. 1, 2 *magis bona*.

[2] Cfr. supra q. 1. ad 5. — In fine solut. pro *contingit dici* cod. G *contingit dicere*, et dein post ultimum verbum *(diligi)* cod. K adtexit *et patent obiecta*.

[3] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[4] Vide verba Gregorii, supra pag. 39, nota 2. allata.

[5] Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. III. c. 4; ibid. Comment. p. II. a. 1. q. 2. et d. 4. a. 1. q. 1. seq.

[6] Prov. 8, 17: Ego diligentes me diligo.

[7] Cap. 25, ubi s. Doctor non obscure innuit, Angelos bonos esse *infra* Deum et *supra* hominem, nosque per fidem propius ad eos accedere, « si ab illo nos fieri beatos, a quo et ipsi facti sunt, etiam *ipsis faventibus*, credimus ».

[8] Vers. 16. Cfr. supra d. 2. a. 1. q. 2. — Paulo inferius pro *naturam creatam* cod. Q *naturam humanam*.

[9] Vers. 13.

[10] Respicitur Rom. 5, 8. seqq. Cfr. supra d. 30. q. 6. ad 2.

[11] Cod. Z supplet *quam homines*.

tes eos fecit, et in eis magis manifestatur divina *potentia*. — Si autem loquamur quantum ad effe-
Conclusio 2. ctum *reparationis*, sic magis dilexit homines quam Angelos, quoniam Angelos deseruit, sed homines relevavit. Et sic patet, quod secundum diversos effectus homo et Angelus in dilectione Dei mutuo se excedant.

Si autem quaeras, quae istarum dilectionum magis excedat reliquam; tunc respondendum est,
Duplex excessus dilectionis. quod est loqui de excessu dilectionis *ut nunc*, vel *simpliciter*, sive secundum statum *praesentem*, vel secundum statum *finalem*. Si loquamur de excessu
Conclusio 3. dilectionis secundum statum *praesentem*; sic concedendum est, quod magis diligit Angelos quam homines. Si vero loquamur secundum statum *finalis*
Conclusio 4. *gratiae* [1], in quo erit reparatio consummata; sic videtur satis rationabiliter posse dici, quod magis diligat homines. De pluribus enim habebit homo in paradiso, unde gratus et devotus existat Deo, quam angelicus ordo: tum propter beneficium *incarnationis*, tum propter beneficium *redemptionis*, tum propter beneficium eminentis *glorificationis*; quae non tantum manifestant erga nos divinae caritatis *magnitudinem*, sed etiam eius *nimietatem*, secundum illud quod dicitur ad Ephesios secundo [2]: *Deus, qui est dives in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccato, convivificavit nos Christo.*

Et sic patet responsio ad quaestionem propositam. Patet etiam responsio ad obiecta: quia utraeque
Ad argg. rationes verum concludunt secundum diversas vias. Illae enim rationes, quae probant, quod magis diligat genus humanum, procedunt secundum effectum *reparationis*, habito respectu ad *finalem statum*; et ideo verum concludunt et concedendae sunt. Rationes vero, quae in oppositum adducuntur, alia via procedunt, sicut patet aspicienti.

1. Nam quod primo obiicitur, quod Angelus est Deo similior; hoc verum est quantum ad ea quae
Solutio oppositorum. sunt naturae, sed non oportet quantum ad dona gratiae. Dilectio autem Dei magis pensat dona naturae superaddita, quam ea quae sunt naturaliter insita. Et *si tu obiicias*, quod gratia correspondet naturae; ad hoc satis in secundo libro [3] responsum est.

2. Ad illud vero quod obiicitur, quod Deus liberalior est in Angelis, quia uno motu eos [4] beatificavit; dicendum, quod illud non concludit de dilectione *simpliciter*, sed de dilectione *ut nunc*, quae statum praesentem respicit. *Praeterea*, maius fuit Unigenitum suum pro impiis dare, quam Angelis merentibus aeternam mercedem retribuere; hoc enim fuit *iustitiae*, illud vero *misericordiae* et pietatis abundantissimae.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Angeli magis diligunt, quia nullum habent retardativum; dicendum, quod illa ratio concludit solum secundum
Notandum. statum *praesentem*, in quo corpus, cum corrumpitur, aggravat spiritum; secundum statum vero *futurum*, cum corpus erit spirituale effectum [5], homo non habebit aliquod impedimentum et habebit praecipuum gratiae adiutorium.

4. Ad illud quod obiicitur, quod sunt mediatores; similiter patet responsio. Mediatores enim nostri sunt secundum statum *praesentis miseriae*, in quo propter multiplicem defectum necessarium est nobis multiplex adiutorium, et propter magnam elongationem nostri a Deo indigemus mediatorum auxilio [6].

SCHOLION.

I. In solutione huius et duarum sequentium quaestionum auctores satis conveniunt. Quoad primam quaestionem, et respectu habito ad *bonum gloriae*, S. Thom. (hic a. 5. quaestiunc. 3.) paulo aliter distinguit. Nam comparationem instituit de singulis hominibus ad singulos Angelos, non de toto genere, et solvit his verbis: « Quantum ad bonum *gloriae* se habent ut excedentia et excessa, quia quosdam homines plus, et quosdam Angelos plus, et quosdam aequaliter » (diligit). Eandem doctrinam repetit in Sum. (I. q. 20. a. 4, ubi de his 3 quaestionibus unitis disputat) et quoad totum genus addit: « Nec ideo naturam humanam assumsit Deus, quia hominem plus diligeret, sed quia plus indigebat »; quod non contradicit doctrinae S. Bonaventurae, qui disertis verbis loquitur de divina dilectione secundum *effectus*.

De hac (4.) quaestione praeter S. Thom. aliosque in praeced. scholio citatos: Alex. Hal., S. p. I. q. 32. m. 1. — Scot., III. Sent. d. 9. n. 10. seqq. — B. Albert., de hac et seq. q. S. p. I. tr. 16. q. 65. q. incid. 4. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2.

II. In solutione sequentis (5.) quaestionis omnes concedunt, quod Deus Christum etiam secundum humanam naturam plus diligat quam totam creaturam. Ita S. Thom., hic a. 5. quaestiunc. 4; S. loc. cit. — Petr. a Tar., loc. cit. q. 4. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., loc. cit. q. 4.

---

[1] Cod. A *gloriae*.

[2] Vers. 4. seq., ubi Vulgata: *et cum essemus mortui peccatis... nos in Christo*.

[3] Dist. 9. q. 3. — Paulo ante pro *Dilectio autem* cod. A *Dilectio enim*, et dein pro *insita* cod. Z *inserta*.

[4] Pro *eos*, quod edd. omittunt, cod. F *omnes*. Mox pro *concludit* permulti codd. perperam *excludit*, et paulo post pro *maius fuit* edd. 1, 2 cum non paucis codd. *magis fuit*.

[5] Respicitur illud Sap. 9, 15: Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam; et illud I. Cor. 15, 44: Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale etc. — Pro *cum corrumpitur* codd. U Z aa *quod corrumpitur*, codd. A T aa *corrumpitur* tantum. Subinde pro *spiritum* cod. Z *animam*. In principio solut. pro *nullum habent retardativum* codd. F K *nullam habent retardationem*. In fine solut. pro *et habebit* edd. cum paucis codd. *sed habebit*, et pro *praecipuum* cod. Z *praecipue*.

[6] Vide verba August., supra d. 19. a. 2. q. 2. ad 5. allata. — Superius pro *statum praesentis miseriae* codd. B C D E I L G M O T V et edd. 1, 2 *statum praesentem miseriae*.

III. Ultima (6.) quaestio praecipue orta est ex quadam Glossa hic arg. 3. pro parte affirm. relata. In solutione S. Thom. in Sum. (loc. cit.), postquam retulit diversas illas opiniones, de his (vel saltem de ultima, quod Petrus *simpliciter* fuerit melior, sed Ioannes *secundum quid*), omnino concordans Seraphico, sapienter concludit: « Praesumtuosum tamen videtur hoc diiudicare, quia, ut dicitur Proverb. 16, 2, *spirituum ponderator est Dominus*, et non alius ». Cfr. idem III. Sent. d. 31. q. 2. a. 3. quaestiunc. 3. — Praeter laudatum: B. Albert., loc. cit. q. incid. 7. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 4. quaestiunc. 4. — Dionys. Carth., III. Sent. d. 31. q. 3.

QUAESTIO V.

Utrum Deus magis dilexerit genus humanum quam Christum.

Quinto quaeritur, utrum Deus magis dilexerit genus humanum quam Christum. Et quod sic, videtur.

Ad oppositam. 1. Ioannis tertio[1]: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* sed qui dat aliquid pro aliquo magis diligit illud, pro quo dat, quam illud quod commutat: si ergo Deus Filium suum dedit pro salute generis humani, videtur, quod magis genus humanum quam Christum dilexerit.

2. Item, Christus homo est bonitatis finitae, genus[2] humanum, cum sit multiplicabile de se in personas innumerabiles. habet quodam modo bonitatem infinitam; sed quod plus habet de ratione boni plus habet a Deo diligi: ergo videtur, quod Deus magis diligat totum humanum genus quam illum hominem solum.

3. Item, « propter quod unumquodque, et illud magis[3] »; sed Filius Dei incarnatus fuit propter genus humanum salvandum, et humana illa natura fuit assumta pro redimenda tota natura humana: ergo magis diligebat Deus ipsam naturam, propter quam carnem assumsit, quam illam quam assumsit: ergo idem quod prius.

4. Item, stultus est qui commutat rem maioris valoris pro re minoris valoris: si ergo Deus in redimendo genus humanum non usus est stultitia, immo potius sapientia; non perdidit, sed lucratus est: ergo maius bonum fuit illud quod redemit, quam illud per quod redemit. Et quod magis est bonum magis diligit: si ergo Deus humanum genus per Christum redemit, videtur, quod magis ipsum genus totum quam Christum dilexerit.

Sed contra: 1. Ad Philippenses secundo[4]: *Dedit* Fundamenta. *illi nomen, quod est super omne nomen;* sed secundum dignitatem communicati nominis attenditur praerogativa amoris: ergo si Christo etiam secundum humanam naturam nomen super omne nomen communicavit, videtur, quod ipsum super omnia dilexerit.

2. Item, Ioannis tertio[5]: *Datus est ei spiritus non ad mensuram:* si ergo aliis omnibus datur spiritus ad mensuram, et secundum quod Deus excellentius spiritum tribuit, secundum hoc eminentius diligit: videtur ergo, quod magis dilexerit Christum quam totum genus humanum.

3. Item, aut Deus *appretiabatur* illum hominem tantum quantum genus humanum totum, aut *non*. Si *sic*, habeo propositum; si *non:* ergo non reputavit sufficiens pretium: ergo per mortem Christi non fuit ei satisfactum. Quodsi hoc est manifeste falsum, quia abundantissime satisfactum fuit Deo per mortem Filii sui; videtur, quod maioris pretii fuit Christus quam totum genus humanum.

4. Item, in infinitum maius est *esse* Deum quam *habere* Deum; sed Deus sic dilexit Christum, quod fecit, ipsum *esse* Deum, alios vero sic diligit, quod facit eos suum *habitaculum*[6]: ergo in infinitum plus dilexit Christum quam totum genus humanum.

CONCLUSIO.

Deus plus dilexit Christum quam totum genus humanum.

Respondeo: Dicendum, quod Christus nominat[7] personam in duabus naturis, quarum *una* est nobilitatis et dignitatis infinitae, et ipsa *persona* in se; et *natura unita* ratione personae habet quandam nobilitatem et dignitatem singularem et inaestimabilem. Ergo absque omni calumnia potest concedi et Conclusio. dici, quod Deus magis dilexerit et diligat Christum quam totum genus humanum. Et hoc satis expresse colligitur ex verbis Anselmi[8], ubi ostendit, quod vita illius hominis praeponderabat toti mundo, immo etiam mille mundis. — Propterea rationes, quae ad hanc partem inducuntur, concedendae sunt.

1. Ad illud quod obiicitur, quod carius habe- Solutio oppositorum. tur illud quod emitur, quam pretium, quo emitur; dicendum, quod illud est verum, quando pretium ab emente omnino alienatur et transfertur in domi-

[1] Vers. 16.

[2] Vat. *sed genus*, edd. 1, 2 *ergo genus*, complures codd. *ergo* tantum, omissa voce *genus*.

[3] Aristot., I. Poster. c. 2. — In conclus. pro *ipsam naturam* edd. *ipsam humanam naturam*.

[4] Vers. 9: Donavit illi nomen etc. Cfr. supra pag. 233, nota 5. — In conclus. ante *communicavit* Vat. supplet *Deus*.

[5] Vers. 34. Vide supra d. 13. a. 1. q. 2.

[6] Cfr. supra d. 2. a. 3. q. 2. in corp. — Pro *sic diligit* cod. Z *ita diligit;* multi codd. et edd. 1, 2 omittunt *sic* ante *diligit*.

[7] De vi nominis *Christi* vide supra d. 18. dub. 2.

[8] Libr. II. Cur Deus homo, c. 14.

nium alienum; sic autem non est in proposito, quia Pater non tradebat Christum sine spe rehabendi ipsum, immo sic tradidit eum ad mortem temporalem, ut sine morae dispendio suscitaret eum ad
Notandum. vitam immortalem. Unde quamvis Christus vitam suam pro nobis posuerit, non tamen illam amisit; quia eadem virtute, qua animam posuit volendo pati, ipsam resumsit volendo resurgere [1].

2. Ad illud quod obiicitur, quod genus humanum est bonitatis infinitae, cum sit in infinitum multiplicabile; respondendum est *per interemptio-*
Notandum. *nem* [2] utriusque. Quamvis enim genus humanum sit in infinitum multiplicabile, quantum est *de se*, per generationis successionem, si tempus et motus in infinitum duraret; tamen, quantumcumque multiplicetur, semper est *actu* finitum et bonitatis finitae. Humana vero natura in Christo ratione gratiae unionis, per quam datur *spiritus non ad mensuram*, quodam modo habet immensitatis dignitatem, ob quam totum genus humanum excedit quasi improportionabiliter. Et ideo ad illam rationem respondendum est *per interemptionem.*

3. Ad illud quod obiicitur: propter quod unumquodque, et illud magis; dicendum, quod illud verum est, secundum quod *propter* dicit habitudinem *causae finalis principalis*, non prout dicit habitudinem *rationis inducentis.* Humanum vero genus respectu incarnationis et nativitatis Christi non fuit *ratio finaliter movens*, sed quodam modo *indu-*
Notandum. *cens.* Non enim Christus ad nos finaliter ordinatur, sed nos finaliter ordinamur ad ipsum, quia non *caput* propter membra, sed *membra* propter caput. *Ratio* tamen *inducens* ad tantum bonum fuit nostrae reparationis remedium, sicut in principio huius tertii libri [3] fuit ostensum. Sed ex hoc non sequitur, quod genus humanum sit melius, quia minus bonum potest inducere ad faciendum maius bonum.

4. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod stultus est mercator, qui emit rem carius, quam valeat; dicendum, quod illud non habet veritatem nisi in eo mercatore, qui habet indigentiam pretii et potius intendit in mercando se ipsum ditare quam alienam inopiam relevare. Non sic autem est in Deo, *qui di-* Ratio 1.
ves est in misericordia [4] et *bonorum nostrorum non indiget;* qui non mercatur propter suam utilitatem augendam, sed propter nostram inopiam relevandam; qui etiam non mercatur ad suae utilitatis promotionem, sed potius ad liberalitatis ostensionem. Et propterea maiori pretio voluit nos redimere, quam nos valeremus, ut, eius liberalitatem circa nos cognoscentes, ex totis praecordiis eidem adhaereremus, ut eum diligeremus et pretiositatem etiam nostram ex tanti pretii immensitate melius cognosceremus [5]. — *Praeterea*, Deus non redimebat ab alio, Ratio 2.
sed a se ipso. *Manus* enim *misericordiae* redimebat a *manu iustitiae*, in qua redemptione non tantum considerabatur pretiositas rei emptae, sed etiam dignitas ipsius iustitiae, cui illatum fuerat damnum et offensa. Et quia offensio divinae iustitiae immensae quandam habebat immensitatem; ideo, quamvis homo redemptus non esset valoris infiniti, necessarium tamen fuit, ipsum redimi pretio multo maioris et immensioris valoris, quam sit valor generis humani [6].

QUAESTIO VI.

Utrum Christus magis dilexerit Ioannem quam Petrum.

Sexto et ultimo quaeritur, utrum magis dilexerit Ioannem quam Petrum. Et quod sic, videtur:

1. Primo per *textum Evangelii*, Ioannis decimo
Argg. pro parte affirmativa. nono [7]: *Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus;* sed hoc non dicitur per discretionem, quia alios non diligeret Iesus: ergo dicitur per excellentiam, quia ipsum prae ceteris diligebat.

2. Item, hoc videtur per *verbum Ecclesiae*, quod trahitur de verbis Bedae; cantat enim Ecclesia [8]: «Hic est Ioannes, qui privilegio amoris praecipui ceteris altius a Domino meruit honorari».

3. Item, hoc ipsum videtur per *testimonium Glossae* super ultimum Ioannis [9], ubi dicit Glossa Augustini, quod Petrus magis amabat, sed Ioannes magis amabatur.

4. Item, hoc videtur per *signum familiaritatis*

---

[1] Respicitur Ioan. 10, 18; cfr. supra d. 21. a. 1. q. 1. ad 1. et dub. 1. seq.

[2] Vide supra pag. 640, nota 2.

[3] Dist. 1. a. 2. q. 2. — Superius pro *ratio finaliter movens* cod. Z *ratio finalis et movens.* In fine solut. pro *maius bonum* cod. K *magis bonum.*

[4] Eph. 2, 4. — Subinde respicitur Ps. 15, 2: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. — Supra in principio solutionis pro *quam valeat* cod. A *quam valet.* Inferius voci *liberalitatis* codd. U V praemittunt *suae*, et non ita multo post pro *valeremus* et *adhaereremus* cod. Z substituit *valeamus* et *adhaereamus.*

[5] Cfr. August., Serm. 130. n. 2. seqq.

[6] Cfr. supra d. 19. dub. 4. et d. 20. q. 3. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Vers. 26, ubi tamen verba *Hic est discipulus ille* non habentur, sed tantum illa *quem diligebat Iesus.* Verba priora leguntur Ioan. 21, 24. — Superius pro *quam Petrum* plurimi codd. *an Petrum.* In *minori* pro *quia*, quae lectio est in codd., Vat., *quasi*, edd. 1, 2 *quod.*

[8] In festo S. Ioan. (27. Dec.) resp. lect. 2. Noct. 1. — Beda, I. Homil. homil. 8. in die natali S. Ioan. ait: Diligebat autem eum Iesus non, *exceptis ceteris*, singulariter solum, sed *prae ceteris*, quos diligebat, familiarius unum, quem specialis praerogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum... hunc prae ceteris diligit, qui virgo electus ab ipso, virgo in aevum permansit. Cfr. eius Exposit. in Evang. Ioan. 21, 23.

[9] Vers. 20. seqq. — Glossa sumta est ex August. Exposit. in hunc loc. tr. 124. n. 4-8. — A Vat. absunt verba *amabat, sed Ioannes magis.*

divinae. Si enim Christus Ioanni se familiariorem exhibebat et maiora signa dilectionis ostendebat [1]; cum nihil per fictionem faceret, videtur, quod ipsum Ioannem non solum magis quam Petrum, sed etiam prae ceteris diligebat.

Pro parte negativa.

SED CONTRA: 1. Ioannis ultimo [2]: Dixit Dominus Petro: *Simon Ioannis, diligis me plus his?* sed constat, quod non sic quaereret Dominus, nisi sciret, quod eum Petrus plus amaret — unde et Glossa dicit, «quod tacite hoc innuit Iesus, dum, interrogans de amore, dicit hic quod non alibi» — sed Deus magis diligit eos qui magis se diligunt: ergo etc.

2. Item, Deus dicitur diligere quantum ad *effectum*, et *magis diligere* quantum ad *excellentiorem effectum:* si ergo caritas est excellentissimus effectus divinae bonitatis; si ergo maiorem caritatem dederat Petro, quia Petrus magis ipsum amabat, sicut aperte innuit Glossa [3]; ergo videtur, quod magis dilexit Petrum quam Ioannem.

3. Item, Christus specialissime dilexit Ecclesiam et eam commisit Petro gubernandam [4]: ergo videtur, quod non solum quantum ad *effectum*, sed etiam quantum ad *signum* magis dilexerit Petrum.

Quaestio connexa.

Iuxta hoc quaeritur: quis erat melior, utrum Petrus, an Ioannes? Si enim Petrus magis diligebat; et qui magis diligit melior est: ergo melior erat Petrus quam Ioannes. *Rursus*, si Christus magis diligebat Ioannem quam Petrum; et qui magis diligitur, ille est melior: ergo melior erat Ioannes quam Petrus; quae duo simul stare non possunt [5].

CONCLUSIO.

Istae dilectiones Christi erga Petrum et Ioannem secundum diversas considerationes se mutuo excedebant.

Triplex modus dicendi.

RESPONDEO: Ad huius intelligentiam est notandum, quod hic est triplex modus respondendi, quorum unus facit ad explicationem alterius. Primus est secundum *Augustinum*, alter secundum *Bernardum* et tertius secundum *communem modum dicendi.*

Modus 1.

Augustinus enim ad istam quaestionem super Ioannem [6] dicit respondens, quod est dilectio in *signo exteriori* et dilectio in *effectu interiori.* Si loquamur de dilectione in *signo exteriori*, magis diligebat Christus Ioannem, quia maiorem familiaritatem ei exhibebat, sicut patet, quia *super pectus eius recubuit in coena* [7]. Si vero loquamur de dilectione quantum ad *effectum interiorem*, qui est effectus gratiae; sic magis diligebat Petrum, quia maius munus gratiae sibi dederat. — Et *si tu obiicias*, quod Deus illi debebat maiora signa dilectionis ostendere, quem magis diligebat secundum veritatem; respondet Augustinus, quod per Ioannem et Petrum significatur duplex vita: per Petrum *activa*, quae transit, per Ioannem *contemplativa*, quae manet. Unde Petro dictum est: *Sequere me* [8]; de Ioanne vero: *Sic eum volo manere.* Et quoniam *activa* laboriosior est et fructuosior, *contemplativa* vero purior et iucundior; ideo ad significandam differentiam huius duplicis vitae familiarius se exhibebat Dominus Ioanni quam Petro. In cuius rei *signum* commisit Dominus Ioanni Matrem custodiendam, Petro vero pastoralem curam. Et ex hoc dicit Augustinus, quod Petrus erat *melior*, sed Ioannes *felicior.* — Et secundum istum modum dicendi satis patet responsio ad obiecta, quia procedunt secundum diversas vias.

Duplex dilectio. Conclusio 1.

Conclusio 2.

Obiectio solvitur.

Duplex vita.

Signum huius rei.

Alius modus respondendi secundum *Bernardum* [9] est, quod Petrus dilexit *ferventius* et diligebatur *fortius;* Ioannes vero dilexit *dulcius* et diligebatur *familiarius.* Et sic secundum diversas vias de utroque potest concedi, quod magis diligebat, et etiam, quod magis diligebatur, secundum quod rationes ad utramque partem inductae ostendunt.

Modus 2. Conclusio 3.

Tertius est modus dicendi, quod Petrus magis dilexit Deum *in proximo;* Ioannes magis dilexit Deum *in se.* Unde Petrus accepit curam regiminis, sed Ioannes gratiam contemplationis; unde Petrus efficaciorem habuit gratiam ad laborem *actionis*, Ioannes vero efficaciorem ad quietem *contemplationis.*

Modus 3. et conclusio 4.

Omnes autem hi modi dicendi sunt satis congrui, et unus magis explicat alterum. Ideo enim Ioannes dilexit *dulcius* et Petrus *ferventius*, quia Ioan-

Iudicium auctoris.

[1] Ioan. 13, 23: Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Et ibid. 19, 26. seq.: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua etc. — Pro *se familiariorem exhibebat* cod. A *per familiaritatem se exhibebat.*

[2] Vers. 15. — Glossa *ordinaria* apud Strabum sic sonat: Iesus scit quod interrogat, an plus diligat; Petrus quod de se novit dicit, id est quod amat; et quia de aliis quantum diligant, nescit, ideo utrum plus illis diligat, tacet. Ecce docet non temere definire de occultis... *Pasce agnos meos.* Si me diligis, pasce agnos *meos*, non ut tuos; gloriam meam in eis quaere, non tuam... Haec autem caritas ex divina datur gratia. Quod tacite innuit Iesus, dum, interrogans de amore, dicit hic quod non alibi: *Simon Ioannis*, id est obediens Dei gratia, quia quod ardentius ceteris diligit et obedit, non est nisi Dei gratia. — In textu Glossae plurimi codd. et edd. 1, 2 omittunt *quod* ante *non alibi.* Paulo superius pro *non sic quaereret... nisi sciret... plus amaret* cod. Z *non sic quaerebat... nisi quia sciebat... plus amabat.* In fine arg. pro *se diligunt* cod. G *diligunt eum.*

[3] In Ioan. 21, 20. seqq.; vide supra arg. 3. pro parte affirm. De *maiori* cfr. supra q. 2. in corp.

[4] Cfr. Matth. 16, 18. seq., et Ioan. 21, 15. seqq.

[5] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 124. n. 4, ubi hae aliaeque similes quaestiones tractantur.

[6] Tract. 124. n. 4-8. — Subinde pro *dicit respondens* codd. G K *dicit respondendo*, codd. A N U Z bb *docet respondere*, cod. I *videtur respondere*, cod. H *dicitur respondere.* Mox et aliquanto inferius iterum pro *in effectu interiori* edd. perperam substituunt (cfr. arg. 2. pro parte negativa) *in affectu interiori.* Denique post *Ioannem* edd. supplent *quam Petrum.*

[7] Ioan. 21, 20.

[8] Ioan. 21, 19. et 22, ubi et seq. testimonium. — Paulo inferius pro *purior* cod. K *praeclarior.*

[9] Serm. 29. de Diversis, n. 5. et Serm. 20. in Cant. n. 5, ubi Petri amor fortis fuisse praedicatur. Cfr. Guerici abbat. Serm. 4. in Assum. B. M. V. n. 3. (inter opera Bernardi). — Paulo superius pro *diversas vias* cod. K *duas vias.*

nes accepit specialiter gratiam ad amandum Deum *in se* per *contemplationis saporem;* Petrus vero praecipue ad diligendum Deum *in proximo* per *actionis laborem.* Et hinc est, quod Petrus diligebatur a Christo *fortius* quantum ad effectum gratiae interioris; Ioannes vero *familiarius* quantum ad signa exterioris conversationis. — Haec autem *signa* familiaritatis Dominus exhibebat Ioanni non solum propter significationem, sed etiam propter qualitatem personae. Diligebat enim Dominus Ioannem, sicut dicit Chrysostomus [1], magis *familiariter* propter ingenitam mansuetudinem et propter virginalem puritatem et etiam propter iuventutem, quae etiam, ceteris paribus, facit hominem diligi magis tenere.

Notandum.

His visis, patet responsio ad quaestionem et ad obiecta, quoniam isti duo in dilectione Dei secundum diversas consideraciones se mutuo excedebant. Hinc est, quod secundum quod aliqui diversimode afficiuntur, praeponunt Ioannem Petro, quidam vero sentiunt e converso. — Sed quis eorum apud Deum finaliter fuerit carior, hoc [2] melius sciemus in gloria, et melius est exspectare quam hic temere definire. Hoc tantum dixisse sufficiat, quia ille altior est in caelis, qui finaliter maiorem caritatem habuit in terris; et hoc dico quantum ad magnitudinem *praemii substantialis.* Nam quantum ad decorem *aureolae,* quae respondet continentiae virginali, non est inconveniens, Ioannem Petro praeponi [3].

Conclusio generalis.

Observatio notanda.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo dubitatur de situ huius partis. Cum enim agere de dilectione Dei spectet ad primum librum [4], videtur, quod tractatus iste male in hoc tertio situetur. Quodsi *tu dicas,* quod Magister hoc facit, quia eadem est dilectio, qua nos diligimus Deum, et qua Deus diligit nos; *tunc obiicitur,* quod tota ista pars, quae est de caritate, male hic situetur. Si enim caritas non est habitus virtutis, sed potius donum increatum [5], quod est Spiritus sanctus; videtur, quod de ipsa non debeat determinari inter alias virtutes.

Respondeo: Dicendum, quod ordo situationis istius capituli attenditur secundum opinionem Magistri, qua posuit, sicut tangit in littera [6], quod eadem est dilectio, qua Deus diligit nos, et qua nos diligimus Deum. Et *si tu obiicias,* quod tunc non debuit determinare de caritate inter alias virtutes; respondetur pro ipso, quod hoc non fecit, quia caritas sit *species* virtutis, sed quia caritas est *radix* virtutum. In dono enim amoris, quod est Spiritus sanctus, ceteri virtutum habitus donantur [7]. — Potest etiam aliter dici, quod hic *per accidens* introducitur illud capitulum. Quia enim dilectio Dei est exemplar nostrae dilectionis, ideo ad maiorem evidentiam introducitur hic tractatus de ipsa; vel certe, ut assignetur hic differentia dilectionis divinae ad dilectionem nostram, sive praecellentia; quia, cum dilectio nostra sit affectio ordinata, dilectio Dei non est nisi divina substantia vel usia [8].

Opinio falsa Magistri.

Alia resp.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *dilectio Dei est divina usia.* Si ergo [9] dilectio Dei est substantia et essentia, ergo videtur, quod *Deum diligere* est *Deum esse:* cum ergo Deus non sit aliud a se, videtur, quod nec aliud a se diligat. — Item, Deus incipit aliquem diligere: ergo si dilectio eius [10] est eius essentia, videtur, quod Deus incipiat esse. — Item, nullum aeternum est temporale, et nullum temporale aeternum; sed dilectio Dei, qua diligit viros iustos, est temporalis, Dei substantia [11] est aeterna: ergo Dei dilectio non est divina substantia.

Respondeo: Ad haec et consimilia breviter est dicendum, quod dupliciter est loqui de dilectione Dei: aut a parte *principalis significati,* aut a parte *connotati.* Si loquamur de ipsa quantum ad *principale significatum,* sic est Dei essentia et est quid aeternum, nec est aliud quam Deus. Si vero loqua-

Distinctio.

---

[1] In Ioan. homil. 33. (alias 32.) n. 3: Quid ergo illi hunc eximium amorem conciliavit? Videtur mihi ille modestiam et mansuetudinem magnam exhibuisse; quapropter saepe non ita libere et fidenter agere deprehenditur. — Pro *ingenitam mansuetudinem* cod. W rectius (quia respondet textui Graeco πολλὴν πραότητα) *ingentem mansuetudinem.* — Cfr. Hieron., l. adversus Iovinian. n. 26, ubi pro ratione praedilectionis affertur iuventus et virginitas Ioannis.

[2] Multi codd. *et hoc.* Mox pro *Hoc tantum... quia* codd. A X *Hic tamen... quod.*

[3] Vide scholion ad 4. quaest.

[4] In quo nempe agitur de Deo eiusque attributis. — Inferius pro *quod Magister* edd. cum multis codd. substituunt *quod magis,* refragantibus codd. A H K bb (aa a secunda manu).

[5] Sic codd. A U (N a secunda manu), alii codd. et edd. *creatum.* Mox pro *debeat* cod. A *deberet,* codd. K N X et edd. 1, 2 *debet,* cod. U *debeatur,* codd. B C D E G H I L T V aa *debetur.*

[6] Hic c. 1. — Pro *qua ponit* codd. A G Z *quam posuit.*

[7] Cfr. l. Sent. d. 18. q. 1. — Superius voci *virtutum* edd. praefigunt *omnium.*

[8] Cfr. de hoc dubio S. Thom., hic circa lit.

[9] Cod. A *enim.* Mox edd. voci *substantia* praeponunt *divina.*

[10] Cod. A *Dei.*

[11] Fere omnes codd. et edd. 1, 2 perperam *Dei dilectio;* cod. T omittit *Dei substantia est aeterna: ergo.*

mur quantum ad *connotatum*, sic connotat quid temporale et habet respectum ad extrinsecum [1], quod est a Deo diversum et quod non est Dei substantia, sed cuius Dei substantia est causa; et quantum ad hoc currunt illa tria obiecta. Et sic patet responsio ad omnia [2].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Absit, ut Deus aliquem temporaliter diligat.* Videtur enim falsum. Aliquis enim, qui modo est malus, incipit esse bonus; sed Deus malos odit et bonos diligit: ergo cum iste desinat esse malus in tempore et incipiat esse bonus; videtur, quod Deus istum temporaliter desinat odire et incipiat ipsum diligere. — Item, in Deo idem est *velle* quod *facere*, sicut dicit Augustinus, et in libro primo [3] fuit habitum: ergo idem est *velle* alicui bonum et *facere* ei bonum; sed Deus temporaliter alicui bonum facit: ergo videtur, quod temporaliter ei bonum velit, ergo temporaliter diligit.

Respondeo: Dicendum, quod est dilectio *electionis* et dilectio *approbationis*. Prima est aeterna, sicut et voluntas Dei; secunda vero ratione *connotati* potest esse ex tempore. Et de prima intelligit Augustinus [4], ipse autem opponit de secunda. — Vel aliter. Hoc quod est *temporaliter* potest referri ad verbum *diligendi* ratione *actus principalis*, vel ratione *connotati*. Si ratione *actus principalis*, sic est falsum. Hic est enim actus divinae voluntatis, qui est aeternus; et hoc modo intelligit Augustinus, sicut patet per litteram sequentem. Ait enim sic [5]: « Absit, ut Deus temporaliter aliquem diligat quasi nova dilectione, quae in ipso ante non erat ». Si autem intelligatur quantum ad *connotatum*, sic concedi potest, quod Deus temporaliter aliquem diligit; et in hoc sensu opponit.

Dilectio electionis et approbationis.

Alia solutio.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *de non electis non est simpliciter concedendum, quod eos dilexerit*: quia omnem hominem, quem Deus diligit in tempore, ab aeterno dilexit, cum dilectio Dei sit causa omnis boni; sed multi praesciti sunt, qui habent praesentem iustitiam et gratiam, quam eis Deus ab aeterno praeparavit et dare disposuit: ergo videtur, quod ab aeterno eos dilexerit.

Iuxta hoc quaeritur, utrum Deus magis diligat peccatorem praedestinatum quam iustum praescitum. Et quod magis peccatorem praedestinatum, videtur: quoniam sapientis est magis considerare finem et exitum rei quam initium vel progressum; sed Deus istum peccatorem, qui tamen est praedestinatus, scit ipsum futurum amicum suum finaliter, alium vero minime: ergo magis diligit eum. — Praeterea, isti vult dare aeternam beatitudinem et proponit quod est summum Bonum, alii vero non: ergo magis diligit peccatorem praedestinatum quam iustum praescitum. — Sed *contra* hoc est: quia iste peccator magis est Deo dissimilis quam iustus: ergo minus est amabilis. — Item, iste magis diligit Deum: ergo magis a Deo diligitur, cum Deus magis diligat diligentes se [6].

Quaestio incidens.

Pro parte affirmativa.

Pro parte negativa.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut tactum est prius [7], est dilectio *approbationis*, et est dilectio *electionis*. Dilectio *approbationis*, cum sit temporalis, respicit statum praesentem; dilectio vero *praeelectionis*, cum sit aeterna, respicit illum statum, in quo homo debet aeternaliter permanere. Et quoniam reprobi, etsi boni sint, non tamen finaliter permanere in bono dicuntur; ideo non vult Magister, quod a Deo aeternaliter diligantur, nisi verbum *diligendi* a ratione propria distrahatur. Unde Magister bene concedit *cum determinatione;* sine vero determinatione dicit eam non esse concedendam, quia eius intellectus falsitati appropinquat.

Distinctio.

Et per hoc patet responsio ad illud quod quaerebatur consequenter, quia quantum ad dilectionem temporalem, quae respicit statum praesentis iustitiae, magis diligit Deus iustum praescitum; quantum vero ad alium modum diligendi magis diligit peccatorem praedestinatum, si tamen est dicere ibi *magis*. — Quodsi *quaeras, simpliciter* loquendo, quem magis diligit; respondendum est, quod *simpliciter* magis diligit eum quem praedestinat, quam eum quem reprobat, quia non est quaestio de homine quantum ad *qualitatem culpae*, sed quantum ad *ordinem naturae* respectu gratiae et gloriae [8].

Ad quaest. incidentem.

---

[1] Ita codd. A Z bb, alii codd. et edd. *extrinsecus*.

[2] Cfr. supra q. 1, et I. Sent. d. 30. q. 1. — Vide de hoc dubio Alex. Hal., S. p. I. q. 31. m. 1. 4; B. Albert., hic a. 1; S. Thom., hic circa lit.

[3] Dist. 45. tam in lit. Magistri, c. 4, quam in Comment. a. 2. q. 1. seq., ubi Augustini testimonia ex I. de Gen. contra Manich. c. 2. n. 4, et III. de Trin. c. 4. n. 9. afferuntur. Ceterum quae hic Augustino attribuuntur potius respondent verbis in illa Glossa allatis ex Cassiodoro super Ps. 144, 17. (loc. cit. q. 2. fundam. 2.): Deo hoc est *velle* quod *facere*, quia ex eius voluntate res habent *esse*.

[4] In textu huius dubii. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

[5] Libr. V. de Trin. c. 16. n. 17. Vide hic lit. Magistri, c. 3. — Paulo superius pro *Hic est enim... qui* edd. *Hoc enim est... quo*.

[6] Prov. 8, 17: Ego diligentes me diligo.

[7] Dub. praeced. — Non ita multo post pro *debet* cod. V *habet*, et dein pro *dicuntur* cod. A *debent*.

[8] Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. I. q. 32. m. 2; B. Albert., hic a. 4; S. Thom., hic a. 5. quaestiunc. 1; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 4. quaestiunc. 2; Richard. a Med., hic a. 2. q. 3.

DISTINCTIO XXXIII.

Cap. I.

De quatuor virtutibus principalibus.

Post praedicta de quatuor virtutibus, quae principales vel cardinales vocantur, disserendum est; quae sunt iustitia, fortitudo, prudentia, temperantia. De quibus Augustinus [1] ait: « Iustitia est in subveniendo miseris, prudentia in praecavendis insidiis, fortitudo in perferendis molestiis, temperantia in coercendis delectationibus pravis ». De his dicitur in libro Sapientiae: *Sobrietatem et prudentiam docet, iustitiam et virtutem.* *Sobrietatem* vocat temperantiam, et *virtutem* vocat fortitudinem. Hac virtutes cardinales dicuntur, ut ait Hieronymus [2], « quibus in hac mortalitate bene vivitur, et post ad aeternam vitam pervenitur ».

Dubia 1. 2. 3. 4.

Dubium 5.

Cap. II.

Utrum et in Christo fuerint et in Angelis sint.

Quae in Christo plenissime fuerunt et sunt, *de cuius plenitudine nos accepimus* [3]; in quo habuerunt usus eosdem, quos in patria habent, et quosdam etiam viae.

Cap. III.

De usibus earum.

Verumtamen, an [4] « hae virtutes, cum et ipsae in *animo* esse incipiant, qui, cum sine illis prius esset, tamen *animus* erat, desinant esse, cum ad aeterna perduxerint, nonnulla quaestio est. Quibusdam visum est, esse desituras, et de *tribus* quidem, prudentia scilicet, fortitudine, temperantia, cum hoc dicitur, non nihil dici videtur; *iustitia* enim immortalis est et magis tunc perficietur in nobis, quam esse cessabit, cum beate vivemus contemplatione naturae divinae, quae creavit omnes ceterasque instituit naturas, qua nihil melius et amabilius est; cui regenti esse subditum iustitiae est. Et ideo *immortalis est* omnino *iustitia* [5] nec in illa beatitudine esse desinet, sed talis ac tanta erit, ut perfectior et maior esse non possit. Fortassis et aliae tres virtutes: *prudentia* sine ullo iam periculo erroris, *fortitudo* sine molestia tolerandorum malorum, *temperantia* sine repugnatione libidinum, erunt in illa felicitate, ut *prudentiae* ibi sit nullum bonum Deo praeponere vel aequare; *fortitudinis*, ei firmissime cohaerere; *temperantiae*, nullo defectu noxio delectari. Quod vero nunc agit *iustitia* in subveniendo miseris, quod *prudentia* in praecavendis insidiis, quod *fortitudo* in perferendis molestiis, quod *temperantia* in coercendis delectationibus pravis; non erit ibi omnino, ubi nihil mali erit. Ista igitur virtutum opera huic mortali vitae necessaria, sicut fides, ad quam referenda sunt, in praeteritis habebuntur ». — Ecce aperte hic dicit Augustinus, quod praedictae virtutes in futuro erunt, sed *alios usus* tunc habebunt quam modo. Cui Beda [6] consentit, super Exodum ita dicens: « Columnae, ante quas appensum est velum, potestates caeli sunt quatuor eximiis virtutibus praeclarae, id est fortitudine, prudentia, temperantia, iustitia, quae aliter in caelis servantur ab Angelis et animabus sanctis quam hic a fidelibus ». Et consequenter assignat Beda *usus* illarum virtutum secundum praesentem et futurum statum, imitans Augustinum in praemissis assignationibus.

Dubium 6.

Augustinus.

Beda.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXIII.

De virtutibus cardinalibus.

Post praedicta de quatuor virtutibus etc.

DIVISIO TEXTUS.

Pars ista, in qua Magister determinat de habitibus gratuitis, prout ab invicem distinguuntur, divisa fuit [1] in tres partes. In quarum prima determinat de habitibus virtutum theologicarum; in secunda de habitibus virtutum cardinalium; in tertia de habitibus donorum.

Prima parte terminata, hic incipit secunda pars, quae continet distinctionem praesentem. Dividitur autem pars ista in partes quatuor secundum quatuor, quae determinat de ipsis virtutibus cardinalibus. In quarum prima determinat de ipsis quantum ad numerum et distinctionem. In secunda vero quantum ad nominis rationem, ibi: *Hae virtutes cardinales dicuntur* etc. In tertia vero movet quaestionem de

---

[1] Libr. XIV. de Trin. c. 9. n. 12. — Paulo inferius locus Scripturae est Sap. 8, 7, in quo textu codd. et edd. 1, 3, 7 pro *et virtutem* perperam habent *et veritatem*, quod etiam repetunt inferius.

[2] Potius *August.*, XII. de Trin. c. 14. n. 21; cfr. XXII. de Civ. Dei, c. 24. n. 3.

[3] Ioan. 1, 16.

[4] Quae sequuntur sumta sunt ex August., XIV. de Trin. c. 9. n. 12, nonnullis a Magistro omissis.

[5] Respicitur Sap. 1, 15.

[6] Libr. II. de Tabernac. c. 8, et in Glossa apud Lyranum ad Exod. 26, 32. — Pro *consentit* edd., exceptis 1, 8, *assentit*, et omittunt *ita* ante *dicens;* in ipso testimonio pro *appensum*, quod habent codd., ed. 1 et originale, in aliis edd. *expansum*.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Supra d. 23. in divis. textus.

ipsarum virtutum evacuatione, ibi: *Verumtamen, an hae virtutes* etc. In quarta vero subiungit quaestionis determinationem, ibi: *Quibusdam visum est, desituras* etc.

Et illa ultima pars subdividi posset in partes quatuor. In quarum prima respondet ad quaestionem propositam quantum ad iustitiae habitum. In secunda vero quantum ad habitus aliarum trium [1], ostendens, secundum quos actus in patria remanebunt, ibi: *Fortasse et aliae virtutes.* In tertia vero praedeterminata epilogat, ibi: *Ecce aperte Augustinus.* In quarta vero auctoritatem confirmat, ibi: *Cui Beda consentit, super Exodum* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis totalis et distinctionis brevis incidit hic quaestio de virtutibus cardinalibus in generali; et circa hoc breviter possunt sex quaeri.

Primo quaeritur de ipsis virtutibus cardinalibus quantum ad earum necessitatem sive utilitatem.

Secundo, quantum ad diversitatem.

Tertio, quantum ad subiectum.

Quarto, quantum ad numerum.

Quinto quaeritur de ipsis quantum ad originem.

Sexto et ultimo, quantum ad durationem finalem.

ARTICULUS UNICUS.

De virtutibus cardinalibus in generali.

QUAESTIO I.

Utrum opportunum sit praeter virtutes theologicas cardinales ponere.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum Fundamenta. opportunum sit praeter virtutes theologicas cardinales ponere. Et quod sic, videtur.

1. Sapientiae octavo [2] dicitur in commendationem sapientiae, quod *sobrietatem et prudentiam et iustitiam et virtutem docet, quibus utilius in vita nihil est hominibus;* sed per illa quatuor intelliguntur quatuor virtutes cardinales: ergo sunt nobis maxime utiles et opportunae.

2. Item, privationes harum virtutum sive vitia eis opposita perducunt ad mortem, sicut gula, luxuria et avaritia; sed sicut privationes sunt perniciosae, sic positiones sunt utiles et opportunae: ergo videtur, quod magna sit necessitas habendi virtutes cardinales.

3. Item, nullus potest pertingere ad regnum caelorum nisi per impletionem mandatorum Dei [3]; sed quaedam sunt mandata, ad quorum impletionem virtutes cardinales habilitant, utpote sunt mandata secundae tabulae: ergō videtur, quod ad obtinendam salutem valde sunt nobis necessariae.

4. Item, sicut perdit quis vitam per peccatum in Deum, ita etiam potest perdere per peccatum in proximum [4]: ergo sicut necessarium est habere virtutes ordinantes ad Deum, ita necessarium est habere virtutes ordinantes ad proximum et ad se ipsum; sed virtutes ordinantes ad Deum sunt theologicae, ordinantes ad se et ad proximum sunt cardinales: ergo virtutes cardinales sunt necessariae.

Sed contra: 1. Ad Romanos decimo tertio [5]: *Qui diligit proximum Legem implevit;* sed qui Legem implet habet omne illud quod sibi necessarium est ad salutem: ergo qui habet caritatem non indiget alia virtute ad proximum ordinante: habitis ergo virtutibus theologicis, videtur, quod superfluant cardinales. Ad oppositum.

2. Item, virtutes sunt necessariae principaliter ad ordinandum animae affectiones, secundum quod dicit Augustinus in libro de Spiritu et anima [6]; sed omnium affectionum principium est amor, secundum quod dicitur in decimo quarto de Civitate Dei: cum ergo caritas sufficienter ordinet amorem, videtur,

---

[1] Pro *aliarum trium* edd. cum paucis codd. *virtutum aliarum.* Inferius pro *auctoritatem confirmat* Vat. *auctoritate confirmat,* cod. Z *idem auctoritate confirmat.*

[2] Vers. 7. — August., I. Retract. c. 7. n. 3: His enim nominibus Latinus interpres quatuor illas virtutes, quae maxime in ore philosophorum esse adsolent, nominavit, sobrietatem appellans temperantiam, prudentiae imponens nomen sapientiam, fortitudinem vero virtutis vocabulo enuntians, solam iustitiam suo nomine interpretatus est. Mox pro *in commendationem* edd. et plures codd. *in commendatione.*

[3] Matth. 19, 17: Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. — De mandatis secundae tabulae vide infra d. 37. a. 2. q. 1. — Pro *pertingere* cod. Z *pervenire.*

[4] Cfr. Matth. 5, 22, et August., Serm. 82. (alias 16. de Verbis Domini) c. 3. n. 5.

[5] Vers. 8.

[6] Cap. 4. Seq. locus est XIV. de Civ. Dei, c. 7. n. 2, de quo cfr. supra pag. 338, nota 3. — Quod *caritas* ordinet amorem, ostensum est supra d. 29. q. 1; cfr. etiam supra pag. 590, nota 1. in fine.

quod qui habet rectitudinem caritatis non indiget rectitudine alterius virtutis.

3. Item, virtutes sunt ad reformandum potentias animae; sed potentiae animae reformantur per gratiam et tres virtutes theologicas, in quibus attenditur imago reformationis per gratiam [1]: ergo videtur, quod illis habitis, nulla sit necessitas vel utilitas cardinalis virtutis.

4. Item, virtutes sunt ad dirigendum in actionibus et passionibus [2]; sed per fidem sufficienter dirigitur intellectus, et per caritatem dirigitur affectus: ergo virtutibus theologicis habitis, videtur, quod cardinales superfluant.

CONCLUSIO.

Praeter habitus virtutum theologicarum ponendi sunt habitus virtutum cardinalium.

Duplex effectus virtutis.

Respondeo: Dicendum, quod generalis necessitas virtutis est ad *rectificandum* potentias animae contra obliquitatem et ad *vigorandum* contra difficultatem. Virtus enim facit potentiam *rectam* et *vigorosam*. Et quoniam contingit, hominem ordinari ad Deum, contingit nihilominus, hominem ordinari ad proximum et se ipsum; et in his eisdem potest *obliquari* et *impediri* sive retardari: hinc est, quod non solum indiget habitibus ipsum *vigorantibus* et *rectificantibus*, prout directe tendit in Deum, cuiusmodi sunt habitus virtutum theologicarum, sed etiam indiget habitibus ipsum regulantibus et rectificantibus, prout ordinatur ad se ipsum et ad proximum. Et tales sunt habitus virtutum cardinalium. Unde sicut praeter praecepta primae tabulae, quae directe ordinant in Deum, opportunum fuit ponere praecepta secundae tabulae, quae ordinant ad proximum; sic etiam in habitibus est intelligendum. Et

Conclusio.

propterea praeter habitus virtutum theologicarum necessarium est ad salutem ponere habitus virtutum cardinalium; sicut rationes ad primam partem inductae ostendunt, quae concedendae sunt, quoniam verum concludunt [3].

Solutio oppositorum.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod qui diligit proximum Legem implevit; dicendum, quod hoc non dicitur propter hoc, quod *implere Legem* sit ipsius dilectionis tantum

Notandum.

ratione sui, sed hoc est, quia habet *alios habitus annexos*, qui, ad ipsius dilectionis et caritatis imperium quodam modo moti, dirigunt et habilitant ad observanda opera mandatorum, sicut mandatum de non fornicando observat quis per castitatem *elicitive*, sed per caritatem *imperative*. Hoc autem attribuit Apostolus dilectioni et caritati, quoniam ipsa est mater, forma et finis omnium virtutum, sicut superius [4] fuit tactum et in sequentibus suo loco melius explanabitur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod omnis affectio ortum habet ab amore; dicendum, quod etsi omnis affectio ortum habeat ab amore tanquam ex affectione principali ipsius animae, amor tamen non est *tota* causa aliarum affectionum; ideo nec regula ipsius amoris in se sufficit ad rectificationem animae, nisi sint virtutes in ea alios affectus regulantes et dirigentes. Et propterea illa ratio potest dissolvi, quia procedit ab insufficienti [5].

3. Ad illud quod obiicitur, quod virtutes sunt ad reformandum potentias; dicendum, quod verum est; sed *facies* potentiarum animae duplex est secundum duplicem portionem [6] et duplicem eius conversionem, videlicet ad inferius et ad superius, ad bonum creatum et ad bonum increatum, et ad finem et ad id quod est ad finem. Ideo, cum dicit, quod anima sufficienter formatur et reformatur per virtutes theologicas; dicendum, quod verum est per comparationem ad superius; sed ex hoc non sequitur, quod cardinales virtutes superfluant, quia ipsam animam informant et reformant per comparationem ad creatum [7] et ad id quod est ad finem ordinatum. Et *si tu obiicias*, quod virtutes theologicae non tantum in finem, sed etiam in his quae sunt ad finem, ordinant, sicut patet in caritate; dicendum, quod illud non est principaliter, sed *ex consequenti* [8].

Duplex facies animae.

4. Ad illud quod obiicitur, quod virtutes sunt ad dirigendum actus potentiarum; dicendum, quod vires animae quosdam actus habent ordinatos ad vitam *contemplativam*, quosdam ad vitam *activam*; et utrosque actus necessarium est ordinare, quia uterque modus vivendi necessarius est ad hoc, quod possit quis beatitudinem promereri [9]. Cum ergo dicit, quod fides et caritas dirigunt actus potentiarum animae; dicendum, quod etsi hoc possit concedi in actibus, qui spectant ad vitam *contemplativam*, non tamen verum est in agendis sive in actibus, qui spectant ad vitam *activam*; et ideo non sequitur, quod virtutes cardinales superfluant.

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3.

[2] Vide supra pag. 472, nota 2. — In multis codd. nec non in *Supplemento* Sum. Alex. Hal. collat. 76. a. 1. hoc arg. sic terminatur: *habitis, ut videtur, cardinales* [cod. K supplet *virtutes*] *superfluunt.*

[3] Vide *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 1, ubi tum ex Ss. Patribus tum ex philosophis probatur harum virtutum necessitas.

[4] Lit. Magistri, d. XXIII. c. 9; Comment. ibid. dub. 6; d. 27. a. 1. q. 1. ad 4. et q. 3. ad 1. nec non a. 2. q. 1; d. 28. q. 1. in corp.; d. 36. q. 6.

[5] Vide supra d. 26. a. 2. q. 3. ad 2. — Superius voci *tanquam* codd. F G K L R V W aa praefigunt *et*. Deinde pro *rectificationem* codd. A K bb substituunt *rectitudinem*, et pro *alios affectus* codd. A H T U bb *alias affectiones.*

[6] Scil. superiorem et inferiorem. Cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 2. et pag. 641, nota 1. — Plurimi codd. et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. nec non edd. 1, 2 perperam *proportionem.*

[7] Ita codd. A H K T U Z bb, in aliis et in edd. omittitur *et ad id.*

[8] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 2. ad 1.

[9] Vide supra pag. 610, nota 2. — Pro *modus vivendi* cod. A *modus uniendi.* Paulo inferius pro *etsi hoc possit* idem cod. A *etsi hoc posset.*

SCHOLION.

I. De definitionibus virtutum cardinalium vide hic dub. 1-4. Quoad definitiones Magistri B. Albert. (hic a. 3.) cum nostro auctore (hic dub. 1.) bene observat, « quod Magister non nititur definire istas virtutes nisi secundum *conformitatem ad Christum*, in quo in maximo statu fuerunt ». Hoc in primis elucet ex definitione iustitiae (loc. cit.). Plura optima de virtutibus cardinalibus docentur in Hexaëm. serm. 6. et etiam 5. 7.

Hanc (1.) quaestionem plurimi antiqui doctores explicite non tractant, sed eam supponendo principia hic allata tangunt in aliis de virtutibus cardinalibus quaestionibus. Cfr. S. Thom., S. I. II. q. 61. a. 5, q. 62. a. 2. Tamen de hac et seq. q. speciatim tractant Dionys. Carth., hic q. 1; Biel, hic q. unica.

II. Quod virtutes cardinales *acquisitae* inter se *specie* differant, omnino constat. Quod autem eaedem, etiam quatenus sunt a Deo supernaturaliter infusae, realiter distinguantur et a virtutibus acquisitis et ab invicem, tenent etiam ii qui cum schola S. Thomae contra Scotum ponunt virtutes morales *per se infusas*, de qua controversia et de sententia S. Bonaventurae vide infra q. 5. in scholio. — Quoad *fundamenta* observamus, quod similia adhibita sunt supra d. 27. a. 1. q. 1. Tota quaestio magis explicatur d. 36. q. 1. 3. 6. et supra d. 27. a. 1. q. 1; cfr. etiam de distinctione habituum et reductione eorum ad unitatem quandam II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1. ad 8.

De hac (2.) quaestione: S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. I. II. q. 61. a. 4; Q. disp. de Virt. in communi a. 12; item de Virtutibus cardinal. a. 1. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a. Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 7. — Durand., hic q. 5.

QUAESTIO II.

Utrum omnes virtutes cardinales sint una virtus, an diversae.

Secundo quaeritur de virtutibus cardinalibus quantum ad ipsarum diversitatem, et quaeritur, utrum omnes virtutes cardinales sint una virtus, an diversae. Et quod sint diversae, ostenditur:

Fundamenta.

1. Primo per *potentias*, quas dirigunt: quia prudentia dirigit rationalem, temperantia concupiscibilem, fortitudo irascibilem [1]: cum ergo potentiae sint propria subiecta habituum, et propriis subiectis diversificatis formaliter, necesse est, ipsarum habitus formaliter diversificari; et praedictae potentiae animae sunt diversae; videtur, quod necesse sit, cardinales virtutes esse distinctas et essentialiter diversas.

2. Item, hoc ipsum videtur per *actus*, quos eliciunt: quoniam alius est actus ipsius prudentiae, formaliter loquendo, alius temperantiae, sicut patet: cum ergo habitus diversificentur per actus diversificatione formali et essentiali [2], videtur, quod necessarium sit, habitus cardinalium virtutum essentialiter distingui.

3. Item, hoc ipsum ostenditur per *obiecta*: quia temperantia est circa delectationes et fortitudo circa passiones [3]: cum ergo prima distinctio habituum ortum habeat ab obiectis, videtur ergo idem quod prius.

4. Item, hoc ipsum quarto loco ostenditur per *vitia*, contra quae sunt. Si enim vitia, quibus opponuntur huiusmodi virtutes, simpliciter sunt diversorum generum, et privationes distinguuntur et diversificantur secundum ipsos habitus [4]; videtur ergo, quod necessarium sit, habitus virtutum cardinalium formaliter et essentialiter ab invicem distingui.

5. Item, hoc ipsum ostenditur per *medietates*, secundum quas huiusmodi virtutes attenduntur. Si enim huiusmodi virtutes cardinales habent medietates formaliter differentes; cum medietates respiciant virtutes secundum ipsarum rationem formalem [5], videtur ergo, quod necesse sit, ipsas virtutes cardinales essentialiter et formaliter esse differentes.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Augustinus, de Moribus Ecclesiae [6]: « Illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur »; sed hoc non dicit diversitatem secundum essentiam, sed solum secundum relationem: ergo videtur, quod virtutes cardinales solummodo secundum comparationem habeant distingui, non secundum essentiam absolutam.

2. Item, Augustinus, in libro de Quantitate animae [7]: « Virtus est aequalitas vitae *undique* rationi consentiens »; sed aequalitas vitae *undique* non potest esse secundum unam solam comparationem, sed secundum comparationem ad omnem actum et ad omne obiectum: ergo si haec est definitio virtutis recte assignata, videtur, quod quaelibet virtus ad

---

[1] Cfr. Aristot., de Virtut. et vitiis (sive de Laudabilibus), c. 1. seqq. De hoc 1. arg. vide Aristot., I. Magnor. Moral. c. 32. seq. (c. 35.), et supra d. 27. a. 1. q. 1. fundam., quo posteriore loco etiam plura invenies, quae ad 3 seqq. argg. spectant. — Paulo inferius pro *ipsarum* edd. *ipsorum*.

[2] Cfr. supra pag. 470, nota 8. in fine; ibid. etiam seq. arg. insinuatur. — De actibus prudentiae et temperantiae vide hic lit. Magistri, c. 1; infra dub. 2. et 4. nec non Aristot., III. Ethic. c. 10. seqq. et VI. c. 5. — Pro *diversificentur* cod. A *diversificetur*, codd. F G K L T V *diversificatur*, cod. aa *diversificantur*.

[3] Cfr. Aristot., III. Ethic. c. 9. seqq.

[4] Vide Aristot., V. Ethic. c. 1, et infra pag. 720, nota 4. — Pro *secundum ipsos habitus*, quemadmodum legitur in codd. A H T U Z bb et in *Supplemento* Sum. Alex. Hal. collat. 76. v. 2, alii codd. et edd. *per ipsos habitus*.

[5] Secundum Aristot., II. Ethic. c. 6. seq. — Mox pro *essentialiter* cod. K *naturaliter*.

[6] Libr. I. c. 15. n. 25. — In fine arg. pro *essentiam absolutam* edd. cum paucis codd. *substantiam absolutam*.

[7] Cap. 16. n. 27.

omnem actum et ad omne obiectum habeat animam ordinare. Sed hoc non esset, si virtutes distinguerentur penes actus et obiecta: ergo videtur, quod virtutes cardinales non habeant aliquam essentialem differentiam.

3. Item, nullae formae ad invicem disparatae et diversae se ipsas denominant — quamvis enim vere dicatur, quod musicum sit album, tamen nullo modo conceditur, quod musica sit alba — sed virtutes cardinales, secundum quod vult Bernardus [1] et Augustinus, se ipsas denominant, quia fortitudo est prudens et prudentia fortis: ergo videtur, quod non habeant essentialem differentiam.

4. Item, « iustitia, secundum quod dicit Anselmus [2], est rectitudo voluntatis »; sed omnis cardinalis virtus est rectitudo voluntatis: ergo omnis cardinalis virtus est iustitia. Si ergo iustitia nominat unam speciem virtutis, videtur, quod cardinales virtutes non habeant essentialem diversitatem sive formalem.

5. Item, cuilibet virtuti essentiale est *inspicere medium*, cuilibet etiam essentiale est *medium servare*, cuilibet etiam essentiale est *aggredi difficile*, cuiuslibet etiam est *ordinare* [3]. Si ergo *medium inspicere* est ipsius prudentiae, *medium servare* temperantiae, *aggredi difficile* fortitudinis, *ordinare* ipsius iustitiae; videtur, quod quaelibet istarum virtutum intret essentiam alterius: non ergo formaliter distinguuntur.

CONCLUSIO.

Virtutes cardinales formaliter distinguuntur, quatenus ordinantur ad speciales actus, minus tamen distinguuntur, quatenus sunt gratia informatae et caritate meritoriae.

Triplex modus loquendi de his virtutibus.

Respondeo: Dicendum, quod est loqui de virtutibus cardinalibus quantum ad formam, per quam sunt *gratuitae*, et quantum ad formam, per quam sunt *meritoriae*, et quantum ad formam, per quam sunt ad speciales *actuum differentias ordinatae*.

Conclusio 1.

Si loquamur de forma, per quam sunt *gratuitae;* sic in illa potius uniuntur, quam distinguuntur, quia illa forma est gratia gratum faciens, quae licet sit una, tamen gratam reddit Deo animam cum universis eius potentiis et habitibus virtuosis, sicut in secundo libro ostensum fuit, distinctione vigesima septima [4]. — Similiter si loquamur de ipsis virtutibus cardinalibus quantum ad formam, per quam sunt *meritoriae* et habent rationem merendi perfecte; sic magis connectuntur et uniuntur, quam distinguantur; quia illa forma est caritas, per quam virtutes ceterae tanquam pondere unico ad unum finem ultimum inclinantur quasi ad locum proprium; et hoc infra melius ostendetur in tractatu de connexione virtutum [5]. — Si vero loquamur de ipsis virtutibus secundum formam, per quam sunt ad speciales *actuum differentias ordinatae;* sic dico, quod virtutes cardinales essentialiter et formaliter distinguuntur. Et earum diversitas colligitur ex quinque comparationibus, sicut in obiiciendo [6] fuit ostensum, videlicet ex diversitate *potentiarum*, quas informant et perficiunt, et ex diversitate *actuum*, quos eliciunt, et ex diversitate *obiectorum*, ad quae ordinantur, et ex diversitate *medietatum*, circa quas consistunt, et ex diversitate *vitiorum* oppositorum, quae excludunt. Et ideo rationes, quae ad hanc partem inducuntur, concedendae sunt, quia verum concludunt.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod virtus non est aliud quam varius affectus amoris; dicendum, quod Augustinus loquitur ibi de virtutibus cardinalibus, secundum quod reduci habent ad unam radicem caritatis, per quam habent perfecta ordinatione ad ipsum Deum ordinare, et ex hoc sortiuntur quandam connexionem et unitatem; et hoc patet per litteram sequentem, qua definiens temperantiam dicit [7]: « Temperantiam dicamus esse amorem Deo sese integrum incorruptumque servantem, fortitudinem amorem omnia propter Deum facile perferentem », et sic de aliis. Talis autem relatio temperantiae et fortitudinis in Deum per amorem non est virtutum cardinalium, nisi in quantum a caritate reguntur et informantur et imperantur. Et hoc modo verum est, quod habent quandam unitatem ratione unius motoris; sed propter hoc non sequitur, quod non diversificentur propriis formis.

Notandum.

Duplex sensus.

2. Ad illud quod obiicitur, quod virtus est aequalitas vitae undique rationi consentiens; dicendum, quod per hoc quod est *undique* dupliciter potest intelligi, quod fiat distributio. Aut ita quod hoc quod est *undique* distribuat pro duabus *extremitatibus* consistentibus circa medietatem; et sic convenit cuilibet virtuti cardinali per se, quia nec declinat ad superfluum nec ad diminutum. Alio modo hoc quod est *undique* potest distribuere pro omnibus *partibus*

---

[1] Serm. 72. de Diversis (alias 35. ex Parvis), n. 2. Cfr. l. de Considerat. c. 8. n. 10. seq., et August., Epist. 167. (alias 29.) c. 2. n. 5, Vl. de Trin. c. 4. n. 6. (vide infra lit. Magistri, d. XXXVI. c. 2.). Idem dicit Gregor., XXII. Moral. c. 1. n. 2.

[2] Dialog. de Veritate, c. 12; de Concept. virgin. et origin. peccat. c. 3. et 5. — In fine arg. pro *diversitatem* edd. *differentiam*.

[3] Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 3. et 6. — Bernard., l. de Considerat. c. 8. n. 11. ait: Ergo modum tenere iustitia est, temperantia est, fortitudo est etc. — Pro *cuiuslibet* cod. A *et cuilibet*.

[4] Art. 1. q. 1. seq.

[5] Dist. 36. q. 6. Cfr. etiam supra d. 27. a. 2. q. 1.

[6] Scil. in fundamentis. — Paulo inferius pro *medietatum, circa* [cod. N *secundum*] *quas* edd. et nonnulli codd. *mediorum, circa quae*.

[7] Libr. I. de Morib. Eccles. c. 15. n. 25. — In principio solut. pro *varius affectus* edd. *variatio affectus*. Deinde post pauca pro *perfecta ordinatione ad ipsum Deum ordinare* (codd. K O *ordinari), et ex hoc* (cod. A *hac)* Vat. *perfectam ordinationem ad ipsum Deum, et ex hoc*. Circa finem solut. pro *imperantur* cod. M *importantur*, Vat. *temperantur*.

potentialibus animae[1]; et sic non competit alicui virtuti cardinali *absolute*, sed in quantum habet *connexionem* cum alia. Et ex hoc non potest concludi, quod Notandum. omnes virtutes sint una virtus *essentialiter*, sed quod possunt dici una per quandam *connexionem* et aggregationem; sicut omnes potentiae animae, quamvis sint diversae, dant tamen ipsi animae unum *integrum posse*, ita quod una sine altera non posset animam facere potentem[2]. Sic intelligendum est de *aequalitate vitae*, quae consistit penes unam virtutem *partialiter*, penes autem omnes consistit *integre* et perfecte.

3. Ad illud quod obiicitur, quod una virtus denominat aliam; dicendum, quod est praedicatio multiplex, videlicet per *causam* et per *essentiam* et per *concomitantiam*[3]. Et cum dicitur, quod una virtus denominat alteram, hoc non est propter *essentialem* convenientiam, sed hoc est propter hoc, quod *concomitantur* se circa unum animae subiectum et circa potentias, quae se mutuo circumincedunt. Et *si tu obiicias*, quod *concomitantia* non sufficit, quia non conceditur, quod musica sit alba; dicendum, Notandum. quod *concomitantia* non sufficit *simpliciter*, sed concomitantia cum *simplicitate subiecti*, per quam subiectum potest reflectere se super se et super omne illud, quod est in se; sicut patet, quod anima intellectiva simpliciter potest se convertere super se per actum intelligendi et similiter per actum diligendi. Et hinc est, quod virtutes in talibus potentiis existentes possunt se mutuo denominare; et ideo non est simile de *omnibus* actibus, etiam si circa idem subiectum habeant consistere[4].

Triplex praedicatio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod omnis cardinalis virtus est quaedam voluntatis rectitudo, ita quod omnis virtus cardinalis est iustitia; dicendum, quod Duplex iustitia. iustitia dupliciter accipitur: quia est iustitia *generalis*, et est iustitia *specialis*. Et iustitia *generalis* complectitur omnes virtutes, non solum cardinales, sed etiam theologicas[5]. Iustitia vero *specialis* non est simpliciter rectitudo voluntatis, sed rectitudo voluntatis ordinans ad alterum; et hoc non competit cuilibet virtuti cardinali; et propterea non sequitur, quod cardinales virtutes non habeant ad invicem distingui.

5. Ad illud quod obiicitur de illis quatuor conditionibus, quae sunt in qualibet virtute; responderi potest, quod verum est; sed tamen ex hoc non sequitur, quod virtutes[6] non sint distinctae: quia quod quaelibet illarum conditionum attribuatur alicui virtuti speciali, hoc non est per *proprietatem*, Notandum. sed magis per *appropriationem*. Cuiuslibet enim virtutis est *medium tenere;* sed hoc appropriatur temperantiae, quia maxime opportunum est circa delectationes medium custodire; sic et de aliis conditionibus intelligendum est[7]. — Si tamen *obiiciat*, quod *inspicere medium* hoc est proprium ipsius prudentiae, et ita videtur, quod prudentia sit de essentia aliarum virtutum cardinalium; dicendum, quod inspectio medii est duobus modis, vel per mo- Dupliciter inspicitur medium. dum *considerationis discretae*[8], vel per modum *inclinationis determinatae*. Primo modo *medium inspicere* est proprium ipsius prudentiae, quae perficit potentiam rationalem, cuius est considerare et discernere; et hoc modo *inspicere medium* non convenit virtuti cardinali per sui *essentiam*, sed per *concomitantiam*, quia habet prudentiam[9] directivam. Unde sicut oculus videt sibi et aliis membris, sic prudentia inspicit sibi et virtutibus ceteris. — Alio modo *inspicere medium* est per modum *inclinationis determinatae;* et sic non tantum est prudentiae, sed etiam cuiuslibet virtutis, quia quaelibet virtus est quoddam pondus recte inclinans et movens ad medium, circa quod habet consistere. Unde Simile. sicut gravitas lapidis recte dicitur *inspicere* locum deorsum sive medium mundi; sic quaelibet virtus rationabiliter potest dici *inspicere medium* recte vivendi; et ex hoc non potest concludi, quod prudentia ab aliis virtutibus non habeat diversificari[10].

QUAESTIO III.

Utrum virtutes cardinales sint in parte animae rationali, an in ea parte, quae solum obtemperat rationi.

Tertio quaeritur de virtutibus cardinalibus quantum ad subiectum, et est quaestio, utrum sint in parte animae *rationali*, an in ea parte, quae solum *obtemperat* rationi. Et quod sint in parte animae *rationali*, videtur:

1. Primo per auctoritatem Augustini in Solilo- Fundamenta.

---

[1] Sive pro omnibus potentiis animae rationalis. Vide quaest. seq. Cfr. etiam tom. II. pag. 600, nota 1, ubi describitur *totum potentiale*. — Pro *potentialibus*, quam lectionem restituimus ex codd. A T U Y Z bb, alii codd. et edd. 1, 2 *rationabilibus*, alii codd. et Vat. *rationalibus*, cod. K *rationalis*, et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *possibilibus*.

[2] Cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1. ad 8. — Paulo inferius pro *partialiter* edd. *particulariter*.

[3] Cfr. supra pag. 471, nota 4; pag. 226, nota 4; pag. 528, nota 5.

[4] Vide supra d. 27. a. 1. q. 1. in corp. opinionem primam eiusque improbationem. — Paulo ante pro de *omnibus actibus*, quibus verbis Vat. adiicit *vel accidentibus*, cod. Y substituit *de aliis actibus*.

[5] Aristot., V. Ethic. c. 1. inter alia dicit: « Adde quod in proverbium dicimus: Iustitia in se virtutes complectitur omnes... Itaque neque haec iustitia pars virtutis, sed integra virtus est, neque huic opposita iniustitia pars vitii, sed integra est vitiositas ». De iustitia speciali (quae est ad alterum) agitur ibid. c. 2. seqq. — Paulo post pro *et hoc* Vat. *et haec*.

[6] Cod. Z subdit *cardinales*.

[7] Cfr. Bernard., I. de Considerat. c. 8. n. 9. seqq.

[8] Codd. A H U et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *discretae* (secundum Du Cange, Glossarium etc., *discretus* idem dicit ac *discernens, prudens*), pro quo fortasse melius esset *discretivae*, alii plurimi codd. *directae*, Vat. *directivae*. Cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1. ad 6.

[9] Edd. omittunt *quia habet prudentiam*. Superius pro *potentiam rationalem* cod. F *ipsam vim rationalem*.

[10] Vide scholion ad praecedentem quaest.

quiis [1]: «Virtus est ratio recta perducens in finem»; sed constat, quod hic est praedicatio *causalis* sive materialis: ergo videtur, quod subiectum virtutis sit ipsa ratio sive potentia rationalis.

2. Item, virtus est principium merendi et operis meritorii et laudabilis: ergo circa illam potentiam habet esse, circa cuius actum consistit laus et meritum; sed talis est potentia rationalis, scilicet liberum arbitrium: ergo videtur idem quod prius [2].

3. Item, in eo subiecto est virtus, in quo anima habet imaginem Dei, cum virtutes ceterae habeant ortum a gratia, cuius anima est capax, per hoc quod est imago; sed non est imago nisi per potentiam rationalem [3]: ergo etc.

4. Item, omnis virtus consistit circa electionem boni et fugam mali [4]; sed habitus electivus est solius potentiae rationalis proprie dictae: ergo videtur, quod omnis virtus proprie sit in rationali parte ipsius animae.

5. Item, virtus est in genere honesti, secundum quod vult Tullius [5]; sed bonum, quod est honestum, et eius oppositum est obiectum solius rationalis virtutis, quia potentiae sensitivae solummodo feruntur ad ea bona, quae sunt de genere commodi: ergo videtur, quod virtus sit solum in parte animae rationali.

Sed contra: 1. Fortitudo est in irascibili, et temperantia in concupiscibili; sed istae non sunt rationales, nisi quia obtemperantes rationi, secundum quod dicit Philosophus in fine Novae Ethicae [6]: ergo videtur, quod cardinales virtutes non habeant esse in parte rationali, sed potius in parte sensibili. Ad oppositum.

2. Item, in ea parte est habitus virtutis expediens et rectificans, circa quam habet esse pronitas et obliquitas; sed haec duo sunt maxime circa motivam sensibilem, quae quidem sunt irascibilis et concupiscibilis [7]: ergo videtur, quod in illis habeat collocari virtus cardinalis.

3. Item, in ea parte est habitus virtutis tanquam in subiecto proprio, quae immediatius et proximius elicit actum ipsius virtutis; sed temperantiae et fortitudinis actus eliciuntur immediate a concupiscibili et irascibili, quae sunt obedientes rationi [8]: ergo videtur, quod in eis virtutes cardinales habeant poni.

4. Item, virtutes cardinales distinguuntur a theologicis, sicut consuetudinales ab intellectualibus; sed intellectuales, ut sapientia et intelligentia et phronesis, ponuntur in ratione proprie dicta, consuetudinales vero in ea parte, quae obtemperat rationi [9]: ergo videtur similiter, quod theologicae debent reponi in parte rationali, et cardinales in parte sensibili, secundum quod rationi obedit.

5. Item, in ea parte maxime habet reponi habitus virtutis, quae magis indiget rectificari; sed pars, quae magis indiget rectificari, est pars sensitiva, quoniam, secundum quod dicit Philosophus [10], «intellectus semper est rectus, phantasia recta et non recta»: cum ergo phantasia nominet potentiam sensitivam, videtur, quod circa ipsam habeant esse virtutes cardinales.

CONCLUSIO.

Secundum theologos virtutes cardinales omnes ponendae sunt in parte animae rationali, quatenus rationale *dicitur quod* participat *rationem.*

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum *rationale* dicatur dupliciter, secundum quod vult Philosophus [11], videlicet quod Duplex rationale.

---

[1] Libr. I. c. 6. n. 13. Cfr. supra pag. 448, nota 9. — Quoad hanc definitionem virtutis in *Supplemento* Sum. Alex. Hal. collat. 16. a. 2. q. 6. dicitur: Non est formalis praedicatio, quia virtus non est ipsa ratio, sed est habitus in ratione existens, quantum est ex parte cognitionis etc. Cfr. supra pag. 616, nota 8. et pag. 528, nota 5.

[2] Cfr. Aristot., I. Ethic. c. 12; II. c. 5; III. c. 1. seqq.

[3] Vide August., XIV. de Trin. c. 3. n. 6. et c. 8. n. 11. — Quod virtutes aliquo modo ortum habeant a gratia, vide infra q. 5. et in scholio — In *maiori* pro *in eo* [cod. G *eodem*] *subiecto* codd. A F T V bb *in eo solo*. Vocabulum *ceterae* hic idem valet ac *cunctae;* cfr. supra pag. 680, nota 1.

[4] Aristot., II. Ethic c. 6, virtutem declarat habitum electivum in mediocritate quantum ad nos consistentem etc. Cfr. tom. II. pag. 671, nota 9. Ibid. pag. 599, nota 5. vide de *minori*.

[5] Libr. II. Rhetor. c. 53. et 54. Cfr. tom. II. pag. 593, nota 1, ubi et explicatio *minoris* habetur.

[6] Sive in fine Ethic. ex Graeco in Latinum translatae (cfr. tom. I. pag. 10, nota 2.). Docetur ibi, quod in anima fortasse sit quidpiam praeter rationem, quod ei adversetur ac resistat; « quod tamen etiam ipsum rationis esse particeps videtur... continentis enim rationi obtemperat. Atque etiam magis fortasse in temperante ac forti obediens est; omnia enim in his rationi consonant. Esse igitur irrationalis quoque haec duplex videtur; nam vegetalis nullo modo cum ratione communicat; concupiscibilis autem et omnino appetibilis particeps rationis quodam modo est, quatenus ipsi obedit imperioque eius obtemperat», — De *maiori* cfr. Aristot., de Virtut. et vitiis, c. 1.

[7] Aristot., III. de Anima, text. 50. (c. 10.): Appetitus autem movet praeter rationem; concupiscentia enim appetitus quidam est. Cfr. ibid. text. 47. (c. 9.). — In initio arg. post *in ea* [cod. G *eadem*] *parte* cod. Z subdit *solum*.

[8] Aristot., III. Ethic. c. 10: Hae [fortitudo et temperantia] enim irrationalium partium esse virtutes videntur. Cfr. de Virtut. et vitiis, c. 2. — Paulo ante pro *actum ipsius virtutis* cod. Z *actum suum*.

[9] Aristot., I. Ethic. c. 13: Virtus quoque secundum hanc differentiam [quatenus scil. rationem proprie in se habet, aut rationi obtemperat] distinguitur; nam alias ex ipsis intellectivas, alias morales dicimus; sapientiam, perspicaciam [σύνεσιν] et prudentiam [φρόνησιν] intellectivas; liberalitatem et temperantiam morales. — Pro *in ratione* codd. H U *in ratione virtute*, edd. *in rationali parte*.

[10] Libr. III. de Anima, text. 51. (c. 10.). In textu origin. ante *phantasia recta* habetur *appetitus autem et*.

[11] Libr. I. Ethic. c. 13. Cfr. supra nota 6. et 9. — Rationale, in quantum rationem participat, ab aliis, ut a S. Thoma, appellatur etiam rationale per essentiam; et in quantum rationi obedit, rationale per participationem.

rationem *participat*, et quod rationi *obedit*. Si *large* accipiatur pars rationalis, sic non est dubium, quin omnes virtutes in parte rationali sint, sive theologicae sive cardinales, sive intellectuales, sive consuetudinales. — Si vero *rationale* dicatur *proprie*, secundum quod *participat* rationem, sic voluerunt aliqui dicere, quod quaedam virtutes cardinales sunt in parte rationali, utpote prudentia et iustitia; quaedam vero non, sed in potentia inferiori, quae est rationalis *largo* modo dicta, quia *obtemperat* rationi, ut fortitudo et temperantia, quae sunt in irascibili et concupiscibili.

Conclusio 1.

Opinio aliorum.

Licet autem hic modus dicendi aliquo modo probabilis videatur secundum morales *philosophos;* tamen secundum *theologum* non videtur rationabiliter dici, quasdam virtutes cardinales reponi in parte superiori et quasdam in inferiori; cum omnes virtutes cardinales aequales sint quantum ad meriti dignitatem [1]; omnes etiam sunt principium merendi. Et propterea, cum meritum consistat *radicaliter* circa liberum arbitrium, in solis illis potentiis habent esse virtutes, sive cardinales sive theologicae, in quibus reperitur libertas arbitrii. — Propter quod, cum libertas arbitrii non sit nisi in parte animae rationali, secundum quod *rationale* dicitur quod *participat* rationem [2]; necesse est, ceteras virtutes cardinales in parte illa reponi. Et hoc necessario exigit earum dignitas; cum ipsae habeant ortum a gratia, et sint perfectiones animae multo nobiliores quam ipsa scientia, quae ponitur tanquam in subiecto in parte animae rationali et intellectiva [3]. — Et propterea concedendae sunt rationes, quae sunt ad partem istam.

Non probatur theologice loquendo.

Opinio auctoris.

Conclusio 2.

Ad evidentiam vero obiectorum, quae in contrarium opponuntur, notandus est alius modus distinguendi *rationale* secundum *theologum*. Uno enim modo distinguitur *rationale* contra partem *sensitivam;* alio modo distinguitur contra potentiam *affectivam*. Secundum quod distinguitur contra potentiam *sensitivam*, sic sunt in parte ista rationali omnes virtutes. Secundum vero quod distinguitur contra potentiam *affectivam*, sic non sunt in ea omnes virtutes, sed illae solum, quae dirigunt in discernendo, sicut fides et prudentia; aliae vero reponuntur in potentia *affectiva*, quae quidem pars est liberi arbitrii et dicitur *voluntas*, secundum quod est coniuncta rationi; dicitur etiam *concupiscibilis* et *irascibilis*, secundum quod diversimode habet affici et moveri. Nihil enim aliud est *voluntas* quam affectus sive appetitus ratiocinatus [4]. Omnis autem affectus sive appetitus vel est *vis irascibilis*, vel *concupiscibilis*, quae duae vires, secundum quod sunt liberi arbitrii partes, rationales sunt; et in ipsis possunt esse virtutes theologicae et cardinales: theologicae, in quantum immediate elevantur in Deum, ipsum diligendo et ipsi innitendo; cardinales vero, in quantum versantur circa bonum creatum. Et per hoc pro magna parte patet responsio ad obiecta.

Modus alius distinguendi duplicater rationale.

Notandum.

1. Ad illud [5] quod primo obiicitur in contrarium, quod fortitudo et temperantia sunt in irascibili et concupiscibili, et istae solum sunt rationales, quia *obtemperant* rationi; dicendum, quod absque dubio istae duae virtutes cardinales quantum ad *habitus substratos* in illis duabus viribus reponuntur, licet quantum ad *rationem primariam merendi et ordinandi* omnis virtus in libero arbitrio ponenda sit. Et ista duo sunt compossibilia, pro eo quod liberum arbitrium non est potentia distincta a rationali, concupiscibili et irascibili secundum rem [6]. Et propterea illa assumtio est falsa, quod concupiscibilis et irascibilis solummodo sunt rationales, quia *obtemperant* rationi. — In nobis enim est duplex irascibilis et concupiscibilis, videlicet *rationalis* et *sensibilis: rationalis*, secundum quam immediate nati sumus in Deum ferri, et in qua communicamus cum Angelis, et in qua secundum diversas comparationes habet reponi theologica virtus et cardinalis. Alia vero est irascibilis et concupiscibilis *sensibilis* [7], quae solummodo dicitur rationalis, quia *obtemperat* rationi. Et in his non consistit libertas arbitrii, nec in his sicut in subiecto ponitur virtus cardinalis, licet per frequentem assuefactionem aliquo modo illae potentiae non incongrue dicantur *habilitari;* illa tamen habilitatio non est de virtutis essentia, sed potius sibi annexa.

Notandum.

Duplex irascibilis et concupiscibilis.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod pronitas et

---

[1] Vide infra d. 36. q. 5. in fine corp. — Quoad rationem seq. cfr. supra pag. 381, nota 1. et verba Alani ab Insulis, tom. II. pag. 892, nota 2. allata. — Subinde pro *principium* cod. A exhibet *principia* et paulo inferius cum codd. Z bb verbis *liberum arbitrium* praemittit *ipsum*.

[2] Cod. Y *dicitur per participationem*.

[3] Cfr. August., I. de Morib. Eccles. c. 6. n. 9. — Guliel. Mara, hic q. 1, ex August., IX. de Civ. Dei, c. 5. et XIV. de Trin. c. 9. (cfr. supra pag. 680, nota 6.) nec non ex Beda, super Exod. 26, 31. (II. de Tabernac. et vasis eius, c. 8.) adiungit, quod hae virtutes sint in spiritibus separatis. — Paulo inferius pro *notandus est* codd. F K U Z *notandum est, quod est,* et deinde pro *contra partem* cod. bb *contra potentiam;* Vat. post *contra partem* subiungit *sive potentiam*.

[4] Aristot., III. de Anima, text. 42. (c. 9.): « In ratiocinativa enim voluntas fit » (cfr. ibid. text. 46.), et text. 50. (c. 10.): Voluntas enim appetitus est. Cfr. II. Sent. d. 25. p. I. q. 6. ad 2. — Cod. A *ratiocinationis*, cod. V *rationalis*, Vat. *ratiocinativus*. Superius pro *liberi arbitrii* Vat. *liberum arbitrium*. Circa finem corp. pro *innitendo*, quae lectio est codd. A E G H T U Z bb, edd. cum pluribus codd. *inhaerendo*, cod. K *adhaerendo*, cod. V *uniendo*.

[5] Codd. T U Z bb addunt *enim*.

[6] Vide verba Bonaventurae, supra d. 26. a. 2. q. 3. in scholio allata.

[7] Aristot., III. de Anima, text. 42. (c. 9.): In irrationabili [parte] concupiscentia et ira. — Pro *sensibilis* edd. hic et infra etiam pluries cum pluribus codd. *sensualis*. Paulo ante pro *comparationes* cod. G *rationes*, codd. A V *operationes*. Paulo inferius pro *libertas arbitrii* edd. *liberum arbitrium*, et dein *habilitas* pro *habilitatio*.

obliquitas habent esse circa partem sensibilem, quia nata est rationi subiacere; dicendum, quod obliquitas habet esse circa aliquam potentiam dupliciter: aut quia in ea *inchoatur*, aut quia *consummatur*. Primo modo est obliquitas in parte *sensibili*, scilicet quantum ad *inchoationem*, et hoc propter fomitis inclinationem. Secundo vero modo est in parte *rationali* propter consensum et deliberatam electionem, et in hac principaliter residet obliquitas vitii, et per oppositum rectitudo virtutis, et ideo non [1] in parte sensibili, sed magis in rationali.

Duplex obliquitas.

3. Ad illud quod obiicitur, quod actus virtutis fortitudinis et temperantiae immediate eliciuntur a concupiscibili et irascibili; dicendum, quod illud verum est, loquendo de concupiscibili et irascibili *humana;* sed si loquamur de concupiscibili et irascibili *brutali* et sensibili, sic per illas potentias non *immediate* elicitur actus istarum virtutum, immo quasi *consequenter:* quia, rectificata concupiscibili et irascibili *rationali* per habitum virtutis, per consequens rectificatur ipsa concupiscibilis et irascibilis *brutalis*, quae illis habent subiici et famulari. — Unde sicut rectificata voluntate in dispensando, per consequens rectificatur manus ad tribuendum beneficium, tamen largitas non est in manu sicut in subiecto, sed in ipsa voluntate; sic intelligendum est in proposito.

Notandum axioma.

Exemplum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod consuetudinales virtutes reponuntur in ea parte, quae *obtemperat* rationi; dicendum, quod hoc non est, quia habitus *consuetudinalis* virtutis, secundum quod virtus est, habeat esse in illa parte sensibili, quae rationali obtemperat; sed quia ex quadam consuetudine bene faciendi in parte illa relinquitur quaedam habilitas. Et ideo potest dupliciter ad rationem illam responderi: primum quidem, quia non est simile de virtute *cardinali* et *consuetudinali*, secundum quod consuetudinalis est: quia *cardinalis* virtus nominat habitum dirigentem in operibus electivae, *consuetudinalis* vero praeter hoc nominat habitum *acquisitum* ex frequenti bene agere [2]. — Aliter etiam responderi potest *per interemptionem minoris:* quia *consuetudinalis* virtus, etsi aliquo modo sit in parte sensibili quasi in *exsequente* et *subiacente;* in rationali vero est principaliter tanquam in *imperante* actum virtutis et potentiae sensibili praesidente.

Notandum. Alia solutio.

5. Ad illud quod obiicitur, quod potentia sensibilis magis indiget rectificari quam intellectualis; dicendum, quod falsum est, quia rectitudo et obliquatio, quae homini imputatur, haec est, quae habet ortum a parte rationis. — Et quod *obiicit*, quod intellectus semper est rectus; dicendum, quod hoc intelligitur de intellectu, secundum quod respicit leges aeternas et ab ipsis recipit et in eis speculatur, non autem qualitercumque ex se movetur, immo frequenter est obliquus et erroneus [3]. — Vel potest dici, quod hoc intelligitur de intellectu, secundum quod est acceptio *principiorum notissimorum* in qualibet scientia, utpote dignitatum, circa quae non contingit errare [4], non autem prout habet applicari ad *opera specialia;* et ideo ad ipsarum directionem virtutes sunt sibi necessariae. Et propter hoc ratio illa non concludit, quia procedebat ex falsa assumtione.

Alia resp.

SCHOLION.

I. In hac quaestione solvenda est duplex modus dicendi. S. Thom. (hic q. 2. a. 4. quaestiunc. 2; S. I. II. q. 56. a. 4.) docet, ipsam irascibilem et concupiscibilem, quae sunt in appetitu sensibili, esse subiectum virtutis, scilicet temperantiae et fortitudinis, *quatenus participant rationem* per hoc, quod natae sunt rationi *obedire;* unde vult, quod ista virtus « nihil aliud est quam quaedam habitualis conformitas istarum potentiarum ad rationem » (S. loc. cit.). Idem docet Petr. a Tar. (hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 2.). Cum multis aliis S. Bonav. putat, quod in concupiscibili et irascibili *sensibili* non ponatur virtus cardinalis sicut in subiecto; subiungit autem: « Licet per frequentem assuefactionem aliquo modo illae potentiae non incongrue dicantur habilitari; illa tamen habilitatio non est de virtutis *essentia*, sed potius sibi annexa » (hic ad 1; cfr. ad 4.). Huic modo dicendi favent etiam B. Albert. et Uldaricus (apud Dionys. Carth.), Richard. a Med., Henric. Gandav., Scot. et Dionys. Carth., qui (hic q. 2.) dicit: « Fatcor, me amplius inclinari ad positionem dicentium, quod subiective sint in parte animae *superiori*, et in parte *inferiori* per impressionem et relucentiam quandam ». — Controversia autem fere reducitur ad quaestionem, utrum dispositiones illae vel impressiones in parte sensitiva mereantur proprie nomen virtutis, an non; de quo plura dicit Richard. a Med. (hic a. 1. q. 1.). Eadem autem differentia in modo loquendi occurrit etiam in quaestione de subiecto *peccati* et vitii; de quo vide II. Sent. d. 41. a. 2. q. 2, et scholion, nec non S. Thomam, S. I. II. q. 74. a. 2. seqq. — De duplici irascibili et concupiscibili (hic ad 1.) cfr. supra d. 26. a. 2. q. 5, in scholio. — Nota in principio corp. etiam specialem modum loquendi de *rationali*, et cfr. supra pag. 716, nota 11.

II. Praeter laudatos: Scot., hic q. unica n. 4. seqq. — B. Albert., hic a. 2. ad 6. 7. — Henr. Gand., Quodl. 4. q. 22. — Durand., hic q. 1.

III. In numero quaternario virtutum cardinalium omnes conveniunt; sed in assignandis rationibus pro aptitudine et suffi-

---

[1] Cod. U supplet *est*. Paulo superius pro *deliberatam* cod. A habet *deliberativam*, et subinde post *et in hac* edd. repetunt *parte*. — De hac solut. cfr. II. Sent. d. 31. a. 1. q. 2. in corp. et d. 41. a. 2. q. 2.

[2] Cfr. infra q. 5. et dub. 5. — Paulo ante pro *habitum dirigentem* cod. K substituit *habituum dignitatem*, et dein pro *electivae* (cfr. hic fundam. 4.) Vat. *elective*, codd. E F H I T U V Z et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *active*, cod. A *ratione*. — De locutione *per interemptionem* vide supra pag. 640, nota 2.

[3] Vide II. Sent. d. 5. a. 3. q. 1. ad 2. et d. 24. p. II. a. 1. q. 1. ad 2. — Paulo superius post *non autem* Vat. interserit *secundum quod*, et versus initium solut. pro *rectitudo* substituit *rectificatio*.

[4] Cfr. supra pag. 481, nota 1. et pag. 482, nota 2.

cientia huius numeri magistri diversas ineunt vias. S. Thom. in Sum. (I. II. q. 61. a. 2.) duplicem viam assignat, scilicet alteram secundum *principia formalia*, alteram secundum *subiecta*; et secunda convenit cum *septima*, quam auctor noster iudicat esse magis probabilem (cfr. hic dubia circa lit.).

De hac (4.) quaestione: Scot., III. Sent. d. 34. q. unica n. 14. seqq. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2. 3.; S. loc. cit.; Q. disp. de Virtutibus cardin. a. 1. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 7. — Durand., hic q. 5. — Dionys. Carth., hic q. 1.

QUAESTIO IV.

Utrum virtutes cardinales debeant esse tantum quatuor, an plures.

Quarto quaeritur de virtutibus cardinalibus quantum ad numerum, et est quaestio, utrum tantum debeant esse quatuor, an plures vel pauciores. Et quod tantum sint *quatuor*, videtur:

Fundamenta.

1. Per illud quod dicitur Sapientiae octavo[1], quod sapientia *docet sobrietatem, prudentiam, iustitiam et fortitudinem*: si ergo nominat virtutes cardinales sufficienter, videtur, quod sint quatuor, et non plures nec pauciores.

2. Item, hoc ipsum probatur per Glossam, Genesis secundo[2], ubi dicitur, quod *fluvius, qui egrediebatur de paradiso, dividebatur in quatuor capita*; ibi dicit Glossa, quod per illa quatuor capita intelliguntur « quatuor virtutes cardinales ».

3. Item, hoc ipsum ostenditur per Augustinum, qui in libro de Moribus Ecclesiae[3] dicit, affectum virtutis esse quadripartitum; sed constat, quod hoc non potest intelligi nisi de cardinalibus: ergo etc.

4. Item, hoc ipsum ostenditur per Philosophum[4] et per alios tractatores, qui de hac materia loquuntur, quae omnes virtutes consuetudinales et politicas reducunt ad numerum quaternarium.

Ad oppositam.

Sed contra: 1. Virtutes theologicae sunt tres propter trinitatem obiectorum et potentiarum; sed in eisdem potentiis sunt virtutes cardinales et theologicae, licet secundum aliam et aliam comparationem[5]: ergo videtur, quod sint tantum *tres*.

2. Item, virtus, quae ordinat ad alterum, est tantum una, videlicet iustitia ad proximum[6]: ergo videtur, quod *una* sit tantum virtus, per quam homo ordinatur ad se ipsum; aut si tres sunt virtutes, per quas ordinatur in se, videtur, quod *tres* sint, per quas ordinetur homo ad proximum, ita quod non tantum sint quatuor, sed etiam se extendant usque ad numerum *senarium*.

3. Item, super illud Matthaei decimo quinto[7]: *Erant qui manducaverunt quasi quatuor millia hominum*; Glossa: « Per prudentiam est cognitio rerum appetendarum et vitandarum; secunda est refrenatio cupiditatis ab his quae temporaliter delectant; tertia est firmitas contra molestias saeculi; quarta vero, quae per omnes diffunditur, est dilectio Dei et proximi »: si ergo dilectio Dei et proximi ponitur una inter cardinales virtutes, videtur, quod sint *plures* quam quatuor.

4. Item, humilitas, patientia et obedientia sunt magnae virtutes, nec tamen sunt aliqua praedictarum nec videntur theologicae[8]: ergo videtur, quod cardinalis virtus non sufficienter dividatur per quatuor membra.

Quaestio connexa.

Est ergo quaestio de praedictarum virtutum cardinalium numero et sufficientia.

CONCLUSIO.

Numerus et sufficientia virtutum cardinalium consistit in quaternario.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio numerus et sufficientia virtutum cardinalium consistit in quaternario. — Huius autem numeri *ratio* et *sufficientia* assignatur multis modis, qui, etsi per omnia non sint rationabiles[9], tamen conficiunt unum modum dicendi rationabilem et sufficientem. Possunt autem hi modi dicendi ad quatuor reduci secundum quadruplicem comparationem ipsius cardinalis virtu-

Ratio multiplex.

Reductio modorum dicendi.

---

[1] Vers. 7. Cfr. supra pag. 711, nota 2.

[2] Vers. 10. — De Glossa, quae est *ordinaria*, cfr. Ambros., de Paradiso, c. 3. n. 14; August., II. de Gen. contra Manich. c. 10. n. 13; XIII. de Civ. Dei, c. 21; Gregor., II. Moral. c. 49. n. 76. — Pro *probatur per Glossam* plurimi codd. *de paradiso, qui dividebatur, Glossa.*

[3] Libr. I. c. 15. n. 25. Vide supra q. 2. arg. 1. ad oppos.

[4] Libr. de Virtut. et vitiis, c. 1, et III. Ethic. c. 6. seqq.; Plato, IV. Dialog. de Republ. (ed. Serrani, tom. 2. pag. 427); Cicero, II. Rhetor. c. 54; Macrob., I. in Somnium Scipionis, c. 8. — Paulo inferius pro *qui... politicas reducunt* Vat. *quae... politicae reducuntur*. Pro *qui* codd. B C D W X aa *ubi*, cod. A *quia*, codd. G L N Q *sibi*.

[5] Cfr. supra q. 1. ad 3. — De *maiori* vide supra d. 26. a. 1. q. 3. et d. 27. a. 1. q. 1. fundam. 2. et 4.

[6] Vide supra q. 2. ad 4. — In fine arg. pro *senarium* cod. Z *septenarium*.

[7] Vers. 38. Verba Glossae sumta sunt ex August., 83 Qq. q. 61. n. 4. et referuntur etiam a Beda, in hunc loc. Cod. bb initium Glossae sic refert: *Prima est cognitio rerum* etc., edd. autem sic: *Per quaternarium quatuor virtutes cardinales intelliguntur. Prima est prudentia cognitio rerum* etc. August. loco laudato ait: Neque in ipsa turba *quinque* millia hominum fuerunt, sicut illic, ubi carnales legem accipientes, id est quinque sensibus carnis dediti significantur, sed *quatuor* millia potius, quo numero significantur spiritales propter quatuor animi virtutes, quibus in hac vita spiritaliter vivitur, prudentiam, temperantiam, fortitudinem et iustitiam. Quarum prima est cognitio rerum appetendarum et *fugiendarum*... tertia firmitas *animi adversus ea quae temporaliter molesta sunt* etc.

[8] Pro *nec videntur theologicae* edd. *ut videtur*.

[9] Codd. et edd. 1, 2 non ita bene *rationales* et mox *rationalem*; multi codd., cum abbreviate scribant, sunt dubiae interpretationis.

tis, videlicet ad *proprium subiectum*, ad *actum intrinsecum*, ad *suum oppositum* et ad *proprium obiectum*.

Modus 1. Primus igitur modus sumendi est penes diversitatem *subiectorum*. Subiecta enim proxima et immediata ipsarum virtutum sunt potentiae animae, sive vires, quae sunt tres, videlicet *rationalis*, *concupiscibilis* et *irascibilis*, ita quod fortitudo est in *irascibili*, temperantia est in *concupiscibili*, sed iustitia et prudentia sunt in *rationali*, secundum quod dupliciter habet ad alias vires comparari: vel in ratione *consiliantis*, et sic est prudentia; vel in ratione *sententiantis*, et sic est iustitia; sive secundum quod habet considerari *in se*, et sic perficitur habitu prudentiae; vel secundum quod habet alias regere et ordinare [1], et sic perficitur habitu iustitiae.

Modus 2. Secundus autem modus sumendi sufficientiam virtutum attenditur secundum diversitatem *actuum intrinsecorum*. Tres enim sunt actus, qui necessario concurrunt ad virtutem, videlicet « *scire, velle* et impermutabiliter *operari* [2] ». *Scire* autem, quid sit agendum, est ipsius prudentiae; *velle* vero bonum est ipsius iustitiae; impermutabiliter vero *operari* est temperantiae et fortitudinis, sed temperantiae in *prosperis*, fortitudinis in *adversis*.

Modus 3. Tertius vero modus sumendi attenditur penes comparationem *ad opposita*, quae sunt quatuor nobis per peccatum inflicta, videlicet *ignorantia*, *concupiscentia*, *infirmitas* et *malitia* [3]. Et contra *ignorantiam* est virtus prudentiae, contra *concupiscentiam* est virtus temperantiae, contra *infirmitatem* est virtus fortitudinis, et contra *malitiam* est virtus iustitiae. Et hic modus dicendi videtur satis rationabilis esse; verumtamen *a posteriori* sumtus est, quia non virtutes per vitia, sed vitia per virtutum merita distinguuntur [4].

Modus 4. assignatur tripliciter. Quartus autem modus sumendi est ex parte ipsorum *obiectorum*, et iste modus sumendi videtur esse rationabilior, quia « habitus per actus, et actus per obiecta diversificari habent [5] ». Et hic modus

Primo. sumendi habet quadruplicari; uno modo sic: nam virtutes aut sunt circa *passiones*, aut circa *actiones* [6]. Si circa *passiones*; aut *illatas*, et sic est fortitudo; aut *innatas*, et sic est temperantia. Si circa *actiones*; aut circa actiones *intrinsecas*, quae quidem consistunt in *eligendo*, et sic est prudentia; aut circa *extrinsecas*, quae quidem consistunt in exsequendo, et sic est iustitia, ad quam spectat unicuique tribuere iura sua [7]. — Alio modo potest sumi sic

Secundo. a parte obiecti, quia virtus aut negotiatur circa *malum*, aut circa *bonum*. Si circa *malum*; aut est *innatum*, et sic est temperantia; aut *illatum*, et sic est fortitudo. Si circa *bonum*; aut ratione [8] *utilis* et expedientis, et sic est prudentia; aut ratione *honesti* et laudabilis, et sic est iustitia. — Alio vero

Tertio. modo sumitur sic: quia virtus cardinalis aut ordinat [9] ad *proximum*, aut ordinat ad *se ipsum*. Si ad *se ipsum*; aut in *eligendis*, et sic est prudentia; aut in *respuendis*, et sic est temperantia. Si vero ordinat ad *proximum*; aut hoc est in *reddendis*, et sic est iustitia; aut in *sustinendis*, et sic est fortitudo.

Omnes tamen hi modi dicendi aliquam videntur habere calumniam nec usquequaque attingere ad rationem propriam. Et ideo adhuc restat alius mo-

Modus 7, probabilior. dus dicendi, qui respectu praedictorum est *septimus* et omnibus praedictis videtur esse magis idoneus. Cum enim virtus cardinalis dicatur, quia ordinat hominem circa ea quae sunt *ad finem* sive circa quid creatum [10]; cum homo habeat comparari ad *se ipsum* et ad *alterum*, virtus cardinalis aut est regulativa actuum hominis respectu *sui*, aut respectu *proximi*. Si respectu *sui*; hoc potest esse tripliciter secundum actum principalem triplicis virtutis, videlicet *rationalis*, circa quam est prudentia, *concupiscibilis*, circa quam est temperantia, et *irascibilis*, circa quam *fortitudo* consistit. — Si vero ordinet ad *alterum*, sic est una virtus, quae quidem dicitur iustitia, quia una est ratio, secundum quam ad alterum ordinat, videlicet ratio *debiti*. Et quia haec ratio potest attendi secundum actum cuiuslibet potentiae; hinc est, quod iustitia cardinalis circuire dicitur omnes vires [11], et tamen una est propter unam rationem ordinandi ad alterum. — Et sic patet numerus et sufficientia praedictarum quatuor virtutum.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur in con-

---

[1] Aristot., V. Topic. c. 1: *Rationalis* proprium [est] principare ad concupiscibile et irascibile, eo quod illud quidem imperat, haec autem parent. Cfr. tom. II. pag. 604, nota 5. — Hunc (1.) modum dicendi insinuat Aristot., de Virtut. et vitiis, c. 1. Cfr. etiam quaest. praeced. — Paulo superius pro *vel in ratione consiliantis* cod. A *videlicet in ratione consiliantis*.

[2] Aristot., II. Ethic. c. 4. Cfr. tom. II. pag. 924, nota 12.

[3] Ut Scholastici docent, provocantes ad Bedam; cfr. tom. II. pag. 721, nota 6. — Inferius pro *videtur satis rationabilis* [multi codd. *rationalis*] *esse* cod. K *ut videtur, satis rationabilis est*.

[4] Quia, ut Aristot., II. de Caelo et mundo, text. 18. (c. 3.) ait, « privatione prior affirmatio », sive secundum translationem Arabico-latinam: habitus est ante privationem. Cfr. supra pag. 570, nota 3. — Pro *sumtus est* plurimi codd. *sumtum est*.

[5] Vide supra pag. 470, nota 8. in fine.

[6] Cfr. supra pag. 472, nota 2.

[7] Cod. K *attribuere quod suum est*, codd. F T *merita sua*.

[8] Permulti codd. et edd. 1, 2 *in ratione*. Paulo post cod. V iterum *in ratione*.

[9] Supple: hominem.

[10] Cfr. supra q. 1.

[11] August., II. de Gen. contra Manich. c. 10. n. 14: « Quartus fluvius [paradisi, scil. Euphrates; cfr. Gen. 2, 14.] non dictum est contra quid vadat, aut quam terram circumeat; iustitia enim ad omnes partes animae pertinet, quia ipsa ordo et aequitas animae est, qua sibi ista tria concorditer copulantur: prima prudentia, secunda fortitudo, tertia temperantia; et in ista tota copulatione atque ordinatione iustitia » [consistit]. Idem insinuat Aristot., de Virtut. et vitiis, c. 1. dicens: *Rationalis* quidem [partis animae] virtus est prudentia... *totius* autem animae, iustitia. — Codd. A M *omnes virtutes*, quae lectio respondet Glossae in arg. 3. ad oppos. allegatae.

trarium, quod virtutes theologicae sunt tres secundum trinitatem potentiarum etc.; dicendum, quod non est simile, quia virtutum theologicarum est ordinare hominem ad Deum, qui solus est finis omnium bonorum; cardinalium vero est hominem ordinare ad se et ad proximum: et ideo necesse est, plures virtutes reperiri ex parte ista quam ex illa, propter unam comparationis differentiam superadditam, ratione cuius attenditur iustitia.

2. Ad illud quod obiicitur, quod iustitia, quae ordinat ad alterum, est tantum una: ergo similiter et aliae virtutes cardinales, quae ordinant hominem ad se ipsum; dicendum, quod non est simile. Et ratio huius est: quia virtutes, quae respiciunt hominem in se, attenduntur penes actus virium principales, qui quoniam diversi sunt, necesse est, illas Notandum. esse diversas; sed virtus, quae ordinat ad alterum, non sumit [1] rationem distinctionis ab actibus principalibus ipsarum virium, pro eo quod per eosdem actus, secundum quos ordinatur homo in se, ordinatur etiam ad proximum: et ideo distinctionem sumit ex ratione comparandi ad alterum. Et quia ratio illa, ut dictum est, unica est; ideo virtus iustitiae, quae est ad alterum ordinativa, habet unitatem; nec ex hoc oportet de aliis similiter concludere, quia non est simile hinc et inde.

3. Ad illud quod obiicitur, quod praeter has virtutes cardinales Glossa ponit dilectionem Dei et proximi; dicendum, quod ipsa dilectio proximi non ponitur ibi, quia sit virtus cardinalis, sed quia ipsa est, quae maxime adiuvat iustitiam-virtutem, ut affectum nostrum possit respectu proximi recte regulare. Nisi enim quis proximum suum diligat, non est facile, ut ius [2] debitum sibi reddat.

4. Ad illud quod obiicitur de aliis virtutibus, utpote de humilitate, patientia et obedientia; dicendum, quod omnes illae virtutes pro magna parte reduci habent ad istas, sicut ad radicalia principia, in quibus residens est ratio *movendi* et *dirigendi* Notandum. primaria; propter quod etiam *cardinales* a cardine nuncupantur. Unde *patientia* ad fortitudinem reducitur et aliae plures, quae sunt ipsius species materiales, secundum quod innuunt tractatores morales [3]. *Humilitas* vero et *obedientia* reduci habent ad ipsam iustitiam. — Et *si tu obiicias*, quod humilitas non semper ordinat ad alterum, et similiter patientia [4]; responderi potest, quod idem homo sortitur rationem duplicis personae, sicut patet: homo cum accusat se ipsum, idem est accusator et reus; et cum iudicat se ipsum, idem est iudex et condemnatus. Sic intelligendum est in *humilitate* et *patientia* et aliis etiam specialibus virtutibus, quae reduci habent ad ipsam iustitiam, secundum quod est virtus cardinalis et specialis. Dicitur tamen *omnes vires circuire*, quia aliqui habitus, qui ad ipsam reducuntur, spectant ad partem rationalem, sicut *veritas*; aliqui ad concupiscibilem, sicut *largitas*; aliqui ad irascibilem, sicut *ira* per zelum et *poenitentia*, secundum quod in quarto libro, distinctione decima quarta [5] dicitur. Et per hoc patet responsio ad obiecta.

QUAESTIO V.

Utrum virtutes cardinales sint a Dei dono, vel ab assuetudine.

Quinto quaeritur de virtutibus cardinalibus quantum ad originem, et est quaestio, utrum huiusmodi virtutes sint a Dei dono, vel ab assuetudine. Et quod sint ab *assuetudine*, videtur.

1. Eadem est virtus cardinalis et consuetudina- Fundamenta. lis secundum rem et essentiam; sed virtus consuetudinalis completum *esse* habet ab assuefactione, secundum quod dicit Philosophus in principio Veteris Ethicae [6]: «Innatis nobis a natura, perfectis vero ab assuefactione»: ergo etc.

2. Item, secundum quod vult Philosophus [7] et ostendit: «Ex eisdem ipsis unaquaeque res generatur, per quae in *esse* salvatur et promovetur»; sed per bonorum operum muliplicationem cardinales virtutes habent in nobis conservari et ad melius promoveri: ergo per bona opera habent in nobis generari.

3. Item, hoc ipsum videtur experimento. Videmus enim, quod malus homo, dum in bono exercetur et assuescit, semper plus et plus ad bonum

---

[1] Vat. subdit *tantum*. Paulo inferius post *ordinatur etiam* non pauci codd. adiiciunt *et*. Deinde pro *est ad alterum ordinativa* cod. K *ad alterum ordinatur*.

[2] Cod. Y *iuris*.

[3] Cfr. supra pag. 561, nota 7. De proposit. seq. vide infra dub. 1.

[4] Hic et paulo inferius pro *patientia*, quam lectionem complures codd. et edd. 1, 2 habent, alii codd. *poenitentia*, Vat. *obedientia*.

[5] Partis I. a. 2. q. 1. — Paulo ante pro *et poenitentia* bene multi codd. et edd. 1, 2 falso *et poenitentiam* (cod. K *patientiam*, cod. Z *misericordiam*). Superius pro *aliqui habitus* cod. A *aliqui actus*. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Scil. lib. II. c. 1. (cfr. tom. I. pag. 10, nota 2.), ubi sic legitur (secundum antiquam translationem, quae in S. Thomae Comment. super Ethic. habetur): Neque igitur natura neque praeter naturam insunt virtutes, sed innatis quidem nobis suscipere eas, perfectis autem per assuetudinem [ἀλλὰ πεφυκόσι μὲν ἡμῖν δέξασθαι αὐτάς, τελειουμένοις δὲ διὰ τοῦ ἔθους]. In nova versione ultima verba sic redduntur: sed cum idonei ad ipsas suscipiendas natura simus, assuetudine perficimur. — De *maiori* vide infra dub. 5. — In *minori* edd. pluraliter dicunt *virtutes consuetudinales... habent*. Pro *assuefactione* in multis codd. (considerata abbreviatione verbi) aeque bene legi posset *assuetudine*.

[7] Libr. II. Ethic. c. 2: At vero non solum generationes et

habet disponi et habilitari et facilior reddi[1]; sed hoc non esset, nisi per assuefactionem in bono acquireretur habitus, qui ad bonum habilitaret: cum igitur tales sint virtutes cardinales, videtur, quod originem trahant ex frequenti bene agere.

4. Item, multi habent et habuerunt huiusmodi virtutes cardinales et consuetudinales, qui nunquam crediderunt in Christum nec sunt membra eius: si ergo vera gratia per Christum habet derivari in eius membra, videtur ergo, quod cardinales virtutes acquiri possint per humanam industriam[2].

5. Item, sicut intellectus perficitur et dirigitur et rectificatur per habitum scientiae, sic et affectus per habitum virtutis; sed quamvis intellectus noster propria virtute non possit venire in cognitionem aeternorum[3], tamen per ea quae naturaliter habet, potest venire in cognitionem istorum inferiorum: ergo pari ratione, quamvis affectus non possit habere virtutes, quae elevent ipsum ad superna, videtur tamen, quod possit habere virtutes dirigentes ipsum et rectificantes circa ista inferiora. Sed cardinales virtutes sunt huiusmodi[4]: ergo etc. — *Si tu dicas*, quod non est simile, quia perfectio affectus multo nobilior est quam perfectio intellectus; *obiicitur* contra hoc, quod talis perfectio non videtur esse excellentior quam perfectio cognitionis. Videmus enim, quasdam creaturas irrationales huiusmodi virtutes quasi naturaliter possidere. Quoddam enim animal est, quod viget in liberalitate; quoddam, quod in prudentia; quoddam, quod in mansuetudine; quoddam, quod in virtutis strenuitate; quoddam, quod in castitate, sicut per exempla patet[5]: ergo si natura hominis dignior est quam natura bestiarum, multo fortius videtur, quod homo istas virtutes cardinales aut habeat simpliciter sibi innatas, aut per illud quod est innatum, cum rationis industria possit acquirere.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Iacobi primo[6]: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est;* sed dona virtutum sunt dona optima, secundum quod innuit ipsa Glossa: ergo non videtur, quod huiusmodi virtutes sint a nostra assuefactione, sed potius ex divino munere.

2. Item, Sapientiae octavo[7]: *Scio, quod aliter non possum esse continens, nisi Deus det:* ergo continentia non potest obtineri nisi per divinum munus, pari ratione nec alia cardinalis virtus: redit ergo idem quod prius.

3. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* «Agens nobilius est patiente, et principium effectu[8]»; sed virtus interior animi nobilior est quam operatio exterior: ergo ex frequenti bona operatione non videtur quod contingat acquirere aliquam virtutem cardinalem.

4. Item, si virtus acquiritur per operationes, aut per unicam operationem, aut per plures; constat, quod per unicam non[9]: ergo per plures. Sed *contra:* quando una illarum operationum incipit esse, alia desinit: ergo si nunquam operationes sunt simul; si una non potest facere, ergo nec plures, cum, novis operationibus supervenientibus, aliae transeant in praeteritum.

5. Item, si virtus cardinalis generari habet ex operibus, aut ergo ex operibus *virtuosis*, aut *non virtuosis*. Ex operibus *virtuosis* non, quia opera virtuosa sive studiosa a virtute habent originem[10]: ergo non sunt virtutis principium. Si ex operibus *non virtuosis;* sed *contra:* quales sunt actus, tales sunt habitus: ergo si opera illa non sunt virtuosa, non generabunt habitum virtuosum: ergo videtur, quod nulla virtus possit ex operibus generari.

CONCLUSIO.

Virtutes cardinales, prout sunt politicae, tum a natura tum ab assuefactione ortum habent; sed prout sunt infusae et gratia informatae, sunt a divino munere.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod virtutes cardinales uno modo dicuntur virtutes, quia *habilitant ad opera moralia;* alio modo dicuntur virtutes non solum, quia habilitant ad huiusmodi opera, sed etiam, quia *elevant ad opera meritoria*. Secundum autem quod virtu-

Duae species harum virtutum.

---

incrementa et corruptiones ex iisdem et ab eisdem efficiuntur, verum etiam operationes in iisdem quoque erunt; nam in aliis, quae manifestiora sunt, res ita se habet, ut in viribus; nam et illae tum ex multi cibi sumtione tum ex multis laboribus sustinendis comparantur, et utraque haec praestare maxime omnium robustus potest. Idem in virtutibus contingit; ex eo enim quod abstinemus a voluptatibus, efficimur temperantes, et effecti temperantes maxime abstinere a voluptatibus possumus etc. Cfr. II. de Generat. et corrupt. text. 50. (c. 8.), ubi idem Philosophus inter alia dicit: Omnia enim nutriuntur ex eisdem, ex quibus sunt. Cfr. etiam Boeth., III. de Consol. prosa 11. — In *minori* pro *multiplicationem* codd. A bb *multitudinem.*

[1] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis*, ubi simile exemplum proponitur. — Circa finem arg. pro *igitur tales* multi codd. perperam exhibent *igitur tres*, et subinde post *virtutes cardinales* edd. subiungunt *et consuetudinales.*

[2] Cod. V *assuefactionem.*

[3] Intellige: immediate. De cognitione Dei per eius effectus in creaturis cfr. I. Sent. d. 3. p. I. q. 1. 2.

[4] Cfr. supra q. 1. — Paulo inferius pro *quod talis* non pauci codd. *quia talis.*

[5] Vide Aristot., IX. de Histor. animal. c. 1. — Pro *in prudentia* complures codd. *in providentia.*

[6] Vers. 17. — Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum dicit, omne bonum, quod agamus, omne datum, quod ad naturam referatur, et omne donum, quod referatur ad gratiam, esse a Deo.

[7] Vers. 21: Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens etc.

[8] Aristot. III. de Anima, text. 19. (c. 5.): Semper enim honorabilius est agens patiente, et principium materia. Cfr. XII. Metaph. text. 40. (XI. c. 7.), et supra pag. 210, nota 7.

[9] Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 1.

[10] Cfr. supra pag. 388, nota 2. — De axiomate: quales sunt actus, tales sunt habitus, cfr. tom. II. pag. 760, nota 6. — Paulo superius pro *a virtute* cod. A *a virtutibus*, et mox pro *Si ex operibus* edd. *Videtur ergo, quod ex operibus.*

tes cardinales dicuntur virtutes, quia potentiam *elevant*[1]; sic non habent ortum ab assuefactione, sed a divino munere; non a natura, sed a gratia. Quia enim elevant potentiam supra se, sunt supra naturam et actum ipsius potentiae, qui inest ei per se; et ideo necesse est, quod ab aliquo superiori et *potentia* et *actu* ipsius potentiae trahant originem. Et hoc modo cardinales virtutes sunt virtutes *gratuitae*[2]. Conclusio 1.

Alio modo est loqui de cardinalibus virtutibus, secundum quod *habilitant ad opera moralia*; et sic huiusmodi virtutes cardinales sunt virtutes *politicae* et *radicaliter* sunt *a natura*, sed *completive* sunt vel ab *operum frequentia* et *perseverantia*, vel a *gratiae influentia* et *praesidentia*, vel ex *utraque causa*. A *natura*, inquam, sunt *radicaliter*, quia plantatam habemus in nostra natura rectitudinem, per quam apti sumus, licet imperfecte, ad opera virtutis et honestatis[3]; sed dum *assuescimus*, paulatim efficitur nobis facile quod prius erat difficile, secundum quod dicit Bernardus ad Eugenium[4], quod nihil est adeo difficile, quod consuetudo non reddat facile. — Nec solum ex *assuefactione* ducitur illa habilitas *semiplena* ad complementum, sed etiam per *gratiae adiutorium*. Nam cum ipsa gratia sit animae rectificativa, rectitudo superveniens naturae rectitudinem qualemcumque prius existentem *amplificat* et amplificando *confirmat*. — Ex *utraque* etiam *causa* virtus politica potest suscipere complementum, videlicet quando concurrit divinae gratiae adiutorium et bonae consuetudinis exercitium, per quae duo virtus cardinalis radicata in natura ducitur ad complementum perfectum. — Et sic virtus cardinalis, in quantum est *politica*, ortum habens a *natura*, ducitur ad quoddam complementum ex *assuefactione* subsequente, ad maius complementum ducitur ex *gratia superveniente*, sed ad perfectum complementum ducitur ex *utraque causa* concurrente, videlicet gratia et assuefactione. Conclusio 2. Explicatur.

Et potest huiusmodi exemplum inveniri satis manifestum. Videmus enim, quod aliquis equus ex sua naturali compositione aptitudinem habet ad bene portandum et ambulandum; sed illa aptitudo ad complementum potest reduci per ipsius *equi assuefactionem*, vel per ipsius *sessoris industriam*, qui scit freno equum circumducere, vel per *utramque*. Sic et in proposito intelligendum est, quia secundum Augustinum[5] liberum arbitrium assimilatur equo, et gratia assimilatur sessori, et bona operatio rectae ambulationi. Exemplum.

Sic igitur patet, quod loquendo de virtute cardinali, secundum quod est politica, et secundum quod est intentionis philosophicae determinare de ipsa, concedi potest, quod a *natura* et *assuefactione* trahit originem, secundum quod ipse Philosophus dicit, et rationes ostendunt ad primam partem inductae. Si autem loquamur de virtutibus cardinalibus, secundum quod sunt *gratuitae*, et secundum quod de eis intendit theologus, sic sunt a divino munere. — Sed contra hoc non sunt rationes, quae ad primam partem inducuntur, quia solum procedunt de virtute, secundum quod dicit quendam habitum facilitantem[6] potentiam animae. Et ideo rationes illae sunt concedendae. Epilogus. Ad fundamenta.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium, quod omne datum optimum et omne donum perfectum etc., et virtutes sunt dona optima; responderi potest dupliciter. Primo, quia Glossa intelligit de virtutibus non quibuscumque et per omnem modum, sed in quantum sunt *gratuitae* et *meritoriae*, per quem modum dictum est, cardinales virtutes esse a solo munere gratiae. — Aliter etiam potest dici, quod per illam auctoritatem non probatur, quod tales virtutes non sint a nobis, quia tam naturalia quam gratuita dicuntur esse a Deo, sicut Glossa exponit ibi[7]. Et propterea ex hoc haberi non potest, quod non sint ab operatione nostra. Opus enim nostrum non excludit opus et munus divinum, immo praesupponit et necessario exigit, secundum quod in secundo libro[8] fuit ostensum, ubi quaesitum fuit, utrum omnis actio sit a Deo. Solutio oppositorum. Resp. 1. Resp. 2.

2. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Sapientiae, iam patet responsio: quia vel intelligitur de continentia, secundum quod est Deo *accepta* et *meritoria*; vel intelligitur de actione Dei, qua Deus dicitur dare aliquid cooperando et adiuvando, non de illa *speciali*, qua dicitur dare ipsum *habitum infundendo*[9]. Philosophi enim continentes fuerunt, et hoc Deo dante, non per ipsius continentiae *infusionem*, sed per liberalem et benevolam cooperationem. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod agens nobilius est patiente, et principium effectu; dicendum, quod illud habet veritatem, quando agens et movens substantialiter differt a patiente; sed quando sic est, quod idem movet ipsum, non oportet, quod ve-

---

[1] Cod. V addit *ad opera meritoria*.

[2] Vide supra d. 23. a. 2. q. 5. et d. 27. a. 1. q. 3. ad 1. — Paulo ante pro *potentia et actu* cod. A (cod. N a secunda manu) non ita bene *potentia et actus*, Vat. *potentiae et actui*.

[3] Cfr. supra pag. 500, nota 6.

[4] Libr. I. de Considerat. c. 2. n. 2: Quid non invertat consuetudo? quid non assiduitate duretur?... Primum tibi importabile videbitur aliquid; processu temporis, si assuescas, iudicabis non adeo grave; paulo post et leve senties; paulo post nec senties; paulo post etiam delectabit. — Paulo superius pro *paulatim* codd. A H T U V bb *paulative*.

[5] Serm. 30. (alias de Verbis Apostoli, serm. 12.) c. 8. n. 10, et III. Hypognost. (inter opera August.) c. 11. Cfr. tom. II. pag. 600, nota 6. et ibid. d. 26. q. 5. — Paulo ante posuimus ex codd. A T U *equum circumducere* pro *equum suum ducere*, quod est in aliis et edd.

[6] Edd. *habilitantem*. Proxime post pro *potentiam* cod. bb *potentias*.

[7] Cfr. supra pag. 722, nota 5.

[8] Dist. 37. a. 1. q. 1.

[9] Cod. Z *influendo*.

ritatem habeat nisi *secundum quid*, ut idem ipsum sit magis nobile et minus secundum diversas comparationes. Unde liberum arbitrium, se ipsum assuefaciens ad bonum per actum suum, magis nobile est, in quantum se movet et assuefacit, et minus nobile, in quantum assuescit [1]. Et hoc modo respondendum est in omnibus habitibus acquisitis. — Et si ulterius *insistat*, quod actus exterior non est
Notandum. nobilior habitu interius generato; dicendum, quod virtus politica non perducitur ad complementum per actum *exteriorem*, sed per actum *voluntatis interiorem;* sicut patet, cum aliquis largitur eleemosynam, est ibi operatio manus exterius exsequentis, et ista non est principium virtutis, sed signum; et est operatio voluntatis interioris moventis et dirigentis, qua vult largiri alii; et ex ista operatione frequentata cum perseverantia ad complementum habet duci virtus consuetudinalis sive politica.

4. Ad illud quod quaeritur, utrum una operatio, an plures perducant ad virtutis completionem; dicendum, quod plures, quia non ex una operatione generatur habitus, sed ex multis [2]. — Et si *obiiciat*, quod una superveniente, reliqua transit,
Notandum. et nunquam erunt simul plures; dicendum, quod etsi prima operatio transeat quantum ad *actum*, manet tamen quantum ad *effectum*, qui quidem effectus per se ipsum non est tantus, ut mereatur dici *dispositio* vel *habitus;* sed prout ab actibus sequentibus adiuvatur et promovetur, crescit in *dispositionem*, et de dispositione crescit in *habitum;* sicut videmus, quod una gutta non sufficit ad cavandum, frequens tamen stillatio guttae facit foveam, secundum illud poeticum [3]:

Gutta cavat lapidem non vi, sed saepe cadendo.

Sic etiam intelligendum est in proposito.

5. Ad illud quod obiicitur, quod virtus cardinalis non potest generari ex operibus *virtuosis* [4]; dicendum, quod generari habet ex operibus *virtuosis;* sed opus *virtuosum* sive studiosum, ut proprius loquamur, quoddam est virtuosum *plene*, quoddam Distinctio. *semiplene*. Illud est virtuosum *plene*, quod procedit ab habitu virtutis iam completo; illud est virtuosum *semiplene*, quod disponit ad habitum virtutis. Et hoc quidem opus non necesse est esse a *virtute*, Notandum. sed potest esse ab aliquo, quod est *virtuti consonum*, utpote a voluntate deliberativa consonante naturali rectitudini, videlicet iudicio conscientiae et inclinationi synderesis, quibus virtus conformatur, sicut patet. Definitur enim virtus, quod est « habitus mentis in modum naturae rationi consentiens [5] ». Et sic patet, quod ratio illa non cogit, quia procedit ex suppositione falsi.

SCHOLION.

1. De triplici habitu, scilicet *innato*, *acquisito*, *infuso* cfr. IV. Sent. d. 4. p. II. a. 2. q. 2, d. 6. p. I. q. 1. 5; I. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 1. ad 1; II. Sent. d. 39. a. 1. q. 2, et alibi. Habitus *infusi*, qui non habent ortum a libero arbitrio, sed immediate a Deo (II. Sent. d. 28. dub. 1.), a posterioribus theologis iterum distinguuntur in habitus *infusos per se* et *infusos per accidens;* illi ex natura propria habent, ut non nisi a Deo in anima possint produci, ut est v. g. habitus fidei; hi vero, licet per actus naturales possint acquiri, tamen interdum alicui ex speciali Dei dispensatione supernaturaliter infunduntur. — In hac quaestione auctor praecipue agit de habitibus *acquisitis*, de quibus cfr. S. Thom., S. I. II. q. 51. a. 1-3; Q. disp. de Virtutibus in communi a. 8. 9. — Pro doctrina auctoris nostri recte intelligenda servit distinctio (in corp.) triplicis modi, quo hae virtutes in anima oriri possunt, scilicet per *frequentationem actuum*, per *infusionem* et *utroque* modo. *Secundum* modum auctor significat sic: a gratiae *influentia* et *praesidentia;* quorum verborum intellectus patebit ex infra dicendis.

II. De habitibus *infusis per se* controversia fuit inter theologos, dum Scot. (III. Sent. d. 36. q. unica n. 28.) cum sua schola, Henrico Gand. (Quodl. 6. q. 12.), Durando (hic q. 6.) et Nominalibus putat, quod « non videtur necessitas ponendi virtutes morales infusas, sed acquisitas tantum in his qui habent eas acquisitas, vel habere possunt; nec etiam in aliis, qui scilicet non possunt eas acquirere propter defectum usus liberi arbitrii, quia non est maior ratio, quare isti debeant habere et non illi ». Putat enim idem, quod omnis *finis*, quem acquisitae « non possunt habere ex specie sua, determinatur sufficienter ex inclinatione caritatis; *modus* autem et *medium* determinantur per fidem infusam ». Quae sententia a nonnullis antiquis doctoribus censuris nimis gravibus impugnata est; de quo conferatur dissertatio Commentatoris Scoti ad loc. cit. (ed. Waddingi) et Mastrii,

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 25. p. I. q. 2. ad 5. — Cod. A et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *assuefit;* edd. verbo *assuescit* praemittunt *minus*. Superius pro *comparationes* codd. A H L aa bb *operationes*.

[2] Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 1. — De *dispositione* et *habitu* deque discrimine utriusque vide Aristot., de Praedicam. c. *de Quali*. — Pro *completionem* codd. N U *complementum*, edd. *perfectionem*.

[3] Lucret., IV. de Rerum natura, v. 1278-82:

Nam leviter quamvis, quod crebro tunditur ictu,
Vincitur in longo spatio tamen, atque labascit:
Nonne vides, etiam guttas in saxa cadentes
Humoris longo in spatio pertundere saxa? —

Ovid., IV. Epist. ex Ponto, epist. 10. v. 5:

Gutta cavat lapidem, consumitur anulus usu.

Pro *non vi* in laudato hexametro codd. H I L T U V bb *non bis*. Voci *poeticum* cod. Z adiicit *dictum*.

[4] Edd. cum nonnullis codd. *non virtuosis;* codd. S U Z et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. post *virtuosis* addunt *nec etiam ex operibus non virtuosis*.

[5] Cicero, II. Rhetor. c. 54: Virtus est animi habitus, naturae modo, rationi consentaneus. Cfr. II. Sent. d. 27. dub. 3. — De *conscientia* et *synderesi* vide ibid. d. 39. per totam. — Infra in codd. F G I L N T (V primitus) aa desunt verba *quia procedit ex suppositione falsi* (cod. Z *falsa*).

in III. Sent. disp. 6. q. 2. — Attamen S. Thom. censet, cum caritate semper a Deo dari virtutes *per se infusas* (S. I. II. q. 63. a. 3.), easque specie differre ab acquisitis; quae sententia nunc communius reputatur esse securior et probabilior.

Haec quaestio, quae iam tempore Innocentii III. quoad infantes baptizatos in scholis agitabatur, ab eodem relicta est indecisa. Nam idem (c. *Maiores*, de Baptismo) dicit hoc tantum: « Aliis asserentibus, parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; nonnullis dicentibus, dimitti peccatum et virtutes infundi, habentibus illas quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad aetatem adultam ». Sed in Concilio Viennensi (an. 1311) Clemens V. docet: « Opinionem secundam, quae dicit, tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, et dictis Sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam ». Postea vero quoad illos habitus (saltem trium virtutum theologicarum) Concilium Trident. (Sess. VI. c. 7.) determinate docet, eos in iustificatione infundi. Catechismus autem Rom. (p. II. c. 2. § 51.) docet, quod in baptismo « additur nobilissimus *omnium* virtutum comitatus, quae in animam cum gratia divinitus infunduntur ».

III. S. Bonav. (IV. Sent. d. 4. p. II. a. 2. q. 2.) cum S. Thoma docet, quod baptizatus « parvulus habet virtutes theologicas et alias per consequens » (ibid. fundam. 4.); et (in corp.) addit: « Quia (habitus infusus) non habet ortum a *libero arbitrio*, potest esse in parvulis ante usum liberi arbitrii; quia vero non habet ortum a *natura*, potest esse perfectus, natura existente imperfecta ». Si autem auctor noster docet, in parvulis baptizatis esse virtutes *per se infusas* (licet hoc termino non utatur); easdem etiam quoad adultos concedere debet; quod etiam disertis verbis docet de habitu *infuso continentiae*, quem nominat *specialem*, et distinguit a continentia *acquisita*. Unde sine sufficiente ratione Dionys. Carth. (hic q. 3.) suspicatur, S. Bonaventuram cum Scoto docere, quod virtus cardinalis et moralis *acquisita* perficiatur et formetur gratia, quin oporteat, virtutem *infusam* supervenire. Huic falsae interpretationi occasionem dedit modus loquendi aliquatenus ambiguus, qui in hac quaestione et etiam supra q. 2. occurrit.

IV. Ut autem genuinus sensus Bonaventurianae doctrinae, quae a quibusdam perperam, uti opinamur, intellecta est, percipiatur; opportunum erit, nonnulla dicere tum de *modo loquendi* tum de *ipsa doctrina* nostri auctoris.

1. Quoad modum *loquendi* ipse uno termino *gratuitae virtutes* passim significat tum ipsam *substantiam* habitus infusi, quatenus distinguitur formaliter ab aliis habitibus infusis, tum *informationem* eiusdem, quae fit tum per *unam* gratiam habitualem, tum alio modo per caritatem. Terminus autem *gratuiti* eo aptius de virtutibus *moralibus* infusis in hoc sensu adhibetur, si cum S. Thoma (S. I. II. q. 65. a. 2.) tenemus, quod ipsae non possunt esse *per se infusae*, quin simul sint *formatae* a gratia, dum habitus *fidei* et *spei* possunt esse per *se infusi*, et tamen *informes* (supra d. 23. a. 2. praesertim q. 2; d. 26. a. 1. q. 4.). Attamen S. Bonav. dicit, virtutum habitus posse esse informes, « *sola* caritate excepta » (Breviloq. p. V. c. 4.), nisi forte hoc intelligat de virtutibus cardinalibus *acquisitis*.

2. Quod autem ad *doctrinam* attinet, notandum est, quod secundum ipsum gratia habitualis duplicem habet relationem ad habitus virtutum infusos, scilicet aliquo modo eos *causando* et causatos *informando*.

Quoad *primum* convenit S. Bonav. cum S. Thoma etiam in modo loquendi. Dicit enim, quod isti habitus « ortum habeant a gratia », « quae est eorum radix » (infra d. 34. p. I. a. 1. q. 2. in corp.; IV. Sent. d. 18. p. II. dub. 3.), et quae non tantum eosdem *informat*, sed etiam quodam modo *causat* (infra d. 36. q. 5. in princ. corp.), ita ut gratia « ramificetur in habitus virtutum » (Breviloq. p. V. c. 4.). Iisdem vel aequivalentibus verbis utitur S. Thom. (S. I. q. 110. a. 3. in corp. et ad 3, a. 4. ad 1; Qq. de Veritate q. 27. a. 5. ad 17; cfr. Gotti, Theolog. tom. II. tr. 6. q. 3. dub. 5. § 3.). — Rationem huius affert S. Bonav. (infra d. 34. p. I. a. 2. q. 3. in corp.): « Quia perfectio gratiae ratione suae dignitatis et eminentiae *tribuit* homini omnes habitus facientes ad integritatem iustitiae secundum comparationem variam ad actus et obiecta et secundum status et opportunitates, quae reperiuntur in statu viae ». Relati autem termini *causandi* et *tribuendi* minime exprimunt causam *proprie efficientem* (cum constet, solum Deum esse causam efficientem talis infusionis), sed dicunt quandam exigentiam, ut illi habitus connaturaliter, Deo operante, ex gratia resulteni, sive, ut auctor dicit, fit « per quandam concomitantiam et significantiam », ita ut ista relatio « aliquo modo reduci possit ad praedicationem per causam » (II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. ad 1.). — Sub hoc autem respectu habitus isti infusi propriam habent « formam, per quam sunt ad speciales actuum differentias ordinati... et essentialiter et formaliter distinguuntur » (supra q. 2.), scilicet tum inter se, tum a caritate, tum a gratia (cfr. supra d. 27. a. 1. q. 1. in corp. et ad 5, q. 3. ad 4; II. Sent. d. 26. q. 5, scholion, d. 27. a. 1. q. 2, et passim).

Quoad *secundum* docet, quod iidem habitus *substrati* possunt informari dupliciter: tum a *gratia*, et sic proprie fiunt *gratuiti*, tum a caritate, ut fiant *meritorii* (supra q. 2.). Hoc breviter explicatur supra d. 27. a. 1. q. 3. ad 1, ubi virtutes distinguuntur tripliciter, scilicet tum quoad *esse*, et sic « quaelibet virtus habet in se *propriam formam*, per quam distinguitur ab alia, ut fides a spe »; tum quoad *bene esse*, « sic informantur a *gratia*, quae facit ipsas gratuitas et Deo acceptas »; tum quoad *bene operari*, sic « informantur a caritate, quae est pondus inclinans et faciens tendere operationes omnium virtutum ad bonum finem ». — De hac ultima informatione clarissime agitur infra d. 36. a. 6. — Huic duplici informationi consentit S. Thom. (II. Sent. d. 26. q. 1. a. 4. ad 5.) dicens: « Aliter informat gratia virtutes, aliter caritas ». — Ipse tamen in *modo*, quo gratia informat habitus, aliquatenus recedit a nostro auctore; nec inutile erit determinare, in quo isti Ss. Doctores *conveniunt*, et in quo *dissentiunt*.

Conveniunt iidem in hoc, quod *gratia* tribuat ipsi animae quoddam *esse spirituale*; nam « confert animae perfectionem in quodam *divino esse*, et non solum respectu *operis* » (S. Thom., II. Sent. d. 26. a. 4. ad 3.); hac ratione ipsum *subiectum operans* fit Deo acceptum (de Verit. q. 27. a. 5. ad 5.).

Sed ultra progrediendo duo Doctores *dissentiunt* in hoc, quod S. Bonav. gratiae tribuat *immediatum* quendam *influxum* in ipsas *potentias* et in *habitus*; sed S. Thom. secundum suam doctrinam de primo et immediato subiecto gratiae (cfr. II. Sent. d. 26. q. 5, d. 29. a. 1. q. 1, scholion) restringit immediatum effectum gratiae ad informationem *substantiae*, conferendo « *esse spirituale*; quod pertinet ad informationem subiecti » (de Verit. loc. cit. ad 17.), ut anima « sit susceptiva virtutum » (Q. disp. de Caritate a. 3. ad 19.). Perficit quidem gratia etiam *potentias* et *habitus*, sed « non ita, quod sit in omnibus sicut in subiecto, sed in quantum informat omnium potentiarum *actus* » (de Veritate loc. cit. ad 9.), et « *mediantibus virtutibus et donis* elicit actus meritorios, quod pertinet ad gratiam cooperantem » (ibid. ad 17.). Hinc virtutes [infusae] sunt « Deo *gratae* sine hoc quod aliquid addatur a Deo infusum » (II. Sent. d. 26. a. 4.). Hinc sequitur, quod sunt realiter distinctae, etiam ut *gratuitae*, inter se et a gratia, in qua tamen « coniunctae sunt sicut in sua *origine*, per modum, quo diversi radii ab eodem corpore lucente procedunt » (ibid. et cfr. S. I. II. q. 110. a. 3. 4.).

Aliter S. Bonav., secundum quem « gratia *una* reddit aequaliter animam acceptam Deo et eius potentiam et habitus et opera » (infra d. 34. p. I. a. 1. q. 3. in corp.), et influit in ipsos infusos habitus, a gratia distinctos. Hi vnim « quamvis formaliter dividantur quantum ad habitus *substratos*, tamen, in quantum *gratuiti* sunt, communicant in ipsa gratia, quae est omnium virtutum gratuitarum perfectiva in *esse* gratuito » (infra d. 36. q. 1. ad 4. et cfr. q. 6. ad 4.) et facit eos « *vestitos* » (Hexaëm. Serm. 7.). « Cum *superfunditur* gratia, tunc formantur et decorantur et Deo acceptabiles fiunt; sicut et colores absque luce sunt invisibiles, superveniente autem lumine fiunt lucidi, pulcri et aspectui complacentes. Unde quemadmo-

dum ex luce et coloribus fit *unum* in ratione *motivi*, et una lux sufficit ad multos colores illuminandos; sic ex gratia et habitibus informibus, cum formantur, fit unum secundum rationem meritorii et gratuiti » (Breviloq. p. V. c. 4.). Huius doctrinae explicationem vide supra d. 23. a. 2. q. 5, et scholion, et II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2 et scholion, ubi tamen omissum est dicere, quod verba Seraphici ibi n. 2. relata (gratia non differt a gratuita « nisi sola comparatione ») intelligenda sunt de virtute gratuita praecise, quatenus est *gratuita*, id est *gratia informata*, non vero de *substantia* habitus, ut hic melius explicatum est.

V. De hac quaestione praeter locos cit: Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Biel, hic q. unica.

VI. Quoad ultimam quaestionem communiter docetur, quod habitus infusi remaneant in patria secundum quosdam actus excellentiores.

De hac (6.) quaestione: Scot., hic q. unica n. 11. — S. Thom., hic q. 1. a. 4; S. I. II. q. 67. a. 1; Q. disp. de Virt. card. a. 4. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 6. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 1.

QUAESTIO VI.

Utrum virtutes cardinales in patria maneant, an evacuentur.

Sexto et ultimo quaeritur de virtutibus cardinalibus quantum ad durationem, et est quaestio, utrum in patria maneant, an evacuentur. Et quod *maneant*, videtur.

Fundamenta. 1. Sapientiae primo[1]: *Iustitia est perpetua et immortalis:* si ergo iustitia manet, quae ordinat ad alterum, multo fortius manent virtutes cardinales, quae ordinant ad se ipsum.

2. Item, hae virtutes cardinales plenissime fuerunt in Christo[2]: si ergo Christus habuit caritatem comprehensoris, videtur, quod huiusmodi virtutes in statu gloriae habeant salvari.

3. Item, hoc ipsum videtur auctoritate Bedae, quam Magister inducit in littera[3], quae dicit, quod « potestates caeli quatuor eximiis virtutibus sunt praeclarae: fortitudine, prudentia, temperantia, iustitia ».

4. Item, secundum Macrobium[4] istae quatuor virtutes cardinales respiciunt « quadrifariam distinctionem: quia quaedam sunt *exemplares*, quaedam *politicae*, quaedam *purgatoriae*, quaedam *animi* iam *purgati* »: si ergo virtutes *exemplares* sunt in Deo, et mens ad perfectionem purgationis non habet perduci in statu miseriae praesentis; videtur, quod istae virtutes cardinales potissime in Beatis habent reperiri, cum et ipsi Beati per gloriam fuerunt deiformes effecti.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Augustinus dicit, et habetur in littera[5], quod « prudentia est in praecavendis insidiis, iustitia in subveniendo miseris, fortitudo in perferendis molestiis, et temperantia in coercendis delectationibus pravis »; sed nullum istorum in patria invenitur: ergo habitus virtutum cardinalium in patria non manebunt.

2. Item, virtutes cardinales minus nobiles sunt quam theologicae: si ergo virtutes theologicae evacuantur, utpote fides et spes[6]; videtur, quod et virtutes cardinales similiter.

3. Item, virtutes cardinales habent pro obiecto ea quae ordinant se ad finem, et per quae pervenitur ad finem[7]; sed cum perventum est ad finem iam non oportet versari in his quae ad finem perducunt: ergo videtur, quod iam amplius non maneant virtutes cardinales in suis actibus. Sed habitus sine actu est incompletus; in patria autem nihil est incompletum: ergo necesse est, ibi evacuari habitus virtutum cardinalium.

4. Item, secundum quod dicit Apostolus, *scientia destruetur*[8]: si ergo maioris perfectionis est scientia quam prudentia, ergo in patria non stabit prudentia. Sed prudentia est prima inter omnes virtutes cardinales: si ergo ipsa non manebit, nec aliae.

CONCLUSIO.

Virtutes cardinales excellentiori modo remanebunt in patria, quam sunt modo in via.

Respondeo: Dicendum, quod in patria aliqua virtus dicitur manere multipliciter. Quaedam namque virtus manet in patria quantum ad *praemium*, ita quod *ipsa sibi ipsi* est praemium secundum perfe- Modi 3 manendi in patria.

---

[1] Vers. 15.

[2] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[3] Hic c. 3. — Subinde pro *quae dicit* codd. A T U Z bb *qua dicit*, codd. K aa *qui dicit*.

[4] Libr. I. in Somnium Scipionis, c. 8. Cfr. tom. II. pag. 901, nota 5, nec non Bonavent., Hexaëm. serm. 1. et 6, ubi unaquaeque harum virtutum secundum quadrifariam illam distinctionem consideratur. — Pro *istae quatuor virtutes* edd. et plures codd. *istae virtutes*, et subinde pro *recipiunt*, quod habent codd. G H I L N T U Z bb ac *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 76. a. 9, in aliis et edd. *respiciunt*.

[5] Hic c. 1. — In fine arg. pro *manebunt* cod. Z *manebit*.

[6] Vide supra d. 31. a. 2. q. 1. seq.

[7] Cfr. supra q. 1. in corp. et ad 3. — In *Supplemento* Sum. Alex. Hal. arg. sic incipit: *Item, virtutes cardinales ordinant ea quae sunt ad finem* etc. Vat. cum paucis codd. omittit *se* post *ordinant*. Mallemus *ordinantur*. Mox pro *perventum est* cod. A *perventum fuerit*. Paulo inferius pro *incompletus* (cfr. supra pag. 310, nota 3.) cod. K *virtus incompleta*.

[8] Epist. I. Cor. 13, 8. — De *scientia* et *prudentia* cfr. Aristot., VI. Ethic. c. 5. seqq.

ctiorem statum; sicut caritas, quae, prout erat imperfecta in via, meriti erat principium; sed prout ipsa eadem est consummata in patria, est praemii complementum [1]. — Quaedam autem virtus manet quantum ad *praemium;* verumtamen nec ipsa sibi ipsi *est praemium,* nec *cum praemio* suo se ipsam *compatitur,* sicut fides et spes, quae in patria praemiantur, et ideo non pereunt; non *sunt* tamen praemium propter suam imperfectionem, nec secum praemium *compatiuntur* propter quandam oppositionem. Nam praemium ipsum est *videre* et *tenere* Deum; et *primum* repugnat fidei, quae est de non viso; *secundum* repugnat spei, quae est de futuro et non habito [2]. — Quaedam vero virtus manet *medio modo,* quia manet quantum ad *praemium* et *cum praemio;* ipsa tamen non est sibi *praemium,* sed Conclusio 1. *dispositio* ad praemium; et sic manet virtus cardinalis.

Nam praemium *essentiale* ipsarum virtutum est ipsum bonum summum, quod Deus est, secundum quod videtur, diligitur et tenetur, ita quod penes istos tres actus tres dotes animae accipiuntur [3]. Nullus autem istorum actuum est actus virtutum cardinalium, quia cardinales virtutes nunquam tantum elevantur, quod Deum habeant pro obiecto, alioquin transirent in theologicas virtutes et desinerent esse cardinales. — Respectu tamen horum actuum gloriosorum virtutes cardinales erunt [4] sicut *dispositiones;* ut, sicut in via, licet per virtutes cardinales non fruamur, tamen per eas disponimur, ut fruaConclusio 2. mur; sic et in patria. Unde omnes actus nostri gloriosi erunt *fortes* et *iusti, prudentes* et *casti,* ita quod *iustitia* excludit omnem obliquitatem, *prudentia* excludit omnem errorem, *fortitudo* omnem molestiam, *temperantia* omnem libidinum repugnantiam, secundum quod dicit Augustinus, et Magister tangit in littera [5]. — Et sic patet, quod virtutes cardinales excellentiori modo manebunt in patria, quam sunt in via. Unde et rationes concedendae sunt, quae sunt ad partem istam.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium de actibus istarum quatuor virtutum, dicendum, quod illi actus non sunt actus earum *generales,* sed solum secundum *statum viae;* alios vero actus habebunt in patria multo excellentiores, quos etiam in via aliquo modo habent, licet *semiplene:* et ideo virtutes istae non tollentur, sed perficientur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod virtutes theologicae perfectiores sunt cardinalibus; dicendum, quod illud verum est, quantum est ex parte *obiecti;* verumtamen quantum ad *modum movendi* et Notandum. *habilitandi* non habet veritatem generaliter, quia fides et spes de sua primaria ratione important imperfectionem, quae repugnat statui gloriae, pro eo quod habilitant respectu absentis et non respectu praesentis. Et hinc est, quod magis evacuantur theologicae quam cardinales, sicut satis apparet ex his quae dicta sunt distinctione trigesima prima [6].

3. Ad illud quod obiicitur, quod virtutes cardinales ordinant in ea quae tendunt in finem; dicendum, quod verum est, quia ordinant [7] ad se et ad proximum; sed ista, ad quae ordinat virtus cardinalis, non cessabunt in patria, immo manebunt multo melius ordinata. Ad hoc enim, quod homo recte ordinetur in Deum, necesse est, quod etiam ad se ipsum et ad proximum ordinetur; et ideo, licet in patria perveniatur usque in finem, non tamen oportebit, habitus istarum virtutum non remanere.

4. Ad illud quod obiicitur, quod scientia cessabit in patria; dicendum, sicut in praecedentibus [8] dictum fuit, quod non cessabit quantum ad *habitum,* Ratio 1. sed quantum ad *modum,* qui attenditur per collationem et decursum. *Praeterea,* scientia illa, de Ratio 2. qua loquitur Apostolus [9], non est nobilior, quam sit habitus virtutum cardinalium. Et *iterum,* scientia, Ratio 3. quantum est de ratione sui nominis, in via imponitur a collatione praemissarum ad conclusionem — secundum quod dicitur, quod *scientia* est conclusionum, et *intellectus* est habitus principiorum [10] — nomen autem virtutis cardinalis non sic imponitur: et ideo non sic dicuntur destrui in patria, secundum quod scientia [11].

---

[1] Cfr. supra d. 31. a. 3. q. 1, et II. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. — Superius pro *secundum perfectiorem statum* codd. B D G H I V W *secundum perfectionem status,* edd. *secundum perfectionis statum.* Deinde pro *sed prout* cod. Z *sed postquam.*

[2] Vide supra d. 31. a. 2. q. 1 seq. — Paulo inferius pro *sed dispositio* cod. U *quia dispositio.*

[3] Cfr. supra d. 26. a. 1. q. 3. in corp. — Codd. A U Z bb *accipiuntur,* in aliis ed edd. *accipiantur.*

[4] Non pauci codd. falso *erant.* Mox pro *ut, sicut* edd. *et sicut.*

[5] Hic c. 3, ubi et verba Augustini habentur. — Superius cod. U bis *excludet* pro *excludit.* Post pauca pro *quam sunt* codd. A H Z bb et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. *quam sint.*

[6] Art. 2. q. 1. seq.

[7] Supple: hominem. — Paulo ante pro *in ea* edd. et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. nec non aliqui codd. *ad ea,* et deinde pro *in finem* codd. A H T Z bb et dictum *Supplement.* exhibent *ad finem.* Mox pro *ad se* cod. U *in se.* Inferius pro *in Deum* cod. X *ad Deum.*

[8] Dist. 31. a. 2. q. 3. — Paulo inferius pro *decursum* edd. *discursum;* cfr. supra pag. 686, nota 2.

[9] Petr. Lombardus in Glossa super I. Cor. 13, 8. dicit, quod scientia, quae destruetur, illa sit, « quae modo per speculum est ».

[10] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 2. et 26. (c. 33.) et II. c. 18. (c. 15.). — Paulo superius voci *conclusionum* cod. U praemittit *habitus.* Paulo inferius post *non sic* codd. K P R S T U Z bb et *Supplement.* Sum. Alex. Hal. subiungunt *ab imperfectione.* Edd. et nonnulli codd. perperam omittunt verba *a collatione praemissarum... non sic imponitur.* Dein pro *dicuntur* multi codd. *debent,* edd. 1, 2 *debet.*

[11] Vide scholion ad praecedentem quaest.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de illa definitione iustitiae, quam ponit: *Iustitia est in subveniendo miseris.* Et videtur, quod male definiat, quia iustitia distinguitur contra misericordiam, aut misericordia est pars iustitiae-virtutis: cum ergo ipsius misericordiae sit subvenire miseris, videtur male hic notificari habitus iustitiae-virtutis. — Item, iustitiae est « reddere unicuique quod suum est [1] »; sed aliquibus debemus honorem, aliquibus subventionem: ergo praedicta notificatio non convenit universaliter iustitiae. Obedientia enim est pars iustitiae, tamen obedientia non est in subveniendo miseris, sed in obediendo mandatis [2].

Respondeo: Dicendum, quod Magister sive Augustinus [3], cuius haec verba sunt, non intendit definire ipsam virtutem *generaliter*, sed secundum suum potissimum statum, in quo et secundum quem
Notandum. *conformamur ad Christum.* Et quoniam in isto actu iustitiae, etsi multi sint, maxime conformamur Christo, scilicet in subveniendo miseris; ideo iustitia per actum istum notificatur, non quia *generaliter* omni iustitiae conveniat, sed quia convenit iustitiae in suo potissimo statu. — Ex hoc tamen potest colligi *generalis* eius notificatio, quia, sicut miseris debemus subventionem, ita aliis generibus hominum alia et alia debemus. Unde *generalis* notificatio ipsius iustitiae
Definitio iustitiae. ex hoc potest elici, quod iustitia est virtus reddens unicuique quod suum est. — Et sic patet responsio ad illa duo obiecta.

Notandum est tamen, quod *subvenire miseris* potest aliquis dupliciter: aut prout movetur sub ra-
Notandum. tione *debiti*, aut prout *simpliciter considerat necessitatem proximi*, cui compatiendum est. Et primum est *iustitiae*, secundum *misericordiae*. Verumtamen, sicut dictum est, *misericordia* continetur sub *iustitia cardinali*, licet aliquo modo *iustitia* distinguatur contra *misericordiam*.

Propter quod nota, quod *iustitia* dicitur multis modis: uno modo large, prout dicit generaliter rectitudinem animi sive in declinando a malo, sive in faciendo bonum [4]; et hoc modo *iustitia* est virtus *generalis*, secundum quam quilibet homo sanctus dicitur esse iustus. Alio modo dicitur *iustitia* rectitudo ordinans ad alterum in reddendo ei quod suum est; et sic est virtus *cardinalis*. Tertio modo dicitur *iustitia* magis proprie, secundum quod dicit rectitudinem in reddendo id quod est poenae; et accipitur ibi *iustitia* pro severitate. Et sic iustitia distinguitur contra misericordiam et est pars iustitiae cardinalis. — Si autem quaeras, quare iustitia magis accipiatur generaliter quam aliqua [5] virtus; hoc est, quia nomen iustitiae imponitur ab ordine rectitudinis, qui generaliter convenire potest omni virtuti.

Iustitia dicitur triplicifer.

Quaestio incidens solvitur.

Dub. II.

Item quaeritur de alia notificatione, quam ponit: *Prudentia est in praecavendis insidiis.* Contra hoc est: quia, cum insidiae sint de contingentibus futuris et occultis, et ista non cognoscantur per virtutem aliquam, sed potius per donum prophetiae; non videtur, quod notificatio illa conveniat prudentiae. — Item, tres sunt partes prudentiae, sicut dicit Tullius [6], videlicet « memoria, intelligentia et providentia »; et sola providentia est respectu futuri: igitur ipsa sola est in praecavendis insidiis: ergo non videtur, quod ista notificatio ipsius prudentiae sit communis et generalis.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut praedictum est de iustitia [7], ita intelligendum est de prudentia, quod quia summus actus prudentiae consistit in praecavendo insidias, ideo Magister per actum illum definit prudentiam. Unde verum est, quod notificatio

---

[1] Plato, I. Dialog. de Republ. (ed. Serrani, tom. 2. pag. 331). Aristot., V. Ethic. c. 1. seqq. et de Virtut. et vitiis, c. 2.

[2] Quantum ad iustitiam distinguuntur *integrales* partes iustitiae *(declinare* a malo, *facere* bonum alteri), partes *subiectivae* seu species iustitiae (iustitia commutativa, distributiva et legalis) et partes *potentiales* seu virtutes iustitiae connexae, quae secundum Ciceron., II. Rhet. c. 54, sunt: religio, pietas, gratia, vindicatio, observantia, veritas; secundum Macrob., I. in Somnium Scipionis, c. 8: innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas (misericordia). Guliel. Paris., de Virtut. c. 12. ut virtutes iustitiae annexas recenset obedientiam respectu superioris; disciplinam respectu inferioris, ad quam reducitur severitas et clementia sive misericordia; aequitatem respectu parium; fidem sive fidelitatem (contra dolos), veracitatem (in dictis) et veritatem (in factis contra hypocrisin); tres ultimae sunt respectu omnium. Vide Bernard., Serm. 3. in Adventu Domini, n. 4. Cfr. etiam S. Thom., hic q. 3. a. 4. — Pro *non est in subveniendo* edd. *non est pars in subveniendo.*

[3] Libr. XIV. de Trin. c. 9. n. 12. — Paulo inferius post *in quo* cod. G subdit *est*, et deinde pro *in isto actu iustitiae* edd. falso substituerunt *in isto statu iustitiae.*

[4] Psalm. 36, 27: Declina a malo et fac bonum. Cfr. supra pag. 715, nota 5. — Mox post *Alio modo dicitur* edd. inserunt *proprie.*

[5] Codd. K Z *quam aliqua alia*, edd. *quam alia.* — Cfr. supra pag. 720, nota 11; et de hoc dubio B. Albert., hic a. 3; S. Thom., hic q. 3. a. 4; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 4; Richard. a Med., hic a. 3. q. 8.

[6] Libr. II. Rhet. c. 54. — Secundum Macrob., I. in Somnium Scipionis, c. 8. prudentiae partes *integrales* hae sunt: ratio, intellectus, circumspectio, providentia, docilitas, cautio. Prudentiae partes *subiectivae* (seu species) vulgo recensentur: prudentia monastica (privata) et gubernatrix multitudinis (oeconomica, politica, militaris); partes *potentiales:* eubulia, synesis, gnome. Cfr. Aristot., VI. Ethic. c. 9. seqq.

[7] Dub. praeced. — Mox pro *quod quia* cod. G *quia, sicut*, et subinde pro *in praecavendo insidias* idem cod. G *in praecavendis insidiis.*

ista, accipiendo praecise, convenit uni soli prudentiae parti, quae est *providentia;* tamen, large accipiendo, omnes partes prudentiae ordinantur ad istam, quia memoria praeteritorum ordinat ad cautelam futurorum; parum enim valet esse circumspectum in his quae *facta* sunt, nisi per haec fiat homo circumspectior in his quae sunt *facienda.*

Ad illud ergo quod obiicitur, quod nemo potest praescire futuras insidias nisi propheta; dicendum, quod quamvis non possit praescire cognitione certitudinali, potest tamen praescire cognitione coniecturae, sicut in signis praesentibus prognosticat homo futurum eventum [1].

Dub. III.

Item quaeritur de notificatione, quam ponit de fortitudine dicens, quod *fortitudo est in perferendis molestiis.* Videtur enim male assignata: quia, secundum quod dicit Philosophus [2], in hoc distinguitur *patiens* a *forti,* quod *patiens* patitur, sed non *deducitur,* fortis nec *patitur* nec *deducitur:* ergo non videtur, quod fortitudo sit in perferendis molestiis. — Item, omnis virtus est circa delectationes et tristitias [3]: ergo fortitudo non tantum est circa ea quae molestant, sed etiam circa ea quae delectant. — Et rursus, cum omnis virtus sit circa delectationes et tristitias, videtur, quod praedicta notificatio omni virtuti conveniat.

Respondeo: Dicendum, quod *perferre molestias,* etsi habeat iunctum sibi *pati,* tamen plus dicit actionem quam passionem. Ille enim dicitur molestias perferre, qui perfecte eas fert, hoc est, qui in eis non succumbit, sed qui eis supereffertur; et talis vere dicitur *fortis,* quia non solum non *deducitur,* Notandum. verum etiam magis *agit* quam *agatur;* et hoc est proprium ipsius fortitudinis. Licet etiam omnis virtus circa delectationes et tristitias consistat per modum *electionis* et *fugae,* sola tamen virtus fortitudinis consistit per modum *supportationis* et *tolerantiae* [4]. — Et sic manifesta sunt illa duo, quae opponit.

Dub. IV.

Item quaeritur de quarta definitione, quam assignat, quod *temperantia est in coercendis delectationibus pravis.* Sed *contra:* Christus potissime habuit temperantiam, et Adam in statu primo; tamen nec iste nec ille pro tempore illo delectationes pravas arcebat: ergo non videtur, quod praedicta notificatio [5] sit recte assignata. — Item, perfecte *coercere* delectationes pravas, hoc est ipsas non sentire; sed hoc est privatio, non positio: ergo cum quaelibet virtus [6] habeat actum positivum, per quem notificatur; videtur, quod temperantia male definiatur.

Respondeo: Dicendum, quod hic definitur temperantia secundum statum naturae lapsae, in qua delectationes pravae oriuntur et per virtutem temperantiae refrenantur; et circa hoc consistit maxima [7] difficultas temperantiae in viatoribus; et in hoc conformamur Christo, licet non omnino, quia Christus huiusmodi delectationes nec sensit nec eis consensit; nos autem, si non consentimus, licet eas sentiamus [8], aliquo modo eidem conformamur, et tunc delectationes huiusmodi coercemus. Unde *coercere* Duplex sensus. potest dicere quandam *resistentiam* respectu huiusmodi delectationum, quae est in ipsarum repressione; vel potest dicere omnis inordinatae delectationis *absentiam* et privationem. Et primum est hominis in statu naturae lapsae, secundum vero potest esse Christi et hominis instituti.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod omnis actus virtutis est positivus; dicendum, quod est loqui de actu *interiori* et de actu *exteriori.* Cum ergo dicitur, quod omnis actus virtutis est positivus; dicendum, quod verum est de actu *interiori,* sed de Notandum. actu *exteriori* non est generaliter verum. *Velle* enim carere aliquo, quod non decet, virtutis est, et *velle* abstinere ab aliquo, quod non licet; et sic ad virtutem spectant silentium et ieiunium. Quamvis enim *non loqui* et *non manducare* sint privationes, tamen *velle* non loqui et non manducare est positionis [9] et actus virtutis.

---

[1] Matth. 16, 2. seq.: Facto vespere dicitis: serenum erit, rubicundum est enim caelum etc. — Pro *prognosticat* fere omnes codd. perperam, ut videtur, *prognosticatur,* codd. K W *praenotificat,* edd. *notificat.* Verbum *prognosticare* (a vocabulo Graeco προγνωστικός) idem significat ac *praesagire, praesignare;* vide Du Cange, Glossarium etc. — De hoc dubio cfr. *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 88. a. 2; B. Albert., hic a. 3; S. Thom., hic q. 3. a. 1; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1; Richard. a Med., hic a. 2. q. 8.

[2] Libr. IV. Topic. 5. (ubi tamen pro *patiens* legitur *continens):* Peccant autem et qui habitum in consequentem potentiam ordinant, ut mansuetudinem [deflnientes] continentiam irae, et fortitudinem et iustitiam timorum et lucrorum continentiam. Nam fortis et mansuetus perturbatione vacuus dicitur [ὁ ἀπαθὴς λέγεται], continens autem, qui perturbatur, sed non ducitur [ἐγκρατὴς δ' ὁ πάσχων καὶ μὴ ἀγόμενος, quae verba B. Albert., tr. 3. c. 1, sic explicat: abstinens autem est qui est continens, et in VII. Ethicorum vocatur: qui patitur et sentit illicitas passiones, sed non deducitur a mente mensurante rectum per vim passionis]; fortasse igitur talis potentia sequitur utrumque, ut, si perturbetur, non ducatur. Verum *continere* non hoc est [scil. quod est fortis etc.], hunc quidem fortem, illum autem mansuetum esse, sed [fortis est] omnino perturbari ab huiusmodi nihil.

[3] Aristot., VII. Phys. text. 19. (c. 3.); II. Ethic. c. 3. et VII. c. 11.

[4] Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 6. et III. c. 7. — Superius pro *supereffertur* cod. V *superfertur.* — De hoc dubio vide B. Albert., hic a. 3; S. Thom., hic q. 3. a. 3; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3; Richard. a Med., hic a. 5.

[5] Cod. Z *definitio.*

[6] Virtus enim habitus est, non privatio; cfr. Aristot., II. Ethic. c. 5. — Paulo ante pro *ipsas non sentire* cod. K *ipsis non consentire.*

[7] Codd. Z bb *maxime.*

[8] Edd. *nos autem etsi non consentimus, eas tamen sentimus, et sic aliquo modo* etc.

[9] Ita codd. A G H I L T bb; codd. W Z aa *sunt positiones,* cod. K *sunt actus positionis,* edd. *sunt positionis,* quae et paulo ante habent *sint privationis* pro *sint privationes.* — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 3.

Dub. V.

Item quaeritur de illa ratione, quam assignat Hieronymus in littera dicens, quod *hae virtutes cardinales dicuntur, quibus in hac vita mortali bene vivitur et post ad aeternam vitam pervenitur;* quia non videtur recta ratio assignari. Per hanc enim rationem videtur omnis virtus cardinalis esse, quia omni virtute recte vivitur, et omnis virtus est via perveniendi in regnum [1]. — Item, cum cardinales dicantur, quia sunt principales et principium movendi; cum caritas sit magis principale principium movendi [2], videtur, quod caritas debet dici virtus cardinalis. — Item, cum prudentia sit non tantum virtus, sed etiam auriga virtutum et aliarum directiva [3]; videtur, quod ipsa possit dici cardinalior aliis.

Iuxta hoc quaeritur: quare huiusmodi virtutes
Quaestio. cardinales dicuntur politicae magis quam theologicae?

Respondeo: Dicendum, quod huiusmodi virtutes dicuntur *consuetudinales, politicae* et *cardinales. Consuetudinales* dicuntur ratione sui principii originalis, secundum quod acquiruntur ex frequenti *bene agere* [4]. *Politicae* vero dicuntur ratione operationis et exercitii sibi debiti, quia, sicut *theologicae* dicuntur, quia ordinant hominem ad divina et quasi faciunt hominem divinum, sic istae virtutes dicuntur *politicae,* quia reddunt hominem bene ordinatum ad vivendum inter homines; unde politica vir-
Notandum. tus dicitur a polis, quod est pluralitas [5]. *Cardinales* autem dicuntur ratione finis ultimi, quia per istas est ingressus ad caelestia regna. Duplex est enim porta ingrediendi in caelum, videlicet per *observantiam mandatorum,* secundum illud Matthaei decimo nono [6]: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* et per *tolerantiam tribulationum,* secundum illud Actuum decimo quarto: *Per multas tribulationes oportet nos* etc. Quantum ad quae duo principaliter ordinant istae quatuor virtutes; ideo dicuntur *principales* et *cardinales.* Ideo autem istae virtutes principaliter ordinant, quia sumuntur a rationibus praecipuis, secundum quas homo debet versari in *agendis* et *patiendis.* In omnibus enim *agendis* et *patiendis* debet homo attendere *arduitatem,* secun- Notandum.
dum quam conditionem attenditur fortitudo; et *aequitatem,* secundum quam attenditur iustitia; et *honestatem,* secundum quam attenditur temperantia; et *utilitatem,* secundum quam attenditur prudentia. Et quia istae quatuor rationes sunt quasi quatuor cardines [7], ad quos reducuntur omnes virtutes, quae movent ad recte *agendum,* vel *patiendum;* ideo istae quatuor virtutes dicuntur *cardinales* et *principales.* Et sic patet, quare istae virtutes sic nominentur, et quod ratio Hieronymi, quae ponitur in littera [8], est valde bona.

Nec valet illud quod obiicit de virtutibus theologicis et de caritate; quoniam ipsae theologicae virtutes tanquam excellentiores sortiuntur nobilius nomen. *Praeterea,* non sumuntur secundum illas quatuor conditiones principales, quae requiruntur ad virtutem, ratione quarum istae vocantur *cardinales.* Et per hoc patet illud quod obiiciebatur primo et secundo.

Ad illud vero quod obiiciebatur tertio, similiter patet responsio; quia omnes virtutes istae aequaliter dicuntur *cardinales,* pro eo quod omnes istae rationes, penes quas accipiuntur, aequaliter sunt necessariae ad virtutem, videlicet ratio *ardui* et *debiti* et *honesti* sive pulcri et *eligibilis* [9].

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit ibi, quod *iustitia in illa beatitudine non desit* [10], *nec aliae tres virtutes, videlicet prudentia, fortitudo et temperantia;* et quaeritur ratione huius de ordine istarum quatuor virtutum, quia Magister semper hic praemittit *iustitiam* et secundo subiungit *prudentiam,* tertio *fortitudinem* et quarto *temperantiam.* Sed in contrarium huius est, quia Philosophus [11] in prosecutione harum virtutum primo ordinat *fortitudinem* et secundo *temperantiam.* — Item, videtur, quod *prudentia* deberet omnibus aliis praemitti, quia ostendit viam aliis: ergo sicut palpebrae debent praecedere gressus [12], sic videtur, quod prudentia ordi-

---

[1] Cfr. supra pag. 488, nota 5. et 9. — Superius post *recta ratio* edd. addunt *nominis.*

[2] Vide supra d. 27. a. 2. q. 1. in fine corp. — Pro *principale principium* edd. *principalis et principium,* et subinde pro *debet dici* cod. A *debeat esse,* edd. *sit.*

[3] Vide verba Bernardi, supra pag. 471, nota 3. allata.

[4] Cfr. supra pag. 472, nota 2.

[5] Vat. recte *civitas* (πόλις). — Macrob., l. in Somnium Scipionis, c. 8: Et sunt *politicae* [virtutes] hominis, quia sociale animal est. His boni viri reipublicae consulunt, urbes tuentur; his parentes venerantur, liberos amant, proximos diligunt etc. Cfr. tom. II. pag. 901, nota 5.

[6] Vers. 17. — Seq. testimonium est Act. 14, 21. — Bernard., Serm. 1. in festo Ss. Petri et Pauli, n. 3: Bonam autem vitam ego puto et mala pati et bona facere et sic perseverare usque ad mortem. — Paulo inferius pro *Quantum ad quae duo* cod. H *Ad quae duo,* edd. *Ad ista duo.* Post pauca pro *rationibus* edd. *nominibus.*

[7] Cfr. de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 4. et 20. — Subinde pro *ad quos* codd. A E K Q V *ad quas;* in edd. legitur: *Et quia istae quatuor virtutes cardinales, ad quas reducuntur omnes virtutes, inducunt ad recte agendum* etc.

[8] Hic c. 2.

[9] Cfr. Bernard., l. de Considerat. c. 8. n. 11. — Huius dubii solutionem invenis etiam in *Supplemento* Sum. Alex. Hal., collat. 76. a. 5; apud Albert., hic a. 2.; apud S. Thom., hic q. 2. a. 1. et apud Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. q. 1. quaestiunc. 2.

[10] Edd. cum textu originali *desinet.*

[11] Libr. II. Ethic. c. 7. et III. c. 6. seqq.

[12] Respicitur illud Prov. 4, 25: Oculi tui recta videant, et palpebrae tuae praecedant gressus tuos. — Seq. Scripturae locus est Sap. 8, 7. — Pro *ordinanda esset* cod. U *ordinanda sit,* edd. *ordinanda est.*

nanda esset ante alias. — Item, in libro Sapientiae, octavo, praemittitur *continentia* et subiungitur *prudentia*, et tertio *iustitia* et quarto *fortitudo*. Ait enim sic: *Sobrietatem docet et sapientiam et iustitiam et virtutem.*

Respondeo: Dicendum, quod istae virtutes possunt quadrupliciter considerari, secundum quod quatuor sunt, et secundum quadruplicem considerationem quaelibet primo loco potest ordinari. Habet enim
Distinctio. virtus comparari ad *subiectum* et habet comparari ad *obiectum*. Ad *subiectum* autem comparatur du-
Subdistinctio 1. pliciter: aut secundum ordinem in *acquirendo*; et sic oportet incipere a *continentia*, quia, sicut mundus color aliis coloribus substernitur [1], sic munditia carnis praemitti debet aliis virtutibus; et iste ordo consideratur in libro Sapientiae, ubi praemittitur aliis. — Alio modo comparantur virtutes ad *subiectum* secundum ordinem in *perficiendo*; et quia in perfecto exercitio virtutis cognitio praecedit, sic *prudentia* omnibus aliis habet praeponi. Et sic praemittit eam Bernardus ad Eugenium [2] dicens, quod non tantum est virtus, verum etiam auriga virtutum.

Si autem considerentur virtutes per comparationem ad *obiectum*, hoc similiter potest esse dupliciter: quia obiectum virtutis est *bonum* et *difficile*, Subdistinctio 2.
secundum quod dicit Philosophus [3]. Si comparentur ad obiectum sub ratione *difficilis*, sic prima est *fortitudo*, quae magis considerat difficile; et hoc modo ordinat Philosophus in Ethicis, praemittens *fortitudinem* aliis, et deinde gradatim descendens, secundum quod magis et minus habent rationem difficilis. — Si autem comparentur sub ratione *boni*, sic prima omnium virtutum est ipsa *iustitia*, cuius maxime est ordinem considerare et aliis bonum suum communicare; et hoc modo ordinat Augustinus et Magister in littera [4]. — Et per hoc patet responsio ad obiecta, patent etiam ea quae dicuntur in littera.

Et ex his quae quaesita sunt, possent formari Nota.
sex problemata praeter illa quae quaesita sunt, quatuor videlicet de *definitionibus* harum quatuor virtutum, et duo sequentia de earum virtutum *nomine* et *ordine*. Et ista sufficiant de virtutibus cardinalibus in sua generalitate [5].

DISTINCTIO XXXIV.

Pars I.

Cap. I.

De septem donis Spiritus sancti.

Nunc de septem donis Spiritus sancti agendum
Procemium. est, ubi prius considerandum est, an haec dona virtutes sint; secundo, an in futuro desitura sint, vel omnia, vel horum aliqua; deinde, an in Christo fuerint cuncta haec dona.

Cap. II.

Utrum sint virtutes, et sint in Angelis.

Haec dona virtutes esse nec in futuro desitura,
Ambrosius, de 1. et 2. quaest. Ambrosius [1] ostendit, ea septem fore virtutes dicens, et in Angelis abundantissime esse, sic: « Civitas Dei, illa Ierusalem caelestis, non meatu alicuius fluvii terrestris abluitur, sed ex vitae fonte procedens Spiritus sanctus, cuius nos brevi satiamur haustu, in illis caelestibus spiritibus redundantius videtur effluere, pleno septem virtutum spiritualium fervens meatu. Si enim fluvius riparum editis superfusus exundat, quanto magis Spiritus sanctus omnem supereminens creaturam, cum nostrae mentis arcana tanquam inferiora perstringat, caelestem illam Angelorum naturam effusiore quadam sanctificationum ubertate laetificat » ! Deinde sanctificationem exponens subdit: « His autem sanctificationibus significatur plenitudo septem spiritualium virtutum, quas enumerat Isaias [2] dicens: *spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis et timoris Domini.* Unum est ergo flumen, sed multi spiritualium donorum meatus ». Quamvis ergo multi dicantur spiritus, ut spiritus sapientiae et intellectus etc., unus tamen est Dei Spiritus suae libertatis arbiter, omnia pro auctoritate voluntatis *dividens singulis*. — Hic expresse traditum est, septem dona et virtutes esse sanctificationesque fidelium mentium et in futuro non desitura, cum sint et in Angelis.

---

[1] Cfr. Aristot., de Sensu et sens. c. 3. — Pro *mundus color* [scil. albus] edd. *medius color*. Subinde pro *munditia carnis* codd. A P R Y Z aa bb *sobrietas*.

[2] Vide supra pag. 471, nota 3. — Paulo ante pro *virtutis* edd. *virtutum*, et pro *sic* ante *prudentia* codd. aa bb *ideo*.

[3] Libr. II. Ethic. c. 3. Cfr. supra pag. 488, nota 1. et pag. 470, nota 8. — Mox pro *sub ratione difficilis, sic prima est fortitudo* edd. *sub ratione difficultatis, sic potest esse fortitudo*.

[4] Hic c. 1, ubi et verba August. habentur. Cfr. supra pag. 720, nota 11.

[5] Cfr. de hoc dubio *Supplement.* Sum. Alex. Hal. collat. 76. a. 7; B. Albert., hic a. 3; S. Thom., hic q. 2. a. 5; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 4; Richard. a Med., hic a. 1. q. 8.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Libr. I. de Spiritu S. c. 16. n. 178. — Seq. locus ibid. n. 179; cfr. II. c. 12. n. 140. — In primo textu sola ed. 8 pro *abluitur* ponit *alluitur*, refragante etiam originali; quam lectionem solam esse genuinam, sine causa asserit eiusdem editor Nicolai. Infra post *riparum* edd. addunt *crepidinibus*, refragantibus codd. et originali. Vocabulum *edita* usurpatur etiam pro locis elevatis. Deinde ante *supereminens* edd., exceptis 1, 5, 8, omittunt *omnem*, denique pro *arcana* edd. 6, 8 cum originali *arva*.

[2] Cap. 11, 2. Inferius alluditur ad I. Cor. 8., 8. Verba *Quamvis ergo* etc. sententialiter leguntur partim ibid. n. 179, partim ibid. c. 12. n. 140.

Cap. III.

Utrum in Christo fuerint.

In Christo etiam haec eadem fuisse, Isaias [1] ostendit dicens: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.*

De 3. quaest.

Dubium 1.

His autem videtur obviare quod Beda [2] de timore Domini dicit super parabolas, scilicet quod omnis timor in futuro cessabit. Ait enim sic super illum locum: *Timor Domini principium sapientiae:* « Duo sunt timores Domini: *servilis*, qui principium est sapientiae; et *amicabilis*, qui perfectionem sapientiae comitatur. *Servilis* principium sapientiae est, quia qui post errata sapere incipit primo timore corripitur divino, ne puniatur; sed hunc *perfecta caritas foras mittit.* Succedit huic *timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi*, quem non excludit caritas, sed auget; quo timet filius, ne vel in modico oculos amantissimi patris offendat. Uterque in futuro cessabit. *Caritas* vero *nunquam excidet* ». Augustinus quoque super illum locum Psalmi [3]: *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo;* timorem desiturum dicit sic: « Timor Domini est magnum praesidium proficientibus ad salutem, sed pervenientibus foras mittitur. Non enim timent iam amicum, cum scilicet ad id quod repromissum est, perducti fuerint ».

Difficultas contra 2. et 3. quaest.

Dubium 2.

Augustinus.

Ex his auctoritatibus significatur, quod timor non erit in futuro. Si autem timor non fuerit [4] in futuro; ergo nec septem dona erunt nec modo sunt in Angelis nec in animabus sanctis. — Ad quod dicimus, auctoritatum praemissarum quae videtur repugnantiam dirimentes, quod septem illa dona et in Angelis modo sunt et in animabus sanctis feliciter viventibus et in nobis erunt in futuro, sed non habebunt omnia [5] hos *usus* sive haec *officia*, quae nunc habent; ut verbi gratia, timor filialis modo facit timere, ne *offendamus* quem diligimus, et ne *separemur* ab eo, facit etiam nos *revereri* eundem; in futuro vero faciet nos *revereri*, quando non timebimus *separari*, vel *offendere*. Non ergo metus *separationis*, vel *offensionis* nunc est in Angelis vel in animabus sanctis nec in nobis erit in futuro, sed *reverentia*, quae est mixta cum subiectione dilectio; quae etiam in Christo fuit, sicut Apostolus dicit in Epistola ad Hebraeos [6] loquens de Christo: *Qui exauditus est pro sua reverentia.* — Quidam tamen secundum *effectum* timorem in Christo et in Angelis tantum esse contendunt.

Explanatio.

Dubium 3.

Pars II.

Cap. IV.

De timorum distinctione.

Et quia de timore tractandi nobis occurrit locus, sciendum est, quatuor esse timores, scilicet mundanum sive humanum, servilem, initialem, castum vel filialem sive amicabilem. Humanus timor est, ut ait Cassiodorus [7], quando timemus pati pericula carnis, vel perdere bona mundi, propter quod delinquimus. Hic timor malus est, qui in primo gradu cum mundo deseritur, quem Dominus prohibet in Evangelio [8] dicens: *Nolite timere eos qui occidunt corpus* etc. Timor autem servilis est, ut ait Augustinus, cum per timorem gehennae continet se homo a peccato, quo praesentiam iudicis et poenas metuit, et timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi aeternum bonum, quod non amat, sed timore patiendi malum, quod formidat. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi; sed timet, ne mittatur in gehennam. Bonus est iste timor et utilis, licet insufficiens, per quem fit paulatim consuetudo iustitiae, et succedit initialis timor, quando incipit quod durum erat amari; et sic incipit excludi servilis timor a caritate. Et succedit deinde timor castus sive amicabilis, quo timemus, ne sponsus tardet, ne discedat, ne offendamus, ne eo careamus. Timor iste de amore venit; ille quidem servilis est utilis, sed non permanens in aeternum, ut iste; timor divinus comes est per omnes gradus.

Dubium 1. 2.

Cassiodorus.

Augustinus.

Et attende, quod quatuor hic distinguuntur timores, cum supra Beda dixerit, duos esse. Sed Beda *humanum* timorem praetermisit et nomine *servilis* duos, quos hic distinximus, complexus fuit, scilicet *servilem* et *initialem;* amicabilem vero *castum* dicit. Augustinus quoque servilem, et castum timorem aperte discernit, dum Epistolae ad Romanos [9] illum locum exponit: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei*, ita dicens: Duo timores hic insinuantur: unus, qui est in perfecta caritate, scilicet timor *castus;* alter, qui non est in caritate, scilicet *servilis*, in quo quamvis *Deo* credatur, non tamen *in Deum*, et si *bonum* fiat, non tamen *bene*. « Nemo enim invitus bene facit, etiam si bonum est quod facit [10] ».

Dubium 3.

Beda.

Dubium 4.

Augustinus.

---

[1] Cap. 11, 1. 2. 3.

[2] Super Prov. 1, 7. Ibi respicitur I. Ioan. 4. 18; Ps. 18, 10; I. Cor. 13, 8.

[3] Psalm. 5, 8; et ibi August. Enarrat. n. 9.

[4] Vat. cum paucis edd. *erit.*

[5] Cod. A et edd. 1, 8 *omnino.*

[6] Cap. 5, 7.

[7] In Prologo super Ps. 127, sententialiter; sed haec et quae sequuntur fere verbotenus apud Lyranum ibid. v. 1, et quoad sensum apud August. ibid. Enarrat. n. 7. — Supra pro *amicabilis* codd. et edd. *amicalis*, quod etiam infra, sed non constanter, repetunt. Utraque forma est usitata.

[8] Matth. 10, 28; Luc. 12, 4.

[9] Cap. 8, 15, quem locum August. exponit in Evang. Ioan. tr. 85. n. 3.

[10] August., de Spiritu et lit. c. 32. n. 56; I. Confess. c. 12. n. 19.

Cap. V.

De casto et servili et initiali.

De his eisdem timoribus latius disputat dicens[1]:
Augustinus. « Coepit aliquis credere diem iudicii; si coepit credere, coepit et timere. Sed quia adhuc timet, nondum habet fiduciam in die iudicii, nondum est in illo perfecta caritas »; « si perfecta in illo esset caritas, non timeret. Perfecta enim caritas faceret perfectam iustitiam, et non haberet, quare timeret, immo haberet, quare desideraret, ut transeat iniquitas, et veniat regnum Dei. Ergo timor non est in caritate. Sed in qua caritate? Non in inchoata. In qua ergo? In perfecta? *Perfecta*, inquit, *caritas foras mittit timorem.* Ergo incipiat timor, quia *initium sapientiae timor Domini.* Timor quasi locum praeparat caritati; cum autem coeperit caritas habitare, pellitur timor, qui ei praeparavit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrescit; et quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Maior caritas, minor timor; minor caritas, maior timor. Si autem nullus est timor, non est qua intret caritas; sicut videmus, per setam introduci linum, quando aliquid suitur: seta prius intrat, et nisi exeat, non succedit linum; sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret caritatem ».

« Est autem alia sententia[2], quae videtur huic
Obiicitur. esse contraria, si non habet pium intellectorem. Dicitur enim in Psalmo: *Timor Domini castus permanet in saeculum saeculi.* Aeternum quendam timorem nobis ostendit, sed *castum.* Quod si ostendit ille nobis aeternum timorem, nunquid contradicit illi ista Epistola, quae dicit: *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem?* Hoc enim dictum est per Ioannem, illud dictum est per David. Sed nolite putare, alium esse Spiritum. Si enim unus flatus inflat duas tibias, non potest unus spiritus implere duo corda et agitare duas linguas? Si spiritu uno, id est uno flatu, impletae[3] duae tibiae consonant, impletae duae linguae Spiritu Dei dissonare possunt? Immo est ibi quaedam consonantia, est quaedam concordia; sed auditorem desiderat studiosum, non otiosum. Ecce movit duas linguas Spiritus Dei, et audivimus ex una: *Timor non est in caritate;* audivimus ex alia: *Timor Domini castus permanet in saeculum saeculi.* Quid est hoc? Dissonant? Non. Excute aures, intende melodiam. Non sine causa hic addidit *castus;* illic non addidit, quia est timor aliquis, qui dicitur *castus;* est autem alius, qui *non* dicitur *castus.* Discernamus istos duos timores, et intelligamus consonantiam tibiarum. Quomodo discernimus? Attendat caritas vestra. Sunt homines, qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant cum diabolo in igne aeterno. Ipse est timor, qui introducit caritatem; sed sic venit, ut exeat. Si enim propter poenas times Deum, nondum amas quem sic times; non bona desideras, sed mala caves. Sed ex eo, quia mala caves, corrigis te et incipis bona desiderare; cum bona desiderare coeperis, erit in te timor *castus.* Quid est timor *castus?* Timere, ne amittas ipsa bona, timere Deum, ne recedat a te. Cum autem times Deum, ne te deserat praesentia eius, amplecteris eum, ipso frui desideras ». .

Cap. VI.

Quo differant castus et servilis.

« Non potes melius explanare, quid intersit inter Augustinus.
duos timores istos, quam si ponas duas mulieres ma- Exemplum.
ritatas, quarum unam constituas volentem facere adulterium, sed timet, ne damnetur a marito. Timet maritum, quia adhuc amat nequitiam. Huic non est grata, sed onerosa mariti praesentia; et si forte vivit nequiter, timet maritum, ne veniat. Tales sunt qui timent diem iudicii. Fac, alteram amare virum, debere illi castos amplexus, nulla se adulterina immunditia maculare velle; ista optat praesentiam viri. Illa timet, et ista timet. Iam ergo interrogentur, *quare* timeant. Illa dicet: timeo virum, ne veniat; ista dicet: timeo virum, ne discedat. Illa dicet: timeo virum, ne damnet[4]; ista dicet: timeo virum, ne deserat. Pone hoc in animo, et invenies timorem, quem *foras mittit caritas*, et alium timorem *castum* permanentem in saeculum saeculi[5] ». « Illum timorem perfecta caritas foras mittit, quia ille timor tormentum habet, torquetur conscientia peccatorum, nondum facta est iustificatio. Est ibi quod titillet mentem, quod pungat, quod stimulet. Stimulat ille timor, sed intrat caritas, quae sanat quod vulnerat timor ». Timor *castus* facit securitatem in animo. « Audivimus duas tibias, scilicet Ioannem et David consonantes. Illa de timore Dei dicit, quo timet anima, ne damnetur; illa de timore Dei dicit, quo timet anima, ne deseratur. Ille est timor, quem caritas excludit; ille est timor, qui permanet in saeculum saeculi ». — Ecce in his verbis praedictis aperte ostendit Augustinus, quis sit timor *castus*, et quis *servilis*, et qualiter differant. In quibus etiam *initialem* timorem significavit, qui nec ex toto est *servilis* nec ex toto *castus*, sed tanquam medius aliquid de servili, et aliquid de casto timore habet. Facit enim servire partim timore poenae, partim amore iustitiae, per quem timemus *puniri*, et timemus *offendere.* Iste timor est in inchoata caritate, non in perfecta; et quantum crescit caritas, tantum decrescit iste timor, quantum ad metum poenae, id est quantum ad id, quod facit timere poenam, et quantum ad tormentum conscientiae. Nam quanto magis diligimus, tanto minus timemus. Iste timor notatur in illis verbis Augustini, ubi non negat, timorem esse in caritate *in-*

---

[1] Plurimae edd. praefigunt *Augustinus*, scil. in I. Ioan. tr. 9. n. 2. Seq. locus ibid. n. 4, ubi pro *quare timeret* edd., exceptis 4, 8, *unde timeret*, et infra Vat. cum paucis codd. *Perfecta ergo* pro *Perfecta, inquit.* — Loci Scripturae sunt I. Ioan. 4, 18, et Eccli. 1, 16. Infra pro *qua intret* codd. A B et fere omnes edd. *quo intret*, refragante etiam originali.

[2] Continuat August., ibid. n. 5, sed nonnullis a Magistro omissis. — Locus Psalmi est 18, 10. Vulgata *sanctus* pro *castus.*

[3] Plurimae edd. *implente*, refragante etiam originali.

[4] Cod. E cum originali *damner... deserar* pro *damnet.... deserat.*

[5] Ibid. n. 6. Cfr. in Evang. Ioan. tr. 43. n. 7; Enarrat. in Ps. 118. serm. 12. n. 3; Epist. 140. (alias 120.) c. 21. n. 52. — Seq. locus est in I. Epist. Ioan. loc. cit. n. 4, sed multis a Magistro omissis. Tertius locus est ibid. n. 8, ubi pro *consonantes* Vat. *resonantes.*

choata, sed *perfecta*, quod non posset dici de *servili*, quia, ut ipse supra dixit, servilis timor non remanet, veniente caritate; nec intrat caritas, nisi prius ille timor exeat, nec in illo timore aliquis credit *in Deum*, etsi credat *Deo*; nec *bene*[1] facit, etiam si *bonum* est quod facit. Non est ergo timor ille in caritate etiam inchoata, quia omnis qui caritatem habet, licet non perfectam, et in Deum credit et bona opera facit. Quare *servilis* non est timor ille, quem in caritate inchoata fore concessit, et quem, crescente caritate, decrescere dixit; sed ille est timor *initialis*, quem non negat esse in caritate, nisi perfecta sit.

Cap. VII.

Quod timor servilis et initialis dicuntur initium sapientiae, sed differenter.

Sciendum tamen est, quod uterque timor, scilicet
Dubium 5. *servilis* et *initialis*, in diversis Scripturae locis[2] dicitur *initium sapientiae*, et ita fore comperies, si diligenter annotaveris loca Scripturae, in quibus de timore Domini fit mentio; ex alia tamen ratione et causa diversa dicitur *servilis* initium sapientiae, et ex alia *initialis*. *Servilis* enim ideo dicitur initium sapientiae, quia praeparat locum sapientiae et ducit ad sapientiam, sed tamen non remanet cum ea, immo foras exit. *Initialis* vero dicitur initium sapientiae, quia est in[3] inchoata sapientia; quem cum quis habere incipit, sapientiam et caritatem habere incipit. Inde etiam est, quod uterque timor dicitur *initialis*, quod invenire poteris per diversa Scripturae loca. Uterque etiam timor interdum dicitur *servilis*, quia et ipse *initialis*, qui est in caritate inchoata, aliquid habet de *servili*, scilicet angorem poenae, sicut et aliquid habet de *casto*, scilicet quod timet *offendere* ac *separari*.

Cap. VIII.

Quomodo castus timor permanet in aeternum.

Illud quoque diligenter est notandum, quod in superioribus Augustinus dicit, castum timorem esse aeternum; per quod confirmatur praemissa sententia, scilicet quod spiritus timoris *erit* in futuro, sicut et alia dona Spiritus sancti. Sed non habebit omnem illum *usum*, quem modo habet. Faciet enim tunc nos *revereri* Deum, non *timere separari* vel carere. Fuit ergo et in Christo[4] De Christo.
timor ille, sed iuxta usum illum, quem habebit in futuro in Sanctis. Non enim timuit Christus *separari*, vel *offendere* Deum, sed eum prae omnibus *reveritus est*.

Cap. IX.

Si timor poenae, qui fuit in Christo, fuit servilis, vel initialis.

Cum autem fuerit in Christo timor poenae, quaeritur, an iste timor fuerit *mundanus*, vel *servilis*, vel *initialis*. — Ad quod dicimus, nullum eorum fuisse in Christo, quia *mundanus* malus est, ut supra[5] dictum est, et in primo gradu cum mundo deseritur; *servilis* vero, vel *initialis* in *perfecta* caritate non est. Nullus ergo timorum istorum fuit in Christo. — Quis ergo fuit timor ille, quo poenam timuit? Potest timor ille dici *naturalis* sive humanus, qui omnibus hominibus inest, quo horretur mors ac formidatur poena. Et dicitur timor iste *naturalis*, non quia accesserit homini ex natura, secundum quod prius fuit instituta, quia non fuit iste timor concreatus homini nec de bonis naturalibus, sed quia ex corrupta natura per peccatum omnibus advenit, cui corruptio inolevit, tanquam esset naturalis. Et est iste timor effectus peccati, ut praedictum est.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXIV.

De habitibus donorum.

Pars I.

De septem donis Spiritus sancti generaliter.

Nunc de septem donis Spiritus sancti agendum est.

DIVISIO TEXTUS.

In praecedentibus egit Magister de habitibus virtutum theologicarum et etiam de habitibus virtutum cardinalium. In hac parte intendit determinare de habitibus donorum. Dividitur autem pars ista in partes tres. In quarum prima determinat de donis in sua generalitate. In secunda vero determinat de dono timoris specialiter, ibi: *Et quia de timore tractandi nobis occurrit locus*. In tertia vero breviter assignat differentiam inter reliqua dona[1], ibi: *Post praemissa diligenter considerandum est* etc., distinctione trigesima quinta.

Prima pars spectat ad praesentem lectionem et dividitur in partes duas. In quarum prima Magister quasi ponit prooemium ad istam partem ostendens,

---

[1] Codd. alii addunt *bona*, sed cod. C *bonum*.
[2] Psalm. 110, 10; Prov. 1, 7; 9, 10; Eccli. 1, 16.
[3] Edd. 1, 8 *cum*.
[4] Cfr. Hebr. 5, 7.
[5] Hic c. 4. — Infra pro *naturalis, non quia* edd. 1, 8 *naturalis, non quod*.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Ita codd. A E U X; alii codd. et edd. *dicta*.

quae et quot velit determinare. In secunda vero exsequitur, ibi: *Haec dona virtutes esse* etc. Et illa secunda pars dividitur in duas partes. In quarum prima determinat veritatem. In secunda removet dubitationem, ibi: *His autem videtur obviare quod Beda de timore* etc.

Prima pars dividitur in duas partes. In quarum prima determinat de donis in comparatione ad habitum virtutis, ostendens, dona esse virtutes, ibi: *Haec dona virtutes esse* etc. In secunda determinat de eisdem in comparatione ad Christum, ibi: *In Christo autem haec eadem fuisse* etc.

Similiter secunda pars, in qua removet dubitationem, dividitur in duas. In quarum prima opponit. In secunda determinat, ibi: *Ad quod dicimus, auctoritatum*[1] *praemissarum* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio de donis in generali, et circa haec duo principaliter possunt quaeri.

Primum est de comparatione donorum ad virtutes.

Secundum est de ipsis donis in se.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo enim quaeritur de comparatione donorum ad virtutes quantum ad differentiam.

Secundo quaeritur de eisdem quantum ad ordinem.

Tertio vero quaeritur de eisdem quantum ad praecellentiam.

ARTICULUS I.

De comparatione donorum ad virtutes.

QUAESTIO I.

Utrum dona et virtutes inter se differant.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum dona et virtutes ad invicem differant. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Primo *auctoritate* Gregorii in Moralibus[2] super illud Iob primo: *Nati sunt ei septem filii et tres filiae;* dicit, quod « per *filios* intelliguntur dona, per *filias* intelliguntur virtutes »: igitur virtutes ponunt in numerum cum donis: ergo habent ab eis diversificari.

2. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione* sic: quaecumque habent alias et alias differentias dividentes, necesse est, ipsa ad invicem differre[3]; sed divisio virtutum alia est quam divisio donorum, et per alias differentias — virtutes enim dividuntur per theologicas et cardinales, quod nequaquam est circa dona reperire — ergo necesse est, habitus donorum ab habitibus virtutum differre.

3. Item, sicut se habet intellectus ad fidem, sic se habent alia dona ad alias virtutes; sed donum intellectus differt a virtute fidei, quia *credere* est assentire sine ratione[4], *intelligere* vero cum ratione; constat autem, quod alius habitus est, qui est *sine* ratione, et qui est *per* rationem: si ergo intellectus dividitur a virtute fidei, videtur, quod alii donorum habitus differant ab ipsis virtutibus.

4. Item, habitus timoris nullo modo potest esse in genere *virtutis* — timor enim Domini non potest esse virtus cardinalis, nec theologica, cum illae sint tantum tres secundum sententiam Apostoli[5] — et tamen timor est *donum:* ergo aliquod *donum* non est *virtus.* Sed qua ratione primum donum distinguitur a virtute, eadem ratione et dona sequentia: ergo videtur, quod inter dona et virtutes sit essentialis differentia.

Ad oppositum. CONTRA hoc arguitur: 1. Primo *auctoritate.* Super illud Iob primo[6]: *Nati sunt ei septem filii;* ibi Gregorius: « Cum Spiritus sanctus mentem fecundat, nascuntur in ea septem virtutes, scilicet sapientia et intellectus, consilium, fortitudo » etc.: ergo secundum Gregorium dona sunt virtutes. — Rursus, super illud Iacobi primo[7]: *Omne datum optimum et omne donum perfectum* etc.; Glossa: « *Datum optimum* quoad naturalia, *donum perfectum* quoad gratuita »; sed virtutes sunt gratuitae: ergo virtutes sunt dona. Ex prima ergo auctoritate habetur, quod dona sunt virtutes; ex sequenti, quod virtu-

---

[1] Fere omnes codd. et edd. 1, 2 perperam *auctoritatem*, cod. N *auctoritate.*

[2] Libr. I. c. 27. n. 38. Textus e libro Iob allatus habetur ibi 1, 2. Cfr. supra pag. 569, nota 5. — In hac quaest. edd. pro *ad invicem* constanter exhibent *ab invicem*, refragantibus codd.

[3] Cfr. Aristot., de Praedicam., regula 2. antepraedicamentalis (c. 2.), et I. Topic. c. 13. Cfr. etiam tom. II. pag. 656, nota 9.

[4] Vide supra pag. 471, nota 1. — In fine arg. pro *ab ipsis* cod. Z *ab aliis.*

[5] Epist. I. Cor. 13, 13. Cfr. etiam supra d. 26. a. 2. q. 1. et d. 33. q. 1. ac 4. — Pro *sententiam* cod. K *doctrinam.*

[6] Vers. 2. — Testimonium Gregorii habetur in eius I. Moral. c. 27. n. 38, sed fusius ibi quam hic.

[7] Vers. 17. — De Glossa vide supra pag. 722, nota 6. — In *minori* pro *gratuitae* codd. A H L Z aa bb *gratuita* (cfr. supra d. 33. q. 5.).

tes sunt dona: cum ergo illa quae de se mutuo praedicantur, sint eadem, non diversa; videtur, quod virtutes et dona non habeant differentiam.

2. Item, hoc videtur per *definitionem* doni et virtutis: quia « donum, secundum quod vult Philosophus[1], est datio irreddibilis »; « virtus autem, secundum quod dicit Augustinus, est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur »; sed utraque istarum definitionum convenit cuilibet dono et cuilibet virtuti; « quorum autem definitiones sunt eaedem, et ipsa sunt eadem »: ergo videtur, quod virtutes et dona habeant identitatem omnimodam.

3. Item, eodem vitio male *operamur* et sumus *expediti* ad male operandum: cum ergo virtus sit potentior vitio[2], idem est habitus et eadem est virtus, per quam in operibus *rectificamur* et *expedimur*. Cum igitur virtutes sint ad *rectificandum*, et dona ad *expediendum*; videtur, quod non sit aliqua diversitas donorum et virtutum.

4. Item, ab eadem virtute per essentiam est *currere* et *expedite currere*: cum ergo virtus gratuita sit potentior quam virtus naturalis[3], videtur multo fortius, quod eodem habitu anima *rectificetur* et *expediatur*. Sed primum est per virtutes, secundum per dona: ergo etc.

5. Item, per habitus virtutum sufficienter anima perficitur et ordinatur ad omne bonum — ordinatur enim homo per virtutes ad Deum et ad proximum et ad se ipsum, et hoc secundum omnem vim animae, sicut in praecedentibus[4] fuit ostensum — videtur ergo, quod aut dona sint virtutes, aut, habitis virtutibus, dona superfluant; quodsi non superfluunt: ergo ad invicem non differunt.

Quaestiones. Iuxta hoc quaeritur de differentia virtutum, donorum, beatitudinum et fructuum, quomodo differant ad invicem secundum rem; et quare etiam sic nominentur.

CONCLUSIO.

Dona et virtutes differunt ad invicem secundum rem, et etiam secundum modum nominandi recte distinguuntur.

Respondeo: Dicendum, quod inter virtutes et dona assignatur communiter differentia. Omnes enim communiter dicunt, quod aliquo modo differant dona a virtutibus; et hoc indicant differentiae diversae, in quas habent dividi habitus virtutis et doni. — In *modo* autem assignandi differentiam diversificati sunt doctores. Cum enim huiusmodi habitus quadruplicem habeant comparationem, inveniuntur assignari differentiae donorum et virtutum secundum viam quadrimembrem[5]. Habent enim comparari huiusmodi habitus ad *propria subiecta* et ad *sua opposita* et ad *fines proximos* et ad *actus proprios*.

Conclusio 1. De modo distinguendi. Quadruplex comparatio.

Secundum primam comparationem tentaverunt aliqui assignare differentiam sic dicentes, quod cum liberum arbitrium sit principium meriti, omnes habitus, secundum quos meremur, sunt in libero arbitrio collocandi. Sed cum liberum arbitrium sit facultas rationis et voluntatis[6], habet perfici habitibus duplicis generis: habitibus, inquam, *virtutum* perficitur, in quantum est facultas *voluntatis;* habitibus vero *donorum*, in quantum est facultas *rationis*. Et quod illud sit verum, nituntur persuadere per ipsam *donorum* differentiam, quae pro magna parte respiciunt actum cognoscendi; species vero *virtutum* e contrario magis ad affectum habent referri.

Modus comparandi et distinguendi 1.

Secundus autem modus assignandi differentiam attenditur per comparationem istorum habituum ad *sua opposita*. Habitus enim virtutis et doni opponuntur ipsis vitiis et defectibus per peccatum introductis. Peccatum autem duo mala facit: primum est, quod tollit rectitudinem iustitiae; secundum est, quod debilitat vigorem naturae et eam dicitur vulnerare[7]. Unde sicut in morbo duo sunt, videlicet ipsa humorum inaequalitas et symptomata quaedam sive sequelae ipsius morbi; sic intelligendum est in morbo spirituali. Cum ergo duo sint in ipso morbo spirituali, videlicet ipse morbus inordinans et symptoma concomitans, ipsa culpa et eius sequela, ipsum telum et vulnus ex telo derelictum; habitus *virtutum* sunt contra ipsos morbos peccatorum, sed *dona* sunt contra sequelas ipsorum, ita quod per *virtutes* expelluntur tela, et per *dona* expelluntur vulnera sive symptomata derelicta. — Et hic modus dicendi confirmatur per Gregorium in Moralibus[8], ubi assignat opposita donorum dicens, quod « contra stultitiam est *sapientia*, contra hebetudinem *intellectus*, contra praecipitationem est *consilium*, contra pusillanimitatem *fortitudo* », et sic de aliis consequentibus. Haec

Modus comparandi et distinguendi 2.

Confirmatur.

---

[1] Libr. IV. Topic. c. 4; pro *irreddibilis* recens interpres substituit *non restituenda*. — De definitione *virtutis* secundum August. vide II. Sent. lit. Magistri, d. XXVII. c. 5, et Comment. ibid. dub. 3. — In regula topica paulo inferius allata cod. Z pro *definitiones* exhibet *rationes;* de ipsa regula cfr. supra pag. 154, nota 6.

[2] Cfr. dictum Anselmi, tom. II. pag. 920, nota 4. allegatum. — Mox pro *operibus* edd. *operationibus*.

[3] Vide supra pag. 657, nota 3. locum ex Ambrosio transcriptum. — De *maiori* cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Quali*. — Paulo post pro *rectificetur et expediatur* multi codd. *rectificatur et expeditur*.

[4] Dist. 33. q. 1. et 4. — Paulo inferius pro *sint* et *superfluant* non pauci codd. *sunt* et *superfluunt*. Deinde post *Iuxta hoc* codd. D X interserunt *quidem*.

[5] Codd. K V *quadruplicem*. Subinde pro *comparari* cod. F *comparationem*.

[6] Cfr. II. Sent. d. 25. p. 1. q. 2. seqq.

[7] Cfr. tom. II. pag. 506, nota 3. et pag. 700, nota 1. — *Symptoma* (σύμπτωμα i. e. casus, accidens) medici intelligunt accidens, quod morbum sequitur; de quo vide Avicenna, I. Canon. Fen 2. doctr. 1. c. 1, et Aristot., Problem. inedit. sect. 2. n. 38. (ed. Firmin-Didot).

[8] Libr. II. c. 49. n. 77. Cfr. Bernard., Serm. 14. de Diversis; Hugo a S. Vict., de Quinque Septenis, c. 2. seqq. et II. Allegor. in Nov. Testam. c. 6.

autem non sunt peccata, sed magis symptomata quaedam ex peccatis derelicta. Et quoniam, sicut dicit Augustinus [1], «aliud est extrahere telum, aliud sanare vulnus»; hinc est, quod habitus virtutum et donorum ab invicem differunt ratione eorum, contra quae sunt.

Modus comparandi et distinguendi 3.

Tertius autem modus assignandi differentiam attenditur per comparationem ad *fines proximos*. Habitus enim gratuiti nobis dantur, ut conformemur Christo; Christus autem omnimodam perfectionem habuit et in *agendo* et in *patiendo*: et ideo sunt aliqui habitus nobis dati, quibus conformamur Christo in *agendo*; et hi sunt habitus *virtutum*, qui sunt ad recte operandum et ad hoc finaliter ordinantur, ut per illos habitus sic ordinantes ad rectam operationem in *agendis* conformemur Christo. — Sunt etiam [2] et alii habitus dati nobis, ut conformemur ei in *patiendo*; et huiusmodi habitus sunt *dona*, per quae Christus erat dispositus ad sustinendam rectissime passionem ad gloriam Dei et nostram utilitatem; et per habitus huiusmodi donorum debemus sibi conformari in *patiendo*.

Modus comparandi et distinguendi 4.

Quartus autem modus assignandi differentiam attenditur penes comparationem ad *actus proprios*. Sunt enim quidam actus *primi*, et quidam *medii*, et quidam *ultimi* sive perfecti; sicut verbi gratia possumus videre in actu cognoscendi, quod primus est *credere*, secundus *intelligere*, tertius vero mundo corde *videre* [3]. Et secundum istam trifariam differentiam actus sunt in nobis tres differentiae habituum gratuitorum, videlicet *virtutum*, *donorum* et *beatitudinum*; ita quod *virtutes* sunt ad actus *primos*, ut patet, quia fides est ad credendum; *dona* ad actus *medios*, quia, secundum quod patet, donum intellectus est ad intelligendum; *beatitudines* vero ad actus *ultimos*, ut patet, quia munditia cordis est ad Deum videndum. Et quoniam in primis actibus potentiae *rectificantur*, in secundis *expediuntur* et in tertiis et ultimis *perficiuntur* [4]; hinc est, quod habitus *virtutum* sunt ad agendum *recte*, habitus *donorum* ad agendum *expedite*, habitus *beatitudinum* ad agendum sive patiendum *perfecte*.

De fructibus et sensibus spiritualibus.

Postquam autem illi habitus sunt in anima, est consequenter in ea status quidam quietationis et delectationis. In hac autem delectatione duo concurrunt, videlicet quaedam *spiritualis refectio* et ipsius refectionis *spiritualis perceptio*. Ideo ad ista tria genera habituum adduntur *fructus* [5] et *spirituales sensus*, qui non dicunt novos habitus, sed habituum praecedentium exprimunt perfectum statum et usum. — Rursus, quoniam ad haec omnia habenda per nos non sufficimus, data sunt nobis adminicula Sacramentorum, in quibus secundum diversitatem suorum effectuum gratia datur ad inchoationem, profectum et consummationem omnium habituum praedictorum, licet illa gratia principaliter habeat [6] respectum ad morbum curandum.

De Sacramentis.

Sic igitur patet, quod quadruplex est modus assignandi differentiam inter virtutes et dona. — Verumtamen primus modus non est per *propria*, immo magis per *appropriata*. Per *propria*, inquam, non est, quia si quis velit dicere, quod omnia *dona* sunt in ratione, et omnes *virtutes* in voluntate; manifestam habet instantiam in *donis* quantum ad timorem, fortitudinem et pietatem, quae sunt a parte affectus, in *virtutibus* quantum ad fidem et prudentiam, quae sunt ex parte intellectus [7]. Ideo illa differentia aut falsa est, aut nulla, aut est per *appropriationem* quandam, in hoc videlicet, quod plura *dona* sunt ex parte rationis quam voluntatis; econtra vero est in *virtutibus*.

Iudicium de 1. modo.

Item de 2.

Secundus vero modus assignandi differentiam per comparationem ad opposita abundat a primo, quia revera est per *propria*. In hoc tamen deficit, quia non est per *priora*, sed magis per *posteriora*. Cum enim habitus donorum et virtutum opponantur vitiis, sicut habitus ad privationes, et habitus naturaliter prius sit quam privatio [8]; non distinguuntur habitus secundum privationes, sed magis e converso secundum rem et naturam; possunt tamen distingui secundum cognitionem nostram imperfectam, quae ut frequenter est per posteriora.

Item de 3.

Tertius autem modus assignandi differentiam abundat a primo et secundo, quia est per *propria* et per *priora*; in hoc tamen deficit, quod non est illa differentia secundum *omnem statum*, quia nec secundum statum naturae institutae nec secundum statum gloriae, in quibus fuerunt et erunt dona et virtutes [9]; et tamen nec ordinabantur nec ordinabuntur ad *patiendum*. Nihilominus tamen illa differentia recte assignatur secundum statum, in quo nunc sumus.

---

[1] Libr. XIV. de Trin. c. 17. n. 23. — Paulo inferius pro *contra* [cod. A *circa*] *quae sunt* cod. K *quae sunt eis opposita*.

[2] Codd. K Z omittunt *etiam*, in Vat. legitur *praeterea*.

[3] Cfr. supra lit. Magistri, d. XXIV. c. 3. De tribus his actibus cfr. Dionys., de Hierarch. caelest. c. 10. § 3. — Pro *primus... secundus... tertius...* edd. cum pluribus codd. *prius... secundo... tertio*.

[4] Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum super illud Ps. 11, 7: *Purgatum septuplum*, dicit (secundum August.): Perfecte vel per septiformem Spiritum verbum nitet, scil. per pietatem... vel *purgatum per septuplum*, scil. per paupertatem spiritus... Haec enim (octava beatitudo) examinat et clarificat et quod perfectum est demonstrat.

[5] Epist. ad Gal. 5, 22: Fructus autem Spiritus est: caritas etc. — De sensibus spiritualibus vide lib. de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 9. et 49.

[6] Edd. *licet illa genera principaliter habeant*. Paulo ante pro *profectum* (sic codd. E I K L M T U) edd. cum pluribus codd. *perfectam*, alii codd. *perfectum*.

[7] Cfr. infra a. 2. q. 1. in corp., supra d. 23. a. 1. q. 2. nec non d. 26. a. 2. q. 1. atque d. 33. q. 4.

[8] Vide supra pag. 720, nota 4. — Subinde pro *distinguuntur* multi codd. incongrue *distinguitur*.

[9] Cfr. infra a. 2. q. 3. et supra d. 33. q. 6. — Inferius pro *nunc sumus* codd. F G H I K L N T U V *nos sumus*.

Iudicium de modo 4. Quartus autem modus assignandi differentiam per comparationem ad actus est verus et proprius et abundat ab omnibus praedictis, quia est per *propria* et per *priora* secundum rationem cognoscendi, et per ea quae *omni statui* sunt communia. In omni enim statu competit homini, ut operetur *recte* et *expedite* et *perfecte*. Et quod iste modus assignandi differentiam sit recte sumtus, satis manifestatur, quia secundum quod praetactum est, non solummodo secundum istam viam assignatur differentia donorum ad virtutes, sed etiam apparet differentia omnium eorum, quae computantur inter munera gratiae, videlicet *virtutum* et *donorum*, *beatitudinum*, *fructuum*, *sensuum spiritualium* et *Sacramentorum*.

Notandum. Nam primae tres differentiae nominant *habitus*, duae vero sequentes nominant *status* et *usus*, sexta vero differentia nominat praedictorum *adminicula* et adiuvamenta [1].

Conclusio 2. Ex his patet non solummodo differentia praedictorum secundum *rem*, sed etiam secundum *nominandi rationem*. Nam habitus *rectificantes* recte dicuntur *virtutes*, pro eo quod virtus de ratione sui nominis dicit, quod ad agendum erigit et vigorat [2]. Habitus vero *expedientes* recte dicuntur *dona*, pro eo quod dicunt quandam ulteriorem abundantiam bonitatis ad agendum, ac per hoc magis attestantur divinae liberalitati; et propter hoc recte censentur nomine *doni*. — Habitus vero *perficientes* recte dicuntur *beatitudines*, pro eo quod tales habitus faciunt hominem proximum Deo et conformem ipsi gloriae summae et beatitudini, in qua est reperire summam perfectionem. — Status autem, in quo est refectio, recte dicitur *fructus*; fructus enim a *frui* dictum est [3]. — Usus vero, secundum quem illa perceptio suscipitur, recte dicitur *sensus spiritualis*; quoniam *sensus* est cognoscere rem ut praesentem [4]. — Postremo, adminicula omnium istorum, in quibus datur gratia animam sanctificans et a peccatis curans et ad omnem sanctitatis perfectionem adiuvans, rectissime dicuntur *Sacramenta*. — Patet igitur ex praedictis, quod inter virtutes et dona est differentia. Unde rationes hoc ostendentes concedendae sunt.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium per auctoritates Sanctorum, quod dona sunt virtutes, et virtutes sunt dona; dicendum, quod contingit, nomina *extendi* et *proprie accipi*; et nos loquimur hic de *virtutibus*, secundum quod *proprie accipiuntur* et dividuntur per tres theologicas et cardinales quatuor, et de *donis*, secundum quod dividuntur per septem differentias, quas assignat Isaias [5]. Auctoritates vero Glossarum et Sanctorum loquuntur de *dono*, secundum quod nomen *doni* ampliatur et *large accipitur*, et similiter de *virtutibus*, ut *virtus* dicatur omnis habitus, qui expedit ad bonum, *donum* vero omne quod divinitus gratis datur. Et sic concedi potest, quod idem sit *virtus* et *donum*; hoc autem modo non quaerimus de differentia donorum et virtutum, quia de re quaerimus, non de nomine. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur de convenientia definitionum doni et virtutis, dicendum, quod illae notificationes [6] *large* datae sunt secundum generalem rationem illorum nominum. Attamen in definitione *virtutis* potest fieri vis in hoc quod dicitur: « qua recte vivitur ». Nam sicut prius tactum est, in hoc differt a *donis*, quia habitus illi sunt ad rectificandum, habitus vero donorum ad expediendum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod per idem peccatum obliquamur et sumus proni ad peccatum; dicendum, quod non est simile: quia facilius est male facere et declinare a bono, quam bene facere et in bonum expediri [7]; sicut facilius est aliquem vulnerare quam vulneratum sanare; et ideo plures habitus sunt necessarii ad perfecte sanandum et reparandum quam ad deordinandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod eiusdem virtutis naturalis est currere et expedite currere; dicendum, quod verum est, loquendo de potentia *prima*; verumtamen *facilitas superaddita* potentiae primae non est eadem cum ipsa, sicut patet de naturali potentia et impotentia, quae dicuntur *dispositiones* et *qualitates superadditae* supra radicem potentiae naturalis [8]. *Praeterea*, non est simile, quia multo difficilius est rectificari et expediri et habilitari in his operibus, quae sunt supra naturam, quam in his quae subiacent potentiae naturali. Ratio 2.

5. Ad illud quod obiicitur, quod habitus virtutum sufficienter ordinant animam ad Deum secundum omnem eius comparationem; dicendum, quod licet ordinent sufficienter quantum ad ea quae sunt rectitudinis et necessitatis, utpote quantum ad illos actus *primos*, in quibus primaria rectitudo consistit; tamen ultra hoc liberalitas benignitatis divinae [9] providit homini et contulit habitus, per quos expediretur non solum ad opera necessaria rectitudinis, sed etiam perfectionis et supererogationis. Unde *si obiiciat*, quod idem est *habilitare* potentiam et eam

---

[1] Cod. L V an *adiumenta*.

[2] Vide supra d. 23. a. 2. q. 1. in corp.

[3] August., XI. de Civ. Dei, c. 25. dicit, « quod proprie *fructus* fruentis, *usus* utentis sit ».

[4] Aristot., de Memoria et reminisc. c. 1: Neque [memoria] praesentis est, sed sensus; hoc enim neque futurum neque factum cognoscimus, sed tantum praesens etc.

[5] Cap. 11, 2.

[6] Cod. Y *definitiones*.

[7] Cfr. supra pag. 499, nota 2. — Paulo inferius pro *reparandum* cod. K *recuperandum*.

[8] Vide Aristot., de Praedicam. c. *de Quali*. — Mox pro *multo* cod. K *multoties*.

[9] Cod. K *liberalitas et benignitas divinae providentiae providit*, cod. S *liberalitas bonitatis providit*, cod. X *liberalitas providentiae providit*.

expedire, et ita quod eadem sit virtus, quae facit *rectum*[1] et *expeditum*; dicendum, quod illud est verum respectu operis eiusdem generis; sed respectu operis alterius et alterius gradus et rationis non habet veritatem. Magis autem dicuntur dona *expedire* quam virtutes, quia, etsi virtutes expediant ad actus proprios, adhuc tamen remanent symptomata, per quae homo impeditur in bene agendo et ratione quorum adhuc ineptus est ad opera maioris excellentiae, nisi ad haec iuvaretur per habitus donorum.

Notandum.

Ad illud vero quod ultimo quaerebatur, iam patet responsio per ea quae dicta sunt.

Ad quaestionem.

SCHOLION.

I. De distinctione inter virtutes et dona multum antiquitus disputatum est. Praeter quatuor sententias hic relatas etiam aliae circumferebantur. Nam Guliel. Antissiodorensis (Sum. p. III. tr. 11. q. 1-3.) vult, dona secundum *habitum* non distingui a virtutibus *cardinalibus*, eademque, cum omnes virtutes sint dona Spiritus S., per quandam *appropriationem* sic vocari « propter praerogativam, quam habent, mundandi animam primo et principaliter a septem capitalibus vitiis ». Negativam etiam sententiam propugnant non pauci posteriores, praesertim Nominales, asserentes, quod distinctio inter virtutes, dona et beatitudines non sit nisi *rationis* et quod respiciat tantum maiorem vel minorem « perfectionem habituum eorundem obiectorum et actuum specie » (Biel, hic q. unica). Huic opinioni favet Scot. (hic q. unica), qui, postquam contra asserta Henrici Gand., S. Bonav. et S. Thomae multa argumenta protulit, sic concludit (n. 6.): « Ad istam quaestionem potest dici *sine assertione*, quod non sunt *necessarii* in via nisi illi habitus, qui sunt virtutes morales, intellectuales et theologicae ». — Durand. (hic q. 1.) manet ambiguus inter hanc sententiam et aliam S. Thomae. — Quod autem dona largo sensu etiam nomine *virtutum* appellari possint, in confesso est apud omnes.

II. Inter eos quoque, qui maiorem distinctionem donorum virtutumque admittunt, est varius modus loquendi, ut refertur hic in corp. Adiungimus sententiam improbabilem Simonis Tornacensis (apud Dionys. Carth., hic q. 1.) docentis, quod dona non sint virtutes nec effectus virtutum, sed *seminaria* earundem, quibus scilicet anima mundetur a contagione peccati et sanctificetur et praeparetur ad susceptionem virtutum. Porro Henr. Gandav. (Quodl. IV. q. 23.) putat, quod *virtutes* perficiant hominem modo humano, *dona* superhumano, *beatitudines* inhumano, id est divino. Quoad *dona* similia dicit S. Thom. (hic q. 1. a. 1.): « Dona a virtutibus distinguuntur in hoc, quod *virtutes* perficiunt ad actus modo *humano*, sed dona *ultra humanum modum*. » Attamen distinctius in Sum. (I. II. q. 68. a. 1.) ait sic: « Vocantur dona non solum, quia infunduntur a Deo, sed quia secundum ea homo disponitur, ut efficiatur prompte *mobilis ab inspiratione divina* ». Eodem dicendi modo utitur Richard. a Med. (hic a. 1. q. 1.). Sed Petr. a Tar. (hic q. 1. a. 1.) cum S. Bonav. convenit in hoc, quod « virtutibus *bene* operamur; donis *faciliter et expedite*, expeditione, quae venit non tantum ex sanatione potentiarum, sed ex perfectione habituum potius; beatitudinibus *perfecte*; fructibus *iucunde* ». — Idem fere docet Alex. Hal. S., p. III. q. 62. m. 2. 3, nec non B. Albert. (hic a. 1.); cfr. etiam Breviloq. p. V. c. 5, ubi succose exhibetur tota de donis doctrina. — Tres autem ultimi modi dicendi in hoc conveniunt, quod illi habitus differant essentialiter, et quod differentia eorum accipiatur secundum actus magis vel minus excellentes (cfr. praesertim hic ad 5.); unde in re principali satis conveniunt. Attamen quoad *beatitudines* S. Thom. (S. I. II. q. 69. a. 1.) docet, quod ipsae « distinguuntur quidem a virtutibus et donis, non sicut *habitus* ab eis distincti, sed sicut *actus* distinguuntur ab habitibus », dum S. Bonav. (hic et Breviloq. p. V. c. 6.) *beatitudines* quidem vult esse *habitus*, non autem duodecim *fructus Spiritus* nec etiam *spirituales sensus*. — De septem donis Spiritus S. habemus 8 sermones S. Bonaventurae, a P. Benedicto Bonelli in suo Supplemento t. III. col. 419-494 editas, sed in forma contracta, a nobis autem, Deo favente, integrius edendas. Opusculum non spernendum de Donis Spiritus S., quod in ed. Vaticana, t. VI. pag. 237, est impressum, videtur esse conscriptum a Fr. Rodulpho de Bibraco O. Min.

III. De seq. (2.) quaestione consentientes tractant: Alex. Hal., loc. cit. m. 4. — S. Thom., S. I. II. q. 68. a. 8. ad 2. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., de hac et seq. q. hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 1. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. 2.

IV. Quoad seq. (3.) quaestionem S. Thom. (S. loc. cit. a. 8; cfr. II. II. q. 9. a. 1. ad 3.) dicit: « Unde perfectiora sunt dona virtutibus »; sed de theologicis virtutibus docet, quod « praeferuntur donis Spiritus S. et regulant ea ». Quod explicat (ibid. a. 4. ad 3.) dicens: « Prima autem unio hominis est per fidem, spem et caritatem. Unde istae virtutes *praesupponuntur* ad dona sicut radices quaedam donorum. Unde omnia dona pertinent ad has tres virtutes sicut quaedam derivationes praedictarum virtutum ». Hinc patet, eundem hic non recedere a doctrina nostri auctoris.

De hac (3.) quaestione loquuntur etiam B. Albert., hic a. 4, et Richard. a Med., hic a. 1. q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum dona sint priora virtutibus, an e converso.

Secundo quaeritur de comparatione donorum ad virtutes quantum ad ordinem, et est quaestio, utrum dona sint priora virtutibus, an e converso. Et quod dona praecedant, videtur.

1. Matthaei sexto[2] super orationem dominicam dicitur in Glossa: « In *precibus* est, ut impetremus *dona*; in *donis*, ut operemur *mandata*; de operatione *beatitudines* sequuntur »: ergo videtur, quod profectus hominis incipiat a donis. Sed illi habitus gratuiti sunt priores, in quibus inchoatur principium bene agendi: ergo dona sunt priora virtutibus.

Ad oppositam.

2. Item, prius est *sanari* quam *bene operari*;

---

[1] Cod. A *quae faciat actum rectum*. Inferius pro *expediant* non pauci codd. *expediunt*.

[2] Vers. 9. — Glossa *(ordinaria* apud Strabum et Lyranum) est secundum August., II. de Serm. Domini in monte, c. 10. n. 36. seqq., additis tamen in Glossa nonnullis. — Pro *impetremus* (ita Vat. et originale) codd. et edd. 1, 2 *impetrentur*. Deinde pro *profectus*, quod ex codd. E F I L T U restituimus, alii codd. partim *perfectus*, partim cum edd. *perfectio*.

sed per dona sanantur potentiae et per virtutes habilitantur ad bene operandum [1]: ergo dona priora sunt virtutibus.

3. Item, prius est *declinare a malo* quam *facere bonum* [2]; sed per primum inter dona declinamus a malo, per virtutes ordinamur ad bene faciendum: ergo dona sunt priora virtutibus.

4. Item, prius est generans quam generatum; sed per scientiam generatur fides, secundum quod dicit Augustinus, decimo quarto de Trinitate [3] dicens, quod « scientia est de his, quibus fides saluberrima gignitur, nutritur et roboratur »: ergo donum scientiae prius est quam fides. Sed fides est prima virtutum: ergo dona sunt priora virtutibus.

5. Item, intellectus est prior quam affectus [4], ergo habitus intellectivi priores sunt quam habitus affectivi; sed dona ex maiori sui parte sunt in rationali, virtutes ex maiori parte sunt in affectiva: ergo priora sunt dona, quam sint virtutes.

Sed contra: 1. Super illud Iob primo [5]: *Ventus vehemens* etc.; ibi dicit Gregorius: « Spiritus ante omnia mentem septem virtutibus ornat »: ergo naturaliter habitus virtutum prius sunt a gratia quam habitus donorum. Fundamenta.

2. Item, Threnorum secundo [6]: *Praecipitavit omnia moenia eius;* ibi Glossa: « In his rectus ordo servatur, quia, cum peccatrix anima relinquitur, prius ab ea dona virtutum, quae data sunt ad manifestationem Spiritus, auferuntur, deinde fundamenta fidei, spei et caritatis evertuntur ». Si ergo is est ordo in destruendo, ut prius destruatur illud quod ultimo fuit in componendo; et prius auferuntur dona quam fundamenta virtutum; videtur, quod prius sint virtutes quam habitus donorum.

3. Item, prius est *recte agere* quam *expedite* [7] in eodem genere: si ergo habitus virtutum sunt ad *rectificandum*, et habitus donorum ad *expediendum*: ergo dona non sunt priora virtutibus.

4. Item, timor est primum donorum, sicut fides est prima virtutum; sed fides prior est, quam sit timor, quia timor ortum habet a fide: ergo simpliciter videtur, quod virtutes sint priores donis, quia, « si primum in uno genere est prius primo in altero genere, hoc simpliciter est illo prius » secundum considerationem Philosophi [8].

5. Item, is est ordo habituum, qui est ordo actuum — ideo enim fides dicitur esse prior spe, quia *credere* prius est quam *sperare* — cum ergo virtutes sint ad actus primos, dona ad actus medios [9]; sequitur necessario, quod virtutes sint ante dona.

conclusio.

Virtutes non quoad originem, sed quoad usum praecedunt dona.

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter est loqui de habitibus virtutum et donorum: aut quantum ad ipsorum habituum *originem*, aut quantum ad *usum*. Si quantum ad *originem*, cum omnes habitus gratuiti ortum habeant a gratia, sic omnes sunt simul origine, quia omnes habitus gratuiti simul infunduntur, infusa gratia, quae est ipsorum principium [10]. — Si vero loquamur de ipsis habitibus donorum et virtutum in comparatione ad sequentes *usus;* sic concedendum est, quod virtutes praecedunt dona. Licet enim actus alicuius doni *specialis* praecedat actum alicuius virtutis, sicut actus timoris actum spei [11]; quia tamen actus primae virtutis, videlicet fidei, praecedit actum primi doni, scilicet timoris; et generaliter actus cuiuslibet virtutis praecedit actum doni sibi correspondentis, sicut actus primus praecedit medium: hinc est, quod generaliter concedi potest, quod habitus virtutum per comparationem [12] ad *actus* et usus priores sunt respectu donorum; et hoc dico respectu eiusdem. — Unde concedendae sunt rationes et auctoritates, quae adducebantur ad partem istam. Distinctio. Conclusio 1. Conclusio 2.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod in donis est inchoatio bene agendi; dici potest, quod dona accipiuntur ibi large pro *virtutibus;* aut si accipiuntur pro donis *proprie dictis*, secundum quod videtur littera praecedens [13] dicere; tunc operatio mandatorum ibi stat non pro *quacumi-* Solutio oppositorum.

---

[1] Cfr. quaest. praeced. — Pro *per virtutes habilitantur* codd. T Z *virtutes habilitant.*

[2] Psalm. 36, 27: Declina a malo et fac bonum.

[3] Cap. 1. n. 3. Pro *de Trinitate* edd. et nonnulli codd. *de Civitate Dei.* — De prioritate fidei cfr. supra d. 23. a. 1. q. 1. in corp. — Inferius pro *virtutum* cod. U *virtus.*

[4] Cfr. Aristot., II. de Anima text. 20. et 27. seqq. (c. 2. seq.), et III. text. 56. seq. (c. 10. seq.).

[5] Vers. 19. — Gregor., II. Moral. c. 49. n. 77: Donum quippe Spiritus, quod in subiecta mente ante alia prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam format, eandem mentem, ut contra singula quaeque tentamenta erudiat, in septem mox virtutibus temperat.

[6] Vers. 5. — Glossa est *ordinaria* et sumta ex Paschasii Radberti exposit. in hunc loc.; in eius textu origin. pro *evertuntur* legitur *destruuntur*, pro quo cod. U substituit *subvertuntur.* — Inferius pro *et prius auferuntur* plurimi codd. *ut prius auferantur.*

[7] Edd. *recte agens quam expediens.* Deinde pro *ergo dona non sunt priora virtutibus* codd. II Z bb *ergo dona sunt posteriora virtutibus*, multi alii codd. et edd. 1, 2 *ergo dona sunt priora virtutibus*, cod. K (a secunda manu) *ergo virtutes sunt priores donis.*

[8] Libr. III. Topic. c. 2: Et si optimum optimo melius, et simpliciter hoc illo melius, ut si optimus homo optimo equo melior, et simpliciter homo simpliciter equo melior. — De *minori* cfr. hic lit. Magistri, c. 5.

[9] Cfr. quaest. praeced. in corp.

[10] Vide infra d. 36. q. 1.

[11] Cfr. hic lit. Magistri, c. 5.

[12] Ita codd. F II K U Z bb, alii et edd. *comparationes.*

[13] Scil. in Glossa, supra in Matth. 6, 9. allegata, quae revera de donis et ordine, quo Isaias ea enumerat, loquitur. — Pro *accipiuntur* cod. V *accipi videntur;* in edd. deest *large.* Inferius pro *per cuius progressum* codd. F V *pro cuius progressu.*

que, sed pro operatione *expedita*, in qua consistit noster profectus, per cuius progressum *beatitudines* subsequuntur. Unde et *preces* illae impetrantes in virtutibus radicantur; alioquin non impetrarent nec efficaciter mererentur.

Duplex sanitas.

2. Ad illud quod obiicitur, quod prius est sanari quam bene operari; dicendum, quod illud verum est de *quadam* sanitate, et de quadam *alia* sanitate falsum. Est enim *sanari a morbo* et est *sanari a sequela morbi*. Cum ergo dicitur, quod prius est *sanari* quam *bene operari;* dicendum, quod hoc est verum de sanatione, quae consistit in amotione morbi et culpae; non autem de ea quae consistit in amotione symptomatis [1] et sequelae. Cum autem dicitur, quod dona sunt ad sanandum; hoc non intelligitur de sanatione primo modo, sed secundo. Et sic patet, quod illa ratio non concludit.

3. Ad illud quod obiicitur, quod prius est declinare a malo quam facere bonum; dicendum, quod hoc est verum; sed *declinare a malo* non solummodo est donorum, sed etiam virtutum, sicut patet de poenitentia et iustitia. Quod autem declinatio a malo attribuatur timori, hoc est propter *expeditionem*, quia donum timoris facit a malo faciliter declinare.

4. Ad illud quod obiicitur, quod generans est prius generato; dicendum, quod illud est verum de eo quod est generaliter principium generandi reliquum; sed scientia non est sic principium fidei. Nam in eodem prius est fides, quam sit scientia, quae est fidei generativa. Unde verbum Augustini intelligitur solum particulariter et respectu diversorum: quia scientia in praedicante via est ad generandum fidem in audiente [2].

5. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod intellectus praecedit affectum; dicendum, quod verum est quantum ad actus et habitus, qui sunt eiusdem coordinationis — unde cognitio dirigens ad affectionem est illi praeambula, propter quod prius est *credere* quam *amare* — sed de habitibus et actibus, qui non sunt eiusdem ordinationis, non habet veritatem, quia non est prius *videre* Deum quam *amare* Deum, immo e contrario [3]. Et quoniam habitus donorum et actus non sunt eiusdem coordinationis cum habitibus et actibus virtutum, quia actus virtutum sunt in primo gradu, actus vero donorum in medio; hinc est, quod non est necesse, dona esse priora virtutibus, quamvis habitus isti magis respiciant intellectum, et illi magis respiciant affectum [4].

QUAESTIO III.

Utrum virtutes sint excellentiores donis, an e converso.

Tertio quaeritur de comparatione donorum ad virtutes quantum ad praecellentiam, et est quaestio, utrum virtutes sint excellentiores donis, an e converso. Et quod habitus virtutum sint *excellentiores*, videtur:

Ad oppositum.

1. Primo per Apostolum, primae ad Corinthios duodecimo [5]: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro;* ibi Glossa: « *Demonstro vobis viam* eundi ad Deum, id est caritatem, quia maius omnibus donum est ». Si ergo caritas virtus est, videtur, quod virtutes sint excellentiores quam dona.

2. Item, Philosophus [6] definiens virtutem dicit, quod « virtus est dispositio perfecti ad optimum »; et alibi dicit, quod « perfectum est cui non potest fieri additio »; sed si aliqui habitus essent perfectiores ultra habitus virtutum, esset additio ad perfectum: restat ergo, quod dona non sunt virtutibus perfectiora.

3. Item, alibi [7] Philosophus dicit, quod « virtus est ultimum de potentia »; sed eo quod est ultimum in potentia, nihil est maius neque excellentius: ergo non videtur, quod ultra habitus virtutum possint esse aliqui habitus in anima maioris perfectionis et dignitatis.

4. Item, tanto habitus est excellentior et perfectior, quanto actus eius magis appropinquat ad medium; sed habitus virtutum maxime in medietate consistunt quantum ad suos actus [8]: ergo non videtur, quod ultra virtutes sint aliqui habitus excellentiores.

5. Item, nobilitas habituum attenditur quantum ad rationem gratuiti et meritorii; sed habitus virtutum maxime appropinquant ad gratiam, quia immediate fluunt ab ea, et circa actus virtutum maxime attenditur meritum, unde et caritas dicitur esse merendi principium [9]: ergo videtur, quod habitus virtutum excellentiores sint inter omnes alios habitus.

---

[1] Cfr. supra pag. 736, nota 7. — Superius pro *alia sanitate* codd. A bb *alia sanatione*, Vat. omittit *alia*.

[2] Cfr. supra d. 24. dub. 2. et 3. et praecipue infra d. 35. dub. 2.

[3] Vide supra lit. Magistri, d. XXIII. c. 8. seq. et d. XXIV. c. 3. — Paulo ante pro *eiusdem ordinationis* codd. I (K a secunda manu) L T Z aa bb *eiusdem coordinationis*, et superius pro *eiusdem coordinationis* codd. G V *eiusdem ordinationis*, ubi post *dirigens* cod. U omittit *ad*.

[4] Vide scholion ad 1. quaest.

[5] Vers. 31. — Glossa, sicuti hic affertur, invenitur apud Petr. Lombard. (in hunc loc.), additis tamen post *caritatem* verbis *excellentiorem praedictis*. Apud Lyranum prima pars Glossae habetur ut Glossa *interlinearis*, secunda ut *ordinaria;* apud Strabum secunda pars tantum habetur, pariter ut Glossa *ordinaria*.

[6] Libr. VII. Phys. text. 17. (c. 3.). Cfr. II. Sent. d. 27. dub. 3. — De altero dicto Philosophi vide supra pag. 95, nota 10.

[7] Libr. I. de Caelo et mundo, text. 116. (c. 11.). Vide tom. I. pag. 564, nota 7, et tom. II. pag. 671, nota 6.

[8] Vide Aristot., II. Ethic. c. 6. seqq. — Mox pro *ultra virtutes* edd. *ultra habitus virtutum*.

[9] Cfr. supra d. 27. a. 2. q. 1. et d. 33. q. 3.

6. Item, sicut se habet imago creationis ad *esse* naturae ipsius animae, sic se habet imago recreationis ad *esse* gratiae; sed imago creationis attenditur quantum ad id quod est excellentissimum in anima in *esse* naturae [1]: ergo imago recreationis attenditur quantum ad id quod est excellentissimum in anima in *esse* gratiae; imago autem recreationis attenditur quantum ad habitus virtutum theologicarum: videtur ergo, quod nulli habitus sint excellentiores illis habitibus.

Sed contra: 1. Bernardus in libro de Amore Dei, capitulo secundo [2]: « Amor proficit in caritatem, caritas proficit in sapientiam »; sed non est profectus nisi per progressum ad aliquid excellentius: ergo donum sapientiae est excellentius caritate; ergo simpliciter dona sunt excellentiora virtutibus, per considerationem Philosophi, quia, « si optimum in uno genere melius est optimo in alio genere, et simpliciter hoc illo melius ». Fundamenta.

2. Item, nobilitas et dignitas habituum dignoscitur per actus; sed actus donorum sunt excellentiores quam actus virtutum, sicut ex praecedentibus [3] patet, quia virtutes sunt ad actus primos, dona vero ad actus medios: ergo etc.

3. Item, quod se habet ex additione ad alterum in genere boni excellentius est illo, sicut « *bene vivere* melius est quam *vivere* [4] »: cum ergo dona se habeant per additionem ad virtutes, quia virtutibus sunt posteriora et sunt ad agendum expedite; ergo dona sunt perfectiora et excellentiora quam virtutes.

4. Item, illi habitus sunt excellentiores, qui faciunt hominem magis similem statui gloriae et perfectioni, quae fuit in Christo; sed dona sunt huiusmodi, quia omnia fuerunt in Christo et sunt in statu gloriae, quod non potest dici de virtutibus [5]: ergo videtur, quod dona sint excellentiora virtutibus.

CONCLUSIO.

Dona et virtutes quoad gratiam informantem sunt aequalis dignitatis; quoad actus egredientes unus habitus est nobilior altero; quoad status consequentes dona sunt virtutibus excellentiora.

Respondeo: Dicendum, quod de habitibus virtutum et donorum sub ratione dignitatis est loqui tripliciter secundum triplicem istorum habituum comparationem: aut in comparatione ad *gratiam* ipsos *habitus informantem* et gratuitos facientem, aut in comparatione ad *actus egredientes*, aut in comparatione ad *status consequentes*. Si in comparatione ad *gratiam* ipsos habitus *informantem;* cum ipsa sit una, reddens aequaliter animam acceptam Deo et eius potentiam et habitus et opera [6]; sic aequalis dignitatis et meriti sunt ceteri habitus existentes in eadem anima. — Si autem loquamur de ipsis in comparatione ad *actus egredientes;* sic unus habitus est nobilior altero, sicut virtutes theologicae sunt excellentiores cardinalibus, cum actus earum immediate tendant in Deum, et inter theologicas caritas est excellentissima. — Si autem loquamur quantum ad *status consequentes;* cum usus virtutum habeantur in statu imperfectionis, usus vero donorum promoveant [7] hominem ad statum perfectionis; sic dona sunt excellentiora virtutibus, sicut status proficientium perfectior est statu incipientium; et hoc est, quia status ille secundus praesupponit statum praecedentem. Unde sicut *bene esse* melius est quam *esse*, quia *bene esse* dicit *esse* et adhuc amplius; sic habitus reddentes potentias expeditas ad actus medios excellentiores sunt habitibus reddentibus eas expeditas [8] ad actus primos, non ratione eius quod addunt solum, sed ratione eius quod addunt et praesupponunt. — Unde concedendum est, quod hoc modo dona sunt excellentiora virtutibus, et rationes concedendae sunt, quae hoc ostendunt.

Triplex comparatio habituum. Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3. Ratio.

1. Ad illud quod obiicitur, quod caritas excellentior est omnibus donis; dicendum, quod Apostolus comparat caritatem ad illa quae possunt sine caritate haberi, sicut fides et spes et aliae virtutes, quae possunt sine caritate haberi [9]. Sed quia dona Spiritus sancti caritatem praesupponunt et ultra habitum caritatis aliquid addunt, sicut habitus sapientiae addit aptitudinem et promptitudinem ad faciliter degustandum, *quam suavis est Dominus;* hinc est, quod comparatio illa non habet hic locum, pro eo quod alterum in altero clauditur. Solutio oppositorum. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod virtus est dispositio perfecti ad optimum; dicendum, quod est perfectio *sufficientiae* et perfectio *excellentiae* et perfectio *superabundantiae* [10]. Prima est perfectio in genere et *secundum quid;* ultima vero est perfectio Triplex perfectio.

---

[1] Vide August., XIV. de Trin. c. 4. n. 6. et c. 8. n. 11. — De imagine *recreationis* cfr. supra d. 26. a. 1. q. 3. in corp., et II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3.

[2] Num. 3. Cfr. supra pag. 596, nota 7. — Sententia Philosophi invenitur III. Topic. c. 2. Cfr. supra pag. 740, nota 8.

[3] Quaest. 1. — De *maiori* vide supra pag. 470, nota 8. in fine.

[4] Aristot., III. Topic. c. 2. — De proposit. seq. vide quaest. praeced. — Paulo inferius pro *expedite* edd. *expedita*.

[5] Vide hic lit. Magistri, c. 3. et supra d. XXVII. c. 1. — Subinde pro *sint* codd. A G H K bb *sunt*.

[6] Vide II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. seq. — Mox pro *ceteri* edd. *cuncti;* cfr. supra pag. 680, nota 1. Inferius voci *cardinalibus* cod. A praemittit *virtutibus*.

[7] Multi codd. et edd. 1, 2 *promovent*, Vat. *promoveat* et etiam paulo ante cum pluribus codd. *habeatur* pro *habeantur*.

[8] Edd. subiungunt *primo*.

[9] Petr. Lombard. in I. Cor. 12, 31: *Et adhuc* [excellentiorem viam vobis demonstro], gradatim illos ad utiliora provehit ostendens, praedictas gratias non semper ad meritum pertinere, sed ad honorificentiam Dei... Unde in fine his qui dicent: *Domine, in nomine tuo prophetavimus...* dicet Dominus: *Recedite a me* etc. — Paulo inferius respicitur illud Ps. 33, 9: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. Cfr. infra d. 35. q. 1.

[10] Cfr. supra pag. 654, nota 7. Vide etiam Aristot., V. Metaph. text. 21. (IV. c. 16.).

simpliciter. Huic autem perfectioni, scilicet primae, aliquid potest addi, quia ultra sufficientiam necessitatis est excellentia supererogationis, quae illi potest superaddi. Cum ergo dicitur, quod perfecto non potest fieri additio; hoc non intelligitur de perfecto primo modo dicto, sed ultimo. Cum vero dicitur, quod virtus est dispositio perfecti ad optimum; hoc intelligitur primo modo, sed non ultimo; quia sic perficit, quod ad optimum disponit.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod virtus est ultimum potentiae; dicendum, quod illa definitio data est de virtute naturali [1]; et ideo non habet hic locum. — Aliter etiam potest dici, quod sicut habitus virtutum dicitur in medietate consistere, non quia sit medium *punctale*, sed quia ad medium punctale *appropinquat* [2]; sic etiam virtus dicitur ultimum de potentia, non quia ponat ipsam potentiam in summo, sed quia facit ipsam appropinquare ad summum. Et propterea ex hoc haberi non potest, quod ultra habitum virtutis non sit ponere alium habitum excellentiorem.

Alia solutio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod actus virtutis [3] maxime consistit in medietate; dicendum, quod illud est verum in eis habitibus, in quorum actibus potest esse excessus; hoc autem non est verum in omnibus actibus nec in omnibus virtutibus, sicut patet in virtutibus theologicis [4]; et propterea ratio illa non cogit, sicut patet: quia melius est servare continentiam virginalem, quae omnino videtur ad extremum declinare, quam continentiam coniugalem; melius est etiam omnia pro Deo relinquere quam quaedam dare, quaedam retinere. — Aliter potest dici, quod est medium *sufficientiae* et medium *excellentiae*. Medium *sufficientiae* est medium inter superfluum et diminutum; medium vero *excellentiae* est illud quod maxime recedit ab omni inaequalitate et ab omni imperfectione; et hoc medium magis attenditur quantum ad actus donorum et beatitudinum quam quantum ad actus virtutum.

Alia solutio. Duplex medium.

5. Ad illud quod obiicitur, quod ille habitus dignior est, qui plus habet gratuiti et meritorii; respondendum est *per interemptionem minoris* [5]: quia caritas, quae est in anima respectu habituum existentium in eadem, aequaliter influit et aequaliter eos reddit gratos et in actibus suis meritorios. Et *si obiiciat*, quod meritum primo attribuitur caritati; dicendum, quod hoc non obstat, quia, sicut dictum est [6], dona in actibus suis praesupponunt caritatem et eius actum, ac per hoc et meriti complementum.

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod imago recreationis, quae est nobilissima in *esse* gratiae, attenditur in virtutibus; dicendum, quod illud est verum quantum ad primum *esse* gratiae; verumtamen quantum ad maiorem profectum in bono non tantum consistit imago recreationis in anima in habitibus virtutum, sed etiam quantum ad habitus donorum et beatitudinum; quod patet, quia nostra cognitiva primo reparatur ad habitum fidei, et deinde amplius reparatur per donum intellectus, et post per munditiam cordis, quae disponit ad Deum contemplandum [7].

Notandum.

ARTICULUS II.

De donis in comparatione ad se invicem.

Consequenter quaeritur de donis secundum comparationem, quam habent ad se invicem. Et circa hanc [8] quaeruntur tria.

Primo quaeritur de donorum numero et distinctione.

Secundo quaeritur de ordine et combinatione.

Tertio quaeritur de ipsorum evacuatione sive duratione.

QUAESTIO I.

Utrum dona Spiritus sancti sint tantummodo septem.

Circa primum sic proceditur et ostenditur, quod dona sunt tantummodo *septem:*

Fundamenta.

1. Primo auctoritate Isaiae undecimo [9]: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus* etc., ubi septem dona enumerantur et non plura: si ergo omnia dona perfecte fuerunt in Christo: ergo videtur, quod numerus donorum completus sit in septenario.

2. Item, super illud Iob primo [10]: *Nati sunt ei septem filii;* Gregorius ibi: Septem filii Iob, spiritualiter intelligendo, sunt septem dona Spiritus sancti.

[1] Vide II. Sent. d. 27. dub. 3. — Pro *et ideo* codd. G I L T ad *et iam*.

[2] Vide Aristot., II. Ethic. c. 6. — Paulo inferius post *sed quia facit* codd. omittunt *ipsam*.

[3] Cod. Z *habitus virtutum*. Post pauca pro *in quorum actibus* Vat. *in quorum actus*.

[4] Cfr. supra d. 26. a. 1. q. 3. ad 1. et 2. nec non d. 27. a. 2. q. 3.

[5] Cfr. supra pag. 570, nota 6.

[6] Hic in corp. et in quaest. praeced.

[7] Cfr. supra pag. 737, nota 3. — Paulo superius pro *ad habitum* edd. cum aliquot codd. *per habitum*. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[8] Edd. cum paucis codd. *hoc*.

[9] Vers. 2.

[10] Vers. 2. — Verba Gregorii fusiora invenis in eius I. Moral. c. 27. n. 38.

3. Item, super illud Isaiae quarto [1]: *Apprehendent septem mulieres virum unum;* dicit Glossa, quod per septem mulieres intelliguntur septem dona Spiritus sancti.

4. Item, per rationem virtutum: quia dona sunt ad expeditionem virtutum: ergo cum virtutes sint tantummodo septem [2], videtur, quod dona septenarium numerum non excedant.

Sed contra: 1. Videtur, quod tantum deberent [3] esse *quinque:* quia dona respondent virtutibus: ergo cum duae sint tantummodo virtutes ex parte cognitivae, videlicet fides et prudentia; ergo tantum duo deberent esse dona ex parte intellectivae eis correspondentia, videlicet scientia et intellectus: superfluunt ergo duo dona alia, videlicet consilium et sapientia: ergo videtur, quod tantum sint *quinque.* Ad oppositum.

2. Item, videtur, quod deberent esse tantum *quatuor:* quia dona sunt contra sequelas vel symptomata, quae ex peccato relinquuntur; sed ista sunt quatuor tantum, videlicet ignorantia et infirmitas, malitia et concupiscentia, sicut dicit Beda [4]: ergo etc.

3. Item, videtur, quod deberent esse tantum *duo:* quia quot modis est reperire bonum, tot modis est reperire malum; sed tantummodo unum est donum, quod expedit contra malum, videlicet donum timoris: ergo videtur, quod unum solum deberet esse aliud [5], quod habilitaret ad bonum, et sic tantum *duo.* Et sic videtur, quod non sint septem, immo multo *pauciora.*

4. Item, videtur, quod *duplo plura* debeant esse. Si enim dona sunt ad expeditionem virtutum, et fides habet duo dona ipsam expedientia, videlicet intellectum et scientiam; videtur, quod quaelibet virtus deberet habere duo dona [6]: cum ergo virtutes sint septem, dona deberent esse *quatuordecim.*

5. Item, videtur, quod saltem deberent esse *duodecim:* quia quatuor dona sunt circa expeditionem rationalis, scilicet scientia et consilium, intellectus et sapientia: cum ergo quaelibet aliarum duarum virium indigeat expediri et sanari, sicut rationalis, cum quaelibet earum sit tantum vel magis infirma: ergo quaelibet earum debet habere quatuor dona. Et si quaelibet earum habet quatuor, cum ipsae sint tres [7]: ergo dona erunt *duodecim.*

6. Item, videtur, quod saltem deberent esse *decem:* quia, sicut ad perfectionem poenitentiae necessarius est timor, sic etiam necessaria sunt pudor et dolor [8] et gaudium ad hoc, quod homo poenitere valeat perfecte et expedite: igitur super haec dona videtur quod debeant esse alia tria. Cum ergo praedicta dona sint septem, aliis tribus superadditis, videtur, quod deberent esse *decem.*

Quaeritur ergo: quare tot sunt, nec plura nec pauciora? Quaestio connexa.

Conclusio.

Dona Spiritus sancti sunt tantum septem.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod numerus, distinctio et sufficientia donorum quadrupliciter accipitur [9] secundum ipsorum donorum comparationem quadruplicem. Habent enim dona primo comparari vel considerari respectu *habituum annexorum;* secundo respectu *suorum oppositorum;* tertio respectu *finium proximorum;* quarto respectu *actuum* et *obiectorum.* Quadruplex comparatio.

Per comparationem igitur ad *habitus annexos* sufficientia donorum dupliciter accipitur: uno modo, ut *unumquodque* donum *alicui virtuti* respondeat. Ut incipiamus a superiori, *sapientia* respondet caritati; *intellectus* fidei; *consilium* vero, propter hoc quod ordinat ad ea quae supererogationis sunt, in quibus spes aeternorum concipitur, respondet ipsi spei; *fortitudo* fortitudini; *scientia* prudentiae; *pietas* iustitiae; *timor* modestiae sive temperantiae. — Aliter possunt sumi, secundum quod ordinantur ad *expeditionem virtutum theologicarum:* quia enim *fides* credit temporalia et aeterna quantum ad articulos Divinitatis et humanitatis [10], duo habet expedientia, *intellectum* scilicet circa aeterna, et *scientiam* circa temporalia. Similiter *caritas* circa duo habet affici, videlicet circa Deum et circa proximum, et secundum hoc habet duo expedientia, videlicet *sapientiam* respectu Dei, et *pietatem* respectu proximi. *Spes* etiam potest dupliciter a statu suo everti, vel per extollentiam in prosperis, vel per depressionem in adversis; et ideo habet duo dona expedientia, unum contra prospera, scilicet donum *timoris,* alterum contra adversa, scilicet donum *fortitudinis.* Et ut omnia [11] expedite et sine errore currant, do- Comparatio 1. fit 1. modo. Item 2. modo.

---

[1] Vers. 1. — Glossa hic allegata *ordinaria* est apud Strabum et Lyranum; sumta est ex Hieronymi Comment. in hunc loc.

[2] Tres nimirum theologicae et quatuor cardinales. — Post *per rationem virtutum* codd. U Z supplent *videtur.*

[3] Ita codd. H I L T, cod. Z *debeant,* in aliis *debent.*

[4] Cfr. tom. II. pag. 721, nota 6. — Quoad proposit. praecedentem vide supra a. 1. q. 1. in corp.

[5] In edd. et nonnullis codd. desideratur *aliud.* In fine arg. pro *non sint* permulti codd. *non sunt.*

[6] Codd. W aa bb omittunt *dona,* pro quo plurimi codd. *alia.*

[7] Scil. rationalis, concupiscibilis et irascibilis.

[8] S. Bonav., Incend. amoris, c. 2: Deploratio miseriae... haec tria debet habere, scil. dolorem, pudorem et timorem; dolorem propter damnum sive incommodum, pudorem propter opprobrium sive inhonestum, timorem propter periculum sive reatum etc. Cfr. Bernard., Serm. in Cantic. serm. 16. n. 4. seqq. — Paulo inferius pro *debeant* cod. K *deberent.*

[9] Codd. A U *accipiuntur.* Paulo post plurimi codd. omittunt *primo.*

[10] Cfr. supra d. 24. a. 1. q. 2. et d. 25. a. 1. q. 1. — Mox pro *Similiter* edd. *Sic.*

[11] Cod. A *magis.* Post pauca pro *expeditio* edd. *expediens.*

num *consilii* his sex donis superadditur, ut simul sit in omnibus praedictis expeditio cum maturitate. Et haec est prima via accipiendi donorum sufficientiam. — Huic tamen viae satis potest inferri calumnia, quia solummodo videtur ibi esse quaedam adaptationis congruentia.

Iudicium de his.

Secunda autem via accipiendi sufficientiam donorum est respectu *suorum oppositorum*. Et hoc potest similiter dupliciter fieri, videlicet respectu *peccatorum capitalium*, vel respectu *symptomatum consequentium*. Respectu *peccatorum* sic, ut *timor* sit contra superbiam; *pietas* contra invidiam; *scientia* contra iram, quae mentem perturbat; *fortitudo* contra accidiam, quae mentem deiicit; *consilium* contra avaritiam, quae contra divinum consilium vult omnia retinere; *intellectus* contra gulam et ebrietatem, quae rationem suffocant; sed *sapientia* contra luxuriam, cui non sapiunt nisi carnalia.

Comparatio 2. fit 1. modo.

Alius modus sumendi est contra *symptomata*, quem assignat Gregorius in Moralibus [1] super illud: *Ventus vehemens* etc.: « Spiritus, qui ante omnia mentem virtutibus ornat, eandem contra singula tentamenta septem virtutibus roborat ». Et post subdit: « Contra stultitiam *sapientia*, contra hebetudinem *intellectus*, contra praecipitationem *consilium*, contra pusillanimitatem *fortitudo*, contra ignorantiam *scientia*, contra duritiam *pietas*, contra superbiam *timor* ». Et nota, quod *superbia* accipitur ibi non pro vitio capitali, sed pro pronitate. — Hic autem modus sumendi, etsi satis idoneus sit, tamen calumniabilis est uterque. Primus calumniabilis est, quia dona non sunt directe contra peccata. Uterque etiam est calumniabilis, quia quasi *a posteriori* sumitur; et est ibi quaedam circulatio [2], quia ita bene sumitur sufficientia et numerus peccatorum et illarum poenalitatum per comparationem ad dona, sicut e contrario.

Item 2. modo.

Iudicium de his.

Tertia via sumendi sufficientiam donorum est per comparationem ad *fines proximos;* et hoc potest esse dupliciter. Dona enim, sicut dictum est [3], sunt uno modo ordinata ad *patiendum conformiter Christo*. Christus autem habuit haec septem dona, secundum quae esset perfecte dispositus ad patiendum. Quod enim primo movit Christum ad patiendum fuit omnimoda obedientia et subiectio respectu Patris, et quantum ad hoc fuit donum *timoris*. Secundum vero, quod movebat, erat compassio humani generis, et quantum ad hoc erat donum *pietatis*. His autem duobus praesuppositis, non restabat nisi aggressio passionis, et quantum ad hanc attenditur [4] donum *fortitudinis*. Post hoc autem erat delectatio in impletione voluntatis paternae et nostra liberatione, et quantum ad hanc est donum *sapientiae*. Ad haec autem *dirigenda* necessaria erant alia dona tanquam directiva, videlicet *scientia*, quae est directiva pietatis, et *consilium*, quod est directivum fortitudinis, et *intellectus*, qui est praeambulum respectu sapientiae.

Comparatio 3. fit 1. modo.

Alius modus sumendi iuxta hanc viam est, quia dona sunt ad *expediendum* et expedite perveniendum *in ultimum finem*, et secundum hoc distinguuntur: quia aut expediunt *contra malum*, aut *ad bonum*. Si *contra malum;* sic est *timor*. Si *ad bonum;* aut ad bonum quod est *finis*, aut ad bonum, quod est *ad finem*. Si ad bonum, quod est *finis;* aut per modum *videntis*, aut per modum *gustantis*. Primo modo est *intellectus;* secundo modo *sapientia*. Si ad bonum, quod est *ad finem;* hoc potest esse dupliciter: aut quia illud bonum est *supererogationis*, aut *necessitatis*. Si *supererogationis*, hoc dupliciter: quia donum ad illud bonum aut se habet per modum *dirigentis*, et sic est *consilium;* aut per modum *exsequentis* sive aggredientis, et sic est *fortitudo*. Si vero sit bonum *necessitatis*, similiter est dupliciter: quia aut donum se habet respectu illius boni per modum *regulantis*, et sic est *scientia;* aut per modum *exsequentis*, et sic est *pietas*, cuius est exhibere opera misericordiae, sicut dicit Gregorius in Moralibus [5].

Item 2. modo.

Comparatio 4. fit 1. modo.

Quarta via sumendi sufficientiam donorum est per comparationem ad *actus proprios*. Actus autem, circa quos consistunt ipsa dona, dupliciter possunt distingui: aut secundum distinctionem *virium animae*, aut secundum distinctionem *duplicis vitae*, *activae* videlicet et *contemplativae*. Secundum [6] distinctionem *virium animae* sic. Cum sit in nobis triplex vis, videlicet *irascibilis*, *concupiscibilis* et *rationalis;* *concupiscibilis* dupliciter impeditur in opere suo: aut quia non *compatitur malo*, aut quia non *gustat bonum;* et sic duplex est donum ordinatum ad expediendum eius actum: unum, per quod expeditur ad *gustandum bonum*, et hoc est *sapientia;* aliud, per quod expeditur ad *compatiendum malo*, et hoc est *pietas*. Similiter *irascibilis* dupliciter impeditur in actu suo recto: aut quia *evanescit* in prosperitate et effertur in altum, aut quia in adversitate *deficit* et deiicitur in imum. *Timor* igitur datur ei, ut expedite currat in prosperis; *fortitudo*, ut expedite currat in adversis. *Rationalis* autem tripliciter habet impediri: aut propter *ignorantiam* in cognoscendis, aut propter *praecipitationem* in deliberandis, aut propter *hebetudinem* in investigandis; et ideo datur ei triplex donum, videlicet donum *scientiae*, ut expediatur in cognoscendo; et donum

[1] Libr. II. c. 49. n. 77. Cfr. supra pag. 740, nota 5. Locus Scripturae est Iob 1, 19. — Paulo superius pro *cui non sapiunt* edd. *quae non sapit.*

[2] Cfr. Aristot., II. Prior. c. 5, et II. Poster. c. 13. (c. 11.). — Pro *circulatio* edd. 1, 2 *circumlocutio*, codd. W Y *quaedam adaptatio et circulatio.*

[3] Art. 1. q. 4. in corp. — Paulo post pro *secundum quae esset* edd. *secundum quae erat.*

[4] Complures codd. et edd. 1. 2 *et quantum ad hanc artem* [cod. G *partem*] *dicitur* [edd. 1, 2 *datur*]. Subinde pro *Post hoc* codd. A I K L Z aa *Post haec.*

[5] Libr. I. c. 32. n. 44.

[6] Codd. U V *Si secundum.*

consilii, ut expediatur in deliberando; et donum *intellectus*, ut expediatur in sublimia perscrutando.

tem 2. modo. Aliter sumitur distinctio donorum secundum distinctionem duplicis *vitae*, videlicet *activae* et *contemplativae*. Si quantum ad vitam *contemplativam*; sic est triplex actus correspondens actui hierarchico, videlicet *illuminare*, *purgare* et *perficere*[1], et secundum hoc triplex donum: unum, quod *disponit ad purgationem*, et hoc est *timor*; aliud, quod attenditur secundum *actum illuminandi*, et hoc est *intellectus*; tertium, quod attenditur secundum *actum perficiendi*, et hoc est *sapientia*. — Secundum autem vitam *activam* distinguuntur actus: quia quidam sunt *necessitatis*, et quidam *supererogationis*; et respectu utrorumque est donum *exsequens* et *dirigens*[2], et sic sunt quatuor dona, quae cum aliis tribus faciunt septem.

Aliter secundum ult. modum. Vel aliter: in vita *activa* oportet alii *communicare bona* et *sustinere mala*; et secundum hoc sunt duo dona: *pietas* ad bona communicanda, et *fortitudo* ad mala toleranda. Et haec duo habent duo *directiva*, ut sic quatuor sint dona expedientia ad actus vitae *activae*, et tria ad actus vitae *contemplativae* per quandam correspondentiam ad ipsum *esse* naturae, ut — sicut ex parte corporis reperitur in nobis quaternitas principiorum, et ex parte animae trinitas potentiarum, et sic in septenario intelliguntur omnia quae constituunt hominem in vita naturae[3] — sic etiam in septenario numero sint dona sancti Spiritus, quae expediunt hominem quantum ad vitam gratiae, ita quod tria sunt ex parte vitae spiritualis et interioris sive contemplativae, correspondentia ad tres potentias animae; quatuor vero respectu vitae activae, correspondentia quadruplici principio constitutivo corporis. — Et in hoc eodem

Idem numerus in virtutibus, beatitudinibus etc. numero propter perfectam integritatem[4] est numerus *virtutum* et numerus *beatitudinum* et numerus *petitionum* in oratione dominica et numerus *Sacramentorum*. Et contra hoc est numerus *peccatorum capitalium* et numerus *septem symptomatum* sive sequelarum, quas ponit Gregorius in Moralibus[5]. Et

Figura. ad haec omnia praefiguranda praecessit in primordio conditionis totius *esse* numerus septem *dierum* propter septiformem illuminationem gratiae, quae est in nobis ex illius lucis supernae irradiatione.

Sic igitur patet, quod quadruplex est via sumendi donorum sufficientiam, et octo modi, inter quos nescio si aliquis est, qui satisfacit curioso perscrutatori. Hoc tamen constat, secundum quod auctoritates dicunt, quod dona Spiritus sancti sunt tantum septem, nec plura nec pauciora. Iudicium de omnibus.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod deberent esse tantum quinque, quia duo solum deberent respicere cognitionem; dicendum, quod sicut iam patet, quod alius et alius est modus sumendi sufficientiam *virtutum* et sufficientiam *donorum*. Quia enim *dona* ad expediendum sunt; et expeditio maxime fit per ea quae dirigunt et viam[6] ostendunt: ideo plura *dona* respiciunt cognitionem quam affectionem; sed econtra est de *virtutibus*, quia sunt ad rectificandum; et rectitudo maxime consistit circa voluntatem et affectionem: et ideo non est simile hinc et inde.

2. Ad illud quod obiicitur, quod deberent esse quatuor contra quatuor, quae sunt nobis inflicta pro peccato; dicendum, quod etsi tantum sint quatuor principalia, multa tamen sunt symptomata et sequelae ex peccatis derelicta in potentiis animae, ad illa quatuor consequentia; quia ratio non solum infirmatur per ignorantiam, sed etiam per hebetudinem[7] et praecipitationem.

3. Ad illud quod obiicitur, quod tantum deberent esse duo, quia unum est solum, quod revocat a malo; dicendum, quod non est simile: quia unus est modus fugiendi malum, sed tamen multi sunt modi prosequendi[8] bonum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod deberent esse quatuordecim, cum duo sint expeditiva fidei; dicendum, quod propria ratio sumendi sufficientiam donorum non est penes expeditionem *virtutum*, sed magis penes expeditionem ipsarum *potentiarum* in suis actibus. — Verumtamen, si velimus sustinere, Aliter. quod dona distinguantur penes expeditionem *virtutum*; tunc respondendum est *per interemptionem*[9], quia non sunt duo expedientia fidem, sed tantum unum, ut unicuique virtuti respondeat suum donum secundum modum in praecedentibus assignatum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod deberent esse duodecim, quia quaelibet vis animae deberet habere quatuor; respondendum est, quod non est simile:

---

[1] Secundum Dionysium; cfr. tom. II. pag. 127, nota 2.

[2] Vide paulo superius, ubi tertia via sumendi describitur, in fine. — Pro *respectu utrorumque* cod. X *respectu utriusque*. Vat., superius post *supererogationis* male additis verbis *et ad primos disponit pietas sive donum pietatis, ad secundos vero disponit fortitudo*, hic glossando subiungit: *Nam respectu primorum exsequens est pietas, dirigens vero est scientia sive donum scientiae. Respectu autem secundorum exsequens est fortitudo, dirigens vero est consilium.* — De donis, quatenus vitae activae et contemplativae adaptantur, cfr. Eadmer., de S. Anselmi similitudinibus (inter opera Anselmi), c. 132.

[3] Cfr. August., II. Quaest. Evangel. q. 6. — Superius pro *ad ipsum esse* cod. A *ad primum esse*; subinde pro *ut sicut* sane multi codd. substituerunt *et sicut*, quorum tamen plures infra non, ut deberent, exhibent modo indicativo *sunt dona sancti Spiritus*, sed nobiscum *sint dona sancti Spiritus*.

[4] August., V. Quaest. in Pentateuch. q. 42: Ideo namque [septenarius] perhibetur perfectus, quia ex his duobus constat: ternario, scil. primo impari toto, et quaternario, primo pari toto. Cfr. XI. de Civ. Dei, c. 31. Vide etiam S. Bonav., Hexaëm. serm. 16.

[5] Libr. II. c. 49. n. 77. Vide superius descriptionem comparationis secundae, in fine. — Circa finem corp. pro *satisfacit* codd. A Z *satisfaciat*.

[6] Plurimi codd. *eam*.

[7] Edd. *hebetationem*.

[8] Cod. M *consequendi*.

[9] Vide supra pag. 570, nota 6. — Circa initium solut. pro *expeditiva* cod. V *expedientia*.

quia, cum rationalis regat se et alias [1], plura sibi occurrunt impedimenta: et ideo videtur, quod plura habeat dona expedientia.

6. Ad illud quod obiicitur, quod deberent esse decem propter tres alias affectiones, videlicet gaudium, dolorem et pudorem: dicendum, quod non est simile de illis affectionibus [2] et timore. Nam duae illarum, videlicet dolor et pudor, propter suam imperfectionem non possunt rationem *doni* habere, sed magis respiciunt *Sacramentum poenitentiae*; gaudium vero, quia dicit statum et quietem, magis debet inter *fructus* [3] quam inter *dona* Spiritus computari.

SCHOLION.

1. Postquam auctor octo modos sufficientiam huius septenarii numeri demonstrandi enumeravit, in fine addit: « Inter quos nescio si aliquis est, qui satisfacit curioso perscrutatori ». Idem in Breviloq. (p. V. c. 5.) docet, ex septiformi causa septenarium numerum convenientem esse, cum anima nostra indigeat septiformiter expediri. « Indiget namque expediri contra vitiorum obliquitates — quantum ad vires naturales — quoad superadditas virtutes — in patiendo — in agendo — in contemplando — et utroque modo »; quorum explanationem videsis ibid. — Numerus septenarius donorum tum Scriptura (Isai. 11, 2.), ut exhibetur in textu Graeco et Latino, tum traditione usuque Ecclesiae consecratus est. « Ceterum non nisi sex dona in Hebraeo recensentur, cum *timor Domini* bis repetatur; quam repetitionem vitaturi Septuaginta et S. Hieronymus semel reddiderunt *spiritus pietatis* » (ita Calmet in cit. locum Isai.). Quibus addi potest, vocem Hebraicam amplioris esse significationis, ut exprimat tum reverentiam (pietatem) tum timorem. Hinc tamen plures acatholici auctores sumserunt ansam septenarium donorum numerum impugnandi.

II. De eadem quaestione: S. Thom., hic q. 1. a. 2; S. I. II. q. 68. a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Durand., hic q. 2.

QUAESTIO II.

De donorum ordinatione et combinatione.

Secundo quaeritur de donorum ordine et combinatione, quae duo valde signanter innuit Isaias in praedictorum donorum enumeratione, undecimo capitulo [4], ubi sic ait de Christo: *Requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini.*

Argg. contra ordinem.

1. Primo obiicitur contra *ordinem*: quia, cum progressus ordinatus debeat esse [5] ab inferiori ad superius, et donum *sapientiae* sit maximum, donum vero *timoris* minimum: cum ergo donum *sapientiae* ponat primo loco, donum vero *timoris* postremo; non videtur dona ordinare ordine recto.

2. Item, habitus spectans ad cognitionem praecedit habitum, qui spectat ad affectionem: cum ergo *sapientia*, a *sapore* [6] dicta, spectet ad potentiam affectivam, *intellectus* vero spectet ad potentiam cognitivam: videtur, quod donum *intellectus* esset dono *sapientiae* praeponendum.

3. Item, aut dona ordinantur secundum ordinem *dignitatis* maioris et minoris, aut secundum ordinem *prioritatis* et *posterioritatis* [7]. Si *primo* modo: ergo cum maioris perfectionis sit *fortitudo* quam *consilium*, et *pietas* quam *scientia*, deberent ei praeponi et non postponi. Si secundum ordinem *prioritatis* et *posterioritatis*; sic, cum illud quod est ex parte cognitivae, praecedat illud quod est ex parte affectivae: videtur, quod *intellectus* praeponi debeat *sapientiae*. Quodsi *tu dicas*, quod *intellectus* praeponitur *sapientiae* in ascendendo; tunc similiter quaeritur: quare non praeponitur *scientia pietati*, et *consilium fortitudini* in ascendendo, sed magis e contrario?

Argg. contra combinationem.

4. Item, obiicitur contra *combinationem*: quia habitus virtutum ad invicem non combinantur, immo singillatim distinguuntur: ergo pari ratione nec habitus donorum.

5. Item, si dona combinantur ad invicem; cum combinatio non sit nisi in numero pari, ergo videtur, quod deberent esse plura quam septem.

6. Item, cum quodlibet donum spectans ad affectionem habeat suum directivum [8], videtur, quod et donum *timoris* deberet suum directivum habere, cum quo combinaretur; quod si non habet, videtur, quod nec alia deberent habere.

Quaestiones de ratione.

Quaeritur ergo, quae sit ratio *combinandi* et *ordinandi* dona; et quare magis huiusmodi *combinatio* et *ordo* assignantur [9] in habitibus donorum quam in differentiis aliorum habituum gratuitorum.

---

[1] Cfr. supra pag. 720, nota 1.

[2] Edd. *affectibus*.

[3] Gal. 5, 22. 23: Fructus autem Spiritus est: caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.

[4] Vers. 2. 3.

[5] Cod. Z *incipere*.

[6] Cfr. supra pag. 612, nota 3. — Edd. perperam *sapere*. Paulo post pro *esset* cod. U *sit*, edd. *est*.

[7] Vide Aristot., de Praedicam. c. *de Priori*, et V. Metaph. text. 16. (IV. c. 11.).

[8] Edd. adiiciunt *cum quo combinetur*.

[9] Cod. A subdit *potius*.

CONCLUSIO.

Dona Spiritus sancti recte ordinantur et combinantur secundum assignationem Isaiae.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est
Conclusio 1. notandum, quod in donis est ordo secundum gradum *excellentiae* et dignitatis; et hoc quantum ad ipsorum donorum *usus*, secundum quos anima habet collocari in statu perfectiori et digniori, utpote secundum usum doni sapientiae altius elevatur quam secundum usum doni timoris. Ad usum enim illius doni a nemine pervenitur, nisi prius in usu timoris exercitium praemittatur. Cum ergo in eis sit ordo secundum gradus *excellentiae* et dignitatis; non casu et fortuna, sed valde rationabiliter quae-
Conclusio 2. dam dona quibusdam aliis praemittuntur; et modo sic, modo contrarie ordinantur, non propter praeposterationem ordinis, sed propter diversam rationem ordinandi. Sicut enim dicit Augustinus de sermone Domini in monte [1], aliquando enumeratio donorum incipit a *primo*, utpote a timore, sicut innuit Dominus in Matthaeo; aliquando a *summo*, utpote a sapientia, sicut scribitur in Isaia.

Uterque modus ordinandi rectus et congruus
Ratio ordinandi triplex. est, et hoc triplici ratione: tum propter diversum modum *accipiendi prius* et *posterius*; tum propter diversitatem modi *ascendendi* et *descendendi* a superiori ad inferius; tum propter diversitatem *prin-*
Prima. *cipiorum* respectu ipsius habitus. — Primo propter diversum modum *accipiendi prius* et *posterius*; quoniam sicut vult Philosophus [2], aliquid est prius *generatione* et *tempore*; aliquid est prius *complemento* et *definitione* sive dignitate. Primo modo donum *timoris* est primum quantum ad usum, secundo vero modo donum *sapientiae*. Et secundum hanc duplicem acceptionem eius quod est *prius*, ordo donorum duplex est [3], et utroque modo ratio-
Secunda. nabiliter inchoatur. — Propter diversum modum *ascendendi* et *descendendi* habent diversimode ordinari. Quia enim in donis attenduntur gradus *excellentiae* et dignitatis; et ordo in ascendendo est ab inferiori ad superius, in descendendo vero est a superiori ad inferius: hinc est, quod aliquando praemittitur donum *supremum*, aliquando *infimum*. Utrumque tamen fit secundum ordinem rectum et
Tertia. congruum. — Propter diversitatem autem *principii efficientis* et *subiecti suscipientis* similiter habent diversimode ordinari; quia *principium producens* est ipse Spiritus sanctus, in quo est summa perfectio; *subiectum suscipiens* est ipsum liberum arbitrium, in quo est imperfectio. Potest ergo in ordine praeponi donum, quod magis approximat perfectioni Spiritus sancti; et sic praemittitur donum *sapientiae*, quod est perfectissimum. Potest etiam nihilominus praemitti donum, quod magis approximat imperfectioni liberi arbitrii, et hoc quidem est donum *timoris*.

Et sic patet, quod *ordo* est in donis, et quod etiam ordo in enumerando servatur, sive quis incipiat a dono *timoris*, sive quis incipiat a dono *sapientiae*. Nec tantum est in eis ordo, verum etiam Conclusio 3.
cum ordine est in eis *combinatio*. Quia enim dona Ratio combinandi.
sunt ad expediendum, sicut in praecedentibus [4] fuit dictum; et qui vult expedite procedere, necesse est, ut praecognoscat et praevideat viam: hinc est, quod dona habent sua directiva sibi per appropriationem deputata, et quod quaedam in donis sunt *regentia*, quaedam *recta*, sive quaedam *regulantia*, quaedam *exsequentia*. In cuius rei signum Propheta dona enumeravit cum quadam *combinatione* et distinctione, sancto Spiritu instigante. — Concedendum est igitur, quod dona recte *ordinantur* et *combinantur* secundum assignationem propheticam. Et per haec quae dicta sunt, patet pro magna [5] parte responsio ad obiecta.

1. Ad illud enim quod primo obiicitur, quod Solutio oppositorum de ordine.
progressus ordinatus debet esse ab inferiori ad superius; dicendum, quod illud est verum in ascendendo, et quando aliqua ordinantur secundum ordinem generationis; hoc autem non est verum in descendendo, et quando aliqua ordinantur secundum dignitatis ordinem; et hoc secundo modo est ordo in donis, sicut iam tactum est in praedictis.

2. Ad illud ergo quod obiicitur, quod habitus spectans ad cognitionem praecedit habitum, qui spectat ad affectionem; dicendum, quod illud est verum de habitibus pure affectivis, qui indigent alio regulante, sicut patet in pietate et fortitudine; hoc autem non habet locum in habitu *sapientiae*, quoniam ipsa Notandum.
habet intra se cognitionem *experientiae*, quae adeo dirigit et allicit, quod circa usum illius doni vix aut nunquam habet error accidere. Et propter hoc dicit quaedam Glossa [6], quod donum *sapientiae* donum *intellectus* habet dirigere; quod ideo dictum est, quia cognitio *experimentalis* de divina suavitate amplificat cognitionem speculativam de divina veri-

---

[1] Libr. I. c. 4. n. 11: Sed interest ordinis; nam ibi [in Isaia] enumeratio ab excellentioribus coepit, hic [in Matth. 5, 3.] vero ab inferioribus. Ibi namque incipit a sapientia et desinit ad timorem Dei; sed *initium sapientiae timor Domini* [Eccli. 1, 16.] est etc. Cfr. Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 7. — Mox pro *a primo* Vat. substituit *ab infimo* et paulo inferius post *Uterque* interserit cum edd. 1, 2 *tamen*.

[2] Vide supra pag. 747, nota 6.

[3] Vat. *dupliciter assignatur vel est duplex*.

[4] Quaest. praeced. et a. 1. q. 1.

[5] Edd. *maiori*.

[6] B. Albert., hic a. 4: *Glossa quaedam super Isaiam*; sed Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum in Isai. 11, 2. (sumta ex Hieronymo) nihil huiusmodi dicit. A re autem non multum aliena esse videntur illa verba Gregorii, I. Moral. c. 32. n. 45: « Valde inutilis intellectus est, si ex sapientia non subsistat, quia, cum altiora sine sapientiae pondere penetrat, sua illum levitas gravius ruiturum levat ». Idem Gregorius, II. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 7. verba Isai. 11, 2. exponens, de intellectu et sapientia dicit: Ab intellectu ergo ascendatur ad sapientiam, ut hoc quod acute intellectus invenit, sapientia mature disponat. Cfr. infra lit. Magistri, d. XXXV. c. 2. et ibid. Comment. q. 1. et 3. — Superius pro *alio regulante* codd. H K Z *aliquo regulante*.

tate; secreta enim Dei amicis et familiaribus consueverunt revelari.

3. Ad illud quod ulterius quaeritur, quod aut ordinantur secundum ordinem dignitatis etc.; dicendum, quod Isaias ordinat ea secundum ordinem *dignitatis*, sicut tactum est supra; nec valet illa instantia, quam adducit de *pietate* respectu *scientiae*, et *fortitudine* [1] respectu *consilii*. Nam illa duo merito praeponuntur aliis duobus ordine dignitatis, sicut regens praeponitur exsequenti.

4. Ad illud quod obiicitur de *combinatione*, De combinatione. quod virtutes non combinantur, ergo nec dona; dicendum, quod non est simile, quia maior exigitur concursus habituum ad operationis rectificationem et expeditionem quam ad rectificationem solum. *Rectitudo* enim consistit in ordine potentiae ad obiectum, Notandum. sed *expeditio* non tantum in hoc consistit, sed etiam in hoc et in adiutorio habitus annexi.

5. Ad illud quod obiicitur, quod tunc deberent esse octo; dicendum, quod illud est verum, si quodlibet donum haberet cui combinaretur; sed donum *timoris* alii non combinatur, quia non habet donum directivum sibi appropriatum.

Sed tunc restat quaestio, unde hoc sit, sicut ultimo quaerebatur. Ad hoc autem dicendum, quod non est simile de dono timoris et de aliis, quia, cum sit infimum inter dona, satis habet dirigi per habitum fidei [2]; non sic autem est de donis excellentioribus. — Praeterea, licet respectu oppositorum sit alia et alia affectio, una tamen potest esse oppositorum cognitio; ideo per habitus cognitivos, per quos diriguntur et regulantur alii habitus affectivi expedientes ad bonum, dirigi et regulari habet donum *timoris*, quod expedit ad fugiendum malum; et hac de causa non habet donum directivum distinctum a directivis aliorum donorum.

Quaestio incidens solvitur.

Ratio 2.

SCHOLION.

1. Haec quaestio versatur circa duo, scilicet tum circa *ordinem dignitatis* donorum, et de hoc agit S. Thom. (S. I. II. q. 68. a. 7.) quaerens: Utrum dignitas donorum attendatur secundum enumerationem Isaiae 11; tum circa eorum *combinationem*, cum in loco Isaiae bina dona copulentur voci *Spiritus*, excepto dono *timoris*; de qua exceptione in fine quaestionis specialiter agitur (cfr. S. Thom., hic q. 1. a. 2. ad 3.).

De eadem quaestione: B. Albert., hic a. 4; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 2.

II. Circa seq. (3.) quaestionem communiter docetur, quod omnia ista dona in patria sint quoad *habitum* perfectissimum, et etiam quoad eos *actus*, qui non sunt circa materiam repugnantem statui gloriae. Ex quo S. Thom. (hic q. 1. a. 3.) ad mentem nostri Doctoris infert, quod dona, quae pertinent ad vitam *activam*, non remanebunt quoad actus, quos habent circa *propriam materiam*; remanebunt tamen quoad «actus, quos habent circa Deum, qui est mensura operationis in illis». — Sed Durand. (hic q. 3.) asserit, *nullum* remanere actum quatuor donorum, nempe consilii, fortitudinis, pietatis et timoris, quia ipse putat, nihil impedire, quin habitus ibi remaneat sine actu (cfr. supra d. 31. a. 2. q. 1, scholion).

De hac (3.) quaestione praeter locos citt.: S. Thom., S. I. II. q. 68. a. 6. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 5. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO III.

Utrum dona Spiritus sancti maneant in Beatis.

Tertio quaeritur de donorum evacuatione, et est quaestio, utrum dona maneant in Beatis. Et quod sic, videtur:

1. Auctoritate Ambrosii, quam Magister ponit in Fundamenta. littera [3], ibi: «Civitas Dei, illa Ierusalem caelestis, non meatu alicuius fluvii terrestris abluitur, sed ex fonte vitae procedens Spiritus sanctus in illis caelestibus spiritibus redundantius videtur influere, pleno septem virtutum spiritualium fervens meatu»; et post exponit, quod intelligit de donis Spiritus sancti.

2. Item, Christus fuit perfectissimus comprehensor; et tamen in ipso fuerunt omnia septem dona, secundum quod scribitur Isaiae undecimo [4]: ergo videtur, quod multo fortius stare possint in quolibet alio Beato.

3. Item, perfectiores sunt habitus donorum quam habitus virtutum cardinalium; sed habitus cardinalium manebunt in patria, sicut ostensum fuit supra [5]: ergo et dona.

4. Item, *timor* est donum infimum inter omnia; sed *timor* in patria manebit, secundum quod dicitur in Psalmo [6]: *Timor Domini sanctus permanet in saeculum saeculi*: ergo videtur, quod omnia alia dona maneant, per locum *a minori*.

Sed contra: 1. Habitus donorum ordinantur ad sanandum symptomata, sicut dictum est supra [7]; sed Ad oppositum.

---

[1] Sic Vat. rectius quam codd. et edd. 1, 2, qui exhibent *fortitudinis*.

[2] Cfr. hic litt. Magistri, c. 5. — De ratione seq. vide supra d. 26. a. 2. q. 1. ad 1. et 2. — Inferius pro *habitus cognitivos* codd. A F H I L V Z aa bb *habitus cognitionis*.

[3] Hic c. 2.

[4] Vers. 2. Cfr. hic litt. Magistri, c. 3. — In fine arg. pro *possint* codd. A K N *possunt*.

[5] Dist. 33. q. 6. — *Maior* probata est supra a. 1. q. 3. — Post *sed habitus* codd. A U adiiciunt *virtutum*.

[6] Psalm. 18, 10. — Pro *permanet* edd. et nonnulli codd. cum Vulgata *permanens*. — Cfr. infra p. II. huius dist. a. 2. q. 3. — De loco *a minori* vide tom. I. pag. 835, nota 5.

[7] Art. 1. q. 1. — In fine arg. post *quod essent* cod. A subdit *ibi*.

in patria nulla erit infirmitas: ergo nulla erit donorum necessitas nec utilitas. Si igitur ibi manerent, videtur, quod essent frustra.

2. Item, dona, ut dictum est prius [1], sunt ad actus medios; sed in patria omnes actus nostri erunt perfecti et ultimati: non erunt igitur in patria habitus donorum, sed potius transibunt in habitus beatitudinum.

3. Item, specialiter ostenditur de dono *intellectus:* si enim per donum *intellectus* cognoscitur Deus *in* creaturis et *per* creaturas [2]; cum in patria cognoscatur Deus in sua essentia, videtur, quod donum *intellectus* non maneat in illa beatitudine summa.

4. Item, obiicitur de dono *consilii,* quia donum consilii est dubitantis et conferentis [3]: si ergo in patria non erit defectus dubitationis nec decursus collationis, ergo videtur, quod donum *consilii* ibi non habeat reperiri.

5. Item, donum *fortitudinis* expedit nos ad pericula sustinenda [4]; sed in illa beatitudine non erunt pericula: ergo etc.

6. Item, obiicitur de dono *scientiae:* quia scientia docet « conversari *in medio nationis pravae et perversae* », secundum quod habetur in distinctione sequenti [5]; sed in patria non erit natio prava et perversa, cum qua sit conversandum: ergo non videtur, quod ibi manere debeat scientiae donum.

7. Item, donum *pietatis* est ad compatiendum proximo [6]; sed in patria propter summam impassibilitatem nulla poterit esse compassio: aut ergo non erit ibi *pietas,* aut nulla erit illius doni utilitas.

8. Item, donum *timoris* est ad retrahendum a malo [7]; in patria autem nulla poterit esse ad malum obliquatio: ergo videtur, quod omnino fiat ibi *timoris* evacuatio.

CONCLUSIO.

Dona Spiritus sancti manebunt in patria, sed cum actibus excellentioribus, quam sunt in via.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio, sicut dicit Ambrosius et Magister [8], dona manebunt in patria, verumtamen secundum nobiliores et excellentiores usus et actus, quam sint in via, sicut prius [9] dictum fuit de cardinalibus virtutibus.

Et *si tu quaeras,* quae sit horum habituum necessitas, cum ad perfectam beatitudinem sufficiat Deum videre et amare et tenere perfecte; attendendum est ad hoc, quod multo maioris abundantiae est perfectio *gloriae* quam perfectio *gratiae;* perfectio autem *gratiae* ratione suae dignitatis et eminentiae tribuit homini omnes habitus facientes ad integritatem iustitiae secundum comparationem variam ad actus et obiecta, et secundum status et opportunitates, quae reperiuntur in statu viae: multo igitur fortius *gloria,* quae reddit animum per omnia deiformem et bonis omnibus abundantem et in nullo deficientem, habitus perfectos [10] in anima exigit reperiri secundum omnem ipsius comparationem. Et propterea *virtutes* et *dona* et *beatitudines* quantum ad omnes habitus, qui sunt in statu viae et non habent quid essentiale repugnans perfectioni gloriae, in ipsa *gloria* perficiuntur et consummantur; et quia omnia *dona* sunt huiusmodi, sicut patet, quia omnia fuerunt in Christo, in quo fuit perfectae beatitudinis plenitudo: hinc est, quod rationabiliter dicitur et communiter tenetur, quod dona in patria non evacuabuntur, sed perfectius remanebunt. — Unde rationes, quae hoc ostendunt, concedendae sunt. Datur ratio

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod dona sunt ad sanandum; dicendum, quod perfectae medicinae usus est non tantum in restituendo sanitatem, sed etiam in praeservando et continuando [11]. Unde dona in statu *innocentiae* fuissent ad sanitatem praeservandam, in statu vero *naturae lapsae* sunt ad sanitatem reparandam, in statu vero *gloriae* erunt ad sanitatem continuandam perpetuo. Licet enim in illo statu non sit aegritudinis curatio, est tamen in illo sempiternae salutis continuatio. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod dona sunt ad actus medios, et omnes actus gloriae erunt perfecti; dicendum, quod sicut in statu *viae* quoddam genus operis dignitate et actu alterum antecellit, sic erit et in statu *gloriae;* sicut etiam possumus videre in membris eiusdem corporis. Unde sicut membra eiusdem corporis omnia perfecta erunt, et tamen unum membrum quodammodo excellentius altero iudicabitur, sicut oculus excellentior pede: sic etiam intelligendum est in patria, quod actus *virtutum, donorum* et *beatitudinum* ibidem omnes perficientur; et tamen nihil prohibebit, quod [12] quantum ad genus

---

[1] Art. 1. q. 1.

[2] Cfr. infra lit. Magistri, d. XXXV. c. 2, et ibid. Comment. q. 3.

[3] Secundum Damascenum; vide infra d. 35. q. 4. arg. 2. ad oppos. — Pro *obiicitur* cod. U *ostenditur.* Mox pro *dubitationis* codd. U Z *dubietatis,* et pro *decursus* codd. I L R S aa *defectus,* edd. *discursus* (cfr. supra pag. 686, nota 2.).

[4] Cfr. infra d. 35. q. 5.

[5] Lit. Magistri, c. 1. Cfr. ibid. Comment. q. 2. Respicitur Phil. 2, 15.

[6] Ut ostenditur infra d. 35. q. 6. — Mox pro *poterit* cod. K *debet.*

[7] Prov. 15, 27: Per timorem autem Domini declinat omnis a malo.

[8] Hic c. 2. et 3, ubi etiam Ambrosii verba habentur.

[9] Dist. 33. q. 6. — Mox pro *Et si tu quaeras* [edd. *dicas*] cod. O *Et si quis quaerat.* Paulo inferius pro *perfectio autem* cod. K *cum ergo perfectio.*

[10] Codd. H U V Y Z aa bb *perfectionis.* Inferius pro *quid essentiale* cod. K *esse essentiale.*

[11] August., Enarrat. in Ps. 7. n. 10: Duo sunt officia medicinae, unum quo sanatur infirmitas, alterum quo sanitas custoditur. — De proposit. seq. cfr. II. Sent. d. 29. a. 3. q. 1. seq. — Post pauca pro *reparandam* cod. K *recuperandam.*

[12] Codd. X Y *quin.* Paulo ante pro *perficientur* plures codd. *perficiuntur,* edd. *perficiantur.* Circa finem solut. pro *et operum* codd. A K *et operationum,* et subinde pariter pro *operis* cod. X *operationis;* demum pro *anteponi* cod. A *praeponi.*

operis quidam actus priores, et quidam medii, et quidam ultimi dicantur. Si enim ad omnes bonas operationes et laudabiles animae illi statui convenientes erimus expediti; quid mirum, si in tanta varietate actuum et operum quantum ad genus operis potest unus actus alteri anteponi?

3. Ad illud quod obiicitur de dono *intellectus*, dicendum, quod quamvis in statu *viae* donum intellectus fiat per decursum et quandam inquisitionem; in *patria* tamen erit per simplicem aspectum, ubi Deus in omnibus creaturis videbitur manifeste. Unde, sicut dicit Philosophus [1], « si essemus supra lunam, non quaereremus, propter quid eclipsaretur, quia videremus simplici aspectu interpositionem terrae »; sic, immo multo excellentius, in proposito intelligendum est. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de dono *consilii*, dicendum, quod in consilio duo sunt, videlicet quaedam partium ponderata *discussio*, et excellens et stabilis melioris et dignioris *partis electio*; et primum est imperfectionis et tolletur, secundum vero perfectionis et manebit. Primum enim non est de essentia consilii-doni, sed secundum [2]. Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur de dono *fortitudinis*, quod in patria non manebit, quia nulla sunt ibi pericula sustinenda; dicendum, quod sicut dictum est [3] de *virtute fortitudinis*, ita de *fortitudine-dono* intelligendum est, quod excellentior eius usus erit in patria. Donum enim fortitudinis disponet ad hoc, quod homo fortiter Deo adhaereat et inseparabiliter, et hoc non tantum secundum sufficientiam, sed etiam secundum excellentiam; et ideo non superfluit in patria. Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur de dono *scientiae*, dicendum, quod conversari in medio nationis pravae et perversae, hoc est eius, prout est in statu *viae*. In *patria* vero eius usus erit ad sciendum et discernendum, quomodo et qualiter unusquisque debeat ad alterum se habere, non ad malos, qui erunt extra illam supernam civitatem, sed ad bonos, qui in illa civitate superna per omnia concordabunt [4]. Notandum.

7. Ad illud quod obiicitur de dono *pietatis*, dicendum, quod ad donum pietatis non solummodo spectat compati patienti, sed etiam affectum quendam benignitatis et dulcedinis habere ad omnem hominem, in quo conspicit imaginem Dei; hoc autem non tantum spectat ad statum *viae*, verum etiam ad statum *patriae*, et secundum illum actum manebit, non quantum ad alterum. Notandum.

8. Ad illud quod obiicitur de *timore*, quod non retrahet ibi a malo; dicendum, quod usus timoris non erit ibi quantum ad *mali cautelam*, sed potius quantum ad *summi ardui reverentiam*, ita quod ab illa summa Maiestate faciet resilire in propriam parvitatem. Hoc autem melius manifestabitur, quando infra [5] quaeretur de dono *timoris* specialiter; nunc autem tantum sufficiat dixisse de evacuatione donorum in generali. Notandum.

Possent autem de istis sex problemata formari, ut primo quaereretur de evacuatione doni *intellectus*, deinde de evacuatione doni *consilii*, et sic de singulis donis. Melius est tamen de his simul quaerere, propter hoc quod unam generalem habent solutionem; et in distinctione [6] problematum magis est attendenda solutionis utilitas, quam ratiocinationum verbositas augenda [7]. Nota.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit in verbo Isaiae: *Replebit eum spiritus timoris Domini*. Cum enim ita bene fuerit plenus aliis donis, sicut dono timoris; quare [8] magis illo dono dicit fuisse repletum? — Item, cum Spiritus Domini requiescat in humili, sicut alibi idem dicit sexagesimo sexto [9]; videtur, quod potius debuisset attribuere dono timoris verbum *requiescendi*; fecit autem e converso: quaeritur, unde hoc?

Respondeo: Dicendum, quod quia donum timoris videtur esse cuiusdam imperfectionis [10], ne quis crederet, in ipso donum illud non fuisse perfecte; ideo ad excludendum errorem magis posuit ibi verbum *replendi* quam circa aliud donum. — Alia est etiam ratio, quia dona dabantur Christo, ut perfecte disponeretur ad patiendum et sustinendum humilitatem passionis, quam ipse principaliter in hoc mundo Ratio 2.

[1] Libr. I. Poster. c. 24. (c. 34.), ubi ad demonstrandum, quod sensui non conveniat scientia proprie dicta, ait: « Quoniam si esset sentire triangulum, quod duobus rectis haberet aequales angulos, quaereremus utique demonstrationem... Sentire enim necesse est *singulariter*, scientia autem est in cognoscendo *universale*. Unde etsi super lunam essemus et videremus obiectam terram, non utique *sciremus* causam defectus; sentiremus enim, quoniam deficeret [in hoc particulari casu], sed non propter quid omnino [universaliter]; non enim universalis [rei est] sensus » etc. Loquitur ergo Aristoteles de cognitione *universali*, S. Bonaventura autem de cognitione *particulari*. Cfr. supra pag. 682, nota 5. — Inferius pro *excellentius* cod. bb *fortius*.

[2] Cfr. infra d. 35. q. 4. ad 2.

[3] Dist. 33. q. 6. Cfr. ibid. lit. Magistri, c. 3.

[4] Edd. *concordabuntur*.

[5] Part. II. huius dist. a. 2. q. 3. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3. et 8.

[6] Cod. A *definitione*, Vat. *determinatione*, quae etiam in fine solut. cum aliquibus codd. (plures codd. hic sunt dubiae lectionis) pro *augenda* substituit *augmentanda*.

[7] Vide schollon ad praecedentem quaest.

[8] Codd. W Z *quaeritur, quare*.

[9] Vers. 2: Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu etc. Cfr. ibid. 57, 15.

[10] Cfr. infra p. II. a. 1. q. 1. seqq. — Mox pro *in ipso* cod. U *in Christo*, et paulo inferius post *replendi* idem cod. U supplet *circa donum timoris*.

venit ostendere et docere. Ut ergo manifestaretur veritas, dicit, eum spiritu timoris repletum fuisse, quia timor inter omnia dona maxime expedit ad humilitatem [1]. Duplici ergo ex causa verbum illud dono timoris *appropriat*, quamvis omnibus conveniat, videlicet propter *erroris exclusionem* et propter *veritatis manifestationem*, quae sunt duae causae faciendi *appropriationem* [2].

Ad illud quod obiicitur, quod magis deberet isti appropriari verbum *requiescendi;* dicendum, quod donum timendi praeparat locum alii [3]; et quia *locus* non dicitur proprie *quiescere*, sed magis *locatum* in loco: hinc est, quod verbum *quiescendi* magis attribuit Spiritui in aliis donis quam in dono timoris.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Servilis timor principium est sapientiae.* Hoc enim videtur falsum, quia *sapientia* non est in peccatore, *servilis* autem *timor* in peccatoribus reperitur [4]: ergo male dicitur, quod *timor servilis* sit principium sapientiae. — Item, nobilius est principium quam principiatum, vel saltem aeque nobile [5]; sed *timor servilis* non est magis nobilis nec tantum, quantum *sapientia:* ergo male dicitur, quod sit principium sapientiae.

Respondeo: Dicendum, quod timor dicitur esse principium sapientiae, pro eo quod *disponit* ad suscipiendam sapientiam et recedendum a culpa. Unde sicut dispositio potest quodam modo dici principium respectu eius, ad quod disponit; sic etiam timor dicitur sapientiae esse principium [6]. Notandum.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod principium et principiatum possunt se compati in eodem; dicendum, quod est principium *intra* et principium *extra*. De principio *intra* habet veritatem; de eo autem, quod est principium *extra*, solummodo locum praeparans, veritatem non habet. Et hoc modo, non primo dicitur timor principium sapientiae [7]. Distinctio.

Ad illud quod obiicitur, quod principium est magis nobile, vel aeque quam principiatum; dicendum, quod est principium *disponens* et principium *efficiens et perficiens;* illud autem verum est de principio *perficiente*, non autem verum est de principio *disponente* [8]. Distinctio.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quidam tantum secundum effectum timorem in Christo et in Angelis esse contendunt.* Et videtur, quod dicant veritatem, quia, secundum quod dicitur primae Ioannis quarto [9], affectus *timoris poenam habet;* sed in Christo iam glorificato et in Angelis beatis nulla est affectio poenalis: ergo non est timor quantum ad *affectum,* sed solum quantum ad *effectum,* ut dicunt. — Sed in contrarium huius arguitur: quia unumquodque donum nobilius est quantum ad sui *essentiam* quam quantum ad *effectum:* si ergo donum timoris est in Christo et in Angelis quantum ad *effectum*, multo fortius est in illis quantum ad *affectum.*

Respondeo: Dicendum, quod in timore duplex est *affectus* et duplex etiam *effectus.* Est enim *affectus* unus, qui attenditur in quadam resilitione mentis a *malo;* alius, qui attenditur in quadam resilitione a summe *arduo.* Primi timoris *effectus* est malum respuere; secundi timoris *effectus* est facere Deo subiacere et eidem obedire. Unus autem solus istorum *affectuum* convenit patriae, licet uterque affectus conveniat isti statui [10]. Et sic rationes ad utramque partem possunt dissolvi. Duplex affectus et effectus.

---

[1] Cfr. hic lit. Magistri, c. 3. circa finem, et supra a. 2. q. 3. ad 8. nec non p. II. a. 2. q. 2. in corp.

[2] Vide I. Sent. d. 34. q. 3.

[3] Ut insinuat August., hic in lit. Magistri, c. 5. — De proposit. seq. cfr. Aristot., IV. Phys. text. 30. seqq. (c. 4.). — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 5. quaestiunc. 2; Petr. a Tar., hic circa lit.

[4] Vide infra p. II. a. 1. q. 1. et ibid. dub. 2. — Proxime post pro *dicitur* codd. A X *dicit.*

[5] Cfr. supra pag. 722, nota 8.

[6] Eccli. 1, 27: Timor Domini expellit peccatum. Vide infra p. II. a. 1. q. 1. ad 1. — Mox verbo *obiicitur* cod. X praefigit *primo.*

[7] Cfr. hic lit. Magistri, c. 5, et 7. nec non infra p. II dub. 5.

[8] De hoc dubio cfr. S. Thom., hic circa lit.; Petr. a Tar., hic circa lit.

[9] Vers. 18: Timor poenam habet. — In *minori* pro *affectio poenalis* cod. K *affectio poenae.*

[10] Vide infra p. II. a. 2. q. 3. et dub. 1. — Pro *istorum affectuum* edd. *istorum effectuum.* — De hoc dubio cfr. B. Albert., hic a. 5.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXIV.

PARS II.

De dono timoris specialiter.

Et quia de timore occurrit nobis tractandi locus etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 732.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de donis in generali, in hac vero parte agit de dono timoris in speciali. Dividitur autem ista pars in partes tres. In quarum prima Magister assignat diversos modos timendi. In secunda vero inquirit diversitatem [1] illorum modorum, ibi: *De his eisdem timoribus latius* etc. In tertia vero quaerit, secundum quam istarum differentiarum timor in Christo fuerit, ibi: *Illud quoque diligenter notandum est* etc.

Prima pars dividitur in duas. In quarum prima ponit distinctionem timorum secundum quatuor differentias. In secunda vero reducit illas quatuor ad duas, ibi: *Et attende, quod hic quatuor distinguuntur timores* etc.

Secunda vero pars principalis, in qua inquirit differentiam inter membra prius assignata, dividitur in partes quatuor. In quarum prima assignat differentiam inter timorem servilem et castum [2]. In secunda vero inducit quandam auctoritatem, quae videtur esse praecedentibus contraria, et intellectum eius determinat, ibi: *Est autem et alia sententia, quae videtur esse huic contraria.* In tertia vero ad maiorem istorum evidentiam subiungit exempla, ibi: *Non potes melius explanare* [3] etc. In quarta vero et ultima subiungit cuiusdam alterius auctoritatis expositionem ad habendum de praedictis evidentiam plenariam, ibi: *Sciendum tamen est, quod uterque timor* etc.

Tertia vero pars principalis dividi habet in partes duas. In quarum prima ostendit, quod in Christo fuit timor *reverentiae* [4]. In secunda vero inquirit, qualiter in Christo fuerit timor *poenae*, ibi: *Cum autem in Christo fuerit timor poenae* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis, in qua agitur de dono timoris, incidit hic quaestio circa duo.

Primo enim quaeritur de timore informi sive servili, qui est cum peccato.

Secundo vero quaeritur de timore gratuito, qui datur cum Spiritu Sancto.

Circa primum quaeruntur tria.

Primum est de timore servili per comparationem ad suum principium.

Secundum est de timore servili per comparationem ad suum usum.

Tertium est de eodem timore per comparationem ad gratiae complementum.

ARTICULUS I.

De timore informi sive servili.

QUAESTIO I.

Utrum timor servilis sit donum Spiritus sancti divinitus datum.

Circa primum sic proceditur et quaeritur de timore servili per comparationem ad eius principium, utrum scilicet sit donum Spiritus sancti divinitus datum. Et quod sic, videtur:

Fundamenta.

1. Primo per Glossam super illud ad Romanos octavo [5]: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore;* ibi Glossa: «Cave, ne ex eo quod ait spiritum *servitutis* et spiritum *adoptionis*, diversum

---

[1] Cod. F *differentiam.*

[2] Edd. addunt *tangens interdum de initiali.*

[3] Fere omnes codd., discedentes a textu Magistri, *Non potest melius explanari.* Mox pro *expositionem* cod. A *explanationem.*

[4] In Vat. desunt verba *fuit timor... in Christo fuerit.*

[5] Vers. 15. — De Glossa, quae apud Petr. Lombard. integra, apud Strabum autem et Lyranum ex parte tantum habetur, vide August., II. Qq. in Pentateuch. q. 55. — Superius post *utrum scilicet* edd. repetunt *timor servilis.*

intelligas spiritum, cum sit unus atque idem Spiritus »: si ergo spiritus adoptionis est donum Spiritus sancti, ex hac Glossa videtur necessario posse concludi, quod ab eodem sit timor servilis.

2. Item, Augustinus dicit, et habetur in littera [1]: « Bonus est timor servilis et utilis, per quem fit paulatim consuetudo iustitiae »; sed *omne datum optimum et omne donum perfectum est desursum*: ergo timor servilis desursum descendit.

3. Item, hoc ipsum videtur probari auctoritate veteris Testamenti, quia, sicut dicitur Ecclesiastici primo [2]: *Radix sapientiae est timere Deum;* et Proverbiorum decimo quinto: *In timore Domini declinat omnis a malo;* et Isaiae vigesimo sexto: *A timore tuo, Domine, concepimus et parturivimus spiritum salutis:* si ergo timor servilis est initium sapientiae et facit declinare a malo et bonum concipere, et hoc totum non est nisi a dono Dei; videtur ergo, quod timor servilis sit donum Spiritus sancti.

4. Item, non solum a Deo est gratia *cooperans*, sed etiam gratia voluntatem *praeparans* [3]: ergo non solummodo a Deo erit timor ille qui regit hominem in statu iustitiae, sed etiam qui praeparat ad illum statum: cum ergo timor servilis sit huiusmodi, videtur, quod timor servilis sit donum Spiritus sancti.

5. Item, plus est timere Deum quam credere — multi enim credunt, qui non timent — sed fides, qua quis credit, etiam in statu peccati datur homini desursum [4]: ergo et donum, per quod timet. Sed timor servilis est huiusmodi: ergo etc.

Sed contra: 1. Omne donum Spiritus sancti potest stare cum Spiritu sancto, quia Spiritus sanctus non repugnat suis donis; sed quando Spiritus sanctus infunditur, tunc timor servilis expellitur, sicut dicit Augustinus, et habetur in littera [5]: ergo timor servilis non est donum Spiritus sancti.

Ad oppositum.

2. Item, omne donum Spiritus sancti habet exemplar correspondens in Deo; sed timor servilis non habet exemplar correspondens in Deo, nec in quantum timor nec in quantum servilis — in Deo enim nullus est pavor, nulla est servitus — ergo etc.

3. Item, omne donum Spiritus sancti datur ad habilitandum animam ad aliquid arduum et excellens [6]; sed timor potius consistit in depressione quam in aliqua erectione, et potius est ex virtutis indigentia quam ex sufficientia: videtur ergo, quod timor servilis non sit donum Spiritus sancti.

4. Item, sicut contingit Deum timere propter poenas, quas infligit; sic etiam contingit amare propter beneficia, quae nobis tribuit etiam in statu peccati; sed amor ille, qui est propter temporalia, non ponitur inter Spiritus sancti dona: ergo nec timor servilis, qui principaliter habet oculum ad poenam.

5. Item, sicut aliquis dimittit transgredi mandata Dei propter timorem poenarum aeternarum, sic latro dimittit transgredi edictum regis propter timorem furcarum; sed timor, quo latro timet furari, ne suspendatur, non ponitur esse donum Spiritus sancti: ergo similiter videtur de illo timore, quo quis timet peccare, ne aeternaliter puniatur, immo videtur multo fortiori ratione, quia, si malum faciliter timetur, maius malum multo facilius timetur. Cum ergo maius malum sint poenae aeternae quam temporales; si non egemus dono ad timendum poenas temporales, multo magis videtur, quod non indigeamus [7] ad timendum poenas aeternas [8].

---

[1] Hic c. 4. — Locus Scripturae est Iac. 1, 17.

[2] Vers. 25. Vat. adducit verba versus 16: Principium sapientiae timor Domini. — Seq. locus est Prov. 15, 27: Per timorem autem Domini declinat etc. — Tertius locus est Isai. 26, 17. seq. et in Vulgata sic sonat: Sicut quae concipit... sic facti sumus a facie tua, Domine; concepimus et quasi parturivimus et peperimus spiritum, salutes non fecimus in terra etc. S. Bonav. reddit hunc locum secundum translationem septuaginta interpretum.

[3] Vide II. Sent. lit. Magistri, d. XXVII. c. 1, et ibid. Comment. dub. 1. — Quantum ad seqq. cfr. hic lit. Magistri, c. 5. et 7. — Paulo inferius post *praeparat* cod. Z supplet *hominem*.

[4] Cfr. supra d. 23. a. 2. q. 2.

[5] Hic c. 5.

[6] Cfr. supra p. I. huius dist. a. 1. q. 1. et 3.

[7] Cod. K supplet *dono timoris*.

[8] Loco ultimae propositionis in solo cod. S hic adiiciuntur seqq. 9 argg. ad oppositum, et infra in fine quaestionis etiam solutiones, quas ibi in nota apposuimus. Errores non paucos, qui in cod. sunt, quantum licuit, coniectando correximus; restant adhuc nonnulli, ut videtur.

6. Item, dicit Gregorius [cfr. supra p. I. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1.], quod dona dantur in adiutorium potentiarum animae contra defectus ex peccato contractos; sed timor non dicit adiutorium potentiam aliquam roborans, sed potius defectum et desperationem adiutorii: ergo etc. *Minor* patet per illud Sapientiae decimo septimo [v. 11.]: *Nihil... est timor nisi* praesumtionis adiutorium, *proditio cogitationis auxiliorum;* sensus enim huius definitionis secundum expositores est, quod timor *adiuvat praesumere* mala, id est suspicare incommoda, et *prodit*, id est subtrahit vel deficit, secundum quod *traditor* dicitur proditor cogitationis de auxilio.

7. Item, ad quod sufficit natura non solum humana, sed quaecumque, non indiget dono; sed omnis natura naturaliter timet poenas, quas sibi suspicatur inferendas, et fugit eas, quantum potest: ergo non indiget homo hoc dono. — Quodsi *dicat*, quod indiget dono ad credendum poenas aeternas, quas non videt nec experitur; *contra* hoc est, quod istud non pertinet ad timorem, sed ad fidem.

8. Item, super illud Psalmi: *In te, Domine, speravi* etc.; Glossa [August., Ps. 30. Enarrat. 2. n. 3.]: « Spes a Deo est et donum Dei, quod autem times, est a te ipso »; sed quod homo a se habet non reputatur inter dona Dei nec completa nec incompleta, prout modo loquimur: ergo timor non est donum.

9. Item, omnia dona fuerunt in Christo; timor servilis non: ergo etc.

10. Item, dona sunt bona maxima; non timor servilis.

11. Item, quod tollit a bono rationem boni, non est donum Dei: hoc facit timor, quia, etsi bonum est quod facit quis tali timore, non tamen bene facit, ut dicitur in littera [c. 6.].

12. Item, Dionysius [de Div. Nom. c. 4. § 19.]: « Optimi est optima adducere »; et Iacobi primo [v. 17.]: *Omne datum optimum* etc.; sed talis timor non est optimus.

13. Item, Damascenus [III. de Fide orthod. c. 23.]: Timor est desiderium secundum *systolem*, id est contractionem

CONCLUSIO.

Timor servilis est donum Spiritus sancti, licet imperfectum.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio timor servilis est donum Spiritus sancti. — Et ratio huius est: quoniam, sicut donum Dei est nosse sive credere poenas futuras [1], pro eo quod est ibi quaedam cordis illuminatio et directio; sic donum Dei est illas poenas aeternas refugere et timere, pro eo quod ex tali dono est quaedam *cordis emollitio*, et *fluxus concupiscentialis restrictio*, et in hoc quaedam *rectificatio*. Quod enim ibi sit *emollitio*, satis innuit Isaias [2] propheta, cum dicit: *Indurasti cor nostrum, ut non timeremus te.* Quod ibi sit *fluxus concupiscentialis restrictio*, innuit Propheta in Psalmo, cum dicit: *Confige timore tuo carnes meas;* quod quidem non solum fit timore casto, sed etiam servili, quo timentur aeterna supplicia, et timentur divina iudicia. Et propter illorum timorem *cessat* homo a *peccatorum perpetratione*, licet non omnino cesset a voluntate, sicut dicit Glossa [3]; quod totum est ex divino munere. — Ideo concedendae sunt rationes ad hanc partem inductae.

Conclusio.

Ratio.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod timor servilis non manet cum Spiritu sancto; dicendum, quod dona Spiritus sancti sunt in multiplici differentia. Quoddam namque donum est *a* Spiritu sancto, sed non *cum* Spiritu sancto, quia praeparat ad Spiritum sanctum; et tale donum est timor servilis secundum quod huiusmodi. Quoddam autem est donum, quod est *a* Spiritu sancto et *semper cum* Spiritu sancto, quia per ipsum consecratur habitaculum Spiritui sancto, sicut est donum caritatis. Quoddam vero est donum, quod est *a* Spiritu sancto et *aliquando cum* Spiritu sancto, *aliquando sine* Spiritu sancto, sicut donum, quod est ad Spiritus sancti manifestationem, et est ordinatum non solum ad propriam utilitatem, sed etiam ad alienam, sicut donum prophetiae et donum scientiae, quae aliquando in bonis, aliquando in malis reperiri habent. — Cum ergo dicitur, quod donum Spiritus sancti compatitur se cum Spiritu sancto; dicendum, quod illud habet instantiam in eo dono, quod ordinatur ad habitationem Spiritui sancto *praeparandam.* — Posset etiam aliter dici, quod timor servilis, etsi in quantum *servilis* est, non possit stare cum Spiritu sancto propter annexam imperfectionem, quae dicit repugnantiam ad statum gratiae; tamen quantum ad *aliquid sui* nihil prohibet, ipsum cum Spiritu sancto stare, sicut infra [4] melius manifestabitur; et quantum ad hoc est donum eius.

Solutio oppositorum.

Differentiae tres donorum.

Alia solutio.

2. Ad illud quod obiicitur, quod omne donum Spiritus sancti habet exemplar correspondens in Deo; dicendum, quod si illud *specialiter* intelligatur quantum ad omnem eius proprietatem, sic non est verum; sed si *generaliter* intelligatur, utpote quod dicatur illud habere exemplar in Deo, quod habet aliquid *correspondens* sibi vel secundum se, vel secundum suum genus; sic veritatem habere potest [5]. Et hoc modo timor potest habere exemplar in Deo, quia qui timet elongatur a malo et stat intra fines proprios, ita quod supra se non erigitur. Utrumque autem istorum contingit reperire in Deo, quia Deus a malo maxime elongatur et nullo modo supra se ipsum erigitur: ideo, dum per timorem Deo subiicimur, eidem assimilamur; et talis assimilatio sufficit ad hoc, quod timor habeat sufficientem rationem doni.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod omne donum Spiritus sancti datur ad habilitandum animam ad aliquod arduum et excellens; dicendum, quod sicut *inordinate amare* est magnae lasciviae, sed *ordinate amare* est magnae virtutis et excellentiae; sic *inordinate timere* est segnitiei et ignaviae, *ordinate* vero *timere* magnae est excellentiae [6]. Qui enim Deum veraciter timet nihil terrenum et caducum timet, immo ex ipso timore Dei ipsis timoribus supereffertur. Ideo, licet actus timoris videatur pertinere ad quandam defectibilitatem, secundum veritatem tamen pertinet ad excellentiam et nobilitatem; et quia in timore servili incipit homo Deum ipsum timere, hinc est, quod donum Spiritus sancti est, licet imperfectum.

Notandum.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod sicut contingit Deum timere propter poenas, ita et amare propter beneficia; dicendum, quod sicut [7] *beneficia* quaedam

et depressionem, movens; dona autem Dei exigunt et extendunt animam: ergo non est donum.

14, Item, si dicat, quod est donum incompletum; *contra*: incompletum, cum accedit ad completum, fit pars completi et de eius substantia; timor servilis non, immo recedit, veniente caritate: ergo non est etc.

[1] Cod. U *aeternas*. Paulo inferius post *sic donum Dei est* codd. A U subdunt *nosse*, et dein pro *refugere* substituunt *fugere*.

[2] Cap. 63, 17. — Locus Psalmi est Ps. 118, 120.

[3] Verba Glossae *ordinariae*, delibatae ex August., Enarrat. in Ps. 118, 120. serm. 25. n. 7. haec sunt: « Timor namque iste, quo non amatur iustitia, sed timetur poena, servilis est, quia carnalis est; et ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quae tunc apparet in opere, quando speratur impunitas. Cum vero poena creditur secutura, latenter vivit; vivit tamen. Mallet enim licere, et dolet non licere, quod lex vetat; quia non spiritualiter delectatur eius bono, sed carnaliter malum metuit quod minatur ». Et paulo ante (n. 6.) Augustinus dicit: Cognita itaque Dei gratia, *quae sola liberat a praevaricatione*, quae legis cognitione committitur, orando dicit: *Confige clavis a timore tuo carnes meas.* — Pro *et timentur divina iudicia* edd. *et timetur divina iustitia*.

[4] Quaest. 3.

[5] Cfr. I. Sent. d. 36. a. 3. q. 2. — Aliquanto superius pro *quod si* multi codd. incongrue *quod etsi*. Paulo inferius pro *non erigitur* cod. A *non erigatur*.

[6] Vide Aristot., III. Ethic. c. 7. — In fine solut. pro *licet* nonnulli codd. et Vat. *sed*.

[7] In multis codd. deest *sicut*, in codd. U V etiam *beneficia*. Inferius pro *contemnunt* codd. U Z *despiciunt*.

sunt praesentia, quaedam futura, quaedam, quae videntur, quaedam, quae exspectantur; sic etiam et
Notandum. *poenae.* Et si quis timeat Deum solummodo propter poenas *praesentes,* quas iam expertus est, hoc non habet necessario ex dono; sed cum timet propter supplicia *futura,* quae credit infligenda esse omnibus qui contemnunt divinam iustitiam: sic et in *amore*[1] intelligendum est, quod amor *aeternorum* bonorum etiam donum Dei est; amor vero *praesentium* potest esse ex ipso naturali affectu. Et ideo ex hoc non potest concludi, quod timor servilis non sit donum, quia timore servili non timentur tantum temporalia supplicia, sed etiam aeterna, sicut tactum est supra.

5. Ad illud quod obiicitur de latrone, qui timet furari propter suspendium; dicendum, quod non est simile, sicut iam tactum est, quia naturali cognitione et aestimatione latro cognoscit illud supplicium[2] et reformidat; non sic autem est de supplicio infernali, immo oportet, quod iuvetur per fidem; et amplius, quod cor quodam modo mollificetur, ut exhorreat illa supplicia ad fidei instinctum. Propterea ratio illa non valet, quia non est simile hinc et inde[3]. Notandum.

SCHOLION.

I. Concilium Trid. (Sess. VI. c. 6.) docet, *dispositionem* ad iustificationem esse talem timorem, quo peccatores « a divinae iustitiae timore, quo *utiliter* concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in *spem* eriguntur; fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem... dum *proponunt...* inchoare novam vitam et servare divina mandata ». Insuper (ibid. can. 8.) decernit: « Si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere; a. s. ». — Ad rem faciunt plures a S. Sede proscriptae propositiones; ut inter damnatas ab Alexandro VIII. (7. Dec. 1690) prop. 14: « Timor gehennae non est supernaturalis »; inter Quesnellianas prop. 61: « Timor nisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore iustitiae non ducitur »; nec non prop. 62: « Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo et iam est reus coram Deo » (cfr. propp. 63-66, et Synodi Pistoriens. prop. 25.). Hanc perpetuam Ecclesiae doctrinam Scholastici probaverunt et posteriorum adversariorum obiectiones plene dissipaverunt.

De hac quaestione: S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1; S. II. II. q. 19. a. 4. — B. Albert., de hac et duabus seqq. qq. hic a. 8. 9. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., de hac et seq. q. hic a. 2. q. 2. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., de hac et duabus seqq. qq. hic q. 3.

II. In seq. (2.) quaestione solvenda S. Thom. aliique communiter consentiunt S. Bonaventurae in omnibus, praesertim in hoc, quod licet *servilitas* in se sit mala, tamen *actus* timoris servilis potest esse bonus, quia servilitas timoris habitui *accidit* ex imperfectione subiecti, nec oportet, quod omne quod *accidit* alicui habitui, semper manifestetur in quolibet eiusdem actu.

De hac (2.) quaestione praeter citatos: S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 2. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2.

III. Ad 3. quaestionem posteriores Scholastici communiter cum Ss. Thoma et Bonav. respondent, quod timor servilis, superveniente gratia, manet quidem, sed sine *servilitate,* quae duo complectitur, ut explicatur in corp. Cum autem timor *servilis* sit « alia differentia timoris quam timor initialis » (hic in corp.), sive cum secundum substantiam differat a timore casto et etiam initiali, ut docet S. Thom. (hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 1. 2; S. II. II. q. 19. a. 5.); quidam, ut refert Petr. a Tar., dixerunt, quod iste timor, adveniente caritate, maneat tantum secundum *genus,* non secundum *speciem.* Tamen cum nostro auctore S. Thom. (S. II. II. q. 19. a. 6.) docet: « Timor, in quantum servilis, non manet cum caritate; sed *substantia* timoris servilis cum caritate manere potest, sicut amor sui manere potest cum caritate ». Aliud enim est specie differre ab amore initiali, aliud non posse cum ipso manere in sua specie. — Plura vide infra a. 2. q. 3, ubi agitur de evacuatione doni timoris, adveniente *statu gloriae.*

De hac (3.) quaestione: S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 3; S. loc. cit. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3.

---

[1] Cfr. August., de sancta Virginitate c. 38. n. 39.

[2] Codd. U X Z *suspendium.* Paulo inferius pro *iuvetur* edd. *timeat.* De timore latronis cfr. August., Serm. 169. [alias serm. 15. de verbis Apostoli] c. 6. n. 8.

[3] Hic cod. S adiungit solutiones ad arg. supra (pag. 754, nota 8.) in eodem relata. — Ad sextum: quod loquitur ibi de timore desperationis; et iste non est timor servilis, quia per eum non vitatur peccatum, sed in omne peccatum inciditur, secundum illud Ieremiae decimo octavo [12.]: *Desperavimus; post cogitationes enim... ibimus, et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.*

Ad septimum [lege octavum], sicut patet ibi in Glossa, loquitur ibi de timore naturali, scilicet mortis.

Ad septimum, quod licet natura fugiat poenas infligendas (?), non tamen voluntas semper fugit delectationes, per quas venitur ad poenas; tum quia ad utrumque est et domina sui eligit quod vult; tum quia succumbit delectationibus non victa, sed allecta et absorpta; tum quia non sic ita immediate colligatur delectatio et poena ei debita, quin speret utrumque, scilicet habere delectationem et effugere huiusmodi poenam per poenitentiam, vel alio modo.

Nonum et decimum probant, quod non est donum completum.

Ad undecimum, non tollit ab eo rationem boni, sed boni meritorii, hoc est, etsi bonum, non tamen bene.

Ad duodecimum, Deus, in quantum in ipso est, semper dat optima, sed quando non recipimus ex toto, dat secundum partem, quantum volumus capere, ut nullus sit expers donorum eius.

Ad decimum tertium, patet ex solutione tertii.

Ad decimum quartum, substantia incompleti, secundum quam est materiale vel dispositionis ad completum, manet in completo, sed non sub ratione incompleti nec sub dispositione oppositi. Quidquid igitur est in timore servili, propter quod dicitur donum Dei, ut fides et fuga poenae aeternae, manet cum caritate, sed eius servilitas et imperfectio non. Exemplum: embryo sub ratione embryonis non manet, non fides informis sub ratione informis sub formata.

QUAESTIO II.

Utrum usus timoris servilis sit bonus, an malus.

Secundo quaeritur de timore servili in comparatione ad eius usum, et est quaestio, utrum usus timoris servilis sit bonus, an malus. Et quod bonus sit, videtur:

Fundamenta.

1. Quia quales sunt habitus, tales sunt actus[1]; sed timor servilis, cum sit donum Spiritus sancti, est bonus: ergo per documentum moralis philosophi actus eius est bonus.

2. Item, maxima est Philosophi[2], quod «cuius usus bonus, ipsum quoque bonum», et «cuius usus malus, ipsum est malum»: ergo si usus timoris servilis est malus, ipse timor servilis esset malus; sed non est malus, cum detur divinitus: ergo actus eius est bonus.

3. Item, omnis habitus, cuius usus praeparat hominem ad susceptionem gratiae, est bonus quantum ad usum; sed timor servilis est huiusmodi, quia per usum eius introducitur caritas, sicut dicit Augustinus, et habetur in littera[3]: ergo etc.

4. Item, nullus actus, quo quis vitat peccatum, est peccatum; sed actu timoris servilis recedit homo a peccato[4]: ergo actus timoris servilis non est peccatum: non est ergo malus. Et est malus, vel bonus: ergo est bonus.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Super illud Psalmi[5]: *Confige timore tuo carnes meas;* Glossa: «Timor servilis carnem non crucifigit, quia vivit in eo peccandi voluntas, et sequeretur opus, si speraretur impunitas: mallet enim licere, et dolet non licere, quod lex vetat»; sed omnis talis motus est directe contra iustitiam, quia vellet, iustitiam non esse: omnis vero motus contra iustitiam est malus: ergo actus et usus timoris servilis est malus.

2. Item, Gregorius in Moralibus[6]: «Cum poena timetur, et Dei facies non amatur, timor ex tumore est, non ex amore»; sed omnis actus, qui procedit ex radice tumoris et superbiae, est actus malus et damnabilis: ergo usus timoris servilis non est bonus, sed culpabilis.

3. Item, nullus actus incompossibilis caritati est bonus; sed timere serviliter est actus incompossibilis caritati: ergo timere serviliter non est bonum. *Maior* manifesta est, quia caritas bono non repugnat, sed malo. *Minor* autem manifesta est secundum verba Augustini et Apostoli[7], quia spiritus servitutis non stat cum spiritu adoptionis.

4. Item, omnis timor ortum habet ex amore[8], ergo timor servilis ex amore habet ortum; sed omnis amor aut est *naturalis*, aut *libidinosus*, aut *gratuitus:* cum ergo timor servilis non possit habere ortum ex amore *gratuito*, quia est in peccatore; nec ex amore *naturali* potest — constat, quia iam esset timor naturalis — restat ergo, quod ex amore *libidinoso*. Sed omnis actus, qui exit ex amore libidinoso, est malus et culpabilis: ergo actus timoris servilis est malus.

5. Item, *amare* Deum propter temporalia principaliter est peccatum et malum, ergo similiter *timere* Deum propter poenas principaliter est malum; sed hoc est timere serviliter: videtur ergo, quod actus timoris servilis semper sit culpabilis.

6. Item, timor servilis non dicitur servilis nisi a servitute peccati[9]: ergo pari ratione nullus dicitur timere serviliter, nisi circa illum actum sit annexa circumstantia peccati; sed circumstantia peccati annexa actui facit totum actum deformem: ergo videtur, quod actus et usus timoris servilis semper sit culpabilis et deformis.

CONCLUSIO.

Timor servilis, quando servilitas non concomitatur actum, sed solum habitum, potest esse bonus, licet non sit meritorius.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum dico *timorem servilem*, duo dico, videlicet ipsum *habitum*, quo anima disponi- Distinctio 1.

---

[1] Cfr. tom. II. pag. 760, nota 6, ubi praeter Augustinum allegatur Aristot., II. Ethic. c. 1. — De *minori* vide quaest. praeced. — In conclus. pro *per documentum moralis philosophi* cod. A *secundum Philosophum*.

[2] Boeth., II. de Differentiis topic. (cfr. tom. I. pag. 31, nota 1. et pag. 34, nota 9.). Cfr. Aristot., II. Topic. c. 3. (c. 9.), ubi idem dicitur de *generationibus*, non de *usibus*. — Pro *ipsum est malum* codd. G N U Z aa *ipsum quoque malum*. Subinde pro *est malus* codd. A bb *esset malus*.

[3] Hic c. 5, ubi et verba Augustini allata sunt.

[4] Vide hic lit. Magistri, c. 4. seq. et quaest. praeced. in corp.

[5] Psalm. 118, 120. — De Glossa (edd. *Glossa Augustini*) vide supra pag. 755, nota 3.

[6] Libr. IV. c. 27. n. 50: Cum enim ex peccato praesens poena metuitur et amissa Dei facies... non ex humilitate. — In fine arg. pro *culpabilis* edd. *damnabilis*.

[7] Rom. 8, 15. — Verba August. videsis hic in lit. Magistri, c. 5.

[8] Cfr. supra pag. 338, nota 3. — Inferius post *ex amore naturali* edd. omittunt *potest;* cod. U ibi verbo *constat* praefigit *quod*.

[9] August., Epist. 145. (alias 144.), super illud II. Petr. 2, 19: *A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est*, inter alia ait (n. 4.): Inaniter autem putat, *victorem* se esse peccati, qui poenae timore non peccat; quia, etsi non impletur foris negotium malae cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult, fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? etc.

tur ad timendum Deum ut punientem eos qui praevaricantur; et ulterius nomine *servilitatis* importatur *deformitas peccati*, quae annexa est illi habitui in eodem homine, ratione cuius ille homo dicitur esse *servus peccati*[1], et timor in eo existens dicitur esse *timor servilis*. Per hunc etiam modum, cum dico, aliquem *timere serviliter*, duo dico, videlicet *actum* ab illo habitu egredientem et *voluntatis servilitatem* sive deformitatem concomitantem. — Sed attendendum, quod hoc potest esse dupliciter: aut ita quod deformitas illa voluntatis concomitetur quantum ad *habitum*, aut quantum ad *actum*. Si concomitatur solum quantum ad *habitum*; sic potest esse, quod aliquis serviliter timeat, et tamen motu illo non peccabit; quia, si ex recogitatione[2] poenarum aliquis abhorret offendere Deum, hoc potest esse praeter omne peccatum. — Si autem concomitatur in *actu*, quamvis ipsum *timere* de se non sit malum, tamen ratione *deformitatis actualiter annexae* depravatur; sicut aliquis, qui timet poenas et timendo dolet, quod tales poenae infliguntur pro culpa, et actu etiam concupiscit peccare, si non esset illa poena; et hoc modo timere serviliter est peccatum et malum. Hoc autem non est semper, cum quis movetur timore servili, alioquin per usum illius doni magis homo se a gratia elongaret quam praepararet; quod plane falsum est.

Distinctio 2.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Et ideo concedendum est, quod usus timoris servilis potest esse bonus, licet non sit bonus bonitate meriti, sed magis bonitate praeparante vel ordinante[3] ad meritum, quae simul stat cum peccato. Unde et rationes, quae hoc ostendunt, concedendae sunt, licet ratio ultima sit sophistica, quia procedit ex suppositione falsa.

Conclusio 3.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod in timore servili vivit voluntas peccandi, et quod dolet de eo, quod lex vetat; dicendum, quod illud verbum Augustini non intelligitur, quod *semper*, quando timet, doleat *actu*, et similiter quod voluntas peccandi semper sit in *actu*; sed hoc dicit, quia manet in *habitu* et radice[4]. Licet autem voluntas sit per peccatum deformata, et regnet in ea malus amor, potest tamen aliquando moveri ad aliqua bona opera in genere vel ex circumstantia per aliquam gratiam gratis datam, non committendo culpam, sicut patet per multa exempla; et sic potest esse in parte ista.

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod timere serviliter est ex tumore, sicut dicit Gregorius, non ex amore; dicendum, quod *ex* non dicit ibi *causam*, sed *concomitantiam*; et cum dicit concomitantiam in *actu*, tunc deformat actum timoris servilis[5]; cum dicit concomitantiam in *habitu*, non oportet, quod deformet, sed tamen facit ipsum deficere a meriti perfectione.

3. Ad illud quod obiicitur, quod actus incompossibilis caritati est malus; dicendum, quod aliquis actus potest esse incompossibilis alicui ratione circumstantiae *propriae*, quam habet ex proprio habitu, vel ratione *alicuius annexi*. Cum ergo dicitur, quod actus timoris servilis est incompossibilis caritati, hoc non est ratione ipsius *actus* per se et secundum se, quia habens caritatem potest bene timere Deum ratione poenae; sed hoc intelligitur ratione *annexi*[6], quod facit ipsum deficere a merito caritatis. Et ideo ex hoc non sequitur, quod actus timoris servilis sit malus, sed vel est malus, vel est in homine secundum statum malum; et conclusio est vera ratione alterius partis.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod timor servilis habet ortum ex amore[7]; dicendum, quod non habet ortum ex amore *libidinoso*, sed potest habere ortum ex amore *naturali*. Amor enim *naturalis* dupliciter dicitur: uno modo, qui est cum ipsa *natura plantatus*; alio modo, qui est ex naturali affectu et voluntario exercitio *acquisitus* sine gratiae dono; et ex tali amore potest homo peccator etiam se ipsum sine peccato amare et mala sua fugere, sive praesentia sive futura[8]; et ex tali amore timor servilis habet procedere. Si enim homo amat se ipsum ad hoc, ut acquirat salutem, et ex hoc timeat aeterna tormenta incurrere; talis affectio amoris, quamvis non sit ex caritate, potest esse absque libidine. — Aliter potest dici, quod sicut timor *mundanus*, quo quis timet amittere mundana, est ex amore mundi, et timor *humanus* ex amore temporalis salutis; sic timor *servilis*, cum quis timet incurrere aeterna tormenta, est ex amore aeternae salutis et beatitudinis; et iste amor, quantum est de se, non est culpabilis, sed est vel *naturalis*, vel *gratuitus* a gratia *gratis data*, vel *gratuitus* a gratia *gratum faciente*; et timor servilis bene potest esse ex amore salutis primo vel medio modo dicto[9]. Et ideo falsum supponit, cum dicit, quod est ex amore *libidinoso*[10].

Duplex amor naturalis.

Alia solutio.

5. Ad illud quod obiicitur, quod amare Deum propter temporalia principaliter est peccatum; dicendum, quod non est simile de *amore* et *timore*: quia

---

[1] Respicitur illud Ioan. 8, 34: Qui facit peccatum, servus est peccati. — Paulo superius pro *servilitatis* edd. *servitutis*. Paulo inferius pro *videlicet actum* cod. U *videlicet ipsum actum*. Post pauca pro *servilitatem* cod. A *servitutem*.

[2] Codd. A U Z *cogitatione*.

[3] Codd. U Z *praeparante et disponente*. In fine corp. pro *falsa* cod. A *falsi*.

[4] Sive quodam modo *latenter*; cfr. supra pag. 755, nota 3.

[5] Codd. G H I L T V aa *serviliter*. Subinde post *cum* cod. U subiungit *vero*.

[6] Cod. A *ratione alicuius annexi, quia facit* etc.

[7] Edd. cum pluribus codd. adiungunt *libidinoso*.

[8] Cfr. Aristot., IX. Ethic. c. 4. — Inferius pro *potest esse* edd. *potest tamen esse*.

[9] Confirmatur verbis Domini (Matth. 10, 28.): Sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

[10] Vide infra dub. 2. seq. — Paulo ante pro *vel medio modo* Vat. *vel tertio modo*, et aliquanto superius pro *cum quis* codd. A U *quo quis*.

amor est ille qui facit frui, quia eius est quietare, vel ad aliud inclinare; et ideo peccat qui diligit Deum propter temporalia principaliter, quia facit de via finem et de fine viam [1]; non sic autem est ex parte
Ratio 2. *timoris.* — Alia est ratio: quia, cum quis *amat* Deum propter temporalia, duo sunt ibi amata; sed cum quis *timet* Deum propter poenas, quas infligit, unus solus est, quem timet — qui enim timet habentem cultellum uno et eodem timore timet cultellum sive plagam cultelli et actionem percutientis — et ideo non est simile hinc et inde.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod timere serviliter est timere cum circumstantia peccati; dicendum, quod illa circumstantia sive deformitas peccati potest poni circa actum timendi ratione ipsius Distinctio.
actus, vel ratione *timentis*. Et si ponatur ratione ipsius *actus*, tunc utique actus deformatur et efficitur malus ratione annexi, sicut prius fuit expositum. Sed si ita sit, quod ponatur ratione ipsius *timentis;* sic potest esse, quod *actus* non sit actus deformatus, sed quia [2] deformitas est circa *timentem*, licet secundum illam deformitatem non actualiter moveatur. Et propterea non est opportunum, quod semper timere serviliter sit peccatum, immo hoc potest esse utile et praeparatorium respectu gratiae [3].

QUAESTIO III.

Utrum timor servilis expellatur, gratia adveniente.

Tertio quaeritur de timore servili in comparatione ad gratiae complementum, et est quaestio, utrum timor servilis expellatur, gratia adveniente. Et quod sic, videtur:

1. Primo auctoritate Augustini, quam Magister
Argg. pro parte affirmativa. adducit in littera [4]: « Timor locum praeparat caritati, cum autem venerit caritas, pellitur timor, qui ei praeparavit locum »; sed constat, quod hoc intelligitur de timore servili: ergo timor servilis pellitur, superveniente gratia.

2. Item, spiritus libertatis repugnat spiritui servitutis; sed spiritus gratiae et caritatis est spiritus libertatis, spiritus vero timoris servilis est spiritus servitutis [5]: ergo superveniente gratia, pellitur timor servilis.

3. Item, nullus habens gratiam et caritatem principaliter intuetur poenam, quia principalius intuetur divinam complacentiam; sed timor servilis principaliter facit intueri poenam: ergo timor servilis non potest stare cum gratia [6].

4. Item, sicut se habet amor, qui est ante gratiam, ad amorem, qui est ex gratia [7], sic se habet timor servilis ad timorem gratuitum; sed amor gratuitus alius est ab amore acquisito, vel gratis dato: ergo timor initialis alius est a timore servili. Si ergo timor servilis non potest fieri initialis, videtur, quod manere non possit, cum caritas supervenit.

Sed contra: 1. Sicut se habet fides informis ad
Pro parte negativa. fidem formatam, sic se habet timor servilis ad timorem gratuitum; sed fides informis formatur, secundum quod habitum est in praecedentibus [8]: ergo videtur, quod timor servilis gratificetur, cum gratia infunditur.

2. Item, plus distat gratia gratum faciens a natura, quam distat a dono gratiae gratis datae; sed gratia superveniens naturam non excludit, sed potius perficit: ergo cum timor servilis sit donum gratiae gratis datae [9], videtur, quod non expellatur, sed potius perficiatur, adveniente caritate.

3. Item, timore servili timetur poena, timore initiali timetur poena et Dei offensa: ergo timor initialis se habet ex quadam additione ad timorem servilem [10]; sed quod se habet ex additione ad alterum continet illud in se et adhuc amplius: ergo in timore initiali continetur timor servilis; et si hoc, timor servilis non expellitur per adventum caritatis.

4. Item, gratia, quantum est de se, non repugnat nisi peccato, vel ei quod ex peccato trahit originem, sicut est vitium et sequela; sed timor servilis non est peccatum nec ex peccato trahitur [11]: ergo ei gratia non repugnat; et si hoc, tunc non videtur expelli per gratiam.

CONCLUSIO.

Timor servilis non manet cum gratia, nisi quoad id quod in eo erat materiale.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc est duplex modus dicendi. Unus namque modus dicendi est, quod cum dico Opinio 1.
timorem servilem, duo dico, sicut tactum est prius [12], videlicet ipsum *donum* et *defectum* deformitatis ei- Distinctio.

[1] Cfr. 1. Sent. d. 1. a. 1. q. 3. et a. 3. q. 2. — Paulo superius pro *quia eius* edd. *et eius.* Paulo inferius post *Alia est* codd. A U Z inserunt *etiam.*

[2] Cod. A *quod* et in fine solut. *praeparatio* pro *praeparatorium.*

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Hic c. 5.

[5] Cfr. Rom. 8, 15, et hic lit. Magistri, c. 4.

[6] Vide hic lit. Magistri, c. 5, ubi et seq. arg. insinuatur.

[7] Cod. A *qui est post gratiam.*

[8] Dist. 23. a. 2. q. 4. seq.

[9] Vide supra q. 1. — In fine arg. codd. L T V aa et edd. *adveniente gratia caritate* (Vat. *et caritate*).

[10] Cfr. hic lit. Magistri, c. 7.

[11] Vide quaest. praeced. ad 4.

[12] Quaest. praeced.

dem dono annexum, non ratione ipsius doni, sed ratione eius, in quo est. Cum ergo gratia supervenit, expellit ipsum quantum ad defectum deformitatis annexum, non autem, in quantum est donum divinitus gratis datum, sicut in praecedentibus dictum fuit de fide informi.

Opinio 2. Alius autem dicendi modus est, quod timor servilis omnino expellitur, adveniente gratia, non solum quantum ad id quod habet *servilitatis*, sed [1] quantum ad hoc quod habet *habilitatis*. — Et ratio huius est, quia huic timori servilitas quodam modo essentialiter est annexa. Habet enim ortum magis ex amore sui quam ex amore Dei. Unde et timor iste facit poenam principaliter intueri. Et ideo, sicut fides propter repugnantiam aenigmatis sibi annexi ad gloriam evacuatur, ipsa superveniente [2]; sic habitus timoris servilis expellitur, superveniente caritate. Et huic modo dicendi videtur consonare verbum Augustini [3], quo dicit, quod timor servilis respectu caritatis introducendae se habet, sicut seta respectu fili.

Opinio 3, tenens medium. Ex his autem duobus modis dicendi potest elici tertius modus, quasi commixtus ex utroque et tenens medium inter utrumque. Valde enim difficile [4] videtur dicere, quod ille habitus, quo quis habilis erat ad cessandum a culpa, superveniente gratia, statim recedat, cum contrarium huius dictet ipsa experientia. Difficile etiam videtur dicere et sustinere, quod timor servilis simpliciter [5] maneat, adveniente gratia, cum sit alia timoris differentia quam timor initialis, nec videtur ab eodem trahere originem, et verba Augustini satis videntur contradicere. — Et

Tria in timore. propterea possumus dicere, quod timor servilis tres habet conditiones: unam sicuti *materialem* et substratam, et hoc est timere [6] poenam aeternam; alteram sicut *formalem* et completivam, et hoc est principaliter intueri illam poenam; tertiam sicut *annexam*, et hoc est habere voluntatem deformem coniunctam. Cum igitur gratiae donum superinducitur, timor servilis quantum ad hoc quod *materiale*

Conclusio 1. erat in ipso, hoc est, in quantum habilitabat [7] ad timendum poenam, manet cum gratia, quia gratiae non repugnat. Quantum vero ad alias duas conditio-

Conclusio 2. nes, videlicet quantum ad *completivam* et quantum ad *annexam*, pellitur per ipsam gratiam; quia, cum gratia supervenit, nec principaliter intuetur poenam nec habet annexam voluntatem malam. Et sic haberi potest, quod donum timoris servilis quantum ad aliquid sui, adveniente gratia, pellitur, et quantum ad aliquid manet. — Et hoc viso, patet responsio ad quaestionem [8]; patet etiam pro magna parte responsio ad obiectiones ad utramque partem, quia neutrae simpliciter concludunt veritatem; ideo oportet respondere hinc et inde.

Solvuntur argg. pro affirmativa. 1. Ad illud quod primo obiicitur de auctoritate Augustini, qua dicit, quod timor servilis *expellitur*, adveniente caritate [9]; dicendum, quod hoc non dicit, quod totaliter pellatur, sed quia servilitatis dominium, qua *principaliter* poenam intuetur, ab ipso timore, adveniente caritate, aufertur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod spiritus servitutis repugnat spiritui libertatis; dicendum, quod verum est quantum ad id quod est in eo servitutis; sed timor servilis aliquid habet, in quo communicat cum timore initiali, et ratione illius non oportet, ipsum expelli [10].

3. Ad illud quod tertio obiicitur, quod timoris servilis principaliter est intueri poenam; iam patet responsio: quia quantum ad illam conditionem habet expelli, qua videlicet poenam intuetur *principaliter;* sed propter hoc non sequitur, quod expellatur *totaliter* [11].

4. Ad illud quod obiicitur, quod sicut se habet amor peccatoris respectu amoris gratuiti, sic timor servilis respectu timoris casti; dicendum, quod non est simile: quoniam, sicut in praecedentibus [12] habitum fuit, caritas non potest fieri informis, sed timor bene fieri potest informis; ut patet, quando aliquis cadit a caritate, et tamen post lapsum remanet sibi timor aeternorum suppliciorum. Et *si tu obiicias*, quod amor est radix timoris [13], ergo debent currere pari passu; dicendum, quod non valet, quia similiter est radix spei, et tamen spes potest esse informis et formata; et ratio huius assignata fuit supra [14]. — Et sic patet, quod rationes istae non concludunt, quod timor *totaliter* expellatur.

Solvuntur argg. pro negativa. 5. Ad illud vero quod obiicitur, quod simpliciter manet per *simile* et in fide informi et formata; dicendum, quod non est simile ex parte ista et ex illa: quoniam fides informis assentit propter se et super omnia eidem et in omnibus, cui consentit fides formata [15]; non sic autem est de timore servili

---

[1] Edd. *sed etiam*, et proxime ante sicut et per totum corp. constanter *servitus* pro *servilitas*.

[2] Cfr. supra d. 31. a. 2. q. 1.

[3] In 1. Epist. Ioan. tr. 9. n. 4. Verba ipsa videsis hic in lit. Magistri, c. 5.

[4] Codd. N U *durum*.

[5] Plurimi codd. et edd. 1, 2 *similiter*. Mox pro *gratia* codd. U Z *caritate*.

[6] Cod. N *et hoc modo habilitat ad timendum*. Pro *et hoc* cod. F *et hoc modo*. Edd. ter *et haec* pro *et hoc*.

[7] Codd. A G V Z aa *habilitat*.

[8] Cod. A *ad praedictam quaestionem*.

[9] Codd. G I L T V aa *adveniente gratia caritate*, cod. K *adveniente gratia sive caritate*, Vat. *adveniente gratia et caritate*. Paulo ante pro *qua dicit* cod. U *quae dicit*. In fine solut. pro *adveniente caritate* codd. G I K L T V *adveniente gratia*.

[10] Cfr. hic lit. Magistri, c. 7. — Superius pro *est in eo servitutis* cod. A *est in eo pravitas*.

[11] Edd. *generaliter*.

[12] Dist. 27. a. 1. q. 4. — Verba mox seqq. *sed timor bene fieri potest informis* ex codd. A U Z adiecimus; paulo inferius ex eisdem codd. et cod. bb substituimus *sibi* pro *ibi*.

[13] Cfr. supra pag. 338, nota 3.

[14] Dist. 26. a. 1. q. 4. et a. 2. q. 3. ad 4.

[15] Vide supra d. 23. a. 2. q. 1. ad 4. — Paulo inferius pro *sed principaliter* cod. U *sed principalis*.

et de timore initiali, quia timor servilis *principaliter* intuetur poenam, timor autem initialis *non principaliter* intuetur poenam, sed principaliter intuetur divinam offensam.

2. Ad illud quod obiicitur, quod natura non pellitur a gratia; dicendum, quod non est simile: quoniam naturalia sunt inseparabilia et quasi [1] dantur *ad semper;* et ideo non auferuntur, superveniente gratia; quaedam autem sunt gratis superaddita, quae dantur solummodo *ad tempus* et pro statu determinato, et ideo pelluntur et cessant, recedente statu illo. Et sic est reperire in proposito.

3. Ad illud quod obiicitur, quod timor initialis addit supra servilem; dicendum, quod quaedam est additio simpliciter *complens*, quaedam est additio *distrahens* [2]. Timor initialis addit supra servilem, et hoc quidem non solum *complendo*, verum etiam *distrahendo*, quia, sicut dictum est, aufert ei *defectum concomitantem*, qui quidem est voluntas deformis, et *conditionem* etiam *complentem*, quae quidem erat secundum statum illum *principaliter* intueri poenam, sicut tactum est supra. Et ideo sic supra ipsum addit, quod aliquid de ipso diminuit et expellit.

Duplex additio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod gratia non repugnat nisi peccato, vel ei quod habet originem a peccato; dicendum, quod non solum huic repugnat, sed [3] ei quod habet *annexum* peccatum. Timor autem servilis peccatum habet annexum; et propter hoc quantum ad hoc, quod poenam habet et formidat poenam futuram, introductum est ex culpa; et ideo non est mirum, si aliquo modo pellitur, adveniente gratia. Quia tamen non habet totaliter ex culpa introduci, verum etiam ex dono Dei secundum aliquid sui; hinc est etiam, quod sic pellitur, quod non totaliter destruitur. — Et secundum hoc satis de plano responderi potest auctoritatibus et rationibus, quae hinc et inde introducuntur [4].

Notandum.

ARTICULUS II.

De timore gratuito.

Consequenter quaeritur de timore gratuito; et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur de ipso timore quantum ad eius divisionem.

Secundo quaeritur de eodem quantum ad eius diminutionem.

Tertio et ultimo quaeritur quantum ad eius evacuationem.

QUAESTIO I.

Utrum timor initialis et filialis sint diversae timoris species.

Circa primum sic proceditur, et est quaestio de timore gratuito quantum ad divisionem eius, qua dividitur in initialem et filialem, utrum istae sint diversae timoris species. Et quod sic, videtur:

Fundamenta.

1. Primo per divisionem Magistri [5], qua dividit timorem in quatuor differentias; et omnes aliae differentiae sunt formaliter differentes: videtur ergo, quod similiter sit reperire circa timorem initialem et filialem.

2. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quia timor initialis et filialis aut distinguuntur quantum ad *essentialem differentiam*, aut solum quantum ad *statum*. Si primo modo: tunc habeo propositum. Si secundo modo; *contra:* quia timor habet esse in triplici statu, secundum quod triplex est status hominis iusti, videlicet in statu incipientis, proficientis et perfecti: cum ergo Magister illam differentiam non apponat, videtur, quod aut est insufficiens, aut istas differentias timoris non assignat solummodo quoad statum. Nec tantum divisio Magistri videtur esse insufficiens, immo etiam divisio Augustini [6] et aliorum, qui de hac materia loquuntur, qui solummodo in has species dividunt timorem gratuitum.

3. Item, diversitas habituum venit ex diversitate obiectorum; sed sicut Magister [7] innuit, et communiter etiam tenetur, quod timor initialis habet oculum ad poenam, timor vero filialis habet oculum ad offensam: ergo videtur, quod hic timor et ille sint diversae species timoris.

4. Item, timor initialis medium tenet inter servilem et filialem et quantum ad *rationem deveniendi*, quia per servilem devenitur ad filialem mediante initiali, et etiam quantum ad *modum timendi* [8]: cum ergo timor initialis sit diversa species a timore servili, videtur ergo, quod etiam sit diversa species a filiali.

---

[1] Pro *et quasi* edd. *quia*.

[2] Cfr. tom. I. Prolog. Magistri, dub. 2. — Subinde post *Timor* cod. A subdit *autem*.

[3] Edd. *sed etiam*.

[4] Vide schollon ad 1. huius articuli quaest.

[5] Hic c. 4. Vide infra dub. 2. — Superius pro *istae* cod. X *isti*. In fine arg. pro *reperire* multi codd. *reperiri*.

[6] Vide hic lit. Magistri, c. 4. seqq., ubi et Bedae divisio habetur. — Paulo superius pro *non apponat*, quod habent codd. A H U Z bb, in aliis *non apponit*.

[7] Hic. c. 6. seq. — De *maiori* vide supra 470, nota 8. in fine.

[8] Vide hic lit. Magistri, c. 6. — Pro *ad modum* multi codd. et edd. 1, 2 *ad medium*.

Sed contra: 1. « Si unum oppositorum dicitur multipliciter, et reliquum; et si unum non dicitur multipliciter, nec reliquum [1] »; sed spes non habet multiplicari per species et differentias: ergo nec timor. Ad oppositum.

2. Item, magis perfectum et minus perfectum non diversificant rem quantum ad speciem [2]; sed timor initialis et filialis differunt, sicut magis perfectum et minus perfectum: ergo secundum speciem non distinguuntur.

3. Item, sicut contingit ponere timorem initialem et filialem, qui est perfectorum, sic etiam contingit ponere amorem initialem et consummatum et perfectum [3]: cum ergo amor per has differentias non habeat secundum species diversificari, videtur similiter, quod nec timor.

4. Item, quae habent ortum ab eodem secundum speciem sunt eiusdem speciei, quia, si causa est univoca, et effectus univocus; sed timor initialis et castus ortum habent ab amore gratuito, secundum quod vult Augustinus [4], et iste est unus amor tantum secundum speciem: ergo videtur, quod similiter sit et in timore.

5. Item, si plures sint timores gratuiti diversi secundum speciem; cum quilibet eorum sit donum Spiritus sancti, tunc videtur, quod dona Spiritus sancti sint plura quam septem [5].

6. Item, si timor initialis et gratuitus differunt, hoc non est, nisi quia iste habet oculum ad poenam, ille ad offensam, sicut Magister tangit in littera [6]. *Sed contra:* una et eadem species timoris est, qua quis timet Deum offendere et a Deo separari: cum ergo ista sint diversa, et tamen timor non diversificetur respectu horum; videtur similiter, quod diversificari non habeat respectu poenae et offensae, maxime cum videamus, quod timor initialis habeat ad utrumque aspicere.

CONCLUSIO.

Timor initialis et filialis non differunt specie, sunt tamen diversi timores ratione statuum, modorum timendi et principalium motivorum.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod hic est duplex modus dicendi.

Quidam enim voluerunt dicere, quod timor initialis et filialis non differunt nisi quantum ad *statum*, sicut et amor, ex quo timor sub his differentiis trahit originem. Unde sicut amor incipiens et perficiens essentialiter est idem, licet status sit diversus hic et ibi; sic voluerunt dicere se habere in timore initiali et filiali. — Sed illud non videtur [7] sufficere, pro eo quod tertius posset timor assignari inter hos duos, videlicet timor *proficiens*. Et *iterum*, non videmus, talem modum distinguendi sive dividendi esse in aliis donis gratuitis, cum tamen in eis sit istos duos status invenire. Opinio 1. Non sufficit.

Et propterea est alius modus dicendi, quod timor initialis et timor filialis sunt diversae *species* timoris, et diversus est utrobique *modus* timendi, et ad *diversa* intuetur homo secundum illos duos timores. Et huiusmodi signum est, quia unus evacuatur, et alter manet in patria, secundum quod Magister dicit in littera [8]; quod quidem non esset, si essent idem in *essentia*. — Verumtamen adhuc istud videtur valde difficile bene intelligere, quomodo secundum profectum [9] hominis in statu gratiae habent esse in eo diversi habitus timoris *formaliter* differentes. — Et ideo neuter istorum modorum videtur plane ipsi intellectui satisfacere. Opinio 2. Non probatur.

Possumus igitur viam mediam eligere, ut dicamus, quod timor filialis et initialis non adeo differunt, sicut duae [10] *species formaliter differentes*, cum unus quodam modo sit *materialis* respectu alterius et quodam modo claudatur in altero. Timor enim initialis timet poenam et offensam; timor vero filialis offensam quidem timet et attendit summi Patris reverentiam. Et sic unus quodam modo se habet ex additione ad alterum [11]. Et ideo non differunt sicut *duae species* e diverso unum genus dividentes. Nec tamen est ibi differentia solum quantum ad *statum*, pro eo quod timor initialis principaliter aspicit *offensam;* timor vero filialis, etsi unum oculum habeat ad *offensam*, principaliorem tamen habet oculum ad Dei *reverentiam*. Et quia diversa habent principalia motiva; hinc est, quod sunt diversi *modi* timendi. Quia vero unum [12] clauditur in altero et alteri substernitur; hinc est, quod proprie loquendo, non sunt alterius et alterius *speciei*. Possunt tamen dici *diversi timores*, tum ratione *status*, tum ra- Opinio 3. et via media. Conclusio 1. Conclusio 2.

---

[1] Secundum Aristot., de quo vide supra pag. 193, nota 4. — De *minori* cfr. supra d. 26. a. 1. q. 2.

[2] Cfr. tom. II. pag. 659, nota 7.

[3] Ut Magister insinuat hic in lit. c. 5. — De proposit. seq. cfr. supra d. 27. a. 1. q. 2. — Paulo superius pro *perfectorum* [cod. A *perfectiorum*], quod habent codd. I L W Z,, in aliis et edd. *perfectior;* paulo inferius pro *secundum species* cod. A *per species*.

[4] Cuius verba videsis hic in lit. Magistri, c. 4. seqq. — De *maiori* cfr. Aristot., VII. Topic. c. 1, et VII. Metaph. text. 22. et 28. (VI. c. 7. seq.).

[5] Quod reprobatum est supra p. I. a. 2. q. 1.

[6] Hic c. 6. seq. — In fine arg. pro *aspicere* cod. K *respicere*.

[7] Cod. K *potest*.

[8] Hic c. 3. et 7. seq.

[9] Codd. A U *perfectionem*, non pauci alii codd. *perfectum*, codd. B C F G I K L N O T V praemittunt *propositum*. Paulo inferius pro *plane* Vat. *plene*.

[10] Pro *sicut duae species*, uti in codd. A B C D H M P Q U Z bb legitur, codd. K X *sicut diversae species*, alii codd. *sicut differentiae species*, cod. G *sicut differentiae et species*, edd. *sicut differunt species*. Paulo ante pro *filialis* codd. A G I (K a prima manu) L T V Z *servilis*.

[11] Cfr. hic lit. Magistri, c. 6. in fine et c. 7. — Mox pro *e diverso* codd. E G I L N T V *a diverso*, edd. *diversae*. Non ita multo post pro *ad offensam* codd. F K *ad Dei offensam*, et subinde pro *principaliorem* codd. B D H K U X Z et edd. 1, 2 *principalem*, codd. A W aa *principaliter*.

[12] Edd. *unus*, et paulo inferius pro *status* cum paucis codd. *statuum*.

tione *modorum* timendi, tum etiam ratione principalium *motivorum;* sicut rationes ad primam partem inductae ostendunt, et ideo concedi possunt.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod spes non habet dividi, ergo nec timor; dicendum, quod ratio illa non valet: quia illud intelligitur non de divisione univoci, sed de divisione *multiplicis*, sicut patet ex intellectu illius considerationis, quam Philosophus [1] ponit. — *Si* autem *quaeras:* quare magis timor habet dividi quam spes? dicendum, quod spes semper principaliter intuetur unum solum et summum bonum; timor autem secundum diversos status modo principaliter intuetur poenam, modo principaliter Dei offensam, modo principaliter Dei reverentiam; et ideo non est simile ex ista parte et ex illa.

Quaestio incidens solvitur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod magis perfectum et minus perfectum non diversificant rem; dicendum, quod proprie loquendo, non est ibi differentia secundum *speciem*, secundum quod dictum est. Verumtamen ratio illa non valet, quia non solum differunt [2] penes *perfectum* et *imperfectum*, sed etiam penes aliud et aliud *principale motivum;* licet unum quodam modo praesupponat alterum, et quod erat *formale* respectu unius fiat *materiale* respectu alterius.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de amore, iam patet responsio, quia non est simile: quia amor non habet differentiam penes motivum, sed solummodo penes statum [3]; et ideo non distinguitur sicut timor.

4. Ad illud quod obiicitur, quod illa quae habent ortum ab eodem secundum speciem, sunt eiusdem speciei; dicendum, quod illud habet veritatem in his quae generantur secundum generationem *univocam;* cum autem timor ex amore generatur, non est generatio *univoca:* et propterea ex uno amore secundum speciem non tantum possunt generari diversi timores, immo possunt generari quatuor genera affectionum, secundum Augustinum [4], quae formaliter distinguuntur.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod tunc erunt diversa dona; dicendum, quod unus istorum timorum quantum ad illud quod habet nobilitatis et completionis, clauditur in alio; et ideo sub uno dono omnes habent comprehendi, videlicet sub spiritu timoris Domini.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod si ratione diversorum motivorum diversificantur, tunc timor initialis et filialis distinguerentur in duos; dicendum, quod non est simile: quoniam, etsi timor *initialis* ad duo habet oculos suos, ad unum [5] habet *principaliter*, ad alterum ex *consequenti*, similiter et timor *filialis:* et ideo ratione illius motivi, ad quod *principaliter* intuetur, unusquisque illorum habet simpliciter unitatem. Sic autem non est in proposito, quia *initialis* timor *principaliter* aspicit ad unum, videlicet ne offendat *iustitiam*, *filialis* autem *principaliter* aspicit ad aliud, videlicet ad Patris *reverentiam;* et ideo non est simile ex hac parte et ex illa.

Notandum.

SCHOLION.

I. Tertiam opinionem, quam S. Bonav. hic approbat, tenet cum aliis communiter etiam S. Thom. (hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 2; S. II. II. q. 19. a. 8.), qui in Comment. affert hanc rationem, quod in timore initiali sit tum actus *principalis*, scilicet *refugere malum*, in quo non differt a timore casto; tum *secundarius* et *imperatus*, scilicet refugere *propter poenam*. « Actus autem imperati *per accidens* comparantur ad habitus imperantes; et ideo timor initialis et castus sunt idem in substantia habitus, differunt tamen accidentaliter ». Sed in Summa arguit ex hoc principio, quod duo isti timores se habeant ad invicem, sicut caritas imperfecta ad perfectam.

De eadem quaestione: B. Albert., hic a. 9. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 4. quaestiunc. 1. — Durand., hic q. 5. — Dionys. Carth., de hac et duabus seqq. qq. hic q. 3.

II. Quoad 2. quaestionem communiter docetur, quod crescente caritate, diminuatur actus timoris, quo timetur *poena*, non autem actus, quo quis veretur Deum offendere et ab eo separari.

De eadem quaestione: S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 3; S. loc. cit. a. 10. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 3. — Durand., hic q. 6.

III. Solutio ultimae (3.) quaestionis communiter approbatur, licet quidam, ut refert Richard. a Med. (hic a. 2. q. 4.), opinentur, « quod illa resilitio (cfr. hic in corp.) non potest dici actus timoris nisi *aequivoce*, cum nihil aliud sit, quam ex consideratione divinae magnitudinis et parvitatis propriae se sub Deo *humiliare; humiliatio* autem *timor* dici non potest nisi *aequivoce* vel similitudinarie ». Tamen Richard. non recedendum esse censet a communi opinione, quod donum timoris remaneat quoad habitum et quoad « aliquem actum, qui erit vel ille qui tactus est in opinione prima [scilicet reverentia divinae maiestatis et resilitio in propriam parvitatem], vel ille quem habet respectu finis » [scilicet gaudere de evasione divinae offensae].

De hac 3. quaestione: S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 4; S. loc. cit. a. 11. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 5. — Durand., hic q. 3.

---

[1] Libr. I. Topic. c. 13. — De unitate *spei* cfr. supra d. 26. a. 1. q. 2. — Pro *multiplicis* (i. e. aequivoci) codd. G H I K L V aa *multiplicitatis*, cod. A *multitudinis*, qui cod. et circa finem solut. ultimum *principaliter* omittit.

[2] Codd. *differt*. In cod. A desiderantur verba mox sequentia *licet unum... alterius*.

[3] Codd. A U *status*.

[4] Libr. XIV. de Civ. Dei, c. 7. n. 2. Cfr. supra pag. 338, nota 3. et pag. 556, nota 5. — Pro *quatuor* Vat. *tria*.

[5] Edd. *unum tamen*. Paulo inferius pro *simpliciter* (deest in cod. A) codd. G S aa *principaliter*. In fine solut. pro *ex hac parte et ex illa* cod. M *hinc et inde*.

QUAESTIO II.

Utrum, crescente caritate, timor decrescat.

Secundo quaeritur de timore gratuito quantum ad eius diminutionem, et est quaestio, utrum, crescente caritate, timor decrescat. Et quod sic, videtur:

Argg. pro parte affirmativa.

1. Primo ex auctoritate beati Ioannis in primae canonicae quarto capitulo[1]: *Perfecta caritas foras mittit timorem;* super quod dicit Augustinus: « Quantum caritas crescit, tantum timor decrescit; et quantum illa fit interior, tantum ille pellitur foras; maior caritas, minor timor »; sed constat, quod hoc non potest intelligi de timore servili, quia ille non stat cum caritate: ergo quantum caritas crescit, tantum timor gratuitus decrescit.

2. Item, quanto quis magis amat, tanto magis sperat; et quanto magis sperat, tanto minus timet: ergo quanto plus crescit in caritate, tanto magis decrescit in timore[2].

3. Item, quanto magis crescit caritas, tanto strictius et fortius homo alligatur Deo; et quanto strictius se sentit alligatum, tanto minus timet separari: si ergo timor gratuitus est ille, quo quis timet separari a Deo; quanto[3] caritas magis intenditur, tanto timor magis remittitur.

4. Item, crescente amore, crescit gustus et delectatio; sed quanto plus crescit delectatio, tanto minuitur poena: si ergo *timor poenam habet*[4], videtur, quod quantum caritas crescit, tantum necesse sit, timorem decrescere.

Pro parte negativa.

Sed contra: 1. Augmentata causa, augmentatur effectus[5]; sed fides et amor causant timorem gratuitum: ergo fide et caritate crescente, necesse est, pariter et timorem crescere.

2. Item, quanto magis aliquis amat aliquid, tanto magis dolet, si illud amiserit[6]; sed sicut dolor est de bono amisso, sic timor est de futuro, ne amittatur: ergo quanto aliquis magis amat aliquid, tanto magis timet, ne amittat illud: ergo crescente caritate, necesse est, timorem crescere.

3. Item, quanto quis maiorem caritatem habet, tanto humilior est — quia « quanto sumus a tumore superbiae inaniores, tanto sumus dilectione pleniores », sicut dicit Augustinus[7] — sed crescente humilitate, crescit timor Dei: ergo *a primo,* crescente caritate, necesse est, timorem Dei crescere.

4. Item, quanto aliquis maioris caritatis est, tanto sollicitior est, ut serviat Deo et ne faciat aliquid, quod Deum offendat, iuxta illud Michaeae sexto[8]: *Indicabo tibi, homo, quid Deus requirat a te;* et post: *Et sollicitum ambulare cum* Domino *Deo tuo;* sed quanto maior est sollicitudo vitandi culpam, tanto maior est timoris abundantia: ergo etc.

CONCLUSIO.

Timor gratuitus, crescente caritate, decrescit quoad actum, quo cor sollicitatur ex consideratione suae fragilitatis; sed crescit quoad actum, quo humiliatur ex consideratione suae parvitatis et divinae magnitudinis.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod hic, sicut in praecedentibus[9], diversi diversa sentiunt.

Opinio 1. cum 1. distinctione.

Quidam enim volunt dicere, quod est loqui de timore quantum ad *habitum* et quantum ad *usum.* Si loquamur de ipso quantum ad *habitum,* verum est, quod crescente caritate, crescit, propter hoc quod habitus gratuiti sunt aequales[10]. Si vero loquamur quantum ad *usum,* sic dixerunt, quod crescente caritate, decrescit timor; quia quanto magis viget in nobis usus caritatis, tanto minus viget usus timoris. Et illud per *experientiam* est manifestum. Nam homo in principio conversionis multa ex timore facit; sed cum gustavit spiritum devotionis et dulcedinis, quae est in amore, approximans ad statum perfectionis, iam ad bene operandum magis trahitur liberalitate amoris, quam stimuletur[11] poenalitate timoris. — Sed in hoc modo dicendi videntur duo oppo- Improbatur.
sita implicari. Si enim magnitudo *habitus* attenditur et dignoscitur penes magnitudinem *actus* et *usus,* decrescente dono quantum ad *usum,* videtur, quod necesse sit, ipsum *decrescere* quantum ad *habitum;* aut si *crescit* quantum ad *habitum,* videtur, quod necesse sit, ipsum *crescere* quantum ad *usum* et actum.

---

[1] Vers. 18. — Verba August. videsis hic in lit. Magistri, c. 5.

[2] Cfr. hic lit. Magistri, c. 5. in initio.

[3] Permulti codd. et edd. 1, 2 *quantum.*

[4] Epist. I. Ioan. 4, 18. Cfr. hic lit. Magistri, c. 6. — Post *tanto* Vat. repetit *plus.*

[5] Codd. G K *Quantum augmentantur causae, tantum augmentantur effectus.*

[6] Vide supra pag. 338, nota 3. et 8. — De *minori,* in qua non pauci codd. omittunt *bono,* vide infra pag. 766, nota 5. et supra pag. 569, nota 4.

[7] Libr. VIII. de Trin. c. 8. n. 12, in quo dicto edd. 1, 2 cum textu origin. pro *inaniores* exhibent *saniores.*

[8] Vers. 8. Post *Indicabo tibi, homo,* Vulgata addit *quid sit bonum et.* — Paulo ante pro *quod Deum* cod. U *quo Deum.*

[9] Cfr. quaest. praeced. et a. 1. q. 3.

[10] Vide infra d. 36. q. 5. — Paulo superius post *crescit* cod. R supplet *timor,* cod. S *habitus timoris,* et infra post *Si vero loquamur* cod. Z subdit *de ipso.*

[11] Cod. A *trahatur,* et pro *liberalitate* codd. G I K L V *libertate.*

Propterea est et alius modus dicendi, quod, sicut prius [1] dictum est, timor gratuitus dividi habet in *initialem* et *filialem*. Et cum quaeritur: utrum, crescente caritate, decrescat timor; responderi potest, quod verum est de *quodam* timore, et falsum de *alio*. De timore, inquam, *initiali* verum est, quia quodam modo communicat cum servili in hoc, quod formidat poenam; de *filiali* vero non est verum, quia quanto quis maioris caritatis est, tanto magis refugit divinam offensam et cum Deo sollicitius ambulat, iuxta illud Apostoli [2]: *Qui se existimat stare videat, ne cadat.* — Sed adhuc illud non videtur omnino satisfacere; quoniam timor *filialis*, quo quis timet Deum offendere, *poenam habet*, et multum affligitur anima in illa formidine; beatus autem Ioannes dicit, quod *perfecta caritas foras mittit timorem* propter annexam poenalitatem.

Opinio 2. cum 2. distinctione.

Non satisfacit.

Et propterea potest adhuc aliter dici, quod duplex est *usus* ipsius timoris gratuiti: unus, inquam, quo cor hominis *sollicitatur* [3] ex consideratione suae *fragilitatis;* alius, quo *humiliatur* ex consideratione *suae parvitatis* et *divinae magnitudinis.* Et primus usus minuitur, cum caritas perficitur, quia confidentia consurgit ex perfectione caritatis, ut iam homo dicat illud Apostoli ad Romanos octavo [4]: *Quis nos separabit a caritate Christi* etc.? Alius vero usus crescit, caritate crescente, sicut et timoris habitus; unde quanto aliquis plus habet de spiritu amoris, tanto plus habet de spiritu timoris, quia tanto magis elongatur a spiritu superbiae sive tumoris, secundum quod dicit Augustinus.

Opinio 3. cum 3. distinctione.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Et per hoc patet responsio ad quaestionem propositam; patet etiam responsio ad obiecta. Rationes enim ad utramque partem inductae verum concludunt, quia quantum ad diversas vias procedunt, sicut patet de rationibus, quae ad primam partem inducuntur, quae ostendunt, timorem minui, caritate crescente. Procedunt enim de timore quantum ad usum, qui habet *poenam*, hoc est quantum ad illum usum, quo quis sollicitatur, ne pro sua fragilitate cadat in culpam et pro sua culpa deiiciatur in poenam, sicut patet in [5] discurrendo per singulas. — Rationes autem, quae ad oppositum adducuntur, procedunt de timore secundum illum usum, secundum quem perfectae caritati est consonus; et verum est, quod crescit quantum ad illum, sicut patet in primis tribus rationibus.

Ad argg.

Ad illud tamen quod ultimo obiicitur, quod crescente caritate, crescit sollicitudo; dicendum, quod non omnis sollicitudo est ex *timore*. Sollicitudo enim, qua quis suspenditur animo, ut semper placeat Deo et faciat quae sunt Deo accepta [6], magis procedit ex *amore* quam ex *timore*. — Sed si ulterius obiiciat, quia non solum talis est sollicitus, ut placeat, sed etiam est sollicitus, ne offendat; dicendum, quod illa sollicitudo est prudentiae [7] et diligentiae, quae, etsi habeat affectum timoris annexum, in viris tamen perfectis propter securitatem, quam ex perfectione amoris concipiunt, non ita viget, sicut in imperfectis, loquendo *simpliciter*, nisi forte *dispensative* et *ad tempus*. Aliquando enim viri perfectissimi ex consideratione divinorum iudiciorum ex intimis visceribus concutiuntur.

Ad 4. arg. pro negat.

Duplex sollicitudo.

Notandum.

Et ex hoc posset adhuc elici praeter praedictos modos alius modus dicendi, quod usus alicuius habitus potest dici dupliciter crescere, vel decrescere: vel motus *intensione*, vel actuum *numerositate*. Et cum dicitur, quod crescente caritate, timor decrescit quantum ad usum sollicitudinis de casu; hoc non intelligitur de *intensione*, sed magis motuum [8] *numerositate;* quia non adeo indiget vir perfectus sollicitari, secundum quod imperfectus, quia habet, unde magis timeat, tum ratione culpae praeteritae, ne forte non sit indulta, tum ratione futurae, ne ex fragilitate et defectu amoris cadat. — In hoc igitur stat summa totius responsionis, qualitercumque varietur modus dicendi, quod timor gratuitus, crescente caritate, uno modo crescit, alio modo decrescit etiam quantum ad usum [9].

Additur 4. modus dicendi cum 3. distinctione.

Epilogus.

QUAESTIO III.

Utrum timor gratuitus in patria maneat.

Tertio quaeritur de timore gratuito quantum ad evacuationem, et quaeritur, utrum in patria maneat, an evacuetur. Et quod maneat, videtur:

1. Per illud Psalmi [10]: *Timor Domini sanctus permanet in saeculum saeculi:* si ergo in saeculum saeculi permanet, non ergo evacuatur, adveniente beatitudine.

Fundamenta.

2. Item, Isaiae undecimo [11] dicitur de Christo:

[1] Quaest. praeced. Cfr. infra dub. 2. — Paulo inferius pro *decrescat* multi codd. *decrescit*, omisso *timor*.

[2] Epist. I. Cor. 10, 12. Inferius respicitur I. Ioan. 4, 18.

[3] Codd. A G H I L N T U V *sollicitat* et paulo inferius *humiliat* pro *humiliatur*. Subinde pro *suae parvitatis* cod. U *propriae parvitatis*.

[4] Vers. 35. — Inferius post *sicut* ex codd. A H P R S U Z bb inseruimus *et*, cod. bb pro *timoris habitus* substituit *timor*. Paulo post pro *tumoris* multi codd. et edd. 1, 2 perperam *timoris*, cod. U *timoris imperfecti*.

[5] Codd. A G H Z bb omittunt *in*, et deinde cod. K pro *singulas* substituit *singula*.

[6] Respicitur illud I. Cor. 7, 32: Sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo.

[7] Edd. cum paucis codd. *providentiae*, et mox pro *affectum* Vat. *effectum*. Proxime ante cod. bb verbis *illa sollicitudo* praemittit *etiam*, plures alii codd. praefigunt *et*.

[8] Cod. Z *de motus intensione, sed magis actuum*. Paulo inferius pro *sit indulta*, quam scripturam invenimus in codd. A H K P S U Z bb, alii codd. exhibent *sit indulgentia indulta*, cod. O *sit ex indulgentia*, edd. *sit indulgentia ei data*.

[9] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[10] Psalm. 18, 10; Vulgata *permanens* pro *permanet*.

[11] Vers. 2. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3. et 8.

Requiescet super eum spiritus timoris Domini: si ergo Christus fuit perfectissimus comprehensor, et in eo fuit timor; videtur, quod donum timoris non evacuetur.

3. Item, Ecclesiasticus [1]: *Nihil melius quam timere Deum;* et primo eiusdem: *Plenitudo sapientiae timor Domini:* si ergo omne bonum perfectum, et maxime plenitudo sapientiae, erit in summa beatitudine; videtur, quod donum timoris nullo modo habeat evacuari.

4. Item, sicut summae Bonitati debetur summus amor, sic summae Maiestati debetur summus timor, secundum illud Malachiae primo [2]: *Si ego Dominus, ubi est timor meus?* sed in patria exsolvemus Deo omnia quae debemus: si ergo ibi erit amor summae Bonitatis, videtur etiam, quod ibi sit timor summae Maiestatis.

Sed contra: 1. Tanta, vel maior est perfectio in spe, quanta est in timore; sed spes evacuabitur in patria, sicut dictum est supra [3]: ergo et timor. Ad oppositum.

2. Item, sicut spes est respectu futuri boni, sic timor est respectu futuri mali [4]; sed in patria nec erit aliquod malum futurum nec poterit esse: ergo ibi nullus erit timor.

3. Item, sicut dicit Augustinus super illud Ioannis decimo [5]: *Mercenarius fugit* etc.: « Timor est fuga animi, ne amittat quod amat »; sed in patria nullo modo erit huiusmodi fuga nec possibilitas ad amissionem boni: ergo nullus erit ibi timor.

4. Item, sicut paci opponitur inquietudo, sic securitati opponitur timor: ergo sicut ubi est summa pax, ibi [6] nulla est inquietudo, sic ubi erit summa securitas, ibi nullus timor; sed hoc erit in patria: ergo etc.

5. Item, cum triplex sit differentia timoris-doni, videlicet *servilis, initialis* et *filialis; servilis* non manet, quia expellitur a gratia; *initialis* non, quia expellitur a caritate perfecta; *filialis* non, quia timet, ne oculos Patris offendat [7]: ergo non videtur, quod timor secundum aliquam sui differentiam maneat in patria.

6. Item, plus excedit perfectio gloriae ipsum timorem *filialem*, quam excedat perfectio caritatis ipsum timorem *initialem;* sed timor *initialis* non stat cum caritate perfecta, ut ostensum fuit supra [8]: ergo nec timor *filialis* cum gloria. Nec est alia differentia timoris, quae ibi remaneat: ergo donum timoris simpliciter evacuabitur in patria.

CONCLUSIO.

Donum timoris in patria quoad unum tantum actum non evacuatur, sed salvatur et perficitur.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut tactum fuit in praecedentibus [9], timoris est intueri tria, videlicet *poenam*, ut fugiat; *offensam*, ut illam caveat; *Maiestatem summam*, ut illi subiaceat exhibendo reverentiam. Et secundum hoc triplex est doni timoris differentia: unus, qui principaliter aspicit *poenam*, et iste est *servilis;* alius vero, qui unum oculum habet ad *poenam*, sed tamen principaliorem habet ad *offensam vitandam*, et hic est *initialis;* tertius autem, qui unum oculum habet respectu *offensae vitandae*, alium vero respectu *reverentiae exhibendae*, et hic est *filialis;* cuius etsi unus usus sit in *refugiendo*, ne separetur a Deo, alter excellentior et magis praecipuus est in *reverendo* Deum, *resiliendo* a summa Maiestate in propriam parvitatem. Et hic quidem usus fuit in Christo et est in sanctis Angelis et erit in omnibus Beatis [10]. — Et quantum ad istum oculum et usum manet donum timoris in patria; quantum vero ad alios inferiores tollitur, quia isti competunt ei secundum statum imperfectionis. Quia vero remanet ei usus principalis, hinc est, quod non dicitur evacuari, sed magis perfici et salvari. — Unde et rationes, quae hoc probant, possunt concedi.

Timor intuetur tria.

Triplex timor.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod aeque nobilis est spes sicut timor; dicendum, quod verum est de timore quantum ad aliquem eius usum, qui quidem consistit in *fuga mali*, secundum quem modum timor et spes habent ad invicem dividi [11]; et quantum ad hunc usum verum

Solutio oppositorum.

---

[1] Cap. 23, 37: Nihil melius est quam timor Dei. — Alterum testimon. est ibid. 1, 20: Plenitudo sapientiae est timere Deum. — Pro *et primo* plurimi codd. cum edd. *et post.* Mox pro *et maxime plenitudo sapientiae* codd. F G I K L N T V *et maior plenitudo.*

[2] Vers. 6. — Post pauca pro *ibi sit* cod. V *ibi erit.*

[3] Dist. 31. a. 2. q. 2.

[4] Cfr. supra pag. 569, nota 4. — In fine arg. pro *nullus erit timor* cod. A *nec est timor.*

[5] Vers. 13. — August., tr. 46. n. 8. sic ait: « Affectiones nostrae motus animorum sunt: laetitia, animi diffusio; tristitia, animi contractio; cupiditas, animi progressio; timor animi fuga est ». Et in lib. de Beata Vita, n. 11. idem ait: « Ergo quod amat quisque, si amittere potest, potestne non timere? Non potest ». Glossa *ordinaria* apud Strabum in hunc loc. dicit: Timor est fuga animi, fugit, ne perdat quod diligit. — Subinde pro *nullo modo* cod. A *non*, et in fine arg. pro *nullus* idem cod. A *nec.*

[6] Ita codd. K U Z bb, in aliis et edd. incongrue *sicut summa est pax, ubi nulla* etc.

[7] Supple: quod repugnat statui gloriae. Cfr. quaest. praeced. et a. 1. q. 3. — In fine arg. pro *in patria* cod. A *in ipsa patria.*

[8] Quaest. praeced. — Codd. A K U omittunt superius *ipsum* ante *timorem initialem.*

[9] Quaest. 1. — Mox pro *ut fugiat* cod. Z *ut illam fugiat*, et pro *offensam*, (quam lectionem ex codd. A U X (K a secunda manu) restituimus, alii codd. nec non edd. *offensionem.*

[10] Cfr. hic lit. Magistri, c. 3. et 8. — Superius pro *in reverendo Deum* cod. K et edd. substituunt *in reverendo summam Maiestatem* (edd. 1, 2 subdunt *Domini*, Vat. *Domini et)* et dein, exc. Vat., omittunt *a summa Maiestate.* Pro *propriam parvitatem* codd. A U *propriam paupertatem*, et in fine corp. pro *possunt concedi* cod. A *concedendae sunt.*

[11] Vide supra d. 26. a. 2. q. 1. — Pro *ad invicem* edd. et nonnulli codd. *ab invicem.* Mox pro *sicut nec spes* multi codd. *sicut et spes*, cod. A *sicut spes.*

Notandum. est, quod in patria non manebit, sicut nec spes. Est et *alius* eius usus, qui est *revereri* summam Maiestatem resiliendo in propriam parvitatem; et quantum ad hunc timor non ita opponitur statui gloriae, sicut spes; et ideo non oportet, quod evacuetur in patria. Quantum enim ad hunc usum maior reperitur excellentia in timore quam in spe, quia minus dissonat statui gloriae [1].

2. Ad illud quod obiicitur, quod sicut spes est respectu futuri boni, sic timor respectu futuri mali; iam patet responsio: quia ratio ista non procedit de timore *generaliter*, qui est respectu summi ardui [2], sed quantum ad *illum* usum, quem habet in praesenti respectu mali.

3. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Augustini, dicendum similiter, quod illa non est *generalis* definitio timoris, sed solum datur de timore secundum usum et statum *viae*, et hoc non secundum *omnem*, sicut praetactum est.

4. Ad illud quod obiicitur, quod sicut paci opponitur inquietudo, sic securitati timor: dicendum, quod si hoc intelligatur de timore *separationis*, veritatem habet; sed si intelligatur de timore *reverentiae*, non habet veritatem, quia *reverentia* et *securitas* nullatenus opponuntur. Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod nulla differentia timoris manebit in patria; breviter respondeo, quod immo timor *filialis* remanebit. Nec valet quod *obiicit*, quod ibi non erit timor separationis, vel offensae. Nam etsi *filialis* timor hoc intueatur aliquo modo, aliud tamen intuetur magis principaliter.

6. Ad illud quod obiicitur, quod perfectio gloriae plus excedit timorem filialem, quam caritas perfecta initialem; dicendum, quod maior *excessus* Notandum. et minor non facit habitum evacuari, sed potius perfici et consummari, sed *oppositio* aliqua, quae est reperta inter illud quod evacuat et expellit, et illud quod evacuatur et expellitur [3]. Ideo ratio illa non valet, quoniam, etsi perfectio gloriae plus excedat timorem filialem, quam caritas viae initialem; tamen timor *initialis* ratione eius quod oculum habet ad poenam, plus opponitur perfectioni caritatis, quam timor *reverentiae* opponatur perfectioni beatitudinis [4].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur super hoc quod dicit in principio: *Et quia de timore tractandi occurrit nobis locus, sciendum est, quatuor esse timores.* Videtur, quod inordinate procedat in tractando, quoniam via definitiva praecedit divisivam [5]: ergo prius est timorem *definire* quam *dividere*. *Si tu dicas*, quod non est unam communem definitionem ipsius timoris assignare; in contrarium huius opponitur: quia, cum timor habeat ortum ex amore, et unam sit assignare definitionem amoris, sicut Dionysius [6] definit amorem per *vim unitivam*; videtur, quod similiter sit ex parte timoris. — Sed in contrarium huius opponitur: quia, quando aliquid in una sui acceptione est *passio*, in altera vero est *habitus*, aequivoce dicitur; sed timor, qui est donum, est *habitus*; timor vero naturalis est *passio* [7]: ergo de timore non potest assignari una communis ratio. — Item, Augustinus et Damascenus timorem definiunt; Augustinus super decimum Ioannis [8] sic: « Timor est fuga animi, ne amittat quod habet »; Damascenus sic: « Timor est exspectatio futuri mali »; sed neutrum convenit timori in statu patriae, sicut patet: ergo non videtur, quod sit generalem rationem ipsius timoris invenire.

Iuxta hoc quaeritur de istis duabus definitionibus praetactis, quoniam videntur sibi contrariari. Si enim *fuga* et *exspectatio* opponuntur; et timor est *fuga*, secundum Augustinum: non ergo est *exspectatio*, ut dicit Damascenus. Quaestio 1.

Ulterius quaeritur iuxta hoc, utrum timor secundum generalem sui acceptionem habeat unum obiectum commune. Quod sic, videtur: quia *naturalis* timor conformis est *gratuito*, et *gratuitus glorioso*; alioquin nec timor *naturalis* perficeretur a *gratuito*, nec *gratuitus* a *glorioso* [9]; hoc autem esse non posset, nisi haberent unum obiectum commune: ergo etc. — Item, tantae generalitatis est amor, quantae generalitatis est timor; sed omnis amor est respectu obiecti sub una ratione, videlicet sub ra- Quaestio 2.

---

[1] Cfr. supra d. 31. a. 2. q. 2.

[2] Vide infra dub. 1. — Edd. *summi boni ardui*.

[3] Vide supra d. 31. a. 3. q. 1. in corp.

[4] Vide schollon ad 1. huius articuli quaest.

[5] Cicero, I. de Offic. c. 3: Omnis enim quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur. Cfr. Boeth., de Definitione.

[6] De Div. Nom. c. 4. § 15. Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 2. ad 6. in fine. — Quomodo timor ex amore oriatur, insinuatur ab August., de quo vide supra pag. 338, nota 3. — Pro *unam sit* cod. K *unam contingit*.

[7] Cfr. supra pag. 555, nota 7. et pag. 556, nota 5. — *Aequivoca*, ut Aristot., de Praedicam. c. 1. exponit, dicuntur quorum nomen solum commune est, secundum nomen vero substantiae ratio diversa.

[8] Vers. 12. — Vide August., in Ioan. tract. 46. n. 8. Cfr. supra pag. 766, nota 5. Damasceni verba integra iam supra pag. 569, nota 4. allata sunt. Vide etiam supra pag. 576, nota 4. definitionem timoris, quam Aristot. perhibet. — In prima definitione timoris Vat. pro *quod* [cod. A *id quod*, cod. W *quis quod*] *habet* substituit *quod amat*, et paulo inferius pro *rationem* cod. Y *definitionem*.

[9] Cfr. supra a. 2. q. 3, ubi etiam duae ultimae obiectiones infra propositae insinuantur.

tione *boni:* ergo videtur similiter de timore. — Sed contra est, quod timor *viae* est respectu mali, timor autem *patriae* non potest esse respectu mali, cum ibi nullum sit malum: ergo non videtur, quod timoris *viae* et timoris *patriae* possit esse [1] unum obiectum commune, ac per hoc nec una communis ratio assignari. — Item, timor *viae* est respectu futuri, timor autem *patriae* respectu futuri non potest esse: ergo non possunt communicare in ratione unius obiecti.

Respondeo: Dicendum, quod timor, cum multas habeat differentias, de illis nec dicitur omnino *univoce* nec *aequivoce*, sed secundum quandam Notandum. *analogiam*. Ubi autem est *analogia*, ibi est comparatio ad aliquid unum secundum prius et posterius, maxime ubi est dicere *proprie analogia* [2]; et ideo timor secundum omnes suas differentias habet aliquod obiectum unum sive unam rationem obiecti, circa quod consistit eius actus secundum prius et poste- Obiectum timoris. rius. Obiectum autem timoris sub ratione sua gene- Actus ipsius. rali est *arduum;* actus vero communis est *resilitio* ab illo arduo; et hoc est in omni timore reperire [3]. Unde una communis ratio potest de omni timore as- Definitio. signari, ut dicatur, quod timor est resilitio ab aliquo arduo sive excellente, sive illud arduum sit in genere *boni*, sive sit in genere *mali*. Sed cum est in genere *boni*, est resilitio cum *reverentia;* cum vero est in genere mali, est resilitio cum *fuga*.

Sed quia iuxta *analogiam* frequenter latet *aequivocatio* quaedam, secundum Philosophum [4]; propter tollendam ambiguitatem Magister primo maluit *dividere* quam *definire;* quia in multiplicibus primo est dividendum et postea definiendum. — Et hinc est, Ad 1. quaest. quod Augustinus et Damascenus timorem definiunt non quidem in sua *generalitate*, sed respectu *mali*. Et quia timor respectu *mali* duplicem actum habet, unum antecedentem, qui est *aestimatio* sive suspicio, qua quis credit, malum sibi superventurum; alium consequentem [5], qui est *fuga* illius mali aestimati: hinc est, quod unus illorum definit per *exspectationem*, alter vero per *fugam*, ita quod nulla est ibi controversia. Accipitur enim ibi *exspectatio* large pro quacumque *aestimatione* sive credulitate de adventu mali. — Et per hoc patet responsio ad primum, quod quaerebatur de timoris notificatione.

Ad illud vero quod quaerebatur ulterius de ti- Ad 2. quaest. moris obiecto; dicendum, quod obiectum eius est arduum sub ratione ardui et excellentis et quodam modo superexcellentis [6]. — Unde quod obiicit de malo et de futuro, non valet, quia illa ratio non respicit timorem nisi quantum ad statum *viae*, nec adhuc *generaliter;* in statu enim *viae* est timor reverentiae, sicut ex praecedentibus [7] habitum est.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sciendum est, quatuor timores esse, scilicet mundanum et humanum* etc. Et obiicitur *contra hoc* primo, quia videtur Magister esse *insufficiens;* omittit enim timorem naturalem [8]. — Item, obiicitur, quia videtur *sibi contradicere:* primo enim dicit, *quatuor* esse timores, et postmodum subiungit *quinque*. Quodsi *tu dicas*, quod ipse enumerat pro uno *mundanum* et *humanum; contra:* timor *mundanus* surgit ex *concupiscentia oculorum*, timor *humanus* ex *concupiscentia carnis* [9]; sed istae concupiscentiae sunt diversae: ergo et illi timores.

Iuxta hoc quaeritur, cum sex differentiae assi- Quaestio. gnantur, videlicet *naturalis*, *mundanus* et *humanus*, *servilis*, *initialis* et *filialis*, penes quid sumantur et quomodo distinguantur.

Respondeo: Dicendum, quod sex differentiae ti- Ad quaestionem. moris habent distingui secundum differentiam suarum *originum*. Timor enim aut est ex *natura*, aut ex *libidine* sive *concupiscentia*, aut ex *gratia*. — Si est ex *natura*, tunc est timor *naturalis* [10]. — Si est ex *concupiscentia*, hoc dupliciter: aut est ex nimio amore *sui*, aut ex nimio amore *suorum*. Si ex nimio amore *sui*, sic est *humanus;* si ex nimio amore *suorum*, sic est *mundanus*. — Si autem ex *gratia:* aut ex gratia *gratis data*, et sic est *servilis;* aut ex gratia *gratum faciente*, sed *inchoata*, et sic est *initialis;* aut est ex gratia *perfecta*, et sic est *filialis* [11]. — Et sic patet, quod sex sunt differentiae timoris secundum suam generalem divisionem ex parte suae originis.

---

[1] Cod. Z *assignari*. Paulo superius pro *non potest esse* edd. *non est*.

[2] Cfr. Aristot., VII. Phys. text. 24. seqq. (c. 4.), et IV. Metaph. text. 4. (III. c. 2.). — Mox post *aliquod obiectum* auctoritate cod. K supplevimus *unum*.

[3] Vide supra d. 26. a. 2. q. 1. et 4. seq., nec non Ioan. de Rupella, Sum.-de anima, p. II. c. 31.

[4] Libr. VII. Phys. text. 31. (c. 4.). Cfr. II. Poster. c. 15. (c. 12.), et I. Topic. c. 13. Ibid. c. 14. (c. 16.) dicitur (quae verba proposit. seq. tangunt): Si enim immanifestum sit, *quotupliciter* dicitur, contingit non ad idem etiam qui respondet et qui interrogat ferre intellectum etc. — Paulo inferius post *Et hinc* [cod. G *hoc*] *est, quod* codd. G I L T aa et edd. 1, 2 inserunt *dicit*, et dein post *timorem* subiiciunt *vero*, edd. 1, 2 *enim*.

[5] Sic Vat., cuius lectio procul dubio aptior praestantiorque est quam scriptura codicum, quorum alii (etiam edd. 1, 2) exhibent *et consequenter* [cod. A *consequentem*] *est fuga*, alii *et consignificat consequenter* [cod. F *consequentem*, codd. G I L N O *quantum*]. Paulo ante pro *qua quis* codd. F G H I L N T V *et quia quis*, cod. K *quando quis*.

[6] Cod. A *superexcedentis*.

[7] Art. 2. q. 1. seq. — Pro *ex praecedentibus* codd. A K Z *in praecedentibus*. — Quoad hoc dubium cfr. B. Albert., hic a. 6; S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1.

[8] Vide hic lit. Magistri, c. 9.

[9] Respicitur I. Ioan. 2, 16. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4. — Post pauca pro *assignantur* cod. Z *distinguuntur*, edd. *assignentur*.

[10] Cfr. Damasc., III. de Fide orthod. c. 23, et supra d. 15. dub. 3.

[11] Cfr. supra a. 1. q. 2. ad 4. et a. 2. q. 2.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod Magister est *insufficiens*, quia non ponit nisi quatuor; dicendum, quod Magister, cum intendat hic agere de timore-dono [1], non dividit timorem nisi eatenus, quatenus ad propositum suum spectat. Timor autem donum quadrupliciter habet considerari: aut per comparationem ad suum *oppositum*, quod expellit; et hic est timor malus, qui opponitur dono Spiritus sancti, ut *mundanus* et *humanus*, quos Magister non dividit, licet sint timores diversi, quia sub una ratione eos considerat, videlicet in quantum *oppositionem* habent ad donum timoris. — Aut per comparationem ad *obiectum minus principale*, et hoc quidem est malum *poenae;* et sic est timor *servilis*. — Aut per comparationem ad *obiectum magis principale*, quod quidem est malum *culpae* sive offensae; et sic est timor *initialis*. — Aut per comparationem ad *obiectum maxime principale*, quod quidem est excellentia [2] Maiestatis divinae; et quantum ad hoc est timor *filialis*. — Et sic patet, quod secundum quadruplicem comparationem ipsius timoris-doni assignantur quatuor timoris differentiae; et Magister sufficienter dividit timorem, quantum spectat ad propositum.

Comparatio quadruplex.

Aliter potest dici, quod timor sub ratione doni potest secundum aliam considerationem quadrupliciter dividi: quia timor aut est *simpliciter oppositum* [3] dono, et sic est una differentia, videlicet *mundanus* et *humanus;* aut est *donum*, tamen *cum opposito* doni, et sic est timor *servilis;* aut est donum *non* [4] *cum opposito*, tamen cum quadam *approximatione ad oppositum*, et sic est timor *initialis;* aut est *perfectum donum*, et sic est timor *filialis*. — Et sic patet sufficientia horum membrorum et dissolutio obiectorum [5].

Alia solutio.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Attende, quod hic quatuor distinguuntur timores, cum supra Beda dixerit, duos esse;* ex hoc enim videtur, quod vel Magister sit *superfluus*, vel Beda *diminutus*. — Item, iuxta hoc quaeritur de divisione, quam ponit Damascenus [6], ubi dividit timorem in sex differentias, quarum nullam ponit nec Magister nec Beda; dicit enim, quod « sex sunt genera timorum, videlicet *segnities*, *erubescentia*, *verecundia*, *admiratio*, *stupor* et *agonia* ». Videtur enim secundum hoc, quod aut ipse Damascenus, aut Magister in dividendo non recte procedit [7]. — Iuxta hoc etiam quaeritur de sufficientia membrorum, quae ponit Damascenus.

Quaestiones 2 de divisione Damasceni.

Respondeo: Dicendum, quod est loqui de timore [8], secundum quod est *donum praecise;* aut secundum quod est *donum* et *oppositum dono;* aut secundum quod comprehendit *donum* et *oppositum dono* et *passionem naturae;* aut specialiter de ipso, secundum quod timor est *passio*. — Si secundum quod est *donum;* sic dividitur in duo membra, et sic accipit Beda, dividens timorem in *servilem* et *castum*, quia potest esse donum gratuitum, aut gratis datum. — Si secundum quod comprehendit *donum* et *oppositum dono;* sic est divisio Magistri in quatuor membra, secundum quod dictum fuit supra [9]; et quia Magister largius accipit, ideo plura membra ponit. — Si autem accipitur, prout comprehendit *donum* et *oppositum dono* et etiam *passionem naturae;* sic dividitur in sex membra prius [10] posita. — Si vero, prout accipitur specialiter pro *passione naturae;* sic est divisio Damasceni, quae est quasi subdivisio respectu praecedentis.

Ad 1. quaest. Timor sumitur quadrupliciter. Divisio quadruplex.

Sufficientia autem et numerus horum membrorum sic patet: quia *timor-passio* aut est respectu *mali*, aut respectu *ardui*. Si respectu *mali*, hoc est dupliciter: aut respectu mali *poenae*, aut respectu mali *culpae*. — Si respectu mali *poenae*, hoc est dupliciter [11]: quia aut respectu mali *poenae in se*, aut respectu mali *poenae in ordine ad culpam*. — Si respectu mali *poenae in se*, hoc est dupliciter: aut prout timetur *difficultas in opere* superexcedens vires nostras; et sic est *segnities*, de qua dicit ipse Damascenus [12], quod « segnities est timor futurae operationis ». — Aut prout timetur malum *poenae*, nec tamen est a *nobis*, sed potius a *fortuna* et per accidens; et sic est ipsa *agonia*, de qua dicit ipse Damascenus, quod « agonia timor est per *casum* sive infortunium ». — Si autem est timor respectu mali *poenae* [13] in comparatione ad *culpam*, hoc potest esse dupliciter: aut respectu culpae, quae iam *est;* et sic est *verecundia*, de qua dicit Damascenus, quod « verecundia est timor in turpi actu »; aut respectu culpae, quae iam *non est*, sed potest esse; et sic est *erubescentia*, de qua dicit Damascenus, quod « erubescentia est timor in ex-

Ad 2. quaest. Distinctiones cum subdistinctionibus. Species 1. Species 2. Species 3. Species 4.

---

[1] Codd. A F G I L N T V *de timore divino*. Mox pro *quatenus* plurimi codd. *qua*, cod. na *quantum*. Subinde pro *Timor autem* [cod. T *enim*] *donum* codd. F N *Timor autem Domini*.

[2] Ita cod. U, in aliis *excellentiae*. Paulo inferius pro *ipsius timoris doni* cod. K *in ipsius timoris dono*.

[3] Codd. U Z *oppositus;* codd. N T *opponitur*.

[4] Ita codd. H I aa bb; in aliis et edd. perperam deest *non*.

[5] Vide de hoc dubio B. Albert., hic a. 7; S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 2.; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 3; qui tres auctores ibi etiam de seq. dubio tractant.

[6] Libr. II. de Fide orthod. c. 15. — Paulo superius post *videtur, quod* cod. W inserit *in illis*, plures alii codd. *nullus*.

[7] Codd. U Z *procedat*. Mox cod. A *horum membrorum*.

[8] Edd. *loqui quadrupliciter de timore: aut secundum* etc. et in fine enuntiati *est passio naturae*.

[9] Dub. praeced.

[10] In principio solut. dubii praeced.

[11] Exhibemus lectionem cod. U, quae complectior est aliis, in quibus praecedens divisio *mali* omittitur.

[12] Libr. II. de Fide orthod. c. 15, unde et seqq. definitiones sumtae sunt. Cfr. Ioan. de Rupella, Sum. de anima, p. II. c. 10.

[13] Ita codd. A P S U Z bb in aliis et edd. *Si autem est timor mali respectu poenae*.

spectatione convitii[1]». — Si autem est respectu *arduí* sive magni, aut est magnum, in quod *non possumus* cognoscendo et operando propter defectum
Species 5. cognitionis; tunc est *admiratio*, de qua dicit Damascenus, quod «admiratio est timor in magna imaginatione phantasiae[2]»; aut est arduum, ad quod
Species 6. *inassueti* sumus; et sic est *stupor*, de quo dicit, quod «stupor est timor ex inassueta imaginatione».

Vel aliter: timore-passione aut timetur quod
Aliter monstratur sufficientia. est *vere* timendum, aut timetur quod *de se* timendum non est, sed propter defectum a parte *timentis*[3]. Si timetur quod est timendum *de se*, hoc potest esse tripliciter: quoniam aut est *praesens*, et sic est verecundia; aut *futurum certum*, et sic est erubescentia; aut *futurum dubium*, et sic est agonia. Si autem timetur aliquid propter defectum a parte *timentis*, hoc potest esse tripliciter: aut propter defectum *virtutis*, et sic est segnities; aut propter defectum *cognitionis*, et sic est admiratio; aut propter defectum *consuetudinis*, et sic est stupor. — Et sic patet praedictorum numerus et sufficientia; et per hoc etiam patet responsio ad obiecta[4].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod Beda vocat *amicabilem timorem castum*. Videtur enim, quod alius sit timor *castus*, et alius timor *amicabilis*[5], et alius timor *filialis*. Aliud enim timet *sponsa*, et aliud *amicus*, et aliud *filius*. *Filius* enim timet patris indignationem, *amicus* voluntatum dissensionem, *sponsa* complexuum separationem: ergo videtur, quod illi sunt diversi timores. — Iuxta hoc quaeritur: propter quid timor perfectus sortitur illa tria voca-
Quaestio. bula; et quare magis vocatur *amicabilis* quam *socialis?*

Respondeo: Dicendum, quod licet isti timores in his sensibilibus[6] habeant differentiam, tamen respectu Dei unus et idem timor censetur hoc triplici nomine. Sicut enim una est gratia, quae facit esse *filium* Dei per adoptionem, facit etiam *amicum* et *desponsat* animam in coniugium[7]; sic etiam in proposito est intelligendum, quoniam unus et idem timor est, quo quis timet amittere Deum sive separari a Deo sub hac triplici ratione. — Et ex hoc patet, quare iste timor hoc triplici nomine nominetur[8]; patet etiam responsio ad obiecta. Ad quaestionem.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *uterque timor, scilicet initialis et servilis, dicitur initium sapientiae*. Si enim timor *initialis* dicitur, quia in eo inchoatur sapientia et gratia; timor autem *servilis* est huiusmodi: videtur ergo, quod timor *servilis* sit *initialis;* quod falsum est. — Iuxta hoc quaeritur: propter quid timor in sacra Scriptura potius dicitur *initium sapientiae* quam aliud donum; et quare magis dicitur *initium sapientiae* quam alicuius alterius doni, aut virtutis, aut gratiae? Quaestiones.

Respondeo: Dicendum, quod cum duplex sit initium, videlicet *intra*, vel *extra*[9]; *initialis* denominatur a principio *intra*, quod est naturae principium intrinsecum; *servilis* autem habet rationem principii *extra*, et propterea nec est nec debet dici *initialis*. Notandum.

Ad illud quod quaeritur: quare magis dicitur *principium sapientiae* quam aliud donum, et quare magis *sapientiae*[10] quam alterius doni? dicendum, quod in proficiendo in bonum donum *timoris* est primum inter omnia dona, et donum *sapientiae* est supremum. Quia ergo ratio *initii* et *principii* debet attribui primo; hinc est, quod ratio *initii* debet attribui *timori*. — Quia vero in summo est *status*[11]; hinc est, quod *timor* magis dicitur principium *sapientiae* quam alicuius alterius doni. — Alia vero, quae dicuntur in littera, sunt satis plana. Ad quaestiones.

Ex his autem, quae in littera dicta sunt, possent formari sex problemata de timore, ut primum sit de timoris definitione; secundum de obiecto; tertium de divisione Magistri; quartum de divisione Damasceni[12]; quintum de doni gratuiti nominatione; sextum et ultimum de eius comparatione ad donum sapientiae. Nota.

---

[1] Pro *convitii* (ψόγου) edd. falso *cogniti*.

[2] Pro *phantasiae* (in textu Graeco legitur φόβος ἐκ μεγάλης φαντασίας) edd. perperam *finita*.

[3] Edd. omittunt *sed propter defectum a parte timentis* et paulo inferius pro iisdem verbis substituunt *quod de se timendum non est*. Paulo superius pro *est vere timendum* edd. *est de se timendum*.

[4] De hoc dubio praeter supra cit. locos cfr. S. Thom., hic circa lit.

[5] Plurimi codd. hic et inferius *amicalis*.

[6] Edd. cum multis codd. *sensibus*.

[7] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. seq. et d. 29. a. 1. q. 1.

[8] Cod. A *nominatur*, cod. U *censetur*. — Cfr. solut. huius dubii apud B. Albert., hic a. 9. quaestiunc. 5, et apud Petr. a Tar., hic circa lit.

[9] Aristot., III. Ethic. c. 1, *voluntarium* docet esse quod ex principio *intrinseco* efficiatur, *involuntarium* (ad quod quodam modo reducitur factum ex *timore*), quod ex principio *extrinseco*.

[10] Edd. omittunt *quam aliud... sapientiae*. Paulo ante pro *principium sapientiae* codd. N Z *initium sapientiae*, cod. O *initium vel principium sapientiae*.

[11] Edd. cum paucis codd. *quia non in summo status* [Vat. *statu*] *est*. — Cfr. supra p. I. dub. 2, et de hoc 5. dubio S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

[12] Edd. 1, 2 cum plurimis codd. *doni*.

DISTINCTIO XXXV.

Cap. I.

De sapientia et scientia, quo differant.

Post praemissa diligenter considerandum est, in
Augustinus. quo differat *sapientia* a *scientia*. De hoc Augustinus [1] ita ait: « Philosophi disputantes de sapientia definierunt
Dubium 1. eam dicentes: *Sapientia* est rerum humanarum divinarumque scientia. Ego quoque utrarumque rerum cognitionem, id est divinarum et humanarum, et *sapientiam* et *scientiam* dici posse, non nego. Verum iuxta distinctionem Apostoli, qua dixit: *Alii datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae*, illa definitio dividenda est, ut rerum divinarum cognitio *sapientia* proprie nuncupetur, humanarum vero cognitio proprie *scientiae* nomen obtineat. Neque vero quidquid sciri ab homine potest in rebus humanis, ubi plurimum supervaDubium 2. cuae vanitatis et noxiae curiositatis est, *huic scientiae* tribuo, sed illud tantum, quo fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur; qua *scientia* non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam; aliud est scire, quomodo hoc ipsum et piis opituletur et contra impios defendatur, quae proprio vocabulo appellatur *scienAugustinus. tia* ». De his quoque duabus virtutibus idem Augustinus [2], differentiam inter eas assignans, super Psalmum ait: « Distat *sapientia* a *scientia*, testante sancto Iob, qui quodam modo singula definiens ait: *Sapientia est*
Dubium 3. *pietas, scientia vero est abstinere a malis. Pietatem* vero hoc loco posuit Dei cultum, quae Graece dicitur *theosebia*, quae est in cognitione et dilectione eius quod semper est et incommutabiliter manet, quod Deus est. *Abstinere* vero a *malis* est in *medio pravae nationis* prudenter *versari* ». Idem quoque, inter haec duo
Augustinus. aperte distinguens, ait in libro duodecimo de Trinitate [3]: « Distat ab aeternorum contemplatione actio, qua bene utimur temporalibus rebus, et illa *sapientiae*, haec *scientiae* deputatur; quamvis et illa, quae *sapientia* est, possit nuncupari *scientia*, ut Apostolus [4] loquitur, ubi dicit: *Nunc scio ex parte;* quam scientiam profecto contemplationis Dei vult intelligi. In hoc ergo differentia est, quia ad contemplationem *sapientia*, ad actionem vero *scientia* pertinet ». — Ecce aperte demonDubium 4. stratum est, in quo differant spiritus *sapientiae* et spiritus *scientiae*, scilicet ut *sapientia* divinis, *scientia* humanis attributa sit rebus. Et ut docet Augustinus [5], utrumque agnoscimus in Christo, scilicet et rem divinam et rem humanam, et ideo de ipso habemus *sapientiam* et *scientiam*. « Cum enim legitur: *Verbum* Augustinus. *caro factum est;* in *Verbo* intelligitur verus Dei Filius, in *carne* agnoscitur verus hominis filius ». Item, cum dicitur: *Vidimus plenum gratiae et veritatis; gratiam* referamus ad *scientiam*, et *veritatem* ad *sapientiam*, quia in Christo *scientia* et *sapientia* fuit plenarie, et nos *scientiam* et *sapientiam* de eo habemus, qui Deus est et homo.

Cap. II.

In quo differat sapientia ab intellectu.

Ostensa differentia inter *scientiam* et *sapientiam*, quid distet inter *sapientiam* et *intellectum*, videamus. — In hoc differunt illa duo, quia *sapientia* proprie est de aeternis, quae Veritati aeternae contemplandae intendit; *intelligentia* vero non modo de aeternis est, sed etiam de rebus invisibilibus et spiritualibus temporaliter exortis. Per eam enim et natura summa, quae fecit omnes naturas, id est divina, consideratur, et quae post ipsam sunt spirituales et invisibiles naturae, ut Angeli et omnes animae bonae affectiones conspiciuntur. In hoc ergo differentia est, quia *sapientia* Creator tantum conspicitur [6], *intellectu* vero et Creator et creatura quaedam. Item, *intellectu* intelligibilia capimus tantum, *sapientia* vero non modo capimus superiora, sed etiam in cognitis delectamur. Sic ergo distingui potest inter illa tria, scilicet *scientiam*, *intellectum* et *sapientiam: scientia* valet ad rectam administrationem rerum temporalium et ad bonam inter malos conversationem, *intelligentia* ad Creatoris et creaturarum invisibilium speculationem, *sapientia* vero ad solius aeternae Veritatis contemplationem et delectationem.

Cap. III.

Utrum intellectus et scientia, quae inter dona numerantur, sint illa quae naturaliter habet homo.

Et notandum, quod *intellectus* et *scientia*, quae dicuntur dona Spiritus sancti, alia sunt ab *intellectu* et *scientia*, quae naturaliter sunt in anima hominis. Hae enim *virtutes* sunt, quae per gratiam infunduntur animis fidelium, ut per eas recte vivant; illa vero naturaliter habet homo ex beneficio creationis, a Deo tamen. Per has autem virtutes, quae dicuntur Spiritus sancti *dona*, illa naturalia reformantur atque adiuvan-

---

[1] Libr. XIV. de Trin. c. 1. n. 3. Locus Scripturae est I. Cor. 12, 8. — Post *humanarum vero* plurimae edd. adiiciunt *rerum*.

[2] Enarrat. in Ps. 135, n. 8, nonnullis mutatis; cfr. Enchirid. c. 2. n. 1. Locus Scripturae est Iob 28, 28. (Vulgata: Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia) et respicitur Phil. 2, 15. — Pro *versari*, quod habent codd. B C D E et edd. 1, 8 cum originali, in aliis *conversari*.

[3] Cap. 14. n. 22. — Pro *sapientia est* edd., exceptis 1, 8, *sapientiae est*, refragantibus codd. et originali.

[4] Epist. I. Cor. 13, 12. — Pro *loquitur* edd., exceptis 1, 8, *asserit*, refragante etiam originali. Infra pro *differant spiritus* codd. A B C E et edd. 1, 8 *differat spiritus*.

[5] Libr. XIII. de Trin. c. 19. n. 24, nonnullis mutatis. Loci duo Scripturae sunt Ioan. 1, 14. Etiam quae sequuntur excerpta sunt ex eodem loco Augustini.

[6] Edd. 1, 8 *inspicitur*. — Quae hic dicuntur de obiecto doni *intellectus* excerpta esse videntur ex August., XII. de Genes. ad lit. c. 24. n. 50, ubi idem docetur de « *intelligentiae lumine* », quo Deus, spiritus et « omnis animae affectio bona » intelligatur.

tur, ut verbi gratia, intellectus naturalis, peccato obtenebratus, per virtutem quandam et gratiam, quae dicitur *spiritus intelligentiae*, reformatur atque adiuvatur [1] ad intelligendum; ita et per illam virtutem, quae dicitur *spiritus sapientiae*, iuvatur atque erigitur mentis ratio ad contemplationem et delectationem aeternae Veritatis.

Illud etiam sciendum est, quod *sapientia*, de qua nunc disserimus, non illa est Dei sapientia, ut ait Augustinus [2], quae Deus est, sed hominis sapientia, verumtamen quae secundum Deum est ac verus et praecipuus cultus eius est. Si ergo colat mens hominis Deum, cuius ab eo capax facta est et cuius esse particeps potest, sapiens ipsa fit, et non sua luce, sed summae illius lucis participatione sapiens fit. Ista ergo hominis sapientia etiam Dei est; verum non ita Dei est, ut ea sapiens sit Deus; non enim participatione sui sapiens est, sicut mens participatione Dei. Sic etiam dicitur *iustitia Dei* non solum illa qua ipse iustus est, sed etiam illa quam dat homini, cum iustificat impium.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXV.

De dono sapientiae, intellectus et scientiae.

Post praemissa diligenter considerandum est etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de donis generaliter et de timore specialiter. In hac vero parte de aliis donis determinat satis breviter, maxime de donis, quae sunt ex parte cognitivae, scilicet de sapientia, intellectu et scientia, ostendens differentiam [1] inter se et ad alia. Et ideo pars ista dividitur in partes duas. In quarum prima assignat differentiam inter dona tria praedicta. In secunda vero assignat differentiam ipsorum ad alia, quae non sunt dona, ibi: *Et notandum, quod intellectus et scientia* etc.

Prima pars dividitur in duas. In quarum prima assignat differentiam inter sapientiam et scientiam. In secunda vero assignat differentiam intellectus ad duo praedicta, ibi: *Ostensa differentia inter sapientiam et scientiam.*

Similiter secunda pars principalis dividitur in duas. In quarum prima assignat differentiam ipsius intellectus et scientiae, prout sunt dona, ad se ipsa, et [2] prout sunt acquisita. In secunda vero assignat differentiam inter sapientiam-donum et Sapientiam increatam, ibi: *Illud etiam sciendum est, quod sapientia, de qua disserimus* etc. Divisiones vero partium satis manifestae sunt in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio circa sex, secundum quod sex dona sunt ultra donum timoris, licet Magister in littera [3] non tangat nisi tria.

Primo quaeritur, quis sit actus, et quod [4] obiectum proprium doni sapientiae.

Secundo, quis sit actus, et quod obiectum doni scientiae.

Tertio, quis sit actus, et quod obiectum doni intellectus.

Quarto, quis sit actus, et quod obiectum doni consilii.

Quinto, quis sit actus, et quod obiectum doni fortitudinis.

Sexto et ultimo, quis sit actus, et quod obiectum doni pietatis.

ARTICULUS UNICUS.

De ceteris sex donis Spiritus sancti in specie.

QUAESTIO I.

Utrum actus doni sapientiae attendatur penes cognitionem veri, an penes affectionem boni.

Circa primum sic proceditur et quaeritur de actu et obiecto ipsius doni sapientiae, utrum videlicet actus ipsius doni attendatur penes cognitionem veri, an penes affectionem boni. Et quod actus eius attendatur in *cognoscendo*, videtur:

1. Primo per verbum Sapientis, Proverbiorum Ad oppositum.

---

[1] Codd. A B C D *iuvatur.*

[2] Libr. XIV. de Trin. c. 1. n. 1; cfr. ibid. c. 12. n. 15. — Infra pro *verum non ita Dei est, ut* edd. 1, 8 *Verumtamen ita Dei est, ut non.* Deinde plurimae edd. repetunt *Deus* ante *sicut mens.*

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Cod. U addit *eorum.* Subinde ante *alia* codd. H K Z omittunt *ad.*

[2] Verba *prout sunt dona, ad se ipsa, et* absunt ab edd., et verba *ad se ipsa* etiam a cod. F omittuntur, sed hic solus bene habet *et* post *ipsa.* Inferius pro *Divisiones* codd. K S *Subdivisiones.*

[3] Hic c. 1. seqq., et quidem agit tantummodo de dono sapientiae, scientiae et intellectus.

[4] Edd. omittunt hic et in seqq. propositionibus *quod*, pro quo pauci codd. habent *quid.*

primo [1]: *Audiens sapiens sapientior erit;* sed auditus in nobis est via ad acquirendum habitum cognitionis: si ergo per auditum crescit in nobis sapientia, secundum quod dicitur in verbo proposito et in aliis pluribus eiusdem libri auctoritatibus; videtur, quod actus doni sapientiae sit *cognitivus.*

2. Item, hoc ipsum ostenditur per Augustinum in decimo quarto libro de Trinitate [2], ubi definiens sapientiam dicit, quod « sapientia est rerum divinarum humanarumque cognitio », approbans notificationem philosophorum in parte illa de ipsa sapientia: si ergo definit sapientiam recte et per actum proprium, videtur, quod actus ipsius doni sapientiae sit divina et humana cognoscere.

3. Item, Gregorius in Moralibus tractans illud Iob primo [3]: *Ventus vehemens* etc.; dicit, quod donum sapientiae datum est in remedium contra stultitiam: ergo defectus stultitiae et donum sapientiae directe opponuntur; « opposita autem nata sunt fieri circa idem », secundum quod vult Philosophus: cum ergo stultitia dicat defectum in actu cognoscendi, videtur, quod actus sapientiae-doni sit potentiae cognitivae.

4. Item, hoc videtur *ratione*, quoniam sapientia appropriatur Filio; sed cum in imagine creata sit aliqua reperire ex parte intellectus, et aliqua ex parte affectus; quae sunt affectionis appropriantur Spiritui sancto, qui est amor, quae vero cognitionis appropriantur Filio [4]: cum ergo sapientia ei approprietur, videtur etc.

5. Item, nullus amans aliquid, quantumcumque circa illud afficiatur, sapiens dicitur ex hoc, nisi illud cognoscat: ergo actus doni sapientiae maxime attenditur in faciendo cognoscere.

Fundamenta.

Sed contra hoc obiicitur: 1. Primo auctoritate Sapientis, Ecclesiastici sexto [5]: *Sapientia doctrinae secundum nomen suum est, et non in multis est manifesta:* si ergo sapientia a *sapore* dicitur, et *sapor* respicit affectionem interiorem; videtur, quod proprius actus doni sapientiae sit *affectivus.*

2. Item, Gregorius in Moralibus super primum Iob [6] dicit, quod sapientia est donum « spe et certitudine aeternorum mentem reficiens »; sed refectio spectat ad gustum et affectum: ergo et praecipuus actus ipsius doni sapientiae est affectivus.

3. Item, Dionysius dicit in libro de Divinis Nominibus, capitulo *de sapientia* [7]: « Hanc igitur stultam et amentem sapientiam laudamus » etc.; et alia littera: « Hanc igitur irrationalem et dementem et stultam sapientiam excellenter laudantes dicimus » etc. Si ergo loquitur ibi de sapientia, quae est donum Dei, sicut patet, et hanc dicit stultam et amentem; videtur, quod actus istius doni ex parte affectionis se teneat, et nullatenus ex parte rationis.

4. Item, Bernardus in libro de Amore Dei, secundo capitulo [8] dicit, quod « amor crescit in caritatem, caritas in sapientiam »: ergo cum caritas et amor et ipsius caritatis actus sint partis affectivae, videtur, quod et sapientiae actus sit affectivus, cum principalis actus non varietur ratione profectus.

5. Item, nec in dono sapientiae nec in eius actu est reperire excessum — nemo enim nimis est sapiens — sed in actu cognitionis circa divina contingit valde de facili excedere: videtur ergo, quod actus doni sapientiae omnino se teneat ex parte affectionis, et nullatenus ex parte cognitionis. — *Si* forte *dicas*, quod actus eius *simul* est ex parte *cognitionis* et *affectionis; contra* hoc est: quia maior est diversitas in habitibus, quam sit in potentiis; sed ratione illorum actuum, qui sunt *cognoscere* et *affici*, diversificantur potentiae animae, ita quod nunquam sunt actus eiusdem potentiae [9]: ergo pari ratione videtur, quod nunquam sint actus eiusdem habitus. *Si tu dicas*, quod non possunt esse actus eiusdem habitus *principales;* tunc quaeritur, quis sit eius actus principalis et praecipuus, utrum *cognitivus*, vel *affectivus;* et per primas rationes videtur, quod *cognitivus*, per secundas, quod *affectivus:* et ita redit eadem quaestio, quae prius.

---

[1] Vers. 5. Cfr. ibid. 4, 10. seq.; 8, 33; 12, 15; 19, 20; 23, 19. — De *minori* cfr. Aristot., de Sensu et sens. c. 1, et supra d. 24. dub. 2. — Paulo ante cod. U verbo *cognoscendo* adiungit *verum.*

[2] Cap. 1. n. 3. Cfr. XIII. c. 19. n. 24; I. contra Academicos, c. 6. n. 16, et hic lit. Magistri, c. 1. Cfr. etiam Aristot., I. Rhetor. c. 25. (c. 11.), et XI. Metaph. c. 6. (X. 7.), ubi eadem definitio sententialiter tantum profertur. Ad verbum autem habetur apud Ciceron., V. Tuscul. Disp. c. 3, et II. de Offic. c. 2; apud Clem. Alex., I. Strom. c. 5; apud Orig., III. contra Cels. n. 72. — Paulo inferius pro *definit sapientiam* cod. A *definitur sapientia.*

[3] Vers. 19. — De Gregorii sententia (II. Moral. c. 49. n. 77.) cfr. supra pag. 736, nota 8, et de sententia Philosophi supra pag. 515, nota 1.

[4] Vide I. Sent. d. 31. p. II. a. 1. q. 3. et d. 34. q. 3. ac dub. 7.

[5] Vers. 23. — In testimonio allato Vulgata pro *suum* exhibet *eius* et omittit *in.* — Isidor., X. Etymolog. n. 240: *Sapiens* dictus a *sapore*, quia, sicut gustus aptus est ad discretionem saporis ciborum, sic sapiens ad dignoscentiam rerum atque causarum, quod unumquodque dignoscat atque sensu veritatem discernat. Cui contrarius est *insipiens*, quod sit *sine sapore* nec alicuius discretionis vel sensus. Cfr. supra pag. 612, nota 3. — Pro *affectionem* cod. Z *affectum*, et in fine arg. pro *affectivus* codd. A K *affectus*, cod. bb *affectionis.*

[6] Vers. 4. — Gregor., I. Moral. c. 32. n. 44.

[7] Paragr. 1. Abbas Vercell. locum e Dionysio allegatum sic reddit: « Aeternam sapientiam irrationabilem et amentem et stultam excedenter laudantes dicimus, quod ipsa est causa omnis mentis et rationis et omnis sapientiae » etc. Scotus Erigena sic: « Hanc igitur irrationalem et mente carentem et stultam sapientiam supereminenter laudantes dicimus, quia totius est animi et rationis et totius sapientiae et intellectus causa » etc. Dionysius illam sententiam dixit relate ad illud I. Cor. 1, 25: *Quod stultum est Dei sapientius est hominibus.* — In *alia littera* (versione) adducta pro *laudantes dicimus* (ὑμνοῦντες; εἴπωμεν) codd. et edd. vitiose *intuentes dicunt.* — In fine arg. cod. Z *ex parte cognitionis vel rationis.*

[8] Num. 3. Cfr. supra pag. 596, nota 7. — Paulo inferius codd. A H I L aa omittunt *et* ante *ipsius caritatis.*

[9] Cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1. et 3. in corp. — Paulo ante pro *quia maior* cod. U *quod maior.* In fine arg. cod. U definitiones sapientiae adiungit, quae infra in corp. occurrunt, simulque notat, sapientiam quadrupliciter sumi posse.

CONCLUSIO.

Praecipuus actus doni sapientiae est ex parte affectivae, ita ut in cognitione inchoetur et in affectione consummetur.

Respondeo: Dicendum, quod sapientia quadrupliciter accipi consuevit tam a philosophis quam a Sanctis, videlicet *communiter* et *minus communiter* et *proprie* et *magis proprie*. — *Communiter* accipiendo sapientiam, sic sapientia dicit cognitionem rerum generalem, secundum quod eam definit Augustinus et Philosophus, quod « sapientia est cognitio rerum divinarum et humanarum »; et Philosophus in Prima Philosophia [1] dicit, quod « sapiens est qui omnia novit, secundum quod convenit ».

Sapientia quadruplex.

Prima.

Alio modo dicitur sapientia *minus communiter*; et sic sapientia dicit cognitionem non quamcumque, sed cognitionem sublimem, videlicet cognitionem rerum aeternarum. Et sic accipit eam Apostolus primae ad Corinthios duodecimo [2]: *Alii datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae;* secundum quod exponit Augustinus dicens, quod « sapientia est cognitio aeternorum, scientia vero est cognitio creatorum »; et sic etiam dicit Philosophus [3], quod sapientia est « cognitio causarum altissimarum ».

Secunda.

Tertio modo accipitur sapientia *proprie;* et sic nominat cognitionem Dei secundum pietatem; et haec quidem cognitio est quae attenditur in cultu latriae, quem exhibemus Deo per fidem, spem et caritatem, secundum quem modum accipit Augustinus decimo quarto de Trinitate [4], exponens illud Iob: *Ecce pietas ipsa est sapientia,* dicens ibidem, quod *pietas* et *sapientia* idem est quod *theosebia*, et *theosebia* idem est quod cultus divinus, qui consistit in tribus virtutibus, secundum quod ipse dicit in principio Enchiridii ad Laurentium.

Tertia.

Quarto modo dicitur sapientia *magis proprie*, et sic nominat cognitionem Dei experimentalem; et hoc modo est unum de septem donis Spiritus sancti, cuius actus consistit in degustando divinam suavitatem. Et quoniam ad gustum interiorem, in quo est delectatio, necessario requiritur actus *affectionis* ad coniungendum et actus *cognitionis* ad apprehendendum, secundum illud Philosophi [5], qui dicit, quod « delectatio est coniunctio convenientis cum convenienti cum sensu eiusdem »; hinc est, quod actus doni sapientiae partim est cognitivus, et partim est affectivus: ita quod in *cognitione inchoatur* et in *affectione consummatur*, secundum quod ipse gustus vel saporatio est experimentalis boni et dulcis cognitio [6]. Et ideo actus praecipuus doni sapientiae *propriissime* dictae est ex parte affectivae, ratione cuius dicit Ecclesiasticus, quod *sapientia secundum nomen suum est;* et Gregorius dicit, quod actus eius est reficere; et Dionysius dicit, quod istius sapientiae est amentem esse, propter hoc quod melius afficimur circa Deum praevia cognitione, quae est per ablationem et negationem, quam per affirmationem, sicut docet in libro de Mystica Theologia [7]. Ratione etiam istius eiusdem causae dicit Bernardus, caritatem in sapientiam proficere. — Et ex hac eadem causa contingit, quod sapientia non potest esse nimia, quia excessus in experimento divinae dulcedinis potius est laudabilis quam vituperabilis, secundum quod patet in viris sanctis et contemplativis, qui prae nimia dulcedine modo elevantur in ecstasim, modo sublevantur usque ad raptum, licet hoc contingat paucissimis. — Concedendum est igitur, quod actus doni sapientiae praecipuus est ex parte affectionis. Concedendae sunt etiam rationes hoc ostendentes.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Corollarium.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium, quod sapientia crescit per auditum; dicendum, quod *sapientia* sumitur ibi communiter pro cognitione generali, quae quidem est rerum divinarum et humanarum, quae per studium et auditum suscipit incrementum; et ideo non habet hic locum.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud similiter quod obiicit de auctoritate Augustini, patet responsio, quia illo modo [8] eam accipit Augustinus.

3. Ad illud véro quod obiicitur de auctoritate Gregorii, quod sapientia est contra stultitiam; dici potest, quod hoc dicit non quantum ad *ultimum* actum sapientiae, qui attenditur in affectione, sed quantum ad *primum* actum sive praevium, qui consistit in cognitione; donum enim sapientiae in se complectitur utrumque.

---

[1] Libr. I. Metaph. c. 2.

[2] Vers. 8. — Expositio August. plenius habetur hic in lit. Magistri, c. 1. — Pro *cognitio creatorum* cod. A *cognitio creaturarum.*

[3] Libr. I. Metaph. c. 1. seqq. et III. text. 3. (II. c. 2.). Idem dicit VI. Ethic. c. 7, sapientiam esse « scientiam rerum praestantissimarum ».

[4] Cap. 1. n. 1. Cfr. supra pag. 216, nota 4. — Pro *de Trinitate,* quam lectionem ex Guliel. Mara, hic q. 1, in textum recepimus, codd. et edd. exhibent *de Civitate Dei;* perperam, siquidem ibi nihil de Iob legitur; rectius lectorem delegassent ad Lib. X. c. 1. n. 3. istius libri Augustiniani, de quo vide supra pag. 213, nota 9. — Testimonium e libro Iob allatum habetur ibi 28, 28. Pro *Ecce pietas,* quae lectio est septuaginta interpretum, Vulgata *Ecce timor Domini.* — Locus ex August. Enchiridio mox citatus habetur ibi c. 2. seq. n. 1. Cfr. supra pag. 215, nota 4.

[5] Praeter locc. tom. I. pag. 38, nota 4. citt.; cfr. II. de Anima, text. 20. (c. 3.) et III. text. 29. (c. 7.). — Pro *qui dicit* edd. *quo dicit,* cod. A *quod dicit.*

[6] August., XV. de Trin. c. 7. n. 12: Dilectio quoque ubi nulla est, quis ullam dicat esse sapientiam? Cfr. liber de Spiritu et anima, c. 11. Aristot., X. Ethic. c. 7. ait: Iucundissima autem ex virtutis operationibus ea procul dubio est, quae secundum sapientiam sit; philosophia [i. e. amor sapientiae vel etiam ipsa sapientia] ergo mirabiles habere et puritate et nobilitate voluptates videtur. — Paulo superius pro *consummatur* cod. F *terminatur*, et pro *saporatio* cod. A *sapor.*

[7] Cap. 2. seqq.

[8] Scilicet communiter.

4. Ad illud quod obiicitur, quod sapientia appropriatur Filio; dicendum, quod hoc est, in quantum dicit lumen cognitionis, non in quantum dicit
Notandum. saporem affectionis. Cum enim utrumque in se claudat, potest utrique personae appropriari, videlicet Filio et Spiritui sancto [1]; et quoniam non appropriatur Filio soli, immo etiam personae Spiritus sancti: hinc est, quod ratio illa non cogit.

5. Ad illud quod ulterius obiicitur, quod nemo est sapiens ex hoc solum, quod amat, nisi etiam ulterius cognoscat; dicendum, quod illud est verum; attamen in amore Dei ipsi gustui coniuncta est co-
Notandum. gnitio. Optimus enim modus cognoscendi Deum est per experimentum dulcedinis; multo etiam excellentior et nobilior et delectabilior est quam per argumentum inquisitionis. Unde ex hoc non habetur, quod *cognoscere* sit actus ipsius doni sapientiae praecipuus, sed quod [2] quodam modo concurrit ad eius actum praecipuum; et hoc quidem est verum, quia, sicut tactum est, sapientia in se claudit utrumque actum; unde quodam modo respicit intellectum, quodam modo respicit affectum.

Ad illud vero quod ultimo obiicitur, quod unus habitus non potest esse respectu istorum duorum actuum, cum penes illos diversificentur potentiae; dicendum, quod verum est, quod non possunt isti actus eiusdem habitus esse, ita quod uterque sit *principalis;* nihil tamen impedit, duos esse, ita quod unus sit *primus*, alter vero *praecipuus;* unus sicut *disponens*, alter vero *complens*, sicut in praecedentibus [3] habitum fuit de fide. — Unde eisdem rationibus et responsionibus quantum ad hoc potest quis negotiari circa donum sapientiae, quae supra explanatae fuerunt circa virtutem fidei; et ideo haec ad praesens sufficiant, quia non oportet, hic illas iterum replicari.

Ad arg. in fine 5. fundamenti. Notandum. Nota.

SCHOLION.

I. Eandem distinctionem quadruplicem *sapientiae* repetit Petr. a Tar. (hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1.), qui deinde (quaestiunc. 3.) in conclusione generaliter cum nostro auctore convenit; sed addit: « Sapientia amorem importat ut causam *disponentem proximam*, sed cognitionem *essentialiter*, cognitionem, dico, non tantum speculativam, sed practicam; unde duplicem habet effectum consequentem, scilicet *illuminationem* et *delectationem* ». Hoc dicitur ad mentem S. Thomae, qui (S. II. II. q. 45. a. 2.) docet: « *Sapientia*, quae est donum, *causam* quidem habet in voluntate, scilicet caritatem, sed *essentiam* habet in *intellectu* » (cfr. ibid q. 8. a. 6, et Comment. hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 3.). Similiter loquitur Richard. (hic a. 2. q. 1.). Paulo aliter S. Bonav. (cfr. hic dub. 1.), qui negat (in corp. et ad 5.), quod *cognoscere* sit actus sapientiae *praecipuus;* cui doctrinae favet B. Albert. (hic a. 1.). — Cfr. praeter laudatos: Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 1.

II. De *scientia* (q. seq.) atque de differentia inter *sapientiam*, *intellectum* et *scientiam;* cfr. etiam infra q. 3. Cum Magister (hic c. 1.) secundum Augustinum scientiae assignet quatuor actus (cfr. hic dub. 2. 3.), orta est quaestio, quis eorum sit *principalis*. Etiam in hac quaestione S. Thom. (hic a. 3. quaestiunc. 2; S. II. II. q. 9. a. 3.) aliquatenus recedit a nostro auctore. Nam in Summa resolvit, quod « donum scientiae *primo* quidem et *principaliter* respicit *speculationem*, in quantum scilicet homo scit, quid fide tenere debeat; *secundario* autem se extendit etiam ad *operationem*, secundum quod per scientiam credibilium, et eorum quae ad credibilia consequuntur, dirigimur in agendis ». — Quod autem *praecipuus* actus huius doni sit dirigere circa *actionem*, cum S. Bonav. tenent etiam B. Albert., hic a. 3. 4.; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3. quaestiunc. 2.; Richard. a Med., hic a. 2. q. 8.

QUAESTIO II.

Utrum actus praecipuus doni scientiae consistat in actione, vel in speculatione.

Secundo quaeritur de actu et obiecto doni scientiae, et est quaestio, utrum actus praecipuus doni scientiae consistat in actione, vel in consideratione. Et quod consistat in *actione*, videtur:

1. Primo auctoritate Augustini, duodecimo de
Fundamenta. Trinitate, quae habetur in littera [4]; distinguens enim inter *sapientiam* et *scientiam*, dicit, quod *sapientia* spectat ad contemplationem, et *scientia* ad actionem.

2. Item, secundum Philosophum [5], « *scire* quod non est coniunctum operationi, parum aut nihil prodest ad virtutem »: si ergo scientia, quae est Spiritus sancti donum, multum prodest ad meritum, videtur, quod actus eius circa agenda praecipue sit constitutus.

3. Item, *fides sine operibus mortua est* [6], ergo pari ratione et scientia; sed ipsa scientia, quae est donum Spiritus sancti, non est mortua, sed gratuita: ergo videtur, quod actus eius praecipuus consistat circa agenda.

4. Item, donum scientiae comparatur ad pietatem, sicut dirigens ad exsequens; sed pietatis, secundum quod dicit Gregorius in Moralibus [7], est

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 10. a. 2. q. 1. ad 3; d. 15. p. II. q. 2. et d. 27. p. II. q. 3. in corp.

[2] In plurimis codd. et in edd. 1, 2 deest *quod*. Paulo ante pro *non habetur* cod. aa *non sequitur*, edd. *non sequitur et habetur;* edd. etiam superius omittunt *per* ante *experimentum*.

[3] Dist. 23. a. 1. q. 2. circa finem. Cfr. d. 27. a. 1. q. 2. ad 6. — Pro *alter vero* cod. A *alter sicut*.

[4] Hic c. 1; codd. non bene citant XIV. de Trin.

[5] Libr. II. Ethic. c. 4: Ad virtutes autem cognitio parum vel nihil valet; reliqua [eligere et impermutabiliter agere] non parum, sed multum ac totum conferunt.

[6] Iac. 2, 20. et 26.

[7] Libr. I. c. 32. n. 44. — De *maiori* cfr. supra d. 34. p. I. a. 2. q. 1. in corp. (tertia via).

opera misericordiae exhibere: ergo actus scientiae est circa talia opera dirigere: ergo actus eius consistit in agendis.

5. Item, actus doni scientiae, secundum quod dicit Magister in littera [1], «est conversari *in medio nationis pravae et perversae*»; sed bona conversatio respicit actiones exteriores: ergo actus doni scientiae circa agenda versatur praecipue.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Augustinus decimo quarto de Trinitate [2]: «Huic scientiae tribuo non quidquid humanae curiositatis et vanitatis est, sed quo fides saluberrima gignitur, nutritur et roboratur»: si ergo actus doni scientiae est ad generandum fidem, videtur, quod magis sit circa fidem quam circa mores.

2. Item, in eodem libro dicitur, et Magister dicit in littera [3], quod cognitio divinitatis in Christo spectat ad *sapientiam*, cognitio vero humanitatis in eodem spectat ad *scientiam;* sed cognitio humanitatis Christi non est cognitio operativa, sed potius contemplativa: si ergo haec est doni scientiae, videtur etc.

3. Item, in agendis sufficienter dirigimur per virtutem prudentiae [4]: aut ergo donum scientiae superfluit, aut eius actus praecipuus non ad hoc, sed ad aliud ordinatur.

4. Item, intelligentia Scripturae spectat ad donum scientiae, secundum quod Augustinus innuit in libro de Doctrina christiana [5], ubi ostendit, quod per pietatem et mititatem pervenitur ad intelligentiam sacrae Scripturae: si ergo huiusmodi intelligentia non consistit in actione, sed in speculatione; videtur, quod actus eius magis consistat in contemplatione quam in actione.

Item, iuxta hoc quaeritur: cum unius habitus unus sit actus, quomodo doni scientiae habent tam diversi actus assignari? Innuit enim Magister in littera [6], quod actus doni scientiae est fidem nutrire et defendere; et ulterius, quod eiusdem actus est conversari *in medio nationis pravae et perversae;* et postremo, quod actus eius est Christum cognoscere.

CONCLUSIO.

Doni scientiae praecipuus actus est dirigere circa actionem, sed ex consequenti etiam nosse ea quae sunt fidei, et humanitatem Christi.

Scientia quadruplex.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod *scientiae* quadruplex est differentia. Quaedam est, quae consistit in intellectu *pure speculativo;* et haec est fundata super principia rationis [7], et haec est scientia acquisita de quacumque creatura, sicut scientia humanae philosophiae. Prima. — Quaedam autem est, quae consistit in intellectu *inclinato ab affectu* [8]; et haec est fundata super principia fidei, quae quidem sunt articuli, et nihilominus acquisita; et haec est scientia sacrae Scripturae, quam nullus habere potest, nisi saltem habeat fidem informem. Secunda. — Quaedam autem est, quae consistit in intellectu sive ratione, in quantum *inclinat affectum ad operationem;* et haec fundata est super principia iuris naturalis, quae ordinatur ad rectitudinem et honestatem vitae; et huiusmodi est scientia prudentiae-virtutis. Tertia. — Quaedam autem scientia est, quae consistit in intellectu, secundum quod est *inclinatus* et *inclinans: inclinatus,* inquam, a fide, et *inclinans* ad bonam operationem; et haec fundatur super principia fidei et habet ortum a dono gratiae; et talis est scientia, quae est donum Spiritus sancti. Quarta.

Et ex hoc patet, quis sit actus proprius huius doni. Est enim actus eius *dirigere ad agenda* secundum praeexigentiam regulae ipsius fidei, cuius est dirigere ad opera misericordiae, ut non tantum bona pro bonis reddat, secundum quod dictat lex naturae, sed etiam bona pro malis, secundum quod dictat lex gratiae [9], ad exemplar ipsius Iesu Christi, in quo fuit gratiae abundantia. Conclusio 1. Et ideo ad ipsam scientiam non solummodo pertinet *dirigere in agendis;* sed etiam ex consequenti pertinet *nosse ea quae sunt fidei* tanquam fundamentum suae directionis; et ulterius *nosse humanitatem Christi* tanquam exemplar sui regiminis; ita quod hic triplex actus convenit ei secundum triplicem respectum: unus videlicet respectu *obiecti motivi*, alter vero respectu sui *fundamenti*, et tertius est [10] *exemplaris excitativi.* Conclusio 2. Et quia principalis actus accipitur ex parte *obiecti;* hinc est, quod praecipuus actus doni scientiae est *dirigere circa actionem,* secundum quod dicit Augustinus, et ostendunt rationes ad hoc inductae; et ideo sunt concedendae. Corollarium.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod ipsius scientiae est fidem gignere et roborare; dicendum, quod iste non est actus eius *principalis,* sed *ad principalem ordinatus* ea ratione, qua directio doni scientiae in agendis sequitur et fundatur super principia ipsius fidei [11]. Solutio oppositorum.

---

[1] Hic c. 1. Respicitur Phil. 2, 15. — Subinde pro *actiones* cod. A *operationes.*

[2] Cap. 1. n. 3. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — In testimon. allato Vat. post *nutritur* inserit *defenditur*, quod et in textu origin. invenitur. — Mox pro *ad generandum* codd. A I L N T *ad aggenerandum*, codd. G bb *ad roborandum.*

[3] Hic c. 1; attamen locus ibi cit. non invenitur in XIV. de Trin., sed in XIII. c. 19. n. 24.

[4] Aristot., VI. Ethic. c. 5. dicit, quod «prudentia habitus sit vera cum ratione activus circa ea quae et bona et mala homini sunt».

[5] Libr. II. c. 7. n. 9: Deinde mitescere opus est pietate, neque contradicere divinae Scripturae, sive intellectae, si aliqua vitia nostra percutit, sive non intellectae, quasi nos melius sapere meliusque praecipere possimus; sed cogitare potius et credere, id esse melius et verius quod ibi scriptum est, etiam si lateat, quam id quod nos per nosmetipsos sapere possumus.

[6] Hic c. 1.

[7] Vide Aristot., VI. Ethic. c. 3.

[8] Cfr. supra d. 23. a. 1. q. 2. et d. 24. a. 3. q. 1. seq, nec non pag. 491, nota 6.

[9] Cfr. Matth. 5, 39. seqq., et Rom. 12, 17. seqq.

[10] Codd. A Z *respectu.* Superius pro *suae directionis* cod. A *summae directionis.*

[11] Vide infra dub. 2. – Pro *ea ratione* cod. K *ea ordinatione rationis.*

2. Ad illud quod obiicitur, quod ipsius doni scientiae est humanitatem et gratiam Christi nosse; iam patet responsio: quia nec hic est actus ipsius scientiae *principalis*, sed qui *ad principalem habet ordinari;* sicut cognitio exempli utilis est ad evidentiorem cognitionem rei, quae secundum exemplar illud debet fieri.

3. Ad illud quod obiicitur, quod per prudentiam sufficienter dirigitur homo in agendis; iam patet responsio: quia prudentia dirigit secundum principia *iuris naturalis* ad ea quae *honesta* sunt; sed Notandum. scientia-donum dirigit per *principia fidei* et *iuris divini* ad ea quae sunt *sancta* [1]; unde et quodam modo altior est actus ipsius doni scientiae quam virtutis prudentiae, et super principia magis elevata fundari habet; et propter hoc, habita virtute prudentiae, non superfluit donum scientiae.

4. Ad illud quod obiicitur, quod intelligentia Scripturarum spectat ad donum scientiae; dicendum, quod sicut prius tactum fuit de cognitione eorum quae sunt fidei, quod non *principaliter* spectant ad Notandum. donum ipsius scientiae, sed quodam modo *antecedenter* et quasi *praesuppositive* [2]; sic etiam intelligendum est de intelligentia sacrae Scripturae.

Ad illud quod ultimo quaeritur de diversitate Ad quaestiones. actuum, iam patet responsio per ea quae dicta sunt: quoniam unus est eius actus *principalis*, duo vero *annexi;* et simul cum hoc patet, quid [3] sit obiectum ipsius doni scientiae, et quomodo etiam differat a virtute prudentiae et ab habitu cuiuslibet alterius scientiae [4].

QUAESTIO III.

Utrum donum intellectus simul consistat in contemplatione Creatoris et creaturae.

Tertio quaeritur de actu et obiecto ipsius doni intellectus, et est quaestio, utrum donum intellectus simul consistat in contemplatione Creatoris et creaturae. Et quod sic, videtur:

1. Primo auctoritate Magistri in littera [5]: « Intel- Fundamenta. ligentia vero non modo de aeternis est, sed etiam de rebus invisibilibus et spiritualibus temporaliter exortis ».

2. Item, hoc ipsum videtur per Dionysium ad Titum [6], qui dicit, quod « impossibile est, quamdiu in via sumus, relucere nobis divinum radium nisi circumvelatum »: si ergo illud est velamen creaturae, videtur, quod intellectus non possit Deum nisi in creatura cognoscere: ergo si est ad cognitionem Creatoris, necesse est, quod sit simul ad cognitionem creaturae.

3. Item, non est perfectus habitus amoris, nisi ametur Deus et in se et in sua imagine [7]: ergo similiter non erit perfectum donum intellectus, nisi Deus per illud cognoscatur et quantum ad conditiones suas et quantum ad conditiones creaturarum, quae sunt ei similes: ergo videtur, quod donum intellectus sit ad contemplanda temporalia et aeterna.

4. Item, de eisdem habet esse intellectus, de quibus habet esse fides, secundum quod dicit Gregorius [8], quod « Deus intellectum dat, dum de auditis mentem illustrat »; sed fides non tantummodo respicit divinam essentiam in se, verum etiam in comparatione ad creaturam: videtur ergo, quod actus doni intellectus ordinetur ad illa duo contemplanda.

Sed contra: 1. Dono *sapientiae* cognoscuntur Ad oppositum. aeterna, dono *scientiae* cognoscuntur temporalia, sicut dicit Augustinus, et habetur in littera [9]: ergo aut donum *intellectus* superfluit, duobus donis habitis, aut circa illa duo actus eius praecipuus non consistit.

2. Item, *sapientia* et *scientia* differunt et sunt diversa dona per hoc, quod unum eorum est circa temporalia, aliud vero circa aeterna: ergo si donum *intellectus* est unum, videtur, quod non possit esse circa illa duo.

3. Item, aut donum intellectus consistit in *cognoscendo tantum*, aut in *cognoscendo et afficiendo*. Si consistit in *cognoscendo tantum:* ergo non videtur, quod sit donum gratuitum, cum actus pure cognitivus non sit meritorius. Si in *cognoscendo et afficiendo:* ergo doni *intellectus* est aeterna cognoscere et circa illa affici; sed iste est actus doni *sapientiae:* ergo aut donum *intellectus* non est circa aeterna, aut si est, non differt ab ipsa *sapientia*.

4. Item, sicut contingit Deum cognoscere et contemplari in imagine, ita contingit Deum cognoscere et contemplari in eius vestigio: ergo sicut donum intellectus est ordinatum ad cognitionem

---

[1] Sap. 10, 10: Dedit illi scientiam sanctorum. — Paulo superius pro *secundum* codd. B O *per*.

[2] Permulti codd. *praesuppositione*. In codd. A bb sic legitur: *sed quodam modo ad affectum* [cod. bb addit *antecedunt*] *et quasi cognitionem praesupponunt*.

[3] Codd. I L N T U V Z bb *quod*.

[4] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[5] Hic c. 2.

[6] Sive Epist. 9, ubi tamen dictum hic allatum sententialiter tantum habetur; invenitur ad verbum in Caelest. Hierarch. c. 1. § 2, ubi pro *nisi circumvelatum* in translatione Scoti Erigenae legitur *nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum*.

[7] Cfr. supra d. 28. q. 1. seqq. — Inferius pro *conditiones creaturarum* cod. K *conditiones naturales creatas*.

[8] Libr. I. Moral. c. 32. n. 44: Intellectus in die suo convivium parat, quia in eo quod audita penetrat, reficiendo cor tenebras eius illustrat. Cfr. supra pag. 474, nota 2, ubi et alios locos habes. — Cod. A *dum auditus mentis illustrat*.

[9] Hic c. 1. et 2.

ipsius creaturae spiritualis [1], ita ad cognitionem creaturae corporalis; sed non dirigit ad cognitionem corporalis creaturae: ergo pari ratione non videtur, donum intellectus ordinari ad cognitionem alicuius creaturae.

5. Item, dona, quae sibi invicem correspondent et ad se combinantur, ad idem et circa idem versantur; sed donum *intellectus* et *sapientiae* combinantur ad invicem [2]: ergo cum donum *sapientiae* sit circa aeterna, et non circa creata; videtur, quod et donum *intellectus.*

6. Item, si simul est circa Creatorem et creaturam: ergo videtur, quod donum intellectus intelligat et cognoscat Deum per speculum [3]: ergo non videtur differre a cognitione fidei.

CONCLUSIO.

Donum intellectus attenditur in contemplatione tum Creatoris tum spiritualis creaturae.

Respondeo: Dicendum, quod cognitio de Deo sub ratione veri potest haberi secundum triplicem
Modi 3 Deum cognoscendi. modum: uno modo habetur cognitio de Deo per *simplicem assensum;* alio modo per *rationis adminiculum*; tertio modo per *simplicem contuitum.* Primum est virtutis fidei, cuius est assentire; secundum est doni intellectus, cuius est credita per rationem intelligere; tertium est beatitudinis munditiae cordis, cuius est Deum videre [4]. Quoniam ergo rationes, secundum quas iuvamur ad credita intelligenda, accipiuntur non solum a conditionibus Creatoris, sed etiam a conditionibus creaturae spiritualis, quae inter creaturas habet proximiorem assimilationem ad Creatorem; hinc est, quod donum intellectus — cuius actus est in contemplationem summi Veri elevare per lumen, quod non solum facit assentire, sed etiam per congruas rationes credita intelligere — non solum attenditur in contemplatione
Conclusio. creatricis essentiae, sed etiam spiritualis creaturae [5].

Et ex hoc patet, quis sit *actus* et *obiectum* proprium ipsius doni intellectus: quoniam *obiectum* eius est ipsum Verum aeternum, in quantum intelligibile, non solum secundum proprias conditiones, sed etiam secundum proprietates creaturarum sibi similium, secundum quod dicit Magister in littera [6]. *Actus* vero eius est contemplari ipsum verum creditum, ut devotius credatur et ardentius diligatur. Et ita donum intellectus consistit in contemplatione rationali Creatoris et spiritualis creaturae, sicut ostendunt rationes, quae ad istam partem sunt inductae.

Obiectum huius doni.

Actus ipsius.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod donum *sapientiae* ordinatur ad cognitionem Creatoris, et donum *scientiae* ad cognitionem creaturae; dicendum, quod aliter et aliter sunt illa duo dona ad cognitionem illorum duorum quam donum *intellectus:* quia donum *sapientiae* est ad cognitionem aeternorum secundum aeternas rationes, secundum tamen quod illae aeternae rationes sunt via ad *gustum* et experimentalem cognitionem divinae suavitatis, ita quod cognitio illa gustui est annexa; donum vero *intellectus* negotiatur circa aeterna secundum rationes aeternas, quae sunt via ad *cognitionem veritatis.* Et hinc est, quod Bernardus [7] appropriat donum *intellectus* fidei, quae assentit summae Veritati propter se; donum vero *sapientiae* appropriat caritati, cuius est disponere ad gustandum Deum. — Per hunc etiam modum est differentias invenire inter *intellectum* et *scientiam:* quia *scientia* negotiatur circa creaturas secundum rationes creatas; unde negotiari habet non solum circa creaturas spirituales, quae habent rationem *imaginis,* sed etiam circa sensibiles et corporales, quae habent rationem *vestigii.* Donum vero *intellectus,* etsi negotiatur circa creaturas, hoc tamen est secundum rationes aeternas; et ideo solum est circa creaturas spirituales, in quibus rationes aeternae relucent magis expresse. — Et sic patet, quod quia [8] alio et alio modo est *intellectus* circa Creatorem et creaturam quam *sapientia* et *scientia;* hinc est, quod illis habitis, non superfluit.

Solutio oppositorum.

Differt a sapientia.

Corollarium.

Item a scientia.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod donum *sapien-*

---

[1] Ut dicitur hic in lit. Magistri, c. 2. — De *vestigio* et *imagine* cfr. I. Sent. d. 3. p. I. q. 2. in fine. — Mox pro *cognitionem creaturae corporalis* fere omnes codd. *cognitionem corporalis naturae,* sed minus congrue, ut seq. proposit. probat.

[2] Cfr. supra d. 34. p. I. a. 2. q. 2.

[3] Respicitur I. Cor. 13, 12. — In fine arg. pro *fidei* cod. K *sub ratione verae fidei.*

[4] Cfr. supra pag. 737, nota 3. — Nomen *intellectus* (derivatur ab *intus legere)* generatim importat quandam intimam cognitionem; quare Aristot. per intellectum designat vel potentiam, quae non, ut sensus, accidentia externa, sed ipsam rei essentiam percipit (III. de Anima, text. 9. seqq. et text. 26); vel habitum principiorum (II. Poster. c. ult. et VI. Ethic. c. 6.). August., Enarrat. in Ps. 32, 15. enarrat. 2. serm. 2. n. 22. ait: *Qui intelligit omnia opera eorum. Intelligit,* quid est? Secretius et interius videt... Occultus visus intellectus vocatur... intus enim intelligit et intus agnoscit [Deus], fines ipsorum videt etc. Et in libro de Utilitate credendi, c. 11. n. 25. docet, intelligere idem esse atque aliquid mentis certa ratione tenere.

[5] Auctor libri de Spiritu et anima, c. 11, sic de intellectu, sumto pro naturali potentia, scribit: *Intellectus* ea vis animae est, quae invisibilia percipit, sicut Angelos, daemones, animas et omnem spiritum creatum. *Intelligentia* ea vis animae est, quae immediate supponitur Deo, cernit siquidem ipsum summum Verum et vere incommutabilem. Sic igitur anima sensu percipit corpora, imaginatione corporum similitudines, ratione corporum naturas, intellectu spiritum creatum, intelligentia spiritum increatum. — Paulo superius pro *elevare* edd. substituunt *elevari.*

[6] Hic c. 2. — Pro *similium* cod. A *consimilium.* Paulo inferius pro *rationali* nonnulli codd. *rationabili,* et deinde pro *sunt inductae* plurimi codd. *fuerant inductae,* aliqui *fuerunt inductae.*

[7] Serm. in Cantic. serm. 8. n. 5. seq.; Serm. 14. de Diversis, n. 5; de Diligendo Deo, c. 11. n. 33; Serm. 2. in festo Annuntiat. B. M. V. n. 4. seq. Cfr. Gilberti abbatis Serm. 4. in Cantic. n. 2. (inter opera Bernardi).

[8] Cod. A magis congrue omittit *quia.*

tiae et *scientiae* distinguuntur, quia hoc est circa temporalia, et illud circa aeterna etc.; iam patet responsio, quia non est simile. *Sapientia* enim negotiatur circa aeterna secundum rationes aeternas; *scientia* vero circa creata secundum rationes creatas; et quia [1] habent diversa obiecta etiam secundum rationem movendi et dirigendi: hinc est, quod sunt dona diversa. *Intellectus* vero, sive circa creaturam sive circa Creatorem negotietur, semper refertur ad rationes aeternas, ad quas per creaturas etiam elevat contemplandas; et ideo unum solum donum est, quamvis illa sint plura. Et ex hoc colligi potest, quod donum *intellectus* est infra *sapientiam* et supra *scientiam.* Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod donum intellectus aut est in simpliciter speculando, aut in speculando et afficiendo; dicendum, quod est cognitio *experientiae,* quae attenditur secundum gustum, et ista est doni *sapientiae acquisitae;* et est cognitio *speculationis extensae,* quae quodam modo *via* est ad gustum, sicut cognitio fidei ad delectationem [2] caritatis; et haec est doni *intellectus,* quae quidem viam praebet ad usum doni *sapientiae;* quae ideo *gratuita* est, quoniam super assensum fidei fundatur et ulterius ordinat ad sapientiae gustum. Nihilominus tamen in ipso actu *intellectus* est quaedam delectatio, sed longe inferior quam in dono *sapientiae.* Delectatur enim quis in cognitione veritatis, sed non sic, sicut in gustu summae suavitatis. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod sicut contingit Deum cognoscere in imagine, sic et in vestigio; dicendum, quod non est omnimoda similitudo. In *imagine* enim, quia magis appropinquat, magis clare habet cognosci; in *vestigio* vero, quia multum distat, sub maiori obscuritate et aenigmate. Et quia ad donum *intellectus* spectat contemplatio clarior et excellentior, quam sit cognitio fidei; hinc est, quod ad donum illud non spectat cognoscere Deum in *quacumque* creatura, sed in ea, quae est eius *imago* et similitudo expressa, sicut dictum est supra. Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod donum intellectus combinatur dono sapientiae; dicendum, quod quia donum *sapientiae* consistit in gustu, donum vero *intellectus* consistit in lumine rationis; et amplius ascendit affectio quam ratio, et unio quam cognitio, secundum quod vult Dionysius [3]: hinc est, quod donum *sapientiae* in actu suo non sic indiget adminiculo creaturae, secundum quod donum *intellectus.* Et ideo donum *sapientiae* in actu suo versatur solum circa aeterna, donum vero *intellectus* non solum circa aeterna, sed etiam circa creata. Cum ergo dicit, quod dona, quae ad invicem combinantur, debent habere idem obiectum; hoc verum est de obiecto principali, non autem de eo quod habet rationem adminiculantis. Notandum.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod intellectus videt per speculum, sicut et fides; dicendum, quod in visione per speculum sunt multi gradus secundum maiorem et minorem depurationem ab obscuritate aenigmatis; et secundum hoc alio et alio modo habet illuminari et habilitari. Unde *fides* habilitat ad assentiendum Deo in articulis, quos, etsi non videat in se, tamen videt in creatura, cognoscendo, « *quid est* quod per nomen dicitur [4] »; nunquam enim cognoscit aliquis credens, quid sit Trinitas, nisi quia videt, quid sit ternarius in creatura. Sed ulterius donum *intellectus* illuminat ad intelligendum non solum, « quid est quod per nomen dicitur », sed etiam ad videndam *rationem,* quod Trinitas debeat in Deo esse, per hoc quod videt in ipsa imagine egressum verbi a mente per viam generationis, et amoris ab utroque per viam connexionis [5]. Ex his patet, quod etsi *fides* et *intellectus* sint per speculum, tamen in modo speculandi differunt, et ideo sunt diversi habitus; patet etiam similiter cum hoc, quis sit *actus* doni intellectus, et quod *obiectum,* et quae *differentia* ipsius respectu aliorum habituum. Notandum. Nota.

SCHOLION.

I. Multa in hac quaestione sunt notatu digna. Ipsa quaestio praecise in hac formula ab aliis non tractatur, sed doctrina in ea exposita a S. Thom. (hic q. 2. a. 2; S. II. II. q. 8. a. 1-8.) passim tangitur. In assignando obiecto doni *intellectus* S. Bonav. sequitur Magistrum (hic c. 2.), qui hoc ex Augustino sumsisse videtur (cfr. pag. 771, nota 6.).

Eandem simili modo tangunt: B. Albert., hic a. 11. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2.

II. In seq. (4.) quaestione S. Bonav. virtuti *prudentiae* tribuit dirigere in operabilibus secundum regulam *iuris naturalis,* dono vero *consilii* dirigere secundum regulam *iuris divini* et in rebus *arduis.* Quibus verbis idem re videtur exprimere, quod S. Thom. docet, scilicet prudentiam in istis dirigere « modo humano », consilium vero « supra humanum modum » (hic q. 2. a. 4. quaestiunc. 2.), vel clarius, *illam* dirigere « secundum ea quae ratio comprehendere potest », *hoc* vero « quasi consilio a Deo accepto » (S. II. II. q. 52. a. 1. ad 1.), et « in quantum ratio a Spiritu S. movetur » (ibid. ad 3.).

De hac quaestione cfr.: S. Thom., hic q. 2. a. 4. quaestiunc. 1-3; S. loc. cit. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 6. 7. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 4.

---

[1] Cod. A *quia haec,* et paulo inferius pro *refertur,* quod habent codd. A H I L U Z aa bb, in aliis et edd. *refert,* ac verbis *ex hoc* cod. U praemittit *ideo.*

[2] Ita edd. 1, 2, codd. *dilectionem,* Vat. *delectationem sive dilectionem.* Inferius pro *ideo,* quod habet cod. U, in aliis codd. et edd. parum congrue *a Deo* vel *adeo;* cod. V *est a Deo.*

[3] Cfr. supra pag. 689, nota 4.

[4] Vel aliis verbis: definitionem nominalem. Cfr. supra pag. 491, nota 4. — De *gradibus* cognitionis vide I. Sent. d. 2. dub. 1, d. 3. p. I. q. 2. ad 4; II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. in corp.

[5] Cfr. I. Sent. d. 2. q. 4, d. 3. p. II. a. 1. et 2, d. 5, d. 9. et d. 10. — Paulo inferius pro *similiter cum hoc* codd. A T U *simul cum hoc.*

QUAESTIO IV.

Utrum actus ipsius doni consilii sit consiliari.

Quarto quaeritur de actu proprio et obiecto ipsius doni consilii, et est quaestio, utrum actus ipsius doni consilii sit consiliari. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Primo per Sapientis [1] exhortationem, qua hortatur nos omnia facere cum consilio; hoc autem fit consiliando de his quae facimus: cum igitur hortetur ad actum doni consilii, videtur, quod actus istius doni sit consiliari.

2. Item, hoc ipsum ostenditur per Tullii definitionem in primo Rhetoricae [2], ubi definiens consilium dicit: « Consilium est aliquid faciendi, vel non faciendi vere excogitata ratio »; sed ista excogitatio de faciendo, vel non faciendo est ipsa consiliatio: ergo proprius actus doni consilii est consiliari.

3. Item, hoc ipsum videtur per Gregorii assignationem. Dicit enim Gregorius super primum Iob [3], ubi assignat donorum differentiam, quod « consilium est contra praecipitationem »; sed actus, qui directe opponitur praecipitationi, est consiliari — ideo enim consiliamur, ne praecipitanter aliquid faciamus — ergo etc.

4. Item, hoc ipsum videtur per nominis rationem: quoniam, sicut se habet *timere* ad *timorem*, sic se habet *consiliari* ad *consilium;* sed actus proprius et principalis ipsius doni *timoris* est *timere:* ergo actus proprius [4] ipsius doni *consilii* est *consiliari. Si dicas,* quod non dicitur consilium a *consiliando,* sed magis a *consulendo*, et actus ipsius consilii magis est *consulere* quam *consiliari* [5]*; obiicitur* contra hoc: quia *consulere* dupliciter [6] dicitur: uno modo consilium ab aliquo *quaerere,* alio modo *consilium dare;* sed actus doni consilii non est *consilium quaerere* — qui enim consilium quaerit eget consilio, et qui eget consilio iam non habet donum consilii — igitur actus istius doni non est *consulere,* secundum quod *consulere* idem est quod *consilium quaerere.* Rursus, *consilium dare* non est magnae utilitatis nec etiam magnae virtutis, cum multi sciant aliis consulere, qui se ipsos regunt valde miserabiliter; si ergo donum consilii est ordinatum ad propriam utilitatem, videtur, quod actus eius non sit consilium alteri *dare* nec consilium ab alio *accipere*, ut prius ostensum est: ergo videtur, quod actus istius doni directe sit ipsum *consiliari.*

Sed contra: 1. Super illud Psalmi [7]: *Consilium meum iustificationes tuae;* ibi Glossa: « Consilium est servare iustificationes »; sed de eo quod servamus, non consiliamur: ergo si actus ipsius doni consilii est iustificationes observare, non videtur, quod actus eius sit consiliari. Ad oppositum.

2. Item, sicut dicit Damascenus [8]: « Consilium est ignorantis et dubitantis », unde et « Christo non convenit consiliari »: si ergo donum consilii fuit in Christo et in quolibet alio sapientiae et scientiae dono perfecto, videtur, quod actus ipsius doni non sit consiliari.

3. Item, hoc ipsum videtur *ratione.* Sicut se habet *addiscere* ad *scire,* sic se habet *consiliari* ad *eligere,* quia utrumque est via ad alterum [9]; sed sicut per scientiam habilitamur ad cognoscendum, sic per consilii donum habilitamur ad eligendum: cum ergo actus ipsius scientiae non sit *addiscere,* sed magis *scire;* videtur, quod actus ipsius doni non sit *consiliari,* sed magis *eligere.*

4. Item, consilium ordinat et dirigit ad ea quae sunt supererogationis [10]; sed de istis nemo dubitat, quin sint manifeste bona; de his autem, de quibus nulla est dubitatio, nulla necessaria est consiliatio: cum ergo donum consilii dirigat ad huiusmodi, videtur, quod actus eius non sit *consiliari.*

5. Item, *consiliari* est ipsius providentiae, quae

---

[1] Eccli. 32, 24: Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebis. Ibid. c. 37, 20: Ante omnem actum [praecedat] consilium stabile.

[2] Cap. 25. et II. c. 9. D. Schütz in sua ed. (Augustae Taurin. a. 1823), quae prae manibus est, pro inepta vulgari lectione (ut in notula ibi apposita dicit) *aut non faciendi vere* ex Alcuino substituit *non faciendive.*

[3] Vers. 19. — Gregor., II. Moral. c. 49. n. 77. Cfr. supra pag. 736, nota 8. — De *minori* dicit Aristot., VI. Ethic. c. 9: Unde aiunt, cito agenda esse quae consultaveris, tarde vero ac diu consultandum.

[4] Cod. Y addit *et principalis.*

[5] Eadmer., de S. Anselmi similitudinibus (inter opera Anselmi), c. 131: Post haec vero consilium fortitudini superaedificat [Spiritus S.], cum mens iam fortis ad operandum, quae pie timendo scit esse facienda, suo experimento didicit Spiritus sancti gratia, quid de his omnibus aliis *consulere* debeat.

[6] Videlicet consulere *aliquem* et consulere *alicui.* — Mox pro *ab aliquo quaerere* non pauci codd. *ab alio quaerere* (cod. II *petere).*

[7] Psalm. 118, 24. — Glossa integra, quae sumta est ex August. et hic ex parte tantum exhibetur, apud Petr. Lombard., in hunc loc., sic sonat: Quasi dicat: *Consilium meum* est servare *iustificationes,* in quibus est diligere inimicos. Ecce consilium contra consilium. Consilium sedentium principum fuit inventos martyres perdere; martyrum patientium fuit consilium illos perditos acquirere. — De *minori* cfr. Aristot., III. Ethic. c. 3.

[8] Libr. II. de Fide orthod. c. 22. circa finem. Seq. locus sententialiter ibid. et III. c. 14. circa finem.

[9] Cfr. Aristot., III. Ethic. c. 2. seq. — Edd. addunt *addiscere ad scire, consiliari ad eligere.*

[10] Matth. 19, 21: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes etc. Cfr. supra d. 34. p. I. a. 2. q. 1. in corp. — Damascenus, II. de Fide orthod. c. 22: Nemo enim de eo deliberaverit [βουλεύεται], quod exploratum habet.

est pars prudentiae [1]: ergo aut donum consilii non est nobis opportunum, aut est ad alium actum; sed constat, quod nobis est opportunum: videtur ergo, quod *consiliari* non sit eius actus proprius.

CONCLUSIO.

Doni consilii actus proprius est dirigere in electione horum quae sunt arduitatis, secundum dictamen iuris divini, et sic *consiliari*.

Intellectus et consilium summuntur tripliciter.

RESPONDEO: Dicendum, quod sicut *intellectus* aliquando accipitur pro *actu intelligendi*, aliquando pro ipso *intellecto* sive intelligibili, aliquando pro ipso *habitu*, qui dirigit intellectum in iudicando de veris et falsis [2]; sic et *consilium* tripliciter accipi consuevit: aliquando pro ipso *actu consiliandi*; aliquando pro eo, ad quod *terminatur* ille actus, sicut quando dicitur: hoc est consilium meum; aliquando vero pro ipso *habitu*, qui expedit et dirigit animam ad eligendum prosequenda et ad fugiendum

Ipse habitus duplex.

vitanda. — Hic autem *habitus* dirigens ad huiusmodi electionem duplex est secundum diversitatem *eligibilium* et secundum diversitatem *modorum* sive rationum eligendi. Nam *eligibilia* quaedam sunt *necessitatis*, quaedam vero *arduitatis*. In primis dirigit

Praenotata.

prudentia, in secundis vero dirigit *donum consilii* propter excellentiorem et maiorem difficultatem, quae in eis quae arduitatis sunt, habet reperiri. — *Rursus*, dirigi in electione potest aliquis vel secundum regulam iuris *naturalis*, vel secundum regulam iuris *divini*; et primum quidem est *virtutis politicae* [3], secundum vero spectat ad *donum consilii*. — Ex his potest elici per quandam circumlocutionem, quis

Conclusio 1.

sit *actus proprius* doni consilii: quoniam actus eius est dirigere in electione agendorum, prosequendorum, vel fugiendorum, quae sunt specialis arduitatis, et hoc secundum regulam iuris *divini*; et in hoc distinguitur actus eius ab actu *prudentiae-virtutis* et *scientiae-doni* [4]. — Si igitur quaeras, utrum actus doni consilii sit *consiliari*; dicendum, quod si per verbum *consiliandi* intelligatur directio se-

Conclusio 2.

cundum regulam et lumen consilii; sic bene potest concedi, quod actus eius sit consiliari. — Sed attendendum est, quod, secundum quod vult Damasce-

Respicit 2 actus.

nus [5], consilium respicit aliquem actum *praecedentem* et aliquem actum *sequentem*. Dicit enim, quod « primo homo inquirit et consiliatur, deinde disponit et ordinat, postmodum eligit et consentit ». Et secundum hoc intelligendum est, quod dirigi secundum regulam consilii, hoc potest esse dupliciter: aut *consilium inquirendo*, aut secundum consilium *disponendo* et *eligendo*. Primo quidem modo non est actus ipsius consilii *principalis* et *universalis*, sed quasi actus eius *initialis*, et [6] in eo, in quo est secundum statum imperfectionis; secundo vero modo actus eius *universalis* est et *principalis*. Unde sive per verbum *consiliandi*, sive per verbum *consulendi*, sive per quodcumque aliud verbum id significetur, quod est dirigi in electione horum quae sunt arduitatis secundum consilii donum, quod regit secundum dictamen iuris *divini*; dicendum est, quod hic est actus *principalis* et *proprius* doni consilii. — Unde concedi potest, quod *consiliari* secundum istam acceptionem est eius actus proprius, sicut rationes ad primam partem inductae ostendunt.

Notandum.

Conclusio 3.

Ad illud vero quod ultimo obiicitur de actu consulendi, quomodo spectet ad donum consilii; dicendum, quod *consulere*, prout respicit alterum, accidit dono consilii; donum enim consilii proprie respicit directionem actus proprii; unde licet actus doni consilii attendatur in dispositione et ordinatione arduorum [7] prosequendorum; quia tamen donum illud aliquando est in abundantia, aliquando in defectu, et cum est in abundantia, habet iuvare alios, cum vero est in defectu, habet iuvari ab aliis: hinc est, quod actus *consulendi alium*, vel *consulendi alii* dono consilii potest attribui; neuter tamen est actus eius principalis. Unde inter istos duos medius cadit actus *consiliandi*, ratione cuius et alii habent esse doni consilii. Propter quod non absurde potest dici, quod actus doni consilii est semetipsum regere, et ulterius, cum abundat, scire in consimili alterum adiuvare et dirigere.

Ad 4. fundamentum.

Notandum.

1. Ad illud autem quod primo obiicitur in contrarium, quod consilium est iustificationes observare; dicendum, quod ibi non tangitur actus consilii *principalis*, sed *consequens*. Nam doni consilii est *dirigere*, sed alterius doni [8] est *exsequi* et facere; ideo iustificationum *observatio* non attribuitur ipsi consilio per se et primo, sed ad iustificationes observandas *directio* proprie attribuenda est consilii dono. — Verumtamen quod dicit, neminem consiliari de eo quod observat, non habet veritatem: quia nemo recte observat, nisi suam observationem rectitudo in consiliando praecedat vel quantum ad consilii *inquisitionem*, vel saltem quantum ad consilii *dispositionem*.

Solutio oppositorum.

---

[1] Cfr. supra pag. 728, nota 6. Aristot., VI. Ethic. c. 5. docet, viri prudentis esse, consultare posse; et c. 7. ait: Prudentis enim id maxime opus esse dicimus, ut recte consultet.

[2] Cfr. supra pag. 778, nota 4. et pag. 214, nota 4. — Edd. *aliquando pro ipso habitu intelligendi, qui dirigit ipsum intellectum* etc.

[3] Cfr. supra pag. 730, nota 5. — Vat. *prudentiae*.

[4] Vide supra q. 2. et d. 33. dub. 2. — Paulo inferius pro *quod si* permulti codd. *quod etsi*.

[5] Libr. II. de Fide orthod. c. 22. et III. c. 14. — Post *attendendum est* non pauci codd. omittunt *quod*.

[6] Edd. supplent *est*.

[7] Codd. A U *istorum arduorum*.

[8] Scil. fortitudinis. Cfr. supra d. 34. p. I. a. 2. q. 1. in corp. (via tertia). — Mox pro *ideo* (cod. E *et ideo*) edd. *et*. Inferius pro *proprie*, quod habent codd. D M P R X Y Z bb, aliqui *pro actu*, cod. K *pro proprio actu*, cod. W *proprie pro actu*, edd. *in actu*.

2. Ad illud quod obiicitur, quod consiliari est ignorantis, sicut dicit Damascenus; dicendum, quod illud est verum, prout *consiliari* idem est quod *consilium inquirere*, non autem prout *consiliari* idem est quod in arduis eligendis *dirigere*. Et hoc modo *consiliari* est actus ipsius consilii et fuit in Christo; et secundum istum modum divina dispositio in his quae secreta sunt, *consilium* appellatur [1].

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod sicut *addiscere* se habet ad *scire*, ita *consiliari* ad *eligere*; dicendum, quod verum est, secundum quod *consiliatio* idem est quod consilii inquisitio; secundum autem quod *consiliatio* idem est quod discreta et recta dispositio et ordinatio, sic non se habet illo modo, quia talis dispositio regula est et principium recte eligendi, et ideo actus est doni perfecti; et hoc modo accipiendo, non est simile inter *consiliari* et *addiscere*.

4. Ad illud quod obiicitur, quod consilium ordinat ad ea quae sunt supererogationis; dicendum, quod licet illa quae sunt supererogationis, in se sint bona et magis bona; in eis tamen facilius deficit infirmitas nostra, nisi iuvetur per divinam gratiam tam in *expediendo* [2] quam in *eligendo* quam etiam in *exsequendo*; unde multi refugiunt et abhorrent ipsa consilia Iesu Christi, qui tamen esse possunt in statu iustitiae. Et propterea respectu talium opportunum est donum consilii ultra donum scientiae et virtutem prudentiae et regulam fidei.

Notandum.

5. Ad illud vero quod ultimo obiicitur, quod consiliari est actus ipsius prudentiae; iam patet responsio. Aliter enim est ipsius prudentiae tum ratione obiecti tum etiam ratione modi, quam sit ipsius doni consilii. Est enim [3] multo excellentiori modo, tum quia ea, circa quae versatur, sunt magis ardua et excellentia, tum etiam quia regere habet secundum principia altiora; et ideo donum illud nomine *consilii* valde proprie censetur. — Ex his igitur manifestum est, quis sit huius doni *actus*, et quod *obiectum*, et quae *differentia* ipsius respectu aliorum habituum, et quare etiam sic *nominetur* [4].

Nota.

QUAESTIO V.

Utrum actus doni fortitudinis consistat principaliter circa passiones tolerandas, an circa cupiditates reprimendas.

Quinto quaeritur, quis sit actus proprius doni fortitudinis, et quod eius obiectum; et est quaestio, utrum actus doni fortitudinis principaliter consistat circa passiones tolerandas, an circa cupiditates reprimendas. Et quod principaliter sit circa passiones tolerandas, videtur:

1. Primo per Gregorium [5], qui dicit super principium Iob, quod fortitudinis-doni est dare trepidanti confidentiam; sed trepidatio maxime est, quando imminet periculum passionum: ergo videtur, quod circa huiusmodi maxime consistat actus fortitudinis-doni.

Fundamenta.

2. Item, fortitudo, sive dicatur donum sive virtus, respicit potentiam irascibilem tanquam proprium subiectum [6]; sed potentia irascibilis magis proprie respicit passionum sustinentiam quam cupiditatum repressionem et abstinentiam: videtur ergo, quod actus principalis doni fortitudinis consistat circa passionum tolerantiam.

3. Item, hoc ipsum ostenditur per comparationem ad eius oppositum: quia, sicut *largitas* opponitur avaritiae et cupiditati, sic *fortitudo* opponitur pusillanimitati [7]; sed pusillanimitas attenditur circa fugam passionum: ergo videtur econtra, quod fortitudo-donum consistat circa passionum sustinentiam.

4. Item, hoc ipsum ostenditur per comparationem ad habitum fortitudinis-virtutis: quia fortitudo-donum actum et obiectum debet habere in maiori, vel saltem in tanta excellentia et arduitate, quantam est reperire circa fortitudinem-virtutem; sed maxima arduitas consistit circa passiones: ergo cum circa illas consistat fortitudo-virtus [8], videtur multo fortius, quod actus doni fortitudinis attendatur, vel consistat in aggressione et tolerantia passionum.

5. Item, inter omnes actus meritorios maxima est difficultas circa passiones sustinendas, et magis ad hoc inepti et infirmi sumus: ergo si dona data sunt nobis ad expediendum et contra infirmitates

---

[1] Eph. 1, 11: In quo etiam et nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum eius qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae. Cfr. I. Sent. d. 40. a. 3. q. 1. in corp. — Paulo superius post *et secundum* bene multi codd. inserunt *etiam*.

[2] Cod. N *exponendo*, cod. A *experiendo*. Paulo inferius pro *opportunum* cod. bb et edd. 1, 2 *optimum*.

[3] Cod. Z supplet *consilii*. Circa finem huius quaest. et pluries in quaest. seq. pro *et quod obiectum* edd. *et quid obiectum*.

[4] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[5] Libr. I. Moral. c. 32. n. 44, super Iob 1, 4, ait: Fortitudo *in die suo convivium facit*, quia, dum adversa non metuit, trepidanti menti cibos confidentiae apponit. — Pro *super principium Iob* codd. H K Z *super primum Iob*.

[6] Cfr. supra d. 34. p. 1. a. 2. q. 1. in corp. (via quarta) et d. 33. q. 4. in corp. (primus modus) nec non d. 26. a. 2. q. 5, ubi et *minor* insinuatur. — In fine arg. pro *consistat* multi codd. *consistit*.

[7] Vide supra pag. 736, nota 8. — In fine arg. pro *sustinentiam* edd. *tolerantiam*.

[8] Cfr. supra d. 33. dub. 3. — Pro *sed maxima* edd. *sed maxime*, cod. M *sed magis*, et superius pro *quantam est* cod. A N *quanta est*.

retardantes nos ad bonum [1], videtur, quod aliquod donum debeat nobis dari ad passionum sustinentiam. Sed non est aliud assignare quam donum fortitudinis: ergo etc.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Augustinus in libro de Anima et spiritu [2]: « Fortitudinis est non tantum terrenas cupiditates reprimere, sed penitus oblivisci »; sed hoc non est fortitudinis-virtutis: ergo est fortitudinis-doni: videtur ergo, quod actus doni fortitudinis consistat in repressione cupiditatum.

2. Item, Augustinus in libro de Doctrina christiana [3], ubi loquitur de donis, dicit, quod « fortitudinis est ab omni transeuntium mortifera iucunditate se ipsum sequestrare »: ergo videtur, quod actus doni fortitudinis principaliter consistat in delectationum repressione.

3. Item, Augustinus [4] adaptat septem dona septem beatitudinibus, ita quod fortitudo et esuries et sitis iustitiae sibi correspondent; sed esuries et desiderium iustitiae non oritur in nobis nisi per mortificationem desideriorum et voluptatum: ergo videtur, quod circa huiusmodi principaliter consistat actus fortitudinis.

4. Item, fortitudo-donum respondet dono consilii, sicut exsequens regulanti [5]; sed donum consilii maxime dirigit ad divinorum consiliorum impletionem; divina autem consilia praecipue consistunt circa repressionem desideriorum et occasionum ei adhaerentium, sicut patet in castitate, obedientia et paupertate: ergo videtur, quod circa talium desideriorum repressionem actus fortitudinis-doni principaliter consistat.

5. Item, fortitudo-donum aut habet actum alterius generis quam fortitudo-virtus, aut si in eodem genere habet, necesse est, quod habeat excellentiorem; sed in eodem genere non potest habere excellentiorem, cum fortitudo-virtus consistat circa terribilia, quae inducunt mortem, sicut dicit Philosophus [6]: ergo necesse est, quod habeat actum alterius generis. Cum ergo actus fortitudis-virtutis consistat circa passiones tolerandas, videtur, quod actus fortitudinis-doni non circa passiones, sed circa delectationes refrenandas consistat.

Est igitur quaestio, quis sit *actus*, et quod *obiectum* doni fortitudinis, et quare eodem nomine cum habitu virtutis nominatur, quod quidem in nullo aliorum donorum reperitur. Quaestiones.

CONCLUSIO.

Doni fortitudinis actus principalis consistit circa promptam tolerantiam passionum secundum libertatem consilii et imitationem Christi.

Respondeo: Dicendum, quod *fortitudo*, quantum est de sua prima ratione, attenditur respectu ardui. Arduum autem dicitur aliquid dupliciter: aut quia *laboriosum* et difficile, quodam modo excellens et aggravans facultatem ipsius potentiae; aut quia est *ultra necessitatem* et excedit statum communem. Et fortitudo habet attendi respectu utriusque, sed respectu primi attenditur et ordinatur secundum necessitatem *praecepti*, respectu secundi secundum libertatem *consilii*. Et primum spectat ad fortitudinem-virtutem, secundum vero ad fortitudinem-donum. — Quoniam autem arduitas maxime attenditur circa excellentiam passionum; hinc est, quod tam fortitudinis-doni quam fortitudinis-virtutis est habilitare secundum principalem sui ordinationem ad sufferentiam passionum, sed aliter et aliter: quia sustinere et aggredi [7] passiones potest aliquis aut propter iustitiae et honestatis conservationem, aut propter perfectam Christi imitationem; ita quod primum spectat ad *dictamen iuris naturalis* et honestatis moralis, secundum vero spectat ad *consilium Dei*. Et quoniam imitatio Christi attenditur in crucifixione sui, secundum quod ipse dicit Matthaei decimo sexto [8]: *Qui vult venire post me abneget semetipsum* etc.; hinc est, quod actus fortitudinis-doni attenditur circa promptam et expeditam passionum tolerantiam, per hoc quod quodam modo nos mundo et mundum nobis crucifigit, iuxta illud quod dicit Apostolus ad Galatas ultimo [9]: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*. Et hoc est quod dicit Augustinus in libro de Doctrina christiana: « Assurgant deinceps ad fortitudinem, ut mundus eis crucifigatur, et ipsi mundo, et ut in huius vitae perversitate et abundantia iniquitatis non refrigescat caritas ». — Et

Quid fortitudo.

Duplex arduum.

Duplex fortitudo.

Conclusio 1.

Distinctio.

Conclusio 2.

---

[1] Videsis supra d. 34. p. I. a. 1. q. 1.

[2] Cap. 20.

[3] Libr. II. c. 7. n. 10, ubi pro *se ipsum sequestrare* legitur *sese extrahit*. — Pro *ab omni*, quod et textus origin. exhibet, non pauci codd. *ab omnium*.

[4] Libr. I. de Serm. Domini in monte, c. 3. n. 10. et c. 4. n. 11, ubi et *minor* insinuatur. De numero *septenario* beatitudinum, quae hic ponitur pro *octonario*, cfr. scholion ad d. 36. q. 2. — Pro *correspondent* cod. A *correspondeant*.

[5] Vide supra d. 34. p. I. a. 2. q. 1. in corp. (via tertia in fine). — Quoad *minorem* vide quaest. praeced.

[6] Libr. III. Ethic c. 6. seq. Cfr. supra pag. 576, nota 4. — Inferius pro *refrenandas* edd. *rescindendas*. Deinde post *consistat* cod. S addit *immo cum nihil sit terribilius morte, et aggredi mortem est actus fortitudinis-virtutis, et ita impossibile est, donum fortitudinis habere actum praecellentem actum virtutis ei correspondentis. Et si habeat.*

[7] Cfr. supra pag. 561, nota 7. — Aliquanto superius pro *arduitas maxime* cod. A *arduitas maxima*, et subinde pro *excellentiam passionum* Vat. *tolerantiam passionum*, et pro *ad sufferentiam* codd. K L Z aa bb *ad sustinentiam*.

[8] Vers. 24. — Paulo superius pro *consilium Dei* edd. *consilii donum*.

[9] Vers. 14. — Augustini sententia (in qua respicitur Gal. 6, 14. et Matth. 24, 12.) non habetur in libro de Doctrina christ. (cfr. hic arg. 2. ad oppos.), sed in Serm. 347. (alias 17. de Sanctis), c. 3. n. 3. — Cod. A *Assurgat.. ei crucifigatur*. Idem cod. A paulo inferius pro *passionum tolerantiam* substituit *passionem tolerandam*.

sic patet, quod fortitudinis-doni actus consistit circa
Conclusio 3. passionum tolerantiam secundum imitationem Christi; et hic est eius actus principalis, sicut rationes ad primam partem inductae ostendunt, quae verum concludunt, et ideo concedendae sunt.

1. 2. 3. Ad illud vero quod obiicitur, quod est
Solutio oppositorum. circa delectationum repressionem, per auctoritates Augustini; dicendum quod Augustinus in illis auctoritatibus non assignat proprium et *principalem* actum ipsius fortitudinis-doni, sed quasi *praeambulum*. Nemo enim promptus est et expeditus ad passionum tolerantiam secundum imitationem Christi, nisi qui carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixit [1].

4. Ad illud quod obiicitur, quod fortitudo exsequitur ea, ad [2] quae consilium dirigit; dicendum, quod etsi donum consilii dirigat ad divina consilia implenda, in quibus consistit perfectio religionis, principaliori tamen intentione dirigit ad ea, in qui-
Notandum. bus plus est de ratione arduitatis; maioris autem arduitatis est Christum imitari in passionibus quam in actionibus: et ideo circa huiusmodi tam consilium quam donum fortitudinis principaliter habet consistere.

5. Ad illud quod ulterius obiicitur, quod donum fortitudinis non potest esse excellentiori modo circa passiones quam virtus fortitudinis; dicendum, quod falsum est, quia excellentiori modo sustinet passiones et excellentiori habitu qui sustinet secundum Christi imitationem, quam [3] propter iustitiae conservationem, et qui sustinet secundum consilii supererogationem, quam secundum praecepti obligationem. In uno enim istorum rectificatur, scilicet in actu virtutis fortitudinis; in alio autem non solum Notandum. rectificatur, sed etiam altius elevatur et expeditur, scilicet in actu fortitudinis-doni.

Et per hoc patet illud quod ultimo quaerebatur, videlicet de differentia reali fortitudinis-doni et fortitudinis-virtutis, et de convenientia in nomine. *Re* enim differunt propter diversitatem modorum habilitandi et ordinandi ad tolerantiam passionum; *nomine* vero conveniunt, pro eo quod ad eadem passionum genera ordinant [4]. Fortitudo enim virtus ordinat ad sustinenda qualiacumque et quantacumque tormenta, antequam bonum virtutis et honestatem derelinquat, non tamen ita excellenter et prompte sicut fortitudo-donum. Unde inter omnes virtutes pro- Notandum. pter excellentiam et arduitatem ex parte obiecti virtus fortitudinis appropinquat donis; et propterea habitus virtutis et doni magis quam alia dona eodem nomine habent censeri, licet differant differentia reali, quia minor est inter illos habitus differentia. — Ex his patet, quis sit *actus* fortitudinis-doni, et quod *obiectum*, et quae sit *differentia* eius respectu aliorum habituum.
Ad quaestiones.

SCHOLION.

1. « Sicut duplex est actus fortitudinis-virtutis, coordinatus tamen, unde [duplex actus] non diversificat habitum fortitudinis secundum speciem, id est *aggredi ardua* et *sustinere terribilia*; ita duplex est actus fortitudinis-doni. Sed fortitudo-virtus negotiatur in arduis et terribilibus, quae proportionantur humanae virtuti nec eam excedunt; fortitudo vero donum in iis quae supergredi videntur vires humanae naturae; praesumit enim de divina virtute, non de sua; sua quippe virtus determinata est ad *aliquod genus* arduorum et terribilium, sed divina virtus sufficiens est ad *omne* » (ita Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 2.). — Ab hac communi doctrina recedit Richard. a Med. (hic a. 3. q. 1.) docens « secundum aliquos », quod « *donum* fortitudinis non est respectu ardui *cuiuscumque*, sed tantum respectu ardui mali *poenae extremum tenentis in arduitate*, cuiusmodi est mortem sustinere pro fidei vel morum veritate promovenda aut defendenda ». — S. Bonav. communi doctrinae superaddit, quod actus huius doni principalis versetur circa passionum tolerantiam secundum imitationem Christi.

De eadem quaestione praeter laudatos: S. Thom., III. Sent. d. 34. q. 3. a. 1; S. II. II. q. 139. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 11-13.

II. Actus *pietatis* varii communiter a Scholasticis assignantur secundum doctrinam Augustini hic in arg. 3. ad oppos. relatam. S. Thom. in Comment. (loc. cit. a. 2. quaestiunc. 2.) docet, quod donum *pietatis* « dirigat in communicationibus *omnibus*, quae ad alterum sunt »; sed in S. (II. II. q. 121. a. 1.) addit, quod proprie secundum ipsum exhibemus cultum et officium *Deo ut patri*. Similiter dicit Richard. a Med. (hic a. 3. q. 2.), hoc donum esse « principaliter respectu Dei sub ratione *summi patris* », sub qua ratione cultus ei exhibeatur. S. Bonav. autem vult, quod *principaliter* et *proprie* idem donum attendatur in benevolentia respectu *proximi*, quatenus gerit *imaginem Dei*. Similiter dicit B. Albert. (hic a. 16.), quod actus principalis eiusdem sit « benevolenter et sine querela bonum optare et facere omnibus imagine Dei insignitis ». Petr. a Tar. (hic q. 3. a. 4.) dicit generaliter, hoc donum esse in iis « quae exhibentur Deo, vel homini ad promotionem fidei in se, vel in altero ».

QUAESTIO VI.

Utrum actus principalis pietatis consistat in religione respectu Dei, vel in compassione respectu proximi.

Sexto et ultimo quaeritur de actu et obiecto ipsius doni pietatis, et est quaestio, utrum actus principalis pietatis consistat in religione respectu Dei, vel in compassione respectu proximi. Et quod praecipue consistat in religione respectu Dei, ostenditur:

---

[1] Codd. A G U *crucifigit*.

[2] In codd. G N P Q V deest *ad*.

[3] Cod. M bene supplet *qui sustinet*; edd. hic et paulo inferius post *quam* supplent *qui*. Proxime post cod. A voci *iustitiae* praefigit *Christi*. Idem cod. A in principio solut. pro *ulterius* habet *ultimo*.

[4] Plurimi codd. et edd. 1, 2 *ordinantur*. In fine solut. cod. B adiicit *et sic patent obiecta*.

Ad oppositum.

1. Primo per illud Apostoli ad Titum secundo [1]: *Abnegantes impietatem, sobrie et iuste et pie* etc.; ibi Glossa: « *Abnegantes*, id est fugientes *impietatem* vanae culturae, *sobrie* in nobis *et iuste* ad proximum *et pie* ad Deum vivamus »: ergo pietas proprie est ordinata respectu Dei.

2. Item, Augustinus [2], tractans illud Iob vigesimo octavo: *Pietas ipsa est sapientia, abstinere vero a malis intelligentia:* « Pietatem hoc loco posuit Dei cultum, quae Graece theosebia dicitur »: ergo etc.

3. Item, Augustinus in libro de Doctrina christiana [3]: « Pietatis est honorare sancta et non contradicere sacrae Scripturae »: si ergo utrumque horum consistit in cultu Dei, videtur etc.

4. Item, distinguitur peccatum iniquitatis et impietatis, quia iniquitas est in proximum, impietas est in Deum [4]: si ergo respectu illius est pietas donum, respectu cuius est impietas vitium et peccatum; videtur, quod actus pietatis-doni praecipue attendatur in cultu Dei.

Sed contra: 1. Primae ad Timotheum quarto [5]: Fundamenta. *Pietas ad omnia utilis est;* ibi dicit Glossa: « Pietas, quae operatur bona fratribus, valet ad promerendum Deum; omnis enim summa disciplinae christianae in misericordia et pietate est »: ergo secundum hanc Glossam pietas ordinat respectu proximi.

2. Item, Augustinus in libro de Doctrina christiana [6] dicit, quod donum pietatis correspondet beatitudini mititatis; « opus enim est pietate mitescere »; sed mititas sive mansuetudo attenditur respectu proximi: ergo donum pietatis ad proximum ordinat.

3. Item, hoc ipsum videtur per Gregorium [7] super Iob in assignatione donorum, ubi dicit, quod pietatis est opera misericordiae exhibere: si igitur hoc attenditur respectu proximi, videtur etc.

4. Item, Tullius in prima Rhetorica [8] dicit, quod « pietas est benevolentia in parentes »; aut hoc intelligitur de pietate-dono, aut de pietate-virtute; sed de quocumque horum intelligatur, cum in obiectis conformentur; videtur, quod actus doni pietatis attendatur in comparatione ad proximum.

5. Item, donum pietatis exsequitur ea, ad quae donum scientiae ordinat [9]; sed donum scientiae ordinat ad bene conversandum respectu proximi: ergo videtur, quod respectu illius attendatur actus pietatis-doni.

Quaestio incidens.

Iuxta hoc quaeritur, quomodo distinguatur pietas a mansuetudine et misericordia in actu suo et obiecto.

CONCLUSIO.

Donum pietatis principaliter attenditur in benevolentia respectu cuiuslibet proximi, quatenus gerit imaginem Dei.

Pietas dicitur tripliciter.

Respondeo: Dicendum, quod vocabulum *pietatis* multipliciter habet accipi, secundum quod innuit Augustinus in principio decimi de Civitate Dei [10]. Ait enim sic: « Pietas *proprie Dei cultus* intelligi solet, quam Graeci *theosebiam* vocant; haec tamen et *erga parentes* officiose haberi dicitur; more autem vulgi hoc nomen etiam in *operibus misericordiae* frequentatur ».

Cum igitur pietas sic dicatur multipliciter, videlicet erga Deum et erga parentes et erga quemcumque hominem; secundum quod ordinat erga *Deum*, non est nomen doni, sed potius est idem quod *latria* et *theosebia* sive *eusebia*, de qua dicit Augustinus [11], quod « est sapientia vera ». — Secundum autem quod ordinat ad *parentes*, adhuc etiam non tenet rationem doni, sed potius est species iustitiae-virtutis, pro eo quod ad hoc ordinatur secundum regulam naturalis iuris et secundum obligatio-

Conclusio 1.

Conclusio 2.

---

[1] Vers. 12. Vulgata post *impietatem* addit *et saecularia desideria*. — In Glossa, quae a Lyrano ut *interlinearis* exhibetur, apud Petr. Lombard. post *vanae culturae* additum est *et ignorantiam et desideria saecularium, quae a mundi huius principe suggeruntur*. Cfr. Bernard., Serm. 54. de Divers.

[2] Enchirid. c. 2. n. 1. Cfr. supra pag. 774, nota 4. Locus Script. est Iob. 28, 28.

[3] Libr. II. c. 7. n. 9. Cfr. supra pag. 776, nota 5. et etiam I. de Serm. Domini in monte, c. 4. n. 11: Pietas congruit mitibus; qui enim pie quaerit honorat sanctam Scripturam [Glossa ordinaria in Matth. 5, 3: honorat sancta] et non reprehendit quod nondum intelligit.

[4] Hieronym., I. Dialog. adversus Pelagianos, n. 28: Omnis impius iniquus est et peccator, nec reciprocatur, ut possimus dicere: omnis peccator et iniquus etiam impius est. Impietas enim proprie ad eos pertinet, qui notitiam Dei non habent, vel cognitam transgressione mutarunt. Peccatum autem et iniquitas pro qualitate vitiorum post peccati et iniquitatis vulnera recipit sanitatem. Cfr. Isidor., X Etymolog. n. 133.

[5] Vers. 8. — Glossa habetur ut *ordinaria* apud Strabum et Lyranum quoad primam eius propositionem, integra autem apud Petr. Lombardum; delibata est ex Comment. Ambrosio tributo, ubi sic legitur: Pietas, cuius opera multorum precibus adiuvatur ad Dominum promerendum... Omnis enim summa disciplinae nostrae in misericordia et pietate est.

[6] Libr. II. c. 7. n. 9. Cfr. supra pag. 776, nota 5. Pro *pietate* edd. cum aliquot codd. contra textum origin. *pietatis*.

[7] Libr. I. Moral. c. 32. n. 44, ubi exponens Iob 1, 4. dicit: Pietas *in die convivium* exhibet, quia cordis viscera misericordiae operibus replet.

[8] B. Albert., hic a. 15, distinctius ait: *Tullius ante finem primae Rhetoricae;* ex qua formula sequitur, duos Ciceronis de Rhetor. libros communi nomine *primae Rhetoricae* tunc appellatos fuisse, siquidem definitio pietatis, inde petita et hic allata, invenitur circa finem II. Rhetor., in c. 54, ubi sic legitur: Pietas [est], per quam sanguine coniunctis patriaeque benevolis officium et diligens tribuitur cultus. Cfr. ibid. c. 22. — Edd. *in primo Rhetoricae*. Mox pro *aut hoc* codd. U V *aut ergo hoc*.

[9] Cfr. supra d. 34. p. I. a. 2. q. 1. in corp. (via tertia). — *Minor* iam probata est supra q. 2. — Inferius post *respectu illius* cod. A addit *actus*.

[10] Cap. 1. n. 3. Cfr. supra pag. 213, nota 9. et pag. 214, nota 5.

[11] Libr. XIV. de Trin. c. 1. n. 1. Cfr. supra pag. 216, nota 4, et etiam XII. de Trin. c. 14. n. 22. — Inferius pro *ordinatur* cod. M *ordinat*.

nem necessitatis. — Secundum autem quod attenditur
Conclusio 3. respectu *cuiuscumque proximi*, sic pietas est nomen doni.

Aliter tamen attenditur erga proximum pietas-donum et misericordia-virtus: quia *misericordia-virtus* respicit conformitatem in natura et necessitatem in indigentia sive miseria [1]; *pietas* vero attendit in proximo imaginem divinam. Unde dono pietatis
Conclusio 4. est homo benevolus cuicumque homini, qui habet in se imaginem Dei; ita quod benevolentia illa pro loco et tempore aliquando progreditur in *compassionis affectum*, aliquando in *operis beneficium*.

Et sic patet, quis sit *actus* et *obiectum* pietatis-doni, quoniam ipsius est facere hominem benevolum respectu cuiuslibet proximi, in quantum gerit imaginem Dei. Et quoniam ad hoc habet dirigi per donum scientiae, quod quidem fundatur super *principia fidei* et dirigit in conversatione secundum
Corollarium. *exemplar Christi;* hinc est, quod *actus* pietatis, etsi principaliter consistat erga proximum, nihilominus consistit respectu *sacrae Scripturae*, ut eam cum benevolentia audiat, et etiam respectu *passionis* [2] *Christi*, ut eam cum benevolentia ad memoriam reducat. Unde usus doni pietatis attenditur in his tribus in *exsequendo*, secundum quod et usus doni scientiae, quod est eius directivum, in *cognoscendo;* principaliter tamen, secundum quod donum est, attenditur in benevolentia respectu *proximi*, sicut rationes ostendunt, quae ad hanc partem inducuntur.

1. 2. 3. 4. Ad illud vero quod primo obiicitur
Solutio oppositorum. in contrarium de Glossa, quod pietas ordinat ad Deum; et quod pietas est cultus Dei, et ad alias auctoritates consequentes; breviter dicendum, quod omnes illae auctoritates currunt de pietate secundum alium accipiendi modum, qui secundum Augustinum *principalior* et *magis proprius* est modus accipiendi pietatem, sicut ipse dicit in decimo
Species 1. pietatis. de Civitate Dei [3]. Nam primo et principaliter debet homo benevolus esse ad *Deum*, offerendo ei cultum et obsequium principale et praecipuum tanquam ei, ad cuius similitudinem factus est, et quod suae creationis est et conditionis primum et principale
Species 2. principium. — Deinde vero, quia pater terrestris quodam modo imaginem gerit Patris caelestis, et filius genitus imaginem gerit patris et ab eo sumit originem; hinc est, quod est alius modus accipiendi pietatem ab illo descendens, qui quidem est benevolentia in *parentes*. — Postremo, quia omnis homo
Species 3. gerit imaginem Dei; hinc est, quod est tertius et ultimus modus accipiendi pietatem, secundum quod benevolum et beneficum reddit erga *omnem hominem* insignitum divina imagine. — Licet autem iste sit
Notandum. ultimus et postremus modus accipiendi pietatem, tamen, sicut explanatum est, quantum ad hunc modum *pietas-donum* accipitur proprie. — Unde in omnibus illis auctoritatibus et rationibus peccatum est quantum ad processum arguendi ex illius nominis multiplicitate; quae, etsi non sit multiplicitas *aequivocationis* proprie dictae, est tamen multiplicitas cuiusdam *analogiae* [4].

Ad illud vero quod ultimo quaerebatur de dif-
Ad quaest. incidentem. ferentia ipsius pietatis-doni ad misericordiam et mansuetudinem; dicendum, quod etsi conveniat cum utroque, quia cum *mansuetudine* convenit in *affectu*, cum *misericordia* convenit in *effectu;* differt tamen ab utroque [5]. A *mititate* enim et a *mansue-*
Differt a mititate. *tudine* differt: quia *mansuetudo* est contra irritationem ex illatione alicuius iniuriae [6]; sed *pietas* est contra indurationem, qua quis non habet affectionem nec benevolentiam ad eos qui gerunt divinae imaginis insigne. — Similiter a *misericordia* differt:
Item a misericordia. quia misericordia in proximo considerat conformitatem in natura et similitudinem speciei; *pietas* vero attendit in homine imaginem Dei. Unde aliqui dixe-
Notandum. runt, quod *misericordia* considerat miseriam in imagine, *pietas* vero considerat imaginem in misero. Differt etiam, quia *misericordia* conformatur dictamini iuris naturalis et secundum regulam prudentiae; *pietas* vero conformatur suasioni iuris divini, et hoc secundum regulam doni scientiae. — Ex his patet, quis sit *actus* doni pietatis, quod etiam eius *obiectum*, et qualiter *differat* ab aliis habitibus.

Et secundum haec tria possent tria problemata
Nota. formari circa donum pietatis et circa quodlibet aliorum donorum praedictorum; simul etiam cum hoc posset de quolibet quaeri, quem actum habeat in patria. Sed hoc supra [7] determinatum fuit in generalitate; alia vero tanguntur implicite causa prolixitatis vitandae; tamen ex his quae breviter tacta sunt, qualitercumque haberi potest veritas praedictorum [8].

---

[1] Cfr. supra d. 33. dub. 1. — Cod. K *necessitatem indigentiae sive miseriam.*

[2] In plurimis codd. deest *passionis* [humanitatis?] subinde pro *ut eam* codd. I K L aa *ut eum.* Paulo superius pro *erga* cod. A *circa*, et post *nihilominus consistit* edd. addunt *etiam.*

[3] Cap. 1. n. 3. Verba habes hic in principio corp. — Post pauca pro *et quod* cod. N *et qui.* Paulo inferius verbis *Patris caelestis* cod. A praefigit *Dei.*

[4] Aristot., VII. Phys. text 31. (c. 4.): Sunt autem aequivocationum aliae multum distantes, aliae autem habentes quandam *similitudinem*, aliae vero propinquae aut genere aut similitudine rationis. Cfr. supra pag. 252, nota 7.

[5] Vat. hic *utraque*, licet paulo ante exhibeant *utroque*. Subinde pro *enim* codd. *vero.*

[6] Aristot., de Virtut. et vitiis, c. 2: Mansuetudo vero est virtus animosae [partis irascibilis], qua qui praediti sunt, difficulter ira concitantur. Cfr. II. Ethic. c. 7.

[7] Dist. 34. p. I. a. 2. q. 3. — Mox pro *in generalitate* cod. W *in generali*, edd. *generaliter.*

[8] Vide scholion ad praecedentem quaest.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit, quod *sapientia est rerum humanarum divinarumque scientia;* quoniam, sicut dicit Philosophus [1], « scientiae secantur in res », hoc est, dividuntur secundum diversitatem subiectorum; sed res divinae et humanae, creatae et increatae summa diversitate differunt: ergo nulla scientia, nulla sapientia simul potest esse de utrisque. — Item, res humanae in comparatione rerum divinarum quasi nihil sunt, sicut nec finitum est aliquo modo comparabile infinito [2]: ergo sicut punctus nihil addit supra lineam, sic cognitio rerum humanarum nihil addit supra cognitionem rerum divinarum: ergo videtur, quod cognitio rerum humanarum non sit de integritate ipsius sapientiae: non ergo debet poni in eius definitione.

Respondeo: Dicendum, quod *sapientiae* nomen, secundum quod accipitur pro cognitione, dupliciter consuevit accipi a philosophis, sicut et nomen *iustitiae* dupliciter accipitur. Est enim iustitia *specialis* et iustitia *generalis;* iustitia *specialis* est virtus cardinalis, distincta ab aliis; iustitia vero *generalis* complectitur generaliter omnes virtutes [3]. Sic et *sapientia proprie* dicta dicitur « cognitio causarum altissimarum », *sapientia* vero *communiter* dicta comprehendit et includit cognitionem omnium. — Et hoc modo dicit Philosophus [4], quod sapiens de qualibet re, sicut est, inquirit cognoscere rationem; et hoc modo sapientia includit in se diversas scientias et non solum illas, quae sunt de creaturis, verum etiam illas, quae sunt de Creatore et creaturis. Et quoniam « nomine hominis potest intelligi omnis creatura », cum ipse cum omnibus communicet, sicut dicit Gregorius [5]; hinc est, quod definiens sapientiam dicit, ipsam esse scientiam rerum divinarum et humanarum, id est ceterarum rerum creatarum, in quibus manifestatur summa sapientia Dei [6]. — Et per hoc patet explicatio notificationis et dissolutio primae obiectionis.

Sapientia et iustitia dupliciter sumuntur.

Ad illud vero quod obiicitur, quod scientia rerum humanarum nihil addit supra cognitionem rerum divinarum; dicendum, quod licet res divinae excedant humanas in infinitum, quia illae sunt infinitae, et istae finitae; cognitio tamen non excedit cognitionem in infinitum, pro eo quod utraque cognitio est finita, sive qua cognoscimus divina, sive qua cognoscimus humana. Non enim cognoscimus divina secundum suam immensitatem; nec quamdiu sumus in via, attingimus ad conspiciendam ipsam Veritatem in se; et ideo necesse est, eam in suis effectibus cognoscere [7]. Et propterea cognitio rerum humanarum magna pars est nostrae notitiae, quamdiu sumus in statu viae; et pro tanto ponitur in definitione sapientiae. Notandum.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Huic scientiae illud tantum tribuo, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur et roboratur.* Videtur enim falsum dicere, quoniam, cum dicit, fidem generari ex scientia, aut intelligit quantum ad *habitum*, aut quantum ad *actum*. Quantum ad *habitum* non habet veritatem, quia habitus fidei non generatur ex habitu scientiae; quantum ad *actum* non, quia actus fidei praecedit actum scientiae [8]: ergo nullo modo habet veritatem. — Item, scientia versatur circa temporalia [9]; fides autem est de aeternis: ergo videtur, quod donum scientiae nihil faciat ad ipsam fidem.

Iuxta hoc etiam quaeritur de diversitate illorum quatuor actuum, quos enumerat. Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod licet fides habeat ipsam summam Veritatem pro principali obiecto, *cui* credit et assentit; illud tamen, *quod* credit, videt per speculum creaturae [10]; et propterea, etsi speculum creaturae non sit eius principale obiectum, cognitio tamen aeternorum in subiecta creatura et mundanae creaturae, et intelligentia Scripturae plurimum confert ad ipsius fidei promotionem sive *in alio*, sive

---

[1] Libr. III. de Anima, text. 38. (c. 8.) Cfr. tom. I. pag. 6, nota 5. — Cod. Z *secantur scientiae quemadmodum et res.* Mox pro *subiectorum* Vat. *obiectorum.*

[2] Cfr. supra pag. 9, nota 1. — De proportione lineae ad punctum cfr. supra pag. 280, nota 5.

[3] Vide supra d. 33. dub. 1. — De definitione sapientiae, quae hic sequitur, cfr. supra pag. 774, nota 3.

[4] Libr. I. Metaph. c. 1. de discrimine *expertorum* et *sapientium* loquens dicit, quod experti « sciunt quidem *quod est, propter quid* autem nesciunt; illi [sapientes] vero *propter quid* et causam cognoscunt ». Et c. 2. dicit, quod « opinamur, sapientem maxime *omnia*, ut possibile est, scire » (i. e. per causas cognoscere). Cfr. supra q. 1. — Mox pro *rationem* cod. A *rationes*, et deinde pro *diversas* cod. M *divinas*, edd. *duas.*

[5] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 29. n. 2. — Paulo inferius *ceterarum* accipiendum est pro *cunctarum;* cfr. supra pag. 680, nota 1.

[6] Cfr. Sap. 13, 1. seqq.; Rom. 1, 19. 20; supra d. 31. a. 2. q. 1. ad 5. (quomodo differat Deum videre *per speciem* et *per speculum*).

[7] Cfr. I. Sent. d. 3. p. I. q. 1. seq. — De hoc dubio cfr. B. Albert., hic a. 1; S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 2; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 2; Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. et circa lit.

[8] Vide supra pag. 530, nota 5.

[9] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. seq.

[10] Respicitur I. Cor. 13, 12. Cfr. supra d. 24. a. 1. q. 2. — Paulo inferius post *aeternorum* cod. A interiicit *est*, ubi respicitur Rom. 1, 20.

in se: in se quidem quantum ad *profectum;* in aliis autem non solum quantum ad *profectum*, sed etiam quantum ad *inchoationem;* homo enim magnae scientiae et litteraturae facilius persuadet et melius instruit venientes ad fidem quam ignorans, sicut de beato Paulo manifestum est. — Unde quia scientia ista valet ad fidei *introductionem* et introductae *provectionem* et provectae *defensionem* et defensae *confirmationem*[1]; hinc est, quod quatuor actus assignat ei Augustinus respectu ipsius fidei, dicens, quod per « donum scientiae fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur et roboratur »; ita quod primus actus respicit *incipientes,* duo intermedii *proficientes* secundum progressum in bono et pugnam contra malum, quartus et ultimus iam *perfectos.*

Ad quaestionem incid.

Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod scientia non generat fidem nec quantum ad habitum nec quantum ad actum; dicendum, quod immo; sed *generari* aliquem habitum ab alio potest intelligi dupliciter: vel respectu *eiusdem* subiecti, vel respectu *alterius;* et respectu *alterius* dupliciter: vel *effective*, vel *dispositive.* Cum ergo dicitur, quod scientia generat fidem; hoc non intelligitur respectu *eiusdem* subiecti, sed respectu *alterius;* nec intelligitur *effective*, sed tantum *dispositive*[2].

Distinctio et subdistinctio.

Ad illud quod obiicitur, quod fides est de aeternis, scientia de temporalibus; dicendum, quod illud non cogit, quia temporalia bene manuducunt ad aeterna, quamdiu sumus in via[3].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Scientia est abstinere a malis.* Videtur enim falsum dicere, quia diversorum donorum diversi sunt actus: cum ergo hoc sit ipsius timoris[4], non videtur, quod sit ipsius scientiae. — Item, abstinere a malis respicit affectum; sed scientia respicit intellectum: ergo abstinere a malis non est actus ipsius.

Iuxta hoc quaeritur: cum scientia non solum sit ad declinandum a malo, sed etiam ad faciendum bonum[5], propter quid magis describitur per actum declinandi a malis quam per actum exercendi in bonis?

Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod, secundum quod Magister exponit infra[6], *abstinere a malis* non solum intelligitur *privative:* non facere malum, sed a *malis abstinere*, hoc est « prudenter conversari in medio nationis pravae et perversae ». Unde aliter et aliter *abstinere a malis* est ipsius timoris et ipsius scientiae. Timor enim reprimit interiora incentiva, scientia vero docet praecavere exteriora pericula et occasiones et ea quae sunt ad malum inclinantia, in quibus magna est difficultas.

Notandum.

Et per hoc patet responsio ad obiecta, quoniam *abstinere a malis*[7] aliter est timoris; *praeterea*, non est scientiae ut *exsequentis*, sed tantum ut *dirigentis*[8]; *postremo*, non est ipsius scientiae *privative* tantum, sed etiam *positive*, sicut supra fuit tactum. Ideo patent illa tria obiecta, quae procedunt secundum haec.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Aperte monstratum est, in quo differant spiritus sapientiae et spiritus scientiae, cum sapientia divinis, et scientia humanis attributa sit rebus.* Videtur enim, quod ista nulla sit differentia, pro eo quod eadem virtus, scilicet caritas, simul habet versari circa Deum et proximum; et similiter eadem fides[9]: ergo nulla videtur per hoc assignari donorum differentia. — Item, intelligentia, quae est donum unum, sicut dicit infra[10], simul est de aeternis et temporalibus: ergo videtur, quod Magister sibi ipsi contradicat.

Respondeo: Dicendum, quod negotiari circa temporalia et aeterna potest esse dupliciter: vel secundum rationes *easdem*, vel secundum rationes *alias et alias.* Quando est secundum rationes *easdem;* tunc non est nisi diversitas materialis, et unus formalis habitus potest esse respectu utrorumque[11]. Quando vero est secundum rationes *alias et alias;* tunc non solummodo est diversitas materialis, immo etiam est diversitas formalis; et sic est in proposito reperire, sicut colligi potest ex his quae dicta sunt in praehabitarum quaestionum determinatione[12]; et propterea Magister differentiam satis recte assignat. Et haec de donis dicta sufficiant.

Distinctio.

---

[1] Vide tom. I. Prooem. q. 2.

[2] Cfr. supra q. 2. ad 1. et d. 34. p. I. a. 1. q. 2. ad 4.

[3] De hoc dubio cfr. B. Albert., hic a. 4; S. Thom., Petr. a Tar. et Rich. a Med., hic circa lit.

[4] Cfr. supra lit. Magistri, d. XXXIV. c. 4, et ibid. Comment. p. II. a. 1. q. 1. — Edd. *sit doni timoris*, cod. E *ipsius doni timoris.*

[5] Respicitur illud Ps. 36, 27: Declina a malo et fac bonum.

[6] Hic c. 1. — Pro *infra* edd. *in littera.*

[7] Codd. K P R S hic interserunt *aliter est scientiae.*

[8] Cfr. supra q. 2. — De hoc dubio cfr. B. Albert., hic a. 4, et S. Thom., hic circa lit.

[9] Vide supra d. 23. a. 1. q. 3. et d. 27. a. 1. q. 2.

[10] Hic c. 2.

[11] Cfr. supra d. 23. a. 1. q. 3. — In edd. desiderantur verba *et unus formalis... utrorumque* (cod. K *utriusque*).

[12] Supra q. 1-3. — Ultimum solut. enuntiatum *Et haec* etc. deest in edd. — De hoc dubio cfr. B. Albert., hic a. 3.

DISTINCTIO XXXVI.

Cap. I.

De connexione virtutum, quae non separantur.

Solet etiam quaeri, utrum virtutes ita sint sibi coniunctae, ut separatim non possint possideri ab aliquo, sed qui unam habet omnes habeat. De hoc Hieronymus[1] ait: « Omnes virtutes sibi haerent, ut qui una caruerit omnibus careat. Qui ergo unam habet omnes habet ». — Quod quidem probabile est. Cum enim caritas mater sit omnium virtutum, in quocumque mater ipsa est, scilicet caritas, et cuncti filii eius, id est virtutes, recte fore creduntur. Unde Augustinus[2]: « Ubi caritas est, quid est quod possit deesse? Ubi autem non est, quid est quod possit prodesse »? « Cur ergo non dicimus, qui hanc virtutem habet habere omnes, cum *plenitudo Legis sit caritas?* quae quanto magis est in homine, tanto magis est virtute praeditus; quanto vero minus, tanto minus inest virtus; et quanto minus inest virtus, tanto magis inest vitium ».

Ratio.

Dubium 1.

Cap. II.

An cunctae virtutes pares sint, in quocumque sunt.

Utrum vero *pariter* quis omnes possideat virtutes, an aliae magis, aliae minus in aliquo ferveant; quaestio est. — Quibusdam enim videtur, quod aliae magis, aliae minus habeantur ab aliquo, sicut in Iob[3] patientia emicuit, in David humilitas, in Moyse mansuetudo. Qui etiam concedunt, magis aliquem mereri per aliquam unam virtutem quam per aliam, sicut eam plenius habet quam aliam. Non tamen magis per aliquam mereri dicunt quam per caritatem, nec aliquam plenius a quoquam haberi quam caritatem. Alias igitur magis, et alias minus in aliquo esse dicunt, sed nullam plenius caritate, quae ceteras gignit; hasque dicunt esse multas facies, quas memorat Apostolus[4] dicens: *Ex personis multarum facierum* etc.

Opinio 1.

Alii verius dicunt, omnes virtutes et simul et pares esse in quocumque sunt, ut qui in una alteri par extiterit, in omnibus eidem aequalis sit. Unde Augustinus[5]: « Virtutes, quae sunt in animo humano, quamvis alio et alio modo singulae intelligantur, nullo modo tamen separantur ab invicem, ut quicumque fuerint aequales, verbi gratia in fortitudine, aequales sint et prudentia et iustitia et temperantia. Si enim dixeris, aequales esse istos in fortitudine, sed illum praestare prudentia; sequitur, ut huius fortitudo minus prudens sit; ac per hoc nec fortitudine aequales sunt, quia est illius fortitudo prudentior. Atque ita de ceteris virtutibus invenies, si omnes eadem consideratione percurras ». — Ex his clarescit, omnes virtutes non modo esse connexas, sed etiam pares in animo hominis. Cum ergo dicitur aliquis aliqua praeeminere virtute, ut Abraham fide[6], Iob patientia; secundum usus exteriores accipiendum est, vel in comparatione aliorum hominum, quia vel humilitatis habitum maxime praefert, vel opus fidei, vel alicuius ceterarum virtutum praecipue exsequitur. Unde et ea prae aliis pollere, vel inter alios homines singulariter excellere dicitur secundum hunc modum, scilicet secundum rationem actuum exteriorum. — Alibi[7] Augustinus dicit, in aliquo aliam magis esse virtutem, aliam minus, et unam esse, et non alteram. Ait enim sic: « Clarissima disputatione tua satis apparuit, non placuisse auctoribus nostris, immo ipsi Veritati, omnia paria esse peccata, etiam si hoc de virtutibus verum sit »; « quia, etsi verum est, eum qui habet unam, omnes habere virtutes, et eum qui unam non habet, nullam habere, nec sic peccata sunt paria, quia ubi nulla virtus est, nihil rectum est; nec tamen ideo non est pravo pravius distortoque distortius. Si autem, quod puto esse verius sacrisque Litteris congruentius, ita sunt animae intentiones, ut corporis membra — non quod videantur locis[8], sed quod sentiantur affectibus — et alius illuminatur amplius, alius minus, alius omnino caret lumine; profecto ut quisque illustratione piae caritatis affectus est, in alio actu magis, in alio minus, in aliquo nihil, sic dici potest habere aliam et aliam non habere, et aliam magis, aliam minus. Nam et maior est in isto caritas quam in illo, recte[9] possumus dicere; et aliqua in isto, nulla in illo, quantum pertinet ad caritatem, quae pietas est; et in uno homine, quod maiorem habeat pudicitiam quam patientiam, et maiorem hodie quam heri, si proficit; et adhuc non habeat continentiam, et habeat non parvam misericordiam. Et ut generaliter breviterque complectar quam de virtute habeo notionem: virtus est caritas, qua id quod diligendum est, diligitur; haec in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla est; plenissima vero, quae iam non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, in nemine ». — Hic insi-

Opinio 2. et Magistri.

Augustinus.

Augustinus.

Dubium 2.

---

[1] Libr. VI. Comment. in Isai. 16, 12. et XV. 56, 1. De caritate ut matre virtutum cfr. supra pag. 603, nota 7.

[2] In Evang. Ioan. tr. 83. n. 3. Seq. loc. est Epist. 167. (alias 29.) c. 3. n. 11. quae est etiam Epist. 132. n. 11. inter Epist. Hieronymi. Locus Scripturae est Rom. 13, 10. — Pro *magis inest vitium* codd. A C E *magis est vitium*; originale *maius* (ita et cod. D) *est vitium.*

[3] Cfr. Iac. 5, 11; II. Reg. 6. 22; de Moyse cfr. Num. 12, 3. Huic opinioni favet locus Hieronymi, I. Dialogus adv. Pelagian. n. 18. 19, ubi etiam ait, virtutes esse connexas *participatione*, non *proprietate.* — Pro *emicuit* codd. A B E *eminuit*, codd. D C *enituit.*

[4] Epist. II. Cor. 1, 11; cfr. Lyranus in hunc locum. — Superius pro *memorat* codd. A D et Erf. *commemorat.* Pro *simul et pares* edd., exceptis 1, 8, *similes et pares.*

[5] Libr. VI. de Trin. c. 4. n. 6. — In quo textu pro *aequales sunt, quia* edd. 1, 8 *aequales sint, quia*, refragante etiam originali, deinde eaedem pro *non modo* habent *non solum.*

[6] Cfr. Hebr. 11, 8-12, 17-20; Rom. 4, 3. seqq.

[7] Edd., exceptis 1, 8, perperam praefigunt *ut* et connectunt quae sequuntur cum antecedente propositione. Locus August. est in cit. Epist. 167. (alias 29.) c. 2. n. 4, sed multis hic omissis. Seq. locus ibid. c. 4. n. 14. 15.

[8] Codd. C E et edd. 1, 8 cum Vat. *oculis*, refragante etiam originali, quod deinde pro *alius* ter habet *aliud* (scil. membrum). Infra post *aliam minus* edd. 1, 5, 6, 8 cum originali adiiciunt *habere virtutem.*

[9] Vat. et edd., excepta 1, praefigunt *et ideo*, refragantibus codd. et originali. Deinde solae edd. post *uno homine* addunt *quidem.*

nuari videtur, quod aliquis ea ratione possit dici habere unam virtutem magis quam aliam, quia per caritatem magis afficitur in actu unius virtutis quam alterius, et propter differentiam *actuum* ipsas virtutes magis vel minus habere dici potest[1], et aliquam non habere; cum tamen simul omnes et pariter habeat quantum ad mentis *habitum* vel essentiam cuiusque. In actu vero aliam magis, aliam minus habet, aliam etiam non habet, ut vir iustus, utens coniugio, non habet continentiam in *actu*, quam tamen habet in *habitu*. — « Cur ergo non dicantur paria peccata? Forte quia magis facit contra caritatem qui gravius peccat, minus qui levius. Nemo enim peccat, nisi adversus illam faciendo, quae est *plenitudo Legis;* ideo recte dicitur: *Qui offenderit in uno, factus est omnium reus,* id est, contra caritatem facit, in qua pendent omnia[2] ».

Augustinus.

Cap. III.

Quomodo in caritate tota Lex pendet.

Cum sint duo praecepta caritatis, in quibus, ut praetaxatum est[3], *tota Lex pendet et Prophetae;* advertendum est, quomodo hoc sit, cum in Lege et Prophetis multa fuerint *caeremonialia* mandata, quae, si ad caritatis sanctificationem pertinuissent, viderentur nondum *debere* cessare. Quia vero non iustificationis gratia, quam facit caritas, instituta sunt, sed in *figura futuri* et in *onus imposita;* ideo clarescente veritate, cessaverunt velut *umbra.* Verumtamen et ipsa *caeremonialia* secundum spiritualem intellectum, quem continent, et omnia *moralia* ad caritatem referuntur. Pertinent enim omnia ad decem mandata in tabulis scripta, ubi omnium summa perstringitur, ex quibus cetera emanant, sicut in sermone Domini octo virtutes praemittuntur, ad quas cetera referuntur[4]; et sicut ad decem mandata decalogi cetera referuntur, ita et ipsa decem ad duo mandata caritatis. Omnia ergo ad duo mandata caritatis pertinent, quia per caritatem implentur et ad caritatem tanquam ad finem referri debent. Unde Augustinus[5]: « Totam magnitudinem et amplitudinem divinorum Eloquiorum possidet caritas, qua Deum proximumque diligimus, quae radix est omnium bonorum. Unde Veritas ait: *In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetae.* Si ergo non vacat omnes Paginas sanctas perscrutari, omnia involucra sermonum evolvere; tene caritatem, ubi pendent omnia », quia perfectio est et finis omnium. Tunc enim et praecepta et consilia recte fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum et proximum propter Deum. « Quod vero timore poenae, vel aliqua intentione carnali fit, ut non referatur ad caritatem, nondum fit, sicut fieri oportet, quamvis fieri videatur[6] ». « Inimicus enim iustitiae est qui poenae timore non peccat; amicus vero, qui eius amore non peccat ». — « Omnium igitur haec summa est, ut intelligatur Legis et omnium divinarum Scripturarum *plenitudo* esse dilectio Dei et proximi ».

Dubium 3. Augustinus. Augustinus. Dubium 4. Dubium 5.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXVI.

De connexione habituum gratuitorum.

Solet etiam quaeri, utrum virtutes etc.

DIVISIO TEXTUS.

Pars ista, in qua Magister agit de habitibus gratuitis, secundum quos habemus conformari Christo, divisa fuit[1] in partes duas. In quarum prima agit de his quantum ad distinctionem. In secunda vero quantum ad connexionem.

Prima parte terminata, hic incipit secunda. Intendit igitur Magister principaliter in hac particula agere de habituum gratuitorum *connexione;* et quoniam ad *connexionem* sequitur *aequalitas* in merito, et aequalitas cum connexione ortum habet ex uno principio, ex hoc videlicet, quod virtutes omnes ligantur et informantur a caritate et ad ipsam reducuntur[2] sicut ad radicem: ideo pars ista habet tres particulas. In quarum prima determinat Magister de virtutum *connexione.* In secunda vero de *aequalitate,* ibi: *Utrum vero pariter quis omnes possideat virtutes* etc. In tertia vero omnia opera praeceptorum et virtutum docet reducere ad caritatem, ibi: *Cum duo sint praecepta caritatis* etc.

Prima pars dividitur in duas partes. In quarum prima movet quaestionem et determinat veritatem. In secunda vero veritatis determinatae reddit causam et rationem, ibi: *Quod quidem probabile est* etc.

Similiter secunda pars, in qua determinat de

---

[1] Edd., exceptis 1, 8, *dicitur. Potest et,* refragantibus codd.

[2] Loc. cit. c. 5. n. 17, ubi respicitur Iac. 2, 10. Vulgata: *offendat;* codd. BE et edd. 1, 8 *offendit.*

[3] Dist. XXVII. c. 3. — Pro *praetaxatum* edd. 1, 8 *praetactum.* Deinde Vat. cum pluribus edd. *debuisse cessare* pro *debere cessare.* Respiciuntur loci Scripturae, Matth. 22, 40; deinde I. Cor. 10, 11; Colos. 2, 17; Act. 15, 28; Hebr. 10, 1.

[4] Hic respiciuntur Exod. 20, 1; Matth. 5, 3. seqq. Cfr. Glossa Lyrani ad I. Tim. 1, 5. — Inferius ante *Omnia ergo* edd., excepta 2, propositionem claudunt adiiciendo *pertinent,* refragantibus codd., qui etiam omittunt *ad* ante *finem.*

[5] Serm. 350. (alias 39. de Tempore) n. 2. Locus Scripturae est Matth. 22, 40.

[6] August., Enchirid. c. 121. n. 32. Seq. locus est eiusdem Epist. 145. (alias 144.) n. 4. Tertius l. de Doctr. christ. c. 35. n. 39.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Supra d. 23, divis. textus.

[2] Plurimi codd. perperam *reducantur.*

virtutum *aequalitate*, duas habet. In quarum prima determinat istam quaestionem secundum opinionem alienam. In secunda secundum opinionem propriam et magis veram, ibi: *Alii vero verius dicunt, omnes virtutes* etc.

Similiter tertia pars duas habet. In quarum prima movet quaestionem et determinat, qualiter omnia praecepta reducuntur ad duo praecepta caritatis. In secunda vero concludit, quod ipsa caritas est summa et plenitudo totius totalis[1] Legis, ibi: *Omnium igitur haec summa est* etc. Ex quo haberi potest, quod caritas omnium virtutum est *finis* Nota. et *forma;* et ex hac causa *connexio* est inter ceteras virtutes gratuitas.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis iuxta ea quae Magister determinat, possunt sex breviter quaeri.

Et primo quaeritur de connexione virtutum gratuitarum.

Secundo, de connexione donorum.

Tertio, de connexione virtutum politicarum.

Quarto, de connexione vitiorum.

Quinto quaeritur de aequalitate habituum gratuitorum.

Sexto et ultimo quaeritur, utrum caritas sit forma virtutum.

ARTICULUS UNICUS.

De connexione, aequalitate et forma virtutum gratuitarum.

QUAESTIO I.

Utrum ponenda sit connexio in virtutibus gratuitis.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum sit ponere connexionem in virtutibus gratuitis. Et quod sic, videtur:

1. Primo per illud quod dicit Hieronymus su- Fundamenta. per illud Isaiae decimo sexto[2]: *Venter meus ad Moab* etc.; ibi Glossa: « Sicut cithara sonum compositum non emittit, si una chorda rupta fuerit; sic spiritus, vel venter prophetae, si una virtus defuerit, dulce melos non resonabit »; sed quando gratia est in anima et Spiritus sanctus in corde hominis, est in ea dulce melos spirituale: ergo necesse est, ibi simul omnes virtutes esse.

2. Item, Augustinus dicit, et habetur in quarto Sententiarum, distinctione decima quinta[3], quod « impium est a Deo dimidiam veniam sperare »: ergo pari ratione impium est sperare dimidiam gratiam: ergo sicut impossibile est, unum mortale peccatum sine alio dimitti; sic videtur, quod impossibile est, quod una virtus sine alia nobis donetur.

3. Item, hoc ipsum videtur *ratione*. Nullus potest habere virtutem gratuitam, nisi habeat gratiam; nullus habet gratiam, qui non sit templum Dei; nullus autem potest esse templum Dei, nisi sit templum eius secundum totum, quia nulla est conventio Christi ad Belial, neque templo Dei cum idolis[4]: si ergo ad hoc, quod anima consecretur in templum Dei, necesse est, ipsam habere omnes virtutes dirigentes et rectificantes eius potentias; videtur esse necessarium, quodsi habet unam virtutem, quod habeat ceteras.

4. Item, quicumque habet unicam virtutem gratuitam, necessarium est, ipsum habere caritatem — nulla enim virtus gratuita remanet, caritate exclusa — sed qui habet caritatem habet *vinculum perfectionis*[5] et plenitudinem Legis, et per hoc potest pervenire ad salutem: si ergo nemo habet perfectionem in genere moris nec potens est ad implendum omnia mandata Legis, nisi habeat universitatem virtutum; necessario videtur sequi, ut qui unam virtutem gratuitam habet, nulla sibi desit.

1. Sed contra hoc primo fertur instantia in *Christo* et in *Beatis;* Christus enim et Beati caritatem habent, et tamen in eis nec est fides nec spes, sicut ex praecedentibus[6] apparet: ergo non est necesse, ut qui habet unam virtutem gratuitam habeat omnes. Ad oppositum.

---

[1] Edd. omittunt *totalis*.

[2] Vers. 11. — Glossa, *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, refert Hieronymi verba in hunc loc. — In fine arg. pro *ibi* cod. Z *in ea*.

[3] In lit. Magistri, circa finem. Sententia August. invenitur in lib. de Vera et falsa Poenitentia (inter opera August.), c. 9. n. 24. — Quod impossibile est, unum peccatum mortale sine alio dimitti, demonstratur IV. Sent. d. 15. p. 1. q. 2.

[4] Respicitur illud II. Cor. 6, 15. seq.: Quae autem conventio Christi ad Belial?... Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi etc. Cfr. II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. seq. et d. 29. a. 1. q. 1. — Paulo superius pro *qui non sit* cod. A *nisi sit*.

[5] Colos. 3, 14. Mox respicitur illud Rom. 13, 10: Plenitudo ergo Legis est dilectio. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — De *maiori*, in qua Vat. male omittit *gratuitam*, vide infra q. 6. et supra d. 27. a. 1. q. 3. seq. — In fine arg. post *nulla* codd. A Z adiiciunt *alia*.

[6] Lit. Magistri, d. XXVII. c. 1. et d. 31. a. 2. q. 1. seq. nec non a. 3. q. 1.

2. Item, fertur secundo instantia in *innocentibus* et *coniugatis;* innocentes enim non habent virtutem poenitentiae, coniugati non habent virginitatem; et tamen hae sunt virtutes gratuitae: ergo non est necesse, quod qui habet unam virtutem gratuitam habeat omnes.

3. Item, tertio fertur instantia in *praescitis* et *reprobis,* qui, cum sunt in gratia, habent aliquas virtutes, et tamen nunquam habent perseverantiam, quoniam, si illam haberent, salvarentur, sicut dicit Dominus [1]: *Qui perseveraverit usque in finem* etc.: si ergo perseverantia virtus est, secundum quod vult Tullius et Bernardus, videtur, quod non sit connexio virtutum gratuitarum.

4. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione.* Habitus virtutum gratuitarum sunt diversi formaliter, sicut diversae species eiusdem generis, ita quod ex opposito dividuntur, nec unum est principium alterius [2]; sed quando aliquae proprietates invicem distinguuntur, ita quod una ab altera dividitur, nec altera ab altera causatur; possibile est, haberi unam sine reliqua: si ergo virtutes gratuitae sunt huiusmodi, videtur, quod non sit necessarium, eas esse connexas.

5. Item, habitus virtutum per actus suos habent notificari et distingui [3]: igitur quae est comparatio actus ad actum, eadem est comparatio habitus ad habitum; sed non est necesse, actus virtutum esse connexos, immo unus potest exerceri sine altero: ergo etc.

6. Item, si habitus virtutum sunt connexi, aut hoc est ratione *principii,* aut ratione *subiecti,* aut ratione *obiecti.* Si ratione *principii,* quia sunt a Deo; tunc, cum omnis proprietas a Deo sit, connexio esset in omnibus proprietatibus. Si ratione *subiecti,* quia sunt in eodem: ergo cum omnes scientiae sint in eadem anima, qui haberet unam scientiam, haberet ceteras; quod manifeste falsum est. Si ratione *obiecti; contra:* penes obiecta distinguuntur [4]: ergo penes illa non connectuntur, cum idem non sit principium distinctionis et connexionis.

CONCLUSIO.

Necesse est, habentem gratiam habere omnes virtutes, quae sunt perfectae, vel aliquid eis correspondens.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod de virtutibus gratuitis contingit loqui tripliciter, videlicet quantum ad *habitum substratum* et quantum ad *statum superadditum* et quantum ad *defectum imperfectionis annexum* [5]. Virtutes tripliciter considerantur.

Si loquamur de virtutibus sub ratione *imperfectionis annexae,* non est necesse, esse connexionem simpliciter, pro eo quod non est necesse, hominem habentem gratiam habere imperfectionem adiunctam. — Similiter si loquamur de virtutibus quantum ad *statum superadditum,* qui non est de necessitate virtutis, sicut est reperire in continentia virginali et viduali; sic adhuc non est necesse, virtutes esse connexas. — Si vero loquamur de virtutibus quantum ad *habitus substratos,* tunc distinguendum est: quia aut illi habitus *habent* necessario *annexam imperfectionem,* aut *non.* Si *habent* necessario annexam imperfectionem, sicut habet habitus fidei et spei; sic non sunt necessario connexi aliis virtutibus nisi pro eo tempore, quo quis est in statu viae. Quodsi *non habent* necessario annexam imperfectionem, tunc connexionem habent simpliciter sive in statu viae, sive in statu patriae. Unde secundum omnem statum verum est, quod necesse est, habentem gratiam habere omnes virtutes, quae sunt perfectae, vel aliquid eis correspondens, sicut loco fidei in patria habebimus visionem et loco spei perfectam tentionem [6]. Conclusio 1. Subdistinctio. Conclusio 2. Conclusio 3. Conclusio 4. Conclusio generalis.

Ratio autem huius connexionis sumi potest quadrupliciter secundum quadruplex genus causae: primum quidem ex parte causae *materialis,* quae scilicet est nostra necessitas; secundo ex parte causae *efficientis,* quae est Dei largitas; tertio ex parte causae *formalis,* quae est virtutum conformitas; quarto ex parte causae *finalis,* quae est praemii dignitas. — Causa enim *materialis* virtutum assignari potest non *ex qua* [7], sed *in qua.* Et haec quidem est rationalis anima secundum suas potentias, secundum quas ipsa anima potest obliquari et dirigi. Et quoniam illae potentiae animae non possunt per unum habitum virtutis rectificari, sed per diversos; necesse est ad hoc, quod anima perficiatur in *esse* gratuito et fiat Deo placita et iusta, quod ipsa secundum diversos virtutis habitus rectificetur in se et in qualibet eius potentia. Ideo propter necessitatem ex parte susceptibilis necesse est, virtutes gratuitas esse connexas [8]. Ratio quadruplex. Prima.

Causa vero virtutum *efficiens* est divina liberalitas, cuius est nullo modo deficere in necessariis, sed omnia administrare affluenter et abunde [9]. Unde sicut divina liberalitas perficiens rem in *esse primo* dat ei totum, per quod possit in *esse* conservari; Secunda.

---

[1] Matth. 10, 22. et 24, 13. — Cicero, II. Rhetor. c. 54. perseverantiam, quam inter partes fortitudinis recenset (cfr. supra pag. 561, nota 7.), sic definit: « Perseverantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio ». Secundum Bernard., Epist. 129. n. 2, perseverantia est « vigor virium, virtutum consummatio », et, ut in eiusdem Serm. 41. de Diversis n. 10. dicitur, « virtutum fructus earumque consummatio, totius boni repositorium, virtus, sine qua nemo videbit Deum » etc.

[2] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 1. — Mox edd. omittunt *invicem.*

[3] Secundum Aristot., de quo vide supra pag. 470, nota 8. in fine.

[4] Vide notam praeced. — Cod. A bis *habent* pro *haberet.*

[5] Cod. U *annexae.* Post pauca pro *esse* cod. K *fieri.*

[6] Cfr. supra d. 31. a. 2. et 3.

[7] Cfr. tom. I. Prooem. q. 1. ad 2. et scholion ibid.

[8] Vide supra d. 33. q. 2. ad 2. — Paulo superius pro *et fiat* cod. F *et sic fiat.*

[9] Respicitur illud Iac. 1, 5: Postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter etc.

ita perficiens eam in *esse secundo* dat illi integram perfectionem, per quam et in illo *esse* manere possit et singulis vitiis obviare. Ideo conveniens est divinae largitati, cum gratificat hominem, diversitatem virtutum, in quibus consistit rectitudo vitae, eidem tribuere.

Tertio. Causa autem *formalis* ipsarum virtutum gratuitarum est ipsa Dei gratia, quae virtutes ceteras quantum ad habitus sibi substratos perficit et informat, et hoc per suam *praesidentiam* et *influentiam*, per quam animam facit gratam et quantum ad se et quantum ad eius potentias. Unde quia illa gratia conformiter se habet ad omnes virtutes; ex quo [1] ipsa habetur, aut *quaelibet* virtus habetur, aut *nulla*; et ideo necesse est, virtutes esse connexas.

Quarto. Causa autem *finalis* virtutum est ipsa gloria, quae veniens in animam undique et plene perficit eam; et ideo necesse est, quod per gratiam undique *disponatur*. Nisi enim praecedat sufficiens *dispositio*, non inducitur perfectio. Necesse est ergo necessitate *finis* [2], omnes potentias animae perfici per virtutes gratuitas, ut idoneae sint et dispositae ad susceptionem gloriae. — Et sic patet, quod ratio connexionis virtutum gratuitarum sumitur ex quadruplici genere causae; unde et rationes hoc probantes sunt concedendae.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium de *Christo* et *Beatis*, in quibus non est reperire virtutem spei nec fidei; iam patet responsio ex his quae dicta sunt: quoniam hae virtutes propter imperfectionem sibi annexam [3] se non compatiuntur cum statu gloriae. Verumtamen ex hoc non infringitur connexio virtutum, pro eo quod ipsae aliis virtutibus connectuntur in statu *viae*; in statu vero *patriae* loco ipsarum dotes eis correspondentes cum aliis virtutibus, quae ibi permanent, connexionem habent.

2. Ad illud quod obiicitur de *innocentibus* et *coniugatis*, iam patet responsio: quoniam poenitentia [4] et virginitas non tantum *habitus* virtutum nominant, sed etiam *status*, ratione quorum, ut praedictum est, non necessaria est connexio virtutum gratuitarum, pro eo quod in diversis statibus salvari potest essentia gratiae et virtutum.

Triplex perseverantia. 3. Ad illud quod obiicitur de perseverantia, quae non est in *praescitis*; dicendum, quod *perseverantia* dicitur tripliciter. Uno modo dicitur perseverantia voluntas perferendi passiones sine defectione; et sic est species fortitudinis [5]. Alio modo dicitur perseverantia propositum perseverandi in bono usque in finem; et sic est conditio annexa cuilibet virtuti. Tertio modo dicitur perseverantia continuatio boni usque in finem; et hoc modo non est nomen *virtutis*, sed potius *status* consequentis ad omnes virtutes. Et primis quidem duobus modis habet connecti aliis virtutibus et reperitur in iustis praescitis; hoc autem tertio modo in praescitis non reperitur nec necessario aliis nectitur, quia virtutis non nominat *habitum*, sed magis consequentem *statum*.

4. Ad illud quod obiicitur, quod habitus virtutum gratuitarum sunt diversi formaliter; dicendum, quod quamvis formaliter dividantur quantum ad habitus *substratos*, tamen, in quantum *gratuiti* sunt, communicant in ipsa gratia, quae est omnium virtutum gratuitarum perfectiva in *esse* gratuito [6]. Et ideo ratio illa non cogit: quoniam, etsi in formalibus *propriis* distinguantur, tamen in formali *communi*, ratione cuius habent esse gratuiti, uniuntur.

Notandum. 5. Ad illud quod obiicitur de comparatione habituum et actuum; dicendum, quod non est simile, pro eo qhod *egressus actuum* est voluntarius et ab arbitrii libertate, *introductio* vero *habituum* in ipsam animam est a divina largitate; voluntas autem [7] specialiter applicatur ad unum bonum, divina vero largitas complet totum: ideo non sequitur, quod quamvis actus unius virtutis gratuitae ab altero separetur, propter hoc similiter habitus ab habitu.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur, unde veniat connexio habituum; iam patet responsio: venit enim ex quadruplici genere causae, sicut praedictum est; nec est simile de illis, in quibus instat [8], sicut appareret de se.

SCHOLION.

1. Quaestio haec agit de virtutibus *gratuitis* proprie dictis, quatenus nominantur a gratia *gratum faciente* (sive sanctificante), non a gratia *gratis data*, quia hae non sunt gratuitae *simpliciter* nec connexionem habent. *Illarum* autem connexio intelligitur quoad *habitum*, non quoad *usum* sive actum (cfr. hic ad 5.) — Pro explicatione nonnullarum locutionum cfr. supra scholion ad d. 33. q. 5. — In solutione communiter conveniunt antiqui Scholastici; illi autem, qui cum Scoto non admittunt virtutes morales per se infusas (cfr. cit. scholion), restringunt hanc connexionem virtutum *gratuitarum* ad virtutes theologi-

[1] Codd. G H K V aa et edd. 1, 2 subdunt *et*, Vat. *etiam*.

[2] Cfr. Aristot., II. Phys. text. 87. seqq. (c. 9.).

[3] Non pauci codd. *connexam*.

[4] Vat. *innocentia*. — Aristot., IV. Ethic. c. 9. de verecundia agens, ostendit, eam viro probo (i. e. qui sponte nunquam male agit) non convenire, et concludit: Quocirca verecundia *ex conditione* probata res est; si enim [probus vir male] ageret, erubesceret.

[5] Cfr. supra pag. 792, nota 1, ubi etiam in verbis Bernardi tertius modus perseverantiae insinuatur. Cfr. etiam August., de Dono perseverantiae, c. 1. n. 1. De secundo modo vide Aristot., II. Ethic. c. 4, ubi virtuosi esse praedicatur, quod « stabili atque immutabili affectu praeditus agat ». Cfr. ibid. VII. c. 8. seq. — Inferius pro *ad omnes virtutes* cod. A *ad omnes habitus virtutis*, et pro *connecti aliis virtutibus* idem cod. A *convenientiam cum aliis virtutibus*. Subinde pro *in iustis* Vat. *in multis*.

[6] Cfr. infra q. 6. et supra d. 27. n. 1. q. 3. ad 1. et d. 33. q. 5. scholion.

[7] Codd. A U Z bb subiiciunt *nostra*.

[8] Plurimi codd. *stat*; perperam.

cas, quatenus cum caritate semper infunduntur habitus fidei et spei. Quid Scotus de connexione virtutum *cardinalium* sentiat, dicitur infra in scholio ad q. 3. — Quoad ultimam rationem, sumtam ex *causa formali*, scilicet gratia sanctificante, etiam S. Thom. (hic a. 2.) eandem affert, sed sibi constans, sic arguit: « Secundo ex gratia, quae est quasi totum potentiale ad virtutes, ex qua quodam modo fluunt virtutes, sicut ex essentia animae fluunt illius potentiae. Unde sicut omnes potentiae sunt simul, in quantum connectuntur in essentia, ita omnes virtutes gratuitae sunt simul, in quantum connectuntur in gratia (cfr. S. I. II. q. 65. a. 3.).

De eadem quaestione: Petr. a Tar., hic a. 2. — Richard. a Med., hic q. 2. et d. 27. a. 9. q. 2. — Henr. Gandav., Quodl. 5. q. 17. — Durand., hic q. 1. 3. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. 1. — Biel, de hac et seqq. qq. hic q. unica.

II. De seq. (2.) q. docet S. Bonav. cum S. Thoma, quod dona quoad *habitum* simul infunduntur cum gratia omnibusque virtutibus gratuitis, quod autem non exeunt in *usum* actumque simul et aequaliter, sed successive et diversimode. Unde concludit, non esse tantam eorum connexionem, quanta est in virtutibus. — Aliam opinionem refert Petr. a Tar. (hic a. 3.), quam ipse censet esse veriorem, quod scilicet « dona nec cum virtutibus nec ad invicem connexionem habent, nec secundum usum nec secundum habitum ». Huic secundae opinioni *ex parte* subscribit Richard. a Med. (hic q. 3.), cum neget eorum connexionem « quantum ad eorum *esse imperfectum* », at eandem subsistere putet, quando habent statum perfectum.

III. In solutione ad 5. 6. *Glossa* (secundum lectionem a nobis reformatam) tantum *septem* enumerat beatitudines, dum communiter in catechismis et etiam a S. Thoma *octo* esse censentur, secundum litteram Evangelii (Matth. 5, 3-10.). Sed S. Bonav. cum pluribus antiquis septenarium illarum numerum profitetur etiam alibi, praesertim in Breviloq. p. V. c. 6, et in Comment. in Lucam (c. 6. n. 20.). Assignatio huius numeri orta esse videtur ex doctrina S. August. (I. de Serm. Domini in monte, c. 3. n. 10.), ubi inter alia plura dicitur: « Octava tanquam ad caput redit, quia consummatum perfectumque ostendit et probat... *Septem* sunt ergo quae perficiunt; nam *octava* clarificat et quod perfectum est demonstrat, ut per hos gradus perficiantur et ceteri, tanquam a capite rursus exordiens ». — Etiam Hugo a S. Victore (Opuscul. de Quinque Septenis seu Septenariis, c. 1. seqq.) septem *beatitudines* enumerat, sicut septem *vitia* capitalia, septem *petitiones* in oratione Domini, septem *virtutes* nec non *dona* Spiritus S. — Item, Guliel. Antissiod. (Sum. III. tr. 12. c. 3.) refert opinionem Sanctorum aliquando dicentium, *octo* esse beatitudines, et post varia argumenta sic resolvit: « Dicimus, quod *octo* sunt beatitudines quantum ad *essentiam*, sed tantum *septem* sunt quantum ad distinctionem *graduum*; quoniam super *pacem* [respicit illud: Beati pacifici...] non est aliqua virtus, sed praeter *pacem* et quasi a latere est aliqua virtus, scilicet sustinentia persecutionum propter iustitiam, et est ista virtus de necessitate annexa *paci* » etc. Haec et tota diffusa de beatitudinibus doctrina Antissiodorensis in compendium redacta est in libro, qui saec. XIII. et XIV. in frequentissimo usu erat, cuius inscriptio *Compendium theologicae veritatis* (V. c. 47-55.), ubi etiam legitur: « Beatitudines sunt *septem* secundum distinctionem *graduum*, quamvis sint *octo* secundum *essentiam* ». Numerus septenarius beatitudinibus tribuitur etiam in *Centiloquio*, p. III. sect. 46.

IV. De hac 2. quaestione praeter laudatos: Alex. Hal., Sum. p. III. q. 62. m. 4. — S. Thom., hic a. 3; S. I. II. q. 68. a. 5.

QUAESTIO II.

Utrum dona Spiritus sancti sint connexa.

Secundo quaeritur de connexione donorum, et est quaestio, utrum dona Spiritus sancti sint connexa. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Primo, quia, sicut habitus virtutum sunt gratuiti et procedunt ex munere divinae largitatis, sic et habitus donorum: cum ergo propter unitatem gratiae informantis et munificentiam largitatis dispensantis ponatur connexio in virtutibus gratuitis [1], eadem ratione videtur, quod ponenda est et in donis.

2. Item, sicut una virtus alteri adminiculatur et eam adiuvat in actu suo, sic unum donum se habet respectu alterius: ergo qua ratione una virtus indiget altera et non potest ab ea separari, eadem ratione videtur necessarium esse, unum donum connecti alteri [2].

3. Item, quicumque habet caritatem, habet unde possit delectari et gustare, *quoniam suavis est Dominus* [3]; sed donum sapientiae consistit in gustu illius summae dulcedinis: igitur quicumque habet caritatem, habet donum sapientiae. Sed donum sapientiae est supremum inter omnia dona et praesupponit omnia dona inferiora: ergo quicumque habet caritatem, habet omnia Spiritus sancti dona: ergo videtur, quod dona sint connexa.

4. Item, aliquis homo existens in gratia ex ipso primo munere gratiae sine alterius doni appositione potest pervenire ad salutem: ergo videtur, quod possit in usu donorum et gratiae semetipsum exercere; sed hoc non esset, nisi dona essent connexa: ergo etc.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Primae ad Corinthios duodecimo [4] dicit Apostolus: *Alii datur per Spiritum sermo sapientiae, alii datur sermo scientiae;* ubi diversitatem donorum dicit distribui secundum diversitatem personarum: ergo non videtur, quod necessario oporteat, omnia dona in una et eadem anima esse connexa.

2. Item, Augustinus in libro de Sermone Domini in monte [5] ponit gradus inter dona, ita quod ab uno paulative fit processus ad alterum; sed hoc

---

[1] Cfr. quaest. praeced.

[2] Gregor., I. Moral. c. 32. n. 45: Valde enim singula quaelibet virtus [intellige: donum] destituitur, si non una alii virtus virtuti suffragetur. Minor quippe est sapientia, si intellectu careat; et valde inutilis intellectus est, si ex sapientia non subsistat etc.

[3] Psalm. 33, 9. — De seqq. cfr. supra d. 35. q. 1. et d. 34. p. I. a. 2. q. 2. — Pro *quoniam suavis* codd. Z bb (K a secunda manu) *quam suavis*.

[4] Vers. 8. — Paulo post pro *dicit distribui* edd. *distribuit*. Deinde Vat. omittit *necessario*.

[5] Libr. I. c. 3. n. 10. Cfr. Serm. 347. (alias 17. de Sanctis) c. 2. n. 2. seq., et II. de Doctr. christ. c. 7. n. 9. seqq.

non esset, si omnia infunderentur aequaliter et simul: ergo non videtur, quod dona Spiritus sancti invicem connectantur.

3. Item, Gregorius in Moralibus [1] dicit, quod « minor est sapientia, si intellectu careat »: ergo donum sapientiae potest haberi sine dono intellectus.

4. Item, supra habitum fuit distinctione proxima [2], et est verbum Augustini, de Trinitate decimo quarto, quod « dono scientiae non pollent plures fideles, quamvis polleant ipsa fide »: ergo videtur, quod donum scientiae non necessario concomitetur infusionem gratiae.

5. Item, habitus donorum secundum suam generalitatem dantur ad expediendum [3]: ergo si dona essent necessario connexa, videtur, quod uno dono habito, sanarentur omnia symptomata, et expeditus esset homo ad omnia opera meritoria; quod manifeste esse falsum, deprehendit ipsa experientia.

6. Item, dona ut plurimum ordinant ad ea quae sunt *supererogationis*, sicut patet in dono consilii et fortitudinis [4]; ea autem, quae *supererogationis* sunt, non concomitantur inseparabiliter ea quae sunt *necessitatis*: ergo videtur, quod inter ipsa dona gratuita non sit connexio necessaria.

CONCLUSIO.

Dona Spiritus sancti respectu originis habent connexionem, non autem ita respectu usus et perfectionis.

Respondeo: Dicendum, quod de habitibus donorum gratuitorum est loqui dupliciter, videlicet quantum ad ipsorum *originem* et quantum ad *usum consequentem*. Si loquamur de ipsis quantum ad ipsorum *originem*; cum origo omnium habituum gratuitorum consistat quasi *materialiter* in natura et *completive et formaliter* in gratia [5]; quando Spiritus sancti gratia infunditur, ita sufficienter datur, quod omnes habitus gratuiti ex ipsa possunt oriri, si nos velimus susceptae gratiae cooperari, non solum habitus virtutum, sed etiam habitus donorum et beatitudinum. Ideo quantum ad *originem* indubitanter verum est, dona Spiritus sancti habere connexionem. Distinctio. Conclusio 1.

Aliter est loqui de ipsis habitibus donorum quantum ad *usum*, secundum quem modum isti habitus reddunt potentiam facilem et expeditam ad proprios actus, qui non tantum sunt *necessitatis* et sufficientiae, sed etiam cuiusdam *supererogationis* et excellentiae; et quantum ad hoc non est necessarium in his esse connexionem, immo vix, aut nunquam usus istorum habituum reperitur perfectus in aliquo, sicut innuit Gregorius super illud Iob [6]: *Nunquid coniungere poteris micantes stellas Pleiadas?* dicens, quod usus Spiritus septiformis in solo Christo fuit perfecte. — *Usus* enim donorum ponit hominem in statu *perfectionis*, sed *origo* non necessario ponit in statu *perfectionis*, sed in statu *inchoationis*. Unde sicut puer parvulus, sicut dicit Augustinus [7], habet in *ratione* quidquid postmodum habiturus est in *mole*, licet magnitudinem molis nondum habeat in actu; sic concedi potest, quod habitus donorum non necessario connectuntur quantum ad *usum* et ipsorum *esse completum*, secundum quod potentias facilitant et ad actus excellentes expediunt. Tamen [8] in infusione gratiae habentur *radicaliter* et virtualiter et implicite, sicut ostendunt rationes ad primam partem inductae. Conclusio 2. Ratio. Corollarium.

Attamen illud quod obiicit de similitudine *virtutum* et *donorum*, non valet. Habitus enim *virtutum*, pro eo quod *necessitatis* sunt, etiam quantum ad suos *usus* in his qui libero arbitrio iam utuntur, *simpliciter* habent ad invicem connecti, non solum ratione suae *originis*, sed etiam ratione *usus consequentis*. Nemo enim potest esse in gratia, nisi credat, speret et amet; et sic de aliis virtutibus. Non sic autem est de *usibus donorum* et *beatitudinum*, sine quibus plures salvantur. Multi enim sunt, qui fideliter credunt, et tamen illud quod credunt, nunquam intellectu comprehendunt [9]. Similiter est de usu ipsarum *beatitudinum*. Et ideo, si aliquo modo sit connexio in habitibus *beatitudinum* et *donorum*, non tamen tanta est, quanta est in ha- Ad 2. fundamentum. Notandum.

---

[1] Libr. I. c. 32. n. 45.

[2] Lit. Magistri, d. XXXV. c. 1. — In fine arg. cod. K *communicetur infusione gratiae.*

[3] Cfr. supra d. 34. p. I. a. 1. q. 1, ubi etiam sermo est de *symptomatibus.*

[4] Vide supra d. 34. p. I. a. 2. q. 1. in corp. (via tertia et quarta).

[5] Cfr. supra d. 33. q. 5. — Alanus ab Insulis, Theolog. Regul. regul. 88: Omnes virtutes simul et similiter dantur homini a creatione, ut sint per naturam [datur scilicet homini, ut ibi exponitur, potentia, qua naturaliter aptus fit ad hoc vel illud faciendum, e. g. ad ratiocinandum vel intelligendum]; ex recreatione vero infunduntur homini, ut sint virtutes per gratiam, pariter quidem habitu, sed dispariter usu.

[6] Cap. 38, 31, ubi Vulgata *valebis* pro *poteris.* — Gregorius, XXIX. Moral. c. 31. n. 74. sic ait: Redemptor autem noster in carne veniens Pleiades iunxit, quia operationes septiformis Spiritus simul in se et cunctas et manentes habuit... Nullus vero hominum operationes sancti Spiritus simul omnes habuit, nisi solus Mediator Dei et hominum etc.

[7] Libr. XXII. de Civ. Dei, c. 14. — Pro *habet in ratione*, quemadmodum et in textu origin. legitur, Vat. *habet in virtute*; cod. K voci *ratione* adiungit *seminali.*

[8] Vat., superius post *quod* inserto *licet*, hic post *expediunt* sic prosequitur: *connectuntur tamen quantum ad eorum principium et originem, cum in infusione gratiae habeantur radicaliter* etc. Paulo ante pro *facilitant* cod. F *habilitant.*

[9] Bernard., Serm. in Cantic. serm. 18. n. 1. duplicem distinguens operationem Spiritus S., unam videlicet, qua nos primo intus virtutibus solidat ad salutem, alteram, qua foris muneribus [*gratis datis*] nos ornat, ait: Illas *nobis*, haec *nostris* accipimus. Verbi gratia, fides, spes, caritas nobis propter nos dantur; absque his quippe salvi esse non possumus. Porro scientiae seu sapientiae sermo, gratia curationis, prophetia similiaque, quibus carere cum integritate etiam salutis propriae possumus, proximorum procul dubio in salutem expendenda donantur.

bitibus virtutum. Est tamen ibi aliqua, sicut illae rationes ostendunt.

Solutio oppositorum.

1. Ad illa vero quae obiiciuntur in contrarium, satis facilis est responsio per ea quae dicta sunt. Nam quod primo obiicitur de auctoritate Apostoli, quod alii datur per Spiritum sermo sapientiae [1] etc.; procedit de donis gratiae gratis datae, non autem de donis gratiae gratum facientis; vel certe, si intelligit de ipsis donis, hoc dicit quantum ad *usum*, non quantum ad ipsorum habituum *radicem* sive principium.

2. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Augustini, similiter patet responsio. Augustinus enim assignat gradus inter dona quantum ad eorum *usus*, quia non potest quis assuefieri in usu doni superioris, nisi primo assuefiat in usu doni inferioris, qui [2] non est tantae sublimitatis.

3. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Gregorii, quod minor est sapientia, si intellectu careat; similiter respondendum est, hoc Gregorium intellexisse de *usu* doni intellectus; quo neglecto, si quis se protendat ad usum doni sapientiae, non ita proficit, sicut proficeret, si ordinato gradu procederet [3].

4. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Augustini, habita in distinctione praemissa, dicendum, quod Augustinus intelligit de *usu* doni scientiae; et hoc manifestum est ex ipsa auctoritate. Dicit enim, quod multi *pollent* fide, qui non pollent scientia. Nemo enim *pollet* in aliquo habitu, nisi habeat ipsum in sua *completione*, per quam facile sit, ipsum habitum manifestari in opere [4].

5. 6. Ad illud quod obiicitur, quod dona expediunt, et quod similiter ordinant ad ea quae sunt supererogationis et excellentiae; respondendum, sicut prius tactum est, quod hoc intelligitur de donis, quando habentur in *usu*, non solum in *munere* [5], sive quando habentur quantum ad *assuefactionem* et facilitatem in opere, non quando habentur quantum ad *causalitatem* in sua origine: *uno* modo habentur in ipsius gratiae infusione, *alio* modo habentur per bonorum operum et orationum sive precum multiplicationem, secundum illud quod dicitur in Glossa, Matthaei sexto [6]: « Quia per haec *dona* nos ab imis ad summa consurgimus, septem *beatitudines*, quae per eadem dona quaeruntur, de imis gradatim ad summa perveniunt. In *precibus* ergo est, ut impetremus *dona*, in donis, ut operemur *mandata*, de operatione *beatitudines* consequuntur ». Haec autem intelligenda sunt quantum ad *usum*, sicut prius fuit explanatum [7].

Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum connexio sit in virtutibus politicis, ut necesse sit, una habita, omnes haberi.

Tertio quaeritur, utrum sit connexio in virtutibus politicis, ita quod, una habita, necesse sit, omnes haberi. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Primo auctoritate *philosophica*. Dicit enim Seneca [8]: « Omne quod bene fit, fit iuste, fortiter et temperate »; sed opus cuiuslibet virtutis bene fit: ergo necesse est, quod fiat iuste et fortiter et temperate: igitur ad quodlibet opus virtutis concurrunt quatuor virtutes. Sed hoc non posset esse, nisi essent connexae: ergo etc.

2. Item, Hieronymus ad Pammachium [9]: « Quatuor virtutes describunt Stoici ita sibi esse connexas et mutuo cohaerentes, ut qui unam non habuerit omnibus careat, et qui unam habuerit omnes habeat »: videtur ergo auctoritate philosophorum, virtutes politicas esse connexas.

3. Item, hoc ipsum videtur auctoritate *Sanctorum* et primo auctoritate Augustini, in libro de Quantitate animae [10]. Definiens enim virtutem dicit, quod « virtus est aequalitas vitae undique rationi consentiens »; sed vita non consonat undique rationi nisi per virtutum universitatem: ergo ad hoc quod habeat aliquis unam virtutem meram, necesse est, quod habeat ceteras.

4. Item, Bernardus, in primo ad Eugenium [11]: « Advertere etiam est suavissimum quendam concen-

---

[1] Permulti codd. *scientiae*.

[2] Vat. *quia*, et paulo ante pro *nisi primo* codd. K Z *nisi prius*.

[3] Cfr. Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 7, ex quo nonnulla iam allata sunt supra pag. 748, nota 6.

[4] Secundum August., de Bono coniugali, c. 21. n. 25, habitus est « quo aliquid agitur, cum opus est; cum autem non agitur, potest agi, sed non opus est ». Averroes, III. de Anima, text. 18, de habitu intellectus dicit: Haec enim est definitio huius habitus, scilicet ut habens habitum intelligat per ipsum illud quod est sibi proprium ex se, et quando voluerit, absque eo quod indigeat in hoc aliquo extrinseco. — Pro *opere* cod. A *operatione*. Superius pro *scientiae* plurimi codd. et edd. 1, 2 falso *sapientiae*.

[5] Respicitur Hilarii locutio, de qua vide I. Sent. d. 31. p. II. a. 1. q. 3. Cfr. ibid. d. 15. p. II. q. 1. seqq.

[6] Vers. 9. — In Glossa allegata, de qua cfr. supra pag. 739, nota 2, edd. cum aliquot codd. pro *septem beatitudines*, uti et in textu origin. legitur, substituerunt *unde beatitudines;* cfr. scholion ad hanc quaest.

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[8] Sententia allata (non quidem ad verbum) habetur in Epist. 66. (alias 67.) n. 7. seqq., ubi Seneca ostendere nititur, omnia bona esse paria propter virtutem, quae per se *una* est, nec maior nec minor. Cfr. Epist. 67. (alias 68.) n. 12. — De *minori* cfr. supra pag. 470, nota 8.

[9] Epist. 66. (alias 26.) n. 3. — Aristot., VI. Ethic. c. 13: Simul enim cum prudentia, quae una est, omnes existent. — In conclus. edd. omittunt *auctoritate philosophorum*.

[10] Cap. 16. n. 27. — In edd. desiderantur verba *auctoritate Sanctorum et primo*. In fine arg. pro *ceteras* cod. K *omnes*.

[11] Sive de Considerat. c. 8. n. 9. In loco allegato pro *concentum* codd. et edd., textum origin. nihil spectantes, perperam substituerunt *conceptum*. Seq. testimonium habetur ibid. n. 11.

tum complexumque virtutum, atque alteram pendere ex altera, sicut vides, fortitudinis matrem esse prudentiam, et non fortitudinem, sed temeritatem esse quemlibet ausum, quem non parturivit prudentia ». Et paulo post: « Iustitia quaerit, prudentia invenit, vindicat fortitudo, temperantia possidet »: ergo si haec requiruntur ad actum cuiuslibet virtutis, videtur, quod omnes virtutes necessario concurrant ad unum actum.

5. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quia, sicut se habet castitas ad *esse castum,* sic se habet virtus ad *esse virtuosum;* sed quicumque habet castitatem, est castus [1]: ergo quicumque habet virtutem, est virtuosus. Sed nullus est virtuosus, qui habet vitium: ergo si aliquis habet virtutem, nullum habet vitium. Sed vitia non expelluntur nisi per virtutes sibi oppositas: ergo qui habet unam virtutem habet ceteras.

6. Item, cuiuslibet virtutis est *discernere,* quid eligendum, et *tenere medium* et recte *tendere in finem* et *negotiari circa arduum* et difficile; sed primum est prudentiae, secundum temperantiae, tertium iustitiae, quartum fortitudinis [2]: ergo videtur, quod ad quemlibet actum virtuosum concurrant necessario istae quatuor virtutes. Hoc autem non esset, nisi haberent connexionem ad invicem: ergo videtur, quod virtutes politicae sint connexae.

Sed contra hoc est: 1. auctoritas Augustini ad Hieronymum [3]. Dicit enim, quod « non est divina sententia, qua dicitur, quod qui habet unam habet omnes; sed hominibus hoc visum est studiosis et ingeniosis »; sed si hoc esset verum, esset divina sententia, quia omne verum a prima Veritate procedit: ergo cum hoc intelligatur de virtutibus politicis, virtutes politicae non sunt connexae. Fundamenta.

2. Item, secundum Philosophum [4] habitus virtutum politicarum et consuetudinalium sunt ex actibus; sed actus non sunt connexi — contingit enim, hominem exercitari in actu unius virtutis, ita quod non exerceatur in actu alterius — videtur ergo, quod non omnes virtutes necessario connectantur.

3. Item, sicut scientiae habentur per acquisitionem, ita virtutes politicae; et sicut una virtus alteri adminiculatur, sic est in habitu unius scientiae respectu alterius; sed scientiae, quae sunt per acquisitionem, non habentur simul, sed una prius et altera posterius, et una potest haberi sine altera: ergo una virtus politica non videtur esse necessario alteri connexa.

4. Item, hoc ipsum videtur per experimentum sensibile: quia multi pollent in virtute *prudentiae,* qui tamen non habent *largitatem,* aut virtutem *patientiae;* multi etiam *iustitiam* ad proximum servant, qui tamen in se ipsis non habent *continentiam;* et tamen illa faciunt per virtutes politicas: videtur ergo, quod inter huiusmodi virtutes non sit connexio necessario [5].

CONCLUSIO.

Simpliciter loquendo, virtutes politicae non habent connexionem; habent tamen secundum statum perfectionis et secundum quasdam conditiones communes.

Respondeo: Dicendum, quod in ista quaestione controversia fuit inter ipsos philosophos, secundum quod innuit Augustinus [6] et Hieronymus. « Nam quidam philosophorum, qui Stoici dicebantur, dixerunt, virtutes necessario esse connexas, ut qui una caruerit ceteris careat ». De quorum positione videtur fuisse Seneca [7]. Ait enim sic: « Si unam de Corinthiis tuis dimiseris, poteris dicere, supellectilem tuam tibi salvam. Si autem unam de virtutibus amiseris, nullam te habiturum, necesse est ut confiteaeris ». — Aliorum positio fuit, quod una potest haberi sine altera, sicut aliquis potest habere castitatem, ita quod non habeat iustitiam. Opinio 1. Opinio 2.

Ratio autem huius diversitatis ex hoc fuit, quia Stoici ponebant, quod virtus non esset in aliquo nisi in *sapiente,* pro eo quod regimen totius vitae hominis secundum regulam moris pendet a rectitudine rationis. *Sapientem* autem dixerunt, secundum quod dicit Augustinus de Civitate Dei [8], in quo nulla cadit perturbatio. Ille enim secundum eos *sapiens* dicebatur, qui omnibus passionibus animae dominatur. — Praeter hoc etiam ponebant, quod cum virtus sit Ratio 1. sec. Stoicos. Ratio 2.

---

[1] August., 83 Qq. q. 23: Omne castum castitate castum est.

[2] Cfr. supra d. 33. q. 2. arg. 5. ad oppos.

[3] Epist. 167. (alias 29.) c. 3. n. 10, ubi textus origin. post *hoc visum est* sic prosequitur: *multum quidem ingeniosis, studiosis, sed tamen hominibus.* — Idem in Prolog. lib. de Doctr. christ. n. 8. ait: Omne verum ab illo est qui ait: *Ego sum Veritas* (Ioan. 14, 6.).

[4] Libr. II. Ethic. c. 1. seq. Cfr. supra pag. 721, nota 6. et 7. — Mox pro *consuetudinalium,* cod. S *cardinalium,* edd. *consimilium.* Circa finem arg. cod. A post *virtutes* subdit *politicae.*

[5] Sic et Aristot., VI. Ethic. c. 13. flcte argumentatur proferens, « quod idem ad omnes [virtutes] aptissimus minime sit, atque idcirco alias iam, alias nondum acquisierit ». — Edd. *necessaria.*

[6] Epist. 167. (alias 29.) c. 2. n. 4. Verba Hieronymi habes supra arg. 2. ad oppos.

[7] Potius Cicero, II. Tusc. Disp. c. 14: Ecquid scis igitur, si quid de Corinthiis [vasibus] tuis amiseris, posse habere te reliquam supellectilem salvam; virtutem autem si unam amiseris (etsi amitti non potest virtus); sed si unam confessus fueris te non habere, nullam te esse habiturum? — Pro *Corinthiis* multi codd. atque edd. 1, 2 *turmis,* reliqui codd. *turribus,* Vat. *cortinis.* Superius pro *positione* cod. A *opinione,* et inferius *opinio* pro *positio.*

[8] Libr. XIV. c. 8. n. 1. et 3. Cfr. Cicer., III. Tusc. Disp. c. 4. seqq. et IV. per totum. Cfr. etiam Seneca, Epist. 66. (alias 67.), et supra pag. 338, nota 7. — Subinde pro *in quo* edd. *in quem,* et paulo post *dominabatur* pro *dominatur.*

circa *medium*[1], et *medium* sit uno modo et indivisibile, nemo habet virtutem, nisi habeat eam in summo et perfecte. Perfecte autem virtus non habetur, ubi regnat aliquod vitium, et ubi aliae virtutes desunt. — Et propter istas duas rationes dixerunt Stoici, virtutes politicas esse connexas, videlicet quia non possidentur nisi a *sapiente*, cui non dominatur vitium, et sunt circa *medium indivisibile*, a quo per quodlibet vitium fit recessus.

Duplex error reprobatur.

In huius autem positionis suae fundamento nimis excesserunt quantum ad *utrumque* praedictorum, tum ex hoc, quod non ponebant sapientiam in proficientibus, sed solum in *perfectis;* tum etiam, quia dixerunt, non referre quantum ad amissionem virtutis parum vel multum a *medio punctali* recedere. Et ideo reprehendit eos Augustinus, ad Hieronymum[2] dicens sic: « Mihi videntur Stoici esse falsi, qui *proficientem* hominem in sapientia nolunt habere omnino sapientiam, sed tunc solum, cum est *perfectus*. Dicunt enim, quod sicut nihil interest ad praefocandum hominem, utrum aquam stadiis multis habeat supra se, vel uno palmo; sic est de illis qui sunt in gurgite erroris, ad sapientiam ». Et satis rationabiliter reprehendit eos Augustinus, propter

Corollarium.

hoc quod viam salutis in *bono* valde arctant, dum dicunt, in solis perfectis esse virtutem et sapientiam; et in *malitia* valde dilatant, dum dicunt, quod non refert, utrum quis magis, vel minus a medio virtutis recedat.

Opinio his contraria probatur.

Et propterea aliorum philosophorum positio magis fuit rationabilis, qui posuerunt, sapientiam non solum esse in *perfectis*, sed etiam in illis qui *proficiunt*. Posuerunt etiam, *medium* virtutis *latitudinem* habere, secundum quod latitudinem habet medium sanitatis[3]. Quoniam ergo secundum politicam vitam virtutes paulative acquiruntur in his qui proficiunt ad sapientiam; ideo posuerunt, quod una virtus potest haberi in perfectione maiori et minori secundum diversa tempora; una etiam potest separari ab altera. Et istorum sententia secundum dicta Augustini magis est approbanda.

Conclusio generalis.

Respondendum est igitur ad quaestionem propositam, quod simpliciter loquendo, videlicet quantum ad omne tempus et quantum ad ipsos habitus virtutum, non est connexio inter virtutes[4] politicas, licet aliqua inter eas possit connexio reperiri ratione *status* alicuius determinati et quarundam *conditionum communium*. — Propter quod notandum est, quod contingit loqui de huiusmodi virtutibus politicis quantum ad *propria* et quantum ad *appropriata*. Si quantum ad *appropriata;* sic est in eis connexio, quia illae quatuor conditiones prius habitae, quae sunt *discernere* et *medium tenere* et huiusmodi, singillatim his quatuor virtutibus appropriantur, et tamen simul ad quamlibet virtutem requiruntur[5]. — Si vero loquamur quantum ad *propria*, hoc potest esse dupliciter: aut *simpliciter* aut *secundum statum perfectionis*. Si *secundum statum perfectionis;* sic est adhuc necessaria in eis connexio, quia una virtus nunquam perfecte habetur, nisi ceterae habeantur. Et quantum ad hoc bene dicebant Stoici, licet non usquequaque super verum fundati essent[6]. — Si *simpliciter* sive secundum *omnem statum;* sic non est necessarium, connexionem esse in huiusmodi virtutibus, cum sint ab acquisitione; sicut ostendunt rationes ad hanc partem inductae, et ideo sunt concedendae.

Distinctio. Conclusio 2. Subdistinctio. Conclusio 3. Conclusio 4.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium de auctoritate Senecae, quod omne quod bene fit etc.; dicendum, quod illud intelligitur de ipsis virtutibus, quantum ad *appropriata*, non quantum ad *propria*. Nam si quantum ad *propria* velimus loqui, actus illarum virtutum diversi sunt nec negotiantur circa idem, sed circa diversa.

2. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Stoicorum, quam introducit Hieronymus; iam patet responsio: quia Stoicis in parte ista non est usquequaque credendum. *Praeterea*, Stoici, sicut prius tactum est, semper loquebantur de virtutibus secundum *culmen perfectionis*, et quantum ad illum statum verum dicebant, quia connexio est in virtutibus non propter ipsius virtutis *essentiam*, sed propter *perfectionem superadditam*, quam una virtus non tribuit, nisi sit aliis associata.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Augustini, quod virtus est aequalitas vitae etc.; dicendum, quod per illud adverbium *undique* non fit distributio pro omnibus, quae spectant ad rectitudinem *totius vitae*, sed pro his quae spectant ad rectitudinem *actus* ipsius virtutis[7]; possibile est autem, aliquem rectificari in actu unius virtutis, secundum quod exigit virtus civilis, ita tamen quod non habet

---

[1] Cfr. supra pag. 474, nota 6. in fine. Seneca, Epist. 66. (alias 67.) n. 11: Una enim est ratio recta simplexque. — Mox pro *indivisibile* edd. *indivisibili*, et paulo inferius *Perfecta* pro *Perfecte*.

[2] Epist. 167. (alias 29.) c. 3. n. 12. In isto testimonio post *cum est perfectus* text. origin. plura addit et dein post *uno palmo* sic pergit: sic illos qui tendunt ad sapientiam, proficere quidem dicunt, tanquam ab imo gurgitis surgentes in aërem; sed nisi totam stultitiam velut opprimentem aquam proficiendo velut emergendo evaserint, non habere virtutem nec esse sapientes; ubi autem evaserint, mox habere totam etc. — Paulo superius pro *in perfectis* cod. aa *in provectis*.

[3] Aristot., X. Ethic. c. 3. dicit, quod « sanitas, quae, cum definita sit, admittit tamen, ut esse magis ac minus possit ». Cfr. ibid. II. c. 6. et 9. — Cod. K voci *sanitatis* praefigit *virtutis*. In edd. legitur *secundum quod latitudo habet medium summitatis*. Subinde pro *politicam vitam* edd. *politicam veritatem*.

[4] Cod. F *omnes virtutes*. Mox pro *possit*, quod habent codd. A U Z, in aliis *posset*.

[5] Cfr. supra d. 33. q. 2. ad 5.

[6] Etiam Aristot., VI. Ethic c. 13. ait: Hoc siquidem [separatas esse virtutes] in naturalibus virtutibus licet; in iis vero, quibus *absolute bonus* vocatur quispiam, non licet; simul enim cum prudentia, quae una est, omnes existent. — Proxime post pro *Si* edd. *Sed*.

[7] Vide supra d. 33. q. 2. ad 2. — Subinde pro *autem* edd. *enim*. In fine solut. cod. A voci *exempla* adtexit *fidei*.

rectificationem in actu alterius virtutis, sicut potest manifeste per exempla videri.

4. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Bernardi, iam patet responsio: quia Bernardus loquitur de ipsis virtutibus quantum ad *appropriata*, non quantum ad *propria*. Et *praeterea*, loquitur de virtutibus cardinalibus, non in quantum sunt *politicae*, sed in quantum sunt *gratuitae* et per infusionem magis quam per acquisitionem. Et sic concedi potest, quod sunt connexae [1]; sed hoc non facit ad quaestionem propositam.

5. Ad illud quod obiicitur, quod castitas denominat aliquem castum: ergo similiter virtus virtuosum; dicendum, quod non est simile: quia nomina desinentia in *osum* significant *plenitudinem*. Unde plus dicitur, cum dico, istum esse *virtuosum*, quam cum dico, ipsum *habere virtutem*. Unde et Philosophus [2] dicit, «quod a virtute non denominatur aliquis *virtuosus*, sed magis *studiosus*»; *castus* autem non plus importat quam *habens castitatem*. Et ideo non est simile hinc et inde. Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur de illis quatuor conditionibus, secundum quas virtutes distinguuntur, quod in singulis reperiuntur; iam patet responsio. Illud enim intelligendum est per *appropriationem*, non per *proprietatem*, sicut praedictum est.

SCHOLION.

I. In hac quaestione, circa quam Magister (hic c. 2.) duplicem refert opinionem, Scot. (hic q. unica n. 1-10.) disputat contra sententiam Henrici Gand. (Quodl. 5. q. 17.) et S. Thomae, quibus in re principali assentit S. Bonav. Scot. autem tenet, virtutes morales *acquisitas*, etiam in genere suo *perfectas*, non necessario esse connexas. (cfr. de hac opinione Scoti Commentator et Hier. de Montefortino, tom. II. pag. 209 seqq.). Idem (ibid. n. 11. seqq.) reiicit etiam illam rationem communiter pro opinione opposita allatam, quod virtutes perfectae connexae sint in *prudentia*, secundum quam rationem etiam Durand. (hic q. 3.) virtutes morales *perfectas* vult esse connexas, non autem per essentialem dependentiam. Opinioni Scoti assentiunt Nominales (cfr. Biel, hic q. unica). — Sed Petr. a Tar., Richard. a Med. et Dionys. Carth. concordant cum Ss. Bonaventura et Thoma. — B. Albert. (hic a. 1.) sine distinctione asserit, has virtutes connexionem non habere. — In hac quaestione a multis in medium profertur auctoritas S. Hieronymi supra pag. 789, nota 3. citata.

Praeter laudatos: S. Thom., hic a. 1; S. I. II. q. 65. a. 1; Q. disp. de Virtut. cardin. a. 2. — Petr. a Tar., hic a. 1. — Richard. a Med., hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 1.

II. In sequenti (4.) quaestione solvenda et ratione principali omnes conveniunt. Idem dicendum de falso principio hic reprobato, quod omnia peccata sint paria; de quo cfr. hic dub. 2; II. Sent. d. 42. a. 2. q. 1, d. 33. dub. 2; S. Thom., S. I. II. q. 73. a. 2.

De ipsa quaestione: Scot., II. Sent. d. 28. n. 6. — S. Thom., hic a. 5; S. I. II. q. 73. a. 1. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., hic a. 5. — Richard. a Med., hic q. 4. — Durand., hic q. 4.

QUAESTIO IV.

Utrum sit connexio in vitiis et peccatis.

Quarto quaeritur, utrum sit connexio in vitiis et peccatis. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum. 1. Ecclesiastis nono [3]: *Qui in uno peccaverit multa bona perdet;* sed hoc non esset, nisi plura mala concomitarentur unum malum perpetratum: ergo videtur, quod necessarium sit ponere connexionem vitiorum.

2. Item, Iacobi secundo [4]: *Qui in uno offendit factus est reus omnium;* sed nemo iudicatur omnium mandatorum divinorum reus, nisi qui peccat contra omnia mandata: ergo qui peccat contra unum peccat contra cetera: videtur ergo, quod vitia sint connexa.

3. Item, sicut vitium non expellitur nisi per introductionem virtutis sibi oppositae, sic nec virtus nisi per introductionem vitii; sed cum quis committit unum peccatum, ceterae virtutes amittuntur: ergo cum quis unum peccatum committit, cetera peccata introducuntur: ergo sicut est connexio ex parte virtutum [5], ita videtur esse ex parte vitiorum.

4. Item, sicut per infusionem gratiae unius tota imago reformatur, sic per perpetrationem unius peccati tota imago deformatur; sed ad reformationem imaginis secundum totum necessario requiritur universitas virtutum [6]: ergo similiter ad deformationem totius imaginis concurrit universitas vitiorum: ergo sicut gratiam imaginem reformantem consequuntur omnes virtutes, sic culpam, quae imaginem deformat, consequuntur omnia vitia.

5. Item, sicut originaliter omnes virtutes na-

[1] Cfr. supra q. 1.

[2] De Praedicam. c. *de Quali*, ubi de denominatione agens dicit, quod in plurimis haec denominatio fit e. g. grammaticus a grammatica; in aliquibus vero fieri nequit, «eo quod non sunt posita qualitati nomina»; «aliquando autem et posito nomine non dicitur denominative quod secundum eam [qualitatem] quale dicitur, ut a virtute studiosus [σπουδαῖος]; eo enim quod virtutem habeat, studiosus dicitur, sed non denominatione a virtute; non autem in pluribus hoc tale est».

[3] Vers. 18. — Paulo inferius pro *concomitarentur* non pauci codd. *communicarentur*.

[4] Vers. 10.

[5] Vide supra q. 1. August., Epist. 167. (alias 29.) c. 2. n. 9: Virtus vero, quo una ingressa fuerit, quoniam secum ceteras ducit, profecto vitia cedent omnia, quaecumque inerant. — Subinde post *esse* edd. repetunt *connexio*.

[6] Cfr. supra d. 33. q. 2. ad 2. — August., de Duabus Animabus, c. 6. n. 6: Referamus nunc considerationem ad virtutem, cuius intelligibili luce splendere animum convenientissime dicimus. Porro ab hac luce virtutis defectus quidam non perimens animam [quantum ad *esse* naturale], sed obscurans, vitium vocatur. De hac definitione vitii sive peccati cfr. tom. II. pag. 838, nota 9. in fine. — Paulo inferius pro *quae imaginem deformat* cod. Z *imaginem deformantem*.

scuntur a gratia et imperantur a caritate, sic omnia vitia nascuntur a concupiscentia et imperantur a superbia, quae est omnium vitiorum regina[1]: ergo sicut ponitur connexio in virtutibus propter unitatem originis et radicis, sic videtur similiter, quod poni debeat ex parte vitiorum; quoniam ubicumque reperitur talis causa, ibi debet reperiri talis effectus.

6. Item, virtus et vitium sunt opposita immediata circa suum susceptibile — non est enim dare medium, quia aut homo est Dei amicus, aut Dei inimicus[2] — ergo cum abest virtus, necesse est, inesse vitium sibi oppositum; sed cum virtus abest, universaliter abest: ergo cum vitium inest, universaliter inest: ergo et vitia connexionem habent, sicut et virtutes gratuitae.

Sed contra: 1. Secundum diversitatem vitio- Fundamenta. rum est diversitas poenarum[3]: ergo si esset connexio in vitiis, ut qui haberet unum vitium haberet omnia; tunc qui haberet unum peccatum sustineret omnem poenam; quod manifeste est contra divinam iustitiam.

2. Item, vitia et peccata sunt ab opere nostro; sed non est connexio in operibus vitiorum exterius perpetratis: ergo nec connexio est in vitiis interius derelictis.

3. Item, nullus peccat aliquo genere peccati nisi volens[4]; sed multi sunt, qui committunt aliquod vitium, et tamen omnino detestantur aliquod peccati genus, sicut multi peccatis spiritualibus impliciti omnino detestantur carnalia: ergo vitia non sunt connexa.

4. Item, vitia ad invicem opponuntur, sicut avaritia prodigalitati, et audacia pusillanimitati; sed « duo opposita non possunt simul esse in eodem[5] »: ergo impossibile, est vitia et peccata habere connexionem.

CONCLUSIO.

Vitia et peccata non habent connexionem; tamen dici potest, quod ex parte aversionis aliquo modo connectantur.

Respondeo: Dicendum, quod cum ad peccatum Duo in peccato. duo concurrant, videlicet *aversio* et *conversio*[6]; dupliciter contingit comparare vitia et peccata ad invicem: vel in quantum *avertunt* ab uno Bono incommutabili, vel in quantum *convertunt* ad bona commutabilia. — Si igitur loquamur de vitiis, secundum quod *avertunt* ab uno Bono incommutabili; sic privant hominem gratia et ceteris virtutibus gratuitis et faciunt hominem dignum privari gloria et praemio correspondente omnibus bonis meritis; et hoc quidem ita fit per unum vitium, sicut per cetera. Et quantum ad hoc vitia et peccata habent Conclusio 1. connexionem quandam, pro eo quod ab uno avertunt, et omnibus vitiis unus et idem Deus offenditur.

Si vero loquamur de vitiis quantum ad *conversionem;* sic per conversiones ad diversa bona commutabilia diversae oriuntur in nobis pronitates et vitia, per quae obligamur ad diversa poenarum supplicia. Et hoc modo in vitiis non est connexio, quia Conclusio 2. pro quolibet *punietur* homo speciali poena sibi debita; nec etiam possunt esse connexa propter *repugnantiam pronitatum;* nec habent *causam,* propter quam connectantur, quia ex diversis operibus oriuntur et ad diversos fines tendunt[7]. Quoniam ergo vitia ex parte *conversionis* sumunt originem et distinctionem, et ex hac parte connexionem non habent, licet aliquo modo in aversione conveniant; simpliciter concedendum est, quod vitia et peccata Conclusio 3. non sunt connexa, sicut ostendunt rationes ad partem istam.

1. 2. Ad illud ergo quod primo obiicitur in Solutio oppositorum. contrarium de auctoritate Ecclesiastis, et auctoritate Iacobi, quod qui peccat in uno perdit multa bona, et etiam fit reus quantum ad omnia; dicendum, quod hoc non dicitur, quia propter unum vitium incurrat Ratio 1. aliquis aliorum vitiorum pronitates et defectibilitates necessario et immediate; sed hoc dicitur, quia qui peccat uno peccato *caritatem* perdit, in qua est plenitudo meritorum et impletio mandatorum[8]. — Aut Ratio 2. certe dicitur, quod perdit multa bona et fit reus quantum ad omnia, pro eo quod privatur omnibus *virtutibus gratuitis.* — Vel tertio modo, quia perdit Ratio 3. *omnia merita,* quae prius habebat; efficiuntur enim ex uno peccato mortali omnia inutilia ad gloriam

---

[1] Gregor., XXXI. Moral. c. 45. n. 87: Ipsa namque vitiorum regina *superbia,* cum devictum plene cor ceperit, mox illud *septem* principalibus vitiis quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit. — De connexione virtutum cfr. supra q. 1, de caritate vide infra q. 6.

[2] Matth. 12, 30: Qui non est mecum contra me est etc. Cfr. ibid. 6, 24.

[3] Cfr. Luc. 12, 47. seq.

[4] Vide supra pag. 265, nota 7. et pag. 657, nota 4. — Paulo post pro *impliciti* edd. *implicati,* et pro *omnino* codd. G K Z *omnia.*

[5] Secundum Aristot., de quo vide supra pag. 85, nota 10. — Non pauci codd. omittunt *in eodem.*

[6] Cfr. II. Sent. d. 42. a. 3. q. 2. et ibid. pag. 839, nota 4. in fine.

[7] Vide August., Epist. 167. (alias 29.) c. 2. n. 8. seq., ubi Stoicorum sententiam de connexione peccatorum refellit. — Aliquanto superius pro *et vitia* edd. *in vitia.* In fine corp. pro *connexa* permulti codd. *annexa.*

[8] Respicitur illud Rom. 13, 8: Qui enim diligit proximum Legem implevit, et v. 10: Plenitudo ergo Legis est dilectio. — Explicatio locorum praenotatorum, quae hic exhibetur, est secundum August., Epist. 167. (alias 29.) c. 5. n. 16. Glossa *ordinaria* apud Strabum hunc primum simulque et tertium seq. explicandi modum sic innuit: Vere qui in uno offendit est transgressor totius Legis, quia qui peccat contra auctorem Legis facit, quem in sua Lege negligit, et contra caritatem, quae est causa et mater totius Legis. Hanc sententiam ex simili videamus. Si quis me offenderet, omnes fratres et amicos meos in me offenderet et quodam modo contra omnes peccaret. Sic qui unum mandatum negligit cetera, quae completa videbantur adiuvare, sibi inutilia reddit. — Edd. addunt *Christi.*

Ratio 4. assequendam [1]. — Vel quarto modo dicitur multa bona perdere et omnium reus esse, quia merito unius peccati *perdit aeterna praemia*, quae omnibus virtutibus et meritis erant reddenda: hoc autem non est propter ipsorum *vitiorum* connexionem, sed magis propter connexionem *virtutum* et *dotum* sive *praemiorum* eis correspondentium; ob quam connexionem, si quis uno ipsorum bonorum privatur, necesse est, quod privetur et ceteris. Hoc autem non sufficit ad faciendam connexionem in vitiis, quia, sicut supra dictum est, vitia non tantum consistunt in *aversione* a Deo, sed etiam in *conversione* ad bonum commutabile.

3. Ad illud quod obiicitur, quod virtus non expellitur nisi per introductionem vitii sibi oppositi, sicut nec vitium nisi per introductionem virtutis; Ratio 1. dicendum, quod non est simile: quia plura exiguntur ad construendum quam destruendum [2], et plura sunt necessaria ad hoc, quod homo placeat Deo, quam ad hoc, quod displiceat, et per hoc etiam plura sunt necessaria ad rectificandum quam ad Notandum. obliquandum. Et ideo, quamvis *obliquatio vitii* non habeat excludi nisi per habitum directe sibi oppositum, tamen *rectitudo virtutis* potest auferri non solum per vitium sibi oppositum, sed etiam per unum [3] oppositum alii virtuti; unde infidelitas, quae opponitur fidei, excludit caritatem. Et ideo Ratio 2. non est simile hinc et inde. — *Praeterea*, quia *virtutes* connexae sunt, ideo vitium, quod tollit unam, per consequens tollit reliquam; *vitia* vero, quia connexa non sunt, ideo auferri non possunt, nisi unumquodque expellatur per virtutem directe sibi oppositam.

4. Ad illud quod obiicitur, quod peccatum deformat totam imaginem, sicut gratia reformat; di- Duplex deformatio. cendum, quod imago dupliciter dicitur *deformari*: aut propter *absentiam* luminis gratiae, aut propter *deordinationem* in actibus illarum virium, in quibus imago attenditur. *Primo* quidem modo deformari habet tota imago per unum peccatum et vitium; *secundo* modo non, quia quodlibet vitium non respicit singularum potentiarum actus. Gratia vero, quando *reformat* animam, utroque modo reformat, et *venustando faciem* ipsius animae et *rectificando quamlibet potentiam* respectu operationis suae [4]. Et ideo, quamvis in gratiae *informatione* concurrant ceterae virtutes, non tamen sic in *deformatione* unius peccati singula vitia comitantur.

5. Ad illud quod obiicitur, quod omnia vitia nascuntur a concupiscentia et imperantur a superbia, sicut virtutes a caritate et gratia; dicendum, quod non est simile: tum quia *concupiscentia* non est causa sufficiens respectu vitiorum, sed solum disponens [5]; tum etiam quia, cum concupiscentia ra- Notandum. mificetur respectu diversorum concupiscibilium, ad diversos fines inspicit et frequenter ad contraria tendit; unde est ibi dispersio potius quam connexio. *Gratia* autem est sufficiens origo virtutum, et caritas movet et inclinat omnes ad finem unum [6]. Et propterea non sic connectuntur vitia, ut virtutes gratuitae, tum ex defectu *principii*, tum etiam ex defectu *vinculi unitivi*.

6. Ad illud quod obiicitur, quod virtus et vitium sunt opposita immediate; dicendum, quod de virtute et vitio contingit loqui dupliciter: vel in *ge-* Distinctio. *nerali*, vel in *speciali*. Si loquamur in *generali*, sic immediate opponuntur circa suum susceptibile; si vero in *speciali*, sic non immediate opponuntur, pro eo quod non est necessarium, aliquem habere continentiam gratuitam, aut esse luxuriosum [7]; sic et de aliis vitiis et virtutibus est intelligendum. Et ideo, quamvis, absente *virtute*, necessario insit vitium, non tamen sequitur, quod absente omni *virtute gratuita*, propter hoc insint omnia vitia. — Et *si tu obiicias*, quod sicut se habet vitium respectu virtutis, ita se habet species huius vitii respectu virtutis sibi oppositae; dicendum, quod non est simile: quia omnes virtutes gratuitae uniri [8] habent Notandum. in uno *formali*, ratione cuius omnia vitia sibi opponuntur et cum nullo stare possunt; sed cum distinguuntur in *species*, hoc est ratione habituum specialium, ratione quorum non quaelibet virtus opponitur cuilibet vitio, sed sibi opposito. Et ideo alius modus est comparandi vitium ad virtutem gratuitam in *generali*, et alius in *speciali*; et propterea ratio illa non cogit [9].

---

[1] Hieronym., Comment. in Eccl. 9, 18: Quia vero in Hebraeo potest legi: *Et qui peccat unum perdet bonitatem multam*, etiam sic sentiendum est, quod propter unum peccatum multae iustitiae retro pereant, et invicem se virtutes sequi, et qui unam habuerit, habere omnes, et qui in uno peccaverit, eum omnibus vitiis subiacere (Iac. 2, 10.). — Quartus modus datur in V. Decret. Gregor. tit. 41, ubi c. 9. haec regula proponitur: Committens unum peccatum reus est omnium quoad vitam aeternam. — Paulo ante pro *ex uno* codd. W X *pro uno*.

[2] Cfr. verba Aristot., supra pag. 499, nota 2. allata.

[3] Edd. cum pluribus codd. *vitium*. Paulo superius pro *rectitudo virtutis* cod. Q *rectificatio ipsius virtutis*. Inferius pro *reliquam*, cui voci codd. B C D M N O praefigunt *et*, Vat. *reliqua*.

[4] Cfr. supra d. 23. a. 2. q. 5. in corp. — *Facies animae* est secundum Gregor. ipsa mens; cfr. tom. II. pag. 641, nota 1. — Subinde pro *in gratiae informatione* (Vat. *reformatione*) codd. B C D *in genere in informatione*, cod. A *in genere gratiae informatione*, plures codd. *in genere informatione*, edd. 1, 2 *in genere*. In fine arg. pro *comitantur* plures codd. *commutantur*, pauci *committuntur*, codd. S V Z *concomitantur*. Circa initium solut. pro *luminis gratiae* cod. B *ipsius gratiae*.

[5] Vide II. Sent. d. 32. a. 2. q. 1. seq.; Breviloq. p. III. c. 8, nec non Speculum animae, ubi etiam ramificatio vitiorum perhibetur. — Superius pro *omnia* cod. X *singula*. Mox pro *inspicit* cod. K bene *respicit*, edd. *inspicit vel inducit*.

[6] Ut ostenditur infra q. 6.

[7] Siquidem fieri potest, ut aliquis gratiam, qua continentia est *gratuita*, amittat non per peccatum luxuriae, sed per peccatum alterius generis, v. g. superbiae. Cfr. Alan. ab Insulis, Theolog. Regul. regula 89. — Inferius post *propter hoc* codd. K M subdunt *necesse*.

[8] Cod. X *necti*, complures alii codd. *naturam*, edd. *convenientiam*; nostra lectio sumta est e codd. A K M P R S Z (aa a secunda manu) bb.

[9] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO V.

Utrum ponenda sit aequalitas in habitibus gratuitis.

Quinto quaeritur, utrum sit ponere aequalitatem in habitibus gratuitis. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Primo per illud quod dicitur Apocalypsis vigesimo primo [1]: *Latera civitatis aequalia;* Glossa: id est, virtutes gratuitae sunt aequales. — Ad hoc ipsum habetur auctoritas in littera [2], et superius habita fuit distinctione vigesima quinta auctoritas valde expressa.

2. Item, hoc ipsum videtur *ratione.* Ubicumque est una ratio bonitatis, necesse est, quod sit bonitatis aequalitas; sed in omnibus habitibus gratuitis una est ratio bonitatis, videlicet gratia gratum faciens et ipsa caritas [3]: ergo videtur, quod simpliciter sit in eis bonitatis aequalitas.

3. Item, aut virtutes in eodem *sunt aequales,* aut *non.* Si *sic;* habeo propositum. Si *non:* ergo meliori virtuti debetur maius praemium, et minori minus; sed motui virtutis debetur praemium substantiale [4], illud autem est unum; ergo uni et eidem homini in eodem statu gratiae debetur maius et minus praemium; quod est inconveniens.

4. Item, una virtus denominat alteram, secundum quod vult Augustinus et Bernardus [5] — est enim prudentia fortis, et fortitudo prudens — aut ergo prudentia et fortitudo *sunt aequales,* aut *non.* Si *non;* esto ergo, quod prudentia sit maior quam fortitudo, tunc arguitur sic: prudentia est maior quam fortitudo: ergo fortitudo est magis prudens, quam sit fortis in eodem, quia secundum quantitatem prudentiae in eodem est fortitudo prudens; sed quanto virtus fortitudinis est prudentior, tanto nobilior est et excellentior: si ergo magis est prudens quam fortis: ergo est nobilior et excellentior se ipsa. Sed hoc est impossibile: ergo etc.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Primae ad Corinthios decimo tertio [6]: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec; maior autem horum est caritas;* et in praecedenti capitulo: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro:* si igitur caritas est maior et excellentior aliis: ergo non est aequalitas in habitibus gratuitis.

2. Item, de quolibet Confessore cantatur [7]: *Non est inventus similis illi, qui conservaret Legem Excelsi;* sed si omnia dona gratuita essent aequalia, tunc qui excederet in uno excederet in omnibus: ergo si verbum illud alicui posset vere attribui, nunquam conveniret alteri, quia « quod per superabundantiam dicitur uni soli convenit ».

3. Item, maiori bono opponitur maius malum, et e converso, quia « privationes cognoscuntur per habitus [8] »: ergo cum vitia opposita virtutibus non habeant aequalitatem, quia unum vitium est maius altero; pari ratione videtur, quod nec virtutes gratuitae.

4. Item, habitus crescunt et augmentantur in nobis, secundum quod plus et plus disponimus nos per bonos actus [9]; sed nos videmus, quod aliquis plus se exercet in actu unius virtutis quam in actu alterius: ergo videtur, quod magis crescat virtus illa quam aliae: ergo necesse est, aliquando virtutem illam esse aliis inaequalem.

5. Item, caritas est vinculum personarum et est vinculum virtutum [10] — plures enim personae

---

[1] Vers. 16: Et civitas in quadro posita est... et longitudo et altitudo et latitudo eius aequalia sunt. — Glossa est secundum Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 10. n. 17. et 18, ubi s. Doctor per *quatuor latera* intelligi vult vel fidem, spem, caritatem et operationem (cfr. supra pag. 533, nota 1. et pag. 553, nota 5.), vel quatuor virtutes cardinales, quae ita, ut exponit, in quadro sunt, ut una aliam non excedat. — In pluribus codd. legitur sic: *Glossa, id est virtutes; igitur secundum Glossam virtutes gratuitae sunt aequales.* Superius pro *habitibus gratuitis* cod. A *virtutibus gratuitis,* Vat. omittit *gratuitis.*

[2] Hic c. 2. et supra d. XXV. c. 5, ubi Gregorii verba habentur, de quibus in nota praeced. sermo fuit.

[3] Cfr. infra q. 6. et supra d. 23. a. 2. q. 5. in corp. nec non d. 27. a. 1. q. 3.

[4] Quia penes ipsum motum virtutis gratuitae proprie consistit meritum; vide supra pag. 381, nota 1. — Praemium substantiale est visio et possessio Dei, quae est una. — Pro *virtutis* cod. P *virtutum.*

[5] Vide supra pag. 714, nota 1. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[6] Vers. 13, ubi pro *horum* plurimi codd. *his.* Seq. testimonium est ibid. 12, 31.

[7] In offic. scil. Confes. Pontif., Antiph. 2. ad Laudes, et sumta sunt haec verba ex Eccli. 44, 20. — In fine arg. adducitur dictum Aristot. ex eius V. Topic. c. 3. (c. 5.).

[8] Averroes in III. de Anima, text. 25. (ubi Aristot. docet, animam cognoscere malum per suum oppositum) ait: Et universaliter omnes privationes non cognoscuntur nisi per contraria, scilicet per cognitionem habitus et per cognitionem defectus habitus. Cfr. supra pag. 720, nota 4. — De opposito *errore,* « omnia peccata esse paria », quem iam Cicero impugnavit IV. de Finibus bonor. et malor. c. 27. seq., August., Epist. 167. (alias 29.) c. 2. n. 4. ait: Hoc autem de parilitate peccatorum soli Stoici ausi sunt disputare, contra omnem sensum generis humani; quam eorum vanitatem in loviniano illo, qui in hac sententia Stoicus erat, in aucupandis autem et defensandis voluptatibus Epicureus, de Scripturis sanctis dilucidissime convicisti (Hieronyme) etc. Cfr. etiam eiusd. Epist. 104. (alias 254.) c. 4. n. 13. seq., nec non infra dub. 2. et supra q. 3.

[9] Vide supra pag. 721, nota 6. et 7.

[10] Col. 3, 14: Super omnia autem haec caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. Hieronym., I. Dialog. adversus Pelagianos, n. 19. ostendens, nos, quamdiu simus in via, cunctas virtutes habere non posse, ait: Quis non cunctis cupiat florere virtutibus? Si totum requiris ab omnibus, tollis rerum diversitatem et gratiarum distantiam et Creatoris artificis varietatem, cuius sacro Propheta sonat carmine: *Omnia in sapientia fecisti* (Ps. 103, 24.). Indignetur lucifer, quare fulgorem lunae non habeat etc. — Mox pro *vinculum gratiae* Vat. *vinculum caritatis.*

ligantur per vinculum gratiae in una virtute, et plures virtutes in uno homine — sicut ergo se habet una virtus respectu diversarum personarum, sic unus homo respectu virtutum plurium; sed una virtus a diversis personis potest participari inaequaliter: ergo et plures virtutes ab eodem homine.

6. Item, habitus virtutis est habilitare ad actum suum, per se loquendo [1]; ergo maioris virtutis magis habilitare, et aequalis aequaliter habilitare: si ergo omnes virtutes in eodem homine sunt aequales, necessario idem homo aequaliter erit habilis et facilis ad actus omnium virtutum, quod per experientiam deprehenditur esse falsum. Multi enim habiles sunt ad actum abstinentiae, qui tamen cum difficultate habent usum patientiae et obedientiae.

CONCLUSIO.

Duplici via monstratur, quod virtutes gratuitae quodam modo sunt aequales, quodam modo inaequales, simpliciter tamen aequales dici possunt.

Respondeo: Dicendum, quod de ipsis habitibus gratuitis contingit loqui dupliciter: aut quantum ad ipsum *habitum*, aut quantum ad *exercitium* [2]. — Si loquamur de ipsis quantum ad *habitum*, hoc potest esse dupliciter: aut respectu *gratiae* informantis et quodam modo causantis, aut respectu *liberi arbitrii* suscipientis et cooperantis. — Si respectu *gratiae* informantis; sic omnes habent aequalitatem, pro eo quod gratia gratum faciens secundum quantitatem suam et excellentiam reddit gratam Deo animam et eius potentias et habitus, et operationes meritorias [3]. — Si vero loquamur de ipsis respectu *liberi arbitrii* consentientis et suscipientis; sic, quia liberum arbitrium in actu unius virtutis maiorem invenit *complacentiam* quam in alio, et maiorem invenit *repugnantiam* in uno quam in altero, secundum diversas sui inclinationes et dispositiones; sic non aequaliter est omnimodam reperire aequalitatem in habitibus virtutum, pro eo quod liberum arbitrium magis *fervet* quantum ad unam virtutem quam ad aliam, magis etiam *adhaeret* uni virtuti quam alii.

Si vero loquamur de virtutibus quantum ad *exercitium*; sic vix vel nunquam aequantur nec *in se* nec *in comparatione ad liberi arbitrii cooperationem*. — *In se* non, quia exercitium unius virtutis est *fructuosius* quam exercitium alterius, sicut exercitium pietatis [4], quam abstinentiae; exercitium autem unius virtutis in eodem est *securius* quam exercitium alterius, sicut exercitium humilitatis et timoris, quam alterius virtutis. — Similiter non habent aequalitatem *in comparatione ad liberi arbitrii cooperationem*, quia nemo est, qui aequaliter se exerceat in actu omnium virtutum. Aliqui enim magis vacant circa activam, aliqui vero magis circa contemplativam.

Et sic concedi potest, quod habitus gratuiti quodam modo sunt aequales, et quodam modo inaequales: aequales quidem sunt quantum ad gratiam informantem, sicut ostendunt rationes ad primam partem [5]; inaequales vero in comparatione ad liberi arbitrii consensum et exterius exercitium. Et secundum hoc dissolvi possunt rationes, quae ad utramque partem inducuntur.

Aliter potest dici, quod de virtutibus est loqui quadrupliciter: aut quantum ad *dignitatem* respectu *obiecti;* et sic una est excellentior altera, etiam in eodem, sicut virtutes theologicae, quam cardinales. Aut quantum ad *fervorem* et *facilitatem* respectu *actus proprii;* et sic adhuc non est necesse, quod habitus gratuiti in eodem adaequentur. Aut quantum ad *radicationem* et *stabilitatem* respectu *subiecti;* et sic adhuc non est necesse, aequalitatem esse, quia talis radicatio venit ex frequentia et assuefactione [6] circa actum alicuius virtutis. Aut quantum ad *ordinem* et *efficaciam* respectu *praemii;* et quantum ad hoc habent aequalitatem in eodem; propter hoc quod quantitas meriti cuiuslibet virtutis mensuratur secundum quantitatem *gratiae*, quae facit opus Deo placitum, et secundum quantitatem *caritatis*, quae dat operi cuiuslibet virtutis valorem et pondus [7]. Et quia una est *gratia* gratum faciens, ceteras virtutes informans in uno homine; una est etiam *caritas* per modum ponderis ad finem inclinans: hinc est, quod quantum ad ordinem in finem et efficaciam merendi necesse est, omnes virtutes in eodem aequari. — *Rursus*, quia bonitas principalis et essentialis virtutum in hoc attenditur, quod ordinant et disponunt ad summum praemium; et in hoc virtutes habent aequari: hinc est, quod Magister [8] simpliciter concludit, et Sancti dicunt, in uno et eodem aequales esse omnes habitus gratuitos. — Et ideo simpliciter concedi possunt rationes, quae hoc ostendunt. Ad obiecta in contrarium satis de facili patet responsio per ea quae dicta sunt.

1. Ad illud enim quod primo obiicitur de caritate, quod est aliis eminentior; dicendum, quod hoc

Via 1. cum distinctione. — Subdistinctio. — Conclusio 1. — Conclusio 2. — Conclusio 3. — Rationes. — Epilogus. — Via 2. cum quadruplici distinctione et conclusione. — Ratio duplex. — Conclusio 4. — Solutio oppositorum.

[1] Cfr. supra pag. 388, nota 2. et pag. 474, nota 5. — Cod. K *ad actum secundum usum suum.*

[2] Vide hic lit. Magistri, c. 2. in fine, et supra d. 31. a. 2. q. 3. in corp. — Superius pro *habitibus gratuitis* codd. A U *virtutibus.*

[3] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. seq. — Paulo ante pro *quantitatem* cod. K *qualitatem.*

[4] Cod. K *humilitatis vel pietatis.*

[5] Cod. A adiicit *inductae.*

[6] In pluribus codd. *assuetudine* legi posset ex modo factae abbreviationis. Inferius post *et quantum ad hoc* codd. K V subiungunt *quidem.*

[7] Cfr. quaest. seq.

[8] Hic c. 2. — Post *hinc est* cod. U inserit *etiam.* Paulo superius pro *ordinant et disponunt* cod. Z *ordinat et disponit.*

intelligitur ratione *exercitii* in actu suo, in quo plus hauritur de gratia, et minor est occasio periclitandi. Notandum. Affectus enim amoris divini, dum abstrahit a terrenis, facit recedere ab occasione peccati; dum vero unit caelestibus, facit inde hauriri humorem gratiae Spiritus sancti [1]. Et ideo ex hoc non concluditur inaequalitas virtutum quantum ad meritum.

2 Ad illud quod obiicitur, quod cantatur de Confessoribus: Non est inventus similis illi; dicendum, quod illud intelligitur non ratione *habitus*, sed ratione alicuius *exterioris usus;* et hoc innuit ipsum vocabulum, cum dicitur: qui conservaret Legem Excelsi; ex quo innuit, excellentiam illam intelligendam fore in *opere.*

3. Ad illud quod obiicitur, quod maiori bono opponitur maius malum; dicendum, quod illud non est regulariter [2] verum, immo aliquando contingit, minori bono opponi maius malum, sicut desperatio, quae opponitur spei, peior est quam odium, quod Notandum. opponitur caritati. *Praeterea*, aliunde habent virtutes *aequalitatem*, aliunde habent *oppositorum diversitatem. Aequalitatem* enim habent ex parte gratiae, ratione cuius quod opponitur uni virtuti per consequens opponitur omnibus; *oppositorum* autem *diversitatem* habent ratione specialium actuum et obiectorum; et ex illa parte non est necesse, habitus virtutum habere omnimodam aequalitatem, sicut prius tactum est.

4. Ad illud quod obiicitur, quod habitus crescunt et augmentantur in nobis, secundum quod plus disponimus nos per actus; dicendum, quod crementum habitus quantum ad bonitatem essentialem in genere *gratuiti* attenditur ex augmento ipsius gratiae, qua augmentata, crescunt et ceterae virtutes [3]. Cum ergo dicitur, quod magis nos exercemus in actu unius virtutis quam in actu alterius, ergo magis in illa crescimus; dicendum, quod non sequitur, pro eo quod debitus usus et exercitatio in actu unius virtutis disponit ad incrementum omnium. Unde sicut in communitate fraternitatis, licet unus magis negotietur in acquirendo quam alter, tamen bona acquisita omnibus distribuuntur aequaliter; sic et suo modo in proposito intelligendum est.

5. Ad illud quod obiicitur, quod una virtus a diversis personis potest diversimode participari, ergo et diversae virtutes ab eodem; dicendum, quod non est simile, pro eo quod *unius* virtutis in diversis diversae sunt radices; *diversarum* vero virtutum in eodem non sunt diversae radices, sed una [4], videlicet una *gratia*, per quam est acceptatio, et una *caritas*, per quam est meriti perfectio.

6. Ad illud quod obiicitur, quod habitus virtutis est reddere potentiam facilem; dicendum, quod facilitas [5] potentiae ad aliquem actum maior et minor non tantum venit ex parte perfectionis et boni- Notandum. tatis ipsius *habitus*, verum etiam ex parte *dispositionis subiecti.* Unde secundum quod ad actus diversarum virtutum liberum arbitrium secundum plus et minus cooperatur, secundum hoc plus et minus facilitatur, licet etiam habitus virtutum, quantum est de se, adaequentur. Unde nec ista ratio nec aliae Notandum. probant inaequalitatem in habitibus gratuitis quantum ad bonitatem *essentialem* et completivam, sed solum quantum ad aliquid *accidentale* et annexum, sicut ex his quae praedicta sunt, satis est manifestum.

SCHOLION.

I. Quaestio haec de virtutibus *infusis* proprie non intelligitur de aequalitate earum ratione *speciei* et *obiecti*, cum constet, quod sic una virtus etiam in eodem homine maior sit altera, « sicut virtutes theologicae, quam cardinales » (hic in corp.); sed quaestio intelligitur secundum *participationem subiecti.* Magister (hic c. 2.) verius esse putat, ita pares esse virtutes in unoquoque, ut qui in una par exstiterit alteri, hic in omnibus eidem sit aequalis. Quod S. Thom. (hic a. 4; S. I. II. q. 66. a. 2.) accuratius ita determinat, ut omnes virtutes unius hominis sint « aequales quadam *aequalitate proportionis*, in quantum aequaliter crescunt in homine, sicut digiti manus sunt inaequales secundum quantitatem, sed sunt aequales secundum proportionem, cum proportionabiliter augeantur » (S. loc. cit.). Idem tamen addit (ibid.): « Quantum vero ad id quod est *materiale* in virtutibus moralibus, scilicet inclinationem ipsam ad actum virtutis, potest esse unus homo magis promptus ad actum unius virtutis quam ad actum alterius vel ex *natura*, vel ex *consuetudine*, vel etiam ex *gratiae dono* ». Ab hac doctrina non recedunt S. Bonav., Petr. a Tar. et Richard. a Med. aliique (excepto Durando), licet hi aliis distinctionibus et verbis utantur; concorditer enim docent, habitus virtutum, quatenus a Deo sunt *infusi*, aequales esse secundum proportionem (cfr. hic solutiones ad 4. 5. 6.).

De eadem quaestione praeter S. Thomam: B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic a. 4. — Richard. a Med., hic q. 5. — Henr. Gand., Quodl. 5. q. 17. circa finem. — Durand., hic q. 5. — Dionys. Carth., hic q. 2.

II. Quoad ultimam quaestionem communiter docetur, quod caritas est *motor* et *forma* et *finis* omnium virtutum (cfr. hic dub. 3, supra d. 27. a. 1. q. 1. 3.): *motor* quidem, quia movet voluntatem, quae est motor universalis omnium animae facultatum et virtutum; *forma*, non quidem *constitutiva* singularum virtutum (hic ad 3.), sed forma *directiva* ad finem, qui, quatenus intenditur, in *moralibus* quasi loco formae est et recte dicitur esse *principium* in operabilibus (cfr. hic ad 4.); denique ipsa est etiam *finis* ratione ordinis ad finem *ultimum*, cui fines *proximi* singularum virtutum subordinantur. — Ab auctore tangitur hic etiam alia virtutum informatio, nempe per *gratiam*, de qua vide supra d. 33. q. 5. scholion. Ad rem et ad mentem S. Bonaventurae dicit Petr. a Tar. (III. Sent. d. 27. q. 3. a. 2, ubi de hac ipsa quaestione agit): « Virtutum quippe singu-

[1] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 4. et a. 2. q. 1. — Pro *unit* et dein pro *hauriri* edd. *unitur* et *haurire*, atque superius pro *periclitandi* cod. K *peccandi*, et post *exercitii* addit *et.*

[2] Codd. K Z bene *generaliter.*

[3] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. ad 2.

[4] Plurimi codd. omittunt *sed una;* edd. vero omittunt *una* post *videlicet.*

[5] Ita codd. A K N U X Z aa, in aliis et edd. *facilitatio.*

larum quasi triplex forma est: una quoad *esse*, scilicet propria differentia; altera quoad *bene esse*, scilicet gratia; altera quoad *agere*, scilicet caritas (cfr. hic ad 2.); sicut altero informatur color, ut sit color proprius et distinctus; altero, ut sit color vividus et gratiosus sive pulcher; altero, ut sit secundum actum motivus visus ». — In solutione ad 5. notanda est doctrina auctoris nostri, quo sensu formae adhuc possit esse forma.

De hac quaestione S. Thom. cum plerisque aliis Petri Lombardi commentatoribus agit III. Sent. d. 27. — Cfr. Scot., III. Sent. d. 33. q. unica n. 21; Quodl. q. 17. n. 8. — S. Thom., d. 27. q. 2. a. 4. quaestiunc. 3; S. II. II. q. 23. a. 8; Q. disp. de Caritate a. 3. — B. Albert., d. 27. a. 3. — Petr. a Tar., d. 27. q. 5. a. 2. — Richard. a Med., d. 27. a. 9. q. 3. et d. 23. a. 5. q. 4. — Durand., III. Sent. d. 23. q. 8. — Dionys. Carth., d. 27. q. 1. — Biel, III. Sent. d. 23. q. 2. circa finem.

QUAESTIO VI.

Utrum caritas sit forma virtutum.

Sexto et ultimo quaeritur, utrum caritas sit forma virtutum. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Primo per illud quod dicitur ad Romanos primo [1]: *Iustitia revelatur ex fide in fidem;* ibi Glossa: « Fides est daemonum et nominetenus Christianorum. Haec est informis qualitas mentis, quae ideo dicitur informis, quia sociam non habet caritatem, quae est forma omnium virtutum ».

2. Item, hoc ostenditur per illud quod dicitur in Glossa ad Galatas quinto [2]: *Fructus autem Spiritus est caritas* etc.; ibi Glossa: « Attende, quod in enumeratione fructuum caput virtutum praemisit, id est caritatem. Quae enim alia inter fructus Spiritus debuit tenere primatum, nisi caritas, sine qua virtutes ceterae non reputantur esse virtutes »: si ergo virtutes aliae sine caritate non reputantur esse virtutes, ergo quod sint verae virtutes, hoc habent a caritate: ergo ab ipsa caritate habent complementum et informationem.

3. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* « Affectus enim imponit nomen operi [3] »: ergo nullum opus potest esse rectum, nisi affectus primo rectificetur; affectus autem non potest esse rectus, nisi diligat Deum propter se et super omnia, et hoc est per caritatem: igitur omne opus, cuiuscumque virtutis sit, si rectum est et bonum, hoc habet a caritate. Cum ergo actus caritatis informet omnia opera recta, videtur, quod et ipsa caritas informet omnes alias virtutes, quia, sicut se habet actus ad actum, ita habitus ad habitum.

4. Item, in moralibus complementum et species [4] attenditur in ordine ad finem; sed amor summi Boni est illud quod cetera facit in finem debitum tendere: igitur amor summi Boni dat omnibus habitibus gratuitis et eorum operibus formam et complementum. Cum igitur ille amor sit caritas, caritas est forma virtutum.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Super illud ad Colossenses tertio [5]: *Caritas est vinculum perfectionis;* ibi Glossa: « Cetera dona perfectum faciunt; caritas omnia ligat, ne abeant »: si ergo aliae virtutes a caritate reddunt habentem perfectum, videtur, quod perfectae sint in se: ergo non indigent perfici nec formari a caritate.

2. Item, diversorum secundum speciem diversae sunt perfectiones secundum speciem; sed habitus virtutum secundum speciem diversificantur, secundum quod in praecedentibus [6] est ostensum et communiter tenetur: cum ergo caritas sit virtus una, videtur, quod ab ea aliae virtutes formari non possint.

3. Item, quando aliqua duo in diversis subiectis sunt, impossibile est, unum esse formam alterius; sed caritas cum aliis virtutibus omnibus non reperitur in una potentia, quia diversae virtutes diversas potentias respiciunt [7]: ergo impossibile est, quod virtutes aliae a caritate informentur.

4. Item, quandocumque aliqua sic se habent, quod sunt species immediate unum genus dividentes et immediate fluentes ab uno principio, unum illorum non potest esse forma alterius, quia oppositum non potest esse forma oppositi, nec disparatum disparati; sed caritas dividitur ex opposito cum aliis virtutibus [8]; et iterum, omnes virtutes immediate fluunt a gratia, quae est omnium origo et

---

[1] Vers. 17. — De Glossa cfr. supra pag. 492, nota 7.

[2] Vers. 22. — Quoad Glossam vide supra pag. 602, nota 4. — Pro *Item, hoc* codd. A F H I L N T U Z bb *Item, hoc ipsum*, cod. X *Item, hoc idem*.

[3] Ambros., I. de Offic. c. 30. n. 147. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XL. — Circa finem arg. pro *caritas informet* edd. 1. 2 *caritas in se teneat*, Vat. *caritas informet et in se teneat*. Deinde post *ita* cod. K repetit *se habet*.

[4] Sive forma; nam εἶδος, quod in textibus Graecis legitur, significat et speciem et formam. Cfr. Aristot., II. Phys. text. 70. (c. 7.), et V. Metaph. text. 2. seq. nec non VIII. text. 12. (IV. c. 2. et VII. c. 4.), ubi etiam docet, formam et finem plerumque coincidere sive idem esse. Vide supra pag. 617, nota 5. — De ipso arg. cfr. II. Sent. d. 38. a. 1. q. 1. seq. — Pro *in moralibus* plures codd. *in moribus* habere videntur.

[5] Vers. 14. — Glossa habetur penes Petr. Lombard. et ut *interlinearis* etiam apud Lyranum; est secundum Haym., qui in hunc locum dicit: Vinculum enim perfectionis est caritas, quia per illam omnia bona ligantur, ne pereant.

[6] Dist. 27. a. 1. q. 1. et d. 33. q. 1. seq. — De *maiori* cfr. Aristot., X. Metaph. text. 25. (IX. c. 9.). — In fine arg. ex cod. K supplevimus *aliae virtutes*, quae verba in plurimis codd. desunt, et pro quibus edd. cum paucis codd. exhibent *aliae* tantum.

[7] Cfr. supra d. 23. a. 1. q. 2, d. 26. a. 2. q. 5, d. 27. a. 1. q. 1. fundam. 4. et d. 33. q. 3.

[8] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 1. — De ratione subinde adducta cfr. supra d. 23. a. 2. q. 5. in corp. — *Maiorem* huius arg., in qua post *aliqua* codd. B T addunt *duo*, insinuant Aristot., de Praedicam. c. *de Simul*, et Porphyr., de Praedicab. c. *de Differentia*.

forma: ergo una virtus non potest informare alteram; et per hoc concluditur, quod aliae virtutes non formantur a caritate sibi coniuncta.

5. Item, formae non est forma, nec perfectionis perfectio, nec ultimi aliud ultimum reperire, quia iam esset abire in infinitum [1]; sed quaelibet virtus forma est, quaelibet etiam perfectio potentiae est, quaelibet nihilominus «est ultimum potentiae»: ergo videtur, quod una virtus aliam formam a se ipsa non possit habere: videtur ergo falsum et non intelligibile, quod aliae virtutes formentur a caritate.

6. Item, si aliae virtutes a caritate formantur et habent *esse* virtutis: igitur *esse virtutem* soli caritati convenit per se, aliis vero per accidens. Quodsi hoc est falsum, immo aliae virtutes, per se loquendo, virtutes sunt, cum sint species virtutis [2]: ergo videtur, quod hoc sit falsum, quod caritas sit forma virtutum.

CONCLUSIO.

Omnes virtutes informantur a caritate, quia per ipsam omnes tendunt in finem ultimum et complementum accipiunt.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod habitus cuiuslibet virtutis triplici-
Triplex comparatio habitus virtutis. ter habet considerari secundum triplicem comparationem, videlicet ad *obiectum*, ad *subiectum* et ad *finem ultimum* [3]. Possumus igitur loqui de virtutibus secundum istum triplicem respectum. — Et si loquamur de eis in comparatione ad *obiectum;* sic sunt formae tantum se ipsis distinctae, et earum
Conclusio 1. distinctio innotescit per actum et obiectum; et sic non sunt formabiles nec perfectibiles ab aliquo uno, cum ipsae sint formae et perfectiones distinctae. — Si autem loquamur de virtutibus in comparatione ad *subiectum;* sic *formae* sunt, et tamen
Conclusio 2. nihilominus *formabiles: formae* quidem sunt informantes subiectum quantum ad bonitatem *moralem;* per se ipsas tamen non sufficiunt ad bonitatem gratuitam, per quam anima efficitur Deo placita et accepta: et ideo perfici possunt et *formari* per gratiam, quae simul gratificat animam et habitus existentes in illa [4]. — Postremo, si loquamur de ipsis habitibus virtutum in comparatione ad *finem ultimum;* sic *formae* sunt et *formabiles* etiam: *formae* Conclusio 3. quidem sunt, quia dispositiones sunt ipsius animae ordinantes ad perveniendum in finem [5]; *formabiles* tamen sunt, quia, etsi omnes disponant ad tendendum in finem ultimum, perfectio tamen tendentiae venit ex ipsa caritate. Sicut enim corpora gravia Simile. inclinantur ad centrum per pondus, sic spiritus tendunt ad summum Bonum per pondus dilectionis [6]. — Et huiusmodi signum est, quod caritas habet idem Signum huius. et sub eadem ratione pro *obiecto* et *fine*, quod non est reperire in alia virtute. *Finis* enim est bonum sub rationi boni et Bonum summum; et hoc quidem Bonum sub ratione boni est caritatis *obiectum.* Et propterea ceterae virtutes quantum ad rationem tendentiae in finem ultimum ab ipsa caritate susci- Conclusio 4. piunt complementum; et ideo non immerito radici caritatis attribuitur perfectio meriti. — Et secundum hoc concedi potest, ceteras virtutes a caritate formari, sicut auctoritates dicunt, et rationes ad hoc inductae ostendunt, quae concedendae sunt, quoniam verum concludunt [7].

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in con- Solutio oppositorum. trarium, quod virtutes aliae faciunt animam perfectam; dicendum, quod est perfectio *simpliciter*, et Duplex perfectio. est perfectio *secundum quid* [8]. Quaelibet autem virtus perfectum facit, *secundum quid* tamen, quia respectu specialis actus et obiecti. Perfectionem autem *simpliciter* non habet anima nisi in universitate virtutum, in quantum ab una *gratia* informantur et ab una *caritate* imperantur, mediante cuius adminiculo perducunt ad finem ultimum. Unde licet aliae virtutes dicantur *perficere,* ex hoc non potest concludi, quin ipsae perficiantur a caritate; perfe- Axioma. ctioni enim *secundum quid* superaddi potest perfectio *simpliciter.*

2. Ad illud quod obiicitur, quod diversorum secundum speciem diversae sunt perfectiones secundum speciem; dicendum, quod est perfectio in *esse* Perfectio iterum duplex. *primo*, et est perfectio in *esse secundo.* Verbum autem propositum veritatem habet de perfectione quantum ad *esse primum*, non autem de perfectione

---

[1] Similiter dicit Aristot., V. Phys. text. 13. (c. 2.): Amplius autem in infinitum fiet abitio, si erit mutationis mutatio et generationis generatio. — De *minori*, in qua respicitur definitio virtutis ab Aristot. exhibita, cfr. supra pag. 388, nota 2. et pag. 741, nota 7. — Pro *aliud ultimum* codd. G I L aa *quid ultimum*, edd. *aliquod ultimum.* Inferius post *habere* Vat. addit *vel informare.*

[2] Aristot., IV. Topic. c. 1. docet, species participare genera, vel aliis verbis, *rationem* generum suscipere. — Paulo superius pro *esse virtutis* codd. I L Z aa *esse virtutes*, et pro *esse virtutem* cod. F *esse virtutis.*

[3] Vide supra d. 23. dub. 1, d. 26. dub. 2, d. 27. dub. 1.

[4] Cfr. supra q. 1. in fine corp.

[5] Vide supra pag. 488, nota 9. definitionem virtutis, quam August. perhibet. — Cod. Z *finem ultimum.*

[6] Cfr. supra pag. 639, nota 3. — De seqq. vide supra d. 27. a. 1. q. 1. ad 3. et 5; a. 2. q. 1. et dub. 1. — Paulo ante edd. voci *pondus* adiungunt *molis.*

[7] Alan. ab Insulis, Theolog. Regul. regula 91: Caritas inter virtutes est *causa prior* [siquidem, ut ipse explicat, ipsa est causa, quare opus dicatur bonum], *diuturnitate maior* [ipsa enim non excidit], *mater informatione, forma apparitione* [per opera videlicet caritatis magis apparent ceterae virtutes], *finis remuneratione, universalior opere* [quia omne opus bonum significat, caritatem esse in operante et opus ipsum fieri ex caritate ac propter amorem Dei].

[8] Cfr. Aristot., V. Metaph. text. 21. (IV. c. 16.). — Subinde pro *perfectum* Vat. *animam perfectam.* Inferius pro *perducunt* cod. A *perducuntur,* et proxime post pro *finem ultimum* codd. X Y *perfectionem termini.* Demum post *ex hoc* edd. subdunt *tamen*, et dein post *quin* cod. Z interiicit *et.*

quantum ad *bene esse*. Cum autem dicimus, ipsam
Notandum. caritatem esse formam et perfectivam [1] virtutum; hoc non est quantum ad ipsarum *primum esse*, sed quantum ad *bene esse*, videlicet quantum ad perfectionem et complementum meriti. Unde sicut ceterae virtutes, licet formaliter distinguantur in genere virtutis, tamen a *gratia* formantur, secundum quod *gratuitae;* sic etiam ceterae virtutes, quamvis sint distinctae, a caritate formari possunt, secundum quod
Axioma. *meritoriae;* perfectionem enim meriti habent ex unica ratione, videlicet ex perfecta tendentia in summum finem [2].

3. Ad illud quod obiicitur, quod quae sunt in diversis subiectis, unum non potest esse alterius forma et perfectio; dicendum, quod aliquid infor-
Duplex informatio. mari ab aliquo est dupliciter: vel sicut a principio *constitutivo*, vel sicut a principio *regitivo* et directivo [3]; vel per alia verba: est forma, quae complet in *essendo*; et est forma, quae complet in *movendo*. Cum ergo dicimus, ceteras virtutes formari a cari-
Notandum. tate; hoc non est, quia caritas sit forma *constitutiva* ipsarum virtutum, dans eis complementum in *essendo;* sed quia est forma *directiva*, dans eis
Simile. complementum in *regendo* et ordinando. Sicut enim gravitas lapidem cum omnibus quae in eo sunt, trahit deorsum et dirigit ad centrum; sic caritas animam *elevat* sursum et ceteras virtutes *movet* et *dirigit* ad finem suum. — Quod autem ipse obiicit, quod forma et formatum non possunt esse in diversis subiectis; hoc est verum de forma *constitutiva*, quae complet in *essendo;* de alia non habet veritatem. Sicut enim una potentia potest ab alia *regi et moveri*, sic habitus unius potentiae ab habitu alterius; unde sicut distinctio potentiarum non tollit *ordinem in movendo*, sic etiam nec impedit *informationem* virtutum, quae penes illum ordinem attenditur.

4. Ad illud quod obiicitur, quod virtutes ex
Notandum. opposito dividuntur; dicendum, quod hoc est per comparationem ad sua *obiecta*, secundum quae distinguuntur; et sic una virtus non est forma alterius. In comparatione autem ad ipsam *gratiam*, in qua colligantur et uniuntur, et ad ipsum *finem*, ad quem ordinantur; sic non habent oppositionem, immo potius connexionem. Et ex hac parte una virtus potest alteram informare, pro eo quod immediatius tendit in ipsum finem. Unde licet omnes virtutes immediate comparentur ad *gratiam*, a qua formantur; hoc non impedit, quin per comparationem ad *finem* una virtus ab alia informetur. — Posset etiam
Alia solutio. dici, quod virtus caritatis non solum immediatius ordinat in *finem*, verum etiam immediatius se habet ad *gratiam*. Et huius signum est, quia non potest esse informis [4], sicut ceterae virtutes. Unde tum ex maiori immediatione ad *finem*, tum ex maiori immediatione ad *gratiam* habet alias virtutes informare.

5. Ad illud quod obiicitur, quod formae non est forma, nec perfectionis perfectio; dicendum, quod illud intelligendum est, *per se loquendo:* quia forma
Ratio 1. notanda. non formatur, secundum quod forma, nec perfectio [5] perficitur, secundum quod perfectio, sed secundum quod in se habet aliquam informitatem et aliquam imperfectionem. Et quia aliae virtutes, quantum est de se, informitatem aliquam habent et imperfectionem nec sunt omnino ipsius potentiae ultimativae [6]; ideo perfici habent et ad maius complementum perduci per gratiam et caritatem. — *Praeterea*, sicut
Ratio 2. tactum est prius, caritas non est forma et perfectio aliarum virtutum per *constitutionem*, vel per *compositionem*, sed potius per *ordinem* [7] *in finem*. Unde virtutes alio modo sunt *perfectiones*, et alio modo a caritate *perficiuntur:* perfectiones, inquam, sunt, in quantum subiectum suum qualificant habilitando ad actum sibi debitum; *perficiuntur* autem, in quantum a caritate imperantur et per eius imperium et adminiculum perfectius in finem ordinantur.

6. Ad illud quod obiicitur, quod si caritas est perfectio virtutum, tunc accidit aliis esse virtutes; dicendum, quod hoc esset verum, si virtutes aliae *totam* perfectionem virtutis traherent a caritate; hoc autem est falsum. Virtutes enim quandam perfectio-
Notandum. nem habent *ex se*, et quandam ex *gratia superinfusa*, et quandam etiam ex *caritate superadiuncta*, secundum quod tactum est supra. Et ideo ex hoc non potest concludi, quod accidat aliis virtutibus esse virtutes; ex se enim ipsis habent, quod virtutes sint, licet non habeant in tanta completione ex se, in quanta habent esse ex adminiculo caritatis [8].

---

[1] Cod. K *perfectionem*. Paulo inferius pro *complementum* codd. A F *completionem*.

[2] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 3. ad 1. et a. 2. q. 1. — Paulo superius post *formari* edd. inserunt *tamen*.

[3] Vide supra pag. 720, nota 1. — Post pauca pro *et est forma* codd. A U *et est alia*.

[4] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 4. — Superius pro *hoc non impedit* edd. *hoc tamen non impedit*.

[5] Vocem *perfectio* supplevimus ex cod. Z. Paulo inferius pro *Et quia aliae* edd. *Et quia aliquae*.

[6] Cod. Z *nec sunt in ipsis potentiae ultimatae*.

[7] Cod. U *ordinationem*. Idem cod. cum cod. A circa finem solut. pro *perficiuntur autem* substituit *perficiuntur tum, in quantum a caritate perficiuntur, aut*.

[8] Vide scholion ad praecedentem quaest.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram et primo quaeritur de hoc quod dicitur: *Ubi est caritas, quid est quod possit deesse?* Si enim hoc verum est, quicumque habet caritatem, habet omne quod sufficit ad salutem: ergo videtur, quod superfluant ceterae virtutes. *Si dicas,* quod hoc dicitur, quia caritas habet alias virtutes sibi annexas[1]; tunc similiter potest dici de qualibet aliarum virtutum; omnes enim connectuntur cuilibet virtuti, sicut et caritati. — Item, gratiae gratis datae non necessario connexae sunt ipsi caritati; et tamen ipsae sunt valde utiles et opportunae ipsi Ecclesiae[2]: videtur ergo, quod etiam ubi caritas reperitur, multa deesse possint.

Respondeo: Dicendum, quod cum dicit[3], quod ubi est caritas, nihil deest; hoc intelligit de his quae sunt necessaria ad salutem — nam iste defectus proprie defectus est, aliorum vero defectus pro modico est habendus — hoc autem attribuit ipsi caritati ratione connexionis aliarum virtutum. Qui enim habet caritatem habet unde possit Legem implere[4], habet etiam per consequens ceteras virtutes, quae habilitant ad Legis impletionem.

Ad illud vero quod obiicitur, quod similiter posset dici de qualibet alia virtute; dicendum, quod non est simile: quia caritas non tantum aliis *connectitur,* sed etiam est *principium connexionis,* cum sit *vinculum perfectionis* et quodam modo «mater omnis boni», sicut ipse Magister dicit[5].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, *non placuisse auctoribus nostris, immo ipsi Veritati, omnia peccata esse paria.* Videtur enim hoc debere placere ipsi Veritati: quia, secundum quod dicit Anselmus[6], «peccatum nihil est»; in his autem, quae nihil sunt, unum non est maius altero: ergo videtur, quod peccatum unum non possit alterum excellere, igitur habent paritatem. — Item, quodlibet peccatum mortale totaliter privat hominem gratia et inducit mortem; sed in privatione omnimoda non est ponere maius et minus — quia in his quae mortua sunt, non est dicere magis mortuum unum quam reliquum[7] — ergo in genere peccatorum mortalium unum peccatum non excedit alterum.

Respondeo: Dicendum, quod quia peccatum est *privatio ordinis* et *diminutio habilitatis,* et per unum genus peccati anima magis deordinatur et inhabilior efficitur quam per aliud, sicut manifeste apparet[8]; indubitanter est verum, quod peccata aequalia non sunt; concupiscentia enim plus inclinat ad unum appetibile quam ad reliquum; et ideo magis facit Deum contemnere et ab ipso elongari et recedere in uno genere peccati quam in alio. Quid peccatum. Notandum.

Ad illud quod obiicitur, quod peccatum nihil est; dicendum, quod etsi nihil sit, *essentialiter* loquendo; alicuius tamen est sicut *subiecti,* et alicuius sicut *oppositi;* unde ratione boni maioris vel minoris, quod privatur in diversis peccatis, peccatum unum habet excedere alterum. Notandum.

Ad illud quod obiicitur, quod totaliter privat gratiam et inducit mortem; dicendum, quod licet omne peccatum totaliter privet *gratiam,* non tamen totaliter tollit *habilitatem* ad gratiam; licet omne peccatum *inducat mortem,* non tamen *tollit habilitatem ad vitam:* et ideo, licet aliquid non sit magis et minus mortuum et magis et minus gratia privatum per diversa peccata quantum ad ipsam gratiam et vitam gratiae in se; est tamen magis et minus quantum ad habilitatem naturae respectu gratiae; et ratione illius diversa peccata habent sese invicem excedere. Unde non est simile de corporali morte, in qua totaliter fit privatio et impossibilitas redeundi ad vitam[9]. Notandum.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Omnia ad duo mandata caritatis pertinent, quia per caritatem implentur et ad caritatem tanquam ad finem referri debent.* Videtur enim duo opposita in se implicare. Si enim per caritatem implentur, potius de-

---

[1] Cfr. supra q. 1. et 6. — Superius pro *ceterae virtutes* cod. U *aliae virtutes,* et dein pro *alias* (deest in edd.) cod. Z *ceteras.* Mox verbo *dici,* pro quo cod. bb *quaeri,* edd. praemittunt *hoc.*

[2] Cfr. supra pag. 742, nota 9.

[3] Cod. A supplet *Augustinus* relate ad textum huius dubii; cfr. hic lit. Magistri, c. 1. Deinde pro *nihil deest* cod. Z *nihil deesse potest.*

[4] Rom. 13, 8: Qui enim diligit proximum Legem implevit; et v. 10: Plenitudo ergo Legis est dilectio.

[5] Supra d. XXV. c. 5. Cfr. etiam d. XXIII. c. 9. atque hic c. 1. et 3., nec non d. 33. q. 5, scholion — Quod caritas est *vinculum perfectionis,* dicitur Colos. 3, 14. — Cfr. de hoc dubio S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[6] De Conceptu virgin. et orig. peccat. c. 5. — De proposit. seq. et de *minori* seq. arg. cfr. tom. II. pag. 111, nota 3.

[7] Seneca, Epist. 66. (alias 67.) n. 40: Mors quidem omnium par est. Per quae venit diversa sunt; id, in quod desinunt, unum est. Mors nulla maior aut minor est; habet enim eundem in omnibus modum: finisse vitam.

[8] Vide II. Sent. d. 34. a. 2. q. 2. et 3. (praecipue ad 4. et 6, ubi etiam obiectiones solvuntur, quae hic proponuntur) nec non d. 35. a. 1. et 2. — Subinde pro *peccata* edd. *praedicta.*

[9] Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis:* Ex habitu enim in privationem mutatio fit, a privatione vero in habitum impossibile est; neque enim caecus factus aliquis rursus vidit etc. Cfr. supra pag. 802, nota 8.

bent referri ad caritatem sicut ad principium, quam sicut ad finem.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut tactum fuit supra, distinctione vigesima septima[1], caritas simul ponitur ipsarum virtutum quantum ad opera meritoria *principium* sive caput, et *forma* sive vinculum, et *finis*, ad quem ordinantur; et hoc est, quia ipsa caritas, dum immediate coniungit ipsi summo Bono, quodam modo supereminet ceteris et ceteras virtutes movet et imperat; et ideo caput et *principium* est earum. *Ulterius*, quia movendo facit opera eorum meritoria; ideo dicitur esse *forma*[2]. *Postremo*, quia ideo facimus opera meritoria, ut Deo fruamur et per caritatem in Deo quiescamus; hinc est, quod caritas ceterarum virtutum et praeceptorum est *finis*. — Et sic « tres causae incidunt in unum et idem[3] »; nec mirum, cum caritas faciat Deo conformem, qui habet in se respectu creaturae intentionem triplicis causae. Unde nulla est contrarietas cum eo quod Magister dicit in littera[4].

Caritas principium, forma et finis virtutum.

Notandum.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Inimicus enim iustitiae est qui poenae timore non peccat.* Nullus enim iustitiae effectus iustitiae inimicatur; sed poena est iustitiae effectus[5]: cum ergo poena faciat se timeri, videtur, quod non faciat divinae iustitiae inimicari. — Item, nihil quod facit declinare a malo, facit inimicari iustitiae; sed timor poenae, quo quis cessat a peccato, facit declinare a malo[6]: ergo talis non est inimicus iustitiae.

Respondeo: Dicendum, quod verbum illud intelligitur *praecise* et *per concomitantiam*: *praecise*, ut dicatur *inimicus iustitiae*, qui timore poenae non peccat, hoc est, qui a peccato recedit *solo* timore poenae, non amore iustitiae; talis, inquam, qui ex solo timore movetur, dicitur iustitiae inimicus, non per *causam*, sed per *concomitantiam*. Licet enim timor ille non *causet* inimicitiam, *concomitatur* tamen ipsam concupiscentiam malam, per quam sumus inimici Dei; *nam qui amicus est huius mundi, inimicus Dei constituitur*[7]. — Et per hoc patet responsio ad illa duo, quae obiicit; quoniam ipse opponit, ac si verbum illud intelligeretur dictum esse per *causam*[8].

Notandum.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod ultimo concludit, quod *omnium divinarum Scripturarum plenitudo est dilectio Dei et proximi.* Si enim « natura operatur, quanto brevius potest, et non facit per plura quod potest facere per pauciora[9] »; videtur similiter, quod hoc modo operari debeat divina Sapientia. Si ergo in tota Scriptura nihil plus continetur quam verbum de mandato caritatis, videtur tunc, quod circa hoc solum sacra Scriptura deberet versari, et de nullo alio ibi tractari.

Respondeo: Dicendum, quod *plenitudinem alicuius contineri in aliquo*, hoc est dupliciter: vel *integraliter*, vel *causaliter*. Plenitudo autem divinorum Eloquiorum in caritate non continetur *integraliter*, quia multae aliae virtutes ibi docentur et praecipiuntur, quae sunt diversae et distinctae a caritate; sed quod[10] dicitur *contineri*, hoc est *causaliter*, quia tota sacra Scriptura finaliter ordinatur ad hoc, ut diligamus Deum et proximum.

Distinctio.

Et *si tu obiicias*, quod *qui diligit proximum Legem implevit*[11]: ergo illud solum mandatum deberet in Lege contineri; dicendum, quod mandata et documenta in sacra Scriptura multiplicantur propter duo, videlicet propter *removendam caecitatem* ex parte intellectus, et propter *excludendum fastidium* ex parte ipsius affectus. Necesse est enim, quod sciamus modos, secundum quos debemus ordinari ad proximum et ad Deum; et quia illi varii sunt, et nos ignorantes sumus nec possumus simul illa capere: ideo oportuit divisim per diversa documenta distinguere. — *Rursus*, quia affectus noster *fastidit* unum et delectatur in varietate[12]; ideo diversis modis Scriptura docet et insinuat unum et idem, ut affectus noster, dum in diversis et variis idem invenit, proficiat in unitate et delectetur in varietate, ut tanto profectus sit maior, quanto delectabilior. Et propterea modo in ipsa sacra Scriptura reperiuntur *mandata obligatoria*, modo *exempla*[13] *attractiva*, modo *monita salutaria*, modo *documenta Prophetarum*, modo *Evangelistarum*, ut ex omnibus his excludatur *fastidium*, et homo perfectius dirigatur ad unum. Et ex hoc convinci potest, quod sacra Scriptura, etsi magna sit, tamen optime tradita est et nihil continet superfluum, nihil etiam diminutum[14].

Duplex ratio.

Prima.

Secunda.

[1] Art. 2. q. 1. et dub. 1. — Mox pro *ponitur* cod. K *potest esse*.

[2] Cfr. supra q. 6.

[3] Secundum Aristot.; vide supra pag. 617, nota 5. — Cod. K sic prosequitur: *et ideo nec mirum est, si caritas* etc.

[4] Hic c. 3.

[5] Vide supra d. 33. dub. 1. — Pro *Nullus enim... sed* etc. edd. *Nulli poenae* [Vat. *bonae*] *iustitiae effectus inimicatur; sed* etc.

[6] Cfr. supra d. 34. p. II. a. 1. q. 1.

[7] Iac. 4, 4: Quicumque ergo voluerit amicus esse saeculi huius, inimicus etc.

[8] Vide supra d. 34. p. II. a. 1. q. 2.

[9] Cfr. supra pag. 42, nota 6. et pag. 277, nota 1. — Pro *brevius* edd. *velocius*. Mox pro *hoc modo* cod. G *eodem modo*, et paulo post *nisi* pro *quam*.

[10] Pro *sed quod*, quae lectio est codd. M O U V, alii codd. et edd. I, 2 *secundum quod*, Vat. *sed* tantum, et subinde, *in ipsa* pro *hoc est*.

[11] Rom. 13, 8.

[12] Quintilian., I. de Instit. oratoria, c. 12. dicit, quod « praesertim reficiat animos ac reparet varietas ipsa, contraque sit aliquanto difficilius in labore uno perseverare ».

[13] Edd. omittunt *exempla*. Proxime post pro *attractiva* cod. M *excitativa*. Paulo inferius pro *ad unum* edd. *ad bonum*, et dein pro *convinci* non pauci codd. *coniici*.

[14] Cfr. S. Bonav., Breviloq. Prooem. § 1-6, et Princip. s. Scripturae (de s. Scripturae praestantia). — Quoad hoc dub. vide S. Thom., hic circa lit.

DISTINCTIO XXXVII.

Cap. I.

De decem mandatis, quomodo contineantur in duobus.

Sed iam distributio Decalogi, qui [1] in duobus mandatis completur, consideranda est. « Habet enim Decalogus decem praecepta, quae sunt decachordum Psalterium; quae sic sunt distributa, ut tria, quae sunt in prima tabula, pertineant ad Deum, scilicet ad cognitionem et dilectionem Trinitatis; septem, quae sunt in secunda tabula, ad dilectionem proximi [2] ».

De praeceptis I. tabulae.

Primum in prima tabula est: *Non habebis deos alienos; non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem* etc. Haec Origenes [3] dicit duo esse mandata, sed Augustinus unum. Hoc ipsum enim, quod dixerat: non habebis deos alienos, perfectius explicat, cum prohibet coli figmenta, scilicet *idolum*, vel *similitudinem alicuius rei;* quae duo Origenes [4] ita dicit distare, « ut *idolum* sit quod nihil habet simile sui; *similitudo* vero, quod habet speciem alicuius rei; verbi gratia, si quis in auro vel ligno vel alia re faciat speciem serpentis vel avis vel alicuius rei et statuat ad adorandum, non *idolum*, sed *similitudinem* fecit. Qui vero facit speciem, quam non vidit oculus, sed animus sibi fingit, ut si quis humanis membris caput canis vel arietis formet, vel in uno habitu hominis duas facies; non *similitudinem*, sed *idolum* facit, quia facit quod non habet aliquid simile sui ».

Origenes.

Dubium 1.

Cap. II.

Quare idolum nihil esse in mundo dicitur.

« Ideo dicit Apostolus [5], quia *idolum nihil est in mundo.* Non enim aliqua ex rebus constantibus assumitur species, sed quod mens otiosa et curiosa reperit. *Similitudo* vero est, cum aliquid ex his quae sunt vel in caelo vel in terra vel in aquis, formatur ». — Augustinus [6] vero ita exponit illud: idolum nihil est in mundo, id est, inter creaturas mundi non est forma idoli. Materiam enim formavit Deus, sed stultitia hominum formam dedit. Quaecumque facta sunt naturaliter, facta sunt per Verbum; sed forma hominis in idolo non est facta per Verbum, sicut peccatum non est factum per Verbum, sed est nihil; et nihil fiunt homines, cum peccant.

Augustinus.

Sed quaeritur, quomodo hic dicatur forma idoli non esse facta per Verbum, cum alibi [7] legatur: « Omnis forma, omnis compago, omnis concordia partium facta est per Verbum ». — Hoc autem a diversis varie solvitur. Quidam enim dicunt, omnem formam, et quidquid est, a Deo esse, in quantum *est*, et formam idoli, in quantum *est*, vel in quantum *forma est*, a Deo esse, sed non in quantum est *idoli*, id est, posita ad adorandum. In hoc enim non est creatura, sed perversio creaturae. Sicut illud quod peccatum est, in quantum peccatum est, nihil est [8]; et homines, cum peccant, nihil fiunt, quia ab illo qui vere est, separantur. Unde Hieronymus [9]: « Quod ex Deo non est, qui solus vere est, non esse dicitur ». Ideoque peccatum, quod nos a *vero esse* abducit, nihil esse vel non esse dicitur. — Alii vero dicunt, omnem formam, quae scilicet naturaliter est, et omne quod naturaliter est, esse a Deo; sed forma idoli non est naturaliter, quia naturae iustitiae non servit. Id enim naturaliter esse dicitur, quod simplici naturae iustitiae, quae Deus est, militat, non resultat et naturam creatam non vitiat.

Quaestio incidens.

Resp. 1.

Hieronymus.

Resp. 2.

Secundum praeceptum est: *Non assumes nomen Dei tui in vanum;* quod est dicere *secundum litteram:* non iurabis pro nihilo nomen Dei; « *allegorice* vero praecipitur, ut non putes, creaturam esse Christum, Dei Filium, quia *omnis creatura vanitati subiecta est*, sed aequalem Patri [10] ».

Dubium 2.

Isidorus.

Tertium vero est: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices;* ubi *secundum litteram* praecipitur Sabbati observantia; *allegorice* [11] vero, ut requiem hic a vitiis et in futuro in Dei contemplatione exspectes ex Spiritu sancto, id est ex caritate et dono Dei, non quod Spiritus sanctus sine Patre et Filio hoc operetur.

Dubium 3.

Isidorus.

Cap. III.

Quare in Spiritu sancto proprie dicitur fieri remissio peccatorum.

« Accepit utique Ecclesia hoc donum, ut in Spiritu sancto fiat remissio peccatorum; quam remissionem cum Trinitas faciat, proprie tamen ad Spiritum sanctum dicitur pertinere, quia ipse est *Spiritus adoptionis filiorum*, ipse est Patris et Filii Amor et Connexio vel Communitas [12] »; ideoque iustificatio nostra et requies ei attribuitur saepius. — Haec sunt tria mandata primae tabulae ad Deum pertinentia; et primum

Augustinus.

---

[1] Ita codd. B C D E; in cod. A et in edd. *quae;* deinde pro *completur* cod. E et edd. 1, 8 *continetur.*

[2] August., Serm. 9. (alias 96. de Tempore) c. 5. n. 6. — Decalogus est Exod. 20, 3. seqq. et Deut. 5, 7. seqq.

[3] In Exod. hom. 8. n. 2; Augustini locus est ex Quaestion. super Exod. quaest. 71. n. 2.

[4] Loc. cit. n. 3; verbotenus apud Lyranum in Glossa *ordinaria* in locum cit. — Pro *alicuius rei* cod. B, Vat. et edd. 4, 6 *alterius.* Deinde pro *ad adorandum* edd. 1, 8 habent tantum *adorandum*, et pro *sibi fingit* codd. B D cum Vat. et pluribus edd. *sibi finxit.*

[5] Epist. I. Cor. 8, 4. Hic continuatur locus Origenis. — Infra pro *cum aliquid* edd. 1, 8 *dum aliquid.*

[6] Super Evang. Ioan. tr. 1. n. 13; sententialiter usque ad verba: *Sed quaeritur* etc.

[7] Ibid., parum inferius.

[8] Cfr. II. Sent. d. XXXVII. c. 2. — Paulo superius pro *perversio creaturae* edd. 1, 8 *perversio naturae.*

[9] Epist. 15. (alias 57.) n. 4; et VIII. super Ezech. c. 26, 19.

[10] Isidor., Quaestiones in Exod. c. 29. n. 3. Locus Scripturae est Rom. 8, 20.

[11] Isidor. loc. cit. n. 4.

[12] August., Serm. 71. (alias 11. de Verbis Dom.) c. 17. n. 28. 29. Cfr. II. Quaestion. in Exod. q. 71. n. 1. — Respicitur Rom. 8, 15. — De seqq. cfr. I. Sent. d. XXXI.

quidem, quod est de uno Deo colendo, pertinet ad Patrem, in quo est unitas vel auctoritas; secundum ad Filium, in quo est aequalitas; tertium ad Spiritum sanctum, in quo est utriusque communitas.

De praeceptis 2. tabulae. In secunda vero tabula septem erant mandata ad dilectionem proximi pertinentia. « Quorum primum ad
Hugo. patrem carnalem refertur, sicut primum primae tabulae ad Patrem caelestem, quod est: *Honora patrem*
Dubium 4. *tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram* [1] », scilicet viventium. Parentes vero sic sunt honorandi, ut eis debita reverentia exhibeatur, et necessaria ministrentur.

Secundum est: *Non occides;* ubi *secundum litteram*
Dubium 5. actus homicidii prohibetur, *secundum spiritum* vero etiam voluntas occidendi. Unde huic mandato secundum litteram fit superadditio in Evangelio [2], quia littera Evangelii exprimitur, quod Legis littera non exprimebatur.

Cap. IV.

De sensu spirituali et carnali Legis.

Evangelii littera exprimit *intelligentiam spiritualem*, id est, quam spirituales habent, et secundum quam spiritualiter vivitur; littera Legis *sensum carnalem*, id est, quem carnales habent, et secundum quem carnaliter vivitur; cui facta est superadditio.

Tertium est: *Non moechaberis*, « id est, ne cui-
Dubium 6. libet miscearis, excepto foedere matrimonii. A parte
Augustinus. enim totum intelligitur [3] »: « Nomine igitur *moechiae* omnis concubitus illicitus illorumque membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi ».

Quartum est: *Non furtum facies;* ubi *sacrilegium*
Dubium 7. et *rapina* omnis prohibetur. « Non enim rapinam per-
Glossa. misit qui furtum prohibuit, sed *furti* nomine bene intelligi voluit omnem illicitam usurpationem rei alienae ».
Augustinus. — « *Sacrilegium* tribus modis committitur, quando scilicet vel sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro aufertur ». *Sacrum* vero dicitur quidquid mancipatum est cultui divino, ut Ecclesia vel res Ecclesiae. — Hic etiam *usura* prohibetur, quae sub
Hieronymus (?). rapina continetur. Unde Hieronymus [4]: « Usuras quaerere, vel fraudare, vel rapere nihil interest. Commoda fratri tuo, et accipe quod dedisti, et nihil superfluum quaeras, quia *superabundantia* in usura computatur ».
Augustinus. Est enim *usura*, ut ait Augustinus [5], cum quis plus exigit in iniuria, vel qualibet re, quam acceperit. Item
Hieronymus. Hieronymus [6]: « Putant aliqui, usuram tantum esse in pecunia; sed intelligant, usuram vocari *superabundantiam*, scilicet quidquid est, si ab eo quod dederit, plus est; ut si in hieme demus decem modios, et in messe quindecim recipiamus ».

Cap. V.

De furto.

Si vero quaeritur de filiis Israel, qui, Domino iubente, ab Aegyptiis mutuaverunt vasa aurea et argentea et vestes pretiosas et asportaverunt, utrum furtum commiserint; dicimus, eos qui, ut parerent Deo iubenti, illud fecerunt, non fecisse furtum nec omnino peccasse. Unde Augustinus [7]: « Israelitae non furtum Augustinus.
fecerunt, sed Deo iubenti ministerium praebuerunt. Hoc enim Deus iussit, qui Legem dedit; sicut minister iudicis sine peccato occidit quem lex praecipit; sed si id sponte faciet, homicida est, etiam si eum occidat, quem scit a iudice occidendum ». « Infirmi autem, qui ex cupiditate Aegyptios deceperunt, magis *permissi* sunt hoc facere illis qui talia iure passi sunt, quam *iussi* ». — Hic opponitur, quod etiam boni in illo opere pec- Opponitur.
caverunt, quia naturalem legem, cui concordat Evangelium et lex moralis praeceptionis, transgressi sunt, quae est: quod tibi non vis fieri alii ne feceris; quam Veritas scripsit in corde hominis, et quia non legebatur in corde, iteravit in tabulis, ut voce forinsecus admota *rediret ad cor* et ibi inveniret quod extra legeret. Hanc igitur illi praevaricati [8] videntur in illo facto, aliis facientes quod nolebant sibi fieri. — Sed ibi subin- Resp.
telligendum est: *iniuste*, ut non alii, scilicet *iniuste*, facias quod tibi non vis fieri. Alioquin huius praevaricator est iudex, dum punit reum, nolens aliquid tale sibi fieri. Ita etiam illud Domini verbum [9]: *Omnia quaecumque vultis, ut faciant vobis homines* etc.; de *bonis* accipiendum est, quae nobis invicem exhibere debemus.

Quintum praeceptum est: *Non loqueris contra* Dubium 8.
proximum tuum falsum testimonium; ubi crimen *mendacii* et *periurii* prohibetur.

Cap. VI.

De mendacio.

« Solet autem quaeri, utrum prohibitum sit omne Augustinus.
mendacium. Quidam dicunt, illud tantum prohiberi, quod *obest* et non prodest ei cui dicitur. Tale enim non est *adversus proximum;* ut ideo videatur hoc addidisse Scriptura [10] ». — Sed de mendacio magna quaestio est nec cito explicari potest.

---

[1] Hugo a S. Vict., Summa Sent. tr. 4. c. 4, unde plurima sumsit Magister. — Locus Scripturae est Deut. 5, 16.

[2] Matth. 5, 21. De his praeceptis cfr. Hugo, loc. cit. c. 6.

[3] August., Quaestion. in Exod. quaest. 71. n. 4. et Glossa *interlinearis* super Exod. 20, 14. — Seq. locus est in Glossa *ordinaria* ibid.; tertius, August., loc. cit., qui est etiam in Decret. Gratian. II. parte XXXII. q. 4. c. *Meretrices.*

[4] Libr. VI. in Ezech. 18, 8, ubi loquitur quidem de usura, sed ipsa verba apud Hieronymum nec ibi nec alibi inveniuntur, licet et Hugo a S. Vict. (loc. cit.) et Magister ipsi eadem tribuant.

[5] Enarrat. in Ps. 54. n. 14; sententialiter, sed verbotenus in Petr. Lomb. Commentar. in Ps. 54, 12.

[6] Loco in nota 4. cit. ad v. 6.

[7] Quaestion. in Exod. quaest. 39, ubi pro *Deo iubenti*, quod habent edd. 1, 8, in aliis est *Deo iubente;* deinde post *praecipit* edd., exceptis 1, 8, addunt, favente originali, *occidi.* — Seq. loc. est in eiusdem Enarrat. in Ps. 104. n. 28; XXII. contra Faustum c. 71.

[8] Edd. plurimae cum Vat. *praevaricari.* — Superius verba *rediret ad cor* respiciunt Isai. 46, 8.

[9] Matth. 7, 12; Luc. 6, 31.

[10] August., Quaestion. in Exod. quaest. 71. n. 6. — Edd., exceptis 1, 8, post *quaestio est* addunt *quae.*

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXVII.

De praeceptorum Decalogi distinctione in comparatione ad scripturam tabularum.

Sed iam distributio Decalogi etc.

DIVISIO TEXTUS.

Pars ista, in qua Magister agit de vita gratiae, quam suscepimus per Christum et in qua vivimus secundum Christum, divisa fuit in partes duas [1]. In quarum prima determinat Magister de habitibus gratuitis, in quibus consistit spiritualis vitae complementum; in secunda vero de praeceptis Decalogi, in quibus consistit spiritualis vitae exercitium. Prima parte terminata, hic incipit secunda. — Dividitur autem pars ista in partes tres. In quarum prima determinat de distinctione praeceptorum in comparatione ad scripturam tabularum. In secunda vero determinat de eadem respectu obliquitatum eisdem oppositarum, ubi agit de mendacio et periurio [2], infra distinctione trigesima octava: *Sciendum est, tria esse mendaciorum genera* etc. In tertia vero agit de eisdem praeceptis comparando Legem ad Evangelium, infra distinctione quadragesima: *Sextum praeceptum est: Non desiderabis* etc.

Prima pars, quae continet praesentem distinctionem, dividitur in partes duas. In quarum prima [3] exsequitur de praeceptis primae tabulae. In secunda vero de praeceptis secundae, ibi: *In secunda vero tabula septem erant mandata* etc.

Prima pars habet tres partes, secundum quod tria sunt mandata primae tabulae, de quibus exsequitur. In prima agit de primo. In secunda de secundo, ibi: *Secundum praeceptum est* etc. In tertia de tertio, ibi: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices* etc.

Secunda vero pars dividitur in quinque partes, secundum quod quinque sunt mandata, de quibus exsequitur breviter. Subdivisiones [4] autem illarum partium satis manifestae sunt in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio de mandatis Decalogi in generali. Circa hoc autem duo generaliter possunt quaeri.

Primum est de ipsorum mandatorum obligatione.

Secundum vero est de distinctione et ordine.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum verba Decalogi debuerint esse obligatoria.

Secundo, utrum obligent ad opera bona in genere tantum [5], an etiam ad opera formata.

Tertio, utrum obligatio illorum mandatorum procedat secundum legem naturae, an secundum legem scriptam.

ARTICULUS I.

De mandatorum Decalogi obligatione.

QUAESTIO I.

Utrum Deus debuerit homini imponere mandata obligatoria.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum Deus debuerit homini imponere mandata obligatoria. Et quod non, videtur:

1. Primo per illud quod dicitur ad Romanos septimo [6]: *Peccatum, occasione accepta per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam;* sed Deus nihil debet imponere, quod faciat ad augmentum concupiscentiae: ergo non debuit hominem per mandata obligare.

Ad oppositum.

2. Item, super illud primae ad Corinthios de-

---

[1] Vide supra d. 23. divis. textus.

[2] In cod. K sic pergitur: *de primo, dist. 38: Sciendum... genera. De secundo, videlicet de periurio, infra dist. 39: Nunc de periurio* etc. — Paulo superius pro *de eadem* multi codd. *de eisdem.*

[3] Edd. addunt *praemisso numero praeceptorum et distinctione respectu tabularum.*

[4] Codd. G I L T V aa *Signationes.*

[5] Fere omnes codd. et edd. 1, 2 omittunt *tantum.* Subinde pro *legem scriptam* edd. *legem scripturae.* Idem pluries occurrit infra in ipsa quaest.

[6] Vers. 11. — *Minor* fundatur in dicto Aristot., II. Ethic. c. 1, quod legislator intendit per leges *bonos* reddere cives.

cimo quinto[1]: *Virtus peccati lex;* Glossa: « Lex prohibendo auget peccati cupiditatem »: si ergo Deus nihil debet nobis imponere, quod faciat ad cupiditatis augmentum, sed potius ad diminutionem; videtur, quod per mandata nullo modo debuit nos obligare.

3. Item, Augustinus dicit super Genesim ad litteram[2]: « Meliores iudicavit homines, qui ei liberaliter deservirent »; sed debitum obligationis repugnat libertati obsequii: si ergo Deus a principio hominem reliquit *in manu consilii sui,* dando ei libertatem arbitrii; videtur, quod nullo modo debuerit addere obligationem praecepti.

4. Item, liberalius dat aliquod donum qui dat sine onere, quam qui cum oneris impositione: si ergo obligatio praeceptorum magnum onus est, et Deus est liberalissimus; videtur, quod gratiam et gloriam debuit dare[3] homini, ita quod ipsum non obligaret ad aliquod mandatum.

Sed contra: 1. Decet *Conditorem* cunctis ope- Fundamenta. ribus suis legem certam et limitem praefigere, ultra quam non debeant progredi; sicut patet, quia omnes creaturae reguntur secundum leges sibi a Creatore impositas[4]: si ergo hoc est dignitatis in creatura, videtur, quod decens et conveniens fuit, homini legem imponi, extra quam non liceret homini progredi. Hoc autem fit per mandata obligatoria: ergo talia mandata fuerunt homini danda.

2. Item, decet *rectorem* in subditis servare debitum ordinem[5]: si ergo homo per libertatem suae voluntatis poterat inordinari, opportunum et convenientissimum fuit, ipsum ad rectum ordinem astringi. Hoc autem fit per obligationem mandatorum Decalogi: decens igitur fuit, talia mandata homini dari.

3. Item, decens est, *dominum* a servo suo obsequium exigere[6]; sed tunc dominus a servo suo obsequium exigit, quando leges et praecepta eident imponit: si ergo decens fuit, quod Deus ab homine tanquam a servo exigeret talia obsequia, decens fuit, ut ei imponeret mandata obligatoria.

4. Item, decens est, iustum *iudicem* secundum merita retribuere[7]; sed meritum et demeritum non habet locum, ubi nulla cadit obligatio legis: si ergo conveniens fuit Deo hominem, cui contulerat liberum arbitrium, secundum iustitiam iudicare, decens etiam fuit, ut regulam iustitiae eidem praefigeret. Sed hoc fit secundum mandatorum impositionem: ergo etc.

CONCLUSIO.

Decalogus debuit dari per modum praecepti, tum quia decebat divinam aequitatem et maiestatem, tum quia nobis expediebat ad gloriam nostram augendam et pacem conservandam.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio verba Conclusio. Decalogi debuerunt dari per modum praecepti, ita quod in eis homo non solum *instrueretur,* verum etiam *obligaretur.* — Et ratio huius est: tum quia Ratio duplex. *Deum decebat,* tum quia *nobis expediebat.*

Deum utique *decebat,* quia in his verbis Decalogi consistit regula iustitiae, secundum quod dictat lumen rationis rectae[8]. Et quoniam Deus tanquam iustus debet esse aemulator rectitudinis et iustitiae et in subditis et in se ipso; hinc est, quod homini leges iustitiae imposuit, ad quas ipsum obligavit, ut nullo modo liceret, ipsum eas impune praetergredi. Verba igitur Decalogi per modum *obligationis* debuerunt dari, quia sic decebat divinam *aequitatem.* — Nec tantum decebat *aequitatem,* immo etiam *maiestatem.* Sicut enim decet summam Maiestatem a creatura rationali omni *reverentia coli,* sic etiam decet, quod rationalis creatura ad manifestationem illius summae Maiestatis per *obedientiam famuletur*[9]. Et propterea decuit ipsum imponere homini leges et mandata obligatoria. Prima, quae est bimembris.

Non solum autem *Deum decebat,* sed etiam *nobis expediebat,* tum propter *gloriam* nostram *au-* Secunda, bimembris.

---

[1] Vers. 56. — Glossa refertur a Petr. Lombardo et a Lyrano ut *ordinaria;* sumta est ex August., de Perfectione Iustitiae hominis, c. 6. n. 14: Quoniam Lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat Spiritus caritatem etc. Cfr. XIII. de Civ. Dei, c. 5.

[2] Haec sententia colligi posset ex iis quae lib. XI. c. 7. n. 9. seqq. proponit in solvenda quaestione, cur homo non sit talis creatus, qui nollet unquam peccare; sed si *verba* attendantur, invenitur in lib. de Vera Relig. c. 14. n. 27. Vide supra pag. 265, nota 7. Inferius respicitur Eccli. 15, 14.

[3] Psalm. 83, 12: Gratiam et gloriam dabit Dominus.

[4] Secundum August., IX. de Gen. ad lit. c. 17, n. 32. Cfr. Iob 28, 26. et 38, 11, ac Aristot., de Mundo, c. 7. (c. 6.), ubi dicit, hoc Deum esse in mundo, « quod in navi gubernator est, quod in curru agitator, quod in choro praecentor, quod denique lex in civitate et dux in exercitu »; et subinde ostendit, caelum, plantas, bestias regi Dei auspiciis et obtemperare divinis legibus. — Pro *secundum leges* cod. Z *per leges.* Inferius edd. *fuerit* pro *fuit.*

[5] Cfr. Aristot., X. Ethic. c. 9; August., de Quantit. animae, c. 36. n. 80, ubi, postquam ostendit, Deum universa condita regere iuxta legem inviolabilem, et homini datum fuisse liberum arbitrium, subiungit: Nec tamen ita liberum arbitrium animae datum est, ut quodlibet eo moliens ullam partem divini ordinis legisque perturbet. Datum est enim a sapientissimo atque invictissimo totius creaturae Domino. — Codd. G Z aa *rectum ordinem.* In fine arg. pro *dari* cod. Z *imponi.*

[6] Boeth., de Trin. c. 5, dominium definit: Potestas quaedam, qua servus coercetur. — Inferius pro *imponit* edd. *tribuit.*

[7] Vide August., I. de Ordine, c. 7. n. 19. — Finem arg. Vat. sic exhibet: *ergo decens fuit, obligatoria mandata homini imponi.*

[8] Cfr. infra q. 3. — Mox respicitur Exod. 34, 14; Deut. 4, 24. et 5, 9, ubi Deus nominatur *aemulator.*

[9] August., VIII. de Gen. ad lit. c. 6. n. 12, loquens de praecepto, quod Deus dedit Adam, ait: Oportebat autem, ut homo, sub Domino Deo positus, alicunde prohiberetur, ut ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia, quam possum verissime dicere solam esse virtutem omni creaturae rationali agenti sub Dei potestate... Non esset ergo, unde se homo dominum habere cogitaret atque sentiret, nisi aliquid ei iuberetur.

gendam, tum propter *pacem conservandam.* Propter *gloriam* utique *augendam,* quia gloriosius est homini obtinere beatitudinem per merita quam sine meritis [1]. Et quoniam, cum aliquid redditur ex meritis, quodam modo homo, qui meretur, obligat sibi retribuentem; et magis decet, hominem obligari Deo, quam Deum homini: hinc est, quod ad opera, per quae contingebat mereri, debuit homo per praecepta *obligari,* ut, dum obligatus obediret, in merito proficeret et ad maiorem cumulum gloriae perveniret. — Alia ratio est propter pacem conservandam, quae «tantum bonum est, sicut dicit Augustinus [2], ut cuncta pacem appetant»; pax autem servari non potest, ubi homo usurpat sibi quod est alienum: ideo, ut pax servaretur inter homines, debuit Deus mandata homini tradere, in quibus obligaretur, ne quod est alienum usurparet, sed redderet Deo et proximo quod eis deberet, ne aliter iniuriam faciendo pacem frangeret, et frangendo pacem ipse in se pacem amitteret [3]. — Sic ergo decuit, verba Decalogi tradi per modum obligationis et praecepti, tum quia decens erat ex parte *Dei,* tum quia expediens erat ex parte *nostri.* Et rationes, quae hoc ostendunt, possunt concedi.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium ex auctoritate Apostoli, quod mandatum intendit concupiscentiam; dicendum, quod illud veritatem habet, Notandum. sed valde *per accidens* et *occasionaliter.* Ex hoc enim, quod per Legem erat peccati cognitio, tamen [4] per ipsam non erat gratiae collatio, concupiscentia nitente in vetitum, et homine scienter perpetrante peccatum; ex hoc occasionaliter fiebat et ipsius concupiscentiae intensio et peccati aggravatio. Sed hoc non erat de principali intentione ferentis mandata nec de ipsorum mandatorum obligatione. Nam Dominus sic tribuit mandata obligatoria, quod semper fuit promptus tribuere gratiam adiutricem ad illa implenda. Unde quod per mandatorum obligationem augeretur concupiscentia, hoc non erat ex ipsis mandatis, sed potius ex negligentia et culpa hominis; Dominus autem propter negligentiam hominis non debuit dimittere, quin diligentiam circa salutem hominis exerceret [5].

2. Ad illud quod obiicitur, quod Lex prohibendo auget peccati cupiditatem; dicendum, quod Glossa non dicit illud simpliciter, sed addit hanc conditionem: «nisi diffundat Spiritus caritatem [6]». Unde quamvis per se Lex non esset utilis nisi ad cognitionem, tamen cum gratia ipsa mandatorum obligatio multum conferebat ad salutem.

3. Ad illud quod obiicitur, quod obligatio repugnat libertati; potest responderi, quod obligatio ad bonum non repugnat libertati *simpliciter,* sed re- Notandum. pugnat libertati *peccandi.* «Posse autem peccare nec est libertas nec pars libertatis [7]»; et ideo, dum obligatio mandati repugnabat libertati *male* faciendi, libertatem non minuebat, sed potius augebat. — Ali- Alia solutio. ter etiam potest responderi, quod est obligatio, quae aufert *potestatem,* et est obligatio, quae aufert *impunitatem.* Prima obligatio, quae *potestatem aufert,* minuit libertatem; secunda vero, quae potestatem non aufert, sed tollit *impunitatem,* libertatem ar- Notandum. bitrii salvat et superaddit iustitiae aequitatem. Hoc autem secundo modo mandata Dei sunt obligatoria; et propterea in nullo libertati arbitrii derogabant, quin potius divinam iustitiam commendabant.

4. Ad illud quod obiicitur, quod maioris liberalitatis [8] est dare aliquid sine merito quam cum meritis; dicendum, quod etsi maioris liberalitatis sit ex parte *dantis,* non tamen est tantae gloriae et excellentiae ex parte *suscipientis.* Et quoniam Dominus in conferendo praemium non tantum attendit suae liberalitatis manifestationem, immo etiam gloriae nostrae promotionem; hinc est, quod maluit nobis dare aeternam beatitudinem per impletionem mandatorum et meritum obedientiae, quam nullo merito praecedente. — *Praeterea,* merita nostra in Alia ratio. nullo derogant divinae liberalitati, immo potius eam manifestant, tum quia ipse bonorum nostrorum non eget [9], tum quia omnia merita nostra procedunt ex munere gratiae suae. Et propterea dicit Apostolus ad Romanos sexto: *Gratia Dei vita aeterna.*

---

[1] Cfr. supra pag. 387, nota 4. — De seq. proposit. vide August., III. de Lib. Arb. c. 16. n. 45.

[2] Libr. XIX. de Civ. Dei, c. 11. et 12. n. 1. — Plurimi codd. et edd. 1, 2 *cetera* pro *cuncta.* Cfr. supra pag. 680, nota 1. Paulo inferius pro *usurpat sibi* cod. A *usurpat aliquid,* et pro *servaretur* cod. Z *conservaretur.* Subinde pro *ne aliter* Vat. *ne alteri.*

[3] August., Epist. 167. (alias 29.) c. 4. n. 15: Si autem praecepta non essent, non utique esset, ubi se homo certius inspiceret et videret, unde averteretur, quo conaretur, quare gratularetur, quid precaretur. Magna est ergo utilitas praeceptorum, si libero arbitrio tantum detur, ut gratia Dei amplius honoretur.

[4] Edd. cum aliquot codd. *cum.* Paulo inferius pro *nitente* cod. A *intense nitente,* edd. 1, 2 *intendit,* dein pro *homine scienter perpetrante peccatum* non pauci codd. *hominem scienter perpetrare,* edd. 1, 2 melius *hominem scienter fecit perpetrare.*

[5] Haec solutio consonat cum illa expositione, quam facit August. in Expos. quarundam proposit. ex Epist. ad Rom. proposit. 37. seqq., et I. de Diversis Quaest. ad Simplic. q. 1. n. 1. seqq.

[6] Vide supra pag. 813, nota 1. — Infra post *cognitionem* Vat. addit *peccati.*

[7] Anselm., Dialog. de lib. arb. c. 1. Cfr. tom. II. pag. 613, nota 9.

[8] Cod. Z *perfectionis;* multi codd. et edd. 1, 2 hic et paulo inferius perperam *libertatis.*

[9] Respicitur Ps. 15, 2: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Seq. textus Scripturae est Rom. 6, 23. — August., VIII. de Gen. ad lit. c. 11. n. 24: Ille quippe nostra servitute non indiget, nos vero dominatione illius indigemus, ut operetur et custodiat nos; et ideo verus solus est Dominus, quia non illi ad suam, sed ad nostram utilitatem salutemque servimus. Nam si nobis indigeret, eo ipso non verus Dominus esset, cum per nos eius adiuvaretur necessitas, sub qua et ipse serviret. Merito ille in Psalmo: Dixi, inquit, Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges etc.

SCHOLION.

I. Licet haec quaestio specialiter agat de opportuna promulgatione Decalogi, allata tamen principia et solutiones obiectorum serviunt ad praecipua Antinomistarum sophismata solvenda, simulque eadem militant contra errores novatorum saeculi XVI, qui negabant, Christum ut *Legislatorem* leges evangelicas tulisse, eoque progrediebantur, ut libertatem christianam (qua liberi sumus a servitute peccati, a lege Moysaica, a spiritu timoris) detorquerent ad exemptionem Christianorum ab obligatione Decalogi. Eadem auctoris doctrina valet etiam contra Kantii figmentum, quo humanae rationi *autonomiam* ipsique formaliter inhaerentem auctoritatem legiferam vindicare impio et vano conatu nititur.

Eandem quaestionem, sed sumtam sensu universaliori, ut totam legem Moysaicam complectatur, solvunt Alex. Hal., Sum. p. III. q. 28. m. 1, et Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Alii antiqui auctores rem tangunt passim in tractatu de legibus; cfr. S. Thom., S. I. II. q. 98. a. 1, q. 99, praesertim a. 2. ad 2, et q. 100. a. 7. — Quoad solutionem ad 3. cfr. ibid. q. 93. a. 6. ad 1.

Generaliter observamus, S. Bonaventuram in quaestionibus et dubiis huius distinctionis breviter exhibere substantiam diffusae disputationis, quam de Decalogo instituit Alex. Hal. (Sum. p. III. q. 19-38.) et de aliis praeceptis legis Mosaicae (ibid. q. 46. 49. 54. 55.); qui etiam de lege aeterna (ibid. q. 26.), de lege naturali (q. 27.), de lege evangelica (q. 56-60) copiose tractat.

QUAESTIO II.

Utrum praecepta Decalogi obligent ad opera formata.

Secundo quaeritur, utrum praecepta Decalogi obligent ad opera formata. Et quod sic, videtur.

1. Deuteronomii decimo sexto [1]: *Iuste quod iustum est exsequeris.* Ex hoc verbo colligitur, quod Legislator non solum praecipiebat iustitiam in facto, sed etiam iustitiam in modo; opus autem, quod est iustum in facto et modo, est opus formatum: ergo per mandata Legis obligatur homo ad opera formata. Ad oppositum.

2. Item, Matthaei decimo nono [2]: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* observatio igitur mandatorum Decalogi introducit ad vitam; sed nemo introducitur ad vitam per aliqua opera, nisi fiant ex caritate, et talia sunt opera formata: cum ergo per Legem obligemur ad praecepta Decalogi observanda, videtur, quod per eandem obligemur ad opera formata.

3. Item, Augustinus dicit, et habetur in fine distinctionis praecedentis [3], quod omnia praecepta Decalogi reducuntur ad duo praecepta; sed illa praecepta nemo implet nisi ex caritate — sicut patet de praecepto, quo praecipitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* etc. — videtur ergo similiter, quod omnia mandata Decalogi teneamur implere ex caritate: ergo per Legem obligamur ad opera formata.

4. Item, ad opera mandatorum obligamur secundum intentionem praecipientis; sed intentio praecipientis fuit dare illa mandata, ut per illa ei serviamus et serviendo placeamus [4]; hoc autem non fit nisi per opera caritate et gratia informata: ergo etc.

5. Item, informatio et deformatio sunt opposita, praeceptio et prohibitio sunt opposita; et « si oppositum de opposito, et propositum de proposito [5] »; cum ergo deformatio operum sit in prohibitione, eorundem informatio erit in praecepto.

Sed contra: 1. Dicit Hieronymus [6], quod « anathema sit qui dicit, Deum praecepisse impossibile »: cum ergo praecepta illa obligent tam iustos quam peccatores, et in potestate peccatoris non sit informare opera sua, cum illud habeat fieri per caritatem et gratiam; videtur, quod ad hoc nemo obligetur per divina mandata. Fundamenta.

2. Item, Augustinus dicit, et habetur in Glossa super illud Psalmi [7]: *Declina a malo et fac bonum:* « Declinare a malo semper vitat poenam, quamvis non semper promereatur palmam »; sed quotiescumque declinat homo a malo ex caritate, promeretur palmam: ergo non semper tenetur homo ex caritate a malo declinare. Sed declinando a malo, observantur praecepta negativa: ergo non videtur, quod obligent ad opera formata.

3. Item, aliquis filius, habens parentes et existens in peccato mortali, honorat eos ex naturali pietate, cum se offert locus et tempus et opportunitas; constat, quod iste non peccat parentes hono-

---

[1] Vers. 20, ubi Vulgata *persequeris* pro *exsequeris*.

[2] Vers. 17. — *Minor*, in qua pro *nisi fiant* cod. L *nisi fuerint*, probatur ex illo I. Cor. 13, 1. seqq.: Si linguis hominum loquar etc.

[3] Lit. Magistri, c. 3. — Seq. testimonium Scripturae est Deut. 6, 5.

[4] Cfr. Ioan. 15, 14: Vos amici mei estis etc.

[5] Aristot., IV. Topic. c. 4. Cfr. supra pag. 505, nota 1, ubi pro *de proposito* et *de opposito* textus origin. et etiam codd. A bb *in proposito* et *in opposito*.

[6] Symboli Explic. ad Damasum (inter opera Hieronymi); cfr. tom. I. pag. 846, nota 2.

[7] Psalm. 33, 15. Glossa, quae apud Strabum, Petr. Lombard. et Lyranum ut *ordinaria* habetur, est secundum Cassiodorum dicentem: In illo culpam refugimus, in isto palmam pietatis acquirimus. Alan. ab Insulis, Theolog. Regul. regula 74: *Non facere* vitat poenam, *facere* meretur coronam. Verba autem prorsus eadem sunt apud Magistrum, II. Sent. d. XXIV. c. 1. in fine. — Inferius pro *ergo non semper* Vat. *at non semper*.

rando, nec committendo nec omittendo: ergo mandatum illud, quo Dominus praecepit [1]: *Honora patrem tuum et matrem tuam;* non obligabat ad hoc, quod opus illud ex caritate impenderetur: pari ratione nec alia mandata.

4. Item, opera formata non sunt nisi per gratiam; sed nemo scit, utrum gratiam Spiritus sancti habeat [2]: ergo nemo scit, utrum eius opera sint formata, vel informata. Sed nemo obligatur ad id quod non potest scire: ergo mandata Decalogi ad opera formata non obligant.

5. Item, quicumque obligatur ad aliquid, obligatur per consequens ad id quod est illi inseparabiliter annexum [3]; sed opera non possunt formari ab aliquo, nisi habeatur gratia: ergo quicumque obligatur ad opera formata, obligatur ad habendam gratiam. Cum ergo habere gratiam respiciat omne tempus indifferenter, tam tempus dormitionis quam tempus vigiliae; videtur, quod homo omittat in quolibet instanti et in quolibet tempore, ac per hoc in uno die peccabit infinities. Quodsi hoc est manifeste falsum, restat, quod mandata Decalogi ad opera formata non habeant obligare.

CONCLUSIO.

Praecepta Decalogi non obligant ad opus proprie formatum obligatione absoluta, si loquimur de quolibet opere singillatim; tamen de eis in unum collectis hoc concedi potest, et etiam loquendo de obligatione conditionali.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod hic est triplex modus dicendi.

Quibusdam enim visum est, quod mandata De- Opinio 1. calogi obligant ad opera formata, obligatione tamen praecepti *affirmativi,* non praecepti *negativi.* Obli- Notandum. gatio enim praecepti *negativi* est *semper* et *ad semper;* obligatio vero praecepti *affirmativi,* quamvis sit *semper,* non tamen *ad semper,* sed pro loco et tempore. Propter quod dixerunt, quod mandata Decalogi obligant hominem ad opera formata pro eo tempore, quo habet caritatem et gratiam; tunc enim potestatem habet exeundi in opera meritoria et tenetur bene uti gratia accepta.

Alius autem modus dicendi est, quod mandata Opinio 2. Decalogi non obligant nisi ad opera bona in genere [4]. Opera enim formata sunt supra nostram potestatem et supra cognitionis certitudinem; et propterea ad talia opera non debemus obligari per mandata Decalogi, sed solum ad opera bona in genere. Cuius signum est, quia, si aliquis existens in caritate honoret parentes ex naturali pietate, huiusmodi opere absolvitur a mandati obligatione.

Sed quoniam primus modus dicendi videtur Iudicium auctoris. excedere, in hoc videlicet, quod ponit, hominem [5] obligari ad id, de quo non potest habere certitudinem; secundus vero modus dicendi videtur nimis parum dicere, in hoc videlicet, quod ponit, hominem per mandata Decalogi solummodo obligari ad ea quae potest quis implere existens in statu peccati, cum observatio mandatorum Dei sit via deveniendi ad statum gratiae [6] et iustitiae: ideo est adhuc tertius dicendi modus, qui quasi medium tenet in- Opinio 3. et media. ter utrumque, et ad quaestionem propositam respondet per distinctionem hoc modo. Cum quaeritur, utrum mandata Decalogi obligent ad opera formata; respondendum est, quod opera formata possunt dici Opera formata dicuntur dupliciter. dupliciter: uno modo per *exclusionem* deformitatis peccati, alio modo per *positionem* dignitatis meriti. Si primo modo accipiantur opera formata; sic uti- Conclusio 1. que ad opera formata obligant; obligant enim ad vitandum omnia peccata mortalia. — Si autem dicantur alio modo opera formata; sic accipiuntur *proprie,* et Nota. tunc distinguendum est in ipsa obligatione: est enim Obligatio duplex. obligatio *absoluta* et obligatio *conditionalis.* Obligatio *absoluta* est, qua quis simpliciter ad aliquid faciendum obligatur, ita quod, si illud non faciat, incurrit omissionis reatum; obligatio vero *conditionalis* est, qua quis obligatur ad aliquid faciendum, si vult pervenire ad praemium. Et haec obligatio in eo qui omittit, non inducit omissionis peccatum, sed ponit implicitae conditionis defectum.

Si igitur loquamur de obligatione *conditionali;* Conclusio 2. mandata Decalogi obligant ad opera formata. Si quis enim vult ad vitam ingredi, necesse est ex caritate servare mandata, quae quidem caritas est meriti principium [7]. — Si autem loquamur de obligatione *absoluta;* tunc distinguendum est in ipsis mandatis, Locutio de mandatis duplex. quod dupliciter contingit de eis loqui: aut de eis *in unum collectis,* prout habent reduci ad duo mandata caritatis, aut de quolibet *per se singillatim* [8]. Si de eis *collectis in unum;* cum in eis contineatur regula iustitiae secundum ordinem ad Deum et ad proximum, per quam excluditur omne peccatum; sic concedi potest, quod obligant ad aliquod opus Conclusio 3. formatum vel *in se,* si homo habet unde possit in illud exire, vel *in dispositione* sive praeparatione

---

[1] Deut. 5, 16. Vide II. Sent. d. 28. a. 1. q. 3. arg. 4. ad oppos. — Cod. K legit: *cum se offert loci et temporis opportunitas... nec omittendo illud, quod Dominus... matrem tuam: ergo illud praeceptum non obligabat etc.* Pro *obligabat* et *impenderetur* edd. *obligat* et *impendatur.*

[2] Eccle. 9. 1: Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.

[3] Simile habetur in Regul. Iur. in sexto 39: Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quae sequuntur ex illo. — Aliquanto inferius pro *respiciat* edd. *inspiciat.* Circa finem arg. pro *in uno* cod. Y *in quolibet* et codd. H L *peccaret* pro *peccabit.*

[4] Vide II. Sent. d. 36. dub. 5. Cfr. etiam ibid. d. 28. a. 1. q. 3. — Mox pro *supra nostram potestatem* edd. 1, 2 *supra naturam, potestatem.*

[5] Cod. F addit *per mandata.*

[6] Cod. Z *gloriae,* edd. *gratiae, gloriae.*

[7] Vide supra d. 27. a. 2. q. 1. et d. 36. q. 6.

[8] Cod. A *per se et singillatim.* Paulo inferius pro *in eis* codd. A K Z aa bb *ibi.*

ad illud [1]. Tenetur enim homo sic mandata Decalogi implere, ut per ipsorum impletionem praeparet locum ipsi gratiae; qua obtenta, exeat, cum locus et tempus est, in opera meritoria, adimplendo duo caritatis praecepta. — Si autem loquamur de quolibet *singillatim* et *per se;* sic accipiendo *proprie* opus formatum, hoc est opus meritorium, et loquendo de obligatione *absoluta*, mandata Decalogi non obligant ad opera formata, sicut rationes ostendunt, quae ad secundam partem inducuntur, et propterea concedendae sunt [2].

Conclusio 4.

1. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod Legislator praecipit non solummodo facere opus iustum, sed etiam iuste; dicendum, quod modus iustitiae *quidam* est, qui facit opus Deo placitum et meritorium; et hic proprie reddit opus formatum. *Alius* autem est modus iustitiae, qui excludit circa actum viri iusti deordinationem intentionis, quae facit animum iniustum, et praeposterationem operis [3]; et hic modus est in praecepto, non primus. Ab hoc autem modo non dicitur opus *formatum*, nisi accipiendo *large*, sicut prius tactum est in respondendo.

Solutio oppositorum.

Distinctio.

2. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Domini in Matthaeo: Si vis ad vitam ingredi etc.; patet responsio per iam dicta: quia ex verbo illo non potest colligi, quod homo obligetur ad opera meritoria facienda nisi obligatione *conditionali*, videlicet si vult ingredi ad vitam. Si autem de obligatione *conditionali* ad *absolutam* velit procedere; non valet ratio, immo est ibi sophisma *secundum quid et simpliciter* [4].

3. Ad illud quod obiicitur, quod omnia mandata reducuntur ad duo praecepta caritatis; similiter patet responsio: quia praecepta duo caritatis non implentur in quocumque mandato *singillatim* accepto, sed ex quodam *plenario* intellectu et perfectione, consurgente ex omnium mandatorum aggregatione et integra observatione. Et hoc modo verum est, quod mandata obligant [5] ad opus formatum *in se*, vel *in sua dispositione*. Sed ex hoc non sequitur, quod ad hoc obliget quodlibet mandatum per se. Sicut enim non sequitur, decem homines trahunt navem, ergo quilibet per se trahit; quia plus possunt decem quam unus; sic et in proposito suo modo est intelligendum.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod tenemur observare mandata secundum intentionem praecipientis; dicendum, quod hoc est verum de obligatione *conditionali*, si volumus ingredi ad vitam. — Posset tamen et aliter dici, quod intentio Legislatoris non solummodo fuit ad hoc, ut homo perveniret ad gloriam, sed [6] ut vitaret poenam; mandata autem, si observentur, quantum ad opera extra gratiam facta sufficiunt ad vitandum poenam; et propterea non sequitur, quod per mandata obligetur quis absolute ad opera meritoria.

Alia solutio.

5. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod deformatio est in prohibitione, ergo informatio [7] in praecepto; dicendum, quod secundum quod informatio *proprie* accipitur, ratio non valet, pro eo quod *informatio* et *deformatio* non sunt opposita immediate, immo inter opus meritorium et opus peccati cadit medium bonum *in genere* et bonum *ex circumstantia* [8]. Cum autem dicitur, quod si aliquid est in prohibitione, eius oppositum est in praecepto; hoc intelligitur de oppositis *immediatis*, sicut *furari* est prohibitum, et *non furari* est in praecepto; et propterea consequentia illa non habet locum in proposito.

Notandum.

SCHOLION.

I. Hanc quaestionem S. Thom. aliique hac formula exprimunt: « Utrum in adimpletione mandatorum modus caritatis cadat sub praecepto ». — *Opera formata* ea sunt, quae fiunt non tantum in statu gratiae, sed etiam ex motivo caritatis; immo, ut dicitur in corp., *proprie* opera dicuntur *formata*, quatenus fiunt ex caritate. — Respectu primae informationis non est dubium, quod quilibet rationis compos obligatur esse habitualiter in *statu gratiae*, sive quod obligatur « ad exclusionem deformitatis peccati », ut auctor noster dicit (in corp.). Licet autem *habitus* gratiae et *habitus* caritatis sint inseparabiliter connexi (unde etiam *actus* caritatis supponit, saltem ordinarie, statum gratiae); tamen nullus habitus operativus est semper *in actu*. Dubiturі igitur potest, utrum, quando aliquod praeceptum impletur, *actualis* influxus caritatis actum illum debeat comitari. Eodem sensu intelligitur etiam quaestio proposita.

II. Principia ad hanc quaestionem solvendam necessaria auctor noster iam exhibuit I. Sent. d. 48. a. 2. q. 1, II. Sent. d. 41. a. 1. q. 3. cum scholio, nec non supra d. 27. a. 2. q. 6. — S. Thom. (III. Sent. d. 36. a. 6.) refert quatuor de hac re opiniones, quarum prima, tertia et quarta etiam a S. Bonav. hic afferuntur; secunda vero non differt a prima nisi in hoc, quod eandem statuat obligationem etiam pro non habente caritatem, quam prima adesse vult pro habente eam. S. Thom. in Comment. eandem praefert viam mediam, quam sequitur S. Bonav. Sed in Summa (I. II. q. 100. a. 10.) ad eandem fere conclusionem alia via procedit. Docet enim, quod actus caritatis praeceptus sit lege speciali et quidem *affirmativa*, ita ut in aliis praeceptis non includatur. Cum igitur in quarto praecepto affirmativo imponitur, ut parentes honorentur, eodem non praescribitur, ut hoc fiat *ex caritate Dei*. Cum autem duo

---

[1] Vat. pro *ad illud* substituit *si non habet, unde possit in illud exire*. Subinde pro *locus et tempus est* cod. K *se offerant locus et tempus*.

[2] In Vat. desideratur *et propterea concedendae sunt*. Mox post *in contrarium* cod. A subiungit *de auctoritate*.

[3] Cfr. II. Sent. d. 40. a. 1. q. 1. seqq. — Edd. *quae* [Vat. *qui*] *facit animum iustum et praeparationem* [Vat. addit *sive dispositionem*] *operis*.

[4] Cfr. supra pag. 258, nota 2.

[5] Cod. A *obligent*.

[6] Edd. *sed etiam*. Mox pro *mandata autem* cod. Q *mandata enim*; et immediate post cod. A *observantur* pro *observentur*.

[7] Cod. G supplet *est*.

[8] Cfr. supra d. 36. q. 4. ad 6, et II. Sent. d. 36. dub. 5. nec non d. 41. a. 1. q. 1. seqq.

affirmativa praecepta possint diversis temporibus ad actum obligare, bene fieri potest, quod aliquis implens quartum praeceptum sine modo caritatis non peccet. Haec sententia communiter nunc approbatur; Dionys. autem Carth. primam opinionem esse veriorem iudicavit.

De hac quaestione praeter S. Thomam alii Lombardi commentatores tractant in III. Sent. dist. 36: B. Albert., ibi a. 6. — Petr. a Tar., ibi a. 6. — Richard. a Med., ibi q. 6, ubi lectorem remittit ad I. Sent. d. 48. a. 2. q. 2. — Dionys. Carth., ibi q. 3.

III. Seq. (3.) quaestio de *obligatione* mandatorum Decalogi satis solvitur in generaliore quaestione S. Thomae (S. I. II. q. 100. a. 1.): « Utrum omnia praecepta *moralia veteris Legis* pertineant ad legem naturae », et in altera quaestione (ibi a. 3.): « Utrum omnia praecepta moralia veteris Legis reducantur ad decem praecepta Decalogi ». Eandem autem rem sic proponit Alex. Hal. (Sum. p. III. q. 29. m. 1. a. 1.): An radix vel origo (Decalogi)... in lege naturae radicetur. S. Thom. ad primam suam quaestionem respondet, « quod omnia praecepta moralia pertineant ad legem naturae, sed *diversimode* », ut ibi fusius explicatur. Alii commentatores principia hic posita tangunt in quaestione de dispensatione circa praecepta Decalogi. In utraque autem quaestione solvenda Scot. (hic q. unica n. 2. seqq.) non convenit, saltem in modo loquendi, cum S. Thoma (loc. cit. a. 8: Utrum praecepta Decalogi sint dispensabilia). S. Bonav. (I. Sent. d. 47. q. 4.) docet cum S. Bernardo et Scoto, quod Deus in praeceptis *secundae* tabulae possit dispensare, non in praeceptis *primae* tabulae. Circa doctrinam S. Thom. in *Summa* cfr. scholion ad cit. locum I. Sent. d. 47.

Rationes in resp. allatae pro opportunitate legis scriptae confirmantur a S. Thoma (hic a. 1; S. I. II. q. 99. a. 2. ad 2.). — Inter posteriores theologos agitata est alia quaestio, cum hac connexa, utrum Decalogus obliget Christianos non solum vi legis naturae et evangelicae, sed etiam vi promulgationis per Moysen factae. Responsio negativa est communior, cui favent etiam verba S. Thomae S. I. II. q. 98. a. 5.

QUAESTIO III.

Utrum obligatio mandatorum Decalogi attendatur secundum legem naturae, an secundum legem scriptam.

Tertio quaeritur, utrum obligatio mandatorum Decalogi attendatur secundum legem naturae, an secundum legem scriptam. Et quod secundum legem naturae, videtur.

Fundamenta. 1. Illud enim est naturale, quod est commune apud omnes [1]; sed ad mandata Decalogi obligantur omnes: ergo obligatio illa est secundum legem naturae.

2. Item, obligatio, quae se extendit ad omne tempus, attenditur secundum illam legem, cuius dictamen currit in omni tempore; sed obligatio mandatorum Decalogi manet in statu legis naturae et legis scriptae et legis gratiae: ergo obligatio illorum mandatorum attenditur secundum legem naturae [2].

3. Item, mandata, quae obligant hominem, circumscripta Scriptura et gratia, habent obligare secundum legem naturae; sed talia sunt mandata Decalogi — sunt enim de dictamine rationis rectae, circumscripta lege Moysi et lege Evangelii [3] — ergo etc.

4. Item, quaedam sunt prohibita, quia mala; quaedam mala, quia prohibita [4]; similiter quaedam sunt bona, quia sunt in praecepto; quaedam vero ideo sunt in praecepto, quia bona sunt; ea autem, quae in Decalogo prohibentur vel praecipiuntur, de se sunt mala vel bona, secundum quod dictat ratio recta — sicut Deum esse colendum, et parentes honorandos, hoc utique bonum est de se; falsum testimonium et homicidium, hoc utique de se malum est — sed talia spectant ad legem inditam: igitur obligatio mandatorum Decalogi attenditur secundum vinculum legis naturalis.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Exodi vigesimo [5] legitur, quod primo mandata ista fuerunt de caelo audita; et postea subiungitur, quomodo fuerunt in tabulis scripta: si ergo ibi tradebatur lex scripta, videtur, quod obligatio mandatorum Decalogi secundum legem scriptam principaliter habeat attendi.

2. Item, ad Romanos septimo [6]: *Concupiscen-*

---

[1] Boeth., de Divisione: Nam quod apud omnes idem est naturae est; consuetudinis vero est quod apud aliquos permutatur. Cfr. supra pag. 114, nota 3. — Superius pro *attendatur* plures codd. *intendatur*.

[2] Naturale enim secundum Aristot., Problem. sect. 15. n. 3, est quod semper atque ubique effici solet. — In *maiori* pro *currit* cod. K *est*.

[3] Hilar., Tract. in Ps. 118. lit. 15. n. 11, exponens illud, *Praevaricantes deputavi* [sic] *omnes peccatores terrae* etc. ait: Sed hic *praevaricatores* esse existimantur *omnes peccatores terrae;* nullus excipitur, generaliter ad omnes praevaricationis nomen refertur. Lex enim veluti *naturalis* est iniuriam nemini inferre, nil alienum praeripere, fraude ac periurio abstinere etc. August., Enarrat. in Ps. 57. n. 1: Quia homines appetentes ea quae foris sunt, etiam a se ipsis exsules facti sunt, data est etiam *conscripta* lex, non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo qui ubique est comprehenderis et ad te ipsum intro revocaris. Propterea *scripta* lex quid clamat eis qui deseruerunt legem scriptam in cordibus suis? *Redite praevaricatores ad cor* (Isai. 46, 8.). Quis enim te docuit.., nolle, tibi furtum fieri? quis te docuit nolle iniuriam pati etc. Cfr. II. de Serm. Domini in monte, c. 9. n. 32, et Glossam *ordinariam* in Rom. 2, 14, et II. Sent. d. 39. a. 1. q. 2. — Paulo ante pro *rationis rectae,* quod exhibent codd. A P Q U V bb, alii cum edd. *legis rectae.*

[4] August., I. de Lib. Arb. c. 3. n. 6: Non sane ideo malum est [adulterium], quia vetatur Lege, sed ideo vetatur Lege, quia malum est.

[5] Vers. 18: Cunctus autem populus videbat voces et lampades etc.; et v. 22: Vos vidistis, quod de caelo locutus sim vobis. Ibid. 31, 18: Deditque Dominus Moysi... duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei. Cfr. 34, 1. et Deut. 9, 10. — In fine arg. pro *principaliter* cod. Z *potius*.

[6] Vers. 7. — Glossam exhibet Petr. Lombard. et Lyranus ut *interlinearem*. Haymo, in hunc locum, ait: *Nam concupiscentiam* libidinis aliarumque malarum rerum *nesciebam*, subaudis: peccatum esse, *nisi Lex diceret: Non concupisces.* — In conclusione arg. post *Non concupisces* Vat. addit. *domum proximi tui, nec desiderabis uxorem eius nec servum* etc.

tiam nesciebam, nisi Lex diceret: Non concupisces; Glossa: « Concupiscentiam nesciebam esse peccatum »; sed mandatum, quod obligat secundum legem naturae, manifestum est homini etiam sine lege scripta: ergo mandatum illud: *Non concupisces* etc.; non spectat ad legem naturae, sed potius ad legem scriptam.

3. Item, quod est de dictamine legis naturae spectat ad statum innocentiae; sed distinctio mandatorum Decalogi ad statum innocentiae non spectat, quia in statu illo locum non habebat homicidium nec furtum nec adulterium[1]: ergo videtur, quod obligatio mandatorum Decalogi non sequatur instinctum legis naturalis.

4. Item, quae sunt secundum dictamen legis naturae non solummodo se extendunt ad statum viae, verum etiam ad statum patriae; sed obligatio ista mandatorum Decalogi ad statum patriae non se extendit, quia ibi nec furtum potest esse, ubi nihil est proprium, nec concupiscentia, ubi nullum potest esse vitium[2]: ergo videtur, quod obligatio huiusmodi mandatorum non sequatur legis naturalis instinctum.

Iuxta hoc quaeritur: si obligatio mandatorum Decalogi sequitur legem naturae, unde hoc est, quod magis fuerunt mandata illa scripta in tabulis lapideis quam alia mandata Legis? Quaestio incidens 1.

Item, quaeritur: propter quid Dominus immediate ipsi populo decem verba Legis proposuit, sicut legitur Exodi vigesimo[3], magis quam alia mandata, iudicialia scilicet et caerimonialia, quae mediante Moyse pervenerunt ad populi notitiam? Quaestio incidens 2.

CONCLUSIO.

Obligatio mandatorum Decalogi radicaliter sequitur legem naturae, sed quantum ad explicationem et distinctionem sequitur legem scriptam.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod est loqui de obligatione mandatorum Decalogi tripliciter, secundum quod et de ipsa sufficientia fidei. Secundum enim quod articulos fidei contingit credere tripliciter, videlicet *implicite*, et *explicite*, et quosdam *implicite* et quosdam *explicite*[4]; sic et de praeceptis Decalogi intelligendum est. Modus triplex loquendi de Decalogo.

Et secundum istum triplicem modum obligatio mandatorum Decalogi respicit triplicem statum, videlicet statum naturae *institutae* et statum naturae *lapsae* et statum legis *scriptae*, ita quod statum legis *scriptae* respicit *simpliciter explicite*, ubi lucide vel distincte illa decem mandata a Deo fuerunt pronuntiata et scripta[5]. — Statum vero naturae *lapsae* respicit obligatio mandatorum Decalogi *implicite* secundum duo praecepta iuris naturalis, quae natura semper dictabat, videlicet quod faceret alii quod sibi vellet fieri, et non faceret alii quod sibi nollet fieri[6]. — Statum autem naturae *institutae* respiciebat quodam modo *implicite*, quodam modo *explicite*. Quaedam enim sunt praecepta ordinantia ad *Deum*, quaedam vero ordinantia ad *proximum*. Ad praecepta namque illa quae ordinant ad Deum, *explicite* obligabatur[7] homo in statu naturae *institutae*, ubi idoneus erat et dispositus ad colendum Deum integre et perfecte. Ad mandata vero, quae ordinant ad *proximum*, obligabatur *implicite*, pro eo quod necessitas explicandi mandata illa ortum habet ex multiplici deordinatione, quae subsecuta est ex prima transgressione. Et illud colligi potest ex eo quod dicitur Ecclesiastici decimo septimo[8], loquens de hominis conditione: *Sensu implevit cor illorum et mala et bona ostendit illis, posuit oculos ipsorum super corda ipsorum* etc., usque ibi: *Attendite ab omni iniquo, et mandavit illis unicuique de proximo suo;* ubi colligitur *explicita* obligatio hominis respectu cultus divini, et *implicita* respectu vitandae laesionis ipsius proximi. Triplex status. Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3. Conclusio 4. Confirmatur.

Secundum hoc igitur patet, quod obligatio mandatorum Decalogi *radicaliter* sequitur legem naturae, sed *quantum ad explicationem* sequitur legem Scripturae. — Explicatio enim plenaria mandatorum Decalogi *opportuna* fuit secundum statum peccati propter *obscurationem* luminis rationis et propter *obli-* Conclusio generalis. Corollarium.

---

[1] Cfr. Gen. 4, 7, ubi, peccato primorum parentum iam perpetrato, dicitur ad Cain: *Sub te erit appetitus eius* etc. — Inferius pro *sequatur* permulti codd. *sequitur*.

[2] August., Enarrat. in Ps. 118, 44. serm. 13. n. 4, exponens illa verba: *Et custodiam Legem tuam semper*, dicit: Neque enim praecepta Legis, sicut hic, etiam ibi [in caelo] accepturi sumus, quae custodiamus. — Cod. A pro *ubi nihil* substituit *ubi nullum*, et in initio arg. *de dictamine* cod. K *ex dictamine* pro *secundum dictamen*.

[3] Vers. 1. seqq., edd. allegant Exod. 34, sed codd. Levit. 20. — Pro *ipsi populo* cod. Z *illi populo*.

[4] Cfr. supra d. 25. a. 1. q. 2. — Codd. Z na pro *quosdam* bis *quodam modo*. — Ad duo prima membra subaudi: simpliciter.

[5] Vat., paulo superius post *ita* omisso *quod*, cum edd. 4, 2 prosequitur *statum legis scriptae respicit simpliciter et explicite vel lucide et distincte, secundum quod illa decem* etc.

[6] Hugo de S. Vict., I. de Sacram. p. XI. c. 7: Sola illa igitur, quae sic se habent, ut nunquam licite fieri possint, lex naturalis prohibuit; illa vero, quae nunquam licite possunt praetermitti, sola praecepit, media omnia ad utrumlibet relinquens. De prohibendis unum praeceptum in corde hominis scripsit: *Quod tibi non vis fieri alii non feceris* (Tob. 4, 16.). De praecipiendis similiter unum: *Quaecumque vultis, ut vobis faciant homines, et vos similiter facite illis* (Matth. 7, 12.); ut videlicet homo ex sui consideratione disceret, qualem se erga proximum exhibere deberet. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 57. n. 1, in Ps. 118. serm. 25. n. 4, et de Spiritu et littera (quasi per totum), ubi relationem legis naturae, scriptae et evangelicae fusius exponit ac docet, gentes naturaliter quae Legis sunt fecisse, « quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint » (c. 28. n. 48.).

[7] Non pauci codd. incongrue *obligatur*.

[8] Vers. 6-13. — Paulo superius pro *ortum habet* edd. *ortum habuit*.

Ratio 1. *quationem* voluntatis. Quia enim voluntas corrupta prompta erat ad multiplicem deordinationem, oportebat, eam religari [1] per multiplicia mandata. *Rursus*, quoniam *scriptura cordis interior* propter peccatum erat obnubilata, et homo, qui fuerat spirituali mente praeditus, effectus erat sensibilis et carnalis; opportunum erat, ut exterius legeret et audiret per sensus corporis ea, per quae posset in rectitudinem iustitiae regulari [2]. Et ideo *explicatio* et *distinctio* mandatorum Decalogi spectabat ad legem scriptam, quamvis *obligatio* spectaret ad legem inditam, sicut rationes ad primam partem inductae ostendunt, quae concedi possunt, quoniam verum concludunt.

Ratio 2.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod verba Decalogi audita fuerunt in datione Legis; iam patet responsio: quia hoc non erat propter introducendam novam *obligationem*, sed potius propter ipsius *obligationis explicationem*, quae quidem necessaria erat propter peccati obnubilationem [3].

Resp. duplex.

2. Ad illud vero quod obiicitur de auctoritate Apostoli, quod concupiscentiam nesciebat esse peccatum; potest dici, quod loquitur in persona hominis *carnalis;* aut certe hoc dicit, quia, etsi aliquo modo nosset per legem naturae in *generali*, non tamen in *speciali* cognoscebat nisi per legem scriptam; unde ipsemet ibidem [4] dicit, quod per Legem est *cognitio* peccati. Propterea ex verbo illo non habetur, quod *obligatio* huiusmodi mandatorum ortum habeat a lege scripta, sed solum quod ipsius *obligationis explicatio* in lege illa sit facta.

3. Ad illud quod obiicitur, quod ea quae sunt de dictamine legis naturae, conveniunt statui innocentiae; dicendum, quod verum non [5] est de his quae sunt de dictamine legis naturae in *speciali;* quae autem sunt de dictamine legis naturae in *generali* et *implicite* illi statui habent convenire; et hoc modo ad illum statum spectabant mandata secundae tabulae.

Resp. 1.

4. Ad illud quod obiicitur, quod ea quae sunt de dictamine legis naturae, manent in statu gloriae; responderi potest dupliciter. Primum quidem, quia, sicut dicitur de virtutibus, quod manent in patria secundum excellentiores et nobiliores usus et actus [6]; sic concedi potest, quod adimpletio mandatorum Decalogi salva erit in patria, multo tamen nobiliori et excellentiori modo, quam sit in via, secundum quod ibi excellentiori modo ordinabitur et ad Deum et ad proximum, et secundum quod voluntas excellentiori modo erit ad bonum ordinata et a malo remota. — Aliter etiam posset dici, sicut tactum est prius, ut fiat vis in his quae natura dictat *generaliter*, et in his quae dictat *specialiter*, sive *implicite* et *explicite;* et rursus, in his quae natura dictat *explicite*, vel dictat secundum *omnem statum naturae*, vel secundum statum *naturae lapsae;* et quod est de dictamine *legis naturae simpliciter* et *explicite*, illud manebit [7] in statu gloriae. Explicatio autem et distinctio mandatorum Decalogi respicit statum naturae *lapsae* et instructionem legis scriptae.

Resp. 2. cum multiplici distinctione.

Ad 1. quaest. incid.

Ad illud vero quod quaeritur, quare magis ista decem verba scripta fuerint in tabulis lapideis quam alia, cum minus spectarent ad legem scriptam; dicendum, quod hoc fuit, quoniam in ipsis maxime consistebat [8] regula iustitiae, et alia habebant reduci ad haec; et ipsa quidem stabilia erant nec evacuari habebant per legem supervenientem: ideo in tabulis lapideis scripta fuerunt, ut ostenderetur eorum praerogativa quantum ad *dignitatem* et quantum ad *stabilitatem* [9].

Ad 2. quaest.

Ad illud quod quaeritur, quare magis data sunt ipsi populo a Deo immediate mandata Decalogi quam iudicialia et [10] caerimonialia; dicendum, quod hoc

---

[1] Cod. A *regulari.*

[2] De his rationibus cfr. Comment. in Epist. ad Rom. 5, 20. (inter opera Ambros.); I. Quaest. ex vet. Testam. q. 4. (inter opera August.); et Cassiodor. in Ps. 77, 5, ubi exponens illud: *Et suscitavit testimonium in Iacob* etc., ait: *Suscitatum* autem dixit, quasi in lucem redditum, quod somno ignorantiae videbatur oppressum. Vide etiam hic lit. Magistri, c. 5.

[3] Alcuin., Interrogat. et respons. in Gen. interrog. 14, in qua ad quaestionem: quare Deus in principio Legem non dedit, quam postea per Moysen tradidit? respondet: Quia in hominibus primis diu lex bonae naturae servabatur; at ubi naturalis lex evanuit, oblata consuetudine peccandi, data est lex litterae per Moysen, ut bona quae sciebantur, auctoritatem haberent, et quae latere coeperant manifestarentur; et ut terror disciplinae corrigeret delinquentes et fidem reformaret in Deum. — Paulo superius pro *introducendam* edd. cum aliquot codd. *inducendam.*

[4] Rom. 7, 7: Sed peccatum non cognovi nisi per Legem. — Mox pro *est*, quod in codd. desideratur, cod. Z *habetur.*

[5] Contextu exigente, supplevimus hoc loco *non*, quod solus cod. K hic habet; eadem particula a cod. bb et edd. 1, 2 perperam inferius verbis *illi statui* subiungitur. Vat. ibi legit *illi statui non habent convenire nisi implicite, et hoc modo* etc. Cod. A brevius, sed sufficienter: *dicendum, quod verum est de his quae sunt de dictamine legis naturae in generali* etc.

[6] Cfr. supra d. 33. q. 6. et d. 34. p. I. a. 2. q. 3. — August., Enarrat. in Ps. 118. serm. 13. n. 4: Neque enim praecepta Legis, sicut hic, etiam ibi accepturi sumus, quae custodiamus, sed ipsam Legis, ut dixi, plenitudinem sine ullo peccandi timore servabimus; quia et Deum plenius, cum viderimus, amabimus, et proximum, quia *Deus erit omnia in omnibus* (I. Cor. 15, 28.), nec falsae cuiquam de proximo suspicioni erit locus, ubi nullus ulli erit occultus. — Superius pro *gloriae* non pauci codd. et edd. 1, 2 *gratiae;* perperam.

[7] Ita edd. cum aliquibus codd., codd. K X *manifestabitur*, alii *manifestabit*, codd. A I L *manifestabat*, Pro *simpliciter et explicite* cod. A *simpliciter et implicite.* Aliquanto superius pro *natura dictat* cod. K bis *ratio dictat.* In fine solut. pro *instructionem* codd. A Z et edd. 1, 2 *institutionem.*

[8] In cod. K additur *natura.*

[9] Isidor., Comment. in Exod. c. 29: Quare in tabulis lapideis? Signat, Iudaeos dura cervice fuisse. Cfr. August., XV. contra Faustum, c. 4.

[10] Multi codd. *vel*, cod. A *quam.*

fuit, quia, cum mandata *Decalogi* essent de dictamine legis naturae, modica indigebant expositione, unde simplices statim potuerunt illa capere. *Caerimonialia* vero et *iudicialia* indigebant maiori instructione; unde illorum cognitio principalius spectabat ad iudices et sacerdotes; ideo non sic fuerunt data populo immediate, sed mediante legislatore [1].

ARTICULUS II.

De mandatis Decalogi quoad distinctionem et ordinem.

Consequenter quaeritur de mandatis Decalogi quantum ad ordinem et distinctionem. Et circa hoc tria possunt quaeri.

Primo quaeritur de ipsorum mandatorum numero et sufficientia, utrum sint decem.

Secundo quaeritur de ordine ipsorum ad invicem.

Tertio vero quaeritur de numero et ordine in comparatione ad tabularum distinctionem.

QUAESTIO I.

Utrum mandata Decalogi debeant esse tantum decem, an plura, an pauciora.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum mandata Decalogi debeant esse tantum decem, an plura, an pauciora. Et quod debeant esse *pauciora*, videtur:

1. Quia ad Romanos decimo tertio [2] dicitur: *Qui diligit proximum Legem implevit*: ergo in mandato de dilectione proximi tota Lex potest includi: videtur ergo, quod mandata non debeant numero denario multiplicari, cum in paucioribus satis contineantur. Ad oppositum, quod sint pauciora.

2. Item, super illud ad Romanos septimo [3]: *Concupiscentiam nesciebam*; Glossa: « Bona est Lex, quae, dum concupiscentiam prohibet, omnia mala prohibet »: si ergo in prohibitione concupiscentiae cetera mala prohibentur, videtur, quod alia mandata superfluunt.

3. Item, quicumque peccat mortaliter, se ipsum occidit [4]: ergo cum in occisione prohibeatur non tantum homicidium corporale, sed etiam spirituale, non tantum operis, sed etiam voluntatis; videtur, quod in illa prohibitione prohibeantur omnia peccata: ergo superfluunt omnia alia mandata.

4. Item, differentia Legis et Evangelii est, quod Lex prohibeat manum, non animum; Evangelium autem non solum manum, sed etiam animum prohibet [5]: ergo videtur, quod solummodo deberet prohiberi actus exterior, et non, quod spectaret ad actum interiorem: ergo superfluit mandatum de non concupiscendo. *Si tu dicas*, quod prohibetur concupiscentia, quae progreditur in opus; *contra* hoc est: quia illa non distinguitur a peccato operis: ergo praeceptum de prohibitione illius concupiscentiae non debet connumerari praecepto de prohibitione operis exterioris.

Sed contra: quod debeant esse *plura* quam decem, videtur. Quod sint plura.

3. Magis sumus debitores Deo quam proximo: ergo plura deberent esse mandata ordinantia ad Deum quam ordinantia ad proximum: ergo cum mandata ordinantia ad proximum sint septem, videtur, quod mandata ordinantia ad Deum sint plura, vel saltem totidem.

6. Item, tantum obligamur ad benefaciendum proximo, quantum obligamur, ut non male faciamus ei [6]: cum ergo sex sint mandata, secundum quae prohibemur, ne offendamus proximum; videtur, quod saltem sex deberent esse, secundum quae obligaremur et ordinaremur ad benefaciendum; et si hoc, omnia mandata essent saltem quindecim.

7. Item, septem sunt capitalia peccata ita magna, quantum est de natura sua, sicut peccatum avaritiae et luxuriae [7]: ergo sicut speciale mandatum est, in quo prohibetur avaritia, et in quo prohibetur luxuria; ita speciale mandatum deberet esse ad alia vitia prohibenda, ita quod aliquod esset praeceptum, in quo specialiter prohiberetur superbia, aliquod, in quo invidia, et sic de aliis. *Si tu dicas*, quod implicite prohibentur in prohibitione concupiscentiae; *obiicitur* contra hoc, quod tres sunt radices peccatorum, secundum quod dicitur primae Ioannis secundo [8]: *Concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis et superbia vitae*: si ergo con-

---

[1] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[2] Vers. 8. — In fine arg. pro *satis contineantur* codd. *via magis* (codd. M O *maior*), quod forte est loco proverbii.

[3] Vers. 7. — De Glossa, quae est *ordinaria*, vide tom. II. pag. 528, nota 4. et pag. 721, nota 2.

[4] Sap. 1, 11: Os autem, quod mentitur, occidit animam. August., XIX. contra Faustum, c. 23: Quia enim non intelligebant homicidium nisi peremptionem corporis humani, per quam vita privaretur, aperuit Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidii genere deputari. Unde et Ioannes (I. 3, 15.) dicit: *Qui odit fratrem suum homicida est.* Cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

[5] Cfr. Matth. 5, 21. seqq. — Superius pro *prohibeat* cod. bb *prohibebat*, edd. cum pluribus codd. *prohibet*.

[6] Vide Matth. 5, 44.

[7] Cfr. II. Sent. d. 42. dub. 3.

[8] Vers. 16.

cupiscentia carnis et oculorum prohibetur explicite, videtur, quod et superbia vitae deberet habere specialem prohibitionem.

8. Item, sicut contingit concupiscere uxorem alienam, et concupiscentiam consummari in opere; sic etiam est reperire circa homicidium et falsum testimonium et circa alia mandata: ergo sicut duo diversa sunt praecepta de concupiscentia uxoris alienae et rei alienae in opere et voluntate; sic deberent alia praecepta duplicari; quod si verum esset, tunc essent plura quam decem.

Quaestio. Est igitur quaestio, quare decem sint et non plura nec pauciora.

CONCLUSIO.

Convenienter assignata sunt decem praecepta Decalogi.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod sufficientia et numerus mandatorum sumitur secundum rationem ordinis ipsius iustitiae Notandum. *generalis* [1], cuius est hominem ad Deum et ad proximum ordinare; unde quaedam sunt mandata ordinantia hominem ad Deum, quaedam vero ordinantia ad proximum. — Illa vero, quae ordinant hominem De sufficientia 3 praeceptorum 1. tabulae sec. triplicem modum. ad Deum, dicuntur esse praecepta primae tabulae; et ista sunt tria et non plura nec pauciora. Quorum numerus et sufficientia sumi potest tripliciter, videlicet ex parte *obiecti* et ex parte *subiecti* et ex parte *actus medii*.

Modus 1. sec. triplicem rationem. Ex parte *obiecti* sic: nam cum in Deo sint tres *personae* et tria *appropriata* et triplex *genus causae*, secundum quod comparatur ad creaturam; triplex est praeceptum, secundum quod creatura rationalis ordinari habet ad Deum. Nam secundum rationem *maiestatis*, quae appropriatur *Patri* et convenit Deo, secundum quod est causa *efficiens* creaturae, ordinatur per illud praeceptum: *Non habebis deos alienos.* — Secundum rationem *veritatis*, quae appropriatur *Filio* et convenit Deo, secundum quod est causa *formalis exemplaris* creaturae, ordinatur per illud: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* — Secundum rationem *bonitatis*, quae appropriatur *Spiritui sancto* et convenit Deo, secundum quod est causa *finalis*, ordinatur per illud: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices;* ita quod per illa tria sufficienter homo ordinetur ad Deum, ut *subiaceat* summae Maiestati, *credat* summae Veritati et *adhaereat* summae Bonitati. Et haec sufficientia sumta est ex parte *obiecti* [2].

Item modus 2. Secundo modo sumitur sufficientia ex parte *subiecti* ordinabilis, quod quidem est anima rationalis, in qua est triplex vis motiva, secundum quam habet in Deum ordinari, videlicet *rationalis, concupiscibilis* et *irascibilis* [3]. Mandatum de adoratione respicit ipsam *irascibilem;* mandatum vero secundum respicit ipsam *rationalem;* sed mandatum tertium de sanctificatione respicit ipsam *concupiscibilem*, sicut intuenti satis apparet. Et haec sufficientia sumta est ex parte *subiecti.*

Item modus 3. Tertio vero modo sumitur sufficientia ex parte *actus medii.* Triplex enim est actus, secundum quem habet homo in Deum ordinari, videlicet actus *cordis, oris* et *operis* [4]. Penes actum *operis* attenditur mandatum adorationis. Penes actum *oris* attenditur secundum mandatum, quo prohibetur falsa invocatio nominis divini. Secundum actum *cordis* attenditur tertium mandatum, in quo praecipitur sanctificatio mentis. — Et sic patet sufficientia mandatorum ordinantium hominem ad Deum, quoniam sunt tria tantum et non plura nec pauciora.

Item de 7 praeceptis 2. tabulae. Sufficientia autem mandatorum secundae tabulae iuxta hunc modum tripliciter potest assignari, videlicet ex parte *obiecti* et *subiecti* et *actus medii.*

Modus 1. Ex parte namque conditionum ipsius *obiecti* sic potest sumi. In proximo enim, ad quem ordinant mandata secundae tabulae, relucet proprietas *Patris* et *Filii* et *Spiritus sancti.* Secundum quod in proximo relucet proprietas *Patris*, sic debemus ei *honorem* et *reverentiam;* et penes hoc attenditur illud mandatum: *Honora patrem tuum* etc.; in quibus relucet proprietas summi *Patris* in hoc, quod habent rationem *principii* [5]. — Secundum autem quod in proximo relucet proprietas *Filii*, sic debemus ei *veritatem;* et sic est illud mandatum: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* — Secundum autem quod relucet in proximo proprietas *Spiritus sancti*, sic debemus ei *dilectionem* et *innocentiae puritatem.* Et quoniam possumus nocere proximo sive damnificare eum multipliciter: in *persona propria* et in *persona coniuncta* et in *rebus suis*, et hoc dupliciter: vel actu *interiori*, vel *exteriori;* ideo sunt ulterius quinque mandata. Contra nocumentum enim, quod

---

[1] Cfr. supra d. 33. dub. 1. — Aliquanto inferius pro *Illa vero* edd. *Illa enim.*

[2] Cfr. August., Epist. 55. (alias 119.) c. 11. n. 20; II. Qq. in Pentateuch. q. 71. n. 2; Serm. 8. c. 1. n. 2. seq.; Serm. 9. (alias 96. de Tempore) c. 3. n. 3. et c. 5. n. 6. et Serm. 33. (alias 18. de Diversis) c. 3. n. 3; Isidor., Comment. in Exod. c. 29.

[3] Vide supra pag. 579, nota 9. — Paulo superius pro *sufficientia* plurimi codd. *ratio* et *quae quidem* pro *quod quidem.* Aliquanto inferius pro *satis apparet* cod. Z *manifeste apparet.*

[4] August., Enarrat. in Ps. 149. n. 1: Laudemus Dominum et in voce et in intellectu et in opere bono. Cfr. Enarrat. in Ps. 148. n. 2. — Paulo superius pro *ex parte* plures codd. *a parte.*

[5] Hugo de S. Vict., I. de Sacram. p. XII. c. 5: Primum praeceptum primae tabulae ad Deum Patrem pertinet, sicut praeceptum primum secundae tabulae ad hominem patrem, ut utrinque paternitas principii auctoritate honoretur. Cfr. ibidem c. 7. August., Serm. 9. (alias 96. de Tempore) c. 6. n. 7: Ad parentes enim suos homo aperit oculos, et haec vita ab eorum amicitia sumit exordium etc.

habet fieri in *persona proximi*[1], est illud praeceptum: *Non occides.* — Contra nocumentum vero, quod habet fieri in *persona coniuncta*, est illud praeceptum: *Non moechaberis*, secundum quod exercetur in *opere.* — Contra nocumentum, quod fit in *rebus*, est illud: *Non furtum facies.* — Et quia nocumentum illud duplex, videlicet in persona coniuncta et in rebus, frequentius fit in voluntate per concupiscentiam, quam fiat in opere; ideo sunt alia duo mandata, in quorum uno prohibetur concupiscentia *uxoris*, in hoc quod dicitur: *Non concupisces uxorem*; in alio prohibetur concupiscentia *rerum*, in hoc quod dicitur: *Non concupisces rem proximi tui* etc. Sic igitur patet sufficientia ex parte conditionum *obiecti.*

Ex parte vero *subiecti* secundum triplicem potentiam animae contingit etiam sufficientiam assignare hoc modo. Triplex enim est potentia animae, secundum quam contingit ad proximum ordinari, videlicet *rationalis*, *concupiscibilis* et *irascibilis.* Quantum autem ad potentiam *irascibilem* habet homo convenienter ordinari ad superiorem per *reverentiam et honorem*, et sic est illud: *Honora patrem tuum* etc.; ad proximum vero per *pacem* et *odii declinationem*, et sic est illud: *Non occides.* — Secundum autem *rationalem* virtutem ordinamur ad proximum per *veritatis loquelam* et *testificationem*; et sic est illud mandatum: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* — Secundum vero potentiam *concupiscibilem* habet homo ordinari ad proximum per ipsius *refrenationem.* Et quoniam illa est multipliciter corrupta per cupiditatem et concupiscentiam[2]; ideo prohibetur cupiditas et concupiscentia in actu *exteriori* per duo mandata, per hoc videlicet: *Non moechaberis*, et: *Non furtum facies*; prohibetur etiam in actu *interiori* per alia duo, per hoc videlicet: *Non concupisces uxorem proximi tui; non agrum nec aliquam rem.* Et sic potest sumi sufficientia ex parte virium animae in mandatis secundae tabulae.

Modus 2. Distinctio.

Ex parte autem *actus* potest sumi sic. Ordinari enim habemus ad proximum secundum *innocentiam* et secundum *beneficentiam.* Si secundum *beneficentiam*, sic est illud mandatum: *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Si secundum *innocentiam*, hoc est tripliciter: aut secundum actum *cordis*, aut *oris*, aut *operis.* Si secundum actum *operis*, aut hoc est in prohibendo deordinationem[3], quae est contra ipsius *esse individui*; et sic est illud: *Non occides.* Aut contra debitam *conservationem speciei*; et sic est illud: *Non moechaberis.* Aut contra *possessionem temporalis subsidii*; et sic est illud: *Non furtum facies.* — Si autem ordinemur ad proximum secundum actum *oris*; sic est illud mandatum: *Non falsum testimonium dices.* — Si vero secundum actum *cordis*, qui quidem consistit in affectu, hoc contingit dupliciter: aut *liberaliter* contra *cupiditatem*, aut *honeste* contra *voluptatem*; et secundum hoc sunt duo mandata: unum contra *voluptatis concupiscentiam*, et sic est illud: *Non concupisces uxorem*; aliud vero contra *cupiditatem et avaritiam*, et sic est illud: *Non concupisces rem.*

Modus 3. Distinctio. Subdistinctio. Subdistinctio.

Et sic per omnem modum patet numerus et sufficientia mandatorum Decalogi: quoniam tria sunt, quae ordinant hominem respectu summae Trinitatis; et septem sunt, quae ordinant hominem respectu totius inferioris universitatis; ut sic non tantum sit congruentia numeri ex parte *rei*, sed etiam ex parte ipsius *numeralis proportionis*; quam rectissime contingit in denario invenire, secundum quod docet Augustinus in libro Musicae[4], ubi ostendit, in denario quandam excellentem esse perfectionem, ob quam status est in numero illo, et ultra in numerando non procedimus nova numeratione, sed redimus ad caput: et ideo in numero illo decebat terminari et comprehendi divina praecepta, quae sunt via deveniendi ad perfectionem summam. — Concedendum est igitur, quod decem sunt mandata Decalogi, secundum quod Lex dicit, nec plura nec pauciora.

Conclusio. Congruentia numeralis proportionis.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod qui diligit proximum Legem implevit; dicendum, quod quamvis in dilectione proximi claudantur mandata ordinantia ad proximum in quadam *generalitate*, nihilominus propter obnubilationem peccati opportunum erat et congruum, mandata illa, per quae evitantur speciales deordinationes, explicari in *speciali*[5]. Unde sicut unitas generis non excludit multitudinem specierum, nec unitas finis excludit multitudinem eorum quae sunt ad finem; sic ex unitate mandati dilectionis in proximum non potest concludi, quod non sit pluralitas mandatorum ad proximum ordinantium.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Lex prohibendo concupiscentiam prohibet omnia mala; dicendum, quod *concupiscentia* sumitur *generaliter* et *specialiter. Generaliter* concupiscentia dicitur quilibet appetitus libidinosus et immoderatus; *specialiter* vero dicitur esse appetitus delectabilis secundum gustum et tactum[6]. Et *primo* quidem modo in prohibitione concupiscentiae dicuntur omnia mala prohiberi; *secundo* autem modo tenet rationem specialis mandati et numeratur inter mandata Decalogi.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod qui peccat

---

[1] Cod. K addit *propria.* Aliquanto inferius post *nocumentum illud* codd. incongrue addunt *est*, edd. 1, 2 *fit.*

[2] Cfr. II. Sent. d. 32. a. 2. q. 1.

[3] Cod. Z *inordinationem*, edd. *in prohibenda deordinatione.* Paulo inferius pro *subsidii* cod. Z *substantiae.*

[4] Libr. I. c. 11. n. 19: In numerando enim progredimur ab uno usque ad decem, atque inde ad unum revertimur etc.

[5] Cfr. a. 1. q. 3. in corp. — De ipsa solutione vide supra d. 27. a. 1. q. 1. ad 4. et d. 33. q. 1. ad 1. — In fine solut. Vat. omittit *ordinantium.*

[6] Cfr. II. Sent. d. 32. a. 2. q. 1.

mortaliter se ipsum occidit; dicendum, quod in prohibitione homicidii non prohibetur deordinatio cuiuscumque vis, sed deordinatio potentiae *irascibilis*, quae est in actu exteriori, vel ad actum exteriorem aliquo modo habet ordinari [1]. Unde quamvis prohibeatur ibi homicidium *operis* et *voluntatis*, non tamen prohibetur *omne* peccatum. Et propterea ex hoc non potest concludi superfluitas aliorum mandatorum Decalogi.

4. Ad illud quod obiicitur, quod Lex prohibet manum et non animum; dicendum, quod hoc non dicitur, quod Lex non prohibeat peccatum *cordis*, Notandum. sed hoc dicitur, quia peccatum *cordis* non punit poena mortis, secundum quod peccatum *operis*, quod potest exterius probari; unde per *prohibitionem* intelligere possumus *poenae inflictionem*. Et ex hoc non potest haberi, quod peccatum *cordis* non debeat prohiberi in mandatis Decalogi.

5. Ad illud quod obiicitur, quod deberent esse plura, quia plura debemus Deo quam homini; di- Notandum. cendum, quod omnia quae debemus homini, quodam modo debemus et solvimus Deo; ideo plura sunt, quae debentur et redduntur Deo quam proximo. Quia tamen ad Deum ordinamur secundum vitam *contemplativam*, ad proximum secundum vitam *activam;* et in vita *contemplativa* quaeritur unitas, in *activa* vero versatur multiplex rerum varietas [2]: hinc est, quod plura sunt mandata, quae directe obligant ad proximum, quam quae directe obligant ad Deum. Hinc est etiam, quod plura sunt peccata, quibus directe peccatur in proximum, quam quibus directe peccatur in Deum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod tot modis contingit alicui benefacere, quot etiam modis contingit male; dicendum, quod quia corruptio concupiscentiae in nobis, quantum est de se, ad malum inclinat; ideo sumus difficiles ad bonum faciendum, quia proni sumus ad malum perpetrandum [3]. Hinc est, quod plura sunt praecepta *negativa* ordinantia ad proximum quam *affirmativa;* plura sunt, in quibus prohibetur, ne fiat malum, quam in quibus praecipitur, ut fiat bonum.

7. Ad illud quod obiicitur, quod ita debet prohiberi superbia et invidia, sicut avaritia et luxuria; dicendum, quod illa duo magis habent prohiberi explicite, quia propter improbitatem libidinis citius Notandum. progrediuntur in actum exterioris operis [4]; nihilominus tamen et alia peccata capitalia in mandatis Decalogi habent prohiberi. Nam *superbia* prohibetur in adoratione Dei et in honorificatione proximi; *invidia* vero et *ira* in fuga homicidii; *accidia* in sanctificatione Sabbati; *avaritia* vero in prohibitione furti; *luxuria* et *gula* sibi coniuncta in prohibitione moechiae et adulterii, ubi prohibetur omnis illicitus coitus et immoderata delectatio carnalis. — Et *si obiiciat*, quod ita debet prohiberi in *speciali* superbia vitae, sicut concupiscentia carnis et oculorum; dicendum, quod non est simile: quoniam, sicut iam patet, non ita radix illa est progressiva in actum exteriorem, secundum quod aliae.

8. Ad illud quod obiicitur, quod ita contingit homicidium perpetrare corde et opere, sicut adulterium et furtum; dicendum, quod non est simile duplici ex causa: tum quia *irascibilis* non est adeo Duplex ratio. corrupta, secundum quod *concupiscibilis*, quae propter suam immoderatam corruptionem dicitur *corrupta* et *infecta* et magis ad malum prona [5]; tum etiam, quia *ira* ortum habet ex *concupiscentia*, secundum quod dicit Damascenus, quia «ira est vindex laesae concupiscentiae». Et ideo, dum prohibetur concupiscentia in sua origine, quodam modo prohibetur et ira; ideo non sic oportuit geminari mandatum, quod respicit actum irascibilis sive ipsam iram, sicut mandatum, quod respicit actum concupiscentiae sive ipsam concupiscentiam. Et ex hoc eodem potest haberi, quare non oportuit duplicari alia mandata.

SCHOLION.

I. De differentia in enumerandis et distinguendis singulis Decalogi praeceptis, quae ab antiquo fuit inter auctores, vide infra q. 3. Observamus etiam, Decalogum saepe a Patribus secundum Scripturam et usum Hebraeorum vocari *decem verba* (cfr. Exod. 34, 28; Deut. 4, 13; 10, 4.). — Pro convenientia *distinctionis* et *ordinis*, secundum distributionem inter Catholicos communiter usitatam, multae rationes congruentiae ab auctore nostro in hac et seq. quaestione afferuntur, ab aliis Scholasticis autem etiam aliae, quas longum esset singulas recensere. Prae ceteris diffusius de his aliisque connexis quaestionibus disputat Alex. Hal., Sum. p. III. q. 29. m. 2. a. 1-5, unde non pauca sumsit S. Bonav.

Praeter laudatum de hac et seq. (2.) quaestione: S. Thom., hic a. 2. quaestiunc. 1-3; S. I. II. q. 100. a. 5. 6. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., de his qq. et etiam de 3. q. hic q. 1.

II. Quoad quaestionem seq. (3.) observamus, quod iam inter antiquos Hebraeos non eadem fuit opinio circa distinctionem decem praeceptorum Decalogi et numerum eorum in utraque tabula. Nam in libro Talmud et usu nunc communi Iudaeorum alia est distributio, quam quae exhibetur a Iosepho, qui fere convenit cum Philone, ut hic in corp. refertur. Distributionem Origenis praeter S. Hieronymum approbat etiam Sulpitius Seve-

---

[1] Vide infra dub. 5. — Pro *in actu exteriori* Vat. *in actu interiori*.

[2] Luc. 10, 39: Maria, quae etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius; Martha autem satagebat circa frequens ministerium etc. — Aliquanto superius pro *quae debemus* plurimi codd. et edd. 1, 2 *quae damus*, et subinde pro *quodam modo debemus* cod. M *quodam modo damus*. Post pauca pro *quam proximo* cod. Z *quam homini vel proximo*.

[3] Gen. 8, 21: Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.

[4] Aliam rationem affert S. Thom. (vide infra d. 40. q. 1. scholion), qui etiam solut. ad 4. in speciali quaestione (III. Sent. d. 40. a. 2.) approbat.

[5] Cfr. II. Sent. d. 31. a. 1. q. 3. — De definitione *irae* ex Damasc., II. de Fide orthod. c. 16, vide tom. II. pag. 560, nota 12. Cfr. etiam supra pag. 339, nota 13.

rus (Sacra Histor. I. 17.) — Alex. Hal. (loc. cit. a. 3. q. collater.) et S. Thom. (S. I. II. q. 100. a. 4.) commemorant etiam singularem opinionem Hesychii (in Levit. 26.), qui praeceptum sanctificationis Sabbati ut singulare mandatum *morale* expunxit, et nihilominus quatuor primae tabulae praecepta enumerat. — In modo has diversas opiniones aliquatenus conciliandi S. Bonav. sequitur Alexandrum Hal., loc. cit.

De hac (3.) quaestione praeter laudatos: B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1.

QUAESTIO II.

De ordine mandatorum Decalogi ad invicem.

Secundo quaeritur de ordine mandatorum Decalogi. Et videtur, quod mandata Decalogi *male* ordinentur:

Ad oppositum.

1. Quia prius est illud quod est via ad alterum, quam illud, ad quod ducit; sed mandata ordinantia ad proximum sunt via respectu mandatorum ordinantium ad Deum [1]: ergo priori loco deberent ordinari.

2. Item, «quanto aliquid universalius, tanto prius [2]»; sed praecepta negativa sunt universalioris obligationis quam affirmativa: ergo negativa deberent praeponi affirmativis, cuius contrarium fit in secunda tabula, quia praeceptum de honorando proximo, quod est affirmativum, praemittitur aliis.

3. Item, prior est actus cordis quam oris et operis [3]: ergo mandatum illud, in quo prohibetur deordinatio circa actum cordis, debet praecedere illud, in quo prohibetur deordinatio circa actum operis; cuius contrarium reperitur in ordine mandatorum, quia illa mandata, in quibus prohibetur concupiscentia cordis, ultimo loco nominantur.

4. Item, prior est actus potentiae rationalis quam concupiscibilis et quam irascibilis [4]: ergo mandatum illud, in quo prohibetur deordinatio rationalis, debet praecedere illud, in quo prohibetur deordinatio irascibilis et concupiscibilis; cuius contrarium invenitur in ordine mandatorum, quia prius mandatum est de non committendo homicidium quam de non dicendo falsum testimonium.

5. Item, videtur, quod sit [5] ibi ordinis *repugnantia* inter mandata ordinantia ad Deum et mandata ordinantia ad proximum: quia inter mandata ordinantia ad Deum negativa praemittuntur, et affirmativum subiungitur, illud videlicet: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices;* econtra vero est in mandatis ordinantibus ad proximum, quia affirmativum praemittitur, et negativa subiunguntur.

6. Item, hoc videtur alia ratione: quia in mandatis primae tabulae nobilissimum ponitur ultimo loco, in mandatis vero secundae ponitur primum. *Si dicas,* quod hoc non est inconveniens, quia aliter habet homo ordinari ad Deum, aliter ad proximum; *contra* hoc est: quia imago debet correspondere ei cuius est imago, et exemplum exemplari: ergo idem ordo, qui servatur in mandatis ordinantibus ad Deum, debet observari [6] in mandatis ordinantibus ad proximum.

7. Item, in mandatis secundae tabulae praecepta respicientia actum cordis ponuntur ultimo, in mandatis vero primae tabulae est e contrario: ergo videtur, quod sit ibi ordinis praeposteratio [7]. Et huius ratio sumitur ex hoc, quod dilectio proximi conformari debet dilectioni Dei: ergo eodem ordine, quo ordinantur mandata primae tabulae, debent ordinari mandata secundae.

8. Item, videtur, quod *nullus* ordo sit ibi observandus: quia a quolibet ipsorum mandatorum potest quis incipere bene facere, et a quolibet potest incipere peccati transgressionem: ergo qua ratione unum debet praeponi, eadem ratione et quodlibet: ergo non videtur aliqua vis facienda esse in ordine.

CONCLUSIO.

Mandata Decalogi recte ordinata sunt.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod sicut in mandatis Decalogi consideratur *numerus sufficiens* [8], ita etiam reperitur *ordo conveniens,* secundum quem ordinem ipse Legislator ordinat ea convenientissime. Illius autem ordinis convenientiam dupliciter possumus advertere, videlicet secundum regulam *fidei dirigentis* et secundum regulam *iustitiae exsequentis.*

Duplex modus convenientiam monstrandi.

Fides autem dictat nos primo ordinari ad *Deum,* et deinde ad *proximum* secundum conformitatem ad Deum. In ordine autem ad *Deum* primo dictat fides, nos ordinari ad Patrem *exhibendo* sibi debitam *reverentiam;* secundo ad Filium *refugiendo* eius *iniuriam,* ut non credamus, eum esse creaturam [9]; tertio ad Spiritum sanctum *praeparando* sibi

Modus 1.

[1] Cfr. supra d. 27. a. 2. q. 4. argg. pro 1. parte.

[2] Secundum Aristot., de quo vide supra pag. 574, nota 1. — Circa finem arg. pro *proximo* edd. cum pluribus codd. *proximum,* et post *affirmaticum* cod. A addit *tantum.*

[3] Matth. 15, 19: De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia etc.

[4] Cfr. supra pag. 641, nota 7. et pag. 720, nota 1.

[5] Non multi codd. *non sit,* perperam.

[6] Ita codd. A G H K L T Z bb et edd. 1, 2; alii et Vat. *servari.*

[7] Edd. *repugnantia.*

[8] Vide quaest. praeced. — Cod. K *numerus et sufficientia.* Pro *consideratur* cod. Z *servatur,* qui etiam paulo inferius pro *convenientissime* substituit *ordinatissime.*

[9] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. et 3, ubi et de primo et tertio praecepto respectu Patris et Spiritus sancti agitur. — Mox pro *habitationem sanctam* cod. A *habitaculum sanctum.*

habitationem sanctam. Et hic est rectus ordo, quia Pater a nullo, Filius a Patre solo, Spiritus sanctus vero procedit simul a Patre et Filio. — Iuxta hunc ordinem docet ordinari ad *proximum*, in quantum habet conformitatem ad Deum. Unde secundum quod [1] conformatur Patri, primo docet, *exhiberi* sibi *reverentiam*. Secundum quod conformatur Filio, docet *vitare* eius *iniuriam*; quod potest fieri quadrupliciter: per homicidium, per adulterium, per furtum et per falsum testimonium. Postremo, secundum quod homo habet conformari Spiritui sancto, dictat, *fugiendam esse concupiscentiam*, per quam inquinatur cordis *habitaculum*, et hoc quidem fit per duo mandata postrema. — Et sic patet ordo ipsorum mandatorum Decalogi secundum regulam dictaminis ipsius fidei.

Alio etiam modo considerare possumus con- Modus 2. gruentiam ordinis mandatorum Decalogi, videlicet secundum exigentiam *obligationis iustitiae*. Et quo- Ratio 1. niam iustitia magis dictat, nos obligari *Deo* quam *proximo*; ideo praemittuntur mandata ad Deum ordinantia tanquam digniora et excellentiora et magis Ratio 2. obligantia. — *Rursus*, quia plus est obligari ad actum *operis* quam ad actum *oris*, et ad actum *oris* quam ad actum *cordis*; hinc est, quod praeceptum adorationis in *opere* respectu Patris est primum; praeceptum vero confessionis in *ore* respectu Filii est secundum; praeceptum vero sanctificationis Ratio 3. in *corde* respectu Spiritus sancti est tertium. — Similiter, quia plus est obligari ad *beneficentiam* quam ad *innocentiam*; praeceptum illud, per quod obligamur ad *benefaciendum alii*, praecedit illa, per Ratio 4. quae obligamur ad *non nocendum*. — Et *iterum*, quia magis obligamur vitare *maius* nocumentum proximi; et magis nocumentum est in homicidio quam in adulterio, et in adulterio quam in furto, et in furto quam in falso testimonio, et in his omnibus quam in concupiscentia cordis, et in concupiscentia cordis magis respectu uxoris quam respectu rei temporalis; et hoc ordine ordinantur mandata Decalogi: hinc est, quod convenientem habent ordinem secundum regulam *obligationis ipsius iustitiae*. — Concedendum est igitur, quod mandata Decalogi recto ordine ordinantur, sive consideremus regulam fidei dictantis, sive regulam iustitiae exsequentis.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod via prior est quam illud, ad quod ducit; dicendum, quod quamvis impletio mandatorum secundae tabulae praecedat in exsecutione perfectam impletionem mandatorum primae tabulae, in consideratione tamen et in intentione est e contrario. Ordo autem mandatorum magis attenditur penes ordinem dignitatis quam nostrae exsecutionis [2]. Distinctio notanda.

2. Ad illud quod obiicitur, quod quanto aliqua universaliora, tanto priora; dicendum, quod etsi illud sit verum secundum *aliquod* genus prioritatis; nihil tamen prohibet *alio* genere prioritatis esse e contrario, utpote quantum ad prioritatem electionis et dignitatis. Quamvis enim flos sit prior fructu tempore et origine, fructus tamen est prior electione et dignitate [3]. Et sic in proposito est intelligendum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod prior est actus cordis quam oris [4]; dicendum similiter, quod quamvis prior sit *origine* actus cordis quam operis; nihil tamen prohibet, hominem magis *obligari* ad vitandum actum operis quam cordis. Ordo autem praeceptorum magis respicit maioritatem quam prioritatem originis.

4. Ad illud quod obiicitur, quod prior est actus rationalis quam irascibilis vel concupiscibilis; dici potest secundum praehabitam viam, quod hoc est verum de prioritate *originis* [5]. — Aliter etiam potest Aliter. dici, quod nihil prohibet, secundum aliquam *appropriationem* actum irascibilis praecedere, secundum quod ille actus correspondet personae Patris, quae est prima persona in Trinitate [6]; et secundum illam correspondentiam assignatur ordo in mandatis, quae spectant ad secundam tabulam.

5. Ad illud quod obiicitur, quod est ibi ordinis *repugnantia* inter mandata primae tabulae et secundae, quia inter mandata primae tabulae negativa praeponuntur affirmativo; dicendum, quod hoc est falsum: quia, quamvis primum mandatum videa- Notandum. tur esse negativum quantum ad modum, affirmativum tamen est quantum ad rem. Prohibentur enim adorari sculptilia, et in hoc clauditur, quod unus solus Deus debeat adorari et coli [7].

6. Ad illud quod obiicitur, quod in mandatis primae tabulae nobilissimum ponitur ultimo loco; responderi potest *per interemptionem* [8], quia non est maius Sabbatum sanctificare quam Deum adorare. — Aliter etiam responderi potest, quod esto, Solutio 2. quod nobilissimum poneretur tertio loco, adhuc non est deordinatio, quia illud respondet *bonitati*, quae

---

[1] Cod. Z addit *homo*.

[2] Vide supra pag. 610, nota 11. verba August. allegata. — Axioma: Quod primum est in intentione est ultimum in exsecutione, proponit Aristot., II. de Generat. animal. c. 4. (c. 6.), et III. Ethic. c. 3.

[3] August., XII. Confess. c. 29. n. 40, docet, quatuor modis dici aliquid *prius*: aeternitate, sicut Deus [praecedit] omnia; tempore, sicut flos fructum; electione, sicut fructus florem; origine, sicut sonus cantum. Cfr. II. Sent. d. 2. p. I. a. 2. q. 3. ad 1. et supra pag. 603, nota 8.

[4] In Vat. additur *et operis*. Circa finem solut. post *maioritatem* cod. A supplet *obligationis*.

[5] Vide supra q. 1. ad 8.

[6] Cfr. I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1. ad 3, ubi simile habetur de *memoria*, quae Patri appropriatur.

[7] Vide hic lit. Magistri, c. 1. et 3, nec non infra dub. 1. — Superius pro *affirmativo* edd. cum aliquot codd. *affirmativis*.

[8] Cfr. supra pag. 570, nota 6 et pag. 640, nota 2.

appropriatur Spiritui sancto, cuius personam ipsa fides in Trinitate ordinat tertio loco; non [1] sic autem
Solutio 3. est reperire circa mandata secundae tabulae. — Posset etiam dici, quod maioris difficultatis est ultimum de mandatis secundae tabulae quam primum, quia maioris perfectionis est rem alienam non concupiscere quam patri benefacere. Et *si tu obiicias tunc,* quod deberet primo ordinari; non valet, tum quia mandatum illud non respondet Patri, sed Spiritui sancto, tum quia non est in eo tanta obligatio.

7. Ad illud quod obiicitur, quod in mandatis primae tabulae praeceptum cordis ponitur primo, et praeceptum operis ultimo; respondendum est *per interemptionem:* quoniam, etsi mandatum de sanctificatione Sabbati respiciat operationem *exteriorem,* utpote opus servile, non respicit positive, sed potius negative; actum vero cordis *interiorem,* qui attenditur in vacando Deo, positive respicit [2]; in mandato vero primo non tantum praecipitur cultus cordis *interior,* verum etiam adoratio *exterior.*

8. Ad illud quod obiicitur, quod *nullus* est ibi ordo, quia a quolibet potest fieri inchoatio; dicendum, quod ordo non attenditur in mandatis Decalogi secundum exsecutionem nostrae impletionis, vel omissionem nostrae praevaricationis, sed secundum *dictamen* ipsius *fidei* et *obligationem iustitiae,* sicut praetactum est; et ideo ratio illa non valet [3].

QUAESTIO III.

De numero et ordine mandatorum quoad tabularum distinctionem.

Tertio quaeritur de numero et ordine mandatorum per comparationem ad tabularum distinctionem; et cum diversimode a diversis dicantur fuisse scripta mandata in tabulis, quaeritur, quis verius dixerit. Nam Iosephus [4] dicit, quod quinque fuerunt scripta in una, et quinque in altera; Origenes, quod quatuor in una, et sex in altera; Augustinus vero, quod tria in una, et septem in altera. — Et quod
Pro distributione Iosephi. verius dixerit *Iosephus,* videtur:

1. Primo, quia illae tabulae aequales fuerunt [5] quantum ad magnitudinem, secundum quod satis est probabile, cum non legatur contrarium: ergo videtur, quod tot debuerit una tabula continere, quot et altera.

2. Item, hoc ipsum videtur auctoritate Apostoli, ad Romanos decimo tertio [6], ubi dicit, Legem impleri in dilectione proximi; et hoc probat inducendo solummodo in quinque mandatis: ergo videtur, quodsi Apostolus sufficientem facit inductionem, quod in quinque mandatis sufficienter exprimat continentiam saltem unius tabulae.

3. Item, sicut denarius numerus convenit perfectioni, sic quinarius numerus convenit statui carnali, quoniam status ille per *quinque* habet designari propter quinarium quinque sensuum, secundum quod expositores dicunt [7]: ergo sicut decebat, totam Legem contineri intra Decalogum, sic decebat, scribi in tabulis per quinarium et quinarium: ergo videtur, quod dictum Iosephi sit verum et congruum; quod si ita est, tunc alii dixerunt falsum.

Sed quod *Origenis* dictum fuerit magis verum, Pro distributione Origenis.
ostenditur:

1. Primo per ipsum textum [8]: quia mandatum primum, quod spectat ad Dei venerationem, distinguit in affirmativum et negativum, cum dicit: *Ego sum Dominus Deus tuus;* et postea adiungit: *Non facies tibi sculptile;* mandatum vero de concupiscentia coniungit, unde interponit concupiscentiam uxoris inter concupiscentiam rerum, Exodi vigesimo [9]: ergo videtur, quod praecepta ordinantia ad proximum sint tantum sex, praecepta ordinantia ad Deum sint quatuor. Si ergo illa quae ordinant ad Deum, debue-

---

[1] In Vat. desideratur *non.* Superius pro *non est* cod. F *non esset.*

[2] Videsis infra dub. 3. — Paulo superius post *non* edd. subiungunt *tamen.*

[3] Cod. K *non cogit.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Libr. III. Antiq. c. 6. (alias c. 5.): Et cum hoc dixisset [Moyses], duas tabulas ostendit eis, habentes scripta illa decem praecepta, in utraque quina. Et c. 7: In hac ergo arca duas tabulas recondidit, in quibus fuerant *decem verba* conscripta; quina quidem per singulas tabulas binas, semis autem per unamquamque paginulam. — Origenes sententiam suam profert in Homil. 8. in Exod. 20, 3, n. 2. — August. autem de hoc disserte loquitur II. Quaest. in Pentateuch. q. 71. n. 2. Cfr. Petr. Comestor. († 1178), Histor. scholastic., libri Exodi c. 40, ubi dicit: Quod nonnisi decem praecepta Dominus dedit, omnes asserunt Sancti, sed in distinctione eorum differunt. Primum enim et unum, secundum Augustinum, dividit Origenes in duo, et quae sunt duo ultima secundum Augustinum, colligit in unum; cui consentit Iosephus. Praeterea dicit Augustinus, tria fuisse in una tabula, et septem in alia; Iosephus vero et Hebraei quinque in utraque.

[5] Ita codd. A K Z bb, in aliis et edd. *sunt,* cod. H *erant.* Subinde pro *legatur* plures codd. cum edd. 1, 2 *legitur.*

[6] Vers. 8. et 10. Ibid. v. 9: Nam: non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces.

[7] De perfectione numeri *denarii* cfr. supra pag. 823, nota 4. De imperfectione numeri *quinarii* vide Hieronym., III. Comment. in Ezech. 11; 2. seqq., ubi respiciens parabolam de decem Virginibus (Matth. 25, 1. seqq.) ait: Sciamus, hunc numerum [quinarium] in medio positum et pro qualitate utentium vel ad bonam vel ad malam partem posse conferri. August., Enarrat. in Ps. 49. n. 9: Sed in quinario numero intelligitur continentia quinque sensuum carnis. Etenim multis venit corruptio per oculos etc. — Pro *quinarium quinque sensuum,* quod probabilius habent codd. A Z bb, plures alii codd. *quinarium enim sensum,* Vat. *quinarium sensum,* edd. 1, 2 *quinarium sensuum.*

[8] Exod. 20, 2. 4.

[9] Vers. 17; codd. allegant Levit. 20. — Mox pro *sint* plures codd. bis *sunt.*

runt scribi simul, videtur, quod Origenes melius distinxerit per quaternarium et senarium.

2. Item, hoc ipsum ostenditur auctoritate Hieronymi, qui confirmat verbum ipsius Origenis. Ait enim Hieronymus super Osee[1]: *Propter duas iniquitates* etc.: « Hae duae iniquitates sunt contra duo Decalogi praecepta, quibus dicitur: *Ego sum Dominus Deus tuus;* et: *Non erunt tibi alii dii praeter me* »: ergo videtur, quod quatuor mandata sint, quae ad Deum spectant: ergo quatuor sunt in prima tabula.

3. Item, hoc ipsum ostenditur per illud quod dicitur in libro de Quaestionibus novi et veteris Testamenti[2], qui dicitur esse Augustini, ubi post enumerationem quatuor mandatorum dicitur: « Haec quatuor verba proprie ad Deum pertinent et in prima tabula continentur »: ergo videtur secundum hoc, quod dictum Origenis fuerit magis verum.

Pro distributione Augustini.

Sed quod *Augustinus* verius dixerit omnibus aliis, videtur:

1. Primo, quia scriptura tabularum exterior debet respondere scripturae interiori; sed in tabulis cordis interius mandata ordinantia ad summam Trinitatem scribuntur in superiori parte rationis; haec autem non sunt nisi tria, secundum quod tria sunt *appropriata*[3], reliqua vero, quae ordinant ad proximum, scribuntur in inferiori parte, quae tenet quasi rationem alterius tabulae: cum ergo tabulae exteriores respondeant interioribus, videtur similiter, quod ita in tabulis exterioribus debeat esse, quod tria scriberentur in una, et septem in altera.

2. Item, melius distinguit mandata qui distinguit ea secundum speciem[4], quam secundum materiam; sed mandatum de non concupiscendo uxorem et de non concupiscendo res formaliter distinguuntur, quia illa est concupiscentia carnis, ista est concupiscentia oculorum; mandatum vero de non colendo deos alienos et de non faciendo sculptilia non diversificantur nisi secundum materiam: cum ergo Augustinus hoc modo distinguat, videtur, quod assignatio eius sit magis idonea.

3. Item, cum omnia mandata ordinent ad unius Dei cultum, videtur, quod quantum est de se, debuerint simul in unum colligi et ordinari: si ergo fuerunt per tabulas divisa, hoc non fuit nisi ad commendandum duo caritatis praecepta, quorum unum ordinat ad Deum, alterum ordinat ad proximum. Cum ergo tria sint ordinantia ad Deum, et septem ordinantia ad proximum, sicut patet ex sufficientia mandatorum superius[5] assignata; videtur, quod assignatio Augustini sit magis recta, ut tria scripta fuerint in prima tabula, et septem in secunda.

Contra omnes assignationes.

Item, obiicitur contra *omnes* assignationes prius habitas: quoniam, si per mandata Decalogi prohibetur omne peccatum, et contingit, hominem « peccare in Deum et in proximum et in se ipsum[6] »; videtur, quod secundum multiplicationem personarum, contra quas peccare contingit, debuerit multiplicari numerus tabularum: ergo Lex debuit scribi in tabulis *tribus,* non in duabus; alioquin videtur, quod mandata Decalogi aut sint insufficienter tradita, aut inconvenienter per tabulas distincta.

CONCLUSIO.

In sensu litterali erant quinque mandata in una tabula, quinque in altera; in sensu spirituali vel secundum Origenem quatuor in una, sex in altera, vel melius secundum Augustinum tria in una, septem in altera.

Duplex sensus.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod scriptura mandatorum in tabulis dupliciter habet distingui, videlicet secundum sensum *litteralem* et secundum *mysticum.* Si fiat distinctio illius scripturae secundum sensum *litteralem;* sic quinque fuerunt[7] in una tabula, et quinque in alia; et hoc modo distinguit Iosephus, qui fuit historiographus, et qui ad sensum *litteralem* principaliter respiciebat. — Si autem fiat distinctio secundum *spiritualem* sive mysticum sensum; sic distinxerunt doctores sacrae Scripturae dicentes, mandata ordinantia ad Deum pertinere ad primam tabulam, mandata vero ordinantia ad proximum pertinere ad secundam. Illa enim distinctio tabularum fiebat ad geminam caritatem commendandam et insinuandam; et quoniam mandata ordinantia ad Deum et ad proximum dupliciter possunt distingui et diversificari, videlicet diversitate *formali* et *materiali:* hinc est, quod adhuc doctores nostri fuerunt diversificati. Considerando enim distinctionem *materialem,* quatuor sunt mandata, quae ordinant hominem ad Deum. Materialiter enim loquendo, in hoc quod dicitur: *Non adorabis deos alienos;* et: *Non facies tibi sculptile,* duo mandata includuntur[8]. Et hunc modum distinguendi et assignandi servat Origenes.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Distinctio.

Conclusio 3.

Si vero consideretur distinctio mandatorum secundum rationem *formalem;* sic mandata ordinan-

Conclusio 4.

---

[1] Cap. 10, 10. In testimonio Hieronymi, III. in Osee 10, 10, textus origin. *erupere* pro *sunt.*

[2] Quaest. 7. — In fine arg. edd. omittunt *secundum hoc.*

[3] Cfr. supra q. 1. et d. 33. q. 1. ad 3. — Inferius pro *scriberentur* cod. T *scribentur,* edd. *scribantur.*

[4] Sive formam, cfr. supra pag. 805, nota 4. — Inferius respicitur I. Ioan. 2, 16: Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est etc.

[5] Quaest. 1. — De duplici caritatis praecepto cfr. supra lit. Magistri, d. XXXVI. c. 3. — In *maiori* pro *ordinent* cod. M *pertinent,* edd. *ordinentur,* et pro *debuerint* multi codd. *debuerant.*

[6] Ut dicit Magister, II. Sent. d. XLII. c. 4. — Mox pro *multiplicationem* cod. K *triplicationem.* Inferius post *non in duabus* Vat. addit *tantum.*

[7] Edd. *sunt.*

[8] Codd. U Z *intelliguntur,* Vat. *intelliguntur et includuntur.*

tia ad Deum non sunt nisi tria, tribus appropriatis trium personarum correspondentia, secundum quod tactum est supra [1]; mandata autem ordinantia ad proximum sunt septem, ita quod illud quod est de concupiscentia uxoris alienae, distinguitur ab illo quod est de concupiscentia rerum, secundum quod alia et alia est concupiscentia secundum formam et speciem. Et hoc modo consideravit Augustinus. Ait enim sic super Exodum [2]: « Convenientius enim mihi videtur, accipi illa tria et ista septem, quia et Trinitatem videntur illa quae ad Deum pertinent, insinuare. Et quod dictum est: *Non erunt tibi dii alieni praeter me*, hoc ipsum perfectius explicatur, Epilogus. cum prohibentur figmenta coli ». — Sic igitur respiciendo ad sensum *litteralem*, bene distinxit Iosephus. Respiciendo vero ad intellectum *spiritualem* et distinctionem *materialem*, bene distinxit Origenes. Respiciendo autem ad sensum *spiritualem* et distinctionem *formalem*, bene distinxit Augustinus et excellentius quam Origenes. Nec est ibi aliqua contradictio, quia diversus modus distinguendi *spiritualiter* et *litteraliter* non repugnant; similiter diversus modus distinguendi *materialiter* et *formaliter* non repugnant [3]. — Et secundum hoc rationes et auctoritates probantes, unumquemque bene distinguere secundum suam rationem, satis possunt concedi.

Verumtamen ad illud quod obiicitur, quod debeant scribi in tabulis exterioribus, sicut scribuntur Ad 1. arg. pro August. in tabulis interioribus; dicendum, quod etsi debeat esse similitudo ipsius figurae ad veritatem, et signi visibilis ad intellectum invisibilem, non tamen debet esse *omnimoda* similitudo; immo sic est similitudo in uno, quod sit dissimilitudo in altero, ut per hoc appareat, quod illud est umbra, et istud est veritas [4]. Ideo non oportuit, quod omnino scriberentur Notandum. *exterius*, secundum quod scribuntur *interius;* immo quia populo carnali tradebantur secundum *litteralem* sensum, ideo distinguuntur per quinarium et quinarium. Quia vero secundum *spiritualem* intellectum duo praecepta caritatis insinuabantur, ideo scribebantur in duplici tabula; unde quodam modo est ibi similitudinis convenientia, quodam modo discrepantia.

Ad illud vero quod obiicitur ad confirmationem Ad 3. arg. pro Origene. dicti Origenis de auctoritate Quaestionum veteris et novi Testamenti, responderi potest, quod Augustinus aliquando loquitur secundum opinionem propriam, aliquando secundum opinionem alienam: et ibi distinguebat mandata secundum opinionem alienam, non secundum suam. — Aliquibus autem videtur, quod Alia ratio. ille liber non sit Augustini, pro eo quod plura ibi dicuntur, quae verbis beati Augustini repugnare videntur, quod melius patet diligenter inspicienti [5] librum illum.

Ad illud quod ultimo obiicitur, quod deberent Ad ultimum arg. scribi in tribus tabulis; dicendum, quod sicut in mandato de dilectione Dei et proximi clauditur mandatum de dilectione sui [6]; sic in praeceptis, per quae intelligitur homo ordinari ad Deum et ad proximum, clauditur ordinatio sui ad se ipsum; et ideo non oportuit, tabulas triplicari, sicut etiam non oportuit, triplicari mandata caritatis. — Alia Alia ratio. etiam est ratio, quia mandata distinguuntur secundum regulam iustitiae [7]; iustitia autem ad alterum ordinat: et ideo non oportuit, tertiam tabulam intervenire, secundum quam insinuaretur ordinatio hominis ad propriam personam [8].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de his quae dicuntur in explicatione primi mandati. Dicit enim Origenes, quod *idolum est quod nihil habet simile sui.* Hoc enim videtur esse falsum, quia idolum est fabricatum ab artifice, artifex autem non fabricat nisi secundum similitudinem, quam habet in anima; sed « nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu [9] »: nihil autem est in sensu, quod non fuerit in re extra: ergo videtur, quod idolum nullum sit, quod non habeat similitudinem in rebus exterioribus. — Item, videtur falsum dicere in hoc quod subdit, quod idolum nihil est, quia *nihil habet simile:* quoniam, si aliquis artifex facit aliquod novum, cuius non est

[1] Quaest. 1.

[2] Quaest. 71. n. 2, ubi textus originalis, posito *congruentius* pro *convenientius*, post *insinuare* sic prosequitur: diligentius intuentibus. Et re vera quod dictum est... cum prohibentur colenda figmenta.

[3] Petr. Comestor. loc. cit.: Forte quia Augustinus voluit, tria pertinere ad dilectionem Dei, et septem ad dilectionem proximi, pro *dignitate* potius quam pro *scriptura* dixit, ea esse primae et secundae tabulae, sicut dicere consuevimus homines primae classis et secundae. Quocumque vero modo distinguantur, idem est sensus.

[4] Cfr. supra lit. Magistri, d. XXXVI. c. 3. — Aliquanto inferius pro *insinuabantur* codd. G H K L T V Z aa bb *insinuabant.*

[5] Edd. *speculanti.*

[6] Vide supra lit. Magistri, d. XXVII. c. 4. seqq. et d. XXVIII. c. 1. — Paulo inferius pro *ideo non oportuit* cod. A *ideo non oportebit.*

[7] Cfr. quaest. praeced. — Cod. K prosequitur *iustitiam autem dico, quae ad alterum etc.*

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[9] De hoc axiomate cfr. tom. II. pag. 904, nota 2. — In proposit. praecedenti ratio haberi videtur illius definitionis *exemplaris* sive ideae, quae occurrit in Senecae Epist. 65, ubi dicitur, exemplare esse « ad quod respiciens artifex id quod destinabat, effecit ». Cfr. tom. I. pag. 600, nota 7. — Mox pro *in re extra* cod. A *in re existente*, et paulo inferius pro *habeat,* quod est in codd. A G K Z bb et edd. 1, 2, in aliis *habet.*

reperire similitudinem *extra*, non propter hoc non est aliquid. — Item, omne artificiatum est aliquid; sed idolum est artificiatum: ergo est *aliquid*. Quomodo ergo dicitur, quod idolum *nihil* est? — Item, facere idola et sculptilia, hoc est solum artificum: ergo videtur, quod mandatum illud non se extendat nisi ad artifices.

Respondeo: Dicendum, quod Dominus in mandato primo praecipit, se adorari et se solum adorari; ideo praecipit latriam et prohibet idololatriam.

Duplex idolatria. Et quoniam idololatria dupliciter consuevit apud antiquos committi: vel in hoc, quod fingebant novam sculpturam, cuius non erat reperire omnino simile *extra*, ut ostenderetur, quod specialis et singularis cultus esset ei exhibendus; vel quando fiebat aliqua imago, quae esset repraesentatio alicuius rei *extra*, quam quis crederet in illa imagine esse venerandam: ideo, ut haec duo prohibeat, tangit illa duo in prohibitione idololatriae, secundum quod Magister dicit in littera [1].

Ad illud vero quod obiicitur, quod nihil est in anima, quod prius non fuerit susceptum a sensu; dicendum, quod illud verbum intelligendum est, quod anima non habet aliquam similitudinem, quam

Notandum. non susceperit ab *extra* vel secundum *totum*, vel secundum *partem* [2]. Cum ergo dicitur, quod forma idoli non habet similitudinem *extra;* hoc intelligitur secundum *totum*, habet tamen secundum *partem*, sicut patet de chimaera et hircocervo et monte aureo. Anima enim facit novas *compositiones*, licet non faciat novas *res* [3]; et secundum quod fingit interius, sic etiam depingit et sculpit exterius.

Ad illud quod obiicitur, quod idolum non debet dici nihil, immo aliquid, cum sit artificiatum;

Distinctio. dicendum, quod dupliciter est loqui de idolo: aut quantum ad *materiam* et *figuram*, quam sibi artifex imprimit, aut quantum ad *divinitatis excellentiam*, quam ipsi idolo idololatra credendo attribuit. Primo modo dicitur, nihil esse in mundo, ab Origene, non quia nihil omnino sit in *se ipso*, sed quia nihil habet sibi simile correspondens in *universo*. Quantum autem ad *excellentiam divinitatis*, quam ei idololatra assignat, omnino nihil est nisi in sola fictione et falsa aestimatione idololatrantis, quae omnino super vanum et nihil fundata est, quia idolum nihil omnino habet divinitatis [4].

Ad illud quod obiicitur, quod illud praeceptum videtur solum pertinere ad artifices; dicendum, quod in verbo illo Dominus non solum intendit prohibere idoli *fabricationem*, sed omnem idoli *venerationem;* et in hoc etiam includit, quod vult, omnem latriae cultum sibi soli deferri, et ideo praemittitur [5]: *Deus tuus Deus unus est;* unus enim solus Deus et verus est adorandus. Unde praeceptum illud plus habet Notandum. affirmationis quam negationis. Nec implet illud mandatum quis, si solummodo desistat ab *idololatria*, quia ibi praecipitur *adoratio*, quae soli Deo est exhibenda. — Quid sit autem illa *adoratio*, et qualiter et cui sit exhibenda; hoc haberi potest ex his quae supra determinata sunt distinctione nona [6], ubi quaesitum est de latria. Et ex his quae hic tanguntur et ibi dicta sunt, aliqualiter potest haberi primi mandati recta intelligentia.

Dub. II.

Item quaeritur de his quae dicuntur in expositione secundi mandati, quod sic exponit Magister: *Non assumes nomen Dei tui in vanum; quod est dicere secundum litteram: non iurabis pro nihilo nomen Dei.* Sed contra hoc obiicitur: quia illud videtur pertinere ad quintum mandatum secundae tabulae, ubi prohibetur periurium [7]: ergo videtur, quod vel illud mandatum, vel istud sit superfluum. — Item, « vanum est, ut dicit Philosophus [8], quod non includit finem, ad quem est »; talis autem est sermo otiosus, ex quo nullus sequitur fructus: ergo videtur, quod quicumque nominat Dominum in verbis otiosis, cum assumat nomen Dei in vanum, faciat contra illud mandatum: ergo peccat mortaliter. *Si tu dicas*, quod non intelligitur de quacumque assumtione, sed de assumtione in iuramento; *obiicitur* contra hoc, quod [9] si quis iurat in communi sermone, ubi non est necessitas vel utilitas, facit contra illud mandatum: ergo peccabit mortaliter scienter iurando; quod videtur valde absurdum. — Item, obiicitur contra secundam expositionem, quam ponit Magister, cum subdit: « *Allegorice praecipitur, ut non putes, esse creaturam Dei Filium* »; quia, cum multipliciter contingat errare circa Filium, non solum sicut erravit Arius, sed etiam sicut erravit Sabellius [10]; videtur, quod non solum illa haeresis,

---

[1] Hic c. 1. — Pro *dicit* cod. bb *tangit*. Paulo superius verbo *venerandum* cod. A praemittit *primo*.

[2] Cfr. II. Sent. d. 39. a. 1. q. 2. in fine.

[3] Edd. falso *Anima enim facit novas res*.

[4] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. seq.

[5] Exod. 20, 2: Ego sum Dominus Deus tuus. Eadem verba habentur Deut. 5, 6; sed Deut. 6, 4: Dominus Deus noster, Dominus unus est. — De proposit. seq. cfr. supra a. 2. q. 2. ad 5. — Paulo ante pro *omnem latriae cultum* codd. A G H I K T V aa *honorem latriae*.

[6] Art. 1. et 2. — Superius pro *Quid sit* cod. K *Quae sit*. — De hoc dubio cfr. Alex. Hal., S. p. II. q. 160. et p. III. q. 30. per totam; B. Albert., hic a. 5; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1.

[7] Cfr. infra dub. 8.

[8] Libr. II. Phys. text. 62. (c. 6.), quem locum Averroes sic exponit: Otiosa est illa causa, a qua non invenitur eius finis. — Gregor., VII. Moral. c. 17. n. 58: Otiosum quippe verbum est, quod aut ratione iustae necessitatis aut intentione piae utilitatis caret.

[9] Ita codd. A G K N T aa, in aliis et edd. *quia*.

[10] Cfr. supra d. 10. dub. 4. nec non d. 5. a. 2. q. 2. in fine corp. — Mox pro *deberent* cod. F *debeant*.

sed etiam aliae deberent prohiberi. — Item, fides Trinitatis non erat tempore Legis omnibus explicita [1]: si ergo omnes tenebantur ad omnia mandata Decalogi, videtur, quod nihil praecipiebatur, quod spectaret ad aliquam personam determinate.

Respondeo: Dicendum, quod sicut per primum mandatum ordinatur homo respectu summae Maiestatis, quae appropriatur Patri, sic etiam per secundum ordinatur homo respectu summae Veritatis, quae appropriatur Filio. Ordinatio autem ista attenditur in ipsius Veritatis confessione sine alicuius falsitatis admixtione, ita quod nec de ipsa falsum credatur, nec ipsa ad confirmandum falsum assumatur. Unde prohibetur in mandato illo secundum *litteralem* sensum falsitas iurationis per nomen Dei, secundum *spiritualem* vero prohibetur falsitas erroris circa fidem Veritatis. Et his duobus modis Magister in littera [2] exponit secundum *litteram* et secundum *allegoriam*.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod periurium est contra quintum mandatum secundae tabulae; dicendum, quod duo est considerare in falso testimonio, unum videlicet, quod fit iniuria summae Veritati, quae in falsum testimonium advocatur; aliud, quod fit iniuria proximo, qui ex falso testimonio damnificatur [3]. Et ratione primi prohibetur periurium in secundo mandato primae tabulae; ratione secundi in quinto mandato secundae.

Ad illud quod obiicitur, quod vanum est illud quod frustra fit; dicendum, quod aliquando est quid vanum, quantum est *de se* et de propria intentione, aliquando est aliquid vanum *ex accidenti* [4]. Tunc autem nomen Dei assumitur in vanum, quando assumitur ad confirmationem alicuius sermonis, qui, quantum est de se, non est ordinatus ad aliquam utilitatem, sicut ad confirmationem sermonis falsi; et qui hoc modo assumit peccat contra illud mandatum. Quando vero assumitur ad confirmationem alicuius veri, quamvis sermo ille sit otiosus; tamen assumtio illa non est usquequaque in vanum, quia ordinatur ad hoc, ut quis adhibeat fidem verbo loquentis, quam etsi quis non assequatur in altero, non tamen omnino operatur frustra, sicut nec rhetor, si per compositos et ordinatos sermones non semper persuadeat. — Verumtamen frequens iuratio nominis Dei, ubi nulla est necessitas vel utilitas expressa, non omnino caret culpa, immo valde est reprehensibilis, maxime in viris perfectis, sicut melius patebit infra [5], cum agetur de iuramento et periurio, ubi clarius manifestatur intelligentia huius secundi mandati.

Duplex vanum.

Notandum.

Ad illud quod obiicitur contra secundam expositionem, dicendum, quod, secundum quod ipse Magister dicit, expositio illa data est per allegoriam et expositionem quandam. Unde et in exclusione illius erroris per consequens intelliguntur alii excludi; nec respicit omnem statum, sed statum fidei manifestatae et propalatae [6].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit in expositione tertii mandati: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices; ubi secundum litteram praecipitur Sabbati observantia.* Sed contra hoc obiicitur: quia Sabbati observantia est caerimonialis, secundum quod dicitur in Ezechiele [7]: *Dedi eis Sabbata mea, ut sint in signum inter me et eos:* ergo videtur, quod inter moralia non deberet praecipi Sabbati observantia. — Item, moralia praecepta semper manent; sed Sabbati observantia est evacuata: ergo videtur, quod Sabbati observantia non debuit praecipi inter mandata *moralia* [8]. *Si dicas*, quod observantia Sabbati commutata fuit in diem dominicum; quaeritur: quare in aliam diem mutata fuit? — Item, si mutata est Sabbati observantia in Dominicam; cum Iudaei tenerentur in Sabbato non ambulare [9], videtur, quod peccant qui in diebus dominicis itinerantur.

Quaestio 1.

Iuxta hoc etiam quaeritur, a quibus cessandum sit in diebus dominicis et solemnibus. — Quaeritur etiam: propter quid in isto mandato mutatur modus loquendi, et dicitur *memento* magis quam in alio mandato, cum illa mandata ita bene debeant haberi in memoria, sicut et illud?

Quaestio 2.

Quaestio 3.

Respondeo: Dicendum, quod in mandato Sabbati erat duo considerare, videlicet *cessationem ab opere servili*, ut homo Deo libere vacaret et intenderet; aliud erat ibi considerare, videlicet *significationem diei* et *determinationem operum exteriorum*, a quibus erat cessandum. Quantum ad *primum*, manda-

Duo in hoc mandato.

De primo.

---

[1] Vide supra d. 25. a. 1. q. 2. in corp. — Quoad conclusionem cfr. quae supra a. 2. q. 1. et 2. in corp. dicta sunt de relatione trium primorum Decalogi praeceptorum ad tres personas divinas, quae relatio etiam infra in solut. respicitur.

[2] Hic c. 2. — Pro *fidem Veritatis* Vat. *fidei veritatem*.

[3] Cfr. infra d. 39. a. 1. q. 2. in corp. — Paulo superius pro *advocatur* codd. U Z *invocatur*, et paulo inferius pro *ratione secundi* cod. A *respectu secundi*.

[4] Vel commutatis verbis: vanum est aliquid aliquando *formaliter*, aliquando *materialiter*. — Mox edd. omittunt verba *qui quantum est... sermonis*.

[5] Dist. 39. — Superius pro *persuadeat* cod. A *persuadet*.

[6] De hoc dubio cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 31. m. 4; B. Albert., hic. a. 6; S. Thom., hic circa lit.; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2.

[7] Cap. 20, 12, ubi Vulgata *ut essent signum* pro *ut sint in signum*. Pro *Ezechiele* edd. cum plurimis codd. perperam *Osee*.

[8] Secundum Hesychium, in Levit. 26, 26. Cfr. supra scholion ad a. 2. q. 3. — Inferius pro *aliam* cod. K *illum*, edd. *alium*, quae et subinde verbo *fuit* praefigunt *non*.

[9] Cfr. Matth. 24, 20. Sabbato enim, ut Beda in illud Act. 1, 12: *Sabbati habens iter*, animadvertit, iuxta Legem plus quam mille passus incedere non licebat. — Mox pro *itinerantur* edd. *ambulant*, et dein pro *solemnibus* codd. A K U Z *solemnitatibus*.

Notandum. tum de Sabbato erat *morale;* hoc enim omni tempore Dominus [1] requisivit, ut homo sibi habitaculum cordis praepararet et eidem aliquando vacaret, ut per dilectionem eidem adhaereret; et quantum ad hoc non tantum erat *morale*, sed etiam quodam modo faciebat ad aliorum moralium integram impletionem, quia, dum homo vacat sibi et Deo, melius cognoscit, quid agendum, et quid fugiendum [2]. Et Ad 3. quaest. propterea isti mandato specialiter praemittitur *memento*, quia in eius memoratione cetera memorantur.

Aliud vero est ibi *diei significatio* et *determi-* De secundo. *natio operis;* et quantum ad hoc *caerimoniale* est et *figurale* significans, a quo *cessandum* est: quoniam ab opere peccati [3]; et quid *credendum* et *exspectandum* videlicet quies passionis Christi in sepulcro. Et quantum ad hoc reponi habet inter *caerimonialia*. Et haec est ratio, quare mandatum illud frequentius in Lege exprimitur quam aliquod aliorum, quia secundum diversas sui conditiones spectat ad diversa genera mandatorum. Unde aliquando nominatur inter *caerimonialia* et aliquando inter *moralia;* et in quantum *morale* est, manet in Lege nova; in quantum *caerimoniale*, evacuatum est, veritate adveniente. Unde observantia Sabbati evacuata est in Lege nova.

Observantia vero diei *dominicae* et aliarum so- Ad 1. quaest. rationes tres. lemnitatum alia causa est introducta, videlicet in *memoriam beneficii redemptionis* et in *praefigurationem futurae resurrectionis* [4] et in *amotionem erroris:* quia secundum gentiles dies dominicus primus est, cum in principio illius diei incipiat dominari principalis planeta, ut dicunt, scilicet sol; propter quod vocabant eum diem solis et exhibebant ei venerationem. Ut igitur ille error excluderetur, et reverentia cultus soli Deo exhiberetur, praefixa fuit dies dominica, in qua populus christianus specialiter vacaret ad cultum Dei et praetermitteret terrena negotia, quae animam distrahunt, ne Deo intendat. Unde illa opera praecipue inhibentur ab Ad 2. quaest. ipsa Ecclesia; et talia dicuntur opera servilia, illa maxime, in quibus homo inhiat terrenis lucris, et quae sunt praeter necessaria [5], per quae anima maxime detinetur circa haec inferiora, ne se nec Deum suum recolat.

Nec tantum huiusmodi opera servilia prohibentur, immo magis et diligentius opera carnalia, sicut ebrietates, lites et iurgia, quae maxime libertati spiritus repugnant. Et hoc est quod dicit Augustinus in libro de Decem Chordis [6]: « Dicitur tibi, ut spiritua- Notandum. liter observes Sabbatum, non quomodo Iudaei observant carnali otio; vacare enim volunt ad nugas atque luxurias suas. Melius enim faceret Iudaeus in agro suo aliquid utile, quam in theatris seditionibus insisteret. Et melius feminae eorum in die Sabbati lanam facerent, quam tota die in neomeniis suis impudice saltarent ». Hoc autem dicit Augustinus, non quia non sit cessandum in diebus solemnibus a negotiis actuum exteriorum, sed quia ipsi sacerdotes et praelati Ecclesiae, quorum est huiusmodi festa indicere et determinare, quomodo et qualiter sit cessandum ab exteriori opere, magis debent revocare [7] ab his quae maiorem peccandi praebent occasionem. Unde propter vitandum otium vel ineptum solatium, dicit Augustinus, quod exercere magis se debent in operibus pietatis et misericordiae, quam negotiis inordinatis et lascivis intendere. Propter quod in diebus illis debent ecclesias frequentare, Missas audire, beneficia Dei recolere, verba praedicationis audire et spiritualibus documentis se ipsos imbuere; et hoc est Deo sabbatizare. — Per hoc potest ad obiecta responderi, et aliqualis intelligentia haberi de praedicto mandato. De cessatione vero Sabbati et aliorum caerimonialium aliquid habetur in quarto libro, distinctione tertia [8].

---

[1] Plurimi codd. inserunt *ab homine*, superflue.

[2] Pro *fugiendum*, quam lectionem cod. A custodivit, alii codd. et edd. *faciendum*, cod. K *non faciendum*. Paulo ante pro *impletionem* cod. F *perfectionem*.

[3] Opus peccati *servile* dicitur, quia, ut Ioan. 8, 34. dicit, omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Cfr. August., Serm. 33. (alias 18. de Diversis) c. 3. n. 3. — August., IV. de Gen. ad lit. c. 11. n. 21. ait: Et dici quidem probabiliter potest, observandum Sabbatum Iudaeis fuisse praeceptum in umbra futuri, quae spiritualem requiem figuraret, quam Deus exemplo huius quietis suae [scil. post creationem] fidelibus bona opera facientibus arcana significatione pollicebatur. Cuius quietis et ipse Dominus Christus, qui non, nisi quando voluit, passus est, etiam sepultura sua mysterium confirmavit. Ipso quippe die Sabbati requievit in sepulcro eumque totum diem habuit sanctae cuiusdam vacationis etc.

[4] Praeter locc. supra pag. 456, nota 3. citt. cfr. Iustin., I. Apolog. pro Christian. n. 67, et Damasc., IV. de Fide orthod. c. 23. — De tertia causa subinde adducta, quare observantia Dominicae etc. introducta sit, scil. in amotionem erroris, cfr. Tertull., Apolog. c. 16. et I. ad Nationes, n. 13. Cfr. etiam August., Epist. 55. (alias 119.) c. 6. n. 11. seqq., et Isidor., V. Etymolog. c. 30. n. 3. seqq. Nicephor., VII. Eccles. histor. c. 46, ait: Diem eum, quem Iudaei primum numerarunt, et Graeci soli dicarunt, *dominicum* appellavit [Constantinus] etc.; cfr. tamen Apoc. 1, 10.

[5] Edd. *praeter necessitatem*. Superius pro *specialiter vacaret ad cultum* edd. *vacaret cultui*.

[6] Sive Serm. 9. (alias 96. de Tempore) c. 3. n. 3, in quo dicto pro *quam in theatris* [plures codd. *theatricis*] *seditionibus insisteret* textus origin. exhibet *quam in theatro seditiosus existeret*, et pro *in neomeniis* [codd. W Y *choreis*] *suis* profert in *meniauis suis;* quod vocabulum August. etiam usurpavit in exposit. in Evang. Ioan. tr. 3. n. 19, ubi de eadem re fere iisdem verbis loquitur uti hic; in quem loc. Maurini annotant: Editi *neomeniis*, corrupte pro *meniauis*, quod nostri omnes mss. praeferunt. *Meniana* veteres vocant podiolos seu domorum solaria (cfr. Ducange, Glossarium etc.).

[7] Cod. W *removere*.

[8] Partis II. a. 3. q. 1. seq. — Paulo superius pro *praedicto* codd. I K L *tertio*, et pro *sabbatizare* edd. *subiacere*. — Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 32; B. Albert., hic a. 7; S. Thom., hic q. 1. a. 5; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3; Richard. a Med., hic a. 2. q. 3.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit in expositione primi praecepti secundae tabulae. Dicit enim, quod illud est primum praeceptum tabulae secundae: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram, scilicet viventium;* et subiungit modum: *Parentes sic sunt honorandi, ut eis debita reverentia exhibeatur, et necessaria ministrentur.* Contra hoc obiicitur: primo, quia magis debent sollicitari parentes circa filios quam e converso [1]: ergo magis deberet patribus imponi, quod filiis ministrarent, quam quod filii ministrarent parentibus. — Item, cum non tantum obligemur ad ministrandum et benefaciendum parentibus, sed etiam aliis hominibus; videtur, praedictum mandatum [2] insufficienter esse datum, cum mentionem faciat de solis parentibus. — Item, cum parentibus debeamus honorem et beneficia, propter quid magis praecipitur *honorare* quam *benefacere?* — Item, cum omnibus mandatis respondeat beatitudo aeterna, quaeritur: quare huic mandato promittitur *longaevitas vitae;* et magis *isti* mandato quam alii?

Quaestio incid. 1.

Quaestio incid. 2. 3.

Respondeo: Dicendum, quod in hoc mandato praecipitur ordinatio hominis ad proximum suum secundum *beneficentiam.* Et quoniam exhibitio beneficentiae attenditur secundum ordinem caritatis; et in ordine caritatis priores sunt parentes [3]: hinc est, quod Dominus, simul volens insinuare obligationem et caritatis ordinem, potius expressit de parentibus quam de aliis proximis, nomine parentum alios etiam proximos volens intelligi. — Alia etiam est ratio: quia, cum aliis personis debeamus beneficentiam, parentibus nostris non tantum debemus *beneficentiam,* sed etiam honoris *reverentiam;* ideo, ut simul utrumque in unum clauderet [4], maluit Legislator parentes quam alios homines exprimere. — Tertia etiam ratio est: quia parentes post generationem filiorum frequenter perveniunt ad senium et ad aetatem decrepitam; et maxime pro illo tempore indigent foveri et sustentari et aliis sunt graves et onerosi: ideo propter servandum *caritatis ordinem* et insinuandam *iuris obligationem* et propter *necessitatis* et *indigentiae relevationem* maluit parentes exprimere quam alios homines [5].

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

Et per hoc patet responsio ad illud quod obiicitur de filiis. Illud enim non oportuit expresse explicari, quia homines per naturam sunt satis proni. — Et similiter ad aliud patet responsio de aliis proximis. — Et ad illud similiter, quod obiicitur de verbo *honorandi.*

Ad 1. quaest.

Ad illud vero quod quaeritur: quare huic mandato specialiter promittitur longaevitas vitae? dicendum, quod in isto mandato praecipitur opus pietatis, de qua dicit Apostolus primae ad Timotheum quarto [6], quod *promissionem habet vitae, quae nunc est et futurae.* Unde populo carnali promittebatur vita praesens, spirituali vero non tantum praesens, sed etiam futura. — Et *si quaeras:* quare magis *pietati* promittitur quam alii? dicendum, quod hoc est propter commendationem ipsius misericordiae, in cuius actu maxime meretur homo Dei misericordiam et gratiam [7]. — Et magis promittitur *vita* quam aliud donum, propter hoc quod illa est, quae maxime amatur; et ut homo, exspectans longaevitatem vitae, non abhorreat longam vitam parentum.

Ad 2. quaest.

Ad 3. quaest.

Alia etiam ratio potest reddi de ista promissione: quia Iudaei maxime proni erant ad *idololatriam* et *avaritiam,* quae est quaedam *idololatria* [8]; ideo praecepto illi, quod est de idololatria, subiungitur *comminatio;* et praecepto illi, quod est de *beneficentia,* quae est contra avaritiam, subiungitur *promissio,* ut per *comminationem* retraherentur a *malo,* et per *promissionem* traherentur ad *bonum.* — Posset etiam dici, quod *comminatio* posita circa primum praeceptum *primae* tabulae refertur ad alia; similiter et *promissio* circa primum praeceptum *secundae,* et ideo non oportuit iterare [9].

Ratio 2.

Ratio 3.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit in expositione secundi mandati secundae tabulae, quod in hoc praecepto: *Non occides, prohibetur* [10] *actus homicidii, secundum spiritum voluntas occidendi;* et obiicitur *contra* hoc: quia peior est voluntas occidendi, quam sit voluntas moechandi; sed voluntas moechandi non solummodo prohibetur secundum spiritum, immo etiam secundum litteram: ergo pari ra-

---

[1] Cfr. supra d. 29. q. 4. arg. 1. ad oppos.

[2] Cod. F subdit *etiam.* Inferius pro *honorare* edd. *eos honorari.* Deinde post *respondeat* cod. A inserit *tantum.*

[3] Vide supra d. 29. q. 4. — Mox Vat. omittit *et caritatis ordinem,* et paulo inferius cum edd. 1, 2 pro *intelligi* substituit *intelligere.*

[4] Codd. A U *clauderetur.* Superius pro *Alia etiam* (in Vat. deest *etiam*) cod. Q *Alia autem.*

[5] Cfr. Epistola de honorandis parentibus (epist. 11. inter opera Hieronymi). — Superius pro *et aliis sunt graves* edd. exhibent *cum aliis sint graves,* et omittunt deinde *et* post *necessitatis.* Inferius post *quia homines* (Vat. *omnes*) edd. supplent *ad hoc,* et mox pro *Et ad illud* codd. A V substituunt *Et ad aliud.*

[6] Vers. 8: Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitae etc. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 143. n. 18.

[7] Matth. 5, 7: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

[8] Eph. 5, 5: Avarus, quod est idolorum servitus. Cfr. Matth. 15, 4. seqq. — Paulo ante pro *maxime* codd. A K *magis,* et paulo post pro *de idololatria* cod. A *contra idololatriam.* Idem cod. A in fine solut. bis *mandatum* pro *praeceptum.*

[9] Cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 33; B. Albert., hic a. 8; Petr. a Tar., hic q. 3. n. 1; Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. et circa lit.

[10] Cod. U et edd. subnectunt *secundum litteram,* quod et in textu Magistri habetur.

tione et voluntas occidendi. — Item, Exodi vigesimo secundo[1]: *Maleficos non patieris vivere;* in quo mandato praecipitur interfectio: ergo videtur, quod repugnantia sit inter mandatum *morale* et *iudiciale.* — Item, cum prohibetur occisio, aut intelligitur generaliter de *quolibet vivo,* aut intelligitur specialiter de *proximo.* Si generaliter de *quolibet vivo:* ergo peccat qui occidit muscam et pediculum; quod absurdum est et erroneum. Si specialiter de *proximo:* ergo non videtur peccare qui occidit semetipsum, vel qui occidit bovem alienum.

Quaestio duplex.

Est igitur quaestio, quid in hoc mandato prohibeatur; et quid etiam huic mandato in Evangelio superaddatur.

Ad primam quaest. cum distinctione.

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter est loqui de intelligentia huius mandati, videlicet secundum intellectum *Legislatoris,* vel secundum intellectum *populi* carnalis. Si secundum intellectum *Legislatoris;* sic utique prohibetur *homicidium exterius* et *voluntas* deliberativa ordinata ad laedendum proximum ex iracundia. Unde prohibetur *ira* cum consensu deliberativo in *animo* et cum expressione exterius in *verbo et signo* et cum perpetratione in *facto.* — Si vero intelligatur secundum intellectum carnalis *populi,* qui solum reputabat illud prohiberi, pro quo inferebatur poena ab ipsa Lege; sic intelligebatur prohiberi ira progrediens[2] ad opus homicidii.

Ad secundam.

Et hunc intellectum dicit Magister *litteralem,* non quia intellectus alius non esset de principali intentione ferentis Legem, sed quia claudebatur ibi implicite. Et quoniam illius explicatio facta est in lege Evangelii, ideo dicit Magister, *superadditionem* illi mandato esse factam, non quia novum aliquid praecipiatur, sed quia intellectus praedicti mandati explicatur, dum non tantum datur intelligi, in praedicto mandato prohiberi perpetrationem homicidii in *opere,* sed etiam consensum in *corde,* ostensionem in *signo* et expressionem in *verbo;* propter quod tria dicit[3]: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit raca, reus erit consilio. Qui autem dixerit fatue* — ubi est expressio *verbi* — *reus erit gehennae ignis;* ubi dat intelligere triplicem gradum peccati iracundiae praecedentem homicidii consummationem. — Et per hoc patet responsio ad primum obiectum.

Notandum.

Ad illud vero quod obiicitur, quod *in iudicialibus* praecipitur interficere maleficos; dicendum, quod nulla est ibi contradictio, quia in uno prohibetur homicidium *innocentis* et iusti, in alio praecipitur occisio *malefici.* In uno etiam prohibetur homicidium ex *propria* auctoritate, in alio iniungitur ex auctoritate *Legis;* et ista duo non habent oppositionem nec repugnantiam.

Ad illud quod quaeritur: cuius occisio prohibetur ibi? dicendum, quod prohibetur ibi occisio viventis vita rationali, sive sui, sive alterius; unde qui semetipsum interficit facit contra praedictum mandatum. Unde nimis extendunt haeretici praedictum mandatum ad vitam cuiuscumque animalis bruti. Illa enim licet occidere, pro eo quod data sunt homini in escam et subsidium temporale, secundum quod dicitur nono Genesis[4].

Notandum.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit in expositione tertii mandati, ibi: *Non moechaberis, id est, ne cuilibet miscearis, excepto foedere matrimonii.* Videtur enim, quod non sit recta expositio Magistri. Si enim ex prohibitione gravioris non intelligitur prohibitio minus gravis; cum adulterium sive moechia gravius peccatum sit quam fornicatio, videtur, quod in hoc non intelligatur prohibitio fornicationis. — Item, cum graviora sint peccata contra naturam quam peccatum adulterii, videtur, quod potius deberet illa prohibere inter praecepta Decalogi quam peccatum adulterii. — Item, super illud Matthaei quinto[5]: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam;* dicit Glossa, quod ibi omnis libido carnalis, qua fornicatur anima, a Deo intelligitur prohiberi. Cum igitur hoc fiat per omne peccatum, videtur, quod omne peccatum ibi prohibeatur: videtur ergo, quod isto mandato habito, cetera superfluant.

Respondeo: Dicendum, quod in mandatis Decalogi prohibentur peccata, maxime in mandatis secundae tabulae, secundum quod sunt ad nocendum proximo ordinata; et quoniam quantum ad peccatum

---

[1] Vers. 18. Cfr. supra d. 30. q. 5. arg. 1. ad oppos.

[2] Pro *ira progrediens* edd. *progressus,* et paulo inferius *ratione* pro *intentione.*

[3] Matth. 5, 22. — Paulo ante pro *consensum* edd. *offensam,* et superius pro *praedicti* cod. Q *primi.* Aliquanto inferius pro *praecedentem* edd. *praecedentis.*

[4] Vers. 3. — August., l. de Civ. Dei, c. 20, postquam demonstravit, *suicidium* quoque hoc praecepto prohiberi, sic pergit: Unde quidam hoc praeceptum etiam in bestias ac pecora conantur extendere, ut ex hoc nullum etiam illorum liceat occidere. Cur non ergo et herbas, et quidquid humo radicitus alitur ac figitur? Nam et hoc genus rerum, quamvis non sentiat, dicitur vivere, ac per hoc potest et mori, proinde etiam, cum vis adhibetur, occidi... Num igitur ob hoc, cum audimus: *Non occides,* virgultum vellere nefas ducimus et Manichaeorum errori insanissime acquiescimus?... restat, ut de homine intelligamus quod dictum est: *Non occides,* nec alterum ergo nec te. Neque enim qui se occidit aliud quam hominem occidit. — De hoc dubio cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 34; B. Albert., hic a. 9; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2; Richard. a Med., hic a. 3. q. 2.

[5] Vers. 28. — Glossa est Rabani, qui in hunc loc. ait: Quapropter nomine moechantium, qui hoc capitulo commemorantur, omnem carnalem et libidinosam concupiscentiam oportet intelligi. Cum enim tam assidue idololatriam fornicationem Scriptura dicat, Paulus autem apostolus avaritiam idololatriae nomine appellet; quis dubitet, omnem malam concupiscentiam recte fornicationem vocari, quando anima, neglecta superiore lege, qua regitur, inferiorum naturarum turpi voluntate quasi mercede prostituta corrumpitur?

carnis maxime offenditur proximus per adulterium: hinc est, quod illud praecipue prohibetur. In illo tamen intelligitur prohiberi omnis illicitus coitus et membrorum illorum abusus, secundum quod dicit Magister [1], sive per peccatum fornicationis, sive per peccatum contra naturam. — Et per hoc patet responsio ad duo prima obiecta.

Ad illud vero quod obiicitur de illa Glossa, dicendum, quod Glossa illa intelligitur *moraliter* de fornicatione spirituali; sed secundum *litteralem* intellectum in mandato illo prohibetur illicitus usus membrorum genitalium extra legem matrimonii. Omnis autem seminis effusio deliberativa praeter legem matrimonii est illicita et intelligitur hic esse prohibita per *adulterium*, quod directe matrimonio repugnat. — Utrum vero fornicatio simplex sit peccatum mortale, et ex qua causa; invenitur quaesitum in tractatu de matrimonio [2]; ex quo cum his quae hic dicuntur, potest aliquatenus haberi intellectus huius mandati.

Dub. VII.

Item quaeritur de quarto mandato, quod est: *Non furtum facies*, ubi dicit Magister, quod *prohibetur sacrilegium, rapina et usura*. Et est quaestio, quae sit differentia inter illa tria. Et videtur, Sacrilegium. quod *sacrilegium* non sit specialis differentia furti, quoniam *sacrilegium* dicitur esse, cum quis aufert non sacrum de loco sacro: videtur ergo, quod cum circumstantia loci sit *accidens*, quod non faciat speciem peccati diversam. — Item, obiicitur de *usura*: Usura. quia furtum est contrectatio rei alienae, invito domino [3]; sed *usura* est contrectatio rei, domino volente: ergo non videtur, quod *usura* contineatur sub furto. — Item, qui adiuvat furem ad furandum currit cum fure [4] et peccat mortaliter: ergo si usura furtum est, quicumque *dat* usuram, peccat mortaliter; quod quidem videtur valde inconveniens. — Item, si quis daret alicui alii pecuniam pro accommodatione domus, vel etiam sine aliquo obsequio sibi facto; ille qui acciperet, non committeret furtum nec aliquod peccatum: ergo multo fortius videtur, quod qui accommodat alii pecuniam, de qua lucratur, et facit ei servitium, quodsi recompensationem recipit, non committat [5] aliquod peccatum.

Propter hoc est quaestio: quare magis committitur usura in accommodatione denariorum quam in locatione domorum et aliarum rerum? Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod in praecepto illo intelligitur prohiberi omnis illicita usurpatio rei alienae; et illa potest fieri per *violentiam*, vel per *fraudulentiam*, et hoc vel *simpliciter*, vel ubi adiacet *consecratio* aliqua. Unde prohibetur hic *furtum simplex* et *sacrilegium*, quod est furtum perpetratum circa rem sacram, vel locum sacrum; et *rapina*, quae fit per violentiam; et etiam *usura*, pro eo quod in usura est quaedam *violentia* et quaedam *fraudulentia*: *fraudulentia* in hoc, quod vendit homini rem suam. Tenetur enim unusquisque subvenire proximo in mutuo ex divino mandato [6]; dum ergo vendit ei illud quod tenetur ei facere, ipsum *fraudat* et decipit. — *Rursus*, dum ex pactione aliquid ab eo exigit, quodam modo ad id, ad quod non debet, ipsum *compellit*. Unde omni tempore usura fuit prohibita, sicut et furtum, secundum quod innuit Magister in littera [7]. Distinctio cum subdistinctione. Notandum.

Ad illud vero quod primo obiicitur de *sacrilegio*, dicendum, quod circumstantia loci et personae bene potest transferre in aliud genus peccati; sicut corruptio sanctimonialis ratione consecrationis transfert in novum genus peccati. Similiter et in proposito intelligendum est. Quod enim est *accidens* actioni in genere *naturae*, potest esse *complementum* in genere *moris* [8]. Notandum.

Ad illud vero quod obiicitur de *usura*, quod usurarius non contrectat rem alienam, invito domino; dicendum, quod est voluntas *absoluta* et *conditionalis* [9]. Et cum dicitur, quod usurarius contrectat res, quas recipit ultra sortem, volente domino; dicendum, quod hoc est verum de voluntate *conditionali* [10], sed tamen invito quantum ad voluntatem *absolutam*. Magis enim vult pecunia carere quam beneficium mutui perdere, licet voluntate *absoluta* vellet, quod impenderetur sibi mutui gratia sine mercimonia. De usura ratio 1. Voluntas duplex.

Ad illud quod obiicitur, quod tunc usurarius currit cum fure, si usura continetur sub furto; dicendum, quod si quis *dat* usuras praeter necessitatem, non est immunis a culpa; cum vero ex necessitate usuras dat, non peccat, quia licitum est unicuique redimere iuris sui vexationem [11]. Unde sicut Ratio 2.

---

[1] Hic c. 4. — Paulo superius pro *maxime* edd. *magis*.

[2] Libr. IV. Sent. d. 39. dub. 3. et d. 41. dub. 3. seq. Codd. U Z allegant d. 33. — De hoc dubio cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 35; B. Albert., hic a. 10; S. Thom., hic circa lit.; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3.

[3] Iustinian., IV. Instit. iuris civ. c. 1: Furtum est contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei vel etiam usus eius possessionisve; quod lege naturali prohibitum est admittere. Et ibid. c. 2. *rapinam* describens ait: Qui vi res alienas rapit tenetur quidem etiam furti. Quis enim magis alienam rem, invito domino, contrectat, quam qui vi rapit? — Paulo superius pro *speciem* cod. K *differentiam*. Paulo inferius post *contrectatio rei* codd. F K repetunt *alienae*.

[4] Respicitur illud Ps. 49, 18: Si videbas furem, currebas cum eo. — Mox edd. omittunt *ergo si... mortaliter*.

[5] Codd. A G K Z *committit*.

[6] Luc. 6, 35: Mutuum date, nihil inde sperantes.

[7] Hic c. 4.

[8] Cfr. II. Sent. d. 36. dub. 5. — Aliquanto superius pro *transferre* cod. A *transferri*, et paulo post pro *transfert* codd. G K ua *transfertur*.

[9] Vide I. Sent. d. 47. q. 1. in corp.

[10] Scilicet domini, qui *dat* usuras.

[11] B. Albert., hic a. 15: Quia dans usuras gratis postulat quod ille ex praecepto Domini tenetur impendere, scilicet mutuo; sed quia ille non facit quod de iure Domini facere tenetur, ideo dat usuram, quasi redimens vexationem suam et quasi emens illum ad hoc, ut faciat quod de iure gratis facere deberet etc. — Mox pro *interfici* cod. U *occidi*.

ille qui dat vestes suas latroni, antequam permittat, se interfici, non dicitur *currere cum latrone;* sic qui solvit usuram in necessitate non dicitur *currere cum fure.* Quantam autem necessitatem quis debeat exspectare, hoc est unctionis [1] et rationis rectae determinare, pro eo quod secundum diversas conditiones personarum diversimode necessitates debent pensari.

Ad illud vero quod obiicitur, quod licet dare pecuniam pro accommodatione domus et etiam gratis; dicendum, quod non est simile. Primum, quia, ubi pecunia *datur liberaliter* extra omnem pactionem, est ibi liberalis donatio; et ideo non est [2] illicita contrectatio. Non sic autem est, ubi intervenit illicita pactio. — Similiter non est simile de aliis *possessionibus* et de pecunia; et hoc ex triplici causa. *Prima* quidem est: quia in mutuatione pecuniae transfertur pecunia in dominium alienum. Et huius signum est, quia non tenetur illam eandem numero reddere, sed illi consimilem; in accommodatione autem domus vel equi dominium non transfertur. — *Alia* vero ratio est, quia pecunia, dum in usum vertitur, non consumitur nec deterioratur; non sic autem est de aliis rebus, quae secundum quod magis et diutius eis utimur, magis tendunt ad defectum. — *Tertia* vero ratio est, quia pecunia, quantum est de se, per se ipsam non fructificat, sed fructus venit aliunde; non sic autem est circa res alias, quae de se ipsis afferunt fructum et utilitatem: et ideo non est simile [3]. — Possent autem hic plura quaeri de usura et furto et rapina et sacrilegio, sed pro causa brevitatis ista sufficiant.

Ratio 3. Contra usuram rationes 3. Prima. Secunda. Tertia.

Dub. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Contra hoc obiicitur: quia non solum peccat qui falsum testimonium fert contra proximum, sed etiam contra se ipsum: ergo non solum illud deberet prohiberi, sed etiam istud. — Item, si quis falsum testimonium fert ad utilitatem proximi, constat, quod absque dubio peccat; et non peccat contra proximum, immo contra Deum: ergo videtur, quod prohibitio falsi testimonii non spectet [4] ad secundam tabulam, immo ad primam. — Item quaeritur, cum periurium sit in iniuriam Dei et in iniuriam proximi, propter quid Magister [5] dicit, periurium magis prohiberi in isto mandato quam in secundo mandato? Et quare magis agit de periurio in expositione istius mandati quam in expositione secundi?

Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod in hoc praecepto prohibetur falsitas oris, praecipue prout ordinatur in nocumentum proximi, et per consequens nihilominus, in quantum ordinatur ad nocumentum sui. Verbum enim *ad alterum* est, et qui falsum alteri loquitur, quodam modo, etsi non noceat aliquid auferendo, fallit tamen decipiendo [6]. — Et per hoc potest responderi ad illud quod primo obiicitur.

Ad illud vero quod obiicitur, quod quis mentitur contra Deum; dicendum, quod mendacium, quod est in *doctrina fidei* et *religionis* et est contra *veritatem divinam* et ordinatur ad *nocumentum proximi,* ex diversis causis potest prohiberi, et in mandatis primae tabulae et in mandatis secundae, sicut dictum est de *periurio* [7]. Et quia cognitio *periurii* pendet ex cognitione *mendacii* — periurium enim includit mendacium — hinc est, quod quamvis prohibeatur et in secundo mandato primae tabulae et in quinto secundae, Magister reservat determinare de *periurio* in explicatione quinti mandati. — Et per hoc potest ad obiecta responderi [8].

Ad quaest.

DISTINCTIO XXXVIII.

Cap. I.

De triplici genere mendacii.

Sciendum est tamen, tria esse genera mendaciorum. Sunt enim mendacia quaedam pro salute vel commodo alicuius, non malitia, sed *benignitate* dicta, qualiter obstetrices mentitae sunt et Raab [1]. — Est et aliud mendacii genus, quod fit *ioco,* quod non fallit. Scit enim cui dicitur, causa ioci dici. Et haec duo genera mendaciorum non sunt sine culpa, sed non cum magna. Perfectis vero non convenit mentiri, nec etiam pro

Genus 1. Genus 2.

---

[1] Respicitur illud I. Ioan. 2, 27: Unctio eius docet vos de omnibus. — In edd. deest *unctionis et;* pro *unctionis* codd. K O substituunt *intentionis.*

[2] Cod. U et edd. 1, 2 *est ibi,* Vat. *ibi.* Inferius post *et hoc* codd. K U subdunt *est,* cod. Z supplet *patet.* Paulo post pro *Prima quidem* edd. *Prima ratio.*

[3] De his rationibus cfr. Aristot., IV. Ethic. c. 1, et praecipue I. Polit. c. 6. seq. (c. 3.). — De ipso dubio vide Alex. Hal., S. p. III. q. 36; B. Albert., hic a. 11. seqq.; S. Thom., hic a. 6. eiusdemque opuscul. 66. (alias 73.); Petr. a. Tar., hic q. 3. a. 4.

[4] Permulti codd. *spectat.*

[5] Hic c. 5. in fine. — Codd. A K bb bis *iniuria* pro *in iniuriam.*

[6] Quapropter Aristot., de Virtut. et vitiis, c. 7, mendacium recenset inter vitia contra iustitiam, quae ad alterum est. Cfr. IV. Ethic. c. 7.

[7] Supra dub. 2. — Superius pro *mendacium* plurimi codd. perperam exhibent *mandatum,* et deinde non ita multo post permulti codd. ante *ex diversis causis* interliciunt *et* (i. e. etiam).

[8] Cod. G *patet solutio ad obiecta.* — Cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 37. m. 1.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] De obstetricibus illis cfr. Exod. 1, 19; de Raab Ios. 2, 4; ad rem August., Enarrat. in Ps. 5. n. 7.

temporali vita alicuius, ne pro corpore alterius animam suam occidant. Licet autem eis *verum tacere*, sed non *falsum dicere*, ut si quis non vult hominem ad mortem prodere, verum taceat, sed non falsum dicat.

Genus 3. — Tertium vero genus mendacii est, quod ex *malignitate* et *duplicitate* procedit[1], cunctis valde cavendum. — His innui videtur, mendacia illa, quae fiunt *ioco*, vel pro *salute* alicuius, *imperfectis* esse venialia peccata, *perfectis* vero illud quod pro commodo alterius dicitur, esse damnabile; quod etiam de mendacio *iocoso* putari potest, praecipue si iteretur. — De men-

Dubium 1. dacio autem *obstetricum* et *Raab*, quod fuerit veniale,

Augustinus. Augustinus[2] tradit dicens: « Forsitan, sicut obstetrices non remuneratae sunt, quia mentitae sunt, sed quia infantes liberaverunt, et propter hanc misericordiam veniale fuit peccatum, non tamen nullum; sic Raab liberata est propter liberationem exploratorum, pro qua fuit veniale peccatum. Sed ne putet quisque, in ceteris peccatis, si propter liberationem hominum fiant, ita posse concedi veniam. Multa enim mala detestanda talem sequuntur errorem ». « Possumus enim et furando alicui prodesse, si pauper, cui datur, sentit commodum, et dives, cui tollitur, non sentit incommodum; ita et adulterando possumus, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura, et si vixerit, poenitendo purganda. Nec ideo peccatum grave negabitur tale adulterium ».

Cap. II.

De octo speciebus mendacii.

Sciendum est etiam, octo esse genera mendacii, ut Augustinus in libro de Mendacio[3] tradit, quae diligenter notanda sunt, ut appareat, quod mendacium

Augustinus. sit veniale, et quod damnabile. « Primum capitale est mendacium longeque fugiendum, quod fit in *doctrina religionis*, ad quod nulla causa quisquam debet adduci. — Secundum, quod tale est, ut *nulli prosit* et *obsit alicui*. — Tertium, quod ita *prodest* alicui, ut

Dubium 2. *obsit alteri*. — Quartum, sola mentiendi fallendique *libidine*, quod merum mendacium est. — Quintum, quod fit *placendi cupiditate* de suaviloquio. — His omnibus evitatis, sequitur sextum genus, quod et *nulli obest* et *prodest alicui*, ut si quis pecuniam alicuius iniuste tollendam sciens, ubi sit, nescire se mentiatur. — Septimum, quod et *nulli obest* et *prodest alicui*, ut si quis, nolens hominem ad mortem quaesitum prodere, mentiatur. — Octavum, quod *nulli obest* et *ad hoc prodest*, ut ab immunditia corporali aliquem tueatur ».

« In his autem tanto minus peccat quisque, cum mentitur, quanto magis a primo recedit. Quisquis vero aliquod genus esse mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet se ipsum turpiter, cum honestum esse deceptorem aliorum arbitretur[4] ». — Omne ergo genus mendacii summopere fuge, quia omne mendacium non est a Deo. Augustinus.

Cap. III.

Quid sit mendacium.

Hic videndum est, quid sit *mendacium*, et quid sit *mentiri;* deinde, utrum omne mendacium sit peccatum, et quare. — « *Mendacium* est, ut ait Augusti- Dubium 3.
nus[5], falsa significatio vocis cum intentione fallendi ». Augustinus.
Ut ergo mendacium sit, necesse est, ut falsum proferatur et cum intentione fallendi. « Hoc enim malum est proprium mentientis, aliud habere clausum in pectore, aliud promptum in lingua ».

Cap. IV.

Quid sit mentiri.

Mentiri vero est loqui contra hoc quod animo sentit quis, sive illud verum sit, sive non. Omnis ergo, qui *loquitur mendacium*, mentitur, quia loquitur contra hoc quod animo sentit, id est voluntate fallendi; sed non omnis qui *mentitur*, mendacium dicit, quia quod verum est loquitur aliquando mentiendo, sicut e converso falsum dicendo aliquando verax est. Unde ait Au- Augustinus.
gustinus[6]: « Nemo sane mentiens iudicandus est, qui dicit falsum, quod putat verum, quia, quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur. Non igitur mendacii arguendus est qui falsa incautius credit ac pro veris habet; potiusque e contrario ille mentitur, qui dicit verum, quod putat falsum. Quantum enim ad animum eius attinet, non verum dicit, quia non quod sentit dicit, quamvis verum inveniatur esse quod dicit. Nec ille liber est a mendacio, qui ore nesciens loquitur verum, sciens autem voluntate mentitur ».

Hic quaeri solet, si Iudaeus dicat, Christum esse Quaestio de Iudaeo.
Deum, cum non ita sentiat animo, utrum loquatur mendacium. Non est *mendacium* quod dicit, quia, licet aliter teneat animo, verum est tamen quod dicit; et ideo non est mendacium; *mentitur* tamen, illud quod verum est dicens. — Quod vero omne mendacium sit Omne mendacium peccatum.
peccatum, Augustinus[7] insinuat. « Mihi, inquit, videdetur omne mendacium esse peccatum. Sed multum

---

[1] Codd. et edd. 2, 3, 7 *prodit*.

[2] Libr. III. Quaestion. in Pentateuch. (in Levit.) q. 68. — Codd. et edd. 4, 8 omittunt *est* post *liberata*, refragante originali. — Seq. locus est eiusdem, Enchirid. c. 22. n. 7, in quo loco post *adulterando possumus* cum codd. et originali omisimus *prodesse*, quod subiungunt edd.

[3] Cap. 14. n. 25. Cfr. de hoc et seqq. Gratian., C. *Primum* c. 22. q. 2. — Pro *prodest alicui*, quod habent codd. B C et edd. 1, 8, cod. D *prodest uni*, in aliis *prodest alteri*. Deinde pro *merum mendacium* codd. et plurimae edd. et ipse Gratian. perperam *mirum mendacium*.

[4] Loc. cit. c. 21. n. 42, ubi in originali ante *deceptorem* ponitur *se* pro *esse*.

[5] Contra Mendacium ad Consentium, c. 12. n. 26. Seq. locus est eiusd. in Enchirid. c. 18. n. 6. — Pro *in pectore* codd. B C et edd., exceptis 1, 8, *in corde*, refragante originali.

[6] Loc. cit., Enchirid. parum superius. — Pro *incautius* Vat. et edd. 4, 6 *incautus*, refragante etiam originali.

[7] Loc. cit. Enchiridii. — Quaestio de Iudaeo sumta est ex Hugone a S. Vict., Sum. Sent. tr. 4. c. 5. — Pro *diverso itinere* sola ed. 8 rectius *diversa itinera;* August. *diversum iter*. — Seq. locus (in c. 5.) Enchirid. c. 22. n. 7.

interest, quo animo, et de quibus rebus quisque mentiatur. Non enim sic peccat qui consulendi, ut qui nocendi voluntate mentitur; nec tantum nocet qui viatorem mentiendo in diverso itinere mittit, quantum qui viam vitae mendacio depravat ».

Cap. V.

Quod omne mendacium peccatum sit, sive prosit, sive non, et quare.

« Porro omne mendacium ideo dicendum est esse
Augustinus. peccatum, quia hoc debet loqui homo, quod animo gerit, sive illud verum sit, sive putetur, et non sit. Verba enim ideo sunt instituta, non ut per ea homines invicem fallant, sed ut per ea in alterius notitiam suas cogitationes ferant. Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod sunt instituta, peccatum est. — Nec etiam ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus alicui aliquando *prodesse* mentiendo. Possumus enim, ut praedictum est, et furando et adulterando prodesse ». « Mendacium quoque non tunc tantum esse, possumus dicere, quando aliquis laeditur. Cum enim a sciente dicitur falsum, mendacium est, sive quis sive nemo laedatur[1] ». — Ecce ex his constat, omne mendacium esse peccatum. Non tamen de omni mendacio accipiendum est illud: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium;* nec illud: *Os, quod mentitur, occidit animam;* nec omne mendacium isto praecepto prohiberi videtur, nec praemissa descriptione mendacium *ioci* includi.

Cap. VI.

In quibus rebus cum periculo erratur, vel non.

Illud etiam sciendum est, quod « in quibusdam rebus *magno* malo, in quibusdam *parvo*, in quibusdam *nullo* fallimur[2] ». « In quibus rebus nihil interest ad capessendum Dei regnum, utrum credantur, an non, vel utrum vera putentur, an falsa, sive sint, sive non; in his errare, id est aliud pro alio putare, non arbitrandum est esse peccatum; vel si est, minimum atque levissimum ». « Et sunt vera, quamvis non videantur, quae nisi credantur, ad vitam aeternam non potest perveniri ». « Et licet error maxima cura cavendus sit non modo in maioribus, sed etiam in minoribus rebus, nec nisi rerum ignorantia possit errari; non est tamen consequens, ut continuo *erret*, quisquis aliquid *nescit*, sed quisquis se *existimat* scire quod nescit. Pro vero enim approbat falsum, quod est erroris proprium. Verumtamen, in qua re quisquis erret, interest plurimum. Sunt enim quae nescire sit melius quam scire. Item, nonnullis *errare* profuit aliquando, sed in via *pedum*, non in via *morum* ».

Solet quaeri de Iacob, qui se dixit esse Esau, aliter animo sentiens, utrum mentitus sit. De hoc Augustinus[3] ait: « Iacob quod matre fecit auctore, ut falleret patrem, si diligenter attendatur, videtur non esse mendacium, sed mysterium ». Intendebat enim matri obedire, quae per Spiritum noverat mysterium. Et ideo propter familiare consilium Spiritus sancti, quod mater acceperat, a mendacio excusatur Iacob.
Augustinus. Dubium 4.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXVIII.

De mendacio.

Sciendum tamen, tria esse genera mendaciorum etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de expositione mandatorum, in hac vero parte intendit agere de obliquitatibus, quae illis mandatis opponuntur et per illa prohibentur. Dividitur autem pars ista in duas. In quarum prima determinat de mendacio. In secunda de periurio, ibi[1]: *Nunc de periurio videamus.*

Prima autem pars, in qua agit de mendacio, dividitur in partes tres. In quarum prima determinat de speciebus et differentiis mendacii. In secunda determinat, quid sit mendacium, et quid mentiri, ibi: *Hic videndum est, quid sit mendacium*[2]. In tertia vero determinat de his quae ad mendacium consequuntur, ibi: *Illud etiam sciendum, quod in quibusdam rebus* etc.

Prima pars dividitur in partes duas. In quarum prima ponit trimembrem divisionem mendacii. In secunda vero subiungit aliam divisionem octo membrorum, ibi: *Sciendum est etiam, octo esse genera mendacii.*

Similiter secunda pars principalis dividitur in duas: In quarum prima determinat Magister, quid sit mendacium, et quid mentiri secundum rem. In secunda vero determinat, quid sit secundum vitii deformitatem, ibi: *Quod vero omne mendacium sit peccatum* etc.

Similiter tertia pars dividitur in duas. In quarum prima ostendit, quod non omnis deceptio est aequalis periculi[3]. In secunda vero inquirit, utrum Iacob mentitus fuerit, ibi: *Solet etiam quaeri de Iacob* etc.

---

[1] August., III. Quaestion. in Pentateuch. (in Levit.) q. 68. — Infra loci Scripturae sunt Ps. 5, 7; Sap. 1, 11.

[2] August., Enchirid. c. 49. n. 6; secundus locus ibid. c. 21. n. 7; tertius ibid. c. 20. n. 7; quartus ibid. c. 17. n. 5.

[3] Contra Mendac. ad Consent. c. 10. n. 24; cfr. Gen. 27, 19. seqq. — Superius post *solet* edd. plurimae addunt *etiam*.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Scilicet infra d. XXXIX.

[2] Edd. *ibi: Mentiri vero est.*

[3] Vat. *peccati.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis possunt sex breviter quaeri.

Primo quaeritur, utrum essentiale sit omni [1] mendacio esse falsum.

Secundo quaeritur, utrum essentiale sit mendacio esse peccatum.

Tertio quaeritur, utrum mendacium sit peccatum mortale ratione sui generis.

Quarto quaeritur, utrum omne mendacium sit mortale viris perfectis.

Quinto quaeritur de numero mendaciorum.

Sexto et ultimo quaeritur de gradibus eorundem.

ARTICULUS UNICUS.

De mendacio.

QUAESTIO I.

Utrum essentiale sit mendacio esse falsum.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum essentiale sit mendacio esse falsum. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Primo per definitionem mendacii, quam ponit Augustinus in libro de Mendacio [2]: « Mendacium, inquit, est falsa vocis significatio cum intentione fallendi »: si ergo definitio et partes definitionis sunt essentiales definito: ergo essentiale est mendacio esse falsum.

2. Item, hoc ipsum videtur per illud quod dicit Augustinus, contra Mendacium [3]: « Sicut lux opponitur tenebris, ita veritas opponitur mendacio »; sed tenebra, essentialiter loquendo, est privatio lucis: ergo mendacium est privatio veritatis. Sed veritatis privatio est falsitas: ergo *a primo*, essentiale est ipsi mendacio esse falsum.

3. Item, sicut se habent esse veracem et mendacem circa *hominem*, sic se habent circa *orationem*; sed ista duo sunt incompossibilia circa eundem *hominem* simul et semel, videlicet ipsum esse veracem et mendacem: ergo similiter erunt incompossibilia circa *sermonem*: ergo impossibile est, quod idem *sermo* sit simul verus et mendax [4]. Si ergo mendacium non potest se compati cum veritate, videtur, quod inseparabiliter habeat sibi annexam falsitatem.

4. Item, omne verum, secundum quod huiusmodi, est a Veritate prima [5]; sed nullum mendacium est a Veritate prima: ergo nullum mendacium est verum. Et est verum, vel falsum: ergo essentiale est ipsi mendacio esse falsum.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Augustinus in libro de Mendacio [6] dicit, quod « ille mentitur, qui dicit verum, quod putat esse falsum »; sed qui mentitur mendacium dicit: ergo aliquis dicendo verum facit mendacium: non ergo omne mendacium necessario est falsum.

2. Item, sicut verbum discordat ab intentione, cum quis negat illud quod novit, sic etiam discordat, quando affirmat illud quod ignorat et de quo dubitat [7]; sed possibile est, aliquem affirmare aliquod verum, de quo dubitat; ponatur ergo, cum sit possibile; sed in tali affirmatione discordat sermo ab intentione loquentis: ergo est ibi vitium et peccatum. Sed non est nisi peccatum mendacii: ergo videtur, quod aliquid simul possit esse verum, et tamen nihilominus est mendacium.

3. Item, si intentio est recta, totum est rectum [8]: ergo si intentio est mendax, totum est mendax; sed aliquis potest dicere dictum verum intentione mentiendi: ergo possibile est, quod aliquis dicendo verum sit mendax. Sed non est mendax nisi in illo dicto: ergo possibile est, dictum verum esse mendacium.

4. Item, sicut se habet peccatum ad bonitatem, ita se habet mendacium ad veritatem; sed qui fa-

---

[1] Cod. K omittit *omni*, quod econtra Vat. paulo inferius adiungit.

[2] Cap. 3. n. 3. seq. sententialiter, sed verbotenus in lib. contra Mendacium ad Consentium, c. 12. n. 26: Mendacium est quippe falsa significatio cum voluntate fallendi. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3. — Aristot., II. Poster. c. 3: Definitio enim ipsius *quod quid est* [i. e. essentiae] esse videtur. Cfr. ibid. c. 10. (c. 9.); VI. Topic. c. 1. seqq., et VII. Metaph. text. 33. (VI. c. 10.), nec non supra pag. 501, nota 2.

[3] Cap. 3. n. 4: Nam sicut lux et tenebrae, pietas et impietas... ita inter se sunt veritas mendaciumque contraria. — *Minorem* exhibet Aristot., II. de Anima, text. 70. (c. 7.). De falsitate cfr. V. Metaph. text. 34. (IV. c. 29.).

[4] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Substantia* (circa finem), ubi ostendit, eandem orationem contrariorum non esse susceptibilem, scil. non posse simul esse veram et falsam. — Codd. A N U Z *simul verax et mendax*. In *maiori* post *sic* cod. A addit *etiam*, et post *orationem* Vat. subiungit *veritas et mendacium*.

[5] Vide supra pag. 797, nota 2. in fine, verba August. allegata, et eius lib. 83 Qq. q. 1.

[6] Cap. 3. n. 3. et 4. Videsis etiam hic lit. Magistri, c. 2. et 4, ubi eadem verba ex Enchirid. c. 18. n. 6. afferuntur.

[7] Cfr. August. locc. in praeced. nota citt.

[8] Matth. 6, 22: Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Vide II. Sent. d. 40. a. 1. q. 1.

cit aliquod bonum opus mala intentione committit peccatum [1]: ergo similiter qui dicit verum fallendi intentione incurrit mendacium: ergo idem quod prius. *Si dicas*, secundum quod Magister videtur dicere in littera [2], quod possibile est, aliquem dicere verum et *mentiri*, sed non est possibile, aliquod dictum esse verum et *mendacium* simul; videtur esse « oppositio in adiecto »: quia, sicut se habet peccans ad peccatum, sic se habet *mentiens* ad *mendacium;* sed omnis peccans peccatum committit: ergo omnis *mentiens mendacium* dicit: ergo si veritas dicti non repugnat actui mentiendi, non repugnat rationi ipsius mendacii.

CONCLUSIO.

Licet sola intentio fallendi sufficiat ad hoc, ut quis dicatur mentiri, *ad completam tamen* mendacii *rationem requiritur duplex falsitas, scilicet respectu intentionis et rei.*

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod dictum exterius prolatum comparatur ad *intentionem dicentis* et ad ipsam *rem significatam;* et secundum hoc sortitur dictum illud rationem *duplicis* falsitatis, vel veritatis. Nam per comparationem ad *rem* dicitur sermo *verus*, per comparationem autem ad *intentionem dicentis* dicitur *verax* [3]. Sic etiam *falsitas* duplex est circa sermonem. Nam per comparationem ad *rem*, videlicet cum non est adaequatio rei et sermonis, dicitur sermo *falsus;* per comparationem vero ad *intentionem dicentis*, cum non est adaequatio sermonis et intentionis, dicitur sermo *fallax* sive *mendax.*

Duplex dicti comparatio et duplex falsitas et veritas.

Quoniam igitur *mendacium* nominat ipsum dictum per comparationem ad *rem* et ad ipsum *dicentem;* hinc est, quod ad *completam* mendacii rationem duplex falsitas concurrit: una per comparationem ad *rem*, et altera per comparationem ad *intentionem loquentis.* Et hanc duplicem falsitatem tangit Augustinus in definitione mendacii, cum dicit: « Mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi ». Prima autem falsitas tenet in ipso mendacio rationem *materialis;* secunda vero rationem *formalis*, et ab illa secunda denominatur quis *mendax.* Propter hanc ergo duplicem comparationem, quam importat ipsum mendacium de ratione sui nominis, necesse est, ad eius *completam* rationem concurrere praedictam duplicem differentiam falsitatis. — *Mentiri* autem dicit actum per comparationem ad ipsum *loquentem.* Unde ad hoc, quod aliquis dicatur *mentiri*, sufficit falsitas, quae concurrit ex discordia vocis et intentionis; et hoc patet ex ipsa definitione vocabuli, quia *mentiri* est *contra mentem ire* [4]. Contra mentem autem vadit non solum ille qui dicit falsum scienter, sed etiam qui dicit verum quod putat esse falsum. Unde minus importatur, cum dicimus, aliquem *mentiri*, quam quando dicimus, aliquem *dicere mendacium.* Quamvis enim intentio fallendi sufficiat ad hoc, ut aliquis dicatur *mentiri;* non tamen sufficit ad plenam rationem *mendacii*, secundum quod Magister dicit in littera [5], et manifeste apparet ex ipsa notificatione Augustini et rationibus ad primam partem adductis.

Conclusio 1.

Definitio mendacii.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

Corollarium.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium, quod ille mentitur, qui dicit verum quod putat esse falsum; iam patet responsio: quia plura requiruntur ad perfectam rationem *mendacii* quam ad hoc, quod aliquis dicatur *mentiri.*

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod sicut verbum discordat ab intentione in eo qui asserit falsum, ita etiam in eo qui asserit dubium et incertum; dicendum, quod etsi sit ibi similitudo quantum ad discordiam *intentionis*, dissimilitudo tamen est quantum ad discordiam *sermonis et rei*, quia, cum asseritur falsum scienter, non tantummodo discordat sermo ab *intentione*, sed etiam discordat a *re;* et ideo non sequitur, quodsi in assertione falsi cogniti est mendacium, quod sit propter hoc in assertione veri incerti, nisi *secundum quid.*

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod intentio recta totum rectificat, et obliqua totum falsificat; dicendum, quod etsi intentio obliqua totum dictum falsificet, non tamen falsificat secundum *omnem respectum*, sed [6] secundum respectum, quem habet ad *dicentem;* et ille respectus non sufficit ad mendacii rationem, sicut tactum est.

4. Ad illud quod obiicitur, quod qui facit bonum mala intentione committit peccatum, ergo etc.; dicendum, quod bonum mala intentione factum non est *simpliciter* peccatum, sed peccatum *illi* qui facit, sicut, cum quis dat eleemosynam ex vana gloria, *dare eleemosynam* non est peccatum, sed *illi* qui mala intentione hoc facit. Sic etiam in proposito potest concedi. Et propterea ex hoc non habetur, quod veritas simul stet cum eo quod est mendacium *simpliciter*, sed solum cum eo quod est mendacium *secundum quid* sive *alicui* [7]. — Aliter etiam posset dici, quod non est simile: quia peccatum di-

Notandum.

Alia solutio.

---

[1] Cfr. August., contra Mendac. c. 7. n. 18.

[2] Hic c. 4. — Dictio « oppositio in adiecto » invenitur in Aristot., II. Periherm. c. 2. (c. 11). — Inferius pro *simul* cod. K *sic similiter*, edd. 1, 2 *similiter*, quod coniungunt cum *videtur.*

[3] De prima acceptione veritatis cfr. tom. I. pag. 707, nota 5, et Anselm., Dialog. de veritate c. 2. seq. De secunda vide Aristot., II. Ethic. c. 7. et IV. c. 7.

[4] Cfr. Guliel. Antissiod., S. p. III. tr. 23. c. 1. q. 2.

[5] Hic c. 3. et 4.

[6] Edd. addunt *solum*, cod. K *tantum.*

[7] Ex cod. K supplevimus *sed solum cum eo quod est mendacium secundum quid sive*, quae lectio confirmatur lectione mutila plurimorum codd. et edd. 1, 2, qua pro his verbis exhibetur tantum *sive;* Vat. substituit *sed tantum.* Paulo ante pro *Et propterea* Vat. *Sed praeterea.*

cit privationem *bonitatis;* bonitas autem dicit ordinationem in finem, quae quidem habet esse mediante recta *intentione:* et ideo, recta intentione sublata, cum simpliciter pereat ordinatio, *simpliciter* iudicabitur aliquid esse peccatum [1]. Mendacium autem dicit privationem *veritatis,* quae quidem non tantum consistit in comparatione ipsius sermonis ad *intentionem,* sed etiam ad ipsam *rem.*

Ad replicationem. Et per hoc patet responsio ad illud quod obiicit consequenter, quod quicumque peccat, peccatum committit: ergo qui mentitur similiter committit mendacium. Non enim est simile, sicut iam visum est. Esto tamen, quod ista conclusio concederetur, quod iste *mentiendo* committeret *mendacium,* non tamen sequeretur, quod esset *mendacium in se;* immo est ibi *quid et simpliciter* [2], sicut prius explanatum est. Unde solum illud dictum, in quo est falsitas per comparationem ad rem et intentionem, est *mendacium simpliciter* et *complete.* Illud vero, in quo est falsitas solum per comparationem ad *intentionem,* est *mendacium alicui* et *minus complete.* Illud autem, in quo est falsitas per comparationem ad *rem* tantum, est *mendacium secundum quid* et *minime complete.* Unde fere omnes rationes praemissae et etiam consimiles in processu suo peccant secundum *quid et simpliciter.*

Triplex determinatio notabilis.

SCHOLION.

1. In hoc tractatu de mendacio S. Bonav. aliique principales Scholastici presse sequuntur S. Augustinum, satisque eorum doctrina concordat. — In hac 1. quaestione explanatur, quid sit mendacium; cfr. etiam hic dub. 3; et de tribus mendacii speciebus vide infra q. 5, ubi etiam de alia divisione per octo membra agitur. Quod verbis: *falsa vocis significatio,* exprimatur quasi materiale mendacii, sed *intentio fallendi* sit formale, docet etiam S. Thom. (hic a. 1; S. II. II. q. 98. a. 1. ad 3.); tamen non ab omnibus conceditur, hanc intentionem in *omni* casu requiri ad constituendum mendacium verum.

De mendacio *simpliciter* et *secundum quid* (quod dupliciter esse potest) cfr. infra d. 39. a. 1. q. 1. in corp. Bene etiam S. Thom. in Summa (II. II. q. 110. a. 1.), ubi hanc nostram quaestionem tractat, dicit: « Si ergo ista tria concurrant, scilicet quod falsum sit id quod enuntiatur, et quod adsit voluntas falsum enuntiandi, et iterum intentio fallendi; tunc est falsitas *materialiter,* quia falsum dicitur, et *formaliter* propter voluntatem falsum dicendi, et *effective* propter voluntatem falsitatem imprimendi ». — Differentia hic assignata inter *mentiri* et *mendacium dicere,* quam S. Bonav. sumsit ex Magistro (hic c. 3.), posterioribus non probatur; qui pro eo distinguunt mendacium vel *materiale tantum,* vel *formale tantum,* vel *simul formale et materiale.* Attamen praedicta distinctio valde antiqua est, teste Forcellini (Lexicon etc., *Mendacium* § 4.), qui citat: « *Nigid.* apud *Gellium* 11. 11, et *Non.* 5. 80, ubi addit: Vir bonus praestare debet, ne mentiatur; prudens, ne mendacium dicat ». — In afferendis responsionis rationibus Petr. a Tar. (hic a. 1.) sequitur S. Bonaventuram.

De hac quaestione praeter laudatos: Alex. Hal., Sum. p. II. q. 123. m. 1. — B. Albert., hic a. 8. — Richard. a Med., hic q. 1. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 1. — De hac et seqq. qq. Dionys. Carth. et Biel, hic q. unica.

II. Conclusio sequentis (2.) quaestionis quoad primam partem, scilicet quod omne mendacium *de facto* sit peccatum, communissime approbatur a catholicis contra errorem nonnullorum antiquorum, et praesertim haereticorum; quod facile probatur ex sacra Scriptura, ex Ss. Patribus et ex iure canonico, suffragante ipsa ratione philosophica. Sed quoad secundam eiusdem partem, quae est de *possibili,* utrum scilicet mendacium sit ita essentialiter et intrinsecus malum, quod ne divina quidem dispensatione fieri possit licitum, non idem est doctorum consensus. Nam responsioni affirmativae, quam tenent Alex. Hal., S. Bonav., S. Thom., Scot. aliique communiter, contradicunt Ocram, Nominales, illique qui volunt, omne malum ideo tantum malum esse, quia prohibitum. — Non autem facile est afferre rationem stricte convincentem pro communi opinione. Quod nec prima nec secunda ratio hic relata satis convincat, communius conceditur. — S. Thom. (S. II. II. q. 110. a. 3.) sine distinctione affert rationem hic tertio loco positam, scilicet quod mendacium est « actus cadens super indebitam materiam », quia « innaturale est et indebitum, quod aliquis voce significet id quod non habet in mente ». Hanc rationem impugnat Scotus (hic q. unica n. 4. 5.) tanquam non aptam ad evincendam impossibilitatem divinae dispensationis. Idem (n. 5.) refert etiam rationem S. Bonaventurae, quam nec approbat nec improbat, sed tantum exponit. — Quoad solut. ad 1. cfr. hic dub. 1. et 4. (de Iacob). — Quoad facta, quae Scriptura narrat de Iacob aliisque, antiqui Scholastici cum S. Bonav. approbant doctrinam S. Augustini eundem a mendacio excusantem. Sed Scot. (hic q. unica n. 13.) cum aliis posterioribus dicit de Patribus veteris Test., quod « non videtur multum rationabile negare, illos quandoque fuisse mentitos vel potuisse mentiri. Quodsi ita est, etsi laudemus bona facta eorum et illa sumamus in exemplum; mala autem nec recipimus in exemplum nec pertinaciter excusamus. Dicitur tamen, quod tales sermones possunt *figurative* intelligi, vel sub *alio* intellectu, quam verba primo exprimunt; sed circa tales intellectus non oportet immorari ».

De hac (2.) quaestione praeter laudatos: Alex. Hal., loc. cit. m. 2. 3. — S. Thom., hic a. 3; S. loc. cit. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic a. 4. — Richard. a Med., hic q. 2. — Henr. Gand., Quodl. 3. q. 25.

III. Circa solutionem sequentis (3.) quaestionis non est controversia. De ea agunt: Alex. Hal., loc. cit. m. 4. — Scot., loc. cit. n. 8. 9. — S. Thom., hic a. 4; S. II. II. q. 110. a. 4. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., hic a. 5. — Richard. a Med., hic q. 3. — Durand., hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum essentiale sit mendacio esse peccatum.

Secundo quaeritur, utrum essentiale sit mendacio esse peccatum. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Primo auctoritate Augustini, contra Mendacium [3], qui dicit sic: « Videtur mihi omne genus mendacii esse peccatum ».

2. Item, Augustinus in libro de Mendacio [4]:

[1] Vide II. Sent. d. 38. a. 1. q. 1. et d. 40. a. 1. q. 1. — Superius pro *ordinatio* plures codd. incongrue *ordinat,* cod. K bene *quod ordinat.*

[2] Cfr. supra pag. 258, nota 2. — Codd. A N *est ibi secundum quid et simpliciter.*

[3] Cap. 3. n. 4. et c. 15. n. 31., sed tantum quoad sensum (cfr. hic lit. Magistri, c. 2.); verba ipsa occurrunt in Enchirid. c. 18. n. 6.

[4] Cap. 8. n. 11.

« Aut non est credendum bonis, aut credendum est eis quos credimus debere aliquando mentiri, aut non est credendum, bonos aliquando mentiri; quorum primum est *pernitiosum*, secundum *stultum*: restat ergo, ut nunquam mentiantur boni ». Si ergo aliquis mentitur, necesse est, in quantum mentitur, esse malum: ergo essentiale est ipsi mendacio esse peccatum.

3. Item, Augustinus ibidem [1]: « Quisquis aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, esse putaverit, semetipsum turpiter decipit »: ergo redit idem quod prius.

4. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quia essentiale est ipsi mendacio esse privationem veritatis et respectu *rei* et respectu *intentionis* [2]; sed ubicumque est intentionis obliquitas, ibi necessario est culpa: ergo necessarium est, ipsum mendacium esse peccatum.

5. Item, omnis iniquitas, essentialiter loquendo, est peccatum [3]; ubicumque autem est mendacium, ibi dolositas est, quia aliud gerit homo in corde, aliud dicit ore; ubi autem dolositas est, ibi iniquitas: ergo *a primo,* impossibile est, aliquod mendacium non esse peccatum.

6. Item, verba instituta sunt ad hoc, quod homo exprimat per illa illud quod mente gerit [4]; sed quicumque mentitur, utitur verbis ad contrarium eius quod mente gerit: ergo quicumque mentitur, utitur verbis ad contrarium eius, ad quod instituta sunt; et omnis qui utitur re ad contrarium eius, ad quod instituta est, necessario illa abutitur; et omnis qui abutitur, peccat: ergo omnis qui dicit mendacium, peccat.

Sed contra hoc obiicitur: 1. Primo per *exempla:* quia, Genesis vigesimo secundo [5], Abraham, cum intenderet puerum immolare, dixit, se cum puero reversurum ad servos; et Isaac de uxore sua dixit, quod soror eius esset, Genesis vigesimo sexto; et de Ioseph similiter habetur exemplum, Genesis quadragesimo secundo et quadragesimo quarto. Si ergo facta Patriarcharum narrat Scriptura non sicut reprehendenda, sed sicut imitanda; et ipsi mentiti fuerunt; videtur, quod mentiri possit aliquis sine peccato.

Ad oppositum.

2. Item, in Scripturis proponuntur multae *locutiones*, quae secundum intentionem litterae falsae sunt, sicut patet de eo quod dicitur Iudicum nono [7]: quod *ierunt ligna ad rhamnum* etc.; et disputantes proponunt multa, quae sciunt esse falsa: cum ergo sacra *Scriptura* absque aliquo peccato fuerit data et scripta et inspirata, et *disputatio* ad veritatem inquirendam sit laudabilis et meritoria; videtur, quod aliqua mendacia dici possint absque ulla culpa: ergo non est essentiale ipsi mendacio esse peccatum.

3. Item, secundum quod dicit Ambrosius [7], « non solum est mendacium in *verbis*, sed etiam in *operibus* simulatis »; sed contingit facere opera simulata absque aliquo peccato, sicut fecit Iosue, qui simulavit, se fugere ante habitatores Hai; et David, qui simulavit se stultum ante regem Achis; et Iehu, qui simulavit se cultorem Baal; et isti non peccaverunt, sed potius commendantur: ergo videtur pari ratione, quod possit fieri mendacium in verbis sine peccato.

4. Item, maius malum est homicidium et furtum, quam sit mendacium; sed furtum et homicidium potest bene fieri, nec est necessarium semper esse peccatum — sicut patet de his qui occidunt auctoritate legis, et furantur tempore necessitatis, vel ex praecepto Domini, sicut filii Israel [8] — ergo videtur multo fortius, quod mendacium aliquod possit bene fieri: ergo non est essentiale ei esse peccatum.

5. Item, mendacium, quo quis mentitur proximo, est contra mandatum secundae tabulae; sed in mandatis secundae tabulae, ut dicit Bernardus [9], potest Dominus dispensare, ut bene fiant: ergo et in ipso mendacio: igitur non videtur, quod essentiale sit ei esse peccatum.

6. Item, possibile est, quod quis mentiatur propter castitatem alterius conservandam, quem diligit ex caritate; sed omne quod fit ex caritate, fit bene et meritorie [10], et tale non est peccatum: ergo si possibile est mentiri ex caritate, possibile est, mendacium non esse peccatum.

---

[1] Cap. 21. n. 42.

[2] Cfr. quaest. praeced. — Inferius pro *necessarium est* cod. A *necesse est.*

[3] August., VII. Confess. c. 16. n. 22: Et quaesivi, quid esset iniquitas, et non inveni substantiam, sed a summa substantia, te Deo, detortae in infima voluntatis perversitatem, proiicientis intima sua et tumescentis foras. Cfr. Gregor., XVIII. Moral. c. 3. n. 5.

[4] Vide hic lit. Magistri, c. 5.

[5] Vers. 5. — Seq. textus est ibid. 26, 7; tertius ibid. 42, 9. seqq., et quartus ibid. 44, 15. — August., contra Mendacium, c. 14. n. 29: Quia ergo non inveniunt mendaces haeretici in Testamenti novi litteris imitanda exempla mendacii, copiosissimos se esse existimant in hac disputatione, qua opinantur esse mentiendum, cum de veteribus propheticis libris etc. — Aliquanto inferius pro *narrat Scriptura non sicut reprehendenda, sed sicut imitanda* cod. K *narrante Scriptura, non sunt reprehendenda, sed sunt imitanda.*

[6] Vers. 8: Ierunt ligna, ut ungerent super se regem, dixeruntque olivae: Impera nobis; ibid. v. 14: Dixeruntque omnia ligna ad *rhamnum:* Veni et impera super nos. — Aliquanto inferius pro *scripta* plures codd. *inscripta.*

[7] Serm. 30. n. 3: Omnis simulatio et omnis duplicitas mendacium est; ergo non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium comprobatur. — De primo facto narrat Scriptura Iosue 8, 5. seqq.; de secundo, I. Reg. 21, 13; de tertio, IV. Reg. 10, 19. — Inferius pro *contingit* edd. *potest aliquis.*

[8] Exod. 3, 22; 11, 2; 12, 35. seq. — Edd. cum uno alteroque cod. omittunt *Domini.*

[9] De Praecepto et dispens. c. 3. n. 6.

[10] Cfr. supra d. 27. a. 2. q. 1. — Pro *sed* edd. *si ergo.*

CONCLUSIO.

Omne mendacium est peccatum; immo hoc ipsi ita est essentiale, ut nullo pacto, nullo fine, nulla dispensatione, sive humana sive divina, possit bene fieri.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod absque dubio omne mendacium est peccatum; et adeo est ipsi mendacio essentiale esse peccatum, ut nullo pacto, nullo fine, nulla dispensatione, nec humana nec divina, possit fieri bene. Et hoc Augustinus [1] dicit expresse et nititur multipliciter probare; et in hoc communiter concordant doctores. Sed *rationem* huius difficile est assignare, et ad hoc possumus niti diversimode.

Ratio difficilis.

Ratio 1. Una namque ratio reddi potest ex parte eius, *contra quod* est mendacium. Mendacium enim est contra *Veritatem*, homicidium vero et furtum contra *creaturam*. Deus autem contra suam veritatem non potest facere [2] — nec aliquis iuste contra divinam veritatem ire — quamvis possit quamlibet *creaturam* alii pro voto subiicere et eam disponere et ordinare. Ideo licet possibile sit dispensare in homicidio et furto, non tamen in mendacio. — Sed haec

Non sufficit. ratio non videtur sufficere, quia non omne mendacium est contra *Veritatem increatam*. Sicut enim est *bonitas* creata et increata, ita etiam et *veritas;* et sicut Deus est supra *creatam bonitatem*, ita etiam est supra *creatam veritatem:* ergo sicut potest dispensare, ut aliquis destruat aliquod bonum creatum, ita tamen quod nullum fiat praeiudicium suae bonitati; ita videtur similiter de veritate.

Ratio 2. Ideo est alius modus dicendi, quod mendacium nullo modo potest bene fieri, nec aliquo *fine* nec aliquo *praecepto dispensativo* [3], quia semper manet in eo deordinatio, quae quidem est ex *discordia* vocis et intellectus; non sic autem est reperire in aliis — nam divinum mandatum superveniens tollit deordinationem illam quae est in homicidio et in furto — ideo magis adhaeret malitia ipsi mendacio quam

Non sufficit. furto, vel homicidio. — Sed nec adhuc videtur istud sufficere: quoniam, si Deus potest facere, duos homines discordare ab invicem sine peccato, sicut dicimus de Paulo et Barnaba [4]; videtur similiter, quod manente intellectus et sermonis discordia, possit ex dispensatione divina amoveri omnis culpa. Et ideo non videtur ratio sufficiens sumi ex parte *discordiae* intentionis et sermonis.

Ratio 3. et auctoris. Et ideo adhuc est tertius modus dicendi, quod dupliciter dicitur aliquid esse malum: aut ex *genere actus*, utpote cum transit actus super *materiam indebitam*, aut ex *malitia intentionis* [5]. Cum autem *transit actus super materiam indebitam*, hoc potest esse dupliciter: vel respectu *Dei*, vel respectu *proximi*. Si respectu *Dei;* sic est malum *in se* et *secundum se*, nec ullo modo potest bene fieri, sicut est odire summum Bonum et blasphemare Deum. — Si respectu *proximi*, sicut est nocumentum inferre proximo in persona vel in rebus; sic est malum *in se*, et potest aliquo fine [6] bene fieri, quia potest *recta intentio* supervenire ex dispensatione. — Cum autem aliquid est malum ex *malitia intentionis*, tunc sive sit respectu Dei, sive respectu proximi, *simpliciter* malum est et nullo fine potest bene fieri, quia dicit privationem debiti finis. Unde facere, hoc malum esse bonum, nihil aliud est facere, quam aliquid simul esse bonum et malum. Tale autem est mendacium. — Nam mendacium non solummodo dicit malum ex hoc, quod actus *transit super materiam indebitam*, sed etiam ex *intentione* indirecta [7]; quoniam ad *esse* mendacii ista duo concurrunt, videlicet dicere falsum et intentio fallendi. Et primum est malum *in se* et potest bene fieri ab eo qui ignoranter dicit falsum; ratione vero secundi est malum *secundum se* et nullo fine potest bene fieri, nec circa ipsum potest dispensari; sicut nullo modo potest bene fieri, quod aliquis cognoscat alienam intentione adulterandi sive ex improbitate voluntatis. — Concedendae sunt igitur secundum hoc rationes ostendentes, quod essentiale est ipsi mendacio esse peccatum, et quod ipsum mendacium est malum *secundum se*, sicut dicit Augustinus, quoniam de ratione sui nominis includit inordinatam intentionem, sicut ostensum est.

Duplex malum.

Subdistinctio.

Axiomata tria.

Confirmatio.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium per *exempla* veteris Testamenti, de mendacio Abrahae, Isaac et Ioseph; dicendum, quod nullus eorum mentitus est. Nam etsi Abraham vellet filium suum immolare, credebat tamen ex magnitudine fidei suae, sicut dicit Apostolus [8], quod Dominus eum suscitaret; sciebat enim, quod firma erat promissio, qua dictum fuerat: *In Isaac vocabitur tibi semen.* — Similiter nec Isaac mentitus

De Abraham.

De Isaac.

---

[1] Praecipue in libro *de Mendacio*, in quo affert octo genera mendaciorum, iisque discussis et omnino reiectis, concludit, nunquam esse mentiendum. Et in libro *contra Mendacium*, quem scripsit ad refellendum Priscillianistarum errorem, scilicet *pro occultanda religione religiosos debere mentiri.* — Mox pro *multipliciter* edd. 1, 2 cum aliquot codd. *Magister*, quod, attenta abbreviatione, etiam in aliis codd. legi posset.

[2] Epist. II. Tim. 2, 13: Negare se ipsum non potest. — Inferius post *nec* edd. supplent *potest*, et pro *voto* Vat. *toto*.

[3] Codd. U Z *nec aliqua praecepti dispensatione.*

[4] Act. 15, 39. — Pro *dicimus* cod. U *dicitur*.

[5] Cfr. II. Sent. d. 36. dub. 5.

[6] Codd. U Z *potest aliquando.* Paulo inferius pro *simpliciter* cod. G *semper*.

[7] Sive *non recta*, sive ut cod. N *inordinata.* — Mox pro *esse mendacii* permulti codd. et edd. 1, 2 *esse mendacium*, Vat. *omne mendacium.*

[8] Hebr. 11, 18. seq., ubi etiam sequens textus invenitur, de quo vide insuper Gen. 21, 12, et Rom. 9, 7. — Cfr. Ambros., l. de Abraham, c. 8. n. 71. — August., Sermo 106. (alias 46. de Tempore) c. 4. n. 6. (inter opera August.). — Beda in Gen. 22, 5. — Alcuin., Interrog. et Respons. in Gen. interrog. 205.

fuit, quia Rebecca soror erat et uxor, et dicendo, ipsam esse suam sororem, veritatem utique tacuit, sed tamen falsitatem non dixit[1]. — Similiter etiam De Ioseph. nec Ioseph mentitus fuit, quia verba illa non dicebat affirmando, sed potius tentando, cum dicebat, eos esse exploratores. Unde potius intelligenda sunt *interrogative* quam *affirmative*. Cum autem dixit, se peritum esse in *augurandi scientia;* large accipitur verbum *augurandi* pro futurorum praevisione. *Praeterea,* hoc ipsum etiam *interrogative* dixit, potius exprimens famam populi, quam de hoc habebat, quam sibi attribuere volens famam illam[2]. Sic etiam et de consimilibus iudicandum est.

2. Ad illud quod obiicitur de *locutionibus* positis in Scriptura, dicendum, quod ea quae *transumtive* dicuntur, referuntur ad consequentem intellectum et pro illo intelliguntur; et quando pro illo habent veritatem, nullum est ibi mendacium. Et hoc est quod dicit Augustinus in libro de Mendacio[3]: « Quidquid *figurative* fit aut dicitur, non est mendacium; omnis enim enuntiatio ad id quod enuntiat, referenda est. Omne autem *figurative* factum aut dictum hoc enuntiat, quod significat eis quibus intelligendum prolatum est »; et sic nullum est ibi mendacium, quia non enuntiantur pro intellectu *primo,* sed pro *secundo,* qui verus est. — Sic nec in *disputatione* est mendacium, cum proponuntur aliqua Notandum. falsa ad hoc, quod per illa deducat homo ad maius falsum, et deducendo ad maius falsum reducat ad verum. In disputationibus enim propositiones magis sunt interrogationes quam veritatis assertiones, nisi forte in doctrinalibus disputationibus, in quibus « oportet discentem credere[4] », ubi sola vera proponuntur, probantur et supponuntur.

3. Ad illud quod obiicitur de simulatione in *facto,* dicendum, quod est simulatio *cautelae* et *instructionis* et *duplicitatis.* Simulatio *cautelae* fuit in Iehu, cum finxit se cultorem Baal, et David, qui finxit se stultum. Simulatio vero *doctrinae* fuit in Christo, cum *finxit se longius ire,* sicut dicitur Lucae ultimo[5]; in quo erudivit discipulos officium hospitalitatis, quo coegerunt illum apud se manere, per quod meruerunt etiam illum cognoscere. Simulatio vero *duplicitatis* est in hypocritis, qui in signo exteriori ostendunt, se esse bonos, et interius replentur malitia[6]. Primae duae simulationes non tenent rationem mendacii, sed tertia rationem mendacii tenet; et illa non est sine peccato. — *Praeterea,* non est simile de *verbo* et *facto,* quia *factum* non est principaliter institutum ad significandum mentis conceptum. *Sermo* autem ad hoc institutus est, ut sit « nuntius et interpres ipsius mentis[7] », et ut homo significet alteri quod est apud se, et ut constituatur veritas apud audientem, quae est apud loquentem; et ideo qui ad aliud utitur ipso sermone abutitur et incurrit peccatum mendacii. Non sic autem est semper ex parte *facti.* Alia ratio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod maius peccatum est furtum et homicidium quam mendacium; dicendum, quod quamvis gravius peccatum sit utrumque eorum, quando fit mala intentione et malo fine; quia tamen contingit, illa a malo fine separari, ideo possunt fieri. Non sic autem est in mendacio repe- Notandum. rire, quia de ipsa nominis ratione[8] nominat intentionis obliquationem.

5. Ad illud quod obiicitur, quod est contra mandatum secundae tabulae; dicendum, quod in man- Notandum. datis secundae tabulae quantum ad *actum* bene contingit, Deum dispensare, sed quantum ad *deordinationem intentionis* nunquam, ut aliquis excusetur a peccato propter divinum praeceptum, manente intentione deordinata.

6. Ad illud quod obiicitur de eo qui ex caritate movetur ad mentiendum; dicendum, quod caritas praesupponit veritatem, unde ad nihil movet, quod veritati repugnet, veritati dico ex parte animae. Unde dicit Bernardus[9], quod ad hoc, quod Notandum. opus sit laudabile, necesse est, quod sit « caritas in intentione et veritas in electione ». Et quia veritas non servatur in prolatione mendacii; hinc est, quod mendacium ex caritate non potest dici. Sicut enim ex caritate non potest scienter committi malum, quod quidem maneat malum, ut inde eveniat bonum[10]; sic etiam non potest ex caritate dici falsum,

Triplex simulatio.

---

[1] August., contra Mendacium, c. 10. n. 23, loquens de Abraham dicit: Aliquid ergo veri tacuit, non falsi aliquid dixit, quando tacuit uxorem, dixit sororem. Hoc et filius eius fecit Isaac; nam et ipsum novimus propinquam suam coniugem fuisse sortitum. Non est ergo mendacium, cum silendo absconditur verum, sed cum loquendo promitur falsum.

[2] Vide August., I. Quaest. in Pentateuch. q. 139. et 145-148. — In fine solut. pro *iudicandum* permulti codd. cum edd. I, 2 *videndum,* codd. R S *intelligendum,* Vat. *dicendum.*

[3] Cap. 5. n. 7, ubi textus originalis bis *figurate* pro *figurative.* — Paulo superius pro *et quando* edd. *et quoniam.* Aliquanto inferius pro *quia non enuntiantur* codd. A U *quia non enuntiatur.*

[4] Aristot., I. Elench. c. 2, recensens quatuor genera disputationis, scilicet *doctrinalem, dialecticam, tentativam* et *contentiosam; doctrinalem* sic describit: Et doctrinales quidem sunt, quae ex propriis principiis cuiusque disciplinae, et non ex iis quae videntur respondenti, colligunt. Nam oportet, credere eum qui discit [Versio Boethii *dicit,* sed textus Graecus: δεῖ γὰρ πιστεύειν τὸν μανθάνοντα i. e. oportet enim credere discentem]. — Superius pro *interrogationes* edd. I, 2 *dubiae,* Vat. *interrogationes et dubiae.*

[5] Vers. 28. Cfr. August., contra Mendacium, c. 13. n. 28, et Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 23. n. 1. — Mox pro *officium* edd. *in officio;* subinde pro *quo* codd. O bb *qui,* cod. K *quia,* Vat. *in quo.*

[6] Cfr. Matth. 23, 27. seq. — Cod. A *malivolentia.*

[7] Damasc., II. de Fide orthod. c. 21. — Mox pro *constituatur,* quod habent codd. A F G U Z bb, plures alii *construatur,* edd. *astruatur.*

[8] Codd. U Z *impositione,* ceteri *intentione,* edd. legunt *de ipsius nominis ratione.* Subinde pro *nominat* codd. U Z *significat.* Paulo superius plurimi codd. *separare* pro *separari.*

[9] De Praecepto et dispens. c. 14. n. 36. — Superius pro *repugnet* edd. cum pluribus codd. *repugnat.*

[10] Respicitur Rom. 3, 8.

ut inde sequatur verum aut bonum. Et est simile: Notandum. quoniam, sicut vis *operativa* deservit *affectivae*, sic vis *interpretativa* deservit *intellectivae*; et sicut finis *affectionis* est bonum, ita finis *intelligentiae* est verum [1]. Sicut ergo nullum opus potest ex caritate fieri, nisi quis intendat *bonum*, et illud opus sit ordinabile ad *bonum*; sic etiam nullus sermo potest ex caritate proferri, nisi in illius sermonis prolatione primo intendat [2] *verum*. Et quia mendacium ordinatum est ad contrarium veri, videlicet ad indicandum falsum ex ipsa intentione proferentis; ideo non potest fieri ex caritate nec meritorie, sed semper male. Et haec ratio tacta fuit in ipsa responsione facta ad quaestionem [3].

QUAESTIO III.

Utrum mendacium sit peccatum mortale ratione sui generis.

Tertio quaeritur, utrum mendacium sit peccatum mortale ratione sui generis. Et quod sic, videtur:

1. Primo per illud quod dicitur in Psalmo [4]: Ad oppositum. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*; Glossa: « Plus est perdere quam odire »; sed Deus neminem odit nisi propter peccatum mortale: ergo omne mendacium est peccatum mortale.

2. Item, Sapientiae primo [5]: *Os, quod mentitur, occidit animam*; quod verbum tractans Augustinus dicit in libro de Conflictu vitiorum et virtutum: « Nec officioso mendacio nec simplici verbo oportet quemquam decipere, quia, quomodolibet mentiatur quis, occidit animam »; sed non occiditur aliquis nisi per mortale peccatum: ergo quomodocumque mentiatur quis, peccat mortaliter.

3. Item, super illud [6]: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*; ibi Glossa: « Si quis non vult hominem ad mortem prodere, verum taceat, sed non falsum dicat, ne pro corpore alterius animam suam occidat »; sed nullum mendacium est levius peccatum quam mendacium officiosum: ergo si illud occidit animam, et omne aliud. Cum ergo anima non occidatur nisi per mortale peccatum, videtur etc.

4. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione*. Omne quod est contrarium veritati et eius peremptorium, est peccatum mortale; sed omne mendacium repugnat veritati [7], sicut fornicatio castitati: ergo sicut fornicatio est peccatum mortale de ratione sui generis, ita et mendacium.

5. Item, « omnis qui facit contra conscientiam, aedificat ad gehennam [8] »; sed omnis mentiens contra conscientiam loquitur, quia dicit falsum cum intentione fallendi: ergo proferens mendacium aedificat ad gehennam; sed non dicitur homo aedificare ad gehennam nisi per peccatum mortale: ergo etc.

6. Item, omne peccatum, in quo est plenus consensus, et quod fit ex certa scientia, est peccatum mortale, quia in peccato, in quo est plenus consensus, superior portio rationis manducat [9]; peccatum autem, quod est ex certa scientia, est peccatum in Spiritum sanctum, quod est gravissimum; cum ergo omne mendacium de ratione sui generis sit peccatum ex certa scientia, et in quo est plenus consensus; videtur, quod omne mendacium sit peccatum mortale.

Sed contra: 1. Glossa super primum Exodi [10]: Fundamenta. « Infirmis mentiri conceditur »; sed nullum mortale alicui conceditur: ergo mendacium non est mortale peccatum.

2. Item, Gregorius [11] loquens de mendacio obstetricum dicit: « Hoc peccati genus facile credimus relaxari »; sed peccatum, quod facile relaxatur, est in genere venialis: ergo etc.

3. Item, nihil est peccatum mortale, nisi ubi

---

[1] Cfr. supra pag. 470, nota 8. — Pro *affectionis* et *intelligentiae* edd. *affectivae* et *intellectivae*.

[2] Edd. *intendatur*. Mox pro *indicandum* Vat. *iudicandum*, quod et plures codd. legere videntur.

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Psalm. 5, 7. — Glossa invenitur in Comment. super Psalmos, quod est inter opera Bedae. Cfr. August., de Mendacio, c. 6. n. 9.

[5] Vers. 11. — In libro de Conflictu vitiorum etc. (inter opera August.) c. 19. habetur: Nec artificioso ingenio nec simplici... quia, quolibet modo mentiatur, *os, quod mentitur, occidit animam*. — Pro *quomodolibet* codd. A N *quomodocumque*.

[6] Psalm. 5, 7. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, delibata est ex August., Enarrat. in hunc locum. — Pro *prodere* non pauci codd. et edd. 1, 2 contra textum originalem *perdere*. Inferius verbis *et omne* edd. praemittunt *ergo*.

[7] Ut ostensum est supra q. 1. — Superius pro *peremptorium* codd. H W Z *peremptivum*, edd. *peremptio*.

[8] Secundum Innocent. III; cfr. tom. II. pag. 907, nota 2.

[9] Explicationem vide II. Sent. lit. Magistri, d. XXIV. c. 9. seqq., et ibid. Comment. p. II. per totam. — De peccato in Spiritum S. vide ibid. d. 43. — Pro *ex certa scientia* non pauci codd. ter *ex certa conscientia*.

[10] Vers. 19. — Alex. Hal., S. p. II. q. 123. m. 4, idem arg. adducit his verbis: Exod. 1, ubi loquitur de obstetricibus et mendacio earum, dicit Glossa, quae est Augustini [II. Quaest. in Pentateuch. q. 1.]: « Quorundam vita longe inferior est a perfectione Sanctorum, si habeat ista peccata mendaciorum, provectu ipso et indole sustinentur [textus originalis: feruntur] ». Et dicitur ibi, quod *infirmis mentiri conceditur* etc. Ultima haec verba in Glossa *ordinaria*, prout a Strabo et Lyrano exhibetur, non inveniuntur; cfr. August., Enarrat. in Ps. 5, 7. n. 7, ubi dicit: Falsum autem dicere non invenitur concessum esse perfectis. Vide hic lit. Magistri, c. 4.

[11] Libr. XVIII. Moral. c. 3. n. 5. Textus originalis *facillime*, Vat. *de facili* pro *facile*.

libido intervenit, vel contemptus [1]; sed mendacium officiosum de sua ratione non dicit libidinem nec contemptum: ergo non videtur, quod sit mortale peccatum.

4. Item, cum quis iocat [2] cum proximo suo dicendo ei fabulam, non facit contra aliquam prohibitionem: ergo non videtur, quod peccet mortaliter; sed mentitur mendacio iocoso: ergo non omne mendacium est peccatum mortale.

CONCLUSIO.

Non omne mendacium est peccatum mortale, sed de ratione sui generis indifferens est et ad mortale et ad veniale.

RESPONDEO: Dicendum, quod absque dubio non Conclusio. omne mendacium est peccatum mortale, immo quantum est de ratione sui generis, indifferens est et Ratio. ad mortale et ad veniale. — Et ratio huius est: quia lingua posita est in lubrico [3], et facilius est loqui quam tacere; ideo non semper ponderatur actus linguae nec ponderari potest faciliter. Propter quod dicitur Iacobi tertio [4]: *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir;* propter quod etiam peccatum Corollarium. mendacii non est generaliter mortale. — Sed mortale fit ratione materiae *circa quam* et ratione *contemptus* et ratione *nocumenti* et etiam ratione *libidinis* mentiendi, quae faciunt, mendacium esse perniciosum et mortale peccatum; et quia haec non semper concurrunt ad *esse* mendacii: ideo potest esse aliquando veniale, aliquando mortale, sicut ostendunt rationes ad hanc partem adductae.

1. Ad illud vero quod obiicitur de auctoritate Solutio oppositorum. Psalmi, quod omnes perduntur, qui loquuntur mendacium; dicendum, quod, sicut Glossa [5] exponit, non intelligitur hoc dictum de mendacio *generaliter*, sed secundum differentiam mendacii *perniciosi;* unde distributio illa non refertur ad ipsum mendacium, sed ad personas mentientes illo genere mendacii. Ideo et in processu illo est fallacia *figurae dictionis* propter commutationem suppositionis eius quod dico mendacium, quia fit processus a *determinata* ad *confusam.*

2. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Sapientiae, dici potest, quod similiter auctoritas illa non intelligitur de quolibet mendacio, sed de mendacio *pernicioso.* — Et *si obiiciat,* quod Augustinus exponit, quod quocumque modo mentitur quis, occidit animam; dicendum, quod nec ibi intendit Augustinus distribuere pro omnibus differentiis mendacii; sed intelligens de mendacio *pernicioso,* quod est in doctrina religionis, dicit, quod nullo pacto, nullo fine potest quis mentiri, quin occidat animam; et illud melius potest colligi ex littera sequenti [6].

3. Ad illud quod obiicitur, quod homo non debet mentiri pro salute alterius, ne animam suam occidat; potest dici, quod verbum illud solummodo ad *perfectos* se extendit, de quibus loquitur Augustinus in originali [7], unde Glossa illa sumta est. — Posset etiam dici, quod verbum illud est dictum Alia solutio. *consulterie,* quia homo non tenetur mentiri pro aliquo nec tenetur animam suam laedere pro salute alterius corporali. Quoniam ergo quodlibet mendacium, etsi non inducat mortem, quia tamen peccatum est, ad mortem disponit; ideo consulit, ut non mentiatur pro salute corporis alterius servanda. Et sic ex hoc non habetur, quod omne mendacium sit mortale peccatum, sed quod est mortale peccatum, vel praeparat.

4. Ad illud quod obiicitur, quod omne mendacium est peremptorium virtutis veritatis; dicendum, quod *virtus veritatis* potius est voluntas dicendi ve- Quid virtus veritatis. rum, cum oportet et expedit, quam sit continua enuntiatio veri [8]. Quamvis autem prolatio ipsius mendacii repugnet *actui* dicendi verum, non tamen repugnat ipsi veritati, qua quis refugit mendacium *perniciosum.* — Nec est simile de fornicatione respectu castitatis, quoniam actus ille universaliter est prohibitus; non sic autem omnis differentia mendacii, et hoc est propter lubricum ipsius linguae. Unde *quaedam* Duae species mendaciorum. sunt mendacia exteriora, quae non opponuntur ipsi virtuti-veritati, sicut peccata *venialia,* et sicut *primi motus* castitati. *Quaedam* vero opponuntur sicut pec-

---

[1] Cfr. tom. II. pag. 965, nota 2. et pag. 971, nota 5.

[2] Cod. A et edd. 1, 2 *loquitur,* cod. X *ludit,* Vat. *loquitur vel ludit.*

[3] August., Enarrat. in Ps. 38. n. 3: Non enim lingua frustra in udo est, nisi quia facile labitur. Serm. 180. (alias 28. de Verbis Apostoli) c. 11. n. 12: Lingua facilitatem habet motus, in udo posita est, facile in lubrico labitur. — Superius post *indifferens est* edd. addunt *peccatum.* Mox pro *tacere,* quod est in cod. Y, in aliis et edd. *facere,* sed minus congrue, ut videtur.

[4] Vers. 2. — Cfr. Alan. ab Insulis, II. contra Haereticos, c. 15. seq., ubi refellit errorem Waldensium asserentium, omne mendacium esse peccatum mortale.

[5] Verba Glossae sunt: Dicit Salomon de mendacio, quia omne *os, quod mentitur, occidit animam.* Sciendum tamen, duo esse mendacia, quae, licet a culpa penitus libera non sint, parvam tamen culpam habent. Quorum alterum fit causa iocandi... Alterum vero est officiale, id est, fit causa benevolentiae etc. Cfr. etiam Glossa *ordinaria* in praedictum textum Ps. 5, 7; et August., de Mendacio, c. 17. n. 35. — De fallacia *figurae dictionis* cfr. supra pag. 151, nota 3, et de suppositione *determinata* et *confusa* vide I. Sent. d. 4. q. 1. scholion. — Paulo inferius pro *unde distributio illa,* scil. terminus *omnes,* fere omnes codd. *distinctio,* cod. Z *descriptio.*

[6] Scilicet libri de Conflictu vitiorum etc. c. 19, ubi praenotatis verbis subiungitur illud Apoc. 21, 8: Et omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ignis ardentis sulphure [Vulgata: ardenti igne et sulphure]. — Pro *potest colligi* cod. K *colligitur,* et paulo superius pro *nullo fine* cod. A *nullo modo.*

[7] Enarrat. in Ps. 5, 7. n. 7: Nam in his qui perfecti sunt, nec ista mendacia inveniuntur etc. — Aliquanto inferius pro *corporali* cod. A *corporis,* et in fine solut. cod. K addit *ad mortem,* edd. *ad illud.*

[8] Cfr. Aristot., IV. Ethic. c. 7. — Mox pro *repugnet* multi codd. *repugnat,* et subinde pro *virtuti* Vat. *veritati virtuti.*

cata mortalia; et ista prohibentur in quinto mandato, in quo dicit Magister [1], mendacium et periurium prohiberi.

5. Ad illud quod obiicitur, quod qui facit contra conscientiam aedificat ad gehennam; dicendum, quod conscientia aliquid dictat refugiendum sicut contrarium iustitiae, aliquid sicut quod facit aliquo modo a iustitia declinare. Qui primo modo facit contra dictamen conscientiae peccat mortaliter propter contemptum intervenientem, et ille est qui aedificat ad gehennam. Qui vero secundo modo, non aedificat ad gehennam nec proprie dicitur facere *contra* conscientiam, sed *praeter* conscientiam [2]. Et primo modo sunt contra conscientiam mendacia *perniciosa*, secundo modo *alia*. Conscientia enim non dictat, omnia mendacia aequaliter esse vitanda, sed quaedam sicut mortalia, quaedam sicut venialia. Et *si tu obiicias*, quod omnis mentiens, quocumque genere mendacii mentiatur, semper dicit directe contrarium ei quod conscientia dictat; dicendum, quod conscientia dictat de aliquo, quod sit verum, et de aliquo, quod sit [3] dicendum, vel eius contrarium. Et cum quis profert falsum scienter, etsi directe faciat contra conscientiam, quae dictat aliquid esse verum; non tamen facit contra conscientiam illam, quae dictat, aliquid non esse dicendum. Et quantum ad secundum dictamen conscientiae, quod dirigit in agendis, pensatur quantitas peccati, non quantum ad iudicium conscientiae, quod regit in cognoscendis [4].

Duplex dictamen conscientiae.

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod in omni mendacio superior pars rationis comedit, et certa scientia concurrit; dicendum, quod, sicut in secundo libro [5] fuit determinatum, *manducatio superioris portionis* facit peccatum mortale solum in his quorum actus sunt *simpliciter* et *universaliter* prohibiti, sicut in peccato carnis; hoc autem locum non habet in peccato mendacii. — Similiter non omne peccatum, quod fit *ex certa scientia*, est peccatum in Spiritum sanctum, sed illud, in quo cum certa scientia concurrit ipsa malitia [6]. — Et *si tu obiicias*, quod omne mendacium impugnat veritatem agnitam, quae est una species peccati in Spiritum sanctum; dicendum, quod non qualiscumque *veritatis* impugnatio nec qualiscumque *impugnatio* est peccatum in Spiritum sanctum, sed impugnatio veritatis secundum *pietatem*, et ulterius impugnatio, quae est cum quadam *protervitate* et mentis obfirmatione [7], quam non est in quolibet mendacio reperire. Et ideo ex hoc non potest concludi, quod omne mendacium sit peccatum in Spiritum sanctum, nec etiam, quod universaliter sit mortale peccatum [8].

QUAESTIO IV.

Utrum omne mendacium sit mortale viris perfectis.

Quarto quaeritur, utrum omne mendacium sit mortale viris perfectis. Et quod sic, videtur.

1. Primo super illud Psalmi [9]: *Perdes omnes* etc.; Glossa: « Perfectis *omnino* mentiri non convenit »; sed hoc non dicit, nisi quia alterius generis peccatum est perfectis et imperfectis — quod enim *omnino* non licet indicatur esse mortale — ergo etc.

Argg. pro parte affirmativa.

2. Item, Augustinus de Mendacio [10]: « Quomodo, inquit, diligit proximum tanquam se ipsum, cui ut praestet temporalem vitam, perdit aeternam »? loquitur de perfectis: ergo videtur, quod pro mendacio officioso perdat perfectus aeternam vitam: igitur peccat mortaliter.

3. Item, Augustinus tractans illud Proverbiorum vigesimo nono [11], secundum translationem Septuaginta: *Verbum suscipiens filius a perditione longe aberit, et nihil falsi ex ore eius procedit;* hoc exponens Augustinus dicit sic: « Filius suscipiens per gratiam Verbum aeternum tam clausum sibi deputat ad subveniendum homini per mendacium, quam si per stuprum transire cogatur ». Si ergo *per stuprum transire* peccatum est mortale, videtur, quod filiis supernae Ierusalem mentiri propter salutem alicuius sit mortale peccatum.

4. Item, nulli credendum est, si viris perfectis non creditur; sed si viri perfecti mentirentur, eis

---

[1] Dist. praeced. c. 5. in fine. — Paulo superius pro *virtuti-veritati* codd. K M O U W Z bb *virtuti veritatis*, et subinde Vat. *sicut nec* pro *et sicut*.

[2] Cfr. II. Sent. d. 39. a. 1. q. 3. ad 4. pro parte affirmativa.

[3] Edd. *non sit*.

[4] Cfr. II. Sent. d. 39. a. 1. q. 3, et Alan. ab Insulis, loc. cit.

[5] Dist. 24. p. II. a. 1. q. 1. seq. — Mox pro *determinatum* cod. W *declaratum*.

[6] Vide II. Sent. d. 43. a. 1. q. 1. et a. 3. q. 1. seq., ubi de speciebus peccati in Spiritum S. — Paulo ante pro *est peccatum* edd. 1, 2 *fit*.

[7] Cod. K *obstinatione*, alii codd. perperam *affirmatione*.

[8] Vide scholion ad 1. quaest.

[9] Psalm. 5, 7. — Glossa, quae est secundum August. in hunc locum, exhibetur a Strabo et Lyrano ut *ordinaria*. — Codd. omittunt *Glossa*.

[10] Cap. 6. n. 9, ubi textus originalis pro *perdit aeternam* substituit *ipse amittit aeternam*. — Inferius pro *pro mendacio officioso* cod. F *per mendacium officiosum*.

[11] Vers. 27; iuxta Vulgatam: Verbum custodiens filius extra perditionem erit. Verba August. habentur in lib. contra Mendacium, c. 20. n. 40, in quibus pro *subveniendum* multi codd. falso *superveniendum*. — Pro fine arg. notentur ea quae proferuntur ab August., contra Mendacium, c. 16. n. 33: Sed nos cum quaerimus, sitne boni hominis aliquando mentiri, non de homine quaerimus adhuc ad Aegyptum, vel ad Iericho, vel ad Babyloniam pertinente, vel adhuc ad ipsam Ierusalem terrenam, quae *servit cum filiis suis*, sed de cive illius civitatis, *quae sursum est libera mater nostra* [Gal. 4, 25. seq.] aeterna in caelis. Et respondetur quaerentibus nobis: *Omne mendacium non est ex veritate* [I. Ioan. 2, 21.]. Filii autem illius civitatis, filii sunt utique veritatis etc.

non esset credendum: si autem nulli creditur, perit fides in terra: ergo mendacium perfectorum fidem tollit et evacuat, per quam reguntur homines et regna. Si igitur talis fides auferri non potest sine mortali culpa, videtur, quod viri perfecti in qualibet specie mendacii incurrant reatum mortalis peccati [1].

Pro parte negativa.

Sed contra: 1. Circumstantia non aggravat peccatum in infinitum: si ergo status perfectionis est circumstantia ex parte personae, non aggravabit peccatum in infinitum. Sed mortale excedit veniale in infinitum [2]: ergo quod est veniale imperfecto non est mortale perfecto.

2. Item, *non mentiri* omni genere mendacii aut est *consilium*, aut est *praeceptum*. Si *praeceptum*: ergo cum ad praeceptum omnes obligentur, omnes qui mentiuntur, peccant mortaliter, quod supra [3] improbatum est. Si *consilium;* sed ad consilia nemo tenetur nisi ex voto: ergo cum viri perfecti illud non voverint, videtur, quod nec mortaliter peccent in quolibet genere mendacii.

3. Item, si mendacium generaliter repugnat caritati perfectae, aut ergo in quantum est *caritas*, aut in quantum est *perfecta*. Si in quantum est *caritas:* ergo cuilibet caritati: ergo quilibet peccaret mortaliter. Si in quantum *perfecta:* ergo videtur, quod per mendacium non cadat vir perfectus a caritate, sed solum a perfectione: igitur non peccat mortaliter per quodcumque mendacium.

4. Item, vir perfectus in verbo otioso, in motu irae et in motibus carnis et in aliis, quae sunt venialia de ratione sui generis, non dicitur peccare mortaliter: ergo pari ratione nec in mendacio *iocoso* et *officioso*, cum de ratione sui generis sint venialia.

CONCLUSIO.

Potest probabiliter concedi secundum Augustinum, quod viris perfectis, quorum perfectio publica est, quantumcumque parvum mendacium imputetur in peccatum mortale.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc est [4] triplex modus dicendi.

Opinio 1.

Quidam namque dicere voluerunt, quod mendacia illa, quae sunt venialia *imperfectis*, sunt etiam venialia *perfectis* viris; sed tamen, quia perfecti minorem habent pronitatem ad mendacium quam imperfecti, hinc est, quod *gravius peccant*. Unde Augustinus non vult ostendere, ut dicunt, quod omne mendacium sit *mortale* peccatum *perfectis*, sed [5] cum nullum mendacium possit bene fieri, magis tamen indecens est et inconveniens circa *perfectos* quam circa *imperfectos*, non quia ipse *perfectus* propter quodcumque peccatum animam suam occidat et mereatur ire in perditionem, sed quia ex hoc ipso, dum minus adhaeret veritati, approximat iniquitati et disponit se ad lapsum et praecipitium.

Opponitur.

Sed quoniam verba Augustini expresse videntur praetendere, quod periculosum sit viris perfectis mentiri — dicitur enim in Glossa super illud [6]: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium;* quod « *perfectis* non convenit mentiri, nec etiam pro temporali vita alicuius servanda »; et post subdit, quod « *perfectus* falsum non dicat, ne pro vita alterius animam suam occidat »; et sic videtur expresse dicere, quod mendacium officiosum sit viris perfectis mortale —

Opinio 2.

ideo videtur aliter aliis esse dicendum, quod est perfectio *voti* sive religionis, et perfectio *caritatis*, per quam perfecte adhaeret homo summae Veritati et Bonitati per intellectum et affectum, prout possibile est in via; et ista dicitur perfectio *tranquillitatis* [7]. De *primis perfectis* non intelligit Augustinus, sed de *secundis*. *Illi* enim *perfecti*, pro eo quod maxime adhaerent summae Veritati, non habent pronitatem ad mentiendum; et ideo, cum mentiuntur, non excusantur, sed intervenit veritatis *contemptus*, et est eis qualecumque mendacium deliberative dictum *mortale* peccatum. Et ponitur exemplum de homine primo, qui in statu innocentiae propter tranquillitatem, quam habebat, non poterat peccare venialiter, quia nulla erat in ipso pronitas infirmitatis ipsum excusans, ut in peccato suo diceretur esse dignus venia vel temporali poena [8]. —

Exemplum.

Improbatur multipliciter.

Sed illud adhuc calumniabile est, quia paucissimos aut nullos est reperire in ista caritatis perfectione. *Praeterea*, quantumcumque sit aliquis perfectus perfectione tranquillitatis, si dicat aliquod verbum otiosum, non peccat mortaliter. Et *iterum*, quanto homo est maioris perfectionis in vita praesenti, tanto maioris est pietatis; et quanto maioris pietatis, tanto pronior est ad subveniendum alienae saluti. Quando ergo vir perfectus videt, quod potest subvenire alienae saluti corporali vel spirituali per falsitatem verbi sui; videtur, quod non modicum [9] debeat inclinari ex ipsa pietate et dulcedine, sicut videmus, quod magis pronus est pater ad mentiendum pro salute

---

[1] Vide supra q. 2. fundam. 2. sententiam August., in qua hoc arg. fundatur.

[2] Cfr. II. Sent. d. 42. a. 2. q. 1. seq. — In initio arg. post *Circumstantia* Vat. addit *personae*.

[3] Quaest. praeced. — Inferius pro *voverint* plures codd. *voverunt*, et subinde post *peccent* cod. A addit *mentiendo*.

[4] Cod. X *fuit*.

[5] Edd. cum uno alteroque cod. *sed quod*.

[6] Psalm. 5, 7. Glossa est secundum August., in hunc locum.

[7] Vide supra d. 30. q. 3. in corp. — Paulo inferius pro *Illi enim* plurimi codd. cum edd. 1, 2 *Illi etiam*, codd. O F *illi autem*.

[8] De quo vide II. Sent. d. 21. a. 3. q. 1.

[9] Ita codd. A B Q R S bb, alii codd. *quod hoc modicum*, edd. *quod hoc mendacium*. Mox post *debeat* cod. P supplet *ipsum*, et pro *inclinari*, quod est in cod. A, in aliis *inclinare*. Paulo inferius pro *unius extranei* cod. G *alicuius extranei*.

filii quam pro salute unius extranei. Esto etiam, quod nulla sit pronitas; cum mendacium *iocosum* et *officiosum* non sit prohibitum, si aliquis ad hoc non astrinxerit [1] se per votum; quantumcumque sit perfectus, non videtur, quod incurrat mortale peccatum.

Et propterea adhuc est tertius modus dicendi, Opinio 3. quod ad aliquid obligatur homo specialiter praeter Rationes 4 obligandi. alios vel ratione *voti emissi*, vel ratione *officii commissi*, vel ratione *scandali imminentis* [2], vel ratione *conscientiae dictantis*. Si ergo dicamus, viros perfectos obligari ad non mentiendum aliquo genere peccati; cum hoc non sit ex *praecepto* nec ex *officio commisso* Axioma. nec ex *voto*, erit hoc propter *scandalum* et *conscientiae vinculum*. — Propter quod nota, quod Perfecti publici et occulti. quidam sunt *perfecti publici*, quidam sunt *perfecti occulti*. Viris *publice perfectis* adhibetur fides tanquam conservatoribus veritatis. Et quia mendacium deprehensum facit, ut homo alteri non credat; si viri *perfecti* mentirentur, iam nec ipsis crederetur nec aliquibus, et magnum ipsi veritati fieret praeiudicium, et daretur aliis occasio scandalizandi [3]. Et ideo tales viri *perfecti* debent habere *conscientiam*, quod pro nulla re dicant falsum scienter; quando ergo dicunt, peccant mortaliter, tum quia faciunt contra *conscientiae dictamen*, tum etiam quia alios *scandalizant active*. — Non sic autem homines scandalizantur de his qui sunt *imperfecti*, vel etiam de *perfectis occultis*; ideo tales non sic obligantur ad Exemplum. omne mendacium vitandum. Et est exemplum huius: quia, si quis impugnaret fidem, licitum esset imperfectis fugere et latere; sed viri perfecti tenentur stare et libere confiteri, ne per ipsorum fugam et latitationem populus infirmus cadat a fide; unde conscientia debet eis hoc rationabiliter dictare.

Potest igitur concedi secundum Augustinum, Conclusio. quod viris *perfectis*, quorum perfectio *publica* est, mendacium quantumcumque parvum imputatur in mortale peccatum, quoniam propter *scandalum vitandum* dictare debet eis *conscientia*, nullatenus esse mentiendum, ne faciant veritatem venire in contemptum. Et hoc videtur sensisse Augustinus [4], qui fuit praecipuus veritatis amator; et omnis vir, qui veritatem amat, vehementer odit mendacium. Unde dicitur in Ecclesiastico [5]: *Potior est fur quam assiduitas viri mendacis.* — Unde et auctoritates et rationes ad hanc partem inductae concedendae sunt.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in con- Solutio oppositorum. trarium, quod circumstantia personae non aggravat peccatum in infinitum; dicendum, quod illud est verum, quantum est *de se*; sed ubi aliqua *circumstantia* introducit *scandalum alienum* et *conscientiae vinculum*, per consequens mutat peccati genus et facit esse mortale, quod alias esset veniale. *Vinculum* enim *conscientiae* etiam in indifferentibus facit alios peccare mortaliter, quanto magis in his quae dictat rationabiliter [6]? Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non mentiri omni genere mendacii aut est consilium, aut est praeceptum etc.; dicendum, quod quantum ad *quaedam* genera mendacii *prohibitum* est, quantum ad aliqua non est proprie *prohibitum*, sed *cohibitum*. Venialia enim non dicuntur *prohibita*, sed *cohibita* [7]. Notandum. Sed quae ex divino praecepto non sunt *omnino prohibita* — quia praeceptum respicit omnes — ex conscientiae vinculo et scandalo, quod respicit speciales personas, efficiuntur *prohibita*. Et sic intelligendum est se habere in parte ista.

3. Ad illud quod obiicitur, quod mendacium aut repugnat caritati simpliciter, aut caritati perfectae; dicendum, quod mendacium repugnat utrique. Repugnat enim caritati ratione perfectionis superadditae, quoniam ipsa perfectio viri iusti aliis manifesta [8] introducit occasionaliter *scandalum* et *conscientiae vinculum*, et per consequens peccatum, quod non tantum tollit perfectionem, sed etiam ipsam caritatem.

4. Ad illud quod obiicitur, quod vir perfectus non peccat in verbo otioso nec in primis motibus, sicut nec alius imperfectus; dicendum, quod non est simile: quia ex aliis venialibus peccatis non ita oritur scandalum, nec ita veritas venit in contemptum, sicut de mendacio, si reperiatur circa virum perfectum, secundum quod superius est explanatum.

Haec autem sunt dicta de mendacio, secundum Restrictio conclusionis. quod verba beati Augustini praetendunt, qui propter magnum veritatis zelum maxime detestatus est mendacium [9], et cum non posset mendacium ab omnibus excludere, saltem a viris *perfectis* voluit elongare, ut veritas in aliquibus inveniret solidam sedem. Et propterea, si quis velit intelligere, quod mendacium, quod est aliis veniale, non sit viris perfectis mortale; poterit ad verba Augustini respondere, intelligendo Explicatio verborum August. per ea, mendacium semper esse *indecens* et *malum* viris perfectis, qui [10] mentiendo disponunt se et alios ad malum; non autem quod semper sit eis *mortale* peccatum. Et per hoc declinari possunt omnes rationes adductae ad oppositum. — Quidquid autem horum Notandum. verum sit, viro tamen, qui perfectionem profitetur, summopere cavendum est omne mendacium.

---

[1] Plures codd. *astrinxit*; cod. R legit *nisi aliquis ad hoc astrinxerit*.

[2] Pro *imminentis*, quod habent codd. A H U Z, cod. bb *vitandi*, cod. N *intervenientis*, cod. Y *multitudinis*, alii vel *imitantis* vel *mutantis* vel *invitantis*, edd. *alios invitantis*.

[3] Cod. A et edd. *scandali*. Aliquanto superius pro *nota* cod. A *notandum*. Inferius pro *quando ergo* cod. T *cum ergo*.

[4] Praecipue in lib. de Mendacio, et contra Mendacium, ex quibus etiam fundam. huius quaest. sumta sunt. Cfr. etiam Enarrat. in Ps. 5. (7.) n. 7.

[5] Cap. 20, 27.

[6] Cfr. II. Sent. d. 39. a. 1. q. 3. — Superius pro *quod alias* cod. A *quod aliter*.

[7] Cfr. II. Sent. d. 42. a. 2. q. 1. ad 2.

[8] Cod. A *manifestata*.

[9] Vat., refragantibus codd. et (ex parte) edd. 1, 2, superflue subiungit: *et conatus est illud ab omnibus excludere, saltem a viris perfectis*.

[10] Edd. *quoniam*.

SCHOLION.

I. Quaestio haec est de mendacio *officioso* vel *iocoso*, sive de eo quod per se est veniale; sed talia mendacia ratione scandali vel alius circumstantiae annexae fieri possunt mortalia. Secundam opinionem hic relatam sequitur Alex. Hal. Communiter autem cum S. Thoma (hic a. 4. ad 4; S. II. II. q. 110. a. 4. ad 5.) et Scoto (hic q. unica n. 8. 9.) improbantur duae primae opiniones, immo etiam positio in tertia opinione a nostro auctore allata, quod « publice perfectis », quibus quasi incumbit onus veritatis in societate humana conservandae, omne mendacium sit mortale. Hoc enim S. Thom. ita restringit, ut iidem ad hoc non teneantur sub mortali nisi « ex officio in iudicio, vel doctrina ». Revera autem ab his non dissentit S. Bonav., licet referat ex S. Augustino istum modum loquendi; quod satis manifestat additamentum conclusionem restringens (post solutionem oppositorum). Cfr. etiam supra d. 30. q. 3.

De hac quaestione praeter laudatos: Alex. Hal., Sum. p. II. q. 123. m. 5. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic a. 6. quaestiunc. 1. 2 — Richard. a Med., hic circa lit.; Durand., hic q. 2.

II. In seq. (5.) quaest. S. Augustini et Magistri distinctio trium mendacii specierum (hic c. 1.) et etiam octo generum (c. 2.) communiter est recepta. — Quoad mendacium *iocosum* S. Bonav. (hic ad 4. et infra q. 6. ad 5.) assentit S. Thomae S. loc. cit. a. 3. ad 6.), qui in solutione eiusdem obiectionis dicit: « Mendacium iocosum ex ipso *genere operis* habet rationem fallendi, quamvis ex *intentione dicentis* non dicatur ad fallendum nec fallat ex *modo dicendi*. Nec est simile de hyperbolicis, aut quibuscumque figuratis locutionibus, quae in s. Scriptura inveniuntur » etc. Scot. autem (loc. cit. n. 8.) vult, quod « mendacium iocosum est, quando aliquis iocando intendit decipere, ita quod deceptus vere decipitur, non tamen in aliquo, in quo sibi nocumentum magnum inferatur; in quo etiam iocantur illi qui sciunt, ipsum decipi ». Econtra dicit: « locosum *non* est narrare fabulam, de qua omnes audientes sciunt, quod non est verum, nec narratur tanquam verum; ubi nec audiens decipitur, nec loquens intendit decipere, nec sermo est de se deceptivus, quia non est talis, qui sit natus credi ab audientibus ». Tamen in re ipsa vix videtur esse differentia, ut patet ex dictis supra q. 2. ad 2.

De eadem (5.) quaestione praeter locos citt.: Alex. Hal., loc. cit. m. 7, ubi etiam de seq. aliisque qq. fit sermo. — S. Thom., hic a. 2; S. loc. cit. a. 2. — B. Albert., hic a. 3. 6. — Petr. a Tar., hic a. 2.

III. In ultima (6.) quaestione ostenditur, *gradus* culpae, quos ex S. Augustino refert Magister (hic c. 2.), convenienter esse distinctos. Consentiunt: S. Thom., hic a. 5. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., hic a. 3.

QUAESTIO V.

De ipsius mendacii divisione.

Quinto quaeritur de ipsius mendacii divisione. Dividit enim Augustinus et Magister[1] mendacium per tres differentias primas, videlicet in *officiosum*, *iocosum* et *perniciosum*. Sed contra istam divisionem obiicitur:

Argg. contra primum membrum.

1. Primo ratione *primi* membri. *Officiosum* enim mendacium dicitur, quod alicui prodest; sed quod mendacium prosit, hoc est valde *per accidens*, cum sit malum[2]: ergo penes hoc quod est *prodesse*, non est aliquam speciem ipsius mendacii assignare.

2. Item, idem mendacium secundum *speciem* potest *prodesse* et potest *obesse*: ergo penes ista[3] non contingit assignare ipsius mendacii species diversas.

Contra secundum.

3. Item, contra *secundam* differentiam obiicitur, quae quidem est mendacium *iocosum*: quoniam, sicut contingit peccatum mendacii *ioco* perpetrari, ita etiam et alias peccatorum differentias: ergo si alia peccata non habent dividi per *iocosum* et *non iocosum*, videtur, quod nec ipsum mendacium.

4. Item, cum quis falsum dicit intendens *iocare*, non intendit *fallere*; « sed mendacium, ut dicit Augustinus[4], est falsa vocis significatio cum intentione fallendi »: ergo ubi iocus intervenit, ibi non est mendacium: videtur ergo, quod mendacium *iocosum* non sit species mendacii, immo potius defectus et diminutio ipsius.

Contra tertium.

5. Item, obiicitur contra *tertiam* differentiam, quae est mendacium *perniciosum*. Si enim *perniciosum* dicitur mendacium, quod inducit mortem, et omne peccatum mortale inducit mortem; *esse*[5] *perniciosum* est generale omni peccato mortali: ergo non est differentia mendacii.

6. Item, mendacium *perniciosum* si distinguitur ab aliis, aut hoc est ratione *materiae*, aut ratione *voluntatis*. Ratione *materiae* non, ut videtur, quia in qualibet materia potest homo mentiri graviter et perniciose, si mentiatur ex malignitate. Nec ratione *voluntatis*, quoniam in quolibet genere mendacii potest voluntas inordinate moveri et inducere mortem sive perniciem in mentiente: ergo non videtur, quod sit differentia specialis mendacii.

Contra omnia tria, cum quaestione incidenti.

Item, obiicitur contra *differentias praedictas*: quoniam Augustinus[6] dividit mendacium in *octo* differentias: aut ergo divisio illa est *superflua*, aut ista est *diminuta*, aut necesse est, unam *reduci* ad aliam. Si ergo *reducitur*, quaeritur, per quam *viam*; quaeritur etiam, quis sit specierum mendacii *numerus*, et quae *sufficientia*.

---

[1] Hic c. 1, ubi sequitur August., Enarrat. in Ps. 5, 7. n. 7.

[2] Specifica differentia autem non convenit rei per accidens. Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 6.): Nam nulla differentia est eorum quae secundum accidens insunt, sicut neque genus; non enim contingit differentiam inesse alicui et non inesse. Cfr. Porphyr., de Praedicab. c. *de Differentia*.

[3] Edd. *istam*.

[4] Contra Mendacium, c. 12. n. 26. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3. — Superius pro *iocare* edd. *iocari*. In fine arg. pro *defectus* codd. W Y Z *defectio*.

[5] Cod. Z praefigit *ergo*.

[6] De Mendacio, c. 14. n. 25. — Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

CONCLUSIO.

Tria sunt genera mendaciorum, quae secundum varietatem intentionis mentientium subdividuntur in octo membra.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum mendacium habeat pro *formali* et *completivo* intentionem fallendi [1], secundum intentionem ipsius mentientis habet in species diversificari. Mentiens autem aut intendit *prodesse*, aut *delectare*, aut *laedere* [2]. Secundum quod intendit *prodesse*, est mendacium *officiosum*; secundum quod intendit *delectare*, est mendacium *iocosum*; secundum quod intendit *laedere*, est mendacium *perniciosum*. Laedere autem potest aliquis dupliciter: vel damno *temporali*, vel damno *spirituali*. Et si laedit damno *temporali*, hoc potest esse dupliciter: aut [3] *simpliciter* laedit, aut ita *laedit unum*, quod *alteri prodest*. — Et secundum hoc sunt tres differentiae mendacii *perniciosi*, quarum una consistit in eo genere mendacii, quo quis mentitur in *doctrina religionis*; et hoc quidem facit ad nocumentum boni *spiritualis*, scilicet fidei. Alia differentia consistit in hoc, ut mendacium *simpliciter obsit*. Tertia vero differentia in hoc, quod mendacium *non simpliciter obest*, sed alicui prodest, alicui obest. — Si vero quis mentitur, ut *delectet*, sic est mendacium *iocosum*; et sic potest esse dupliciter: aut ut delectet *alterum*, et sic est mendacium *simpliciter iocosum*; aut ut delectet *semetipsum* in mentiendo, et sic est mendacium *libidinosum* [4]. — Si vero quis mentitur, ut *prosit alteri*; aut mentitur, ut prosit in *rebus*, et sic est *una* differentia mendacii *officiosi*; aut ut prosit in *salute et vita corporis*, et sic est *alia*; aut ut prosit in *sanctitate et castitate mentis*, et sic est *tertia*.

Et sic patet, quod tria sunt genera mendaciorum prima, quae subdividuntur in octo membra, ita quod utraque divisio sumta est secundum variationem *intentionis* mentientis, et una illarum in altera habet includi, et hoc satis rationabiliter, sicut tactum est. Et per hoc patet responsio ad illud quod ultimo quaerebatur.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod accidit mendacio, quod prosit; dicendum, quod verum est, quantum est de ratione sui *generis*; quia tamen in moribus *intentio* imponit nomen operi [5], ex ipsa *intentione* potest illa conditio adeo fieri mendacio essentialis, ut secundum ipsam accipiantur diversae species ipsius mendacii.

2. Ad illud quod obiicitur, quod idem mendacium secundum speciem potest obesse et prodesse; dicendum, quod illud verum est, loquendo de mendacio quantum ad *sermonem exteriorem*, sed non est verum de ipso quantum ad *interiorem intentionem*; mendacium autem non sortitur speciem a falsa *locutione*, sed potius ab ipsa *intentione*, sicut tactum est.

3. Ad illud quod obiicitur, quod alia peccata habent fieri ioco, sicut et mendacium; dicendum, quod denominationes non fiunt ab his quae raro accidunt, sed ab his quae frequenter [6]. Licet igitur contingat, alia peccata per iocum perpetrari; quia tamen non ita frequenter alia committuntur ioco, secundum quod ipsum mendacium: hinc est, quod esse iocosum non est differentia alterius peccati, sicut mendacii. *Praeterea*, etsi *omnia* opera sortiantur denominationem ab ipsa intentione, maxime *sermo* ab intentione denominatur; et quia mendacium est in *sermone* [7]: inde est, quod magis denominatur *iocosum*, quando fit intentione ludendi, quam alia peccata.

4. Ad illud quod obiicitur, quod ubi intervenit iocus, ibi non est intentio fallendi; dicendum, quod, sicut in littera [8] explanabitur, cum dicitur: mendacium est falsa vocis prolatio cum intentione fallendi, secundum quod *generaliter* accipitur, non idem est *fallere* quod *decipere*, sed idem est *fallere* quod *falsum dicere*. Unde sensus est: cum intentione *fallendi*, hoc est *falsum dicendi*; et hoc utique convenit mendacio *iocoso*, licet minus complete quam *pernicioso*.

5. Ad illud quod obiicitur, quod esse perniciosum convenit omni generi peccati mortalis; dicendum, quod *perniciosum* assignatur esse differentia ipsius peccati, non quia sit proprium eius *simpliciter*; sed hoc est ratione mendacii *officiosi*, contra quod distinguitur [9] *perniciosum*, quia illud *prodest*, et istud *obest*; et quoniam alia genera peccatorum non ita distinguuntur per *officiosum*, sicut mendacium: hinc est, quod nec ita distinguuntur per *perniciosum*.

6. Ad illud quod obiicitur, utrum distinguatur ratione materiae, vel voluntatis; dicendum, quod ratione *voluntatis* [10] principaliter, licet etiam posset dici, quod ratione *materiae* quantum ad illam differentiam mendacii *perniciosi*, quae quidem consistit

Ad quaest. incidentem.

Species 3.

Subdistinctiones duae.

Perniciosi species 3.

Iocosi species 2.

Officiosi species 3.

Conclusio.

Nota.

Solutio oppositorum.

Notandum.

Ratio 2.

Notandum.

Notandum.

---

[1] Cfr. supra q. 1. — Pro *completivo* edd. *complemento*.

[2] Secundum Aristot., II. Ethic. c. 3, tria cadere possunt in electionem, scil. honestum, utile et iucundum.

[3] Cod. U subiungit *enim*.

[4] Cfr. infra dub. 2.

[5] Ut insinuat Ambros. supra pag. 805, nota 3. Vide etiam II. Sent. d. 36. dub. 5.

[6] Cfr. Aristot., II. de Caelo et mundo, text. 108. (c. 14.).

[7] Vide supra q. 2. ad 3. et infra dub. 3. — Superius pro *secundum quod* edd. *sicut*. In fine solut. pro *intentione* cod. A *secundum intentionem*.

[8] Infra dub. 3. — Mox pro *vocis prolatio* edd. *vocis significatio*.

[9] Edd. *distinguit*.

[10] Sive intentionis, ut dicitur in corp. quaest. — Inferius pro *posset* plurimi codd. *possit*.

in *doctrina religionis*. Et *si tu obiicias*, quod ista prava voluntas potest esse in omni genere mendacii; iam patet responsio, quia hoc est falsum, secundum quod explanatum est: quia, secundum quod verba deserviunt *intentioni*, fit diversificatio specierum mendacii [1].

QUAESTIO VI.

De gradibus specierum mendacii.

Sexto et ultimo quaeritur de gradibus specierum mendacii. Dicit enim Augustinus [2], quod «primum genus mendacii est gravissimum, et ultimum est levissimum. Et quanto inter genera mendacii aliquod mendacium accedit ad primum, tanto est gravius; et quanto magis elongatur et accedit ad ultimum, tanto est levius». «Primum autem mendacii genus, ut dicit, est *in doctrina religionis*»; «ultimum autem est, ut dicit, *pro conservatione alienae castitatis*». Contra hoc quod dicit, quod *primum* est gravissimum, obiicitur sic.

Argg. contra 1. gradum.

1. Esto quod aliquis dicat, Christum non ascendisse super asellum [3], ex quadam urbanitate, et alius imponat falsum crimen proximo, ex quo proximus morte damnatur; constans est, quod gravius peccat secundus quam primus; sed primus peccat primo genere mendacii, secundus peccat secundo genere mendacii: ergo secundum genus mendacii est gravius quam primum.

2. Item, aliquis dicit aliquod mendacium in doctrina religionis, quod corrumpit fidem in uno simplici; alius vero dicit mendacium, per quod scinditur unitas ecclesiasticae pacis; constat, quod gravius peccat secundus quam primus, quia *séminat inter fratres discordias* [4], quod maxime Dominus detestatur; et tamen primus peccat primo genere mendacii, secundus vero secundo: ergo redit idem quod prius.

3. Item, possibile est, aliquem mentiri primo genere mendacii ex infirmitate, secundo vero genere mendacii ex certa malitia: si ergo peccatum ex certa malitia est peccatum in Spiritum sanctum, quod est gravius aliis [5]; videtur, quod secundum genus possit esse gravius quam primum.

4. Item, primum genus mendacii est contra fidem, secundum est contra caritatem, generaliter loquendo; sed maius bonum est caritas quam fides [6]: si ergo privationes per habitus dignoscuntur, gravius peccatum est secundum genus mendacii, loquendo generaliter, quam primum.

Est igitur quaestio: *quare* primum genus peccati Augustinus dicit esse gravissimum? Quaestio 1.

Contra ultimum gradum.

5. Item, obiicitur contra *ultimum* gradum. Dicit enim, mendacium, quod fit pro castitate corporis alterius servanda, esse levissimum omnium et levius eo quod fit pro servanda vita. Sed *contra*: illud mendacium gravius est, in quo magis salvatur [7] ratio mentiendi; sed mendacium, quod fit serio, plus habet de ratione mentiendi quam mendacium, quod fit ioco: si ergo quodlibet mendacium officiosum fit serio, quodlibet mendacium officiosum est gravius quam iocosum.

6. Item, castitatem non potest quis amittere invitus, vitam corporis potest amittere invitus: ergo magis indiget adiutorio et succursu pro servanda vita quam pro servanda continentia: videtur ergo, quod magis spectet ad officium pietatis, et magis leve peccatum sit mentiri pro servanda *vita corporis* quam pro servanda *continentia carnis*.

7. Item, qui perdit vitam perdit spatium merendi et poenitendi, non sic autem qui perdit carnis continentiam: ergo periculosius et damnosius est alicui interfici quam carnaliter violari: ergo magis pium est in tali casu mentiri.

Iuxta hoc quaeritur: si quis est in periculo constitutus de castitate amittenda sua vel aliena, quod sit sibi magis eligendum, utrum mentiri, vel sustinere se vel alium corporaliter [8] violari. Quaestio 2.

Quaeritur etiam, utrum melius faciat ille qui mentitur, ut alium trahat de statu periculoso, ut intret religionem, de quo vehementer praesumit, ut possit ipsum per mendacium attrahere; an ille qui simpliciter negligit et non vult mentiri pro alicuius salute. Et videtur, quod *primus* melius faciat, quia non magnum est facere unum peccatum veniale, ut alius aeternam consequatur salutem. Quod autem *secundus* melius faciat, videtur, quia maioris perfectionis est in nullo casu mentiri aliqua de causa, secundum quod multipliciter ostendit beatus Augustinus [9]. Quaestio 3.

---

[1] Vide scholion ad 4. quaest.

[2] De Mendacio, c. 21. n. 42; cfr. etiam c. 14. n. 25, et hic lit. Magistri, c. 2.

[3] Cfr. Matth. 21, 7. — Cod. K *asellam*.

[4] Prov. 6, 19. — Codd. G I L aa *discordiam*.

[5] Vide II. Sent. d. 43. a. 2. q. 1.

[6] Epist. I. Cor. 13, 13: Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec, maior autem horum est caritas. — De seq. proposit. cfr. supra pag. 802, nota 8. — Aliquanto inferius pro *peccati* edd. 1. 2 *mendacii*, Vat. *peccati mendacii*.

[7] Vat. *servatur*. Paulo ante post *gravius* cod. F supplet *peccatum*.

[8] Edd. *carnaliter*. Superius ob auctoritatem codd. et edd. retinuimus *quod sit*, pro *quid sit*.

[9] In lib. de Mendacio, et contra Mendacium. — Superius pro *salutem* codd. U Z *vitam*.

CONCLUSIO.

Maximum mendacium est illud quod fit in doctrina religionis; levissimum vero, quod fit pro servanda castitate corporis, vel pro aliquo simili.

Respondeo: Dicendum, quod, secundum quod beatus Augustinus dicit, gradus mendaciorum sequitur ordinem, ita quod primum est magnum, et ultimum minimum. — Et ratio huius est ista: quoniam, secundum quod vult Philosophus [1], « si maximum in uno genere excedit maximum in alio genere, *simpliciter* hoc genus excedit illud ». Unde ad hoc, quod aliquod *genus* excedat alterum, non est necesse, quod *singula* illius generis excedant singula alterius generis, sed quod *summum* in illo genere sit maius omnibus ceteris alterius generis. Quoniam ergo inter mendacia omnia illud est maximum, quo quis intendit alteri nocere in *via veritatis et salutis*, quia infert ei nocumentum spirituale et irrecompensabile et quantum ad maxima bona; hinc est, quod mendacium, quod est in *doctrina religionis*, cum sit ad hoc ordinatum, est inter cetera mendacia maximum et summum. — *Ulterius*, quia non potest aliquis maiori causa moveri ad mentiendum quam pro servando bono spirituali vel annexo spirituali; hinc est, quod illud mendacium est levissimum, quod fit pro servanda castitate corporis, vel pro aliquo simili; et sic gradatim descendendo et ascendendo est [2] videre in ceteris aliis. Unde valde rationabiliter beatus Augustinus *species* mendaciorum distinxit et *gradus* ordinavit.

Ad 1. quaest.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

1. 2. 3. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium de illo qui mentitur dicendo, Christum non ascendisse super asellum, vel aliquod consimile, qui non ita mentitur, sicut ille qui suo mendacio proximum interficit; dicendum, quod verum est; sed tamen ex hoc non sequitur, quod gradus ille non excedat istum, pro eo quod illud non est *summum* mendacium in doctrina religionis, sed quando quis ex certa scientia et malitia impugnat veritatem *secundum pietatem* [3], ut fidem christianam et bonos mores subvertat, hoc, inquam, modo mentiendi non contingit reperire gravius mendacium in *secundo* genere. — Et per hoc patet responsio ad duas rationes sequentes, videlicet de mendacio, quod inducit schisma, et de mendacio, quod est ex certa malitia: quoniam mendacium in doctrina religionis non tantum inducit infidelitatem, immo et schisma et cetera mala; nec tantum est ex infirmitate, immo ex certa malitia.

Solutio oppositorum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod primum mendacii genus opponitur fidei, secundum vero opponitur caritati; dicendum, quod ratio illa dupliciter deficit. Primum quidem, quia non sequitur, si aliqua duo *bona* sic se habent, quod unum excedat reliquum, quod similiter sit et in eorum *privationibus* reperire, quoniam, sicut negationes e contrario se habent affirmationibus [4], sic etiam esse potest in privationibus et habitibus. Unde nihil impedit, quod caritas sit maius bonum quam fides; et tamen maius malum est infidelitas quam odium. Et ratio huius est, quia plus *privat* infidelitas quam ipsum odium. — Alius etiam defectus est ibi, quia mendacium, quod est in doctrina religionis, non tantum repugnat fidei, sed etiam moribus bonis. Veritas enim *secundum pietatem*, quae est in doctrina religionis, non tantum consistit in credendis, verum etiam in agendis; unde si quis diceret, fornicationem non esse vitandam, et parentes non esse honorandos, mentiretur *primo* genere mendacii. Et quia in doctrina religionis non tantum docetur, quid credendum, sed etiam quid secundum singulas virtutes operandum: hinc est, quod illud mendacium potest opponi cuilibet virtuti et bono spirituali, licet primo et principaliter opponatur ipsi fidei.

Rationis defectus 1.

Defectus 2.

5. Ad illud quod obiicitur ulterius, quod mendacium *iocosum* est magis leve quam officiosum; dicendum, quod falsum est, quia in neutro illorum mendaciorum intendit quis decipere alium; intendit tamen dicere falsum in *uno*, ut *delectet*, in *altero*, ut *prosit* [5]. Minus autem inordinata est intentio, quando intendit *prodesse*, quam quando intendit *delectari*. Cum ergo dicit, quod mendacium iocosum non fit serio; dicendum, quod falsum est, quia serio mentitur quis illo mendacio, non tamen ad seducendum, sed ad delectandum.

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod magis pium est mentiri pro servanda vita quam pro servanda continentia; dicendum, quod falsum est. Licet enim non possit aliquis alicui invito auferre virtutem continentiae, quantum ad id quod *mentis* est; quia tamen potest auferre illud quod est *ei annexum*, videlicet continentiam *carnis*, in cuius ablatione maximum est periculum propter carnis lubricum: ex hoc est, quod magis accedit ad pietatem mentiri pro illa continentia servanda quam pro vita, secundum quod vita spiritualis praefertur vitae carnali. Unde etsi pietas *naturalis* aliquo modo plus mo-

Notandum.

---

[1] Libr. III. Topic. c. 2. Vide supra pag. 740, nota 8. — Paulo superius pro *sequitur* edd. *sequuntur*. Aliquanto inferius pro *excedat* plures codd. *excedit*.

[2] Edd. *oportet*.

[3] Respicitur I. Tim. 6, 3. seq.: Si quis aliter docet et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi et ei quae secundum pietatem est doctrinae, superbus est etc. — Edd. *sive pietatem*.

[4] Terminus *affirmativus* significat rem *determinate*, v. g. album, terminus *negativus* vero *indeterminate*, v. g. non-album; in propositione affirmativa praedicatum sumitur secundum *totam suam comprehensionem*, econtra in propositione negativa etc. Cfr. I. Sent. d. 28. q. 1. in corp. et ad 3, necnon S. Thom., in I. de Caelo et mundo, lect. 24. n. 6.

[5] Cfr. quaest. praeced. — Pro *ut delectet* cod. A *ut delectetur*.

veat ad servandam vitam naturae, tamen pietas *gratuita*, quae movetur secundum regulam fidei, magis movet ad conservandam vitam gratiae et virtutis.

7. Ad illud vero quod obiicit, quod qui aufert vitam aufert spatium poenitendi et merendi; dicendum, quod et simul cum hoc aufert spatium peccandi, et nescitur, utrum homo liberatus a morte vitam futuram expendat in bonis, vel in malis; ideo non est simile hinc et inde.

Ad illud vero quod quaeritur de aliquo, qui est in periculo constitutus; dicendum, quod ille qui est in periculo constitutus de amittenda integritate carnis, aut est *perfectus* amator continentiae, aut *imperfectus*. Si *perfectus* est, ut possit de continentia mentis confidere, non debet propter hoc mendacium dicere pro vitanda corruptione carnis, quoniam, sicut dixit Lucia [1], «si me invitam violaveris, castitas mihi duplicabitur ad coronam». In tali enim sustinere passionem illam potest esse sine culpa, sed mentiri non potest esse sine culpa. Si autem est *imperfectus*, rationabiliter debet timere, ne succumbat, si ad illum statum venerit; et ideo tali propter infirmitatem suam conceditur redimere periculum maioris peccati per minus peccatum. Unde si probabiliter videt, quod per mendacium possit declinare stuprum, sanius consilium est isti aliquod falsum dicere, quam corruptionem illam sustinere. Et hoc est quod dicit beatus Augustinus in libro de Mendacio [2]: «Illa peccata, quae ita committuntur in homine, ut eum faciant immundum, etiam peccatis nostris evitare debemus; ac per hoc nec peccata dicenda sunt, quia ideo fiunt, ut illa immunditia evitetur»; quod intelligendum est, non quod non sint *simpliciter* peccata, sed quia non sunt *gravia*. Et sicut dicimus de viro imperfecto respectu sui, sic etiam intelligendum est de viro imperfecto respectu alterius imperfecti; et ita debet homo cavere periculum alienum, sicut et proprium.

Ad quaest. 2. Distinctio. Confirmatur. Nota.

Ad illud quod ultimo quaeritur, utrum sanius sit consilium mentiri, ut alius reducatur ad viam veritatis; dicendum, quod nec perfecto nec imperfecto convenit mentiri propter hoc, ut alterum ad viam veritatis provocet, quia non indiget Deus nostro mendacio; nec debet aliquis credere, quod aliquis convertatur a malo per falsi suggestionem, sed potius per Spiritus sancti inspirationem, quia, secundum quod dicit Gregorius [3], « in vanum laborat sermo praedicatoris, nisi intus operetur gratia Salvatoris » [4].

Ad quaest. 3.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit de mendacio obstetricum, quod *propter misericordiam veniale fuit peccatum, non tamen nullum*. Sed contra hoc obiicitur per illud quod dicit Gregorius in Glossa super primum [5] Exodi: « Benignitatis earum merces, quae in aeterna vita remunerari poterat, per culpam mendacii in terrenam recompensationem commutata est »; sed nihil commutat mercedem aeternam in temporalem nisi mortale peccatum: ergo videtur, quod mortaliter peccaverunt. — Item, videtur, quod hic contradicat Hieronymus Gregorio. Hieronymus [6] enim dicit, quod aedificavit eis Dominus domos spirituales: ergo non videtur, quod retribuerit eis in praesenti.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc est duplex modus dicendi. Quidam [7] volunt dicere, quod mendacium obstetricum habuit duplicem respectum, videlicet ad vitam *puerorum* et ad vitam *propriam;* mentiebantur enim pro utraque servanda. Et secundum quod habuit respectum ad vitam *puerorum*, sic erat ex *pietate;* secundum autem quod habuit respectum ad servandam vitam *propriam*, quam magis dilexerunt quam veritatem, sic erat ex *libidine*. Et primo modo erat peccatum *veniale*, quia erat mendacium *officiosum;* secundo modo erat peccatum *mortale*, quia procedebat ex mala radice, videlicet ex *libidinoso* amore vitae propriae [8], et eo tempore, quo veritas confitenda esset: et ideo haec culpa abstulit eis mercedem, quam meruerant ex pietate, quam prius habuerant servando parvulos ex timore Dei. Et secundum hoc dicunt currere diversas Sanctorum auctoritates. — Sed iste modus satis calumniabilis est, quia durum videtur dicere,

Opinio 1. Non probatur.

---

[1] Breviar. Roman. in festo S. Luciae (13. Dec.), 3. lect. II. Nocturn. — Inferius pro *In tali enim sustinere passionem* edd. *In tali periculo sustinere pollutionem.*

[2] Cap. 9. n. 15. — Paulo superius pro *stuprum* edd. *corruptionem.*

[3] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 3: Nemo ergo docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat.

[4] Vide scholion ad 4. quaest.

[5] Vers. 21. Glossa, quae apud Strabum et Lyranum est *ordinaria*, sumta est ex Gregor., XVIII. Moral. c. 3. n. 6: Benignitatis earum merces, quae eis in aeterna potuit vita retribui, pro admixta culpa mendacii in terrenam est recompensationem declinata. — Pro *in terrenam* cod. bb *in temporalem*, plures codd. *in nostram.*

[6] Libr. XVIII. in Isai. 65, 21: Quales sibi aedificasse et obstetrices dicuntur in Exodo, quae timebant Deum, licet scriptum sit in Hebraico, a Deo eis aedificatas domos, quia timuerunt eum (Exod. 1, 21.).

[7] Codd. N U addunt *enim*, et subinde cod. N cum cod. K substituit *voluerunt* pro *volunt.*

[8] Guliel. Antissiodor., S. p. III. tr. 23. c. 1. q. 2: Mendacium obstetricum potuit esse mortale, potuit esse veniale; quia si radix fuit mortalis, id est, si magis dilexerunt vitam suam temporalem quam Deum, tunc mendacium fuit mortale; si vero venialis, mendacium fuit veniale nec facit illas indignas vita aeterna. — Paulo inferius pro *esset* cod. U *erat.*

quod aliquis pro servanda proprii corporis salute mortaliter peccet, dicendo aliquod mendacium leve.

Opinio 2. et verior. Alius modus dicendi est, quod in ipsis obstetricibus duo est considerare, *pietatis beneficium* praecedens et *mendacium* subsequens. Et *primum* fuit ex quadam naturali pietate nec erat meritorium, sed disponebat ad meritum; *mendacium* vero subsequens disponebat [1] ad contrarium: et ideo pietas praecedens fuit *temporaliter* remunerata propter mendacium, non quia mendacium illud auferret vitam gratiae prius habitae, sed quia ad gratiam habendam viam praecluderet, quod quidem bene potest facere peccatum *veniale*. Et hoc est quod vult Gregorius dicere, cum dicit: « Benignitatis earum merces, quae in aeterna vita remunerari *poterat* »; *poterat*, inquam, non potentia disposita et propinqua, sed potentia remota. — Et ex hoc patet, quod nulla est controversia inter Gregorium et Augustinum [2], nulla etiam est contrarietas inter eos et Hieronymum, quia non vult dicere Hieronymus, quod obstetrices habuerint domos spirituales per assecutionem gratiae, sed quia quodam modo ad gratiam praeparatae fuerunt per timorem et pietatem [3].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *quartum sola mentiendi fallendique libidine fit, quod merum mendacium est.* Contra hoc enim obiicitur: videtur enim, quod nullum tale sit mendacium, quia, secundum quod dicit Dionysius [4], « nullus operatur ad malum aspiciens ». Si ergo mentiri de se malum est, videtur, quod nullus unquam mentiatur solummodo aspiciens ad ipsum mendacium. — Item, *libido est radix omnium malorum* [5]: ergo non solum convenit quarto generi mendacii, sed etiam omni mendacio, quod fit ex libidine: ergo penes hoc non debet assignari aliquod genus mendacii. — Item, mendacium, quod fit sola libidine mentiendi, nullum habet excusatorium; et peccatum quanto minus habet excusationis, tanto est gravius [6]: ergo videtur, quod illud mendacium sit primum et capitale inter omnia mendacia et non sit quartum genus.

Respondeo: Ad hoc dicendum est, quod mendacium illud dicitur fieri ex *libidine*, quo quidem homo mentitur solum, ut placeat sibi. — Propter quod notandum est, quod *libido* multipliciter dicitur. Uno modo dicitur libido *improba voluntas*; et sic est radix mortalium peccatorum. Alio modo dicitur libido quaecumque *immoderata delectatio*; et sic libido dicitur a *libendo* [7], et hoc modo non solum est radix mortalium, sed etiam venialium. Hoc autem dupliciter potest accipi: vel *communiter*, prout quaerit finem in actu proprio, aut consequenti, aut *specialiter*, prout in actu proprio quiescit. Primo quidem modo *communis* est omni peccato; secundo vero modo penes ipsam accipitur *differentia* mendacii, quod fit ex libidine, quod, inquam, non dicitur fieri ex libidine [8], quia procedat ex mala voluntate, sed quia homo in mentiendo non quaerit aliud quam *semetipsum oblectare* in ipso mendacio. Et huiusmodi minus malum est quam illud, in quo intendit *alii nocere*, et maius malum est quam illud, in quo intendit *alii prodesse*; et ideo medium locum tenet inter [9] mendaciorum genera.

Definitio. Libido duplex. Subdistinctio.

Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod nullus operatur ad malum aspiciens; dicendum, quod in mendacio duo sunt, videlicet *veritatis absentia* et quaedam *ars et astutia*. Et licet non delectetur quis in *absentia veritatis*; contingit tamen, aliquem delectari in quadam *arte et astutia* mentiendi; et hoc aliquo modo habet speciem boni. Et ratione illius dicit Augustinus [10], quod sola mentiendi libidine contingit aliquem mentiri.

Duo in mendacio.

Ad illud quod obiicitur, quod libido est radix omnium malorum; dicendum, quod *libido* ibi sumitur *large*; sed hic appropriatur ad delectationem, quae habetur in ipso actu mentiendi, qua quis finem in se quaerit et non in altero; quae ideo constituit speciem mendacii, quoniam in aliis speciebus mendacii homo non tantum in se, sed etiam in aliis finem quaerit.

Ad illud quod obiicitur, quod illud mendacium dicitur [11] esse maximum; dicendum, quod hoc non est verum, quia magnitudo mendacii attenditur secundum maiorem obliquationem intentionis; magis autem obliquatur qui in mendacio intendit *alium offendere*, quam *semetipsum delectare:* et ideo ratio illa non valet [12].

---

[1] Codd. minus congrue *disponit*. Aliquanto superius pro *duo est* cod. T *duo sunt*.

[2] Cuius verba exhibent textum huius dubii; cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — Immediate post supplevimus ex codd. A H M Z bb cc *nulla etiam est contrarietas inter eos*, a qua lectione codd. K L U aa in eo solum discedunt, quod omittant *contrarietas*. Codd. F N legunt *et eos*, cod. B *inter eos*.

[3] Vide de hoc dubio Alex Hal., S. p. II. q. 123. m. 6; B. Albert., hic a. 5; S. Thom., hic a. 4. ad 3.; Petr. a Tar., hic a. 5. ad 5.; Richard. a Med., hic q. 2. ad 4.

[4] De Div. Nom. c. 4. § 31. Cfr. tom. I. pag. 804, nota 6.

[5] Epist. I. Tim. 6, 10: Radix enim omnium malorum est cupiditas.

[6] Cfr. II. Sent. d. 21. a. 3. q. 3. — Superius pro *nullum habet excusatorium* cod. A *nullam habet excusationem*.

[7] Libr. IV. Hypognost. (inter opera August.) c. 2: Quaerendum est igitur, cur hoc malum, de quo agitur, *libido* dicatur. Sine dubio a *libendo*, id est, a libitu per derivationem *libido* est nuncupata. — De duplici acceptione *libidinis* vide II. Sent. d. 31. a. 2. q. 3. in corp. — Superius pro *multipliciter* edd. *dupliciter*; et subinde voci *mortalium* cod. U praemittit *omnium*. Aliquanto inferius pro *vel consequenti* edd. et plures codd. *aut consequenti*.

[8] In edd. omittitur *ex libidine*, et paulo inferius pro *in quo* bis substituitur *quo* tantum.

[9] Cod. N *inter alia*.

[10] In textu huius dubii. — Paulo ante pro *aliquo modo* edd. cum pluribus codd. *alio modo*.

[11] Ita codd. A V, alii cum edd. *debet*.

[12] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. II. q. 123. m. 7; B. Albert., hic a. 3. et 6. seq.; S. Thom., hic a. 2; Petr. a Tar., hic a. 2.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi.* Obiicitur enim contra hoc, quia abstracti et concreti eadem est definitio. Sed mentiri potest quis sine falsa vocis significatione, secundum quod Magister dicit post [1], videlicet cum quis, intendens dicere falsum, dicit verum: ergo ista non est recta definitio. — Item, sicut mendacium contingit esse in verbis, ita etiam contingit esse in factis [2]: ergo non tantum debet dici falsa *vocis* significatio, sed etiam falsa *operis* significatio. — Item, videtur, quod praedicta notificatio non conveniat omni mendacio, quia qui mentitur mendacio *officioso* non intendit *fallere*, sed *prodesse*; et qui etiam mentitur mendacio *iocoso* non intendit nisi se *delectare* [3]: ergo non videtur ista definitio omni mendacio convenire.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut tactum fuit in praecedentibus [4], ad completum *esse* mendacii duo concurrunt, videlicet *falsa vocis significatio* sicut materiale, et *fallendi intentio* sicut formale; et ideo recte est assignata praedicta notificatio mendacii. Duo in mendacio.

Ad illud vero quod obiicitur, quod abstracti et concreti eadem est definitio; dicendum, quod *mendacium*, sicut prius [5] tactum est, non tantum dicit comparationem ad *mentientem*, sed etiam ad *ipsam rem*, de qua fit sermo; *mentiri* vero proprie dicit comparationem ad ipsum *mentientem*; et ideo plus claudit in se *mendacium* quam *mentiri*, nec est idem omnino *mentiri* et *mendacium dicere*, sicut Magister in littera [6] dicit aperte. Nec sequitur, quodsi aliquis *mentitur*, quod *dicat mendacium*, si *proprie* accipiatur mendacium, nisi forte *large* accipiatur mendacium ad mendacium *secundum quid* et *simpliciter*. Quid mendacium et mentiri.

Ad illud quod obiicitur, quod mendacium non solummodo est in verbis, sed etiam in factis; dicendum, quod etsi aliquo modo est in *factis*, secundum quod innuit Ambrosius [7], proprie tamen loquendo in *verbis* est, secundum quod dicit Augustinus. Verba enim sunt proprie signa indicantia mentis conceptum, pro eo quod ab interiori procedunt et voluntarie formantur; et quoniam mendacium respectum dicit ad id quod est in mente interius: hinc est, quod *proprie* est in sermonibus et vocibus et per falsam vocis significationem definitur, licet et in aliis aliquo modo *analogice* et *per posterius* reperiatur. Notandum.

Ad illud quod obiicitur, quod ista notificatio non convenit mendacio iocoso et officioso; dicendum, quod notificatio ista per prius convenit mendacio *pernicioso*; *iocoso* autem et *officioso* convenit quodam modo quasi *per posterius*. Unde vocabulum *fallendi* in notificatione mendacii non tantum importat *decipere*, sed etiam *falsum dicere*; et hoc est omni mendacio commune et generale. *Falsum* enim *dicere* exterius quodam modo fallere est, dum [8] homo id dicit, quod potest hominem ad falsitatem deducere et deducendo ad falsitatem fallere et decipere.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, *quod Iacob matre auctore fecit, ut falleret patrem, videtur non esse mendacium, sed mysterium.* Videtur enim hoc non habere veritatem, quia Iacob dixit falsum cum intentione fallendi patrem; intendebat enim significare, quod ipse esset Esau: ergo videtur, quod simpliciter fuit mendacium: ergo videtur, quod simpliciter fuerit [9] mentitus. — Item, mendacium est ita malum, quod nullo modo potest fieri bonum, nec per se nec per dispensationem aliquam [10]: videtur ergo, quod nullo Spiritus sancti consilio nec matris imperio potuit ipse Iacob a mendacio excusari.

Respondeo: Dicendum, quod secundum beatum Augustinum [11] et etiam Ambrosium Iacob *vir sim-*

---

[1] Cap. 4. — *Maior* fundatur in eo, quod abstractum et concretum, licet sub uno respectu distinguantur (abstractum enim significat formam tantum, concretum autem formam ut afficientem subiectum), sub alio tamen idem sunt, scil. respectu formae, quae in creatis ut abstracta induit rationem *universalis* et praedicatur de concretis ut de suis inferioribus. Cfr. Aristot., VII. Metaph. text. 21. (VI. c. 6.), et de Praedicam. c. *de Substantia*, necnon VI. Topic. c. 4. (c. 9.), ubi monet, « si sit quidem habitus [in abstracto] definitio, considerandum in habente [in concreto], si quidem habentis, in habitu ». Vide etiam Averroem in V. Metaph. text. 14, ubi impugnat Avicennam, qui docet, concretum primarie significare subiectum et secundarie formam. — In fine arg. cod. A supplet *mendacii*.

[2] Ut insinuat Aristot., IV. Ethic. c. 7.

[3] Vide hic lit. Magistri, c. 1. seq.

[4] Quaest. 1.

[5] Quaest. 1. — Inferius pro *proprie dicit comparationem* cod. U *dicitur proprie per comparationem*.

[6] Hic c. 4. — Paulo post pro *quod dicat* non pauci codd. cum edd. 1, 2 *quod dicit*. Subinde pro *et simpliciter*, quod habent codd. G K N U W Z aa bb, in aliis et edd. *vel simpliciter*.

[7] Cfr. supra pag. 842, nota 7. De sententia Augustini cfr. hic lit. Magistri, c. 3, ex quo textus huius dubii sumtus est. — Quod verba sunt signa conceptuum, docet Aristot., I. Periherm. c. 1, de quo vide supra pag. 686, nota 9. et tom. II. pag. 509, nota 2. — Inferius post *pro eo quod ab interiori* cod. K supplet *mente*.

[8] Codd. A V (T primitus) *dummodo*. — Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. II. q. 123. m. 1; B. Albert., hic a. 8; S. Thom., hic a. 1; Petr. a Tar., hic a. 1; Richard. a Med., hic q. 1.

[9] Plurimi codd. *esset*, cod. U *sit*, cod. A legit *fuisset mendacium*.

[10] Aristot., IV. Ethic. c. 7: *Per se* quidem mendacium pravum est et vituperatione dignum, verum autem honestum et laudabile. August., III. Quaest. in Pentateuch. q. 68: Quia iniustum erat mendacium, ideo prohibitum; non quia prohibitum, ideo factum iniustum. — Mox post *nullo* in codd. A K additur *modo*.

[11] Contra Mendacium, c. 10. n. 24. — Ambros., II. de Iacob et vita beata, c. 2. n. 6. seqq.

plex a mendacio excusatur et quantum ad id quod dixit *verbo*, et quantum ad id quod fecit in *facto*; *verbo* enim dixit et *facto* simulavit, se esse Esau.

De verbo eius. Quantum ad id quod dixit *verbo*, excusatur, quia non intendebat patrem *fallere*, sed *dirigere*; non intendebat etiam [1] dicere, se esse Esau quantum ad *personam*, sed quantum ad *dignitatem* primogenitae et benedictionis, quam sibi a Deo vindicaverat. Et hoc, inquam, non propria auctoritate, sed matris imperio et Spiritus sancti consilio dicebat; qui quidem Spiritus sanctus in uno et eodem vocabulo multiplicem habet intelligentiam. — Quantum

De facto. etiam ad id quod fecit *facto*, simulando, se esse Esau, non peccavit, quia secundum Ambrosium *factum* illud figuram praetendebat futurorum. Unde propter praefigurationem et rectam intentionem, quae dirigebatur secundum Spiritus sancti inspirationem, dicit Augustinus, Iacob non commisisse mendacium, sed implesse mysterium iuxta Scripturae testimonium [2], quae dicit eum *virum simplicem*, non dolosum.

Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod Iacob patrem suum intendebat decipere; respondendum est *per interemptionem* [3], quod falsum est, sicut prius tactum est: quia non intendebat dicere, se esse Esau quantum ad proprietatem *personae*, sed quantum ad proprietatem *benedictionis* et *primogeniturae*.

Ad illud quod obiicitur, quod Spiritus sanctus non potest dispensare de mendacio, quod non sit peccatum [4]; dicendum, quod illud veritatem habet, quando mendacium *vere et proprie* mendacium est; Notandum. sed hoc modo Iacob mendax non fuit, quia, quamvis unum *praetenderet*, aliud *praefigurabat*; et Spiritus sanctus illud quod *praefigurabatur*, principaliter intendebat et Rebecca praecipiens et Iacob obediens; cuius signum est, quod ipse Isaac post benedictionem datam, per Spiritum sanctum in ecstasi elevatus et intelligens futurorum praefigurationem, postquam etiam deprehendit, ipsum fuisse Iacob, confirmavit prius datam benedictionem [5].

DISTINCTIO XXXIX.

Cap. I.

De periurio.

Nunc de periurio videamus. Periurium est mendacium iuramento firmatum. Hic quaeritur, utrum sit per-

Opinio 1. iurium, ubi non est mendacium. Quod quibusdam videtur ex auctoritate Hieronymi [1] dicentis: « Adverten-

Dubium 1. dum est, quod iusiurandum tres habet comites: veritatem, iudicium et iustitiam; si ista defuerint, non erit *iuramentum*, sed *periurium*. Ubi autem falsum iuratur, veritas deest ». Si ergo falsum iuretur, etsi non sit ibi intentio fallendi, videtur esse periurium, quia deest veritas.

Cap. II.

An sit periurium quod non est mendacium.

Quibusdam placet, non esse *periurium*, ubi non

Opinio 2. est mendacium, et sicut dicitur aliquando falsum sine mendacio, ita iuratur falsum sine periurio. Falsum forte dixit Apostolus [2], cum se venturum ad Corinthios promisit; nec tamen, sicut ei imponebatur, culpam mendacii contraxit, quia sic animo sentiebat. Et si iuramento illud confirmasset, non periurium incurrisset quia, quantum in ipso fuit, verum dixit; et si iurationem addidisset, quantum in se foret, verum iurasset, etsi aliter evenerit, quam dixit. Ideo, sicut quis non est *mendax*, nisi aliter sentiat animo, quam dicit, sive ita sit, sive non; ita videtur quibusdam, neminem *periurum* constitui, nisi aliter sentiat animo, quam loquitur, sive ita sit, sive non.

Cap. III.

De triplici modo periurii.

Sed melius creditur et ille peierare, qui falsum Iudicium Magistri. voluntate fallendi iurat; et qui falsum, putans quod verum est, iurat; et qui verum, putans quod falsum est, iurat. Unde Augustinus [3]: « Homines falsum iurant, Augustinus. vel cum fallunt, vel cum falluntur: aut putat homo, *verum* esse quod falsum est, et *temere* iurat; aut scit vel putat, *falsum* esse, et tamen pro vero iurat, et nihilominus *cum scelere* iurat. Distant autem ista periuria duo, quae commemoravi. Fac illum iurare, qui *verum esse putat* pro quo iurat; verum putat esse, et tamen falsum est: non *ex animo* iste peierat, sed *fallitur*. Hoc pro vero habet, quod falsum est; non pro

---

[1] Cod. A *enim*.

[2] Gen. 25, 27: Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. — Aliquanto superius pro *praetendebat* edd. *praeferebat*.

[3] Cfr. supra pag. 570, nota 6.

[4] In edd. additur *in Spiritum sanctum*. Paulo inferius pro *hoc modo*, quod cod. K omittit, codd. A Z bb *sermo*, codd. G H L T *primo*. Subinde post *aliud* edd. supplent *tamen*.

[5] Gen. 27, 27. seqq. et 28, 3. seq. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. II. q. 123. m. 6; B. Albert., hic a. 9; S. Thom., hic a. 3. ad 1; Petr. a Tar., hic a. 5; Richard. a Med., hic q. 2. ad 2.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Libr. I. Comment. in Ierem. c. 4, 2. Definitio periurii sumta est ex Hugone de S. Vict., Sum. Sent. tr. 4. c. 5, et quae sequuntur magna ex parte ex Gratian., C. *Animadvertendum* c. 22. q. 2.

[2] Epist. I. Cor. 16, 5. — Infra pro *confirmasset* edd., exceptis 1, 8, *firmasset*.

[3] Sermo 180. (alias 28. de Verbis Apost.) c. 2. n. 2. In hoc textu pro *iste peierat*, quod habent plurimae edd. cum originali, in aliis *iste periurat* (codd. et edd. modo una, modo altera forma verbi utuntur, quod etiam in August. observari potest); et post *falsum esse* eaedem omittunt *et dicit, verum esse*.

falsa re sciens iurationem interponit. Da alium qui *scit*, falsum esse, et *dicit*, verum esse; et iurat, tanquam verum sit, quod scit falsum esse; videtis, quam ista detestanda sit bellua. Fac alium qui *putat*, falsum esse, et iurat, tanquam verum sit; et forte verum est — verbi gratia, ut intelligatis, *pluit* in illo loco; interrogas hominem, et dicit pluisse; et tunc pluit ibi, sed putat non pluisse — periurus est. Interest, quemadmodum verbum procedat *ex animo;* ream linguam non facit nisi rea mens ». — His evidenter traditur, quod tripliciter peierat homo, ut supra diximus, dum vel *sciens* falsum iurat, vel *putans falsum* quod verum est, iurat, vel *existimans verum* quod falsum est, iurat.

Obiicitur. — Sed hoc extremum non videtur esse *periurium*, vel si *periurium* nominetur, eo quod falsum iuratur, non videtur esse *reus periurii* qui sic iurat, quia *non est*

Resp. *mens eius rea*, et ideo nec lingua. — Immo eius *mens rea est*, dum iurare praesumit quod perspicue verum non deprehendit. Non ergo *omne* periurium *mendacium* est, nec *omnis* qui peierat, *mentitur;* sed omnis mentiendo iurans peierat, et omnis qui falsum iurat, sive mentiens, sive non, peierat.

Cum vero quis iurat quod verum est, existimans

Alius casus ponitur. esse falsum; quaeritur, quid sit ibi *periurium*. Ipsa enim significatio vocis vera est, quia verum nescienter loquitur. Non igitur ipsa significatio vel *falsum* vel *mendacium* est, quia vera est; et quod verum est

Resp. periurium non videtur esse. — Ad hoc dicimus, loqui sic, scilicet *contra mentem*, sub *attestatione iuramenti* esse periurium. *Mentiri* ergo, adhibita *iuratione*, periurium est. Periurium ergo est vel iurando *loqui falsum cum intentione fallendi*, vel iurando *loqui falsum sine intentione fallendi*, vel iurando loqui *verum cum*

Opponitur. *intentione fallendi*. — Hic opponitur: si omnis qui falsum iurat, peierat; tunc qui alicui promittit dare sub certo termino aliquid, quod tamen non faciet, ex quo iuravit, peieravit, quia falsum iuravit. Non enim ita

Resp. futurum erat, ut iuravit. — Ad hoc dici potest, quia non omnis qui iurat quod falsum est, *ex quo iurat*, periurus est, sicut iste, de quo agimus; sed *ex quo propositum mutat*, vel *terminum transgreditur*, iuratio talis fit periurium reatu.

Cap. IV.

An iuratio sit malum.

Si autem quaeratur, utrum iurare sit malum; dicimus, aliquando malum esse, aliquando non. Sponte enim et sine necessitate iurare, vel falsum iurare peccatum grande est. Ex necessitate autem iurare, scilicet vel ad asserendam innocentiam, vel ad foedera pacis confirmanda, vel ad persuadendum auditoribus quod est eis utile, malum non est, quia necessarium est.

Augustinus. Unde Augustinus[1]: « Iuramentum faciendum est in necessariis, cum pigri sint homines credere quod eis est utile. Iuratio non est bona, non tamen mala, cum est necessaria », id est, non est appetenda sicut bona, nec tamen fugienda tanquam mala, cum est necessaria. « Non est enim contra praeceptum Dei iuratio, sed ita intelligitur Dominus prohibuisse a iuramento, ut, quantum in ipso est, quisque non iuret — quod multi faciunt, in ore habentes iurationem tanquam magnum atque suave aliquid — Apostolus enim novit praeceptum Domini, et tamen iuravit[2] ». Prohibemur ergo iurare vel cupiditate, vel delectatione iurandi. « Quod ergo Christus ait in Evangelio: *Ego dico vobis, non iurare omnino;* ita intelligitur praecepisse, ne quisquam sicut *bonum* appetat iuramentum et assiduitate iurandi labatur in periurium ». Quod vero addidit: « *Sit sermo vester: est, est; non, non;* bonum est et appetendum. *Quod autem amplius est a malo est*, id est, si iurare cogeris, scias, de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades; quae infirmitas utique malum est, unde nos quotidie liberari precamur dicentes: *Libera nos a malo.* Ideoque non dixit: quod amplius est *malum* est. Tu enim non facis malum, qui bene uteris iuratione, sed *a malo* est illius qui aliter non credit », id est ab *infirmitate*, quae aliquando *poena* est, aliquando *poena et culpa.* Ibi ergo Dominus prohibuit malum, suasit bonum, indulsit necessarium.

Cap. V.

De iuramento, quod fit per creaturas.

Quaeritur etiam, utrum liceat iurare per creaturam. Quod non videtur, cum in Lege[3] scriptum sit: *Reddes autem Domino iuramenta tua;* et Christus in Evangelio praecipiat, *non iurare omnino, nec per caelum nec per terram nec per Ierosolymam nec per caput tuum.* « Iudaeis quasi parvulis *concessum* fuit iu- Hieronymus.
rare per Creatorem, et *praeceptum*, ut, si iurare contingeret, non nisi per Creatorem iurarent, non per creaturam; quia iurantes per Angelos et elementa creaturas venerabantur honore; et melius erat hoc exhiberi Deo quam creaturis ». Infirmis ergo illud prohibuit, sanctis vero, qui in creaturis Creatorem venerabantur tantum, non prohibuit. Unde Ioseph[4] per salutem Pharaonis iuravit, « Dei iudicium in eo veneratus, quo positus erat in infimis ». Christus vero ita per creaturas iurare prohibuit, ne vel aliquid divinum in eis crederetur, pro quo reverentia eis deberetur; vel ne per eas iurantes falsum homines se iuramento non teneri putarent.

Cap. VI.

Quae iuratio sit gravior, an quae fit per Deum, an quae fit per creaturas, vel per Evangelium.

Si autem quaeritur, quis magis teneatur, an qui Dubium 2.
per Deum, an qui per Evangelium, vel per creaturas

---

[1] Libr. 1. de Serm. Domini in monte, c. 17. n. 51.

[2] August., Exposit. in Gal. (1, 20.) n. 9. — Sequentes duo loci sunt eiusdem, l. de Serm. Domini in monte, c. 17. n. 51, ubi citantur Matth. 5, 34. 37. et 6, 13.

[3] Ita Matth. 5, 33; cfr. Levit. 19, 12. et Deut. 23, 21. cum Ps. 49, 14: Redde Altissimo *vota* tua. Seq. locus est Matth. 5, 34. — Pro *fuit concessum* cod. B et edd., exceptis 4, 8, *est concessum.* — Quod sequitur secundum sensum sumtum est ex Comment. Hieronymi ad Matth. 5, 34.

[4] Cfr. Gen. 42, 15. 16. — Ex Gratian. C. Movet c. 22. q. 4. § 2.

iurat; dicimus: qui per Deum, quia per eum haec sancta facta sunt. Unde Chrysostomus [1]: « Si qua causa fuerit, modicum videtur facere qui iurat per Deum; qui vero per Evangelium, maius aliquid fecisse videtur. Quibus dicendum est: Stulti, Scripturae propter Deum factae sunt, non Deus propter Scripturas »; ita et creaturae factae sunt propter Deum. Chrysostomus.

Cap. VII.

Quid est dicere: per Deum.

Hic quaeritur, quid sit dicere: per Deum iuro; hoc est testem adhibere Deum. Iuravit enim Apostolus [2] dicens: *Testis est mihi Deus;* ac si dixisset: per Deum ita est. Unde Augustinus: « Ridiculum est putare hoc: si dicas: *per Deum*, iuras; si dicas: *testis est Deus*, non iuras. Quid est enim *per Deum* nisi *testis est Deus;* aut quid est *testis est Deus* nisi *per Deum?* Quid est autem *iurare* nisi *ius Deo reddere*, quando per Deum iuras »? ius scilicet veritatis et non falsitatis. Item [3]: « Ecce dico caritati vestrae: et qui per lapidem iurat falsum periurus est »; quia non lapidem, qui non audit, sed eius Creatorem adhibet testem. Hoc est ergo iurare per quamlibet creaturam, scilicet Creatorem eius testem adhibere. Dubium 3. Augustinus.

« Est etiam quoddam genus iuramenti gravissimum, quod fit per *exsecrationem*, ut cum homo dicit: si illud feci, illud patiar, vel illud contingat filiis meis ». Secundum quem modum accipitur etiam interdum, cum aliquis iurando dicit: per salutem meam, vel per filios meos, et huiusmodi. Obligat enim haec Deo. Unde Augustinus: « Cum quis ait: per salutem meam, salutem suam Deo obligat. Cum dicit: per filios meos, oppignerat eos Deo, ut hoc eveniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius: si verum, verum; si falsum, falsum. Et sicut per hoc iurans aliquando hoc Deo obligat, ita per Deum iurans ipsum adhibet testem ». In omni ergo iuratione aut *Deus testis* adhibetur, aut *creatura Deo obligatur* et oppigneratur, ut hoc sit iurare, scilicet Deum *testem adhibere*, vel Deo *aliquid oppignerare*. Hoc est ergo iurare per quamlibet creaturam, scilicet Creatorem eius testem adhibere [4]. Augustinus. Augustinus.

Cap. VIII.

De illis qui iurant per falsos deos.

Post haec quaeritur, utrum fide eius utendum sit, qui per daemonia vel idola iuraverit. De hoc Augustinus scribens ad Publicolam [5] ait: « Te prius considerare volo, utrum, si quispiam per deos falsos iuraverit et fidem non servaverit, non tibi videtur bis peccasse. Bis utique peccavit, quia iuravit, per quos non debuit; et contra pollicitam fecit fidem, quod non debuit. Ideoque qui utitur fide illius, quem constat iurasse per deos falsos, et utitur non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quo per daemonia iuravit, sed bono pacto eius, quo fidem servavit. Et sine dubitatione minus malum est per deos falsos iurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter. Quanto enim per quod iuratur magis sanctum est, tanto magis est poenale periurium ». De forma illicita. Augustinus. Dubium 4.

Cap. IX.

Quod iuramentum vel promissio contra Deum facta non est tenenda.

Nunc superest videre, utrum omne iuramentum implendum sit. Si enim quis aliquid iuraverit contra fidem et caritatem, quod observatum peiorem vergat in exitum, potius est mutandum quam adimplendum. Unde Ambrosius [6]: « Est contra officium nonnunquam promissum solvere sacramentum, ut Herodes fecit ». Item Isidorus: « In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quod incaute vovisti ne facias; impia est promissio, quae scelere adimpletur ». Idem: « Non est observandum sacramentum, quo malum incaute promittitur, ut si quis adulterae perpetuam fidem cum ea permanendi polliceatur. Tolerabilius est enim non implere sacramentum quam permanere in stupro ». Item Beda [7]: « Si quid nos incautius iurare contigerit, quod observatum peiorem vergat in exitum, libere illud salubriori consilio mutandum noverimus; ac magis, instante necessitate, peierandum esse nobis, quam pro vitando periurio in aliud crimen gravius esse divertendum. Denique iuravit David [8] *per Deum* occidere Nabal, virum stultum; sed ad primam intercessionem Abigail, feminae prudentis, remisit minas, revocavit ensem in vaginam, nec aliquid culpae se tali periurio contraxisse doluit ». Item Augustinus [9]: « Quod David iuramentum per sanguinis effusionem non implevit, maior pietas fuit. Iuravit David temere, sed non implevit iurationem maiori pietate ». — Ex his aliisque pluribus ostenditur, quaedam iuramenta non observanda esse. Et qui sic iurat vehementer peccat; cum autem mutat, bene facit; qui autem non mutat dupliciter peccat: et quia iniuste iuravit, et quia facit quod non debet. De iuramenti obligatione. Ambrosius. Isidorus. Beda. Augustinus.

---

[1] Opus imperfect. in Matth. homil. 44. — Superius ante *haec sancta* plurimae edd. *Deum* pro *eum;* porro edd. 1, 5, 8 *facta et sancta* pro *sancta facta*. Deinde codd. A (a secunda manu) B et edd. 1, 8 *sanctae sunt* pro *factae sunt*.

[2] Rom. 1, 9. — Locus August. est l. de Serm. Dom. in monte, c. 17. n. 51, et Serm. 180. (alias 28. de Verbis Apost.) c. 6. n. 6. seqq.

[3] Serm. cit. 180. c. 12. n. 13. Seq. locus est Enarrat. in Ps. 7. n. 3; tertius Serm. cit. 180. c. 6. n. 7.

[4] Haec propositio deest in edd. 1, 8; et cod. Erf. annotat: Quidam habent hanc litteram, quidam non. — Edd. 1, 6, 8 supra scribunt constanter *oppignorare* pro *oppignerare*.

[5] Epist. 47. (alias 154.) n. 2, nonnullis omissis et mutatis. — Pro *se sociat, quo* edd., exceptis 2, 5, 6, *se sociat qui,* refragantibus codd. et originali; denique edd. 1, 8 iterum ponunt *qui fidem* pro *quo fidem*.

[6] Libr. I. de Officiis, c. 50. n. 264. Loci Isidori sunt II. Synonymorum n. 58; II. Sent. c. 31. n. 9.

[7] Homil. 20. in festo Decoll. S. Ioan. Bapt., et Gratian. C. *Si aliquid* c. 22. q. 4.

[8] Cfr. I. Reg. 25, 13.

[9] Serm. 308. (alias 11. ex additis a Parisiens.) c. 2. n. 2, qui locus est in Gratian. C. *quod David* c. 22. q. 4.

Cap. X.

Si est periurus qui non facit quod incaute iurat.

Qui vero mutat, utrum periurus debeat dici, solet quaeri. Beda supra[1] tale iuramentum vocavit periurium. Ioannes etiam Apocrisarius[2] orientalium sedium dixit: «Sermo patris nostri Sophronii significat, quod melius est, iurantem peierare quam servare sacramentum in fractione sanctarum imaginum». Sed *periurium* dicitur tale iuramentum non observatum, et *peierare* dicitur qui non implet, quia falsum iurat, non quia inde reus sit, quod non observat, sed quia iuravit iniustum, ex quo reus est, sicut ille qui peierat.

Beda et Ioan. Apocrisarius.

Cap. XI.

De illis qui verborum calliditate iurant.

Hoc etiam sciendum est, quod «quacumque arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, qui et nomen Dei in vanum assumit et proximum in dolo capit[3]».

Cap. XII.

De illo qui cogit aliquem iurare.

Quaeritur etiam, si peccet qui hominem iurare cogit. De hoc Augustinus[4] ait: «Qui exigit iurationem, multum interest, si nescit, illum iuraturum falsum, an scit. Si enim nescit, et ideo dicit: iura mihi, ut fides ei sit; non est peccatum, tamen *humana tentatio est*[5]. Si vero scit, eum fecisse, et cogit eum iurare, homicida est». Idem: «Qui provocat hominem ad iurationem et scit, eum falsum iurare, vincit homicidam; quia homicida corpus occisurus est, ille animam, immo duas animas, et eius quem iurare provocavit, et suam».

Dubium 5.

Sancta Synodus decrevit, nisi pro pace facienda, ut omnes fideles ieiuni ad sacramenta accedant[6].

Dubium 6.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXIX.

De periurio.

Nunc de periurio videamus etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de mendacio, quod opponebatur quinto praecepto secundae tabulae. In hac vero parte intendit agere de periurio. Haec autem pars continet praesentem distinctionem et dividitur in partes tres. In quarum prima inquirit Magister, quid sit periurium. In secunda vero determinat, qualiter sit iurandum, ibi: *Quaeritur etiam, utrum liceat iurare per creaturam.* In tertia vero, quod iuramentum[1] sit adimplendum etc., ibi: *Nunc superest investigare, utrum omne iuramentum sit implendum* etc.

Prima pars dividitur in partes duas. In quarum prima determinat de periurio per comparationem ad mendacium. In secunda vero per comparationem ad iuramentum, ibi: *Si autem quaeritur, utrum iurare sit malum* etc.

Hac secunda parte indivisa remanente, prima dividitur in partes tres. In quarum prima inquirit, utrum essentiale sit periurio[2] esse mendacium, et determinat secundum opinionem alienam. In secunda vero determinat secundum opinionem propriam, ibi: *Sed melius creditur* etc. In tertia vero removet dubitationem annexam, ibi: *Cum vero quis iurat quod verum est* etc.

Similiter secunda pars, in qua determinat, quomodo sit iurandum, dividitur in partes duas. In quarum prima determinat de forma iuramenti licita. In secunda de forma iuramenti[3] illicita, ibi: *Post haec quaeritur, utrum fide eius utendum sit* etc.

Et hac parte remanente indivisa, prima dividitur in tres. In quarum prima quaerit, quae sit forma iuramento congrua. In secunda, quae forma sit magis obligatoria, ibi: *Si autem quaeritur, quis magis teneatur.* In tertia vero determinat, quae sit formae iurandi intelligentia, ibi: *Hic quaeritur, quid sit dicere: per Deum iuro.*

Per hunc etiam modum tertia pars principalis dividitur in partes duas. In quarum prima determinat de iuramenti obligatione. In secunda vero de honestate, ibi: *Sancta Synodus decrevit* etc. Et illa parte remanente indivisa, prima dividitur in partes tres. In quarum prima determinat, utrum iu-

---

[1] Hic c. 9.

[2] Gratian., C. *Actione quarta* c. 22. q. 4.

[3] Isidor., II. Sent. c. 31. n. 8.

[4] Serm. 180. supra cit. c. 10. n. 11. Seq. locus ibid. c. 4. n. 4.

[5] Respicitur I. Cor. 10, 13: Tentatio vos non apprehendat nisi humana. — Quomodo autem tentatio *humana* distinguatur a *diabolica* et tres habeat species, explicatur II. Sent. d. 21. dub. 3.

[6] Vide Gratian. loc. cit. q. 5. can. *Honestum.*

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Cod. K *In tertia vero inquirit, utrum omne iuramentum.*

[2] Permulti codd. *periurium.*

[3] Codd. F G L T V aa bb *iurandi.* Paulo superius pro *quomodo* cod. A *qualiter.* Aliquanto inferius pro *iurandi* cod. U *iuramenti.*

ramentum illicitum sit obligatorium. In secunda, utrum iuramentum dolosum [1], ibi: *Hoc etiam sciendum est, quod quacumque arte verborum* etc. In tertia vero inquirit, utrum iuramentum coactum sit obligatorium, ibi: *Quaeritur etiam, si peccat qui hominem iurare cogit.* Sententia autem et [2] subdivisio partium satis manifesta est in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis secundum ea quae Magister determinat, incidit hic quaestio circa tria.

Primo quaeritur de culpa periurii.

Secundo quaeritur de forma iurandi.

Tertio vero quaeritur de obligatione iuramenti.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum omne periurium sit mendacium.

Secundo quaeritur, utrum omne periurium sit peccatum.

Tertio quaeritur, utrum omne periurium sit mortale peccatum.

ARTICULUS I.

De culpa periurii.

QUAESTIO I.

Utrum omne periurium sit mendacium.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum omni periurio conveniat esse mendacium. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia periurium prohibetur per quintum mandatum secundae tabulae: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium* [3]; sed ibi prohibetur falsitas in verbo, quae scienter non potest esse sine mendacio: ergo videtur, quod cum ibidem prohibeatur periurium, quod omne periurium includat in se mendacium.

2. Item, qui assumit summam Veritatem in testimonium veritatis recte eam assumit; et qui recte assumit non peccat: ergo quando summa Veritas adducitur ad confirmationem veritatis, nullum est periurium: ad hoc ergo, quod sit periurium, necesse est, ipsam Veritatem adduci ad confirmandum mendacium: redit ergo idem quod prius.

3. Item, qui asserit quod animo sentit non peccat, quia utitur sermone ad id, ad quod institutus est [4]; si ergo periurans in assertione sua peccat, aliud ergo gerit in animo, aliud asserit in ore. Sed omnis talis est mendax: ergo mendacium est de *esse* periurii.

4. Item, periurium est peccatum linguae; sed «linguam non facit ream nisi mens rea [5]» et male sibi conscia: ergo ad hoc, quod committatur periurii culpa, necesse est, quod fallendi intentio praecedat. Sed illa facit hominem mentiri: ergo etc.

Sed contra: 1. Hieronymus super Ieremiam [6] dicit, quod «iuramentum tres habet comites, scilicet *iudicium* et *iustitiam* et *veritatem*»; et sicut ex defectu *veritatis* contingit fieri iuramentum inordinatum, ita ex defectu *iudicii* et *iustitiae:* si ergo periurium generaliter complectitur iuramentum inordinatum, videtur, quod non omne periurium sit mendacium. Fundamenta.

2. Item, aliquis, intendens facere adulterium et homicidium, hoc iuramento confirmat; esto ita; talis autem aut recte iurat, aut periurat; constat, quod non recte [7]: ergo periurat, et tamen non mentitur: ergo non est essentiale omni periurio esse mendacium.

3. Item, qui iurat adducit Deum in testimonium veritatis [8]; esto ergo, quod iuret falsum, quod credit esse verum, talis, cum adducat Veritatem in testimonium falsitatis, periurus est; sed quia credit et intendit verum dicere, non est mendax: ergo non omnis periurus mentitur, nec omne periurium est mendacium.

4. Item, ad *esse* mendacii non tantummodo requiritur intentio fallendi, sed etiam falsitas sermonis [9]; sed contingit, aliquem incurrere periurii crimen, si verum iuret et intendat falsum iurare et per iuramentum illud proximum laedere: ergo videtur, quod alicubi reperiatur perfecta ratio periurii, ubi non reperitur plena ratio mendacii: ergo etc.

---

[1] Cod. K supplet *sit obligatorium.*

[2] Edd. omittunt *Sententia autem et.*

[3] Exod. 20, 16. Cfr. supra d. 37. dub. 8. — Mox edd. omittunt *scienter.*

[4] Vide supra lit. Magistri, d. XXXVIII. c. 5.

[5] Ut dicit August. hic in lit. Magistri, c. 3. allegatus. — Inferius pro *committatur* cod. K *contrahatur.*

[6] Libr. I. c. 4, 2. Vide hic lit. Magistri, c. 1.

[7] Codd. A Z bb repetunt *iurat.* Cod. A *peierat* pro *periurat.* In *maiori* cod. K *vel* pro *et.*

[8] Cfr. hic lit. Magistri, c. 7. — In conclusione arg. pro *periurus mentitur* cod. A *peierans est mentitus.*

[9] Ut ostensum est supra d. 38. q. 1. — De ipso arg. cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

CONCLUSIO.

Non est essentiale omni periurio, sive assertorio sive promissorio, esse mendacium, si mendacium proprie accipitur; si autem large, tunc omne periurium includit mendacium.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod hic est triplex modus dicendi.

Opinio 1. Quidam namque dixerunt, quod *periurium* substernit sibi *mendacium*. Et isti dixerunt, quod si aliquis iurat falsum, quod credit esse verum, non periurat, quia non mentitur. — Sed haec positio improbatur. improbatur per Augustinum [1], qui dicit, quod «cum homo iurat quod putat esse verum, et tamen est falsum, temere iurat». Et ex hoc habetur, quod iuramentum illud est *temerarium* et inordinatum et ita *periurium*, et tamen non est ibi *mendacium*.

Opinio 2. Ideo dixerunt alii, quod *non omne periurium* est *mendacium*, pro eo quod non solummodo contingit incurrere crimen periurii propter *veritatis* defectum, verum etiam propter defectum *iustitiae* et Non probatur. *iudicii* [2]. — Sed instantia ista, quae fertur, videtur magis habere locum in iuramento *obligatorio* quam in iuramento *assertorio*. In illo enim proprie reperitur *iudicium* et *iustitia*. Et ideo adhuc remanet quaestio, utrum omne periurium, quod opponitur iuramento *assertorio*, sit mendacium, cum sit veritatis privativum.

Opinio 3. Propterea tertio potest adhuc responderi, quod sicut patuit ex praecedenti distinctione [3], aliquid est Triplex mendacium. mendacium *simpliciter* et secundum rationem *completam;* aliquid est mendacium *secundum quid*, videlicet quantum ad ipsius mendacii *materiam;* aliquid est mendacium *secundum quid*, quia habet ipsius mendacii *formam*. Mendacium *simpliciter* est quod habet falsitatem *in voce* et *in intentione*. Mendacium vero *secundum quid* et secundum *materiam* est quod habet falsitatem *in voce*, sed *non in intentione*. Mendacium *secundum quid* et secundum *formam* est quod habet falsitatem *in intentione*, sed *non in voce*.

Cum ergo quaeritur, utrum periurium oppositum iuramento *assertorio* universaliter claudat in Conclusio 1. se mendacium; si *large* accipiatur mendacium, extenso nomine ad mendacium *simpliciter* et *secundum quid;* sic omne periurium in se includit *mendacium*. Et hoc est quod dicit Magister in littera [4], quod «periurium est vel iurando loqui falsum cum intentione fallendi, vel iurando loqui falsum sine intentione fallendi, vel iurando loqui verum cum intentione fallendi». — Si autem *proprie* accipiatur Conclusio 2. mendacium, sic non est essentiale *omni* periurio, nec periurio, prout opponitur iuramento *obligatorio*, nec periurio, prout opponitur iuramento *assertorio*, sicut dicit Magister in littera [5], et rationes probant prius adductae ad partem istam.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod periurium prohibetur in quinto mandato; dicendum, quod non solum ibi prohibetur, immo etiam prohibetur in secundo primae tabulae [6], in quantum per ipsum periurium facit quis contumeliam summae Veritati, assumendo eam in vanum, dum assumit eam ad confirmationem falsi sciti, vel falsi opinati, vel etiam dubii. — Posset tamen dici, Aliter. quod in quinto mandato prohibetur falsum testimonium non solum quantum ad falsitatem *sermonis*, sed etiam quantum ad falsitatem *intentionis* [7], et *coniunctim* et *divisim;* et prout *divisim* prohibentur, non dicunt mendacium secundum plenam rationem, sed secundum semiplenam tantum, sicut patet ex praecedentibus. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod qui adducit divinam Veritatem in testimonium veritatis recte iurat; dicendum, quod illud non est semper verum [8], quia potest eam adducere in testimonium veritatis, intendens eam adducere in testimonium falsitatis; et illa intentio perversa reatum periurii introducit, quamvis non habeat completam rationem mendacii. *Praeterea*, alius defectus est in ratione illa: quia non omne falsum est mendacium; et propterea non sequitur, quodsi periurium includit falsum, quod propter hoc includat mendacium. Defectus 1. Defectus 2.

3. Ad illud quod obiicitur, quod qui asserit quod in animo sentit, non peccat; dicendum, quod verum est, si ita novit in animo, quod possit exterius asserere in sermone, et hoc est, quando est *certus;* sed quando *falsa credulitate decipitur*, si exterius audeat affirmare per iuramentum, non excusatur, quia, secundum quod *conscientia erronea* in moribus non excusat factum iniustum [9], sic *aestimatio falsa* in his quae creduntur, non excusat iuramentum falsum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod lingua non est

---

[1] Serm. 180. (alias 28. de Verbis Apostoli) c. 2. n. 2. Vide hic lit. Magistri, c. 3. — Paulo ante pro *periurat* cod. A *peierat*, et aliquanto superius pro *namque dixerunt* cod. K *namque dicere voluerunt*. inferius pro *non est ibi* cod. A *illud non est*.

[2] Cfr. Hugo a S. Vict., Sum. Sent. tr. 4. c. 5, et hic lit. Magistri, c. 2. — Alex. Hal., S. p. III. q. 31. m. 4. a. 3: *Assertorium* iuramentum est, quando iuratur, de praesenti aliquid esse vel non esse, vel de praeterito aliquid fuisse vel non fuisse. *Promissorium* vero, cum iurat aliquis de futuro facturum aliquid vel non facturum.

[3] Quaest. 1. — Superius voci *tertio* codd. K bb adnectunt *modo*, et subinde pro *quod* plures codd. *quia*.

[4] Hic c. 3. — Pro *includit* cod. U *claudit*.

[5] Hic c. 3. — Pro ultimo *prout* edd. cum pluribus codd. *quod*.

[6] Cfr. supra d. 37. dub. 2. et 8.

[7] Vat. addit *et rei et sermonis*, edd. 1, 2 legunt: *non solum quantum ad falsitatem intentionis, sed et rei et sermonis*.

[8] Cod. A *non habet veritatem semper*. inferius pro *et illa* Vat. *et sua*.

[9] Cfr. II. Sent. d. 39. a. 1. q. 3.

rea, nisi mens prius sit rea; responderi potest dupliciter: quia illud verum est in sermonibus *indifferentibus*, sed in sermonibus *malis* et inordinatis et a Deo prohibitis excessus linguae introducit reatum mentis et conscientiae. — Aliter etiam potest dici, quod mens et intentio rea dicitur non solummodo, quia in iurando intendit[1] fallere, sed etiam, si intendat iurare id, de quo non habet certitudinem, pro eo quod ipsi summae Veritati subtrahit debitum honorem.

SCHOLION.

I. Supponitur hic doctrina de *iuramento*, de quo infra a. 2. q. 1. 2. et in dubiis 1. 2. 3. agitur. — Doctrinam S. Thomae de hac quaestione sic paucis complectitur Petr. a Tar. (hic q. 1. a. 1.): « Sicut a proprietate completiva principaliter denominatur res *completa*; ita a defectu proprietatis completivae res *defectiva*. Unde periurium recte describitur a *falsitate*: aut ergo a falsitate *signi et significantis*, ut quando iuratur falsum intentione fallendi; aut a falsitate *significantis*, sed *non signi*, ut quando quis, putans falsum quod verum est, iurat; aut a falsitate *signi*, sed *non significantis*, ut quando quis, putans verum quod falsum est, iurat. In primo est completa ratio periurii; in secundo minus completa; in tertio minime completa. Periurium ergo secundum completam et propriam acceptionem est mendacium iuramento firmatum ». Haec autem manifeste dicta sunt de iuramento *assertorio* et quidem *large* accipiendo mendacium, ut auctor noster distinguit (in fine corp.). — Communiter enim distinguitur periurium *proprie* et *stricte* sumtum, quod est *mendacium iuramento firmatum* (cfr. Magister, hic c. 1, et S. Thom., S. II. II. q. 98. a. 1.), a *periurio* latius sumto pro omni *iuramento illicito*, videlicet destituto una vel altera trium conditionum requisitarum ad omne iuramentum licitum, quae sunt *veritas*, *iustitia* et *iudicium*. De his tribus « comitibus iuramenti », ut dicit Magister (hic c. 1.), vide hic dub. 1.

De hac (1.) quaestione praeter laudatum: Scot., hic q. unica n. 8. — S. Thom., hic a. 4; S. loc. cit. — B. Albert., hic a. 3. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1. — Biel, de hac et duabus seqq. qq. hic q. 2.

II. Duas seqq. (2. 3.) quaestiones commentatores Petri Lomb. plerumque simul tractant. Quod periurium *stricte* sumtum non admittat parvitatem materiae nec possit a peccato mortali excusari nisi imperfectione actus, est sententia prorsus certa et pluribus s. Sedis oraculis confirmata. Inter articulos 39, de quibus mandato Martini V. (Bulla, *Inter cunctas*) suspecti errorum Wikleff et Huss interrogandi erant, est art. 14: « Item, utrum credat, quod periurium scienter commissum, ex quacumque causa vel occasione, pro conservatione vitae corporalis propriae vel alterius, etiam in favorem fidei, sit *mortale* peccatum ». Item, Innocentius XI. (Decret. 2. Mart. 1679) damnavit (prop. 24.) assertionem: « Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem »; et hanc (prop. 25.): « Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit gravis, sive levis » (cfr. prop. 26. 27.). — Ex altera parte constat, quod non *omne* periurium, sensu *latiore* sumtum, scilicet destitutum aliqua trium illarum conditionum, sive quod sit vel *perversum*, vel *incautum*, dummodo non sit *temerarium*, semper sit peccatum *mortale*. De causis excusantibus iuramenta *incauta* a mortali agit Scot. (hic q. unica n. 3.), contra quem plura obiicit Dionys. Carth. (hic q. 3. in fine). Plura et accuratiora de his et de iuramento promissorio quaere apud recentiores auctores de re morali tractantes, praesertim apud S. Alphonsum, Theol. moral. II. tr. 2. c. 2.

De utraque (2. 3.) quaestione: Alex. Hal. (rem tangendo), S. p. III. q. 31. m. 2. a. 2. 4. — Scot., loc. cit. n. 2. et 4. seqq. — S. Thom., hic a. 5; S. II. II. q. 98. a. 2. 3. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. — Durand., hic q. 5. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum omne periurium sit peccatum.

Secundo quaeritur, utrum omne periurium sit peccatum, et ostenditur, quod aliquis possit periurare sine peccato.

1. Esto enim, quod aliquis iuret falsum, quod putat esse verum, propter utilitatem proximi; iuramentum illud non est in divinae Veritatis contemptum nec est in proximi nocumentum: ergo non repugnat mandato primae tabulae nec secundae: igitur non est peccatum; et tamen est periurium, sicut in praecedentibus[2] fuit ostensum: ergo non omne periurium est peccatum. Ad oppositum.

2. Item, nullus venerando et amando Deum peccat; sed Augustinus[3] dicit, quod « illud, per quod quis iurat, veneratur et amat »: cum ergo aliquis iurat falsum per Deum, veneratur et amat ipsum Deum: ergo non committit peccatum; et tamen committit periurium: ergo periurium non est peccatum.

3. Item, sicut peccatum opponitur bonitati, sic periurium opponitur veritati; sed veritas spectat ad *intellectum*, bonitas ad *affectum*[4]; sic etiam falsum et malum differunt: cum ergo vitium et peccatum dicat oppositum virtuti et bonitati, quae se tenent ex parte *affectus*, et periurium sit oppositum veritati, quae se tenet ex parte *intellectus*, non videtur, quod aliquod periurium sit peccatum.

4. Item, possibile est, aliquem cogi ad hoc,

---

[1] Codd. A G H L aa bb *intendat*.

[2] Quaest. 1.

[3] Cfr. Serm. 180. (alias 28. de Verbis Apostoli) c. 12. n. 13, ubi ait: « Multi et in hoc falluntur et putant, quia nihil est, *per quod* iurant, non se crimine teneri periurii. Prorsus periurus es, quia per id *quod sanctum putas*, falsum iuras ». Vide etiam I. de Serm. Domini in monte, c. 17. n. 52. Alex. Hal., S. p. III. q. 31. m. 3. a. 2. § 3. hanc sententiam attribuit *Hieronymo*, qui revera I. in Matth. 5, 34. dicit: Qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem iurat. Cfr. Glossa *ordinaria* in hunc loc. — Circa finem arg. Vat. omittit *peccatum, et tamen committit*.

[4] Vide supra pag. 470, nota 8. — Paulo inferius pro *virtuti et bonitati* edd. 1, 2 cum non paucis codd. perperam *veritati et bonitati*, Vat. tantum *bonitati, quae se tenet* etc.

quod iuret falsum; sed necessitas non habet legem, immo quae alias sunt illicita necessitas facit licita, sicut patet de eo qui furatur et est in extrema necessitate [1]: ergo videtur, quod saltem in tali casu periurium sit licitum, et sic non est essentiale ei esse peccatum.

Fundamenta. Sed contra: 1. Gravius vitium et magis deforme est periurium quam simplex mendacium; sed « necesse est, omne mendacium esse peccatum » secundum quod Augustinus dicit, et habitum est in praecedentibus [2]: videtur ergo, quod similiter sit circa ipsum periurium, immo multo fortius.

2. Item, quicumque peierat, iurat inordinate, et qui iurat inordinate iurat iniuste vel temerarie [3]; et omnis talis peccat: ergo etc.

3. Item, omnis qui peierat, assumit nomen Dei in vanum [4], et omnis talis facit contumeliam divinae Veritati; hoc autem est peccatum et malum *secundum se:* ergo necesse est, omne periurium malum esse.

4. Item, omne illud est malum, cui debetur poena; sed omni periurio debetur poena, secundum quod dicitur Proverbiorum decimo nono [5]: *Testis falsus non erit impunitus:* ergo si periurium est falsa testificatio, videtur necessario, quod omne periurium sit peccatum.

CONCLUSIO.

Periurium est malum non solummodo in se, sed etiam secundum se.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod absque dubio periurium est malum non solummodo *in se*, sed etiam *secundum se*, ita quod nullo modo potest fieri bene.—

Ratio duplex. Ratio autem huius est duplex: una propter hoc, quod *plerumque* periurium claudit in se mendacium, quod est secundum se malum; alia vero ratio est generalis, quia omnis periurans contumeliam facit summae Veritati, dum eam adducit [6] ad eius confirmationem, ad quod non deberet assumi. Et ideo, quia non tantum deordinat hominem ad proximum, sed etiam deordinat hominem ad Deum; inde est, quod semper est malum. — Unde concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium de eo qui iurat falsum, quod putat esse verum, propter utilitatem proximi; dicendum, quod talis peccat propter Veritatis contemptum; quamvis enim non contemnat ipsam Veritatem ex *certa scientia*, adducendo eam in testimonium falsitatis, contemnit tamen ex ipsa *temeritate*. Adeo enim est nomen Domini terribile et venerabile [7], quod nullus debet ipsum in testimonium assumere, nisi noverit, quid loquatur. Unde ignorantia non excusat in tali iuramento. Hoc enim debet unusquisque scire, quod non debet iuramento aliquid firmare, nisi de illo sit certus. Unde etsi talis ignoret rem, de qua iurat, hoc ipso scit, se male iurare, si eam iuramento affirmat; et ideo non excusatur a culpa. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod illud, per quod quis iurat, veneratur et amat; dicendum, quod illud verum est, quando recte et ordinate per illud iurat; sed quando falso et inordinate per ipsum iurat, etsi videatur venerari per credulitatem, potius contemnit et contumeliam sibi facit per inordinatam locutionem.

3. Ad illud quod obiicitur, quod periurium opponitur veritati, quae est in intellectu; dicendum, quod secundum quod duplex est cognitio, *speculativa* et *practica*, sic dupliciter contingit loqui de ipsa veritate: aut prout est regula merae *speculationis*, aut prout est regula ipsius *locutionis* et *operationis*. Veritas enim fidei et prudentiae dictat, qualiter loquendum, et quid agendum. Cum ergo dicitur, quod mendacium et periurium opponitur veritati, hoc non intelligitur de veritate *primo* modo, sed de veritate *secundo* modo. Et ista veritas *secundo* modo dicta iuncta est bonitati et tenet rationem *virtutis*, et actus eius est in praecepto, secundum quod dicitur ad Ephesios quarto [8]: *Loquimini unusquisque veritatem cum proximo suo.* Ipse autem obiicit de veritate, prout consistit in mera speculatione; ideo ratio illa non valet. Distinctio. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de eo qui peierat, necessitate compulsus, quod non peccat; dicendum, quod falsum est. Est enim necessitas *naturae* et necessitas *coactionis*: Necessitas, inquam, *naturae* legem non habet et potest *a toto* excusare; necessitas vero *coactionis* non excusat *a toto* in his quae secundum se mala sunt, sed excusat solum *a tanto*, quia voluntas sufficienter cogi non potest [9]. Et propterea, quia periurium secundum se malum est, quantumcumque quis compellitur ad illud, non *omnino* a peccato excusatur, immo sibi a canone poena imponitur. Dicit enim canon [10], quod « si quis Duplex necessitas.

---

[1] Beda, in Marc. 2, 27: Discipulis esurientibus, quod licitum non erat in Lege necessitate famis factum est licitum.

[2] Dist. praeced. q. 2, ubi in fundam. 1. sententia August. exhibetur. — Superius pro *deforme* cod. A *enorme*.

[3] Cfr. supra q. 1. in corp. et infra dub. 1, nec non lit. Magistri, c. 1-3. — In hoc et in seq. arg. pro *peierat* edd. cum pluribus codd. *periurat*. Ipse Augustinus utraque forma utitur.

[4] Respicitur Exod. 20, 7: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Cfr. supra d. 37. dub. 2. et 8.

[5] Vers. 5. — *Maiorem* insinuat August., III. de Lib. Arb. c. 18. n. 51: Omnis autem poena si iusta est, peccati poena est.

[6] Codd. U W *assumit*.

[7] Psalm. 98, 3: Quoniam [nomen] terribile et sanctum est. — In fine solut. pro *iuramento* cod. A *iurando*.

[8] Vers. 25. — Paulo superius pro *opponitur* codd. K Z *opponuntur*.

[9] Cfr. II. Sent. d. 25. p. II. q. 4. seq. — Inferius pro *compellitur* cod. Z *compellatur*.

[10] C. 3. c. 22. q. 5: *Si quis* coactus pro vita redimenda vel pro qualibet causa vel necessitate periurat, quia plus corpus quam animam dilexit, tres quadragesimas poeniteat. Alii vero iudicant tres annos, unum ex his in pane et aqua.

peierat pro vita corporis servanda, quia magis dilexit corpus quam animam, ieiunet tres quadragesimas ». Nec est simile de furto; quia furtum non est malum nisi propter rerum appropriationem; extrema autem necessitas omnia facit communia, nulla autem necessitas tollit periurii deformitatem, eo quod nulla necessitate licitum sit nomen Dei in vanum assumere: et ita non est simile hinc et inde. — De obligatione tamen iuramenti *coacti* infra [1] determinabitur magis plane [2].

QUAESTIO III.

Utrum omne periurium sit mortale peccatum.

Tertio quaeritur, utrum omne periurium sit mortale peccatum. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Augustinus in quodam sermone de iuramento [3]: « Falsa iuratio perniciosa, vera periculosa, nulla secura »; sed quod est perniciosum est mortale peccatum: cum ergo omne periurium sit falsa iuratio: ergo periurium est mortale peccatum.

2. Item, quod directe est contra mandatum et prohibitionem est peccatum mortale [4]; sed periurium directe est contra prohibitionem secundae tabulae et primae: ergo videtur, quod semper sit mortale peccatum; in utraque enim prohibetur periurium.

3. Item, contemptus introducit mortale peccatum; sed omnis peierans contemnit ipsam summam Veritatem, dum eam adducit in testimonium falsi [5]: ergo omne periurium est peccatum mortale.

4. Item, mendacium de se, quando seriosum est, peccatum grave est: cum ergo iuramentum superadditum trahat ipsum mendacium in aliud genus [6], videtur, quod qualecumque mendacium per iuramentum superadditum fiat mortale peccatum.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Sicut contingit, aliquem iocose mentiri [7], sic etiam contingit, aliquem iurare falsum; sed quod ioco fit non fit contemptu: si ergo aliquod periurium potest esse iocosum, non videtur, quod omne periurium sit mortale peccatum.

2. Item, sicut est aliquod mendacium, quod nulli obest et alicui prodest, ita potest esse aliquod periurium; sed tale periurium magis procedit ex pietate quam ex libidine: cum ergo libido sit radix omnis peccati mortalis [8], videtur, quod non omne periurium necessario sit mortale peccatum.

3. Item, sicut contingit, aliquem impraemeditate loqui falsum, ita contingit, aliquem impraemeditate iurare falsum; sed peccatum non est mortale, nisi fiat ex deliberatione et consensu [9]: ergo non omne periurium est mortale peccatum.

4. Item, sicut assumere nomen Dei *super falsum* repugnat mandato Decalogi, ita etiam assumere *in vanum;* sed non semper, cum quis assumit nomen Dei *in vanum*, peccat mortaliter, ut patet de his qui iurant praeter necessitatem [10]: ergo videtur similiter, quod non semper mortaliter peccet qui assumit nomen Dei *super falsum:* ergo non omne periurium est mortale peccatum.

CONCLUSIO.

Non omne periurium est mortale peccatum, deficiente scilicet sufficienti deliberatione.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod periurium duo dicit, videlicet *iurationem* et *inordinationem*. Est enim periurium iuramentum inordinatum et indebitum. *Iuratio* autem triplex est. Quaedam est *deliberata* et *solemnizata*, sicut quando testes iurant super sacrosancta Dei Evangelia in iudicis praesentia. Quaedam [11] est *deliberata*, sed *non solemnizata*, quando quis in occulto iurat aliquid ex deliberatione, intendens illud per divinae Veritatis testimonium confirmare. Quaedam autem est *nec deliberata nec solemnizata*, sicut quando quis iurat in communi sermone, non attendens, quem invocat et ad quid, sed ex quadam consuetudine.

Duo in periurio.

Triplex iuratio.

Et secundum hoc periurium potest committi tripliciter; et si committatur circa iurationem *deliberatam et solemnizatam*, sic est grave peccatum et enorme, ita quod reddit etiam hominem infamem [12]. Si vero committatur circa iurationem *nec solemnizatam nec deliberatam;* sic non est peccatum mor-

Periurium fit tripliciter.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

---

[1] Art. 3. q. 2. — Mox pro *magis plane* codd. K O U *magis plene.*

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Serm. 180. (alias 28. de Verbis Apostoli) c. 4. n. 4, ubi textus originalis pro *perniciosa* substituit *exitiosa.*

[4] Vide II. Sent. d. 42. a. 2. q. 1. — De *minori* cfr. supra d. 37. dub. 2. et 8. — Pro *contra mandatum et prohibitionem* cod. K *contra mandatorum prohibitionem.*

[5] Ut monstratum est quaest. praeced. — De *maiori* cfr. II. Sent. d. 42. a. 2. q. 1.

[6] Scilicet *periurii.* Cfr. supra q. 1; et de *maiori* supra d. 38. q. 2. seq.

[7] Vide supra d. 38. q. 5, ubi etiam *maior* seq. arg. insinuatur. — Inferius voci *contemptu* cod. U praemittit *ex.*

[8] Videsis d. 38. dub. 2. — Cod. K *omnium mortalium peccatorum.*

[9] Cfr. supra pag. 845, nota 9.

[10] Vide supra d. 37. dub. 2.

[11] In codd. A F G H N T V aa additur *autem*, in codd. U Z bb *vero.* Mox verbo *quando* cod. Z praemittit *sicut.*

[12] Can. 17. *Infames* c. 6. q. 1: Infames esse eas personas dicimus, quae pro aliqua culpa notantur infamia, id est omnes qui christianae legis normam abiiciunt... periuros etc. Cfr. ibid. C. *Praedicandum* c. 22. q. 1. — Superius pro *et si* edd. *nam si.*

tale, sed veniale, propter hoc quod lingua in lubrico posita est [1]. — Si vero committatur circa iurationem *deliberatam*, licet *non solemnizatam*; tunc distinguendum est: quia aut deliberat de *dicto* et de *iuramento*, utrum videlicet dictum sit verum, et
Conclusio 3. utrum sit iuramento confirmandum; et tunc, si peierat, mortaliter peccat. Aut deliberat de *dicto tantum*, utrum sit verum, non tamen de iuramento su-
Conclusio 4. peraddito; et tunc potest esse veniale peccatum. Valde tamen est cavendum, quia veniale illud periculosum est et multum appropinquat ad mortale peccatum. — Concedendum est igitur, quod non omne periurium est mortale peccatum, sicut illud quod non est deliberatum. Concedendae sunt etiam ratio-
Nota. nes, quae hoc ostendunt, licet aliquae ex eis non necessario cogant.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium,
Solutio oppositorum. quod falsa iuratio est perniciosa; dicendum, quod Augustinus non intelligit generaliter de omni iuratione, sed de illa quae fit cum deliberatione; et de illa verum est, quod mortale peccatum est.

2. Ad illud quod obiicitur, quod omne periurium directe repugnat divinae prohibitioni; dicendum, quod illud non est verum de quolibet, sed de illo solum, quod fit cum plena deliberatione et consensu. Et *si tu obiicias*, quod omnis actus fornicationis et adulterii repugnat illi praecepto: *Non moechaberis*, et ideo est peccatum mortale; dicendum,
Notandum. quod non est simile de verbo, quod facile evolat, et de perpetratione peccati carnalis, quoniam actus ille semper debet subiacere imperio rationis. Unde nunquam consummatur opus carnis, quin homo reputetur consensisse pleno consensu. Ideo magis generaliter repugnat prohibitioni [2] quam actus periurii.

3. Ad illud quod obiicitur, quod in omni periurio est contemptus summae Veritatis; dicendum, quod quando aliquis iurat ex quadam consuetudine vel ioco, non deliberans de excellentia Veritatis in testimonium invocatae, etsi *aliquo modo* possit dici Notandum. *contemnere*, quia non adeo veneratur sicut debet; tamen *proprie* non contemnit, quia potius est ibi debiti honoris omissio quaedam et [3] *negligentia* quam *illatio contumeliae*. Sed si ex deliberatione hoc faceret, absque dubio tunc graviter peccaret.

4. Ad illud quod obiicitur, quod iuramentum trahit mendacium in aliud genus; dicendum, quod illud est verum, quando iuramentum additur cum deliberatione ipsi mendacio; tunc enim habet plenam rationem iuramenti et trahit in aliud genus peccati. Quando vero praeter deliberationem additur, tunc quaedam est circumstantia *aggravans*, non necessario *trahens in genus mortalis peccati*, pro eo quod iuramentum illud superadditum non introducit plenum veritatis contemptum nec est ipsius veritatis destructivum, licet aliquo modo disponat ad veritatis contrarium, quia consuetudo frequenter parit libidinem et contemptum. Ideo valde cavendum Notandum. est periurium; et quia propter incertitudinem sermonis frequenter periurium iuramento coniungitur: hinc est, quod ipsum iuramentum in christianis viris, et maxime perfectis, debet esse valde rarum, secundum consilium Ecclesiastici, vigesimo tertio [4], qui dicit: *Iurationi non assuescat os tuum, sunt enim multi casus in illa* [5].

ARTICULUS II.

De forma iurandi.

Consequenter quaeritur de forma iurandi, et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum liceat iurare per Deum.

Secundo, utrum liceat iurare per aliquid creatum.

Tertio, utrum liceat recipere iuramentum ab idolatris factum.

QUAESTIO I.

Utrum licitum sit iurare per Deum.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum licitum sit iurare per Deum. Et quod sit simpliciter illicitum, videtur.

1. Omne illud quod est prohibitum, est ma-
Ad oppositum. lum et illicitum; sed iurare per Deum est prohibitum, quia dicitur Matthaei quinto [6]: *Nolite iurare omnino*; similiter Iacobi quinto: *Ante omnia, fratres mei, nolite iurare*: ergo iurare per Deum est malum et illicitum.

2. Item, omnis actus, qui est perniciosus, vel periculosus, est de se malus et illicitus; sed iuratio per Deum facta, secundum quod dicit Augustinus in quodam sermone [7], « aut est perniciosa, aut periculosa, et nulla secura »: ergo etc.

---

[1] Cfr. supra pag. 846, nota 3. — Inferius pro *licet* codd. K bb *sed*.

[2] Codd. F G L N V aa *prohibitum*, cod. T legit *ideo magis generaliter prohibitum*.

[3] Cod. A bene *ex*, edd. legunt *est ibi debita honoris omissio, quaedam etiam*. Superius pro *possit dici* cod. A *posset dici*, et pro *veneratur* codd. U Z *reveretur*.

[4] Vers. 9. — Pro *assuescat* codd. A K bb *assuescas*. Superius pro *Ideo* cod. G *et ideo*, et pro *cavendum* cod. Z *timendum*.

[5] Vide scholion ad 1. huius articuli quaestionem.

[6] Vers. 34. — Seq. textus est Iac. 5, 12. — Pro *quia dicitur* codd. U Z bb *secundum quod dicitur*.

[7] Serm. 180. (alias 28. de Verbis Apostoli) c. 4. n. 4.

3. Item, omne illud quod sibi relictum est malum, simpliciter loquendo, iudicandum est malum et illicitum; sed iurare per Deum sine causa est malum et illicitum [1]: ergo simpliciter loquendo, illicitum et malum est iurare per Deum.

4. Item, omnis actus, cuius consuetudo est mala, est de se malus et illicitus; sed consuetudo iurandi per Deum est mala et reprobanda [2]: ergo iurare per Deum est malum et illicitum.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Augustinus in sermone de Verbis Apostoli [3]: « Si peccatum esset iuratio, non diceretur in Lege: *Reddes Domino iuramenta tua* »; sed Domino reddimus iuramenta, quando iuramus per Dominum: cum ergo hoc sit in Lege concessum, videtur, quod iurare per Deum non sit illicitum.

2. Item, nullus actus, qui habet exemplar in Deo, est malus et illicitus; sed iuratio per Deum habet exemplar in ipso Deo, quoniam ipse Deus *iurat per semetipsum*, secundum quod dicit Apostolus ad Hebraeos sexto [4]; et in Psalmo: *Iuravit Dominus* etc.; et Genesis vigesimo secundo: *Per memetipsum iuravi* etc.: ergo iurare per Deum non est illicitum.

3. Item, nullus actus, in quo exhibetur honor et reverentia ipsi Deo, est illicitus; sed cum iuramus per Deum, exhibemus honorem et reverentiam ipsi Deo: ergo etc. *Minor* probatur per Glossam Matthaei quinto [5]: « Hoc, per quod iurat, quilibet veneratur, hoc amat, hoc timet: ideo praecipitur, quod non iuretur nisi per Deum ».

4. Item, omnis actus transiens super materiam debitam est bonus et licitus [6]; sed iurare per Deum est actus transiens super materiam debitam, quia hoc est invocare divinam Veritatem in testimonium: ergo iurare per Deum est bonum et licitum.

5. Item, omne illud quod facit ad confirmationem veritatis et ad confutationem falsitatis et dolositatis, est bonum et licitum; sed iuratio per Deum est huiusmodi, quia per testes boni expiantur, et mali convincuntur et puniuntur: ergo iuratio per Deum est bona et licita [7].

Quaestio connexa.

Iuxta hoc quaeritur, utrum iuramentum bonum et licitum sit *appetendum*. Et quod sic, videtur, quia potest esse meritorium. Et si sic, quaeritur: quare iuramentum fuit a Domino prohibitum magis quam aliud bonum?

CONCLUSIO.

Iurare per Deum licitum est, non tamen appetendum.

Opinio haeretica

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod aliqui dicere voluerunt, omne iuramentum esse illicitum, non solum *per creaturam*, sed etiam *per ipsum Deum*. Et haec fuit et est positio haereticorum Manichaeorum [8], qui sui erroris occasionem sumserunt ex verbo Domini, Matthaei quinto, et ex eo quod dicitur Iacobi quinto. Quod quidem verbum male intellexerunt dupliciter: primo, quia crediderunt, quod Dominus ipsum iuramentum prohiberet tanquam *de se malum*; secundo, quia intellexerunt per hoc quod dicitur: *Non iurabis omnino*, quod Dominus *omne* iuramentum prohiberet. Et in primo erraverunt: quoniam, si Lex evangelica non [9] prohibet nisi quod malum est de se; iurare autem per Deum et adducere ipsam Veritatem in testimonium nec est contra rationem rectam nec contra consuetudinem bonam nec contra Legem divinam — maxime cum Lex divina dicat [10]: *Reddes Domino iuramenta tua*, quam Legem ipsi impii Manichaei dicunt a malo Deo esse latam [11] — in hoc quod intelligebant, Dominum iuramentum *prohibere per se*, errabant, quia credebant, praecepta Evangelii repugnare praeceptis Legis veteris, repugnare etiam rationi rectae et moribus bonis. Unde et ipsorum errorem elidens Augustinus dicit, quod iuramentum non fuit prohibitum *propter se*, sed propter *vitandum periurium*. Ait enim ad Publicolam sic [12]: « Dictum est in novo Testamento, ne omnino iuremus;

Duplex error.

Error 1.

---

[1] Super illud Exod. 20, 7: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, Glossa *interlinearis*: Non iurabis *pro nihilo* nomen Domini.

[2] Cfr. Eccli. 23, 12; supra a. 1. q. 3. ad 4. et d. 37. dub. 2.

[3] Serm. 28, sed nunc serm. 180. c. 4. n. 4. Textus Scripturae est Matth. 5, 33; ubi hoc loco plurimi codd. et edd. 1 2 *Redde* pro *Reddes*. — In *minori* pro *per Dominum* codd. A L Z *per Deum*.

[4] Vers. 13. — Seq. textus est Ps. 109, 4; tertius Gen. 22, 16. — De *maiori* cfr. I. Sent. d. 36. a. 3. q. 1. seq.

[5] Vers. 33. — Glossa, quae est secundum Hieron. in hunc locum, exhibetur apud Strabum et Lyranum ut *ordinaria*, in qua ultima propositio sic exprimitur: « Ideo *Lex* praecipit, ut non iuretur nisi per Deum ». Hieron. vero ita dicit: *In Lege* praeceptum est, ut non iuremus nisi per Dominum Deum nostrum. — Plurimi codd. *ideo non praecipitur, quod iuretur* etc., cod. T *ideo praecipitur, quod iuretur* etc., edd. tandem *ideo prohibetur, quod non iuretur* etc.

[6] Cfr. II. Sent. d. 36. dub. 5. — De *minori* vide hic lit. Magistri. c. 7.

[7] De hoc arg. cfr. hic lit. Magistri, c. 4. — In *maiori* pro *ad confutationem* codd. G H R Z aa *ad confusionem*. In *minori* post *per testes* edd. addunt *et iurationem*.

[8] Alan. ab Insulis, II. contra Haereticos, c. 18, refert, Waldenses in eundem errorem incidisse. — Seqq. textus Scripturae sunt Matth. 5, 33. et Iac. 5, 12.

[9] Cod. K *nihil*.

[10] Cfr. supra pag. 858, nota 3.

[11] Cfr. August., Epist. 236. (alias 74.) n. 2; Serm. 170. (alias 49. de Tempore) c. 2. n. 2, et de Haeresibus, n. 46, nec non II. contra Adversar. Legis et Proph. c. 14. n. 36. — Mox pro *iuramentum*, cui voci cod. U non bene praemittit *omne*, edd. 1, 2 cum pluribus codd. falso *mendacium*.

[12] Epist. 47. (alias 154.) n. 2, ubi textus originalis pro *non quod iurare* substituit *non quia verum iurare*, et finem testimonii exhibet sic: *qui, omnimodo ne iuremus, admonuit.*

quod mihi propterea dictum videtur, non quod *iurare* sit peccatum, sed quia *peierare* est immane peccatum, a quo nos longe esse voluit qui, ne omnino iuraremus, commonuit ».

In alio etiam errabant, quia credebant, iuratio-
Error 2. nem *universaliter* esse prohibitam. Et iste error venit ex manifesta ignorantia, quia nescierunt intelligere, quod alium sensum facit negatio *praeposita* signo universali, alium sensum facit *postposita*. *Praeposita* enim facit aequipollere particulari negativo, sed *postposita* facit aequipollere suo contrario. Unde differt dicere: non omnis homo currit, et omnis homo non currit [1]. Dominus autem non dixit: omnino non iurabis, sed dixit: non iurabis omnino. Unde non prohibuit *omnem iurationem*, sed prohibuit, quod non esset *omni modo* et *sine omni causa* iurandum.

Et ideo errore isto abiecto tanquam irrationabili
Conclusio. et pernicioso, concedendum est, quod licitum est iurare per Deum; et hoc communiter tenet universitas fidelium. — Quia tamen non sic est licitum, quin
Quaestio incidens. aliquo modo possit esse illicitum, dubium est inter doctores, utrum iurare per Deum dicat actum *bonum in genere*, aut [2] actum *indifferentem*. Et ali-
Opinio 1. quibus visum fuit, quod iurare *per Deum* est actus *bonus in genere*, ratione tamen pronitatis ipsius iurantis *malus* est *per occasionem*. Dicunt enim, illum actum esse bonum in genere, pro eo quod actus transit super materiam debitam, quia invocare [3] in testimonium recte transit super ipsam Veritatem.

Aliis autem videtur, quod iurare per Deum de
Opinio 2. se sit *indifferens*, quia divina Veritas potest invocari per iuramentum in testimonium veritatis et in testimonium falsitatis; et unum est bonum, et alterum est malum, quia in uno fit reverentia, in al-
Tres actuum species. tero iniuria. — Unde nota, quod quidam sunt actus, qui pertinent ad divinum cultum, ut laudare Deum; et isti sunt *boni per se* et *secundum se*. Quidam vero sunt actus, qui sunt ad oppositum; et isti sunt *per se mali*, ut blasphemare Deum. Quidam autem sunt *medio modo*, sicut actus iurandi, qui, si fiat reverenter, est ad cultum Dei; si fiat irreverenter, est ad oppositum. — Ideo dicunt, quod iurare *per Deum* licitum est sicut *indifferens*, quod potest fieri bene et male [4]; et quia indifferens diversis ex causis potest esse occasio cadendi in malum et vitandi malum: hinc est, quod Dominus aliquando monet et inducit homines ad iurandum *per Deum*, aliquando retrahit. In veteri Lege inducebat ad iurandum per Deum, ut per hoc revocarentur a iuramento idolorum, cum dicebat: *Reddes Domino iuramenta tua*. In nova Lege retrahit, ut ostendat, periurium esse fugiendum. — Et pro tanto iuxta hunc Iudicium auctoris. modum dicendi satis rationabiliter videtur, quod *iurare per Deum* sit licitum tanquam *indifferens*. Sive autem sit *indifferens*, sive *bonum in genere*, quia utrumque potest dici satis probabiliter [5], hoc pro certo tenendum est, quod licitum est per Deum iurare; et concedendae sunt rationes hoc ostendentes.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium, Solutio opquod actus iste est prohibitus; dicendum, quod non positorum. prohibetur actus iste, quia malus est, sed quia occasio est mali; nec etiam prohibetur universaliter, sed prohibetur, ut quis non iuret irreverenter. Et hoc importat ipsius verbi sententia [6], secundum quod explanatum est supra.

2. Ad illud quod obiicitur, quod iurare per Deum vel est perniciosum, vel periculosum; dicendum, quod *periculosum* dicitur aliquid dupliciter: Periculosum dupliciter dicitur. aut quia periculi *causa*, aut quia periculi *occasio*. Iurare autem per Deum dicitur esse periculosum, non quia *causa* periculi — potest enim esse meritorium et bonum — sed quia *occasio* periculi [7] in eo qui non diligenter observat, qualiter iurat.

3. Ad illud quod obiicitur, quod omne illud quod sibi relictum est malum de se, iudicandum est malum et illicitum; dicendum, quod dupliciter contingit intelligere, actum iurandi per Deum *sibi* Duplex sensus. *relinqui*: aut considerando ipsum iuramentum *in se*, et sic *non est malum*, sed vel est *indifferens*, vel *bonum in genere*; aut secundum quod fit in opere *praeter causam* et *utilitatem* [8], et sic *malum est*, pro eo quod est ibi privatio finis debiti et positio irreverentiae ex hoc, quod aliquis praeter causam et utilitatem et necessitatem divinam Veritatem assumit in testem. Verumtamen ex hoc non potest concludi, quod iurare per Deum *simpliciter* sit malum.

---

[1] Regula haec fundatur in eo, quod particula *non*, quae ut dicitur, est malignantis naturae, destruit sive commutat (quantum ad *qualitatem* et *quantitatem* propositionis) omne et tantum id quod *post se* invenit. Cfr. Aristot., II. Periherm. c. 1. (c. 10.); Petr. Hispan., Summul. tr. 1. c. *de Aequipollentia propositionum*.

[2] Codd. G H L *an.*

[3] Codd. A U *invocare Veritatem*, cod. F *Deum invocare*.

[4] Alan. ab Insulis, II. contra Haereticos, c. 18: Ad hoc dicimus, quod iurare in se neque bonum neque malum est, sed *indifferens*; aliquando tamen malum est, aliquando non. Sponte enim et sine necessitate iurare, vel falsum iurare, grande peccatum est; ex necessitate autem iurare, scilicet ad asserendam innocentiam... malum non est, est enim necessarium etc. — Aliquanto inferius pro *monet* plures codd. et edd. *movet*.

[5] Codd. K Z *rationabiliter*. Superius pro *tanquam* cod. Q *et tanquam*.

[6] Cod. F *Et hoc patet per ipsius verbi sententiam*.

[7] Cod. U supplet *est*, subinde pro *qualiter* cod. A *quomodo*.

[8] Edd. 1, 2 *necessitatem*, Vat. *utilitatem et necessitatem*, et mox pro *positio irreverentiae* edd. 1, 2 *privatio reverentiae*, Vat. *privatio reverentiae vel positio irreverentiae*. Paulo inferius pro *in testem*, quod habent plurimi codd. cum edd. 1, 2, Vat. *in testimonium*, in fine solut. pro *illatio* codd. U Z *illa ratio*.

Sicut enim non sequitur: loqui sine causa et utilitate est malum, ergo loqui est malum; sic etiam non tenet illatio praedicta.

4. Ad illud quod obiicitur, quod omnis actus, cuius consuetudo est mala, de se est malus; dicendum, quod hoc est falsum, quia multa sunt, quae bona sunt pro loco et tempore, etsi frequenter [1] generent vitiositatem; sicut bonum est aliquando ridere et laetari, sed non est bonum hoc frequentare, quia perducit in dissolutionem. Sic etiam et de iuramento intelligendum est; quia assuetudo iurandi minuit reverentiam veritatis et quodam modo disponit ad assertionem falsitatis.

Ad quaestionem connexam. Ad illud quod quaeritur, utrum iuramentum per Deum licite factum sit *appetendum;* dicendum, quod non; et hoc est propter occasionem mali adiunctam. Et est simile: sicut affluentia divitiarum [2], quia distrahit hominem, ne cultui Dei intendat, non debet esse in appetitu, licet possit licite et meritorie possideri; sic etiam intelligendum est circa ipsum iuramentum. Et propterea beatus Iacobus dicit: *Nolite iurare,* non solum ostendens, vitandum esse *actum iurationis sine causa,* sed etiam *affectum.* Unde etiam monemur circa actum iurationis propter periculum periurii vitare *consuetudinem,* vitare etiam *actum praeter necessitatem,* et vitare *affectum;* et ad iuramentum non debet quis ire ultroneus, sed coactus [3]. — Et huius simile potest reddi in *praesidentia praelationis.* Quamvis enim bonum sit et licitum aliis praeesse, non tamen est appetendum, sed potius fugiendum; et ad illud debet homo trahi quasi invitus, quia, cum amatur, praelatio frequenter est ratio superbiendi et quodam modo apostatandi et recedendi a Deo [4]. Similiter intelligendum est in proposito. Unde quamvis iuramentum *licitum* sit et *meritorium,* non tamen est appetendum; et hoc vult innuere textus Evangelii et admonitio ipsius beati Iacobi [5].

Notandum. Tria vitanda. Simile 1. Simile 2.

SCHOLION.

I. De conditionibus, quae requiruntur, ut iuramentum sit licitum, agitur hic dub. 1; de variis iuramenti formulis hic dub. 3. — Principalis conclusio 1. quaestionis ab ipso ecclesiastico magisterio contra haereticos determinata est. In professione enim fidei, quae Waldensibus ad Ecclesiam revocatis ab Innocentio III. (an. 1210) est praescripta, legitur: « Non condemnamus iuramentum, immo credimus puro corde, quod cum veritate et iudicio et iustitia licitum sit iurare ». Error Fraticellorum de eadem re reprobatus est a Ioanne XXII. an. 1318 (error tertius), et postea sequens error Wikleff a Concilio Constantiensi (prop. 43.): « Iuramenta illicita sunt, quae fiunt ad corroborandos humanos contractus et commercia civilia ». — Quoad dubium occurrens, utrum iuramentum per se sit actus *bonus,* vel *indifferens,* S. Bonav. rem relinquit iniudicatam. S. Thom. in Summa (II. II. q. 89. a. 2.) favet primae sententiae (hic in corp.) dicens: « Iuramentum secundum se est licitum et *honestum* ». Hanc tenet etiam Alex. Hal. (Sum. p. III. q. 31. m. 2. a. 4.), de hoc specialiter et diffuse agens. Attamen S. Thom. in Comment. (hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1.) videtur magis inclinare ad secundam opinionem, dum (ibi ad 1.) dicit: « Non tamen oportet, quod iurare simpliciter sit *per se* iustum et bonum »; et ad 3. docet, quod ipsius *Dei* iuramentum sit per se bonum, et addit: « Nec est simile de *nostro* iuramento ». — Quod autem iuramentum debito modo factum, licet sit *meritorium,* nihilominus non sit *appetendum* per se, communiter tenetur et hic bene probatur.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 2. — S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 2; S. loc. cit. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand., hic q. 1. — De hac et duabus seqq. qq. Dionys. Carth. et Biel, hic q. 1.

II. Seq. (2.) quaestio est de iuramento facto per creaturas. Quod duplici modo liceat iurare per creaturas ad Deum relatas, videlicet tum quatenus in eis relucet divina Veritas et Maiestas, tum quatenus creatura aliqua Deo quasi oppigneratur (iuramentum *exsecratorium*), est doctrina communissima. Aliter est dicendum, si hoc fiat *venerando* creaturam vel in se tanquam aliquid divinum, vel eam *contemnendo* tanquam rem vilem, et tamen in testimonium veritatis invocando. — In duabus quaestionibus ultimis auctor noster sequitur S. Augustinum (cfr. hic lit. Magistri, c. 7.) docentem, quod *per se loquendo,* liceat per *omnes* creaturas iurare. Refert Alex. Hal. (loc. cit. m. 3. a. 3.), alios docere, quod non nisi per creaturas *Deo dicatas* et *ad cultum divinum ordinatas* liceat iurare; contra quos et ipse affert praenotatum testimonium S. Augustini. Observari tamen debet restrictio huius doctrinae ab auctore nostro adiecta.

Praeter Alexandrum Hal.: S. Thom., hic a. 1. in solutionibus oppositor.; S. loc. cit. a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2.

III. Casum moralem in 3. quaestione discussum similiter solvit cum aliis S. Thom. (hic a. 5. ad 3; S. II. II. q. 98. a. 4. ad 4.). In notis ad primum locum observat P. Nicolai, quod non constat, iuramentum Laban (vide hic 1. fundam.) factum esse in forma *non concessa,* scilicet per idola, licet ille fuerit idololatra.

De eadem (3.) quaestione explicite tractant: Alex. Hal., loc. cit. m. 2. a. 6. § 2. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3.

---

[1] Edd. *frequententur,* et immediate post pro *generent* cum pluribus codd. *generant.* Subinde pro *ridere* cod. L *ludere,* et cod. K *iocari* pro *laetari.* Circa finem solut. pro *assuetudo* cod. K *consuetudo,* edd. *assiduitas.*

[2] Respicitur Ps. 61, 11: Divitiae si affluant, nolite cor apponere. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4. — Inferius pro *possit* codd. H K T V X aa *posset.* Subinde post *intelligendum est* multi codd. subnectunt *et.*

[3] Cfr. August., Serm. 180. (alias 28. de Verbis Apostoli) c. 8. n. 9. seqq., et Beda, in lac. 5, 12.

[4] Eccli. 10, 14: Initium superbiae hominis apostatare a Deo etc. — Superius pro *ratio* codd. U Z *causa,* cod. G *occasio.* Mox pro *Similiter* cod. U Z *et sic.*

[5] Vide (Decretales) C. *Et si Christus,* x. (i. e. extra Decretum) *de iureiurando.* Sumtum est ex litteris Innocentii III.

QUAESTIO II.

Utrum liceat iurare per aliquod creatum.

Secundo quaeritur, utrum liceat iurare per aliquod creatum. Et quod non, videtur:

Ad oppositum. 1. Primo per ipsum textum Matthaei quinto [1]: *Nolite iurare neque per caelum, quia thronus Dei est, neque per terram* etc.; ibi Glossa: « Quod perfectionis est docuit, cum dixit: *Non iurare omnino;* quod vero superstitiosum est resecavit, cum subiunxit: *Neque per caelum* » etc.: ergo iurare per creaturam est superstitiosum; sed nihil tale est licitum: ergo etc.

2. Item, Pius Papa, Causa vigesima secunda, quaestione prima [2]: « Si quis per capillum Dei vel caput iuraverit, si in ecclesiastico ordine est, deponatur, si laicus, anathematizetur »: si ergo illicitum est iurare per membra Christi, cum ipsa sint sanctiora omnibus aliis creaturis; videtur, quod per nullam aliam liceat iurare.

3. Item, iurare per Deum est invocare Deum testem [3], ergo iurare per creaturam est invocare creaturam in testimonium; sed irrationalis creatura non potest aliquo modo veritati testimonium perhibere: ergo stultum et vanum et inconveniens est per ipsam iurare.

4. Item, qui iurat per idolum committit idololatriam, et hoc non est ob aliud, nisi quia in iurando exhibet idolo quod debet exhibere Deo [4]: ergo iuratio spectat ad cultum latriae, qui debetur soli Maiestati divinae; sed constat, quod non est licitum creaturam aliquam venerari cultu latriae: ergo nullo modo est licitum per creaturam iurare.

Sed contra: 1. Genesis quadragesimo secundo [5], Fundamenta. Ioseph iuravit *per salutem Pharaonis:* si ergo ipse tanquam sanctus homo licitum iuramentum fecit, et salus Pharaonis erat quid creatum; videtur, quod per creaturam iurare sit licitum et concessum.

2. Item, Paulus primae ad Corinthios decimo quinto [6]: *Quotidie morior, per vestram gloriam, fratres;* ubi, secundum quod dicit Augustinus, iuravit Apostolus; sed gloria eorum erat quid creatum: ergo etc.

3. Item, forma iuramenti, qua maxime utitur universitas fidelium, est iurare per sancta Dei Evangelia [7]; sed Evangelium est quid creatum: ergo licitum est iurare per creaturam.

4. Item, quotidie fideles iurant per Sanctos, utpote per beatam Virginem et per beatum Petrum; nec illud iuramentum arguitur: ergo videtur, quod forma iuramenti licita non solum habeat fieri per Creatorem, sed etiam per creaturam.

Quaestiones incidentes. Iuxta hoc quaeritur: quare magis iuratur per Evangelia quam per creaturas alias? — Quaeritur etiam, utrum qui iurat falsum per lapidem sit periurus. Et quod non, videtur, quia lapidi nulla est exhibenda reverentia. Contrarium autem huius dicit Augustinus super illud ad Romanos primo: *Testis est mihi Deus,* et habetur in littera [8]. — Quaeritur ergo, quomodo et qualiter liceat iurare per creaturam.

CONCLUSIO.

Iurare per creaturas, et quidem per omnes, licite fieri potest duobus modis.

Respondeo: Dicendum, quod iuramentum *assertorium* dupliciter habet [9] fieri: quoddam per *imprecationem,* quoddam per ipsius Veritatis *testimonii invocationem.* Duplex modus. — Per *imprecationem* autem iuratur, Modus 1. cum dicitur: ita vivat filius meus, vel pater, hoc est dicere: nisi ego implevero quod promitto, vel nisi implevero quod iuro, non vivat filius vel pater meus. Et in hac forma iurandi creatura ad testificandum non invocatur, sed potius ipsi Creatori « oppignerator », secundum quod dicit Augustinus [10]. Et hoc qui- Conclusio 1. dem est licitum, quia, quamvis omnis creatura sit ipsius Creatoris, tamen bonum vel solatium, quod ex creatura percipimus et a Deo nobis concessum est, Deo tanquam nostrum oppignerare possumus; et ideo licita est haec forma, licet « hoc iuramenti genus, secundum quod dicit Augustinus in littera [11], sit gravissimum ».

---

[1] Vers. 34. seq. — Glossa, quae apud Strabum et Lyranum invenitur ut *ordinaria* in v. 37, sumta est ex Paschasio Radberto, in hunc locum, qui dicit: Sed Dominus docuit quod perfectius est, indulsit quod infirmitatis, resecavit quod superstitiosum erat et noxium. — Inferius pro *sed nihil tale est licitum* cod. F *sed omne tale est vitium.*

[2] Can. *Si quis* 10, ubi textus originalis post *iuraverit* interserit *vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit.*

[3] Cfr. hic lit. Magistri, c. 7. — Inferius pro *stultum* cod. A *fatuum.*

[4] Vide hic lit. Magistri, c. 8. — De *latria* cfr. supra d. 9. per totam.

[5] Vers. 15.

[6] Vers. 31, ubi codd. et edd. male *propter* pro *per.* — Verba August., Serm. 180. (alias 28, de Verbis Apostoli) c. 5. n. 5, sunt: Ut noveritis, verum iurare non esse peccatum, invenimus et apostolum Paulum iurasse: *Quotidie morior, per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Per vestram gloriam* iuratio est.

[7] Cfr. August., Epist. 250. (alias 75.) n. 1.

[8] Hic c. 7. — Textus Scripturae est Rom. 1, 9.

[9] Cod. K *potest.* Edd. 1, 2 cum pluribus codd. pro *imprecationem* perperam substituunt *interpretationem,* et pro *invocationem* nonnulli codd. *invectionem.* Inferius post *vivat* cod. A subnectit *mihi.*

[10] Serm. 180. (alias 28. de Verbis Apostoli) c. 6. n. 7. Cfr. hic lit. Magistri, c. 7.

[11] Hic c. 7.

Illud vero iuramentum fit per ipsius Veritatis
Modus 2. *testimonii invocationem*, quando aliquis iurat per aliquem ad invocandum illum in testem. Potest au-
Dupliciter creatura advocatur. tem creatura dupliciter advocari [1] in testimonium: aut *secundum se*, aut in quantum est *vestigium Veritatis divinae*. Si *secundum se*, hoc modo non li-
Conclusio 2. cet, quia sic crederetur, quod aliquid numinis esset in ea, ratione cuius veritas dicti possit per huiusmodi testimonium confirmari. Secundo vero modo,
Conclusio 3. in quantum in ea relucet *vestigium divinae Veritatis*, licitum est iurare per creaturam. Hoc enim nihil aliud est quam iurare per eum qui in creatura relucet; et tunc non veneratur quis creaturam, sed Creatorem. Unde sicut « honor, qui exhibetur imagini, refertur ad prototypum », id est ad exemplar primum, sicut dicit Damascenus [2]; ita hoc modo iuratio facta per creaturam refertur ad ipsarum creaturarum auctorem. Et hoc est quod dicitur Causa vigesima secunda, quaestione prima [3]: « Sciendum est, quod Sancti non tam per creaturas quam per creaturarum auctorem iurabant, nec in creaturis aliud quam ipsarum Creatorem venerabantur, sicut Ioseph, qui per Pharaonem iurando hoc in eo venerabatur, quod Dei iudicio positus erat in infimis ». Et quoniam in omni creatura isto modo relucet Deus,
Conclusio 4. per omnem creaturam licite potest fieri hoc modo iuramentum [4]. Quia vero principaliter relucet in Sanctis, et maxime in verbis evangelicae Legis, per quae divina nobis Veritas illuxit; hinc est, quod per Sanctos, et maxime per Evangelia consuevit frequentari forma iurationis, qua quidem iuratur per creaturam. — Concedendum est igitur, quod per creaturam licitum est iurare, sive imprecando, sive Creatorem eius in testimonium invocando. Et sic procedunt rationes ad hanc partem inductae [5].

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod Dominus prohibet iuramentum per creaturas, et Glossa dicit, illud iuramentum esse superstitiosum; dicendum, quod hoc intelligitur, secundum quod ipsae creaturae secundum se consideratae in veritatis testimonium invocantur; et hoc modo est ibi superstitio, quia eis reverentia ultra debitum exhibetur. Et quantum ad hoc intelligi habet [6] Glossa et textus.

2. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Pii Papae, dicendum, quod canon loquitur contra illos qui credebant, Deum secundum divinitatem habere caput et capillos — et tales erant blasphemi — aut certe contra illos qui irreverenter nominant membra Christi et quodam exquisito modo iurandi dividunt ipsum quasi membratim; qui valde rationabiliter sunt arguendi.

3. Ad illud quod obiicitur, quod qui iurat per aliquid invocat ipsum in testimonium; dicendum, quod illud non est semper verum, immo aliquando invocat ipsum in testimonium, aliquando non ipsum invocat, sed illud potius [7], ad quod ipsum refertur; vel etiam obligat et Deo oppignerat. Et his modis, non praemissis, licitum est et concessum iurare per irrationalem creaturam.

4. Ad illud quod obiicitur, quod qui iurat per idolum veneratur ipsum; dicendum, quod hoc est, quia ille qui iurat per idolum, invocat ipsum in testimonium tanquam Deum; et propterea est ibi idololatriae peccatum. Non sic autem est, quando iurat per alias creaturas, quia iuramentum illud refertur totum ad Veritatem aeternam.

Ad illud vero quod ulterius quaeritur; quare Ad quaest. 1. incidentem. magis iuratur per Evangelia quam per alias creaturas; iam patet responsio per ea quae dicta sunt. Sicut enim crucem Christi magis veneramur, propter hoc quod magis refertur ad ipsum Crucifixum; et Sanctos, quia quadam maiori propinquitate se habent ad Deum [8]: sic etiam intelligendum est in ipsis Evangeliis, quae directe et immediate ducunt in ipsam aeternam Veritatem. — Et *si tu obiicias*, quod licet creatura ducat in Creatorem, tamen propter hoc non quaelibet creatura est adoranda, sed illa sola, quae est ad hoc instituta, sicut imago Crucifixi; dicendum, quod non est simile: quia exhi- Notandum. bitio honoris et [9] cultus latriae respicit illud quod honoratur, secundum illud quod est in eo dignissimum, et hoc est proprium et singulare; sed invocatio in assertione respicit ipsius Veritatis infallibilitatem et luminositatem; et haec in singulis creaturis relucet, sed secundum plus et minus. Ideo non est simile hinc et inde.

Ad illud quod quaeritur, utrum ille qui iurat Ad quaest. 2. falsum per lapidem, sit periurus; dicendum, quod sic, secundum quod dicit Augustinus: quoniam iurans per lapidem aut intendit ipsi *lapidi* reverentiam exhibere, aut *auctori* lapidis. Et si ipsi *lapidi* intendat reverentiam exhibere, dupliciter peccat [10]; si vero *auctori* lapidis, tunc absque dubio peierat,

---

[1] Cod. G *invocari*. Inferius pro *numinis* edd. *divinum*.

[2] Libr. IV. de Fide orthod. c. 16. Cfr. supra pag. 202, nota 2. — Mox pro *auctorem* codd. scribunt *actorem*, codd. A U Z bb substituunt *Creatorem*.

[3] Can. *Movet te*. § 2. *Sed sciendum*. Pro *venerabatur* cod. bb cum textu originali *veneratus est*, plures alii codd. *veneratur*. Finem testimonii permulti codd. corrupte exhibent his verbis *praepositus erat et infimus* (alias: Memphis).

[4] Isai. 65, 16: Qui iurat in terra iurabit in Deo: Amen. — Cfr. hic lit. Magistri, c. 5.

[5] Codd. F I. U V Z *adductae*.

[6] Cod. G *potest*, cod. K *oportet*.

[7] Ex codd. U Z supplevimus *potius;* multi codd. substituunt *sed propter* [proprie?] *illud;* edd. 1, 2 cum paucis codd. legunt *aliquando vero ipsum invocat, sed propter illud*. Mox pro *et Deo* cod. U *quod Deo*. Subinde pro *Et his modis, non* [codd. K M O *nunc*] *praemissis* Vat. *Ex his modis praemissis*.

[8] Cfr. supra d. 9. a. 1. q. 3. seq. — Inferius verbis *in ipsis Evangeliis* permulti codd. praemittunt *et*.

[9] Pro *et*, quod edd. omittunt, cod. X *vel*.

[10] Peccato scil. idololatriae et periurii. Cfr. hic lit. Magistri, c. 7. et 8, ubi etiam verba August. allegantur. — Athenienses dicuntur consuevisse ad lapidem quendam iuramenta facere, cuius consuetudinis mentionem facit Demosthenes, Orat. in Co-

quia ipsi Creatori lapidis contumeliam facit, dum nomen eius per effectum creaturae intellectum assumit in vanum. — Si quis tamen non serio iuraret, sed quodam modo ludere intenderet, sicut mos est aliquibus per bottas [1] suas iurare; non esset dicendum *periurium*, quia iurare non intendit, sed potius *ludere*; est tamen talis modus loquendi satis reprehensibilis et caveri debet a viris perfectis [2].

Notanda restrictio.

QUAESTIO III.

Utrum liceat recipere iuramentum ab idololatris factum.

Tertio quaeritur, utrum liceat recipere iuramentum ab idololatris factum. Et quod sic, videtur:

Fundamenta.

1. Primo exemplo Iacob, Genesis trigesimo primo [3]. Recepit enim iuramentum a Laban; et constat, quod Laban idololatra erat, sicut patet, quia *Rachel furata erat idola sua:* ergo si Iacob recte fecit, nec eum Scriptura reprehendit; videtur, quod liceat ipsum quantum ad hoc imitari.

2. Item, hoc ipsum ostenditur exemplo Iudae Machabaei, primi Machabaeorum octavo [4], ubi Iudas recepit iuramentum, quando iniit foedus et amicitiam cum Romanis; et constat, quod iuraverunt per idola, quae colebant: cum ergo Iudas Machabaeus non reprehendatur de contractu illius amicitiae, videtur etc.

3. Item, Augustinus ad Publicolam [5]: « Quamvis dictum sit, ne iuremus, nunquam tamen in Scripturis sanctis me legisse memini, ne ab aliis iuramentum recipiamus »: ergo cum iuramentum recipere in Scriptura sacra non prohibeatur, videtur, quod nullum sit peccatum, a quocumque recipiatur.

4. Item, licitum est cum infidelibus mercari et treugas inire; sed fides mercationis et foederis confirmari habet per mutuum iuramentum: si ergo licet Christiano iuramentum exhibere fidei infideli et idololatrae, videtur, quod similiter liceat ab ipso recipere [6].

5. Item, ita mihi licet recipere eleemosynam, quae datur mihi cum murmure, sicut illam, quae datur mihi cum bona voluntate — et hoc est, quia quod alius mala voluntate impendit alius potest bona voluntate recipere — ergo licet idololatra peccet iurando per idola, videtur, quod non peccet Christianus in suscipiendo [7] eius iuramentum.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Ad Romanos primo [8]: *Non solum qui talia agunt digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus;* ex quo verbo colligitur, quod qui consentit peccanti mortaliter peccat mortaliter; cum ergo recipiens iuramentum ab idololatra consentiat in illo iuramento, in quo idololatra peccat mortaliter; videtur, quod ipse peccet mortaliter.

2. Item, Augustinus dicit, quod « qui petit ab alio iuramentum, quem scit iuraturum falsum, animam illius occidit », secundum quod habetur in fine istius distinctionis [9]; cum ergo homo sciat, idololatram male et damnabiliter iurare, qui ab eo iuramentum petit eadem ratione animam ipsius occidit; sed non licet animam ipsius occidere: ergo non licet idololatrae iuramentum recipere.

3. Item, magis debet quis diligere animam proximi quam aliquam utilitatem temporalem, quia secundum beatum Augustinum [10], nihil post Deum et ipsum animum est adeo diligendum, sicut proximi salus: cum ergo idololatra iuret contra salutem animae suae, videtur, quod ordinem caritatis pervertat qui eius iuramentum recipit pro aliquo commodo temporali. Sed non licet ordinem caritatis pervertere: ergo non licet ab idololatris iurantibus per idola iuramentum recipere.

4. Item, *idolum nihil est in mundo* [11], ergo fides ab idolo nulla est; sed quod nihil habet fidei non potest praebere confirmationem sermoni: cum ergo iuramentum per idolum faciat potius ad fidei subversionem quam ad confirmationem, videtur, quod nullo modo sit recipiendum.

5. Item, videtur, quod non solum ab idololatris, sed etiam a *nullis* liceat recipere iuramentum,

---

nonem, his verbis: καὶ πρὸς λίθον ἄγοντες καὶ ἐξορκοῦντες, i. e. et ad lapidem agentes et iurantes. Apud Ciceronem, VII. Epist., epist. 12. notatur formula: Iovem lapidem iurare. Festus docet, Romanos iurasse, lapidem tenentes et proiicientes his verbis: Si sciens fallo, tum me Diespiter, salva urbe arceque, bonis eiiciat, uti ego hunc lapidem. Cfr. August., de Vera Relig. c. 2. n. 2; ubi loquitur de Socratis consuetudine iurandi per quamlibet creaturam.

[1] Du Cange, Glossarium etc.: *Bota, Botta* i. e. ocrea. — Mox pro *non esset,* quod habent codd. A H Z bb in aliis *non est;* nostra lectio confirmatur incongrua lectione plurium codd. *non esse.* Subinde pro *loquendi* cod. K *ludendi,* et cod. V *timeri* pro *caveri.*

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Vers. 44. seqq. Seq. textus est ibid. v. 19, ubi Vulgata: Et Rachel furata est idola patris sui. — Pro *furata erat* permulti codd. *furata fuerat,* edd. *furata fuit.*

[4] Vers. 17. seqq.

[5] Epist. 47. (alias 154.) n. 2.

[6] Cfr. August. loc. cit.

[7] Cod. A *recipiendo.*

[8] Vers. 32. [9] Cap. 12.

[10] Libr. I. de Doctr. christian. c. 27. n. 28; cfr. ibid. c. 23. n. 22. — Pro *proximi salus* codd. W X *anima proximi.* Subinde pro *pervertat* plurimi codd. et edd. 1, 2 *pervertit.*

[11] Epist. I. Corinth. 8, 4. — Circa finem arg. pro *conversionem,* quod habent edd. et multi codd., substituimus auctoritate codd. K U Z *confirmationem.*

quia super illud Matthaei quinto[1]: *Quod amplius est a malo est*, dicit Glossa: «Non tuo, sed illius, a quo cogeris iurare»: ergo malum est alicuius iuramentum recipere et exigere.

CONCLUSIO.

Quamvis illicitum sit iurare per idola, tamen ubi necessitas, vel communis utilitas hoc requirit, licet recipere iuramentum etiam in forma non concessa.

RESPONDEO: Dicendum, quod contingit, idololatram iurare in forma *concessa* et in forma *prohibita*[2]. — Si iurat in forma *concessa*, non iurat secundum quod idololatra; et hoc modo in *quodam* casu licet ab eo iuramentum recipere, in *quodam* vero minime: quia ille qui exigit, aut est persona *publica*, aut *privata*. Si *publica* est, quantum est ex ordine iuris, potest et debet exigere secundum quod iudex. Si vero *privata* est, hoc tripliciter potest exigere: aut enim exigit ad *veritatis confirmationem*, aut in *veritatis subversionem*, aut ad suae *dubitationis remotionem*. Primo modo potest exigi[3] iuramentum sine aliquo peccato, videlicet cum ad hoc exigitur solum, ut firmior et stabilior sit ipsa promissio et veritatis assertio. — Cum autem exigit in *veritatis subversionem*, hoc non potest esse sine mortali peccato; et illud est, quando compellit aliquem iurare, quem novit iurare falsum. — Cum vero exigit propter *dubitationis suae remotionem*, quia suspicatur, ne homo sine iuramento dicat sibi falsitatem; tunc, si suspicio illa sistat *in generali*, sic talis exactio tenet potius rationem poenae quam culpae; si vero descendat *ad speciale*, sic est peccatum veniale, dum de proximo suo malam habet suspicionem. Et propterea dicit Glossa[4]: *Quod amplius est a malo est*, scilicet «non credentis»; non, inquam, semper a malo *culpae*, sed etiam a malo *poenae*. — Et sic in forma concessa licet iuramentum recipere ab idololatris et infidelibus, sic etiam a Christianis et fidelibus.

De forma iuramenti concessa. Distinctio. Conclusio 1. Subdistinctio. Conclusio 2. Conclusio 3. Conclusio 4. Conclusio 5.

Et hoc non quaeritur principaliter in proposita quaestione, sed quaestio principalis est de iuramento, quo quis idololatra iurat per idolum et in forma *non concessa*, utrum illud sit recipiendum. Et ad huius intelligentiam est notandum, quod in iuramento facto per idolum est duo considerare, videlicet ipsius *idoli venerationem* et *exterioris verbi confirmationem*. Habendo respectum ad *primum*, nulli licet iuramentum ab idololatra recipere nec exigere nec facere, quia idoli veneratio est omnino detestanda. Si vero habeatur respectus ad *secundum*, sic licitum est ab eis recipere iuramentum, maxime pro utilitate communi. Et sic recepit Iacob pro bono[5] suae posteritatis, et Iudas pro pace gentis suae; et sic Christiani a Saracenis recipiunt pro pace et utilitate communitatis. Unde quamvis illicitum sit iurare per idolum, quia forma illa est prohibita; tamen ubi necessitas, vel communis utilitas hoc requirit, licitum est recipere iuramentum tale. — Unde et rationes concedi possunt, quae hoc ostendunt. Illa tamen auctoritas Augustini, qua dicitur: Non est prohibitum in sanctis Scripturis recipere iuramentum, non cogit, quia hoc intelligitur in forma[6] concessa ab ipsa Ecclesia.

De forma non concessa. Duo in illa forma. Conclusio 6. Conclusio 7. Conclusio generalis. Ad 3. fundamentum.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium, quod qui recipit iuramentum per idolum factum illi consentit; dicendum, quod cum duo ibi sint, sicut prius tactum est, non consentit idoli venerationi, sed veritatis confirmationi, ut firmum sit verbum, et solidum maneat pactum. Et quantum ad hoc non est ibi peccatum, quia recipit quod suum est, quod vero ibi malum est detestatur; sicut pauper indigens eleemosyna recipit eleemosynam cum murmure sibi datam, et non peccat, quia sic placet sibi eleemosynae datio, ita quod displicet sibi annexa murmuratio.

Solutio oppositorum. Simile.

2. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Augustini, quod qui exigit iuramentum ab eo quem scit peierare, animam eius occidit; dicendum, quod non est simile: quia illud est in veritatis subversionem nec potest fieri bona intentione[7]; sed iuramentum ab idololatra factum per idolum facit ad veritatis confirmationem, quia frequenter idololatrae et infideles ita bene reputant se obligatos per iuramenta illicita, sicut Christiani per licita et concessa.

3. Ad illud quod obiicitur, quod magis debemus amare animam proximi quam utilitatem temporalem; dicendum, quod verum est de utilitate privata, sed non oportet intelligi de utilitate communi[8]. — Alia etiam est ratio, quia sine iuramenti illius expressione nihilominus idololatra idolum veneratur in corde. Unde positio, vel privatio iurationis exterioris non ponit per se salutis defectum vel detrimentum; ideo caritas de hoc non dicit esse multum curan-

Alia ratio.

---

[1] Vers. 37: Quod autem his abundantius est etc. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, delibata est ex August., Serm. 180. (alias 28. de Verbis Apostoli) c. 9. n. 10. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4.

[2] De forma iuramenti concessa, vel non concessa loquitur Iustinian. IV. Digest. tit. 2. Lex 5.

[3] Cod. K *recipi*, codd. Z bb *accipi*. Inferius pro *stabilior sit* cod. A *stabilior fiat*.

[4] August., Serm. 180. (alias 28. de Verbis Apostoli) c. 9. n. 10: Et si non a malo iurantis, a malo est non credentis. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4. — Aliquanto inferius pro *sic etiam* edd. 1, 2 cum paucis codd. *sicut etiam*. Subinde pro *Et hoc* cod. K *Sed de hoc*.

[5] Edd. cum aliquot codd. *pace*. Paulo ante pro *Et sic* cod. A *Sicut*, plures alii codd. incongrue *et sicut*. Aliquanto superius pro *omnino* codd. G H L T V Z aa bb *omnimode*.

[6] Edd. *de forma*.

[7] Cfr. supra a. 1. q. 2. — Inferius pro *idololatrae* non pauci codd. *idololatra*.

[8] Vide supra pag. 652, nota 4. — Pro *oportet* fere omnes codd. et edd. 1, 2 minus congrue *oportuit*.

dum. Sed si ille vellet ab errore resipiscere et ad veram fidem converti, tunc nullatenus tale iuramentum deberet ab eo exigi.

4. Ad illud quod obiicitur, quod idolum nihil est, et fides in idolo nulla est; dicendum, quod quamvis nihil sit secundum veritatem, tamen idololatra aestimat aliquid esse [1]; et ex ipsa sua aestimatione et errore fortius adhaeret idololatra ipsi vanitati, quam multi Christiani ex fide adhaereant ipsi veritati, sicut etiam videmus in haereticis; et ex illa forti adhaerentia et erronea conscientia, cum per idola iurant, verba sua confirmant. Notandum

5. Ad illud quod obiicitur, quod nullum iuramentum licet recipere, quia quod amplius est a malo est; iam patet responsio: quia recipere iuramentum aliquando est *culpae mortalis*, aliquando *venialis*, aliquando *contractae poenalitatis;* et secundum hoc [2] *malum* in textu et Glossa habet differenter accipi: vel pro *culpa mortali*, vel pro *veniali*, vel pro ipso *malo poenali*. Nisi enim intervenisset incertitudo de veritate conscientiae alienae et pronitas ad decipiendum et male suspicandum; non esset necessarium iuramentum. Et ideo ex hoc non potest generaliter concludi, quod iuramentum recipere sit illicitum [3].

ARTICULUS III.

De obligatione iuramenti.

Consequenter quaeritur de obligatione iuramenti; et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum obligatio contrahatur per iuramentum dolosum.

Secundo quaeritur, utrum contrahatur per iuramentum coactum.

Tertio quaeritur, utrum contrahatur per iuramentum incautum sive indiscretum.

QUAESTIO I.

Utrum obligatio per iuramentum dolosum contrahatur.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum obligatio contrahatur per iuramentum dolosum. Et quod sic, videtur:

1. Per auctoritatem Isidori, quam Magister adducit in littera [4]. Ait enim sic: « Quacumque arte verborum quis iuret, Deus sic accipit, sicut ille cui iuratur, intelligit »; sed ille cui iuratur, intelligit simpliciter et credit, quod alius se velit per verbum obligare: ergo videtur, quod Deus reputet ipsum obligatum: igitur secundum veritatem obligatur quis per iuramentum dolosum. Ad oppositum.

2. Item, « fraus et dolus nemini debet patrocinari [5] »; sed si ille qui dolose iurat, ab obligatione esset absolutus, patrocinaretur ei fraus et dolus proprius: si igitur hoc est inconveniens dicere, videtur, quod iuramentum dolosum obligationem introducat.

3. Item, verba sunt, in quibus consistunt contractus [6]: ergo si forma verborum est obligatoria, necesse est, intervenire contractum obligatorium: ergo sive intendat, sive non intendat, dum tamen verba iuramenti obligationem praetendant, iurans obligatur: ergo ita obligatur homo per iuramentum dolosum, sicut per iuramentum simplex et verum.

4. Item, si solummodo verba fidelia et pura obligarent in iuramento; cum nemini constet de fidelitate aliena, nemini constaret, utrum aliquis esset obligatus per verba sua; sed homo redditur certus de obligatione per iuramentum exhibitum [7]: videtur ergo, quod sive per verba fidelia, sive per fraudulenta iuramentum fiat, iurans aequaliter obligetur.

Sed contra: 1. Gregorius [8]: « Verba deserviunt intentioni; et Deus talia verba iudicat, qualia ex intimis proferuntur »: ergo si homo se non intendit obligare, quantumcumque exterius loquatur; videtur, quod Deus non reputet eum obligatum. Fundamenta.

2. Item, secundum illud quod dicitur primi Regum decimo sexto [9]: *Homo iudicat ea quae parent, Deus autem intuetur cor;* unde quantumcumque sint opera exterius laudabilia, non sunt tamen Deo placita, nisi procedant ex mera intentione et pura: ergo Deus obligationem iuramenti pensat secundum intentionem cordis: ergo si homo non in-

---

[1] Cfr. supra d. 37. dub. 1. — Verbo *aestimat* cod. U praemittit *illud*.

[2] Multi codd., verbis male transpositis, *et hoc secundum*.

[3] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[4] Hic c. 11. Pro *Deus sic accipit* cod. F cum textu originali *Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit*.

[5] Cap. *Ex tenore*, x. de Rescriptis. Cfr. supra pag. 413, nota 2. — Plures codd. *debent*.

[6] Regula 85. Iuris in VI: Contractus *ex conventione* legem accipere dignoscuntur. Cfr. Iustinian., II. Digest. tit. 14. Lex 1. — In fine arg. pro *simplex et verum* codd. N Q *simpliciter verum*.

[7] Vat. *publicum*.

[8] Libr. XXVI. Moral. c. 10 n. 15. exponens illud Iob 34, 2: *Nunquid aequa tibi videtur tua cogitatio, ut diceres: Iustior sum Deo?* ait: Humanae aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant; divina vero iudicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Apud homines cor ex verbis, apud Deum vero verba pensantur ex corde. Beatus ergo Iob, dum hoc ait exterius quod interius Dominus dixit, omne quod locutus est tanto iuste exterius intulit, quanto pie ab interna sententia non recessit etc. Cfr. C. *Humanae*, c. 21. q. 5, ubi verba haec adducuntur; et paulo inferius a Gratiano additur: Si intentio non debet servire verbis, sed verba intentioni etc.

[9] Vers. 7: Homo enim videt ea quae parent, Dominus au-

tendat se ipsum obligare, quidquid exterius loquatur, apud Deum non erit obligatus: ergo iuramentum dolosum secundum veritatem non est obligatorium.

3. Item, obligatio iuramenti non est a *lege naturali* tantum, sed etiam a lege naturali et *actu proprio;* sed nullus obligatur actu proprio, nisi velit et intendat se ipsum obligare: si ergo iurans iuramento doloso non intendat [1] se ipsum obligare, sed alium deludere, non videtur obligari secundum veritatem.

4. Item, iuramentum non est obligatorium, nisi quando «habet suos comites, videlicet iudicium et iustitiam et veritatem [2]»; sed dolosum iuramentum caret veritate: ergo non videtur, quod introducat obligationem.

Quaestio incidens.

Iuxta hoc quaeritur, quando verba iuramenti sunt duplicia, et iurans intendit in uno sensu, et recipiens in alio, cuius intentioni sit standum. Et quod magis standum sit intentioni *recipientis*, videtur per auctoritatem Isidori prius habitam; quod vero magis intentioni *iurantis*, videtur per auctoritatem Gregorii prius habitam, qua dicit, quod «verba illi intentioni deserviunt, ex qua proferuntur».

CONCLUSIO.

Satis probabile esse videtur, quod iuramentum dolosum in foro Dei non sit simpliciter obligatorium, licet in foro Ecclesiae obliget, et simul committatur crimen periurii.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod hic est duplex modus dicendi.

Opinio 1.

Quidam namque dicere voluerunt, quod iuramentum dolosum simpliciter obligat, quoniam, etsi dolosus intendat alium decipere, intendit tamen dicere verba obligatoria; et dum illa voluntarie exterius profert, simpliciter se ipsum obligat. Nec aliquo modo excusatur per cordis fraudulentiam, quia non solummodo recipiens, sed etiam ipsa Veritas accipit verba secundum sensum, quem faciunt, et ita non solummodo in conspectu hominum, immo etiam secundum veritatem dicunt, quod iuramentum dolosum est obligatorium.

Opinio 2.

Sed quoniam obligatio iuramenti est obligatoria, sicut obligatio voti et matrimonii; ideo videtur aliis dicendum, quod sicut *matrimonium* non est verum, nisi intersit interior consensus, nec est *votum* obligatorium, nisi sit intentio obligandi [3]: sic etiam nec ipsum *iuramentum dolosum* dicendum est esse *simpliciter* obligatorium, in quo quis sic iurat, ut tamen per illa verba se ipsum obligare non intendat. Et propterea secundum istos distinguitur duplex forum, videlicet forum *Ecclesiae* et forum *conscientiae*. Secundum forum *Ecclesiae* iuramentum tale est obligatorium; Ecclesia enim iudicat de his quae exterius obligare [4] possunt; unde cum verba illa obligationem exprimant, iudicat, sic iurantem ad id quod verba insinuant obligari. In foro autem *Dei*, qui iudicat secundum secreta conscientiae et secundum veritatem, iste quidem non obligatur, quia non voluit obligare se ipsum. Quia tamen dolose iuravit et nomen Dei in vanum assumsit, statim in actu ipso commisit crimen periurii. Nec reportat commodum de malitia, quia apud Deum ex illo iuramento iudicatur [5] dignus poena aeterna.

Duplex forum.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

Iudicium auctoris

Et iste quidem modus dicendi satis probabilis esse videtur. Et secundum ipsum patet responsio ad quaestionem propositam; etiam pro magna parte patet responsio ad obiecta. Nam rationes, quae probant, illud iuramentum non esse obligatorium, ostendunt hoc non simpliciter, sed in foro Dei, qui iudicat secundum intentionem, secundum quam dolose iurans non intendebat se ipsum obligare. Rationes autem, quae ad oppositum inducuntur, procedunt secundum forum ecclesiasticum, aliter non concludunt.

Ad argg.

Solutio oppositorum.

1. Unde ad auctoritatem Isidori, qua dicit, quod Deus accipit verba secundum intentionem recipientis; dicendum, quod hoc dicit, non quia ipse Deus ad hoc reputet hominem obligatum, sed quia ex hoc, quod ille non intendit iurare, sicut ille intendebat recipere, Deus, qui hoc requirebat ex veritate et iustitia, reputat ipsum obligatum ad poenam [6]. — Vel potest ille sermo *causaliter* intelligi, ut dicatur, quod Deus sic accipit, quia sic vult accipi ab ipsa Ecclesia, et sic vult etiam iudicari.

Aliter.

2. Ad illud quod obiicitur, quod fraus et dolus nemini debent patrocinari; patet responsio per iam dicta: quia fraus et dolus non patrocinantur isti in foro *Ecclesiae*, immo compellitur ab ipsa Ecclesia iuramentum tenere, ac si iurasset vere et fideliter; non patrocinantur etiam in foro *Dei*, quia ex hoc ipso obligatur et reus efficitur magna poena. Unde si veniat ad poenitentiam, est ei gravis poenitentia imponenda; et sanum consilium est et decens, ut merito culpae sibi imponatur, ut iuramentum com-

Notandum.

---

tem etc. — Pro *parent* non pauci codd. cum edd. 1, 2 *patent*, et pro *Deus* cod. U *Dominus*. Inferius pro *secundum intentionem* cod. U *ex intentione*, et pro *non intendat* codd. F K *non intendit*.

[1] Codd. A N *intendit*.

[2] Secundum Hieron. super illud Ierem. 4, 2: Et iudicabis: Vivit Dominus in veritate et in iudicio et in iustitia. Cfr. hic III. Magistri, c. 1.

[3] Cfr. IV. Sent. d. 27. a. 2. q. 2, ubi de matrimonio, et d. 38. a. 1. q. 1, ubi de voto. — Paulo ante pro *obligatoria* codd. A bb *voluntaria*. Aliquanto inferius pro *secundum istos* cod. A *secundum istum modum*.

[4] Permulti codd. *obligari*.

[5] Cod. G *reputatur*, cod. U *est*. Inferius pro *etiam* codd. A N U *et etiam*.

[6] Hugo a S. Vict., Sum. Sent. tr. 4. c. 5. hoc verbum Isidori exponens ait: Arte verborum, id est qui ad fraudandum alium iurat; Deus tunc vere sic aspicit, ut ille qui *iniuste* decipitur, intelligit etc.

pleat, in quo proximum decipere intendebat, licet non possit sibi probari in facie ipsius Ecclesiae.

3. 4. Ad duo sequentia similiter patet responsio: quia verborum obligatio et certificatio per iuramentum superadditum respiciunt forum ecclesiasticum; et ideo obligationem concludunt non simpliciter, sed quantum ad illud forum [1]. Et hoc quidem est concedendum.

Ad quaest. incidentem. Ad illud vero quod quaeritur, quando sunt verba duplicia, ita quod dolus non intervenit, cuius [2] intentioni standum sit; dicendum, quod verba illa Distinctio. multiplicia aut *magis* praetendunt unum illorum sensuum secundum usum communem, aut *aequaliter* praetendunt utrumque. Si *magis* praetendunt unum sensum, illi intentioni standum est, quae illum sensum intellexit. Si vero *indifferenter* se habent ad utrumque; cum neutrum probari possit, standum est iudicio bonorum virorum, qui, pensatis coniecturis et rationibus, condescendere debent saniori et puriori intentioni [3]. — Illa tamen auctoritas Isidori non facit ad propositum, quia Isidorus vocat illum *arte iurare*, cuius iuratio est dolosa; non oportet autem, dolum vel artem intervenire semper, quando verba sunt multiplicia [4].

SCHOLION.

I. Quaestio haec versatur circa iuramentum *promissorium*, quod a S. Bonav. aliisque antiquis « appropriate dicitur *obligatorium* » (Scot., hic q. unica n. 9.). Illud tunc est *dolosum*, « quando iurans, aliquid [se] esse facturum, in ipso actu iurandi intendit oppositum, et non intendit se obligare ad illud quod iuratur; et talis in ipso actu iurandi peccat mortaliter, quia adducit Deum tanquam testem sui propositi de aliquo implendo, cum tamen intendat oppositum. Tamen post illud iuramentum non remanet [scil. per se loquendo] obligatus, quia in obligationibus privatis nullus obligatur non intendens se obligare » (ita definit et resolvit Scot., hic q. unica n. 10.). Iuramentum *dolosum* hoc sensu acceptum idem est quod iuramentum *fictum*, quod secundum recentiores in proferendis verbis iuratoriis duobus modis fieri potest, scilicet cum verba proferuntur cum intentione vel *non iurandi*, vel in *promissione non se obligandi*. Tale iuramentum non valet, est tamen illicitum, ut constat ex prop. 25. inter damnatas ab Innocentio XI: « Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis, sive gravis ». Quod autem fictum iuramentum *semper* sit pectum *mortale*, ut Scot. videtur sentire, a recentioribus negatur (cfr. S. Alphons., Homo apost. tr. 5. n. 17.). — Alio autem sensu iuramentum *dolosum* saepe intelligitur de vero iuramento facto verbis duplicem sensum habentibus, quando « iurans intendit in uno sensu, et recipiens in alio » (hic q. incidens). Hoc autem potest esse *cum* dolo, vel *sine* dolo iurantis. « Si autem iurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem *iurantis* » (S. Thom., S. II. II. q. 89. a. 7. ad 4.); de quo non est dubium; et idem hic docet S. Bonav., sed quaedam addit. — Si vero iurans recipientem dolo fallit, S. Thom. resolvit, quod « debet iuramentum servari secundum sanum intellectum eius cui iuramentum praestatur ».

Quoad ipsum iuramentum *dolosum*, de quo est hic quaestio principalis, S. Thom. (hic a. 3. quaestiunc. 3.) docet: « Quamvis ex ipsa ratione iuramenti, in quantum *iuramentum*, non obligetur ad servandum ipsum nisi secundum suam intentionem; tamen ex necessitate iuramenti, in quantum fuit *dolosum*, obligatur ad servandum taliter, quod ex dolo alius non laedatur; et hoc est, quando secundum intentionem recipientis implet iuramentum ». Circa ultima verba paulo mitius S. Bonav. cum multis recentioribus iudicat. — De obligatione, quam imponit forum Ecclesiae dolose iuranti, nullum est dubium.

II. De hac quaestione praeter laudatos: Alex. Hal., Sum. p. III. q. 31. m. 4. a. 3. — B. Albert., hic a. 8. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 8. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Dionys. Carth., de hac et duabus seqq. qq. hic q. 3.

III. In solutione sequentis (2.) quaest. sententia nunc communissima est, quod iuramentum promissorium *coactum* de re licita in foro interno est validum, quia iurans, licet iniuste cogenti non obligetur, tamen contraxit obligationem coram Deo. Illud tamen est strictissimae interpretationis et rescindibile, saltem in foro Ecclesiae. — Alex. Hal. inter utramque sententiam hic relatam rem reliquit iniudicatam.

De eadem (2.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 4. a. 4. § 2. — S. Thom., hic a. 3. quaestiunc. 2; S. loc. cit. a. 7. ad 3. — B. Albert., hic a. 9. 10. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 6. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. — Durand., hic q. 2.

IV. Etiam seq. (3.) quaestio est de iuramento *promissorio*. Definitiones tres *incauti* iuramenti hic positae communes sunt apud antiquos doctores. In his tribus speciebus deficit illa conditio iuramenti liciti, quae vocatur *iustitia*. A recentioribus (cfr. Sporer, Theol. moral. tom. I. tr. 3. sect. 4. § 1.) vocatur *incautum* illud iuramentum, « quo iuratur sine debita consideratione et examine, verumne sit, an falsum quod iuratur ». — Casus moralis, qui in quaestione *incidenti* proponitur, similiter solvitur a S. Thom. in Sum. (loc. cit. ad 2.), et etiam ab Alexandro Hal. (loc. cit. m. 4. a. 4. § 1.), qui tamen refert aliorum opinionem, qui sine distinctione asserunt, illud iuramentum esse incautum et non obligatorium simpliciter; quorum opinioni aliquatenus favent verba S. Thom., in Comment. hic a. 3. quaestiunc. 1. ad 3.

De ipsa (3.) quaestione praeter S. Thomam: Alex. Hal., loc. cit. m. 4. a. 1. 2. — Scot., loc. cit. n. 11. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 5. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. — Durand., hic q. 3.

---

[1] Cod. A, pro *concludunt* posito *excludunt*, substituit *ad aliud forum*.

[2] Codd. A U *cui*. Aliquanto inferius pro *quae illum sensum* codd. A K L N Q V aa bb *qui illum sensum*.

[3] In cod. H additur: Ceteris tamen paribus, magis condescendere est intentioni recipientis quam iurantis; quia minus praesumitur de dolo ex parte eius qui verba audit, quam ex parte eius qui verba proponit. Et ratio huius est, quia in foro Ecclesiae non solum aspicitur ad ipsam veritatem, sed etiam ad coniecturae probabilitatem.

[4] Can. *Qui peierare*, c. 22. q. 5. Gratian. concludit: Ex his omnibuscolligitur, quod iuramenta secundum intentionem *praestantis*, non *recipientis*, a Deo iudicantur. Quomodo ergo, secundum Isidorum, quacumque arte verborum quis iurat, Deus sic accipit, sicut ille cui iuratur, intelligit? Sed sicut aliud est callida arte verborum iurare, aliud simpliciter intentionem suam iurando enuntiare, sic aliud est simplici intentione iuramentum factum recipere, aliud in recipiendo calliditate uti; quia sicut quisquam apud Deum non valet aliquem laedere, sic nec praeter eius intentionem valet quis alicui subvenire. Deus autem duplicitatis aspernator simplicem intentionem utriusque considerat, et tam ex parte recipientis quam ex parte praestantis verborum artem aspernatur et odit.

QUAESTIO II.

Utrum omne iuramentum coactum sit obligatorium.

Secundo quaeritur de iuramento coacto, et est quaestio, utrum omne iuramentum coactum sit obligatorium. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Omne iuramentum, quod habet iudicium et iustitiam et veritatem, est obligatorium [1]; sed iuramentum coactum potest haec tria habere: ergo videtur, quod sit obligatorium.

2. Item, «coacta voluntas, ut vult Augustinus [2], vere voluntas est»; sed iuramentum dicitur *coactum*, quia fit a voluntate coacta: ergo iuramentum coactum a vera voluntate est. Sed cum quis voluntate aliquid iurat, nisi sit malum, se ipsum obligat: ergo etc.

3. Item, peccatum ex coactione perpetratum inducit obligationem ad poenam aeternam: si ergo iuramentum de sui natura obligat ad veritatem servandam, sicut peccatum obligat ad poenam perferendam; videtur per simile, quod iuramentum coactum sit obligatorium.

4. Item, hoc ipsum videtur auctoritate Augustini [3]. Quidam coactus iuravit cuidam concubinae, quod eam duceret in uxorem et ulterius non exhiberet parentes suos. Respondet beatus Augustinus ex consilio beati Ambrosii, quod matrimonium teneret et poeniteret de residuo: ergo videtur secundum sententiam beati Augustini, quod iuramentum coactum sit obligatorium.

Sed contra: 1. Vota coacta non obligant, quia votum est *promissio* spontanea [4]; sed iuramenti obligatio similiter a voluntate nostra procedit: ergo non videtur, quod iuramenta coacta sint obligatoria.

Ad oppositum.

2. Item, «praetor [5] dicit — et Tullius etiam in Rhetoricis — quod vi vel metu factum est ratum non habeo»: si ergo lex habet ratam omnem obligationem iustam, videtur, quod iuramenta coacta non sint obligatoria.

3. Item, causa metus mortis cadit in virum constantem; sed metus, qui cadit in virum constantem, excusat *a toto*, secundum quod iurisperiti [6] dicunt: ergo videtur, quod iuramentum, quod fit ex tali metu, non sit obligatorium.

4. Item, coactio excludit contractum matrimonialem [7]; sed tanti roboris et obligationis est ipsum matrimonium, quanti et iuramentum: si ergo matrimonium ex coactione contractum non est obligatorium, eadem ratione videtur quod nec iuramentum.

CONCLUSIO.

Iuramentum coactum respectu rei licitae in foro Dei obligatorium esse videtur, nisi relaxetur.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod hic est duplex modus dicendi.

Opinio 1. Quidam enim dicunt, quod cum duplex sit iuramentum, videlicet *promissorium* et *assertorium* [8], respectu iuramenti *assertorii* coactio non excusat *a toto*, sed *a tanto*. Si quis enim coactus iurat et asserit, falsum esse verum, incurrit crimen periurii. In iuramento vero *obligatorio* sive promissorio coactio, quae surgit ex metu, qui potest cadere in constantem virum, *a toto* excusat — tale enim iuramentum licitum est et non est contra Deum, quo quis promittit, aliquid alicui se daturum, vel facturum — et ideo respectu talis iuramenti potest intervenire coactio sufficiens ad inclinandum etiam constantem virum. Et quia coactio sufficiens intervenit, voluntas illa non est iudicanda voluntas; ac per [9] hoc nec iuramentum illud est vere obligatorium, ut dicunt.

Sed quoniam verba Augustini et consilium etiam

---

[1] Cfr. supra pag. 875, nota 2.

[2] Libr. de Spiritu et lit. c. 31. n. 53: Si subtilius advertamus, etiam quod quisque invitus facere cogitur, si facit, voluntate facit; sed quia mallet aliud, ideo invitus, hoc est nolens facere dicitur. Cfr. C. *Si vero*, x. de Iureiur., ubi dicitur, iuramentum per metum extortum, si servari potest sine interitu salutis aeternae, servandum esse. — Inferius pro *cum quis voluntate* cod. U *cum quis voluntarie* [edd. *ex voluntate*].

[3] Secundum Gratian., C. *Inter cetera* c. 22. q. 4. Nam ipse illi canoni haec verba praemittit: Unde Augustinus scribit Severo Milevetano episcopo, consulenti de quodam Hubaldo, qui a consanguineis cuiusdam pellicis coactus fuerat iurare, se illam ducturum in coniugem nec matri suae vel fratribus ulterius necessaria subministraturum. Rescribit ergo B. Augustinus, ut diximus, Severo Milevetano episcopo, ita dicens: Inter cetera, ut rogaveras, a patre nostro Ambrosio quaesivi etc. In nota adiecta editores dicunt: Nihil hunc canonem cum Augustino commune habere censemus (ed. Migne). — Pro *exhiberet* (i. e. *alimentaret*, cfr. Forcellini Lexicon etc.) edd. *adverteret*. Eodem sensu utuntur verbo *exhibeo* Guliel. Antissiod., S. p. III. tr. 24. q. 2, et Alex. Hal., S. p. III. q. 31. m. 4. a. 4. § 2.

[4] Magister, IV. Sent. d. XXXVIII. c. 1: Votum est testificatio quaedam *promissionis spontaneae*, quae Deo, et de his quae Dei sunt, proprie fieri debet. — Pro *promissio*, quod habent codd. B K M X Z plures codd. et edd. *coactio*, cod. H *contractio*, cod. bb *obligatio*.

[5] Iustinian. IV. Digest. tit. 2. Lex 1: Ait praetor: Quod metus causa gestum erit ratum non habebo. Cfr. II. Codic., tit. 20. de iis quae vi metusve causa gesta sunt, Lex 7. et 8. — Cicero I. Rhetor. c. 11, et II. c. 31. quoad sensum; sed si verba attendantur, vide III. Offic. c. 30, ubi dicit: Non debuit esse ratum quod erat actum per vim. Cfr. ibid. c. 28.

[6] Cfr. Lex: *Metum accipiendum*, et Lex: *Metus autem causa*. — Lege 6. (IV. Digest. tit. 2.) dicitur: Metum autem non vani hominis, sed qui merito et in hominem constantissimum cadat, ad hoc edictum pertinere dicemus.

[7] Cfr. IV. Sent. d. 29. q. 1.

[8] Vide supra pag. 862, nota 2. — Aliquanto inferius pro *qui potest* non pauci codd. cum edd. 1, 2 incongrue *quae potest*.

[9] Cod. G *et propter*, codd. B C D F H L V bb *sic per*.

eius videtur esse in contrarium — videtur enim beatus Augustinus iudicare tale iuramentum obligatorium — ideo est alius modus dicendi, ut distinguatur duplex forum, videlicet *ecclesiasticum* et *divinum*, ita quod obligatio iuramenti *coacti* e contrario se habet obligationi iuramenti *dolosi* respectu huius duplicis fori[1]. Nam in foro *Ecclesiae* iuramentum coactum non est obligatorium: tum quia Ecclesia praesumit, quia iste qui coacte iuravit, non iuravit voluntate implendi iuramentum, sed potius evadendi periculum; tum etiam, quia ille qui iurare compulit, cum malitiose et dolose processerit, nullum ius acquisivit nec de malitia commodum reportare debuit; unde nullum habet ius repetendi. — In foro autem *Dei* iuramentum coactum obligatorium est, quia, cum Deus aspiciat voluntatem interiorem, et voluntas non possit cogi coactione *sufficiente*, sed *inducente*[2], et ita voluntas *coacta* voluntas sit, iudicat Deus, talem hominem obligari. Et ideo in foro conscientiae secundum theologos consulendum est ei qui sic iuravit, nisi relaxationem inveniat, iuramentum implere; et hoc dico, si iuramentum illud fuit respectu rei licitae. — Unde rationes concedi possunt, quae sunt ad partem istam.

Opinio 2

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Corollarium.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium de obligatione voti; dicendum, quod non est simile; quia votum respicit obligationem ad Deum, qui vult sacrificia non coacta, sed voluntaria[3]. Si quis tamen coactione inducente cogatur, ut votum emittat, videlicet ut in periculo mortis existens a Domino liberetur, non videtur absurdum dicere, eum esse obligatum.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de praetore et lege, quod non reputat ratum iuramentum factum per metum; dicendum, quod lex loquitur in foro *iudiciali*, quia non intromittit se de foro *conscientiae*. Unde secundum illud forum verum est, quod iuramentum coactum non obligat. Ex hoc tamen non potest concludi, quod non obliget quantum ad Deum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod metus, qui potest cadere in constantem virum, excusat a toto; dicendum, quod licet respectu actuum humanorum possit cadere metus sufficiens in virum constantem; tamen quantum ad ea quae iustitiae sunt, non potest cadere metus sufficiens in virum constantem. Quantum enim ad illa dicit Dominus[4]: *Nolite timere eos qui corpus occidunt.* Ideo apud Deum talis metus non reputatur causa sufficiens ad excusandum hominem a reatu peccati, vel ab obligatione iuramenti.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de obligatione matrimonii, dicendum, quod non est simile: quia matrimonium hoc habet ex ratione significationis et institutionis, ut contrahatur ex mera et libera voluntate. Significat enim coniunctionem Christi et Ecclesiae Dei et animae, in qua nulla intervenit coactio, sed mera benignitatis dilectio[5]. Non sic autem est ex parte iuramenti. — Et *si tu quaeras* de illo qui coactus iuravit contrahere matrimonium, utrum teneatur; dicendum, quod tenetur, nisi ex causa superveniente absolvatur. Si tamen contrahat cum alia, in contrahendo peccat mortaliter nec amplius obligatur, sed pro culpa periurii est ei poenitentia imponenda: et de hoc amplius habetur in quarto in tractatu de matrimonio[6].

Notandum.

Quaest. incid. solvitur.

QUAESTIO III.

Utrum iuramentum incautum sit obligatorium.

Tertio quaeritur, utrum iuramentum incautum sit obligatorium. Iuramentum autem *incautum* dico, quod vergit in exitum malum, vel in exitum minus bonum[7]. Et quod iuramentum incautum, quod vergit in exitum malum, sit obligatorium, probatur:

Quid iuram. incautum.

1. Primo per exemplum Iosue, de quo dicit Ambrosius in libro de Officiis[8]: « Iosue pacem, quam dederat, revocandam non censuit, quia firmata erat sacramenti religione, ne dum alienam perfidiam redargueret, suam fidem solveret »: tenebatur ergo Iosue iuramentum, quod fecerat, observare; sed illud iuramentum fuit incautum et vergebat in exitum malum, quia contra Dei praeceptum, quo praeceperat Dominus, ne cum gentibus illis foedus iniret[9]: ergo videtur, quod tale iuramentum sit obligatorium.

Ad oppositum.

2. Item, Augustinus[10] dicit, quod meretrix iurans, se servaturam fidem suo leccatori, peior est, si non servat fidem, quam si observaret; sed iuramentum illud habet malum exitum, et tamen obli-

---

[1] Cfr. quaest. praeced.

[2] De quo vide II. Sent. d. 25. p. II. q. 4. — Circa finem corp. *pro fuit* codd. G K *fuerit.*

[3] Cfr. IV. Sent. d. 38. a. 1. q. 1. ad 4, ubi triplex differentia voti et iuramenti affertur.

[4] Matth. 10, 28.

[5] Vide Eph. 5, 25. seqq. — Paulo superius pro *Dei* cod. U *et Dei.*

[6] Dist. 29. per totam. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Vide infra in fundam. 1. verba Bedae.

[8] Libr. III. c. 10. n. 69: *Iesus* tamen pacem etc. Cfr. Iosue 9, 15. seqq.

[9] Cfr. supra pag. 666, nota 6.

[10] De Bono coniugali, c. 4. n. 4, sententialiter. Allegatur etiam a Gratiano, C. *Mulier si*, c. 22. q. 4. — Inferius pro *leccatori* Vat. hic et in solutione *locatori*. Immediate post codd. B D F G L O T V aa, verbis male transpositis, *peior est, si servat fidem, quam si non observaret.*

gat, alioquin non esset peior in non observando quam in observando: ergo iuramentum, quod simpliciter vergit in exitum malum, est obligatorium.

3. Item, hoc ipsum videtur de iuramento, quod vergit in exitum minus bonum, utpote qui iurat, se non intraturum religionem [1], quia aliquis per matrimonii vinculum potest se obligare, ut non intret religionem, ita quod matrimonium illud vere est obligatorium: ergo pari ratione videtur, quod et per ipsum iuramentum.

4. Item, licitum est alicui nolle intrare religionem, et quod licitum est nolle licitum est confirmare, et quod licitum est confirmare licitum est iurare; sed iuramentum licitum est iuramentum obligatorium: videtur ergo, quod cum aliquis iuret, se non intraturum religionem, quod per illud iuramentum obligatur. Sed tale est iuramentum incautum, quod vergit in exitum minus bonum: ergo videtur, quod iuramentum illud sit obligatorium.

Sed contra: 1. Beda dicit, et Magister adducit Fundamenta. in littera [2]: « Si quid nos incautius iurare contigerit, quod observatum peiorem vergat in exitum, libere illud salubriori consilio mutandum noverimus »: ergo secundum hoc iuramentum incautum, quod vergit in exitum malum, vel minus bonum, non est obligatorium.

2. Item, Isidorus [3]: « Non est observandum sacramentum, quo malum incaute promittitur ». *Si tu dicas*, quod auctoritas ista intelligitur solum, quando quis iurat quod est malum et iniustum, sed non, quando quis iurat, se non facturum bonum perfectum, ad quod non tenetur; *obiicitur* contra hoc: quia nullum iuramentum est iustum, quod impugnat iustitiae perfectionem [4]; sed iuramentum, quo quis iurat, se non intraturum religionem nec aggressurum perfectionem, est perfectae iustitiae impugnativum: ergo et iuramentum iniquum. Sed nullum tale est obligatorium: ergo videtur, quod nullus obligetur per iuramentum incautum, quod vergit in exitum minus bonum.

3. Item, nullum iuramentum est discretum, quod est contra Spiritus sancti consilium; sed cum quis iurat, se non intraturum religionem, iuramentum illud est contra Spiritus sancti consilium; sed nullum tale iuramentum habet in comitatu *iudicium*, et nullum tale est obligatorium [5]: ergo idem quod prius.

Iuxta hoc quaeritur, si quis iurat, se nunquam Quaestio incerta. recepturum praelationem, utrum per tale iuramentum obligetur. Et quod sic, videtur: quia licitum est praelationem fugere: ergo licitum est, quod quis iuret eam non recipere [6]. In contrarium est, quod maioris perfectionis est, ut communiter dicitur, status praelationis quam religionis, et bono privato praeferenda est utilitas communis.

Conclusio.

Iuramentum incautum, quod vergit in salutis detrimentum, vel directe in perfectionis impedimentum, non est obligatorium.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod multipliciter contingit iuramentum esse *incautum*: primo modo, quando iuratur aliquid, quod simpliciter vergit in *salutis detrimentum*, sicut cum aliquis iurat, se facturum aliquid, quod non potest sine peccato mortali consummari. Secundo modo dicitur iuramentum esse *incautum*, cum quis iurat aliquid, quod vergit in *salutis suae dispendium* et *perfectionis impedimentum*, ut puta cum iurat quis, se nunquam intraturum religionem. Tertio modo dicitur iuramentum *incautum*, cum quis iurat aliquid *in omnem eventum*, quod uno casu contingente, vergit in salutis dispendium, alio casu contingente, vergit in salutis profectum; sicut cum iurat aliquis, se nunquam recepturum praelationem, quod quidem est in *salutis dispendium*, si utilis sit et canonice eligatur et a maiori sibi iniungatur; tunc autem vergit in *salutis profectum*, si sit persona inutilis sibi et aliis ad statum illum promoveri. Triplex iurament. incautum.

Si ergo loquamur de iuramento [7] *primo* modo, sic absque dubio non est licitum nec obligatorium, immo qui ipsum observat committit peccatum. — Si vero loquamur de iuramento incauto *secundo* modo, sic nec est licitum nec obligatorium, licet ipsum observare non sit peccatum, quia non est peccatum non intrare religionem; grave tamen peccatum est iurare, se nunquam ascensurum ad gradum perfectionis, quia in hoc quodam modo impugnat ipsius iustitiae perfectionem et Spiritus sancti inspirationem [8]. — Si vero loquamur de iuramento *tertio* modo, sic, uno casu contingente, est *observandum*, videlicet quando vergit in salutis *profectum*; alio vero casu contingente, est *illicitum* et *non observandum*, videlicet cum vergit in salutis *detrimentum*. — Et per hoc patet responsio ad quaestionem propositam. Concedendum est enim, quod iuramentum incautum, quod vergit in salutis detri- Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3, bimembris.

---

[1] Cfr. Gratian., C. *Innocens credit*, c. 22. q. 4. § 6.

[2] Hic c. 9.

[3] Libr. II. Sent. c. 31. n. 9; cfr. hic lit. Magistri, c. 9. — Cum textu originali et codd. A F H K L T V aa bb substituimus *sacramentum* pro *iuramentum*.

[4] Cfr. supra pag. 875, nota 2. — Codd. A H aa *perfectioni*. In fine arg. post *incautum* cod. Z addit et *indiscretum*.

[5] Cfr. supra pag. 875, nota 2. — Superius pro *discretum* cod. O *obligatorium*.

[6] Cfr. C. *Archidiaconum Florentinum*, dist. 83, ubi Gregorius iubet inquiri, num ille qui episcopus fuerat electus, « tactis sacrosanctis Evangeliis (sicut nobis nuntiatum est), iusiurandum praebuerit, nunquam se ad episcopatum accedere ». — Inferius post *praeferenda est* (cfr. supra pag. 652, nota 4.) codd. F G L T V W aa addunt *tamen*.

[7] In edd. additur *incauto*.

[8] Cod. A *repugñat ipsius iustitiae perfectioni et Spiritus S. inspirationi*.

mentum, vel quod directe vergit in perfectionis impedimentum, non est obligatorium, sicut rationes ad hanc partem inductae ostendunt [1].

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium de Iosue, dicendum, quod iuramentum illud observátum non vergebat in malum exitum, immo in bonum. Triplex enim ratio fuit, quare Gabaonitae fuerunt reservati et non interfecti. Una videli-

Ratio 1. cet *litteralis*, quia melius erat, ut damnarentur perpetua servitute, quam punirentur morte, maxime cum prompti essent servire et mortem sustinere, si-

Ratio 2. cut ex ipso textu [2] apparet. — Alia vero ratio est *moralis*, quia in hoc significatur, quod quantumcumque Deus minetur alicui et indignetur in praesenti vita; si tamen ad ipsum revertatur toto corde,

Ratio 3. non claudit misericordiae viscera. — Tertia vero ratio est *figuralis*, quia in hoc significatur, quod semper in nobis duo sunt populi, secundum quod duo fuerunt in terra promissionis, videlicet Amorrhaeorum et filiorum Israel, hoc est motuum rationalium et brutalium; secundum quod dicit Bernardus [3]: « Quantumcumque labores, necesse est, ut intra fines tuos habitet Iebusaeus ». — Unde multiplici ratione observatio iuramenti illius non vergebat in exitum malum, sed potius in bonum. — Et quod obiicitur de mandato Domini, quod Dominus praeceperat, quod cum eis foedus non iniret [4]; dicendum, quod hoc intelligendum est quantum ad eos qui erant incorrigibiles.

2. Ad illud quod obiicitur de meretrice, quae iurat leccatori suo fideliter adhaerere; dicendum,

Duo considerandа. quod in iuramento est duo considerare: unum, quod meretrix iurat, se consensuram in nefarium actum cum suo leccatore; aliud, quod iurat, se [5] alteri non daturam. Et primum quidem est illicitum, et ad hoc non obligatur; secundum quidem licitum, et quantum ad hoc obligatur. Et ideo dicit Augustinus, quod peior est non servando, quam si iuramentum servaret. Per hunc etiam modum intelligendum est, si aliquis latro iuraret alii, se praedam cum illo divisurum, et postea retineret totum.

3. Ad illud quod obiicitur de eo qui iurat, se nunquam religionem intraturum, quod licite potest iurare, sicut licite potest contrahere matrimonium; dicendum, quod non est simile hinc et inde, duplici ex causa. Prima est, quia matrimonium non tan- Ratio 1. tummodo dicit privationem boni, quin potius dicat [6] boni positionem; sed iuramentum, quo quis iurat, se nunquam religionem intraturum, de sua principali intentione est boni perfecti privatorium et impeditivum; ideo non est iudicandum obligatorium, sed potius illicitum et iniquum. — Alia etiam ratio Ratio 2. est, quia qui matrimonium contrahit, sive ex consensu uxoris, sive ex morte, potest aliquando aggredi perfectionem. Qui autem iurat, se nunquam religionem intraturum, quantum est de se, reddit se in sempiternum inhabilem.

4. Ad illud quod obiicitur, quod licitum est nolle intrare religionem, ergo et iuramento firmare [7]; dicendum, quod non sequitur: quia nolle intrare re- Notandum. ligionem est *imperfectionis*, sed hoc iuramento firmare est cuiusdam *obstinationis* et *impugnationis* gratiae Spiritus sancti, quae de tepidis et negligentibus facit fervidos et perfectos. Et ideo, quamvis illud sit licitum, istud tamen est illicitum.

Ad illud quod quaeritur ulterius de eo qui iu- Ad quaest. incidentem. rat, se non recepturum praelationem; iam patet responsio per illud quod iam dictum est: quia iuramentum illud in casu obligat, videlicet cum vergit in damnum proprium et alienum; in casu vero non, videlicet cum non tantum est persona sibi utilis, verum etiam aliis. — Attamen si iuramentum praeces- Notandum. serit, non debet quis se auctoritate propria a vinculo eius absolvere, sed superioris voluntatem, mandatum et auctoritatem super hoc requirere [8], cuius voluntati magis quam propriae debet in hoc casu obedire [9].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Advertendum est, quod iusiurandum tres habet comites: veritatem, iustitiam et iudicium.* Videtur enim, quod ibi sit superfluitas. Quicumque enim iurat cum iudicio discretionis, vere et iuste iurat: ergo ex quo ponitur ibi iudicium, superfluit veritas et iustitia. — Item, cum omnia opera nostra debeant fieri cum

---

[1] Cfr. Gratian., C. *Innocens credit*, c. 22. q. 4. § 4. seqq. — Superius pro *Et per hoc* cod. K *Et sic.*

[2] Iosue 9, 21. seqq. — Ambros., III. de Offic. c. 10. n. 69: Mulctavit tamen eos vilioris obsequio ministerii. Clementior sententia, sed diuturnior; manet etiam officiis poena veteris astutiae, hereditario in hunc diem ministerio deputata. Cfr. Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, quae continet expositionem Origenis, August. (q. 12. et 13.) et Isidor. (c. 11.) in hunc locum. Pro *servire et mortem sustinere* edd. *servire magis quam mortem sustinere.*

[3] Serm. in Cantic., serm. 58. n. 10: Velis, nolis, intra fines tuos habitat Iebusaeus (Iudic. 1, 21.); subiugari potest, sed non exterminari. — Aliquanto superius pro *significatur* codd. A U *figuratur.*

[4] Ita plures codd. cum edd., in aliis *inirent*, cod. A *iniretur*, cod. N *haberent.*

[5] Edd. addunt *fidem.* In fine solut. pro *se praedam* cod. K *se praedandum et*, plures alii codd. incongrue *se praedandum.*

[6] Permulti codd. et edd. 1, 2 *dicit.* Pro *quin* cod. K *quia.*

[7] Cod. K *confirmare.*

[8] Cod. A *inquirere.*

[9] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

Quaestio 1. discretione et rectitudine et veritate, quaeritur: quare potius iuramentum dicitur habere tres comites quam aliud verbum nostrum [1] et factum ?

Quaestio 2. Iuxta hoc quaeritur: penes quid accipitur numerus istorum trium comitum ?

Ad 2. quaest. Respondeo: Dicendum, quod iuramentum comparatur ad tria, videlicet ad *iurantem*, a quo procedit, ad *rem*, de qua fit, et ad *causam*, pro qua. Secundum comparationem ad *eum*, a quo egreditur, debetur sibi *iudicium;* secundum comparationem ad *rem*, de qua fit, debetur sibi *veritas*, ut sit adaequatio rei et sermonis [2]. Secundum vero comparationem ad *causam*, pro qua fit, debetur sibi *iustitia*, ut pro iusta causa fiat. Et quoniam omne iuramentum habet istas tres comparationes, ideo omne rectum iuramentum habet istos tres comites. — Et per hoc patet responsio ad illud quod ultimo quaeritur.

Ad illud vero quod obiicitur, quod ubi est unum, videlicet *iudicium*, ibi sunt reliqua, ergo alia sunt superflua; dicendum, quod illa ratio non

Defectus 1. valet. Deficit enim talis modus loquendi in his quae se habent per *connexionem;* quia enim virtutes *connexae* sunt, si una habetur, habentur et omnes; et tamen non sequitur, quodsi una habetur, quod ce-

Defectus 2. terae superfluant [3]. — Alibi etiam deficit, videlicet cum aliqua se habent per *additionem*. Posito enim posteriori, ponitur et prius, sicut posita rationali potentia in homine, ponitur sensibilis et vegetabilis [4]; et tamen, ex quo rationalis habetur, non propter hoc aliae superfluunt. Sic et in proposito intelligendum est. Quoddam enim iuramentum fit *iuste*, quod tamen non fit *vere;* et aliquod fit *iuste* et *vere*, et tamen non *discrete*, quia sine praemeditatione. Et ideo ratio illa non valet.

Ad 1. quaest. Ad illud, quod quaeritur: quare magis iuramentum habet istos comites quam alius actus noster ? dicendum, quod hoc est, quia iuramentum est in assertione nostri sermonis; sermo autem noster dubietatem habet, secundum quod dicitur Sapientiae nono [5]: *Cogitationes mortalium timidae, et incertae providentiae nostrae.* Ideo ad hoc, quod sermo noster per divinam Veritatem confirmetur directe et convenienter, indiget comitibus ipsum regentibus, ne inveniatur dissimilis Veritati invocatae [6].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *magis tenetur qui iurat per Deum, quam qui iurat per creaturas, vel per Evangelium.* Et rationem huius assignat, quia tanto firmius [7] est iuramentum, quanto sanctius est illud, per quod iuratur. Sed *contra:* iurans per creaturam non iurat nisi per Deum, quia non intendit invocare creaturam testem, sed Creatorem: si ergo idem est utrobique, per quod iurat [8], ergo eadem est obligatio et uniformis: ergo unum non est maius altero. — Item, quanto solemnius est iuramentum, tanto transgrediens est infamior, et tanto obligatio maior; sed cum maiori solemnitate consuevit fieri iuramentum, quod fit per Evangelium, quam quod fit per Deum: ergo etc. — Item, maius est contemnere plura bona quam unum; sed qui iurat per creaturam, si peierat, contemnit Creatorem simul et creaturam; qui vero iurat per Deum et peierat contemnit alterum tantum [9]: ergo iuramentum, quod fit per creaturam, est magis obligatorium quam iuramentum, quod fit per Deum.

Respondeo: Dicendum, quod responsio Magistri et confirmatio Chrysostomi [10] regulariter vera est, quia, quanto sanctius est per quod iuratur, tanto iuramentum est magis obligatorium; et hoc dico *ceteris paribus*, ubi solemnitas observatur. Unde, sicut dicit Chrysostomus, magis obligatorium est iuramentum, quod fit per Deum [11], quam quod fit per creaturam.

Ad illud vero quod obiicitur, quod iurando per creaturam iurat homo per Deum; dicendum, quod cum quis iurat per creaturam, intentio fertur ad Deum, sed hoc tantum *habitualiter* [12]; cum vero quis iurat per Deum, non tantum fertur *habitualiter*, sed etiam *actualiter*. Et quia amplior est conversio *actualis* quam *habitualis*, hinc est, quod secundum ipsam maior attenditur obligatio, et maioris culpae est ipsa transgressio. Notandum.

Ad illud, quod obiicitur de iuramento facto per

---

[1] Edd. omittunt *nostrum*, pro quo non pauci codd. *verum*. Mox pro *et factum* codd. A K N V *et falsum*. Inferius pro *accipitur* Vat. cum pauci codd. *accipiatur*.

[2] Cfr. dist. praeced. q. 1. in corp. — Mox pro *pro qua* edd. et non pauci codd. *de qua*.

[3] Vide supra d. 36. q. 1. seqq.

[4] Aristot., II. de Anima, text. 31. (c. 3.): Similiter autem se habent ei quod est de figuris, et quae circa animam sunt. Semper enim in eo quod est *consequenter*, est potentia quod *prius* est, et in figuris et in animatis, ut in quadrato quidem triangulus est, in sensitivo autem vegetativum etc. — Superius pro *Alibi* codd. W Z *Aliter*, et pro *additionem* codd. K na *adiectionem*, codd. G H L T V *adductionem*.

[5] Vers. 14. — Aliquanto superius post *istos* codd. A bb subiungunt *tres*. Inferius pro *divinam Veritatem*, quod exhibent codd. X Y bb, cod. A *Dei misericordiam et veritatem*, alii codd. et edd. *divinam voluntatem*.

[6] Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 31. m. 4. a. 1; B. Albert., hic a. 2; S. Thom., hic a. 2. quaestiunc. 3; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 3.

[7] Edd. *minus*, quae etiam mox omittunt *quanto... iuratur*. — Ratio Magistri invenitur hic c. 8. in fine.

[8] Respicitur illud Aristot., III. Topic. c. 2: Ubi unum propter alterum, utrobique tantum unum. Cfr. tom. II. pag. 639, nota 2. — Inferius edd. obiectionem seq. cum hac coniungentes substituunt *et* pro *Item*.

[9] Cfr. Gratian., C. *Moveat te*, c. 22. q. 1. § 3: Dupliciter enim reus est qui per creaturas iurat mendaciter etc.

[10] Vide hic lit. Magistri, c. 6.

[11] Cod. F *Creatorem*, Vat., verbis male transpositis, *creaturam*, et mox *per Deum* pro *per creaturam*.

[12] Edd. hic et in seqq. *habitudinaliter*..

Evangelium, quod est solemnius; responderi potest
Resp. 1. dupliciter: primo, quia non tantum fit iuramentum per *Evangelia*, sed per *Evangelia Dei;* ita quod non tantummodo conversio fit ad ipsum *habitualis* ratione sui effectus, sed etiam *actualis* in se et ad assumtam humanitatem et ad propalatam veritatem; et ideo tale iuramentum rationabiliter debet fieri cum maiori solemnitate et ampliorem inducit obligationem.
Resp. 2. — Alio modo potest dici, quod hoc accidit propter solemnitatem superadditam, quam omnes in forma illa observant.

Ad illud quod obiicitur, quod plus est contemnere duo quam unum; dicendum, quod creatura comparatione Creatoris nihil est, unde quasi nihil addit supra divinam excellentiam [1], et per hoc nec contemptus eius super contemptum Dei. *Praeterea*, non adeo contemnitur Deus in creatura, sicut contemnitur in se ipso.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *iurare per Deum, hoc est adhibere testem Deum.* Si enim hoc verum est, tunc videtur, quod forma ista iurandi: *Deus mihi testis est*, et *iuro per Deum*, non sint diversae formae iurandi.

Iuxta hoc quaeritur: cum aliquando iuremus
Quaestio 1. per hanc praepositionem *per*, aliquando per hanc praepositionem *in*, secundum quod dicit Apostolus ad Romanos nono [2]: *Veritatem dico in Christo Iesu et non mentior*, quae sit inter has differentia. — Item, quaeritur: cum in veteri Testamento iuraretur hoc modo: *Vivit Dominus*, et *hoc mihi faciat et hoc addat* [3], in primitiva vero Ecclesia hoc modo: *Testis est mihi Deus*, et in tempore moderno iuretur *per*
Quaestio 2. *Deum;* unde veniat ista formarum differentia secundum diversa tempora.

Respondeo: Dicendum, quod in forma iuramenti introducitur ipsa Veritas in testimonium. Et hoc po-
Forma quadruplex. test esse multipliciter: aut in quantum tenet rationem *principiantis* [4], et sic iuratur *per Deum*, ita quod *per* importat habitudinem *principii;* aut in quantum importat habitudinem *principiantis* et *cognoscentis*, et sic est ista forma: *Testis est mihi Deus*, sive *scit Deus* [5], quod idem est; aut in quantum importat habitudinem *retribuentis* respectu *bonorum*, et sic iuratur: *Vivit Deus*, qui vitam aliis tribuit; aut in quantum importat habitudinem *retribuentis* respectu *malorum*, et sic iuratur hac forma: *Hoc faciat mihi Deus et hoc addat.* — Et quo- Ad quaest. 2.
niam ipsa Veritas nunc manifeste adducitur ad confirmationem veritatis [6] tanquam omnis veritatis principium et exemplar; hinc est, quod in nova Lege Notandum.
dupliciter iuratur. Et quia tempore primitivae Ecclesiae Veritas nondum erat manifesta, sed indigebat maiori evidentia; hinc est, quod tenebatur tunc ista forma: *Testis est mihi Deus.* Quia vero in veteri Testamento consideratur [7] divina Veritas ut vindicans et ulciscens, quia sub ratione severitatis et aequitatis; hinc est, quod duplicem formam in veteri Testamento servabant, scilicet *vivit Deus*, et *hoc faciat mihi Deus et hoc addat.* — Et ex hoc patet praedictarum differentiarum distinctio et sufficientia et usus earum secundum diversa tempora.

Ad illud quod quaeritur: quae differentia im- Ad quaest. 1.
portatur per hanc praepositionem *per*, et per hanc praepositionem *in*? dicendum, quod *per* magis dicit ipsam Veritatem sub ratione *testificantis* et *principiantis*, haec autem praepositio *in* importat habitudinem [8] divinae Veritatis sub ratione *testificantis* et *exemplantis.* Unde secundum *rem* idem est iurare *in Deo* et *per Deum* et dicere: *Testis et mihi Deus*, licet sit differentia ex parte *modi dicendi* [9].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sine dubitatione minus malum est per deos falsos iurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter.* Sed *contra:* maius peccatum est idololatria quam periurium, sive verum, sive falsum est; idololatra [10] in iurando committit idololatriam, quia idolum veneratur per ipsum iurando: ergo qui iurat verum per falsos deos magis peccat, quam qui iurat falsum per verum Deum.

Respondeo: Dicendum, quod in iuramento illo, quo quis iurat [11] per falsos deos, duo sunt, videlicet illud *quod* asseritur, et illud, *per quod* asseritur. Respiciendo illud *quod* asseritur, sic est minus malum, et sic loquitur Augustinus [12], quia ex illa parte asseritur verum, et ex alia parte falsum. Respiciendo vero ad illud, *per quod* iuratur, maius malum est iurare verum per falsos deos, quam falsum per verum Deum; et secundum istam viam procedit obiectio [13].

---

[1] Cfr. supra d. 9. dub. 3. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. III. q. 31. m. 3. a. 3. § 2; B. Albert., hic a. 6; S. Thom., hic circa lit.; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3; Richard. a Med., hic a. 1. q. 2.

[2] Vers. 1.

[3] Iud. 8, 19; 1. Reg. 14, 44. et III. 2, 23, ubi Vulgata bis *haec* pro *hoc*. Seq. textus est Rom. 1, 9.

[4] Ita codd. A K X Z bb, alii cum edd. *praecipientis*, sed contra subnexa. Idem recurrit paulo inferius, dum circa finem dubii fere omnes codd. et edd. 1, 2 exhibent *principiantis*.

[5] Epist. II. Cor. 12, 2. et 3. Cfr. ibid. 11, 31.

[6] Edd. omittunt *veritatis*.

[7] Edd. *considerabatur*. Inferius pro *vivit Deus* cod. A *vivit Dominus*.

[8] Edd. *habitum*. Paulo superius pro *importatur* cod. X *importetur*.

[9] Vide de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 31. m. 3. a. 1. seqq.; S. Thom., hic a. 1; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1.

[10] Codd. D O bb subnectunt *autem*, edd. praemittunt *et*, quae etiam paulo inferius pro *ergo qui* substituunt *ergo si*.

[11] Cod. A *iurat verum*.

[12] In ipso textu huius dubii.

[13] Codd., excepto cod. A, et edd. 1, 2 omittunt *obiectio*, pro quo Vat. *ratio*. — Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 31. m. 3. a. 2. § 3; B. Albert., hic a. 6. ad 3; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Qui provocat hominem ad iurationem et scit, eum falsum iurare, vincit homicidam.* Contra hoc est: quia iudex sciens, aliquem iurare falsum, tenetur nihilominus ex officio ab eo exigere iuramentum: ergo videtur, quod faciendo illud, ad quod tenetur, peccat mortaliter occidendo proximum.

Respondeo: Dicendum, quod exigens iuramentum aut est persona *publica*, aut *privata*. Si *publica*; sic tenetur exigere secundum iuris ordinem, sive sciat, sive nesciat, ipsum falsum iurare, quia non imputatur sibi. Verbum autem Augustini [1] intelligitur de persona *privata*, quae non compellitur ex iuris ordine iuramentum exigere, sed ex propria voluntate.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *sancta Synodus decrevit, quod omnes fideles ieiuni ad sacramentum accedant;* appellat enim sacramentum ipsum iuramentum. Sed contra hoc *obiicitur*, quia iuramentum non est opus privilegiatum, immo potius pertinet [2] ad imperfectos quam ad perfectos: ergo non videtur, quod circa ipsum sit huiusmodi solemnitas ieiunii observanda.

Respondeo: Dicendum, quod hoc non est propter privilegium, sed magis propter periculum, quia post cibum et potum homo pronior est ad multiloquium; et ideo facilius caderet homo in periurium. — *Praeterea*, ideo institutum est, ut ieiuno stomacho fiat iuramentum, quatenus per hoc insinuetur, quod cum magna reverentia nomen divinum est in testimonium invocandum et non passim pro quacumque causa. Excipitur autem bonum pacis propter hoc, quod ipsum est maxime appetendum, et eius oppositum maxime fugiendum. Unde quia in reformando pacem mora trahit periculum ad se, propter hoc in casu isto non ita servatur ieiunium [3]. Alia ratio.

DISTINCTIO XL.

Cap. I.

Quare Lex dicitur comprimere manum, non animum.

Sextum praeceptum est [1]: *Non desiderabis uxorem proximi tui.* — Septimum est: *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam* etc. — Dubia 1. 2. Difficultas. Sed videtur praeceptum de non concupiscendis rebus proximi unum cum eo esse, quo dicitur: *Non furaberis;* et praeceptum de non concupiscenda uxore unum esse cum eo quo dicitur: *Non moechaberis.* « Poterat enim praeceptum non furandi in illa generalitate intelligi, ubi de non concupiscenda re proximi praecipitur; et in eo quod dictum est: *Non moechaberis*, poterat illud intelligi: *Non concupisces uxorem proximi tui.* Solvitur. Sed in illis duobus praeceptis non moechandi et non furandi ipsa opera notata sunt et prohibita, in his vero extremis ipsa concupiscentia [2] ». Multum ergo differunt illa ab istis. Unde illi praecepto non moechandi fit superadditio in Evangelio, ubi omnis concupiscentia moechandi prohibetur. — Sed cum hic prohibetur concupiscentia alienae uxoris et alienae rei; quare dicitur Lex comprimere *manum* et non *animum*, Evangelium vero et manum et animum? Illud de Lege dicitur secundum *caerimonialia*, non secundum *moralia;* vel quia in Lege non est generalis prohibitio omnis mortiferae concupiscentiae, ut in Evangelio. De differentia Legis et Evangelii.

Cap. II.

Quid sit littera occidens.

Si vero quaeritur, quam dicat Apostolus [3] *litteram occidentem;* « ea certe est Decalogus, qui non dicitur *littera occidens*, eo quod mala sit Lex, sed quia, prohibens peccatum, auget concupiscentiam et addit praevaricationem, nisi liberet gratia », quae gratia non sic abundabat in Lege, ut in Evangelio; vel secundum eorum carnalem intelligentiam. Lex ergo bona est, et tamen occidit sine gratia, cum sit *virtus peccati* [4]; quae iubet quod sine gratia impleri non potest. Gratia autem deerat, et ideo littera occidens erat.

Cap. III.

De Legis et Evangelii distantia.

Distat autem Evangelii littera a Legis littera; quia diversa sunt *promissa:* ibi terrena, hic caelestia promittit [5]; diversa etiam *Sacramenta*, quia illa tantum significabant, haec conferunt gratiam; *praecepta* etiam diversa quantum ad *caerimonialia;* nam quantum ad *moralia* sunt eadem, sed plenius in Evangelio continentur [6]. — Audistis decem chordas Psalterii utrique sexui impositas, quae caritate tangendae sunt, ut vitiorum ferae occidantur [7]. Dubium 3. Epilogus.

EXPLICIT LIBER TERTIUS SENTENTIARUM.

---

[1] In textu huius dubii propositum. — Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 31. m. 2. a. 6. § 2; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 7.

[2] Pro *potius pertinet* edd. *pertinet tum.*

[3] Idem dub. solvit S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Cfr. August., II. Quaestion. in Pentateuch. q. 71. n. 3. Scripturae locus est Deuter. 5, 21.

[2] August., loc. cit. De seqq. cfr. Hugo de S. Vict., Sum. Sent. tr. 4. c. 6. — Pro *hic prohibetur* edd., exceptis 1, 8, *hic prohibeatur.*

[3] Epist. II. Cor. 3, 6. — Locus seq. est August., de Spiritu et lit. c. 4. n. 6; II. contra Adversar. Legis et Proph. c. 7. n. 25; et Glossa loc. cit. — Pro *abundabat* multae edd. et cod. B *abundat;* deinde codd. A C D E et edd. 1, 3, 5, 7, 8 omittunt verba *vel secundum... intelligentiam.*

[4] Epist. I. ad Cor. 15, 56: Virtus peccati Lex.

[5] Solae edd., exceptis 1, 8, *promittuntur.*

[6] Quae praecedunt habet August., Enarrat. in Ps. 73. n. 2.

[7] August., Serm. 9. (alias 96. de Temp.) c. 9. n. 13.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XL.

De distinctione duorum praeceptorum, in quibus prohibetur duplex concupiscentia, in comparatione ad Legis et Evangelii differentiam.

Sextum praeceptum est etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra determinavit Magister de distinctione mandatorum Decalogi quantum ad praecepta primae tabulae et quantum ad praecepta secundae, quae attenduntur circa opera exteriora [1], et de obliquitatibus, quae habent cum eis oppositionem et repugnantiam. In hac vero tertia parte determinat de distinctione duorum praeceptorum, in quibus prohibet Dominus duplicem concupiscentiam, in comparatione ad Legis et Evangelii differentiam. Dividitur autem ista pars in tres particulas. In prima ponit praedictorum mandatorum distinctionem. In secunda vero, quia in praedictis mandatis Lex vetus videtur convenire cum nova, inquirit Legis et Evangelii differentiam, ibi: *Sed cum hic prohibeatur concupiscentia alienae uxoris* etc. In tertia vero breviter decem mandata praedeterminata epilogat, ibi: *Audistis decem psalterii chordas* etc. Partium autem subdivisio et sententia satis manifesta est in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam autem huius partis incidit hic quaestio de differentia novae Legis et veteris, circa quam tria quaeruntur secundum triplicem differentiam, quae consuevit assignari.

Primo quaeritur de differentia, quae assignatur penes radicem.

Secundo de differentia, quae assignatur penes effectum.

Tertio vero de differentia, quae assignatur penes exercitium sive onus annexum.

ARTICULUS UNICUS.

De differentia novae Legis et veteris.

QUAESTIO I.

De differentia utriusque Legis penes radicem.

Circa primum sic proceditur et quaeritur de differentia, quae assignatur penes radicem. Assignatur autem haec differentia penes radicem secundum Augustinum, quod Lex vetus radicabatur in timore, et Lex nova in amore. Unde Augustinus [2] dicit, quod «brevis est differentia Legis et Evangelii: timor et amor». Et cum ex multis locis Scripturae possit ista differentia trahi, maxime accipitur ex Epistola ad Romanos octavo [3], ubi dicit Apostolus: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis.*

Sed contra hoc obiicitur multipliciter:

Ad oppositum, ex comparatione radicum.

1. Primo contra distinctionem ipsarum *radicum*. «Omnis enim timor, sicut dicit Augustinus [4], ex amore procedit»: ergo si amor est radix timoris, unum ad alterum habet reduci: ergo non habent ad invicem distingui.

2. Item, cum sint aliae affectiones animae, videlicet gaudium et dolor et spes [5]; videtur, quodsi penes has affectiones duplex Lex distinguitur, quod pari ratione penes alias distingui deberet: ergo videtur, quod si penes alias non distinguitur, nec penes istas.

Ex comparatione Legum.

3. Item, si istae *duae Leges* distinguuntur penes istas duas radices; cum lex naturae sit ab istis duabus distincta, videtur, quod necessaria esset [6] tertia radix praeter istas duas. Aut si lex naturae non habet diversam radicem observantiae a Lege

---

[1] Codd. R W Y aa subnectunt *et interiora*.

[2] Contra Adimant. c. 17. n. 2: Nam haec est brevissima et apertissima differentia duorum Testamentorum, timor et amor; illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet etc. Cfr. tom. II. pag. 680, nota 2. — Permulti codd. post *brevis* omittunt *est*.

[3] Vers. 15.

[4] Libr. XIV. de Civ. Dei, c. 7. n. 2. Verba vide supra pag. 338, nota 3. — In fine arg. pro *ad invicem* edd. *ab invicem*.

[5] Cfr. supra pag. 555, nota 7, et pag. 556, nota 5.

[6] Cod. U *sit*.

Moysi, videtur, quod nec penes hoc differat Lex Moysi a Lege Evangelii.

4. Item, Deuteronomii sexto[1] dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota mente tua* etc.; et ad Philippenses secundo dicitur in Lege nova: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini.* Si ergo amor praecipitur in veteri, et timor in Lege nova; videtur, quod secundum hoc non attendatur istarum Legum differentia.

5. Item, in utraque Lege fiunt promissiones et comminationes; sed promissiones attrahunt ad amorem, comminationes vero incutiunt[2] timorem: igitur timor et amor conveniunt utrique: ergo penes haec non distinguuntur ab invicem.

6. Item, graviores comminationes fiunt in Lege nova quam in Lege veteri; quia ibi puniebatur homo poena temporali, hic autem comminatur Deus poenam aeternam[3]: si ergo maior comminatio est inductiva maioris timoris, videtur, quod timor magis deberet Legi novae quam veteri appropriari: videtur igitur, quod penes has duas radices non recte assignetur differentia Legis veteris et novae, tum per comparationem ipsarum radicum *ad invicem*, tum per comparationem ad *ipsas Leges.*

CONCLUSIO.

Lex vetus recte dicitur lex timoris, et Lex nova lex amoris.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum comparamus has Leges ad invicem, hoc potest esse dupliciter: vel secundum statum *communem*, vel habito respectu ad statum *specialis personae.* Si habito respectu ad statum *specialis personae*, sic penes haec duo non est differentia. Nam multi in Lege evangelica ducuntur spiritu timoris, multi etiam in Lege veteri ducebantur spiritu amoris. — Si vero comparemus has Leges ad invicem, habito respectu ad statum *communem;* sic, quia Lex Moysaica respiciebat statum *imperfectionis*, quia neminem *ad perfectum adduxit Lex*, secundum quod dicit Apostolus ad Hebraeos[4]; Evangelium vero respicit statum *perfectionis*, secundum quod dicitur Matthaei quinto: *Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est;* et imperfectorum est duci spiritu timoris, perfectorum vero spiritu amoris: hinc est, quod secundum statum communem penes haec duo habet harum duarum Legum differentia assignari.

Duplex comparatio Legum. Conclusio 1. Conclusio 2.

Signum autem huius differentiae deprehenditur in modo ferendi hanc duplicem Legem: quia Lex vetus data fuit cum clamore magno et timore, secundum quod dicitur Exodi decimo nono[5], ita quod populus non audebat appropinquare; Lex autem Evangelii data est cum magna benignitate et dulcedine, quoniam ipse *Rex regum*, in medio discipulorum sedens, docebat eos dicens: *Beati pauperes spiritu* etc., secundum quod scribitur Matthaei quinto[6]. Et hic diversus *modus* ferendi Legem insinuat nobis diversitatem huius duplicis *radicis* in observando, quae his duabus Legibus competebat propter diversam qualitatem personarum et status earum, ob quam oportebat diversimode manuduci. Unde sicut videmus in disciplinalibus, quod ad homines persuadibiles utendum est syllogismo *ostensivo*, qui ducit directe ad verum; ad homines vero contentiosos utendum est syllogismo *per impossibile*, qui ducit ad manifeste falsum, ut per illud reducat ad verum[7]: sic, quia in tempore Legis veteris erant homines durae cervicis et ad malum proni, Dominus proposuit comminationes et taxavit etiam graves poenas, ut per hoc inculeret eis timorem, per quem a malo revocarentur et ad bonum stimularentur; sed postmodum, apparente *benignitate et humanitate Salvatoris nostri Dei*[8], coeperunt homines esse persuadibiles: et ideo proposuit eis Dominus magnas et multas promissiones, per quarum amorem et desiderium alliceret eos ad faciendum bonum. Et propterea Lex vetus dicitur lex timoris, Lex Evangelii dicitur lex amoris, secundum testimonium Apostoli et beati Augustini.

Signum huius differentiae. Simile. Conclusio generalis.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium, quod timor radicatur in amore; dicendum, quod duplex est amor, scilicet quo amatur Deus in quantum *bonus*, et quo amatur in quantum *beneficus.* Ex primo amore oritur timor *filialis*, qui timet patrem offendere, propter hoc quod eum diligit. Ex secundo oritur timor *poenae*, quo quis timet beneficia perdere et mala poenae incurrere[9]. Primus amor et timor convenit Legi evangelicae, secundus vero amor et timor convenit Legi Moysaicae; et quo-

Solutio oppositorum. Duplex amor et timor.

[1] Vers. 5. — Seq. textus Scripturae est Phil. 2, 12, ubi pro *salutem vestram* Vulgata *vestram salutem.*

[2] Edd. *inducunt*, nonnulli codd. perperam *incurrunt.* Paulo inferius pro *conveniunt* codd. K O *communis.*

[3] Cfr. Matth. 25, 41; Hebr. 10, 29. — In fine arg. post secundum *tum* cod. A addit *etiam.*

[4] Cap. 7, 19: Nihil enim ad perfectum etc. — Seq. textus Scripturae est Matth. 5, 48: Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater etc. — De seq. proposit. cfr. supra lit. Magistri, d. XXXIV. c. 4. seqq., et ibid. Comment. p. II. per totam.

[5] Vers. 16. seqq., codd. allegant c. 20.

[6] Vers. 3. — Paulo ante respicitur I. Tim. 6, 15: Rex regum et dominus dominantium. — Superius pro *et dulcedine* cod. U *et dilectione.*

[7] Cfr. Aristot., II. Prior. c. 14; I. Elench, c. 10. (c. 11.), et II. c. 2. (c. 17.). — In seq. proposit. respicitur Act. 7, 51: Dura cervice... vos semper Spiritui S. resistitis, sicut patres vestri etc. — Aliquanto superius pro *persuadibiles* Vat. *persuasibiles;* idem recurrit aliquanto infra.

[8] Tit. 3, 4: Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei. — Ioan. 6, 45: Est scriptum in Prophetis: et erunt omnes *docibiles* Dei.

[9] Cfr. supra d. 34. p. II. a. 2. q. 3. — Superius pro *qui timet* cod. A *cum timet.* Paulo inferius ex cod. A (cod. aa a secunda manu) supplevimus *primus amor competit statui perfectionis, in quo regnat amor;* alii codd. et edd. 1, 2 legunt falso *et quoniam primus amor* [Vat. recte *secundus amor*] *convenit statui imperfectionis* etc.

niam primus amor competit statui *perfectionis*, in quo regnat amor, secundus vero statui *imperfectionis*, in quo regnat timor: hinc est, quod licet utrobique sit amor et timor, Lex Evangelii dicitur magis observari ex amore quam ex timore, Lex vero Moysi e contrario.

2. Ad illud quod obiicitur, quod aliae sunt animae affectiones; dicendum, quod etsi aliae sint, tamen istae duae sufficiunt, pro eo quod omnes aliae ad istas duas possunt reduci. Omnis enim affectio aut est respectu *boni*, aut respectu *mali;* et si respectu *boni*, reducitur ad amorem; si respectu *mali*, reducitur ad timorem. Unde istae duae affectiones dicuntur tenere principatum inter alias, quia maxime habent rationem *motivi*, una inclinando ad bonum, altera in retrahendo a malo; et propterea magis competit eis ratio radicis quam affectionibus aliis [1]. Et *si tu obiicias*, quod tunc non deberet esse nisi una radix, quia timor reducitur ad amorem; dicendum, quod *duae* dicuntur secundum *immediatam* comparationem ad suum motivum et ad actus *immediatos*, qui ab eis habent ortum. Unde ubi est radix timoris, verum est, quod est radix amoris; sed alicuius est radix immediata ipse timor, cuius non est amor ita immediate [2].

Reductio affectionum ad duas.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de lege naturae, quod deberet habere tertiam radicem; dicendum, quod lex *naturae* partim conveniebat cum lege *gratiae*, partim cum lege *scripta:* quantum ad *libertatem* cum lege *gratiae* conveniebat, quantum vero ad *imperfectionem* et obscuritatem cum lege *scripta:* et ideo secundum diversas conditiones reduci habet ad ista duo motiva, nec oportuit, quod habeat radicem tertiam [3].

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod in utraque Lege praecipitur timor et amor; dicendum, quod verum est; sed tamen Lex vetus principaliter habet [4] oculum ad timorem, Lex vero nova principaliter ad amorem; illud autem tenet in lege rationem radicis, quod principaliter movet in mandatis eius observandis.

5. Ad illud quod obiicitur, quod utrobique fiebant comminationes et promissiones; dicendum, quod in Lege veteri fiebant *promissiones* temporales, secundum quod dicitur Isaiae primo [5]: *Si volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis;* in Lege autem nova promissiones aeternae, quibus Dominus promittit semetipsum nobis in praemium. — Similiter et de *comminationibus* intelligendum est. Et quoniam illae comminationes et promissiones primae competebant statui *imperfectionis;* ideo abundantius generabant affectum timoris quam amoris; sed econtra est de promissionibus et comminationibus Legis novae. Ideo ratio illa non valet.

6. Ad illud quod obiicitur, quod maiores comminationes fiunt in Lege nova; responderi potest dupliciter: primo, quia homo carnalis et sensualis [6] magis exterretur, cum comminatur sibi poena in praesenti quam in futuro. Sicut multi latrones magis timent furari propter patibulum et suspendium quam propter infernale supplicium. Unde etsi maior sit comminatio, non tamen ita movet, quia non est adeo nota [7]. — Alio modo potest dici, quod in Lege nova non tantum est magna comminatio poenae, sed etiam abundans collatio gratiae [8], quae quidem parit amorem et confidentiam. In Lege vero veteri comminatio poenae erat, nec erat tanta collatio gratiae; ideo magis eos spiritus timoris agitabat, non propter comminationem maioris supplicii solum, sed propter comminationem supplicii et defectum adiutorii, quod consistit in desiderio boni et gratia Spiritus sancti.

Resp. 1.

Resp. 2.

SCHOLION.

1. In hac ultima distinctione Magister primo agit de duobus ultimis Decalogi praeceptis, quibus prohibetur actus interior concupiscentiae, id est, qui est separatus ab actu exteriori; de quibus breviter agit auctor noster in dubiis 1. 2. Observat autem S. Thom. (hic a. 1.), quod *interius* peccatum moechiae et furti ideo prae aliis prohibeatur, « quia etiam per se concupiscentia horum sine progressu ad actum habet quandam delectationem », scilicet per solam apprehensionem; quod in peccatis, quorum obiectum est nocumentum aliquod, ut homicidium, non ita contingit (cfr. supra d. 37. a. 2. q. 1. ad 7.).

Notatu valde dignum est hic dub. 3, ubi S. Bonav. denuo tractat celeberrimam controversiam de modo, quo Sacramenta causant gratiam, de qua ex professo iam egit IV. Sent. p. I. a. 1. q. 4. Dicit enim hic in fine: « Idcirco hic *repetii*, non propter hoc, ut nova superadderentur, sed ut ostenderetur, quod a communi positione non dissonat, cui pro viribus meis in omnibus praecedentibus libris adhaesi tanquam viae securiori » etc. Revera sapientissime ita de utraque opinione disserit, ut secundam opinionem explicando faciat prope accedere ad primam, quam sequitur S. Thomas.

---

[1] August., Enarrat. in Ps. 79, 17. n. 13: Itaque, fratres mei, ad omne recte factum amor et timor ducit; ad omne peccatum amor et timor ducit. Ut facias bene, amas Deum et times Deum; ut autem facias male, amas mundum et times mundum etc.

[2] Vide supra d. 26. a. 2. q. 1. 3. et 4.

[3] Cfr. d. 37. a. 1. q. 3. — Pro *nec oportuit* codd. A N *nec oportet*, et pro *habeat* codd. F U *habuerit.*

[4] Edd. *sed cum Lex vetus principaliter habeat.*

[5] Vers. 19. — Paulo ante verbo *promissiones* cod. M praemittit *comminationes et.* Inferius pro *quibus* edd. *in qua.* Subinde cod. A *proprie* pro *primae.*

[6] Codd. N Z *sensualis*, quod etiam, attenta abbreviatione, in plurimis aliis codd. legi potest, edd. minus bene *sensibilis.*

[7] Cfr. supra d. 34. p. II. a. 1. q. 1. ad 5.

[8] Rom. 5, 20: Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia etc. — Pro *magna comminatio poenae* edd. *comminatio poenae magnae.* Finem solut. cod. D exhibet sic: *et gratia et Spiritus S. collatione.*

II. In conclusione huius quaestionis omnes consentiunt. Circa solutionem ad 5. S. Thom. (hic a. 4. quaestiunc. 1; cfr. S. I. II. q. 99. a. 6.) specialiter quaerit: « Utrum Lex vetus promittebat tantum temporalia, vel etiam aeterna »; et resolvit, quod aeterna « non promittebantur nisi sub quibusdam figuris ». — Idem tamen in solut. ad 1. addit, quod resolutio illa non comprehendat « aliquos viros perfectos, qui ad Legem novam pertinebant ».

De ipsa 1. quaestione: Alex. Hal., Sum. p. III. q. 29. m. 1. a. 3. — Scot., hic q. unica n. 8. — S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 2; S. I. II. q. 107. a. 1. ad 2. — Petr. a Tar., hic a. 4. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 5. — De hac et 2. seqq. qq. Dionys. Carth., hic q. 2; Biel, hic q. unica.

III. Seq. (2.) quaestio ab aliis, ut a S. Thoma, sub hac formula proponitur: « Utrum Lex vetus iustificaret ». — Communi consensu explicatur locutio de Lege *occidente* hoc sensu, quod dicatur *occidens* « non quidem *effective*, sed *occasionaliter* ex sua imperfectione » (S. Thom., S. I. II. q. 98. a. 1. ad 2.); quod bene explicat S. Bonav. (hic in corp. et ad 2. 3.). — In assignandis causis iustificationis auctor noster iam praevenit doctrinam, quae postea a Concilio Trident. (Sess. VI. c. 7.) consecrata est. — Ea quae S. Bonav. in istis tribus quaest. de Lege veteri passim dicit, illustrantur his verbis Petri a Tar. (in fine III. Sent.): « Secundum Gulielmum, episcopum Parisiensem, septem erant partes veteris Legis. Prima pars erant testimonia veritatis; secunda, mandata honestatis; tertia, iudicia aequitatis; quarta, exempla sanctitatis; quinta, promissa remunerationis; sexta, comminationes punitionis; septima, caerimoniae divini cultus et honoris. Hanc domum Sapientiae, septem his aedificatam columnis (Prov. 9, 1.), adveniens Christus vacuam, ut dictum est, sua Maiestate implevit, qui est benedictus in saecula ».

De hac (2.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. 28. m. 5. a. 1. — S. Thom., hic a. 3. — B. Albert., hic a. 3. 4. — Petr. a Tar., hic a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. — Durand., hic q. 3.

IV. Ultimam quaestionem eodem modo alii Scholastici solvunt; de qua agunt: Alex. Hal., loc. cit. m. 4. a. 1. 2. — Scot., loc. cit. n. 2. seqq. — S. Thom., hic a. 4. quaestiunc. 3; S. I. II. q. 107. a. 4. — Petr. a Tar., hic a. 5. — Richard. a Med., loc. cit. ad 3.

QUAESTIO II.

De differentia secundum effectum, videlicet quod Lex vetus fuerit occidens, Lex nova sit vivificans.

Secundo quaeritur de differentia, quae assignatur penes effectum, videlicet quod Lex vetus erat lex occidens, Lex vero nova est lex vivificans, quam Magister ponit in littera [1]; et hoc accipitur ex secundae ad Corinthios tertio, ubi dicit Apostolus: *Littera occidit, spiritus autem vivificat;* et ex eo quod dicitur ad Romanos septimo, et ad Galatas secundo, et primae ad Corinthios decimo quinto: *Virtus peccati Lex.* Et ex pluribus aliis locis sumi potest ex verbis Apostoli.

Ad oppositum, contra 1. partem.

Sed contra hanc differentiam obiicitur primo ratione *primae* partis:

1. Quia dicitur ad Romanos septimo [2]: *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum et iustum;* Glossa: « *Iustum*, iustificans »; sed nihil sanctum et iustum occidit: ergo Lex non occidit.

2. Item, cum dicitur Lex occidens, aut intelligitur de Lege *servata*, aut de Lege *non servata* [3]. Si de Lege *servata*, constat, quod hoc est falsum. Si de Lege *non servata;* sed similiter Evangelium non observatum occidit, quia peccat qui non observat Legem evangelicam, sicut peccabat qui non observabat Legem scriptam: ergo Lex evangelica est lex occidens: ergo penes hoc non debet assignari differentia.

3. Item, si est Lex occidens, aut ergo per *causam*, aut per *occasionem*, aut per *ostensionem*. Si per *causam* [4]; et quod est causa spiritualis occisionis est simpliciter malum: ergo Lex mala est: verum ergo dixit Manichaeus, quod Lex vetus fuit a malo deo. Si per *occasionem* [5]: cum ergo frequenter homo sumit occasionem peccandi de virtutibus et bonis operibus, de quibus superbit; tunc ergo virtus et bona operatio debent dici *occidere*, quod omnino absurdum est. Si per *ostensionem*, quia ostendit peccati morbum [6]: ergo cum Evangelium similiter ostendat peccati morbum, tunc Evangelium debet dici lex occidens: ergo penes hoc nulla est differentia.

Contra 2. partem.

Item, obiicitur contra *secundam* partem differentiae, qua dicitur, quod Evangelium est lex iustificans.

4. Lex enim consistit in doctrina [7]; sed iustificatio consistit in gratia: ergo videtur, quod iustificatio nihil pertineat ad Legem evangelicam.

5. Item, si Evangelium dicitur iustificare, aut

---

[1] Hic c. 2. — Primus textus Scripturae est II. Cor. 3, 6. secundus Rom. 7, 6: Nunc autem soluti sumus a Lege mortis etc. Tertius est Gal. 2, 16. seqq.: Scientes autem, quod non iustificatur homo ex operibus Legis etc. Quartus est I. Cor. 15, 56: Virtus vero peccati Lex. Cfr. Rom. 7, 11: Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit. Ibid. 8, 2: Lex enim spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a Lege peccati et mortis. — Mox pro *et hoc* edd. cum uno alteroque cod. *et haec.*

[2] Vers. 12. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, integre sic sonat: *Sanctum*, in se; *et iustum*, id est iustificans peccatorem; *et bonum*, id est utile, acquirens vitam. Cfr. Haymo, in hunc locum: Lex sancta, iusta et bona est; quia sanctitatem, iustitiam, bonitatem praedicat et observatores suos sanctos, iustos et bonos facit.

[3] Codd. K L *Lege observata... non observata.*

[4] Petr. Lombard. super illud Rom. 7, 6: *Nunc autem soluti sumus a Lege mortis*, refert hanc Glossam: *Nunc autem*, cum sumus Christi, *soluti sumus*, remissis peccatis, *a Lege* quae est causa *mortis*, id est peccati. Aucta est enim concupiscentia [secundum August., 83 Qq. q. 66. n. 2.], cum Lex prohiberet, ubi non erat fides etc. — De opinione Manichaeorum cfr. supra pag. 867, nota 11. — Pro *et quod* cod. K *sed quod.*

[5] Rom. 7, 11: Nam peccatum, occasione accepta per mandatum etc. Cfr. ibid. v. 8.

[6] Rom. 7, 7: Sed peccatum non cognovi nisi per Legem etc. Cfr. ibid. 3, 20, et August., de Spiritu et lit. c. 5. n. 8. — Inferius pro *debet dici* cod. A *dicitur.*

[7] Rom. 15, 4: Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. — Superius pro *iustificans* codd. A N *vivificans*, cod. F *iustificans vel vivificans.*

sua *instructione*, aut sua *observatione*, aut *alio modo*. Sua *instructione* non; multi enim Evangelium audiunt et non iustificantur. *Non enim auditores Legis, sed factores iusti sunt apud Deum*, sicut dicitur ad Romanos secundo [1]. Si sua *observatione;* sed similiter Lex vetus iustificabat, secundum quod dicitur Matthaei decimo nono: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* et Beda dicit, quod « iustitia Legis suo tempore custodita non solum temporalia, sed etiam aeterna bona conferebat ».

6. Item, Lex Evangelii consistit in praeceptis et consiliis; sed pracepta et consilia consistunt in operibus bonis, iustitia autem non causatur in nobis ex operibus bonis, immo magis e converso [2]: non videtur ergo, quod effectus Legis evangelicae aliquo modo sit iustificatio.

CONCLUSIO.

Lex nova iure dicitur vivificans, quia triplici modo iustificat; Lex vero vetus, secundum litteralem *tantum sensum observata, dicitur occidens per occasionem, non per causam.*

Iustificare dicitur 4 modis.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod multipliciter dicitur aliquid *iustificare* sive iustificans: uno modo *effective;* et sic solus *Deus* dicitur iustificare. Alio modo *formaliter;* et sic *gratia* dicitur iustificare, quae informat ipsam animam, expellendo obliquitatem culpae et dando rectitudinem iustitiae [3]. Tertio modo dicitur aliquid *iustificans* non solum in *habitu*, verum etiam in *effectu;* et sic caritas iustificat, sive *fides, quae per caritatem operatur* [4]. Quarto modo dicitur aliquid *iustificans* in ipsius *iustitiae exercitatione* et usu; et hoc modo mandata Dei, in quibus iustitia exercetur, iustificare dicuntur, quando modo debito observantur [5].

Tria in Lege.

His praesuppositis, intelligendum est, quod in Lege *veteri* tria erant consideranda, similiter et in Lege *nova*, videlicet *moventia*, et ista erant promissa; *dirigentia*, et ista erant praecepta; *adiuvantia*, et ista erant Sacramenta: quia, secundum quod dicit Hugo [6], «Sacramenta sunt adiutoria, ut per praecepta veniatur ad promissa ». — Similiter haec tria sunt in Lege *evangelica*, sed differenter: quia in Lege *nova* secundum primam faciem ista omnia sunt *spiritualia*, quia *promissa* sunt aeterna, *praecepta* sunt spiritualia, et *Sacramenta* sanctificantia; et ita *promissa* excitant hominem ad amorem aeternorum, qui est amor caritatis; *praecepta* dirigunt sufficienter in via morum, docendo vitare omne peccatum; *Sacramenta* sanant animam a vulneribus peccatorum. Et sic Legi evangelicae competit iustificare secundum triplicem modum, videlicet *formaliter* ratione gratiae sacramentalis, et in *effectu* ratione amoris spiritualis, et in *exercitio* ratione multiplicis boni operis, ad quod dirigitur homo per consilia et praecepta [7].

Item in Evangelio.

Conclusio 1.

Duplex modus observandi Legem.

Conclusio 2.

In Lege autem *veteri* erat aliter haec tria considerare: quoniam Lex vetus dupliciter potest observari et intelligi, videlicet secundum intellectum *spiritualem;* et sic quodam modo concordat cum Lege evangelica, et qui spiritualiter Legem observabant viri evangelici erant, quia Lex praegnans erat Evangelio [8]. Alio modo potest observari secundum intellectum *litteralem;* et sic ab Evangelio distinguitur secundum tria praedicta, quia in Lege erant *promissa* temporalia et *praecepta* exterius regulantia et *Sacramenta* figuralia; et sic ratione *promissorum* non excitabatur homo ad amorem spiritualem, ratione *praeceptorum* non dirigebatur ad iustitiam interiorem, ratione *Sacramentorum* non adiuvabatur, ut posset faciliter Legem ipsam implere: et ideo deerat sibi iustificatio [9]. Et quia erat ibi ostensio culpae, et non aderat adiutorium gratiae; dabatur per consequens *occasio* ipsi concupiscentiae, ut traheret ad mortem; et ideo Lex Moysaica secundum litteralem sensum dicitur lex occidens per *occasionem*, non per *causam*. Et hoc ipsum dicit textus

Conclusio 3.

---

[1] Vers. 13. — Seq. textus est Matth. 19, 17. — Verba Bedae, in Marc. 10, 18, sunt: Notandum sane, quod iustitia... non solum bona terrae, verum etiam suis cultoribus vitam conferebat aeternam.

[2] Cfr. Rom. 3, 24. seqq. et 4, 2. seqq. Petr. Lombard., in Rom. 3, 27. seq.: Non enim ex ipsis [operibus] est iustitia, sed ipsa sunt ex iustitia; ideoque non iustitiam operum, sed opera iustitiae dicimus. Vide etiam supra pag. 388, nota 2. — In fine arg. pro *iustificatio* cod. Z *iustificare*.

[3] Hunc duplicem modum iustificationis insinuat August., Epist. 185. (alias 50.) c. 9. n. 37: Iustus enim et iustificans non est nisi Deus. Et ibid. n. 40: Dominus itaque Christus et iustus est et iustificans; nos autem iustificati gratis per gratiam ipsius. Cfr. II. Sent. d. 26. q. 2.

[4] Gal. 5, 6. Vide supra lit. Magistri, d. XXIII. c. 3. seq.

[5] August., Enarrat. in Ps. 118. serm. 6. n. 1: Iustificationes enim sunt non dicta, sed facta iustitiae, opera scilicet iustorum, quae imperat Deus. Ideo autem Dei dicuntur, quamvis a nobis fiant, quia, nisi ipso donante, non fiunt. — Superius pro *exercitatione* (cfr. Ps. 118, 23: Servus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis) cod. A *exsecutione*. Inferius pro *erant consideranda* edd. *sunt consideranda*.

[6] Libr. I. de Sacram. p. XII. c. 4.

[7] August., Enarrat. in Ps. 129, 4. n. 3: Illa [Lex vetus] timoris fuit, est alia lex caritatis. Lex caritatis dat veniam peccatis, delet praeterita, admonet de futuris, in via non deserit comitem, comes fit ei quem ducit in via. — Aliquanto superius pro *sanant animam* cod. aa *sanant hominem*.

[8] August., Serm. 25. (alias 19. de Diversis) c. 2. n. 2: *Spiritualiter* intellecta [Lex vetus], Evangelium est. Et Serm. 130. n. 1: Lex vetus hordeum est ad evangelicum triticum. Magna in illis libris de Christo mysteria continentur. Unde ait ipse: *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit* (Ioan. 5, 46.). Sed quomodo in hordeo medulla sub palea latet, sic in velamento mysteriorum Legis latet Christus. Cfr. XV. contra Faustum, c. 2.

[9] Cfr. August., de Spiritu et lit. c. 4. n. 6. seqq., et Isidor., II. Differentiar. c. 33. n. 123. seqq. — Pro *faciliter* cod. Z *facilius*.

ad Romanos septimo [1]: *Peccatum per mandatum, occasione accepta, seduxit me et per illud occidit.* Ibi Glossa: « Ex prohibitione namque, ubi caritas deficit, desiderium mali crescit, quo aucto, dulcius fit quod prohibetur, et ita peccatum fallit dulcedine falsa; et ita per mandatum occidit, quia reatus praevaricationis accessit. Gladio ergo, quem portabas, te inimicus occidit, armis tuis te interemit ». Unde sicut, cum quis armatus portat cultellum, ut se defendat, per quem ab inimico occiditur, illa cultelli portatione dicitur occidi non per *causam*, sed per *occasionem;* sic intelligendum est in Lege. Et sic patet intellectus praedictae differentiae.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud vero quod obiicitur, quod Lex sancta et mandatum sanctum et iustum, id est iustificans; dicendum, quod hoc verum est, quia Lex iuncta est gratiae adiutrici; verum est etiam, quantum est *de se* et de principali intentione legislatoris; nihil tamen prohibet *ex accidenti* et *per occasionem* inducere oppositum: sicut cultellus secundum principalem intentionem ferentis est armatura defensionis, et tamen occasionaliter contingit, quod sit instrumentum occisionis ipsius portantis [2].

2. Ad illud quod obiicitur, utrum Lex occidat observata, vel non observata; dicendum, quod *non observata.* Et *si obiiciat,* quod similiter Evangelium non observatum occidit; dicendum, quod non est

Notandum.

simile hinc et inde: quia Lex secum portat onus et non habet annexum adiutorium secundum suum *litteralem* sensum. Evangelium vero de se adiutorium habet ipsius gratiae; et ita non praebet mortis occasionem, quia gratia minuit concupiscentiam, quae suo vigore in servitutem peccati captivabat, secundum quod dicit Apostolus ad Romanos septimo [3]: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in servitutem peccati;* et post exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.*

3. Ad illud quod obiicitur, quod Lex non potest [4] dici occidere per occasionem, quia tunc similiter bona opera et virtutes dicerentur occidere; dicendum, quod non est simile: quia bona opera, quantum est *de se,* non efferunt, sed potius humiliant et in gratia servant; Lex vero per se ipsam onerabat, et in hoc, quod manifestabat peccatum et non dabat gratiae adiutorium, *occasionem* dabat intensionis libidinis et aggravationis contemptus. Unde

Notandum.

quod dicatur esse *occasio* peccati, hoc non solum est ratione *positionis,* sed etiam ratione *defectus.* — Et *si tu obiicias,* quod qualitercumque occideret, non debebat Dominus dare Legem, cum quaerat nostram salutem; dicendum, quod Dominus in latione Legis, etsi daret eam *carnalibus* ad confringendam eorum duritiam, ut quodam modo manuducerentur ad gratiam recognoscendo infirmitatem suam [5], principaliter tamen dabat eam propter *spiritualiter intelligentes,* qui salvabantur et merebantur in ipsius Legis observatione. Deus enim praeponderat salvationem unius

Notandum.

iusti damnationi multorum impiorum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod cum Lex Evangelii spectet ad doctrinam, non iustificabat [6]; dicendum, quod Lex Evangelii non dicitur *iustificare,* prout legitur et cognoscitur, sed prout in opere servatur et secundum eam vivitur; hoc autem fit per

Notandum.

Sacramentorum susceptionem, *aeternorum* exspectationem et *mandatorum* impletionem; et secundum hoc assequitur plenam iustificationem. Et ideo ratio illa non valet.

5. Ad illud vero quod obiicitur, quod sicut Lex evangelica observata iustificat, ita Lex Moysaica, sicut dicit Beda; dicendum, quod Beda intelligit non de observantia *litterali,* sed de observantia *spirituali,* secundum quam Lex conformis erat Evangelio. Nos autem dicimus, Legem *occidentem* esse secundum observantiam *litteralem,* quae respiciebat ipsam communitatem, sicut praedictum est.

6. Ad illud quod obiicitur, quod Lex evangelica attenditur in praeceptis, quae respiciunt opera; dicendum, quod non tantummodo Lex Evangelii

Notandum.

claudit in se *praecepta,* immo claudit in se *promissa* et *Sacramenta,* et magis dicitur *iustificare* ratione *Sacramentorum* quam ratione *praeceptorum.* Nihilominus tamen ratione *praeceptorum* potest dici

---

[1] Vers. 11. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, delibata est, ultima propositione excepta, ex August., I. de Diversis Quaest. ad Simplic. q. 1. n. 5. Cfr. 83 Qq. q. 66. n. 5, et Expos. proposit. ex Epist. ad Rom. n. 39. — Pro *accessit* codd. G K Y *accrescit.*

[2] Hieron., Epist. 121. (alias 151.) c. 8: Quomodo medicina non est causa mortis, si ostendat venena mortifera, licet his mali homines abutantur ad mortem, et vel se interficiant, vel insidientur inimicis; sic Lex data est, ut peccatorum venena monstret... Quodsi subintrante Lege... vitio nostro et incontinentia feramur contra scita legalia, videtur Lex causa esse peccati, quae, dum prohibet concupiscentiam, quodam modo eam inflammare cognoscitur etc. Cfr. August., XV. contra Faustum, c. 8, et XIX. c. 7. — Circa initium solut. pro *quia Lex* codd. H Z bb planius *quando Lex.*

[3] Vers. 23, ubi Vulgata *in lege peccati* pro *in servitutem peccati.* — Seq. textus est ibid. v. 24. seq. — Isidor., II. Different. c. 33. n. 123: Inter Legem et Evangelium hoc interest, quod in Lege littera est, in Evangelio gratia. Et ibid. n. 128: Nam praecepta legalia, quae illi populo data sunt, comparatione meliorum etiam non bona dicuntur, quia quae praecipiunt non perficiunt; gratia vero Evangelii quod exterius imperat interius ut perficiatur iuvat. Ezechielis etiam testimonio (20, 25.) dicitur: *Dedi eis praecepta non bona.*

[4] Edd. *debet.* Inferius pro *servant* cod. A *conservant.*

[5] Quam rationem insinuat August., Epist. 145. (alias 144.) n. 3; Epist. 196. (alias 200.) c. 2. n. 5. seq., et de Spiritu et lit. c. 9. n. 15. — Superius pro *confringendam* edd. cum pluribus codd. *constringendam,* cod. V. *conscindendam.* Subinde pro *duritiam, ut* cod. A *malitiam duritiae et.* Inferius pro *qui salvabantur et merebantur* cod. U *qui salvarentur et mererentur.* In fine solut. pro *impiorum* cod. K *peccatorum.*

[6] Edd. *quod ideo non iustificet.* Inferius pro *servatur* cod. A *observatur.*

iustificare quarto modo iustificandi, videlicet quantum ad *exercitationem et usum iustitiae*, non autem quantum ad *iustitiae infusionem*. — Et sic patet, quomodo intelligenda est ista differentia, quod Lex Moysaica est *occidens*, et Lex evangelica est *vivificans*; patet etiam, qualiter haec dicitur [1] *iustificare*, et illa *occidere*.

QUAESTIO III.

De differentia utriusque Legis quantum ad onus annexum, videlicet quod Lex sit lex gravitatis, Evangelium vero lex suavitatis.

Tertio quaeritur de differentia Legis et Evangelii quantum ad onus annexum. Dicitur enim Lex Moysaica esse lex gravitatis, et Lex evangelica dicitur esse lex suavitatis. Et ista differentia trahitur ex undecimo [2] Matthaei: *Iugum enim meum suave est, et onus meum leve;* et decimo quinto Actuum dicit beatus Petrus: Hoc est onus, *quod neque nos neque patres nostri portare potuimus.* Contra istam differentiam opponitur sic:

Ad oppositum; contra 1. partem.

1. In prima Canonica Ioannis [3] dicitur: *Mandata eius gravia non sunt:* ergo si Lex vetus continet mandata Dei, videtur, quod non sit onerosa nec gravis.

2. Item, ad Romanos decimo tertio [4]: *Qui diligit proximum Legem implevit;* sed hoc est valde facile, cum sit omnino in cordis nostri potestate: ergo facile fuit observare Legem: ergo Lex illa debet dici lex facilitatis, non gravitatis.

3. Item, si Lex Moysaica dicitur esse lex gravitatis, aut hoc dicitur respectu hominis *virtuosi*, aut respectu *peccatoris* et iniusti. Si respectu *virtuosi;* contra: qui virtuosus est caritatem habet et amat, et omnia facilia sunt amanti [5]. Si respectu *peccatoris;* sed respectu talis Lex Evangelii non tantummodo est gravis, immo omnino importabilis: ergo non videtur, quod penes gravitatem debeat differentia Legis novae et veteris assignari.

Item, obiicitur contra *secundam* partem differentiae:

Contra 2. partem.

4. Quia « ars et virtus circa difficilia [6] »: ergo ubi maior est virtus, ibi maior debet esse difficultas; sed perfectioris virtutis sunt homines in Lege nova quam in veteri: ergo videtur, quod Lex nova debeat esse maioris gravitatis et difficultatis.

5. Item, difficilius est cohibere manum et animum quam manum tantum; sed Evangelium cohibet manum et animum, Lex vero manum tantum [7]: ergo maioris difficultatis est Lex evangelica quam Lex Moysaica.

6. Item, quod apponit ad alterum est illo difficilius; sed Lex Evangelii se habet ex additione ad Legem veterem, sicut patet ex quinto [8] Matthaei: ergo maior est gravitas et difficultas in Lege Evangelii quam in Lege veteri: ergo nulla est praedicta differentia.

CONCLUSIO.

Licet Lex evangelica quoad arduitatem praeceptorum sit gravior Lege veteri, iure tamen dicitur lex suavitatis, haec vero lex gravitatis.

Triplex comparatio.

Conclusio 1.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod de his duabus Legibus est loqui tripliciter: aut ratione *praeceptorum obligantium*, aut ratione *affectionum moventium*, aut ratione *Sacramentorum adiuvantium*. Si ratione *praeceptorum obligantium;* sic se habent sicut excedentia et excessa. Nam quantum ad *numerum* Lex [9] erat gravior propter multitudinem iudicialium et caerimonialium; quantum vero ad *perfectionem* et *arduitatem* gravius et difficilius est Evangelium, sicut difficilius est vivere secundum exigentiam perfectionis quam secundum sufficientiam iuris communis [10]. Et sic

---

[1] Cod. U *dicatur*. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[2] Vers. 30. — Seq. textus est Act. 15, 10: Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque etc.

[3] Cap. 5, 3.

[4] Vers. 8. — Paulo inferius pro *cordis nostri* non pauci codd. cum edd. 1, 2 *cordis sui*, cod. Z tantum *cordis*.

[5] Bernard.; Serm. 1. in Dom. Palmarum, n. 2: Amanti nil difficile est. August. in Ioan. Evang. tr. 48. n. 4: Nostis enim, quoniam qui amat non laborat. Omnis enim labor non amantibus gravis est. Serm. 70. (alias 9. de verbis Domini) c. 3. n. 3: Omnia enim saeva et immania prorsus facilia et prope nulla efficit amor.

[6] Secundum Aristot., cfr. supra pag. 488, nota 4.

[7] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. Vide etiam Guliel. Antissiodor., S. p. IV. tr. 1. c. 2, ubi hunc loquendi modum tribuit Augustino. Alex. Hal., S. p. III. q. 56. m. 6. a. 2. § 4, allegat Glossam super illud Phil. 3, 9: *Iustitia, quae ex fide est:* Iustitia non vera, quae ex Lege est, quae manus comprimit, non animum, quae timore, non amore servire facit. B. Albert., hic a. 3, affert Glossam super Exod. 20, 17. Sed Strabus et Lyranus neque hanc neque illam Glossam exhibent. Invenitur autem hic loquendi modus tum in Comment. super Psalmos, qui est inter opera Bedae, tum apud Haym. in Ps. 18, 8.

[8] Vers. 21. seqq. — Cfr. supra pag. 821, nota 4.

[9] Codd. K Z addunt *vetus*, et post *gravior* cod. A adiicit *videlicet*.

[10] Matth. 7, 14: Quam angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam. — De perfectione *sufficientiae* etc. cfr. supra d. 30. q. 3. in corp. — Cod. Z pro *secundum sufficientiam*, substituit *secundum exigentiam*.

quodam modo ratione oneris praeceptorum excedit Lex, in difficultate quodam modo Evangelium. — Alio modo est comparare istas duas Leges ad invicem ratione *affectionum moventium;* et sic levius est Evangelium, quia, cum in observantia Legis evangelicae moveat *amor* — qui alleviat onus et non sentit laborem, sicut dicit Bernardus [1]; sed potius delectationem in eo quod facit — ratione affectionis moventis Lex evangelica est facilis et suavis. Sed econtra, affectio movens ad observantiam Legis Moysaicae *timor* erat; et illi timori iuncta erat gravis punitio, quod significatum est Exodi decimo septimo [2], ubi dicitur, quod *manus Moysi erant graves.* Et quia *timor* de se *poenam habet* et exterius iunctus erat poenae; hinc est, quod quantum ad hoc Lex Moysaica multo gravior erat quam evangelica. — Tertio modo est istas Leges comparare ad invicem ratione *Sacramentorum adiuvantium;* et sic multo levior est Lex evangelica quam Moysaica, quia Sacramenta illius Legis multum habebant ponderis et parum habebant de efficacia virtutis; econtra est in Sacramentis novae Legis, quia parvam habent difficultatem et multam habent utilitatem [3]. Hinc est, quod secundum hanc comparationem Lex nova non tantummodo dicitur *levior* Lege Moysaica, immo dicitur *iugum levitatis*, et illa dicitur *onus gravitatis.* — Unde concedendum est, praedictam differentiam esse recte assignatam.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

1. Ad illud vero quod primo obiicitur in contrarium de auctoritate Ioannis, dicendum, quod dupliciter est loqui de ipsis mandatis: aut per comparationem ad naturam *sanam,* aut per comparationem ad *infirmam.* Si per comparationem ad naturam *sanam;* sic dicit, mandata eius non esse gravia, quia sunt naturae consona. Si autem per comparationem ad naturam *infirmam*, quae habet difficultatem ad bonum et pronitatem ad malum; sic mandata eius et gravia sunt et difficilia; et quantum ad hanc viam, videlicet per comparationem ad naturam *infirmam* et *lapsam*, assignatur praedicta differentia [4].

Solutio oppositorum. Distinctio.

2. Ad illud quod obiicitur, quod qui diligit proximum Legem implevit; dicendum, quod *Lex* arctatur ibi ad mandata *Decalogi*, quae spectant ad secundam tabulam, secundum quod ipse Apostolus explanat [5]. Unde in hoc non clauduntur *caerimonialia* et *iudicialia*, maxime illa quae ad proximum non ordinant; et illa quidem observare est satis difficile: et ideo non sequitur, quodsi facile sit proximum diligere, quod propter hoc facile sit observare totam Legem. — *Praeterea,* alius defectus est ibi: quia, licet facile sit diligere proximum ei qui ducitur *amore;* ei tamen qui regitur *servili timore*, valde est difficile, quod diligat proximum sicut se et in nullo proximum laedat, tunc potissime, quando ab eo laeditur et gravatur [6].

Alius defectus.

3. Ad illud quod quaeritur, utrum dicatur Lex gravis homini virtuoso, vel non virtuoso; dicendum, quod intelligitur de homine *virtuoso*, cui etiam difficilia sunt opera et praecepta illa *caerimonialia*, sicut *baptismata calicum et urceorum* [7], et vitatio immunditiarum carnalium, in quibus potius consistit iustitiae *significatio* quam *exercitatio.* Unde quod dicitur, quod virtus reddit opus facile; hoc est verum quantum ad *proprium actum.* — Aliter potest dici, quod dupliciter est loqui de homine virtuoso: aut quantum ad *profectum in bono*, aut quantum ad *statum perfectionis.* Licet autem quantum ad *statum perfectionis* efficiantur sibi omnia facilia, tamen quantum ad *profectum* multa sunt ipsi homini habenti virtutem difficilia, et hoc ratione defectus ipsius naturae corruptae, cui difficile est cooperari virtuti et gratiae, nisi fulciatur magno iuvamine.

Notandum. Alia solutio cum distinctione.

4. Ad illud quod obiicitur, quod ars et virtus est circa difficile; dicendum, quod hoc est verum de difficili, secundum quod sonat in *perfectionem arduitatis,* non autem, secundum quod sonat in *onus gravitatis et laboris.* Et ideo non sequitur, quod Evangelium sit difficilius, quamvis sit in eo perfectius virtutis exercitium. — *Praeterea*, quod [8] dicitur virtus esse circa difficile, hoc est circa difficile ipsi

Alia ratio.

---

[1] Serm. in Cantic. serm. 85. n. 8: Ubi autem amor est, labor non est, sed sapor. Cfr. de Natura et dignitate amoris (inter opera Bernardi), c. 5. n. 12. et infra pag. 892, nota 2. — De hac differentia Legis et Evangelii vide supra q. 1. — Superius pro *in observantia* codd. H U Z (N aa a secunda manu) *ad observantiam*, nonnulli codd. *observantia*, edd. 1, 2 *observatio*, quae etiam subinde cum Vat. substituunt *moveatur* pro *moveat.*

[2] Vers. 12. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 8, haec verba exponens dicit: Moyses quippe sedit in lapide, cum Lex requievit in Ecclesia. Sed haec eadem Lex *manus graves* habuit, quia peccantes quosque non misericorditer pertulit, sed severa districtione percussit. — Seq. locus Scripturae est I. Ioan. 4, 18.

[3] August., XIX. contra Faustum, c. 13, de Sacramentis novae Legis dicit, quod sint « virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam iustitia fidei revelata » etc. Cfr. infra dub. 3, et IV. Sent. d. 1. p. 1. q. 4. seq. — Superius post *levior est* in cod. A additur *adhuc.* Idem cod. A circa finem corp. *iugum suavitatis et levitatis* pro *iugum levitatis.*

[4] Bernard., de Praecepto et dispens. c. 10. n. 23: Non potest portare caro infirma quod solus spiritus promptus experitur, *iugum esse suave et onus leve.* Christi quippe iugum et onus est et omnino importabile, nisi Christi aeque spiritui... Mandatum quidem sanctum et iustum, sed tu te noris esse carnalem, venumdatum sub peccato (Rom. 7, 12. 14.). Cfr. Epist. 462. (alias 385.) n. 4, et August., Serm. 70. (alias 9. de Verbis Domini) c. 2. n. 2.

[5] Vide supra pag. 827, nota 6. — Paulo inferius post *in hoc* cod. K supplet *verbo.*

[6] Cfr. II. Sent. d. 28. a. 1. q. 3. ad 2.

[7] Marc. 7, 8. — De lege immunditiae cfr. Levit. 5, 2 seq., et c. 11. seqq. Explicationem vide apud Alex. Hal., S. p. III. q. 54. et 55.

[8] Codd. A G *cum.* Paulo inferius pro *circa difficile ipsi naturae* cod. U *respectu ipsius naturae.*

naturae privatae virtute, non autem respectu ipsius naturae informatae et elevatae per gratiam et virtutem, per quem quidem modum in Lege Evangelii elevatur.

5. Ad illud quod obiicitur, quod difficilius est cohibere manum et animum quam manum tantum; dicendum, quod verum est, quantum est de genere operis et respectu hominis non habentis caritatem; sed in Lege nova his qui volunt eam servare et custodire, datur gratia et caritas, quae ita reddit facilem ad refrenandum animum, sicut timor reddebat ad refrenandum manum [1].

6. Ad illud quod obiicitur, quod Lex Evangelii se habet per additionem ad Legem veterem; dicendum, quod additiones illae, quae sunt in Lege nova faciunt ad caritatis cumulum; et quia, secundum quod caritas augetur, secundum hoc alleviatur pondus: hinc est, quod additiones illae potius alleviant quam gravant. Non enim omnia addita aggravant, Notandum. sed quaedam alleviant, sicut *pennae* in avibus [2] et *rotae* in curribus et *vela* in navibus, quia sine istis multo graviores sunt. Per hunc modum intelligendum est in additione facta in Evangelio, quae quidem facit ad caritatis profectum, cuius est nos sursum levare ad modum *pennae*, ad bona opera continue ordinare et movere ad modum *rotae*, per aquas tentationum et tribulationum traducere ad modum *veli*; et ille solus, qui hanc caritatem habet, spectat ad Legem Evangelii, quam multo melius et utilius est desiderare, quam habere omne donum scientiae et prophetiae; quia *qui addit scientiam addit onus et dolorem* [3], qui vero caritatem addit et multiplicat sibi meritum et consolationem [4]. Notandum.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt quaestiones circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit, quod *sextum praeceptum est: Non concupisces uxorem proximi tui.* Si enim prius est concupiscere quam moechari, videtur, quod illud mandatum non deberet sexto loco, immo tertio loco poni inter praecepta secundae tabulae. — Item, nihil debet praecipi, nisi quod est in nostra potestate [5]; sed natura, quamdiu corrupta est, habet pronitatem concupiscendi: ergo videtur, quod concupiscentia non debeat in Decalogo prohiberi. — Item, sicut contingit concupiscere uxorem hominis, ita etiam contingit concupiscere filiam et concubinam: ergo non videtur, quod in mandato illo sufficienter prohibeatur carnis concupiscentia.

Respondeo: Dicendum, quod moechia se habet ex additione ad concupiscentiam, quia *moechari* est in corde et opere, *concupiscere* est in corde. Et quia prohibitio dicit negationem utriusque; et negationes se habent e contrario affirmationibus [6]: ideo prohibitio concupiscentiae addit supra prohibitionem moechiae; et generaliter prohibitio peccati cordis addit supra prohibitionem peccati operis. Plus enim est prohibere peccatum cordis quam peccatum operis, quia peccatum operis praesupponit peccatum cordis. Et ideo ista duo mandata, in quibus prohibetur concupiscentia, ultimo loco sunt ordinata [7]. — Et per hoc patet responsio ad illud quod primo obiicitur. Notandum.

Ad illud quod obiicitur, quod nihil debet praecipi, quod non est in nostra potestate; dicendum, quod est concupiscentia, quae consistit in *sensualitate*, et est concupiscentia, quae est in *consensu rationis* progressivo ad opus. Prima est peccatum *veniale* nec *prohibetur*, sed *cohibetur* [8]. Secunda vero est peccatum *mortale* et *prohibetur*, in quantum est progressiva ad opus. Unde istius mandati explicatio et intellectus insinuatur decimo octavo [9] Duplex concupiscentia.

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 28. a. 1. q. 3. — Pro *refrenandum animum* cod. U *retrahendum manum et animum.* In initio solut. pro *cohibere* multi codd. *prohibere.*

[2] August., Enarrat. in Ps. 59. n. 8: Iugum enim meum lene est et sarcina mea levis est. Alia sarcina premit et aggravat te, Christi autem sarcina sublevat te; alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet. Nam et avi, si pennas detrahas, quasi onus tollis, et quo magis onus abstulisti, eo magis in terra remanebit. Quam exonerare voluisti; iacet; non volat, quia tulisti onus; redeat onus, et volat. Talis est Christi sarcina etc. Idem docet Bernard., Epist. 72. n. 2, ubi etiam exemplum de quadriga affert: Quid et de quadriga dicam? Haec nimirum, admota iumento, sarcinam, quae ab ipso moveri non poterat, auget quidem, sed portabiliorem facit. Onus oneri additur, et minus onerat. Sic et oneri gravissimo Legis accedens quadriga Evangelii et auxit perfectionem et difficultatem minuit etc. Cfr. Epist. 385. (alias 341.) n. 3, et de Natura et dignitate amoris (inter opera Bernardi), c. 5. n. 12. — Paulo superius verbis *additiones illae* cod. A addit *quae sunt in Lege.*

[3] Eccle. 1, 18, ubi Vulgata, quam Vat. cum edd. 1, 2 sequitur: Qui addit scientiam addit et laborem. — Inferius pro *meritum* cod. U *virtutem.* In fine edd. 1, 2 addunt ex Eccle. 1, 8: Cunctae namque res difficiles, non potest eas homo explicare sermone. — Edd. hic subiungunt conclusionem, quam nos cum codd. ultimo dubio annectimus, quae incipit a verbis: Sufficit enim scire etc.

[4] Vide scholion ad 1. quaestionem.

[5] Cfr. supra pag. 815, nota 6. — *Minor* insinuatur Gen. 8, 21: Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Cfr. Rom. 7, 18. seqq.; et Gal. 5, 17. — Inferius pro *debeat* codd. *debet.*

[6] Vide supra pag. 853, nota 4. — Pro *et negationes* edd. *quia negationes.*

[7] Cfr. supra d. 37. a. 2. q. 2.

[8] Vide supra d. 38. q. 4. ad 2. — Paulo ante pro *quae est* cod. K *quae consistit.*

[9] Vers. 30. — August., Serm. 154. (alias 5. de Verbis Apostoli) c. 6. n. 8: Aliud est enim *non concupiscere*, aliud *post concupiscentias suas non ire.* Non concupiscere omnino perfecti est; post concupiscentias suas non ire pugnantis est, luctantis est, laborantis est. Cfr. Serm. 151. (alias 45. de Tempore) c. 3. n. 3.

Ecclesiastici, ubi dicitur: *Fili, post concupiscentias tuas non eas;* ubi simpliciter non prohibetur *concupiscere*, sed *post concupiscentias ambulare* consentiendo et in actum progrediendo.

Ad illud quod obiicitur de concupiscentia filiae et concubinae, dicendum, quod filia et concubina Distinctio. dupliciter potest concupisci: aut in *possessionem*, ut redigatur in servitutem et famulatum, aut ad *operis carnalis consummationem*. Et primum prohibetur per septimum praeceptum: Non concupisces rem [1]; secundum vero prohibetur per mandatum illud, quia prohibetur concupiscentia carnis contra legitimum torum. Unde desiderare filiam alicuius in uxorem non est prohibitum, sed desiderare eam in fornicationem et meretricem; et hoc clauditur in sexta prohibitione [2].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Septimum praeceptum est: Non concupisces domum proximi tui:* quia quod licitum est acquirere pretio licitum est affectu [3] desiderare; sed domum proximi licitum est pretio emere: ergo licitum est eam desiderare et concupiscere. *Si tu dicas*, quod ibi accipitur *concupiscentia* pro inordinato desiderio; sic similiter non licet concupiscere rem propriam. — Item, sicut contingit inordinate desiderare domum proximi, ita contingit inordinate desiderare dignitatem proximi: ergo sicut illud prohibetur, ita et illud debuit prohiberi. *Si tu dicas*, quod illud clauditur in hac prohibitione; *contra* hoc est: quia concupiscentia dignitatis spectat ad superbiam et vanam gloriam, concupiscentia domus ad avaritiam: ergo cum ista sint diversorum generum, videtur, quod in una prohibitione non claudantur.

Respondeo: Dicendum, quod in verbo isto prohibetur concupiscentia rei [4] alienae, secundum quod aliquis concupiscit aliquid in possessionem, quaerens in illo *sufficientiam*. Unde non tantum prohibetur concupiscentia bonorum temporalium, ut domus et pecudis, sed etiam cuiuscumque alterius rei, quam quis vellet alii praeripere. Et hoc quidem prohibetur, intelligendo *per se*, ut quis non concupiscat alienum manens alienum; vel etiam intelligitur *contra iuris ordinem*, hoc est, quando quis vellet, proximum damnificari in re propter suam utilitatem; tunc enim non diligit proximum sicut se. Unde in verbo isto prohibetur omnis avaritia et cupiditas.

Ad illud ergo quod primo obiicitur: quod licet pretio acquirere licet concupiscere; dicendum, quod *concupiscere* dicit ibi appetitum immoderatum habendi cum damno proximi, et in hoc ipso [5] etiam clauditur appetitus immoderatus, prohibitio etiam respectu rei propriae, penes quam consistit peccatum cupiditatis et avaritiae.

Ad illud quod obiicitur de ambitione dignitatis et honoris, dicendum, quod si dignitas et honor appetatur in ratione *sufficientiae*, sic spectat ad Distinctio notanda. crimen avaritiae et in isto mandato prohiberi habet. Si autem in ratione *excellentiae*, sic potest dici, quod prohibetur per primum mandatum, in quo praecipitur reverentia Dei. — Posset tamen dici, quod Alia solutio. utroque modo clauditur in prohibitione septimi, quia utrobique est amor boni proprii, et una est ratio deordinandi respectu proximi, licet multiplex sit ratio deordinandi respectu sui. Ideo sub una prohibitione habet claudi utraque concupiscentia; et magis prohibetur concupiscentia domus quam concupiscentia dignitatis, quia manifestior erat [6] et sensibilior, et etiam Iudaei magis proni erant ad avaritiam.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *diversa Sacramenta sunt Legis novae et veteris, quia illa tantum significabant, haec conferunt gratiam.* Contra hoc *obiicitur*, quod nullus salvari potest sine gratia: ergo si Sacramenta veteris Legis gratiam non conferebant, videtur, quod nullus in Lege illa salvatus fuerit; quod est impium dicere. *Si tu dicas*, quod in Sacramentis illis dabatur gratia, sed tamen non virtute Sacramentorum illorum; in Sacramentis autem novae Legis datur gratia virtute ipsorum, quia sunt « ex sanctificatione sanctificantia », sicut dicit Hugo [7]; *obiicitur* contra hoc: quia gratia est per creationem: ergo solus Deus habet virtutem conferendi gratiam [8]: ergo si in istis et illis conferebat, videtur, quod inter haec Sacramenta et illa nulla sit differentia.

Respondeo: Intelligendum est ad hoc, quod duplex est circa quaestionem istam opinio celebris et Duplex opinio celebris. famosa.

Quidam namque voluerunt dicere, quod in utrisque Sacramentis datur gratia, sed differenter: quia Opinio 1. in illis dabatur ratione fidei et devotionis ipsius *suscipientis*, ita quod nullo modo ratione *Sacra-*

---

[1] De quo in dubio seq. — Inferius pro *non est prohibitum* codd. G K L V aa *non prohibetur.*

[2] Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 38; B. Albert., hic a. 1. seq.; S. Thom., hic a. 1. et circa lit.; Petr. a Tar., hic a. 1.; Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. seqq., omnis hi auctores ibid. etiam seq. dubium solvunt.

[3] Edd. omittunt *affectu.* Mox post *proximi* codd. A K V adnectunt *tui.* Aliquanto inferius ante *similiter* plurimi codd. omittunt *sic.*

[4] Cod. A melius *omnis rei.*

[5] Codd. G K L V aa omittunt *ipso.* Inferius pro *cupiditatis* codd. N U V *concupiscentiae.*

[6] Cod. N bene *est.* Paulo superius pro *utraque* edd. *utrobique.*

[7] Libr. I. de Sacram. p. XI. c. 2.

[8] Psalm. 83, 12: Gratiam et gloriam dabit Dominus. — Mox pro *conferebat* edd. *conferebatur.*

menti sive operis operati. In Sacramentis autem novae Legis secus est, quia constant ex *verbo* et *elemento*; et[1] cum Dominus instituit *verbum*, dedit illi virtutem, per quam influit et agit in animam vel *disponendo* ad gratiae susceptionem, vel *imprimendo* characteris consignificationem, vel *administrando* ipsi gratiae ad animae curationem et fomitis debilitationem. Et hoc videtur dicere Augustinus[2]: « Quae est virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo »? Et magister Hugo de sancto Victore videtur id idem sentire, qui dicit[3], quod « Sacramenta novae Legis prius *sanctificantur* per verbum et postmodum *sanctificant*, ut sic sint ex sanctificatione sanctificantia ». Et hunc modum dicendi sustinent viri periti et fide digni.

Triplex influxus.

Sed difficile videtur mihi intelligere, virtutem illam simul esse *verbo* et *elemento* collatam, quantum ad *essentiam* et naturam, quantum ad eius *existentiam*, quantum ad *durationis mensuram* et etiam quantum ad *operationis efficaciam*; quae omnia necesse est ponere et explicare[4] circa virtutem illam, si quis dicat, quod aliqua qualitas detur *verbo* et *elemento*, per quam agat et influat in ipsam animam.

Difficultates 4.

Difficile namque est intelligere illius virtutis *essentiam*. Cum enim non sit substantia, sed accidens quoddam et in genere boni; dubium est, utrum debeat reponi inter bona *maxima*, vel *media*, vel *minima*[5]. Et si inter bona *maxima* reponatur, iam *gratia* erit; gratia autem existens in uno subiecto, non habet virtutem agendi in aliud. Si vero *gratia* non est nec *virtus*, quomodo ergo dicitur secundum veritatem sanctificare ipsum *Sacramentum* et *eum* qui suscipit Sacramentum? — In quo etiam *genere* sit et cuius *speciei* sit, utrum videlicet in diversis Sacramentis diversificetur formaliter illa virtus, homini parum intelligenti difficile est capere. — Et si inter bona *media*, vel *minima* reponitur, quomodo talis virtus facit rectitudinem[6] et sanationem ipsius animae, quae inter bona *maxima* computantur?

Difficultas 1.

Non solum autem difficile est intelligere huius virtutis *essentiam*, sed etiam *subsistentiam*. Qualiter enim *accidens spirituale* substantificabitur in *subiecto corporali*, cum secundum naturae ordinem, quem Deus non pervertit per miraculum, substantia sit nobilior sua proprietate? — Aut si ponitur illa virtus spiritualis[7] ut in subiecto in *verbo* et *elemento*, quare non similiter ipsa *gratia*, quae debet infundi animae? quod nescio si aliquis recte intelligens dicat. — Aut si est in subiecto corporali, quomodo *una virtus* et *qualitas absoluta* simul poterit esse in *duobus subiectis*, verbo videlicet et elemento, ex quibus, etsi fiat unum *Sacramentum*, non tamen fit *unum per naturam et essentiam*? Unitas autem virtutis, secundum quod vult Damascenus[8], correspondet *unitati substantiae et naturae*. Aut ergo in uno Sacramento non est *una virtus*, sed plures; aut illa virtus *composita* est; aut unum accidens simplex et spirituale et impartibile simul erit in *diversis subiectis*; quod totum valde difficile est intelligere de illa virtute.

Difficultas 2.

Difficultas 3.

Nec solum ista duo difficile est intelligere de illa virtute, sed etiam *durationis mensuram*. Dubium enim videtur, utrum Deus dederit virtutem illam, quando *primo instituit*, an de *novo det*. Sed quomodo *a principio* dedit his quae nondum erant, sicut verbis, quae quotidie de novo formantur? Si de *novo dat*, tunc quotidie in Sacramentis non solum gratiam, sed etiam alia accidentia creat; et tamen non consuevit dici, quod creationis opus currat nunc nisi[9] circa exitum *animae* in *esse* et circa infusionem *gratiae*. — Et si desinat esse statim, prolato verbo, quomodo creavit Deus tam nobilem virtutem, ut ita cito deficeret? — Et *rursus*, si datur verbo, cum non[10] detur verbo in scripto nec in mente, datur in pronuntiatione; et tunc difficile erit explicare, utrum detur in *principio*, vel in *medio*, vel in *fine*: quia nec in *principio* verbi nec in *medio* est actio illius virtutis. Si vero *in fine*, tunc, cum verbum desinat esse, et deficiente verbo, desinat virtus verbi, simul incipiet virtus et desinet. Aut si *ante finem* daretur; quando ante[11] detur et quantum duret, difficile est insinuare.

Difficultas 4.

Nec tantum illud, sed etiam multo difficilius est explicare *operationis* illius virtutis *efficaciam*, utrum scilicet agat generatione *aequivoca*, vel *univoca*, generando sibi simile, vel dissimile. — Difficile etiam est[12], utrum influat omnino *aliquid ab extrinseco*, an educat aliquid de *potentia in actum*. Pri-

---

[1] Edd. *sed*, Paulo ante pro *constant* cod. F *consistunt*. Inferius pro *in animam* cod. U *in anima*.

[2] In Ioan. Evang. tr. 80. n. 3. — Pro *faciente* cod. A *facilitante*, non pauci alii codd. cum edd. *faciendo*, sed contra textum originalem.

[3] Libr. I. de Sacram. p. XI. c. 2. — Pro *sentire* codd. et edd. 1, 2 *dicere*. Aliquanto inferius pro *sustinent* cod. A *sustinuerunt*.

[4] Codd. K aa *exponere*, cod. Z *exprimere*. Mox cum verbis *Si quis dicat* edd. perperam incipiunt novam propositionem et subinde post *difficile* omittunt *namque*.

[5] Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXVII. c. 3. seqq., ubi haec bonorum divisio verbis August. explicatur.

[6] Codd. A U *rectificationem*.

[7] Edd. *specialis*.

[8] Libr. III. de Fide orthod. c. 14. 15. et 19.

[9] Pro *nunc, nisi* codd. G H L N V aa *non nisi*; edd., omisso *non* post *et tamen*, subinde legunt *creationis opus non currat nisi*. Pro *currat* cod. K *existat*.

[10] Non pauci codd. perperam omittunt *non*. Inferius *pro erit* codd. G K L N U V aa *est*.

[11] Ita cod. A, codd. E F Z (alii multi sunt dubiae lectionis) *quantum ante*, alii *quantum autem*, edd., retento *quantum*, omittunt *autem*, et deinde etiam *et quantum duret*. Paulo superius pro *deficiente* codd. A G H K L V aa *desinente*. Subinde pro *daretur* cod. A *detur*, edd. *datur*.

[12] Cod. K supplet *explicare*; codd. U Z *intelligere*; cod. A omittit *est*.

mum est soli Deo possibile, secundum autem difficile est explicare. — Difficile est etiam intelligere, quomodo characteris impressio possit esse ab illa virtute, cum character videatur esse in superiori parte, in qua solus Deus potest influere. Unde substantia intelligibilis beata, quantumcumque magnae sit excellentiae, secundum quod dicit Augustinus [1], non potest facere ad nostram iustificationem, vel illuminationem aliquid *interius formando*, sed solum *exterius excitando*. Quomodo ergo hoc poterit virtus data elemento vel verbo, cum non videatur esse capax tantae virtutis? — Postremo, in Sacramento altaris, in quo fit subito transsubstantiatio panis secundum se totum in corpus Christi — quod quidem non potest esse nisi ab infinita virtute — quomodo verbum prolatum ab homine, cum sit finitae virtutis, poterit ad istam transsubstantiationem aliquid operari? Et certe, si illud verbum virtutem non habet agentem, multo minus verba aliorum Sacramentorum.

Iudicium auctoris. Haec omnia et multa alia circa hoc valde difficile est intelligere et explicare. Quae non idcirco narro, quia credam esse insolubilia, vel ut per ipsa [2] istam improbem positionem; sed ut ostendam, me ipsam non plene intelligere, et ideo nec affirmare nec negare velle; quia, etsi ipsam non clare intelligam, hoc tamen scio et intelligo, quod plura potest Deus facere et etiam in ipsis Sacramentis facit, quam nos possumus intelligere [3]. Unde confugiendo ad mirabilem Dei potentiam, omnia ista possumus facile declinare. Et secundum istum modum dicendi satis plana esset responsio ad quaestionem propositam, si ipsius modi plana esset intelligentia. Et haec positio in quarto libro [4] diffusius est explicata, ubi respondetur ad praemissa.

Notandum.

Alius est hic modus dicendi. Supposito, quod in Sacramentis novae Legis «divina virtus secretius operatur [5]», quia hoc est ipsius fidei et sententiae communis, dixerunt aliqui, Sacramenta novae Legis habere respectu iustificationis virtutem *influentem*, *promerentem*, *disponentem* et *efficaciter ordinantem*: virtutem *influentem* ratione Spiritus sancti assistentis; virtutem *promerentem* ratione meriti passionis ad Sacramentum concurrentis [6]; virtutem *disponentem* ratione devotionis ipsius fidelis Sacramentum suscipientis; virtutem denique *efficaciter ordinantem* ratione divinae pactionis instituentis. Sic enim instituit Dominus, ut ad talis verbi prolationem et Sacramenti susceptionem mirabilis in suscipientibus fieret operatio et suscipientium sanatio et iustificatio; et pro tanto dicuntur Sacramenta novae Legis *habere virtutem*. — Et differunt in hoc a Sacramentis Legis veteris, praecipue quantum ad ipsam *efficacem ordinationem*, quia non interveniebat ibi pactio in illis Sacramentis, per quam efficax et infallibilis fieret ordinatio ad gratiam, secundum quod in Sacramentis novae Legis; ut patet in institutione baptismi, ubi dixit [7]: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.* — In aliis etiam tribus modis habendi virtutem differentia est penes *magis completum* et *minus completum*, quia in Sacramentis novae Legis Spiritus sanctus influens iustitiam plenius assistit, et passio Christi meritoria efficacius concurrit. In cuius signum de latere Christi profluxerunt *sanguis et aqua* [8], et per consequens Sacramenta, de quibus fundatur Ecclesia. — Abundantior etiam est devotio suscipientis tum propter incrementum fidei propriae, quod factum est in nova Lege, tum etiam propter subsidium fidei totius Ecclesiae, quia in fide Ecclesiae suscipiuntur ecclesiastica Sacramenta [9]. — Et propter istum quadruplicem modum habendi virtutem dicuntur Sacramenta Legis novae *iustificare* et esse *causa gratiae*. — Nec volunt qui hanc positionem sustinent in Sacramentis novae Legis amplius ponere, tum quia ista satis videntur sufficere ad nostram sanationem et iustificationem; tum etiam, quia ex isto quadruplici modo habendi virtutem satis manifestatur nobilitas Sacramentorum novae Legis in se ipsis; tum etiam, quia secundum hoc satis apparet differentia Sacramentorum novae Legis et veteris [10]; tum etiam, quia nec expressa auctoritas nec ratio videtur cogere amplius illis dare, et humilitas fidei non tantum debet refugere *diminutionem*, verum etiam *superfluitatem*, et laudabilius quodlam modo videtur diminute dicere quam ampliare.

Differentia Sacramentorum.

Corollarium.

Opinio 2.

Virtus quadruplex.

Hunc modum dicendi et huius quaestionis determinationem plures sustinent [11] bene intelligentes. Et dominus Guillelmus, Parisiensis episcopus, in determinando in scholis Fratrum Minorum approbavit

Nota.

[1] Enarrat. in Ps. 118. serm. 18. n. 4: Deus itaque per se ipsum, quia lux est, illuminat pias mentes, ut ea quae divina dicuntur vel ostenduntur, intelligant. Sed si ad hoc ministro utitur Angelo, potest quidem aliquid agere Angelus in mente hominis, ut capiat lucem Dei et per hanc intelligat; sed ita dicitur intellectum dare homini et quasi, ut ita dicam, intellectuare hominem, quemadmodum quisquam dicitur lucem dare domui vel illuminare domum, cui fenestram facit etc. — Superius pro *in qua* (ita codd. et edd.) mallemus *in quam*.

[2] Plures codd. perperam *ut per ipsam*, edd. *ut ipse*.

[3] Cfr. tom. I. pag. 750, nota 7. — Inferius pro *facile* cod. U *faciliter*.

[4] Dist. 1. p. 1. q. 4. — Mox pro *respondetur* cod. U *est responsio*.

[5] Isidor., VI. Etymolog. c. 19. n. 40: Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem [vi?] eorundem Sacramentorum operatur; unde et a *secretis* virtutibus, vel a *sacris*, Sacramenta dicuntur. — Mox pro *hoc* permulti codd. *haec*. Paulo inferius post *habere* non pauci codd. adnectunt *virtutem*.

[6] Vide supra d. 19. a. 1. q. 1. et d. 20. q. 4. circa finem corp. — Inferius pro *pactionis* Vat. *passionis*.

[7] Marc. 16, 16. — Cod. F *ubi dicitur*. Inferius codd. H K L V-aa omittunt *virtutem*.

[8] Ioan. 19, 34. Cfr. tom. I. pag. 2, nota 19.

[9] Vide supra d. 25. a. 2. q. 2. in corp. — Paulo ante pro *suscipiuntur* edd. cum aliquot codd. *suscipiunt*.

[10] Haec tertia ratio desideratur in edd.

[11] Cod. A *Hunc modum dicendi in huius quaestionis terminatione plures sustinuerunt*.

istum modum dicendi coram fratre Alexandro bonae memoriae. — Et istum modum dicendi dupliciter potest quis sustinere et intelligere: vel ita, quod omnino affirmet, nullo alio modo esse virtutem in Sacramentis novae Legis quam modis praedictis; vel quod hoc modo affirmet, virtutem in eis esse, ita tamen, quod non neget, alium modum praeter hos existendi virtutem in Sacramentis esse possibilem. Et *primus* modus *repugnat* priori modo dicendi; *secundus* autem modus dicendi priori opinioni *non repugnat*, quia nihil dicit, quod illa non dicat, immo etiam nihil dicit, quod communis opinio non teneat — nullus enim recte sentiens negat, quin omnibus dictis modis Sacramenta novae Legis virtutem habeant — sed si quis plus dicit, huic positioni *non contradicit*, sed *addit*.

Haec opinio 2. dupliciter intelligitur.

Notandum.

Sed forte videbitur alicui calumniabile, quod dictum est, virtutem Spiritus sancti *Sacramento assistere*, quin potius *in nomine Sacramenti claudi* deberet intelligi tanquam de eius integritate, propter illud quod dicitur primae Ioannis quinto[1]: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua et sanguis, et hi tres unum sunt;* et in libro de Unitate et uno[2] dicitur, quod sunt unum Sacramento: et ideo non debet dici, quod Spiritus sanctus *assistat Sacramento*, tanquam cum eo connumeretur; sed propter ipsam unitatem, quae praedicta est, quam efficit Spiritus sanctus in Sacramento, *ipsi Sacramento debet attribui*.

Obiicitur.

Sed certe, etsi hic modus dicendi videatur differre a praedicto, tamen secundum rem idem est, licet vocabula sint diversa. Quod enim dicuntur ista tria *unum* Sacramento, hoc non est, quod ex ipsis fiat unum *per essentiam*, sed quod fiat unum *per ordinem*, quia scilicet ordinantur ad unum effectum; et hoc nihil aliud est dicere, quam unum alteri *assistere*. — Item, omne quod est de integritate Sacramenti, aut est *res tantum*, aut *significatio tantum*, aut *res et signum*[3]. Si ergo Spiritus influens iustitiam ponitur de unitate Sacramenti, cum non sit *signum* nec *res et signum*, erit tantummodo sicut *res*, et ita non habebit rationem *causantis*, sed potius rationem *effectus;* et ita *Spiritus* non staret pro ipsa *virtute influente*, sed potius pro ipsa *gratia* Spiritus sancti infusa ipsi animae in Sacramenti susceptione. — Item, non est quaestio, utrum *Spiritus sanctus* in Sacramento infundat gratiam, sed de hoc est quaestio, utrum *Sacramentum*, secundum quod dicitur «invisibilis gratiae visibilis forma[4], ita quod similitudinem eius gerat et causa existat», habeat virtutem aliquam, per quam influat in animam. Non videtur ergo hoc facere ad propositum. — Postremo, Spiritus sanctus sanctificans et meritum passionis et elementum exterius non solummodo reperiuntur in Sacramentis Legis novae, sed etiam in Sacramentis veteris Legis. Hoc ergo non sufficit dicere ad assignandum differentiam istorum Sacramentorum et illorum. — Aut ergo modus iste dicendi nihil aliud dicit, aut si dicit, parum dicit et modicum ad propositum facit.

Resp. auctoris. Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Et ideo sustineatur, quicumque praedictorum modorum magis placet, quia primus satis *pius* est, secundus vero satis *sobrius* est, si sustineatur illo modo, quo dictum est; et hoc modo in quarto libro[5] sustinetur, sicut patet consideranti. Et idcirco hic *repetii*, non propter hoc, ut nova superadderentur, sed ut ostenderetur, quod a communi positione non dissonat, cui pro viribus meis in omnibus praecedentibus libris adhaesi tanquam viae securiori, et sicut scio et possum, mihi et aliis consimilibus parum intelligentibus persuadeo adhaerendum; et quoniam per totum librum hoc diligentius observavi — sicut advertenti clarius apparebit — ut in his quaestionibus dubiis et difficilibus, in quibus non potui deprehendere, quae esset via communis, quia sapientes opinantur contrarie sapientibus, sic unam partem tanquam magis probabilem sustinerem, ut tamen aliam minime improbarem.

Ultimum iudicium auctoris.

Repetuntur antea dicta.

Auctor sequitur viam commonem.

Sufficit enim in dubiis scire, quid sapientes senserunt, nec est utile contentionibus deservire. *Multa dicimus et deficimus in verbis, consummator autem sermonum ipse est*[6] Dominus noster Iesus Christus, de quo factus est sermo in hoc tertio libro, cui immensas gratias ago, quia adiuvit pervenire ad consummationem istius opusculi, miseratus paupertatem scientiae et ingenii; in quo tertius iste liber ultimo est notatus[7]. Quem rogo, ut faciat provenire mihi ad obedientiae meritum et ad fratrum profectum, propter quae duo labor iste a principio fuit assumtus. Ipsi ergo, de quo factus est sermo, Domino nostro Iesu Christo, *regi saeculorum immortali et invisibili*, qui pro nobis factus est homo et crucem subiit et gratiam multiplicem contulit et mandata dedit, secundum quod in hoc libro explanatum est, sit omnis *honor et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen*[8].

Epilogus totius tertii libri.

EXPLICIT LIBER TERTIUS FRATRIS BONAVENTURAE SUPER SENTENTIAS.

---

[1] Vers. 8.

[2] Quem composuit Boethius et in quo inter divisiones unitatis recenset etiam hanc: Alia dicuntur unum *ratione*, sed hoc duobus modis: quia ratione *consortii*, ut ens, intellectus et res, aliquid et vocabulum unum genus; vel ratione unius *Sacramenti*, ut spiritus, aqua et sanguis dicuntur unum. — Paulo inferius pro *assistat* plures codd. *assistit* et pro *unitatem* cod. U *virtutem*.

[3] Cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. I. — Inferius pro *nec res signum* Vat. *et res nec signum tantum*.

[4] De hac Sacramenti definitione vide IV. Sent. lit. Magistri, d. I. — Superius pro *infundat* codd. G L V aa *effundat*.

[5] Dist. I. p. I. q. 4.

[6] Eccli. 43, 29: Multa dicemus et deficiemus in verbis; consummatio autem sermonum ipse est in omnibus.

[7] Ultima verba, quae in edd. 1, 2 desiderantur, Vat. sic exhibet *in quo tertius iste liber est annotatus;* pro *notatus* codd. G L U V cc *vocatus*. Superius post *quia adiuvit* edd. supplent *me*.

[8] Epist. I. Tim. 1, 17.

INDEX QUAESTIONUM

COMMENTARII S. BONAVENTURAE

IN TERTIUM LIBRUM SENTENTIARUM

PETRI LOMBARDI.

Litterae Ss. Domini nostri Papae Leonis XIII. . . . *pag.* I.
Prolegomena ad III. librum Sententiarum . . . . » III.
§ 1. Commentarius hic magni semper aestimatus est » ib.
§ 2. Antiquus index locorum, in quibus dissentiunt Ss. Thomas et Bonaventura in Commentariis ad tertium librum Sententiarum . . . . . » ib.
§ 3. De relatione huius Commentarii ad Supplementum Summae Alexandri Halensis quoad tractatum de virtutibus . . . . . *pag.* IV.
§ 4. De methodo in emendando et illustrando textu huius libri observata, cum indice codicum . . . » V.
Tabula collatorum codicum . . . . . » X.

Liber Tertius Sententiarum.

DE INCARNATIONE VERBI ET HUMANI GENERIS REPARATIONE.

Prooemium S. Bonaventurae . . . . . *pag.* 1
Capitula tertii libri Sententiarum Petri Lombardi. . . » 3

DISTINCTIO I.

Textus Magistri . . . . . » 6
Divisio textus. . . . . » 7
Articulus I. *De incarnatione quantum ad unionis possibilitatem.*
Quaest. I. Utrum divina natura potuerit uniri cum humana natura . . . . . » 8
II. Utrum una persona possit uniri humanae naturae sine altera . . . . . » 12
III. Utrum persona una possit simul uniri cum alia, assumendo unam et eandem numero naturam. . . . . » 14
IV. Utrum quaelibet trium personarum possit incarnari per se ipsam. . . . . » 16
Articulus II. *De incarnatione Verbi quantum ad congruitatem.*
Quaest. I. Utrum in opere incarnationis servetur debita congruentia ex parte Dei . . . . » 19
II. Quae fuerit incarnationis ratio praecipua . » 21
III. Quae trium personarum fuerit ad incarnationem magis idonea . . . . . » 28
IV. Quo tempore fuerit magis congruum, Filium Dei incarnari . . . . . » 31
Dubia I-IV. circa litteram Magistri. . . . . » 33

DISTINCTIO II.

Textus Magistri . . . . . *pag.* 35
Divisio textus. . . . . » 36
Articulus I. *De natura assumta quantum ad unionis congruitatem.*
Quaest. I. Utrum maior sit congruitas ad unionem in rationali creatura quam in toto universo. » 37
II. Utrum maior sit congruitas ad unionem in humana natura quam in Angelo, an e converso . . . . . » 39
III. Utrum maior sit congruitas ad unionem in tota specie quam in uno individuo . . » 42
Articulus II. *De natura assumta quoad suarum partium integritatem.*
Quaest. I. Utrum Christus assumserit veram carnem. » 44
II. Utrum Christus assumserit animam rationalem. » 46
III. Utrum Christus habuerit cum aliis hominibus communem speciem . . . . . » 48
Articulus III. *De natura assumta quoad medii necessitatem.*
Quaest. I. Utrum corpus unitum fuerit Verbo mediante spiritu humano sive anima . . . . . » 49
II. Utrum anima Christi assumta fuerit a Verbo mediante aliquo habitu gratuito. . . . » 52
III. Utrum Verbum unitum sit humanae naturae mediante Spiritu sancto . . . . . » 54
Dubia I-IV. circa litteram Magistri . . . . . » 56

DISTINCTIO III.

Textus Magistri . . . . . *pag.* 58

Pars I.

Divisio textus. . . . . » 60

Articulus I. *De sanctificatione Virginis quoad congruentiam temporis.*

Quaest. I. Utrum caro Virginis sanctificata fuerit ante animationem . . . . . » 61

II. Utrum anima beatae Virginis sanctificata fuerit ante originalis peccati contractionem. » 65

III. Utrum beata Virgo sanctificata fuerit ante nativitatem. . . . . » 70

Articulus II. *De efficacia virtutis in hac sanctificatione.*

Quaest. I. Utrum beata Virgo per sanctificationis gratiam immunis fuerit ab omni actuali peccato . . . . . » 72

II. Utrum in prima sanctificatione in Virgine fuerit exstincta fomitis concupiscentia. . » 74

III. Utrum in secunda sanctificatione a beata Virgine ablata fuerit peccandi potentia . . » 76

Dubia I-V. circa litteram Magistri. . . . . » 78

Pars II.

Divisio textus. . . . . » 80

Articulus I. *De Christi decimatione.*

Quaest. I. Utrum aliquis possit decimari in parentibus. » 81

II. Utrum Christus in Abraham fuerit decimatus . . . . . » 83

Articulus II. *De carnis Christi traductione.*

Quaest. I. Utrum caro Christi in Abraham et aliis Patribus distincta fuerit secundum qualitatem a carne aliorum hominum. . . . » 85

II. Utrum Christi caro fuerit in parentibus aliter quam caro aliorum hominum secundum legem propagationis . . . . . » 87

Articulus III. *De perfectione corporis dominici.*

Quaest. I. Utrum corpus Christi productum fuerit ad perfectam molem subito, an successive. » 90

II. Utrum in corpore dominico formatio et distinctio membrorum facta sit subito, an successive . . . . . » 92

Dubia I-IV. circa litteram Magistri . . . . . » 94

DISTINCTIO IV.

Textus Magistri . . . . . » 96

Divisio textus. . . . . » 97

Articulus I. *De conceptione Christi in comparatione ad Spiritum sanctum efficientem.*

Quaest. I. Utrum Filii Dei incarnatio debeat appropriari Patri, an Spiritui sancto. . . . » 98

II. Utrum Christus possit dici filius Spiritus sancti . . . . . » 100

III. Utrum Christus possit dici filius Trinitatis. » 102

Articulus II. *De conceptione Christi in comparatione ad gratiam intervenientem.*

Quaest. I. Utrum Christi incarnatio fuerit ex mera gratia, an eam impetrarunt merita sanctorum Patrum . . . . . » 104

II. Utrum beata Virgo Maria meruerit Christum concipere, an conceptio illa fuerit solum ex munere gratiae divinae . . . . *pag.* 106

III. Utrum gratia in conceptione teneat rationem proprietatis naturalis, vel gratuitae . » 108

Articulus III. *De conceptione Christi in comparatione ad Virginem concipientem.*

Quaest. I. Utrum Virgo Maria in illa conceptione fuerit aliquid Spiritui sancto in aliquo cooperata . . . . . » 110

II. Utrum cooperatio illa beatae Virginis fuerit naturalis, an miraculosa . . . . . » 113

III. Utrum beata Virgo sit Dei genitrix appellanda . . . . . » 115

Dubia I-VI. circa litteram Magistri. . . . . » 116

DISTINCTIO V.

Textus Magistri . . . . . » 118

Divisio textus. . . . . » 121

Articulus I. *De ipsa assumtione ex parte assumentis.*

Quaest. I. Utrum assumere sit actus conveniens divinae naturae. . . . . » ib.

II. Utrum assumere conveniat divinae personae. » 124

III. Utrum assumere conveniat personae ratione naturae, an e converso . . . . . » 125

IV. Utrum assumere possit convenire divinae naturae, abstracta omni persona . . . » 126

V. Utrum haec sit concedenda: divina natura est caro facta. . . . . » 128

Articulus II. *De assumtione ex parte assumti.*

Quaest. I. Utrum concedendum sit, naturam humanam assumtam esse a Deo . . . . . » 130

II. Utrum Deus assumserit humanam personam . . . . . » 132

III. Utrum ponenda sit intentio personalitatis in anima separata, omni unione circumscripta . . . . . » 135

IV. Utrum concedendum sit, quod Deus assumserit hominem . . . . . » 138

V. Utrum concedenda sit haec: Filius Dei assumsit humanitatem. . . . . » 140

Dubia I-IV. circa litteram Magistri. . . . . » 142

DISTINCTIO VI.

Textus Magistri . . . . . » 143

Divisio textus. . . . . » 146

Praenotata de tribus opinionibus . . . . . » 147

Articulus I. *De varietate harum opinionum, in qua videlicet sit maior probabilitas.*

Quaest. I. Utrum Christus sit duo . . . . . » 148

II. Utrum persona Christi sit una unitate simplici, an composita. . . . . » 152

III. Utrum Christus, secundum quod homo, sit substantia, an *homo* praedicetur per modum habitus et accidentis. . . . . » 154

ARTICULUS II. *De qualitate et nobilitate illius unionis.*

QUAEST. I. Utrum unio duarum naturarum sit terminata ad unitatem personae . . . . . *pag.* 157

II. Utrum modus unionis duarum naturarum sit singularis, an reperiatur aliquis unionis modus ei consimilis . . . . . » 159

III. Utrum illa unitas quantum ad gradum excellat omnes unitates creatas. . . . . » 162

Dubia I-III. circa litteram Magistri. . . . . » 164

DISTINCTIO VII.

Textus Magistri . . . . . » 166

Divisio textus . . . . . » 168

Praenotata. . . . . » 169

ARTICULUS I. *De locutionibus exprimentibus ipsam unionem.*

QUAEST. I. Utrum vera sit locutio: Deus est homo. . » ib.

II. Utrum haec sit admittenda: Deus factus est homo . . . . . » 173

III. Utrum haec sit concedenda: homo factus est Deus . . . . . » 175

ARTICULUS II. *De locutionibus exprimentibus unionis praedestinationem.*

QUAEST. I. Utrum Filius Dei sit praedestinatus . . . » 177

II. Utrum haec sit vera: Filius Dei praedestinatus est esse homo . . . . . » 179

III. Utrum haec sit concedenda: homo praedestinatus est esse Filius Dei . . . . . » 181

Dubia I-III. circa litteram Magistri . . . . . » 182

DISTINCTIO VIII.

Textus Magistri . . . . . » 184

Divisio textus. . . . . » 185

ARTICULUS I. *De nativitate temporali in comparatione ad divinam naturam.*

QUAEST. I. Utrum haec sit concedenda: divina natura est de Virgine nata. . . . . » ib.

II. Utrum nasci de Virgine vere dicatur de natura assumta . . . . . » 188

III. Utrum *homo* veraciter dicatur de divina natura . . . . . » 189

ARTICULUS II. *De nativitate temporali in comparatione ad aeternam.*

QUAEST. I. Utrum concedendum sit, Christum bis esse natum . . . . . » 191

II. Utrum in Christo sint duae filiationes . . » 193

III. Utrum Christus sit filius naturalis ratione utriusque nativitatis, videlicet temporalis et aeternae. . . . . » 195

Dubia I-III. circa litteram Magistri. . . . . » 197

DISTINCTIO IX.

Textus Magistri . . . . . » 198

Divisio textus . . . . . » 199

ARTICULUS I. *De ipsa adoratione per comparationem ad eum cui est exhibenda.*

QUAEST. I. Utrum cultus latriae sit exhibendus humanitati sive carni Christi . . . . . » ib.

II. Utrum cultus latriae exhiberi debeat imagini Christi . . . . . *pag.* 202

III. Utrum cultus latriae Matri Christi exhiberi debeat . . . . . » 205

IV. Utrum cultus latriae cruci Christi exhibendus sit . . . . . » 207

V. Utrum latria exhibenda sit membris Christi. » 209

VI. Utrum cultus latriae possit exhiberi adversario Christi absque peccato. . . . . » 211

ARTICULUS II. *De ipsa latria, secundum illud quod est.*

QUAEST. I. Utrum latria sit in genere virtutis . . . » 213

II. Utrum latria sit virtus generalis, vel specialis. . . . . » 215

III. Utrum latria sit virtus cardinalis, vel theologica . . . . . » 216

IV. Utrum latria sit virtus distincta a dulia. . » 219

Dubia I-IV. circa litteram Magistri. . . . . » 221

DISTINCTIO X.

Textus Magistri . . . . . » 223

Divisio textus. . . . . » 224

ARTICULUS I. *De comparatione Christi hominis ad conditionem personalitatis.*

QUAEST. I. Utrum haec sit admittenda: Christus, secundum quod homo, est Deus . . . . . » 225

II. Utrum haec sit vera: Christus, secundum quod homo, est persona . . . . . » 227

III. Utrum haec sit vera: Christus, secundum quod homo, est individuum. . . . . » 229

ARTICULUS II. *De filiatione adoptionis.*

QUAEST. I. Utrum filiatio adoptionis sit in Christo . . » 232

II. Utrum filiatio adoptionis conveniat nobis per Christum . . . . . » 235

III. Utrum filiatio adoptionis sit in nobis per comparationem ad Christum. . . . . » 237

Dubia I-V. circa litteram Magistri. . . . . » 238

DISTINCTIO XI.

Textus Magistri . . . . . » 241

Divisio textus. . . . . » 242

ARTICULUS I. *De Christi praedestinatione.*

QUAEST. I. Utrum praedestinatio Christi sit nostrae praedestinationi conformis. . . . . » 243

II. Utrum praedestinatio Christi respectu nostrae praedestinationis sit forma exemplaris . . . . . » 245

III. Utrum in praedestinatione Christi respectu nostrae sit vera causalitatis ratio . . . » 247

ARTICULUS II. *De vocabulis, quae videntur importare inceptionem.*

QUAEST. I. Utrum haec sit concedenda: Christus est creatura . . . . . » 248

II. Utrum haec sit concedenda: iste homo incepit esse, Christo demonstrato. . . . » 251

III. Utrum haec sic concedenda: homo incipit esse Deus . . . . . » 255

Dubia I-IV. circa litteram Magistri . . . . . » 257

DISTINCTIO XII.

Textus Magistri . . . . . *pag.* 260
Divisio textus . . . . . » 261
Articulus I. *De congruitate naturae assumtae quoad genus.*
Quaest. I. Utrum decuerit Filium Dei assumere humanam naturam de massa perditionis . . » ib.
II. Utrum fuisset congruum assumere Adam . » 264
Articulus II. *De conditione naturae assumtae quoad liberum arbitrium.*
Quaest. I. Utrum Christus potuerit peccare . . . . » 265
II. Utrum Christus potentiam peccandi habuerit vel assumserit. . . . . » 268
Articulus III. *De conditione naturae quantum ad sexum.*
Quaest. I. Utrum decuerit Deum assumere sexum muliebrem . . . . . » 270
II. Utrum magis debuerit carnem assumere de viro simul et muliere quam de sola muliere. » 271
Dubium unicum circa litteram Magistri . . . . . » 273

DISTINCTIO XIII.

Textus Magistri . . . . . » 274
Divisio textus . . . . . » 275
Articulus I. *De gratia Christi ut singularis personae.*
Quaest. I. Utrum in Christo gratia singularis personae sit creata, vel increata. . . . . » 276
II. Utrum in Christo sit gratia finita, vel immensa . . . . . » 278
III. Utrum gratia singularis personae in Christo fuerit plena gratia atque perfecta . . . » 281
Articulus II. *De gratia capitis.*
Quaest. I. Utrum gratia capitis sit quid creatum, vel increatum . . . . . » 283
II. Utrum gratia capitis sit alia quam gratia singularis personae et unionis . . . . » 286
III. Utrum Deus mediante gratia capitis influat sensum in omnem creaturam habentem gratiam, sive angelicam, sive humanam. » 288
Dubia I-V. circa litteram Magistri . . . . . » 291

DISTINCTIO XIV.

Textus Magistri . . . . . » 293
Divisio textus . . . . . » 295
Articulus I. *De scientia, quam anima Christi habuit de Verbo.*
Quaest. I. Utrum anima Christi cognoscat Verbum alia cognitione, quam illa quae est ipsum Verbum . . . . . » ib.
II. Utrum anima Christi in cognoscendo comprehendat ipsum Verbum sibi unitum . » 298
III. Utrum anima Christi in cognoscendo Deum defigat aspectum in ipsum lumen aeternum, an in aliquid infra ipsum . . . » 302
Articulus II. *De cognitione, quam anima Christi habuit in Verbo.*
Quaest. I. Utrum anima Christi eadem cognitione, qua cognoscit Verbum, cognoscat alias res in Verbo . . . . . *pag.* 306
II. Utrum anima Christi actu cognoscat in Verbo omnia quae habitu cognoscit . . . » 310
III. Utrum anima Christi cognoscat omnia in Verbo, quae cognoscit Verbum. . . . » 312
Articulus III. *De scientia, quam anima Christi habuit a Verbo.*
Quaest. I. Utrum Christus habuerit aliam scientiam praeter illam quam habuit in Verbo . . » 318
II. Utrum Christus profecerit secundum illud genus cognitionis . . . . . » 321
III. Utrum Deus communicaverit animae Christi omnipotentiam, sicut communicavit omniscientiam. . . . . » 323
Dubia I-IV. circa litteram Magistri. . . . . » 325

DISTINCTIO XV.

Textus Magistri . . . . . » 327
Divisio textus . . . . . » 329
Articulus I. *De defectibus assumtis a Christo in generali.*
Quaest. I. Utrum congruum fuerit, tales defectus in Christo reperiri . . . . . » 330
II. Utrum Christus assumserit omnes defectus nostros praeter peccatum. . . . . » 332
III. Utrum defectus in Christo fuerint a natura, an a voluntate . . . . . » 334
Articulus II. *De defectibus a Christo assumtis in speciali.*
Quaest. I. Utrum Christus habuerit ignorantiam in rationali . . . . . » 336
II. Utrum in Christo fuerit passio tristitiae . . » 338
III. Utrum in Christo fuerit passio vel affectio irae . . . . . » 339
Dubia I-IV. circa litteram Magistri . . . . . » 340

DISTINCTIO XVI.

Textus Magistri . . . . . » 343
Divisio textus . . . . . » 345
Articulus I. *De passione doloris, prout respicit animam et carnem communiter.*
Quaest. I. Utrum in Christo fuerit vera passio doloris. » ib.
II. Utrum in Christo fuerit acerbissimus dolor. » 348
III. Utrum Christus assumserit necessitatem patiendi. . . . . » 349
Articulus II. *De passibilitate et dolore animae Christi specialiter.*
Quaest. I. Utrum Christus passus fuerit secundum rationem, an secundum sensualitatem . . » 353
II. Utrum anima Christi passa fuerit secundum superiorem portionem rationis . . . . » 355
III. Utrum dolor fuerit intensior in parte rationali animae Christi, an in parte sensuali. » 357
Dubia I-IV. circa litteram Magistri. . . . . » 359

DISTINCTIO XVII.

Textus Magistri . . . . . pag. 361
Divisio textus . . . . . » 363
Articulus I. *De voluntate Christi.*
Quaest. I. Utrum in Christo fuerint plures voluntates. » ib.
II. De numero et sufficientia voluntatum in Christo . . . . . » 365
III. Utrum istae voluntates in Christo fuerint conformes, vel repugnantes . . . . . » 367
Articulus II. *De oratione Christi.*
Quaest. I. Utrum decuerit Christum orare . . . . » 370
II. Utrum Christus in omni oratione sua fuerit exauditus . . . . . » 373
III. Utrum oratio, qua Christus oravit in passione, ut calix transferretur, fuerit a ratione, an a sensualitate . . . . . » 374
Dubia I-IV. circa litteram Magistri. . . . . » 375

DISTINCTIO XVIII.

Textus Magistri . . . . . » 377
Divisio textus. . . . . » 379
Articulus I. *De merito quoad usum sive exercitium.*
Quaest. I. Utrum Christus meruerit ab instanti conceptionis . . . . . » 380
II. Utrum Christus meruerit aliquid post conceptionem. . . . . » 382
III. Utrum Christus aliquid meruerit in passione. » 385
Articulus II. *De merito Christi quoad fructum vel praemium.*
Quaest. I. Utrum Christus sibi meruerit Dei fruitionem sive praemium substantiale . . . . . » 387
II. Utrum Christus meruerit sui corporis glorificationem . . . . . » 389
III. Utrum Christus meruerit nobis ianuae apertionem . . . . . » 391
Dubia I-V. circa litteram Magistri . . . . . » 393

DISTINCTIO XIX.

Textus Magistri . . . . . » 396
Divisio textus. . . . . » 399
Articulus I. *De efficacia passionis Christi.*
Quaest. I. Utrum per passionem Christi fiat remissio peccatorum . . . . . » ib.
II. Utrum per passionem Christi facta fuerit chirographorum deletio . . . . . » 402
III. Utrum per passionem Christi liberati simus a potestate diaboli . . . . . » 405
IV. Utrum per passionem Christi absolvamur a poena peccati. . . . . » 407
Articulus II. *De persona redemptoris et mediatoris.*
Quaest. I. Utrum solus Filius sit redemptor, an etiam Pater et Spiritus sanctus . . . . . » 408
II. Secundum quam naturam Christus sit mediator . . . . . » 409
Dubia I-VI. circa litteram Magistri. . . . . » 412

DISTINCTIO XX.

Textus Magistri . . . . . pag. 414
Divisio textus . . . . . » 416
Articulus unicus. *De congruentia nostrae redemptionis factae per passionem Christi.*
Quaest. I. Utrum congruum fuerit, humanam naturam a Deo reparari . . . . . » ib.
II. Utrum magis congruerit, genus humanum reparari per satisfactionem quam per aliam viam. . . . . » 419
III. Utrum aliqua creatura pura potuerit satisfacere pro toto genere humano . . . . » 422
IV. Utrum aliquis, adiutus gratia, potuisset satisfacere pro se ipso . . . . . » 424
V. Utrum Deus debuerit modum satisfaciendi per passionem Christi acceptare . . . » 427
VI. Utrum alio modo potuerit Deus genus humanum salvare . . . . . » 430
Dubia I-IV. circa litteram Magistri. . . . . » 432

DISTINCTIO XXI.

Textus Magistri . . . . . » 434
Divisio textus . . . . . » 436
Articulus I. *De separatione, facta in morte, per comparationem ad unionis vinculum.*
Quaest. I. Utrum in morte anima Christi separata fuerit a Deitate . . . . . » ib.
II. Utrum in morte Christi Divinitas sit separata a carne . . . . . » 438
III. Utrum Verbum unitum fuerit carni et animae duplici unione . . . . . » 440
Articulus II. *De effectu illius separationis.*
Quaest. I. Utrum post instans separationis anima Christi impassibilis effecta sit . . . . . » 442
II. Utrum ex illa separatione caro Christi fuerit mortua, an post eam habuerit vitam. . » 444
III. Utrum propter mortem carnis sit mors personae Verbi attribuenda . . . . . » 445
Dubia I-III. circa litteram Magistri. . . . . » 446

DISTINCTIO XXII.

Textus Magistri . . . . . » 447
Divisio textus . . . . . » 449
Articulus unicus. *De his quae mortem Christi consequuntur.*
Quaest. I. Utrum Christus in triduo fuerit homo . . » 450
II. Utrum Christus, secundum quod homo, fuerit in loco determinato, an ubique. . . » 454
III. Utrum corpus Christi per triduum fuerit in sepulcro. . . . . » 456
IV. De descensu animae Christi ad inferos. . » 458
V. Utrum Christus in descensu ad inferos omnes animas liberaverit. . . . . » 460
VI. Utrum Christus statim post mortem introduxerit animas liberatas in caelum . . » 463
Dubia I-V. circa litteram Magistri . . . . . » 464

DISTINCTIO XXIII.

Textus Magistri . . . . . pag. 466
Divisio textus . . . . . » 469
Articulus I. *De fide simpliciter dicta sive formata.*
Quaest. I. Utrum fides sit virtus. . . . . » 470
II. Utrum fides sit in parte animae cognitiva, an affectiva. . . . . » 474
III. Utrum fides sit virtus una . . . . . » 478
IV. Utrum fides sit certior quam scientia . . » 480
V. De definitione fidei ab Apostolo assignata . » 483
Articulus II. *De fide informi.*
Quaest. I. Utrum fides informis sit in genere virtutis, an non . . . . . » 487
II. An fides informis sit infusa, an acquisita . » 490
III. Utrum fides informis sit in daemonibus. . » 492
IV. Utrum fides informis expellatur per adventum gratiae . . . . . » 494
V. Utrum fides informis fiat formata, adveniente gratia . . . . . » 497
Dubia I-VI. circa litteram Magistri. . . . . » 501

DISTINCTIO XXIV.

Textus Magistri . . . . . » 506
Divisio textus. . . . . » 507
Articulus I. *De obiecto fidei secundum rem.*
Quaest. I. Utrum fidei obiectum sit ita verum, quod ei non possit subesse falsum . . . . . » 508
II. Utrum fides sit circa verum creatum et increatum, an circa increatum tantum tanquam obiectum proprium. . . . . » 512
III. Utrum fides sit circa complexum, an circa incomplexum . . . . . » 514
Articulus II. *De obiecto fidei in comparatione ad nostram cognitionem.*
Quaest. I. Utrum fides sit de his, de quibus habetur visio sensibilis . . . . . » 517
II. Utrum fides sit de his, de quibus habetur opinio probabilis. . . . . » 520
III. Utrum fides sit de his, de quibus habetur cognitio scientialis . . . . . » 521
Articulus III. *De obiecto fidei quoad nominis rationem.*
Quaest. I. De definitione articuli, quam ponit Richardus. » 525
II. De definitione articuli, quam ponit Isidorus. » 527
Dubia I-IV. circa litteram Magistri . . . . . » 529

DISTINCTIO XXV.

Textus Magistri . . . . . » 531
Divisio textus. . . . . » 533
Articulus I. *De fidei sufficientia.*
Quaest. I. Utrum in Symbolo apostolico sufficienter contineantur omnia illa, quae opportunum est credere ad salutem . . . . . » 534
II. Utrum eis qui praecesserunt adventum Christi, suffecerit ad salutem credere ea tantum, quae spectant ad Divinitatem . . » 539
III. Utrum omnes teneantur credere omnes articulos explicite post adventum Christi . » 542
Articulus II. *De profectu fidei secundum diversitatem temporum.*
Quaest. I. Utrum fides creverit quoad credendorum multitudinem . . . . . pag. 545
II. An fides profecerit quoad illuminationis plenitudinem . . . . . » 547
III. Utrum fides creverit quoad assensus certitudinem. . . . . » 549
Dubia I-IV. circa litteram Magistri. . . . . » 551

DISTINCTIO XXVI.

Textus Magistri . . . . . » 553
Divisio textus . . . . . » 554
Articulus I. *De spe secundum considerationem absolutam.*
Quaest. I. Utrum spes sit virtus gratuita . . . . . » 555
II. Utrum spes sit genus virtutis, an species specialissima . . . . . » 558
III. Utrum spes sit virtus cardinalis, an theologica . . . . . » 560
IV. Utrum virtus spei aliquando sit informis, an semper sit formata . . . . . » 563
V. Utrum spes in suo actu sit certitudinalis, an dubia . . . . . » 565
Articulus II. *De spe secundum considerationem relatam.*
Quaest. I. Utrum timor et spes sint unus et idem habitus, an diversi. . . . . » 568
II. Utrum spes ex bonis meritis habeat ortum. » 571
III. Utrum spes praecedat caritatem ordine naturae, an e converso. . . . . » 573
IV. Utrum spes sit in bonum sub ratione boni. » 575
V. Utrum spes sit in parte animae cognitiva, an affectiva . . . . . » 578
Dubia I-VI. circa litteram Magistri. . . . . » 582

DISTINCTIO XXVII.

Textus Magistri . . . . . » 586
Divisio textus . . . . . » 588
Articulus I. *De ipsa caritate quantum ad habitum.*
Quaest. I. Utrum caritas sit habitus ab aliis virtutibus distinctus . . . . . » 589
II. Utrum habitus caritatis sit unus indivisus, an per species multiplicatus . . . . . » 593
III. Utrum habitus caritatis sit mere gratuitus, an aliquid addat ultra gratiam, sicut habitus aliarum virtutum. . . . . » 596
IV. Utrum habitus caritatis possit esse informis, an semper sit formatus . . . . . » 599
Articulus II. *De caritate quantum ad actum et modum.*
Quaest. I. Utrum motus caritatis per prius sit meritorius quam actus aliarum virtutum. . . » 602
II. Utrum possibile sit, motum caritatis esse mercenarium . . . . . » 605
III. Utrum idem motus dilectionis possit esse in Deum et in proximum. . . . . » 607
IV. Quis duorum motuum caritatis praecedat alterum . . . . . » 609
V. Utrum actus dilectionis in Deum habeat modum . . . . . » 611

VI. Utrum teneamur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima et ex tota mente . *pag.* 613
Dubia I-IV. circa litteram Magistri . . . . . » 615

DISTINCTIO XXVIII.

Textus Magistri . . . . . » 619
Divisio textus . . . . . » 620
Articulus unicus. *De obiectis ex caritate diligendis.*
Quaest. I. Utrum ex caritate diligendae sint creaturae irrationales. . . . . » 621
II. Utrum ex caritate diligendi sint daemones . » 624
III. Utrum ex caritate diligendi sint mali homines . . . . . » 626
IV. Utrum ex caritate sint diligenda corpora nostra . . . . . » 628
V. Utrum ex caritate diligenda sint dona gratuita. » 629
VI. De diligendorum numero et sufficientia. . » 631
Dubia I-IV. circa litteram Magistri. . . . . » 633

DINTINCTIO XXIX.

Textus Magistri . . . . . » 635
Divisio textus. . . . . » 637
Articulus unicus. *De ordine caritatis.*
Quaest. I. Utrum ordo sit in caritate respectu diligibilium . . . . . » 638
II. Utrum caritas in diligendo praeponat Deum nobis. . . . . » 641
III. Utrum secundum ordinem caritatis praeponendum sit bonum proprium bono ipsius proximi. . . . . » 643
IV. Utrum magis diligendi sint parentes quam filii, an e converso. . . . . » 646
V. Utrum domesticus sit extraneo praeponendus . . . . . » 647
VI. Utrum ordo caritatis attendatur penes effectum tantum, an simul penes affectum et effectum. . . . . » 649
Dubia I-VI. circa litteram Magistri. . . . . » 652

DISTINCTIO XXX.

Textus Magistri . . . . . » 655
Divisio textus. . . . . » 656
Articulus unicus. *De caritate quantum ad perfectionem meriti.*
Quaest. I. Utrum cum quantulacumque caritate possit quis resistere quantaecumque tentationi . » 656
II. Utrum homo, in quantulacumque caritate constitutus, teneatur mortem pro Christo subire . . . . . » 659
III. Utrum perfectam caritatem habentes teneantur implere ea quae sunt perfectionis . » 661
IV. Utrum omnes teneantur diligere inimicos quantum ad affectum . . . . . » 663
V. Utrum omnes teneantur diligere inimicos quantum ad effectum . . . . . » 666
VI. Utrum sit maioris perfectionis et meriti diligere amicum, an diligere inimicum. . » 668
Dubia I-III. circa litteram Magistri. . . . . » 670

DISTINCTIO XXXI.

Textus Magistri . . . . . *pag.* 671
Divisio textus. . . . . » 673
Articulus I. *De duratione caritatis per comparationem ad peccatum sibi oppositum.*
Quaest. I. Utrum caritas semel habita possit amitti . » ib.
II. Utrum cadens a caritate possit resurgere in aequali . . . . . » 676
III. Utrum homo possit resurgere in caritate minori . . . . . » 678
Articulus II. *De duratione caritatis per comparationem ad habitus aliarum virtutum.*
Quaest. I. Utrum fides in gloria evacuetur . . . . » 680
II. Utrum spes evacuetur per adventum gloriae. » 683
III. Utrum habitus scientiae evacuetur in patria. » 685
Articulus III. *De duratione caritatis per comparationem ad praemium.*
Quaest. I. Utrum contingat, caritatis habitum in patria evacuari . . . . . » 688
II. Utrum caritas habeat in patria dilatari . . » 690
III. Utrum ordo caritatis in patria habeat immutari . . . . . » 692
Dubia I-III. circa litteram Magistri. . . . . » 694

DISTINCTIO XXXII.

Textus Magistri . . . . . » 696
Divisio textus. . . . . » 697
Articulus unicus. *De dilectione ipsius Dei.*
Quaest. I. Utrum Deus dilexerit creaturas aeternaliter. » ib.
II. Utrum Deus omnes creaturas diligat generaliter . . . . . » 699
III. Utrum Deus diligat omnes creaturas aequaliter . . . . . » 701
IV. Utrum Deus magis diligat hominem quam Angelum, an e converso. . . . . » 703
V. Utrum Deus magis dilexerit genus humanum quam Christum . . . . . » 705
VI. Utrum Christus magis dilexerit Ioannem quam Petrum. . . . . » 706
Dubia I-IV. circa litteram Magistri . . . . . » 708

DISTINCTIO XXXIII.

Textus Magistri . . . . . » 710
Divisio textus. . . . . » ib.
Articulus unicus. *De virtutibus cardinalibus in generali.*
Quaest. I. Utrum opportunum sit praeter virtutes theologicas cardinales ponere. . . . . » 711
II. Utrum omnes virtutes cardinales sint una virtus, an diversae. . . . . » 713
III. Utrum virtutes cardinales sint in parte animae rationali, an in ea parte, quae solum obtemperat rationi . . . . . » 715
IV. Utrum virtutes cardinales debeant esse tantum quatuor, an plures . . . . . » 719
V. Utrum virtutes cardinales sint a Dei dono, vel ab assuetudine . . . . . » 721

VI. Utrum virtutes cardinales in patria maneant, an evacuentur . . . . . *pag.* 726
Dubia I-VI. circa litteram Magistri . . . . . » 728

DISTINCTIO XXXIV.

Textus Magistri . . . . . » 731
Pars I.
Divisio textus. . . . . » 734
Articulus I. *De comparatione donorum ad virtutes.*
Quaest. I. Utrum dona et virtutes inter se differant . » 735
II. Utrum dona sint priora virtutibus, an e converso . . . . . » 739
III. Utrum virtutes sint excellentiores donis, an e converso. . . . . » 741
Articulus II. *De donis in comparatione ad se invicem.*
Quaest. I. Utrum dona Spiritus sancti sint tantummodo septem . . . . . » 743
II. De donorum ordinatione et combinatione . » 747
III. Utrum dona Spiritus sancti maneant in Beatis. » 749
Dubia I-III. circa litteram Magistri. . . . . » 751
Pars II.
Divisio textus. . . . . » 753
Articulus I. *De timore informi sive servili.*
Quaest. I. Utrum timor servilis sit donum Spiritus sancti divinitus datum. . . . . » ib.
II. Utrum usus timoris servilis sit bonus, an malus . . . . . » 757
III. Utrum timor servilis expellatur, gratia adveniente. . . . . » 759
Articulus II. *De timore gratuito.*
Quaest. I. Utrum timor initialis et filialis sint diversae timoris species . . . . . » 761
II. Utrum, crescente caritate, timor decrescat. » 764
III. Utrum timor gratuitus in patria maneat . » 765
Dubia I-V. circa litteram Magistri. . . . . » 767

DISTINCTIO XXXV.

Textus Magistri . . . . . » 771
Divisio textus. . . . . » 772
Articulus unicus. *De ceteris sex donis Spiritus sancti in specie.*
Quaest. I. Utrum actus doni sapientiae attendatur penes cognitionem veri, an penes affectionem boni . . . . . » ib.
II. Utrum actus praecipuus doni scientiae consistat in actione, vel in speculatione . . » 775
III. Utrum donum intellectus simul consistat in contemplatione Creatoris et creaturae. . » 777
IV. Utrum actus ipsius doni consilii sit consiliari . . . . . » 780
V. Utrum actus doni fortitudinis consistat principaliter circa passiones tolerandas, an circa cupiditates reprimendas . . . . » 782
VI. Utrum actus principalis pietatis consistat in religione respectu Dei, vel in compassione respectu proximi. . . . . » 784
Dubia I-IV. circa litteram Magistri. . . . . » 787

DISTINCTIO XXXVI.

Textus Magistri . . . . . *pag.* 789
Divisio textus. . . . . » 790
Articulus unicus. *De connexione, aequalitate et forma virtutum gratuitarum.*
Quaest. I. Utrum ponenda sit connexio in virtutibus gratuitis. . . . . » 791
II. Utrum dona Spiritus sancti sint connexa . » 794
III. Utrum connexio sit in virtutibus politicis, ut necesse sit, una habita, omnes haberi. » 796
IV. Utrum sit connexio in vitiis et peccatis . » 799
V. Utrum ponenda sit aequalitas in habitibus gratuitis . . . . . » 802
VI. Utrum caritas sit forma virtutum. . . . » 805
Dubia I-V. circa litteram Magistri. . . . . » 808

DISTINCTIO XXXVII.

Textus Magistri. . . . . » 810
Divisio textus. . . . . » 812
Articulus I. *De mandatorum Decalogi obligatione.*
Quaest. I. Utrum Deus debuerit homini imponere mandata obligatoria . . . . . » ib.
II. Utrum praecepta Decalogi obligent ad opera formata . . . . . » 815
III. Utrum obligatio mandatorum Decalogi attendatur secundum legem naturae, an secundum legem scriptam . . . . . » 818
Articulus II. *De mandatis Decalogi quoad distinctionem et ordinem.*
Quaest. I. Utrum mandata Decalogi debeant esse tantum decem, an plura, an pauciora . . » 821
II. De ordine mandatorum Decalogi ad invicem. » 825
III. De numero et ordine mandatorum quoad tabularum distinctionem . . . . . » 827
Dubia I-VIII. circa litteram Magistri . . . . . » 829

DISTINCTIO XXXVIII.

Textus Magistri . . . . . » 836
Divisio textus. . . . . » 838
Articulus unicus. *De mendacio.*
Quaest. I. Utrum essentiale sit mendacio esse falsum. » 839
II. Utrum essentiale sit mendacio esse peccatum. » 841
III. Utrum mendacium sit peccatum mortale ratione sui generis . . . . . » 845
IV. Utrum omne mendacium sit mortale viris perfectis. . . . . » 847
V. De ipsius mendacii divisione . . . . . » 850
VI. De gradibus specierum mendacii. . . . » 852
Dubia I-IV. circa litteram Magistri . . . . . » 854

DISTINCTIO XXXIX.

Textus Magistri . . . . . » 857
Divisio textus . . . . . » 860
Articulus I. *De culpa periurii.*
Quaest. I. Utrum omne periurium sit mendacium. . » 861

II. Utrum omne periurium sit peccatum . *pag.* 863
III. Utrum omne periurium sit mortale peccatum. » 865

ARTICULUS II. *De forma iurandi.*

QUAEST. I. Utrum licitum sit iurare per Deum . . . » 866
II. Utrum liceat iurare per aliquod creatum . » 870
III. Utrum liceat recipere iuramentum ab idololatris factum. . . . . » 872

ARTICULUS III. *De obligatione iuramenti.*

QUAEST. I. Utrum obligatio per iuramentum dolosum contrahatur. . . . . » 874
II. Utrum omne iuramentum coactum sit obligatorium . . . . . » 877
III. Utrum iuramentum incautum sit obligatorium . . . . . » 878
Dubia I-VI. circa litteram Magistri. . . . . » 880

DISTINCTIO XL.

Textus Magistri . . . . . *pag.* 883
Divisio textus . . . . . » 884

ARTICULUS UNICUS. *De differentia novae Legis et veteris.*

QUAEST. I. De differentia utriusque Legis penes radicem. » ib.
II. De differentia secundum effectum, videlicet quod Lex vetus fuerit occidens, Lex nova sit vivificans . . . . . » 887
III. De differentia utriusque Legis quantum ad onus annexum, videlicet quod Lex sit lex gravitatis, Evangelium vero lex suavitatis. » 890
Dubia I-III. circa litteram Magistri. . . . . » 892

Errata.

pag. 1 col. 2. nota 14. pro *plures edd.* lege *plures codd.*
» 8 » 2. » 3. linea 6. pro *et concursus* lege *est concursus.*
» 760 » 2. linea 6. ab infra pro numero *5* lege *1.*
» » » 2. nota 15. in fine pro *principalis* lege *principalius.*
» 821 » 1. arg. 1. in fine pro *satis contineantur* lege *via magis.*
(rationem vide Prolegom. pag. V col. 2. in fine).

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae, die 25 Februarii 1887.

† EUGENIUS Archiep. Florentinus.